00112205



B[9]. PATER ALBINVS FLACCVS ALCHWINVS.
S.[TI] KAROLI-MAGNI REGIS AC IMPERATORIS MAGIS[TER].
OBIIT ANNO INCARNATI VERBI DCCCIV.

Digitized with financial assistance from
Observer Research Foundation
on 06 November, 2019

B. FLACCI ALBINI, SIVE

ALCHVVINI

ABBATIS, KAROLI MAGNI REGIS, AC IMPERATORIS, MAGISTRI

Opera quæ hactenus reperiri potuerunt:

NONNVLLA AVCTIVS ET EMENDATIVS,

pleráque nunc primùm ex Codd. MSS. edita.

Acceſſère B. PAVLINI AQVILEIENSIS *Patriarchæ contra Felicem Vrgel. Epiſc. Libri III. qui etiam nunc prodeunt.*

Omnia ſtudio & diligentia ANDREAE QVERCETANI Turonenſis.



LVTETIAE PARISIORVM.

EX OFFICINA NIVELLIANA.

Sumptibus SEBASTIANI CRAMOISY, via Iacobæa, ſub Ciconiis.

M. DC. XVII.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

D
a
11

00112205

ILLVSTRISSIMO AMPLISSIMOQVE VIRO,

D. GVLIELMO VARIO,

FRANCIAE PRO-CANCELLARIO,

ANDREAS QVERCETANVS DAT DICATQVE.

HOC *mihi pro votis obtigit, Vir Illuſtriſſime, vt per eos fere dies, quibus ad ſacri Sigilli Cuſtodiam non inuitatus modo, ſed & occulto numine raptus fuiſti,* FLACCVM ALCHVVINVM *ante menſes quindecim prælo ſubiectum abſoluerem. Nam cum tuum ad hanc ſummam dignitatem aduentum vniuerſi priuatis publiciſque gratulationibus proſequerentur, & à me quoque ex officio munus aliquod aduentorium tibi deberi crederem, optandum profectò non fuit, occurrere aliud, quod aut meum in tui venerationem & obſeruantiã ſtudium teſtari melius, aut ſplendidiſſimi honoris tui ſublimitati gratius eſſe poſſet.* CAROLVS MAGNVS *Franciæ Rex & Imperator eximiam* ALCHVVINI *doctrinam ac ſapiẽtiam expertus, eum de remotiſſimis Angliæ finibus euocatum ſibi totum aſſeruit, ac magnis in regno ſuo dignitatibus cumulauit. Idem tibi Viro ſapientiſſimo nuper accidiſſe vident omnes, qui te, virtute & meritis inſignem, ſuprema nunc in Sede locatum ſuſpiciunt, ac mirantur. Regia enim Maieſtas,* HENRICI MAGNI *Proles, perſpecta ingenij tui præſtantia ac morum integritate, de vltimis Galliarum oris honorificè te reuocauit, & ad altiſſimum togatæ potentiæ ſolſtitium euexit, vt in tua ſalutari tutela Francia non ſolum reſpirare, verumetiam in poſterum florere poſſet.* ALCHVVINVS *in celeberrimum hoc Galliæ regnum aſcitus, vnus è principibus Imperialis Aulæ comitibus fuit, vſu & exercitatione rerum tractandarum, omnibuſque artibus ac ſcientiis adeo inſtructus, vt prudentiſſimis eius Conſiliis Rex* CAROLVS *ſemper vteretur. Et tu, Vir Ampliſſime, poſt Senatorios omnes honorum gradus, auguſtiſſimis nunc* LVCOVICI *Regis auſpiciis ad ſanctiſſimum Conſiſtorij eius cla-*

uum ſedes, cunctos illi digniſſimi Nomophylacis numeros reddis; & vt alia prætersam, quæ multa ſunt, tuæ præclariſſimæ auctoritatis lumina, præcipuus es, in cuius fide & ſaluberrimis Conſiliis Princeps Chriſtianiſſimus magno totius rei Gallicæ bono conquieſcit. Certant enim in te virtutes omnes hoc tanto faſtigio dignæ, doctrina, iudicium, facundia, rerum vſus, probitas, & quæ in eiuſmodi Magiſtratu laudabiliter adminiſtrando prima agit, admirabilis animi magnitudo. Poſtremò beatos ALCHVVINI *manes honorifica recordatione proſequitur Gallia, quòd cùm ob ſingularem eruditionis ac ſapientiæ famam apud* CAROLVM MAGNVM *gratiâ & auctoritate plurimùm valeret, hac ſortis benignitate non ad ſui ipſius commoda, ſed ad communem Reipublicæ vtilitatem vſus eſt. Nam hoc potiſſimum ſuaſore Rex illeglorioſiſſimus, qui quotidie cum de ſcientiis variis diſſerentem libentiſſimè audiebat, litteras penè iacentes erexit, Scholas deſtructas reparauit, & ſi nonnullis veterum habenda fides, Pariſienſem etiam hanc Academiam primus inſtituit. In qua re, nec abſimilem à te, Vir Illuſtriſſime, cuncti ſcientiarum alumni expectant operam. In te enim præcipuè tota rei litterariæ Domus nunc inclinata recumbit. Tu è Mediterraneo littore tanquam Sol nouus emerſiſti, qui diſſipata caligine Gallos omnes ex altiſſimo veterno tandem excitabis, liberaleſque diſciplinas effuſa benignioris radij luce pleniter illuſtrabis. Et ſi doctis aliquibus mens non læua, quod octingentos ante annos* ALCHVVINO, *hoc & tibi noſtro tempore* LVTETIA *debitura eſt,*

> Inſtaurare bonas ibi qui feliciter artes
> Incipies. ----

LVDOVICOQVE *Rege tuis cœptis fauente, nec eruditioni iam aut virtuti debita præmia deerunt, nec Academia iſta Galliarum princeps vlteriùs decore ſuo viduata remanebit, quam eruditiſſimorum olim in toto Orbe virorum ſeminarium extitiſſe nemo eſt qui neſciat. Hic igitur tantus quantus eſt, Vir Ampliſſime, ſe ſua ſponte* ALCHVVINVS *obtulit, quem & beneuolè ſuſcipiendum abs te, & gratiam quoque tuam initurum ſperaui. Nam cui iuſtiùs Virum ſapientiâ, conſilio, ſcientiis omnibus æuo ſuo præſtantiſſimum offerre debui, quàm omnium qui hoc patrumque ſeculo vixere ſine controuerſia ſapientiſſimo, conſultiſſimo, ſcientiſſimóque Viro? cui digniùs maiora Imperialis Palatij negotia ſuæ diſcretionis arbitrio diffinientem, (ſicut de eo loquitur vitæ S. Aldrici Senonenſis Archiep. Scriptor) quàm in maximis grauiſſimiſque regni negotiis ſumma cum prudentia ac moderatione decidendis perpetuè occupato? cui rectiùs ſanctitatis ſplendore conſpicuum, quàm integerrimo? probitate morum nitentem, optimo? facundum, diſertiſſimo? cui denique melius litterarum omnium propagatorem, quam earumdem futuro reſtitutori? Tot & tam præſtantia ingenij ornamenta, Vir Illuſtriſſime, quæ tibi cum illo communia eſſe cognoſcuntur, me ad hoc deuotionis erga te obſeruantiæque meæ monimentum tibi dedicandum impulerunt. Cùm enim tuarum fama virtutum in tam excelſo nunc*

illuſtrique loco poſita ſit, vt omnes omnium nationum homines in admirationem ſui conuertat, ab alia quàm eximij, ac multis tibi nominibus addicti conſecratique Auctoris exhibitione, obnixi mei in te obſequij teſtimonium auſpicari non oportuit. Et certè dignitatem tuam, gloriam, honorem, ad exteras quoque gentes perferet, ſi modo patrocinium auctoritatis tuæ, quod à te neceſſario deſiderat, ei impertieris. Da igitur hoc, Vir Ampliſſime, communi Reipublicæ bono, da & humilis clientis tui precibus, qui etiam ſi multi cum eo de tui nominis ſtudio ac veneratione contendent, à nullo tamen vmquam ſe ſuperari patietur. Vale, Vir Illuſtriſſime. Lutetiæ Pariſiorum, Kal. Aug. CIƆ IƆ CXVI.

PRAEFATIO AD BEATVM ALCHVVINVM ABBATEM.

CVM meo pridem in animo ſteterit, hoc Eccleſiæ Patriæque meæ Turonenſi tribuere, vt non ſolùm veterem ſuam Hiſtoriam, quam præ manibus habeo, ſed & Patrum qui in ea claruerunt Scripta luce donata conſpiciat; à beato FLACCO ALBINO, ſiue ALCHVVINO, ſancti Martini quondam Abbate, principium ducere viſum eſt, cùm quod ille ſui temporis vndequaque doctiſſimus ac eruditiſſimus fuerit, tum quòd melior eius Operum pars aut in hunc diem incognita, aut certè pluribus in locis mutila deprauatáque remanſerit. Multa de eo Anonymus, qui narrante Sigvvlfo fideli & indiuiduo ipſius ſocio, quæcumq; diſcere potuit, vtilitati poſterorum inſeruitura deſcripſit. Multa quoque veteres ac recentiores Hiſtoriographi, quorum omnium teſtimonia diligenter collecta diſpoſui, ſimulque cum Vita & Epitaphiis eiuſdem, excudenda curaui. Sed vt quæ ab illis prætermiſſa, aut malè accepta fuerunt, intelligi queant; rem omnem à puris, vt dicitur, fontibus, hoc eſt ipſiſſimis Alchvvini Scriptis, repetam.

I. *Alchvvini patria, genus, & natale ſolum.*

ALCHVVINVS igitur ex Brittannia oriundum ſe non ſemel teſtatur, ſed quo genere, aut quibus parentibus, incertum relinquit. Quanquam non humili proſapia genitum, vel ex hoc vno conſtare poteſt, quod apud Reges, Epiſcopos, & alios Inſulæ ſuæ Magnates plurimum ſemper gratiâ & auctoritate valuerit, fratremque habuerit, Iuuauenſis Eccleſiæ, quæ nunc Saltzburgẽſis dicitur, Antiſtitem [1], Aquilam nomine. An verò in Scoticis Britanniæ partibus, ſicut Hiſtorici Scotorum contendunt [2]; ſeu Londino non procul, in Midleſexiæ Comitatu, quod nonnullis placuiſſe reperio; an quod potius reor, in Northumbriæ regno, Eboraci natus fuerit, nõ perſpicuè ſatis declarat. Eginhardus certè ſui temporis auctor [3], Saxonici generis hominem vocat, Eboracíque ſe a puero educatum, non vno loco, nec obſcuris verbis ipſe ſignificat. Sed crebra in eius Epiſtolis Nordanhumbrorũ mentio, qui Scotiæ regiones vſq; ad Edenburgi fretum poſſidebant, Scoticarum rerum Scriptoribus anſam dedit, vt in Scotia procreatum eum ſuſpicarentur.

1 Alchvvinus Epiſt. LXVI & CCIV.

2 Hector Boethius, & Ioannes Maior.

3 In vita Caroli Magni.

II. *Nomen & cognomen.*

IN Eboracenſi ergo Prouincia natus, ALBINI, ſiue ALCVINI cognomen tulit à familia, non à Scotorum gente, qui ſe Albinos ſuâ linguâ vocant, vt Georgius Buchananus aſſerit [4]: Flaccus autem à baptiſmate nomine proprio appellatus eſt. Quod adeò verum, vt & ipſe modo Flaccum ſe, modo Albinum vel Alchuinum ſimpliciter, ſæpius verò Flaccum Albinum, & Flaccum Alchuinum nuncupet. Quare qui ordine inuerſo Albinum Flaccum Alcuinum vocant, Sixtum Senenſem [5], & alios quoſdam imitãtes, præter veritatem faciunt. Etſi nos eorum auctoritatem primò ſequuti, ſic illum quoque ferè ſemper inſcripſimus. Eodémque in errore verſantur, qui ſolummodo Albinum cognomento Alchvvinum nominant [6]. Albinus enim & Alcuinus, Alboinus vel Albuinus, Alchoinus, Alquinus, Alchuinus, Alchvvinus, Alkoinuſque, tam in manuſcriptis quàm excuſis libris indifferenter reperitur. Quod à varia ſine dubio variarum nationum pronunciatione ac ſcriptura manauit. Nam qui molliorem pronunciandi formulam affectarunt, & à rudiore palati cum lingua colliſione ſemper abhorruerunt, facile Alchuini vel Alchoini vocem in Albinum aut Alboinum commutarunt, modóque Alcuinum etiam ac Alquinum, quem alij Alkoinum & Alchvvinum, dixerunt. Cuius rei teſtes locupletiſſimi, tum VVillelmus Malmeſburienſis Monachus, tum ipſe noſter Auctor. In eorum enim exemplaribus nomen hoc paſſim & indiſtinctè ſic variat. Quamuis nonnulli aliam talis mutationis cauſam aſſignant [7], nempe quòd barbariem patrij nominis Romana appellatione conſulto mutarit Flaccus, Albinum ſe pro Alchuino nuncupans, vt in VVinfrido qui Bonifacius dictus eſt, in VVillibrordo qui Clemens, & in aliis pleriſque illius

4 Lib. 5. hiſt. Scot.

5 In Bibliotheca ſancta.

6 Eginhardus, & quidam alij.

7 Henricus Caniſius in Notis ad Epiſt. I. Alchuini.

xui

æui contigit. Sed præterquam quòd in his nomen proprium, non cognomen, quod nullum habuiſſe leguntur, commutatum eſt, habita quoque diuerſarum linguarum ratione, ſyllabas, *qu*, *cu*, *chu*, *chVV*, *Ko*, *cho*, *bi*, *bo*, ſemper idem ſonaſſe certum eſt. Quod vel ex vno Mathæi VVeſtmonaſterienſis exemplo deprehendi poteſt. Quem enim ſub annum DCCXXXIIII. Albinum Lichefeldēſem Epiſcopum vocat, eundem anno DCCXXXVII. Alvvinum nominat. Et Pontus Heuterus, tametſi non adeo certus & circumſpectus Scriptor, Alcuinum in etymis interpretatur *AlVVin*, id eſt vndique rem facientem, augentemque: forſitan à verbo *gVVin*, quod Germanis etiam hodie lucrum ſignificat.

III. *Educatio, Inſtructio, & Magiſtri.*

SED vt à nomine iam ad educationem ac inſtructionem procedamus, ALCHVVINVM hunc primò in Cœnobio S. Petri Londini Monachalem habitum induiſſe quidam arbitrantur [1], Bedæque Venerabilis diſcipulum omnes penè tam veteres, quàm neoterici, fuiſſe contendunt. Quæ an vera ſint, paulò diligentiùs hic videtur exquirēdum. Nam quòd ad primum ſpectat, vbi pueritiam ac iuueniles annos egerit, ipſe prodit in Epiſtola, quam ad fratres Eboracenſis Eccleſiæ ſcripſit [2], his verbis: *Vos fragiles infantiæ meæ annos materno fouiſtis affectu, & laſciuum pueritiæ tempus piâ ſuſtinuiſtis patientia, & paternæ caſtigationis diſciplinis ad perfectam viri edocuiſtis ætatem, & ſacrarum eruditione diſciplinarum roboraſtis.* Et ſi de ſecundo quoque lubet illi credere, non Bedam, ſed Egbertum Eboracenſem Præſulem ſuum fuiſſe magiſtrum tradit. Sic enim in ea, quam ad Eanbaldum ſecūdo loco Egberti ſucceſſorem miſit, Epiſtola [3] loquitur: *Laus & gloria Deo, qui dies meos in proſperitate bona conſeruauit, vt in exaltatione filij mei cariſſimi gauderem, qui laboraret vice mea in Eccleſia, vbi ego nutritus & eruditus fueram, & præeſſet theſauris ſapientiæ, in quibus me magiſter meus dilectus Egbertus Archiepiſcopus hæredem reliquit.* Et Epiſtolâ 1. ad Carolum Magnum Franciæ Regē, vbi de reuehendis in Franciam Libris agit, quos olim in Eboracenſi patria poſſederat, *Sed ex parte*, inquit, *deſunt mihi ſeruulo veſtro exquiſitiores eruditionis ſcholaſticæ libelli, quos habui in patria per bonam & deuotiſſimi Magiſtri mei Egberti induſtriā, vel etiam mei ipſius qualemcūque ſudorem.* Et ſi enim ibi tam in MS. Codice quàm in excuſo nomen Egberti nō inuenitur, tamen & VVillelmus Malmesburienſis hunc locū citans [4] illud addit, & de eo neceſſario debere intelligi, ſequens Euboricæ ciuitatis mentio conuincit. Præterea quoties in Bedæ memoriam incidit Alchvvinus, vel eum Bedam Presbyterum ſimpliciter, vel cum honoris additamento nobiliſſimū ſui temporis Magiſtrum appellat. Nam ad VVirenſes Monachos ſcribens [5], in quorū Monaſterio Beda litteras & didicerat & docuerat, ſic ait: *Recogitate nobiliſſimum noſtri tēporis Magiſtrum, Bedā Presbyterū, quale habuit in iuuentute diſcendi ſtudium, qualem nunc habet inter homines laudem, multo maiorem apud Deum remunerationis gloriam.* Vbi cur Bedæ laudem hanc inuidiſſet, & non potiùs appellaſſet ſuum, quàm ſui temporis Magiſtrum? Verum eſt Bedam in præfatione Hiſtor. rer. Angl. teſtari ſe opus illud aggreſſum Albini Abbatis impulſu, quem virum per omnia doctiſſimum vocat.

IIII. *Doctrina, & profeſſio.*

Sed præter quam quod eius vt æqualis tantum & amici, non vt diſcipuli meminit, ſi eſſet Albinus noſter ſiue Alcuinus idem cum ipſo, planè centenariam ætatem longè exceſſiſſe dicendum eſſet. Beda enim obiit anno DCCXXXI. vt Sigebertus, & alij notant. Quāobrem Albinus ille, de quo Beda, alius omninò diuerſus cenſendus eſt à noſtro, forſitanque idem cum Alvvino ſeu Albino illo ſtatuendus, qui vt Mathæus VVeſtmonaſterienſis refert, Epiſcopus fuit in Mercia apud Lichefeldiam anno DCCXXXIIII. diemque extremum clauſit anno DCCXXXVII.

ALCHVVINVS igitur in Eboracēſi Eccleſia eruditus, vbi & Leuita ſiue Diaconus ſacratus eſt, præceptoreq. vſus, nō Beda, ſicut plerique tradunt; ſed EGBERTO Archiepiſcopo, qui omnium liberalium artium armarium & ſacrarium à VVillelmo Malmesburienſi vocatur [6], nobiliſſimamque Bibliothecam Eboraci conſtituiſſe aſſeritur; inter eos breui tempore cenſeri meruit, qui primi poſt Adhelmum & Bedam in omni genere litterarum apud Anglos excelluerunt. Nam præter humaniores artes ac diſciplinas, in Philoſophicis quoque, Mathematicis, & omni diuinarum rerum ſcientia erudiſſimus euaſit. Latinæ, Græcæ, Hebraicæque linguæ peritus, vt eius ſcripta legentes paſſim deprehendent. Ac poëticæ etiam fama quodammodo clarus, ſi ſæculi ſui barbaries attenditur. Quare Magiſter eius Egbertus moriens illū in theſauris ſapientiæ, quibus præerat, hæredem reliquit [7]: Eboracenſiſq; Scholæ factus Rector, multos & ipſe poſtea diſcipulos, eruditione ac pietate celebres, habuit. Inter quos recenſendi occurrunt Eanbaldus, qui deinde fuit Archiepiſcopus Eboracenſis [8], S. Ludgerus Epiſcopus Monaſterienſis primus [9], & alius quidam, Ioſeph nomine, qui verſibus aliquot eundem Ludgerum laudauit [10]

1 Apud Ioannem Baleum Centur. 1. Scrip. Angl.
2 Epiſt. XCVIII.
3 Eius fragmentum extat apud VVillelm. Malmeſb. & in hoc opere, poſt Alchvvini Epiſtolas.
4 Lib. 1. de geſt. Reg. Angl. c. 3.
5 Epiſt. XLIX.
6 Lib. 1. de geſt. Angl. cap. 3.
7 Alchuuinus Epiſt. ad Eanbal. iam citata.
8 Guill. Malmesb. l. 3. Pontif. Angl.
9 Vita S. Ludgeri apud Suriū, cap. 7. & in libro cui titulus, *Sidera illuſtrium virorum Germaniæ.*
10 Hi verſus extāt apud Suriū in vita S. Ludg. c. 9.

V. *Quibus in locis docuit, dum Brittanniam incoleret.*

AN verò tunc Eboraci tantum doctiſſimus hic Magiſter docuerit, non adeò certum & perſpicuum eſt. Nam Academiæ Cantabrigienſis Annales habēt, vt refert Auctor Centuriarum de illuſtribus Brittanniæ Scriptoribus, quòd omnes illic liberales artes publicè poſt Bedam docuerit, & quòd tandem Eboraci ſub Egberto prælegerit, Philoſophorum ſui temporis anteſignanus. Quod tamen Alchvvinus ipſe nullibi ſignificare comperitur. Niſi forſitan id aliquis ex iſtis eius ad Carolum Magnum verbis [1] ſubinferre velit, *Mane florentibus per ætatem ſtudiis ſeminaui in Brittannia.* Sed cùm aliis locis ſe fratrum Eboracenſium præceptorem fuiſſe diſertè doceat, de Eboraco potiſſimum hoc intelligendum videtur. Quòd enim ibi meliorem adoleſcentiæ ſuæ partem in diſcendo docendoque collocauerit, vel hæc illius iam ſenis ad eoſdem Eboracenſis Eccleſiæ fratres apertiſſimè demonſtrant: *Vos,* inquit [2], *ſemper in corde, & primi inter verba precantia in ore. Vos piiſſimi patres, ſeu in communibus ſanctæ orationis horis, vel in ſecretis deprecationum veſtrarum interceſſionibus* ALCHVINVM *filium veſtrum per Dei deprecor caritatem iugiter in corde habete & in ore. Vos quoque, qui eſtis ætate filij, ſed meritorum ſanctitate patres, per diuinam obteſtor clementiam, numquam eruditionis veſtræ in ſanctis orationibus obliuiſcimini magiſtrum. Teſtis enim cordis mei mihi eſt inſpector, quia deuotè veſtrum ſemper in Eccleſiaſticis diſciplinis, & ſpiritali doctrina deſiderabat profectum. Et ſi quid minus accepiſtis, non meæ, credo, culpæ deputari poteſt.*

1 Epiſt. I.
2 Epiſt. XCVIII.

VI. *Apud quos in precio fuit, & eius varia legationes.*

QVICQVID ſit, hac laudabili litterarum profeſſione per vniuerſam Brittanniam celebris, non tantum apud Epiſcopos & Abbates Inſulæ, verumetiam apud Reges ipſos & Principes in precio fuit. Hoc enim teſtantur Epiſtolæ, quas ad Æthelardum Doroenſis Eccleſiæ Metropolitanum, & primæ Sedis in Britannia Pontificem [3], ad Offanum & Egfridum Merciorum [4], & Ædilredum Nordanhumbrorum [5] Reges, ad Ædilthidem famulam Dei, olim Reginam [6], ad Osbaldum & Osbertum Northumbriæ Duces [7], & ad alios plures familiariſſimè ſcripſit: & duplices quas ad Pontificem Romanum, & in Franciam de rebus arduis legationes obiuit: quarum alterā recenſet VVillelmus Malmeſburienſis lib. I. de geſtis Regum Angliæ, Cap. III. alteram Alchvvinus ipſe ſubindicat Epiſtola XV. his verbis: *Dum ego aduleſcens Romam perrexi, & aliquantos dies in Papia regali ciuitate demorarer, quidam Iudæus Iulius nomine cum Petro Magiſtro habuit diſputationem.* Vbi per Petrum Magiſtrum, ſenem illum Diaconum Petrum cognomine Piſanum intelligit, qui Caroli Francorum Regis in Grammatica præceptor fuiſſe legitur [8].

3 Epiſt. XXVIII.
4 Epiſt. XXXVIII. & XLVIII.
5 Epiſt. XXIX.
6 Epiſt. XXX.
7 Epiſt. XXVIII.
8 Apud Eginhardū in vita Caroli Magni.

VII. *Euocatur in Franciā à Carolo Magno: vocationiſque eius cauſa.*

SED & aliquantò poſt CAROLVS ipſe glorioſiſſimus Rex, qui doctrinam eius ac ſapientiam expertus fuerat, tum in Francia, cùm ad ſe pro pacis fœdere miſſus eſt, tum etiam in vrbe Papia, dum ibi moraretur: de remotis eum Brittanniæ finibus honorabiliter euocauit, vt ſuæ bonæ voluntatis adiutor in veræ ſapientiæ ſtudiis promouendis exiſteret, liberaleſque omnes diſciplinas penè tunc per Galliam extinctas ad lucem reuocaret. Hanc enim Alchvvinus euocationis ſuæ cauſam allegat Epiſtolâ XXIII. ad Carolum Regem, vbi ſic loquitur: *Hæc enim veſtram optimam ſollicitudinem, Domine mi Dauid, ſemper amare, & prædicare agnoſcebam, omneſque ad veram ſapientiam diſcendam exhortari, immò & præmiis honoribuſque ſollicitare, atque ex diuerſis mundi partibus amatores illius veſtræ bonæ voluntati adiutores conuocare ſtuduiſtis. Inter quos me etiam infimum, eiuſdem ſanctæ ſapientiæ vernaculum, de vltimis Brittanniæ finibus adſciſcere curaſtis, atque vtinam tam vtilem in Domo Dei ſeruulum, quam promptulum veſtræ obedire voluntati. Quia diligens diligebam in ſacratiſſimo pectore veſtro, quod in me vos velle inuenire intelligebam.* Quod & tangere videtur Carmine CCIX. his verbis.

Albinus veniens peregrino vatis ab orbe,
His quem direxit præclara Britannia terris,
Suſcipit hunc Karolus huius Rex inclitus orbis,
Cùm pietate ſacræ ſophiæ, tum propter amorem.

Verum Epiſtolâ ad Laidradum Epiſcopum Lugdunenſem, Nefridium Epiſcopum Narbonenſem, Benedictum Abbatem, ſimulque ſanctiſſimos in Gothiæ Prouinciæ partibus Epiſcopos, Abbates, & fratres, aliam ſuperadiicit rationem: nempe vt piiſſimum Regem Carolum in fidei Catholicæ defenſione contra Felicem Vrgelitanæ Sedis Epiſcopum, & eius ſectatores hæreticos adiuuaret: ſibique hoc etiam à ſanctiſſimo quodam viro Prophetiæ ſpiritu prædito, dum adhuc in Brittannia verſaretur, prædictum fuiſſe profitetur. *Neminem,* inquit, *ad meum vnquam comparaui ſeruitium, ſed magis deuota charitate omnibus Chriſti Dei mei famulis ſeruire deſideraui. Ad cuius ſeruitij facultatem, diuina, vt credo, iubente diſpenſatione, ad glorioſum & omni honore nominandum huius regni Principem & Regem Carolum vocatus adueni, ſicut mihi quidam ſanctus vir, Prophetiæque ſpiritu præditus Dei eſſe voluntatem in mea prædixerat patria: etiam & vt vir venerabilis totuſque Deo deditus mihi mandatum dederat Magiſter, vt ſi alicubi nouas audirem oriri ſectas, & Apoſtolicis contrarias doctrinis, mox totum me in Catholicæ defenſionem fidei dediſſem.* Et libro I. aduerſus Elipanti Epiſtolam, de Carolo verba faciens, *Non ego illum corrumpere veni in Franciam, qui corrumpi non poteſt; ſed*

adiuuare in fide Catholica, in qua ille ab ineunte ætate nutritus fuit, & optimè à Chriſtianiſſimis pa-
rentibus, & magiſtris Catholicis edoctus. Ex quibus omnibus paret labi tum illos [1], qui
Alchvvinum apud Carolum ſeu terræ amœnitate, ſeu Regis humanitate captum reſe-
diſſe ſcribunt, cùm ab Offa Merciorum Rege ad eum conciliandæ amicitiæ cauſa dele-
gatus eſt [1]: tum illos, qui ab Achaio Scotorum Rege ad Caroli petitionem miſſum aſſe-
runt [2]: tum denique & eos, qui *audito quàm gratanter ſapientes viros religioſiſſimus Regum Ka-*
rolus ſuſciperet, conſcenſa naui ſponte *ad eum veniſſe tradunt* [3].

QVOD autem ad tempus huius ſui in Franciam aduentus ſpectat, nemo veterum id
hactenus annotaſſe videtur, nec ipſe etiam Anonymus, qui vitam eius dictante Sigvvlfo
conſcripſit. Sed ſi bene rerum ſeries & ordo conſideretur, eum ante annum DCCXCII.
aut DCCXCIII. euocatum non fuiſſe, deprehendi poterit. Rogerus enim de Houeden
in priore parte Annalium, & poſt eum Matheus VVeſtmonaſterienſis in Florario, refe-
runt Carolum Regem anno DCCXCII. miſiſſe Synodalem librum ad Brittanniam, qui
ſibi à Conſtantinopoli directus fuerat, multa inconuenientia & veræ fidei contraria con-
tinentem: Contráque eum ſcripſiſſe ALBINVM Epiſtolam ex auctoritate diuinarum
Scripturarum mirabiliter affirmatam, ac illam ex perſona Epiſcoporum & Princi- VIII.
pum Angliæ, Carolo Regi Francorum attuliſſe. Cui congruit etiam, pro tempo-
re, quod ipſe Alchvvinus ait Lib. I. aduerſus Elipantum, his verbis: *Antequam ego eodem*
ſapientiſſimo Rege Carolo iubente veniſſem in Franciam, hæc eadem veſtri erroris ſecta eodem glorioſo
Principe præſidente, præſente Felice, quem multum laudare ſoles, veſtræ partis tunc temporis defenſore,
ventilata eſt in celeberrimo loco, qui dicitur Raginisburg, & Synodali auctoritate Sacerdotum Chriſti,
qui ex diuerſis Chriſtiani Imperij partibus conuenerant, æterno anathemate damnata; imò & à beatæ
memoriæ Adriano Papa, qui tunc temporis ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Apoſtolica auctoritate rexerat
Sedem, funditus exterminata: donec idem Felix infeliciter ad veſtras refugiens partes, ſopitos infidelita-
tis cineres vobis exorantibus reſuſcitare intendit. Anno enim DCCXCII. vt habent Annales
Incerti Auctoris, hæreſis Feliciana, ipſo auctore eam abnegante, apud Raganeſpurg
primum damnata eſt: qui etiam per Engilberthum, Centulenſis Monaſterij Abbatem
in præſentiam Adriani Apoſtolici adductus, denuò eam confeſſione facta damnauit.

ALCHVVINVS igitur ſub annum DCCXCIII. in has aduenit partes, ac primo ſui IX.
aduentus tempore exhortatoriam Epiſtolam Felici, vt ſe Catholicæ iungeret vnitati,
dirigere curauit. Cui Felix non epiſtolari breuitate [4], ſed Libelli prolixitate reſpondere
niſus eſt, atque in eo omnes perfidiæ ſuæ foueas maximè apperuit: aſſerens Chriſtum &
veterem hominem eſſe, & nuncupatiuum Deum, & adoptiuum filium, & ſecunda indi-
guiſſe regeneratione, & alia plurima Eccleſiaſticæ doctrinæ incōuenientia. De hoc enim
Libello ſic ipſe Alchvvinus alibi [5]. *Nuper,* inquit, *venit mihi Libellus a* FELICE *infelice di-*
rectus; cuius, propter curioſitatem, cùm paucas paginolas legendo percucurri, inueni peiores hæreſes, vel
magis blaſphemias, quàm ante in eius ſcriptis legerem, Adſerens Chriſtum Ieſum, nec filium Dei eſſe ve-
rum, nec etiam verum Deum eſſe, ſed nuncupatiuum. Scripſerat & antea Felix diſputationem
cum Sarraceno, quam cùm petente Carolo Rege diligentiùs quæſiuiſſet Alchvvinus, ſi
quis ex ſuis famam illius audiſſet, dictum eſt illi quod apud Laidradū Epiſcopum Lug-
dunēſem inueniri poſſet [6]. Quapropter ſub feſtinatione direxit miſſum vnum ad præfa-
tum Epiſcopum, ſi fortè ibi reperire quiret, vt quàm citiſſime Regiæ præſentiæ dirige-
retur. Sed interea curam ſuſcepit reſpondendi ad alterum illius libellum, obſecrauitq.
pium ac ſapientē Regem Carolum, vt ſibi adiutores in defenſione fidei Catholicæ daret,
Paulinum Patriarcham Aquileienſem, Richbodum & Teudulphum Epiſcopos, alioſq;
celebres doctores ac Magiſtros. Hoc enim ipſe teſtatur Epiſtola IV. ad Carolum, vbi ait:
De Libello vero infelicis non Magiſtri, ſed ſubuerſoris, placet mihi valde quod veſtra ſanctiſſima vo-
luntas & deuotio habet curam reſpondendi ad defenſionem fidei Catholicæ. Sed obſecro, ſi veſtræ place-
at pietati, vt exemplarium illius libelli domno dirigatur Apoſtolico, aliud quoque Paulino Patriarchæ,
ſimiliter Richbodo & Teudulpho Epiſcopis, Doctoribus & Magiſtris, vt ſingulis pro ſe reſpondeant.
Flaccus vero tuus tecum laborat in reddenda ratione Catholicæ fidei. Tantum detur ei ſpatium, vt quietè
& diligenter liceat illi pueris ſuis conſiderare patrum ſenſus: quid vnuſquiſque diceret de ſententiis, quas
poſuit præfatus ſubuerſor in ſuo libello. Et tempore præfinito à vobis ferantur veſtræ auctoritati ſingu-
lorum reſponſa. Et quicquid in illo Libello vel ſententiarum, vel ſenſuum, contra Catholicam fidem in-
ueniatur, omnia Catholicis exemplis deſtruantur. Et ſi æqualiter & concorditer, cunctorum in profeſ-
ſione vel defenſione Catholicæ fidei reſonant ſcripta, intelligi poteſt quod per omnium ora & corda vnus
loquitur ſpiritus. Sin autem diuerſum aliquid inueniatur in dictis vel ſcriptis cuiuſlibet; videatur, quis
maiore auctoritate ſanctarum ſcripturarum vel Catholicorum patrum innitatur: & huic laudis palma
tribuatur, qui diuinis magis inhæreat teſtimoniis. Et Epiſtola VIII. ad eundem Carolum, *Huius*

1 Guill. Malmesb. l. I. de geſt. Reg. Angl. Polyd. Vergil. lib. 5. Hiſt. Angl. & alij.
2 Ioan. Maior l. II. cap. XIII de geſt. Scot. Hector Boeth. lib. X. & Buchananus li. 5.
3 Sangall. li. I de geſtis Caroli Magni, Guill. Nāgius & alij.

Tempus, aduentus, & Hæreſis Felicianæ condemnatio.

Exhortatoriam Epiſtolam Felici ſcribit, qui Libello prolixo illi reſpondet, hortaturq; præcipuos Frãciæ Doctores, vt in fidei Catholicæ defenſione laborent.

4 Verba ſunt Alch. lib. I. adu. Elipantū.
5 Epiſt. VIII.
6 Epiſt. XV.

vero Libri, inquit, *vel magis erroris reſponſio, multa diligentia & plurimis adiutoribus eſt conſideranda. Ego ſolus non ſufficio ad reſponſionem. Præuideat verò tua ſancta pietas huic operi tam arduo & neceſſario adiutores idoneos, quatenus hæc impia hæreſis omnimodis extinguatur, antequam latius ſpargatur per orbem Chriſtiani Imperij, quod diuina pietas tibi, tuiſque filiis commiſit regendum atque gubernandum.*

X.

Paulini Patriarchæ & Etherij Epiſcopi Libros aduerſus Felicem laudat.

QVARE hoc velut claſſico excitati doctiores ac in rebus diuinis peritiores, contra Felicianam hanc, aut Hiſpanicam potius, hæreſim ſtylorum ſuorum ſpicula direxerunt. Paulinus enim inter alios, cui cum Alchvvino ſummus iã amor interceſſerat, tribus eam Libris tunc oppugnauit, quos & Carolo Magno Regi dedicauit, adiecta ſub fine Regula fidei metro ſcripta, & [illegible] tibus eius venerandis imperiis, ad manus reuerentiſſimi viri, & in diuinis rebus peritiſſimi & præclari ALBINI, ſummæ religionis perſpicui Oratoris ſui deferrentur, obſecrauit[1]: ſic Alchvvinũ interpellãs, qui & ipſe, tã honorifico ab eo proſecutus elogio, eos recepiſſe ſe ſcribit ac miris effert laudibus, Epiſt. LXXXI. Sic enim ibi de illis loquitur. *Quanto magis cũ ſacratiſſimæ fidei veſtræ Libellũ recenſui, Catholicæ pacis puritate ornatum, eloquentiæ venuſtate iocundiſſimum, ſenſuum veritate firmiſſimum, totius animi mei habenas in lætitiam laxaui? Vbi de vno lucidiſſimo & ſaluberrimo paradiſi fonte, quatuor virtutum flumina, non ſolum Auſoniæ fertilitatis prata, ſed totius Eccleſiaſticæ Latinitatis rura irrigare conſpexi. Vbi & auriuomos ſpiritalium ſenſuum gurgites gemmis Scholaſticæ vrbanitatis abundare intellexi. Quamplurimis verò profuturum & perneceſſarium feciſtis opus in Catholicæ fidei taxatione, quod diu optaui, & ſæpius domno Regi ſuaſi, vt Symbolum Catholicæ fidei planiſſimis ſenſibus, & ſermonibus luculentiſſimis in vnam congregaretur Cartulam, & per ſingulas Epiſcopalium regiminum parochias omnibus daretur Presbyteris legenda, memoriæque commendanda: quatenus licet lingua diuerſa loqueretur, vna tamen fides vbique reſonaret.* Vnde illos quoq; multi cenſuerunt digniſſimos, qui cũ Alchvvini Scriptis excuderentur. Quod à nobis præſtitum, ope veteris Codicis MS. Clariſſ. ac Doctiſſ. Virorum Puteanorum fratrum, nemo futurus eſt, credo, qui non æqui bonique conſulat. Sed præter Paulinum hunc, Etherius adhuc, ſiue Hitherius Epiſcopus Vxamenſis, & Beatus Abbas, eodem tempore Libros duos aduerſus eundem errorem promulgarunt, Ingolſtadij nuper iuris publici factos. De quibus & Alchvvinus noſter, Felicem alloquens, *Quod vero*, ait[2], *quendam Beatum Abbatem & diſcipulum eius Hitherum Epiſcopum dicitis huic veſtræ ſectæ primùm contraire, laudamus eos in eo quod veritatem defendere conati ſunt.* Sed an Richbodus & Teudulfus Epiſcopi, ſimilem operam præſtiterint, nondum innotuit.

1 In Epiſtola ad Carolum R. cuius fragmentum ſupereſt.

2 Lib. I. contra Felicem.

XI.

Libello Felicis reſpondet ſeptem Libris, illumq. tandem Catholicum efficit, ac Elipantum etiam IIII. aliis libris oppugnat.

ALCHVVINVS vero, ſicut ipſe teſtatum reliquit[3], Libello etiam Felicis ſeptem ſuæ deuotionis Libellis reſpondit, omneſque eius prauitatis euacuauit doctrinas. Qui Libelli (perperam habentus Paulino tributi) lecti ſunt & probati in præſentia Caroli Regis & Sacerdotum Chriſti: tantamque vim ac auctoritatem habuerunt, vt *idem Felix annò præfati glorioſi Principis trigeſimo ſecundo*[4], *aduocatus voluntariè veniens ad Aquis Palatium, ibique in præſentia domni Regis & Optimatum illius, ſiue Sacerdotum Dei rationabiliter auditus, & veraciter conuictus, atque Deo dans gloriam, veramque confeſſus fidem, in pacem Catholicæ vnanimitatis reuerſus ſit cum ſuis diſcipulis, qui ibi tunc temporis erant præſentes.* Sed hoc poſtquam error eius iterum Francofurti damnatus fuit. Nam incerti Auctoris Annales referunt, quod anno DCCXCIV. *Synodus habita Franconofurt, in qua hæreſis Feliciana coram Epiſcopis Germaniarum & Galliarum Italorumque, præſente magno Principe Carolo, & miſſis Adriani Apoſtolici Theophilacto & Stephano Epiſcopis, tertio damnata eſt, & rata ſtipulatione damnatio roborata.* Hoc facto Carolus cum exercitu Saxoniam ingreſſus eſt, Aquaſque reuerſus anno DCCXCVI. Felix ibi à Laidrado Epiſcopo Lugdunenſi perductus, *ac ſuo conſpectui præſentatus*, vt ipſiſſimis Felicis verbis vtar[5], *licentiam ab eo accepit ſentẽtias ſuas, quas ex Libris Sanctorum habere ſe de adoptione carnis in filio Dei, ſeu nuncupatione in humanitate eius, credebat, Epiſcopis, & Abbatibus, & cæteris doctoribus, quos ad ſe ordinatio glorioſi Principis conuenire fecerat, præſentaret: quatenus non violentia, ſed ratione veritatis ſua adſertio rata iudicaretur, ſi ab illis per auctoritatem ſanctorum Patrum minimè repudiaretur. Quod ita factum eſt. Nam prolatas ab eo ſententias de ſuperdicta contentione, hoc eſt de adoptione carnis atque nuncupatione, ita illi*, de quorum numero Alchvvinus, *ex auctoritate Sanctorum Patrum, id eſt Cyrilli Epiſcopi & beati Gregorij Papæ Vrbis Romæ, ſeu beati Leonis, ſiue & aliorum ſanctorum* Doctorum, *qui illi priùs incogniti erant, ſiue per auctoritatem Synodi, quæ nuper in Roma hac intentione, præcipiente glorioſiſſimo ac piiſſimo Carolo, aduerſus Epiſtolam eius, quã dudum ſcripſerat venerabili viro Albino Abbati Turonenſis Eccleſiæ* (ſic enim Alchuinum noſtrum indigetat, & nos infra de Abbatis eius plura) *congregata fuerat: In qua Synodo, præſente Leone Apoſtolico*, qui eodem anno Adriano ſucceſſerat, *& cum eo cæteris Epiſcopis numero* LVII. *reſidentibus, & pleriſque Presbyteris ac Diaconis cum eis in domo beatiſſimi Petri Apoſtoli: per*

3 Lib. I. contra Elipantum

4 Verba ſunt Alch. loco citato.

5 in Confeſſione ſuę fidei.

horum, inquam, *omnium auctoritatem iſtas iam dictas illius ſententias, non qualibet, vt præfatum eſt volentia, ſed ratione veritatis, vt oportuit, excluſerunt. Quorum auctoritate veritatis, & totius Eccleſiæ vniuerſalis conſenſu conuictus, meliori intellectui eorum, quàm ſuo, quem priùs ſequebatur, coniunctus, & ad vniuerſalem Eccleſiam Deo fauente reuerſus eſt ex toto corde ſuo, non qualibet ſimulatione, ſeu velamine falſitatis, ſicut dudum, ſed vera cordis credulitate, & oris profeßione.* Hactenus Felicis iam non vlteriùs infelicis futuri verba. Cuius in cōuerſione quam partem habuerit Alchvvinus, ipſe ſic breuiter docet, Elipantum alloquens[1]: *Ego cum Ruffino beatum Felicem Martyrem non feci, ſed Felicem olim veſtri erroris complicem, Deo miſerante Catholicum effeci.* Nec longè poſtea Elipantum quoque Toletanæ ſedis Epiſcopum, iam ſepultos diſcipuli cineres ſuſcitare conantem, quatuor aliis magnæ eruditionis Libellis oppugnauit. Sed an expugnauerit, & ad vnitatem Eccleſiæ reduxerit, in ſcriptis eius nō inuenitur.

1 Lib. I. aduerſus Elipantum.

XII.

Carolum Regem omni diſciplinarū genere imbuit, & an DAVID, eiuſdem Caroli propriū nomen fuerit, vel aſcititium.

QVONIAM verò Alchvvini præcipua etiā in docendo laus fuit, poſtquā ab Anglia, vbi profitebatur, in Galliam euocatus eſt, iam videndum qualiter diſcipulis, qui ab vltimis orbis terræ partibus frequentiſſimi ad illum audiendum concurrebant, reconditæ Philoſophiæ theſauros omnes, inuſitata quadam facūdia deprompſit. Factus igitur Franciæ nouus ciuis, Carolo deinceps ſedulus & fidelis comes adhæſit, eiuſque imprimis animum omnibus diſciplinis imbuit, adeo vt nec illi par in toto orbe foret in ſcientiis. Quod vel ex Rhetoricæ Dialecticæque Alchvvini cū eo Dialogis, vel ex dedicatoria Librorum ſanctæ Trinitatis Epiſtola facile colligi poteſt, vbi cùm Libros hos Carolo iā Imperatori coronato mitteret, poſt annum videlicet octingenteſimum, Principem populi Chriſtiani cuncta debere ſcire tradit, officiumque, quo à quibuſdam Magiſter vocabatur[2], oſtendens, nonnullos reprehendit, qui minus vtile exiſtimabant, nobiliſſimam Régis intentionem Dialecticæ etiam diſplinæ diſcere voluiſſe rationes. Item ex Carmine CXCIX. in quo Euboricæ vrbis iuuentum ſic alloquitur.

2 Verba ſunt Alchvvini.

Talia namque placent veſtro quia munera patri, Qui nunc egregias Regalibus inſonat artes
Auribus, & Patrum deducit per prata ſequentē, Præpulcro ſophiæ regnantem ſtemmate celſæ.

Sed meliùs adhuc ex his Poëmatis CCLXX. verſibus.

O mihi dulcis amor DAVID per ſæcla valeto. Quam te præſentem ſemper habere velim!
Pieno vt tecum liceat mihi ludere verſu, Scandere ve iſummi ſydera celſa poli.
Vel pulchras tecum numerorum diſcere formas, Inrepere aut veterum dicta ſtupenda Patrum.
Aut tractare ſacra æterna præcepta ſalutis, Quæ via te mecum peruehat aſtra ſuper.

CAROLVM enim, hoc loco, ſicut alibi ferè ſemper, DAVIDEM appellat. Quod an proprium ei vel aſcititium nomen fuerit, affirmare vix auſim. Et certè non aſcititium perſuadent iſta ad illum eiuſdē Alchvvini verba[3], *Clariſſimus veſtræ nobilitatis filius benedictio copio ſaper veſtra veneficta adcreſcat, ſicut per ſolium omonymi tui DAVID Deo dilectiſſimi Regis ſanctitatem, vt legitur, omnibus nepotibus ſuis Regnus throni poteſtas conſeruata fuit.* Nec enim, inquit vir quidam doctiſſ. Dauidem omonymum Regis Caroli vocaret, ſi ab illius ſimilitudine tantum & imitatione mens Alchvvini fuiſſet eum hoc nomine donare. Quod etiam cōfirmari videtur alio ipſius Alchvvini teſtimonio, dum ſcribit[4]: *Dauid olim præcedentis populi Rex a Deo electus, & Deo dilectus, & egregius Pſalmiſta Iſraeli victrici gladio vndique gentes ſubiciens, legiſque Dei eximius prædicator in populo extitit. Cuius eximia filiorum nobilitate in ſalute mundi, de virga flos campi & conuallium floruit Chriſtus. Qui iſtis modo temporibus, ac eiuſdem nominis, virtutis & fidei Dauid Regem populo conceſſit rectorem & doctorem. Sub cuius vmbra ſuperiora quiete populus requieſcit Chriſtianus, & terribilis vndique gentibus extat paganis.* Et fortè, addit præfatus vir doctiſſ. immutatum illi nomen, cum vel baptizatus, vel in Regem vnctus eſt. Nam de Pipino Italiæ Rege eius filio hoc idem factitatum. Proprium vero fuiſſe diſſuadet illius & ſubſequentis æui mos, quo Reges noſtros hoc Dauidis nomine communiter à Scriptoribus interpellatos reperio. Sic enim Amalharius Treuerenſis Epiſcopus[5] & Stephanus Papa apud Theganum[6], Hludouicum Regem, Caroli Magni filium, nouum ac ſecundum Dauid appellant. Sic Luppus Ferrarienſis Abbas Carolum Caluum Hludouici filium Dauidi in conſiliis comparat[7]. Itali apud Luitprandum Ticinenſem Leuitam[8], Berengarium Regem alterum Dauid veniſſe latrant, eumque vel ipſi Magno Carolo cæca mente præferunt. Ac vt recentiora aliqua commemorem, Simon quoque Grebanus Carolum VII[9]. & cuncti nuper Henricum Magnum, Dauidem publice nuncuparunt[10].

3 Epiſt. XII.
4 Epiſt. XCVII.
5 In fine Præfat.
6 Lib de geſt. Lud. Pij.
7 Epiſt. XCIII.
8 Lib. V. hiſt. cap. XIIII.
9 in eius Epitaph.
10 in Concionibus funebrib.

XIII.

Ludouico & Pipino præceptor datur, alioſque complures in Gallia præcipuos erudit.

QVALITERCVMQVE ſe res habeat, profectò Alchvvini commendatio tanta fuit apud Carolum Regem, vt non ſolùm eius præceptor[11] ac delicioſus[12] nominaretur, ſed ab illo quoq; potiſſimū eligeretur, qui Ludouicum ac Pippinum filios litterarum præceptis informaret. Quod partim ex Radulpho Decano Tungrenſi, lib. I. de Canonum

11 Alchuuinus Epiſt. VI. & Sangall. lib. I.
12 Anaſtaſ. Biblioth. in vita Hadriani I.

1 Lib de ordine Antiphon. c. LII. 2 Ipſe Amal. loco citato. 3 Flodoardus lib. III. Hiſt. Eccl. Rem. cap. XXI. 4 Trithem. de illuſtr. ord. S Bened. viris, lib. II. cap. XXVI. 5 Alchuinus Epiſt. LXXIX. 6 Epiſt. XXXIV. 7 Epiſt. LIX. 8 Vita S. Aldrici.

obſeruantia, partim ex ea, quam Alchvvinus ipſe cum Pippino nobiliſſimo ac regali puero inſtituit, diſputatione diſcitur. Et quia Magiſter totius regionis peritiſſimus ac doctiſſimus erat (hoc enim Amalharij Fortunati de eo elogium docet[1]) magno etiam aliorum virorum concurſu & admiratione auditus eſt, plurimoſq. eruditionis fama inſignes diſcipulos habuit. In quorum numero præcipui fuerunt Amalharius ipſe tunc puer[2], Treuerenſis deinde Epiſcopus, Rhabanus Maurus[3] & ipſe puer, ad quem extat Epiſtola LV. ſed magnus ac celebris poſtea vir, Archiepiſcopus enim Mogunciacenſis tandem factus eſt: Haymo Epiſcopus[4], Vſualdus Abbas S. Saluatoris[5], qui Martyrologium Sanctorum ſcripſit, Richbodus cognomento Macharius, Epiſcopus Treuerenſis ante Amalharium, Petrus Archiepiſcopus Mediolanenſis[7], S. Aldricus Ferrarienſis Abbas[8], & alij complures.

XIV. *Quibus in locis docuit, & an primus Academiæ Pariſ. inſtitutor.*

9 Loco citato, & in Chronico Hirſaug. ad ann. DCCCXC. 10. Polyd Vergil. lib. V. hiſt. Angl. & Nicol. Serarius lib. IV. rerum Moguntiacarum. 11 Epiſt. X. 12 Epiſt I. XIII. XV. XVII. 13 Prologo in vit. S. Richarij. 14 Epiſt. LXVI. 15 Epi. XII. 16 Epiſt. IX. 17 Lib. I. de geſt. Car. Mag.

SED non conſtat inter omnes de locis, in quibus ſic iuuentutem erudiendo, perpetuam apud omnes gloriam promeruit. Trithemius enim non ſemel, in Fuldenſi eum Monaſterio moratum, ac ibi plures ex Monachis clariſſimos enutriuiſſe diſcipulos ſcribit[9]; inter quos & Haymonem, Vſuardum ſiue Iſuardum, ac Rhabanum nominat. Auctor Chronici Auguſtani Eccleſiaſtici, cap. X. apud Sanctum Gallum docuiſſe, ac nobili ibi auditorio claruiſſe teſtatur. Et alij recentiores[10] Pariſiis quoq; legẽdi munere perfunctum aſſerunt, illorum ſequentes opinionem & auctoritatem, qui celeberrimi huius ſcientiarum emporij fundamentum ab eo cum doctiſſimis aliquot viris aliis iactum fuiſſe tradiderunt. An autem hoc verum, nullis ipſe ſuis ſcriptis declarat. In Francia profectò ſe ſcholas publicas tenuiſſe refert Epiſtola I. ad Carolum Magnum his verbis: *Nunc verò frigeſcente ſanguine quaſi veſpere in Francia ſeminare non ceſſo.* Et Epiſtola ad eundem X. *Nec faſtidioſa ſegnities legentium*, inquit, *beniuolentiæ Magiſtri iuſtè deputari debet, ſi plurimis inclytum veſtræ intentionis ſtudium ſequentibus; forſitan* ATHENE *noua perficeretur in Francia: imò multo excellentior, quia hæc Chriſti Domini nobilitata magiſterio, omnem Academiæ exercitationis ſuperat ſapientiam. Illa tantummodo Platonis erudita diſciplinis, ſeptenis informata claruit artibus. Hæc etiam inſuper ſeptiformi ſancti Spiritus plenitudine ditata, omnem ſecularis ſapientiæ excellit dignitatem.* Sed in quibus Franciæ Prouinciis eiuſmodi litterarum ſemina iecit? aut vbinam vrbium vel ciuitatum Gallicarum hæc Athene perfecta fuit? Fortè in facundiſſima Pariſiorum Lutetia, ad quã Carolus Rex ſtudium de vrbe Roma tranſtuliſſe, quod de Gręcia illuc tranſlatum fuerat à Romanis, in Magno Cronico Belgico legitur? Plurima ſunt, quæ vetant credere. Primò quòd Alchvvinus, vel Pariſiorum, vel Lutetiæ nullibi meminit. Secundò, quod cùm in pluribus Galliæ locis fuerit, aut cum Carolo Rege, vt Aquiſgrani apud Auctorem Vitæ S. Ludgeri lib. I. cap. XXXIIII aut ſine Rege Carolo, vt in Belgica latitudine[11], Turonis[12], in Centulo[13], apud S. Amandum[14], & alibi[15]: nũquã tamen docuiſſe ſe verbis apertis indicat, niſi vel in Palatio Regis, vel Cæſaroduni Turonum. In Palatio enim Scholam fuiſſe demonſtrant hæc eius ad Carolum verba[16]: *Ego ignarus, neſciens Ægyptiacam Scholam in Palatio Dauiticæ verſari gloriæ. Ego abiens Latinos ibi dimiſi, neſcio quis ſubintroduxit Ægyptios.* Quod verò & apud Turonos Gallicam erudierit iuuentutem, non ſemel, ſed frequenter repetit. Epiſtola I. ad Carolum Regem, *Aliquos ex pueris noſtris remittam, qui reuehant in Franciam flores Britanniæ, vt non ſit tantummodo in Eborica hortus concluſus, ſed in* TVRONICA *emiſſiones Paradiſi cum pomorum fructibus, vt veniẽs Auſter perflare hortos Ligeri fluminis, fluant aromata illius.* Item Epiſtola XV. *Ego itaque, licet parum proficiens, cum Turonica pugno ruſticitate. Veſtra verò auctoritas Palatinos erudiat pueros.* Et ſi aſcititiis etiam niti teſtimoniis licet, vbi Athene illa noua, de qua nunc dixi, meliùs collocari poteſt, quàm in eiuſmodi Schola Turon.? Nã Sangallẽſis Monachus ſic ea de re[17]: *Dedit autẽ* ALBINO CAROLVS Rex *Abbatiã S. Martini iuxta Turonicam ciuitatem, vt quando ipſe abſens eſſet, illic requieſceret, & ad ſe confluentes docere deberet. Cuius intantum doctrina fructificauit, vt moderni Galli, ſiue Franci, antiquis Romanis, vel Athenienſibus æquarentur.*

XV. *Quibus à Carolo beneficiis honeſtatus eſt.*

VERVM, quia in mentionem Abbatiæ S. Martini incidimus, operæpretium eſt nunc perſcrutari, quibus Rex Carolus beneficiis hunc præclarum Magiſtrum honeſtauit, aut quas illi largitiones in regno ſuo contulit. Multa namque regiæ benignitatis in eum benefacta fuiſſe, vel ex Epiſt. XIX. ad Carolum diſcitur, vbi ſic ait: *Summa Deus Trinitas veſtræ bonitati, omnium dilectiſſime* DAVID, *æterna reſtituat beatitudine, quicquid pietatis vel benignitatis in me famulum veſtrum, ſicut prima cognitione aduentus mei ad vos miſericorditer promiſiſtis, ita omnia fideliter impleſtis; & ad cumulũ pleniſſimæ veritatis, quæ ſemper veſtri pectoris inſidet theſauro, centuplũ addidiſtis, vt cunctorum luce clariùs oculis pateſcit, auribuſque per longinqua terrarũ reſonat multorum* Imprimis autem illi S. Lupi Trecenſis Abbatiam dedit, vt refert Anonymus eius vitæ ſcriptor. Quod & ipſe videtur innuere Epiſtolâ LVI. ad ſororem ſuam, his ver-

VITA BEATI ALCHVVINI ABBATIS.

Nunc primùm ex vetuſtò Codice S. Mariæ Remenſis edita.

PROLOGVS.

SVPERNA *Chriſti rorante dextera, ac iuuante gratia, reuerentiſſime Pater æquè & amantiſſime, iubes vt tibi de admirandæ vitæ initio fineque Patris Alchuini, quæ eius noſſe potui narrante fideliſſimo Sigulfo diſcipulo, ſermone licèt inculto & paruo, tamen veritate referto, ſcribam ædificationi nonnullorum profutura: aſſerens te diu ſuper hac re non modicam ferre ſitim. Non quia calore ignita ſuperno tua viſcera Sanctorum innumerabilium vitâ, geſtis piis, & ſtudiis nequeant refici, quos ſanguine proprio, vel ſeculi ſuarumque abrenuntiatione voluptatum, agni cœleſtiumque conſtat virtutum conſortio mercari: quibus vna ſuaui cum canore felicibus fruentes iubilo inſatiabili veſtimentis, ſiue palmarum frondibus, mens quibus luminis ornatur ferax viaque arta extat & anguſta, Hebræorum pueris, aſinæque terga Chriſto ſeſſore præbente humili planam & meabilem reddidere: Sed quoniam mundo fluuide cum ſuis ſeneſcente vix admodum pauci reperiri queant priſcorum in omnibus ardua ſequi veſtigia qui poſſint, qui capiti ſummo quanto viciniores, tanta actuum immenſitate fuiſſe probantur inluſtres, Domini tabernaculum inſtar columnarum firmiſſimè ſuſtinentes, aquarum inundatione atque ventorum impulſione nunquam labi neque moueri poſſit. Ac ideò neceſſe, valdè eſſe aſſeris, vt aliquem noſtris temporibus imitatione pia ſequendum Chriſti nobis gratia contulerit. Huiuſmodi lucerna non ſub modio, neque ſub lecti quiete, ſed ſupra candelabrum ponatur; vt ingredientes Eccleſiam lumine illuſtrentur claro. Ipſe ſiquidem familiæ Pater, qui prima hora iſdem & vndecima vineæ operarios conduxit, quibus & vnam mercedem dare iuſſit. Neque enim ſi manus, aut circa Chriſti os barba pendens, niueive dentes, qui queant panis cruſtam paruulis maſticare, vel oculi pulchriores vino, quo nutriuntur virgines, eſſe nequimus; ob hoc à corporis Domini compagine ſeparabimur: optabili in eadem tantum fide, ſpe, & charitate, iuxta Apoſtolum, radicati & fundati, vt multi vnum efficiamur corpus Domini, manente claritatis differentia ſtellarum. Nempe oculi fuerunt Apoſtoli, ſolis æterni ſplendorem mentis puritate vtcumque contemplantes, ſicut Apoſtolorum Princeps Petrus virgoque Ioannes. Quorum alter hæreſium plurimarum deuitans opiniones, ex duabus conſiſtentem ſubſtantiis filij Dei vnam viuentis confeſſus eſt perſonam, dicens:* Tu es Chriſtus filius Dei viui. *Alter in ſeipſo animam effundens ſuam, & cuncta creata tranſ-*

cendens ad eum per quem ſunt omnia facta conſcendit, ac eius potatus vberius inauditum ſæculis eructauit arcanum, dicendo: In principio erat Verbum, &c. *Fuêre pectus æreum clarè prædicando Martyres beati, ferreumque graſſantium ignes perſecutorum ferendo, vt Cyprianus, Laurentius, Dionyſius, Mauricius: extiterunt ſancti Confeſſores atque Doctores doctrinarum, quo cibi conderentur venter, Martinus, Hilarius, Benedictus Monachorum Pater eximius: Ambroſius, Gregorius, Hieronymus, Auguſtinus. Hi ergo omnes duobus Samaritæ munerati denariis, quicquid proprio valuere ſudore, in terra * ſtabulum vulnerato impenderunt, nunc expectata glorioſè ditati mercede. At modo abundante iniquitate, Apoſtoli iuxta Prophetiam, & refrigeſcente caritate multorum, quaſi pupilli abſque patre facti, matris reſidentes in genibus, quæ amariſſimis hinc inde quatitur fluctibus, ſtans in medio mari, priorum nos Patrum muniri egemus ſuffragiis, eorumque nutriri vitalibus ſtipendiis, fame ne periclitemur in via curſus noſtri laborioſa: quin potius relinquamus nauem ſeculi onuſtam mercibus, vero hæreamus vt capiti, dicamuſque:* Trahe me poſt te, curremus in odorem vnguentorum tuorum. *Qui enim mons ceruis amœnus celſa petentibus dignatus eſt, & herinaciis humilibus refugium patefieri, ſaluans homines ſimul & iumenta, nouerunt qui ſe eſſe apud eum. Ergo quæ & æui nimium & propria grauat valitudo, antiquorum ad plenum quia nequeunt ſequi, ſaltem illorum veſtigia ſequantur, quos ſecum conuixiſſe ſuo in tempore, & euidentibus indiciis Chriſto placuiſſe certiſſimè probarunt: Benedicti ſcilicet Monachis, & Alchuini per omnia Canonicis, imitatione digna. Cuius, tuis deuote parens ſanctiſſime Pater iuſſis, adgrediar calamo non ſecularis eloquentiæ, redolente ſtemmate; ſed ſicut corporis, ita ſenſus balbuto ſcriptitare vitam. Teſtans Deum Ieſum non elationis me faſtu hoc arripere tentaſſe, ſed multorum animabus prodeſſe cupiſſe. Scribam igitur fideliter quæ ab eius fideliſſimo tantùm didici diſcipulo, Sigulfo ſcilicet inſtitutore meo, dilectiſſimum quem tu quoque habuiſti Patrem, qui præ cunctis mortalibus poſt ſancti Edberti diſceſſum ſolus ipſius meruit noſſe ſecreta eximia. Te ergo Domine, te deprecor Pater venerande, tua vt ſim hoc in ſudore pia fultus interceſſione, qui me hactenus iſta ſilentem aperto imperas iam ſonare ore.*

*f. intra.

VITA B. ALCHVINI ABBATIS.

VIR Domini Albinus nobili gentis Anglorum exortus proſapia, nobilior Chriſti Ieſu regeneratus vndis extitit vitalibus, qui cum matris ablactaretur carnalibus, Eccleſiæ traditur myſticis imbuendus vberibus. Cuius iam tunc Ieſus ſua poſſidens dignatione corpuſculum, non hoc fœtidis ab antiquo permiſit hoſte pollui luſibus, obſcœniſve actibus. Quippe qui ſuam antequam naſceretur in eo prædeſtinauerat conſecrare ſedem. Dumque adhuc eſſet paruulus, diurna ſub luce per Canonicas cum aliis ſæpe frequentabat Eccleſiam Horis, nocturnis autem perrarò temporibus. Cumque alter eum à decimo annus teneret, contigit nocte quadam eum cum vno ſimplici & tonſorato ruſtico ſeparatim vna iacere in domo. Poſtulauerat ſiquidem ruſticus ille ſimplex Magiſtrum inluſtris pueri ob ſuæ ſolitudinis nocturnæ ſolamen, vt vna nocte quemlibet ex ſchola puerum ſecum ſua iuberet in Cella dormire, eo quod quempiam ſuorum non haberet ad præſens. Cui nutu Dei Virgilij amplius quàm Pſalmorum amator conceditur puer Albinus. Ecce verò circa galli cantum ſolito more pulſatur à cuſtode ſignum nocturnarum Vigiliarum, debitum à fratribus perſoluitur officium. Sed ruſticus ille ſimplex latus ſe vertens in alterum, quippe nimium qui circa huiuſmodi negligens dormiendo ſtertebat, cumque iam in-

bis: *Plurimum mihi placuit Crux, quam Veſtra mihi benignitas direxit. Et credo Vos æternam habere à Deo mercedem pro illius opere, & aſſiduas Sancti Lupi interceſsiones, & laudabiles gratiarum actiones ab eis, qui ad illius patrocinia confugere ſolent.* Abbatiam quoque Bethlehem, ſiue Ferrarias in VVaſtinenſi pago poſſedit, vt in vita ſancti Aldrici Senonenſis Archiepiſcopi legitur: necnon Cellā S. Iudoci ad hoſpitium peregrinis præſtandum ei commendatam. Eſt enim de hac teſtimonium Lupi Ferrarienſis in Epiſt. xi. ad Lotharium Regem, cùm eandem ipſe Cellam accepiſſet à Caroli Magni filio Ludouico Imperatore. *Cellam*, inquit, *S. Iudoci, quam Magnus Carolus quondam Alcuino ad eleemoſynam exhibendam peregrinis commiſerat, beatæ memoriæ pater Veſter nobis ea ratione conceſſit, ſicut edictum illius atteſtatur; Vt quod eleemoſynæ ſupereſſet, in noſtrum Vſum cederet.* Nec dubito quin Cella hæc ab illa maritima Cellula differat, cui etiam legitima ſe ſucceſſione deſeruiſſe ſcribit Alchuuinus [1]. Nā illius patronus S. Andreas, huius verò ſanctus Iodocus. Illa corpore S. VVilgiſi, hæc S. Iodoci reliquiis clara. Vtræque tamen maritimæ, illa in promōtoriis, quæ mari Oceano, & Humbri flumine cinguntur, in Northumbria: hæc in Belgij loco maritimo, VVicus olim nuncupato, vel à ſinuoſo maris anfractu, qui Saxonicè *VVic* appellatur, vt docet Rhenanus: vel à ſtatione ſecura, vbi coniunctioribus ædificiis habitatur, ſi *VVic* id denotat, vt contendit Hadrianus Iunius: vel à caſtello, ſi *VVic* caſtellum ſonat, vt Alfricus vetus Auctor aſſerit: nunc autem vulgo *S. Ioſſe ſur la mer.* Et certè, quòd locus ille S. Iodoci VVicus, ſeu VVici plurali numero quondam dictus ſit, & ab Alchvvino quoque noſtro poſſeſſus, apertè declarat ipſe Epiſt. xciii. vbi de ſolitudine ſua ſic conqueritur. *Ego penè quaſi orbatus filiis remaneo domi. Damœta Saxoniam, Homerus Italiam, Candidus Brittanniam receſſit; Martinus in VVicos apud Sanctum Iodocum infirmus remanſit.* Item Epiſtola xii. ad Carolum Regem, *Reuertenti me de VVicus, propter cauſas neceſſarias, quas ibidem habuimus diſponere, occurrerunt mihi excellentiæ Veſtræ dulciſſimi apices.* Denique S. Martini Turonenſis Abbatiam ab eodem Carolo Rege adhuc regendam recepit, cùm ſeculares occupationes omninò declinare cogitaret. Hoc enim idem ipſe de ſe teſtatur Epiſtola xxiii. ad eundem Regem, cùm ait: *Nam ferè ante hoc quinquennium ſeculares occupationes, Deum teſtor, non ficto corde declinare cogitaui. Sed Veſtræ piæ prouidentiæ conſilio tranſlatus ſum in ſeruitium ſancti Martini, fidei Catholicæ, & Eccleſiaſticæ ſanctioni, donante Deo proficuum.* Ante quam tamen tranſlationem, neſcio an apud hoc Monaſterium acciderit, quod Odo Cluniacenſis [2], Helinandus [3], Magni Chronici Belgici ſcriptor [4], & alij plurimi narrant, omnes illius Monachos, vna nocte ab Angelis occiſos fuiſſe, quia præteritæ religionis obliti ſericis induebantur veſtibus, deauratiſque calceamentis incedebant: excepto illo ſolo, qui Angelos percutientes vidit, & vt ad pœnitentiam agendā reſeruaretur, eos orauit, ac tandē exorauit. Ademarus enim Engoliſmenſis hoc in longè poſteriora tempora reiicit, & alia de cauſa pariter accidiſſe ſic affirmat. *Tunc*, inquit [5], ſcilicet Carolo Caluo regnāte, *S. Martini Monachi Turonenſes nemine cogente, ante corpus eiuſdem, abiecto Monachi ſchemate, ſchema induunt Canonicale: ſed mox in eis peſtis irruit, Vt Vna nocte omnes morerentur, & de reliquo à Canonicis ipſe inhabitatur locus.* Quæ verba mihi ſuſpicionem iniiciunt, nec vſquequaque adhuc certum eſſe quòd in Chronico Turonenſi reperitur, *Anno* dccxcvi. *Karolum Regem inſtituiſſe Canonicos in Eccleſia beati Martini Turonenſis, auctoritate Hadriani Papæ, eiſque ſanctum* Alchoinvm *Magiſtrum ſuum Abbatem præfeciſſe.*

1 Prologo in vitam S. VVillibr.
2 In Tract. de tranſl. corp. S. Martini.
3 Apud Vincentium Belu. l. 23. c. 173.
4 Ad annū dcclxx.
5 In Chronico.

XVI.

Carolo Magno fuit à Conſiliis, & ab eo Romā legatus.

Caeterum, vir tot & tam præclaris Abbatiis ditatus, non ſolum eis magna ſanctitatis ac doctrinæ gloria præfuit, ſed & à ciuilibus interim negotiis, ac Reipublicæ cura non abfuit. Nam Carolus Magnus illum conſiliis ſibi ſemper intimum fecit, omniaque *Imperialis Aulæ, & maiora negotia, ſuæ diſcretionis arbitrio diffiniuit*, inquit Auctor vitæ ſancti Aldrici Senon. Archiepiſcopi. Quare & ab eo in Aulam ſæpè acceſſitus legitur [6], dum abſens eſſet: ac Romam etiam de iuſtitiis S. Petri contra Longobardorum Regem inquiſiturus vnà cum Georgio Epiſcopo, & Gulfardo Abbate, ab eodem Principe legatus eſt, vt refert Anaſtaſius Biblioth. in vita Adriani I. Papæ. Cumque inter Offam Regem, & dictum Carolum aliquid diſſenſionis exortum fuiſſet, vnus adhuc præ cæteris eſt electus, qui pro pace in illas partes mitteretur [7]. Denique Romam cogitans idem Carolus anno dccc. optauit ſecum eum ducere [8]. Sed duabus Epiſtolis excuſauit ſe, fumo ſordentia Turonorum tecta auratis Romanorū arcibus præponens [9]: rogauitque Regem vt dimitteret eum fideliter & inſtanter orationibus cum Deo ſeruientibus apud S. Martinum iter ſuum adiuuare [10]. Qua re impetratâ, certior factus Carolum Galliæ littoris perluſtrare velle littus, antequam in Italiam deſcenderet, occurrendum tamen illi putauit in Centulo apud S. Richarium: ibique cum eo Paſchalem feſtiuitatem celebrans [11], ſcripſit, ſeu potius emendauit vitam eiuſdem S. Richarij Confeſſoris, quam

6 Epi. xiii. & xvii.
7 Guill. Malmesb. l. c. iii. & iv.
8 Epiſt. xii. & xiii.
9 Epi. xiii.
10 Epiſt. xii.
11 Vita Car. M. & Alch. præf. in vit. S. Rich.

& ipſi Regi piiſſimo Carolo dedicauit Epiſtolâ nuncupatoriâ.

XVII. *Docuit Turonis ad extremum vitæ diem, ibique plurima volumina ſcripſit.*

Inde autem Turonos reuerſus, quam ab initio vitæ rationem inſtituerat, ad extremum vſque ætatis ſuæ diem retinuit. Ibi enim piè ſanctèque vixit, & iuuentutem Gallicam erudire continuans, frequenti etiam ac frugifera voluminum editione laudem ſibi numquam morituram peperit. Potiſſimum verò Quæſtiones, vel vt ipſe vocat, Interrogationes de Libro Geneſeos illic compoſuit, ac eas Sigvvlfo veteri & indiuiduo ſocio, ſucceſſorique in Abbatia Ferrarienſi futuro, conſecrauit. Enchiridion quoque, ſiue piam ac breuem expoſitionem in quoſdam Pſalmos tunc elaborauit. Item Commentaria ſuper Eccleſiaſten, quæ dilectiſſimis Diſcipulis Oniæ Sacerdoti, Candido Presbytero, & Nathanaeli Diacono nuncupauit. Necnon luculentiſſimos illos ſeptem aliorum Commentariorum Libros, quos ad petitionem Giſlæ & Richtrudæ Deo dicatarum Virginũ, ſuarumque quondam in Anglia diſcipularum, ſuper Euangelium S. Ioãnis exarauit. Præterea Caroli Regis præcepto, tunc etiam veteris ac noui Teſtamenti Scripturas omnes correxit, & correctas illi è ſancto Martino tranſmiſit[1]. Pſalterium Dauidicũ per Hebdomadam diſpoſuit, quod ſub inſcriptione Officiorum per Ferias à Ioanne Baleo citatur, itáque à nobis ex antiquiſſimo Codice Viri Illuſtriſſimi Iac. Aug. Thuani nunc primũ editum eſt. Homilias ſeu Conciones per annum legendas ex antiquis Eccleſiæ Patribus collegit[2]. Librum de Virtutibus & vitiis ad VVidonem ſiue VVittonem Marcæ Britannicæ Comitem[3] ſcripſit. Libellum de Antichriſto, quem nonnulli antehac Rhabano, quidam etiam S. Auguſtino tribuerunt, elucubrauit. Vitam & miracula S. Martini ſub compendio mirificè arctauit. Epiſtolas denique multas eruditione plenas ad Adrianum & Leonem ſummos Pontifices, ad glorioſum Regem Carolum, ad Angelbertum Primicerium Palatij Pipini Regis, ad Megenfridum Regalis Palatij Archarium, ad Æricum ſiue Ehericum Ducem Foroiulienſem, ad Magenharium Comitem Senonenſem, ad Flauium Homerum Caroli Regis Auricularium, ad Paulinum Patriarcham Aquileienſẽ, ad Laidradum Lugdunenſem & Nefridium Narbonenſem Epiſcopos, & ad alios plures magnæ auctoritatis ac potentiæ viros ſcripſit. Nam de aliis eius libris non adeo planè conſtat, vbi vel quando compoſiti ſunt: Vita duntaxat S. VVillibrordi, quam in Anglia, Rhetoricisque & Dialecticis Præceptionibus, quas in Palatio Regis elaborauit, exceptis. Tribuimus verò etiam illi Libros Sacramentorum ac de diuinis Officiis, quia ſub eius nomine iam antehac excuſi ſunt. Etſi nec coniecturis deſtituimur, vltimum ab eo numquam fuiſſe conſcriptum. Auctor enim illius, quiſquis ſit, Galliæ Braccatæ incolam ſe profitetur[4]: exemplarque vetuſto ſtilo exaratum, cuius ope XII. Capita integra reſtituimus, quæſtionem de Natalitiis Sanctorum Capiti XVIII. ſubiunctam adſcribit Elprico Monacho, qui iuxta Trithemium floruit anno MXL. & demum in eo[5] feſtiuitatis omnium Sanctorum inſtitutio Calendis Nouembribus memoratur, quo die tamen eam longè poſt Alchvvini obitum in Gallia ac Germania celebrari cœpiſſe, ſcilicet anno DCCCXXXV. ex Sigeberto & aliis facilè diſcitur. Quicquid ſit, plurima inſuper eius ſcripta feruntur, quæ temporum ſiue iniuria ſiue negligentia adhuc latent.

1 Epiſt. quæ præcedit Lib. VI Cõment. S. Ioan. & Epiſt. XX.
2 Anonymus in eius vita.
3 Annal. Inc. Auctor. & Vita Caroli Mag.
4 C. XXXIV.
5 C. XXXII.

XVIII. *Eius obitus, ſepultura, & ſanctitas.*

Tot igitur ac tantorum ingenij ornamentorum laude clarus, ſub vmbra potentiæ & ſub tegmine pietatis Caroli religioſam ducens vitam[6]: totam infirmitatis ſenectutiſque ſuæ conſolationem in Deum intendens, inter fratres in Eccleſia S. Martini Deo fideliter ſeruientes, tandem, ſicut deſiderabat, feliciter requieuit[7] anno Chriſti DCCCIV. ſecundum omnium penè antiquorum teſtimoniũ[8], & ad cæli prẽmia euolans XIIII Kal. Iunias, in eadem Eccleſia cum Epitaphio, quod ipſe ſibi viuens poſuerat, à ſuis ſepultus eſt. Falſum enim & quod VVillelmus Malmesb. aſſerit[9], eum apud S. Paulum in Cormaricenſi Cœnobio diè obiiſſe: & quod alter recẽtior adnotat[10], ſepulturam in Hersfeldenſi Eccleſia Fuldæ vicina accepiſſe. Denique, poſt extremum vitæ diem Beati quoque, ſiue Sancti titulum promeruit; vt docent, Anonymus in eius vita, Flodoardus lib. III. Hiſt. Rem. Cap. XXI. S. Martini Canonicus in Chronicis, & Rhabanus Archiepiſc. Moguncia cenſis in Martyrologio. Atque hæc ferè ſunt omnia; quæ de Alchvvino diſcere licuit ex ipſius operibus. In quorum editione adornanda quid ſtudij vel diligentiæ contulerim, aut à quibus potiſſimum adiutus fuerim, Index poſt veterum Teſtimonia ſubiectus, vnicuique, credo, ſatis ſuperque declarabit.

6 Epiſt. XXIV.
7 Epiſt. XXIII.
8 Odorannus, Chro. Turon. & Lemoui. Anonymus eius vitæ ſcriptor, & alij.
9 Lib. I. cap. 3. de geſt. Reg. Ang.
10 Brovverus lib. I. Antiq. Fuld. cap. X.

uitatorius fuiſſet ex more cantatus cum Antiphona Pſalmus, ſubitò domus illa verè ru-ſtici ſpiritibus repletur tetris, qui eius cingentes ſtratum dicunt: *Bene quieſcis frater.* Quo repente expergefacto inculcant eadem. *Cur*, inquiunt, *fratribus in Eccleſia vigilantibus tu hic ſolus ſtertis?* Quid multa? Verberatur vtiliter in tantum, vt ſua cunctis ex mutatione ſalubri præſtaret cautelam & canticum: Hæc mutatio dexteræ excelſi. Dum anticiparent oculi eius nocturnas vigilias, dumque is verberaretur, puer nobilis tremiſcens, ne ſibi eadem fierent hæc, vt ipſe pòſt teſtatus eſt, corde dicebat imo: *O Domine Ieſu, ſi me nunc iſtorum eruis manibus cruentis, & poſt hoc ſollicitus erga Eccleſiæ tuæ vigilias miniſteriáque laudum non fuero, plúſque vltra Virgilium quam Pſalmorum modulationem amauero; tunc tale ſortiar caſtigationis flagellum. Tantum obnixè precor, Nunc Domine libera me.* Denique arctiùs menti vt hoc imprimeretur ipſius, poſteaquam à verberatione ruſtici ceſſatum iubente Domino eſt, ſpiritus nequam huc illuc oculos vertentes, vident diligentiſſimè corpus pannis & caput pueri inuolutum omne, penitus inſcium anhelitus. Princeps autem illorum interrogat ſuos: *Quis hic alter quieſcit in domo? Eſt*, inquiunt, *Albinus hic abſconſus puer in lecto.* Puer verò vbi ſe latere non poſſe perſenſit, lacrymarum nimio perfuſus imbre, quanto prius pauore ſuppreſſus, tanto magnis vt puer redditur perſtrepens clamoribus. Illi verò immiſericorditer hunc volentes & non præualentes afficere, pertractant quid ſuper eo agere debeant. Sed ſententia Domini conſtricti, ne voto ſatisfacerent ſuo, aiunt imprudentes, prudenter tamen: *Non iſtum verberibus, quia rudis adhuc eſt, acris: pedum tantum, in quibus duritia ineſt calli, tonſione cultelli caſtigemus, & emendationem ſponſionis nunc ſuæ confirmabimus.* Iámque nudatis veſtimento pedibus malorum manibus, crucis ſe muniens Albinus velociter ſigno, Pſalmumque decantās duodecimum affectu omni, malorum ſubitò diſparuit turba. Et ruſticus ſemiuiuus vnà cum puero agili ſe præcedente greſſu Sanctorum in Baſilicam confugit ad præſidia. O inſidiator calcanei, cuius eſt panis puluis, non frumentum Domini, qui capite contereris! O inimice piis! num tu demens, qui quondam cœli quærebas indebitè fieri ſeſſor celſiſſimi? Si altiſſimo vt iactabaris ſimilis incomprehenſibili claritatis luce in monte Dei fueris, quid obſcura ſub nocte actus niteris diligenter mala tua cum accenſione ſcrutari humanos? Nempe fatebor, tuorum vt docent conſequentia: Tenebrarum te iuſtè factum iudicas principem propria præſentia. Nam etſi in Angelo appares lucis, lucem nobis conaris auferre intimam puluere tuo fœtido. At ſi, vt es Æthiops, claritatem ſpei pauorem incutiendo nimium, hoc in Albino agere tentaſti puero, vincenſque humili ab homine altum qui viceras hominem. Verè ſi cognouiſſes Chriſtum gloriæ, non crucifixiſſes, neque Chriſticolæ Albini, quos ſibi nolens arte mirifica fructus actuum præparabas, calloſas tondere plantas quæſiſſes. Abſcondiſti pedibus eius rete captionis, & ipſe quaſi auis pennis ſuſtentatus columbæ, pedibuſque cerui inſtar firmatis, ac in excelſa conſtitutis, cum Dauid à facie Saulis fugit, in ſolitudine commorari gaudens. Lacum aperuiſti & effodiſti, inque illum confuſus cecidiſti optata ſine præda. Sagittæ in te retorquent tuæ acumen, inæſtimabili dolore afficiunt. Cecidiſti in terram vulnerator gentium Sanctorum, conculcaris cum Albini pedibus. Amato proiiceris è tumulo, quia fortis à fortiore victus. Graue ſceptrum tuum, ô exactor, & iugum humeris noſtris impoſitum, ſuperatum à puero patrem adhuc ignorante vocare ſuum & matrem. Spoliis tuis, obliuiſcens te, & populum ſuum, mater ornatur Eccleſia, ſpiritalium fœcunda chariſmatum, inſignia cœlorum cum virtutibus, Domino concelebrans laudum cantica. Gratias ſemper tibi Domine referimus, bone Ieſu, vna cum Patre, ſancto & Spiritu per ſæcula, cuius eſt boni quicquid agimus, inchoamus, & perficimus. Iuxta eum tuam docens nos gratiam qui ait: *Deus eſt autem qui operatur in vobis & velle & perficere.* Et Pſalmiſta: *Deus meus, miſericordia eius præueniet me.* Et item alibi: *Et miſericordia tua ſubſequetur me omnibus diebus vitæ meæ.* Et tu ipſe dixiſti: *Sine me nihil poteſtis facere.*

Hæc ita ſe de initio pueri incipientis ſupradicti habentibus, cœpit hinc ſui quandam ad ſimilitudinem Domini ætate ſapientia cum vera & viua proficere philoſophia, artius eius obſecundans iuſſis. Poſtque memoriter lectionem recitatam Pſalmorum, beati gentis Anglorum Bedæ doctiſſimi diſcipulo Hechberto Præſuli meritis magiſtro ſimili traditur, quaſi lactis inſcius fortibus iam alendus panibus: qui præcelſam in puero ignauiter, vtpotè oppidò perſpicuis, fulgere Chriſti conſpiciens gratiam, cœpit paulatim ei ſecretius ſecreta demonſtrare ſua. Quippe quem imitatorem compertiſſimè gaudebat fore ſui. Erat ſiquidem ei grex nobilium filiis ſchola-

ſticorum, quorum quidam artis Grammaticæ rudimentis, alij diſciplinis erudiebantur artium, cæteri iam liberalium, nonnulli diuinarum Scripturarum poſt iſtas manibus confricatas Patris pectus in ſuum hordeacias quinas, triticiáſque ſeptenas traiiciebant vnà gemino cum piſce ſpicas. Omnes verò fide, ſpe, charitate, humilitate, ieiuniis, caſtitate, obedientia, & circa Eccleſiæ officià, deuotiſſima æquè & honeſtiſſima cura omnì cum circunſpectione imbuebantur, verbis non tantum quantum ſancti Patris Hechberti exemplis; digni per omnia Chriſtiana * Præſulis, in quo ea, ſuis quæ in præceptoribus fulſerat, doctrina non mediocriter enituit. In ſancto videlicet Anglorum Apoſtolo Gregorio, Auguſtino eius diſcipulo, Benedicto ſancto, Cũtbertóque ſimul & Theodoro primi Patris & Apoſtoli per omnia ſequentibus, & in viro Domino nimium amabili Beda presbytero proprij præceptoris ſui; qui ab ineunti ætate quaſi Samuel Domino conſecratus, inſcius coinquinationis vllius veſtimenti, monaſticis traditus à parentibus regulis, quicquid verbo docuit, exemplo roborauit; qui poſtquam bonum certamen certauit, curſum conſummauit, fidem ſeruauit, talentũque ſui Domini cũ vſuris duplicauit, die quo voluit & petiit, eò ſcilicet quo Rex gloriæ Chriſtus triumphator ſuper omnes aſcendit cœlos, ab incarnatione Domini DCCXXXI. VII. Kal. Iun. à ſancti obitu verò Gregorij CXXVII. anno conſummatus, ad Dominum migrauit nonagenarius, ſicut quorundam adfirmatio eſt. Nam nonodecimo ætatis ſuæ anno Leuita, XXX. verò Sacerdos efficitur. A quo tempore qui ante per triginta annos didicerat Eccleſiæ profutura, vſque quinquageſimo nono cum ſudore non inerti dignis memoria libris inſerere proprio ſtylo ſtuduit. Per alios autem triginta annos ferunt ea quæ ſcripſerat correxiſſe: diſcipulos quoque non mediocriter omnium liberalium artium ſtudiis erudiiſſe. Hanc antequam ægrotaret Antiphonam ipſi valde feſtiuitati conuenientem dictans, componénſque ſua cum melodia: *O Rex gloriæ Domine virtutum, qui triumphator hodie ſuper omnes cœlos aſcendiſti, ne derelinquas nos orphanos, ſed mitte promiſſum Patris in nos Spiritum veritatis. Allel.* Cuius iam, vt dictum eſt, ſequens Hechbertus veſtigia, totum theſaurum ſuum Domini deputauit eloquia, Scripturarum rimando penetralia. Nam à luce diei ſurgente ſi ineuitabilis non obſtitit præpeditio, vel vlla ſolennitas præcellens, aut feſtiuitas magna Sanctorum, vſque horam quaſi ad ſextam, ſæpiſſimè & nonam, ſuo reſidens in lecto diſcipulis, cuique conuenientia Scripturæ pandebat arcana. Inde verò ſurgens, ſecretiſſimámque ad orationem confugiens, holocauſta medullata cum incenſu arietum offerens prius Domino, ac poſt iuxta exemplum beati Iob, ne fortè filij eius in benedictionis * laberentur foueam, ſanctificabat eos, offerens corpus Chriſti & ſanguinem pro omnibus. Et ſic tandem veſpertina propinquante hora, præter quadrageſimam maximè, omni tempore tam æſtatis quàm hyemis, parcum cum ſuis, dignè tamen præparatum ſumebat cibum; linguæ non parcens lectoris, vtroque vt reficeretur pane. Videres ergo tunc ante Patrem pueros præparatis ſe conterebrare telis, diſcutientes in ſecreto quid poſt ordinabiliter protelarent in publico. Nonne videtur tibi de hoc etiam poſſe dici, *Sicut aquila prouocat ad volandum pullos ſuos, & ſuper eos volitat expandens alas, aſſuménſque eos, & portans in humeris?*

* maledictionis.

Hos autem omnes florida decoratus adoleſcentia Alchuinus humilitatis ſub lectione præibat: is denique pater pauperum, Chriſti multus amator atque adiutor, bis in die ſecretiſſimam orationem erat ſolitus fundere, puriſſimi cum irrigatione fontis, genu vtroque in terram flexo, manibuſque diutius inſtar crucis in cœlum erectis; ante ſcilicet quàm cibum ſumeret, & priuſquam Completorium cum ſuis omnibus celebraret. Quo celebrato, nullus diſcipulorum ipſius ſine eius benedictione capiti ſuo data, vllo vnquam tempore membra audebat committere ſtratui. Qui omnes quidem diligebat, maximè tamen Albinum fideliſſimum ſuorum actuum ſequacem, propter meritorum diſtantiam. Cui virtutes inter alias hoc erat datum ſpecialius, vt nihil per ſe eligeret agere, quod Magiſtri auctoritas probans non conderet, nullaſque vnquam hoſtis machinas inſidiáſve pertulit interius, quas abſque vlla verecundia Magiſtro celaret exterius. Qua de re actum eſt, vt ſtimulum, quem aliquando ſenſerat, libidinis indomabilem arte hac mirifica vinceret glorioſiſſimè, dum paruulos ad petram Babylonicos eliſit, conterens caput ſerpentis inſidiantis calcaneo. Cauebat enim ne ſuper illo verba diceret Chriſti, quia *omnis qui mala agit odit lucem, & non venit ad lucem, vt non arguantur eius opera;* ſed potius illorum in ſortem veniret, de quibus ſubnectitur: *Qui autem facit veritatem venit ad lucem, vt manifeſtentur eius opera, quia in Deo ſunt facta.*

O verè Monàchum Monachi ſine voto, cuius exempli ſequax perraró reperitur Monachus ex debito. Imitemur ergo Albinum pium adoleſcentem Domini, fugiendo tenebras Pharaonicas palpabiles: vertamuſque noctem in diem, & poſt tenebras ſperemus lucem, carcere Principis tenebrarum euaſo. Recordemur ſquamarum Behemoth ſedulò, quibus corpus eius, ſed inuicem prementibus, compactum redditur. Vna enim vni coniungitur: & ne ſpiraculum quidem incedit per eas. Vna alteri adhæret, & tenentes ſe nequaquam ſuperantur. Cuius fortitudo in lumbis, cuius ſunt nerui teſticulorum perplexi: qui dormit ſub vmbra & ſecreto calami, & locis humentibus. Gaudemus tuam, Albine, correctam pueritiam ex hoſtis antiqui crudelitate, dùm in bonum tuum malitia illius vtitur Deus. Veneramur mentis in adoleſcente puritatem, atque conſtantiſſimam firmitatem magno in certamine. In quo duellionis ſpiritu ſæpius agitata caro oſſa in multis, quæ nequeunt in pace frui, quieta Domino cuſtodiente in te manent illæſa. Meruiſti Dominum Chriſtum mentis tuæ habere hoſpitem, quo te protegente aiebas: *In te eripiar Domine à tentatione, & in te tranſgrediar murum, qui poſuiſti immaculatam viam meam, brachiaque mea vt arcum æreum.* Miles igitur iſte videamus quibus ex aduerſo rurſum laniari queritur ſpiculis, in modumque exercitus Iudæ Machabæi antiquis Patrum de victoriis armemur armis inuictiſſimis.

XIII. Kal. Decemb. igitur amiſſione orbatus patris Hechberti Alchuinus, munere diuino Elbertum virum beatum & clarum loco amiſſi excepit, Magiſtro per omnia ſimilem. Cùm ergo non modò ſapientiæ venuſtate, verùm aliis etiam pollens virtutibus ſocios præcederet, nulli ſecundus apparens, ſentit multis in rebus ſuo de profectu inuidiæ ſpiritu eorum corda turbari; in tantum vt eum claro nequaquam oculo adſpicere, neque dulcibus verbis alloqui quirent. Suſcitans verò Magiſtri ſuper hac re conſilium, hortatur beneficus carbones ignis congerere ſuper capita eorum. Audiens denique Patris ſaluberrimum conſilium, non ante ab intentione rationis ceſſauit, conſiderans ne aliquod ſibi contrarium ex ore eius verbum audirent, eorum ſæpius ſubſternens ſe veſtigiis iniuſtè, licèt cùm ab eis argueretur, quam euidentem Domino mentis ſanitatem illis impetraret, adeò vt repente mutati ſecundum eum à Magiſtro omnimodis habere gauderent. Trahiturque regulus manu ablactati pueri de ſua qua cubabat cauerna, & blandi columbarum illic ſtatuuntur amplexus. Magnæ ſunt certè Sanctorum virtutes, per quas corpora ſanantur, & non minoris admirationis ac venerationis æſtimari debent, quibus medentur animæ. Hac autem inſignitum virtute Albinum mira cum pietate veneremur, qui noluit abſincium ſecularis litteraturæ noſſe Deum, quatenus intraret in potentiam. Enimuerò ſpreuit mundum in maligno poſitum, altior vt mundo factus iungeretur illi, excelſior qui eſt cœlis factus. Legerat in Apoſtolo, quia *prudentia carnis inimica eſt Deo*: legi enim Dei non eſt ſubiecta: quam ſequi ſi vellet illorum omnium generoſiſſimus Albinus, pro talibus auſis non diu procraſtinata vindicta eos percelleret. Iam autem lubricos adoleſcentiæ calles digno cum præconio tranſiliens, quaſi Sol in cœli arce media magno iuuentutis calore figitur. Iam quoque cum Moyſe Ægyptiaca doctus ſapientia, cuius amputauerat crines & vngulas, montem, quo Deus videri poſſet, conſcenderat; viderátque virgam in colubrum, rurſumque colubrum cauda tactum in virgam verſum, abyſſumque nouerat inuocantem abyſſum. Hærens illius veſtigiis ſtat, qui ſupra montes euangelizat, adnuncians bona, quatenus ſpeculatorum leuatam poſſet audire vocem. Legens igitur Ioannis Euangelium ante Magiſtrum vna ſuis cum condiſcipulis, peruenit ad eam partem quam ſoli norunt mente comprehendere mundicordes, quæ eſt ab eo loco, quo ipſe ſupra pectus Domini recubuiſſe ſe dicit, vſquequo cum diſcipulis ſuis trans torrentem Cedron Ieſum egreſſum fuiſſe recolit. Hac ergo Euangelica cùm debriaretur lectione Albinus myſtica, ſedens ante Magiſtri lectulum, ſubitò eius ſpiritus in exſtaſi ducitur. Ac iiſdem, qui quondam ſub Solis radio ante ſanctiſſimi Patris Benedicti, nunc ante huius oculos curte ſiue equarum ſub vno parco omnis mundus collectus oſtenditur: qui dum in hoc quod cernebat attentam oculorum figeret aciem, vidit totam per gyrum eius clauſuram quaſi ſanguine circumſeptam. Cumque hac teneretur viſione mirabili, in eum oculos vertentes nimia cum admiratione condiſcipuli, nempe qui nihil videre habebant ſanguinis, conantur quaſi dormientem excitare; ad quorum ſonitum oculos in Albinum B. Elbertus dirigens eum diutius tacitè conſpicit, dicens: *Legite fratres, iſtum nolite excitare, paulùlum vt ſomno indulgens efficacius me poſt audire queat tradentem.* Illo verò ad ſeipſum Albino reuerſo, lectione accepta iubente Patre omnes egrediuntur

foras, Albinũ ſolum retinens ſecum. Cui Pater iſdem ait: *Quid vidiſti rogo ne me celes.* Volens autem omninò ſecretum habere quod viderat, timens ne forte elationis foueam incideret, reſpondit. *Quid mi domine Pater?* Ad quem rurſus vir beatus: *Noli fili, noli occultare mihi. Neque enim carioſitate illud à te requiro vana, ſed vtilitate tua.* Videns autem Albinus ſe celare non poſſe, humiliter quemadmodum mundum omnem videret indicauit. Tunc Pater iſdem dixit ſibi. *Vide fili mi, vide ne præter vni quem poſt meum diſceſſum fideliſſimum habebis ſuper tua perſona, hoc indices vidiſſe. Ipſi etiam interdicito, vt vſque poſt tuum obitum ſecretum habeat.* Cuius ille obtemperans conſiliis, Sigulfo tantum ſuper ſe ſua indicauit in vita. Qui igitur ſcire deſiderat, quomodo vna ſub clauſura totum mundum conſpicere quiuerit, ad Dialogorum ſancti Gregorij recurrat librum. Interim tamen nouerit, in viſione mundi non cœlum & terram fuiſſe contractum, ſed videntis animum dilatatum, qui in Domino raptus videre ſine difficultate potuit omne quod infra Deũ fuit. Fortaſſis etiam quæret aliquis ſtudioſius, cur hac ſub figura, curve circundatum ſanguine viderit. Nouerit ille Chriſti ſanguine totum ſanctæ Eccleſiæ ouile circundatum, ita vt à ſolis ortu vſque ad occaſum redempti de manu inimici eius paſſione, quæ tunc ſine dubio ardentius Albini ſuperſidebat animum, cum hanc ante Magiſtrum legeret, dicere [illegible]: *Confitemini Domino quoniam bonus &c.* Omnis ergo mundus ſanguine Chriſti circundatus vna ſub clauſura cernitur: quando omnia quęcunque à ſanctis Patribus ſignificatiuè ſunt geſta, & ab initio mundi ſcripta, ſola Chriſti paſſione reſerantur, qui eſt leo de tribu Iuda, radix Dauid. Sin autem per clauſuram giratam, vitam carnalium ſuorum criminum circundatam ſanguine velit intelligi, qui ob hoc ſit ei oſtenſa, vt ab eo calcata contemneretur, proprio relinquatur iudicio.

Poſt hæc de virtute in virtutem ſuccreſcens, die Purificationis ſanctæ Mariæ Leuita ſacratur. Nam dudum eadem die comam capitis amiſerat. Cumque iam beatum Elcbertum patrem ſuum infirmitate prænunciata celerius ad Chriſtum tranſire noſſet, qui cuncta ſicut ſupra dictum eſt cum eius faciebat conſilio, ſtuduit illum diligenter ſciſcitari, quid poſtquam ſola ſepararentur morte, ipſum vellet, iuberetque agere. Cui vt iam claret, Domini dedit reſponſum. *Romam volo venias, inde ſuc reuertens viſites Franciam. Noui enim multum te ibi facere fructum. Eritque Chriſtus dux tui itineris, perducens ac gubernans te illuc aduenam; Sis vt expugnator nefandiſſimæ hæreſis, hominem Chriſtum quæ conabitur adoptiuũ adſtruere, & fidei ſanctæ Trinitatis firmiſſimus defenſor clariſſimuſq; prædicator. Perſeuerabis ergo in terra peregrinationis, multorum illuminans animas.* Benedicens autem illum Patrum ſuorũ ſuperius memoratorum benedictionibus, ac Chriſto Ieſu commẽdans ſeruaret vt ipſe eum, lætus S. Pater Elcbertus Epiſcopus migrauit ad Deum VI. Idus Nouembris. Quem pius Albinus vt matrem deplorans lacrymis, nolebat tamen conſolationem recipere. Leuita verò ſanctis benedictionibus Patrum hæreditario ditatus iure, dedit curam magnopere talentum ſui Domini multiplicare egregiè. Docuit multos in Britannia, & non paucos poſt in Francia. Quo in tempore ſociatur illi vir Deo amabilis, animi carniſque nobilitate inſignis Sigulfus presbyter, cuſtos Heboricæ ciuitatis Eccleſiæ, perpetuò vt illi iam hæreret, qui ſuo cum auunculo Autberto preſbytero puer partes has petierat, Romamque Eccleſiaſticum ordinem diſcẽdum ab eo ductus fuerat, nec non Metas ciuitatem cauſa cantus directus. In quo cum nimia panis penuria aliquo deſudauit tempore, ac multo cum fructu poſtquam ſuum tranſmiſit auunculum ſanctum virum ad Dominum, patriam repedauerat propriam. Hi ergo tantum ſe dilexere mutuo, vt cerneres Rebeccam Iſaac, & Annam Tobiæ copulatam. Cumque iam omnipotẽs Deus Franciam ſpiritalibus diuitiis, vt pridem terrenis, glorificare vellet, dans ei Regem ſecundum cor ſuum, fide, fortitudine, ac amore ſapientiæ, & corporis ineffabili pulchritudine in his præclariſſimum Karolum, monuit mentem Albini, conſilium & iuſſionem ſui Patris vt impleret.

Iuſſus igitur ab Eanbaldo Archiepiſcopo ſucceſſore Elcberti, vt ſibi pallium impetraret ab Apoſtolico, venit Romam. Cumque reuerteretur accepto pallio, habuit Regem Karolum Parma ciuitate obuium. Quem magnis Rex alloquẽs ſuaſionibus & precibus, poſtulauit vt ad ſe poſt expletionem miſſatici in Franciam reuerteretur. Nouerat enim eum, quia olim à Magiſtro ſuo ad ipſum directus fuerat. Fecit autem Alchuinus, aliorum deſeruire cupiens profectui, vt ſibi rogaret cum auctoritate regis ſui proprij & Archiepiſcopi, eo tantum iure vt iterum ad eos reuerteretur. Peruenitque, Chriſto ducatum præbente, ad Regem Karolum. Quem tenens Rex loco patris amplectitur, à quo artes introductus in liberales, refrigerari paululum nouerat, ſed exſaturari ob er-

uorem ſatis nimium nequibat. Tempore verò aliquanto cum eo peracto, dedit illi duo monaſteria, Bethleem ſcilicet, quod altero nomine Ferrarias vocatur, & ſancti Lupi apud Trecas. At denique Albinus nolens ſine auctoritate Regis ſui & Epiſcopi proprium deſerere locum, quo educatus quoque capitis comam amiſerat, ac in Leuitam conſecratus fuerat; poſtulauit magnum Regem, vt daret ei licentiam remeandi in patriam. Quem Karolus voce blandientis alloquitur: *Sunt nobis, Magiſter eximie, terrenæ diuitiæ ſufficienter, quibus te vt patrem honorare gaudemus: tuis nos oramus diu deſideratis, & vix aliquando inuentis tua cum pietatis merce inluſtrari.* Cui Albinus: *Domine mi Rex, tuæ non diſpono voluntati renuere, auctoritate Canonum firmata cùm fuerit. Libenter etiam paterna in regione mea non modica hæreditate ditatus, hac ſpreta tibi vt prodeſſe poſſim hic pauper ſtare delector. Tuum eſt tantum hoc à meo Rege & Epiſcopo impetrare.* Tandem igitur ratione victus, conſenſit vt iret; requiem non dans animis, iam ſecundo ad eum reuerſo firmiter impetraret ſecum perpetuo vt duraret. Euoluto verò non paruo tempore poſtquam Albinus ſecundo ad Karolum reuerſus eſt, ſancti Martini apud Turonis præficitur paſtor Monaſterij iſdem, qui dignè Deo illud cum aliis regens Monaſteriis, vitam ſubiectorum quantum valuit corrigere ſtuduit. Atque quos indomitos accepit, rationabiles honeſtiſque moribus vt eſſent & ſapientiæ inquiſitores, ſategit.

Interea hæreſis inimica Deo, partibus quæ pullulabat Hiſpaniæ, aſſerens adoptiuum filium Dei eſſe ſecundum carnem, ad aures perducitur Karoli. Quod vt experimento nouit Rex magnus & per omnia Catholicus, totis niſibus decertauit, vt deſtrueretur ſemen diaboli, zizaniaque de frumento Dei funditus eradicarentur. Aduocans namque Albinum inſtitutorem ſuum Turonis, & miſerum Felicem hæreſis huius adſtructorem de Hiſpaniæ partibus, congregauit Synodum magnam Epiſcoporum in Aquiſgrani imperiali Palatio: in quorum ipſe ſedens medio, Felicem licet valde repugnantem de natura filij Dei ſecundum carnem cum Albino doctiſſimo diſputando rationabiliter confligere iuſſit. Tum quantum Epiſcoporum tunc extitit ſilentium! O quam clara & inexpugnabilis Karoli cum auctoritate Magiſtri ſui fidei confeſſio atq; defenſio! Per plura autem Felix fugiens latibula, pluribus ab Albino confoſſus eſt ſpiculis, in tantum vt pene omnes ciuitates Iſrael conſummaret, quovſque filius hominis veniret. Nam à ſecunda vſque ad ſeptimam Sabbati parum aliud geſtum eſt. Omnibus denique eius patefacta ſocordia, atque ab vniuerſis Apoſtolica auctoritate hæreſis confutata, ſoli ſibi latuit deformiter, vſque dum dicta Cyrilli Martyris ab Albino ſibi directa legit lamentabiliter: *Ea natura, quæ per diabolum vitiata eſt, ſuper angelos exaltata eſt propter triumphum Chriſti, atque ad dexteram patris collecta.* Hanc ergo legens ſententiam, tandem ſe recognouiſſe & impiè egiſſe voce & nimio fletu teſtatus eſt. Sed quod ad aliud tendens pauca ſuper hac re prælibaui, qui perfectius hanc ſcire ſitit, legat eius Epiſtolas ad Felicem & Elipantum, & ipſorum ad illum: & noſſe incunctanter poterit quod deſiderat. Largiente Chriſto hactenus paululum de vitæ Albini initio, quæ cunctis non eſſe cognita putaui, non vt volui, ſed fideliter quemadmodum potui ſcripſi. Hinc iam calamum labris quaſſatum (neque enim iudicaui, nouerunt qui ſuper eo cuncti, paruo iſti inſerere operi) ad finem eius deſpicatè crepitando licèt pertrahere conabor.

Cum igitur ſenectute vnàque infirmitate plus ſolito ſe ſentiret affectum, diu vt ſecum tractauerat, velle ſe ſignificauit Regi Karolo ſæculum relinquere, poſtulans licentiam apud ſanctum Bonifacium Monaſticam vitam ſecundum regulam ſancti Benedicti ducere, Monaſteriáque ſibi commiſſa ſuos vt inter diſcipulos diuideret, ſi fieri poſſet. Sed Rex terribilis & pius, vnum cum omni poſtulationis affectu denegauit: alterum libenter audiuit, flagitans quietiſſimus Turonis æque honorificentiſſimè vt reſideret, ſibique & omni ſanctæ Eccleſiæ commiſſæ non detrectaret. Onera verò ſæculi quæ ipſe habuerat, diſcipulis vt petierat libentiſſimè diſpertiit. Fecit ergo & ipſe Albinus vt Rex ſapientiſſimus rogauerat, non quærens quod ſibi foret vtile, ſed quod multis; ac Turonis diem nouiſſimum præſtolatus fuit. Vita denique eius non Monaſticæ inferior fuit. Nam qualis in Patribus ſuperiùs nominatis præceſſerat, talis & in illo durabat; in ieiuniis ſcilicet, in orationibus, in carnis mortificatione, in eleemoſynis, in Pſalmorum & Miſſarum multa celebratione, & in aliis virtutibus quibus poſſibile eſt humanam ornari naturam. Præter enim dies Reſurrectionis ac feſtiuitatis, ieiunium protelabat in veſperum, parcens cibo quo amplius delectabatur. Quocirca tantam ſapiſſimè ori ſuo cælitus dari gaudebat habere dulcedinem, quantam nequit humanus ſermo fari. Tunc verò

quicquid volebat labore ſine vllo velociſſimè dictare quibat, ita vt dicere poſſet: *Dilexi Domine mandata tua ſuper aurum & topazium. Quam dulcia ſunt faucibus meis eloquia tua! ſuper mel & fauum ori meo.* Iuuenis, qui Pſalmorum modulationem ſecretam non tantum quantum aliam lectionem amauerat, modò iam ſenex nullatenus eorum decantatione ſaturari poterat. Secretiſſimam orationem ſemper in die, ſicut ſupra de Magiſtro eius taxatum eſt, cum manuum diutina crucis extenſione, eodem modo multis cum gemitibus (nam lacrymas perraro habere poterat) fundebat. Diſcipulis ſimiliter tradebat, quorum nobiliſſimus Sigulfus erat Vetulus, magnanimuſque VVithſo. Poſt hos Fredegiſus, & eius ſocij. At tempore iam vltimo hærebant ei aſſiduò Raganardus, VValdramnus, qui adhuc ſuperſunt: Adelbertus quoque beatæ memoriæ, quantum poterat Sigulfi tunc filius, poſt autem, venerandus Pater, & multi alij: quorum omnium vtinam nouerit Chriſtus nomina. Hi verò omni ſe circumſpectione præuidentes, ſtudebant ſollicitè ne quid coram eo reprehenſionis agerent, multoties etiam & abſque eo. Nouerant enim eum vinctum eſſe Deo, Spirituque eius illuſtratum; licet corporalibus oculis, ſenectute atque infirmitate reſiſtente, iam clarè videre nequiret: ac ideo timebant actus ſuos eum latere non poſſe. Spiritu ſiquidem repletus prophetiæ, quibuſdam quæ eis eſſent ventura prædixit, ſicuti fecit Raganardo de Oſulfo. Nam iſdem Raganardus quandam horribilē ſopori deditus videns viſionem, quam bonum eſt ſilere, eidem Patri ſequenti die cum pauore retulit, timens ne de ſe ageretur. At ipſe Pater magno cum dolore reſpondit: *O Oſulfe, tu miſer quoties te monui, quoties corripui? Multum denique laborem in auunculum tuum habui, vt ſe corrigeret, & viam mandatorum Dei operari cœpiſſet: prædixique ei, quia niſi feciſſet priuſquam de ſeculo migraret, plaga lepræ percuteretur. Sicque factum eſt. Prædico ergo & tibi fili mi, de Oſulfo, ſuper quo eſt hæc viſio, quoniam neque in hac regione, neque in qua natus eſt morietur.* Quod poſtea probauit euentus. Mortuus eſt enim in Langobardia. Iſdem quoque Raganardus tentauit ſe nimiis vigiliis, & abſtinentiæ nimia ſuperfluitate, ignorantibus omnibus, affligere: Ita vt pro hac intemperantia grauiſſimè ſuccumberet febri. Ad quem viſitandum Pater veniens Albinus, iubet omnes præter Sigulfum exire de domo eius, quem increpans ait: *Cur ſine cuiuſquam conſilio tam intemperanter agere tentaſti? Nam ego conſiderans te velle hoc agere, in domo in qua dormio te quoque dormire iuſſi. Tu verò ſtatim vt omnes dormire noueras, candelam latenter accendens in laterna celabas, ac ad locum illum pergens tota nocte vigilabas. Et quicquid occultè ibi faciebas, noueras quod Deus ſolus**. Et ipſe ei indicauit, addens: *Quando mecum quoque ad mandatum pergebas, & te vinum bibere iubebam: arte callidiſſima dicebas: Bibi, Domine pater, meo cum auunculo ſufficienter. Cum autem ad tuum venires auunculum, & ipſe quoque hoc te iuberet, aiebas mecum te bibiſſe. Voluiſti nos deludere, & deceptus es. Caue ergo iſta poſtquam ſurrexeris de febre, ne tale aliquid indiſcretè vnquam coneris agere.*

Audiens igitur iſta Raganardus ab ipſo, qui vocabatur Vetulus, erubuit, multumque expauit, ſciens ſe deprehenſum, ſuaque occulta latere Albinum non poſſe, admirans dicebat: *Quomodo palam iſtud factum eſt?* Teſtatur hodieque ipſe coram Deo nullum cognouiſſe hominem, hoc antea homine reuelante, præter ſolum Deum. Pœnitens denique quod egerat ſtultè, per omne poſt tempus vitæ Albini nihil tale ſine illius egit conſilio atque imperio. Sæpiſſimè etiam ad eum miſſi venientes Regis, aliorumque amicorum, cùm adhuc ab eo longè eſſent, eorum prædicebat aduentum, cauſamque aduentus, quid quoque adferrent, quidve ſecum vehere quærerent. Audientes autem iſta diſcipuli quidam, vſquedum probarent ſenectutem eius, quaſi deſipientem culpabant. Vir quoque Domini Benedictus ei præ omnibus Monachis familiaritate iunctus, ad eum, gratia conſilij ſalutis ſuæ & ſuorum accipiendi, ſæpius Gothiæ de partibus properabat. Quadam verò vice voluit aliter venire, nemo vt hoc agnoſceret, Turonis, quouſque ad oſtium adſiſteret domus Albini. Cumq; adhuc haud prope eſſet, vocans Albinus vnum ſuorum, ait: *Feſtina occurrere Benedicto Abbati in loco tali, & dic ei velociter ad me perueniat.* Fecit miſſus Patris Albini vt ſibi præceptum fuerat, peruenitque poſt triduum vbi ei dixerat, & Benedictum reperit, eique quod ſibi iuſſum fuerat nunciauit. Stupens autem ſuū deprehenſum conatum, cum velocitate peruenit Turonis ad eum. Cumq; ſe alterutrum tripudiantes deoſcularentur, infit Benedictus Pater reuerendus ſuppliciter. *Domine Pater, quis meum vobis prædixit aduentum?* Reſpondit ei: *Nullus homo verbis mihi innotuit.* Cui iſdem. *Quis tunc Domine? forſitan literis cuiuſquam audiſtis?* At ille. *Verè*, inquit, *nullis.* Adiecit vir iſdem rurſum. *Si neque ab homine vllo dicente, neque literis cuiuſquam præſenſiſtis, precor, mi Pater, quonam modo illud noueritis edicite.* Cui Albinus. *Noli amplius hoc me interrogare.* Cum verò venerabilis vir Benedictus iam reuerti vellet, petiit eum vt quemadmodum ſpeciali ora-

tione pro ſe orabat ei panderet. At ipſe ait: *Hoc namque Chriſtum rogo; Domine da mihi intelligere peccata mea, & veram confeßionem facere, & dignam pœnitentiam agere, & da mihi remißionem peccatorum meorum.* Cui vir Deo dignus Benedictus ait: *Addamus, mi Pater, huic orationi vnum ſermonem, Et poſt remißionem ſalua me.* At Albinus gaudens, dixit: *Fiat reuerentißime fili, fiat.* Iterum autem vir idem flagitabat, vt ſibi diceret, quando crucem videns ſe contra eam inclinabat, quæ verba labris ſilenter depromeret. Ille verò hoc inquit: *Tuam crucem adoramus Domine, tuam glorioſam recolimus paßionem: miſerere noſtri, qui paſſus es pro nobis.* Poſt hæc deducens eum aliquantulum, remiſit gaudentem Albinus ad ſua, ſuoſque.

Rex ſiquidem magnus Imperatorque iam Karolus potens orationis gratia, vnaq; deſideratæ conlocutionis mutuæ cum Albino, ſepulchrum ſancti Martini ſuis cum filiis Karolo, Pipino, ac Ludouico viſitare ſtuduit; quo in loco tenens manum Albini, ait ſecretè: *Domine Magiſter, quem de his filiis meis videtur tibi in iſto honore, quem indigno quanquam dedit mihi Deus, habere me ſucceſſorem?* At ille vultum in Ludouicum dirigens, nouiſſimum illorum, ſed humilitate clariſſimũ, ob quam à multis deſpicabilis notabatur, ait: *Habebis Ludouicum humilem ſucceſſorem eximium.* Hoc tunc ſolus audiuit Karolus. Sed cum eoſdem Reges erecta ceruice, & Ludouicum humili pòſt orationis gratiâ in Eccleſiam S. Stephani incedere cerneret, ſedens in loco quo ſepeliri volebat, infit ſibi adſiſtentibus: *Cernitis Ludouicum fratribus ſuis humiliorem? Certè videbitis hunc Patris celſißimum ſucceſſorem.* Necnon cum poſt communionẽ corporis Chriſti & ſanguinis manu propria eis miſceret, iſdem Ludouicus humilitate clariſſimus præ omnibus Patri ſancto ſe inclinans, eius oſculatus eſt manum. Tunc vir Domini adſiſtenti ſibi ait Sigulfo: *Omnis qui ſe exaltat humiliabitur, & qui ſe humiliat exaltabitur. Certè iſtum poſt patrem Francia gaudebit habere Imperatorem.* Hoc nos iam factum & videmus & gaudemus. Depoſiti ſunt qui videbantur cedri, & exaltata eſt oliua fructificans in domo Domini. Ipſe denique Pater Karolum multa erudiens * cura artibus liberalibus, ſcripturiſque diuinis; adeò vt ſapientiſſimus omnium Francorum efficeretur Regum, qui fuerunt ab aduentu Chriſti. Docuit etiam eum per omne vitæ ſuæ tempus quos Pſalmos pœnitentiæ cum letania & orationibus precibuſque, quos ad orationem ſpecialem faciendam, quos in laude Dei, quos quoque pro quacunque tribulatione, quemque etiam vt ſe in diuinis exerceret laudibus decantaret. Quod noſſe qui vult, legat libellum eius ad eundem de ratione Orationis. Legerat iſdem vir Domini libros iuuenis antiquorum Philoſophorum, Virgiliique mendacia, quæ nolebat iam ipſe nec audire, neque diſcipulos ſuos legere: *Sufficiunt*, inquiens, *diuini Poetæ vobis, nec egetis luxurioſa ſermonis Virgilij vos pollui facundia.* Contra quod præceptum tentauit Sigulfus Vetulus ſecretè agere. Vnde poſt erubuit publicè. Aduocans namque ſuos, quos tunc filios nutriebat, Adalbertum & Aldricum, iuſſit coram ſe ſecretiſſimè Virgilium legere; interdicens eis, ne quis vllo modo ſciret, ne forte ad patris Albini notitiam perueniretur. Albinus autem ſolito more ad ſe vocans, ait: *Vnde te habemus Virgiliane? Cur cœpiſti ac voluiſti contra meam voluntatem & conſilium me ignorante agere, vt Virgilium legeres?* Sigulfus verò ſe ad pedes eius proiiciens, ſtultiſſimè ſe egiſſe confeſſus, humiliter pœnituit. Cuius ſatisfactionem benignè pius Pater poſt increpationem recepit, monens eum ne vltra tale aliquid ageret. Teſtatur vir Deo dignus adhuc ſuperſtes Aldricus Abbas, nec ſe nec Adalbertum cuiquam hoc innotuiſſe, ſed vſque tunc ſicut eis præceptum fuerat omnimodis ſiluiſſe.

*f. erudiuit

Fratribus Cormaricenſibus, quos valde diligebat, iuſſerat ipſe Pater centum modia vini dari. Cumque ad Monaſterium ducerentur, mandauit per Sigulfum Benedicti Abbatis Monachum præuiſoribus Monaſterij, vt tenerent interim ductores vini, quouſque coram eis de vaſculis, in quibus ipſum vinum adduxerant, in alia mutaretur; quia aliqui ex eis inde furtiuè ſumentes, in vaſcula, quatenus plena eſſent cùm ad Monaſteriũ peruenirent, ſabulum aquæ miſcuerant. Quod ita factum fratres certiſſimè probarunt. Aigulfus præterea presbyter Engelſaxo & ipſe ad eundem Patrem viſitandum Turonis venit. Cumque ante ianuam eius domus cœpiſſet adſiſtere; ecce quidam Turonenſium fratrum ſimul, videlicet quatuor iuncti, hunc reſpicientes, putanteſque nihil eum illorum de locutione ſcire, colloquebantur ad inuicem: *Venit iſte Britto vel Scotto ad illum alterum Brittonem qui intus iacet. O Deus, libera iſtud Monaſterium de iſtis Brittonibus. Nam ſicut apes vndique ad matrem reuertuntur, ita hi omnes ad iſtum veniunt.* Ingreſſus eſt autem iſdem presbyter domum Albini, poſt nonnulla alia retulit ei quæ audierat. Cui Albinus: *Noſti*, inquit, *qui ſunt?* At ille: *Verè neque noui, neque eos reſpicere præ verecundia quiui, quando iſta dicebant.* Pater verò Albinus ait: *Certè ego noui qui ſunt.* Vocans ergo eos ipſe propriis no-

minibus, ad ſe venire iubet, dicens: *Iſti ſunt.* Condolens itaque eorum ſtultitiæ, pepercit eis dicens: *Parcat illis Chriſtus filius Dei.* Dans autem eis ſingulos vini calices bibere, iterum foras leniter exire iubet. Aigulfus verò poſtea id diligentiſſimè per alios ſciſcitans, eoſdem fuiſſe probauit. Neque illud ſilentio prætereundum ratus ſum quod multi nouerunt. Cuſtos denique ſepulchri ſancti Martini, præuidebat qui ceram, & veſtimenta omnia quæ ad ipſam Baſilicam pertinebant, intrans cum candela accenſa ſecretarium, quo iſta ſeruabantur, infixit eandem ſtipiti, quam cùm egrederetur oblitus eſt accipere. Firmans itaque oſtium ſerâ abiit. Candela verò ardens cecidit ſuper ceram. Cera quoque magnas dans flammas ad veſtimenta, quæ perticis hærebant, multa cum vi ignem emiſit. Veſtimenta porrò vſque ad tectum. Quod cuſtos ſentiens cum claui ſtatim ad aliud Monaſterium fugit. Fit vndique concurſus, pulſatur oſtium, nec vllo aperitur ſudore. Clerici precioſum quicunque aliquid in domo ſua habebant, foras mittebant. Eccleſia ſancti Martini veſtimentis quibuſdam nudabatur. Nec aliud quiſquam ſperare poterat, quàm totius Monaſterij concremationem. Nudabatur plumbo tectum. Aderat Albinus oculis iam non vidēs. Interrogat ergo quid agatur. Cui vnus diſcipulorum ſuorum Vetulus: *Perge,* inquit, *hinc mi Domine Pater, ne forte aut plumbo ſuperius proiecto vſque ad mortem percutiaris, aut igne cremeris. Certum enim interitum manet.* Cumque Albinus voluiſſet ire, iterum ad eum Vetulus; *Mi,* inquit, *Domine Pater, Vade ad ſepulchrum domini Martini, & pro nobis intercede.* Fecit itaque ita Albinus. Cumque illuc perueniſſet, extendit ſe ſuper terram in cruce gemitum emittens ad cœlum. Miro igitur modo ac incredibili, ſtatim vt Albinus ſe proiecit in terram, totus ille ignis ita extinctus eſt, ac ſi immenſo necaretur fluuio. Hoc cernentes Clerici, magno cum ſtupore exultantes ad locum illum feſtinatò perueniunt, vbi Albinus ante ſepulcrum ſancti Martini proſtratus in cruce, pro eis iacens Deum precabatur. Eleuantes autem eum humo, benedicunt Deum, qui per Albini preces totam fabricam Monaſterij ſancti Martini igne ne conſumeretur ſaluauit. Hæc tua ſunt ſancte Martine digna exempla, qui ignes quondam cum quæreres fugere, non poteras; ad Deum conuerſus oratione, ignes illos extinxiſti minaces. Verè celſa fides, quæ ſuo calore igneos potuit extinguere globos. Nec mirum ſi elementa precibus ac iuſſis Albini propriam vim linquant, cùm ipſe in corde requieſcat eius, qui diligentem ſe diligit, ambulanteſq; in igne flamma non permittit fuſcari. Te in his adoramus, te glorificamus, téque laudamus, qui dignatus es, ſicut polliceri ſeruis tuis tua ſeruantibus mandata, operibus etiam in Albino tuo oſtendiſti euidētiſſimè. Tu quidem dixiſti Chriſte Ieſu, *Si quid petieritis me in nomine meo, hoc faciam.* Videlicet vt glorificetur Pater in Filio.

Illud quoq; ad laudem Domini cōmemorandum eſt, quòd multi ſæpius ad Albinum venientes infirmi, benedictione eius cum fide accepta ſoſpitatem recepere corpoream. Quodam etiam tempore, fertur vt à nonnullis præcipuis, quidam pauper oculorum lumen graui habens obductum caligine, ad ianuam exterioris domus veniens Albini, flagitabat dari ſibi aquam, eius qua loti forent oculi. Aiebat enim reuelatum illi fuiſſe, quaſi * ex ea oculos ſuos ablueret, viſum reciperet. Ignorante ergo Albino colligitur aqua, qua faciem & oculos lauerat; daturque occulte poſcenti pauperi. Lauans igitur pauper ille aqua illa oculos cum plena fide, caliginem fugauit, ac clarum lumen recepit. Inluſtramur & nos tuo Pater ſudore, lauanturque tua pia doctrina animarum noſtrarum crimina. Neſciente te vltra iam fatigari labore oculorum, tu quoque corporali viſu minimè cernebas, & aliorum ſemper inluminare ſatagebas: quoſque præſentialiter non poteras, literis abſentaliter erudiebas, ſcribens multa omni Eccleſiæ vtilia. Poſtulante namque Imperatore Karolo ſcripſit librum de ſancta Trinitate vtiliſſimum, necnon de Rhetorica, Dialectica, & Muſica. Scripſit ad Gundradam de animæ ratione. Poſtulantibus fœminis Giſla & Richtrude, honeſtiſſimè ſuper Euangelium Ioannis partim de ſuo, partim de ſancto Auguſtino mirabile opus compoſuit. Scripſit & in IV. Epiſtolas Pauli, ad Epheſios ſcilicet, ad Titum, ad Philemonem, & ad Hebræos: ad Fredegiſum in Pſalmis: ad VVidonem Comitē Homelias de principalibus vitiis & virtutibus: ad Sigulfum ſuum quæſtiones in Geneſi perutiles. In Prouerbiis Salomonis & Eccleſiaſte, in Canticiſque Canticorum luculenta ſub breuitate ineffabiliter. Sub nominibus Franci & Saxonis de Grammatica cum interrogatione & reſponſione facundiſſimum libellum compoſuit. Collegit multis de Patrum operibus Homeliarum duo volumina: Scripſit de Orthographia. In centeſimo quoque octauo decimo Pſalmo ſtylo vſus eſt aureo. Sunt & alia multa, quæ quiſquis legerit, & diligenter ſcrutatus fuerit, non mo-

* f. quod ſi.

dicam ſui ædificationem reperiet, ſicut in Epiſtolis ad multos directis. In his ergo & huiuſmodi reliquum vitæ ſuæ ducens tempus, cœleſtem in terris duxit vitam. Præſtolans in nouiſſima poſitus vigilia filij hominis aduentum, intraret vt cum eo ad nuptias; lauabat ſingulas per noctes lectum ſuum lacrymis, ſanctorum ſemper ſe muniens interceſſionibus, quorum omni die celebrabat ſolennia: hoſtis ne vllis antiqui confoderetur iaculis, qui nequaquam eius irrumpere domum tam occultè poterat, vt ab ipſo repente non deprehenderetur, crucisque ſigno pelleretur.

Quadam igitur nocte ſolitò orationem cum Pſalmorum decantatione volens ſecretim fundere, aggrauatur immenſo ſomno. Surgens verò è lectulo, tulit cappam deſuper ſe: cumque iterum aggrauaretur ſomno, expoliauit ſe omnibus veſtimentis præter ſola camiſia & femoralibus. Nihilominus verò perſeuerante ſomno, accepit turribulum, & pergens ad locum, quo erat ignis tutatus, impleuit prunis illud, ac deſuper timiama poſuit, totamque cameram odore ſuaui perfudit. Qua in hora corporali ſe ſpecie diabolus præbuit ei viſibilem, homo quaſi magnus, nigerrimus ac deformis, barbatuſque, blaſphemiæ in eum aggerens iacula. *Quid*, inquit, *hypocrita agis Alchuine? Cur coram hominibus iuſtum te videri conaris, cum deceptor ſis magnuſque ſimulator? Tu putas his tuis fictionibus acceptabilem poſſe te habere Chriſtum?* Sed miles Chriſti ineluctabilis ſtans cum Dauid in turre, quæ eſt ordinata omni armatura fortium, & mille pendentibus clypeis, cœleſti dicebat voce: *Dominus lux mea, & ſalutare meum: quem timebo? Ipſe fortitudo vitæ meæ: quem formidabo? Intellige Domine murmur meum, aduerte vocem clamoris mei rex meus & Deus meus, quia te deprecor Domine. Mane audies vocem meam, mane præparabor ad te, & contemplabor, ſurgens medio noctis ad confitendum tibi. Applicant mihi mendacium ſuperbi. Ego autem in totó corde ſcrutabor præcepta tua. Fiat cor meum perfectum in præceptis tuis, & confundantur qui iniquè conterunt me, dum non confundar ego, quando aſpirauerit dies & fuerint inclinatæ vmbræ.* Fugatus denique hoſtis, & ipſe cõpleta oratione quieſcit. Hac in hora vnus ſolummodo diſcipulorũ eius Vualtdramnus nomine adhuc viuens vigilabat, occultè cernẽs hæc omnia, teſtis ſcilicet huius rei quæ fieret. Vtebatur iſdem pater Apoſtoli iuxta conſilium, non propter gulæ deſiderium, ſed propter carnis infirmitatem, vino modico. Fugiebat modis omnibus otioſitatem. Nam aut legebat, aut ſcribebat, aut diſcipulos erudiebat, aut orationi vacabat & Pſalmorum decantationi, ineuitabilibus tantummodo corporis indulgens neceſſitatibus. Erat pauperum pater, humilibus humilior, diuitum ad pietatem inuitator, ſuperbis ſuperior, diſcretor quoque omnium, egregiuſque liberator. Celebrabat omni die Miſſarum ſolennia multa cum honeſtatis diligentia, habens ſingulis hebdomadæ diebus Miſſas deputatas proprias. Dominica porrò die, nullo vnquam tempore, poſtquam lux inchoaſſet apparere auroræ, ſe tradebat ſopori: ſed velociter Leuiticè ſe præparans, ſuo cum Sigulfo presbytero Miſſarum colebat ſolennia ſpecialiter [illegible]q; horam tertiam. Et tunc nimia cum reuerentia publicam intrabat ad Miſſam. Diſcipuli verò eius aliis ſolliciti cùm in locis eſſent, maximè ad opus Dei cùm adſiſterent, ſtudebant ne quid reprehenſionis in eis ab illo cerneretur.

Iam ergo Albinus corpore diſſolui cupiens, & cum Chriſto eſſe deſiderans, exorabat eum votis omnibus, vt die quo in linguis igneis Spiritus ſanctus ſuper Apoſtolos veniſſe viſus eſt, & eorum corda repleuit, ſi fieri poſſet migraret, è mundo. Veſpertinum ſiquidem pro ſe agens officium in loco, quo elegerat poſt obitum quieſcere, iuxta videlicet Eccleſiam ſancti Martini, hymnum ſanctæ Mariæ Euangelicum cum hac Antiphona decantabat: *O clauis Dauid, & ſceptrum domus Iſrael, qui aperis & nemo claudit, claudis & nemo aperit; veni & educ vinctum de domo carceris, ſedentem in tenebris & vmbra mortis.* Dicens poſt orationem Dominicam hos verſus: *Quemadmodum ceruus deſiderat ad fontes aquarum* &c. *Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum! Beati qui habitant in domo tua* &c. *Ad te leuaui oculos meos. Vnam petij à Domino. Ad te Domine leuaui animam meam*, & reliqua huiuſmodi. Quadrageſimæ igitur tempus, ſicut ſemper conſueuerat, digniſſimè omni cum contritione carnis, & Spiritus, mundationeque habitus celebrans, ſanctorum Baſilicas, quæ ſunt intra ſancti Martini Monaſterium, cunctis noctibus frequentabat, lauans ſe à ſuis multis gemitibus. Cum verò Reſurrectionis Domini perageretur ſolennitas, nocte eius Aſcenſionis decidit in lectum, graui fatigatus langore vſque ad mortem, nec poterat loqui. Tertia tandem antequam migraret die, ſolitam exultationis voce decantauit Antiphonam: *O clauis Dauid*, Verſuſque ſuperius memoratos recitauit. Die autem Pentecoſtes peracto Matutinali officio, eadem hora qua ingredi conſueuerat ad Miſſas, aurora patente, ſancta Albini anima carne ſoluitur, miniſterioque Leuitarum cœleſtium

beatum habentium ſecum protomartyrem Stephanum & Laurentium Archidiaconũ, Angelorum cum exercitu ad Chriſtum, quem amauit, quem quæſiuit, perducitur; & fruitur eius gloria in cœlo per omnia ſæcula feliciter, cui ſeruiuit in mundo fideliter.

Deceſſit igitur dierum plenus numero, XIIII. Kal. Iunij, anno ab Incarnatione Domini DCCCIIII. Eadem verò nocte ſuper Eccleſiam ſancti Martini inæſtimabilis viſa eſt ſplendoris claritas, in tantum vt putaretur à longè poſitis tota igne cremari. Quibuſdam denique per totam illam noctem ipſe ſplendor viſus eſt, nonnullis tribus apparuit vicibus. Aurora autem ſurgente globus ille iam ampliſſimus ſuper eum veniſſe locum viſus eſt, quo Albinus iacebat, animaque eius egrediente cœlum penetraſſe. Teſtatus eſt ſiquidem Ioſeph Archiepiſcopus, per totam noctem & ab eo & à ſuis viſum fuiſſe. Teſtantur multi & nunc corpore valentes. Plurioribus ſiquidem non ea nocte, ſed præterita, Dominica prima ſcilicet poſt Aſcenſionem Domini, ipſa claritas eodem, vt dictum eſt, modo apparuit. Eadem quoque hora cuidam ſolitario in Italia poſito cæleſtium Leuitarũ oſtenſus eſt exercitus, laudes Chriſto ineffabiles in aëre reſonãs. In quorum medio Alchuinus ſplendidiſſima indutus Dalmatica adſtans, cælum cum eis ingreſſus, Pontifici æterno vt miniſtraret cum perenni gaudio. Quod iſdem ſolitarius fratri cuidam Turonenſi Apoſtolorum ſolito frequentare lumina ad ſe venienti eodem Pentecoſtes die indicauit. Interrogans namque eum ait: *Quis eſt ille Abbas, qui apud Turonis in monaſterio ſancti Martini conuerſatus eſt? quo vocatur nomine? vel ſi valebat, quando inde exiſti corpore?* Ad quem frater ille. *Vocatur Alchuinus, eſtque Magiſter optimus in tota Francia. Quando huc iter arripui, ſanum eum reliqui.* Reſpondens verò ſolitarius ille, ait cum lacrymis: *Verè feliciſſima fruitur ſanitate.* Indicauitque ei quid eodem die viderat Aurora clareſcente. Ipſe autem frater reuerſus Turonis, quæ audierat retulit. Pater denique Sigulfus corpus patris cum quibuſdam aquâ honorificè lauans, poſuit ſuper feretrum. Habebat nempe & ipſe tunc magnum dolorem capitis, ſed fide animo ſanus, citam reperit ſanitatem capitis. Oculos namque ſuper Magiſtri lectulum eleuans, cernit pecten quo ipſe ſuum ſolebat pectinare caput. Iſtum ergo manibus ſumens, ait: *Credo Domine Ieſu, quia ſi iſto Magiſtri mei pectine meum pectinauero caput, meritis illius ſtatim ſanabitur.* Vbi igitur prima vice pecten duxit per caput, quantum de eo tetigit totum ſanum habuit, ſicque totum pectinando gyrans, omnem dolorem amiſit. Alter diſcipulorum eius Eangiſt nomine, dentium immenſo grauiter afflictus dolore, hortatu patris Sigulfi eodem pectine dentes tetigit; & continuò, quoniam cum fide fecit, ſanitatem meritis Alchuini recepit. Audiens verò ciuitatis Turonis Ioſeph Epiſcopus, vir bonus & Deo amabilis, beatum obiiſſe Alchuinũ, aduenit celeriùs illuc ſuo cum Clero, oculoſque eius propriis rigans lacrymis deoſculabatur diu[illegible]. Præcepit autem ſapienti vſus conſilio, ne in eo ſepeliretur loco, quo iſdem Pat[illegible]is voluerat, ſed intra ſancti Martini Baſilicam honorificentiſſimè: vt quorum in [illegible]ctæ ſunt animæ, vna ſint corpora domo in terris poſita. Sicque factum eſt. Super cuius tumulum poſitus eſt, ſicut ipſe iuſſerat, titulus, quem ipſe viuens dictauerat, lamina ſcriptus in ærea, parietique inſertus.

EPITAPHIVM ALCHVVINI.

HIC, *rogo, pauxillum veniens ſubſiſte viator,*
Et mea ſcrutare pectore dicta tuo:
Vt tua déque meis agnoſcas fata figuris,*
*Vertatur * ſpecies, vt mea, ſicque tua.*
Quod nunc es, fueram famoſus in orbe viator;
Et quod nunc ego ſum, túque futurus eris.
Delicias mundi caſſo ſectabar amore,
Nunc cinis, & puluis, vermibus atque cibus.
Quapropter potiùs animam curare memento,
Quàm carnem; quoniam hæc manet, illa perit.
Cur tibi rura paras? quàm paruo cernis in antro
Me tenet hîc requies? ſic tua parua fiet.

*al. *cognoſcas.*
*al. *Vertitur en ſpecies.*

Cur Tyrio corpus inhias veſtirier oſtro,
Quod mox eſuriens puluere vermis edet?
Vt flores pereunt, vento veniente minaci,
Sic tua namque caro, gloria tota perit.
Tu mihi redde vicem, lector, rogo, carminis huius;
Et dic, Da veniam Chriſte tuo famulo.
Obſecro nulla manus violet pia iura ſepulcri,
Perſonet Angelica donec ab arce tuba:
Qui iaces in tumulo, terræ de puluere ſurge,
Magnus adeſt Iudex, millibus innumeris.
Alchvvin nomen erat ſophiam mihi ſemper amanti,
Pro quo funde preces mente, legens titulum.

Hic requieſcit beatæ memoriæ dominus Alchvvinus Abba, qui obiit in pace XIV. Kal. Iunias. Quando legeritis ô vos omnes, orate pro eo, & dicite: *Requiem æternam donet ei Dominus.*

ALIVD EPITHAPHIVM ALCHVVINI ſepulchro, ſeu Cenotaphio potiùs, quod nuper adhuc extabat in Herſfeldenſi Eccleſia prope Fuldam, affixum.

Refert Brouuerus lib. I. Antiq. Fuld. cap. 10.

ALBINVS EGO*...... QVEM SACRA TVMBA RECONDIT
DIGNE EXORATVS TRISTIA QVÆQVE* FERO.
QVINQVAGINTA MINVS * OCTINGENTOSQVE PER ANNOS
NVNC IACVI * FATVM CÆSARE DE CAROLO
HICQVE MANET CELEBRIS VIGBERTVS. QVEM QVOQ. LVLLVS
IVSSERAT, HVC TRAXI, SVBVENIENTE DEO.
QVOS QVI MEQVE SIMVL PRECIBVS AGITAVERIT VLLIS,
ILLIVS ERGA DEVM NON SVMVS IMMEMORES.
ID LIQVIDO POTERIT SIGNIS MONSTRARIER ALMIS
......BEO FAMVLIS ANXIETATE MEIS.

*SVM
*AVFERO.
*HIC OCTINGENTA
*FACTVM.

DE BEATO ALCHVVINO,

CAROLI MAGNI FR. R. AC IMP. PRÆCEPTORE,

TESTIMONIA.

Eginhardus in vita Caroli Magni.

IN diſcenda Grammatica Petrum Piſanum Diaconem ſenem audiuit, in cæteris diſciplinis ALBINVM cognomento ALCHVVINVM*, item Diaconem, de Britannia, Saxonici generis hominem, virum vndecumque doctiſſimum præceptorem habuit: apud quem & Rhetoricæ, & Dialecticæ, præcipuè tamen Aſtronomiæ ediſcendæ plurimum & temporis & laboris impertit.

*al. Alcoinum.

Fragmentum Epiſtolæ Paulini Aquileienſis Patriarchæ, ad Karolum Magnum, de libris quos aduerſus Felicem Vrgel. Epiſc. ſcripſit.

Hæc quippe ſpecialia precum mearum libamina ſingulariter pectoris mei purisſima incitante deuotione in conſpectu orthodoxi Principis terræque Domini prælibare feſtino: quatenus hoc noſtrum licet non pretioſum, quodcumque tamen munuſculum, ad manus reuerentiſſimi viri, & in diuinis rebus peritiſsimi & præclari, ALBINI ſcilicet ſummæ religionis perſpicui Oratoris veſtri, mihique ſuper omnia flauentium fauorum dulciſsimi mella, vrguentibus veſtris citius venerandis imperiis deferatur. Neſcio planè ſi poſsim quandoque in alio hæc congeſta volumine, inuiolabili caritati illius meis viribus impertire. Non quod his ille indigeat, ſed vt ex his clariùs detur intelligi, cuius dilectionis & amicitiæ erga eum pleni amoris dulcedo meo ſemper in pectore quantociùs ſuauiter ſaporata dulceſcat.

Sangallenſis Monachus, lib. I. de Geſtis Caroli Magni.

Audito autem ALBINVS de natione Anglorum, quàm gratanter ſapientes viros religioſiſſimus Regum Karolus ſuſciperet, conſcenſa naui venit ad eum. Qui erat in omni latitudine Scripturarum ſupra cæteros modernorum temporum exercitatus, vt puta diſcipulus doctiſſimi Bedæ, peritiſſimi poſt ſanctum Gregorium tractatoris. Quem vſque ad finem vitæ iugiter ſecum retinuit, niſi quando ad ingruentia bella proceſsit; adeò vt ſe diſcipulum eius, & ipſum Magiſtrum ſuum appellari voluiſſet. Dedit autem illi Abbatiam S. Martini iuxta Turonicam ciuitatem, vt quando ipſe abſens eſſet, illic requieſcere, & ad ſe confluentes docere deberet. Cuius intantum doctrina fructificauit, vt moderni Galli, ſiue Franci, antiquis Romanis vel Athenienſibus æquarentur*. *Item aliquanto poſt.* Glorioſiſsimus itaque Karolus per totum regnum ſuum ſtudia literarum florere conſpiciens, ſed ad maturitatem Patrum præcedentium non peruenire condolens, & plus quàm mortale laborans, in hanc tædiatus vocem erupit: O vtinam haberem duodecim Clericos ita doctos, omníque ſapientiâ ſic perfectè inſtructos, vt fuerunt Hieronymus & Auguſtinus. Ad quod doctiſsimus ALBINVS ex ipſorum comparatione merito ſe indoctiſsimum iudicans, inquantum nullus mortalium in conſpectu terribiliſsimi Karoli audere præſumeret, maxima indignatione concepta, ſed parumper oſtenſa, reſpondit: Creator cæli & terræ ſimiles illis plures non habuit: & tu vis habere duodecim?

**Eadem referũt Chronicum Lemonicenſe, Memoriale Hiſtoriarũ, & Vincentius Beluac. l. 23. Spec. hiſt. c. 173. ex Chronicis Arelatenſ.*

Anonymus, qui vitam S. Aldrici Senonenſis Archiepiſcopi, necnon Ferrarienſis Abbatis, ſcripſit.

Sed ne parentes grauius moleſtaret, vel iis ignorantibus hoc ageret, nactus opportunitatem, eis pium mentis reuelauit arcanum. Qui licet quadam pietate imprimis non acquieſcerent, attendentes in eo relucere inæſtimabilem caritatis ardorem, honeſto propoſito noluerunt obuiare: ſed eum Deo perpetuò ſeruiturum Monaſterio præſentauerunt, quod in honore beatæ Mariæ erat fundatum, vbi ſub ALCVINO Abbate Magiſtro litterali, cui iam dicti Cœnobij adminiſtratio tunc temporis erat commiſſa, Monachalis diſciplinæ ſuſcepit inſignia. *Et paulò poſt.* ALCVINVS monitor, quorundam incredulium, qui tunc fidem Chriſtianam impugnabant, prout Spiritus ſanctus dabat eloqui illi, verſutias eliſit argutas; & ruinam periclitantis fidei, propulſata penitus ambiguitate redintegrauit. Super quibus iocundatus Imperator Auguſtus, eum Præceptorem Palatinum inſtituit, vt vita Imperialis Aulæ & maiora negotia ſuæ diſcretionis arbitrio diffinirentur.

Auctor vetus, Friſius, in vita ſancti Ludgeri Epiſcopi, Lib. I. cap. V.

Eo tempore in Eboraica ciuitate famoſus merito Magiſter ſcolam ALCHVVINVS tenebat, vndecumq; ad ſe confluentib. de magna ſua ſcientia cõmunicans. Huius mos, vt

illuc peruenerunt, Ludgerus familiarē amicitiā adeptus, ſpacio, quo inibi demorabantur, ad eum ſedulo de ſcripturis interrogantem acceſſit. Verum cum ſacris ordinibus perceptis, ad eum, qui eos miſerat, redeuntes venirent, Alubertus cum Gregorio, pij laborem operis aſſumpſit. Porrò Ludgerus Alchvvini deſiderio & amore diſcendi, reditum, ſi fieri poſſit, meditabatur. Quod cùm ſæpiùs tentanti Gregorius tandem difficillimè conceſſiſſet, paratis cum eius adiutorio, & parentum ſuorum, quæ talis peregrinatio poſcebat, remeauit Brittanniam. Suſcipiens eum Magiſter honorabilis, magna, cuius animum nouerat, coluit caritate, tribúſque continuis annis, paterna in Monachorum Monaſterio ſollicitudine erudiens, quarto anno dimidio, apprimè eruditum ad patriam remiſit. *Item cap.* XVI. Cupiebat autem ſancta illa hoſpitalitate prolixius vti, ſed glorioſus Imperator Karolus eius famam audiens, prodente eum maximè ALCHVVINO præceptore quondam ſuo, qui eo tempore de Brittannia in Franciam venit, miſit ſemel & iterum, atque litteris Alchvvini eiuſdem, ad ſe eum venire mandauit. *Et cap.* XXXV. *Vbi de lucis ſplendore, quæ in obitu S. Ludgeri emicuit.* Vidit quoque hoc & mirandus Imperator Karolus, qui eo tempore in Aquis Palatio moratus eſt. Eadem namque hora pro inſpectione ſiderum cum ALCVVINO, à quo Aſtrologiam didicerat, fuerat egreſſus. *Eadem etiam Monachi VVerthinenſes in vita eiuſdem S. Ludgeri, apud Surium Tom.* II. *Capp.* VII. XIII. *&* XXXIV. *Libri* I. *licèt alijs verbis.*

Amalharius Fortunatus Epiſcopus Treuer. lib. de Ordine Antiphonarij, Cap. LVIII. *De Reſponſoriis Pſalmorum.*

Audiui illos canere in iſto ordine, quando videbar puer eſſe ante ALBINVM doctiſſimū Magiſtrum totius regionis noſtræ. Cuius auctoritate delectatus ac fretus, poſtquam libertate vſus ſum canendi quæ congrua mihi videbantur, cœpi illos canere ab octauis Pentecoſtes vſque Kalendas Iulij. *Et cap.* LXVII. *de officio in dedic. Eccleſ.* Audiui illas (*Antiphonas ſcilicet*) in ea feſtiuitate canere ALBINVM, doctiſsimum Magiſtrum noſtræ regionis, de quo ſæpè mentionem facio.

Lupus Abbas Ferrarienſis Epiſt. XI. *ad Lotharium Regem.*

Cellam S. Iudoci, quam Magnus Carolus quondam ALCVINO ad eleemoſynam exhibendam peregrinis commiſerat, beatæ memoriæ pater veſter nobis ea ratione conceſsit, ſicut edictum illius atteſtatur, vt quod eleemoſynæ ſupereſſet, in noſtrum vſum cederet.

Annales incerti Auctoris, ad annum DCCXCIV.

His temporibus ALCVINVS, cognomento Albinus, ſanctitate & doctrina clarus habetur.

S. Euerardus Comes in Teſtamento ſuo, tempore Ludouici Pij confecto.

Iudith volumus vt habeat Miſſale vnum, & Librum vnum, qui incipit à Sermone S. Auguſtini de Ebrietate, & legem Langobardorum, & Librum ALQVINI ad VVidonem Comitem.

Rhabanus Maurus in Martyrologio.

Decimoquarto Kal. Iunij depoſitio domini Alchuini.

Anaſtaſius Bibliothecarius in vita Hadriani I. Papæ.

Poſt hæc coniunxerunt ad Sedem Apoſtolicam miſſi ſæpiùs dicti Caroli excellentiſsimi Regis Francorum & Patricij Romanorum; id eſt Georgius ſanctiſsimus Epiſcopus, Gulfardus religioſus Abbas & Conſiliarius, ſeu ALBINVS delicioſus ipſius Regis: inquirentes, ſi præfatus Longobardorum Rex abſtultas * ciuitates, & omnes iuſtitias beati Petri reddidiſſet, ſicut falsè in Franciam dirigebat, aſſerens ſe omnia reddidiſſe. *ſublatas.

De B. Alchvvino Abbate,

Flodoardus Hiſtor. Eccleſ. Rem. lib. III. *Cap.* XXI.

Rabano Maguntiæ Præſuli *ſcripſit Hincmarus.* In qua Epiſtola aſſerit hunc B. Rabanū ſolum tunc temporis de diſcipulatu beati ALCVINI relictum.

Micrologus de Eccleſ. Obſecr. Cap. LX.

*Albinum. Sciendum autem quendam ALBOINVM * Magiſtrum Karoli Imper. rogatu S. Bonifacij Archiepiſcopi, vt aiunt, Miſſales orationes de ſancta Trinitate compoſuiſſe: & in ſecunda feria de Sapientia, in tertia de Spiritu ſancto, in quarta de charitate, in quinta de Angelis, in ſexta de Cruce, in ſabbato de ſancta Maria. Et hoc ideò, vt Presbyteri illius temporis nuper ad fidem conuerſi nondum Eccleſiaſticis officiis inſtructi, nondum etiam librorum copia præditi, vel aliquid haberent cum quo officium ſuum qualibet die poſſent explere. *Et paulò poſt.* Fecit tam idem ALBINVS * in ſancta Eccleſia non contemnendum opus. Nam Gregorianas orationes in libris Sacramentorum collegiſſe aſſeritur, paucis aliis adiectis, quas tamen ſub obelo notandas eſſe indicauit. Deinde alias orationes ſiue præfationes, etſi non Gregorianas, Eccleſiaſticæ tamen celebritati idoneas collegit; ſicut Prologus teſtatur, quem poſt Gregorianas orationes in medio eiuſdem Libri collocauit. * Alboi-

Radulfus Decanus Tungrenſis, lib. de Canonum obſeruantia.

Primò autem plures Nationes per totum tempus Paſchale tres tantum Pſalmos, & tres Lectiones dicere contendunt, & dicunt: allegantes quòd ALCVINVS Magiſter Karoli & Ludouici filij eius, rogatu Bonifacij Archiepiſcopi Moguntini, approbante Concilio Moguntino, illud inſtituiſſet. Sed hoc reprobat Guilhelmus, & dicit oppoſitum concludi in Aſcenſione Domini, vbi ſunt nouem Reſponſoria, & nouem Pſalmi cum eorum Antiphonis.

Hermannus Contractus in Chronico ad annum DCCXCIX.

Alcuinus, qui & ALBINVS, his temporibus clarus habetur.

Odorannus Monachus S. Petri Viui Senon. in Chronico.

Anno DCCCIV. obiit ALCVINVS Philoſophus, Abba Sancti Martini.

S. Odilo Abbas Cluniacenſis in Vita S. Maioli deceſſoris ſui.

Ego verò vltimus ſeruorum illius ſeruulus, non alia, ſed ea, quæ ipſi præfati ſunt, ſtilo paupere, ac breuiſſimis diſtinctionibus capitulatim quoquomodo auſus ſum adnotare, ſequutus ALCVINVM maioris Caroli Imperatoris Magiſtrum: ſic & impar eo, quantum peccator iuſto, illiteratus perito, fari neſciens facundiſſimo. Ille ſummi & incomparabilis viri & ſanctiſſimi Sacerdotis Martini vitam, à Seuero Sulpitio altiſſimo ſtylo deſcriptam, dictis plenioribus elucidatam, ad noſtram noſtrorumque ſimilium deſtinauit notitiam. Sicut nemo poſt Apoſtolos beatiſſimo æquatur Martino, ita & ego multum me imparem profiteor Alcuino. Dixit ille, vt pote magnus, magna de magno; dicam ego paruus parua de magno. Dixit ille de ſuo Martino ſicut de ſummo Sacerdote, & incomparabili viro: dicam ego de Maiolo, ſicut de piiſſimo Patre & Abbate ſanctiſsimo, præſtantiſsimo viro, & verè Catholico.

Rogerus de Houeden Parte priore Annalium.

Anno DCCXCII. Carolus Rex Francorum miſit Synodalem Librum ad Brittanniam, ſibi à Conſtantinopoli directum. In quo Libro multa inconuenientia, & veræ fidei contraria reperiebantur: maximè quòd penè omnium Orientalium Doctorum, non minus quàm trecentorum, vel eò ampliùs Epiſcoporum, vnanima aſſertione confirmatum fuerit, imagines adorari debere: quod omninò Eccleſia Dei execratur. Contra quod ſcripſit ALBINVS Epiſtolam ex auctoritate diuinarum Scripturarum mirabiliter affirmatam, illámque cum eodem Libro ex perſona Epiſcoporum, ac Principum noſtrorum Regi Francorum attulit. *Eadem habet Mathæus VVeſtmonaſterienſis ad annū* DCCXCIII.

VVillelmus Malmesburienſis lib.1. de geſtis Regum Anglorum, Cap. III.

Hic eſt ALCVINVS, qui à Regibus Angliæ pro pace miſſus ad Regem magnum Carolum, ibi apud eum ſeu terræ amœnitate, ſeu Regis humanitate captus reſedit, magníque apud eum habitus, Imperialem animum, quantum ab Aulicis curis vacabat, Dialectica, & Rhetorica, & etiam Aſtronomia probè compoſuit. Erat enim omnium Anglorum, quos quidem legerim, poſt beatum Adelmum & Bedam, doctiſſimus, multiſque libris ingenij periculum fecit. Iacet in Francia, apud S. Paulum * de Cormarico: quod Cœnobium Carolus Magnus eius conſilio conſtruxit. Vnde hodiéque quatuor Monachorum victus & potus pro eiuſdem Alcuini anima quotidianæ infertur eleemoſynæ in eadem Eccleſia.

* S. Martinū Turon.

Ademarus Engoliſm. in Vita Ludouici Pij.

Imperatori ipſi porrexit librum valdè mirabilem de Theologia ſanctæ Crucis Rabanus Magnentius Monachus doctiſſimus, magiſter * ALCVINI. Beda enim docuit Simplicium, & Simplicius Rabanum, qui à tranſmarinis oris à domno Imperatore Karolo ſuſceptus eſt, & Pontifex in Francia factus, ALCVINVM * docuit, & Alcuinus Smaragdum imbuit. Smaragdus autem docuit Theodulfum Aurelianenſem Epiſcopum. Theodulfus verò Heliam Scotigenam, Engoliſmenſem Epiſcopum. Helias autem Heiricum, Heiricus Remigium & Vcbaldum Caluum Monachos hæredes Philoſophiæ reliquit.

*diſcipulus

* *Ordinem inuertit Ademarus. Nam Alcuinus à Karolo ſuſceptus docuit Rabanum, Rabanus Smaragdum.*

Honorius Auguſtodunenſis Presbyter, lib. de illuſtr. Eccleſ. Scriptoribus.

Alcuinus, natione Anglus, Eboraicæ ciuitatis Diaconus, officio Scholaſticus, dignitate Abbas, Magiſter Caroli Imperatoris, ſcripſit breuiter omnes liberales artes ad prædictum Imperatorem, & multa alia præclara.

Sigebertus Gemblacenſis Monachus in Chronico, ad an. DCCXC.

Alchuinus de Britannia oriundus, Magiſter delicioſus Regis Karoli, ſcientiâ litterarum præpollet in Gallia, cuius præcipuè magiſterio ipſe Rex omnes artes liberales didicit. Hic multa ſcripſit, inter quæ eminent libri de ſancta Trinitate ſcripti ad ipſum Regem. Hic etiam iuſſu ipſius Regis diuinam Hiſtoriam correxit*.

* *Eadem legūtur apud Andream Marcianenſem Monachum, lib. 2. Chronic.*

Idem lib. de illuſtrib. Eccleſ. Scriptoribus, Cap. LXXXII.

Alchuinus, ſiue Albinus, de Britannia oriundus, & inde ab Imperatore Carolo euocatus, & tanta familiaritate ei acceptus, vt appellaretur Imperatoris delicioſus, cuius maximè magiſterio ipſe Imperator, omnibu liberalibus artibus initiari ſatagebat, multa ſcripſit. Scripſit in Geneſim Dialogum, ad VVidonem Comitem de Virtutibus & Vitiis librum, de quibuſdam Pſalmis Enchiridion. Fecit Tractatus ſuper Euangelium Ioãnis. Scripſit ad ipſum Imperatorem libros de ſancta Trinitate. Reſpondit quæſtionibus à Fredegiſo ſibi propoſitis. Scripſit Prognoſticon de futuro ſeculo. Scripſit ad Eulaliã virginem, de natura vel immortalitate animæ. Iuſſu Imperatoris correxit diuinam Bibliothecam, & alia nonnulla ſcripſit.

Chronicum Turonenſe abbreuiatum.

Anno DCCXCVI. Karolus Rex inſtituit Canonicos in Eccleſia beati Martini Turonenſis, auctoritate Adriani Papæ, eiſque ſanctum ALCHOINVM Magiſtrum ſuum Abbatem præfecit. *Et paulò poſt,* Anno DCCCIV. ſanctus ALCHOINVS obit.

Chronicum aliud Turonenſe maius, ad an. DCCXCI.

Nec multò poſt, Karolus auctoritate Adriani Papæ Canonicos in Eccleſia beati Martini poſuit, & eis Magiſtrum ſuum ALBINVM, id eſt Alchoinum, præfecit. Erat autem Alchoinus natione Scotus, ingenio clarus, mirabilis Philoſophus, non tantum præpollens ſcientia litterarum, quantum & honeſtate morum, ſtudióque virtutum.

Helinandus apud Vincentium Beluacenſem lib. XXIII. *ſpeculi hiſtorialis, cap.* CLXXIII.

Hic Alchuinus à Regibus Angliæ pro pace miſſus ad Karolum, ab eo fotus eſt hoſpitio, & apud eum reſedit, vir vndecumque doctiſsimus. Qui Karolum inſtituit in Dialectica & Rhetorica, & præcipuè in Aſtronomia. Hic omnium Anglorum poſt beatum Adelmum & Bedam doctiſsimus fuit, & pluribus Libris ingenij miraculum * fecit. Prælatus eſt inſtitutus à Karolo Monaſterio beati Martini Turonenſis. Adhuc erant in Eccleſia illa Monachi, vbi corpus eius requieſcit. Qui, vt refert ſanctus Odo Abbas, viuebant delicioſè nimis & induebantur veſtibus ſericis, eorumque calciamenta erant aurei coloris. In cuius Eccleſiæ dormitorio ingreſsi ſunt Angeli duo: vnus indicem extendebat, & alter Monachum quem oſtenderat ille percutiebat. Vnus autem, qui vigilans hoc videbat, euaſit. Angelum enim adiurauit dicens; Adiuro te per nomen Dei omnipotentis ne me percutias. Hoc itaque Monaſterium poſt hoc, vt dictum eſt, donante Karolo ſuſcepit regendum Alchuinus, ſcientia vitáque præclarus, qui & ſapientiæ ſtudium de Roma Pariſius tranſtulit, quod illuc quondam à Græcia tranſlatum fuerat à Romanis Fuerúntque Pariſius fundatores huius Studij IV. Monachi Bedæ diſcipuli, ſcilicet Rhabanus, & Alchuinus, Claudius, & Ioãnes Scotus. *Et Vincentius ipſe cap.* CLXXIV. Scripſit autem Alchuinus, qui & Albinus, de ſancta Trinitate lib. 3. Scripſit & ad diſcipulos ſuos Dialogorum lib. 1. Sententiarum lib. 1. ſuper Geneſim ad literam lib. 1. ſuper Cantica Canticorum lib. 1. Epiſtolarum lib. 1. ſuper Eccleſiaſten lib. 1. ſuper Ioannem lib. VII. ad Eulaliam Virginem de ratione animæ lib. 1. ad Fredegiſum dialogum de Trinitate lib. 1.

* al. periculum.

Canonicus Senonenſis anonymus, qui geſta Senonenſium Archiepiſcoporum ſcripſit, ad an. DCCLXXIX.

Illo tempore florebat ALCVINVS alumnus & eruditor Karoli Magni. Philoſophus erat Anglicus genere. Ab ipſo Karolus Magnus omnes artes liberales didicit. Huic Alcuino Karolus commiſit Monaſterium ſancti Martini Turonenſium regendum. Nam Monachi illius loci malè & ſuperbè viuebant, & ideò omnes moriuntur vna nocte, excepto vno, qui Angelos viderat Monachos ferientes. *Et poſtea.* Anno Domini DCCCIV. obiit Alcuinus, qui Regem Karolum docuerat.

Guillelmus Nangius in Chronico.

Anno DCCCVI. Alcuinus Magiſter Karoli Magni, quem Eccleſiæ S. Martini Turonenſis præfecerat, obiit.

Guillelmus Durandus Mimatenſis Epiſcopus lib. VI. *Ration. diuin. Offic. cap.* CXIV.

Rurſum cum Attila Rex, qui Chriſtianos perſecutus eſt, verè omnia volumina Chriſtianæ Religionis deſtruxiſſet, ALCHVINVS Magiſter Caroli & Ludouici filij eius, rogatu Bonifacij Archiepiſcopi Maguntini multa de Eccleſiaſticis officiis ſcripſit. Vnde & Magunt. Concilio approbante, vt habetur de conſecr. diſt. quinta, inſtituit, quòd à feſto Paſchæ vſque ad Dominicam iſtam, tres tantum dicerentur Lectiones, & hac die de Trinitate cantari vſque ad Dominicam ſequentem, & tunc incipere, *Domine in miſericordia, &c.* Et compoſuit officium de Trinitate, videlicet Reſponſorium, Antiphonas, Miſſam, & ſequentiam, quæ omnia obtulit Alexandro Papæ. *Et lib.* VII. *cap.* XLII. Hiſtoriam ſancti Stephani compoſuit Alchuinus Caroli Magiſter, & Capellanus, nocturnales Antiphonas de Pſalmis, quibus atticulantur: accepit cetera de Actibus Apoſtolorum.

Magnum Chronicon Belgicum, ad annum DCCLXX.

Iſto tempore floruit ALBINVS, qui & Alcuinus, Caroli eruditor, genere Anglicus, clarus ingenio, in Philoſophia excellentiſſimus, non tantum in ſcientiâ, ſed & morum honeſtate præclarus: à quo Carolus didicit omnes artes liberales, qui & ſtudium de vrbe Roma tranſtulit Lutetiam, quod de Græcia illuc tranſlatum fuerat à Romanis. Non tamen ſic tranſtulit, vt ipſum ſtudium vrbi Romæ auferret, ſed modum & ſolennitatem, quæ in vrbe ſeruabatur, tranſlatis inde Pariſios Doctoribus & Magiſtris, inſtaurauit, & priuilegiis confirmauit. *Et paulò poſt.* Eidem Alcuino Carolus commiſit Mo-

naſterium S. Martini Turonenſe regendum. Nam Monachi prætéritæ religionis obliti adeò deflexerunt, vt ſericis induti veſtibus & deauratis calciamentis incederent, carnis oblectamenta ſequendo. Vndè Monachus in viſione duos Angelos dormitorium intrantes vidit, qui omnes Monachos (excepto illo ſolo, qui Angelos videbat) interimebant: qui ne interimeretur, ſed vt ad pœnitentiam agendam reſeruaretur, vix ab Angelis obtinuit. Iſtius Cœnobij poſt hoc factus fuit Abbas ALCVINVS in omni ſanctitate reformator, & poſt laudabilem vitam obiit, ſepultus apud ſanctum Petrum*. * Martinũ.

Chronicum Auguſtanum Eccleſiaſticum, Cap. x. de ſancto Vdalrico Epiſcopo.

Ad S. Galli Monaſterium traditus, eò quod ibidem à temporibus Caroli Magni ſacræ Theologiæ ſtudium pro ſancti Benedicti Monachis eſſet, & quilibet Abbas dabat pro ſuo Monacho certam ſummam Abbati Monaſterij. Claruerunt ibidem venerabilis Beda, & ALCVINVS, & alij præclariſſimi Doctores.

H. Mutius in Chronico Germanorum, lib. VIII.

Ipſe, nempe Carolus Rex, vſus eſt præceptoribus Petro Piſano in litteris Græcis, in Dialecticis & Rhetoricis, & aſtrorum ſcientia Mathematiciſque omnibus vſus eſt præceptore Britanno ALCVINO Diacono. Scribunt auctores, quod hic Alcuinus à Rege Angliæ Legatus miſſus ſit ad Carolum de magnis regnorum negotiis: & ſic alterum alteri cordi fuiſſe, vt manſerit Alcuinus apud Carolum.

Poëta Germanus.

Quid non ALCVINO *facunda* LVTETIA *debes?*
Inſtaurare bonas ibi qui feliciter artes,
Barbariémque procul ſolus depellere cœpit.

Franciſcus Petrarcha lib. V. *Epiſt. ſenil. Epiſt.* II.

De Carolo autem, qui Magni cognomen apud Gallos meruit, ALBINVS præceptor eius in ipſius Hiſtoria, cùm aliquot annis ante obitum crebris illum febribus corripi ſolitum dixiſſet, addidit: *Et tunc quidem*, inquit, *plura ſuo arbitratu, quàm Medicorum conſilio faciebat, quos penè exoſos habebat.*

Donatus Acciajolus in Vita Caroli Magni.

Præceptorem habuit ALBINVM, cui poſtea Alcuino cognomen fuit, eruditiſſimũ ſummúmque Philoſophum; à quo non ſolum ſtudium ſapientiæ, ſed etiam præcepta oratoria, artémque differendi accepit. Cuius opera tunc primum Parrhiſienſe gymnaſium à KAROLO inſtitutum tradunt: quod deinde à poſterioribus Regibus ſeruatum auctumque, eò dignitatis & gloriæ venit, vt nunc quoque celeberrimum per vniuerſum orbem eruditiſſimorum hominum domicilium habeatur.

Ioan. Trithemius Abbas Spanhemenſis, lib. de Scriptoribus Eccleſiaſt.

Alcuinus, ſiue Albinus, Monachus & Diaconus, Abbas Monaſterij S. Martini Turonenſis, natione Anglicus, S. Bedæ Presbyteri quondam auditor, vir in diuinis Scripturis eruditiſſimus, & in ſecularium literarum peritia nulli ſuo tempore ſecundus, carmine excellens & proſa, de Britannia ab Imperatore Carolo Magno euocatus, in tanta familiaritate apud eum habitus eſt, vt Imperatoris Magiſter delicioſus fuerit appellatus. Cuius magiſterio ipſe Imperator omnibus liberalium artium diſciplinis initiari ſatagebat. Scripſit multa præclara volumina, de quibus feruntur.

De ſancta Trinitate & fide	Lib. III.	*Domino glorioſo Carolo Imp.*	
Ad quæſtiones Fredigiſi	Lib. I.	*Deſiderantiſſimo filio.*	
Ad Eulaliam de ratione animæ	Lib. I.	*Cariſſimæ in Chriſti char.*	
Ad Guidonem Comitẽ de Virtutibus	Lib. I.	*Dilectiſſimo filio Guid.*	
Sententiarum	Lib. I.	In Geneſim	Lib. I.
In Cantica Canticorum	Lib. I.	In Eccleſiaſten	Lib. I.
In Euangelium Ioannis	Lib. VII.	In Epiſtolas Pauli	Lib. XIV.

In Apocalypſin Ioannis Lib. 1.
De adoptione filiorum Dei Lib. 1. *Venerabili, & in Chriſti.*
De Eccleſiaſticis dogmatibus Lib. 1. *Credimus vnum Deum.*
Speculum paruulorum Lib 1. *In Scriptura diuina.*
De nominum Dei proprietate Lib. 1. Ad diſcipulos dialogus Lib. 1.
Vita S. Vedaſti Epiſcopi Lib. 1. Enchiridion in quibuſdam Pſal. Lib. 1.
Epiſtolarum ad diuerſos Lib. 1. De Artibus liberalib. Lib. 1.

Alia quoque multa ſcripſiſſe dicitur, quæ tamen ad notitiam meam non venerunt. Claruit ſub Imperio Caroli Magni, anno Domini DCCLXX.

Idem Trithemius lib. II. de Viris illuſtribus Ordinis S. Benedicti, Cap. XXVI.

Alcuinus, ſiue Albinus, Abbas Cœnobij S. Martini extra ciuitatem Turonicam, de Britannia oriundus, & indè à Carolo Magno euocatus; apud quem tanta familiaritate acceptus fuit, vt Magiſter appellaretur eius delicioſus. Quo maximè docente Imperator ipſe omnes Artes, quas liberales vocant, didicit. Vir certè tam in diuinis Scripturis, quàm in ſecularibus literis, ſuo tempore omnium opinione doctiſſimus. Hic fuit diſcipulus quondam venerabilis Bedæ Presbyteri in Anglia: poſt cuius deceſſum, cum tribus ſociis Monachis venit in Galliam, & aliquandiu in Monaſterio Fuldenſi moratus, plures ex monachis clariſſimos enutriuit diſcipulos. Inter quos habuit præcipuos Haymonem poſtea Epiſcopum, Iſuardum Monachum, & Rhabanum Maurum tunc puerũ, qui in virum magnum poſtea excreuit. Tandem prouiſione Caroli Abbas S. Martini Turonenſis effectus, doctrina & ſanctitate clarus effulſit. Hic iuſſu Caroli ſtudium Pariſienſe à Roma tranſlatum primus inſtituit, vbi multos etiam ex Monachis diſcipulos inſignes educauit. Scripſit autem multa & varia opuſcula, de quibus iſta feruntur: In Geneſim lib. 1. Quæſtiones Geneſis lib. 1. In Cantica Canticorum lib. 1. Enchiridion in quibuſdam Pſal. lib. 1. In Eccleſiaſten. In Epiſtolam Pauli ad Hebræos lib. 1 In omnes Epiſtolas Pauli lib. XIV. In Euangelium Ioan. lib. VII. Ad Carolum Imperatorem de ſancta Trinitate & fide Catholica lib. III. Dialogus de ſancta Trinitate lib. 1. Sententiarum lib. 1. ad Eulaliam virginem de natura & immortalitate animæ lib. 1. Ad Guidonem Comitem de Virtutibus & Vitiis ſumma, lib. 1. Ad diſcipulos ſuos Dialogus, lib. 1. In Apocalypſin Ioannis lib. 1. De adoptione filiorum Dei lib. 1. De Benedictionibus Patriarcharum lib. 1. De Vita S. Vedaſti Epiſcopi lib. 1. Quæſtiones de ſancta Trinitate lib. 1. de Eccleſiaſticis dogmatibus lib. 1. Speculum quoque paruulorũ lib. 1. De proprietatibus nominum, quæ Deo attribuuntur in Scripturis, lib. 1. De Grammatica, de Logica, de Orthographia, de Muſica, de Aſtronomia, de Arte Poëtica, de Sparſione litterarum, de Metris, de Arithmetica & Geometria, de Rhetorica. Epiſtolarum ad diuerſos, quæ raro ſimul inueniuntur, lib. 1. Prognoſticon de futuro ſeculo, lib. 1. Edidit & alia multa, quæ ad notitiam meam non venerunt. Claruit ſub Carolo Magno, anno Domini DCCLXXX.

Ioannes Auentinus lib. IV. hiſtoriæ Boiorum.

Carolus artes liberales ſtudioſiſſimè coluit. Audiuit in eis ALBINVM Saxonem, Anglumque, virum optimum, eius tempeſtatis vndecunque doctiſſimum, quem ferè ſecum, vbi à bellis feriæ erant, in Aula magno honore detinuit. Habeo Rhetorica, Dialecticáque, quæ Albinus rogatu Caroli ſcripſit.

Auctor Chronici Chronicorum.

Alcuinus natione Gallus*, Caroli Magni, vt aiunt, Præceptor; Vir Græca Latináq; lingua egregiè doctus, necnon & Theologorum, Philoſophorúmq; ſui temporis Princeps, his temporibus eas ob res apud Carolum Magnum maximo in precio habitus eſt; cùm eum in Dialectica, Rhetorica, & Aſtronomia eruditum fecit. Qui & Bonifacij Archiepiſcopi Maguntini precibus, Orationes Miſſales, atque alia Eccleſiaſtica officia, Gothorum perturbatione deperdita, omnino refecit; atque eius rogatu Carolus Gymnaſiũ è Roma Pariſius tranſtulit. quod etiã ab Athenis eò loci tranſlatũ fuiſſe conſtat. Qui & Cœnobiũ S. Martini Turonis, donante Carolo, regendũ ſuſcepit, quoniam omnes Religioſi voluptuosè viuentes in eo Monaſterio nocte vna ab Angelo infeliciter perierunt. Hic cùm eruditus Theologus haberetur, Libros de Trinitate cũ quæſtionibus, Speculũ paruulorũ, de Eccleſiaſtico dogmate, de ratione Animæ, & plures alios libros ad Chriſtianam Religionem pertinentes edidit.

* Anglus.

Ioannes Maior lib. II. de Geſtis Scotorum, Cap. XIII.

Ad Achaium Scotorum Regem Karolus Magnus pro eruditis viris miſit, qui Ioannē Scotum, Clementem, & ALCVINVM ad Franciam mittit: qui Gallicas oras ingredie̅tes ſcientiam venalem quam profiterentur ſe habere dixerunt. Prima fronte mirandum eſt, quomodo in orbis angulo ante Vniuerſitatem omnem viri tanta ſcientia pollerent: ſed omnibus æqua lance trutinatis, ſtupendum minimè eſt. Plerique qui Britanniæ fines non egreſsi ſunt, vt Beda ait, Græcè Latinéque locuti ſunt. Magna Religioſorū cohors erat à fluctibus ſeculi, ſicut veris Religioſis decet, penitus ſemoti, qui orationi & lectioni ſolum incumbebant. Et licet nexibus Scolaſticis & Sorbonicis non abundarent, tamen in Scripturarum ſacrarum lectione eruditiſsimi erant: & hanc Scripturæ ſcientiā profeſsi ſunt, & in eam Commentarios non ſpernendos Beda & ALCVINVS ſcripſerunt.

Hector Boëthius lib. X. Hiſtoriæ Scotorum.

Guillermus cum Caroli legatis, Clemente, Ioanne, Rabano & ALCVINO (hos quatuor viros ex pio ac erudito Scotorum cœtu, qui cum Guillermo germano ſuo ad Carolum proficiſcerentur, delegerat Achaius) cum valida Scotorum manu in Galliam transmiſerunt. *Et paulò poſt.* Clemens, Ioannes, & Guillermus cum Carolo Rege, Rabano, ALCVINO in patriam redeuntibus, in Gallia permanſere.

Polydorus Vergilius lib. V. hiſtoriæ Anglicæ.

Carolus Magnus Albinum ſeu ALCHVINVM ab Offa Merciorum Rege in Galliam miſſum conciliandæ amicitiæ cauſa, cùm videret in homine plurimas eſſe literas, quamobrem meritò ei honor eſſet habendus, ex legato hoſpitem fecit ſuum, ex hoſpite præceptorem: vetus Athenienſium, credo, imitatus exemplum, qui Gorgiam à Leontinis publicè ad ſe miſſum, legationis munere defunctum, Athenis detinuerunt, eius capti eloquentiâ. Alchuinus itaque homo Anglus, in Gallia deinde moratus, Lutetiæ Pariſiorum bonas litteras profiteri cœpit, eóque auctore non multo poſt ipſe Carolus in ea vrbe primus gymnaſium collocauit, & in Italia Ticini, quæ nunc Papia nuncupatur, alterum. Fuit is annus ſalutis noſtræ circiter DCCXCII. cùm duos ferunt Monachos ex Hibernia, ſiue ex Scotia, vt quibuſdam placet, in Galliam delatos, ſe ſapientiam venalem habere, magna voce teſtantes, mercedis loco cibaria & veſtiaria duntaxat petiiſſe: & iſtorum alterum, qui Clemens nominabatur, à Carolo Lutetiæ retentum, eique ex omni ordine ciuitatis traditos iuuenes in diſciplinam: alterum verò in Italiam tranſiſſe, ac Ticini docuiſſe. Non nemo id aſsignat quatuor Bedæ diſcipulis, Rabano, Alchuino, Claudio, & Ioanni Scoto. Sed vtcumque res ſe habeat, ſatis liquet Anglos primos Lutetiæ bonas artes publicè docuiſſe; quandoquidem Alchuinus & Ioannes cognomento Scotus imprimis inter Anglos doctiſsimi fuerunt.

Albertus Crantzius lib. I. Metropol. cap. VI.

Alcuinus apud Regem Carolum vir primarius, cuius conſilio, præſertim in ſacris Rebus omnia gerebat, hic Regi primùm ſuggeſsit de Ludgero.

Henricus Pantaleo, de Viris Illuſtribus totius Germaniæ, Parte II. in Carolo Magno I. Imper. Germanorum.

Primo vſus Præceptore Petro Piſano ſene Diacono in Latinæ & Græcæ linguæ Grāmaticis. in reliquis verò artibus, vtpote Dialectica, Rhetorica, & Mathematica ipſum ALBINVM, qui Alcuini cognomen tulit. Is erat natione Anglus, atque quondam venerabilis Bedæ auditor, vir longè doctiſsimus. id quod etiamnum opuſcula ab eo conſcripta & edita teſtantur. Hunc autem legatum apud ſe exiſtentem, hoſpitem primò fecit, & ex hoſpite præceptorem, atque tandem abbatem S. Martini Turonenſis creauit. Cùm itaque ſub eo plurimum profeciſſet, eius conſilio vſus, duo celeberrima literarum Gymnaſia inſtituit, alterum in Occidentali Francia Pariſiis, alterum Papiæ in Italia; quæ liberaliter dotauit, atque viris doctiſsimis ornauit.

Georgius Lilius Britannus in Chronico, ſub an. DCCCII.

Alcuinus Præceptor Caroli Magni, & Ioannes Scotus Monachus, diſcipulus Bedæ, clarent.

Georgius Buchananus lib. V. *Rerum Scoticarum, in Rege Achaio.*

Deinde etiam à Carolo Magno, qui Galliam non minus litteris quàm armis illuſtrare cupiebat, accerſiti è Scotia qui Philoſophiam Lutetiæ Græcè & Latinè docerent. Apud Scotos enim adhuc multi erant Monachi, vetere diſciplina nondum extincta, literis & pietate inſignes. Quo è numero erat Ioannes cognomento Scotus, ſiue ALBINVS, quod idem valet (Scoti enim ſe Albinos ſua linguâ vocant) Caroli Præceptor, qui plurima ſui ingenij monumenta reliquit: è quibus nos Rhetorica præcepta vidimus cum inſcriptione IOANNIS ALBINI.

Ioannes Baleus Anglus, Centuria II. *Scriptorum Britanniæ.*

Flaccus Albinus, qui & Alcuinus Diaconus cognominabatur, Anglus natione, à nonnullis Scriptoribus Eboracenſis putatur, ab aliis verò Londino non procul oriundus fertur. Hic Bedæ primùm, Egberti Archiepiſcopi poſtea obſequentiſſimus olim diſcipulus, Theologorum ſuæ ætatis, imò omnium Anglorum ab initio, poſt Bedam & Aldhelmum longè eruditiſsimus credebatur, itaut eſſet Caroli Magni Præceptor, & Pariſiorum Academiæ inſtitutor primus. Gymnaſij Cantabrigienſis Annales habent, quòd omnes illic liberales artes publicè poſt Bedam docuerit, Latinè, Græcè, & Hebraicè peritus: & quòd tandem Eboraci ſub Egberto prælegerit, Philoſophorum ſui temporis anteſignanus. Ab Offa potentiſsimo Merciorum Rege ad Carolum prædictum, pro pacis fœdere confirmando, atque aliis regnorum negotiis miſſus: perſpecta eius eruditione penè incredibili, fit ex Legato hoſpes, & ex hoſpite demum Magiſter delicioſus: non aliter quàm apud Athenienſes fuerit olim Gorgias. Deinceps igitur illum inſtructorem præ aliis omnibus Carolus Cæſar habebat, in Rhetoricis, Dialecticis, Mathematicis, ac Theologicis, qui & ſimul computandi artem, atque ſyderum curſus varios ſub eo copioſè didicit. De quo Bebelius in quadam præfatione hoc ſcribit: *Albinus*, inquit, *Author vbique pius, vbique doctus, ſuccinctus, maturus, grauis, & ante multos alios præcipuè dignus, qui in manibus hominum habeatur, &c. nam & ſtylus eius ſimplex eſt & purus.* Abbas primum erat Cantuariæ in Auguſtini Monaſterio, atque demum Turoniæ in diui Martini Cœnobio, Caroli Cæſaris, cui tunc fuit ab Eleemoſynis & à ſanctis Conſiliis, dono. Gymnaſium ex Roma circiter annum ſalutis DCCXCI. Lutetiam Pariſiorum tranſtulit (quod & illuc Athenis perſimili priùs cura venerat) & coniectis primum ſtudij fundamentis per Ioannem & Claudium, mirificè illud lecturis colluſtrabat publicis. Huius viri celeberrimi ad poſteros hæc manarunt, tam piè quàm eloquenter elucubrata opuſcula.

De Trinitate & Fide	Lib. III.	*Dum dignitas Imperialis à Deo.*
Ad quæſtiones Fredigiſi	Lib. I.	*Placuit prudentiæ veſtræ, fili.*
Ad Eulaliam de ratione animæ	Lib. I.	*Sanctæ ſollicitudini veſtræ.*
De animæ vtilitate ad Guidonem	Lib. I.	*Memor petitionis tuæ, & pro.*
Speculum vitæ humanæ	Lib. VII.	*Reuerendiſſimo in Chriſto Patri.*
De octo partibus	Lib. I.	*Audiuimus te, doctiſſime.*
De Sanctuario diuino	Lib. I.	
Argumentum ſuæ fidei	Lib. I.	
Reſponſiones ad interrogata	Lib. I.	
De Incarnatione Chriſti	Lib. I.	*Denique ad veram beatitudinem.*
Ad Guidonem de Virtutibus	Lib. I.	*Dilectiſſimo filio Guid.*
Dialogorum inter ſe & Carolum	Lib. I.	*Natura enim ipſa ſumus.*
De Virtutibus ad Carolum	Lib. I.	*Benedictus Deus & Dominus.*
Categoriarum ad Carolum	Lib. I.	*Cùm omnis ſcientia diſciplina ſit.*
Sententiæ Scripturarum	Lib. I.	
Super Geneſim ad litteram	Lib. I.	
In Cantica Canticorum	Lib. I.	

In Eccleſiaſten	Lib. I.	*Dilectiſſimis in Chriſto filiis.*
De Eccleſiaſticis dogmatibus	Lib. I.	*Credimus vnum Deum eſſe.*
De adoptione filiorum Dei.	Lib. I.	*Venerabili & in Chriſti char.*
Quæſtiones in Geneſim	Lib. I.	*Dilectiſſimo in Chriſto Siguulfo.*
Manifeſtationem Trinitatis	Lib. I.	
Enchiridion Pſalmorum	Lib. I.	
In Euangelium Ioannis	Lib. VII.	
In Epiſtolas D. Pauli	Lib. XIV.	
Ad Caroli orationem	Lib. I.	*Dominus & magiſter noſter.*
Diſputationes cum Pipino	Lib. I.	*Quid eſt littera, ſi ad pri.*
Speculum paruulorum	Lib. I.	*In ſcriptura diuina legimus.*
De proprietate nominum Dei	Lib. I.	*Domino Deo rectori optimo.*
In Paulum ad Hebræos	Lib. I.	
In Apocalypſin Ioannis	Lib. I.	
Ad Anglorum Eccleſias	Lib. I.	
Correctiones diuinorum	Lib. I.	
Officia per ferias	Lib. I.	
De Rhetorica ad Carolum	Lib. I.	*Domino glorioſo Carolo Imper.*
Chronicorum ſuorum	Lib. I.	*Anno Dominicæ Incarn. 449.*
De ſeptem artibus liberalibus	Lib. I.	*Domino meo venerabili piiſſ.*
De vita & virtutibus Martini	Lib. I.	*Poſtquam Dominus noſter Ieſus.*
Vitam Vedaſti Atrebatenſis	Lib. I.	
Acta diſcipulorum Gregorij	Lib. I.	
De doctrina Baſilij	Lib. I.	
Ad Athelardum Cantuar.	Lib. I.	
Dialogorum ad diſcipulos	Lib. I.	
De proprietate ſermonum & rerum	Lib. I.	
Homelias 254. Doctorum	Lib. I.	*Deſideratiſſimo in Chriſti charit.*
De fide Catholica	Lib. I.	*Quoties occurrit animo.*
De Antichriſto ad Carolum	Lib. I.	*In primis illud præcipuè eſt.*
Vitam Villebrordi, Carmine	Lib. I.	
Epiſtolarum ad diuerſos	Lib. I.	
Geſta Caroli Magni	Lib. I.	
Sermones elegantes	Lib. I.	
Ad Giſlam & Richtrudam	Lib. I.	*Chariſſimis in Chriſti caritate.*
Commentarios in vtrumque Teſtam.	Lib. plures.	
De genealogia Chriſti	Lib. I.	
Contra venerationem imaginum	Lib. I.	
De Aſtronomia	Lib. I.	
De Dialectica	Lib. I.	
De Orthographia	Lib. I.	
De auriculari confeſſione	Lib. I.	
Precationes Miſſales	Lib. I.	
Dogmata quædam ad Carolum	Lib. I.	
Hiſtoriam Trinitatis	Lib. I.	
Didaſcalicon	Lib. I.	
De ſapientia	Lib. I.	
Carminum ad diuerſos	Lib. I.	

Orationem Dominicam, Symbolum Apoſtolorum, & Canticum Ambroſij, & Auguſtini carmine edidit, cum aliis adhuc multis.

Claruit anno reſtaurationis humanæ DCCLXXX. varia cōponens. Et tandem in Cormaricenſi Cœnobio, quod ad Turonenſe Monaſterium ſpectabat, eſſe deſiit in humanis, atque illic eſt ſepultus.

Conradus Licoſthenes in Epitome Bibliothecæ Conradi Geſneri.

Albinus Flaccus natione Anglus, Eboracenſis, ſcripſit de Trinitate & fide lib. III. ſententiam Scripturarum, Enchiridion Pſalmorum, ad Quæſtiones Fredigiſi lib. I. ad Eulaliam de ratione Animæ lib. I. ad Guidonem de viris * illuſtr. De virtutibus ad Carolum, in Cantica Canticorum, Eccleſiaſten, Euangelium Ioannis, in Epiſtolas Pauli, in Apocalypſ. Ioannis, Quæſtiones in Geneſim, quæ excuſæ ſunt Haganoæ, de Adoptione filiorum Dei lib. I. de Eccleſiaſticis dogmatibus ad Anglorum Eccleſiam lib. I. Officia per ferias lib. I. Correctiones diuinorum, Homelias Doctorum, ad Athelardum Cantuarienſem lib. I. Speculum paruulorum, De proprietate nominum Dei, Dialogos ad diſcipulos, Acta diſcipulorum Gregorij, Vedaſti Epiſcopi vitam, Rhetoricam ad Carolum, de Liberalibus artibus lib. I. De rebus geſtis Caroli Magni, Sermones elegantes, Commentarios plures, Epiſtolarum ad diuerſos lib. I. Fertur præceptor fuiſſe Caroli illius Magni. Floruit anno reſtaurationis humanæ DCCLXX. *Idem paulò poſt.*

*Virtutibus

Albuini Caroli Magni præceptoris Commentaria in Geneſim, & de miniſterio ſacrificij Miſſæ, aliorumque Eccleſiæ rituum explicatione ad Carolum Magnum, extant Viennæ Auſtriæ apud Vuolf. Lazium. *Et rurſus.*

Alcuinus ſiue Albinus Monachus & Diaconus, Abbas Monaſterij S. Martini Turonenſis, natione Anglicus, ſcripſit ad Guidonem Comitẽ de Virtutibus lib. I. Sententiarum lib. I. Enchiridion in quibuſdam Pſal. lib. I. de Artib. liberalib. lib. I. Homelias in Euangelia Dominicorum dierum, & feſtorum totius anni, vna cum multis aliis, quæ habentur impreſſa Baſileæ per Ioannem Frobenium 1515. & rurſus apud Ceruicornum Coloniæ 1539. adiectis aliquot homiliis poſtremò, & toto opere ad vetuſtiſſimos diuerſarum Bibliothecarum codices recognito. Eiuſdem Albini cum Carolo Magno Imperatore de Rhetorica & Virtutibus diſputatio per dialogiſmum à Menrado Molthero reſtituta, ibidem excuſa eodem anno. Extant etiam apud Vuolfgangum Lazium Alcuini ad Carolum Magnum duo Dialogi manuſcripti, quorum vnus Dialecticen, alter Philoſophiam comprehendit. Eius in Eccleſiaſten Commentaria Bebelius publicauit typis ſuis Baſileæ 1531. Floruit anno Domini DCCLXX.

Anthonius Poſſeuinus in Apparatu ſacro, Tomo I.

ALCVINVS, qui & Sigeberto Albinus, aliis autem cum prænomine Flaccus (vt notat Suffridus Petrus) ab aliis Leuita, & Anglus Eboracenſis, primo in Cœnobio S. Petri Londini, ac Bedæ Venerabilis diſcipulus, & Ordinis S. Benedicti, Congregationis Giribennæ Fuldenſis, deinde à Carolo Magno Rege in Galliam euocatus, vbi docuit Haymonem & Rabanum Monachos, qui deinceps fuere Epiſcopi, atque Vſuardum itidem Monachum, viros celebres, operâ ipſius Caroli Abbas Cœnobij S. Martini apud Turonenſes, doctrinæ & ſanctitatis vberrima reliquit hæc non infœcunda ſemina:

Interpolatæ expoſitionis ex Patrum ſententiis in Geneſim breuem Commentarium forma Dialogiſtica, qui prodiit Pariſiis in Tomo VII. Bibliothecæ ſanctorũ Patrũ Bignęi.

In quindecim Cantica graduum, id eſt à Pſalmo 119. vſq; ad 133. morales Notationes.
In Pſalmum 118. & in ſeptem Pſal. Pœnitentiales.
In Canticum Canticorum, lib. 5.
In Eccleſiaſten, lib. I.
In Ioannem Euangeliſtam, lib. 7.
In omnes Pauli Epiſtolas, lib. 14.
In Apocalypſim, lib. I.
Ad quæſtiones Fridegiſi, lib. I.
Ad Guidonem de Virtutibus & Vitiis librum.
Confeſſionem fidei, ſiue doctrinam de Deo, lib. I.
De ſancta Trinitate, lib. 3.
De adoptione filiorum Dei.
De Eccleſiaſticis dogmatibus librum.
Speculum paruulorum, lib. I.
Quæſtionum in Geneſim, lib. I.
De nominum Dei proprietate, lib. I.
Dialogorum ad diſcipulos librum.

De vita S. Vedaſti Epiſcopi lib. 1. Vide Tom. 1. Surij menſe Febr.
De vita S. Richarij Abbatis, lib. 1. Tom. 2. Surij 26. Aprilis.
De vita S. VVilbrordi Epiſcopi, metro & proſa lib. 2. proſam autem adfert Surius Tomo 6. die 7. Nouembr. Metricum autem alicubi extare M S. audiui.
De ſeptem artibus liberalib. librum.
Enchiridion in quoſdam Pſalmos, lib. 1.
De benedictionibus Patriarcharum lib. 1.
Sententiarum, lib. 1.
Ad Eulaliam virginem de natura & Immortalitate animæ, lib. 1.
Prognoſticon de futuro ſeculo, lib. 1.
Epiſtolarum ad diuerſos lib. 1.
Rhetoricæ autem ac Dialecticæ eius Inſtitutiones, Politicæ quoque cum ſcholiis Matthei Galeni excuſæ ſunt Duaci anno 1564.
Quinetiam tum hæc, tum reliqua penè omnia edita ſunt Pariſiis, atque Coloniæ Agrippinæ.

Porro Alcuinus in ordinem redegit, Carolo Magno iubente, Patrum Homilias in Euangelia, quæ per annum publicè in templis leguntur: videlicet Auguſtini 48. Hieronymi 6. Ambroſij 10. Hilarij 1. Fulgentij 2. Origenis 4. Maximini 17. Chryſoſtomi 12. Seueriani 1. Leonis 21. Gregorij 36. Bedæ 48. & Iſidori 1. Reliquæ verò, quæ nunc eius Homiliario leguntur, adiectæ ſunt à Laurentio Surio Carthuſiano. Excuſum autem eſt hoc Homiliarium Coloniæ apud Maternum Cholinum anno 1517. & anno 1539. ibidem. Item 1569. & Pariſiis anno 1535. Ceterum S. Bonifacio Archiepiſcopo Moguntino vrgente, Miſſas votiuas per hebdomadam decantandas compoſuit, ſicque compoſitas vnicuique feriæ ſuam attribuit. Quarum prima fuit, quæ hodiéque ab Eccleſia recitatur, cuius initium eſt, *Benedicta ſit ſancta Trinitas, atque indiuiſa Vnitas.* Quæ cauſa fuit, cur de eadem ſanctiſſima Trinitate & fide Catholica tres Libros doctiſſimos conſcripſerit, qui eius Homiliario adtexti ſunt: è quibus integrum deinceps nocturnum ac diurnum Officium Eccleſiaſticum illius diei collectum, ſancta Romana comprobauit Eccleſia: & ab eadem, vt in ſollennitate ſanctiſſimæ Trinitatis perpetuo vſui eſſet. Quod & in reliquis feriis factum eſt: nimirum, vt Miſſæ celebrarentur, nempe feria 4. de Caritate, feria 5. de Angelis, feria 6. de Cruce, ſabbatho de beatiſſima Virgine. Quamuis deinceps inſtitutum ſit vt feria prima, id eſt, Dominica, proprio Miſſæ officio Eccleſia vteretur. At ea, quæ ſanctiſſimæ Trinitatis feſti eſſet propria, eadem die celebraretur: quæ dies non multo poſt à Ludouico Pio Imper. (concedente Romano Pontifice Gregorio IIII.) Alcuini exemplo inſtituta eſt; ſecundâ verò feria diceretur de Angelis, tertiâ pro Peccatis, quartâ pro Pace, quinta pro Tribulatione, ſexta & Sabbatho, vt ſuprà. Et hæc quidem è Guilielmo Durando in Rationali diuinorum Officiorum. Veruntamen Iacobus Pamelius, ad tertium, qui eſt eiuſdem Alcuini, Sacramentorum Librum, qui excuſus eſt Coloniæ cum Antiphonario S. Gregorij anno 1571. aliter has Miſſas diſtribuit. Sed & aliæ vndecim Miſſæ ab Alcuino, quas Eccleſia comprobauit, cernuntur ibidem.

Claruit Tritemio anno Domini 770. qui non Sacerdos, ſed Diaconus tantum, Turonis in Domino obdormiuit; die XIIII. Kal. Iunij.

Quod autem in Chronico Canonicorum Regularium Alcuinus dicatur Gallus, & Præceptor Caroli Magni, inde fieri potuit, quòd in Gallia diu vixerit, quod eum de multis docuerit, quódque Pariſienſis Academiæ fuerit auctor, ſiue director. Porro in ſecunda editione Bibl. SS. PP. Bignæi habentur ſub nomine Albini Flacci Alcuini Turonenſis Abbatis ad Siguulphum Presbyterum in Geneſim quæſtiones, in Eccleſiaſten ad Oniam Sacerdotem, & ad candidum Presbyterum, atque Nathanaelem Diaconum Cõmentaria: ad Oduinum Presbyterum de Baptiſmi cerimoniis Epiſtola: de ratione Septuageſimæ, Sexageſimæ, & Quinquageſimæ, ad Carolum Magnum Galliarum Imperatorem Epiſtola, de diuinis Officiis Liber: ad Eulaliam virginem, de animæ ratione, Epiſtola: de Virtutibus, ad Guidonem Comitem: de octo vitiis principalibus Liber: de S. Trinitate ad Fredericum* quæſtiones 28. de fide ſanctæ Trinitatis libri 3. ad Carolum Magnum ſcripti, & miſſi anno Domini 770. His autem adtexitur Caroli Magni Galliarum Imperatoris ad Alcuinum Abbatem de ratione Sexageſimæ, Epiſtola.

*Fredegiſũ

Alcuinus, ſiue Flaccus Alcuinus, præter illa, quorum meminimus, plures Adriano Pontifici maximo, Regi Edilredo, Ducibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Monachis, & aliis Epiſtolas ſcripſit, quæ denique prodierunt operâ Henrici Caniſij V. C. in primo

Tomo antiquæ Lectionis, Ingolſtadij an. 1601. Cæterum anno 1604. recuſus eſt hac prænotatione, *Theſaurus Homiliarum, ſeu Concionum ab Alcuino Flacco iuſſu Caroli Magni primum erutus, tandem verò religioſiſſ. Fr. Laur. Surij operâ in totius anni Epiſtolas Concionibus auctus & repurgatus, Coloniæ apud Cholinum.* Sed & Epiſtola Alcuini, de Confeſſione peccatorum, ad pueros ſancti Martini, extat M S. in Bibliotheca S. Galli in Heluetia: quæ tamen ab Henrico Caniſio edita eſt in Tomo 5. antiquæ Lectionis, ſicuti & ipſius Alcuini Dialectica & Grammatica.

ADDITIO.

In Ecloga Oxonio-Cantabrigienſi, ſeu Catalogo Manuſcriptorũ Angliæ, repeẽiuntur etiam, ac tribuuntur Alchvvino libri ſequentes: videlicet, Speculum humanæ vitæ, ſiue de vera ſimplicitate, Exempl. 1. Cantabr. in Bibl. Petr. vol. 97. Compendium ſuper Cantica, Exempl. 1. in Bibl. L. vol. 51. Ad Imperatorem Carolum, ex dictis & Canonibus veterum, Exempl. 1. Cantabr. in Bibl. Ben. vol. 226. De veritate & Chriſti Incarnatione, Exempl. 2. Cant. in Bibl. Penb. vol. 198. & Priuat. in Bibl. L. vol. 157.

ELENCHVS EORVM QVAE IN HOC VOLVMINE CONTINENTVR.

In I. Parte Oper. Alchvvini.

PRÆFATIO *ad Alchuuinum.*

Vita B. Alchuuini Abbatis, ex vetuſto Codice ſanctæ Mariæ Remenſis deſcripta, publicáque facta beneficio V. eruditiſſ. Iacobi Sirmundi.

Epitaphia Alchuuini, ex Tom. VI. *Antiq. Lect. Henrici Caniſ. & lib.* I. *Antiq. Fuldenſ. Brovveri.*

Teſtimonia veterum ac recentiorum de Alchuuino & eius ſcriptis.

Interrogationes & Reſponſiones in Librum Geneſeos, hactenus editæ ſub titulo Quæſtionum in Geneſim; nunc verò collatione duorum Codd. M S S. ex Bibliothecis V. Illuſtriſſ. Iac. Aug. Thuani, & Cll. VV. Puteanorum fratrum, emendatæ, ac variis in locis auctæ. *pag.* 1.

Dicta ſuper illud Geneſeos, Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram, *ex MS. Codice I. Sirm.* 54.

Enchiridion, ſeu Expoſitio pia ac breuis in ſeptem Pſalmos Pœnitentiales. Ex Cod. excuſo Pariſ. an. MDXLVIII. *per Nicolaum Diuitem.* 57.

Expoſitio in Pſalmum CXVIII. *Ex eodem Codice.* 81.

Expoſitio in Pſalmos Graduales. Ex eodem Cod. 103.

De Pſalmorum vſu Liber, cum variis precandi formulis, ad res quotidianas accommodatis. Iuxta Duacenſem editionem an. MDLXXI. 123.

Officia per Ferias, ſeu Pſalmi ſecundum dies Hebdomadæ ſingulos, quibus in Eccleſia cantantur, diſpoſiti. Cum Orationibus, Hymnis, Confeſſionibus & Letaniis. Ex Bibliotheca V. ampliſſ. Iac. Aug. Thuani 177.

Epiſtola de illo Cantici Canticorum loco, Sexaginta ſunt Reginæ, & octoginta Concubinæ. *Ex Tomo* VI. *Antiq. Lectionum Caniſij.* 305.

Commentaria ſuper Eccleſiaſten. Ex edit. Bebeliana an. MDXXXI. 309

Commentariorum in S. Ioannis Euangelium Libri VII. *excuſi primùm Argentorati an.* MDXXVII. *Nunc verò caſtigatiores, & pleriſque in locis auctiores facti, ex antiquo MS. Bibliothecæ V. nobiliſſ. Iac. Aug. Thuani.* 371.

Epigrammata de recognitione ac emendatione totius diuinæ Scripturæ ab Alchuuino facta. Ex Tom. IX. *Annal. Cardinalis Baronij.* 685.

IN II. PARTE.

DE *fide ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis Libri* III. *ad glorioſiſſimum Imperatorem Carolum Magnum, Deóque deuotum. Ope veterum ac recentiorum exemplarium correcti: copioſioréſque inuocatione ad S. Trinitatem, & Symbolo fidei, iuxta Colonienſ. edit. an.* MDXCVIII. 701.
De Trinitate ad Fredegiſum Quæſtiones XXVIII. *antehac nomine Confeſſionis, ſiue Doctrinæ de Deo, in Orthodoxographia Patrum Tom.* III. *inſcriptæ.* 759.
Quid ſit inter æternum, & ſempiternum, & immortale, & perpetuum: & ſeculum, & æuum, & tempus, Epiſtola. Ex Bibl. SS. Patrum Bignæi. 765.
De animæ ratione Liber, ad Eulaliam virginẽ. Ex editione Colon. an. MDXCVIII. 769.
Contra Felicem Vrgelitanum Epiſcopum, Libri VII. *Hactenus ſub nomine Paulini Aquileienſis Epiſcopi vulgati in Bibl. SS. Patrũ. Illorum enim auctorem eſſe Alchuuinum, patet ex Lib.* I. *aduerſus Elipantum Tolet. Epiſcopum, pag.* 939. 781.
Epiſtola Albini ad Elipantum Tolet. Epiſc. cohortatoria in Catholica fide. Ex MS. Cod. Eccleſiæ S. Mariæ Remenſis, cuius copiam fecit V. doctiſſ. Iacobus Sirmundus. 901.
Epiſtola Elipanti ad Albinum, reſponſiones continens prioris Epiſtolæ, ex eod. Cod. 910.
Libelli duo Alchuuini contra Epiſtolam ſibi ab Elipanto directam: quibus euacuat prauas illius aſſertiones. Ex eod. Cod. 925.
De Incarnatione Chriſti, & de duabus in eo naturis, ac de vnitate vnius perſonæ Libri II. *Ex eod. Cod.* 960.
Epiſtola Elipanti ad Felicem nuper conuerſum. Ex *eod. Cod.* 995.
Confeſſio fidei Felicis Orgelitanæ Sedis Epiſcopi. Ex *eod. Cod.* 998.
Epiſtola ad filiam in Chriſto cariſſimam. Ex *eod. Cod.* 1004.
De diuinis Officiis Liber, ad veteris Cod. MS. fidem recognitus, ac XII. *Capitulis integris auctus.* 1007.
De ratione Septuageſimæ, Sexageſimæ, & Quinquageſimæ Epiſtola. Ex *Bibl. SS. Patrum.* 1141.
Caroli glorioſiſſimi Regis de eadem re ad Albinum Epiſtola. Ex *ead. Bibl.* 1147.
De Baptiſmi Ceremoniis ad Oduinum Presbyterum, Epiſtola. Ex *ead Bibl.* 1149
De iiſdem Ceremoniis, alia Epiſtola. Ex *Tom.* VI. Antiq. *Lect. Caniſ.* 1151.
De confeſſione Peccatorum ad pueros S. Martini Epiſtola. Ex *Tom.* V. Antiq. *Lect. eiuſdem Caniſij.* 1161.
Sacramentorum Liber. Ex *Tom.* II. *Liturg. Iac. Pamelij.* 1167.
Homiliæ III. *De Silentio, in quo miſſum eſt incarnatum Verbum. In Natiuitate B. Mariæ Virginis. In feſto omnium Sanctorum.* Ex *Homiliario, ſeu Concionibus Patrum.* 1205.
Vita Antichriſti, *ad Carolum Magnum.* Ex *Bibliotheca V. illuſtriſſ. Iac.* Aug. *Thuani.* 1209.
De Virtutibus & Vitiis ad VVidonem Comitem Liber, antehac in duos diuiſus: ſed nunc tandem ope MS. Codicis eiuſd. D. Thuani reſtitutus, emendatus, ac variis in locis auctus. 1215.
De ſeptem Artibus *Liber, incompletus.* Ex *veteri Cod. Iac. Sirmundi.* 1245.
Grammatica. Ex *Tom.* V. Antiq. *Lect. Caniſij, & Libro cui Titulus, Grammatici ve-*

õ ij

teres. 1255.
De Rhetorica, & de Virtutibus Dialogus; præter collationem editorum exemplarium ann. MDXXXIX. MDLXIV. *&* MDXCIX. *ad ſidem etiam Codicis MS. correctus & emendatus, necnon Verſibus aliquot auctus.* 1519.
Dialectica, Interlocutoribus Carolo Magno & Alchuuino. Ex *edit. Duac. an.* MDLXIV. *& Caniſij Tom.* V. *Antiq. Lect. an.* MDCIV. 1555.
Diſputatio Regalis & nobiliſſimi Iuuenis Pippini cum Albino Scholaſtico. Iuxta exemplar impreſſum Hamburgi an. MDCXV. 1385.

IN III. PARTE.

SCRIPTVM *de vita S. Martini Epiſcopi Turon. In quo mirificè virtutes commentatus ipſius eſt breuiter.* Ex *editione Pariſienſ. an.* MDCX. *& duobus Codd. MMS.* 1397.
De tranſitu S. Martini Sermo. Ex MS. Cod. Cll. VV. Puteanorum fratrum. 1402.
Vita S. Vedaſti Epiſcopi Atrebatenſis. Ex Laurentio Surio Tom. I. *Sanctorum.* 1403.
Vita beatiſſimi Richarij Presbyteri. Ex eodem Surio Tom. II. 1419.
De vita S. VVillibrordi Traiectenſis Epiſcopi Libri II. *Prior proſaico ſermone gradiens ex eod. Surio Tom.* VI. *Alter Pierio pede currens, cum Homelia, & Elegiaco Carmine, ex Tom.* VI. *Antiq. Lect. Caniſij.* 1431.
Epiſtolæ CXV. *è quibus* LXVII. *antehac editæ ſtudio & operâ Caniſij Tom.* I. *Antiq. Lect. iam longè auctiores ac emendatiores: ceteræ verò per aſteriſcum deſignatæ nunc primùm prodeunt ex vetuſtiſſ. Cod. MS. V. Cl. Pauli Petauij, bonæ memoriæ, Senatoris Pariſienſis.* 1461.
Poëmata, & Verſus de pluribus Sanctis. Ex antiquo Cod. Bibliothecæ S. Bertini, quo frui licuit ope ac beneficio V. D. Iacobi Sirmundi. 1673.
De Carolo Magno, & Leonis Papæ ad eum aduentu Carmen. Ex Tom. VI. *Antiq. Lect. Caniſij.* 1747.
Alij Verſus. Ex variis locis collecti. 1755.

ADIECTA.

B. PAVLINI *Aquileienſis Patriarchæ, contra Felicem Vrgelitanum Epiſcopum Libri* III. *Ex Bibliotheca VV. Ornatiſſ. Puteanorum fratrum, Claudij V. Cl. Senatoris Pariſienſis filiorum, nunc primùm euulgati.* 1765.
Eiuſdem Paulini Libellus ſacroſyllabus, aduerſus Elipantum Tolet. Epiſcopum. Ex Tom. III. *Concil. general. & Bibl. SS. Patrum.* 1873.
Index rerum & verborum locupletiſſimus.

NOMINA

EORVM, AD QVOS ALCHVVINVS EPISTOLAS SCRIPSIT.

ADRIANVS Papa, 1580.d
Ædilbertus Epiſcopus, 1546.a
Ædilhardus Archiepiſcopus Doro-enſis ciuitatis, 1532.d.1576.d
Ædilredus Rex Nordanhumbrorum, 1537.c 1554.b.
Ædilthydis famula Dei, olim Regina, 1541.c
Æricus dux, 1621.d
Aginus Epiſcopus, 1583.d.e
Albinus Abbas, 910.d.1147.
Amicus fidelis, 1560.e.1666.c
Amici, 1556.d.1569.b
Angelbertus primicerius Palatij Pippini Regis, 1556.a.
Antonius, 1652.d
Aquila Antiſtes, 1584.b.1641.b
Benedictus Abbas in Gothia. 925
Benedictus puer, 1572.b
Beornradus Archiepiſcopus, 1431
Beornuinus Presbyter, 1571.c
Calwinus Presbyter, 1633.a
Candidus Presbyter, 309
Carolus Magnus Rex, 1141.1147.1151.e.1487.b 1495.c. vide in verbo, Dauid.
Ceoluulfus Epiſcopus, 1576.d
Columba, 589.
Damœtas, vide in Flauio, & Riculfo,
Daphin, 305.c
Diſcipulus quidam, 1550.e
Dauid Rex, id eſt, Carolus, 1461.c.1465.c.1472 c. 1476.d. 1480.c.1490.b.1499.c.1502.a 1504.a.1506.a.1508.b.1510.c.1512.a.1513.b 1514.b. 1515.a.1516.d.1517.c.1519.a.1522.a 1524.c.1618.b. vide etiam in verbo Carolus.
Eada Presbyter, 1552.d
Eboracenſes fratres, 1567.b.1616.c.1627.a
Ecgfridus Rex Merciorum, 1562.a
Elipantus Toletanus Epiſcopus, 901
Ermegildus Presbyter Orgelitanus, 998.b
Ethelardus Archiepiſcopus, 1671.a.c
Eugenia, 1557.a.1631.d
Eulalia virgo, 769.d
Exuperius Presbyter Orgelitanus, 998.b
Felix Epiſcopus, 1602.b
Felix Vrgel. Epiſcopus nuper conuerſus, 995.a
Filia in Chriſto cariſſima, 1004.b.c
Filius prodigus, 1638.c
Filius cariſſimus, 1665.c
Flauius Damœta, 1586.a.1620.d
Flauius Homerus, 1529.d.1511.b.1619.e
Fredegiſus, 759
Giſla, 373.377.589
Gothiæ fratres, 1594.b.1629.a
Gundefredus Presbyter Orgelitanus, 998.b
Gyruenſes fratres, 1563.a
Hechſtanus Presbyter cognomento Altapetra, 1558.a
Hincbaldus Epiſcopus Lindisfarnenſis, 1672.d
Hundruda femina, 1617.b
Ildeſindus Presbyter Orgelitanus, 998.b
Ioſeppus, 1585.b
Itherius, 1601.d
Iuuauenſis Eccleſiæ fratres, 1603.d
Karolus Imperator, 1649.d. vide in verbis, Carolus, & Dauid.
Laidradus Epiſcopus Lugdunenſis, 925
Leo Papa, 1593.a.1612.a
Liobradus, 1614.e
S. Liudgarij fratres, 1582.b
Lugdunenſes fratres, 1587.a
Macharius Treuer. Epiſcopus: vide in Rigbodo.
Magenharius Comes Senonenſis, 1549.d
S. Martini pueri, 1161.b. fratres, 1544.a
Mater & filia, 1547.c
Megenfridus Regalis Palatij Archarius, 1646.a
Monna Presbyter, & frater eius, 1559.c
Moroaldus Abbas, 1607.a
Nathanael Diaconus, 309
Nefridius Epiſcopus Narbonenſis, 925
Nicephorus Imperator Conſtantinopolitanus, 1661.a.
Oduinus Presbyter, 1149.d
Offanus merciorũ qui & Offa Rex, 1553.d.1614.a
Onias ſacerdos, 309.a
Osbaldus patritius Nordanhumbrorum, 1537.c
Osbertus Dux Nordanhumbrorum, 1537.c
Paulinus Patriarcha, 1577.c. d.1600.d.1607 d.1622.c.1662.e.1664.c.
Petrus Archiepiſcopus, 1574.c
Pippinus nobiliſſimus, 1618.e
Quidam, 1569.d.1570.c.1577.c.1603.a.1615 d.1623.d.1637.a.
Rado Abbas S. Vedaſti, 1403
Remedius Epiſcopus, 1573.c
Remigius Epiſcopus, 1601.b
Richtruda ſeu Richtruda, 373.377
Riculfus Archiepiſcopus Magenſ. cognomento Damœtas, 1555 c
Rigbodus cognomento Macharius Epiſcopus Treuer. 1548.b.1555.a
Sidonius Presbyter Orgelitanus, 998.b
Siguulfus Presbyter, 1.2
Soror cariſſima, 1572.c.1575.e
Speratus Epiſcopus, 1653.d
Theophilus, 1610.a
Vittildus Diaconus Orgelitanus, 998.b
Vſualdus, 1606.a
Wido Comes, 1217
Wirenſes fratres, 1563.a
Vuitiricus Clericus Orgelitanus, 998.b

SVMMA PRIVILEGII.

LVDOVICI XIII. Franciæ & Nauarræ Regis Chriſtianiſſimi Diplomate cautum eſt, ne quis in ſuo Regno, aliiſve locis ditioni ſuæ ſubiectis, intra proximos annos decē à die impreſſionis perfectæ prima inchoandos, excudat, vendat, excudendum vendendúmq; quouiſmodo ac ratione curet Librum, qui inſcribitur, *Beati Flacci Albini ſeu Alchuuini, Præceptoris Karoli Magni Fr. Regis ac Imperatoris, Opera quæ reperiri potuerunt, nonnulla auctiùs ac emendatiùs, pleráque nunc primùm ex Codd. MMS. edita, Cum Paulini Aquileienſis Patriarchæ Libris III. aduerſus Felicem Vrgelitanum Epiſcopum. Omnia ſtudio & diligentia Andreæ Quercetani Turonenſis*, præter Sebaſtianum Cramoiſy Bibliopolam Iuratum in alma Vniuerſitate Pariſienſi, aut illos quibus ipſe conceſſerit, ſub pœnis originali Diplomate contra delinquentes expreſſis. Lutetiæ Pariſiorum VI. Iulij, MDCXVI.

De Mandato Regis, THIBAVLT.

BEATI PATRIS ALBINI FLACCI
ALCHVVINI,
KAROLI MAGNI
MAGISTRI,

Operum Pars prima:

CONTINENS EA, QVÆ SVPER DIVERSOS SACRÆ SCRIPTVRÆ LIBROS PIE AC DOCTE commentatus eſt.

ELENCHVS LIBRORVM, SEV TRACTATVVM, *in hac prima Parte comprehenſorum.*

Qui nunc primùm ex MMS. Codd. publicantur, aſteriſco : caſtigati verò & aucti, crucicula deſignati ſunt.

† INTERROGATIONES *& Reſponſiones in Librum Geneſeos.* 1. 2.

* *Dicta ſuper illud Geneſ.* Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram. 54.

Expoſitio pia ac breuis in VII. *Pſalmos pœnitentiales.* 57.

Expoſitio in Pſalmum CXVIII. 81.

Expoſitio in Pſalmos Graduales. 103.

De Pſalmorum vſu Liber. 123.

* *Officia per Ferias.* 177.

Epiſtola de illo Cantici Canticorum loco, Sexaginta ſunt Reginæ, & octoginta Concubinæ. 269.

Commentaria ſuper Eccleſiaſten. 309.

† *Commentariorum in Ioannis Euangelium libri* VII. 373.

Epigrammata, de correctione Bibliorum ab Alchuuino facta. 685.

MAG. ALBINI FLACCI

ALCHVVINI

PRAECEPTORIS CAROLI

MAGNI REGIS ET IMPERATORIS, AC

S. Martini Turonorum Abbatis,

INTERROGATIONES ET RESPONSIONES IN LIBRVM GENESEOS,

Nunc primum collatione MSS. Codd. auctiores & emendatiores editæ.

PRÆFATIO.

Dilectiſſimo in Chriſto fratri Siguulfo Presbytero, Alchuuinus ſalutem.

QVIA indiuiduus & fidelis mihi, chariſſime frater, ſocius tanto tempore fuiſti; & quia te ſacræ lectionis ſtudioſiſſimum eſſe noui, paucas Interrogationes de Libro Geneſeos, quas, vt recordor, per vices à me exquiſiſti, pariter congregatas tuo nomini dicaui; vt haberes vnde tuam poſſes memoriam recreare; quæ ſæpe perdit quod ſeruare debet, niſi in theſauro literarum reconditum teneat: maximè nobis, qui ſeculi occupationibus diſtrahimur, & diuerſis itinerum moleſtiis fatigamur. Et quod pondera librorum nobiſcum portari nequeunt, ideò aliquoties breuitati ſtudendum eſt, vt ſit leui pondere precioſa ſapientiæ margarita; & habeat feſſus ex itinere viator quo ſe recreet. licèt ex pondere portantis manus non grauetur. Sunt in eodem Libro difficillimæ Quæſtiones plurimæ, quas ad præſens tangere non libuit, vel etiam non licuit, vel quòd de illis me non interrogaſti. Hæ etiam maximè hiſtoricæ ſunt, & ſimplici reſponſione contentæ: illæ verò maioris inquiſitionis, longioriſque tractatus indigent. His tantùm, dilectiſſime frater, eſto contentus: & ſi quid in eis perperam dixerim, tu frater nos corrigere ſtudeas: ſi quid verò benè, non mihi, ſed Largitori gratias age; qui & te proficere, & me tibi ſufficere ex donis ſuis faciat, ſine quo nihil poſſumus, in quo omnia poſſibilia ſunt credenti. Qui creditam ſuæ nobis pecuniæ largitionem, in laudem nos & gloriam ſui nominis multiplicare faciat.

INTERROGATIO I.

QVOMODO conuenit quod in Geneſi legitur, *Requieuit Deus die ſeptimo ab omnibus operibus ſuis:* Et in Euāgelio, *Pater meus vſq; modo operatur, & ego operor?* RESPONSIO. Requieuit nouarum conditione & creatione creaturarum; non à conditarum gubernatione. Et ideò, Deus creator in ſex dierum creatione putandus eſt, nunc verò gubernator in totius mundi creaturis.

INTER. II. Quot creaturas rationales condidit Deus? RESP. Duas; Angelos, & homines: & cœlum Angelis, & terram hominibus habitationem.

INTER. III. Quare Angelicum peccatum ſilentio in Geneſi abſconditum eſt, &

hominis patefactum? Resp. Quia Angelicum vulnus Deus non prædeſtinauit curare, hominis verò ſanare prædeſtinauit.

Inter. iv. Cur ſummi Angeli peccatum inſanabile fuit, & hominis ſanabile? Resp. Angelus ſui ſceleris inuentor fuit, homo verò alterius fraude ſeductus. Item, quantò ſublimior Angelus in gloria, tantò maior in ruina: homo verò quantò fragilior in natura, tantò facilior ad veniam.

Inter. v. Cur homo ſuæ poteſtatis auctor eſt creatus? Resp. Vt ſibi ipſe auctor eſſet ad vitam ſiue ad mortem. Si verò neceſſitate eſſet ſubiectus, tũc nec boni operis haberet gloriam, nec mali pœnam: ſed eſſet quaſi vnus ex pecoribus.

Inter. vi. Cur in Paradiſo lignum vitæ, & lignum ſcientiæ boni & mali creatum eſt? Resp. Vt per illud potuiſſet homo immortalis eſſe, per hoc verò mortalis, ligno vitæ quaſi medicina, vt incorruptibilis eſſet, vtebatur: ligno autem ſcientiæ boni & mali quaſi vt veneno, vt moreretur.

Inter. vii. Quare Adam mundi Dominus legem accepit? Resp. Vt non tanto extolleretur dominio, ſed in obſeruatione mandati ſciret ſe ſubiectum eſſe Creatori ſuo.

Geneſ. 2. 7. Inter. viii. Quid eſt, quòd Deus inſpirauit in faciem Adæ ſpiraculum vitæ? Resp. Inſpiratio Dei faciem hominis traditio eſt animæ rationalis.

Inter. ix. Cur homo ſexto die creatus eſt; cùm propter rationem nobilior ceteris eſſet creaturis, quæ ante ſe factæ ſunt? Resp. Vt primùm, Creator Mundum quaſi domum præpararet, & poſt introduceret habitatorem, id eſt dominum domus.

Gen. 3. 17. Inter. x. Quare Creator in Adæ maledicto terræ maledixit, & non aquis? Resp. Quia de terræ fructu contra interdictũ mãducauit homo, non de aquis bibit: &, quòd prædeſtinauit Deus in aquis abluere peccatum, quod de fructu terræ contraxit homo.

Inter. xi. Quare terreſtria animalia plus maledictionis habent, quàm aquatilia? Resp. Quia plus de maledicta terra viuũt, quàm aquatilia: & ideò Chriſtus poſt reſurrectionem de piſce manducare voluit, non de aliquo animali terreſtri. Luc. 24. 43.

Inter. xii. Quare ipſe Creator hominis peccatum per ſeipſum expiare voluit, & non per Angelum? Resp. Quia non ſufficiebat vnius Angeli meritum ad redemptionem totius generis humani; nec tantum ſceleris incurriſſet diabolus in nece Angeli, quantum incurrit in nece Creatoris.

A Inter. xiii. Cur diabolus tam infeſtus eſt hominum ſaluti? Resp. Propter odium in Creatorem, & inuidiam in hominem, & deſperationem ſuæ ſalutis.

Inter. xiv. Quare Deus in principio Legem non dedit, quam poſtea per Moyſen tradidit? Resp. Quia in hominibus primis diu lex bonæ naturæ ſeruabatur: at vbi

B naturalis lex euanuit, oblata conſuetudine peccandi, data eſt lex literæ per Moyſen, vt bona quę ſciebantur auctoritatem haberet, & quæ latere cœperant manifeſtarentur; & vt terror diſciplinæ corrigeret delinquẽtes, & fidem reformaret in Deum.

Inter. xv. Vt quid Abel ſacrificiũ ſuſceptum eſt, & Cain refutatum? Resp. Abel Deo optima & naturalia offerebat, Cain verò viliora & humana inuentione excogitata, vt putatur. Geneſ. 4.

Inter. xvi. Cur Abel in Euangelio ſingulariter iuſtus nominatur? Resp. Tria maxima iuſtitiæ præconia in eo eſſe legun-

C tur, Virginitas, Sacerdotium, Martyrium; in quibus, primus Chriſti figuram geſſit, qui fuit Virgo, Sacerdos, & Martyr. Matt. 23. 35.

Inter. xvii. Quare Enoch tanto tẽpore ſeruabatur à morte? Resp. Vt oſtenderetur quid omnes homines potuiſſent, ſi non peccaſſent. Geneſ. 5. 24.

Inter. xviii. Cur idem Enoch moriturus eſt? Resp. Vt debitum ſoluat humanæ naturæ, & quod Chriſtus voluit, nullus poſſit, id eſt, non mori. Apoc. 11.

Inter. xix. Quot modis eſt operatio

D diuina? Resp. Quatuor: Primò, quòd in verbi diſpenſatione omnia æterna ſunt: Secundò, quòd in materia informi, *qui viuit in æternum creauit omnia ſimul.* Tertiò, quòd per opera dierum ſex varias diſtinxit creaturas: Quartò, quòd ex primordialibus ſeminibus non incognitæ oriuntur naturæ, ſed notæ ſæpiùs ne pereant reformantur. Eccl. 18. 1.

Inter. xx. Quæ creaturæ de nihilo factæ ſunt? Resp. Cœlum, terra, Angeli, lux, aër, aqua, anima hominis.

Inter. xxi. Quot elementis Mundus conſtat? Resp. Quatuor, igne, aëre, aqua,

E terra.

Inter. xxii. Quæ eſt ſingulorum natura elementorum? Resp. Ignis calidę & aridæ eſt naturæ, aër calidæ & humidæ, aqua humidæ & frigidæ, terra frigidæ & aqueæ eſt naturæ.

Inter. xxiii. Cuius naturæ Cœlum eſſe fertur? Resp. Igneæ, rotundæ, atque volubilis.

Inter. xxiv. Si volubile, cur non cadit? Resp. Rueret propter nimiam cele-

ritatē, vt Sapientes mundi dixerunt, ſi non Planetarum hoc curſu moderaretur.

INTER. XXV. Cur Deus ſenario numero Mundi creationem perfecit? RESP. Quia ille numerus perfectus iuxta Arithmeticæ diſciplinæ rationem legitur eſſe: & vt oſtenderet Deus omnia perfecta & valde bona ſe condidiſſe.

INTER. XXVI. Quid eſt, *In principio creauit Deus cœlum & terrā*? RESP. In Filio perfecit Deus cœlum & terram.

Geneſ. 2. 8. INTER. XXVII. Cur dictum eſt, *Plantauerat Deus Paradiſum à principio*? RESP. Hieronymus vult ante conditionem cœli & terræ Paradiſum plantatum eſſe.

INTER. XXVIII. Quid in cœli terræque nomine ſignificatur, quando dicitur, *In principio fecit Deus cœlum & terram*? RESP. Informis illa materia, quam de nihilo fecit Deus, appellata eſt primò cœlum & terra: non quia iam hoc erat, ſed quia iam hoc eſſe poterat. Nam ſecundo die cœlum iſtud ſydereum factum eſſe legitur, & tertia die terram apparuiſſe, & veſtiri floribus cœpiſſe. Siue, in cœli & terræ nomine ſpirituales & terrenæ creaturæ intelligi poſſunt. (Geneſ. 1.)

Geneſ. 1. 2. INTER. XXIX. Quid eſt, *Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas*? RESP. Non per vagationem, ſed poteſtate, & regentis imperio, ad formandum vel viuificandum informem materiam, quæ hoc loco aquæ nomine ſignificatur.

INTER. XXX. Quid eſt, *Terra autem erat inuiſibilis & incompoſita*? RESP. Inuiſibilis, propter obſcuritatem: incompoſita, propter deformitatem.

INTER. XXXI. Quid eſt quod dicitur, *Dixit Deus, Fiat lux*? RESP. *Dixit*, pro, fecit, Scriptor poſuit, vt celeritatem vel facilitatē operis Dei oſtenderet.

INTER. XXXII. Quid eſt, *Appellauit Deus lucem diem*? RESP. Id eſt appellari fecit.

INTER. XXXIII. Quare prima die lux creata legitur? RESP. Congruit operibus Dei, vt prima die à luce æterna lux temporalis prima fieret, vt eſſet vnde cætera, quæ crearet, apparerent.

INTER. XXXIV. Quid eſt, *Factum eſt veſpere & mane dies vnus*? RESP. Id eſt finis operis perfecti, & initium operis incœpti.

INTER. XXXV. Quid eſt, *Vidit Deus quòd eſſet bonum*? RESP. Id eſt, in ea bonitate placuit vt maneret, in qua placuit vt fieret quod fecit.

INTER. XXXVI. Quare de ſolo homine dictum eſt, *faciamus hominem*; de aliis autē creaturis legitur, *dixit Deus*? RESP. Vt videlicet, quæ rationabilis creatura condebatur, cum conſilio facta videretur, & vt eius nobilitas oſtenderetur.

INTER. XXXVII. Cur plurali numero dixit, *faciamus*? RESP. Vt oſtenderetur triū vna operatio perſonarum.

INTER. XXXVIII. In quo eſt homo Conditoris ſui imago? RESP. In interiori homine.

INTER. XXXIX. Cur vtrumque, Imago & ſimilitudo? RESP. Imago in æternitate, ſimilitudo in moribus.

INTER. XL. Cur iterum dixit, *Creauit Deus hominem ad imaginem ſuam*, cùm antea dixiſſet, *ad imaginem noſtram*? RESP. Vt vtrūque, & pluralitas perſonarum, & vnitas ſubſtantiæ inſinuaretur.

INTER. XLI. Quare de ſolo homine creato non dicitur ſingulariter. *Vidit Deus quod eſſet bonum*, ſicut de cæteris creaturis dictum eſt? RESP. Quia poſtquā homo creatus eſt, dicebantur omnia valde bona, quaſi ante eſſent ſingula bona: propter hominem autem omnia valde bona, quòd omnia in decore hominis creata eſſent, homo verò in gloriam & laudem Conditoris ſui factus eſt.

INTER. XLII. Quid eſt quod legitur, *Requieuit Deus die ſeptimo ab omnibus operibus ſuis*? RESP. Si diuidas ſeptenarium numerum in vnum & ſex, erunt duo primi numeri perfecti: vnitas verò in ſeipſa natura & poteſtate perfecta eſt: ſenarius verò numerus, primus, opere & actu perfectus eſt, & partibus ſuis impletur: nam vnum, duo, tria, faciunt ſex. Significatur ergo requie diei ſeptimi, quòd Deus ante creationem mundi, in ſeipſo naturâ & poteſtate perfectus eſt, & æternaliter in ſeipſo habet requiē: creaturæ verò, actu ab ipſo creationis accepto, habent per ipſum in ſuis naturis perfectionem quandam & requiem in operatione obedientiæ, & maximè rationabiles creaturæ in eo bono beatæ ſunt, vt in conditore ſuo requieſcant.

INTER. XLIII. Cur de die Sabbati dicitur, *Benedixit Deus diei ſeptimo, & ſāctificauit illum*; cùm de aliis diebus nō legatur hoc eū dixiſſe? RESP. Vt oſtenderet, Sanctorum requiem poſt ſex huius ſeculi ætatum labores, in æterno ſabbato & benedicta requie quieturam, ſicut dicturus eſt: *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum.* Ideò & ille dies ſine veſpera legitur, quod vltima requies Sanctorum ſempiterna eſt. (Matth. 25.)

INTER. XLIV. Cur dixit, *Iſtæ ſunt generationes cœli & terræ*? RESP. Contra eos, qui mundum ſine initio & ſemper fuiſſe affirmant. (Geneſ. 2. 4.)

INTER. XLV. Cur, *die quo fecit cœlum &* (2. Cor. 6 2)

2. Cor. 6. 2. *terram*; & non, *in diebus*? Resp. Diem pro toto tempore primordialis creaturæ poſuit, ſicut & Apoſtolus: *Ecce dies ſalutis*, diem, totum tempus intelligi voluit, quo Sācti in hac vita pro æterna ſalutē laborāt.

Geneſ. 2. 5. Inter. xlvi. Quid eſt, *Omne virgultum agri, antequam oriretur in terra*? Resp. Vt celeritatem operis Dei inſinuaret: id eſt, antequam aliqui fructus ex terra creſcendo orirentur, aut germinarent, repente omnes campi & colles herbis erant & arboribus cooperti.

Inter. xlvii. Quid eſt, *Non enim pluerat Dominus Deus ſuper terram*? Resp. Vt intelligeretur, quantum prima terræ germinatio à moderna diſtabat, quæ morulis ad pluuiarum irrigationem vix tandem & tardè perficitur: illa verò ad iubentis imperium mox exorta apparuit.

Geneſ. 2. 6. Inter. xlviii. Quid eſt, *Fons aſcendebat è terra irrigans vniuerſa ſuper faciem terræ*? Resp. Aut de ſolo dicit Paradiſo, qui vno fonte rigari creditur; aut, ſi de tota terra intelligendum eſt, omnem aquarum abundātiam intelligi voluit.

Geneſ. 2. 7. Inter. xlix. *Formauit igitur Deus hominē de limo terræ*, quid, igitur? Num nō ante die ſexto homo legitur eſſe creatus? Resp. Iā ſtrictè prius per anticipationem de hominis creatione dixit, quam modò per recapitulationem plenius exponere aggreſſus eſt.

Inter. l. Quid eſt quod dixit, *Formauit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, & inſpirauit in faciem eius ſpiraculū vitæ*? Resp. Quia videlicet in corporis & animæ ſubſtantiam factus eſt è quibus corpus de limo formatum eſt, anima verò de nihilo Deo inſpirante creata eſt.

Inter. li. Quid eſt quod dixit, *Et poſuit Deus hominē in Paradiſo voluptatis, vt operaretur & cuſtodiret illud*: aut à quo cuſtodire illud debuit? Resp. Non enim laboris afflictio in Paradiſo, ſed voluntatis homini exhilaratio fuit, cùm ea quæ Deus creauerat humani operis adiutorio lætius feraciuſq; prouenirent. *Et cuſtodiret illud*: id eſt, vt cuſtodiret eūdē Paradiſū ſibi ipſi, & ſi aliquid amitteret, vt indè mereretur expelli.

Gene. 2. 9. Inter. lii. Cur dictum eſt, *Lignum ſcientiæ boni & mali*? Resp. Non quòd ipſū lignū in ſua natura rationale eſſet, vel ſciētiam boni & mali habuiſſet: ſed quòd homo in eo experiri & ſcire potuit quid eſſet inter obediētiæ bonū & inobediētiæ malū.

Inter. liii. Quid ſignificat in eo quod dixit, *Morte morieris*? Resp. Duplicem hominis mortem deſignat, id eſt animæ, & corporis. Animæ mors eſt, dum propter peccatum quodlibet animā Deus deſerit. Corporis mors eſt, dū propter neceſſitatē quamlibet corpus deſeritur ab anima. Et hanc duplam hominis mortē Chriſtus ſua ſimpla deſtruxit. Nā ſola carne mortuus eſt ad tempus; anima verò numquam, quia nūquam peccauit.

Inter. liv. Vnde dicitur, *Adduxit ea ad Adam, vt videret quid vocaret ea*? Resp. Non circuitu locali adducens, ſed occulto nutu ſuæ potentiæ voluit vt venirent. Gen. 2. 19.

Inter. lv. Cur voluit Deus, vt homo cunctis animantibus nomina imponeret? Resp. Vt homo intelligeret ſeipſū, quāto melior eſſet cunctis animantibus, ex rationis diſcretione: & eò magis Conditorem ſuum diligeret, quò ſe meliorem aliis viuentibus intelligeret.

Inter. lvi. Cur dicitur, *Adæ verò non inueniebatur adiutor ſimilis eius*? Resp. Quia inter omnia animantia terræ, nullum rationale inueniebatur, niſi ille ſolus. Gen. 2. 20.

Inter. lvii. Cur mulier de latere viri dormientis ædificata legitur, & nō de terra plaſmata ſicut vir? Resp. Certè myſterij cauſa, ſignificās quod Chriſtus propter Eccleſiam in cruce dormiuit; ex cuius latere fons ſalutis noſtræ manauit. Gen. 2. 21.

Inter. lviii. Quomodo conuenit Chriſto quod dictum eſt, *Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori ſuæ*? Resp. Reliquit Patrem, quia non in ea forma apparuit hominibus, qua æqualis eſt Patri: reliquit matrem, dum Synagogā deſeruit Iudæorum, de qua ſecundum carnē natus eſt, vt adhæreret Eccleſiæ, quam ex Gentibus congregauit. Gen. 2. 24.

Inter. lix. Quare non erubeſcebant Adam & Eua, dum nudi erant? Resp. Quia nullam legem ſenſerūt in membris ſuis repugnantem legi mentis ſuæ: nihil enim putabant velandum, quia nihil ſenſerūt refrænandum. Nam, in pœnam peccati, euenit homini vt ipſa ſua caro rebellis ei eſſet in motibus ſuis, quia ipſe rebellis erat Creatori ſuo in actibus ſuis. Gen. 2. 25.

Inter. lx. Vnde Serpens callidior dicitur cunctis animantibus terræ? Resp. Non ex ſua natura, ſed ex diabolici ſpiritus inflatione: vtebatur enim ſerpēte diabolus quaſi organo, ad perpetrandam calliditatis ſuæ malitiam. Geneſ. 3. 1.

Inter. lxi. Cur tentari Deus hominē permiſit, quē conſentire præſciebat? Resp. Quia magnæ laudi non eſſet ſi ideo homo nō peccaſſet, quia malefacere nō potuiſſet. Nam & hodie ſine intermiſſione genus humanum ex inſidiis diaboli tentatur, vt ex

eo virtus tentati probetur, & palma non conſentientis glorioſior appareat.

INTER. LXI. Si ſerpens ſonum verborum eius, qui per eum loquebatur, intelligere potuit? RESP. Non eſt credibile eum intelligere potuiſſe quæ per eum diabolus agebat; ſed ſicut dæmoniacus & mente captus loquitur quæ neſcit, ita ſerpens verba edebat, quæ non intelligebat.

Geneſ. 3. INTER. LXII. Cur mulier ad interrogata ſerpenti reſpondet? RESP. Vt præuaricatio eius eſſet inexcuſabilis, cùm nullo modò dicere potuit ſe oblitam eſſe mandati quod ſerpenti prodidit.

INTER. LXIII. Cur homo factus eſt in liberum arbitrium? RESP. Quia noluit Creator hominem cuiuſlibet ſeruum creare, quem ad imaginem ſuam fecit, quatenus ex voluntario bono laudabilis appareret, vel appetitu malo damnabilis.

INTER. LXIV. Quæ eſt libertas vera? RESP. Maxima libertas eſt, ſeruire iuſtitiæ, & à peccato eſſe liberum.

INTER. LXV. Quomodo potuit mulier credere ſerpentis ſermonibus; quòd diuinitus à re bona fuiſſet prohibita? RESP. Quia fortè ante inerat menti illius amor quidam propriæ poteſtatis, & quædam de ſuperbia præſumptio, quæ per illam tentationem fuerat vincenda & humilianda.

Geneſ. 3. 6. INTER. LXVI. Cur mulier conſiderauit lignum poſt ſerpentis perſuaſionem? RESP. Vt exploraret ſi quid in eo mortiferum eſſet: dum autem nihil in eo tale reperiret, confidentiùs guſtauit ex eo.

INTER. LXVII. Vnde vir cõſẽtit feminæ? RESP. Quia fortè illã eo cibo mortuã nõ eſſe cernebat; & potuit fieri vt putauerint alicui⁹ ſignificationis cauſa dixiſſe Creatorẽ, Gen. 2. 17. *Si manducaueritis ex eo, morte moriemini.*

Gen. 3. 7. INTER. LXVIII. Ad quid aperti ſunt oculi eorum? RESP. Ad inuicem concupiſcendum, quod eis ad pœnã mox poſt peccatum euenit.

INTER. LXIX. Cur ad folia ficulni turbati concurrerunt? RESP. Quia gloriam ſimplicis caſtitatis amiſerunt, ad duplicem libidinis pruriginem confugerunt.

INT. LXX. Quid eſt quod poſt meridiẽ Gen. 3. 8. abſcõdit ſe Adã & vxor eius? RESP. Id eſt, poſt beatæ Paradiſiacę felicitatis lucẽ, in huius ſeculi caligine à miſeria ſe abſcõderunt.

Geneſ. 3. 10. INTER. LXXI. Cur Deus quaſi neſciẽs interrogauit, vbi eſſet Adam? RESP. Non vtique ignorãdo quæſiuit, ſed increpando admonuit, vt attenderet vbi eſſet, & vnde cecidiſſet.

INTER. LXXII. Vnde à Domini præſentia abſcondi poſſe putabat? RESP. Hæc ei inſipientia de peccati pœna accidit, vt eũ hoc latere putet, quẽ latere nihil poteſt.

INTER. LXXIII. Cur Adam peccatũ Geneſ. 3. 12. in mulierem detorſit? RESP. Ad cumulum peccati ſui ſuperbè reſpondit, nõ humiliter; quaſi querimoniam in Deum dirigeret, cur ei talem dediſſet ſociam, vnde ei peccati occaſio eſſet. Similiter & mulier ſuæ culpæ cauſam in Creatorem refert; quare ſerpentem, per quem deciperetur, creauerit.

INTER. LXXIV. Quare non eſt interrogatus ſerpens, cur hoc fecerit? RESP. Quia forte id non ſua natura vel voluntate fecerat, ſed diabolus de illo, & per illũ fuerat operatus. Ideo dicit ei, *Super pectus tuum* Gene. 3. 14. *gradieris, & terram comedes.* Si quidem in pectore calliditas nequitiarum eius indicatur; qui & terrã deuorat, dum luxuria & libidine peccantium paſcitur & delectatur. Nam ſicut diabolus per ſerpentem loquebatur, ita & in ſerpente maledicitur.

INTER. LXXV. Quid eſt ſemen mulieris vel ſerpentis? RESP. Semen mulieris eſt totum genus humanum; ſemen ſerpentis originalis peccati primordium: quæ duo ſemina ex præcepto diuino continuum inter ſe gerere odium debent, vt non faciamus quæ diabolus vult, quia ille numquam vult nobis profutura.

INTER. LXXVI. Quid eſt caput ſer- Geneſ. 3. 15. pentis, & calcaneũ mulieris? RESP. Caput ſerpentis, eſt illicitæ ſuggeſtionis cogitatio; quod nos omni intentione cõterere atque allidere debemus ad petrã, qui eſt Chriſtus: calcaneũ mulieris, eſt extremũ vitæ noſtræ tẽpus, quo diabolus nos acriùs impugnare ſatagit, cui ſi viriliter reſiſtimus, victoriam perſeuerãtię cum ſalute noſtra accipiemus.

INTER. LXXVII. Quæritur, cùm dicitur, *Et ſub viri poteſtate eris*, ſi ante peccatũ Gene. 3. 16. Gal. 5. 6. mulier ſub poteſtate viri eſſet? RESP. Fuit vtique, ſed ea ſeruitute, quæ per dilectionẽ 1. Ioan. 4. 8 operatur, & foras mittit timorem: poſt verò, conditionali timore ſeruitutis, quæ per diſciplinam operatur.

INTER. LXXVIII. Cur ſpinas & tribulos germinauit terra? RESP. Per peccatum enim hominis terra maledicta eſt, vt ſpinas pareret & venenoſas herbas: vel ad pœnam & exercitationem mortalium, vt ante oculos homo ſemper habeat originale crimen, & vel ſic admonitus ſe auertat à peccatis.

INTER. LXXIX. Cur Deus fecit homini Geneſ. 3. 21. tunicas pelliceas? RESP. Vt eos mortales fuiſſe inſinuaret.

INTER. LXXX. Quomodo Dominus Geneſ. 3. 22 Deus dixit de homine, poſt peccatum: *Ecce*

Adam factus eſt quaſi vnus ex nobis? Resp. A
Gen. 1. 26. Propter ſanctã Trinitatem, plurali numero dixit, *ex nobis*: ſicut & in creatione eius, *Faciamus hominem ad imaginem*. Hîc vtitur voce deterrẽtis, ad incutiendũ aliis, ne peccarẽt, timorem: vel ſenſu exprobrãtis, quia nõ ſolũ nõ fuerat factus qualis fieri voluerit, ſed nec illud quod factus fuerat conſeruauit.

Inter. lxxxi. Quid eſt, Cherubin, B
Gen. 3. 24. vel, *flammeum gladium & verſatilem, ad cuſtodiendam viam ligni vitæ poſuit*? Resp. Id eſt, per Euãgelicum miniſterium ignea quædã cuſtodia: quæ tamen benè, quòd verſatilis dicitur, ſignificat quandoque aliam remouendam eſſe à Paradiſi ianuis.

Gene. 4. 5. Inter. lxxxii. Vnde nouerat Cain, Dominum ad munera eius non reſpexiſſe, & ad munera Abel reſpexiſſe? Resp. Igne miſſo de cœlis, vt creditur, hoſtiam Abel ſuſcepit; vt ſæpiſſimè factum offerentibus viris ſanctis legimus: Cain vero ipſe ſacrificium ſuum conſumere igne debebat.

Geneſ. 4. 6 Inter. lxxxiii. Quid eſt, *Dominus* C *dixit ad Cain, Nõne ſi benè egeris recipies; ſin autẽ malè, ſtatim in foribus peccatum tuũ aderit*? Resp. Id eſt, Si pura mente obtuleris ſacrificium, recipies; reſpiciente Deo ad te, & ad ſacrificium tuum: ſi autem malè egeris, intrantem vel exeuntem te ſemper peccatum tuum comitabitur, & deſinet Dominus cuſtodire introitum tuum, & exitum tuum.

Inter. lxxxiv. Quomodo intelli-
Pſal. 120. 8 gendum, *Sub te erit appetitus tuus, & tu domi-*
Geneſ. 4. 7. *naberis illius*? Resp. Tu quia liberi es arbitrij, non habet peccatum ſuper te dominium; D ſed tu ſuper illud, & in tua poteſtate eſt ſiue compeſcere, ſiue concupiſcere illud.

Inter. lxxxv. Quare Dominus interrogauit Cain, *Vbi eſt Abel frater tuus*? Resp. Non tanquam ignarus, ſed tanquam Iudex reũ quẽ puniat: cui Cain ad cumulũ peccati ſui fallaciter ac ſuperbè reſpondit.

Geneſ. 4. 10 Inter. lxxxvi. Quomodo vox ſanguis Abel clamat ad Dominũ? Resp. Homicidij illius reatus in cõſpectu Iudicis apparebat.

Inter. lxxxvii. Vnde Cain maledicitur in peccato ſuo, cùm prius terra in opere Adæ ſit maledicta? Resp. Quia Cain E ſciebat damnationem præuaricationis primæ, & non timuit originali peccato homicidij fratris ſuperaddere ſcelus: ideò maiore maledictione dignus habebatur.

Inter. lxxxviii. Quod eſt ſignũ Cain, quod poſuit Deus, vt nõ occideretur? Resp. Ipſum videlicet ſignum, quòd tremens & gemens, vagus & profugus ſemper viueret: nec audere eum vſpiam orbis ter-
Gen. 4. 17. rarum ſedes habere quietas. Et fortè ciuitatem condidit, in qua ſaluari poſſet.

Inter. lxxxix. Cur ipſe ſe morte damnauit, dicendo, *Omnis qui inueniet me occidet me*? Resp. Deſperando dixit, vel vt cõpẽdio mortis cruciatus euaderet præſẽtes. Gen. 4.

Inter. xc. Quomodo ſeptuplũ punietur qui occidet Cain? Resp. Solet ſeptenarius numerus in Scripturis sãctis ſæpiſſimè pro plenitudine cuiuſlibet rei poni: quaſi dixiſſet, grauiſſima vltione puniendũ eſſe, qui tantæ dãnationis acerbitate admonitus, à ſãguine effũdendo nollet manus cohibere.

Inter. xci. Quid eſt quod legitur Lameh dixiſſe, cùm occideret Cain, *Septuplum de Cain vindicetur: de Lameh autem ſeptuagies ſepties*? Resp. Quia homicidij peccatum ſeptima generatione diluuio vindicatum eſſe legitur: adulterij verò ſcelus, quod primus omnium Lameh in duabus commiſit vxoribus, non niſi ſanguine Chriſti expiandũ eſſe, qui ſeptuageſima & ſeptima generatione venit in mundum. Gen. 4. 24.

Inter. xcii. Vnde euenit diabolo prima mala volũtas? Resp. Cùm cauſa miſeriæ malorũ Angelorũ quæritur, ea meritò occurrit; quia noluerũt ad illum cuſtodire fortitudinẽ ſuã, qui eſt ſummũ bonum, ſed auerſi ſunt ab illo, & ad ſeipſos cõuerſi sũt, ſua propria delectati poteſtate. Et iſte primus defectus eſt, & prima inopia rationalis creaturę, & hoc vitiũ quid aliud niſi ſuperbia nuncupatur?

Inter. xciii. Quid eſt malũ? Resp. Malum nihil eſt per ſe, niſi priuatio boni: ſicut tenebræ nihil ſunt, niſi abſentia lucis.

Inter. xciv. Cur per tres filios Noë ſecunda origo ſeculi ſurrexit? Resp. Vt tres partes Mundi à trium generatione implerentur. Porro Sameh in filiis ſuis Aſiã, Chã Libyam, Iaphet Europam poſſidebat. Geneſ. 6.

Inter. xcv. De quibus dixit, *Cùm cœpiſſent homines multiplicari ſuper terram, & filias procreaſſent; videntes filij Dei filias hominum, quòd eſſent pulchræ*? Resp. Filias hominum, progeniem Cham: & filios Dei, ſobolem Seth appellare Scriptura voluit. Hi auita benedictione religioſi, illæ paterna maledictione impudicæ: ſed poſtquam filij Seth concupiſcentia victi ex filiabus Chã connubia iunxerũt, ex tali cõiunctione homines immenſo corpore & viribus, ſuperbi morib⁹, quos Scriptura Gigãtes nominat, procreati ſunt. Geneſ. 6. 1.

Inter. xcvi. Quid eſt, quod dixit, *Non permanebit ſpiritus meus in homine in æternum, quia caro eſt*? Resp. Spiritus hoc loco iram ſignificat, & caro fragilitatem humanę naturæ: quaſi dixiſſet, Fragilis eſt in hominibus conditio, non ad æternos conſeruabo cruciatus, ſed hinc reſtituã quod meretur.

Inter. xcvii. Quid ſignificat præfi-

Geneſ. 6. nitus ille numerus, *Eruntque dies eius centum viginti anni*? Resp. Datus eſt iſte numerus ad agendam pœnitentiam humano generi, ſed contemptores præuenit vindicta: nam poſt centum annos venit diluuium.

Inter. xcviii. Quid eſt quod Deus dicit, *Pœnitet me feciſſe hominem*: & iterum, *Tactus dolore cordis intrinſecus*? Nunquid in Deum pœnitentia aut dolor cordis cadere poteſt? Resp. Non Deum de facto ſuo pœnitet, nec dolet Deus ſicut homo, cui eſt de omnibus rebus omninò tam fixa ſententia, quàm certa præſcientia: ſed vtitur Scriptura ſancta verbis vſitatis nobis intelligentibus, quò aptet ſe noſtræ paruitati, quatenus ex cognitis incognita cognoſcamus.

Geneſ. 6. 9. Inter. ic. *Noë vir iuſtus & perfectus erat*. Si nullus ſine peccato, quomodo aliquis perfectus eſſe poteſt? Resp. Perfecti hinc dicuntur, non ſicut perficiendi ſunt Sancti in illa immortalitate, qua æquabūtur Angelis Dei, ſed ſicut eſſe poſſunt in hac peregrinatione perfecti.

Gen. 6. 13. Inter. c. Quid eſt quod dixit Deus ad Noë, *Filius vniuerſæ carnis venit*? Resp. Significat omnes mortales, præter illos qui in Arca ſaluandi erant. Illi igitur, quaſi ſeminariū ſecundæ originis, ſeruati ſunt.

Inter. ci. *Diſperdam eos cum terra*. Quomodo cum terra, dum terra poſtea remanſit? Resp. Tradunt Doctores terræ vigorem & fœcunditatem longè inferiorem eſſe poſt diluuium, quàm ante; & idcircò hominibus carnem edere licentiam eſſe datā; & ante diluuium fructibus terræ ſolummodò victitaſſe homines.

Gen. 6. 14. Inter. cii. Quæ ſunt ligna leuigata, dé quibus Arca præcipitur fieri? Resp. Fortia & inſolubilia, de quibus alia Tranſlatio dicit, quadrata: ne Arca ventorum vi, ſeu aquarum inundatione ſolueretur.

Inter. ciii. *Et bitumine linies*. Quæ eſt natura bituminis? Resp. Bitumen eſt feruentiſſimū & violētiſſimū gluten, cuius eſt hæc virtus, vt ligna oblita nec vermib⁹ exedi, nec ſolis ardore, nec flatibus ventorum, nec aquarum poſſint inundatione diſſolui.

Inter. civ. Qualem ergo Arcæ ſpeciem vel formā debemus intelligere? Resp. Vt videtur, habuit quatuor angulos ex imo adſurgentes, & eiſdem paulatim vſque ad ſummum in anguſtum attractis, in ſpatium vnius cubiti fuit collecta. Sic refertur quòd

Gen. 6. 15. in fundamentis trecenti cubiti in lōgitudine, & in latitudine quinquaginta ſint, & in altitudine triginta: ſed collecta in cacumen anguſtum, ita vt cubitus ſit longitudinis & latitudinis. Et verè nulla potuit tam conueniens & congrua Arcę ſpecies dari, quàm vt ſummo velut tecto quodā anguſto culmen diffunderet imbrium ruinas: & ima in aquis quadrata ſtabilitate conſiſtens, nec impulſu ventorum, nec impetu fluctuum, nec inquietudine animalium quę intrinſecus erant, aut inclinari poſſet, aut mergi.

Inter. cv. Quomodo eā bicameratā & tricameratā intelligere debemus? Resp. Bicameratā in inferioribus, tricameratā verò in ſuperiorib.: itaut quinq; habitationū diſtinctiones in ea eſſe aduertamus: inferiora eius loca ſtercorib. & ſpurcitiis eſſe deputata, ne animalia, & pręcipuè homines fimi fœtore vexarentur. Huic autē ſuperior & cōtigua camera conſeruandis pabulis animaliū deputaretur. In hos ergo vſus inferiores partes, quæ bicameratæ dicūtur, tradūt eſſe diſtinctas: ſuperiores verò partes, quæ tricameratæ dicuntur, ad habitaculū primò beſtiis, vel animalibus immitioribus, vel ſerpētibus deputatas: ab his verò, congrua in ſuperioribus loca mitioribus animantibus ſtabulaque fuiſſe: ſupra omnia verò in excelſo hominibus ſedem locatam; vt pote ſicut honore & ſapientia antecedit, ita & loco cuncta præcelleret animalia. Et ſic quinque manſiones in ea eſſe intelliguntur: prima, ſtercorina: ſecunda, apothecaria: tertia, feris animantibus: quarta, manſuetis: quinta, hominibus. Gen. 6. 16.

Inter. cvi. Quomodo de oſtio, quod in latere Arcæ ædificabatur, intelligendum eſt? Resp. Tradunt oſtium, quod ex latere factū eſt, eò loci fuiſſe, vt inferiora, quę dixit bicamerata, infra ſe haberet: & quæ dixit tricamerata, ſuperiora à loco oſtij appellata ſunt. Et inde ingreſſa animalia vniuerſa, per ſua quæq. loca, ſecundū quę ſupra diximus, congrua diſcretione diſtincta ſunt.

Inter. cvii. Quid habet myſterij mēſura Arcę? Resp. Habet myſterium perfectum corporis Chriſti. [† Sexcies enim trecenti habēt intra ſe quinquaginta & decies triginta. Sic enim humanum corpus, ſi iacentem metiaris hominem, ſexcies habet lōgitudo latitudinem, & decies altitudinē. Nam lōgitudo iacentis hominis à vertice vſq; ad veſtigia metienda eſt, & à latere vſque in latus, & altitudò à dorſo in ventrē.] Quæ figura aptè Chriſto conuenire noſcitur, propter longanimitatem omnia ſuffeientis Fidei, & amplitudinem Charitatis, & ſublimitatem Spei æternæ.

† Quæ ſequūtur his incluſa notis, [ ] in impreſſis deerāt, nos ex MS. Cod. nunc primum reſtituimus.

Inter. cviii. Ad quid feneſtra in ſūmitate Arcę iubetur fieri? Resp. Vt haberet vnde emittere potuiſſet aues, ad explorandam terræ ſiccitatem.

Geneſ. 7. 2. INTER. CIX. Quid ſibi vult, *Duo & duo, ſeptena & ſeptena*? An quatuor ex immūdis, & quatuordecim ex mundis animalibus? RESP. Intelligere debemus introducenda eſſe nō duo & duo propter quatuor, ſed propter maſculū & feminam. Nam de immundis tātummodo duo, & de mundis ſolummodo ſeptem.

INTER. CX. Cur immunda pari numero poſuit, mūda verò impari? RESP. Vt haberet Noë vnde hoſtias Deo immolaret ex mundis.

INTER. CXI. Vnde pulchriora fuerunt munda quàm immunda? RESP. Propter futurum humani generis vſum, quia ex mundis debebatur hominibus vt pulcriora eſsēt quæ prodeſſent, quàm quæ nocerent.

INTER. CXII. Quæri ſolet, Vtrùm in tāta capacitate Arca deſcribitur, vt animalia tāta & tot, cum manſiunculis conuenientibus ſibi & eſcis eorū ferre potuerit? RESP. Hanc quæſtionem Origenes ſoluit cubito Geometrico, aſſerens cubitum Geometricum tantum valere quantum ex noſtris ſex valent.

INTER. CXIII. Quid eſt quod dictum eſt, *Ingreſſa eſſe omnia animalia ad Arca*? RESP. Non Noë colligēte, ſed Deo iubente. Sicut dictum eſt in prima creatione, *Adduxit ea ad Adam, vt videret quid vocaret ea*. Sic diuino nutu coacta animalia, ſponte præfinito numero veniebant ad Arcam.

Gen. 7. 9.

Gen. 2. 19.

INTER. CXIV. Quid de piſcibus vel alitibus, quæ in aquis vel ſuper aquas viuere poſſunt, intelligi debet; ſi in Arca eſſent, an non; vel de ſectilibus minutiſſimis, quales ſciniphes, & muſcæ, & cetera talia? RESP. Hanc quæſtionem ſanctus Auguſtinus Libro XV. de ciuitate Dei ita ſoluit: Quæri ſolet de minutiſſimis beſtiolis, non ſolū quales ſunt mures & ſtelliones; verumetiam quales locuſtæ, ſcarabei, muſcæ, denique & pulices, vtrum non ampliori numero in Arca illa fuerint, quàm qui eſt definitus cū hoc imperaret Deus? Prius ammonendi ſunt quos hæc mouet, ſic accipiendū quod dictum eſt, *Quæ reptant ſuper terram*, vt neceſſe non fuerit conſeruari in Arca, quæ poſſent in aquis viuere; non ſolum merſa ſicut piſces, verumetiam ſupernatātia, ſicut multæ alites. Deinde cùm dicitur, *Maſculus & femina*, profectò intelligitur ad reparādum. Quis non videat quantum genus dici per hoc poteſt? Nec illa neceſſe fuerat ibi eſſe, quæ poſſunt ſine concubitu de quibuſque rebus, vel rerum corruptionibus naſci: Vel ſi fuerunt ſicut in domibus conſueuerunt eſſe, ſine vllo numero definito eſſe potuiſſe. Aut ſi myſterium ſacratiſſimū quod agebatur, & tantæ rei figura, etiam veritate facti aliter non poſſet impleri, niſi vt omnia ibi certo illo numero eſſent, quæ viuere in aquis, illius natura prohibēte, non poſſent: non fuit iſta cura illius hominis, vel illorum hominum, ſed diuina. Nō enim ea Noë capiens intromittebat, ſed venientia & intrātia permittebat. Ad hoc enim valet quod dictum eſt, *Intrabunt ad te*: nō ſcilicet in hominis actu, ſed in Dei nutu.

Gen. 6. 20.

Gen. 7. 15.

INTER. CXV. Quomodo poſteaquam clauſum eſt oſtium, & nullus hominū extra Arcam fuit, includi & bituminari extrinſecus oſtium potuit? RESP. Hoc ſine dubio diuini operis fuit, ne ingrederētur aquę per aditum, quod † humana non munierat manus.

† f. quem

INTER. CXVI. Quomodo Leones in Arca, vel Aquilæ, quę conſuerunt carnibus viuere, paſci potuerunt? RESP. Forte & alia animalia, propter aliorum eſcam, in Arcam fuerunt miſſa: vel aliqua cibaria præter carnes, à viro ſapiente, vel Deo demonſtrata †, quæ talium quoque animantium eſcis conuenirent: quod magis credibile eſt.

† al. demōſtrante.

INTER. CXVII. De quibus animantibus dictū eſt, *In quibus erat ſpiritus vitæ*? RESP. Non ſolum de hominibus, ſed etiam de ceteris omnibus, quæ vitali aura veſcuntur.

Gen. 7. 10.

INTER. CXVIII. Si aqua tranſcendit quindecim cubitis montem, cuius altitudo hūc aërem turbulentum, vt fertur, trāſcendit; vbi dicitur nec nubes videri, nec ventus ſentiri? RESP. Si terra ſpatiū illius trāquilli ætheris inuadere potuit, cur nō & aqua, creſcendo? Sunt tamen quidam, qui putāt, nec terræ inæqualitatem talem, nec montium altitudinem tantam ante diluuium fuiſſe, ſicut nunc eſt.

INTER. CXIX. Quid de pace & cōcordia, & vnde ſe inuicem non debellarent diuerſi generis animantia, ſentiendum eſt? RESP. Sicut Dei nutu adducebantur in Arcā, ita & Dei nutu conſeruabantur in Arca. Siue enim manſiunculis ſecundum genera ſua diuiderentur, ſiue iunctim manerent, Dei potentia gubernabantur.

INTER. CXX. Quid de potu animaliū ſentiendum eſt, de quo nihil dicit Scriptura? RESP. Sunt qui putant vnius diei eſcam in Arca vel potum in multos profuiſſe dies animantibus, vel forſitan in totum annum. Sed dimittamus incertas coniecturas, & concedamus diuinæ potentiæ facere de creaturis ſuis quod voluit.

INT. CXXI. Quęritur vbi coru' requieuerit, ſi colūba nō inuenit vbi requieſceret? RESP.

RESP. Potuit coruus cadaueri cuiuſlibet animantis inſidere, quod columba naturaliter fugit.

INTER. CXXII. Quare magis terrena animalia perierunt cum homine, quã aquatilia? RESP. Propter maledictionem terræ de qua veſcebantur animalia terræ.

INTER. CXXIII. Quid de animalibus ſentiri debet, quorum natura nec ſemper in aridis, nec ſemper in humidis viuere poteſt; ſicut ſunt lutri, vituli marini, & multa auium genera, quæ in aquis victum requirunt, ſed in aridis dormiunt & requieſcunt? RESP. Potuit virtus diuina vtramuis eorũ naturam, donec diluuium tranſiret, temperare; vt aut in humore tantum, aut in arido tantum viuere poſſent: niſi forte extra Arcam in aliqua eius parte loca illis præparata eſſent, vnde & in aquis viuere, & in aridis requieſcere potuiſſent.

Geneſ. 8.1. INTER. CXXIV. De quo ſpiritu dixit, *Adduxit Deus ſpiritũ, & imminutæ ſunt aquæ?* RESP. Benè de illo ſpiritu intelligi poteſt, de quo dictum eſt: *Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas.* (Geneſ. 1.) Tunc enim ferebatur, vt congregatis aquis in ſuum locum terra appareret: nunc autem adductus dicitur, vt ablatis è medio aquis diluuij faciem terræ reuelaret. Poteſt & ſpiritus nomine ventus intelligi, iuxta illud Pſalmiſtæ: *Stetit ſpiritus procellæ* (Pſal. 106.25), cuius crebris flatibus aqua cogeretur recedere.

INTER. CXXV. Quò reuerſæ sũt aquæ dum dicitur, *Reuerſæ ſunt aquæ de terra, euntes & recedentes?* (Geneſ. 8.3.) RESP. Videtur iuxta literam, quòd omnes fluuiorum ac riuorum decurſus per occultas terræ venas ad matricem abyſſum redeũt, iuxta illud Salomonis (Eccleſ. 1.7.), *Ad locum vnde exeunt flumina reuertuntur, vt iterum fluant.*

Geneſ. 8.6. INTER. CXXVI. Cur quadragenario numero pluuia inundabat, & iterum poſt quadraginta dies dicitur Noë feneſtram aperuiſſe? RESP. Quadragenarius numerus tribulationem pœnitentiæ oſtendit. Quod vero poſt quadraginta dies feneſtram aperuit Noë, ſignificat ieiunio cœlum reſerari. Ideo Moſes, & Helias, & ipſe Saluator, quadragenario numero ieiunia conſecrarunt, tanquam tribus temporibus neceſſaria, ante Legem, ſub Lege, ſub Gratia.

Geneſ. 8.11. INTER. CXXVII. Quare columba ramum oliuæ portat? RESP. Columba Spiritus ſancti, expulſo alite teterrimo, ad Noë poſt diluuium, quaſi ad Chriſtum poſt baptiſmum deuolat, & ramos refectionis ac luminis portans, pacem orbi adnuntiat.

INTER. CXXVIII. Si Deus fecerat omnia bona, & etiam valde bona; quid eſt, quòd munda & immunda nominauit animalia? Nunquid immundum bonũ eſſe poteſt? RESP. Etiam, quod immundum dicitur, in ſua natura bonum eſt: ad cõparationem vero alterius naturæ melioris, quaſi immundum putatur.

INTER. CXXIX. Cur bos melior eſt leone? RESP. Quia eius natura melius cõuenit hominis neceſſitati ſubuenire, propter quem creata ſunt omnia animalia.

INTER. CXXX. Cur homo in terrorem cæteris animantibus poſitus eſt? RESP. In ſolatium trãſactæ vindictæ, & ne pauci homines à pluribus opprimerentur beſtiis; & vt ſciret ſe irrationabilibus dominari debere, non rationabilibus. Vnde & primi patres noſtri paſtores pecorum, non Reges hominum fuiſſe leguntur. Geneſ. 9.2.

INTER. CXXXI. Cur eſus carnium poſt diluuium homini conceditur, & non ante? RESP. Propter infœcunditatem terræ, vt æſtimatur, & hominis fragilitatem. Geneſ. 9.3.

INTER. CXXXII. Cur Arcus in ſignũ ſecuritatis datur? RESP. Quia præſciuit Creator formidabiles, ne iterum diluuio delerentur, dum ſæpius inundationes pluuiarum cernerent. Geneſ. 9.13.

INTER. CXXXIII. Cur idem ſignum ſecuritatis in cœlo poſitum eſt? RESP. Vt ab omnibus inſpici potuiſſet: & vt pro quacũque tribulatione oculos cordis ad eum attollamus, qui habitat in cœlis. Pſalm. 14

INTER. CXXXIV. Cur ſignum illud diuerſi coloris datur hominibus? RESP. Propter ſecuritatem & timorem: vnde & in Arcu idem color aquæ & ignis oſtẽditur; quia ex parte eſt cæruleus & ex parte rubicũdus. Eſt ergo vtriuſque Iudicij teſtis, vnius videlicet facti, & alterius faciẽdi: id eſt, quia Mũdus iudicij igne cremabitur, aqua diluuij nõ delebitur.

INTER. CXXXV. An pluuiæ ante diluuium eſſent? RESP. Videtur non eſſe, quia Arcus non erat niſi ex radiis ſolis & humida nube. Poteſt autem fieri, vt ex roris & fontium (ſicut in Ægypto) irrigatione, terræ fœcundaretur.

INTER. CXXXVI. Poſt diluuium quare vir iuſtus Noë inebriatus eſſe legitur? RESP. Geneſ. 9.21 Fortè vt beatus Hieronymus dicit, vino inebriari poſſe neſciebat Nec enim ante diluuiũ legitur vino homines vſos. Ideò de Noë ſpecialiter dicitur, *Plantauit Noë vineam.* Geneſ. 9.20

INTER. CXXXVII. Cur nudatio femorum poſt ebrietatẽ ſecuta eſt? RESP. Quia ſępius ſatietatem libido ſubſequitur.

INTER. CXXXVIII. Cur Cham in poſteris maledicebatur? RESP. Quia peccãtibꝰ, & nõ pœnitentibus futura imminet pœna.

Sæpe quidem reproborum nequitiæ hîc inultè proficiunt, ſed in poſterum feriuntur. Prophetatum quippe † eſt, quod terrã Chanaan, eiectis & debellatis Chananæis accepturi forent filij Iſrael, qui venirent de ſemine Sem.

† al. quoq.
Geneſ.5.

INTER. CXXXIX. Quem hominem vult fratrem intelligi, dum dicitur, *Sanguinem hominis requirã de manu fratris ſui?* RESP. Omnem hominem fratrem voluit intelligi, ſecundum cognationem ex vno ductam.

Geneſ.6.

INTER. CXL. Quomodo diuiſus eſt orbis à filiis & nepotibus Noë? RESP. vt Sem, æſtimatur, Aſiam; Cham, Africam; Iaphet, Europam ſortitus eſt.

INTER. CXLI. Quot gentes ſinguli eorũ procrearũt? RESP. De Iaphet nati ſunt filij quindecim, de Cham triginta, de Sem vigintiſeptem: ſimul, ſeptuaginta duo; de quibus ortæ ſunt gentes ſeptuaginta duæ, inter quas miſit Dominus diſcipulos ſeptuaginta duos.

Gen.9.27.

INTER. CXLII. Cur dictum eſt, *Dilatet Deus Iaphet, & habitet in tabernaculis Sem?* RESP. De Sem Hebræi, de Iaphet populus Gentium naſcitur. Quia igitur lata eſt multitudo credentium, altitudine, † quæ Iaphet dicitur, latitudo nomẽ accepit. Quod additur, *habitet in tabernaculis Sem*, de nobis prophetatur, qui in eruditione ſcientiæ Scripturarum, eiecto Iſraële, verſamur.

† al. altitudinem.

INTER. CXLIII. Quid eſt quod dicitur in Geneſi, *De terra illa exiuit Aſſur, & ædificauit Niniuem, & Robooth † ciuitatem?* RESP. Non duas ſignificat ciuitates. Robooth namque platea dicitur. Ergo ſenſus hic, Ædificauit Niniuem, & plateas ciuitatis.

† vulgata editio, *& plateas ciuitatis.*

Gen.10.8.

INTER. CXLIV. Quomodo, *Nemroth gigas venator robuſtiſſimus contra Dominum dicitur?* RESP. Id eſt hominum terrenorum ſuppreſſor & extinctor. Erigebat ergo cum ſuis populis turrem contra Dominum, in qua eſt impia ſignificata ſuperbia; vt non intelligeretur iubens homini, qui noluit intelligere vt obediret Deo iubenti. Sic illa cõiuratio diſſoluta eſt, cùm quiſque ab eo, quem non intelligebat, abſcederet; nec ſe niſi ei, cum quo loqui poterat, aggregaret. Itaque per linguas diuiſæ ſunt gentes, diſperſæque per terras.

Gen.11.7.

INTER. CXLV. Cui dicit Deus, *Deſcẽdamus, & confundamus linguas eorum?* RESP. Deſcendere Dei, eſt, humanos actus inſpicere, vel eorũ ſenſibus propinquare. Quod vero plurali numero dixit, *deſcendamus*, & iterum, *confudit Deus labium vniuerſæ terræ*, diſtinctione perſonarum ſanctam Trinitatem, & operationis vnitatem in maieſtate diuina voluit oſtẽdere, ſicut in exordio humanæ creationis dictum eſt, *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram*: Et iterum, *Fecit Deus hominem ad ſimilitudinem ſuam*: vt Trinitas in perſonis, & vnitas in potentia eſſe credatur.

Geneſ.1.

INTER. CXLVI. An credibile eſt tantæ ſtultitiæ fuiſſe homines, & vt in cœlum altitudinem ædificij cuiuſlibet erigere ſe poſſe putarent? RESP. Solet ſuperbiam ſtultitia ſequi, humilitatem ſapientia. Ideò turris hîc ſuperbiæ loco poſita eſt. Fecit ergo ſuperbia diuerſitates linguarum, & quos turris diſſociauerat Eccleſia collexit.

Geneſ.11.

INTER. CXLVII. Quis primò hominum hominibus dominari, & regnum dilatare ſtuduit? RESP. Nemroth gigas, vt in ſacra legitur Hiſtoria, qui extruendæ turris, & condendæ Babyloniæ auctor extiterat.

INTER. CXLVIII. An vnum opus eſt turris & ciuitas, vel duo? RESP. Æſtimatur à pluribus fuiſſe veluti arx ciuitas Babyloniæ turris illa: & ideò, ciuitas illa Babylon, id eſt confuſio, dicitur; quia confuſum eſt labium vniuerſæ terræ, & in linguas varias loquela hominum diuiſa. Huius ciuitatis, id eſt Babylonis, ammirabilem conſtructionem gentium commendat Hiſtoria; cuius nimia diſponebatur altitudo, ſiue turris vnius, quam præcipuam moliebantur inter alias erigere in cœlũ, ſiue omnium turriũ, quæ per numerum ſingularem ita ſignificatæ ſunt, vt dicitur miles † cùm multos milites intelligimus.

† al. vt dicitur milies, cum intelliguntur milia militum.

INTER. CL. In qua familia illa permãſit lingua, quæ primitus à Deo data fuerat? RESP. Vt putatur, in familia Heber, ex quo Hebræi dicti ſunt, in ea parte hominum, quæ Dei portio permanſit, in qua & Chriſtus naſciturus erat. Oportuit enim vt in ea lingua ſalus mundo primò prædicaretur, per quam primùm mors intrauerat in mũdum. [† Oſtendit quoque titulus in Cruce Saluatoris ſcriptus, hanc eſſe omnium linguarum primam.]

Rom.5.12.
† *Addita ex MS. Cod.*

INTER. CLI. Si Deus requieuit ab omnibus operibus ſuis in die ſeptimo, vnde ſubitò tanta apparuit diuerſitas linguarum? RESP. Non in hac diuiſione linguarum nouum quid condere Creator æſtimatur, ſed dicendi modos & formas in diuerſis loquelarum generibus diuiſit. Vnde eaſdẽ ſyllabas, & eiuſdem poteſtatis literas aliter coniunctas in diuerſis gentium linguis inueniemus, ſæpe etiam eadem nomina vel verba aliud quid ſignificantia in alia lingua,

atque aliud in alia. Vbi dicimus in Pſalmo, *In Virga ferrea*, in Græco habetur, ἐν ῥάβδῳ σιδηρᾷ. Igitur in Latino *ſydera*, non *ferrea* ſignificat, ſicut in Græco, ſed aſtra. Pſal. 2. 9.

INTER. CLII. Quid eſt quod legitur de Aran fratre Abraham, *Mortuus eſt Aran ante Thare patrem ſuum in Vr Chaldæorum?* RESP. Vr ignis dicitur, & Chaldæi ignem colunt pro Deo. Thare vero, vt Hebræi tradunt, cùm filiis ſuis in ignem miſſus eſt à Chaldæis, quia ignem adorare nolebat, in quo igne Aran conſumptus eſt. Et hoc eſt quod nunc dicitur, *Mortuus eſt ante conſpectum Thare patris ſui*, ſicut Hieronymus in libro Hebraicarum quæſtionum refert, ita dicens: Vera eſt Hebræorum illa traditio, quòd egreſſus ſit Thare cum filiis ſuis de igne Chaldæorum, & quòd Abraham Babylonio vallatus incendio, quia illud adorare nolebat, Dei ſit auxilio liberatus. Et ex illo tempore ei dies vitæ, & tempus reputatur ætatis, ex quo confeſſus eſt Deum, ſpernens idola Chaldæorum. Et ita ſoluitur obſcuriſſima quæſtio de Abraham. Legitur enim Tharam, cùm ſeptuaginta eſſet annorũ, genuiſſe Abraham, & vixiſſe poſtquam genuit Abraham, centum triginta quinque annos, & fuiſſe omnes Thare annos ducentos quinque. Item legimus in Geneſi, *Erat autem Abrahā ſeptuaginta quinque annorum, cùm egreſſus eſt ex Charra*, videlicet mortuo patre eius Thare. Igitur ab anno natiuitatis Abraham vſque ad annum quo egreſſus eſt ex Charra, anni ſunt centũ triginta quinque: ſed ei non computãtur anni, qui tranſacti ſunt antequam exiret de igne Chaldæorum, Dei liberatus protectione. Hæc Hieronymus. Gen. 11. 20

INTER. CLIII. Quomodo intelligendum eſt quod dicitur, *Pater Melchæ ipſe eſt pater Ieſchæ*, vel qui fuit Ieſcha? RESP. Thare genuit Abraham, Nachor, & Aran: Arã verò genuit Loth, & Melcham, & Sarri cognomento Ieſcham: & acceperunt vxores, Abraham Sarri, Nachor verò Melcham. Nec dũ autem in patruos & fratrum filios nuptiæ lege prohibitæ fuerant. Gene. 11. 29

INTER. CLIV. Quid in tribus illis egreſſionibus intelligendum eſt, in quibus præcipitur à Domino Abrahæ, vt egrediatur de terra ſua, & de cognatione ſua, & de domo patris ſui? RESP. Nihil aliud, niſi non egrediendum eſſe de terreno homine, & de cognatione vitiorum noſtrorum, & de domo patris, id eſt mundo, qui diaboli domus dicitur, vt in Pſalmo, *Obliuiſcere populum tuum, & domum patris tui.* Gen. 12. 1. Pſalm. 44.

INTER. CLV. Quantæ promiſſiones

A Domini fuerunt ad Abraham? RESP. Duæ; vna ſcilicet quòd terram Chanaam poſſeſſurus ſit in ſemine ſuo: quod ſignificatur cùm dictum eſt, *Vade in terram quam demonſtrauero tibi, & faciam te in gentem magnam.* Alia verò longè præſtantior, quòd pater eſt non vnius gentis Iſraëliticæ ſolum, ſed & omnium gentium quæ fidei eius veſtigia ſequuntur: quod his verbis promittitur, *& benedicentur in te omnes gentes*, quæ fidẽ Abrahæ imitantur. Gen. 12. 3.

INTER. CLVI. Quomodo Sarra, cùm B à Pharaone rapta fuiſſet, conſequens eſt vt violata non fuerit? RESP. Quia, iuxta Librum Heſter, quæcumque mulierum placuiſſet Regi apud veteres, ſex menſibus vngebatur oleo myrteo, & ſex menſibus in pigmentis variis erat, & curationibus feminarum, & tunc demum ingrediebatur ad Regem. Atque ita poteſt fieri, vt Sarra poſtquam placuerat Regi dum per annum ad Regem ei præparatur introitus, Abrahæ Pharao multa donauerit, & Pharao poſtea C percuſſus ſit à Domino, illa adhuc intacta ab eius concubitu permanente. Heſt. 2. 12.

INTER. CLVII. Vtrum conuenerit Abrahæ tam ſancto viro, vt celaret Sarram eſſe vxorem ſuam, & non magis poneret in Deo ſpem ſuam, ne occideretur à Rege? RESP. Oſtenditur in iſto eius facto, quod homo non debet tẽtare Dominum Deum ſuum, quando habet quid faciat ex rationabili conſilio. Fecit enim quod potuit pro vita ſua: quod autem non potuit, illi commiſit in quem ſperauit, cui etiam pudicitiã D coniugis commendauit. Nec eum fides fefellit. Namque Pharao à Deo territus, multiſque propter eum malis afflictus, vbi eius vxorem eſſe didicit, illæſam cum honore reddidit viro ſuo. Gen. 12. 13

INTER. CLVIII. *Et erit ſemen tuum ſicut ſtellæ cœli, & ſicut arena quæ eſt in littore maris*: qui ſignificati ſunt in ſtellis, & qui in arena? RESP. In ſtellis pauciores, firmiores, clariores, intelliguntur: in arena autem maritimi littoris, magna multitudo infirmorum atque carnalium. Gen. 22. 17.

INTER. CLIX. Quid eſt, *Razim* † *&* E *Zozin?* RESP. Razim gigantes, Zozin terribiles interpretantur †, aut robuſti quique in Arabia. Gene. 14. 4. † al. *Raſim.* † al. ſignificantur.

INTER. CLX. Dixit Deus ad Abraham, *Leua oculos tuos, & vide a loco in quo tu nunc es, & ad Aquilonem & Auſtrum, ad Orientem & ad Mare, quia omnem terram quam tu vides, tibi dabo & ſemini tuo.* Si enim terra tantùm promittebatur, quam tunc in vno loco ſtãs videre potuit per quatuor climata Mundi;

anguſta videtur eſſe terra promiſſionis. A
RESP. Non hoc ſolum terræ promiſſum eſt, quod videre potuit. Non enim dictum eſt, Tantum terræ tibi dabo quãtum tu vides; ſed, *tibi dabo terram quam vides*, cùm & vlterior vndique dabatur. Et idcircò ſubiunxit, *Surge & perambula terram in latitudine & longitudine*, vt perambulando perueniret ad ea, quę oculis vno loco ſtans videre non potuiſſet. Significabatur autem ea terra, quam carnale ſemen eius accepturum erat.

INTER. CLXI. Quid, *ad Orientem & ad Mare*, dictum? RESP. Solet Scriptura ſancta, dum de plagis terræ promiſſionis loquitur, Mare pro Occidente ponere, ab eo quòd Paleſtinæ regio mare in Occidentis plaga habeat. B

INTER. CLXII. Qui ſunt expediti, de quibus dictum eſt, *Numerauit expeditos vernaculos ſuo.*? RESP. Expeditos dixit, ad bellum promptos, & qui non fuerunt vxorati, de quibus in ſequentibus dicit, *Exceptis his quæ comederunt iuuenes.*

Gen.14.14

Gen.14.24.

INTER. CLXIII. *Et perſecutus eſt vſque ad Dan.* qui locus eſt Dan? RESP. Dã, Phœnices oppidum eſt, quod nunc Paneas dicitur, vbi vnus de fontibus Iordanis oritur, qui dicitur Dan, alter vero Ior: & his duobus fontibus, qui haud procul à ſe diſtant, in vnum riuulum fœderatis, Iordanis appellatur: & ſicut ex duobus fontibus vnus fluuius, ita ex nominibus vna appellatio procreatur. C

Gen.14.18.
Heb.7.3.

INTER. CLXIV. Quis eſt iſte Melchiſedec Rex Salem, quem Apoſtolus dicit ſine patre & ſine matre eſſe? RESP. Ideò dixit Apoſtolus eum abſque patre & abſque matre, quia genealogiam eius ſancta Scriptura non narrat. Aiunt enim Hebræi hunc Melchiſedec mutato nomine Sem eſſe filium Noë, & ſupputantes annos vitæ ipſius oſtendunt eum vſque ad Iſaac tempora vixiſſe, omneſque primogenitos Pontifices fuiſſe, hoſtias Deo immolaſſe vſque ad tẽpora Aaron & legis ceremonias, & hæc eſſe primogenita quæ vendidit Eſaü fratri ſuo Iacob. Qui etiam Melchiſedec iure de triũphis abnepotis ſui decimas accepit. Porro Salem eam ipſam eſſe volunt, quæ poſtea Hieruſalem dicta eſt. Hæc etiam primò Iebus, vt referunt; poſtea Salem, deinde Hieruſalem dicta eſt. Iſte autem Melchiſedec figuraliter Chriſtum ſignificat ſecundum Apoſtolum, qui Chriſtus ſine matre in cœlis, & ſine patre in terris, offerens Deo pro nobis in terris ſui corporis panem, & ſui ſanguinis vinum: ad quem dicitur, *Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinẽ Melchiſedec.* D

Heb.5.6.

Pſal.109.4.

Gen.15.2.

INTER. CLXV. Quis fuit Damaſcus Eliezer, de quo dixit Abraham, *hæres meus erit*? RESP. Filius procuratoris Abrahæ, qui poſtea, vt aiunt, Damaſcum condidit, & nomen ciuitati dedit, regnumque in ea obtinuit.

Gen.15.8.

INTER. CLXVI. Nunquid conuenit fidei Abrahæ, vt ſignum quaſi dubius quæreret à Domino, dicens: *Domine Deus, vnde ſcire poſſum, quòd poſſeſſurus ſum eam*? RESP. Non quaſi dubius de promiſſione De[...] ne fieret, ſed quomodo futurum eſſet exquirebat.

INTER. CLXVII. Quid igitur in [...]o myſtico ſigno de poſteritate generis ſui [...] brahæ intelligẽdum erat? vel cur trium [...] norum animalia illi erant ſumenda? vel c[...] animalia diuidit, & volucres non diuidit? RESP. Trium annorum animalia tres tẽporũ articulos deſignãt, quibus populus ad ſummum honoris culmen adoleuit. A tẽporibus verò Patriarchæ Abrahæ per repromiſſiones vſque ad tempora Moſis, cõiunctus eſt Deo. A temporibus autem Moſis Legiſlatoris, à Deo Legis acceptione, & miraculorum oſtenſione, triumphis, & terrę promiſſionis ingreſſione glorificatus. A temporibus verò Dauid regio honore, & templi ciuitatiſque Hieruſalem inſtructione eleuatus eſt. Porrò Aries regiam & ſacerdotalem dignitatem: Vacca cum Legis litera ſeruientem: Capra etiam eandem gẽtem peccatricem eſſe deſignat. Aues verò ſpirituales & Dei electos præfigurabant. Diuiſiones itaque animalium, ſchiſmata inter carnales ſemper eſſe oſtendunt. In eo quòd aues non diuiſit, pax & vnitas ſpiritualium intelligitur. Quòd circa veſperam pauor eſt ſuper Abraham, terrorem ſignificat Dei iudicij, qui ſeparabit ſpiritales à carnalibus, alios ſtatuens ad dexteram, alios ad ſiniſtram. Aues verò quæ ſuper cadauera volitant, dæmonia ſunt, & potẽtes qui carnalibus inſidere quærũt: quas deuotus doctor ſedula admonitione abigere debet. Matth.25.

INTER. CLXVIII. Quid eſt quod dictum eſt ad Abraham, *Scito prænoſcens, quòd peregrinum futurum ſit ſemen tuum in terra no[n] ſua, & ſubiicient eos ſeruituti, adfligent quadringentis annis*? Vnde iſti quadringenti anni computati ſunt anni ſeruitutis? RESP. Nõ ſic accipiendum eſt, tanquam in illa duriſſima ſeruitute quadringentos annos Dei populus fuerit, ſed quia ſcriptũ eſt, *In Iſaac vocabitur tibi ſemen*: ex anno natiuitatis Iſaac vſque ad annum egreſſionis ex Ægypto computantur anni quadringenti quinque. Cùm ergo de quadringentis triginta de- E

traxeris

traxeris viginti quinque,qui ſunt à promiſſione vſque ad natum Iſaac,non mirum eſt ſi quadringentos & quinque annos ſummâ ſolidâ quadringentos voluit appellare Scriptura, quæ ſolet tempora ita nuncupare, vt quod de ſumma perfectionis numeri paululum excreſcit, aut infra eſt,non computetur. Nõ itaque quod ait, *In ſeruitutẽ redigẽt eos, & nocebunt illis*, ad quadringentos an- referendum eſt, tanquam per tot an- s eos habuerint in ſeruitute: ſed referen- ſunt quadringenti anni ad id quod di- m eſt, *Peregrinum erit ſemen tuum in terra n propria*: quia ſiue in terra Chanaam,ſiue Ægypto, peregrinum erat illud ſemen ntequam hereditatem ſumerent ex promiſſione Dei: quod factum eſt poſtquam ex Ægypto liberati ſunt, vt hyperbaton hîc intelligatur, & ordo ſit verborum: *Sciendo ſcies, quià peregrinum erit ſemen tuum in terra non propria quadringentis annis*: Illud autem interpoſitum intelligatur, *Et in ſeruitutem redigent eos, & nocebũt illis*, ita vt ad quadringentos annos iſta interpoſitio non pertineat. In extrema enim parte ſummæ huius, hoc eſt poſt mortem Ioſeph, factum eſt vt in Ægypto populus Dei duram perageret ſeruitutem.

Gen. 15.16. INTER. CLXIX. Quare dictum eſt in Geneſi de filiis Abraham, *Quarta progenie reuertetur huc* & in Exodo legitur, *Quinta generatione aſcenderunt filij Iſrael de terra Aegypti*? RESP. Egreſſi ſunt filij Iſraël quarta generatione de terra Ægypti. Replica genealogiã Leui. Leui genuit Gath, Gath genuit Abram, Abram Aran, Aran Eleazar, Eleazar Phinees. Gath cum patre ſuo Leui ingreſſus eſt Aegyptum. A Gath vſque ad Eleazar computantur quatuor generationes. Quod autem ſecundùm Exodum quinta generatione egreſſi ſunt filij Iſraël de terra Aegypti, Tribus Iudæ ordo numeretur. Iuda genuit Phares, Phares Eſrom, Eſrom genuit Aram, Aram Aminadab, Aminadab Naaſon, Naaſon Salmon. Phares cum patre ſuo ingreſſus eſt Aegyptũ, Naaſon Princeps Iuda in deſerto deſcribitur, cuius filius Salmõ terram promiſſionis introiit. Computa à Phares vſque ad Naaſon, & inuenies generationes quinque.

Gen. 18,18. INTER. CLXX. *Semini tuo dabo terram hanc à fluuio Aegypti vſque ad flumen magnum Euphraten*, de quo dixit Aegypti fluuio? RESP. Non à fluuio magno Aegypti, hoc eſt Nilo, ſed à paruo qui diuidit Aegyptũ & Paleſtinam.

INTER. CLXXI. Quomodo defendi-

A tur Abraham adulterij reus non eſſe, dum viuente legitima vxore ſua coniunctus eſt ancillæ ſuæ? RESP. Nondum promulgata erat vnius vxoris lex Euangelica. Habebat quoque promiſſionem à Deo multiplicandi ſeminis ſui: ſed nec dum ſciebat ex qua vxore, quia poſtea dictum eſt ei de Sarra habere filium. Nam propterea ſic propagandi voluntas pia fuit, quia concumbendi voluntas † libidinoſa non fuit. Etiam & Sarra cùm prolem de ſe habere non potuit, de ancilla habere voluit; conſentiebatque in B facto, quia ſe ſterilem eſſe ſciebat.

† al. voluptas.

Gen. 16.11. INTER. CLXXII. Quomodo manus omnium contra Iſmaëlem, & manus eius contra omnes? RESP. *Inuenit Angelus Domini* Agar *ſuper fontem aquæ in deſerto*, ad fontem *in via Aſſur*, quę per heremum ducit ad Aegyptum: *& vocauit nomẽ eius Iſmael* quia exaudiuit Dominus humilitatem (Iſmaël interpretatur exauditio Domini) *Hic erit ferus homo. Manus eius ſuper omnes, & manus omnium ſuper eum, & contra faciem omnium fratrum ſuorum habitabit.* Significat autem ſemẽ C eius habitaturum in heremo, id eſt Sarracenos vagos, incertiſque ſedibus, qui vniuerſas Gentes, quibus deſertum ex latere iungitur, incurſant & impugnant.

Gen. 17.5. & 15. INTER. CLXXIII. Quæ litera adiecta eſt nomini Abraham, & Sarri? vel quæ mutationis nominum illis cauſa fuit? RESP. Dixit Dominus ad Abraham, *Ecce teſtamentum meum tecum, & eris pater multitudinis Gentium, & non vocabitur nomen tuũ Abrã, ſed erit nomen tuum Abraham, quia patrem Gentium poſui te.* Dicunt autem Hebræi, quòd Deus ex nomine ſuo, quod apud illos te- D tragramum † eſt, ה litteram Abrahæ & Sarræ addiderit. Dicebatur enim primùm Abram, id eſt pater excelſus; & poſtea vocatus eſt Abraham, pater multarum: nam Gentium non habetur in nomine, ſed ſubauditur. Nec mirandum quare, cùm apud Græcos & quoſdam alios litera videatur addita, nos ה litteram Hebræã additam dixerimus. Idioma enim linguæ eſt per ה quidem ſcribere, ſed per a legere: ſicut econtra a literam ſæpe per e pronunciant. Et dixit Deus ad Abraham, *Sarri vxor tua, non vo-* E *cabis eam Sarri, ſed Sarra erit nomen eius.* Errant qui putant primũ Sarra per vnũ r ſcriptum fuiſſe, & poſtea ei alterum r additum, quia r apud Græcos centenarius numerus eſt Sarri ergo primum vocata eſt per ·י·. Sublato iod, id eſt iota elemento, additum eſt e, quod per a legitur, & vocata eſt Sarra. Cauſa autem nominis mutati hæc eſt,

† al. tetragrammatũ.

Gen. 17.15.

quòd antea dicebatur Princeps, vnius tantummodo domus materfamilias; poſtea verò dicitur abſolutè Princeps.

Gen.17.24. INTER. CLXXIV. Quare Abraham circumciſionem accepit? RESPONSIO. Idcirco Abrahæ commendata eſt circumciſio, vt ſub lege eſſet: ſicut Adam, ne de ligno manducaret; vt comprobaretur ſi compleret hoc, an non. Credens enim filium ſe habiturum, per cuius generationem omnibus Gentibus benedictio futura eſſet, & in cuius nepotibus caſtitatis & ſobrietatis vnicum manſiſſet exemplar: indè in ea parte corporis ſignum fidei accepit, vnde Filius Dei, non carnis naſciturus erat; nec truncata corporis parte deformior, ſed fidei in Deum ſigno glorioſior. Igitur pro Deo aliquid perdere, lucrum eſt, non damnum. Ita Abraham fidei ſuæ ſignum accipiens, non deformatus eſt, ſed melioratus. Si enim Adam pactum Dei cuſtodiſſet, Abraham hoc pactum non accepiſſet. Sed quia ille in hoc membro culpā inobedientiæ primò agnouit, decuit vt iſte in hoc membro ſignum obedientiæ ſecundò † acciperet; vt oſtenderetur obedientes quandòque generaſſe filios ad vitam, dum olim præuaricatores generarunt ad mortem.

† al. ſecundus.

INTER. CLXXV. Nunquid dubitando dixit, *Putaſne centenario naſcetur filius, & Sarra nonagenaria pariet*? RESP. Non verba hæc dubitantis diffidentiam oſtendunt, ſed admirantis gaudium. Ideo præ gaudio ridentis Abrahæ filius dicebatur Iſaac. Riſus iſte in bono accipi debet, vt in Euangelio, *Beati qui lugent nunc, quoniam ipſi ridebunt.* Gen.17.17. Matt.5.

Gen.18.13. INTER. CLXXVI. Quare Sarram ridentem redarguit Dominus? RESP. Riſus Abrahæ admirationis & lætitiæ fuit: Sarræ autem, dubitationis & diffidentiæ: quod ab illo diiudicari potuit, qui corda hominum nouit. Vnde hæc eadem Sarra ridens corripitur, correpta protinus fœcūdatur, & contra ſpem ex diuina promiſſione accepit, quod habiturām ſe ex humana ratione dubitauit.

INTER. CLXXVII. Quot in veteri Teſtamento propriis nominibus nominati ſunt antequam naſcerentur? RESP. Quatuor, Iſmaël, Iſaac, Salomon, Ioſias; certis quibuſdam ex cauſis.

Gen.18.3. INTER. CLXXVIII. Quæritur, cùm tres viri eſſent, qui Abrahæ apparuerunt, quomodo ſingulariter Dominum appellat, dicens: *Domine, ſi inueni gratiam ante te*? RESP. Igitur in Angelis Dominum ſentiens, Domino potius quàm Angelis loqui elegit. Et quidem aliquando imaginibus; & ante corporeos oculos ad tempus ex aëre aſſumptis, per Angelos loquitur Deus: ſicut nunc Abraham non ſolùm tres viros videre potuit, ſed etiam terreno habitaculo ſuſcipere, & eorū vſibus etiam cibos adhibere. Niſi enim Angeli, cùm quædam nobis in terra nunciant, ad tempus ex aëre corpus aſſumerent, exterioribus [illegible] fecto noſtris obtutibus non appa[illegible] Nec cibos cum Abraham ſumeren[illegible] propter nos ſolidum aliquid ex cœ[illegible]lemento geſtarent. Nec mirum q[illegible] illi ipſi qui ſuſcepti ſunt, modò Angeli, modò Domini vocantur: quia Angelorum vocabulo exprimuntur qui exteriùs miniſtrabant, & appellatione Domini oſtenditur qui eis interiùs præerat: vt per hoc, præſidentis imperium; & per illud, clareſceret officium miniſtrantium.

INTER. CLXXIX. Quid eſt clamor Sodomorum, vel quid eſt quod Dominus dixit, *Deſcendam, & videbo, vtrum clamorem qui venit ad me opere compleuerint*? RESP. Peccatum cum voce eſt culpa in actione: peccatum verò cum clamore eſt culpa cum libertate & iactantia. Quod autem dixit, *Deſcendam & videbo*, & huiuſmodi, omnipotens Dominus & omnia ſciens; cur ante probationem quaſi dubitat, niſi vt grauitatis nobis exemplum proponat, ne mala hominum ante præſumamus credere quàm probare? Et ecce, vt per Angelos ad cognoſcenda mala deſcendit, mox facinoroſos percutit. Atque ille patiens, ille mitis, de quo ſcriptum eſt: *Tu autem cum tranquillitate iudicas.* Ille, de quo rurſum ſcriptum eſt, *Dominus patiens eſt*: cùm tanto crimine inuolutos inueniens, quaſi patientiam prætermiſit, & diem extremi Iudicij expectare ad vindictam noluit, ſed eos igne iudicij ante diem iudicij præuenit. Ecce malum, & quaſi cum difficultate credidit cùm audiuit; & tamen ſine tarditate percuſſit cùm verum cognoſcendo reperit: vt nobis videlicet daret exemplum, quia maiora crimina & tardè credenda ſunt cùm audiuntur, & citius punienda cùm veraciter agnoſcuntur. Gen.18.20. Sap.12.18.

INTER. CLXXX. Quare Abraham dixit, *Puluis ſum & cinis*, cùm tantas promiſſiones à Deo accepiſſet? RESPONSIO. Sublimitatem promiſſionum humilitatis temperauit ſubiectione. Aptè enim intelligitur in quo loco ſe poſuerat, qui pulverem ſe ac cinerem, etiam tum cùm Deo Gen.18.27.

loqueretur, æſtimabat. Si igitur ſe ita deſpicit, qui vſque ad honorem diuinæ collocutionis aſcendit: ſollicita intentione penſandum eſt, qua pœna illi feriendi ſunt, qui ad ſumma non proficiunt, & tamen de minimis extolluntur.

Gen.18.26. INTER. CLXXXI. Quæri ſolet, vtrum quod de Sodomis dixit Deus, non ſe perdere locum ſi inuenirentur illic centum vel decem iuſti, ſpeciali quadam ſententia de illa ciuitate, an de omnibus intelligendum ſit generaliter, parcere Deum loco, in quocumque vel decē iuſti fuerint? RESP. Non eſt neceſſe vt hoc de omni loco accipere compellamur. Verumtamen de Sodomis potuit ſic dici, quia ſciebat Deus ibi non eſſe vel decem: & ideò ſic reſpondebatur Abrahæ, vt ſignificaretur nec tot ibi poſſe inueniri ad exaggerationem iniquitatis illorum.

INTER. CLXXXII. Quare Abraham in tribus viris illis, ſi Deum intellexit vel Angelos, & iterum Loth in duobus eos humano cibo veſci putabat? RESP. Fortaſſe prius eos homines eſſe arbitrati ſunt, in quibus Deum loqui intellexerunt, quibuſdam diuinæ Maieſtatis exiſtentibus & apparentibus ſignis poſteà Angelos eſſe † cognouerunt, cum eis videntibus in cœlū iſſent. Sed intuendum eſt hîc quantum bonum ſit hoſpitalitas. Hoſpitalem domum ingreſſi ſunt Angeli, clauſas hoſtiū domos ingreſſus eſt ignis. al. fuiſſe.

INTER. CLXXXIII. Si iudicium Dei iuſtum eſt, quare infantes in Sodomis cum parentibus cremati ſunt? RESP. Vt nimis impium facinus Sodomitarum poſſit aduerti, peccatum eorum peruenit vſque ad necem filiorum, ne de origine illorum aliquod ſignum remaneret. Nónne prouiſum eſt illis, ne diu viuentes exempla ſequerentur Patrum; & leuius in futuro crucientur, vel omnino non aliena cauſa occiſi. Parentes tam pro ſe quàm pro his rei ſunt. Ergo mors filiorum crimen eſt parentum, & ideò futuri ſunt accuſatores parentum. Eſt qualecumque beneficium reū non eſſe, qui glorioſus non eſt: prodeſt enim pauperem non eſſe, qui Rex eſſe non poteſt.

Gen.19.20. INTER. CLXXXIV. Quæritur, quare Loth, cùm iuſſus eſſet ad montem fugere, Segor prætulerit vt ibi ſaluaretur; & rurſum de Segor ad montem migraſſet? RESP. Tradunt Hebræi, quòd Segor frequenter terræmotu ſubruta, Bale primùm, & poſtea Saliſſa appellata ſit, timueritque Loth dicens; *Si cùm cæteræ adhuc vrbes ſtarent iſta ſæpè ſubuerſa eſt, quanto magis nunc in communi ruina non poterit liberari?* Et hanc occaſionem infidelitatis, etiam in filias coitus principium dediſſe certum eſt. Qui enim cæteras viderat ſubrui ciuitates, & hanc fuiſſe quæ Dei auxilio eruta erat; vtique de eo quod ſibi conceſſum audierat, ambigere non debuit.

INTER. CLXXXV. Cur igitur Angeli, quaſi hoſpites coacti, domum Loth introiſſe dicuntur? RESP. Vt tentata eſſet charitas Loth, probata, & remunerata: & vt oſtenderetur quantum eſſet hoſpitalitatis bonum. Hoſpitalem verò domum Angeli ingreſſi ſunt, ad liberandum hoſpitem ſuum: clauſas autem hoſpitibus domus ignis ingreſſus ad perdendos peccatores in eis. Idcirco hoſpites non ſunt euitandi, ſed vltrò inuitandi.

INTER. CLXXXVI. Quæritur, quare de cœlo vindicta data eſt ſuper habitatores impios ciuitatum illarum? RESPONS. Quia clamor peccantium in cœlum aſcendiſſe dicitur; idcircò de cœlo puniendi erant. Gen.19.24.

INTER. CLXXXVII. Cur ſulphureo igne puniebantur? RESP. Vt putidiſſimus libidinis ardor putidiſſimo flammarū ardore puniretur. Gen.19.26.

INTER. CLXXXVIII. Cur vxor Loth in ſtatuam ſalis verſa eſt? RESP. Ad condimentum fidelium, quia punitio impij eruditio eſt iuſti.

INTER. CLXXXIX. Quo conſilio filiæ Loth concubitum patris petierunt; vel ab hoc inceſtu purgari poſſunt, dum hoc ſcientes fecerunt, ille verò neſciens? RESP. Videtur filias Loth quædam didiciſſe de ſeculi conſummatione, quæ immineret per ignem: ſed tanquam puellæ non intelligebant perfectè quæ didicerant; quòd Sodomiticis igne vaſtatis multum adhuc ſpatium integrum reſideret in mundo: ſuſpicantes ſunt tale aliquid factum, quale in temporibus Noë audierant, & ob reparandam mortalium poſteritatem ſolas ſe eſſe cum parente ſeruatas. Recuperandi igitur humani generis deſiderium ſumunt, atque inſtaurandi ſeculi ex ſeſe dandum opinantur exordium. Et quamquam graue eis crimen, furari concubitum patris; grauior tamen eis impietas videbatur, ſi humanæ, vt putabant, poſteritatis ſpem ſeruata caſtitate deleſſent. Propter hoc ergo conſilium ineunt, minore, vt arbitror, culpa, argumentóque maiore: patris mœſtitiam vel rigorem vino molliunt & reſoluunt: ſingulis ingreſſæ noctibus ſingulæ ſuſcipiunt

ab ignorante conceptum, vltra non repetunt, nec requirunt. Vbi hinc libidinis culpa; ibi incesti crimen arguitur: quomodo dabitur in vitio quod non iteratur in facto?

*al. quaſi incertus.

INTER. CXC. Si Loth inceſtus * in hoc facto culpandus eſt, an non? RESP. Culpandus eſt quidem in hoc facto Loth, quãtum ebrietatis ignorantia meretur. Nam & hanc æterna lex condemnat, quæ cibum & potum nonniſi ad ſalutem corporis ſumere mandat. Et hinc diligentiùs intendendum eſt, quantum ſit ebrietatis malum; & valde timendum eſt illis, quibus hoc malum in vſu eſt. Nam in crimine ebrietas decipit; quem Sodoma non decepit. Vritur ille flamma mulierum, quem flamma ſulphurea non vſſit. Erat ergo Loth arte, non voluntate deceptus; ideò medius quidam inter peccatores & iuſtos: quippe qui ex Abrahæ cognatione deſcenderat, in Sodomis tamen habitauerit. Nam & hoc, quòd euadit è Sodomis, ſicut Scriptura indicat; magis ad honorem Abrahæ, quàm ad meritum pertinet Loth.

INTER. CXCI. Quare diebus Noë peccatum mundi aquâ vlciſcitur; hoc verò Sodomitarum, igne punitur? RESP. Quia illud naturale libidinis cum feminis peccatum quaſi leuiori elemento damnatur: hoc verò contra naturam libidinis peccatum cum viris, acrioris elementi vindicatur incendio: & illic terra aquis abluta reuireſcit; hîc flammis cremata, æterna ſterilitate areſcit.

Gen. 20. 2. INTER. CXCII. Cur Abraham Sarram vxorem ſuam, ſororem ſuam ſecundò eſſe dixit? RESP. Quia ex priori Pharaonis correptione certus erat de Dei defenſione, quòd violari non potuit: incertus de ſua vita, an illorum euaderet manus. Et miranda eſt Sarræ pulchritudinis forma, quæ in tanta ætate tantum amari potuit, vt vir ſuus propter eius pulchritudinem ſe periclitari metueret.

Gen. 20. 6. INTER. CXCIII. Cur dixit Deus ad Abimelech, *Peperci tibi vt non peccares in me?* RESP. Vt aduerteretur, in Deum peccari, quando talia committuntur, quæ putent homines leuiter habenda, tanquam in carne peccata.

Gen. 20. 3. INTER. CXCIV. Cur non Abimelech mortuus eſt, dum dixit ei Deus, *Ecce tu morieris*? RESP. Vtique Deus prædixit quod ſine dubio futurum fuiſſet, ſi in hac ammonitione, à peccato abſtinendo, non caueretur.

Geneſ. 21. INTER. CXCV. Quare Abraham in die ablactationis Iſaac, & non die natiuitatis, vel circumciſionis, fecit conuiuium grande? RESP. Propter ſignificationem ſpiritualem: tunc enim gaudium habendum eſt de vno viro ſpirituali, quando ſolido veritatis cibo, non lacte carnalis intelligentiæ, paſcitur.

Gene. 21. INTER. CXCVI. De quo ludo arguit Sarra Iſmaël filium Agar? RESP. Dupliciter hoc ab Hebræis exponitur; ſiue quòd idolothytum fecerit, iuxta illud, *Sedit populus manducare & bibere, & ſurrexerunt ludere*: ſiue quòd aduerſum Iſaac, quaſi maioris ætatis, ioco ſibi & ludo primogenita vindicaret: quando quidem Sarra audiens non tulit. Et hoc ex ipſius approbatur ſermone, *Eiice ancillam hanc cum filio ſuo: non enim erit hæres filius ancillæ cum filio meo Iſaac.*

INT. CXCVII. Poſt quot annos puer ablactari ſolet? RESP. Inter Hebræos varia opinio eſt; adſerentibus aliis, quinto anno; aliis, duodecimo ablactationis tempus impleri.

Gen. 21. 14. *al. quatuordecim. INTER. CXCVIII. Si tredecim * annorum erat Iſmaël, quando natus eſt Iſaac adiunctiſque ætati ablactationis annis: quomodo conuenit tantæ ætatis adoleſcentem matris ſediſſe in ceruicibus, dũ dicitur; *Sumpſit Abraham panes & vtrem aquæ, & dedit Agar, ponens ſuper humerum eius, & paruulum, & dimiſit eam?* RESP. Omnis filius ſecundum idioma linguæ Hebræorum ad comparationem parentum infans vocatur & paruulus. Et eſt ſenſus, Poſuit Abraham panes & vtrem ſuper humerum Agar, & hoc facto dedit puerum matri; hoc eſt, in manu eius eum tradidit, commendauit, & ita emiſit è domo. Quod in ſequentibus declaratur, dum dicitur: *Surge, tolle puerum, & tene manum eius*, non vt eum de terra vel iacentem tolleret, ſed quaſi comitem manu teneret. Quod autem manu parentis tenetur, ſollicitus monſtratur effectus. Gen. 21. 18.

INTER. CXCIX. Quid eſt, quod dicitur, matrem fleuiſſe: & Deum vocem pueri exaudiſſe? RESP. Mater non ſuam mortem, ſed filij deplorabat, pepercitque Deus puero, pro quo fletus matris erat.

INTER. CC. Quomodo ad puteum iuramenti agrum plantauerat Abraham, ſi in terra illa, quemadmodum Stephanus ait in Actis, non acceperat hereditatem, nec ſpatium pedis? RESPONSIO. Ea eſt intelligenda hæreditatis, quam Deus fuerat munere ſuo gratuito daturus, Gen. 21. 33. Act. 7.

non iſta quæ pretio empta eſt. Intelligitur autem ſpatium circa puteum ad illud emptionis pactum pertinere, in quo fuerant agnæ ſeptem datæ, quando Abimelech & Abraham ſibi iurauerunt.

Gen. 21. 29. Iacob. 1. 13. INTER. CCI. Quid illud, *Tentauit Deus Abraham*? Et Iacobus Apoſtolus dicit, *Deus neminem tentat*. Quomodo vtrumque intelligendum eſt? RESP. Duobus modis tentatio in Scripturis ſolet intelligi. Vna eſt, quæ per Deum fit probationis cauſa, vt iuſtificetur homo & coronetur; de qua & dicitur, *Tentat vos Dominus Deus veſter, vt ſciat ſi diligatis eum*, hoc eſt, vt ſcire vos faciat. Alia eſt, de qua Iacobus dicit, *Deus neminem tentat*, qua peccato implicamur. De illa Apoſtolus dicit, *Ne forte tentauerat vos is qui tentat.* Igitur Abraham à Deo tentatus eſt, vt probaretur, iuſtificaretur, coronaretur; & vt eius obedientia tali probata examine poſteris innoteſceret.

Deut. 13. 3. Theſ. 3. 5.

Geneſ. 22. 2. INTER. CCII. De quo dixit Abrahæ, *Super vnum montium, quem monſtrauero tibi?* RESP. Aiunt Hebræi hunc montem eſſe in quo poſtea Templum conditum eſt.

INTER. CCIII. Cur in tentatione Abrahæ Deus dixit, *Tolle filium tuum chariſſimum, quem diligis, Iſaac*? RESP. Vt ex charitatis ammonitione, & nominis recordatione, tentationis pondus accumularetur, & paternus affectus torqueretur ex memoria promiſſionis: cùm antè Deus dixiſſet ad eum, *In Iſaac vocabitur tibi ſemen*: quaſi ſi ille occideretur, tota ſpes promiſſionis fruſtraretur.

INTER. CCIV. Et cur non ſtatim licuit ei occidere filium, ſed triduana itineris mora, eum immolaturus, ſecum ducere iuſſus eſt? RESP. Quatenus longitudine temporis, tentationis quoque augeretur incrementum. Nam per triduum iter protenditur, & per totum triduum creſcentibus curis paterna viſcera cruciantur: vt omni hoc ſpatio tam prolixo intueretur filium pater, cibum cum eo ſumeret, vt noctibus puer penderet in amplexibus patris, inhæreret pectori, cubitaret in gremio; quatinus per ſingula momenta in paterno affectu dolor occidendi filij accumularetur.

INTER. CCV. Si Abraham indubitanter & firmo animo cogitabat mactare puerum Domino in holocauſtum; quid eſt quod dixit pueris ſuis, *Vos expectate hîc, ego & puer cùm adorauerimus reuertemur ad vos*? RESP. Indubitanti animo mactare eum credebat. Idcircò vtrumque laudis eſt, in conſtantia offerendi, & in fide reſſuſcitandi. Sciebat certiſſimè, Deum fallere non poſſe: & licet puer occideretur, promiſſionem tamen Dei ſaluam permanere. Vnde & Paulus Apoſtolus per Spiritum ſanctum didicerat quid animi habuiſſet Abraham intra ſe, dum fidem eius laudat, dicens: *Fide Abraham non hæſitauit, cùm vnicum offerret, in quo acceperat promiſſionem, quia à mortuis eum reſuſcitare potens eſt Deus.* Rom. 4. 20.

Geneſ. 22. 5.

INTER. CCVI. Vnde Aries iſte, qui pro Iſaac immolatus eſt, venerit, ſolet quæri: an terra ibi ſubitò creatus eſſet, vel aliundè ab Angelo allatus? RESP. Aries iſte non putatiuus, ſed verus eſſe credendus eſt. Ideò magis à Doctoribus æſtimatur, aliundè eum Angelum attuliſſe, quàm ibi de terra, poſt ſex dierum opera, Dominum procreaſſe. Gen. 22. 13.

INTER. CCVII. Quare appellauit Abraham nomen loci illius, *Dominus vidit*: cùm nuſquam ſit quod Dominus non videat? RESP. *Vidit*, pro, *apparuit*, dixit: hoc eſt, videri fecit, ſicut ibi: *Et nunc cognoui quia times Deum*, id eſt, feci vt cognoſcaris; eo genere locutionis, dum per efficientem ſignificatur id quod efficitur: ſicut pigrum frigus dicimus, eo quòd frigus faciat. Illud autem quod dixit, *Vnde vſque hodie dicitur, Dominus in montem videbit:* exindè apud Hebræos prouerbium venit, vti quando in anguſtia conſtituti ſunt, Domini quoque optant auxilio ſubleuari, dicunt, *In monte Dominus videbit*; hoc eſt, ſicut Abrahæ, miſerebitur & noſtri. Vnde & in ſignum dati arietis ſolent etiam nunc cornu clangere. Gen. 22. 14.

INTER. CCVIII. Vocauit Angelus Domini Abraham ſecundò de cœlo, dicens: *Quia feciſti rem hanc, & non perperciſti filio tuo vnigenito propter me.* Numquid Abraham propter Angelum non pepercit filio ſuo, & non propter Deum? RESP. Angeli nomine Dominus Chriſtus ſignificatus eſt; qui ſine dubio Deus eſt, & manifeſtè à Propheta dictus eſt, *magni Conſilij Angelus.* Aut, Deus in Angelo; aut ex perſona Dei Angelus loquebatur, ſicut in Prophetis etiã fieri ſolet. Nam in conſequentibus hoc magis videtur apparere vbi legitur, *Vocauit Angelus Domini Abraham iterum de cœlo, dicens: Per memetipſum iuraui, dicit Dominus.*

INTER. CCIX. Quid eſt, quòd ſecundò ad Abraham eædem, & non aliæ promiſſiones factæ ſunt? RESP. Significat duplex ſemen Abrahæ futurum eſſe, vnum carnale, aliud ſpirituale. Ideò dixit ei Dominus, *Erit ſemen tuum ſicut ſtellæ cœli, & ſicut arena maris.* In ſtellis cœli, ſpirituales: in arena ma- Gen. 22. 15.

ris, carnales intelliguntur.

Gen.22.20. Inter. ccx. Cur nominauit Scriptura filios Nachor fratris Abrahæ? Resp. Quia de illis, vel de illorum ſtirpe aliquid celebre poſtea geſtum eſſe legitur. Itaque Hus vnus erat, de cuius ſtirpe Iob deſcendit. Sic enim ſcriptum eſt in exordio voluminis eius: *Vir fuit in terra Hus nomine Iob.* Malè igitur æſtimabant quidam Iob de genere Eſaü natum, in cuius genere eſt Balam ille diuinus, vt Hebræi tradunt, qui in libro Iob dicitur Heliu: primùm vir ſanctus, Propheta Dei: poſtea per inobedientiam & deſiderium munerum excæcatus, dum Iſraël maledicere cupit, Diuini vocabulo nuncupatus.

Gen.23.2. Inter. ccxi. Cur vna ciuitas Hebron tribus appellata eſt nominibus; videlicet Hebron, Arbe, Membre? Resp. Hebron à gigantibus, à quibus quondam condita eſt: Arbe à numero, videlicet quatuor; quòd ibi quatuor Patriarchæ ſepulti ſunt; Adam, magnus humani generis pater; Abraham, Iſaac, Iacob. Hęc eadem quoque à quodam amicorum Abraham Mambre vocata eſt.

Gen. 24. 3. Inter. ccxii. Quid ſignificat, quòd Abraham puero ſuo dicit, *Pone manum tuam ſuper femur meum, & iura per Dominum Deum cœli?* Resp. Tradunt Hebræi, quòd in ſanctificatione eius, hoc eſt Circumciſione iurauerit: ſed melius intelligendum eſt iurare eum in ſemine Abrahæ, hoc eſt Chriſto, quia ipſe Dominus Deus cœli in ea carne tum venturus erat, quæ de illo femore propagata eſt.

Gen.24.14. Inter. ccxiii. Quomodo ſeruus Abrahæ in petitione ſigni augurationis vitio culpandus non eſt? Resp. Aliud eſt, mirum aliquid petere, quod ipſo miraculo ſignificatur; aliud humanos errores ſuperſtitioſa vanitate in auſpiciis, augurationibus, diuinationibus obſeruare. Quædam enim pacta ſunt diabolicæ familiaritatis, & non ſine grandi peccato fiunt quando fiunt. Illud igitur ſuperius petitionis genus comprobatio ſeu coniunctio fidei eſt ad Deum, hoc poſterius infidelitatis coniunctio ad diabolum.

Gen. 24.60 Inter. ccxiv. Quid hoc, proficiſcēte Rebecca, *Soror noſtra es, creſcas in milia miliū, & hereditatem obtineat ſemē tuum portas inimicorum ſuorum?* Num Prophetæ fuerunt, quia hoc dixerunt quod in futuro factum eſt? Resp. Non Prophetæ fuerunt, aut vanitate tam magna optauerunt, ſed eos quę promiſerat Deus Abrahæ latere non potuerūt.

Gen.24.63. Inter. ccxv. Quæ eſt exercitatio Iſaac, qua ſe exercere dicitur in cāpo ad veſpe-

A ram? Resp. Significat illa exercitatio orationem, ſecūdum illud quod Chriſtus orabat in monte: vt etiam hinc Iſaac typum Domini geſſerit.

Inter. ccxvi. Quæ eſt illa terra Auſtri, vbi habitat Iſaác, reuertente ſeruo patris ſui cum Rebecca? Resp. Significat terram illam vnde à Patre ad immolandum fuerat adductus. Gen.24.62.

Inter. ccxvii. Quid eſt theriſtrum, quo ſe operuit Rebecca? Resp. Pallij genus eſt, vt nunc ſunt Arabica veſtimenta, quibus mulieres Prouinciæ illius velan-
B tur. Gen.24.65.

Inter. ccxviii. Cur Abrahā poſt promiſſum ſibi & natum Iſaac, in quo et multiplicatio prolis, & benedictio Gentiū promiſſa eſt à Deo, aliā voluit ducere vxorem? Resp. Non propter incontinentiam, cùm iam eſſet grandæuus: ſed ſicut Agar & Iſmaël ſignificant carnales veteris Teſtamenti, ſic Cethura & filij eius ſignificant hęreticos qui ſe ad nouum Teſtamentum pertinere exiſtimant. Sed vtræque concubinæ dicuntur: ſic enim dicitur, *Filiis concu-*
C *binarum largitus eſt munera.* Sola Sarra vxor ſemper vocatur. Gen.25.1.

Inter. ccxix. Quæ eſt Cethura, aut vnde genus duxit? Resp. [† Cethura interpretatur copulata, aut vincta, quam ob cauſam] ſuſpicantur Hebræi eandem eſſe Agar, quæ Sarra mortua ex concubina trāſierit in vxorem. Et ſic videtur Abrahæ ætas iam excuſari, ne ſenex poſt mortem vxoris vetulæ nouis nuptiis arguatur laſciuiſſe. Geneſ.25.8 † Hæc in impr. deſiderabantur

[† Fertur quoque quia filij Abrahæ, qui ei de Cethura nati ſunt, littora .... Dicitur autem vnus ex poſteris Abrahæ, qui appella-
D tur Aſſer, duxiſſe aduerſus Lubian † exercitum, & ibi deuictis hoſtibus conſediſſe, eiuſque poſteros ex nomine ataui Africam nuncupaſſe. Alios quoque filios Abrahæ ex Cethura occupaſſe Iudeæ regiones ęſtimatur.] † Addita ſunt quoq. ſequentia ex MS. Cod. † *al.* Labiā.

Inter. ccxx. Quomodo conuenit Abrahæ tam ſancto viro quod dicitur, *Et deficiens mortuus eſt?* Resp. In Hebræo non habetur *deficiens*, ſed à Septuaginta Interpretibus additum eſt. Geneſ.25.8

Inter. ccxxi. Quid, quòd plenus dierum dicitur? Resp. Quod lucis & diei operibus plenus occubuerit.

Inter. ccxxii. Quid eſt quod dicit Scriptura de filiis Iſmaël, *Habitauerunt ab Ebila vſque ad Sur, quæ eſt contra faciem Aegypti?* Resp. Ebila eſt regio quam circumfluit Phiſon ex Paradiſo fluens, dicta à quodam Ebila nepote Noë, & eſt ſolitudo contra fa- Ibidem.

ciem Ægypti. Sur quoque eſt ſolitudo inter Cades & Barad, extendens deſertum vſque ad mare Rubrum & Ægypti confinia.

†Quæſtionem hanc integram addidimus, nunc primum ex MS. Codice.

[† INTER. CCXXIII. Quid eſt quod dicitur de Iſmaële, quòd duodecim generaſſet Principes, vel duces, qui regionibus vel tribubus nomina dederunt? RESP. Significat, quòd ſinguli filiorũ Iſmaëlis ...... è quibus primogenitus eius fuit Nabaioth †, à quo omnis regio ab Euphrate ad mare Rubrum Nabathena vſque hodie dicitur, quæ pars eſt Arabiæ. Nam & familiæ eorũ, oppidáque, & pagi, ac munera; caſtella & tribus horum appellatione celebrantur. Ab vno ex his Cedaar in deſerto, Eoduma alia regio, & Hemanea ad Auſtrum, & Cedema ad Orientem plagam dicitur.]

† al. Nabeoth.

Gen.25.18. INTER. CCXXIV. Quid eſt quod dicitur de eodem Iſmaële, *Coram omnibus fratribus ſuis obiit*? Vel qui ſunt fratrum nomine dicti? RESP. Id eſt, in manibus omnium liberorum ſuorum mortuus eſt, ſuperſtitibus omnibus liberis, & nullo prius morte prærepto. Fratres autem pro filiis appellari, ad Iacob Laban demonſtrat dicens; *Ponatur coram fratribus tuis, vt iudicent inter nos.* Gen.31.37. Nec enim legimus alios fratres Iacob ibi habere, exceptis liberis ſuis.

Gen.25.22. INTER. CCXXV. Quæritur quò ierit Rebecca interrogare Dominum, cùm paruuli in vtero collidebantur? RESP. Forte ad locum vbi aram conſtituerat Abraham, orare venit: vel erãt aliqui in eo tẽpore homines Dei, in quibus poſſet Deus interrogari.

INTER. CCXXVI. An ſecundum hiſtoriam, vel etiam allegoriam intelligendũ eſt quod Dominus reſpondit Rebeccæ, *Duæ Gentes ſunt in vtero tuo, & duo populi ex ventre tuo diuidentur, populuſque populum ſuperabit, & maior ſeruiet minori*? Gen.25.23. RESP. Secundum vtrũque modum. Spiritualiter verò ſic ſolet intelligi quod dictum eſt: In Eſaü figuratus eſt maior populus Dei, hoc eſt Iſraëliticus ſecundum carnem: per Iacob autem figuratus eſt ipſe Iacob, in populo Chriſtiano ſecundum ſpiritualem progeniem propagato. Sed etiam hiſtorica proprietate inuenitur hoc reſpõſum eſſe completũ, vbi populus Iſraël, hoc eſt Iacob, minor filius, ſuperauit Idumæos, †quos propagauit Eſaü, eoſq; fecit tributarios per Dauid. [† Quod diu fecit, ſ. vſque ad Regem, ſub quo Idumæi rebellauerunt, & iugum Iſraëliticum à ceruice ſua depoſuerunt.]

† al. gentẽ, quam. 2 Reg.8. † Addita ex MS.

Gen.25.31. INTER. CCXXVII. Quæ ſunt primogenita, quæ Eſaü vendidit Iacob fratri ſuo? RESP. Tradunt Hebræi omnes primogenitos fungi ſolitos ſacerdotali officio, antequam Aaron in ſacerdotium eligeretur; & habuiſſe veſtimenta ſacerdotalia, quibus induti victimas Deo offerebant: & hæc eſſe veſtimenta Eſaü, quibus Rebecca induit Iacob filium ſuum, quorum odore pater oblectatus, benedictionis initium adſtruit. Gen.27.15.

INTER. CCXXVIII. Si viri iuſti voluntas bona eſt, quid eſt quod Iſaac non Eſaü, quem voluit; ſed Iacob, quem noluit, benedixit? RESP. Iuſti hominis, quantum ad conſcientiam pertinet, voluntas bona eſt: quantum autẽ ad præſciẽtiam, immunis eſt ab aduerſis. Deus enim ſolus eſt, qui de futuris iudicat. Ac per hoc Iſaac iuſtus, quãtum ad præſentem ſtatum pertinet, dignũ eſſe maiorem filium benedictione putabat: ſed Deus occultorum cognitor, minorem mereri benedictionem oſtendit, vt benedictionẽ non hominis, ſed Dei oſtenderet. Ideò dictum eſt in Numeris ad Moſen & Aaron ſacerdotem, *Ponite nomen meum ſuper filios Iſraël, ego Dominus benedicam eos.* Num.6.27. Sacerdotis eſt benedicere, Dei eſt effectum tribuere benedictionis. Vnde intellexit Iſaac per ſpiritum Prophetiæ, à Deo benedictionem ſuper minorem filium prædeſtinatam, dicẽs, *Benedixit ei, & erit benedictus.* Gen.27.33.

Gen.28.17. INTER. CCXXIX. Quid eſt, quod Iacob dixit, *Terribilis eſt locus iſte, non eſt hic aliud niſi domus Dei, & porta cœli*? RESP. Hæc verba ad Prophetam pertinent, quòd futurum erat in terra promiſſionis, Deum verum timere & colere, tabernaculúmque ei fieri: eumque qui eſt ſuper omnia benedictus Deus, pedibus ambulare in ea. Portã autem cœli ſic intelligere debemus, tanquã indè fiat aditus credentibus, ad capeſcendũ regnum cœlorum.

Gen.28.18. INTER. CCXXX. Cur Iacob oleum fudit ſuper lapidem, quem erexit in titulum? RESP. Non ex idololatria: nec enim tunc, nec poſtea frequentauit lapidem, adorando, aut ei ſacrificando; ſed ſignum fuit Prophetiæ euidentiſſimæ conſtitutum, quod pertinet ad vnctionem. Vnde & Chriſti nomen à chriſmate eſt.

Gen.29.20. INTER. CCXXXI. Quomodo dictum eſt, *Seruiuit Iacob pro Rachel ſeptem annis, & videbantur illi pauci dies*; cùm magis breue tempus longum eſſe ſoleat amantibus? RESP. Dictum eſt propter laborem ſeruitutis, quẽ facilem & leuem amor faciebat.

INTER. CCXXXII. Poſt ſeruitutem ſeptem annorum, Iacob ſoceri ſui fraude deceptus copulatus eſt Liæ; an etiam poſt alios ſeptem ſeruitutis annos Rachel accepturus erat? RESP. Non, vt quidam malè

æſtimant, poſt ſeptem annos alios, Rachel accepit vxorem; ſed poſt ſeptem dies nuptiarum primæ: nam ſequitur, Gen. 29.28 *Et ingreſſus eſt ad Rachel, & dilexit Rachel magis quam Liam, & ſeruiuit ei ſeptem annis aliis.*

Gen. 30.4. INTER. CCXXXIII. Duæ ancillæ Bala & Zelpha vxores an concubinæ dicendæ ſunt? RESP. Fortè omnis concubina, vxor; non autem vxor, concubina, more loquendi in Scripturis appellatur: id eſt, vt Sarra, & Rebecca, & Rachel, concubinę dici non poſſunt: Agar verò, & Cethura, & Bala, & Zelpha, & vxores, & concubinæ.

Gen. 30.38. INTER. CCXXXIV. Quomodo pro aſpectu virgarum variarum varij pecorũ fœtus naſcebantur? RESP. Obſeruabat Iacob tempora, quibus pecora aſcendebantur, & poſt calorem diei ad potandum auida pergebant: diſcolores virgas hîc ponebat canalibus, & admiſſis arietibus & hircis, in ipſa potandi auiditate, oues & capras faciebat aſcendi; & ex duplici deſiderio, dum auidè bibunt, & aſcenduntur à maribus, tales fœtus conceperunt, quales vmbras arietum & hircorum deſuper aſcendentium in aquarum ſpecula contemplabantur. Ex virgis enim in canalibus poſitis varius erat imaginum color. Nec mirum, hanc in conceptu feminarum eſſe naturam, vt quales perſpexerint, ſiue mente conceperint, in extremo voluptatis æſtu quo concipiunt, talem ſobolem procreent: cùm hoc ipſum etiam in equarum gregibus apud Hiſpanos dicatur fieri: & Quintilianus in ea controuerſia in qua accuſabatur matrona quædam quæ Æthiopem pepererat, pro defenſione illius argumentetur, in hoc conceptu eſſe naturã quam ſupra diximus. Et multa dicuntur ſimilia fieri in animalium fœtibus: & mulieri accidiſſe traditur (vt ſcriptum reperitur in libris antiquiſſimi & peritiſſimi medici Hippocratis) quæ ſuſpicione adulterij fuerat punienda, cùm pulcherrimum puerum peperiſſet, vtriuſque parentis generi diſſimilẽ: niſi memoratus Medicus ſoluiſſet quæſtionem, illis ammonitis, quærerent ſi fortè aliqua talis pictura eſſet in cubiculo: qua inuẽta, mulier à ſuſpicione liberata eſt.

INTER. CCXXXV. Quare Iacob, primi temporis ſua eſſe voluit, & ſerotina Laban? vel, cur hac arte, non ſua magis omnia eſſe fecit? RESP. Iacob prudens & callidus iuſtitiam & æquitatem iam in noua arte ſeruabat. Si enim omnes agnos & hœdos varios pecora procreaſſent, erat aliqua ſuſpicio de hoc: & apertè huic rei Laban inuidus contraiſſet. Ergo ita omnia temperauit, vt ipſe fructum ſui laboris acciperet, & Laban non A penitus ſpoliaretur. Si quando oues & capræ primo tempore aſcendebantur, quia vernus eſt fœtus, ante ipſas ponebat virgas, vt varia ſoboles naſceretur. Quæcumque oues & capræ ſero quærebant mares, ante harum oculos non ponebat, vt vnius coloris pecora naſcerentur: & quicquid primũ naſcebatur ſuum erat, quia variũ erat: B quicquid poſtea, Laban: vnius enim tam nigri quàm albi coloris pecus oriebatur.

INTER. CCXXXVI. Cur nec Iacob fraudis in hoc arguendus eſt? RESP. Per hoc cogit inquiri Prophetiam, & aliquam figuratam ſignificationem, res iſta, quam ſine dubio (vt Propheta) fecit Iacob. Non enim tale aliquid, niſi reuelatione ſpirituali eum feciſſe credendum eſt.

INTER. CCXXXVII. Quomodo decẽ vicibus dicit Iacob ſocero ſuo, mutaſſe eum mercedem ſuam? Gen. 31.41 RESP. Hic eſt ſẽſus, quòd per ſingulos fœtus ſemper Laban conditionem mutauerit. Si videbat varium naſci pe- C cus, dicebat; Nolo in futurum varia mihi naſcantur. Rurſum cùm vidiſſet vnius coloris naſci pecora Iacob, dicebat; Futuros fœtus vnius coloris pecora mihi procreabunt. Et quid plura? vſque ad decem vices ſemper Iacob mutata eſt conditio: & quodcumque ſibi propoſuerat Laban, vt naſceretur, in contrarium colorem vertebatur. Ne cui autem in ſex annis decem pariendi vices incredibiles videantur, lege Virgiliũ, in quo dicitur,

Bis grauidæ pecudes---

D Natura autem Italicarum ouium & Meſopotamiæ vna eſſe perhibetur.

INTER. CCXXXVIII. Quare conſtituit Iacob lapidem in titulum? Gen. 31.45. RESP. Diligenter animaduertendum eſt, quòd iſtos titulos in rei cuiuſcumque teſtimonium conſtituebant, non vt eos pro diis colerent, ſed vt eis aliquid ſignificarent.

INTER. CCXXXIX. Quid eſt quod Iacob iurauit per timorem patris ſui Iſaac? RESP. Per Deum vtique, quem timebat Iſaac pater eius, iurare intelligitur. Quem timorem etiam ſuperiùs commẽdauit cùm Gen. 31.42 E diceret, *Deus patris mei Abrahæ, & timor patris mei Iſaac.*

INTER. CCXL. Quæ ſunt caſtra Dei, quæ vidit Iacob in itinere? RESP. Nulla dubitatio eſt, quin Angelorum fuerit multitudo. Ea quippe in Scripturis militia cœli nominari ſolet.

INTER. CCXLI. Quomodo fidem habuit Iacob, quandoquidem tantùm timuit Eſaü fratrem ſuum? RESP. Satis in verbis eiuſdem Iacob, quæ ſequuntur, & humana

infirmitas, & fides pietatis apparet; vt & Deus liberaret eum, & quæ promiſit impleret. Admonendi ſumus tamen hoc exemplo, vt quamuis credamus in Deum, faciamus tamen quæ facienda ſunt in præſidium ſalutis: vt prætermittentes ea, Deum tentare non videamur.

Gen. 32. 26. INTER. CCXLII. Quomodo ergo Iacob ab eo poſtulat benedici, cui luctando præualuit? RESP. Magna eſt de Chriſto Prophetia: duplex enim Iacob hinc intelligitur, carnalis, & ſpiritualis. Præualuit enim Iacob Chriſto, vel potius præualere viſus eſt ſuper eos Iſraëlitas à quibus crucifixus eſt Chriſtus: & ab eo benedicitur in eis qui crediderunt in Chriſtum, ex quibus erat qui dicebat, *Et ego Iſraëlita ex genere Abrahæ, ex tribu Beniamin.* (Rom. 11. 1.) Vnus ergo atque idem Iacob, & claudus & benedictus: claudus in latitudine femoris, tanquam in multitudine generis, de quo dictum eſt, *Et claudicauerunt a ſemitis ſuis.* (Pſal. 17. 26.) Benedictus autē in eis, de quibus dictum eſt, *Reliquiæ per electionem gratiæ ſaluæ factæ ſunt.* (Rom. 11. 5.)

INTER. CCXLIII. Quæ eſt cauſa immutati nominis Iacob, vt Iſraël vocaretur? RESP. Varia huius nominis interpretatio æſtimatur; ſed beatus Hieronymus taliter de eius interpretatione dixit: Senſus itaque hic eſt, non vocabitur nomen tuum ſupplātator, hoc eſt Iacob, ſed vocabitur Princeps cum Deo, hoc eſt Iſraël. Quomodo enim ego Princeps ſum? ſic: Tu qui mecum luctari potuiſti, Princeps vocaberis. Si autē cum Deo, ſiue Angelo (quoniam plerique variè interpretantur) pugnare potuiſti; quantò magis cum hominibus, hoc eſt Eſaü, formidare non debes?

Gen. 33. 10. INTER. CCXLIV. Quid, quod Iacob ait, *Sic vidi faciem tuam, quaſi viderem faciem Dei?* Vtrum pauentis & perturbati animi verba vſque in hanc adulationem prorupeꝛunt? RESP. Hæc verba fraterna ſunt, & benigno animo dicta: quoniam poſt benignam ſuſceptionem metus ipſe tranſierat. Et fortaſſis, Dei nomine Angelorum aliquem, vel ſanctorum, hoc loco intelligere debemus, ſecundum Apoſtolū qui dixit, *Et ſi ſunt qui dicuntur dij, ſiue in cœlo, ſiue in terra, quemadmodum ſunt dij multi & domini multi?* (1. Cor. 8. 5.)

Gen. 33. 4. INTER. CCXLV. Quomodo promiſit Iacob fratri ſuo, vt ſequeretur veſtigia eius, cùm alio itinere tenderet? RESP. Fortè ad horam ſequebatur, vel primò promiſerat, ſed aliud poſtea cogitabat.

Gen. 34. 25. INTER. CCXLVI. Quomodo duo filij Iacob, tantam cædem & deprædationem per ſe in terra aliena facere potuerūt? RESP. Multitudo nō parua erat cū Iacob, qui plurimum ditatus fuit: ſed filij eius in hoc facto nominantur, quia eiuſdem facti principes & auctores fuerunt.

INTER. CCXLVII. Quid eſt, quod Iacob dixit domui ſuæ, *Proycite Deos alienos qui in medio ſunt veſtri:* Et iterum, *Dederunt ei omnes Deos alienos quos habebant, & inaures quæ in auribus eorum erant,* (Gen. 35. 2. & 4.) quę ſi ornamenta erant, ad idololatriam non pertinebant? RESP. Intelligendum eſt has inaures philacteria fuiſſe Deorum alienorum. Nam Rebeccam à ſeruo Abrahæ inaures accepiſſe Scriptura teſtatur: quod non fieret, ſi eis inaures habere ornamenti gratia non liceret. Ergo illæ inaures, quæ cum idolis datæ ſunt, vt dictum eſt, idolorum philacteria fuerunt.

INTER. CCXLVIII. Quare ſecundò dicitur ad Iacob, *Non vocaberis Iacob, ſed Iſraël erit nomen tuum: & appellauit eum Iſraël?* (Gen. 35. 10.) RESP. Dudum nequaquam ei ab Angelo nomen imponitur, ſed quòd imponendum ſit à Deo prædicitur. Quod igitur futurum promittitur, hinc dicitur expletum. Nimirum nomen hoc ad illam rectè intelligitur pertinere promiſſionem, vbi ſic videbitur Deus, quomodo non eſt antè à Patribus ſuis viſus.

INTER. CCXLIX. Quæ eſt Effrata, vbi Iacob Rachel vxorem ſuam cōdidiſſe dicitur? (Gen. 35. 19.) RESP. Effrata & Bethleem vnius verbi vocabulum eſt, ſub interpretatione conſimili: ſi quidem in frugiferam domum & domum panis vertitur, propter eum panē qui de cœlo deſcendiſſe dicitur.

INTER. CCL. Vbi eſt turris gregis, iuxta quam dicitur Iacob habitaſſe? (Gen. 35. 21.) RESP. Iuxta Bethleem, vbi Angelorum grex in Domini ortu cecinit: vel vbi Iacob paſcens pecora ſua, loco nomen impoſuit: vel quod verius eſt, quòd vaticinio futurorum tunc myſterium monſtrabatur.

INTER. CCLI. Quid eſt, quod de Iſaac dicitur, *Et conſumptus ætate mortuus eſt, & appoſitus populo ſuo?* (Gen. 35. 29.) quomodo conſumptus, vel cui populo appoſitus? RESP. Cōſumptus ætate, id eſt perfectus ætate. Verùm Angelorum populo, vel ſanctarum animarum adponuntur, qui hanc vitam placentes Deo finiunt. Tunc dicuntur apponi quando nulla iam remanet ſolicitudo tentationū, & periculum peccatorum. Quod intuens Scriptura, ait, *Ante mortem ne laudes hominem quenquam.* (Eccl. 11. 30.)

INTER. CCLII. Quomodo Scriptura dicit, poſt mortem Iſaac patris ſui Eſaü abſ- (Gen. 36. 8.)

æſtimant, poſt ſep·tem annos alios, Rachel accepit vxorem; ſed poſt ſeptem dies nuptiarum primæ: nam ſequitur, *Et ingreſſus eſt ad Rachel, & dilexit Rachel magis quam Liam, & ſeruiuit ei ſeptem annis aliis.*

Gen. 29.28

Gen. 30.4.

INTER. CCXXXIII. Duæ ancillæ Bala & Zelpha vxores an concubinæ dicendæ ſunt? RESP. Fortè omnis concubina, vxor; non autem vxor, concubina, more loquendi in Scripturis appellatur: id eſt, vt Sarra, & Rebecca, & Rachel, concubinę dici non poſſunt: Agar verò, & Cethura, & Bala, & Zelpha, & vxores, & concubinæ.

Gen. 30.38.

INTER. CCXXXIV. Quomodo pro aſpectu virgarum variarum varij pecorũ fœtus naſcebantur? RESP. Obſeruabat Iacob tempora, quibus pecora aſcendebantur, & poſt calorem diei ad potandum auida pergebant: diſcolores virgas hîc ponebat canalibus, & admiſſis arietibus & hircis, in ipſa potandi auiditate, oues & capras faciebat aſcendi; & ex duplici deſiderio, dum auidè bibunt, & aſcenduntur à maribus, tales fœtus conceperunt, quales vmbras arietum & hircorum deſuper aſcendentium in aquarum ſpecula contemplabantur. Ex virgis enim in canalibus poſitis varius erat imaginum color. Nec mirum, hanc in conceptu feminarum eſſe naturam, vt quales perſpexerint, ſiue mente conceperint, in extremo voluptatis æſtu quo concipiunt, talem ſobolem procreent: cùm hoc ipſum etiam in equarum gregibus apud Hiſpanos dicatur fieri: & Quintilianus in ea controuerſia in qua accuſabatur matrona quædam quæ Æthiopem pepererat, pro defenſione illius argumentetur, in hoc conceptu eſſe naturã quam ſupra diximus. Et multa dicuntur ſimilia fieri in animalium fœtibus: & mulieri accidiſſe traditur (vt ſcriptum reperitur in libris antiquiſſimi & peritiſſimi medici Hippocratis) quæ ſuſpicione adulterij fuerat punienda, cùm pulcherrimum puerum peperiſſet, vtriuſque parentis generi diſſimilẽ: niſi memoratus Medicus ſoluiſſet quæſtionem, illis ammonitis, quærerent ſi fortè aliqua talis pictura eſſet in cubiculo: qua inuẽta, mulier à ſuſpicione liberata eſt.

INTER. CCXXXV. Quare Iacob, primi temporis ſua eſſe voluit, & ſerotina Laban? vel, cur hac arte, non ſua magis omnia eſſe fecit? RESP. Iacob prudens & callidus iuſtitiam & æquitatem iam in noua arte ſeruabat. Si enim omnes agnos & hœdos varios pecora procreaſſent, erat aliqua ſuſpicio de hoc: & apertè huic rei Laban inuidus contraiſſet. Ergo ita omnia temperauit, vt ipſe fructum ſui laboris acciperet, & Laban non penitus ſpoliaretur. Si quando oues & capræ primo tempore aſcendebantur, quia vernus eſt fœtus, ante ipſas ponebat virgas, vt varia ſoboles naſceretur. Quæcumque oues & capræ ſero quærebant mares, ante harum oculos non ponebat, vt vnius coloris pecora naſcerentur: & quicquid primũ naſcebatur ſuum erat, quia variũ erat: quicquid poſtea, Laban: vnius enim tam nigri quàm albi coloris pecus oriebatur.

INTER. CCXXXVI. Cur nec Iacob fraudis in hoc arguendus eſt? RESP. Per hoc cogit inquiri Prophetiam, & aliquam figuratam ſignificationem res iſta, quam ſine dubio (vt Propheta) fecit Iacob. Non enim tale aliquid, niſi reuelatione ſpirituali eum feciſſe credendum eſt.

INTER. CCXXXVII. Quomodo decẽ vicibus dicit Iacob ſocero ſuo, mutaſſe eum mercedem ſuam? RESP. Hic eſt ſẽſus, quòd per ſingulos fœtus ſemper Laban conditionem mutauerit. Si videbat varium naſci pecus, dicebat; Nolo in futurum varia mihi naſcantur. Rurſum cùm vidiſſet vnius coloris naſci pecora Iacob, dicebat; Futuros fœtus vnius coloris pecora mihi procreabunt. Et quid plura? vſque ad decem vices ſemper Iacob mutata eſt conditio: & quodcumque ſibi propoſuerat Laban, vt naſceretur, in contrarium colorem vertebatur. Ne cui autem in ſex annis decem pariendi vices incredibiles videantur, lege Virgiliũ, in quo dicitur,

Gen. 31.41.

Bis grauidæ pecudes---

Natura autem Italicarum ouium & Meſopotamiæ vna eſſe perhibetur.

INTER. CCXXXVIII. Quare conſtituit Iacob lapidem in titulum? RESP. Diligenter animaduertendum eſt, quòd iſtos titulos in rei cuiuſcumque teſtimonium conſtituebant, non vt eos pro diis colerent, ſed vt eis aliquid ſignificarent. Gen. 31.45.

INTER. CCXXXIX. Quid eſt quod Iacob iurauit per timorem patris ſui Iſaac? RESP. Per Deum vtique, quem timebat Iſaac pater eius, iurare intelligitur. Quem timorem etiam ſuperiùs commẽdauit cùm diceret, *Deus patris mei Abrahæ, & timor patris mei Iſaac.* Gen. 31.42

INTER. CCXL. Quæ ſunt caſtra Dei, quæ vidit Iacob in itinere? RESP. Nulla dubitatio eſt, quin Angelorum fuerit multitudo. Ea quippe in Scripturis militia cœli nominari ſolet.

INTER. CCXLI. Quomodo fidem habuit Iacob, quandoquidem tantùm timuit Eſaü fratrem ſuum? RESP. Satis in verbis eiuſdem Iacob, quæ ſequuntur, & humana

infirmitas, & fides pietatis apparet; vt & Deus liberaret eum, & quæ promiſit impleret. Admonendi ſumus tamen hoc exemplo, vt quamuis credamus in Deum, faciamus tamen quæ facienda ſunt in præſidium ſalutis: vt prætermittentes ea, Deum tentare non videamur.

Gen. 32. 26. INTER. CCXLII. Quomodo ergo Iacob ab eo poſtulat benedici, cui luctando præualuit? RESP. Magna eſt de Chriſto Prophetia: duplex enim Iacob hinc intelligitur, carnalis, & ſpiritualis. Præualuit enim Iacob Chriſto, vel potius præualere viſus eſt ſuper eos Iſraëlitas à quibus crucifixus eſt Chriſtus: & ab eo benedicitur in eis qui crediderunt in Chriſtum, ex quibus erat

Rom. 11. 1. qui dicebat, *Et ego Iſraëlita ex genere Abrahæ, ex tribu Beniamin.* Vnus ergo atque idem Iacob, & claudus & benedictus: claudus in latitudine femoris, tanquam in multitudine

Pſal. 17. 26. generis, de quo dictum eſt, *Et claudicauerunt a ſemitis ſuis.* Benedictus autẽ in eis, de qui-

Rom. 11. 5. bus dictum eſt, *Reliquiæ per electionem gratiæ ſaluæ factæ ſunt.*

INTER. CCXLIII. Quæ eſt cauſa immutati nominis Iacob, vt Iſraël vocaretur? RESP. Varia huius nominis interpretatio æſtimatur; ſed beatus Hieronymus taliter de eius interpretatione dixit: Senſus itaque hic eſt, non vocabitur nomen tuum ſupplãtator, hoc eſt Iacob, ſed vocabitur Princeps cum Deo, hoc eſt Iſraël. Quomodo enim ego Princeps ſum, ſic Tu qui mecum luctari potuiſti, Princeps vocaberis. Si autẽ cum Deo, ſiue Angelo (quoniam plerique variè interpretantur) pugnare potuiſti; quantò magis cum hominibus, hoc eſt Eſaü, formidare non debes?

Gen. 33. 10. INTER. CCXLIV. Quid, quod Iacob ait, *Sic vidi faciem tuam, quaſi viderem faciem Dei*? Vtrum pauentis & perturbati animi verba vſque in hanc adulationem proruperunt? RESP. Hæc verba fraterna ſunt, & benigno animo dicta: quoniam poſt benignam ſuſceptionem metus ipſe tranſierat. Et fortaſſis, Dei nomine Angelorum aliquem, vel ſanctorum, hoc loco intelligere debemus, ſecundum Apoſtolũ qui dixit, *Et ſi ſunt qui dicuntur dij, ſiue in cœlo, ſiue in terra, quemadmodum ſunt dij multi & domini multi?*

Gen. 33. 4. INTER. CCXLV. Quomodo promiſit Iacob fratri ſuo, vt ſequeretur veſtigia eius, cùm alio itinere tenderet? RESP. Fortè ad horam ſequebatur, vel primò promiſerat, ſed aliud poſtea cogitabat.

Gen. 34. 25. INTER. CCXLVI. Quomodo duo filij Iacob, tantam cædem & deprædationem per ſe in terra aliena facere potuerũt? RESP. Multitudo nõ parua erat cũ Iacob, qui plurimum ditatus fuit: ſed filij eius in hoc facto nominantur, quia eiuſdem facti principes & auctores fuerunt.

INTER. CCXLVII. Quid eſt, quod Iacob dixit domui ſuæ, *Proijcite Deos alienos qui in medio ſunt veſtri*: Et iterum, *Dederunt ei omnes Deos alienos quos habebant, & inaures quæ in auribus eorum erant*, quę ſi ornamenta erant, ad idololatriam non pertinebant? Gen. 35. 2. & 4. RESP. Intelligendum eſt has inaures philacteria fuiſſe Deorum alienorum. Nam Rebeccam à ſeruo Abrahæ inaures accepiſſe Scriptura teſtatur: quod non fieret, ſi eis inaures habere ornamenti gratia non liceret. Ergo illæ inaures, quæ cum idolis datæ ſunt, vt dictum eſt, idolorum philacteria fuerunt.

INTER. CCXLVIII. Quare ſecundò dicitur ad Iacob, *Non vocaberis Iacob, ſed Iſraël erit nomen tuum: & appellauit eum Iſraël?* Gen. 35. 10. RESP. Dudum nequaquam ei ab Angelo nomen imponitur, ſed quòd imponendum ſit à Deo prædicitur. Quod igitur futurum promittitur, hinc dicitur expletum. Nimirum nomen hoc ad illam rectè intelligitur pertinere promiſſionem, vbi ſic videbitur Deus, quomodo non eſt antè à Patribus ſuis viſus.

INTER. CCXLIX. Quæ eſt Effrata, vbi Iacob Rachel vxorem ſuam cõdidiſſe dicitur? Gen. 35. 19. RESP. Effrata & Bethleem vnius verbi vocabulum eſt, ſub interpretatione conſimili: ſi quidem in frugiferam domum & domum panis vertitur, propter eum panẽ qui de cœlo deſcendiſſe dicitur.

INTER. CCL. Vbi eſt turris gregis, iuxta quam dicitur Iacob habitaſſe? Gen. 35. 21. RESP. Iuxta Bethleem, vbi Angelorum grex in Domini ortu cecinit: vel vbi Iacob paſcens pecora ſua, loco nomen impoſuit: vel quod verius eſt, quòd vaticinio futurorum tunc myſterium monſtrabatur.

INTER. CCLI. Quid eſt, quod de Iſaac dicitur, *Et conſumptus ætate mortuus eſt, & appoſitus populo ſuo*? Gen. 35. 29. quomodo conſumptus, vel cui populo appoſitus? RESP. Cõſumptus ætate, id eſt perfectus ætate. Verùm Angelorum populo, vel ſanctarum animarum adponuntur, qui hanc vitam placentes Deo finiunt. Tunc dicuntur apponi quando nulla iam remanet ſolicitudo tentationũ, & periculum peccatorum. Quod intuens Scriptura, ait, *Ante mortem ne laudes hominem quenquam.* Eccl. 11. 30.

INTER. CCLII. Quomodo Scriptura Gen. 36. 8. dicit, poſt mortem Iſaac patris ſui Eſaü abſ-

æſtimant, poſt ſeptem annos alios, Rachel accepit vxorem; ſed poſt ſeptem dies nuptiarum primæ: nam ſequitur, *Et ingreſſus eſt ad Rachel, & dilexit Rachel magis quam Liam, & ſeruiuit ei ſeptem annis aliis.* Gen. 29.28

Gen. 30.4. INTER. CCXXXIII. Duæ ancillæ Bala & Zelpha vxores an concubinæ dicendæ ſunt? RESP. Fortè omnis concubina, vxor; non autem vxor, concubina, more loquendi in Scripturis appellatur: id eſt, vt Sarra, & Rebecca, & Rachel, concubinę dici non poſſunt: Agar verò, & Cethura, & Bala, & Zelpha, & vxores, & concubinæ.

Gen. 30.38. INTER. CCXXXIV. Quomodo pro aſpectu virgarum variarum varij pecorũ fœtus naſcebantur? RESP. Obſeruabat Iacob tempora, quibus pecora aſcendebantur, & poſt calorem diei ad potandum auida pergebant: diſcolores virgas hîc ponebat canalibus, & admiſſis arietibus & hircis, in ipſa potandi auiditate, oues & capras faciebat aſcendi; & ex duplici deſiderio, dum auidè bibunt, & aſcenduntur à maribus, tales fœtus conceperunt, quales vmbras arietum & hircorum deſuper aſcendentium in aquarum ſpecula contemplabantur. Ex virgis enim in canalibus poſitis varius erat imaginum color. Nec mirum, hanc in conceptu feminarum eſſe naturam, vt quales perſpexerint, ſiue mente conceperint, in extremo voluptatis æſtu quo concipiunt, talem ſobolem procreent: cùm hoc ipſum etiam in equarum gregibus apud Hiſpanos dicatur fieri: & Quintilianus in ea controuerſia in qua accuſabatur matrona quædam quæ Æthiopem pepererat, pro defenſione illius argumentetur, in hoc conceptu eſſe naturã quam ſupra diximus. Et multa dicuntur ſimilia fieri in animalium fœtibus: & mulieri accidiſſe traditur (vt ſcriptum reperitur in libris antiquiſſimi & peritiſſimi medici Hippocratis) quæ ſuſpicione adulterij fuerat punienda, cùm pulcherrimum puerum pepeтiſſet, vtriuſque parentis generi diſſimilẽ: niſi memoratus Medicus ſoluiſſet quæſtionem, illis ammonitis, quærerent ſi fortè aliqua talis pictura eſſet in cubiculo: qua inuẽta, mulier à ſuſpicione liberata eſt.

INTER. CCXXXV. Quare Iacob, primi temporis ſua eſſe voluit, & ſerotina Laban? vel, cur hac arte, non ſua magis omnia eſſe fecit? RESP. Iacob prudens & callidus iuſtitiam & æquitatem iam in noua arte ſeruabat. Si enim omnes agnos & hœdos varios pecora procreaſſent, erat aliqua ſuſpicio de hoc: & apertè huic rei Laban inuidus contraiſſet. Ergo ita omnia temperauit, vt ipſe fructum ſui laboris acciperet, & Laban non penitus ſpoliaretur. Si quando oues & capræ primo tempore aſcendebantur, quia vernus eſt fœtus, ante ipſas ponebat virgas, vt varia ſoboles naſceretur. Quæcumque oues & capræ ſero quærebant mares, ante harum oculos non ponebat, vt vnius coloris pecora naſcerentur: & quicquid primũ naſcebatur ſuum erat, quia variũ erat: quicquid poſtea, Laban: vnius enim tam nigri quàm albi coloris pecus oriebatur.

INTER. CCXXXVI. Cur nec Iacob fraudis in hoc arguendus eſt? RESP. Per hoc cogit inquiri Prophetiam, & aliquam figuratam ſignificationem res iſta, quam ſine dubio (vt Propheta) fecit Iacob. Non enim tale aliquid, niſi reuelatione ſpirituali eum feciſſe credendum eſt.

INTER. CCXXXVII. Quomodo decẽ vicibus dicit Iacob ſocero ſuo, mutaſſe eum mercedem ſuam? RESP. Hic eſt ſẽſus, quòd per ſingulos fœtus ſemper Laban conditionem mutauerit. Si videbat varium naſci pecus, dicebat; Nolo in futurum varia mihi naſcantur. Rurſum cùm vidiſſet vnius coloris naſci pecora Iacob, dicebat; Futuros fœtus vnius coloris pecora mihi procreabunt. Et quid plura? vſque ad decem vices ſemper Iacob mutata eſt conditio: & quodcumque ſibi propoſuerat Laban, vt naſceretur, in contrarium colorem vertebatur. Ne cui autem in ſex annis decem pariendi vices incredibiles videantur, lege Virgiliũ, in quo dicitur, Gen. 31.41.

Bis grauidæ pecudes---

Natura autem Italicarum ouium & Meſopotamiæ vna eſſe perhibetur.

INTER. CCXXXVIII. Quare conſtituit Iacob lapidem in titulum? RESP. Diligenter animaduertendum eſt, quòd iſtos titulos in rei cuiuſcumque teſtimonium conſtituebant, non vt eos pro diis colerent, ſed vt eis aliquid ſignificarent. Gen. 31.45.

INTER. CCXXXIX. Quid eſt quod Iacob iurauit per timorem patris ſui Iſaac? RESP. Per Deum vtique, quem timebat Iſaac pater eius, iurare intelligitur. Quem timorem etiam ſuperiùs commẽdauit cùm diceret, *Deus patris mei Abrahæ, & timor patris mei Iſaac.* Gen. 31.42

INTER. CCXL. Quæ ſunt caſtra Dei, quæ vidit Iacob in itinere? RESP. Nulla dubitatio eſt, quin Angelorum fuerit multitudo. Ea quippe in Scripturis militia cœli nominari ſolet.

INTER. CCXLI. Quomodo fidem habuit Iacob, quandoquidem tantùm timuit Eſaü fratrem ſuum? RESP. Satis in verbis eiuſdem Iacob, quæ ſequuntur, & humana

infirmitas, & fides pietatis apparet; vt & Deus liberaret eum, & quæ promiſit impleret. Admonendi ſumus tamen hoc exemplo, vt quamuis credamus in Deum, faciamus tamen quæ facienda ſunt in preſidium ſalutis: vt prætermittentes ea, Deum tentare non videamur.

Gen. 32. 26. INTER. CCXLII. Quomodo ergo Iacob ab eo poſtulat benedici, cui luctando præualuit? RESP. Magna eſt de Chriſto Prophetia: duplex enim Iacob hinc intelligitur, carnalis, & ſpiritualis. Præualuit enim Iacob Chriſto, vel potius præualere viſus eſt ſuper eos Iſraëlitas à quibus crucifixus eſt Chriſtus: & ab eo benedicitur in eis qui crediderunt in Chriſtum, ex quibus erat qui dicebat, *Et ego Iſraëlita ex genere Abrahæ, ex tribu Beniamin.* Vnus ergo atque idem Iacob, & claudus & benedictus: claudus in latitudine femoris, tanquam in multitudine generis, de quo dictum eſt, *Et claudicauerunt à ſemitis ſuis.* Benedictus autẽ in eis, de quibus dictum eſt, *Reliquiæ per electionem gratiæ ſaluæ factæ ſunt.*

Rom. 11. 1.

Pſal. 17. 26.

Rom. 12. 5.

INTER. CCXLIII. Quæ eſt cauſa immutati nominis Iacob, vt Iſraël vocaretur? RESP. Varia huius nominis interpretatio æſtimatur; ſed beatus Hieronymus taliter de eius interpretatione dixit: Senſus itaque hic eſt, non vocabitur nomen tuum ſupplãtator, hoc eſt Iacob, ſed vocabitur Princeps cum Deo, hoc eſt Iſraël. Quomodo enim ego Princeps ſum? ſic: Tu qui mecum luctari potuiſti, Princeps vocaberis. Si autẽ cum Deo, ſiue Angelo (quoniam plerique variè interpretantur) pugnare potuiſti; quantò magis cum hominibus, hoc eſt Eſaü, formidare non debes?

Gen. 33. 10. INTER. CCXLIV. Quid, quod Iacob ait, *Sic vidi faciem tuam, quaſi viderem faciem Dei?* Vtrum pauentis & perturbati animi verba vſque in hanc adulationem proruperunt? RESP. Hæc verba fraterna ſunt, & benigno animo dicta: quoniam poſt benignam ſuſceptionem metus ipſe tranſierat. Et fortaſſis, Dei nomine Angelorum aliquem, vel ſanctorum, hoc loco intelligere debemus, ſecundum Apoſtolũ qui dixit, *Et ſi ſunt qui dicuntur dij, ſiue in cœlo, ſiue in terra, quemadmodum ſunt dij multi & domini multi?*

1. Cor. 8. 5.

Gen. 33. 14.

INTER. CCXLV. Quomodo promiſit Iacob fratri ſuo, vt ſequeretur veſtigia eius, cùm alio itinere tenderet? RESP. Fortè ad horam ſequebatur, vel primò promiſerat, ſed aliud poſtea cogitabat.

Gen. 34. 25. INTER. CCXLVI. Quomodo duo filij Iacob tantam cædem & deprædationem per ſe in terra aliena facere potuerũt? RESP. Multitudo nõ parua erat cũ Iacob, qui plurimum ditatus fuit: ſed filij eius in hoc facto nominantur, quia eiuſdem facti principes & auctores fuerunt.

INTER. CCXLVII. Quid eſt, quod Iacob dixit domui ſuæ, *Proijcite Deos alienos qui in medio ſunt veſtri:* Et iterum, *Dederunt ei omnes Deos alienos quos habebant, & inaures quæ in auribus eorum erant,* quę ſi ornamenta erant, ad idololatriam non pertinebant? RESP. Intelligendum eſt has inaures philacteria fuiſſe Deorum alienorum. Nam Rebeccam à ſeruo Abrahæ inaures accepiſſe Scriptura teſtatur: quod non fieret, ſi eis inaures habere ornamenti gratia non liceret. Ergo illæ inaures, quæ cum idolis datæ ſunt, vt dictum eſt, idolorum philacteria fuerunt. Gen. 35. 2. & 4.

INTER. CCXLVIII. Quare ſecundò dicitur ad Iacob, *Non vocaberis Iacob, ſed Iſraël erit nomen tuum: & appellauit eum Iſraël?* RESP. Dudum nequaquam ei ab Angelo nomen imponitur, ſed quòd imponendum ſit à Deo prædicitur. Quod igitur futurum promittitur, hinc dicitur expletum. Nimirum nomen hoc ad illam rectè intelligitur pertinere promiſſionem, vbi ſic videbitur Deus, quomodo non eſt antè à Patribus ſuis viſus. Gen. 35. 10.

INTER. CCXLIX. Quæ eſt Effrata, vbi Iacob Rachel vxorem ſuam cõdidiſſe dicitur? RESP. Effrata & Bethleem vnius verbi vocabulum eſt, ſub interpretatione conſimili: ſi quidem in frugiferam domum & domum panis vertitur, propter eum panẽ qui de cœlo deſcendiſſe dicitur. Gen. 35. 19.

INTER. CCL. Vbi eſt turris gregis, iuxta quam dicitur Iacob habitaſſe? RESP. Iuxta Bethleem, vbi Angelorum grex in Domini ortu cecinit: vel vbi Iacob paſcens pecora ſua, loco nomen impoſuit: vel quod verius eſt, quòd vaticinio futurorum tunc myſterium monſtrabatur. Gen. 35. 21.

INTER. CCLI. Quid eſt, quod de Iſaac dicitur, *Et conſumptus ætate mortuus eſt, & appoſitus populo ſuo?* quomodo conſumptus, vel cui populo appoſitus? RESP. Cõſumptus ætate, id eſt perfectus ætate. Verùm Angelorum populo, vel ſanctarum animarum adponuntur, qui hanc vitam placentes Deo finiunt. Tunc dicuntur apponi quando nulla iam remanet ſolicitudo tentationũ, & periculum peccatorum. Quod intuens Scriptura, ait, *Ante mortem ne laudes hominem quenquam.* Gen. 35. 29. Eccl. 11. 30.

INTER. CCLII. Quomodo Scriptura dicit, poſt mortem Iſaac patris ſui Eſaü abſ- Gen. 36. 8.

Gen. 32.3. ceſſiſſe de terra Chanaan, & habitaſſe in monte Seir; cùm, veniente de Meſopotamia Iacob, legatur eum miſiſſe nuncios ad fratrem ſuum in terra Seir, regionis Edom, cùm ibi habitaret tunc temporis? Resp. In promptu eſt cogitare, quòd ſcilicet Eſaü, poſteaquam in Meſopotamiam frater eius abſceſſit, noluit habitare cum parentibus ſuis ex illa commutatione qua dolebat ſe benedictione fraudatum; ſiue cauſa vxorũ ſuarum, quas odioſas videbat eſſe parentibus, & cœperat habitare in monte Seir. Deinde poſt reditum Iacob fratris ſui, facta inter eos concordia, reuerſus eſt & ipſe ad parentes; & cùm mortuum patrem ſimul ſepeliſſent, quia eòs plurimum ditatos, terra illa, ſicut ſcriptum eſt, minimè capiebat, abſceſſit rurſus in Seir, & ibi propagauit Gentem Idumæorum.

Gen. 35.26. INTER. CCLIII. *Erant filij Iacob* XII. *& cõputatis omnibus Beniamin*; quod & addidit †, *Hi filij Iacob qui nati ſunt ei in Meſopotamia Syriæ.* Dum conſtat Beniamin natum eſſe in Cananæa, quomodo tunc XII. filij Iacob naſci dicuntur in Meſopotamia? Resp. Nulla eſt facilior ſolutio huius quæſtionis, quã vt per Synecdochen accipiatur. Vbi enim maior pars eſt aut fortior, ſolet eius nomine etiam illud comprehendi quod ad ipſũ nomen pertinet.

† Locus corruptus, etiã in MS. Cod.

Gen. 37.9. INTER. CCLIV. Quomodo impletur ſõniũ Ioſeph, quo dicit ſe vidiſſe Solẽ & Lunã & vndecim ſtellas adoraſſe ſe; dũ cõſtat, eo regnante in Ægypto, matrem eius Rachel multò ante eſſe defunctam; imò nec patrem legimus eum adoraſſe? Resp. In Chriſto facile eſt ſomnij intelligere perfe-
Philip. 2.10 ctionem. *Huic enim datum eſt nomen, quod eſt ſuper omne nomen, vt in nomine eius flectatur omne genu cœleſtium, terreſtrium, & infernorum.*

Gen. 37.28. INTER. CCLV. Quæritur, quare Iſmahelitas Scriptura, quibus à fratribus venditus eſt Ioſeph, etiam Madianitas vocat; cũ Iſmael ſit de Agar filius Abrahæ, Madianitæ verò de Cethura? Resp. Quia Scriptura
Gen. 25.6. ra de Abraham dixerat, Quòd munera dediſſet filiis concubinarum ſuarum, Agar ſcilicet & Cethura, & diuiſ[illegible]eos ab Iſaac filio ſuo in terra Orientis. Itaque vnam gẽtem feciſſe intelligendi ſunt.

INTER. CCLVI. Quomodo intelligẽ-
Gen. 37.45. dum illud Iacob, *Deſcendam ad filium meum lugens in inferno*? Resp. Perturbati & dolentis verba ſunt, mala ſua etiam hinc exaggerantis. vel etiam inferni nomine ſepulcrum ſignificauit, quaſi diceret: In luctu maneo donec me terra ſuſcipiat, ſicut illum ſepulchrum.

INTER. CCLVII. Qualiter hiſtoria de Iuda, & tribus filiis eius, & vxore eius Thamar, intra tam paucos annos compleri potuit? Resp. Solet Scriptura ſancta per recapitulationem multa proferre. Aliquot ergo annis ante venditum Ioſeph, hæc fieri cœpiſſe intelligi datur. Etiam mox vt adoleſceret Iudas, incidit in amorem eius quã duxit vxorem, nondum vendito Ioſeph in Ægyptum. Geneſ. 38.

INTER. CCLVIII. Cur dixit de Thamar, *Depoſitis veſtimentis viduitatis ſuæ*? Resp. Gen. 38.14
Vt intelligatur ex temporibus Patriarcharum certa & ſua fuiſſe veſtimenta viduarũ; non vtique talia, qualia coniugatarum.

INTER. CCLIX. Quare dixit Iudas, *Iuſtior eſt Thamar quam ego*? Resp. Thamar in biuio ſedens vel campeto; vbi diligentiùs debet viator aſpicere, quod iter gradiendi capiat; non vt vagam turpitudinis libidinẽ impleret, ſed vt liberos à ſocero ſuſciperet, iuſtiore cauſa quàm ſocer. Ille enim libidinis, illa liberorum gratiâ: & ideò in comparatione eius minùs malè fecerat. Gen. 38.26.

INTER. CCLX. Si Phares indè ſortitus eſt nomen diuiſionis, quia diuiſerat membranam ſecundam; vnde Zara nomen accepit Resp. Zara interpretatur *Oriens*. Sic igitur vocatur, vel quia primus apparuit, vel quòd plurimi ex eo nati ſunt iuſti, ſicut in Paralippomenon legimus.

INTER. CCLXI. Cur gẽtiles homines, Gene. 40.5.
qui fuerunt in carcere cum Ioſeph, præſagia futurorum viderunt? Resp. Non pro ſuis meritis, ſed vt magnificaretur Ioſeph, & manifeſtaretur qui latebat.

INTER. CCLXII. Quid tres propagines? Gen. 40.10
Resp. Tres rami.

INTER. CCLXIII. Cur Pharao & He- Gen. 40.20.
rodes dies natiuitatis ſuæ honoribus feſtiuos habuerunt? Resp. Eo quòd putauerũt quòd hora natiuitatis eorum eos ordinaſſet in regnum: ſimilem rem facientes adoratione, vt quorum erat par impietas, eſſet vna ſollemnitas.

INTER. CCLXIV. Quid eſt quod Pharao dixit, *Putabam me ſtare ſuper flumen*? Resp.
Id eſt quod in alio loco legitur, *Ecce ego ſu-* Gen. 24.13.
per fontem aquæ ſto. Hoc genere locutionis & in Pſalmo dicitur, *Qui fundauit terram ſuper aquam.* Secundum hanc locutionem intelligitur quòd altior ſit terra quàm aqua. Altiùs quippe ab aquis ſuſtollitur, vbi habitãt terrena animalia.

INTER. CCLXV. Quomodo multitudo Gen. 41.49
arenæ comparatur? Resp. Quia ſicut arena innumerabilis eſt, ita multitudo frugũ vſitato numero comprehendi non poteſt.

Gen.43.34. INTER. CCLXVI. Quomodo de viro ſancto Ioſeph intelligere debemus, quòd inebriaſſet fratres ſuos? RESP. Ebrietas, ſecundum Hebræam linguam, pro ſatietate ponitur, ſicut in Pſalmo, *Viſitaſti terram, & inebriaſti eam.* Et iterum, *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ.*

INTER. CCLXVII. Quid ſibi vult quòd Ioſeph toties fratres ſuos ludificauit, & tanta expectatione ſuſpendit antequam manifeſtare ſe voluiſſet? RESP. Tribulabat eos, non vt ſe vindicaret, ſed vt illos purgaret à crimine tranſacti ſceleris in eum: vel magis, vt hac dilatione accumularetur gaudiũ eorum, dum viderent tãtam gloriam eius, quem extinctum eſſe arbitrabantur.

[illegible]n.46.7. INTER. CCLXVIII. Quomodo dicitur, *Filij eius & filiæ deſcenderunt cum Iacob in Ægyptum?* cùm Iacob plures non habuerit filias quàm Dinam tantummodo? RESP. Aut neptes filiarum nomine intelligere debemus, aut pluralis numerus pro ſingulari Exod. 81. poſitus eſt, ſicut ibi: *Miſit in eis muſcam caninam.*

Gen.46.26. INTER. CCLXIX. Quod dicit Scriptura, *Omnes animæ, quæ egreſſæ ſunt de femoribus Iacob*: quid reſpondendum eſt eis, qui de hoc teſtimonio confirmare nituntur, à parẽtibus ſimul animas cum corporibus propagari? RESP. Animæ pro hominibus dictæ; à parte totum, ſignificata locutione.

Gen.46.15. INTER. CCLXX. *Hi filij Liæ, quos genuit in Meſopotamia Syriæ, cum Dina, Animæ filiorum & filiarum triginta tres.* Numquid iſtæ omnes triginta & tres animæ ex Lia in Meſopotamia Syriæ natæ ſunt, dum ibi Iacob non plus viginti annis cum ſocero ſuo moratus eſt; & ſeptem anni tranſierunt, antequam Liam vxorem duxiſſet? RESP. Ideo Scriptura ſancta hos omnes in Meſopotamia ortos eſſe dixit, quoniam eorum patres ibi orti ſunt.

INTER. CCLXXI. Si ſexaginta & ſex ſunt animæ, quæ ingreſſæ ſunt cum Iacob in Ægyptum, & ibi Ioſeph cum duobus filiis ſuis inuentus eſt: quomodo ſeptuaginta poſtea dicuntur eſſe animæ domus Iacob? RESP. Ipſo patre Iacob, quaſi radice, adnumerato; ſeptuaginta eſſe noſcuntur.

INTER. CCLXXII. Dum hìc legimus ſeptuaginta eſſe animas domus Iacob, quo- [illegible]7.14. modo in Actibus Apoſtolorum dicitur, In animabus ſeptuaginta quinque deſcendiſſe Iacob in Ægyptum? RESP. Non poterat Lucas contrarium ſcribere, aduerſus eam Scripturam, quæ iam fuerat Gẽtibus diuulgata: & vtique maioris opinionis illo duntaxat tempore Septuaginta Interpretum A habebatur auctoritas, quã Lucas, qui ignotus, & vilis, & non magnæ fidei in nationibus ducebatur. Hoc autem generaliter obſeruandum eſt, quòd vbicumque ſancti Apoſtoli vel Apoſtolici viri loquũtur ad populos; his plerumque teſtimoniis abutuntur, quæ iam fuerant in Gentibus diuulgata; licèt plerique tradunt Lucam, vt Proſelytum, Hebræas litteras ignoraſſe.

INTER. CCLXXIII. Filij Iacob interrogati, quid operis haberent; reſponderũt. Gen.47.3. *Paſtores ouiũ ſumus, ſicut & patres noſtri.* Quare Patriarchas primos, paſtores ouium, & B non gentium fuiſſe legimus? RESP. Quia ſine vlla dubitatione iuſta ſeruitus, & iuſta eſt dominatio cùm pecora homini ſeruiũt, & homo pecoribus dominatur. Sic enim dictum eſt homini cùm crearetur: *Faciamus* Gen.1. *hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram, & habeat poteſtatem piſcium maris, & volatiliũ cœli, & omnium quæ ſunt ſuper terram.* Vbi inſinuatur, rationem debere dominari irrationali vitæ. Seruum autem hominem homini vel iniquitas fecit, vel aduerſitas. Iniquitas quidem, ſicut dictũ eſt, *Maledictus Chanaan erit ſeruus fratribus ſuis.* Aduerſitas verò, C ſicut accidit ipſi Ioſeph, vt venditus à fratribus ſeruus alienigenæ fieret. Itaque primos ſeruos, quibus hoc nomen in Latina lingua inductum eſt, bella fecerunt. Cùm enim homo ab homine ſuperatus, iure belli poſſit occidi, quia ſeruatus eſt, ſeruus eſt appellatus. Inde & mãcipia quia manu capta.

INTER. CCLXXIV. Quæ eſt terra Gerſen vel Rameſſe? RESP. Iudæi autumant eã quæ nunc Thebaida appellatur, Rameſſe D pagum; Arſenatem ſic olim vocatum putant.

INTER. CCLXXV. Quæritur, quomodo in terra Ægypti paſcua pecoribus inueniri potuerunt, cùm ea terra pluuiis non irrigatur, & fratres Ioſeph ideò terram Chanaam reliquiſſe dicuntur, quòd herbas gregibus ſuis non inueniſſent? RESP. Perhibetur ab eis qui loca ſciunt, in multis Ægypti paludibus potuiſſe paſcua non deeſſe, etiã cùm fames eſſet frumentorum, quæ ſolent Nili fluminis inundatione prouenire. Magis enim dicuntur paludes illæ feraces paſ- E cua gignere, quando aqua Nili minus exceſcit. Gen 47.4.

INTER. CCLXXVI. Quid ſibi vult à tanto viro, & tali Patriarcha tam ſollicita corporis commendatio, vt non in terra Ægypti ſepeliatur, sed in terra Chanaam iuxta Patres ſuos? RESP. In his, Sacramenta tibi quærenda ſunt, & admirationis gaudium inuenies. Cadaueribus quippe mor- Gen.47.30

Eccl.34.30. tuorum peccata ſignificari in lege non eſt dubium. Hinc illa ſententia ducta eſt, *Qui baptizatur à mortuo, & iterum tangit illum, quid proficit lauatio eius?* Sic & qui ieiunat ſuper peccata ſua, & iterum ambulans hæc eadem facit. Sepultura ergo mortuorum remiſſionem ſignificat peccatorum. Eò pertinet quod dictum eſt, *Beati quorum remiſſæ* Pſalm. 31.1. *ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata.* Vbi ergo ſepelienda erant hæc ſignificantia cadauera Patriarcharum, niſi in ea terra vbi ille crucifixus eſt, cuius ſanguine facta eſt remiſſio peccatorum?

Gen.47.31. INTER. CCLXXVII. Quid eſt, quòd Iacob conuerſus ad caput lectuli ſui, orauit Dominũ? RESP. Scilicet poſtquàm iurauerat ei filius de petitione quam rogauerat, adorauit Deum contra caput lectuli ſui. Sanctus quippe, & Deo obediens vir, oppreſſus ſenectute, habebat lectulum ita poſitum, vt ipſe iacens abſque difficultate vlla ad orationem eſſet paratus.

INTER. CCLXXVIII. Quid eſt, quod Iacob dicit, *Duo filij tui, Effrem & Manaſſes,* Gen.48.5. *ſicut Ruben & Simeon erunt mihi?* RESP. Significat: Ruben & Simeon duæ tribus erũt, & ſuis vocabulis vocabuntur. Sic Effrem & Manaſſes duæ tribus erunt, duos quoque populos procreabunt, & hereditabunt promiſſionis terram ſicut & filij mei. Reliquos autem filios, quos poſt mortem meam genueris, tui erunt: in nomine Patrum ſuorũ vocabuntur, in hereditate ſua non accipiẽt ſeparatim terram, nec funiculos habebunt proprios, vt reliquæ Tribus: in Tribu Effrẽ & Manaſſe, quaſi appendices populi commiſcebuntur.

Gen.48.7. INTER. CCLXXIX. Cur Iacob filio ſuo Ioſeph quaſi neſcienti, indicare voluit vbi & quando ſepelierit matrem eius? RESP. Fortè, Propheticè commemorare voluit, ibi ſepultam matrem Ioſeph, vbi Chriſtus fuerat naſciturus.

Gen.48.22 INTER. CCLXXX. Quæ eſt pars vna, quam Iacob dedit Ioſeph filio ſuo, quam tuliſſe ſe de manu Amorrhæorum dicit in gladio & arcu ſuo? RESPONSIO. Significauit vrbem, quæ Hebraicè Sichem dicitur, & ſecundum Grçcam & Latinam declinationem Sichima appellatur; & corruptè à pluribus Sychar nominatus: quæ & nunc Neapolis vrbs Samaritanorum dicitur. Sichem Hebræa lingua tráſfertur in humerũ, vnde Septuaginta interpretati ſunt. Quod autem dicit ſe eam in arcu & gladio poſſediſſe, arcum hîc & gladiũ iuſtitiam vocat, per quam meruit peregri- Gen. 34.30 nus & aduena, interfecto Sichem & Emor, de periculo liberari. Timuit, quod ſupra legimus, ne vicina oppida atque caſtella ob euerſionem fœderatæ vrbis aduerſum ſe conſurgerent, & Dominus non dedit eis vt nocerent illi.

INTER. CCLXXXI. Quid intelligendum eſt de benedictionibus, quibus Iacob Patriarcha benedixit filios ſuos? an hiſtoricè an allegoricè intelligendæ ſunt, dum di- Gen.49.1. xit, *Congregamini filij Iacob, vt annunciem vobis, quæ ventura ſunt in nouiſſimis diebus*? Et videtur ex his verbis magis allegoriam ſonare quàm hiſtoriam? RESP. Vtrumque, & hiſtoria eſt, & allegoria. Hiſtoria, de diuiſione Terræ promiſſionis, quæ diuidenda erat nepotibus illorum. Item allegoria, de Chriſto & Eccleſia, in nouiſſimis quid futurũ tẽporibus. Sed prius, hiſtoriæ fundamẽta ponenda ſunt, vt aptius allegoriæ culmẽ Gen.49.3. priori ſtructuræ ſuperponatur. *Ruben primogenitus meus, tu fortitudo mea, principium doloris mei, prior in donis effuſus es ſicut aqua: non creſcas, aſcendiſti cubile patris tui, & maculaſti ſtratum eius.* Eſt autẽ hic ſenſus: Tu primogenitus meus, maior in liberis, & debebas iuxta ordinem natiuitatis tuæ hæreditatẽ, quæ primogenitis iure debebatur, habere; nempe ſacerdotium accipere & regnum. Verùm, quia peccaſti, & (quaſi vaſculo aqua non tenetur) voluptatis effuſus es impetu, idcirco præcipio tibi vt vltra non pecces, ſiſque in fratrum numero pœnas peccati lugens, quòd primogeniti ordinem perdidiſti. Principium autem doloris eſt omnis primogenitus, quia pro eo primum commouentur viſcera parentum. *Simeon & Leui fratres, vaſa iniquitatis bellantia, in conſilium eorum ne veniat anima mea, & in cœtu illorum non ſit gloria mea; quia in furore ſuo occiderunt, & in voluntate ſua ſuffoderunt murum: maledictus furor eorum quia pertinax, & indignatio illorum quia dura; diuidam eos in Iacob, & diſperdam in Iſrael.* Significat autem non ſui fuiſſe conſilij, quòd Sichem & Emor fœderatos viros interficerent contra fas, in pacis & amicitiarum tempore. Sanguinem fuderunt innocentum, & quaſi quodam furore ſic crudelitate repleti, muros hoſpitæ vrbis euerterunt. Vnde dicit, *Maledictus furor eorũ, quia pertinax.* Leui enim hereditatem propriam non accepit, ſed in omnibus ſceptris paucas vrbes inhabitandas habuit. De Simeone verò in Libro Ieſu ſcriptũ eſt, quòd & ipſa proprium funiculum non acceperit, ſed de tribu Iuda quiddam habuerit. *Iuda, te laudabunt fratres tui, manus tua in ceruicibus inimicorum tuorum, adorabunt te filij patris tui. Catulus leonis Iuda, ad prædam, fili mi, aſcendiſti, ſi-*

ue

ue vt in Hebræo ſcriptum eſt, *de captiuitate aſcendiſti fili mi: requieſcens occubuiſti vt leo, & quaſi leæna, quis ſuſcitabit eum?* Quia Iuda confeſſio, ſiue laus interpretatur, rectè ſcribitur, *Iuda confitebũtur tibi fratres tui*, vel, *laudabũt te.* Et licèt de Chriſto grande ſit myſteriũ; ſecũdum literam tamen ſignificat, quòd per ſtirpē Dauid generantur Reges, & quòd adorarent eũ omnes tribus. Nō enim ait, *Filij matris tuæ*, ſed *filij patris tui.* Et quod ſequitur, *ad prædã fili mi aſcendiſti*, oſtendit eũ captiuos populos ducturũ eſſe, & iuxta intelligentiã ſacratiorem, Chriſtum aſcendiſſe in altũ, & captiuam duxiſſe captiuitatem: ſiue, quod melius puto, captiuitas paſsionē, aſcēſus reſurrectionē ſignificat. *Alligans ad vineã pullũ ſuum, & ad vitem aſinam ſuam*: quod videlicet pullũ aſinæ, cui ſuperſedit Ieſus, hoc eſt Gētiliũ populũ, vineę Apoſtolorũ, qui ex Iudæis ſunt, copulauerit, & ad vitē, vel, vt in Hebræo habetur, *ad electam vitem* alligauerit aſinã, cui ſuperſedit Eccleſia ex nationibus congregata. Quod autē dicit, fili mî, conuerſio eſt ἀποστροφὴ ad ipſum Iudam, quòd Chriſtus hęc omnia ſit facturus. quod autē ait, *Non auferetur ſceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec veniat ille qui mittendus eſt, & ipſe erit expectatio Gentiũ*: ſignificat quòd non deficerent Principes de tribu Iuda vſq; ad tēpus quo natus eſt Chriſtus, qui miſſus à Patre expectatio eſt Gentiũ. *Iſachar aſinus fortis, accubans inter terminos, vidit requiem quod eſſet bona, & terrã quòd optima: ſuppoſuit humerũ ſuum ad portandũ, factuſque tributis ſeruiens.* Supra dixerat, Zabulon maris magni littora poſſeſſurũ, Sidonã quoque & reliquas vrbes: nunc ad mediterraneã prouinciam redit, & Iſachar, quæ iuxta Neptalim eſt pulcherrimã regionem poſſeſſurum ait. Benedictio namque habitatorē facit. Aſinũ autē oſſeum vel fortem vocat, & humerum ad portandũ; quia in labore terrę, & vehendis ad mare, quę in finibus ſuis naſcebãtur, plurimùm laboraret, Regibus tributa comportans. Aiunt Hebræi per metaphorã ſignificari, quòd Scripturas ſanctas die ac nocte meditans, ſtudium ſuum dederit ad laborãdũ: & idcirco omnes ei ſeruiunt, quaſi magiſtro dona portantes. *Dan iudicabit populum ſuum, ſicut & alia Tribus in Iſraël. Fiat Dan coluber in via, ceraſtes in ſemita: mordens vngulas equi vt cadat aſcenſor eius retro. Salutare tuũ expectabo Domine.* Samſon Iudex Iſrael de Tribu Dan fuit. Hoc ergo dicit nunc, videns in ſpiritu comam nutrire illum, & de hoſtibus triumphare: quòd in ſimilitudinem colubri regulique obſidentis vias nullum per terram Iſraël tranſire permittat; ſed etiam ſi quis temerarius virtute ſua quaſi velocitate equi confiſus, eam voluerit prædonis more populari, non illum poterit effugere. Totum autem quod loquitur †, ad formã ſerpentis & equi pertinet. Videns ergo tam fortem Nazarenum tuum, quod ipſe propter meretricem mortuus eſt, & moriēs noſtros occidit inimicos: putaui, ô Deus, ipſũ eſſe Chriſtum Filium tuũ verum, qui mortuus eſt, & reſurrexit. Ille igitur mihi ſaluator mundi, & mei generis, præſtolandus eſt; vt veniat cui repoſitũ eſt, & ipſe erit expectatio Gentiũ. *Gad accinctus præliabitur ante eũ, & ipſe accingetur retrorſũ.* Significat quòd ante Ruben, & dimidiã Tribum Manaſſe, & filios quos trans Iordanē in poſſeſsione dimiſerat, poſt quatuordecim annos reuertēs, præliũ aduerſum eos Gentium vicinarũ grande reperit, & victis hoſtibus fortiter dimicauit. Lege librum Ieſu Naue, & Paralipomenō. *Neptalim ceruus emiſſus, das eloquia pulchritudinis*, vel, *Neptalim ager irriguus.* [† Vtrũque enim ſignificat Hebræũ verbũ, *aiala* ſiluam. Significat autem quòd aquæ calidæ in ipſa naſcuntur Tribu, ſiue quod ſuper lacũ Geneſar, fluenta Iordanis, eſſet irriguus.] Hebræi autē volunt, propter Tiberiadem, quæ legis videbatur habere notitiã, agrũ inriguũ hîc intelligi eloquia pulchritudinis Prophetarũ. Ceruus autē emiſſus temporaneas fruges, & velocitatē terræ vberioris oſtēdit. Sed melius ſi ad doctrinã Saluatoris cuncta referamus, quòd ibidem maximè docuerit Saluator; vt in Euangelio quoque ſcriptũ eſt. *Filius meus Ioſeph accreſcens, & decorus aſpectu. Filiæ decurrerunt ſuper murum, ſed exaſperauerunt eũ, & iurgati ſunt infidelibus quæ illi habentes iacula. Sedit in forti arcus eius, & diſſoluta ſũt vincula brachiorũ, & manus eius permanet potentis Iacob. Inde paſtor egreſſus lupis Iſraël.* O fili Ioſeph, qui tã pulcher es, vt te tota de muris & turrib. ac feneſtris puellarũ Ægypti turba proſpectaret; inuiderunt tibi fratres tui, habētes liuoris ſagittas, & zeli iaculis vulnerati: verum arcũ tuũ & arma pugnãdi poſuiſti in Deo, qui fortis eſt propugnator; & vincula tua, quib. te fratres ligauerũt, ab ipſo ſoluta ſũt & diſrupta. Vt ex tuo ſemine Tribus naſcatur Effraim fortis, ſtabilis, & inſtar lapidis durioris inuicta, imperans decē Tribubus Iſraël. *Beniamin lupus rapax, mane comedit prædã, & veſperē diuidet ſpolia.* Quã de Paulo Apoſtolo maniſeſtiſsima ſit Prophetia, omnib. patet. In adoleſcentia enim perſecutus eſt Eccleſiam, in ſenectute prædicator Euãgelij factus eſt. Hebræi autē ita dixerunt: Altare, in quo immolabantur hoſtiæ, & victimarũ ſanguis in baſem illius fundebatur, in parte tribus Beniamin fuit. Hoc, inquiunt, ergo ſignificat quod ſacer-

Epheſ. 4. 8.

† al. Totum autem per metaphorã ſerpentis & equi loquitur.

† Sequentia ſuppleuimus ex MS.

A B C D E

dotes immolãt manè hoſtias, ad veſperam verò diuidunt ea quæ ſibi à populo ex Lege collecta ſunt: [† lupum ſanguinarium, lupum voracem ſuper altaris interpretatione ponentes, & ſpoliorũ diuiſionẽ ſuper ſacerdotes, qui ſeruiẽtes altari viuunt de altari.] Hæc hactenus hiſtoricè.

† Addita ex MS.

Spiritualiter autem, Rubẽ prioris populi Iudæorum oſtendit perſonã, cui à Domino per Prophetã dicitur: *Iſrael primogenitus meus.* Etenim iuxta quod primogenitis debebebatur, ipſius erat accipere ſacerdotiũ & regnũ. Additur, *Tu virtus mea*, vtiq; quòd huic populo fundamentũ fidei ex ipſa virtute Dei, qui eſt Chriſtus, aduenit. Quomodo autem ipſe ſit principium dolorum, niſi dũ patri Deo ſemper irrogat iniurias, conuertens ad eum dorſum, non faciem? Iſte prior in donis, quia ipſi primùm credita ſunt eloquia Dei, & Legis latio, & Teſtamentum. [† Iſte maior imperio, vtique pro magnitudine virium, quia copioſiùs ceteris in hoc ſeculo Deũ negauit. Effuſus eſt autẽ ſicut aqua peccando in Chriſto. Qui vaſculo non continet volũtates, effuſus eſt impetu.] Idcirco addit, *Vltra non creſcas.* Quapropter ipſe in vniuerſum orbem diſperſus eſt, valdè imminutus eſt. Sed quare talia meruit, ita ſubiecit, *Quia aſcendiſti cubile patris tui, & maculaſti ſtratũ eius*, quoniã corpus Dominicũ, in quo plenitudo diuinitatis requieſcebat, raptũ in cruce ſuſpendit, & ferro commaculauit. *Simeõ & Leui vaſa iniquitatis, bellantia.* Per Simeonẽ & Leui Scribæ, & Phariſæi, & Sacerdotes Iudaïci populi intelliguntur. De Simeone enim Scribę erãt Iudęorũ, de Tribu verò Leui Principes Sacerdotũ, *qui conſilium fecerunt, vt Ieſum dolo tenerent & occideretur.* De quo concilio dicit, *In conciliũ eorum ne veniat anima mea.* Horrebat enim tota ſcelera, quę in nouiſſimis tẽporibus facturi erant Iudæi. Quia in furore ſuo occiderũt virũ, id eſt Chriſtum, de quo dicitur: *Ecce vir, Oriens nomen eius.* Et alibi, *Femina circumdabit virum. Suffoderunt murum,* id eſt ſpiritualem illum fortiſſimũ murũ, qui cuſtodit Iſraëlẽ, lancea confoderunt. *Maledictus furor eorum, quia pertinax,* vtique quando furore accenſi & ira, obtulerunt Chriſtũ Pontio Pilato, dicẽtes: *Crucifige, crucifige eum. Et indignatio eorum dura,* dum Barrabã latronẽ peterent, & Principẽ vitæ crucifigendũ poſtularent. *Diuidam eos in Iacob, & diſperdam in Iſraël*, quia nonnulli ex illis crediderunt, quidã autem in infidelitate permanſerunt. Dicitur enim, *Diuiſi, ſeparantur, & veniunt ad fidem.* Diſperſi autem ſunt, quorum patria & templum ſubuerſum eſt, & per orbem terrę gens incredula ſpargitur. *Iuda, te laudabũt fra-*

† Supplecta ex MS.

A *tres tui.* Per hũc Iudam verus Confeſſor exprimitur Chriſtus, qui ex eius Tribu ſecundum carnem eſt genitus. *Ipſum laudãt fratres ſui*, Apoſtoli ſcilicet, & omnes cohæredes eius, qui per adoptionem filij Dei patris, & Chriſti fratres effecti ſunt per gratiam, quorum ipſe eſt Dominus per naturam. *Manus tuæ in ceruicibus inimicorum tuorum.* Iiſdẽ enim manibus, & eodẽ Crucis trophæo & ſuos texit, & inimicas aduerſariaſque poteſtates deuicit. Iuxta quod & Pater promittit ei dicẽs, *Sede ad dexteram meam, donec ponam ini-*

B *micos tuos ſcabellum pedum tuorum. Adorabũt te filij patris tui,* quoniam multi ex filiis Iacob adorantes, per electionem gratiæ ſalui facti ſunt. *Catulus leonis Iuda,* quoniam naſcendo paruulus factus eſt, ſicut ſcriptum eſt: *Paruulus natus eſt nobis. Ad prædam fili mi aſcẽdiſti,* Id eſt, aſcendens in Crucẽ, captiuos populos redemit, quos aduerſarius ille inuaſerat, & in altum captiuam duxit captiuitatem. *Requieſcẽs accubuiſti vt leo.* Manifeſtiſſimè Chriſtus accubuit in paſſione, *quando inclinato ca-*

C *pite ſpiritum tradidit,* ſiue quãdo in ſepulchro velut quodam corporis ſomno quieuit. Sed quare *vt leo*, vel *catulus leonis?* In ſomno ſuo leo fuit, quoniam non neceſſitate, ſed poteſtate hoc ipſum impleuit, ſicut ipſe dicit, *Nemo tollet à me animam meam, ſed ego ponam eam.* Quod verò addidit, *& vt catulus leonis,* inde enim mortuus eſt, vnde natus: benè Chriſtus vt Leo requieuit, qui non ſolum mortis acerbitatem non timuit, ſed etiam in ipſa morte mortis imperium vicit. Quod autem dicit, *Quis ſuſcitabit eum,*

D quid eſt aliud, niſi quod ipſe dicit, *Soluite templum hoc, & in triduo ſuſcitabo illud? Non deficiet dux de Iuda.* Hoc manifeſtiſſimè ad Iudã refertur. Diu enim fuit ex ſemine illius intemerata apud Iudęos ſucceſſio regni, donec Chriſtus naſceretur: & hoc ſupra diximus. *Alligans ad vineam pullum ſuum.* Pullus ſuus, populus eſt ex gentibus, cui adhuc nunquã fuerat onus Legis impoſitum. Hunc alligauerunt Apoſtoli, qui ex Iudæis ſunt, ad vineã, de qua dicitur, *vinea Domini Sabaoth*: &

E ad vitem quæ dicit, *Ego ſum vitis vera.* Ad hanc ergo vitem alligant aſinã ſuã, hoc eſt Synagogã grauidam, & graui Legis põdere depreſſam. *Lauit in vino ſtolam ſuam,* carnẽ ſuam in ſanguine paſſionis, ſiue ſanctam Eccleſiam illo vino *qui pro multis effunditur in remiſſionem peccatorum. Et in ſanguine vitæ* † *pallium ſuum.* Pallium, Gentes ſunt, quas corpori ſuo iunxit, ſicut ſcriptum eſt, *Viuo ego, dicit Dominus, niſi hos omnes induam ſicut veſtimentum.* Pulchriores oculi eius vino. Oculi Chriſti Apoſtoli ſunt & Euangeliſtæ, qui lumen ſcientiæ Eccleſiæ præſtant.

† f. vuæ.

Quorũ præcepta * auſteritatẽ vini priſcæ Legis ſuperant, quia longè leuiora ſunt. *Et dentes eius lacte candidiores.* Dentes, Præceptores ſunt ſancti, qui præcidunt ab erroribus homines, [† ac eos quaſi comedendo in Chriſti corpus tranſmittunt. Candidiores autem effecti ſunt Doctores Eccleſiæ lacte veteris Legis.] *Zabulon in littore maris, & in ſtatione nauium habitat.* Zabulum interpretatur *habitaculum pulcritudinis*, & Eccleſiã ſignificat, quæ in littore maris habitat, in ſtatione nauium, & credentibus refugium, & periclitantibus demonſtrat fidei portũ. Hæc contra omnes turbines ſeculi inconcuſſa firmitate ſolida, expectat naufragium Iudæorum, & hæreticorum procellas, *qui circumferuntur omni vento doctrinæ*, quorum etſi tunditur fluctibus, non tamen frangitur. [† Pertẽdit autem vſque ad Sydonem, hoc eſt vſque ad Gentes. Legitur etiam in Euãgelio indè aſſumptos eſſe aliquos Apoſtolos:] in ipſis locis Dominum ſæpe docuiſſe †, ſicut ſcriptum eſt, *Terra Zabulon, & terra Neptalim, populus qui ſedebat in tenebris vidit lucem magnam.* Sidon interpretatur *venator*, vel *venatrix.* Venatores verò qui ſunt niſi Apoſtoli, qui vt ſuprà diximus, ex illis locis aſſumpti ſunt; de quibus dicitur, *Mittam venatores multos, & venabuntur vos in omni monte? Iſachar aſinus fortis,* Iſachar, quod interpretatur *merces*, refertur ad populũ Gentium, quem Dominus precio ſanguinis ſui mercatus eſt: Hic Iſachar aſinus fortis ſcribitur, quia priùs populus gentilis, quaſi brutum & luxurioſum animal, nullaque ratione ſubſiſtens, nunc verò fortis, Redemptoris dominio collum ſubmittens ad iugum diſciplinæ Euangelicæ peruenit. *Hic cubans inter terminos vidit requiem, quòd eſſet bona; & & terram, quòd eſſet optima.* Inter terminos cubare, eſt præſtolato mundi fine requieſcere, nihilque eorum quæ verſantur in medio quærere; ſed vltima deſiderare. Et fortis aſinus requiem & terram optimam videt, cùm ſimplex Gentilitas ſe ad robur boni operis erigit, & ad æternæ vitæ præmiũ † tendit. Vnde etiam *apponit humerum ſuum ad portandum*, quia dum ad promiſſam requiem peruenire deſiderat, cuncta mandatorum onera libenter portat. *Facta eſt tributis ſeruiens*, hoc eſt Regi Chriſto ſuo fidei dona, & operum bonorum offert munera. *Dan iudicabit populum ſuum*, ſicut aliæ Tribus in Iſrael. *Fiat Dan coluber in via, ceraſtes in ſemita.* Dicunt quidam Antichriſtum per hæc verba prædici de Tribu Dan futurum, pro eo quòd hoc loco Dan & coluber aſſeritur, & mordens. Vnde inter Tribus Iſrael primus Dan ad Aquilonem caſtrametatus eſt, illũ ſignificans, qui ſe in lateribus Aquilonis ſedere dicit, & de quo figuraliter Propheta dicit, *A Dan auditus eſt fremitus equorum eius*, qui non ſolum coluber, ſed etiam ceraſtes ſiue cornutus vocatur. Ceras enim Græcè cornu dicitur eſſe. Vnde Serpens ille cornutus eſſe perhibetur, per quem dignè Antichriſtus aſſeritur, qui contra vitam fideliũ cum morſu peſtiferæ prædicationis armabitur, & etiam cornibus contra poteſtates. Quis autem neſcit ſemitam anguſtiorem eſſe quàm via ſit? *Fit ergo coluber in via*, quòd in præſentis vitæ latitudine eos ambulare prouocat, quibus quaſi parcendo blãditur. Sed mordet, cùm eos, quibus libertatem tribuit, erroris † ſui veneno conſumit. Fit iterum *ceraſtes in ſemita*, quia quos fideles reperit, & ſe inter anguſta itinera præcepti cæleſtis conſtringere videt, non ſolum nequitiâ callidæ perſuaſionis impetit, verumetiam terrore poteſtatis perimit in perſecutionis angore. Poſt beneficia ficta dulcedinis, exercet cornua poteſtatis. Equi hunc mundum inſinuant, qui per elationem ſuã in curſu labentium temporum ſpumat. Et, quòd Antichriſtus extrema mundi apprehendet, ceraſtes ille equi vngulas mordere perhibetur. Equi enim vngulas mordere, eſt extrema ſeculi contingere. *Vt cadat aſcenſor eius retrò.* Aſcẽſor huius equi eſt, quiſquis iniquitatibus mundi extollitur: vnde & retrò cadere dicitur.

* al. ſcripta.

† Sequentia deerant hactenus in impreſ.

† addita ex MS.

† al. Chriſtum prædicaſſe.

† al. patriæ.

† al. terroris.

DICTA BEATI ALBINI LEuitæ ſuper illud Geneſeos,

Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram.

Nunc primũ edita ex MS. Cod.

TOTA dignitas humanæ conditionis eſſe cognoſcitur, vt non ſolo iubentis ſermone ſicut alia, ſex dierum opera; ſed conſilio ſanctæ Trinitatis, & opere Maieſtatis diuinę creatus eſt homo: vt ex primæ conditionis honore intelligeret quantum deberet ſuo Conditori, dum tantum in conditione mox dignitatis priuilegium pręſtitit ei Conditor, vt tanto ardentiùs amaret Conditorem, quanto mirabilius ſe ab eo eſſe conditũ intelligeret. Nec ob hoc ſolũ, quod conſilio ſanctę Trinitatis ſic excellenter à cõditore conditus eſt; ſed etiam quod ad imaginem & ſimilitudinem ſuam ipſe creator omnium eum creauit, quod nulli alij ex creaturis donauit. Quæ imago diligẽtius ex interioris hominis nobilitate eſt cõſideranda. Primò quidẽ, vt ſicuti Deus

vnus ſemper vbique totus eſt, omnia viuificans, mouens & gubernans, ſicut Apoſtolus confirmat quod *in eo viuimus & mouemur, & ſumus*: ſicut anima in ſuo corpore vbique tota viget, viuificans illud, mouẽs, & gubernans. Nec enim in maioribus corporis ſui membris maior eſt, & minoribus minor; ſed in minimis tota, & in maximis tota. Et hæc eſt imago vnitatis Dei omnipotentis, quam anima habet in ſe. Quæ quoque quandam ſanctæ Trinitatis habet imaginem. Primo in eo, quia ſicut Deus eſt, viuit, & ſapit; ita anima ſecundum ſuum modum eſt, viuit, & ſapit. Eſt quoque & alia Trinitas in ea, qua ad imaginem ſui Conditoris perfectæ quidem & ſummæ Trinitatis, quæ in Patre, & Filio, & Spiritu ſancto condita eſt. Et licet vnius ſit illa naturæ, tres tantum in ſe dignitates habet, id eſt, intellectum, voluntatem, & memoriam. Quod idem, licet aliis verbis in Euangelio deſignatur, cùm dicitur: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo; & ex tota anima tua, & ex tota mente tua*; id eſt, & ex toto intellectu; & ex tota voluntate, & ex tota memoria. Iam ſicut ex Patre generatur Filius, ex Patre Filioque procedit Spiritus ſanctus: ita ex intellectu generatur voluntas, ex his item ambobus procedit memoria, ſicut facile intelligi poteſt. Nec enim anima perfecta poteſt eſſe ſine his tribus, nec horum trium vnum aliquod, quantum ad ſuam pertinet beatitudinem, ſine aliis duob. integrũ cõſtat. Et ſicut Deus pater, Deus filius, Deus Spiritus ſanctus eſt; non tamen tres dij ſunt, ſed vnus Deus tres habens perſonas; ita & anima intellectus, anima voluntas, anima memoria. Non tamen animæ tres in vno corpore, ſed vna anima tres habẽs dignitates, atq; in his tribus eius imaginem mirabiliter gerit in ſua natura noſter interior homo; ex quibus quaſi excellentioribus animæ dignitatibus iubemur diligere Conditorem, vt quantum intelligatur, diligatur; & quantum diligatur, ſemper in memoria habeatur. Nec ſolus ſufficit de eo intellectus, niſi fiat in amore eius voluntas: imo nec hæc duo ſufficiunt,

A niſi memoria addatur, qua ſemper in mente intelligentis & diligentis maneat Deus; vt ſicut nullum poteſt eſſe momẽtum, quo homo vtatur vel fruatur Dei bonitate & miſericordia, ita nullum debeat eſſe momentum quo præſentem eum non habeat in memoria. Et hæc de imagine habeto.

Hoc verò nunc de ſimilitudine aliqua intellige, quæ in moribus cernenda eſt; vt ſicut Deus creator, qui hominem ad ſimilitudinem ſuam creauit, eſt caritas, eſt bonus & iuſtus, patiens atque mitis, mundus, miſe-
B ricors, & cetera virtutum ſanctarum inſignia, quæ de eo leguntur: ita homo creatus eſt, vt caritatem haberet, vt bonus eſſet & iuſtus, patiens atque mitis, mundus & miſericors foret. Quas virtutes quãto plus quiſque in ſeipſo habet, tanto propiùs eſt Deo, & maiorem ſui Conditoris gerit ſimilitudinem. Si verò, quod abſit, aliquis per deuia vitiorum, & diuortia criminum ab hac nobiliſsima ſui Conditoris ſimilitudine degener oberret, tunc fiet de eo quod ſcriptum
C eſt, *Et homo cùm in honore eſſet non intellexit, comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis*. Qui maior honor potuit homini eſſe, quàm vt ad ſimilitudinem ſui Factoris conderetur, & eiſdem virtutum veſtimentis ornaretur, quibus Conditor, de quo legitur; *Dominus regnauit, decore indutus*, id eſt omnium virtutum ſplẽdore, & totius bonitatis decore ornatus? Vel quod maius homini poteſt eſſe dedecus, aut infelicior miſeria, quàm vt hac ſimilitudinis gloria ſui Conditoris amiſſa, ad informem & ad irra-
D tionabilem brutorum iumentorum dilabatur ſimilitudinem? Eapropter quiſque diligentiùs attendat primæ cõditionis ſuæ excellentiam, & venerandam ſanctæ Trinitatis in ſeipſo imaginem agnoſcat, honoremque ſimilitudinis diuinæ, ad quem creatus eſt, nobilitatem morum, exercitia virtutũ, dignitatem meritorum habere contendat: vt quando appareat qualis ſit, tunc ſimilis ei appareat, qui ſe mirabiliter ad ſimilitudinem ſuam in primo Adam condidit, mirabiliuſque in ſeculo reformauit.

MAGISTRI

ALBINI FLACCI ALCHVVINI, ENCHIRIDION, SEV EXPOSITIO PIA AC breuis in ſeptem Pſalmos Pœnitentiales.

PSALMVS VI.

Titulus Pſalmi eſt, In finem Dauid in carminibus pro octaua: *quo* in finem, *id eſt Chriſtum Dauid reſpiciens hymnos & carmina cantabat*, pro octaua, *id eſt pro deſiderio futuræ reſurrectionis. Peccatricem autem animam hortatur hîc ſuo exemplo Dauid, vt non ſtatim deſperet, etiam ſi grauiter peccarit: ſed abluto lachrymis pœnitentiæ conſcientiæ ſuæ lecto, ad medicum Deum recurrat, qui vlcera peccatorum ſuorum ſanet.*

DOMINE, *ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.* Ira eſt longa indignatio: furor verò repentina mentis accenſio, ſed ira æternam impiorū ſignificat pœnam, furor ignem purgatorium: & de vtraque vir pœnitens liberari ſe à Deo poſtulat. *Miſerere mei Domine, quoniam infirmus ſum: ſana me Domine, quoniam conturbata ſunt oſſa mea.* Valida eſt miſericordiæ precatio, peccati confeſſio. Ille miſericordiam Dei inueniet, qui ſe miſerum confitetur. Quoniam infirmus ſum, ſana me, inquit, Domine: ac ſi dicat, infirmus ſum per peccatum, ſana me per miſericordiam: quoniam conturbata ſunt oſſa mea, omnes inquam virtutes, quæ propter ſui ſoliditatē oſſa appellantur. *Et anima mea turbata eſt valde: ſed tu Domine vſquequo?* In primo quidem homine trangreſſa anima mea virtutes omnes perdidit, & inde turbata eſt per pœnitentiam, vt emundetur. Et tu Domine vſquequo, ſubaudi, animam meam, quæ vehementer conturbata eſt, non eripis, non corrigis, non emendas? *Conuertere Domine, & eripe animam meam, ſaluum me fac propter miſericordiam tuam.* Niſi enim animam noſtram ante conuerterit, nemo eam eruet de periculo. Vel conuertere Domine, & dirige nos per miſericordiam tuam, atque aſpice: qui propter peccata noſtra faciem tuam auertiſti à nobis. Et eripe animā meā ab imminenti ſcilicet ſupplicio, & ſaluum me fac non meis meritis, ſed tua miſericordia. *Quoniam non eſt in morte qui memor ſit tui:* Non enim mortui laudabunt te Domine, ſed nos qui viuimus: quia non eſt

A mortuorum Deus, ſed viuorum. *In inferno autem quis confitebitur tibi:* Subaudiendum eſt ad veniam: quia in hoc mundo propriè cōfeſſio dicitur, vbi & venia reperitur. *Laboraui in gemitu meo.* Hîc pœnitentiæ ſuæ modū exponit. *Lauabo per ſingulas noctes lectum meum.* Lectum, delectationem corporis intelligamus. *Lachrymis ſtratum meum rigabo.* Rigare vberius aliquid ſignificat quā lauare. Stratum autem ſignificat cumulum peccatorum. *Turbatus eſt præ ira oculus meus.* Propter iram Domini oculum ſuum dicit eſſe turbatum. O Deus per quem mihi ſuppli-
B cia præparata, turbata eſt mens mea, & totum principale cordis mei cōtremuit. *Inueteraui inter omnes inimicos meos.* Inueteraui, in veteris hominis Adæ iniquitate permanſi, inter omnes inimicos meos, ſiue inter ſpiritus diabolicos, ſiue inter noſtra peccata. *Diſcedite à me omnes qui operamini iniquitatem.* Poſtquam enim miſericordiam cōſecutus eſt, cohortatur ac docet vti ſe habeāt: quos non vult iniquorum habere conſortium. *Diſcedite* ergo, inquit, *à me maligni, Quoniam exaudiuit Dominus vocem fletus mei. Exaudiuit Dominus deprecationem meam, Dominus oratio-*
C *nem meam ſuſcepit.* Vnam eandemque rem multipliciter repetit, quod ſolent facere gaudentes & lætantes. *Conuertantur & erubeſcant inimici mei, conuertantur & erubeſcant valde velociter.* Non cōtra inimicos, ſed pro inimicis orat, vt conuertantur à peccatis ſuis & erubeſcant, non leuiter, ſed vehemēter: nec craſtino, ſed cito, ac præſenti tempore, Amen.

PSALMVS XXXI.

Titulus Pſalmi eſt, Intellectus Dauid: *quia ſcilicet intellexit Dauid, & nos ſuo iubet intelligere exemplo, nullum eſſe tam graue peccatum quod non gratuito nobis Deus remittat, ſi parati ſimus illud confiteri, & à prauis viis abſtinere.*

B*Eati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata.* Illorum ſcilicet remittuntur iniquitates, quorum peccata per confeſſionem à Domino Deo diluuntur: & quorum tecta ſunt per charitatem peccata: iuxta illud, Charitas operit multitudinem peccatorum. Vel quorum tecta ſunt peccata, vt hîc per pœnitentiam velentur, ne in iudicio reuelentur. Iniquitates quidam appellant, quæ ante baptiſmum fiunt: Peccata, quæ poſtea perpetrantur. *Beatus vir cui non imputauit Dominus peccatum, nec eſt in ore eius dolus.* Quod tegitur, nõ videbitur: quod non imputatur, nec punietur. Nec eſt in ore eius dolus, hoc eſt in illius ore, qui ſe cõfitetur eſſe peccatorem: ſicut publicanus, qui dixit, Domine propicius eſto mihi peccatori. Quia qui ſibi diſplicet, ipſe Deo placet, nec eſt in ore eius dolus, ſed in veritate credens Deo, quod in corde habebat, ore confitebatur. *Quoniam tacui inueterauerunt oſſa mea, dum clamarem tota die.* Non prætuli confeſſionem ad ſalutem, ideò omnis fortitudo mea in carnis infirmitate conſenuit. Dum clamarem, clamãt multi ſi quid boni habent, ac per vanitatem demonſtrant. Tacent ſiquidem impij & clamant. Tacent, quod loqui fas eſt: loquuntur quod tacere debent. Tacent, dum ſua abſcondunt peccata: clamant, dum ſua prædicant merita. Tacent peccatorum confeſſione, clamant meritorum præſumptione. Quid autem eſt, Dũ clamarem tota die, niſi dum in clamando perſeuerarem? *Quoniam die ac nocte grauata eſt ſuper me manus tua: conuerſus ſum in ærumna mea dum configitur mihi ſpina.* Peccatori grauis eſt manus quæ flagellat, & ponderosè vindicat. Die ac nocte, continuum tẽpus ſignificat. Aliter autem feliciter humiliatus non eſſet, niſi eum manus diuinitatis comprimeret. Conuerſus ſum in ærumna mea, id eſt intellexi peccatum meum, poſtquam ærumnoſum me feciſti ſub tuæ potentiæ aggrauatione. In ærumna, id eſt, in miſeria. Quid eſt autem ſpina quæ configitur, niſi ſtimulus conſcientiæ peccatricis? *Delictum meũ cognitum tibi feci, iniuſtitias meas non operui.* Idem eſt cognitum facere, & non

A operire, hoc eſt confiteri. Quia ſi homo peccatum non cognoſcit, Deus non ignoſcit. Delictum verò quidam putauerunt leue peccatum: iniuſtitiam autem, immane aliquod commiſſum. *Dixi, pronunciabo aduerſus me iniuſtitias meas Domino, & tu remiſiſti impietatem peccati mei.* Pronunciabo, dixit, hoc eſt publicè confitebor, vt alios ſcilicet ad imitationẽ trahat. Impietas autem cordis fuerat, qua tacere decreuerat. Aduerſum me, inquit, pronunciabo, id eſt me ipſum accuſabo. Et tu remiſiſti impietatem

B peccati mei: quando quæ prius geſſeram, miſericorditer indulſiſti. *Pro hac orabit ad te omnis ſanctus, in tempore opportuno.* Tempus opportunum ad orandum pro peccatis hęc vita eſt: in qua ideo ſancti orant, quia non eſt à peccatis immunis aliquis. *Veruntamen in diluuio aquarum multarum ad eum non approximabunt.* Multi fluctus diluuiorum in iudicio impios voluent, qui ſanctis nocituri nõ erunt: neque ad eum approximabunt tormenta, qui pro ſuis hîc peccatis orare non ceſſat. *Tu es refugium è tribulatione quæ circundedit me, exultatio mea erue me à circundantibus*

C *me.* Mihi in iſto diluuio nõ eſt refugium niſi tu: Exultatio mea, inquit, redime me. Sed iã exultas: Quid vis redimi? exultatio mea redime. Gaudes, & gemis? Ita inquit, gaudeo & gemo. Gaudeo in ſpe, gemo adhuc in re. Ideo ſubdit, Redime me à circundantibus me, ſiue viciis carnalibus, ſiue ſpiritibus immundis, qui nos perdere pręcipiti velocitate feſtinant. *Intellectum tibi dabo, & inſtruam te in via hac qua gradieris, firmabo ſuper te oculos*

D *meos.* Vox Domini vox intellectum dantis. Ipſe eſt enim intellectus, quem Pſalmi titulus verè indicauit, quem pœnitentibus poteſtas Domini clementer infudit. Addidit autem, *& inſtruam te*, id eſt neſcientem docebo ſalutarem viam. Via eſt enim qua ingreſſus fuerat, ſeruire Deo prioris actionis prauitate damnata. Sequitur, *firmabo ſuper te oculos meos*, id eſt dirigam in te lumen intelligentiæ meæ. *Nolite fieri ſicut equus & mulus, in quibus non eſt intellectus.* Qui non Dei voluntate, ſed proprio ſe motu regere volunt, effrenes in luxuriam decidũt. Hos Prophe-

E ta coërcet verbis terribilibus dicẽs: *In chamo & freno maxillas eorum conſtringe, qui non adproximant ad te.* Freno & chamo moderationis ſuæ Deus coërcet impiorum ſuperbiam, qui iactant merita ſua, & tacent peccata ſua: qui, inquit, non approximant ad te, à quo per ſuperbiam elongantur. *Multa flagella peccatorum, ſperantes autem in Domino miſericordia circundabit.* Qui pœnitẽtiam egerunt, illi miſericordię vitam merentur ſem-

piternam, quia rectam ſpem & fidẽ in Deo habent: ipſoſque miſericordia Dei circundat, vt non ſit relictus locus, vnde poſſit ad eos diaboli hoſtilitas introire. *Lætamini in Domino & exultate iuſti, & gloriamini omnes recti corde.* Propheta hortatur Eccleſiam lætari de ſpe vitæ æternæ & regenerationis. Tamen lætatur & hic tribulatione. Gloriamini omnes recti corde. Vt ait Paulus, Qui gloriatur, in Domino glorietur. Recti corde dicuntur, quibus omnia Dei iudicia placent, & ſe accuſant de ſuis peccatis, & Deũ ſiue in aduerſis ſiue in proſperis ſemper laudant.

PSALMVS XXXVII.

Titulus Pſalmi, In finem Pſalmus Dauid in rememorationem diei ſabbati. *Sabbatum requies interpretatur, quia requieſcunt ſancti, id eſt ſancta Eccleſia. Admonet autem nos Pſalmus, vt ſi cuiquam accidat infirmitas corporiſque fragilitas, non deſiſtat cæleſtem requirere medicinam, in qua requieſcat. In hoc verò Pſalmo corporis ſui cauſam Chriſtus agit, non quòd ipſe peccatum haberet, ſed quod pro nobis peccatum factus eſt, vt nos à peccato liberaret: qui aliquando ex perſona ſolius capitis loquitur, quod eſt ipſe ſaluator natus ex Maria virgine: aliquando ex perſona corporis ſui, quod eſt ſancta Eccleſia, diffuſa toto orbe terrarum: idcirco quod corpus loquitur, hoc idem & caput. Erunt igitur duo in carne vna Chriſtus & Eccleſia.*

D*Omine ne in ira tua arguas me, neque in furore tuo corripias me.* Irã, vt iam diximus, commotio eſt animi, furor verò vindicta irrationabilis cum fellis amaritudine. Ideo iſte qui ſe peccatorem ſcit, nõ in ira, ſed per miſericordiam: nec in furore, ſed per patientiam argui ſe poſtulat. Sunt tamen qui iram æternam intelligant gehennam, & furorem purgatorium ignem, à quibus liberari vir ſanctus poſcit. *Quoniam ſagittæ tuæ infixæ ſunt mihi, & confirmaſti ſuper me manum tuã.* Sagittæ verba doctrinæ tuæ ſunt, quę vt iaculum tranſuerberauerunt cor meum, vt agerem pœnitentiam: & confirmaſti ſuper me manum tuam, vt tanquam bonus magiſter caſtigationis verberibus afflictũ redderes emẽdatum. *Non eſt ſanitas in carne mea à facie iræ tuæ, non eſt pax oſſibus meis à facie peccatorum meorum.* Vidi faciem iræ tuæ & non ipſam iram. Hoc eſt, intellexi per ſcripturas ſanctas quanta minabaris peccantibus, & extabui, petens, ne ipſa ſuper me ira deſcẽderet: quia non eſt pax oſſibus meis à facie peccatorum meorum. Nullam quietem indulſi vel oſſibus meis vel membris meis, donec ea purgarem. *Quoniam iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum.* Inualuerũt enim mihi, vt ſequitur. *Sicut onus graue grauatæ ſunt ſuper me.* Non eſt enim mihi leue peccatum meum, ſed recognoſco quia graue pondus iudicij impoſui, & ſuper verticem capitis mei excreuit. Sicut pondus grande, ſic peccata mea ſuper me. *Computruerunt & corruptæ ſunt cicatrices meæ à facie inſipientiæ meæ.* Nã mihi fœtent & computreſcũt vulnera peccatorum: deſideranterque expecto medicum. Et cur, inquis, putruerunt à facie inſipientiæ meæ? quia nolebam agere pœnitentiam. *Miſer factus ſum & turbatus vſque in finem*, vſque dum confitendo purgarer: quia ſine confeſſione & mœſtitia non dimittuntur peccata. *Tota die contriſtatus ingrediebar.* Indignum me eſſe iudicans qui vel oculos ad cælum leuare auderem: ſed percutiens pectus meum aiebam, Deus propitius eſto mihi peccatori. *Tota die*, autem continuationem doloris ſignificat. *Quoniam lũbi mei impleti ſunt illuſionibus, & non eſt ſanitas in carne mea.* Illis illuſionibus ſe profitetur eſſe repletum atque infirmatum, quibus diabolus humanum genus illicit vt delinquat. *Afflictus ſum & humiliatus ſum nimis, vſquequaque rugiebam à gemitu cordis mei.* Poſſumus corpore curuari & animo non humiliari: ideò hîc vtrumque coniunctum eſt: quia multiplex calamitas liberum nil relinquit. Hîc etiam aliquid maius adiecit dicens, vſquequaque, id eſt ex omni parte: vt eum copioſa calamitas vndique probaretur ambiſſe: Rugiebam à gemitu cordis mei: vt virtutem patientiæ magnæ monſtraret, in gemitum ſe aſſerit nõ in verba prorupiſſe. *Domine ante te omne deſiderium meum.* Tale fuit deſiderium eius vt ante Deum eſſe mereretur. Nam qui peccatis veniam petit, ante Deum ponit deſiderium ſuum. Iam quod ante ipſum eſt, conſueuit audiri. *Et gemitus meus à te non eſt abſcõditus*, id eſt quicquid habet homo, Deus ſcit. Quicquid deliqui, quicquid male geſſi omnia tibi cum gemitu reſeraui: ſciens quia tibi non occultantur occulta. *Cor meum conturbatum eſt, & dereliquit me virtus mea, & lumen oculorum meorum, & ipſum non eſt mecũ.* Propter iram quam ſuperiùs memoraui, & incurrere expaueſco, lumen oculorũ meorum non eſt mecum. Quia poſtpoſito veritatis lumine, in tenebras decideram peccatorum. A principio Pſalmi Chriſtus egerat cauſam ſui corporis, nunc verò ſuam propriam incipit perorare paſſionem. *Amici mei & proximi mei aduerſum me appropinquauerunt ac ſteterunt.* Amici dicti Iudæi propter Abra-

ham. Proximi, eo quòd ab eorum generatione carnem Chriſtus ſumpſerit, qui appropinquauerunt ei, vt comprehēderetur. Quod verò ait, Amici mei & noti mei cōtra me ſteterunt: poteſt & de diſcipulis accipi qui in paſſione metu territi longè receſſerunt, in tantum vt etiam Petrus denegaret, vel ſteterunt cauſantes contra eum. *Et qui iuxta me erant, de longe ſteterunt.* Apoſtoli ſcilicet vel reliqui diſcipuli, de quibus ait Euāgeliſta: Cum apprehendiſſent eum, ſtabant omnes noti eius à longe. *Et vim faciebant, qui quærebant animam meam.* Vim faciebant non noti, ſed Iudæi, vel Petro: quum dicerēt, nonne & tu Galilæus es? vel Ioanni: qui quum traderetur, relicta ſyndone nudus profugit ab eis: vel ipſi etiam Chriſto. *Et qui inquirebant mala mihi locuti ſunt vanitates, & dolos tota die meditabantur.* Multos quidem dolos meditati ſunt, quum interrogarent ſi deberent cenſum dare Cæſari, aut ſi mulier deprehenſa in adulterio lapidaretur. Sed tunc apertè dolos ingerūt, quum falſos teſtes adducunt. Locuti ſunt autem vanitates, quando dixerunt, in Beelzebub eiicit dæmonia. *Ego autem ſurdus non audiebam, & ſicut mutus nō aperiens os ſuum.* Sēper, inquit, exprobrantes ſubſtinui & iugiter ſilui. Hoc & Pilatus manifeſtat cum dicit: Mihi non reſpondes? An neſcis quia poteſtatem habeo dimittere te? Ego autem tanquam mutus non aperiens os ſuum. Certè & apud Pilatum non eſt Deus noſter locutus. & de eodem loquitur Eſaias atque ait: Tanquam agnus ad victimam ductus, non aperiens os ſuum. *Et factus ſum ſicut homo non audiens, & non habens in ore ſuo redargutiones.* Nam quū me ſputis linirent, arundine verberarent, illuderentque genu flexo, nihil motus iis omnibus, factus ſum non habens in ore increpationes. Sic tacui accuſatus, quaſi non habens quod pro me reſponderem. Et in omnibus iis exemplum Chriſtus dedit, vt homo flagella correptionis patienter portet. *Quoniam in te Domine ſperaui, tu exaudies me Domine Deus.* Vt me reſuſcites. Vel exaudi me, hoc eſt vide illorum ſuperbiam & meam humilitatem. *Quia dixi, Nequando ſupergaudeant mihi inimici mei, & dum commouentur pedes mei, ſuper me magna locuti ſunt.* Pedes Chriſti ſancti Apoſtoli dici poſſunt, qui firmi in paſſione tanquam pedes corpus ſubſtinere eum debebant, ſed commoti ſunt de fide ad infidelitatem. Vel de Chriſto ait, commoueri poſſunt pedes mei à ſtabilitate ſua, & inimici mihi inſultare, ſi hac in crucis morte humiliatus non reſurrexero. In me autem magna locuti ſunt dicentes, Si filius

A Dei es, deſcende de cruce. *Quoniā ego in flagella paratus ſum, & dolor meus in conſpectu meo ſemper.* Præparo me, inquit, ad ſuſtinendūm crucem, lāceam, fel, acetū: vt per hāc mortem redimam populum pereuntem. Chriſtus enim ad hoc venit vt paſsionem ſuſtineret. Dolor meus ante me eſt ſemper, donec etiam victoriam in iudicio conſequar. *Quoniam iniquitatem annunciabo & cogitabo pro peccato meo.* Sicut enim maledictioni ſubiacuit, vt nos à maledicto legis erueret: ita & peccatorem ſe profitetur, quo peccata
B noſtra portaret, & pro cogitatu ac conſilio nos ab eis eriperet. Et cogitabo pro peccato meo. Peccatum Chriſti, humani delicta ſunt generis, propter quæ & patri nunc dicitur eſſe ſubiectus. *Inimici autem mei viuunt & confirmati ſunt ſuper me, & multiplicati ſunt qui oderunt me iniquè.* Certè iniquè & non rationabiliter faciunt, qui ex hac litera ſemen ſuum vt aſtra cæli multiplicari credebant. *Qui retribuunt mala pro bonis detrahebant mihi, quoniam ſequebar bonitatem.* Nam me dulcedinem æternę vitæ afferentem aceto ac fel-
C le potabant, & detrahebant mihi dicentes, Alios ſaluos fecit, ſeipſum ſaluum facere non poteſt. detrahebant autem mihi, quoniam ſubſecutus ſum iuſtitiam, vt implens voluntatem patris pro vita populi ſuſciperem mortem. *Ne derelinquas me Domine Deus meus, ne diſceſſeris à me: intende in adiutorium meum Domine Deus ſalutis meæ.* Manifeſtum eſt Domine Ieſu, quia pater ſuſcitans te à mortuis die tertia, collocauit ad dexteram ſuam in cœleſtibus ſuper omnē principatum & poteſtatem, dans tibi nomē
D quod eſt ſuper omne nomen. Ergo quia graues ſunt pugnæ carnis, tu Domine intēde in adiutorium noſtrum, & eſto nobis ſalus in tempore tribulationis.

PSALMVS L.

Titulus Pſalmi, In finem Pſalmus Dauid, quum venit ad eum Natham Propheta, dum intrauit ad Bethſabee. *Nouiſsima eſt peccati Dauid grauitas ex Regum hiſtoria: nota etiam humillima pro peccato deprecatio,*
E *quæ hoc Pſalmo continetur. Eſt autem Pſalmus iſte in ordine Pſalmorum quinquageſimus: quia quinquageſimus numerus in iubileo anno vſque ad veram ſancti Spiritus ſuper Apoſtolos miſsionem conſecratus eſt: ſine cuius gratia remiſsionem accipere nemo poterit. Habemus autem exempla in ſancta Scriptura de peccatis ſanctorum & de pœnitentia eorum, & de remiſsione peccatorum illis à Deo data. Nemo igitur dubitet de Dei miſericordia, quamuis maxi-*

illis inuolutus ſceleribus: nemo peccatum confiteri erubeſcat, quum Dauid Propheta multarum Rex gentium promiſſionibus de Chriſto glorioſus, peccatum ſuum non erubuit publicè confiteri, & ad Domini pœnitendo confugere clementiam. Petrus trinam negationem amariſſimis abluit lachrymis: Publicanus pœnitendo iuſtificatus receſſit à templo: Peccatrix fœmina ſanctos Domini pedes lachrymis abluit, & pœnitendo audire meruit, quia multum dilexit, multa illi dimittuntur peccata. Talibus roboratus exemplis nemo de Dei miſericordia deſperet: nemo ſua quamuis ſint ingentia, erubeſcat confiteri ſcelera: nemo tardus ſit lachrymis iniquitatem ſuam abluere: & quia omnes peccatores ſumus, vnuſquiſque noſtrum dicat cum Propheta:

M*Iſerere mei Deus ſecundum magnam miſericordiam tuam.* Miſerere, quia miſer ſum: miſerere, quia magna eſt miſericordia tua. Nullus noſtrum cum Adam ad noxias confugiat excuſationes: ſed apertè proferat, quod iniquè ſe geſſiſſe agnoſcit. Refugium faciat ad clementiſſimum iudicem, præueniat faciem eius in confeſſione: ne experiatur in futuro iudicio iratum, ſi modo contempſerit eum miſericordem. Miſericordiæ tempus eſt omni homini, modò pœnitenti: in futuro verò iudicio, tempus erit iuſtitiæ, vbi vnicuique reddetur ſecundum opera ſua. Quis effari poterit, quanta ſit miſericordia in homines, quæ mundi Creatorem mortali induit carne, vt ſemper viuẽs in ſuo, pro noſtris peccatis mori poſſet ex noſtro. *Secundum multitudinem miſerationum tuarum dele iniquitatem meam.* O Domine quamuis magna ſit iniquitas mea, tamen maior eſt multitudo miſerationis tuæ: in qua, vt deleas, deprecor, iniquitates meas, quas contra me ſcriptas horreſco: vt te miſerante merear ſcribi in libro vitæ tuæ: quia nemo ibi ſcribitur, niſi cuius hic omnes iniquitates delentur. *Amplius laua me ab iniuſtitia mea, & à delicto meo munda me.* Munere miſericordiæ tuæ laua me Domine ab iniuſtitiæ meæ maculis: nec ſolum laua, ſed etiam munda: ne quid ſordidum remaneat in vita mea. Sordidare me potui, ſed emundare nequeo; niſi tu Domine Ieſu ſancti ſanguinis tui aſperſione mũdum me facias. *Quoniam iniquitatem meam ego agnoſco, & delictũ meũ contra me eſt ſemper.* Noſtrũ eſt peccata noſtra cognoſcere humiliter & confiteri. Dei præcipuum eſt non imputare nobis, ſed miſericorditer ignoſcere. Plurimi ſcire ſua peccata poſſunt: ſed ſoli illi benè ea agnoſcere probantur, qui illa videntur

A propria execratione dãnare. Perfecta enim pœnitẽtia eſt, futura cauere peccata, & lugere præterita. Addit autẽ Dauid, *Et delictũ meum contra me eſt ſemper.* Delictum noſtrum contra nos ponimus vel coram nobis ſemper habemus, quando in memoria illud iugiter tenemus ad ſupplicãdum pro eo, donec vincatur à nobis, mortique detur ſempiternæ: nec iterum nos debellare valeat, ſicut pridem fecit. Nam toties peccata reſpicimus, quoties commiſſa deploramus. *Tibi ſoli peccaui, & malum coram te feci.* Ideo verò peccaſſe confitetur; quia Rex potens B alium non metuit vltorem peccati ſui. Et vt maius iniquitatis ſcelus oſtenderet, adiunxit, malum coram te feci. Dum enim vbique te præſentem ſciebam, in præſentia tãti iudicis non metuebam peccare: in quo dementiam ſuam arguit, qui non expauit tanto iudice præſente peccare. Sequitur: *Vt iuſtificeris in ſermonibus tuis, & vincas quum iudicaris.* Sermones Domini merito iuſtificari dicũtur, quoniam ſine dubio ſemper eius dicta complentur: in cuius conſpectu non iuſtificabitur omnis viuens. Idcirco C omni homini dicendum eſt: Non intres in iudicium cum ſeruo tuo. Dominus bellator noſter atrociſsimum hoſtem humani generis iudicatus vicit, & mundum damnatus abſoluit. Præuidẽs ergo in ſpiritus prophetia non niſi in ſanguine Chriſti peccata redimi poſſe, laudat iuſtitiam eius, qua diabolum damnauit: & miſericordiam, qua mundum redemit. Proinde non ſolum præſens ſui ipſius peccatum, ſed parẽtum ſuorum in quibus ipſe conceptus eſt & natus, confitetur dicens: *Ecce in iniquitatibus conceptus ſum, & in delictis concepit me mater mea.* D Quis me poteſt ex immundo ſemine conceptum mũdum facere, niſi tu Deus ſolus, qui ſine peccato es? Quid mirum eſt autem ſi fecerim in quibus me peccatorem confiteor, qui iam ex originali peccato in iniquitatibus ſcio me eſſe conceptum? qui antè peccata contraxi, quàm vitæ principia haberem? O Domine Ieſu quibus miſericordiam tuam laudibus efferimus, quas tibi gratiarum actiones dignas exoluere poſſumus, qui nos de huius chirographi debito E in ſanguine tuo liberaſti, delẽs in cruce noſtras peccatorum cautiones, quæ contra nos à primis parentibus conſcriptæ ſunt noſtris? *Ecce enim veritatem dilexiſti, incerta & occulta ſapiẽtiæ tuæ manifeſtaſti mihi.* Sicut ſuperiori verſu per commune delictum probauit, quòd nemo peccatis redderetur exẽptus, ſic iterum in confitendo peccata veritatẽ dixit, quàm plus Dominus Deus ac ſu-

per omnia ſacrificia requirit. Non enim A Deus delectatur pœnis noſtris, ſed confeſſionem quærit erroris. Incerta ergo & occulta ſapientiæ tuæ manifeſtaſti mihi, nimirum ea quæ Deus in filij ſui manifeſtatione reuelauit. Primum vt agnoſcerem habere eum filiũ, deinde vt ipſum noſſem ex meo ſemine in carnis aſſumptione venturum, eumque prædicarem, & reſurrectionis gloriam nunciarem. Sequitur: *Aſperges me Domine hyſſopo, & mundabor: lauabis me, & ſuper niuem dealbabor.* Sicut enim hyſſopus terrena curandis pulmonibus apta eſt, vt auertat inflationem: ita cæleſti quis reſperſus hyſſopo, id eſt humilitate cordis, ab omni ſuperbiæ malignitate purgatur. Lauabis ergo me, & ſuper niuem dealbabor: quumque peccata mea phœnicio ſint ſimilia, quaſi nix dealbabuntur. Super niuem autem album de corporibus nihil poteſt inueniri. Sed ideo ſuper niuem dixit, quia ſpiritalis anima longè ſupra corpora mundata reſplendet: Humilitas Chriſti ſoluit peccata noſtra, humillimæ herbæ hyſſopo bene comparata: quæ ſicut & hæc à corporibus, ab animis noſtris inflationem tollit ſuperbiæ. *Auditui meo dabis gaudium & lætitiam, & exultabũt oſſa humiliata.* Auditui datum eſt gaudium, quando dixit ei Nathan, Dimiſſum eſt peccatum tuum. Gaudium pertinet ad abſolutionem, lætitia ad perpetua præmia poſſidenda. Et exultabunt, inquit, oſſa humiliata, virtutes, quæ prius fuerant peccato humiliatæ: vel æternitatis ſpes quæ me peccãte humiliata fuerat, te indulgente exultat. *Auerte faciem tuã à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele.* Ne mea peccata ſic accipias vt reuertantur ad memoriam tuam. *Auerte faciem tuam*: ac ſi dicat, ne videas, ne recorderis illa. *Et omnes iniquitates meas dele*, præteritas, præſentes & futuras. *Cor mundum crea in me Deus, & ſpiritum rectum innoua in viſceribus meis.* Petit Propheta mundum cor ſibi creari, id eſt reſtaurari: ita & vnuſquiſq; debet facere. *Et ſpiritum rectum innoua in viſceribus meis*, quo recte confitear: vel ſpiritum rectum ad videndum & diſcernendum: ſicut antea rectus fuit in me. *Innoua*, quia vetus factus eſt pro peccato. innouari poſtulat per gratiam, & addit in viſceribus meis: vnde nouerat adulterij deteſtabile crimen exiiſſe. Vtriſque enim partibus remedium petebat: quoniam de vtroque peccauerat. *Ne proiicias me a facie tua, & ſpiritum ſanctum tuum ne auferas a me.* Ne proiicias me, ne ſicut Caim, exul à te efficiar. Proiicitur à facie qui à patre contemnitur. Sciebat enim ab illius facie ſanitatem mentis, & lumen veni-

re ſapientiæ, & credebat ſe inimico tradi, ſi à vultu Domini iudicaretur expelli. Deinde verò ſpiritum Prophetiæ petit ſibi non auferri, quem precioſum ſupra cuncta rex habuit. *Redde mihi lætitiam ſalutaris tui*, illam ſcilicet Chriſti tui exultationem, quam in eo habui priuſquam peccauerim. Salutare Dei patris Chriſtus eſt: ac ſi dicat, Sicut ante præuidebam per ſpiritum ſanctum eum in carne veniſſe, & modo ſic faciam. *Et ſpiritu principali confirma me.* Vt ipſa in me vicia non principentur. Confirma me Domine, ne iterum peccem, ne à te animæ mutabilitate diſcedam. Hîc ſancta Trinitas intelligenda eſt: in ſpiritu principali, Pater & Spiritus ſanctus, in ſpiritu recto, filius. *Docebo* B *iniquos vias tuas, & impij ad te conuertentur.* Docebo, inquam, illos vt declinantes à viis prauis & pœnitentiam agentes miſericordiam conſequantur, ſicut ego à te miſericordiam conſequutus ſum: hoc eſt proponam me ipſum vt meum exẽplum alij imitentur. *Libera me de ſanguinibus Deus Deus ſalutis meæ, & exaltabit lingua mea iuſtitiam tuã.* Liberari ſe petit Propheta de ſanguinibus, C id eſt, carnalibus delictis, vt iam deſineret in iſta fragilitate peccare. Sanguis enim pro corpore humano ponitur, quia inter cæteros humores eius ipſe potior videtur exiſtere. Quod verò ait, *Deus ſalutis meæ*, ſignificat Dominum Saluatorem per quem ſalus piè credentibus datur. Addidit etiam, *exaltabit lingua mea iuſtitiam tuam*, id eſt, ſi me liberaueris de ſanguinibus, quod intelligitur de peccatis, laudem tuam lingua mea iuſtè loquetur, vel prædicabit lingua mea mandata tua. *Domine labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam.* Labia Prophe- D tæ quæ clauſa fuerant conditione peccati, beneficio abſolutionis aperienda pronunciantur. Os autem dicitur & cordis arcanum, vnde efficitur laus diuina. Merito ergo poſt abſolutionem peccati & labia ſua aperienda eſſe pronunciat, & os ſuum dicit Domini adnunciare poſſe præconia, & laudem eius qua recreatus eſt. *Quoniã ſi voluiſſes ſacrificium dediſſem, vtique holocauſtis non delectaberis.* Significat hîc Propheta ritus ſacrorum per immolationes pecudum, qui erant in aduentu Domini reſpuendi. Vnde E conſtat Prophetam ſic ad Deum tota mente tranſlatum, vt non ſe ſacrificiis quæ illo tempore gerebantur crederet expiandum, ſed illa magis oblatione qua dicit cõſequẽter: *Sacrificiũ Deo ſpiritus contribulatus: cor contritũ & humiliatum Deus non deſpicies.* Quaſi dicat, O homo ſi peccaueris, noli extrinſecus pecus quod mactes inquirere: habes in-

tus quod occidas. Poſtquā enim dixit quæ A ſacrificia Deus reſpuit, nunc dicit illa quæ poſcit. Iſtud enim damus ſacrificium Deo, ſpiritum ſcilicet ſuperbiæ confeſſionis humilitate mactatum: vnde non ſanguis egreditur, ſed lachrymarum fluenta decurrunt. Cor autem contritum vocat pœnitentiæ laboribus vehementer afflictum, humiliatū Deo ſcilicet, vt quod ante fuerat elatione ſuperbum, foret pia confeſſione deuotum. Conſtat enim tales oblationes Deum non ſpernere, ſicut illa cognoſcitur priora ſacrificia reſpuiſſe. *Benignè fac Domine in bona voluntate tua, vt Sion ædificetur muri Hieruſalem.* Sion ſpecula interpretatur, ſignificatque Eccleſiam quam ſanctus Propheta toto orbe terrarum ædificari poſtulat. Hieruſalem viſio pacis interpretatur. ædificentur ergo muri Hieruſalem. i. monumenta conſtruantur immortalitatis noſtræ in fide & charitate. *Tunc acceptabis ſacrificium iuſtitiæ, oblationes & holocauſta, tunc imponent ſuper altare tuum vitulos.* Patri dicitur, *tunc acceptabis ſacrificium iuſtitiæ*, id eſt, Filij gloriſiſſimam paſſionem, qui ſe ſacrificium pro omnibus obtulit, vt ſalutem, quam mūdus ſuis operibus non merebatur, acciperet. Quod verò ait, *oblationes & holocauſta*, ad fideles etiam pertinet Chriſtianos, qui erant poſt aduentum Domini credituri, ſignificatque immolanda corda hominum viuentium, non membra pecudum mortuarum. *Tunc imponent ſuper altare tuum vitulos*, ſacerdotes ſcilicet, quando Eccleſia Catholica fuerit Domini paſſione conſtructa. Vitulos quippe poſuit pro innocentibus adultis, quorū ætas prima eſt, & à iugo peccati ceruix probatur aliena. Aut illos Prædicatores Euangelij promittit, quorum imaginem in vituli figura Lucas ſuſcepit. niſi fortè magis illos vitulos debemus intelligere, qui animas ſuas in hoſtiam ſuauitatis ſacris altaribus obtulerunt. Nos quoque famuli tui, Domine Ieſu, ſupplices deprecamur, vt pietatis conſilio magnis facinoribus noſtris immēſam miſericordiam largiaris, noſque per cordis contritionem humiliatos in mactādo vitia, iugulando delicta, dignum & acceptabile præpares holocauſtum, Amen.

PSALMVS CI.

Pſalmi Titulus, Oratio pauperis quum afflixerit, & coram Domino effuderit precem ſuam. *Vox eſt affligentis & gementis pauperis in hoc Pſalmo, & miſerias ſuas piiſſimo iudici cum magna humilitate offerentis, ſicut in titulo Pſalmi perſcribitur, quo ab oratione quæ ad Deum dirigitur, incipit pauper iſte ita dicens:*

Domine exaudi orationem meam, & clamor meus ad te veniat. Hæc enim vox eſt pœnitentis, Deique clementiam pro peccatis ſuis deprecantis, ac primo omnium vt exaudiatur poſtulantis: quod magnæ ſpei eſt in orationibus credere ſe poſſe à Deo exaudiri. Ideo omnis penitus humiliet ſeipſum, & humiliato contritoque corde clamet ad Dominum: qui ſicut in alio dicitur Pſalmo: Cor contritum Deus non ſpernit. Oratio B eſt ſuauis animi cum compunctione cordis confeſſio. Primo autem poſuit orationem, nunc adiecit clamorem, vt ſtudia ſupplicationis creuiſſe cognoſceres, cuius orationem in clamorem maximum prorupiſſe intelligeres. Hunc verò modum ſanctæ orationis ſeruandū deuotiſſimus Chriſtianus intelligat, vt ipsū cogitatione proſequatur: & quum verba effūdit, ipſum reſpiciat mente cui ſupplicat, omnes ſuperfluas cogitationes excludat, quæ ab inimico ingeruntur, vt efficax oratio ex cor- C dis claritate perueniat ad Deum ſicut Apoſtolus ait: Orabo ſpiritu, orabo & mente: pſallam ſpiritu, pſallam & mente. Tunc enim à Deo accepta eſt oratio canentis, ſi pura mens idem gerit quod explicat ore. *Ne auertas faciem tuam à me, in quacunque die tribulor.* Facies Domini pro miſericordia Dei dicitur, quam iſte pauper gemens & pœnitens à ſe non auerti deprecatur. *In quacunque die tribulor.* Qualibet ſe tentatio apprehēdat, poſtulat auxilium in omni anguſtia diuinum. Ideo ſubſequenter ait: *Inclina ad me aurem tuam*, id eſt benignum præ- D be auditum. *In quacunque die inuocauero te*, id eſt in die tribulationis meæ. Dies tribulationis & tentationis hæc vita eſt, in qua velociter ſe iſte pœnitēs exaudiri deprecatur, ne morte præueniente indignus ſit exaudiri. Quia in hac vita tempus eſt miſericordiæ, in futura vero iudicij: dum reddet Deus vnicuique ſecundum opera ſua. *Quia defecerunt ſicut fumus dies mei.* Sicut fumus veniente vento in auras diſpergitur, ita ſuperbia huius vitæ morte præueniente euaneſcit. E Qui hodie extollitur, cras non erit: quod iſte pœnitens agnoſcens, miſeriarum ſuarū dies plangit fumo eſſe ſimiles. *Percuſſus ſum vt fœnum & aruit cor meum.* Venit iſte pœnitens ad flebilem narrationem miſeriarum humanæ fragilitatis (quæ vt fœnum cito decidit vbi aliquo caſu arefacta fuerit) vt feſtinanter diuinæ remedium miſericordiæ acciperet, dum miſeriam ſuam pio medico

non taceret. Qui in mandatis Domini proficit, fœno comparabitur. *Quia oblitus ſum comedere panem meum.* Panis enim nobis vitæ eſt præceptorum Domini obſeruatio, quã peccator obliuiſcitur edere dum iniquitatibus vel peccatis ſe ſuis obligauerit. Hic enim exprimitur natura peccantiũ, quia dũ delictum appetitur, contemplatio Domini non habetur. *A voce gemitus mei adhæſerunt oſſa mea carni meæ.* Dignum eſt gemere eum qui perdit iuſtitiam vt lucrum acquirat vel peccato cuilibet ſe ſubiiciat. adhæſerunt inquit oſſa mea carni meæ.i. fortitudo mea carnalibus deſideriis quę militant aduerſus animam, in qua fortitudo debet eſſe regendi & comprimendi illicitos carnis motus. *Similis factus ſum pellicano in ſolitudine, ſicut nycticorax in domicilio. Vigilaui & factus ſum ſicut paſſer ſolitarius in tecto.* Tria genera auiũ poſuit, & tria loca habitationi illarum: per quæ diuerſa nobis pœnitentium genera demonſtrantur. Pellicanus eſt auis Ægyptiaca naturali macie ſemper affecta, ſolitudinibus ſe delectãs ſicut in crebris ieiuniis pœnitentes eſſe conuenit. Per hoc ergo auium genus pulcherrimè ſignificantur Eremitæ, qui hominum conſortio derelicto ſe multa afflictione diſcruciant. Nycticorax Latino vocabulo noctis coruus dici poteſt, amans tenebras nõ lucem, quẽ ſibi eſcas noctibus quærere conſtat: ita pœnitens debet nocturno tempore eſcas animæ ſolicita curioſitate perquirere, licet communi conuerſatione in domicilio multorum habitare videatur. *Vigilaui, & factus ſum ſicut paſſer ſolitarius in tecto.* Paſſer auis eſt acutiſſima, quæ in tectis habitare ſolet humana gaudens vicinitate: huic merito comparatur, qui diabolicę calliditatis fraudes fugiẽs, vigiliis & orationibus, & pœnitentiæ lacrymis intra ſanctæ Eccleſiæ ſepta ſe munire feſtinat. *Tota die exprobrabãt mihi inimici mei, & qui laudabant me, aduerſum me iurabant.* Ore laudabãt & corde inſidias præparabant. laudabant vt deciperent, prædicabant vt ſubuerterent. & hoc à diabolo, qui ſi publicis peccatis ſeruum Chriſti ſubuertere non poterit, opprobriis & reprehenſionibus circumhabitantium à via veritatis eum deterrere nititur. Sunt plurimi bona facere erubeſcentes, ne diſsimiles ſint multitudini mala facientium. Hoc quoque peccatum pœnitẽs iſte commiſiſſe ſe fatetur. *Quia cinerem tanquam panem manducabam, & potum meum cum fletu miſcebam.* Pœnitentis huiuſque ſeculi delicias deſpicientis conuiuia lugens iſte exprimit: quia per huiuſmodi conuiuium peruenire ſe ſperant ad menſam Domini.

A Quapropter ô peccator noli deſperare de indulgẽtia peccatorum. In quacunque die fuerit conuerſus peccator, vita viuet & nõ morietur. Sed noli tardare conuerti ad Dominum. Indulgentia tibi conuertenti à peccatis certa eſt, ſed craſtinus dies tibi incertus eſt. Hodie conuertere, ne fortè cras moriaris. Si male vixiſti heri, bene viue iam hodie, memor illius de quo Veritas ait: Stulte hac nocte morieris, corrige te vt in corpore Chriſti hanc vocem habere valeas. *Quoniam cinerem tanquam panem manducabam, &c. A facie iræ indignationis tuæ, quia eleuans alliſiſti me.* Exponit iſthic gemendo, cur ſe tanta afflictione in pœnitentia fatiget: quia ſcilicet cum ira & indignatione Dei naſcimur, quæ peccatis ſuperuenientibus grauior efficitur, ideo addit: *Quia eleuans alliſiſti me.* Eleuatus eſt homo honore imaginis Dei & libero arbitrio nobilitatus: ſed hoc male vſus alliſus eſt, & deiectus in hanc conuallem lachrymarum. *Dies mei ſicut vmbra declinauerunt: & ego ſicut fœnum arui.* Quia homo à Deo declinauit, declinauit ab eo dies felicitatis eius: Qui fuit lux in Domino, vmbra factus eſt in peccato, & flos vitæ illius ſicut fœnum aruit: nec vnquam reuireſceret, niſi ſanguine Chriſti irrigaretur. *Tu autẽ Domine in æternum permanes, & memoriale tuũ in generatione & generationem.* Qui ſe vſque ad cinerem pœnitendo deiecit pro peccatis ſuis, Deum laudando in beneficiis ſuis ſe erexit dicens, me areſcente tu permanes in æternum: quapropter optimè ab aduentu Domini ſalutis ſuæ & laudis diuinæ fecit initium, per quem mundum nouerat eſſe ſaluandum. Memoriale autem hic dictum eſt, ſalutare promiſſum de Domini incarnatione venturi, quod nulla obliuione delebitur. *Tu autem, Domine, exurgens miſereberis Sion, quia tempus miſerendi eius, quia venit tempus.* quaſi diceret: Quid tardas de ſalute Sion? Sion verò mons eſt, vbi templum Domini eſt: miſereberis ergo eius, quia venit tempus miſerendi eius. Hoc eſt tempus de quo Apoſtolus ait, poſtquam venit plenitudo temporis, miſit Deus filium ſuum. Sciẽdum eſt verò quòd pœnitens iſte non ſui ſolius tantum cauſam agit, verum etiã totius humani generis optat ſalutem. quæ niſi adueniente filio Dei fieri non potuit. *Quoniam placuerunt ſeruis tuis lapides eius, & terræ eius miſerebuntur.* Videndum eſt quàm propriè verba rebus aptentur. Lapides dixit beneplacitos, qui ſunt Apoſtoli & martyres præcipuique veritatis prædicatores. In Siõ, id eſt in Eccleſia. Terra autem peccatores ſignificat, quibus in ſanguine ſalutaris noſtri

ſtri miſertus eſt Deus. Lapides Domino miſerante dicuntur, qui ſolidi ſunt in ædificatione Domini & firmitate ſua ſecuri. Terra autem per miſericordiam munda erit, vt digna ſit in ædificatione Domini poni. *Et timebunt gentes nomen tuum Domine, & omnes Reges terræ gloriam tuam.* Quos ſuperiore verſu terram nominauit, eoſdem hic gentes appellat terrenis actibus inuigilantes. Reges ſunt, quicumque ſe ipſos bene regunt, aliiſque præeſſe bonis exemplis vel verbis prædicationis norunt: qui magnum nomen Chriſti Dei ſeruis ſuis (quos ſuperius lapides appellauit) prędicantibus, gloriam eius timent. *Quoniam ædificauit Dominus Sion, & videbitur in gloria ſua.* Ideo timebunt Dominum omnes gentes, & Reges ſpiritales gloriam eius formidabunt; quia ædificata eſt à Domino Sion, mater ſcilicet Eccleſia, de viuis lapidibus conſtructa, in qua Domini ſalus ſine fine permanet. Qui verò nunc viſus eſt in humilitate; ipſe videbitur confirmata & conſtructa ciuitate ſua in gloria ſua, cum venerit in maieſtate patris & ſanctorum Angelorum diſcernere inter agnos & hœdos. *Reſpexit in orationem pauperum, & non ſpreuit precem eorum.* Veniente Saluatore noſtro in mundum, tunc exauditæ ſunt preces huius pauperis quæ ſæpius recitatæ ſunt in conſpectu diuinæ pietatis. Iſte pauper vnus eſt & multi ſunt, vnus in charitate, multi in latitudine totius orbis, quibus eſt vna fides, vnum baptiſma, vnus Deus. *Scribantur hæc in generatione altera, & populus qui creabitur laudabit Dominum.* Scripta ſunt hæc Prophetarum dicta, quæ modo leguntur in generatione altera. Illa fuit prima generatio in qua hæc ſcriptura edita eſt, quam nunc legit in iſta generatione ſequenti populus qui creabitur à Domino de multitudine gentium, laudans in veritate lucis, non in figuris vmbrarum. *Quoniam proſpexit de excelſo ſancto ſuo, Dominus de cælo in terram aſpexit.* De cælo Dominus per vnicum filium ſuum proſpexit in terram miſeriæ noſtræ. Vt audiret (ſicut ſequens verſus oſtendit) gemitus compeditorum, humani ſcilicet generis quod diaboli vinculis in primo parente ligatum eſt, mortique perpetuæ perditionis addictum. Hoc de cælo proſpiciens Dominus, venit ſoluere vinctos, & viuificare interemptos. *Vt annuncietur in Sion nomen Domini, & laus in Hieruſalem.* Quia de Sion, vt ait Propheta, exibit lex, & verbum Domini de Hieruſalem. Ibi quippe primum prædicatum eſt per Apoſtolos nomen Domini: ſic legitur in Actibus Apoſtolorum, multitudinē credentium ibi eſſe, & ipſum Dominum præcepiſſe in Euangelio conſtat, prædicare Apoſtolos pœnitentiam & remiſſionem omnium peccatorum in omnes gentes, incipientes primo ab Hieruſalem. De quibus paulo poſt ait Euangeliſta: Et erant ſemper in templo laudantes & benedicentes Dominum. *In conueniendo populos in vnum, & regna vt ſeruiant Domino.* Ad hoc enim gemitus pauperum exauditus eſt, ſcilicet vt conueniens populus in vnum, laudes Domini perſonaret. In eo quod ait populos in vnum, virtus Catholicæ vnitatis ſignatur, quia omnes vnum ſumus in Chriſto. Veluti ipſe Dominus Patri pro ſuis ſupplicans ait, Vt ſint vnum in nobis. *Et regna vt ſeruiant Domino.* Iſta ſeruitus Domini vera libertas eſt hominis, per quod ſeruitium Dei in tantum exaltata eſt Eccleſia, vt etiam regna ſeruiant illi, quæ etiam ante perſequebātur eam. *Reſpondit ei in via virtutis ſuæ.* Quis? cui reſpondit? Populus Chriſtianus Deo ſuo, Eccleſia Chriſto capiti ſuo. Quid reſpondit? vt faciat quæ iubet qui ſe redemit. Vbi reſpondit? in via ſcilicet virtutis ſuæ. Quæ eſt via virtutis ſuæ, niſi Chriſtus? qui ait, Ego ſum via, & veritas, & vita, ſine quo nihil poſſumus in bonis operibus reſpondiſſe præceptis Domini. *Paucitatem dierum meorum nuncia mihi.* Vox Eccleſiæ de fine mundi per Apoſtolos Dominum deprecantis, qui dixerunt: Dic nobis quando hæc erunt, & quod ſignum aduentus tui & conſummationis ſeculi? qui reſpōdit: Primum prędicabitur hoc Euangelium in toto mundo, & cætera quæ ibi leguntur de ſignis conſummationis ſeculi. Quod tempus paucitatem nominat dierum iſte pœnitens, qui ab initio mundi vſque in finem totum tempus in comparationem æternitatis, quaſi vnum & paruiſſimum computat momētum. Optat iſte pœnitens peruenire ad æternæ beatitudinis fœlicitatem, ſicut Euangelicus ſemper ſeruus iubetur eſſe paratus. *Ne reuoces me in dimidio dierum meorum, in ſeculum ſeculi anni tui.* Æternitatem iſte pauper deſiderans, non vult reuocari ad medios vitæ ſuæ dies, id eſt ad iuuentutis annos, in quibus maximè feruore carnis peccare ſolent homines. Ad hos dies non cupit regredi, vt ad æternos Domini annos qui mutabiles non ſunt, peruenire mereatur, vbi varietas temporum non erit, ſed ſtabilis quædam ſemperque eadem vita permanet mutationi non obnoxia. Seculum eſt, regeneratio huius generationis

quæ in Euangelio deſignatur, vbi Domi- A nus ait: In regeneratione, cùm ſederit filius in ſede maieſtatis ſuæ. *In initio tu Domine terram fundaſti; & opera manuum tuarum ſunt cæli.* Hoc eſt quod in capite ſanctarum ſcripturarum legitur, In principio creauit Deus cælum & terram; hoc ideo ait iſte laudator Domini, vt intelligeretur nos eũdem habere redemptorem. Qui verò ini- B tio cælum & terram creauit, ſine initio eſſe manifeſtum eſt. Opera manuum tuarum ſunt cæli, id eſt virtute Dei & ſapientia facta ſunt omnia. *Ipſi peribunt*, id eſt cælum & terra. Sic in Euangelio legitur, verba autem mea non tranſibunt. *Tu autem permanes, & omnes ſicut veſtimentum veteraſcent.* Solum Dominum immutabilem eſſe declarat, dum omnia ſicut veſtimenta veteraſcent. Carnis vero humanæ fragilitatem hic videtur oſtendere. Ipſum enim veteraſcit quod more veſtis conſumitur. *Sicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur.* Fortaſſis cælum intelligitur coopertorium terræ eſſe, quod in melius mutandum eſſe alia ſcriptura deſignat vbi dicitur, Et erit cælum nouum & terra noua. *Tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient.* Omnia eſſe mutabilia præter ſolum Creatorem deſignat: qui ſemper idem eſt quod eſt, & anni æternitatis illius nunquam deficient. Non quòd in Deo anni intelligendi ſint vt vnus veniat & alter tranſeat, ſed æternitas illius, quæ ſemper eadem eſt, annorum nomine deſignatur. *Filij ſeruorum tuorum inhabitabunt ibi*, id eſt habitabunt annos æternitatis ſanctorum filij patrum, Prophetarum ſcilicet & Apoſtolorum vel Doctorum Eccleſiæ. Nec æſtimandum eſt ibi non eſſe patres vbi filij futuri ſunt: quòd ſi filij ibi, quanto magis & patres? ſi diſcipulus bonus, & magiſter melior diſcipulo. *Et ſemen eorum in ſeculum ſeculi dirigetur.* Quorum ſemen, niſi Doctorum ſuorum qui in æterna dirigentur beatitudine? qui rectam hic tenuerunt viam, beatitudinis præmia ibi poſſidebunt. Ideo non tardet quiſque peccator pœnitentiam agere, quatenus ad huius præmij gloriam peruenire mereatur. Recordetur iugiter primam Dominicæ prædicationis vocem qua dictum eſt: Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cælorum, Amen.

PSALMVS CXXIX.

Pſalmus iſte inter canticos graduum vndecimus eſt, qui numerus quandam diminutionem perfectionis demonſtrat, ſed ſextus eſt in ordine pœnitentiæ. Quem numerum, id eſt ſex, ſuis partibus conſtat eſſe perfectum. In quo ipſe Creator condidit omnia, vt oſtenderet omnia eſſe perfecta quæ creauit. Iſte verò pœnitens per pœnitentiæ lachrymas ad perfectionem indulgentiæ peruenire nititur dicens:

De *profundis clamaui ad te Domine.* De profundis, id eſt nimietate peccatorum, de quibus non eſt alia ſalus illi niſi ad Dominum clamare, & in eius ſperare clementiam. Ideo poſtulat ſuum exaudiri clamorem quem de profundo peccatorum eructauit dicens: *Domine exaudi vocem meam.* Ipſi enim ſunt altiſſimo viciniores qui de C ſanctæ humilitatis viſceribus eruperunt ſe confitentes eſſe peccatores, & de profundo clamaſſe iniquitatis dicentes: *Fiant aures tuæ intendentes in orationem ſerui tui.* Quis eſt qui clamat? peccator ſcilicet. Vnde clamat? etiam de profundo. Quo iam profundo, niſi peccatorum? qua ſpe clamat? qui venit ſoluere peccata dedit ſpem etiam in profundo poſito peccatori, clamandi veniámque ſperandi. Quid verò iſte clamat peccator, audiamus. *Si iniquitatem obſeruaueris Domine, Domine quis ſuſtinebit?* Ec- D ce apparuit de quo profundo clamaret. Clamat ſub fluctibus quaſi in profundo demerſus iniquitatum ſuarum, accuſans ſeipſum in cogitationibus, verbis, & factis: intelligens totam vitam humanam tentationibus ſubiacere. Sequitur in qua ſpe clamaret dicens: *Quia apud te propiciatio eſt.* Quę eſt iſta propiciatio, niſi ſanguis Chriſti ſanguis innocẽs qui effuſus eſt in propiciationẽ peccatorũ noſtrorum? Ergo Domine apud te eſt propiciatio quæ me excitat ad te clamare. Quia ſi iudex tantum & non propiciator fieri voluiſſes, obſeruares ini- E quitates noſtras, & nemo ſuſtineret. *Et propter legem tuam ſuſtinui te Domine.* Expectaui te Domine, qui mihi in lege promiſſus fuiſti. Quæ me lex reum fecit, & compulit me ad te clamare qui es legiſlator, & redemptor ſub lege factus filius hominis. *Suſtinuit anima mea verbum tuum.* Quod verbum? quod erat in principio apud Deum. Hoc verbum expectaui, vt caro fieret, & liberaret animam meam, in quo ſuſcepimus remiſſionem peccatorũ & promiſſio-

nem regni cælorum. In quo verbo ſperauerunt Prophetæ: quod verbum Apoſtoli tractauerunt & viderunt. In quo verbo beati ſunt etiam credentes quamuis ipſum carnaliter non vidiſſent. In hoc verbo omnes animæ ſanctorum ſperant. *A cuſtodia matutina vſque ad noctem ſperet Iſrael in Domino.* Cuſtodia matutina eſt manifeſtata reſurrectio Domini Saluatoris, quoniam ſepulchrum cuſtodientibus Iudæis, reſumpti corporis veritate ſurrexit. Vſque ad noctem, id eſt vſque ad terminum huius ſeculi in hac ſpe nobis viuendum eſt, vt modo reſurgamus in anima, & in nouiſſimo die reſurgamus in corpore. Qui verò à morte animæ modo reſurgit per verbum filij Dei, tunc fœliciter reſurget in carne per verbũ Dei filiũ hominis. In hac enim promiſſione ſperet Iſraël in Domino. ſpe enim ſalui facti ſumus. Quod nunc ſpei dulcedine habemus, tunc rei veritate tenebimus. Noli tu Iſraël, id eſt vir vidẽs Deum, dubitare de hac promiſſionis fœlicitate. *Quia apud Dominum miſericordia, & copioſa apud eum redemptio.* Quamuis peccator peccatorum mole prematur, adeſt miſericordia Dei in Chriſto qui ſine peccato venit vt peccata ſolueret. Apud quem copioſa eſt redemptio, quia vbi abundauit peccatum, ſuperabundauit gratia. *Ipſe eſt qui redemit Iſraël ab omnibus iniquitatibus ſuis.* Ideo tu peccator noli ceſſare: clama de profundo, expelle à te omnem deſperationem. Dic, dic, Si iniquitatem obſeruaueris Domine, Domine quis ſuſtinebit? obſerua illum, expecta illum, propter legem ipſius, quam legem tibi dedit in oratione qua deprecaris pro peccatis tuis dicens: Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Spera te reſurrecturũ, & te futurum omni modo ſine peccato, quoniam ille ſurrexit qui primus fuit ſine peccato. Noli dicere, non ſum dignus miſericordia illius propter peccata: cogita apud eum multam eſſe redemptionem, qui ſeipſum tradidit vt te redimeret. Liberatus per pœnitentiam, noli iterum ligari per peccatum. Serui Domino quaſi filius, non quaſi ſeruus: quia omnis qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati. Seruus autem non manet in domo, filius autem manet apud patrem ſuum in æterna beatitudine, Amen.

PSALMVS CXLII.

Titulus Pſalmi, Pſalmus ipſi Dauid, quando eum filius ſuus perſequebatur. *In libris Regum hanc hiſtoriam legimus quomodo Abſalon patrem ſuum Dauid expulit de regno. Sed alius eſt Dauid verè manu fortis: in bello fortis, qui percuſſit hoſtem ſuperbiſſimum Dominus noſter Ieſus Chriſtus. Agnoſcendus eſt itaque Dauid iſte quem perſequebatur filius ſuus Iudas tradens eum in mortem, habebat enim filios de quibus dicebat: Non poſſunt filij ſponſi lugere quamdiu ſponſus eſt cum eis: veniet autem dies quando ſponſus auferetur ab eis, tunc lugebunt. Lugendum eſt animis peccantium, ſi ſponſus auferatur ab eis propter peccata: & primo omnium poſcendum vt exaudiatur oratio eorum: deinde ne inducantur in iudicium, poſtremo vt eripiantur ab inimicis ſuis quorum poteſtati à ſemetipſis traditi ſunt propter peccata ſua.*

D*omine exaudi orationem meam, auribus percipe obſecrationem meam.* Hoc eſt exaudi, quod & percipe auribus. Repetitio, magna eſt deprecantis intentio: humilitas lachrymarum, abſolutio eſt peccatorum. *In veritate tua exaudi me in tua iuſtitia.* Cõmendatio gratiæ eſt, ne vnuſquiſque noſtrum iuſtitiã ſuam eſſe putet qua liberatur, ſed iuſtitia Dei eſt, quam vt habeat Deus dedit. In tua enim dicimus iuſtitia, exaudi me. Ad me enim vnum cum reſpicio, nihil aliud in me niſi peccatum inuenio. Tota liberatio mea tua eſt iuſtitia. Vnde ſequitur: *Et non intres in iudicium cum ſeruo tuo.* Noli ergo mecum intrare in iudicium Domine, quantumlibet mihi rectus videar. Producis tu de theſauris tuis regulam æquitatis, iudicas me ſecundum meam iuſtitiam, & prauus inuenior. Quare? *Quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens.* Omne genus humanũ, ſignificat originali peccato obnoxium. Ideo nullus niſi gratia liberatus tua iuſtificari poterit. Quod ſi nullus iuſtificabitur, de radice vitiata natus, quantomagis ego peccatorum meorum pondere oppreſſus? *Quia perſecutus eſt inimicus animã meam.* Iudas animam Chriſti, diabolus animam meam, peccatorũ perſuaſione perſecutus eſt. *Atque humiliauit in terra vitam meam.* Dum terrenis cõtagiis aſperſit animam meã, & vitiorũ puluere ſordidauit eam. *Collocauit me in obſcuris ſicut mortuos ſeculi*, qui in peccatis ſuis moriũtur, retributionẽ recipientes iniquitatis ſuæ, ideo: *Et anxiatus eſt in me ſpiritus meus,*

in me turbatum eſt cor meum. Anxiatus eſt per pœnitentiam ſpiritus meus, & totum cor meum pro ſcelerum enormitate meorum conturbatum eſt, timens ne cum ſeculi mortuis damnet me iudex iuſtus. *Memor fui dierum antiquorum.* Dies antiqui ſunt, in quibus ſecundum veterem hominem viuebam in peccatis, quorum memoria me torquet. *Meditatus ſum in omnibus operibus tuis, in factis manuum tuarum meditabar.* Vidi, inſpexi omnia opera tua, quia nihil boni in nobis eſſe poteſt, niſi tua operante gratia fiat, qui nos feciſti. Hæc intentius conſiderans quid feci ſcilicet? *Expandi manus meas ad te, anima mea ſicut terra ſine aqua tibi.* Expandi manus meas in orationibus: & in ſanctæ crucis ſolatio, in qua Saluatoris mei manus expanſæ ſunt, orabo. Sequitur cōparatio in qua dicit pœnitens ſic animam ſuam deſiderare Deum, quemadmodum terra ſitiens pluuias expectat, vt fructus germinet deſiderabiles. *Sine aqua tibi.* O Deus tibi ſit anima mea irrigata, & à te irrigata vt tibi faciat fructum. *Velociter exaudi me Domine, quia defecit ſpiritus meus.* Velociter deficiet ſpiritus animalis, & reuertetur caro in terram ſuam, & non agnoſcet amplius locum eius. Quia ſemel naſcitur homo, & ſemel renaſcitur: ſemel moritur, & ſemel reſuſcitabitur: ideo Domine miſerere dum eſt tempus miſerendi, & tempus acceptabile & dies ſalutis: Scio citiſſimè venire diem, in qua iudicabor ſecundum opera mea. Miſerere nunc Domine Ieſu, vt miſerearis tunc in iudicio. *Non auertas faciem tuam à me:* Quia ſi auerteris faciem miſericordiæ tuæ à me: *Ero ſimilis deſcendentibus in lacum.* Lacum verò inferiorem locum inferni deſignat, vbi impij perpetua torquentur anguſtia. De quo quomodo liberabitur niſi gratia Dei præueniente tempus iudicij? Poteſt quoque lacus intelligi profunditatis peccatorum: ad quam ſi peccator venerit, contemnet ſalutem deſperando animæ ſuæ. A qua liberari ſe ſicut ab infernali iſte pœnitens deprecatur, & ſubiungit: *Auditam fac mihi mane miſericordiam tuam Domine, quia in te ſperaui.* Ecce in nocte ſum, ſed in te ſperabo donec nocturna tranſeat iniquitas, & mane miſerationes tuæ quaſi aurora lu-

A cis veniant mihi. *Notam fac mihi viam in qua ambulem.* Id eſt, notam fac mihi viam præceptorum tuorum, vt ambulem in ea, illuminatus ab eo qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. *Quia in te ſperaui Domine.* Certe confitentis eſt conſolatio, ſpes in bonitate ſaluantis Domini. *Eripe me de inimicis meis Domine, ad te confugi.* Qui inimici niſi dæmones; niſi ſeculi ambitiones, niſi carnalia deſideria? quibus relictis ad te confugi, non à te ſicut Adam ad vmbras poſt meridiem felicitatis. B Non habeo ad quem faciam confugium niſi ad te Domine Deus meus. *Doce me facere voluntatem tuam.* Quia voluntas tua mea eſt ſalus, qui vis omnes homines ſaluos fieri & neminem perire. *Quia tu es Deus meus.* Quia tu es totum bonum meū, tota ſalus mea. Dominum quæram propter redemptionem, patronum quærò propter libertatem. Tu es Deus meus, tu creaſti me, per alium recreari nequeo niſi per te per quem creatus ſum. Creaſti me per C verbum Deum manens apud te, recreas per verbum carnem factum propter nos. *Spiritus tuus bonus deducet me in terra rectam.* Quia ſpiritus meus malus deduxit me in terram peruerſam: ſpiritus tuus bonus deducat me in terram rectam. Spiritus tuus bonus ſemper eſt, meus verò ſemper malus, niſi per tuum efficiatur bonus. *Propter nomen tuum Domine, viuificabis me in æquitate tua.* Sic clementiſſima Dei gratia commendatur, cuius miſeratione in nomine ſaluatoris, non noſtris meritis viuificati ſumus. *Educes de* D *tribulatione animam meam.* Educentur de tribulatione tamquam de carceribus animæ ſanctæ, quando à tentationibus inimici liberabuntur, & ad requiem peruenient, vbi nulla erit vltra tribulatio tentātis inimici. Ita finis vitæ præſentis terminus eſt laboris Sanctorum. *Quoniam diſperdet Deus inimicos eorum, & perdet omnes qui tribulant animas ſeruorum ſuorum.* Hîc enim tribulantur iuſti, ibi verò in requie beatitudinis gloriabuntur, & conſolabuntur per- E ſecutionem pro Chriſti nomine patientes. Dicente ipſa veritate: Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum, in ſecula ſeculorum. Amen.

MAGISTRI

ALBINI FLACCI ALCHVVINI,

EXPOSITIO IN PSALMVM CXVIII.

Centeſimus decimus octauus Pſalmus magnum in ſe myſterium continet: ſed quoniam continentur in eo, lex, mandata, iuſtificationes, teſtimonia, iudicia: quæ vtique inter ea diſtent, diſcernere neceſſe eſt. Lex ergo eſt quæ per Moyſen data, in Chriſto ſpiritaliter debet intelligi: quia Apoſtolus cum illam ſanctam vocet & vmbram, tamen eam futurorum eſſe deſcribit. Mandata ſunt, in quibus præceptorum dominicorum cuſtodia deputatur. Iuxta illud: Non occides, non mœchaberis, & reliqua. Iuſtificationes ſunt, quibus Deus per ſuam dilectionem & proximi, zizania odij ab hominum corde iubet euelli. Teſtimonia ſunt in quorum præſẽtia nobis obſeruationum ſanctarum ordo committitur. Sicut Moyſes cœlum & terram inuocat teſtes, & Paulus ad Timotheum: Teſtificor tibi, inquit, in conſpectu Dei viuentis, & in cõſpectu electorum Angelorum eius, & reliqua. Iudicia autem ſunt, cùm aut iuſtus ſplendidis honorabitur meritis, aut æternis damnabuntur ſuppliciis tranſgreſſores. Viæ ſunt Apoſtoli ac Prophetæ, per quos venitur ad veram vitam quæ eſt Chriſtus. Totus hic Pſalmus eſt ſcriptus ſecundum ordinem literarum, ita vt ab vna litera octo verſus incipiant, & rurſum à ſequenti octo alij compleantur, & hoc ſimiliter ad finem vſque texitur. Ab exordio ſuo magnus Pſalmus iſte, chariſſimi, exhortatur nos ad beatitudinem, quam nemo eſt qui non expectat. Quis enim vnquam vel poteſt, vel potuit, vel poterit inueniri, qui nolit eſſe beatus? Quid igitur exhortatione opus eſt ad eam rem quam ſua ſponte appetit animus humanus? Nam profecto qui exhortatur id agit vt excitetur voluntas eius cum quo agit, propter quod exhortationis adhibetur adloquium. Vt quid ergo nobiſcum agitur, vt velimus quod nolle non poſſumus, niſi quia omnes quidem beatitudinem concupiſcunt, ſed quónam modo ad eam perueniatur neſciunt? Ideoque hæc docet iſte qui dicit Aleph, id eſt doctrina.

B*EATI immaculati in via, qui ambulãt in lege Domini.* Beati eſſe non poſſunt niſi immaculati, immaculati autem nõ ſunt niſi qui in via ambulant, via verò non eſt niſi

A lex Domini. Quærens ergo beatitudinem immaculatus in via ſit: & in lege Domini, quæ beatorum via eſt, ambulet: non ſit otioſus, ſit ſine macula, hoc eſt ſine mortali crimine. Sed tamen diſcretionem facit inter maculam & maculam. Quia ſi ſine minutis eſſe non poſſumus, vel in maiora incidere non debemus. Beati ergo immaculati in via, qui ambulant in lege Domini, in via Chriſti, vt ipſe ait: Ego ſum via & veritas. *Qui ambulant in lege Domini*, hoc eſt in mandatis eius. *Beati qui ſcrutantur teſtimonia eius, in toto corde exquirunt eum.* Vt intelli-

B gant cum peccauerint, ſe coram teſtibus deliquiſſe: ait autem, qui in toto corde exquirunt eum, & non leuiter neque ſegniter. *Non enim qui operantur iniquitatem, in viis eius ambulauerunt.* Viæ enim Apoſtoli ſũt & Prophetæ, per quos venitur ad illam vitam, qui dixit: Ego ſum via & veritas & vita, ſicut iam diximus. In hac enim via non incedunt impij, quia ſatanæ viam ſequuntur. *Tu mandaſti mandata tua cuſtodiri nimis.* Non tepido corde neque diſſoluto animo, ſed fortiter & attentè nos ſua mandata e-

C docet cuſtodire. Nimis poſui pro valde: Valde itaque præcepit hoc Deus, & valde oportet Dei cuſtodire mandata. *Vtinam dirigantur viæ meæ, ad cuſtodiendas iuſtificationes tuas.* Niſi enim ab ipſo Domino dirigantur viæ noſtræ, ad eius cuſtodiendas iuſtificationes infirmi erimus propter fragilitatem carnis. Dediſti, inquit, mandatum, & cuſtodire illud præcepiſti; ſed vtinam præbeas auxilium, vt poſſim facere te iubente quod faciendum didici te docente. *Tunc non confundar, cùm proſpexero in omnibus mandatis tuis.* Cum, inquit, directæ fuerint viæ meæ per

D gratiam tuam, tunc inſpectione mandatorum tuorum non confundar, dum reſpicio in omnia mandata tua. Non enim alia prætermittere & alia obſeruare, ſed omnia æqualiter cuſtodire oportet, ne in futuro iudicio confundamur. *Confitebor tibi Domine in directione cordis, in eo quod didici iudicia iuſtitiæ tuæ.* Confitebor ſi directum fuerit iter meum & cor meum: te prædicabo Domine, te laudabo, & tui eſſe hoc operis confitebor. *Iuſtificationes*

E *tuas cuſtodiam, non me derelinquas vſquequaque.* Hoc eſt, faciam quod iubes ſi me adiuueris vſquequaque. Ac ſi apertè diceret, A bono opere errare me non ſinas, ne dum amitto ordinem bene viuendi, rectitudinem perdã loquendi. Hoc petit ne penitus deſeratur, ſed ita potius vt ab eo nunquam & nuſquam diuinum abſcedat auxilium.

In quo corrigit iunior viam ſuam? in cuſtodiendo ſermones tuos. Interrogatio eſt in quo iunior viam ſuam corrigat: & reſpondetur quod correctio hæc ſit, vt Dei verba cuſtodiat. Iuuenem enim dixit omnem hominem qui vetuſto peccati homine depoſito fit nouus in Chriſto. *In toto corde meo exquiſiui te, ne repellas me à mandatis tuis.* Feciſti, inquit, in toto corde meo vt exquirerem te, fac vt in mandatis tuis maneā: quæ vt mihi poſſibilia ſint adiuua me, & noli me ab eis repellere, id eſt, noli mihi auxilium tuum ſubtrahere. *In corde meo abſcondi eloquia tua, vt non peccem tibi.* Continuò diuinum quæſiuit auxilium, ne in corde eius Dei eloquia ſine fructu abſconderentur, niſi opera iuſtitiæ ſequerentur. Cum enim hoc dixiſſet, adiunxit: *Benedictus es Domine, doce me iuſtificationes tuas.* Vt quid enim dicit, doce me iuſtificationes tuas, niſi quia eas vult faciendo diſcere, non loquendo vel memoria retinendo tantummodo? *In labiis meis pronunciaui omnia iudicia oris tui.* Nihil, inquit, iudiciorū tuorum tacui, ſed omnia prorſus in labiis meis enūciaui, ea ſcilicet quæ mihi ore tuo, id eſt, eloquiorum tuorum prędicatione dixiſti. *In via teſtimoniorum tuorum delectatus ſū ſicut in omnibus diuitiis.* Via teſtimoniorum Dei Chriſtus eſt, in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi. In hac ergo via qua in omnibus diuitiis delectatur qui vadit per illam, multa erga nos ſunt teſtimonia diuinæ dilectionis impleta, & non dubium quin expectentur implenda. *In mādatis tuis me exercebor, & conſiderabo vias tuas.* Exercitatio aſſiduitatis operis eſt: & iſte niſi exercitatus in mandatis Dei fuiſſet, non poterat conſiderare vias eius: id eſt, Apoſtolicas Propheticaſque doctrinas. *In iuſtificationibus tuis meditabor: nō obliuiſcar ſermones tuos.* Ea meditor, in his exerceor, vt illa obliuioni non tradens poſſim ea integrè perfectéque complere. Gimel vox. *Retribue ſeruo tuo, viuifica me: & cuſtodiam ſermones tuos.* Quatuor enim ſunt retributiones: aut mala pro malis retribuuntur, ſicut Deus ignem æternum retributurus eſt impiis: aut bona pro bonis, ſicut regnum æternum retributurus eſt iuſtis: aut bona pro malis, ſicut Chriſtus per gratiam iuſtificat impium: aut mala pro bonis, ſicut Iudæi per malitiam perſecuti ſunt Chriſtum. Harum quatuor retributionum duæ priores pertinent ad iuſtitiā, vt retribuantur mala pro malis, bona pro bonis. Tertia pertinet ad miſericordiā, vt retribuantur bona pro malis. Quartam autem Deus neſcit, nulli enim malum pro bono retribuit. Hæc autem quam ter-

A tio loco poſui primitus neceſſaria eſt: niſi enim Deus retribueret bona pro malis, nullo modo eſſet quibus retribueret bona pro bonis. Sciens ergo verba Dei non poſſe cuſtodiri per obedientiam, niſi videantur per intelligentiam, hoc quoque orationi addit, & dicit: *Reuela oculos meos, & conſiderabo mirabilia de lege tua.* Da, inquit, mihi intellectum quo poſſim mirabilia tua legis inſpicere, & virtutem præceptorum tuorum videre. *Incola ego ſum in terra: non abſcondas à me mandata tua.* Ibi quiſque eſt peregrinus vbi abſens à patria ſua. Iſte ergo qui ſupernæ Hieruſalem ciuis adſcriptus eſt, peregrinum ſe cōfitetur in terra, B quia certus eſt de hæreditate promiſſa. Sed quia tentatio eſt vita humana ſuper terram, petit ne in tempore tribulationis & incolatus ſui abſcondantur ab eo mandata Dei. *Concupiuit anima mea deſiderare iuſtificationes tuas in omni tempore.* Vt ſiue manducem ſiue bibam, ſiue aliud quid faciam, ea ſemper deſiderem, mediter, adprehendam. Tu enim me iuſtificas, tua me facit gratia iuſtum, & bonum mihi eſt ſemper hoc deſiderare, & in hoc tuo præſidio C delectari. Alioquin iuſtus non ero ſi defuerit mihi gratia tua, aut inflauerit me ſuperbia. *Increpaſti ſuperbos, maledicti qui declinant à mandatis tuis.* Increpatio hæc intelligenda eſt, quam primi hominum genitores ſua tranſgreſsione meruerunt, declinantes à mandato Dei per ſuperbiam qua concupierunt non quod Deus diligendum præcepit, ſed quod diabolus inuidendo perſuaſit. Omnis itaque ſuperbus huic increpationi ſubiectus eſt, ſiue hæreditario merito, ſiue voluntatis arbitrio. Superbi enim declināt D à mandatis Dei. Aliud eſt quippe mandata eius per infirmitatem vel ignorantiam non implere, aliud ab eis per ſuperbiam declinare. Tunc omnes impij plenam accipiēt maledictionem cùm audierint: Ite maledicti in ignem æternum. *Aufer à me opprobrium & contemptum, quia teſtimonia tua exquiſiui.* Non otioſe nec ſomnolenter, ſed ſtrenuè vigilanterque ſancti teſtimonia diuina exquiſierunt, vt talia paterentur: vt eſt præceptum Domini, Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam &c. Sed hæc oratio pro perſecutorib. funditur, non inuocando E vltionem pœnę, ſed vt dum conuerſi fuerint ad Dominum martyribus tollatur opprobrium, quando & illi ipſam religionem coluerint. *Etenim ſederunt principes, & aduerſum me loquebātur, ſeruus autem tuus exercebatur in iuſtificationibus tuis.* Quod in hoc verſiculo Propheta in ſe loquitur, futurum in Apoſtolis reliquiſque martyribus videt,

qui multa coram regibus & præſidibus Domino hoc etiam pronunciante perpeſſi ſunt, qui licet ſint diuerſis pœnis adfecti vſque ad ſectionem ceruicum, tamen ſemper ſerui Dei ſe exercuerunt in iuſtificationibus. *Nam & teſtimonia tua meditatio mea eſt, & conſilium meum iuſtificationes tuæ ſunt.* Sic ergo exercebatur ſeruus Chriſti, vt contra perſequentes decertaret: conſilium perſequentium principum fuit, inuentos martyres perdere. Conſilium patientium martyrum fuit inimicos perditos inuenire. Reddebāt illi mala pro bonis, iſti bona pro malis. Quid ergo mirum ſi iſti occidendo defecerunt, illi moriendo viuificarūt? Daleth. *Adhæſit pauimento anima mea, viuifica me ſecundum verbum tuum.* Corpori mortali animam coniunctam intelligo, ideo ne delictum inualeſcat, à te peto viuificari, ſciens quoniam concupiſcentia carnis mortem operatur. *Vias meas enuntiaui & exaudiſti me, doce me iuſtificationes tuas.* Vias vocat actus humanos: ſine dubio actui ipſo viæ nomen imponit. Vias peccati mei confeſſus ſum & remiſiſti, nunc doctrinam indulge, qua me iuſtificationes tuas edoceas. *Viam iuſtificationū tuarum inſtrue me, & exercebor in mirabilibus tuis.* Merito cohors ſancta iuſtificationum viam intelligere quærebat, quæ vias ſuas, id eſt peccata prodiderat: quia niſi illa damnemus, ad iſtam peruenire non poſſumus. Inſtrue me ad intellectum, id eſt pertinentem ad beatam vitam, & exercebor in mirabilibus tuis. Vtique ſenſu & prudentia, vt vetus teſtamentum ad ſpiritalem trahat intellectum. Mirabilia vocat, ipſas quas ſuperius vocat iuſtificationes. *Dormitauit anima mea præ tædio, confirma me in verbis tuis.* In huius habitaculi mortalis ſtatione præ tædio imbecillitatis corporeæ confirma me in verbis tuis, vt ablato peccati ſomno inſtanter in his vigilem. *Viam iniquitatis amoue à me, & in lege tua miſerere mei.* Ad illam contemplationem veritatis euectus, petit quod in iſto ſeculo neceſſarium fuit, vt via iniquitatis, hoc eſt diaboli ab eius infeſtationibus tolleretur: Et in lege tua miſerere mei. Apud te enim lex hæc inſtituta eſt vt ſemper miſerearis. *Viam veritatis elegi, iudicia tua non ſum oblitus.* Viam veritatis elegi vbi currerem, iudicia tua non ſum oblitus vt currerem: viam veritatis elegi Chriſtum filium Dei, quem præuidens venturum in mundum audio dicentem: Ego ſum via, veritas, & vita. Iudicia tua non ſum oblitus: illa iudicia quæ in Euangeliis proferens ait: hoc eſt iudicium vt omnis qui credit in filium hominis habeat vitam æternam. *Adhæſi teſtimoniis tuis Domine, noli me confundere.* Et quia his adhærens anteriorem facinorū indulgentiam merui, quæſo ne me patiaris de te ratione peccati confundi. *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilataſti cor meum.* Cordis dilatatio veritatis eſt dilectio, quòd Dei munere fit vt ei non timore pœnæ, ſed amore iuſtitiæ ſeruiatur, cum charitas Dei diffunditur in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis. Ideo ergo iſtam viam mandatorum Dei cucurrit, quia cor eius Dominus dilatauit. *Legem pone mihi Domine viam iuſtificationum tuarum, & exquiram eam ſemper.* Hîc iterum plebs procedit beata, in qua ſibi legem petit conſtitui acquiſitam. Prius iam dixit, Et in lege tua miſerere mei, hoc eſt, in veteri teſtamento. Nunc autem nouam legem ſibi poni, veniente ſcilicet Domino Chriſto in carne, vt Chriſtianorum fides firmaretur, iugiter ſe dixit exquirere. Illud enim exquiritur quod magnis precibus poſtulatur indeſinenter. *Da mihi intellectum & ſcrutabor legem tuam, & cuſtodiam illam in toto corde meo.* Eccleſia rogat vt intelligat diſcretionem inter bonum & malum, inter vitam & mortem, inter literam & ſenſum. Vt intelligam & prædicem, & opere impleam, & cuſtodiam illam in toto corde meo, id eſt, ex tota dilectione, quam pulchro ordine dixit? Prius petit vt lex ei poneretur, hoc eſt nouum teſtamentum: deinde vt legis ipſius intentionem cognoſcere meruiſſet, quatenus eam tota integritate cordis ſeruaret. *Deduc me in ſemita mandatorum tuorum, quia ipſam volui.* Semita minor eſt quàm via, hoc eſt arcta & anguſta via, hoc eſt altiora mādata quę ducunt ad vitam. Mandata iſta noui teſtamēti debemus accipere, vbi ſe perduci magnopere precabatur. Ipſum volui, hoc eſt noui teſtamenti gratiam diuinam, per quam ſe ad cælorum regna nouerat peruenire. *Inclina cor meum in teſtimonia tua, & non in auaritiam*, dicit Eccleſia, id eſt, in humilitate, vt illud: Diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde: Teſtimoniis quippe ſuis agit nobiſcum Deus, vt eum gratis colamus: quod impedit auaritia, radix omnium malorum. Ergo nō habeamus inclinatum cor in auaritiam, non colamus Dominum niſi propter Dominum, vt ſui cultus ipſe ſit merces. *Auerte oculos meos ne videant vanitatem, in via tua viuifica me.* Auerte oculos meos, id eſt ſenſus meos, ne videant vanitatem, id eſt defectionem. Ac ſi dicat, in iſta vanitate quod eſt defectio, non habeā oculos meos, id eſt ſenſus meos defixos, ſed, inquit, in via tua viuifica me: hoc eſt in temetipſum vel

in tuis mandatis viuifica me in anima. *Statue ſeruo tuo eloquiũ tuum in timore tuo.* Stabile fit eloquium Domini in corde noſtro, cùm fit quod eodem iubetur eloquio: & auellitur, cùm cõtrarium opus agitur. Petit ergo ſeruus Dei vt in eo confirmetur obedientia perſeuerans, qua de ſtatu ſuo nullo malæ actionis moueatur impulſu: quod per ſpiritum & timorem fit caſtum, quo cauetur ne offendatur charitas, non quo metuitur ne damnetur impietas. *Amputa opprobrium quod ſuſpicatus ſum, quia iudicia tua iucunda.* In ſentẽtia iſta maximum exemplum humanitatis exponitur. Multa enim in opprobrium cadunt aliter quàm habeat veritas ſuſpicãdo, quam culpam rogat à ſe amputari. Suſpicio enim ſæpiſſimè probatur incerta, quæ viro non conuenit Chriſtiano. Hæc ergo ſuſpicio ducit ad opprobrium quod ex peccato naſcitur. Merito ſibi iucundum Domini dicebat eſſe decretum per quod ſe & requiẽ reperiſſe nouerat & coronam perpetuam. *Ecce concupiui mandata tua, in æquitate tua viuifica me.* Feciſti me, inquit, cupidum mandatorum tuorum, fac & efficacem. Adiuua vt faciam quod commendas, dona ipſe quod mandas. Vnum eſt Domine tuæ miſerationis donum, vt eloquia ſancta cuſtodientes in tua æquitate viuificemur. Hoc eſt, vt æqualẽ te Patri & Spiritui ſancto fateamur. *Et veniat ſuper me miſericordia tua Domine, ſalutare tuum ſecundum eloquium tuum.* Ad ſextam literam conuerſatio ſancta peruenit, in qua ſibi poſtulat ſalutarem Dominum debere concedi, qui eſt miſericordia peccatorum, & vita fidelium, per quem ſalus gentibus venit. Secundum eloquium tuum dixit, id eſt promiſſionem tuam quam per Prophetas promiſiſti. *Et reſpondebo exprobrantibus mihi verbum, quia ſperaui in ſermonibus tuis.* Hæc nobis indicat abſolutè ſententia reſpondẽdum eſſe viriliter aduerſantibus, ne malignantium præſumptio ſuperior eſſe videatur. Exprobrant enim verbum qui filium dicunt eſſe minorem patre. quia ſperaui, conſtanter his reſpondebo qui vanam dicunt ſpem meam quam in te habeo, quia illorũ ſpes inanis eſt. *Et ne auferas de ore meo verbum veritatis vſquequaque, quia in iudiciis tuis ſuperſperaui.* Rogat vt confeſſionem veritatis de eius ore nullæ pœnæ, nullus terror extorqueant. Cùm dicit vſquequaque, ſignificat verbum veritatis ad tempus aliquibus fuiſſe ſublatum: vt Petro contigit, qui ante galli cantum ter Dominum negauit: & ipſe tamen illud peccatum fletibus deleuit, & ſanguis effuſione mundauit. *Quia in iudiciis ſuperſperaui.* Iudicia enim Domini erant

A quod turbæ martyrum diuerſis cruciatibus agebantur ad regna cælorum. *Et cuſtodiam legem tuam ſemper, in ſeculum & in ſeculum ſeculi.* Iſte & alij verſus vſque ad finem literæ non habent deprecationem, ſed narrationem. Superiùs enim petit vt acciperet, hîc de perceptis gratias agit. Semper omne tẽpus vitę præſentis oſtendit: in ſeculo verò, B futurum ſeculum monſtrat. Hæc autem quam perpetuò cuſtodire deſiderat, charitas accipienda eſt, quia ipſa eſt plenitudo legis: & ceſſantibus cæteris mandatis ſola permanet in æternum. *Et ambulabam in latitudine, quia mandata tua exquiſiui.* Dilatatus enim ſum in cuſtodia legis tuæ, quia mandata tua exquiſiui. Diligenter ea perſcrutans ad hoc exquiſiui vt crederem & intelligerem. *Et loquebar de teſtimoniis tuis in conſpectu regum, & non confundebar.* Loquebar de teſtimoniis Domini, quomodo petiuerat & acceperat, vt reſponderet exprobrantibus ſibi verbum, quia firmitate roboratus ante C reges ſeculi dicit ſe non eſſe confuſum, ſed veritatem intrepidis ſermonib. exercebat. *Et meditabor in mandatis tuis quæ dilexi nimis.* Hîc oſtendit frequentatæ meditationis ardorẽ. Meditari enim mandata non poterit, niſi qui adſidua lectione percurrerit, quæ dilexi, inquit. Neglegere enim numquam poteſt homo quæ diligit: addit, nimis, ſupra quam nulla poteſt dilectio reperiri. *Et leuabo manus meas ad mãdata tua quæ dilexi: & exercebor in iuſtificationibus tuis.* Superiori verſu dixit, meditabor in mandatis tuis: quod ad D virtutem reſpicit inſpectiuam. Modo autẽ dicit, leuabo manus meas: quod ad partem pertinet actualem. Leuare enim manus, nõ quaſi à recordatione exciderit admonet: & ſignificat bonis operibus occupari. qui in malis actionibus detinetur, non leuat manus ſuas. Et exercebor in tuis iuſtificationibus, vbi meditabar. Vbi enim mentis eſt intentio, hic exercebatur, vbi quærebat operis frequentatione proficere. *Memento verbi tui ſeruo tuo, in quo mihi ſpem dediſti.* Memento, quod dicitur Deo memento, orantis deſiderium, quo promiſſum adcelerari poſcit, E oſtenditur. Memento ergo, inquit, verbi tui ſeruo tuo: hoc eſt imple promiſſum tuũ in quo mihi ſpem dediſti, hoc eſt, in quo verbo ſperare me feciſti. *Hæc me conſolata eſt in humilitate mea, quia eloquium tuum viuificauit me.* Conſolationem inter ærumnas ſeculi dedit ſpes futuræ vitæ in humilitate: qua ſancta probatur humilitas omnia ſuſtinere patienter: quia eloquium tuum viuificabat me. Cauſam reddit quare humilitas eius fuerit conſolata, quia ſpes conſolationis vi-

uificat eum afflictum. *Superbi iniquè agebant vſquequaque, à lege autem tua non declinaui.* Superbi iniquè, ſuperbos intelligi vult perſecutores humilium, hoc eſt impios perſecutores piorum, & ideo ſubiecit: A lege autē tua non declinaui: quia hoc eum facere eorum perſecutio compellebat. *Memor fui iudiciorum tuorum à ſeculo Domine, & conſolatus ſum.* Memor fui ex quo genus humanum ſumpſit exordium. Memor fui iudiciorum tuorum: & quia probaui quod omnes viæ tuæ miſericordia & veritas, conſolationem accepi, auxilio gratiæ tuæ conſolatus ſum. Intellexi per Spiritum ſanctum quod tu venturus eras in carne. *Defectio animæ tenuit me pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam.* Vox Eccleſiæ affectum miſerationis oſtendit, vt doleat ſuper prçuaricationes iniquorum. Neceſſe eſt ſanctum virum alterius culpa contriſtet, dum animus pius ſaluos fieri vniuerſos deſiderat. *Cantabiles mihi erāt iuſtificationes tuæ in loco peregrinationis meæ.* Cum dicitur cātabiles, ſignificat pſalmodiā cum magna delectatione peragendam. Cātus enim ſuperreleuat labores, & aufert animo tædium. In loco incolatus mei, ſignificat hunc mundum, vbi peregrinatur omnis qui in Domino Chriſto deuotus eſt, expulſo quidem Adā de paradiſo, in hac terra incolatum gerimus. *Memor fui nocte nominis tui Domine, & cuſtodiui legem tuam.* Oportet enim fragilitatem humanam, cum ſemper, tum impenſius in nocturno tempore memoriam facere Dominici nominis: cum aut recordatione diuitiarum premitur, aut cōcupiſcentiæ igne torquetur, & præcipuè hoc exorare, vt ſi legem Dei cuſtodire cœpit, ne ab eadem in aliquo diuellatur. *Hæc mihi facta eſt, quia iuſtificationes tuas exquiſiui.* Facta eſt mihi hæc lex conſolatio & ſcandalum, vt diligentius iuſtificationes tuas ſcrutari valerem. *Portio mea Domine, dixi cuſtodire legem tuam.* Portio à parte dicta eſt: illius enim partis ſumus cuius voluntatibus obedimus: vnde merito portio piorū Deus dicitur, quia regni eius ſunt pij & ſancti. Dixi cuſtodire legem tuam. Dixi, id eſt ſtatui atque decreui. Fœlix qui portionem non habet aliam niſi Dominum, qui honores, diuitias, cupiditates non amat, ſed tantummodo Deum. *Deprecatus ſum faciem tuam in toto corde meo? miſerere mei ſecundum eloquium tuum.* Bene Propheta deprecatur faciem Dei qui mundum cor ſe nouit habere. Beati enim mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt. Miſerere mei ſecundum eloquiū tuum. Per quod promiſiſti vt peccatorem in mortem non obrueres, ſed miſericorditer conſolareris. *Quia cogitaui vias meas, & conuerti pedes meos in teſtimonia tua.* Ordinem humanæ conuerſationis exponit: prius eſt enim vt noſmetipſos arguamus, & ſic ad mandata Domini migremus. Vias meas, id eſt actus humanos, ſed ei omnino diſplicebant. Pedes ſuos conuertit ad teſtimonia Domini gradienda, in quibus ſi quis ambulat, firma habet veſtigia. *Paratus ſum, & non ſum turbatus vt cuſtodiam mandata tua.* Paratus ſum ad prçdicandum, non ſum turbatus ad tribulationem ſuſtinendam propter Chriſtum, vt cuſtodiam mandata tua. non me conturbauerunt iniqua exprobrantium iacula. *Funes peccatorum circumplexi ſunt me, & legem tuam non ſum oblitus.* Cum dicit funes, oſtendit tot eſſe laqueos quot peccata cōmittimus. Funes peccatorum, non ab eo quòd ſunt peccata, declinatum eſt, ſed ab eo quòd sūt peccatores. Funes itaque peccatorum impedimenta ſunt inimicorum, ſiue ſpiritalium, ſiue carnalium: quæ ſi implicant corpus, non implicent animam, ob quæ impedimenta iſte legis Dei non eſt oblitus, quia ſermo Dei non eſt alligatus. *Media nocte ſurgebam ad confitendum tibi ſuper iudicia iuſtificationis tuæ.* Media nox profunda tribulatio eſt, quia non ſic effugabatur vt ſurgere non valeret. Surgebat autem vt confiteretur Deo iuſto iudicio eius datam peccatoribus poteſtatem, qua ſanctos perſequerentur, quos adiuuat gratia Dei, vt huiuſmodi exercitia facerent clariores. *Particeps ſum ego omnium timentium te, & cuſtodientium mandata tua.* Modo Eccleſia particeps eſt ad illos qui Deum timent timore ſancto, & ſua mandata implent: particeps eſt cum illis in ſpe, fide, & charitate. *Miſericordia tua domine plena eſt terra, iuſtificationes tuas doce me.* Miſericordiam fecit quando venit nos redimere, inde eſt plena terra, inde eſt ſancta Eccleſia. Iuſtificationes tuas doce me: hoc eſt, tua mandata, vt illa intelligam & prædicem, & opere impleam. *Bonitatem feciſti cum ſeruo tuo Domine, ſecundum verbum tuum.* Vox Prophetæ in perſona Eccleſiæ. Bonitatem feciſti, quando in carne veniſti & nos redemiſti: cum ſeruo tuo, populo Chriſtiano: ſecundum verbum tuum, verbum patris filius eſt: ſecundum verbum tuum, vt peccantes non in ira punires, ſed miſericordia conſolareris. *Bonitatem & diſciplinam & ſcientiam doce me, quia mandatis tuis credidi.* Docet ergo Deus bonitatem, inſpirando charitatis deſiderium: docet diſciplinam, cum in tribulationibus patientiam dedit. Docet ſciētiam, cum ſalutarium mādatorum ipſe cognoſcitur tributor, quia in

mãdatis tuis credidi, me vitam habere æternam. *Priuſquam humiliarer ego deliqui, propterea eloquium tuum cuſtodiui.* Ita per gratiam tuã profuit experiri pœnam, vt adquirerem obedientiam. *Bonus es tu Domine, & in bonitate tua doce me iuſtificationes tuas*: quia nemo bonus niſi Deus ſolus: verè vult autem facere iuſtificationes Dei, quando eas ſine eius ſuauitate non vult diſcere. *Multiplicata eſt ſuper me iniquitas ſuperborum, ego autem in toto corde meo ſcrutabor mandata tua.* Multiplicatam ſuper ſe dicit perſequentium iniquitatem, & ideo petit ne macularetur ab eis. Ego autem in toto corde meo ſcrutabor mãdata tua: vt quantum illi contendebant reducere, tantum iſte videretur mandatis dominicis adhærere. *Coagulatum eſt ſicut lac cor eorum, ego verò legem tuam meditatus ſum.* Coagulatum, in bono & in malo ponitur, hic autem in malo ponitur, hoc eſt, ſuperbia malorum: De qua ſuperius dixit, quæ more lactis in craſſiorem ſubſtantiam conſtricta eſt, ſed iſtum non potuerunt à lege Domini ſegregare, quia ipſe pia ſapientia ſuperauit eos. *Bonum mihi quòd humiliaſti me, vt diſcam iuſtificationes tuas.* Bonum mihi quòd pœnã conuertiſti mihi ad diſciplinam, & humiliationem ad eruditionem: quia iuſtificationes tuas ita cupio noſcere vt faciam. non enim eſt vera ſcientia in bonum, niſi ad hoc cognoſcatur. *Bonum mihi lex oris tui, ſuper millia auri & argenti.* Lex oris Dei Chriſtus eſt, qui non venit legem ſoluere, ſed adimplere: quem præuidens Propheta, ſuper omnes theſauros concupiſcit, qui non ſolum amicos diligi, ſed etiam inimicis præcepit ignoſci. Iod, id eſt principium. *Manus tuæ fecerunt me & plaſmauerunt me, da mihi intellectum, vt diſcam mandata tua.* Magnum eſt enim vt ſe homo intelligat manu Dei factum, plaſmatumque, & ad eius imaginem eſſe compoſitum: quod ſi agnouerit, ſcientiam poſcere debet vt mandata eius intelligat, & cuſtodiat. Manus Domini, virtus & ſapientia intelligendæ ſunt: fecerunt, ad animam: plaſmauerunt, ad corpus pertinet. Et quia anima precioſior eſt corpore, ideo prius poſuit, fecerunt. *Qui timent te, videbunt me, & lætabuntur: quia in verba tua ſuperſperaui.* Vox Eccleſiæ hæc eſt, vt illi qui Dominum timent, videant ſuum intellectum, & lętitiam habeant: quia Eccleſia quando videt alios mandata Dei obſeruare, magnam lætitiam habet: poſtea in inuicem ſic lætabuntur, & hîc & in futurum: quia in verbo ſpero, id eſt in Chriſto habeo ſpem. *Cognoui Domine quia æquitas iudicia tua, & in veritate tua humiliaſti me.* Quod dicit cognouiſſe ſe iudicia Domi-

A ni, illud ſignificat hominem animi tumore peccantem humiliatum corrigat, & ſupplicantem ſibi diuina miſericordia recipiat. Quis enim dubitat ſummæ æquitatis eſſe iudicium, vt qui per ſuperbiam deliquit, deuota humilitate purgetur? *Fiat nunc miſericordia tua vt conſoletur me, ſecundum eloquium tuum ſeruo tuo.* Fiat ergo miſericordia tua ſecundum promiſſionem tuam, in præſentibus muneribus accipiat mortalis vitæ ſolatium, & futura æternitatis bona patienter expectet. *Veniant mihi miſerationes tuæ & viuam, quia lex tua meditatio mea eſt.* Sufficienter expreſſum eſt quòd per miſericordiam B conſequamur vitam æternam: illa autem meditatio beatos facit, qui operibus ſanctis cælorum regna conquirunt. *Confundantur ſuperbi, quia iniuſtè iniquitatem fecerũt in me, ego autem exercebor in mandatis tuis.* Confundantur quamuis ſęuiant ſuperbi, & iniquitatem operantur in ſanctos: charitas tamen piorũ non refrigeſcit, & mandatorum Dei excitatio non deſinit. *Conuertantur mihi timentes te, & qui nouerunt teſtimonia tua*: hoc eſt, vt me docente cognoſcentes ea, ad te conuerC ſi fiant: & qui nouerũt teſtimonia tua: quos lectio quidem diuina imbuit, ſed necdum opus ſalutis inſtruxit. *Fiat cor meum immaculatum.* Hic cor pro anima ponitur, ac ſi dicat, fiat anima mea ſine peccato mortali: *in tuis iuſtificationibus vt non confundar*: hoc eſt, vt non habeam confuſionem æternam. *Defecit in ſalutare tuum anima mea, & in verbum tuum ſuperſperaui.* Iſte defectus non fide ſe defeciſſe ſignificat, ſed in tãta deſiderij magnitudine ſe fatigatum monſtrat, vt ad defectum fœliciſſimum perueniret in ſaluta- D re, quod Hebraicè dicitur Ieſus: & in verbũ tuum, id eſt in vnigenitum qui eſt virtus Dei. *Defecerunt oculi mei in eloquium tuum, dicentes, Quando conſolaberis me?* Ecce rurſus in oculis, ſed vtique interioribus laudabilis & fœlix ille defectus non veniens ex infirmitate animi, ſed ex fortitudine deſiderij in promiſſum Dei: hoc enim ait, in eloquium tuum: tam diu enim ſe dicit defectum pertuliſſe, donec expectata incarnatio Domini cordis aſpectibus appareret: quando conſolaberis me, id eſt, quando veniet quod promiſiſti: *Quia factus ſum ſicut vter in pruina,* E *iuſtificationes tuas nõ ſum oblitus.* Superius petiuerat conſolari, nunc cauſam reddit ſubueniendi. Vter enim, corpus mortale ſignificat: pruina, beneficium conuerſationis oſtendit. Sicut autem vter frigore glaciali contrahitur, ſic carnis noſtræ incentiua vitiorum afflictione pœnitentiæ tenuantur, vt iuſtificationum Domini non obliuiſcan-

tur. *Quot ſunt dies ſerui tui, quando facies de per-*
ſequentibus me iudicium? Sciens ſanctorum
cœtus vſque in finem ſeculi tentationibus
diabolicis membra Domini ſubiacere, in-
terrogat quando mundus iſte finiretur, vt
de perſecutoribus, id eſt, diabolorum mini-
ſtris præparata vltio compleatur: & celeri-
tatem futuri iudicij optabat, in quo iã bea-
tis erit requies, & gaudium ſine fine man-
ſurum. *Narrauerunt mihi iniqui fabulationes,*
ſed non vt lex tua Domine. Narrauerunt, fa-
bulas vanarum opinionum delectabilis e-
loquij arte compoſitas ab iniquis ſibi dicit
eſſe narratas, ſed nihil ſe in eis vtile reperiſ- B
ſe, ſicut in lege Domini, in qua eum veritas
non verba delectant. *Omnia mandata tua ve-*
ritas, iniqui perſecuti ſunt me, adiuua me. Contra
hæreticorum fabulationes dicit omnia
mandata Domini eſſe veritatem. iniqui per-
ſecuti ſunt, ſcilicet docendo peruerſa, ſua-
dendo falſa: ergo adiuua me vt certem pro
veritate tua vſque ad mortem. *Paulominus*
conſummauerunt me in terra, ego autem non dere-
liqui mandata tua. Valde me corporalia vitia
in terram humiliaſſent, niſi cuſtodiſſem mã-
data diuina. *Secundum miſericordiam tuam Do-* C
ne viuifica me: in æternam vitam, quia iam
non mihi viuo, viuit verò in me Chriſtus.
Vt cuſtodiam teſtimonia oris tui. Vel ea quæ in
lege mandaſti, vel illa quæ in Euangeliis
protuliſti. *In æternum Domine permanet ver-*
bum tuum in cælo. Dicit verbum Domini per-
manere in cælo, id eſt in ſanctis, quos de
morte facit viuere, & de tribulatione gau-
dere, ſiue in cæleſtibus virtutibus, quæ eius
ſemper inſiſtunt miniſterio. *In ſeculum ſeculi*
veritas tua, fundaſti terram & permanet. Secu-
lum, legem & Prophetas: ſeculi ſignificat D
Euangelia & Apoſtolos, in quibus eſt veri-
tas quæ eſt Chriſtus Dominus: terram au-
tem hoc eſt humanam naturam, ex parte
totum ſignificans, in ſanctis fundauit, vt
in ſua credulitate permaneant: quia niſi
ipſe fundaſſet non crederent, nec perma-
nerent: fundaſti terram, & permanet. *Ordi-*
natione tua perſeuerat dies, quoniam omnia ſer-
uiunt tibi. Quoties ſingulari numero dies
ponitur, venturus ille ſempiternus qui ſine
nocte eſt ſignificatur: tunc illi omnia ſubie-
cta ſeruiunt: ſeruiunt & aduerſarij, licet non E
ſponte, dum damnati pœnas perennes ſuo
iuſſu merito ſuſtinebunt. *Niſi quòd lex tua*
meditatio mea eſt, tunc fortè periiſſem in humilita-
te mea. Beata plebs martyrum in tanta tor-
mentorum humiliatione afflicta, aſſerit ſe
poſſe perire, niſi legis meditatio ſubueniret
conſolando, quæ dixit: Beati qui perſecu-
tionem patiuntur. Lex iſta fides eſt, quę per

A dilectionem operatur: in cuius meditatio-
ne permanẽs, per auxilium gratiæ tuæ pro-
meretur, vt in tribulationum humilitate
non pereat in æternum. *In æternum non obli-*
uiſcar iuſtificationes tuas, quia in ipſis viuificaſti
me. Iuſtificationes dicit legales obſeruatio-
nes ſub vmbra, quæ veritatis indicio ventu-
ræ perfectionis beneficium præſtabant. Has
ergo iuſtificationes non debemus obliuiſ-
ci, quæ nobis fidei & vitæ primordia præſti-
terunt. *Tuus ſum ego ſaluum me fac, quoniam iu-*
ſtificationes tuas exquiſiui. Ego tuus famulus,
& tu Deus meus, à te poſco ſaluari: quia va-
B nitas non eſt mihi, nec ſum inani gloriæ de-
ditus, ſed iuſtificationibus tuis. *Me expecta-*
uerunt peccatores vt perderent me, teſtimonia tua
intellexi. Longo me certamine aduerſæ po-
teſtates impugnant, ſed ego intelligens te-
ſtimonia tua, conſolationem recepi ex eis.
Omnis conſummationis vidi finem, latum manda-
tũ tuũ nimis. Cõſummationẽ dicit omnium
virtutum completiuam perfectionem, cu-
ius finis eſt Chriſtus, quem credendo præ-
uidit eſſe venturum, cuius mandati latitu-
dinem miratur. In quo nimirum charitatẽ
C ſignificat, quæ ſua latitudine omnia man-
data in ſe complectitur. nam cùm omnia
mandata finientur, ipſa ſola in æternum
manebit. *Quomodo dilexi legẽ tuã Domine? tota*
die meditatio mea eſt. Quomodo dilexi legẽ
tuam? ſic, inquit, dilexi legem fidei quæ per
dilectionem operatur, vt tota die, id eſt to-
to tempore, meditatio mea ſit. *Super inimi-*
cos meos prudentem me feciſti mandato tuo, quia
in æternum mihi eſt. Inimici Prophetæ Iudæi
ſunt, qui ſpiritualiter non intelligunt: qui-
bus prudentiorem Propheta ſe dicit, quia in
his mandatis quæ in æternum ſeruat, ven-
D turum Dominum præuidet. *Super omnes do-*
centes me intellexi, quia teſtimonia tua meditatio
mea eſt. Quos ſuperiori verſu inimicos di-
xit, hic Doctores appellat, magiſtros ſcilicet
Phariſæos deſignans, qui ſe ad litteram te-
nentes, ſpiritalem intelligentiam neglige-
gebant. Talibus ergo Doctoribus cohors
Euangelica melius intelligit: quia prauitati-
bus eorum repudiatis, ſinceram doctrinam
Domini per meditationem teſtimoniorum
eius ſecundum veritatem intellectam acce-
E pit. *Super ſeniore intellexi, quia mandata tua*
quæſiui. Melius vtique populus nouus intel-
lexit, qui ſuſcepit Chriſtum eius mandata
perquirẽdo: quàm Iudaicus, qui eum mor-
tificando occidit. *Ab omni via mala prohibui*
pedes meos, vt cuſtodiã verba tua. Ab omni via
mala, membrorum eſt hæc vox, non capi-
tis. Non enim ipſe ſaluator corporis vllis
concupiſcentiis pulſabatur, vt ei neceſſe

eſſet pedes ſuos cuſtodire. Sic enim verba Dei poſſumus cuſtodire, ſi poſt malas noſtras concupiſcentias non eamus. *A iudiciis tuis non declinaui, quia tu legem poſuiſti mihi.* Tu legem Euangelij poſuiſti mihi: illa enim Moſaica lex pædagogus fuit, lex Euangelij libertas totius plenitudinis donauit effectum. Merito ergo ſanctus populus de hac lege gaudebat, quam credendo ſuſceperat. *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua! Domine ſuper mel & fauum ori meo.* Fauces enim cordis arcana ſignificant, vbi eloquia Domini ſpiritaliter intelliguntur & diligũtur: Mel, eſt aperta doctrina: fauus, ſecreta. *A mandatis tuis intellexi: propterea odio habui omnem viam iniquitatis.* Neceſſe eſt enim vt oderit iniquitatem amore iuſtitiæ. *Lucerna pedibus meis verbum tuum Domine, & lumen ſemitis meis.* Si huius ſeculi noctibus in nobis verbi Dei luceat lumen, non incidēt pedes noſtri in laqueos funium ac præcipitia fouearum, quæ manus artis diabolicæ in noſtris offendiculis præparauit. Et lumē ſemitis meis, vt hoc lumine præeunte, dum vitæ iſtius ſemitas gradimur, ad illam quæ vera via eſt perducamur. *Iuraui, & ſtatui cuſtodire iudicia iuſtitiæ tuæ.* Iuraui autem appellauit iuramentum quod ſtatuit per ſacramentum: quia ita debet eſſe mens fixa in cuſtodiendis iudiciis iuſtitiæ Dei, vt ſit omnino pro iuratione quod ſtatuit. *Humiliatus ſum vſquequaque Domine, viuifica me ſecundum verbum tuum.* Didicit humilitatem quam Chriſtus docuit, qui mitis eſt & humilis corde. Ideo nunc deprecatur vt ſicut ille poſt humilitatem formæ ſeruilis exaltatus eſt in gloriam Dei patris, ita & iſte ab hac humilitate corporea in vitam transferatur æternam. *Voluntaria oris mei beneplacita fac domine, & iudicia tua doce me.* Vox Eccleſiæ, ac ſi dicat, vota mea quę tibi offero beneplacita ſint, id eſt, acceptabilia & delectabilia. Et iudicia tua doce me, hoc eſt tua mandata, vt intelligam & impleam. *Anima mea in manibus meis ſemper, & legem tuam non ſum oblitus.* Iuſtorum enim animæ in manu Dei ſunt, in cuius manu ſumus & nos, & ſermones noſtri: & legem, inquit, tuam non ſum oblitus, tanquam ad non obliuiſcendam Dei legem in manib. ipſius adiuuetur eius memoria. *Poſuerunt peccatores laqueos mihi:* quos laqueos? ſecus viã poſitos, & ſi egreſſus fueris de via, cadis in laqueos. quid ſunt iſti laquei, niſi retiacula diaboli, vel ſuggeſtiones dæmonis? vitia etiã & peccata poſſunt intelligi. *Et in mandatis tuis non erraui.* Vox Eccleſiæ, non erraui à tuis mandatis, ſed conſiſto in operatione. *Hæreditate acqui-*

A *ſiui teſtimonia tua in æternum, quoniam exultatio cordis mei ſunt.* Tua teſtimonia & tua præcepta, hoc eſt mea hæreditas, in æternum, hîc & in futuro: quia exultatio cordis mei ſunt tua teſtimonia, hoc eſt, mea exultatio: quia Eccleſia in mandatis Dei delectatur & exultat. *Inclinaui cor meum*: non fui ſuperbus, ſed humilis: & ideo inclinaui cor meum vt te intelligerem, quia ſuperbi non inclinant cor in humilitatem. Ad quid inclinaui cor meum? dicit Eccleſia, *ad faciendas iuſtificationes tuas*, hoc eſt mandata, in æternum prop-
B ter retributionem vitæ æternæ vt illã mereas percipere. *Iniquos odio habui, & legem tuã dilexi.* Cum dixiſſet, iniquos odio habui, poſuit & quare, addendo, & legem tuam dilexi: vt demonſtraret non ſe in hominibus iniquis odiſſe naturam, quia homines ſunt: ſed iniquitatem, quia legis quam diligit inimici ſunt. *Adiutor & ſuſceptor meus es tu, & in verbum tuum ſuperſperaui.* Adiutor in præſenti, ſuſceptor in futuro: & in verbo tuo ſperabo, hoc eſt in Chriſto, quia verbum
C patris filius eſt. *Declinate à me maligni, & ſcrutabor mandata Dei mei.* Maligni hîc ſunt dæmones, vitia & peccata, vel aduerſariæ poteſtates: quia dum ipſi tendiculas pręparant & ſuggeſtiones peſſimas tibi, nõ potes ſcrutari mandata Dei tui, vt illa bene intelligas. Sed ſi volueris pœnitẽtiam agere, ſegregare te habes ab illorum conſortio. *Suſcipe me ſecundum eloquium tuum & viuam, & non confundas me ab expectatione mea.* Vox Eccleſiæ optantis vt veniat ſponſus, & ſuſcipiat eam ſponſam ſibi, ſicut promiſit in eloquio Pro-
D phetarum: & viuam in iuſtitia, quia modo mortuus ſum in peccatis: & non confundas me, ſi ille quem expecto & promiſiſti veniat mihi. *Adiuua me*: auxiliũ rogat, *& ſaluus ero*, in anima, ſi veneris & me adiuues, *& meditabor in tuis iuſtificationib. ſemper*, ſine fine. *Spreuiſti omnes diſcedentes à iuſtitiis tuis, quia iniuſta cogitatio eorum eſt.* Declaratũ eſt cur aſſumebatur iuſtificationum Domini frequẽs meditatio, quoniam ſpernuntur à Domino, qui ab eius iuſtificatione diſcedunt. Iuſtifi-
E catio eſt peccatorum pura confeſſio Domino: qui tali ſe remedio ſaluari deſpiciunt, iniuſta cogitatio eorum eſt. *Præuaricatores reputaui omnes peccatores terræ, ideo dilexi omnia teſtimonia tua.* Hæc enim dicit Propheta in perſona Eccleſiæ, quia ante aduentũ Chriſti præuaricantes erant, quia ſub debito tenebantur propter pręuaricationem primi hominis Adæ. Non omnes peccatores præuaricatores, ſed omnes præuaricatores peccatores. Ideo dilexi teſtimonia tua, ne in his præuaricator appaream. *Infige timore tuo car-*

nes meas, à iudiciis enim tuis timui. Metuo futurum iudiciũ, ideo cruci tuæ cõfigẽs omnes cõcupiſcentias carnis, tibi cõuiuere, tibi viuere merear. *Feci iudicium & iuſtitiam, nõ tradas me perſequentibus me.* Facit autem iudiciũ quiſquis contra ſe iudicat, & prauitates ſuas ante examen Domini iuſta execratione cõdemnat: & iuſtitiam facimus, quãdo per iuſtitiã nos iudicamus, quando delictorũ iudices ſumus. Petit vero ne tradatur peccatoribus qui peccata damnauit. perſequẽtes autem ſunt diabolus cum miniſtris ſuis: qui nos indefeſſa malitia perſequuntur. Hinc etiam quotidie rogamus admoniti, dicẽtes: Ne inducas nos in tentationẽ. *Suſcipe ſeruum tuũ in bonum, non calumnientur me ſuperbi.* Suſcipe me.i. ne illi impellant vt cadã in malũ, tu ſuſcipe in bonũ: illi calũniantur in ſuperbia, tu in humilitate defẽde, vt nõ mihi noceant calumniæ ſuperborũ. *Oculi mei defecerunt in ſalutare tuũ, & in eloquium iuſtitiæ tuæ.* In eloquiũ iuſtitiæ Dei: hoc eſt, in promiſſionem Chriſti defeciſſe dixit oculos cordis ſui: non quia intentio deſiderantis animi victa ſuccubuerit, ſed quia in expectationẽ gratiæ Dei toto mentis ardore tranſierit. Iuſtitia autem quam dixit, Chriſtus eſt, qui iuſtos facit. *Fac cum ſeruo tuo ſecundum miſericordiam tuam*, vt ipſe vota mea perficiat: *Et iuſtificationes tuas doce me*, vt eorum humilitatem, ſicut ſæpius optaui, poſſim aduertere. *Seruus tuus ſum ego, da mihi intellectum vt ſciam teſtimonia tua.* A te ea diſcam & non ab hæreticis, vel Iudæis. Quia nullum mihi tempus eſt ab expectatione tuæ ſeruitutis otioſum. *Tempus benefaciendi Domine, diſſipauerunt legem tuam.* Iudæi vtique qui eam ſpiritaliter non intellexerunt, ſed veniet tempus quãdo occulta illius Dominus faciet prædicatione Euangelica reſerari. *Ideo dilexi mandata tua ſuper aurum & topazion.* Sicut enim aurũ cunctorum metallorum præcellit pretium, ita topazius omniũ gemmarũ in ſe continẽs pulchritudines, omnium vincit honores. Ideo Propheta ſuper hæc omnia Dei mandata diligit, quia in his aduentũ Domini, qui mundũ redempturus eſt, prænunciatũ intelligit. *Propterea ad omnia mandata dirigebar, omnem viam iniquam odio habui.* Qui ſuper aurũ & gemmas legem Domini diligebat, neceſſe fuit vt ad omnia mandata eius rectiſſimus appareret, & odiſſet peruerſã viã quia meruit amare rectiſſimam. Iniqua ſiquidẽ via eſt quæ nos perducit ad vitia, recta autẽ virtutum quæ nobis indulgentiam & ſalutẽ tribuit. *Mirabilia teſtimonia tua Domine, ideo ſcrutata eſt ea anima mea.* Vide in his aliud agi, aliud figurari. Ideoque quod mihi

A mirũ eſt diligentius perſcrutor, vt cuncta te declarante cognoſcam. *Declaratio ſermonũ tuorũ illuminat me, & intellectum dat paruulis.* Sancta plebs dicit ſe illuminatã declaratione ſermonũ Domini, vtique Prophetarum Domini, qui diu abſcõditi ſunt: vt eſt, Ecce virgo cõcipiet &c. Et videbit omnis caro ſalutare Dei &c. Nunc per aduentũ Domini illis ſermonibus actis & cõpletis illuminata cernit omnia, verbũ carnẽ factum, virginẽ peperiſſe, mutos loquutos eſſe, hæc autem omnia paruulis.i. humilibus præſtant purũ B intellectũ. *Os meũ aperui & attraxi ſpiritum, quia mandata tua deſiderabã.* Os meum aperui, confitendo ſine te nil me poſſe, & attraxi in me ſpiritũ gratiæ, per quẽ conſidero implere me poſſe quę deſiderabã, id eſt, mandata tua. *Aſpice in me & miſerere mei, ſecundum iudicium diligentium nomen tuum.* Id eſt, ſecundum iudicium quod in eos feciſti, qui diligunt nomen tuum. quoniam vt diligeremus te, prius dilexiſti nos. Iudicium quippe eſt Domini, vt nomen ſuum palam faciat & miſericordiam largiatur. *Greſſus meos dirige* C *ſecundum eloquium tuum, & non dominetur mei omnis iniuſtitia.* Greſſus quid niſi Dei præcepta quæ ponit iubendo, impleri faciat adiuuando? greſſus ſignificat motus animæ: hos ſancta cohors, ſecundum eloquium Domini poſtulat dirigi, qui rectum iter monſtrãt & mandant ingredi, vt non dominetur in eis iniuſtitia. Sciuit enim quod in hac vita penitus excludi non poterat, cuius videlicet Dominum ſibimet ſubdere precatur. *Redime me à calũniis hominũ, vt cuſtodiam mãdata tua.* Tange infuſo ſpiritu tuo, ne me ca- D lumniæ hominum terroribus vincant, & à tuis mandatis ad ſua mala facienda traducant. Si enim hoc mecum egeris, inter ipſas calumnias cuſtodiam mandata tua. *Faciem,* inquit, *tuam illumina ſuper ſeruum tuum:* id eſt, tuam manifeſta ſubueniendo & opitulando præſentiam, *& doce me iuſtificationes tuas*, doce vtique vt faciam. *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non cuſtodierunt legem tuã.* Verãm ſemper agit pœnitentiam hic ſpiritus, & non ceſſat fluẽtis lachrymarũ antiqua delicta diluere, vt tu intelligas niſi verã E pœnitentiã egeris, tibi facile nõ dimitti quę geſſeris. Vera eſt enim pœnitẽtia iugiter flentibus cõmiſſa diluere, & abluta nõ iterare. *Iuſtus es Domine, & rectũ iudicium tuum. Mãdaſti iuſtitiam teſtimonia tua, & veritatem tuam nimis.* Magna eſt enim in vtroque iuſtitia Dei, rectumque iudicium, quo & peccatori pœna decernitur, & pœnitenti iuſtificatio non negatur: Nimis, ad vtrumque pertinet, ſiue ad iuſtitiam, ſiue ad veritatem. *Tabeſce-*

re me fecit zelus domus tuæ, quia obliti ſunt verba tua inimici mei. Zelus iſte amoris eſt, non laboris. Sancta enim æmulatione inimicos ſuos vult eſſe correctos, dolens & tabeſcens quòd obliti ſint verborum Dei. *Ignitum eloquium tuum vehementer, & ſeruus tuus dilexit illud.* Quia ſicut peccatum cõſumit, ita peccantem ſi conuertatur illuminat iſte ignis, id eſt ſermo Chriſti. De quo dicit, ignem veni mittere in terram, quid autem volo niſi vt ardeat? Hunc ignem dicit ſe dilexiſſe, quia vitam confert & honorem remediumque generi humano. *Adoleſcentior ſum ego & contemptus, iuſtificationes tuas non ſum oblitus.* Bene hic duorum populorum intelligitur ſignificatio: quia iunior populus contemptus eſt à maiore, qui tamen Dei gratia donante, mandata eius non eſt oblitus. *Iuſtitia tua iuſtitia in æternum, & lex tua veritas.* Iuſtitia Domini manet in æternum, & qui cuſtodit eius veritatem æterna fœlicitate gaudebit. Hanc populus Chriſtianus intellexit, & ideo veritate completus eſt, quę eſt Chriſtus Dominus, qui dixit, Ego ſum via, veritas & vita. *Tribulatio & anguſtia inuenerunt me, mandata tua meditatio mea eſt.* Sæuitia inimicorum infert huic iuniori tribulationem, ſed non amittit charitatem. Meditatio enim ipſius mandata ſunt Dei: ex quibus his qui eum oderunt dilectionem rependet. *Aequitas teſtimonia tua in æternum, intellectum da mihi & viuam.* Pulchrè poſt tribulationes & anguſtias, quæ temporalia ſunt, poſita eſt æquitas in æternum eſſe mãdatum Dei, vt tali ſpe vnuſquiſque cõtemneret quæ temporalia eſſe ſentiret. Da mihi intellectum vtique vt mundi iſtius pericula tranſitura & temporanea intelligam: viuifica me, ſpe ſcilicet futuræ retributionis. *Clamaui in toto corde meo, exaudi me Domine, iuſtificationes tuas requiram.* Hunc clamorẽ nõ corporeæ vocis, ſed mentis ſpiritalis eſſe, ſæpe memorauimus, per quem iuſti à Deo exaudiuntur: qui pręcipuè eorum pium pãdit affectum. iuſtificationes autem dicit, nõ ſeculi diuitias ſe exquirere: neque ad noſcendas tantum, ſed ad implendas eas. *Clamaui ad te, ſaluum me fac, vt cuſtodiam mandata tua.* Nunc demonſtrat clamorem ſuperius ad Deum effuſum, hoc eſt, vt animam ſalua fidei ratione roboraret, & corpori præſtaret ſanitatem, reuera vtique vt Domini mãdata cuſtodire poſſit. *Præueni in maturitate & clamaui, in verba tua ſuperſperaui.* Immaturitas itaque nocturnum tempus eſt, quod nõ eſt maturum, id eſt opportunum, vt agant aliquid vigilãdo, quod etiam vulgo dici ſolet hora importuna. vetera vitia pudicitia iuuenili præuenit, qui per maturitatem viuacis

A animi numquam ſpem ſuam à verbis Dei remouet. *Præuenerunt oculi mei ad te diluculo, vt meditarer eloquia tua.* Non eum lux ſoporatum reperit, ſed vigilantem ſtrenue circa diuina eloquia oculorum ſpiritalium intentione meditantem. *Vocem meam exaudi Domine ſecundum miſericordiam tuam, & ſecundum iudicium tuum viuifica me.* Definit in nullo homine eſſe præſumendum niſi in ſola Dei pietate, quæ ex miſeris beatos facit, ex captiuis liberos, ex mortuis viuos: ſecundũ iudicium tuum, quo ſupplicantibus parcis.
B Viuificari enim nõ poteſt, niſi qui in ſe propriam non habet vitam. *Appropinquauerunt perſequentes me iniquitati, à lege autem tua longe facti ſunt.* Tunc appropinquantes, quandò vſque ad carnem cruciandam, perimendam ve perueniunt: ſed quandò viciniores ſunt perſequentes iſti, tanto longiores ſunt à lege iuſtitiæ. *Prope es tu Domine, & omnes viæ tuæ veritas.* Contra illam proximitatem perſecutionis, vicinitatem Domini ſibi dicit remedium, vnde ſalutis auxilium nouerat venturum, non itineris loco, ſed per veritatem mandatorum Dei cordibus ſanctorum illapſam. *Initio cognoui de teſtimoniis tuis, quia in æternum fundaſti ea.* Quæ ſunt iſta teſtimonia, niſi quibus teſtatus eſt Deus daturum ſe regnum filiis noſtris ſempiternum? & ideo ipſa teſtimonia in æternum fundata: quoniam id quod promiſit æternum eſt: quoniam fundamentum promiſſionis eſt Chriſtus, in quo huius ſpei teſtimonia vera ſunt, quæ hîc ab initio cognouiſſe ſe dicit, quia verbis Eccleſiæ loquitur, quæ ab initio
C
D generis humani exorta nullis generationibus defuit. *Vide humilitatem meam & eripe me, quia legem tuam non ſum oblitus.* Quod hic vide ait, ad martyres pertinet, quorum corpus affligitur vt vilitas pecudum. ſequitur eripe me. vnde ſcilicet niſi de pœnarum vrgentium neceſſitate, & de periculo mortis? Legem vero hic illam ſentẽtiam dicit, quæ ait: Omnis qui ſe exaltat, humiliabitur: & qui ſe humiliat, exaltabitur. Hanc ſe dicit non oblitum vſque in finem vitæ. *Iudica iudicium meum & redime me, propter eloquium tuũ*
E *viuifica me.* Iudicaui ego nihil me ſcire niſi Chriſtum, qui ad redemptionem mundi venire promiſſus eſt: iuxta hoc ergo iudicium ego à te viuificer in eloquiis tuis: redime me, quem redimere non poteras niſi credẽtem: propter eloquiũ tuũ viuifica me, illud ſcilicet eloquiũ vbi promittit, Qui credit in me, non morietur in æternum. *Longe eſt à peccatoribus ſalus, quia iuſtificationes tuas non exquiſierunt.* Hoc ſpecialiter intelligẽdũ æſtimo de Iudæis qui ſalutẽ, id eſt Dominũ ſaluatorem à ſe longiùs effecerint, non re-

dendo ei: qui teſtimoniis non crediderunt, in quibus præfiguratus eſt aduentus Domini ſaluatoris. Ideo à ſalute longè facti ſunt, qui reſpuerunt authorem ſalutis. *Miſericordiæ tuæ multæ Domine, ſecundum iudicium tuum viuifica me.* Iudicium vbique eſt quod petere debemus, quando humilitatis ſatisfactione nos proſternimus, & peccata noſtra cõfitemur: tunc enim iudicium Domini eſt talibus miſereri in confeſſione. *Multi qui perſequuntur me & tribulant me, à teſtimoniis tuis non declinaui.* Vox iſta eſt Eccleſiæ in martyribus ſuis, qui inter tormenta & multiplicata ſupplicia perſequentibus non ceſſerunt: inde & numeroſa multitudo martyrũ palmam inuenit, quia à teſtimoniis Domini ſe nullatenus declinare teſtati ſunt inter tormenta varia. *Vidi non ſeruantes pactum & tabeſcebam, quia teſtimonia tua non cuſtodierunt.* Qui ſunt qui pactum non ſeruauerunt, niſi qui tribulationes multorum perſequentiũ non ferentes à Dei teſtimoniis declinauerunt? Hæc ergo, inquit, cum viderem tabeſcebam, dolens eos à tanta gloria decidiſſe. *Vide quia mandata tua dilexi Domine, in miſericordia tua viuifica me.* Ipſa eſt fructuoſa tolerantia, quæ ſæuitiam perſequentium dilectione ſuſcipit mandatorum. *Principiũ verborum tuorum veritas, & in æternum omnia iudicia iuſtitiæ tuæ.* A veritate tua, inquit, verba procedunt, & ideo vera ſunt, & neminem fallunt: quibus pronunciatur vita iuſto, pœna impio. *Principes perſecuti ſunt me gratis, & à verbis tuis formidauit cor meũ.* Terreni reges Eccleſiam Chriſti perſecuti ſunt, nullam cauſam perſecutionis habentes, cum eos Chriſtiani in nullo læderent, & ipſi Chriſtianis negationem veritatis extorquere nõ poſſent. Habuerunt ergo verba minantia, intulerunt ſæua ſupplicia: ſed ipſi martyres verbi Domini meminerant, Nolite timere eos qui occidunt corpus. *Lætabor ego ſuper eloquia tua, ſicut qui inuenit ſpolia multa.* Martyres quamuis humili ſorte morerentur, inueniebant ſpolia multa, quando præmia diuina recipiebant: ipſos quoque perſecutores conuerſos ad Dominum gaudebant: vt ipſi magis fierent ſpolia, qui vitas adiuuerãt innocentium. & ideo lætari ſe dicit in eloquiis Domini. i. in admonitionibus ſacris, ſicut victor prædam accipiẽs. *Iniquitatẽ odio habui & abominatus ſum, legem autem tuam dilexi.* Mente contuendum eſt quod amor eſt bonarum malarúmve rerum, ideo cõprobauit quomodo animus noſter, ſi iniquitatem reciperet, nequaquam ſe legi Dominicæ ſub integritate coniungeret. Non dicit hominem iniquum, ſed iniquitatem ſe di-

A cit odiſſe, & (quod fas eſt) eam abominatum fuiſſe, quod à lege ſit aliena, ſéque legẽ Domini perfecta voluntate diligere. qui ſunt qui diligunt Dominum, niſi qui oderunt iniquitates? *Septies in die laudem dixi tibi, ſuper iudicia iuſtitiæ tuæ.* Si ad literam hũc numerum velimus aduertere, ſeptem illas ſignificat voces, quibus ſe Monachorum pia deuotio conſolatur: id eſt matutinum, tertia, ſexta, nona, lucernaria, completorium, nocturnum. Si verò ſpiritaliter intendas, continuationem magis dictam ſapienter aduertis: vt eſt illud, Benedicam Dominum B in omni tempore. Septies Deum per diem laudat, quia mens eius in pleno ſplendore perdurans, ad illum ſeptimum diem, id eſt, ſabbatorum ſabbatum, qui eſt requies æterna, feſtinat. *Pax multa diligentibus legem tuam Domine, & non eſt illis ſcandalum.* Pax multa mentis puritas, & fidei copia declaratur, quæ contra vitia decenter opponimus: nã Deum falſo amore diligit qui ſcandalizatur C in fratrem. *Expectabam ſalutare tuum Domine, & mandata tua dilexi.* Ieſum Dominum omnium ſalutare expectamus, & ea quæ in lege & Prophetis mandata fuerunt feci. ſpes præmij dilectionem generat mandati. *Cuſtodiuit anima mea teſtimonia tua; & dilexit ea vehementer.* Cuſtodiuit, ad tolerantiam martyrij pertinet: dilexit verò, ad charitatẽ tormentis omnibus fortiorem: & ipſa dilectio vehementer augenda eſt, quia totius amicitiæ ibi explicatur charitas. *Seruaui mandata tua & teſtimonia tua, quia omnes viæ meæ* D *in conſpectu tuo Domine.* Seruat autem præcepta & teſtimonia, qui vias Dei incedit, nec quicquã in actu vel cogitatu agit quod diuina contemplatione habeatur indignũ. *Appropinquet oratio mea in conſpectu tuo Domine, iuxta eloquium tuum da mihi intellectum.* Proximam tibi fieri orationem meam deprecor Domine, vt à te intellectum capiẽs, nil aliud niſi quod oportet exorem. *Intret oratio mea in conſpectu tuo Domine, ſecundum eloquium tuum eripe me.* Gradatim aſcendit ſancta petitio noſtra: qui ante dixit appropinquet, nunc dicit intret: prius fuerat vt E appropinquaret, deinde vt in conſpectu Domini intrare poſſet: & ſuperius dixit, ſecundum eloquium tuum eripe me, vt & ibi ſuperna videat quæ deſiderat, & hîc æternæ cõcupiſcentię labe purgetur. *Eructabunt labia mea hymnum, cùm docueris me iuſtificationes tuas.* Si per purã conſcientiã reſeratã fuerint à te labia mea, tunc dignũ laudationis proferẽt hymnũ: & illũ ſcilicet hymnũ, quẽ à tuis iuſtificationibus imbutus, edoceat. *Pronunciabit lingua mea eloquium tuum, quia om-*

112205

nia mandata tua æquitas. Nihil eſt enim aliud in eloquiis tuis Domine niſi pax, niſi æquitas, niſi vita: hoc corde credam, hoc labiis eloquar, hoc lingua pronuntiabo. *Fiat manus tua vt ſaluet me, quoniam mandata tua elegi.* Cũ dicit, fiat manus tua, deſignat Dominum ſaluatorem, qui factus ex ſemine Dauid ſecundum carnem, per quem facta ſunt vniuerſa & reguntur. Manum enim hic, dexteram debemus accipere. Poſtulat autem venire ſaluatorem, per quem ſe nouerat ſaluãdum. quod autem dicit, elegi mandata tua, omnia ſe pericula, amore Domini poſtpoſuiſſe teſtatur. *Concupiui ſalutare tuum Domine, & lex tua meditatio mea eſt.* Ipſum videre concupiueram, quem de vtero virginali illis adhuc temporibus credebam eſſe venturum: & vt ſibi hanc ſcientiam de ſcripturis diuinis perueniſſe demonſtraret, ſequitur: & lex tua meditatio mea eſt. In Prophetis enim concupiuerat Chriſtum Dominum naſciturum, de quo lex & Prophetæ loquebantur. *Viuet anima mea & laudabit te, & iudicia tua adiuuabunt me.* Ad ipſum loquitur quẽ deſiderat intueri, promittẽs animam ſuam in æternum viuere, quam ſalubriter nouerat crediſſe. Laudabit te, cantico ſcilicet nouo per fidem puram. Iudicia autem dicit quæ famulis ſuis Dominus dicturũ ſe promittit, vt eſt, Venite benedicti. *Erraui ſicut ouis quæ periit: quære ſeruum tuum Domine, quia mandata tua non ſum oblitus.* Vna ouis, eſt congregatio ſanctorum & fidelium: & vnus paſtor Dominus Chriſtus eorum. Et reſpice quàm infimæ rei comparati ſunt homines, quando Chriſti gratiam deſerunt, oui videlicet erranti quæ pericula patitur luporum: & bene dictum eſt, quæ perierat, vt cognoſceres miſericordiam Domini fuiſſe repertã in gloria cum æterno Patre & Spiritu ſancto in ſecula ſeculorum.

MAGISTRI

ALBINI FLACCI ALCHVVINI,

EXPOSITIO IN PSALMOS

Graduales, qui & Canticũ Graduum dicuntur.

GRADVS ſunt aſcendentium vel deſcendentium: ſed hi gradus xii. †aſcẽdentium ſunt: quẽ numerum, id eſt xij. ſi à primo vſque ad vltimum computes, ſunt cxx. Super quem numerum ſpiritus ſanctus in cœnaculo. i. loco aſcenſionis venit, vt vobis monſtraret per hos xij. gradus ad ſummæ perfectionis altitudinem aſcendendum eſſe. Ideo Deus de cœlo deſcendit ad nos in terram, vt nos de terra aſcendamus in cœlum. Ideo ille deſcẽdit in vallem lachrymarum noſtrarum, vt nos aſcendamus in beatitudinem lætitiæ illius. Sed audiamus vnde iſte qui hos Pſalmos nobis ad ſalutẽ decantauit, initium aſcendendi inchoarit, vel quo modo nos aſcendere voluerit. Siquidẽ primus gradus aſcenſionis noſtrę eſt humilitas: vt intelligamus nos peccatores, & ad Dei gratiam nobis conuolandũ eſſe, ideo ait: *Ad Dominum cùm tribularer clamaui, & exaudiuit me.* Tribulatio eſt hæc vita; ex qua qui humiliter ad Deum clamant (ſicut publicanus, qui ait: Deus propicius eſto mihi peccatori) exaudiuntur: ſed videamus quid iſte pœnitens clamat. *Domine libera me à labiis iniquis, & à lingua doloſa.* Labia iniqua ſunt, quæ nos ſuggerendo ad iniquitatẽ ſolicitare nituntur: lingua doloſa eſt, quę nos auertere vult de via iuſtitię. Illa nos ad peccandum ſuggerunt, iſta nos à benefaciendo retrahit. Sed conſideremus quid vobis ad has preces reſpondeat Dominus. *Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi ad linguam doloſam?* Ecce quid tibi dabitur ad reſpondendum linguæ doloſæ, quæ ſolet non conſulendo tibi, ſed ſubuertendo te, dicere: non potes ſeculum dimittere, non potes tam arctam & tam anguſtam portam ingredi. *Sagittæ potentis acutæ, cum carbonibus deſolatoriis.* Id eſt quod in Euãgelio dicitur, apud homines hoc impoſſibile eſt, apud Deum omnia poſſibilia ſunt. Sagittæ potentis verba Dei ſunt, quæ transfigunt corda noſtra ad contemnendum ſeculum, & ad amandum Deum: ex quibus ſagittis amor excitatur, non interitus comparatur: cum carbonibus deſolatoriis, id eſt vaſtatoriis. Sed ſi parum eſt verbis ſagittare, ſufficiat exemplis demonſtrare. qui fuerant peccatis nigri & frigidi iterum charitate Dei accenſi, vaſtauerunt & deſtruxerunt opera diaboli in cordibus ſuis, vt præpararent habitationẽ Deo in ſemetipſis, & poſt multa peccata multum dilexerunt Deum: Ideo multum dimittetur eis. Sequitur verò: *Heu me quia incolatus meus prolongatus eſt, habitaui cum habitantibus Cedar, multum incola fuit anima mea.* Ecce iſte à lingua doloſa liberatus, verbo Dei ſagittatus, exẽplis multorũ roboratus, quid proficiat, quóue aſcendere quærat, videamus. Heu me, inquit, quod incolatus meus prolongatus eſt! Vox dolẽtis eſt & miſeriã plãgẽtis, quod diu peregrinatione huius mortalitatis incolatus eius prolõgetur. Incola verò eſt, qui terrã alienã colit. Vnde iſte ſe plangit, & ad patriã ſuſpirãs

redire addidit: habitaui cum habitantibus Cedar. Cedar tenebræ interpretantur. Significat autẽ peccatores, inter quos in hoc ſeculo iuſti peregrinantur necdũ extremo iudicij ventilabro area, id eſt Eccleſia purgata & ſegregata: vnde iſte deſiderans aſcẽdere ait: Multũ incola fuit anima mea: corpus locis, & anima affectibus peregrinatur: vnde iſte ſagitta charitatis vulneratus, toto deſiderio ad cæleſtem anhelat patriam. Sequitur: *Cum his qui oderunt pacem, erã pacificus: cum loquebar illis, impugnabant me gratis.* Qui ſunt qui oderunt pacem, niſi qui ſcindunt vnitatem Eccleſiæ, volentes Doctores veritatis videri, cum ſint magiſtri erroris? dum loquebar illis, impugnabant me gratis. Qui impugnare contendunt Doctores Eccleſiaſticæ fidei, & hoc gratis: qui illos corrigere quærunt, & vnitatem ſanctæ Eccleſiæ coniungere. Primus gradus aſcenſionis noſtræ humilitatis contribulatio: ſecundus eſt fides. Et ſciendum eſt quòd nihil aliud ſunt hi gradus aſcenſionis noſtræ, niſi ſalutis noſtrę profectus, ideò in his canticis docemur aſcendere, ſed aſcẽdere in corde, in affectu bono, in fide, & ſpe, & charitate, & in deſiderio perpetuitatis, & vitæ æternæ. Vnde in hoc ſequente Pſalmo dixit:

Leuaui oculos meos ad montes, vnde veniet auxilium mihi. Montes iſti ſancti ſunt in altitudine poſiti, claritate illuminati: ſed ab illo qui eſt lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Vnde conſequenter per fidem intellexit iſte aſcenſor ad hũc montem, qui eſt ſuper verticem montium eleuatus, auxilium ſibi eſſe petendum, ſperandum, accipiendumque: ideo ait: *Auxilium meum à Domino, qui fecit cælum & terram.* Et ſubſecutus adiunxit, loquens ad illum montem à quo ſibi vnicum ſperauit auxilium. *Non des in commotionem pedem meum, neque dormitet qui cuſtodit te.* Fac firmũ ſtare pedem meum in aſcenſiones ſalutis meæ, in humilitatis, vel rectæ fidei gradu. Ad proficiendum charitas pedem mouet. Recte ergo iſte audiens vt aſcendat, & nõ cadat, vt incola in valle plorationis proficiat, non in timore ſuperbiæ deficiat, ait Domino: ne des in commotionem pedem meum. & Deus ait illi: neque dormitet qui cuſtodit te: crede in eum qui numquã dormitat. Quis eſt ille qui numquam dormitat, niſi ille de quo Apoſtolus ait: Mors illi vltra non dominabitur? Ideo conſequenter addidit, *Ecce non dormitabit neque dormiet, qui cuſtodit Iſrael.* Eſto Iſrael, id eſt vir videns Deum in fide, & charitate, & numquam illius dormiet gratia à cuſtodia tua: & quaſi iſte interrogaret ſe, quis eſt qui non dormitat? dictum eſt ei: *Dominus cuſtodit te:* & quomodo cuſtodiet te? *Dominus protectio tua ſuper manum dexteræ tuæ.* Manus poteſtatem, dextera æternam fœlicitatem ſignificat. Dominus protectio tua ſuper manum dexteræ tuæ: id eſt, ſi credideris in eũ, proteget te, vt poteſtatem habeas in dextera parte ſtare æterni iudicis, & audire deſiderabilem ſentẽtiam: Venite benedicti patris mei, percipite regnum, & reliqua. Adhuc quaſi quęrenti reſpondetur: in quo cuſtodiet eũ Dominus? *Per diem Sol non vret te, neque Luna per noctem.* Cuſtodiet te, id eſt in fide recta ſeruabit te, ſiue in æternis, ſiue in tẽporalibus, ſiue in fide ſanctæ Trinitatis, quæ hic Solis nomine deſignatur, ſiue in fide ſanctæ Eccleſiæ, quæ hic Lunæ nomine demonſtratur: vt non erret vel ſcandalizetur fides tua. Nam motio ſcandalum ſignificat. quiſquis igitur errat in ipſa ſubſtantia veritatis, à ſole vritur: & per diem vritur, quia in ipſa ſapientia errat. Quiſquis in Eccleſia & carne Chriſti (qui eſt caput Eccleſiæ) non ſcãdalizatur, à Luna non vritur. *Per diem ergo Sol non vret te, neque Luna per noctem,* quare? quia *Dominus cuſtodit te ab omni malo, cuſtodiat animam tuam Dominus:* ab ſcandalis in Sole, & ab ſcandalis in Luna. Ab omni malo te cuſtodit, id eſt animam tuam ab omni infidelitate, vt ipſa non cedat infidelibus, non frãgatur tribulationibus. *Dominus cuſtodiat introitum tuum & exitum tuum, ex hoc nunc & vſque in ſeculum.* Quando tentamur, intramus: quando vincimus, à tentatione eximus: cuſtodiat ergo nos intrãtes ad fidem, cuſtodiat nos exeuntes ad præmia: & hoc in ſeculum vbi ſancti regnaturi ſunt cum Chriſto. Peruenit itaque vir iſte ad tertiũ aſcẽſionis gradum, id eſt in deſiderium cæleſtis Hieruſalem, ad quam ſpe aſcendere ſe gaudebat, licet adhuc hic in terrenis laboraret: ideo ait.

Lætatus ſum in his quæ dicta ſunt mihi, in domum Domini ibimus: Lætatus ſum in Prophetis, lætatus ſum in Apoſtolis, imò & in omnibus ſanctis, qui mihi dicunt, in domum Domini ibimus: qui dicunt, currite, feſtinate in domum Domini, id eſt in cæleſtem Hieruſalem properate. *Stantes erant pedes noſtri in atriis tuis Hieruſalem.* Stantes, id eſt permanentes: pedes noſtri, id eſt præmia bonorum operum: in atriis tuis Hieruſalem, id eſt in cæleſtibus habitationibus. Atria dicit plurali numero, ipſa veritate dicente, In domo Patris mei multæ ſunt manſiones: quaſi iſte amator quærat quæ ſit iſta Hieruſalem, dictũ eſt ei,

Hieruſalem quæ ædificatur vt ciuitas, cuius participatio eius in idipſum. Hieruſalem quæ ex viuis lapidibus conſtruitur: quæ ædificatur vt ciuitas, non terreni regis, ſed cæleſtis: nõ temporalis, ſed æterna Hieruſalem: cuius participatio eius in idipſum. quod ſemper idem eſt, id ipſum eſt. quid eſt quod ſemper eſt, niſi Deus, qui dixit, Ego ſum qui ſum, qui deſcendit vt aſcenderemus, qui participauit noſtræ mortalitati (nam Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis) vt participare poſſemus ſuæ æternitati? Nam de plenitudine eius nos omnes accepimus. Qui ſunt autem qui aſcenſuri ſunt in iſtam ciuitatem, ad iſtam participationem, conſequenter expoſuit, dicens: *Illuc enim aſcenderunt tribus, tribus Domini, teſtimonium Iſrael ad confitendum nomini Domini.* Non tribus terræ, de quibus dicitur, Et plangent ſuper ſe omnes trib. terræ: ſed tribus Domini, quos duodecim Apoſtoli iudicaturi erunt ſecernentes eos ab illis quæ ſunt tribus diaboli: horum enim teſtimonium in Iſrael, id eſt, in illis qui vident Deum. Ad quid aſcendunt? ad confitendum nomini tuo Domine: ſicut dictum eſt, Confeſſio & pulchritudo in conſpectu eius. *Quia illic ſederunt ſedes in iudicio, ſedes ſuper Domum Dauid.* Quæ ſunt hæ ſedes niſi ſancti Apoſtoli & prædicatores mundi, in quibus ſedet ipſe Deus ad iudicandum orbem? Nam ipſe Deus dixit, Cælum mihi ſedes eſt: & in Pſalmo, Cæli enarrant gloriam Dei: qui ſunt iſti cæli niſi ſancti Apoſtoli, quorum ſonus exiuit in orbem terræ? vnde dictum eſt, anima iuſti ſedes eſt ſapientiæ, id eſt, in anima iuſti ſapiẽtia ſedet. Hæc ſapientia Deus eſt, qui dixit, & habitabo in illis, & illi mihi erunt in populos, & ego ero illis in Deum. Sedes ſuper domum Dauid, id eſt ſuper familiam Dauid: domus Dauid Eccleſia eſt. *Rogate quæ ad pacem ſunt in Hieruſalem, & abundantia diligentibus te.* Rogate duobus modis intelligitur: vel interrogate, vel precamini: id eſt interrogate vel precamini quomodo poſſitis habere pacem in Hieruſalem: vel ad illas ſedes ſermo dirigitur, vt illi in iudicio interrogent qui ſunt qui ad Hieruſalem pertineant: de quibus dictum eſt: Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur. Iterum ſermo ad illam dirigitur Hieruſalem: *& abundantia diligentibus te*, id eſt omnium bonorũ abundantiam habent, qui cæleſtem diligũt Hieruſalem: hic abundantiam in ſpe, illic abundantiam in re. Vnde conſequenter ait, *Fiat pax in virtute tua, & abundantia in turribus tuis:* id eſt in dilectione tua. Virtus enim tua (ô Hieruſalem) dilectione Dei & proximi

A conſtat: per iſtam pacem, & per iſtam virtutem, abundantia erit in turribus tuis, id eſt in excelſis tuis, qui paulo ante ſedes dicebantur. Multi ſunt in dextera ſtantes, ſed pauci in iudicio ſedentes. Sedentes ideo in turribus tuis ô Hieruſalem dixit huius pacis & huius ciuitatis amator: *Propter fratres meos & proximos meos loquebar pacem de te.* Nõ propter me, nõ propter terrenos honores, non propter diuitias ſeculi, ſed propter fra-
B tres meos, & proximos meos, ſcilicet filios tuos, vt hanc pacem percipiant & maneant in illa. *Propter domum Domini Dei mei quæſiui bona tibi.* Id eſt vt augeatur numerus filiorũ tuorum, vt omnes ad te currant, & dicat vnuſquiſque alteri: eamus in domum Domini, venite aſcendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob, & docebit nos vias ſuas: quia de Sion exibit lex, & verbum Domini de Hieruſalem. Videamus quid iſte aſcenſor in domo Dei ſtans, & in quantum fiduciæ gradum perueniens dixit:
C *Ad te leuaui oculos meos qui habitas in cælo.* Leuemus oculos noſtros à terrenis ad cæleſtia, à nobis ad Dominũ, diſpliceamus nobis vt placeamus Deo qui habitat in cælo, hoc eſt, in vnitate ſanctorum. ſicut ſpiritaliter oculos leuare, ita ſpiritaliter cælum intelligere debemus. Vbi habitat Deus, ibi corda noſtra in charitate leuanda ſunt: hoc eſt vt firmius intelligantur exempla, quibus exemplis iſte amator ſe roborauit. *Ecce ſicut oculi ſeruorum in manibus dominorum ſuorum. Et ſicut oculi ancillæ in manibus*
D *dominæ ſuæ, ita oculi noſtri ad Dominum Deum noſtrum, donec miſereatur noſtri.* Cum ergo audis Chriſtum, leua oculos tuos ad Dominũ Deum tuum: cum audis Dominum, leua oculos tuos ad ſapientiam & Dei virtutem. Leua oculos tuos ad dominam tuam, quia ſeruus & ancilla es: ſeruus, quia populus es: ancilla, quia Eccleſia es: ſed ipſa ancilla ſpõſa facta eſt. vnus loquitur, & omnes in vno loquuntur, quia omnes vnum ſunt in Chriſto: vnus populus, vna Eccleſia, vnus grex ad vnum paſtorem pertinens. Donec miſereatur noſtri, id eſt donec ab huius vitæ tri-
E bulationibus & ab huius viæ moleſtiis liberet nos, & in æterna patria conſtituat, quos hîc per tentationes varias erudire nõ deſinit. Et quid iſte clamat audiamus: *Miſerere noſtri Domine, miſerere noſtri, quia multum repleti ſumus deſpectione.* Miſerere noſtri, vt fidem rectam teneamus: miſerere noſtri, vt opera fidei conuenientia perficiamus. Quia multum repleti ſumus deſpectione, id eſt huius ſeculi tẽtationibus. *Et repleta eſt anima noſtra opprobriũ abũdãtib., & deſpectio ſuperbis.* Et qui

ſunt qui opprobriũ nõ faciunt? conſequẽter exponit: Opprobrium abundantibus, id eſt gaudentibus: & deſpectio ſuperbis, qui in diuitiis contemnunt pauperes Chriſti: de quibus dicitur, beati pauperes, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum. In quinto graduum, hoc eſt, in patientiæ ſoliditate amator iſte ſtans, hæc dicendo decantat:

A

Niſi quia Dominus erat in nobis, dicat nunc Iſrael, niſi quia Dominus erat in nobis. Vox iſta ſanctorum, ſiue martyrum, ſiue tribulationes in hoc ſeculo patientium exiſtit: quaſi diceret, niſi Dominus eſſet nobis adiutor, nequaquam has tribulationes, & has paſſiones, & has perſecutiones ſuſtinere potuiſſemus, ſed quia ille in nobis eſt, facile omnia pertranſire valemus, quæ in hoc ſeculo dura videntur. Hoc dicat Iſrael, hoc eſt vir videns Deum hoc cogitet, quia Deus hæc opera in illo complet. *Dum inſurgerent homines in nos, forte viuos deglutiſſent nos.* Ad deuorandum nos & quaſi viuos glutiendũ inſurgebant. Quis horum tam immanes & tam immites perſecutiones ſuſtineret, niſi Dominus adiuuiſſet eos, qui numquam dereliquit ſperãtes in ſe? Igitur in primo Pſalmo graduum de doloſa lingua & blanda ſeductione ſe liberatum eſſe teſtatus eſt, nũc autem hoc Pſalmo de aperta perſecutionē ſe redemptum eſſe per Dei & Domini miſericordiam enarrat: quatenus & ſpiritales & corporales vinceret perſecutiones, vel in occulta tẽtatione, vel in aperta perſecutione. Quod verò in antecedentibus Pſalmis quaſi vna perſona loquitur, hic verò plurali numero dicit: illud ſignificat propter vnitatem corporis Chriſti, hoc etiam quia multa ſunt membra ad caput illud quod eſt Chriſtus pertinentia. *Dum iraſceretur furor eorum in nos forſitan aqua abſorbuiſſet nos.* Vox martyris eſt, truculẽtum perſecutoris animum oſtendentis: forſitan velut aqua abſorbuiſſet nos. Aqua populum impium ſignificat, qui quærit ſanctos deuorare. *Torrentem pertranſiuit anima noſtra, forſitan pertranſiſſet anima noſtra aquam intolerabilem.* Immanitatem perſecutionis ſignificat torrentis nomine. Aquam intolerabilem, hoc eſt, incredibilem rabiem iniquorum perpeſſi ſumus: & niſi Dominus eſſet in nobis, nullatenus euadere potuiſſet fragilitas noſtra has immaniſſimas perſecutiones. Ad laudem liberatoris ſui iſta victrix aduerſariorum concorditer conuerſa eſt dicens: *Benedictus Dominus qui non dedit nos in captionem dentibus eorũ.* Benedictus Deus qui vicit mundum per quem nos vincimus, per quem nos liberati ſumus à perſecutione atque diriſſimis dentibus: & hoc quia Deus erat in nobis. *Anima noſtra ſicut paſſer erepta eſt de laqueo venantium.* Paſſer iſte Chriſtus eſt: & ſicut ille liberatus eſt ab omni iniquitate, & à perſecutione impiorum, & victor glorioſus ad paternam rediit ſedem: ſic nos per illum liberati ſumus, & non ſumus dati in laqueos diabolicæ fraudis, nec in manus venantium nos. vitã perdidimus, ſed fidẽ ſeruauimus: & melius quod perdidimus inuẽturi ſumus, ipſa dicẽte veritate, Qui perdiderit animã ſuam propter me, inueniet eam. Et huius adhortationis, & patientiæ, & roboris, quis eſt auctor in nobis niſi ille qui fecit cælum & terram? ipſe qui fecit, ipſe redemit: & ipſe qui redemit, ipſe remunerat: ipſi dicimus ſemper, *Adiutorium noſtrum in nomine Domini, qui fecit cœlum & terram.* Modo incipit de ſtabilitate æternæ Hieruſalem dicere, & de illorum fiducia & ſtabilitate qui ad eum toto deſiderio feſtinant, dicentes:

B

C

Qui confidunt in Domino ſicut mons Sion, non commouebitur in æternum qui habitat in Hieruſalem: Fides quæ ad Deum eſt ſtabilem facit vitam, nec vllis tentationibus moueri poteſt, qui ſupra firmam petram ſuam conſtruit domum. Quis eſt mõs Sion niſi Chriſtus, qui eſt in vertice montium, & eleuabitur ſuper colles, & fluent ad eum omnes gentes? Sion eſt Eccleſia in qua ſpeculum vitæ æternitatis viſio, cuius caput eſt Chriſtus. Ecce quærit iſte aſcenſor ſpiritalium graduum qualis ſit iſta Hieruſalem, in qua ſanctorum chorus habitat, & reſpondetur ei: *Montes in circuitu eius, & Dominus in circuitu populi ſui, ex hoc nunc & vſque in ſeculum.* Iſti montes ſunt Angeli, ſunt Prophetæ & prædicatores ſancti, qui muniunt iſtã Hieruſalem. & ne hoc tibi paruum videretur quod tales montes habet in circuitu, ſtatim ſubiunxit, & Dominus in circuitu populi ſui. Ecce quales habemus muros, quales munitiones, quales defenſores. maneamus intra ſepta Hieruſalem, & non timeamus inſidias diaboli nec ſagittas eius, tales habẽtes defenſores: Et hoc non ad tempus, ſed in æternum, ideo addidit: ex hoc nunc & vſque in ſeculum. Sequitur: *Quia non derelinquet Dominus virgam peccatorum ſuper ſortem iuſtorum: vt non extendant iuſti ad iniquitatem manus ſuas.* Sors iuſtorum eſt ſtare ad dexteram Dei in die iudicij: ſuper ſortem vero illorum, id eſt ſuper congregationem illorũ, non venit virga impiorum, id eſt ſententia illa terribilis: Ite maledicti in ignem æternum. vt non extendant iuſti ad iniquitatem manus ſuas: quare hoc, vt non extendant iuſti ad iniquitatem manus ſuas? vt ad tem-

D

E

pus ferant iuſti iniquos dominantes, & intelligant non eſſe ſempiternum, ſed præparent ſe ad poſſidẽdam hæreditatem ſempiternam: nunc enim deſtruetur omnis poteſtas iniquitatis, vt ſit Dominus omnia in omnibus: hoc cogitent qui recto ſunt corde, quòd non ſemper dominantur iniuſti, ſed auferetur poteſtas illorum ab eis, & regnabit Dominus ſuper ſanctos ſuos. *Et benefaciat bonis & rectis corde.* Hic vt in fide & bono opere permaneant ſtabiles, & in futuro gloriam accipiant ſempiternam. *Declinantes autem in obligationem adducet Dominus cum operantibus iniquitatem, pax ſuper Iſrael.* Qui operantur iniquitatem, id eſt quorum facta imitati ſunt, qui eorum præſentem lętitiam amauerunt: & futura ſupplicia non crediderunt. qui ergo recti ſunt corde & non declinant, quid habebunt? Iam veniamus ad ipſam hęreditatem: quæ eſt illa hæreditas? pax ſuper Iſrael. quæ pax illa? quæ exuperat omnem ſenſum. Pſalmus iſte graduum redemptionis noſtræ laudem decantat. quomodo liberati ſumus de captiuitate diabolicæ poteſtatis, & peccatorum noſtrorum vinculis, cantat iſte amator libertatis noſtræ:

In conuertendo Dominus captiuitatẽ Sion, facti ſumus ſicut conſolati, id eſt gaudentes. Sion in Angelis æterna, in hominibus captiua eſt. Vndè captiua? quia venundati ſub peccato: vnde venundati, niſi conſentientes peccato? liberi facti ſumus, ſed noſmetipſos vendidimus peccato, conſortes facti peccato primi parentis noſtri: ſed in ſecundo liberati ſumus, & ideo conſolati: non enim omnes illius ciuitatis ciues captiui ſunt, ſed qui inde peregrinantur captiui ſunt: conſolatio verò miſerorum eſt & gementium, ſed modo hæc conſolatio eſt in ſpe, tunc erit in re, dũ videbimus facie ad faciem: vſque nunc in fide credimus, & in ſpe amamus. *Tunc repletum eſt gaudio os noſtrum, & lingua noſtra exultatione.* In hac conſolatione huius redemptionis noſtræ repletum eſt os cordis noſtri gaudio, & lingua cordis exultatione: os cordis & lingua cordis; quo ore carnali clauſo, dum oramus, clamamus ad Deum. *Tunc dicent inter gentes, magnificauit Dominus facere cum illis*: id eſt miſericordiam facere cũ omnibus gentibus: quia non tantum notus in Iudæa Deus, ſed à finib⁹ terrę laudes audiuimus iuſtorum, dicentes, Exaudi nos Deus ſalutaris noſter, ſpes omnium finium terræ, & in mari longe. dicamus itaque omnes: *Magnificauit Dominus facere nobiſcum, facti ſumus lætantes.* Miſericordiam fecit nobis, ideo facti ſumus lætantes. *Conuertet Do-*

A *minus captiuitatem noſtram ſicut torrens in auſtro.* Torrentes dicuntur flumina hyemalia, magno enim impetu repentinis aquis impleta currunt: Auſter verò ventus calidus eſt, & glacies ſoluens, ſignificat verò Spiritum ſanctum, qui duritiam peccatorum noſtrorum, quæ zelo infidelitatis conſtricta eſt, ſoluit & ſiccat, & conuertit captiuitatem noſtram in lætitiam. *Qui ſeminant in lachrymis, in gaudio metent.* Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur. Item beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam
B conſequentur: ſeminant in lachrymis, qui lugent ſua peccata: ſeminant in valle, qui miſericordiæ opera faciunt, dicente Apoſtolo: Qui ſeminat in benedictione, de benedictione accipiet: quãtum enim quiſque ſeminat, tantum recipiet. Nam ipſa vita in quam intrauimus miſera eſt, lachrymoſa eſt, laboribuſque plena. Ideo homo natus flere nouit, ridere non nouit: quia ad laborem natus eſt, non ad lætitiam. *Euntes ibant & flebant, mittentes ſemina ſua.* Iſte gradus cãticorum ad opera nos miſericordiæ exhor-
C tatur, vt eamus & quæramus cui bene faciamus, & compatientes ſimus miſeriæ aliorũ, ſicut Apoſtolus dicit: flere cum flentibus. mittamus ſemina noſtra ſuper tranſeuntes aquas, quia in multo tempore inueniemus illa. Ideo ſequitur: *Venientes autem venient in exultatione, portantes manipulos ſuos.* Quo venient niſi in præſentiam ſummi iudicis, qui portant opera miſericordiæ? Eſuriui enim, ait Dominus, & dediſtis mihi manducare: ſitiui, & dediſtis mihi bibere. quid verò au-
D dituri erunt? Venite benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum eſt ab origine mundi, &c. Tunc illis hoc dicetur, qui opera miſericordiæ modo diligenter volunt ſeminare in pauperes. Hæc cantica, vt ſæpe diximus, aſcendentium ſunt: qualiter aſcendentium? ſcilicet amando Deum. qui Deum amat, aſcendit: qui ſeculum amat, cadit. ſed huius ſeculi titulo additum eſt canticum graduum Salomonis. Videamus cur nomen Salomonis in hoc
E tantummodo additum ſit. Salomon interpretatur pacificus. quis iſte pacificus, niſi verus Salomõ Dominus noſter Ieſus Chriſtus, qui cæleſtia & terreſtria pacificauit in ſanguine ſuo, & fecit vtraque vnum, duos ſibi parietes coniungens in ſeipſo ſummo angulari lapide? Nam Eccleſia duobus populis, id eſt circumciſionis & præputij copulauit in vnum ouile, vt ſit vnus paſtor & vnum ouile. De iſto verò Salomone in capite huius Pſalmi dicitur:

Niſi Dominus ædificauerit domum, in vanum

laborant qui ædificant eam. Niſi Dominus ædificet Eccleſiam abſque macula & ruga, in vanum laborat omnis prædicator. qui ſunt qui in vanum laborant, niſi hæretici, qui laborant Eccleſiam congregare, ſed abſque Domino? Ideo vanum eſt opus illorum. ex quo populus fidelis ædificatus eſt, cuſtos eſt ipſius Dominus noſter Ieſus Chriſtus, qui ædificat, qui conſeruat, qui protegit, qui remunerat, ille ſolus in omnibus & ædificator & cuſtos. Ideo dixit in ſequenti verſu: *Niſi Dominus cuſtodierit ciuitatem, fruſtra vigilat qui cuſtodit eam.* Iſta eſt ciuitas de qua ſæpius in his graduum Pſalmis cantatur, ſpiritalis vtique Hieruſalem. *Vanum eſt vobis ante lucem ſurgere.* In vanum eſt enim intus homini abſque diuina gratia laborare. *Surgite poſtquam ſederitis, qui manducatis panem doloris.* Si vultis in excelſo eſſe, eſtote hîc humiles: vbi humilis fuit ille, qui pro nobis pauper fuit factus: vt ibi excelſi ſitis, vbi ille ſedet ad dexterã Dei patris. Surrectio exaltationem ſignificat, ſeſſio humilitatem deſignat. Aliis locis ſeſſio intelligitur ab honore iudicandi, vt illic, Sedebitis vos ſuper ſedes duodecim. Item ſeſſio humilitatem ſignificat, vt illic, Ieſus fatigatus ex itinere ſedebat ſic ſuper fontem. Nam & in alio Pſalmo, Domine tu cognouiſti ſeſſionẽ meam & reſurrectionem meam, id eſt humilitatem meam & exaltationem meam. Vt ergo intelligeretur, ad quas pertineret hæc ſeſſio, formam addidit ſtatim: qui manducatis panem doloris. Manducant panem doloris, qui gemunt in hac peregrinatione. Cæleſtem ergo deſiderio anhelemus patriam: hîc humiliatio, illic exaltatio: hîc peregrinatio, illic patria. humiliemur ſub potenti manu Dei, vt nos exaltet in tempore viſitationis. Quaſi quæreret iſte amator quando eſſet iſta reſurrectio, id eſt exaltatio, reſpondetur ei: *Cum dederit dilectis ſuis ſomnum, ecce hæreditas Domini: filij merces, fructus ventris.* Somnus hîc mortẽ ſignificat. Chriſtus nõ eſt exaltatus niſi poſt mortẽ, ita noſtra exaltatio non eſt niſi poſt mortẽ: quia illius reſurrectio non fuit niſi antea moreretur, nec noſtra erit reſurrectio niſi antea moriamur. quaſi verò quæreres iterũ, quibus dilectis: ait, hæreditas Domini, filij merces fructus ventris. Quæ eſt hæreditas iſta? illa vtique de qua dicitur: Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam. Qui ſunt filij merces: ſancti ſcilicet omnes, quos Chriſtus ſuo ſanguine acquiſiuit: fructus ventris, id eſt omnium ſanctorum congregatio. filij merces, fructus ventris. Deinde adiunxit: *Sicut ſagittæ in manu potentis, ita filij*

A *excuſſorum.* Sagittæ Apoſtoli ſunt, quorum ſonus exiuit in omnem terram: de manu potentis miſſi, id eſt Chriſti: ita filij excuſſorum, id eſt filij Prophetarum, qui ſecreta & myſteria incarnationis Chriſti, & ſanctæ ſacramenta Eccleſiæ Dei dono cæleſtis theſauri excuſſerunt, & in lucem produxerunt à ſeculis myſteria: horum filij ſunt Apoſtoli, quia quod illi in ænigmate pronunciauerunt, hoc Apoſtoli in Chriſto quaſi hiſtoriã prædicauerunt. *Beatus vir qui impleuit deſiderium ſuum ex ipſis, non confundetur dum loquetur*
B *inimicis ſuis in porta.* Ex ipſis, id eſt Apoſtolorum prædicationibus, qui totum ſuum deſideriũ ex illa prædicatione implet, & amat cæleſtia, non terrena: æterna, non temporalia: iſte non confundetur cùm loquetur inimicis ſuis in porta. Porta verò Chriſtus eſt: qui Chriſtum prædicat, qui in Chriſto loquitur, qui in Chriſto manet, non confundetur in æternum: ſed prędicat opportune, importune, id eſt, volentibus, & nolentibus audire verbum Dei: etiam amicis vel inimicis. ille ſtat importune, vt omnes audiant & omnes ædificẽtur. Venit ad canticum bea-
C titudinis iſtorum aſcenſor graduum, & ait vnde ſit iſta beatitudo, *Beati omnes qui timent Dominum, qui ambulant in viis eius.* Hæc vera beatitudo in timore Domini conſiſtit, & in obſeruatione præceptorum illius. iſte eſt timor de quo in alio Pſalmo dicitur, Timor Domini ſanctus permanet in ſeculũ ſeculi. Alius eſt timor propter pœnã, alius eſt propter amorẽ. Iſte eſt beatus qui propter charitatem timet Dominũ, & in charitate eius præcepta obſeruat. Vt ille ipſe ait: Si diligi-
D tis me, mãdata mea ſeruate. *Labores fructuũ tuorũ manducabis, beatus es & bene tibi erit.* Nõ labores manducat quiſque, ſed quod ex labore naſcitur, id eſt fructus. Sancti martyres laborauerunt in hoc ſeculo, vt fructum vitæ æternæ acciperent, vt impleatur in illis quod dictum eſt, vos eſtis qui permanſiſtis mecum in tentationibus meis, & ego diſpono vobis regnum ſicut diſpoſuit mihi Pater meus, vt edatis & bibatis ſuper menſam meam in regno meo. Beatus es & bene tibi erit: hîc beatus in ſpe, illic bene tibi erit
E in re, dum videbis facie ad faciem quem hîc amas in corde. *Vxor tua ſicut vitis abundans in lateribus domus tuæ.* Vxor Chriſti Eccleſia eſt & ſponſa, quæ abundat fructu boni operis in lateribus domus tuæ. Illa ſunt latera in domo Dei quæ adhærent Chriſto firmiùs. *Filij tui ſicut nouellæ oliuarum in circuitu menſæ tuæ.* Non eſt alia in Chriſto vxor, alius filius, ſed omnes vnum in Chriſto. Quam ante vxorem nominauit, nunc nominauit & fi-

lium, quia vxor & filij Eccleſia eſt Chriſti. A ſicut nouellæ oliuarum, pacem ſignificat. Ideo filij in nouitate ſpiritus, non in vetuſtate literæ in pacem Chriſti tranſeunt: in circuitu menſæ tuæ. Menſa Chriſti, ſcriptura eſt ſancta, vnde paſcimur, vnde intelligimus quid amemus, & quid deſideremus, ad quem habeamus oculos leuatos. *Ecce ſic benedicetur omnis homo qui timet Dominum.* Recurrit ad principium Pſalmi vbi ait, Beati omnes qui timent Dominum. Nunc exponit quæ ſit iſta beatitudo quæ timenti Deũ debetur, vel quomodo benedicendum ſit qui Deum timet. ait enim: *Benedicat te Dominus ex Sion, & videas quæ bona ſunt in Hieruſalem omnibus diebus vitæ tuæ.* B Ex Sion dixit, benedicat te Dominus, id eſt, ſpeculatione æternæ vitæ. Illa eſt vera benedictio quæ nos facit vitam deſiderare æternam. Ideo adiunxit, vt videas bona quæ ſunt in Hieruſalem omnibus diebus vitæ tuæ: Id eſt, æterna bona non temporalia: permanſura, non trãſitoria, quæ ſunt in Hieruſalem cœleſti omnibus diebus vitæ tuæ ſemper eris gaudens, ſemper videbis bona. i. totius bonitatis auctorem Chriſtum. *Et videas filios filiorum tuorum, pacem ſuper Iſrael.* C Filij tui ſunt opera bona quæ facis: filij filiorum tuorum, fructus bonorum operum, quæ videnda & recipienda ſunt in futura vita, vbi pax erit ſuper omnes Deum videntes, & hæc pax eſt Chriſtus quæ exuperat omnem ſenſum. Illa pax cuſtodiat corda noſtra in perpetuum.

Decimus iſte Pſalmus graduum ita incipit: *Sæpe expugnauerunt me à iuuentute mea, dicat nunc Iſrael.* Vox eſt eccleſiæ ſuſtinentis falſos fratres, & in exemplo priora reſpiciens, & ſuper ipſa exhortans exem- D plis patrum inuincibiliter ſuſtinere: quia olim expugnata Eccleſia, & non nouiter, ſed ſemper ab initio quo cœpit eſſe. Nam Abel Eccleſia fuit Chriſti, ſed à fratre expugnatus eſt. Similiter Iacob Eccleſia Chriſti fuit, ſed à fratre Eſau expugnatus eſt. Etiam & Moſes in Eccleſia Chriſti ſæpiſſime expugnatus eſt à populo cui præfuit. Occiſus fuit Chriſtus à ſynagoga, ſed non ſeparatus. Ecce enim exemplis docebat nos aduerſus falſos fratres fortiter ſuſtinere. Dicant omnes qui Deum pleno corde diligunt, Deumque videre cupiunt, & dicant iterum: *Sæpe expugnauerunt me à iuuentute mea, etenim non potuerunt mihi.* Siue in vetere ſiue in nouo teſtamento, & numquam potuerunt præualere mihi vt conſẽtirem eis. *Supra dorſum meum fabricauerunt iniquitates ſuas.* Fabricauerunt tolerenti mihi ſupra dorſum: poſuerunt mihi tribulationes, ſed ego portaui eas donec corrigantur, & ſic deſiderant perſequi me, & vel in fine excutiantur à dorſo meo: ego vſque in finem tolero, ſed vſque in finem perſequentur. Prolongauerunt iniquitates ſuas, quia non eſt tempus in hoc ſeculo quo Eccleſia Chriſti perſecutionem non patiatur à falſis fratribus. *Sed Dominus iuſtus concidet ceruices peccatorum: confundantur & conuertantur retrorſum omnes qui oderunt Sion.* id eſt, ſuperbiam illorum cõteret. per ceruicẽ ſuperbiam iſtorũ deſignat. Confundantur & reuereãtur omnes qui oderunt Sion: cõfũdãtur in iudicio, reuereantur in profũdis qui oderunt Sion, id eſt, qui oderunt Eccleſiam, qui nolunt obedire verbo Dei. Sunt enim in Eccleſia, ſed ficti fratres, & odio habent bene operantes in ea. Vnde ſequitur, de his qui oderunt Eccleſiam. *Fiant tanquam fœnum tectorum, quod priuſquam euellatur areſcit.* Et ſicut fœnum tectorum ſine radice eſt, & cito areſcit, ſic illi cito pereũt: quod priuſquam euellatur areſcit, id eſt, priuſquam in iudicio puniantur areſcunt, non habentes humorem boni operis. *De quo implebit manum ſuam qui metet, & ſinum ſuum qui manipulos colliget.* Meſſores ſunt Angeli, de quorum operibus non implent ſinus ſuos, quia zizania ſunt & non triticum, ſed in faſciculos ligantur & igni comburuntur æterno. *Et non dixerunt qui prætererunt, Benedictio Domini ſuper vos, benediximus vobis in nomine Domini.* Tranſeuntes ſunt per huius ſeculi viam Prophetæ, Patriarchæ, & Apoſtoli: quorum benedictio proficit in filiis Eccleſiæ, non in falſis fratribus, qui expugnant Eccleſiam: non dant enim benedictionem ſuper perituros, ſed ſuper manſuros: & quam benedictionem dant? Benedicunt in nomine Domini, quia omnis benedictio & omnis ſanctificatio per nomen Domini roboratur & confirmatur. Sequitur verò Pſalmus graduum cuius principium eſt:

De profundis clamaui ad te Domine, Domine exaudi vocem meam. Ad iſtum itaque Pſalmũ conſiderationis gradus eſt, & cuiuſdã querelæ ſtatio, vt intelligamus ita in quo profundo ſumus, & vnde clamare nobis neceſſe eſt. Profunda eſt nobis vita iſta mortalis: quiſquis ſe in profũdo intellexerit, clamet, gemat, ſuſpiret, donec de profundo eruatur, & veniat ad eum qui ſuper omnes abyſſos ſedet, & ſuper Cherubin, & ſuper omnia quæ creauit, non ſolum corporalia, ſed etiam ſpiritualia: ſed inde vſque ad profundum huius vitæ peruenit, vt nos liberaret

ab hoc profundo miſeriæ, & nos incitaret ad eum clamare, qui eſt ſaluator verus, & dicere: Domine, Domine exaudi vocem meam. Fiant aures tuæ intendẽtes in orationem ſerui tui. Geminatio clamoris, ſignificatio eſt deprecationis intimæ. Sequitur verò: *Si iniquitates obſeruaueris Domine, Domine quis ſuſtinebit?* Aperit de quo profundo clamaret, id eſt de peccatorum ſuorum abyſſo, quæ inundauerunt ſuper caput eius: intelligens omnẽ vitam hanc tentationibus plenam. ideo dixit, quis ſuſtinebit? ſi iuſtitiam tantummodo iudicas nobis, & nõ miſerationem præſtes, nullus eſt qui ſuſtinere poſſit, quia omnes filij iræ: ſed magis nobis ſpes eſt de miſerationibus tuis, & non de meritis noſtris. *Quia apud te propiciatio eſt, & propter legem tuã ſuſtinui te Domine.* Propiciatio eſt ſanguis Chriſti, qui nos liberauit à ſeruitute timoris, quæ in lege fuit veteri: ſuſtinui te Domine, id eſt, ſperaui in te Domine. ſicut in alio Pſalmo dicit: Expectans expectaui Dominum, & reſpexit me: expectaui per ſpem, & reſpexit me per miſericordiam. *Suſtinuit anima mea in verbum tuum Domine, ſperauit anima mea in Domino.* in quod verbum ſuſtinuit? in verbum quod caro factum eſt ſperauit anima mea, per quod verbum mihi omnia dimiſiſti peccata: ſed adhuc ſperat anima mea in Domino: quid ſperat? remiſſionem peccatorum recipi, ſed adhuc vitam æternam non teneo: & quia feciſti quod promiſiſti, ſpero te facturum eſſe quod adhuc reſtat, vt poſt reſurrectionem omnium vitam æternam accipiam. *A cuſtodia matutina vſque ad noctem, ſperet Iſrael in Domino.* Cuſtodia matutina eſt Chriſtus, qui reſurrexit, in quo omnes reſurrecturi ſumus: ideo ex illa reſurrectionis ſuæ vigilia vſque ad noctem, id eſt, finem mundi, omnes ſancti ſperent in Domino, & hæc ſpes inde certiſſima eſt. *Quia apud Dominum miſericordia eſt, & copioſa apud eum redemptio.* Per illum itaque redempti ſumus, per illum reſurrecturi ſumus. *Ipſe redimet Iſrael ex omnibus iniquitatibus ſuis.* Vbi ſemper abundauit gratia: Gratia enim Dei ſaluati ſunt per fidem, ab omnibus iniquitatibus ſuis. Omnes fideles nomine Iſraelis deſignat, quia omnes per copioſam redemptionem Domini noſtri Ieſu Chriſti redempti ſunt ab omnibus iniquitatibus ſuis. Scire debemus quòd in aliquibus locis in his Pſalmis ſonant verba quaſi de multis, ſicut vbi ait, Miſerere noſtri Domine, miſerere noſtri, quia multum repleti ſumus deſpectione: in aliquibus ſicut de vno, vbi ait, De profũdis clamaui ad te Domine, & hoc quia multi ſumus in membris, vnum autem

A in Chriſto: & omnes in vno loquuntur, & vnus in omnibus loquitur. Dicit enim iſte aſcenſor:

Domine non eſt exaltatum cor meum, neque elati ſunt oculi mei. Sacrificium Deo humilitatis offert in his verbis, ſicut in alio Pſalmo legitur: Spiritus contribulatus, id eſt, humiliatus. magis itaque audita eſt humiliantis publicani oratio, quàm ſuperbientis Phariſæi: neque elati ſunt oculi mei: oculos cordis elatos eſſe nõ dixit, ſed humiliatos, quia omnium bonorum cuſtodia eſt humilitas.

B *Neque ambulaui in magnis, neque in mirabilibus ſuper me.* Nec quæſiui vt magnus eſsẽ inter homines aut mirabilis, faciendo ſigna vel miracula: quia ſigna propter infideles data ſunt, non propter fideles: vt per ſigna crederent, qui per prædicationes non crediderunt. vnde ſubdidit, *Si non humiliter ſentiebã, ſed exaltaui animam meam. Sicut ablactatus eſt ſuper matre ſua, ita retributio in anima mea.* Videntur maledictionem ſonare hi duo verſus, & ad hæreticos pertinere, qui non volunt humiliari in pace Eccleſiæ, ſed exaltari

C in ſchiſma doctrinæ ſuæ: noluerunt matris Eccleſiæ lacte nutriri, vt ad ſolidum cibũ qui Chriſtus eſt peruenirent: ideo ablactati ſunt & à matre repulſi, quia ab lacte pietatis nutriri noluerunt; & ſunt Doctores erroris, cum non ſint diſcipuli veritatis: ideo retribuetur eis in manibus illorum, quia propter infidelitatem ſchiſmatis in anima receſſerunt à fide: Ideo in anima recepturi erunt quicquid meruerunt. *Speret Iſrael in Domino, ex hoc nunc & vſque in ſeculum.* qui eſt

D ſpes omniũ Deum videntium, ex hoc nunc & vſque in ſempiternũ: id eſt, vſque ad æternitatem, in qua videbimus in quem nunc ſperamus. Venit hic præuius noſtræ aſcenſionis, & ad gradum manſuetudinis, in qua exemplum nobis ſanctiſſimi Dauid propoſuit, quaſi ex ſua perſona dicens:

Memento Domine Dauid, & omnis manſuetudinis eius. Dauid manu fortis interpretatur, qui iuxta hiſtoriam pepercit inimico quærenti animam ſuam, ſignificans Chriſtũ noſtrum bellatorem, qui ſuperbiſſimum

E Goliad propriæ fortitudinis lapide proſtrauit, & nobis cum inimici eſſemus manſuetus eſt factus, vt nos eius exemplo edocti manſueti ſimus & mites. *Sicut iurauit Domino, votum vouit Deo Iacob.* Iurare Dei eſt, id eſt, promiſſionis ſuæ votum oſtendere: votum vouit Deo Iacob. Quid eſt votum Chriſti, niſi vt redimeret humanum genus? Vnde ait in Euangelio, Opus conſummaui quod dediſti mihi. votũ vouit Deo Iacob. In ſequentibus demonſtrat quid vouiſſet

Deo,id eſt,vt inuenerit tabernaculum Deo Iacob,id eſt,Eccleſiam ſanctam, de qua dicitur in alio Pſalmo: quam amabilia ſunt tabernacula tua Domine,ſed nos ſi bene egerimus, tabernaculum erimus Dei, & templum Dei viui, ſicut dixit Apoſtolus,Templum Dei eſtis vos. Nulla vos dormitatio, nulla oblectatio carnis,nulla ambitio ſeculi deterreat,vt tabernaculum Deo non inueniamus in nobiſmetipſis. *Ecce audiuimus eam in Effrata,inuenimus eam in campis ſyluæ.* Effrata ſpeculum interpretatur: in ſpeculo imagines conſpiciuntur. ſignificat Prophetas, qui per imaginem loquuti ſunt de futura domo Dei,quam inuenimus in campis ſyluæ, ibi audiuimus de domo Dei, id eſt, in altitudine gentium quæ vepribus & ſpinis peccatorum obſitæ ſunt: ſed ibi eſt modo domus Dei & Eccleſia Chriſti,de qua Prophetæ prædixerunt: *Introibimus in tabernaculum eius:* cuius? Dei Iacob: quomodo introibimus? per fidem: *adorabimus in loco vbi ſteterunt pedes eius.* cuius? Chriſti Domini noſtri, vbi veſtigia conſpiciuntur eius, & ibi miracula illius narrantur, & redemptionis noſtrę firmitas: quia abſque huius domus charitate ſolus non inueniretur. ibi adorandus eſt,vbi fides recta eſſe diceretur. *Exurge Domine in requiem tuam, tu & arca ſanctificationis tuæ.* Chriſto dicitur vt exurgat à mortuis, & intret in requiem ſuam: id eſt, poſt laborem paſſionis in requiem cœleſtis gloriæ: tu & arca ſanctificationis tuæ. Arca Chriſti Eccleſia eſt, Chriſti reſurrectio præceſſit in capite, quæ ſecuta erit in membris, vt fiat quod ipſa veritas ait: volo pater vt vbi ego ſum,& iſti ſint mecum. *Sacerdotes tui induantur iuſtitiam, & ſancti tui lætentur.* Sacerdotis eſt iuſtitiam prædicare,& exemplis oſtendere: populi eſt gaudium in iuſtitia,& ſacerdotum prædicatio. Item induantur ſacerdotes fide & ſpe, ſanctique lætentur: quia ſicut Chriſtus ſurrexit in gloria, ita & ſancti cum Chriſto ſurrecturi ſunt in gloria. *Propter Dauid ſeruum tuum non auertas faciem Chriſti tui.* Vox eſt ad Deum patrem deprecantis pro Eccleſia: non auertas faciẽ Chriſti tui: propter victoriam quam fecit Dauid de inimicis ſuis auerte irã à Iudæis. & poſt plenitudinem gentium omnis Iſrael ſaluus fiet, qui modo in Apoſtolis & reliquiis ſaluus eſt. *Iurauit Dominus Dauid veritatem, & nõ fruſtrabitur eum.* Iuratio Domini confirmationẽ ſententiæ ſignificat, nec fruſtra iurat, nec ſine fructu erit quod promittit, ſed veritatem iurans veritatem implet, quia veritas falli non poteſt. *De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam:* id eſt de

A vtero virginali naſcetur quem ponam ſuper ſedem meam. Exiet virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet. Virga de radice Patriarchæ exiet,& flos,id eſt,Chriſtus de ventre virginis aſcendet: alia habet tranſlatio, iurabit Dominus & non pœnitebit eum. Non alicuius Deum pœnitet,ſed aliquid immutare eum ſignificat dum dicitur,pœnitet Deum. Iurabit Dominus & nõ pœnitebit eum, id eſt, immutabile vult cõſeruare quod facit,quod ſtatuit cum Dauid ſeruo ſuo. *Si cuſtodierint filij tui teſtamentum meum, & teſtimonia mea hæc quæ docebo eos.* Et filij eorum vſque in ſeculum ſedebunt ſuper ſedem meam.

B Vtique & filij filiorum tuorum ſi cuſtodierint præcepta mea,ſedebunt ſuper ſedẽ beatitudinis tuæ: quia omnes fideles filij in Chriſto Dauid, & filij Abraham: de quibus ipſa Veritas dicit: potens eſt Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abraham. *Quoniam elegit Dominus Sion, prælegit eam in habitationem ſibi.* Sion vniuerſalis eſt Eccleſia, in Angelis beata, in habitationibus terræ peregrina, quæ & ipſa in partẽ ventura eſt beatitudinis Angelicæ, & hæc

C eſt habitatio Dei in æternum, quos elegit in Chriſto Deus: prælegit,id eſt, prædeſtinauit ante conſtitutionem ſeculi iuxta Apoſtolum: quia quos vocauit,hos & prædeſtinauit. *Hæc requies mea in ſeculum ſeculi, hic habitabo quoniam elegi eam.* Iſta Dei verba ſunt, hæc requies mea, ibi requieſco. quoniam nos amat Deus, vt quia nos requieſcimus, ſe dicat requieſcere. Non enim ipſe aliquãdo turbatur aut ſic requieſcit, ſed ibi ſe dicit requieſcere,quia nos in illo requiem habemus. hic inhabitabo,quoniam elegi eam.

D *Viduam eius benedicens benedicam, pauperes eius ſaturabo panibus.* Omnis anima quæ ſe intelligit deſertã ab omni auxilio niſi ſolius Dei, vidua eſt ſecũdum ſeculũ, quia ſeculum eã deſerit, non tamen exinde vidua eſt quæ Chriſtum habet virum: idcirco ſancta Eccleſia in omnibus membris ſuis vidua eſt à ſeculo derelicta atque contempta, à Chriſto autem electa & ſponſata: & pauperes eius ſaturabo panibus. Pauperes Chriſti ſunt qui non amant hoc ſeculum, ſiue habeant diuitias ſiue non habeant: aliquibus enim datæ ſunt diuitiæ ad diſpenſandum egenis,

E non autem datæ ſunt eis ad poſſidendum, neque ſpem in illis debent ponere, nec ſatietatem in illis habere: ſed in nomine Chriſti confidere,& in iuſtitia & in charitate Dei & proximi: hæc eſt ſaturitas ſanctorum, nõ ſeculi diuitiæ. *Sacerdotes eius induam ſalutari, & ſancti eius exultatione exultabunt.* Qui ſunt ſacerdotes? qui ſeipſos obtulerunt Deo ho-

ſtiam vi[illegible]m, Deo placentem. & induam A ſalutari, [i]d eſt, Chriſto Ieſu, qui eſt ſalus omnium [c]redentiũ, vt Apoſtolus ait: quotquot baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis. Et ſancti eius exultatione exultabunt. In quo exultabunt? vt induantur Chriſto: ideo ſubiecit, *Illuc producam cornu Dauid, paraui lucernã Chriſto meo.* Vt de Chriſto intelligatur, & nõ de ſolo regno: cornu regnum & altitudinẽ ſignificat, Dauid regem Chriſtum. Paraui lucernam Chriſto meo, ipſa Veritas in Euãgelio de Ioanne dicit, Ille erat lucerna ardens & lucens, ille paratus fuit à Deo patre B vt præiret faciem Chriſti ſui, ſicut dictum eſt: Ecce mitto Angelum meum qui præparabit viam tuam ante te. *Inimicos eius induam confuſione, ſuper ipſum autem efflorebit ſanctificatio mea.* Super ipſum. i. Chriſtum efflorebit ſanctificatio mea. In ipſius verò baptiſmate remiſſio peccatorum eſt & ſanctificatio, & ſancti Spiritus donum, ipſo Ioanne atteſtãte, Hic eſt qui baptizat in Spiritu ſãcto, & ego vidi, & teſtimonium perhibui quia hic eſt filius Dei. Peruenit iam ad Pſalmum quartumdecimum, in quo vnitatem C ſanctorum laudat: iſte aſcenſionis amator gaudet ſe ad vnitatem fraternæ charitatis peruenire, ideo ait:

Ecce quàm bonum & quàm iocundum, habitare fratres in vnum. Quid pulchrius eſt, quidve iocundius eſt, imo quid melius quàm vnitas & charitas in Chriſti mẽbris quæ fratres nominare placuit, & cui rei ſimilis ſit hæc vnitas, in ſequenti paradigmate expoſuit, dicens: *Sicut vnguentum in capite quod deſcendit in barbam, barbam Aaron.* Quis eſt iſte D Aarõ? vtique Chriſtus, qui ſolus intrauit in ſancta ſanctorum in ſanguine, non alieno, ſed proprio, interceſſurus pro nobis apud Deum patrem. ſicut vnguentum in capite: Vnguentum hoc Spiritus ſanctus eſt, quod à capite Chriſti defluit. Nam caput noſtrũ Chriſtus eſt, deſcẽdit in barbam, id eſt, fortes & inuincibiles pugnatores pro Chriſti nomine, Apoſtolos primum & ſanctificatores martyres, & ſic in omnes fideles peruenit. ideo adiunxit, quod deſcendit in orã E veſtimenti eius: huius veſtimentum ſacerdotis ſancta Eccleſia quæ in finem mundi eius ſanguine conſecrata eſt, & in veſtem ſibi contexta. Ideo dixit in oram veſtimenti, ſubiungensque ait aliam ſimilitudinem ſub eadem ſignificatione, *Sicut ros Hermon qui deſcendit in montem Sion.* Hermon dicitur interpretatum nomen exaltatum, quod eſt Chriſtus in cruce exaltatus, & poſtea in cœlum eleuatus, cuius gratia, id eſt, ros illius deſcendit in montem Sion, id eſt, ſanctus & perfectus, in Eccleſia Chriſti. Quod enim barba vel ora veſtimenti ſignificat, hoc etiã mons Sion ſignificare videtur. Sequitur: *Quoniam ibi mandauit Dominus benedictionem, & vitam vſque in ſeculum.* Vbi mandauit? in fratribus videlicet qui habitant in vnũ, ibi præcepit benedictionem, ibi benedicũt Dominum qui habitant concorditer, ibi etiam & vitam æternam percipiunt. Hucuſque per gradus canentes aſcendebamus ad domum Dei. Videamus quid agendum ſit in ea, quid igitur niſi Dominum corde & ore in charitate benedicere cum Propheta dicentes: *Ecce nunc benedicite Dominum omnes ſerui Domini?* Ecce nũc, id eſt, in hoc tempore in quo congregauit nos Dominus per vnigenitum filiũ ſuum in domum dilectionis ſuæ. benedicamus Dominum non tranſitoria, ſed permanſoria laude, alterutrum hortantes nos ſtare & permanere in laude Dei: *Qui ſtatis in domo Domini, in atriis domus Dei noſtri.* id eſt, qui permanetis in Catholica fide, in vnitate charitatis, quæ atrij nomine in hoc loco deſignatur. Atrium autem latus eſt locus & apertus ad ſolem: ita mens noſtra latitudine charitatis, illuminata omnibus aperta debet eſſe ad benefaciendum, addit: *In noctibus extollite manus veſtras in ſancta, & benedicite Dominum.* Noctes itaque tribulationes ſignificant huius ſeculi, in quibus admonemur manus ad bona opera leuare, & Dominum benedicere, non ſolum verbis, ſed & operibus bonis. Facile eſt Deum in proſperis benedicere, ſed multum neceſſarium eſt eum in aduerſis laudare: cum Iob, qui omnibus ablatis quæ habere potuit, ait: Sit nomen Domini benedictum, ex hoc nunc & vſque in ſeculum. Sequitur: *Benedicat te Dominus ex Sion, qui fecit cœlum & terram.* Sion ſpeculum dicitur, in qua benedicendi ſunt ſancti, qui ad quintumdecimum gradum perueniunt, & in cœnaculo ſub numero decies duodenario Spiritum ſanctum receperunt. Ergo ſi omnes numeros ab vno vſque ad quindecim aggregabis, fiunt centum viginti, qui numerus ſancti Spiritus aduentu conſecratus ſignificat veteri teſtamẽto nouum deſignari, & nouo vetus adimpleri. In primo gradu tribulati clamauimus ad Dominum: In quintodecimo liberati à tribulationibus, Dominum benedicere iubemur, non alium niſi eum qui fecit cœlum & terram: cœlum cœli Domino, terram autem dedit filiis hominũ, qui de terrenis ad cœleſtia aſcendere iubentur.

F

MAGISTRI
ALBINI FLACCI ALCHVVINI DE PSALMORVM VSV LIBER,

Cum variis precandi formulis, ad res quotidianas accommodatis.

LIBRI PARS PRIMA.

Hoc opus, hoc carmen, quod cernis tramite Lector,
Alchuuinus Domini fecit honore ſui.

PRophetiæ ſpiritus non ſemper Prophetarum mentibus præſtò eſt, quatenus cùm ſemper hunc non habent, ſe hunc agnoſcant ex dono habere cùm habent. Vnde Propheta Heliſæus, cùm de futuris eſſet requiſitus, vt Prophetiæ ſpiritum ſibi deeſſe agnouit, Pſaltem fecit applicari; vt Prophetiæ ad hunc ſpiritus per laudem Pſalmodiæ deſcenderet, atque eius animum de futuris repleret. Vox enim Pſalmodiæ cùm per intentionem cordis agitur, per hanc omnipotenti Deo ad cor iter paratur, vt intentæ menti vel Prophetiæ myſteria, vel compunctionis gratiam infundat. Vnde ſcriptum eſt: *Sacrificium laudis honorificabit me, & illuc iter quod oſtendam illi Salutare Dei.* In ſacrificio igitur diuinæ laudis fit ad Ieſum iter oſtenſionis, quia dum per Pſalmodiam compunctio effunditur, via nobis in corde fit, per quam ad Ieſum veniamus. Dignum quippe eſt, vt mens à præſentibus vniuerſis, in quantum valet, ſe mundet, & diuinis laudibus atque ſpiritualibus inhæreat, vt cœleſtia ei reuelentur. Nihil eſt in hac mortali vita, in quo poſſimus Deo familiariùs inhærere, quàm ipſius in laudibus. Nullus itaque mortalium poteſt nec verbo, nec mente, virtutem Pſalmorum; ſi non ſuperficie labiorum tantum, ſed intenta mente in omnipotentis Dei laudem canuntur, explicare.

In Pſalmis itaque inuenies, ſi intenta A mente perſcruteris, & ad ſpiritualem intellectum perueneris, Domini Verbi incarnationem, Paſſionemque, & Reſurrectionem, atque Aſcenſionem.

In Pſalmis inuenies tam intimam orationem, ſi intenta mente perſcruteris, quàm non potes per te ipſum vllatenus excogitare.

In Pſalmis inuenies intimam confeſſionem peccatorum tuorum, & integram deprecationem diuinæ atque Dominicæ miſericordiæ.

B In Pſalmis quoque inuenies omnium rerum, quæ tibi accidunt, intimam gratiarum actionem.

In Pſalmis confiteris infirmitatem tuam atque miſeriam, & per idipſum miſericordiam Dei ad te prouocas.

Omnes enim virtutes in Pſalmis inuenies, ſi à Deo merueris, vt tibi reuelet ſecreta Pſalmorum.

Si vis pro peccatis tuis pœnitentiam agere, & confeſſione peccatorum tuorum veniam rogare delictis, quantum C vales intentè, non celebritate verborum, ſed mente cogitando ac ſcrutando, decanta ſeptenos Pſalmos Dauidicos, quorum initium duo, *Domine ne in furore:* & duo, *Domine exaudi: Beati quorum remiſſæ ſunt:* &, *Miſerere mei Deus ſecundum magnam:* &, *De profundis.* Et celerrimè inuenies clementiam Dei.

Si vis mentem tuam ſpirituali gaudio & lætitia illuminari, & magnam ſpem de Dei indulgentia tibi promittere. Et, Si vis orare, mitte mentem tuam ad virtutem Pſalmorum, quorum initium eſt *Exaudi Domine iuſtitiam meam. Ad te Domine*

leuaui. Deus in nomine tuo. Deus miſereatur noſtri. Deus in adiutorium. In te Domine ſperaui. Inclina Domine. Et nullatenus poteris tua propria lingua, nec humano ſenſu tam perfectè miſeriam tuam ac tribulationem, anguſtiamque diuerſarum tentationum explicare, & illius miſericordiam implorare; quàm in his Pſalmis, & cæteris his ſimilibus.

Si vis omnipotentem Deum laudare, & ipſius maieſtatem, omniúmque beneficiorum ſuorum, quibus humano generi ab initio mundi in veteri Teſtamento Patriarchas ac Prophetas; in nouo quoque per incarnationem ſempiterni filij ſui miſertus eſt gratias agere: decanta illos Pſalmos, quorũ titulus eſt *Alleluia*; & quorum initium eſt, *Vel.* Et ſuper omne mel & fauum omnipotenti Deo dulce munus offeres, ſi in his Pſalmis continuo illũ laudes ac magnifices.

Vel Pſalmus LXXI. LXXII. LXXIII. *Dixit Dominus*, &c. vſque, *Ad Dominum cum tribularer. Confitemini Domino. Lauda anima mea Dominum. Laudate Dominum quoniam bonus eſt. Lauda Hieruſalem. Laudate Dominum de cœlis*: vſque ad, *Omnis ſpiritus laudet Dominum.*

Si diuerſis tentationibus afflictus ſis, & vel humanis vel ſpiritualibus tentationibus vndique aſtrictus, & tibi videris à Deo derelictus, qui plerumque ſanctos ſuos ad tempus derelinquit probandos, & per id tibi videatur tentatio maior eſſe quam tolerare poſſis, intima mente decanta illos Pſalmos, quorum caput eſt: *Deus, Deus meus reſpice in me. Exaudi, Deus, orationem meam cùm deprecor. Saluum me fac Deus.* Et clemens Deus ſtatim te adiuuabit; & tentationem, quam pateris, tolerare te poſſe efficiet.

Si tibi vita præſens faſtidioſa ſit, & animum tuum delectat ſupernam patriam cõtemplari, & omnipotentem Deum ardenti deſiderio quærere, intenta mente hos Pſalmos decanta. *Quemadmodum. Quàm dilecta. Deus, Deus meus.* Et clemens Deus citius mentem tuam conſolabitur.

Si te in tribulationibus à Deo derelictum intelligas, compuncto corde decanta hos Pſalmos: *Vſquequo Domine. Deus auribus noſtris. Miſerere mei Deus. Exaudi Deus orationem meam, & ne deſpexeris. In te Domine ſperaui.* Et Deus ſtatim lætificabit te in omnibus anguſtiis tuis.

Poſt acceptam quietem, & proſperitatis tempore, hos Pſalmos decanta in laudem: *Benedicam Domino. Benedic anima mea Domino.* Et, *Exaltabo te Deus meus Rex.* Et in omni tempore ſiue proſperitatis, ſiue aduerſitatis, ſemper Hymnum trium puerorum decanta. Nullus itaque virtutem huius nominis explicare poteſt, in quo omnis creatura ad laudandum Creatorem inuocatur.

Si volueris intima mente exercere te in diuinis laudibus ac præceptis, & mandatis cæleſtibus, Pſalmum, *Beati immaculati in via*, decanta. Et licèt vſque ad obitum vitæ tuæ huius Pſalmi virtutem contempleris atque ſcruteris; numquam perfectè illum, vt puto, intelligere poteris. In quo nullus verſus eſt, quin inſit vel via Dei, vel lex, vel mandatum, ſeu præceptum Dei, vel verba, aut iuſtificationes, vel iudicia, aut ſermones. Et ideò non eſt tibi opus, vt per diuerſos libros animum diffundas.

In Pſalterio vſque ad obitũ vitæ tuæ habes materiam legendi, ſcrutandi, docendi: in quo inuenies Propheticos, Euangelicos, atque Apoſtolicos, atque omnes diuinos libros ſpiritualiter, ad quem intelligitur ex parte tractatos atque deſcriptos, & priorem atque ſecundum aduentum Domini, ibi reperies prophetatos. Incarnationem quoque & Paſſionem, Reſurrectionemque, atque Aſcenſionem Dominicam, & omnem virtutem diuinorum dictorum in Pſalmis inuenies, ſi intima mente perſcruteris, & ad medullam intimi intellectus per Dei gratiam perueneris.

Abbreuiatio furtiuæ orationis, quid ſit ſatis congruum orare.

IMitemur ſanctam Eccleſiam, cuius & membra ſumus. Ipſa enim eſt, quæ dicit: *In lectulo meo per noctes quæſiui quem diligit anima mea.* Et illud ad Dominum: *Memor fui tui ſuper ſtratum meum.* Ergo cùm à ſomno euigilas, & Crucis ſignum depingis in labiis, tertiò repete, *Domine labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam.* Huic continuo adiunge Pſalmum tertium: *Domine quid multiplicati ſunt.* Et viceſimumquartum: *Ad te, Domine, leuaui.* Et octo verſus Pſalmi cẽteſimi octaui decimi, quorum caput eſt: *Adhæſit pauimento: Kyrie eleyſon,* Orationem Dominicã, *Adiutorium noſtrũ in nomine Domini, qui fecit cœlum & terrã,* Symbolũ

Apoſtolorum, &c, *Benedicite omnia opera Domini Domino. Te Deum laudamus. Te decet laus,* in hoc verſu, *Surges propter nomen tuum Domine. Firmamentum meum, & refugium meum, & dux meus eſto Domine Deus meus.* In his verbis, mox vt Eccleſiam ingredieris, ſanctam adorare poteris Trinitatem. A

Item Oratio.

DOmine Deus omnipotens, æterne & ineffabilis, ſine fine atque initio, quem vnum in Trinitate, & trinum in Vnitate B confitemur: te ſolum adoro, te laudo, te benedico, teque glorifico. Tibi, ô miſericors & clemens, gratias refero, qui me exutum nocte perfidiæ & erroris participem fieri tribuiſti gratiæ tuæ. Perfice, quæſo, Domine, cœptum in me opus miſericordiæ tuæ. Dona mihi ſemper cogitare, loqui & agere quæ placita ſunt tibi, & gratuita me vtique pietate cuſtodiens, fac me indignum & miſerum ad tuam peruenire viſionem, Amen.

C

Quòd bonum ſit homini in quatuor ſubſcriptis Pſalmis, & tribus Hymnis laudare Dominum ſingulis diebus.

HOrtatur nos Scriptura diuinitus inſpirata, dicens: *Qui timetis Dominum, benedicite Domino.* Nec non terret quod ſcriptum eſt: *Non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris.* Silere enim à laude Creatoris multò deterius. D Et licèt ſint multi ad hoc opus congrui Pſalmi; in his tamen Deo ſedulò poteris reddere laudem, hoc modo præmiſſo verſu: *Deus in adiutorium meum intende.* Sequatur Pſalmus: *Laudate nomen Domini, laudate ſerui Dominum.* In quo deſpectis nominibus multorum falſorumque deorum, vnus Deus magnus & verus laudatur. *Benedic anima mea Domino, & omnia,* &c. numeroſis virtutibus & laudibus plenus. *Exaltabo te Deus meus Rex.* Iucundiſſima ac ſuauiſſima Domino laudatio Dauid. *Laudate Dominum de cælis.* In quo inuitātur omnes creaturæ, E vt laudent omnium Creatorem. Hymnus trium puerorum omni laude Deo amabilior, in quo omnes creaturæ ſimul & ſingulatim ad Creatoris laudem hortantur. *Te Deum laudamus,* nulla laude inferior. *Te decet hymnus.*

Poſt Dominicam Orationem, Verſus.

BEnedicat nos omnipotens & miſericors Deus, qui fecit cœlum & terram. Benedicimus Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum. Laudamus, & ſuperexaltamus eum in ſecula. Benedictus es Domine Deus Patrum noſtrorum, & laudabile & glorioſum nomen tuum in ſecula. Qui timetis Dominum, benedicite Domino. Benedictus Dominus ex Sion, qui habitat in Hieruſalem. Cantate Dómino, & benedicite nomen eius: bene nunciate de die in Diem Salutare eius. Nos qui viuimus, benedicimus Domino; ex hoc nunc & vſque in ſeculum. Benedictus Dominus Deus Iſraël, qui fecit mirabilia magna ſolus. Et benedictum nomen maieſtatis eius in æternum, & in ſeculum ſeculi. Benedicam Domino in omni tempore, ſemper laus eius in ore meo. Laudabo nomen Dei mei cum cantico, & magnificabo eum in laude. Laudent eum cæli & terra, mare, & omnia quæ in eis ſunt. Cantabo Domino in vita mea, pſallam Deo meo quādiu ero. Suauis ſit ei laudatio mea, ego verò delectabor in Domino. Sit gloria Domini in ſeculum ſeculi, lætabitur Dominus in operibus ſuis. Laudem Domini loquitur os meum, & benedicat omnis caro nomen ſanctum eius in æternum, & in ſeculum ſeculi. Sit nomē Domini benedictum, ex hoc nunc, & vſque in ſeculum.

Gratiarum actio.

GRatias tibi ago infinita miſericordia, Domine Deus omnipotens, qui me per aquam ſacri baptiſmatis, & renouationem ſancti Spiritus ab originalibus vinculis expediſti. Gratias tibi ago, qui me in te credere rectè feciſti, & tuorum me fidelium numero ſociare dignatus es. Te laudo & glorifico miſericordiſſime Domine, qui me per vniuerſa crimina percurrentem non es paſſus perire; ſed benignè reuocans de profundo me iniquitatis ereptum ad pœnitentiam perduxiſti. Te laudo, & glorifico, qui me de æternæ mortis interitu, de pœnis, & huius carnis cruciatib., in qua affligi dignus ſum, hactenus liberaſti. Tibi ago laudes & gratias, qui me de multis mortibus, de multis opprobriis, calamitatibus & miſeriis, de immaniſſimis diaboli laqueis, de immundis deſideriis exemptum, diruptis vinculis, quibus tenebar aſtrictus, perducere dignatus es ad ſeruitium tuum. Tibi ago laudes & gratias, qui me eripiēs à iurgiorum procel-

lis, des mihi ſeruorũ tuorũ perfrui charita- A te, qui mihi ſalutẽ corporis, & animi largiris quietẽ. Tibi laudes, tibi Domine decanto honorem & gloriã, qui quotidie me & ſine intermiſſione delinquentem, & tua præcepta poſtponentem, tanta adhuc patientia quotidie emendationem expectas. Quæſo, Domine Deus meus, qui mihi vſque ad præſentem horam tuam miſericordiam impendere dignatus es, perfice opus miſericordiæ tuæ, libera me à malis omnibus quæ premunt me, ſicuti cœpiſti, ſalua me vſque in finem per Ieſum Chriſtum ſer- B uatorem & recuperatorem noſtrum, qui tecum & cum Spiritu ſancto viuit & regnat in ſecula ſeculorum, Amen. Deo gratias, Deo gratias, Deo gratias. Benedicta gloria Domini de loco ſuo.

Pœnitentia, & publicæ pœnitentiæ gemitus.

Legimus de Domino Chriſto, quia *erat pernoctans in orationibus.* Quid ergo in C iniquitatibus concepti, & in delictis, lectulo confouentes nos delicatè palpamus; ſi ille pernoctabat in orationibus, qui omni prorſus contagione carebat peccati? Scrutemur ergo vias noſtras, & duplicem in pœnitentia gemitum habeamus in ſeculo: Nimirum, quia & bona quæ oportuit non fecimus, & mala quæ non oportuit operati ſumus. Canamus præterea ſedula reciprocatione hos ſeptem Dauidicos Pſalmos, quos penè omnes ſpirituales viri cõgruentiſſimos pœnitentiæ tradiderunt, id D eſt, *Miſerere mei Deus. Domine ne in ira tua arguas me. Beati quorum. Domine ne in ira tua, Quoniam ſagittæ tuæ, &c. Domine exaudi orationem meam, & clamor. De profundis. Domine exaudi orationem meam, auribus.*

Poſt Dominicam orationem verſus.

Ego dixi, Domine miſerere mei. Quoniam iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt E caput meum. Multiplicatę ſunt ſuper capillos capitis mei. Quo ibo à ſpiritu tuo? Eripe me de inimicis meis Deus meus. Suſcipe me ſecundum eloquium tuum. Ab occultis meis munda me Domine. Propter nomen tuum, Domine, propitiaberis peccato meo. Quoniam iniquitatem ego agnoſco. Delictum meum cognitum. Adiutor meus eſto, ne derelinquas me. Quoniã tu es patientia mea. Adiutor meus tu es. Sit nomen Domini benedictum.

Confeſſio peccatorum.

Tibi, Domine Deus, confiteor crimina & delicta. Tu propter ineffabilem pietatem & miſericordiam tuam ſuſcipe quæſo confeſſionem meam. Imò ipſe largire, vt toto corde confitear. Tu enim, clementiſſime Domine, dignatus es dicere: *Nolo mortem peccatoris, ſed vt conuertatur & viuat.* Gulæ, ebrietatis, & crapulæ vitiis infelix ſine intermiſsione deſeruio, ac propter hoc grauatur anima mea, & corpus meum: vnde ſomniculoſus ac torpens, tardè ad orationes & officia accurro, & ſẽper alienatus & negligens adſiſto. Fornicationibus & libidinis ſtercoribus putrefactus ſum, & intus exteriuſque totus inquinatus. Pollutum eſt os meum, & labia mea, oculi mei, & aures meæ, guſtus meus, pariter odoratus & & tactus, & vſque ad hanc horam cogitationibus vanis & ſpurciſsimis ſordidatur cor meum. Triſtitia demerſus ſum, acedia diſſolutus, iræ facibus inflammatus ſum, cupiditatis igne peruſtus, inuidiæ venenis infectus ſum, fraterno odio toxicatus, detractione conuulſus ſum, omni malitia tabefactus, obliuione & deſidia hebetatus ſum; fraude & hypocriſi obrutus, fragilitate & negligentia lãguidus, periuriis, falſitate, & mendaciis maculatus ſum, vanæ gloriæ leuitate turgidus. Sæpè maiorum iuſſa contempſi. Sæpè rebellans & murmurans extiti. Sæpè corde tumido excuſationes falſas obieci. Promiſi de his & huiuſcemodi malis emendationem, & ſemper in eiſdem relabor. Propter hæc delenda Cœnobium petij, ſed ſemper in deterius eo. Præcepta tua ſine intermiſsione contemno. Promiſsiones meas, quibus me ſanctam Regulam ſcrutaturum ſpopondi, momentis ſingulis violo. Semper infelix ad ſcurrilitates, ad vaniloquia, ad otioſitatem feſtino. Heu me! quantæ impietates, quantæ blaſphemiæ, quantæ diuerſæ tenebræ lacerant mentem meam! Quæ vniuerſa, niſi ineffabili bonitatis tuæ miſericordia tua repellas ac deleas; mortua eſt in peccatis anima mea. Plura ſunt mala mea, in quibus per ignorantiam lapſus ſum. Plura quæ animo meo exciderunt. Innumera ſunt omnino mala, quæ miſer commiſi, & quanta enarrare non ſufficio: pro quibus omnibus mihi perdito tormenta pariter, & vermes, & ignis paratur æternus. Succurre Domine Ieſu Chriſte, mihi miſerrimo & captiuo; & ne me perire

patiaris quę dignatus es redimere precio- A ſo ſanguine tuo. Ne perdas me cum peccatis meis, neque in æternum reſerues mala mea. Ne proiicias me à facie tua, ne deſpicias me, neque cõfundas me peccantem in te. Reminiſcere miſerationum tuarum. Qui facis magna & mirabilia abſque numero, ſerua me gratuito munere tuo. Qui non ſpreuiſti publicanum, ne ſpernas me. Qui latroni in Cruce poſito ſubueniſti, ſubueni mihi. Qui mulieri peccatrici flenti ad veſtigia tua miſertus es, miſerere mei. Cui eſt cum Deo Patre & ſancto Spiritu in Deitate ſubſtantia, æquus honor, & par B gloria in ſecula ſeculorum. Amen.

Alia Oratio de Confeſſione peccatorum.

OMnipotens & miſericors Deus, ſolus eſſentialiter bonus, velit nolit, cogitatio hominis confitebitur tibi. Sed & ego voluntariè confiteor me peccaſſe, & impiè egiſſe in conſpectu tuo iuxta omnes abo- C minationes, quas iniquus facere conſueuit, ſed miſericordiæ tuæ magnitudine peccatorum meorum vincitur magnitudo. Maior eſt enim miſericordia tua totius mundi peccatis, & ideò manet mihi de indulgentia ſpes, quia manet mihi omnibus de miſericordia certitudo. Ablutis ergo ſordibus præteritorum meorum, da mihi & velle, & poſſe præſentium malorum cauſas excidere, nec eorum ſuggeſtionibus in reliquo aditum adhibere, ſed congruum locum & ſpatium, & dignos pœnitentiæ fructus pe- D to mihi non deneges. Certum eſt eum in ſalutem mortalium gaudium tuum perficere, qui non vis mortem peccatoris, ſed vt cõuertatur & viuat apud te, qui in tribus perſonis viuis & regnas Deus in ſecula ſeculorum, Amen. Pollicetur nobis Veritas, quæ vtique neſcit mentiri: *Pulſate, & aperietur vobis.* Pulſemus ergo ianuam Pſalmorum, vt aperiat nobis qui in Pſalmis habitat. Ipſe eſt enim oſtium, & ipſe eſt oſtiarius. Scrutemur præterea hos ſeptem decantandos ſedulo Pſalmos, & videbimus plus eos poſſe in oratione, quàm humanus ſuf- E ficit ſermo. In his diuinæ Legis dulciſſimus amor. De perceptione alterius vitæ fidiſſima ſpes. Contra ſpiritualia bella, fortia arma. In tribulatione ſingulare præſidium, temporalem timorem, triſtitiamque expellunt. Spirituali iucunditate atque lætitia mentes exhilarant. *Exaudi Domine iuſtitiam meam. Ad te Domine leuaui. Dominus illuminatio mea. In te Domine ſperaui. Deus in te ſperaui Domine. Inclina Domine aurem tuam.*

Poſt Dominicam Orationem Verſus.

CVſtodi animam meam, & eripe me Domine; non confundar, quoniam inuocaui te. Confundantur & deficiant, detrahentes animæ meæ. Operiantur confuſione & pudore, qui quærũt mala mihi. Exurge Domine, præueni eos, & ſubuerte eos, eripe animam meam ab impio, frameam inimicorum de manu tua. Deus meus, eripe me de manu peccatoris, & de manu contra legem agentis & iniqui. Intende animæ meæ, & libera eam, propter inimicos meos eripe me. Eſto mihi in Deum protectorem, & in locum munitum, vt ſaluum me facias. Exaudi Domine vocem meam, qua clamaui ad te, miſerere mei & exaudi me. Exaudi Domine vocem deprecationis meę, dum oro ad te, & dum extollo manus meas ad templum ſanctum tuum. Intret oratio mea in conſpectu tuo. Inclina aurem tuam ad deprecationem meam Domine. Intret poſtulatio mea in conſpectu tuo Domine, ſecundum eloquium tuum eripe me. Eripe me, Domine, ab homine malo; à viro iniquo libera me. Eripe me de operantibus iniquitatem, & de viris ſanguinum ſalua me. Conuertantur inimici mei retrorſum, in quacumque die inuocauero te, ecce cognoui quoniam Deus meus es tu. Fac mecum, Domine, ſignum in bonum, vt videant qui me oderunt, & confundantur. Sit nomen Domini benedictum, ex hoc nunc & vſque in ſeculum.

Poſtulatio.

PRæſta mihi Domine, ſpiritum, vt te tota cordis intentione exquirã, deindè vt digna petam, poſtremò vt petitionum mearum effectum conſequar. Exue me à peccatis præteritis, cuſtodi me ab eminentibus, muni me à futuris. Dona mihi cibi potúſque congruentem abſtinentiam, caſtitatis cingulum, cordis labiorúmque munditiam, largire mihi patientiam, longanimitatem, benignitatem, modeſtiam, ſpirituale gaudium, & perfectum mundi contemptum. Tribue mihi occaſionem ſcandali præbere, ſimplicitatem puritatémque diligere, inſtanter ea quæ pacis ſunt ſequi. Longè fac à me hypocriſim, tribue mihi veram humilitatem, plenam confeſſionem, perfectam emendationem. Aufer à lingua mea iurandi conſuetudinem, mendaciorum nebulam, detractionis peſtem, murmurationis ingluuiem, ſcurrilitatis & ſtul-

tiloquij vanitatem. Pone cuſtodiam ori A meo, & oſtium circunſtantiæ labiis meis. Concede mihi, quæſo, maiorum ſubdi imperiis, & alacri corde ad obedientiam, ad compaſſionem, ad concordiam ſine mora concurrere. Da mihi in omnibus diſcretionem, vt poſſim inter bona malaque diſcernere, vt bonos valeam ad meliora exhortari, & eos qui aduersè gradiuntur, ad tuæ rectitudinis lineam reuocare. Excita torporē meum, & deſidiam meam tuis ſtimulis, & fac me ſtrenuè perſeuerare in præceptis, & laudibus tuis. Dona mihi prudentiam, iuſtitiam, fortitudinem, ſiue temperantiam. B Largire mihi fidem rectam, ſpem inconcuſſam, caritatem perfectam. Infunde cordi meo ſpiritum ſapiētiæ & intellectus, cōſilij & fortitudinis, ſcientiæ & pietatis, atque timoris tui. Dona mihi, Domine, benedictionem de rore cæli, & de pinguedine terræ: da irriguum ſuperius, & irriguum inferius. Concede miſeræ animæ meæ liquefieri igne charitatis tuæ, fac me tuo deſiderio mundo funditus extingui. Concede mihi cor habere contritum & humiliatum coram te ſemper. Largire, me in conſpectu C tuo per ignem compunctionis hoſtiam viuam fieri. Summa æterna lux, illumina me. Sūma æterna virtus, libera me. Sūma æterna fortitudo, conforta me. Summa æterna ſapientia, depelle tenebras ignorātiæ meæ. Summa æterna miſericordia, miſerere mei. Dona mihi toto corde meo, tota anima mea, totis viribus meis, exquirere faciem tuam ſemper. Et perduc me miſericors ad tuam ſanctiſſimam viſionem. Adſit quęſo mihi beatorum Angelorum tuorum pia cuſtodia, & præſta vt apud te pro me feliciſ- D ſima Sanctorum tuorum agmina intercedant. Concede mihi fragiliſſimo dilecti tui Patris mei Benedicti ſequi & imitari veſtigia, vt merear conſequi miſericordiam tuā, & ad gaudia peruenire promiſſa. Per Ieſum Chriſtum filium tuum Dominum noſtrum qui tecum in vnitate Spiritus ſancti viuit & regnat per infinita ſecula, Amen.

Alia oratio ad Patrem in nomine Filij.

DEus ineffabilis & incircumſcriptæ naturæ, E inſtitutor omnium rerum, & Domini noſtri Ieſu Chriſti Pater, qui eundem dilectum filium de ſinu tuo miſiſti ad publicum noſtrum ſuſcipere noſtram vitam, vt nobis donaret ſuam, eſſetque perfectus Deus ex Patre, & perfectus homo ex matre, totus Deus, & totus homo, vnus idemque Chriſtus, æternus & temporalis, immortalis & moriturus, creator & creatus, fortis & infirmus, nutritor & nutritus, Paſtor & ouis, temporaliter mortuus, tecum in æternum viuens, ſuis dilectoribus vitæ municipatum promittens dedit, eiſque dixit: *Quodcunque petieritis patrem in nomine meo dabit vobis.* Obſecro te vt des mihi cū eodē filio tuo te in omnibus benedicere & glorificare, quia quorum vna eſt ſubſtantia, vnū & datum. Des etiam mihi per illum, & cum illo peccatorum omnium veniam, & mandatorum tuorum cuſtodiam: dilectionem tuam, & fraternum amorem, contra diabolum fortia arma, & erga fratres charitatem perfectam, temperantiam cibi & potus, & libidinis continentiam: auditum caſtum, & ſimplicem viſum, puritatem cordis, & munditiam corporis, cogitationem mundam, & oris & cordis cuſtodiam, vt nec cor intus iniquitatem concipiat, nec lingua foras parturiat, vt nec falſa loquar, nec vera taceam, nec ſalutifera abſcondā, nec mortifera proferam. Precor ergo, vt des mihi aſſiduitatem orationis, frequentiam lectionis, vt præcepta tua infatigabiliter legam, & inexplebiliter diligam, & efficaciter cōpleam, & quicquid in me prauum deprehēdero, corrigam: quod rectum eſt teneam, quod deforme cōponam, quod pulchrum excolam, quod ſanum ſeruem, quod infirmum corroborem. Des inſuper mihi deſpicere temporalia, & æterna diligere, vt mortuum mihi deputem mundum. Nec gaudens, nec lugens de temporalibus, vt nec metuam aliquid temporale nec diligam, nec blādis corrumpar, nec aduerſis concutiar. Et quia ipſe tuus vnicè natus dixit: *Nemo venit ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum*, obſecro Domine, & ſuppliciter rogo, trahe me tu ad ipſum, & ipſe me perducat ad te illuc, vbi eſt ſempiterna vita, & ſempiternè beata: æterna ſecuritas, & ſecura tranquillitas: felix æternitas, & æterna felicitas: vbi eſt amor perfectus, & nullus timor: vbi eſt dies æternus, & vnus omnium ſpiritus: vbi tu cum illo, & ille tecum in communione ſancti Spiritus æternaliter ac ſempiternaliter viuis & regnas Deus. Per omnia ſecula ſeculorum. Amen.

Pro contemplatione & amore cæleſtis patriæ, quæ nonniſi à mundi contemptoribus percipitur.

ADmonet nos beatus Apoſtolus, dicēs: *Si conſurrexiſtis cum Christo, quæ ſurſum ſunt quærite, vbi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedēs.*

Et iterum. *Noſtra autem conuerſatio in cœlis eſt.* A Si ergo noſtra conuerſatio in cœlis eſt, lugeamus nos in hoc calamitoſo itinere, quamdiu exulamus in hoc à patria. Tranſcendamus contemplationis pinnulis cuncta quæ cœperunt ex tempore, & cum tempore finiuntur, & ad illam totis deſideriis patriam mente volitemus, ad quam in tempore pergitur, ſed ſine tempore viuitur. Ad accendenda ergo noſtra deſideria, hos quinque canamus ſpiritu & mente quotidie Pſalmos: *Sicut ceruus. Iudica me Deus, & diſcerne. Te decet hymnus Deus. Quàm amabilia ſunt. Voce mea ad Dominum clamaui, Voce mea ad Dominum.* Hi etiam in tribulatione mentes conſolantur & ſubleuant. B

Poſt Orationem Dominicam Verſus.

TE decet Hymnus Deus in Sion, & tibi reddetur votum in Hieruſalem. Illic enim aſcenderunt tribus, tribus Domini teſtimonium Iſraël, ad confitendum nomini tuo, Domine. Exaudi orationem meam, ad te omnis oratio veniat. Beatus quem elegiſti & aſſumpſiſti, inhabitabit in atriis tuis. Heu me! quòd incolatus meus prolongatus eſt; habitaui cum habitantibus Cedar, multum incola fuit anima mea. Negauit conſolari anima mea, memor fui Dei, & delectatus ſum. Defecit cor meum, & caro mea: Deus cordis mei, & pars mea Deus in ſecula. Quid enim mihi reſtat in cœlo, & à te quid volui ſuper terrã? Quoniam incola ego ſum apud te in terra, & peregrinus ſicut omnes Patres mei. Sitiuit in te anima mea, quàm multipliciter & caro mea. Domine, dilexi decorem Domus tuæ, & locum tabernaculi gloriæ tuæ. Tene manum dexteram meam, & in voluntate tua deduc me, & cum gloria aſſume me. Vt videam voluntatem Domini, & protegar à templo ſancto eius. Vt audiã vocem laudationis tuæ, & enarrem vniuerſa mirabilia tua. Et vt inhabitem in domo Domini in longitudine dierum. Ego autem cum iuſtitia apparebo in conſpectu tuo, ſatiabor dum manifeſtabitur gloria tua. Domine Deus meus, in æternum confitebor tibi. Sit nomen Domini benedictum, ex hoc nunc & vſque in ſeculum.

Confeſſio Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.

COnfitebor tibi Domine Rex cœli & terræ, & honorifico te ſacrificio laudis: & quia exteriora mihi munera deſunt, quæ ſunt in me vota laudationis reddam tibi. Credo te toto corde, & ore confiteor Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum. In perſonis ternionẽ, in ſubſtantia vnionem. Non corpus, aut in corpore poſitum, neque ex diuerſis ſpeciebus aut mixtum, aut membrorum compagibus effigiatum, ſed vnius, ſimplicis, incorporeæ, atque inuiſibilis naturæ. Nihil in te maius aut inferius habentem; ſed per omnem modum, ex omni parte ſine deformitate perfectum, ſine quantitate magnum, ſine qualitate bonum, ſine tempore ſempiternum, ſine morte vitam, ſine infirmitate fortem, ſine mendacio veritatem, ſine loco vbique totum, ſine ſitu vbique præſentem, ſine extenſione omnia implentem, ſine contractione vbique occurrentem, ſine motu omnia tranſcendentem, ſine ſtatu infra omnia manentem, ſine indigentia omnia creantem, ſine labore omnia regentem, ſine ſui initio omnibus initium dantem, ſine ſui mutatione omnia mutabilia facientem: in magnitudine infinitum, in virtute omnipotentem, in bonitate ſummum, in ſapientia inæſtimabilem, in conſiliis terribilem, in iuſtitiis iuſtum, in cogitationibus ſecretiſſimum, in verbis veracem, in operibus ſanctum, in miſericordiis copioſum, erga delinquentes patientiſſimum, erga patientes pium: ſemper idem ipſum æternum ac ſempiternum, immortalem atque incommutabilem. Quem nec ſpacia dilatãt, nec breuitas locorum anguſtat, nec receptacula vlla coarctant, nec voluntas variat, nec neceſſitudo corrumpit, nec mœſta perturbãt, nec læta demulcẽt. Cui nec obliuio tollit, nec memoria reddit, nec præterita tranſeunt, nec futura ſuccedunt. Cui nec origo initium, nec tempora incrementum, nec caſus finem dabit: ſed ante ſecula, & in ſeculis, & per ſecula in æternũ viuis. Et eſt tibi perennis laus, & æterna gloria, ſumma poteſtas, & ſingularis honor, perpetuum regnum, & ſine fine imperium. Per indefeſſa & immortalia ſecula ſeculorũ, Amen.

Pro cuſtodienda humilitate, & cognitione humanæ fragilitatis.

REuocat nos ad humilitatis regulã Scriptura præcipiens: *Quantò magnus es, humilia te in omnibus.* Quàm benè humilitatis regulam Abraham nouerat, qui cùm ex Dominica confabulatione extolli potuiſſet, abiectum & deſpicabilem ſe pronunciauit, dicens: *Loquar ad Dominum meum, cùm ſim puluis & cinis?* Ergo vt de nobis ſem-

per humilia ſentiamus, ventilemus quotidie hos coram Domino Pſalmos: *Dixi, cuſtodiam. Nonne Domine. Domine non eſt exaltatum cor meum.*

Poſt Dominicam Orationem Verſus.

MEmento Domine, quoniam puluis ſumus, homo ſicut dies eius, & ſicut flos agri, ita efflorebit. Quia ſpiritus pertranſibit ab eo, & non erit, & non cognoſcet ampliùs locum ſuum. Exibit ſpiritus eius, & reuertetur in terram ſuam: in illa die peribunt omnes cogitationes eorum. Ego dixi in exceſſu mentis meæ, Omnis homo mendax. Memorare, Domine, quæ eſt mea ſubſtantia: non enim vanè conſtituiſti filios hominum. Domine, quid eſt homo, quod innotuiſti ei: aut filius hominis, quoniam reputas eum? Humiliatus ſum vſquequaque Domine, viuifica me ſecundum verbum tuum. Vide humilitatem meam, & eripe me: quia legem tuam non ſum oblitus. Cuſtodiens paruulos Dominus, humiliatus ſum, & liberauit me. Ego verò egenus & pauper ſum, Dominus curam habet mei. Sit nomen Domini benedictum, ex hoc nunc & vſque in ſeculum.

Oratio.

DOmine Ieſu Chriſte, qui in hunc mundum propter peccatores de ſinu Patris aduenisti, vt nos de eodem peccato redimeres, quia ſcio & credo; non propter iuſtos, ſed propter peccatores in terra habitare voluiſti. Exaudi me, Domine Deus, peccatorem & culpabilem, & indignum & negligentem, & obnoxium. Tibi confiteor omnia peccata mea, omnia mala mea, quicquid in hoc ſeculo geſſi delicto meo, actu, ſiue iniquis cogitationibus, de omnib. veniam peto. Peccaui, iuraui, tamen te non abnegaui, quia ſcio & credo, quia tu pater es. Indulge mihi Chriſte. Te laudo, te magnifico, te glorifico, Trinitas ſancta. Tibi gratias ago in omnib. infirmitatibus meis, quia non habeo ſpem in alium, niſi in te Deus meus. Ad portũ Eccleſiæ tuæ, Chriſte, confugio, & ante pignora Sanctorum tuorum proſtratus indulgẽtiam peto. Precor & ſupplico tibi Deus, vt mihi concedere digneris pro tua miſericordia miſericordiam, & pietatem vſque in finẽ meum, & in illa hora tremenda, quando anima mea migratura erit de corpore meo. Præſta mihi ſenſum rectum, fidem rectam, & charitatem. Omnipotens Deus, Deus

A meus exaudi me, vt animam meam liberare digneris, de inferno inferiori. Deus omnipotẽs, libera me de pœna infernali. Deus omnipotens, libera me de igni inextinguibili. Deus omnipotens, libera me de protoplaſto Sathana. Deus omnipotens, libera me de vermibus immortalibus. Deus omnipotens, libera me de manſione impiorum. Deus omnipotens, libera me de anguſtia æterna. Deus omnipotens, libera me de omnibus malis. Deus omnipotens, liberare digneris animam meam de tenebris exterioribus. Quia in te confido, quia opus manuum tuarum ſum ego, ne me deſ-

B picias Chriſte. Rogo ſanctam ac beatiſſimam matrem noſtram Mariam, rogo viginti quatuor ſeniores, omnes ſanctos Angelos tuos deprecor, omnibus ſanctis Patriarchis ac Prophetis ſupplico, omnes Apoſtolos & Martyres, & Confeſſores tuos, atque Virgines rogo: ſimiliter omnes Sanctos tuos, & electos Dei inuoco in auxilium meum, & in illa tremenda hora, qua anima mea egreſſura erit de corpore meo, Sancte Archangele deprecor, qui

C animarum accipiendarum accepiſti poteſtatem, vt animam meam ſuſcipere digneris, quando de corpore meo erit egreſſura: & libera eam de poteſtate inimici, vt pertranſire poſſim portas inferorum, & vias tenebrarum; vt non ſe ponat leo vel draco, qui conſuetus eſt animas inferorum recipere, & ad æterna tormenta pertrahere. Te deprecor ſancte Petre, Princeps Apoſtolorum, qui tenes claues regni cœlorum, & accipiendarum animarum accepiſti poteſtatem, vt portam paradiſi mihi aperire di-

D gneris. Domine Ieſu Chriſte fili Mariæ, proceſſum do tibi, vt agas de anima mea pietatem & miſericordiam; quia in te ſperaui. Chriſte Redemptor mundi, quando occurſurus ſum, ne ſim expulſus à facie tua, quia non mereor coronam vel veniam, niſi mihi concedere dignẽris. Auxiliatrix ſit mihi ſancta Trinitas, exaudi me Domine, qui es Deus meus viuus, & virtus méa, iudex iuſtus. Tu Medicus potentiſſimus. Tu es Sacerdos in æternum. Tu dux ad patriam. Tu lux mea vera. Tu dulcedo mea ſancta. Tu ſapientia mea clara. Tu ſimpli-

E citas mea pura. Tu anima mea catholica. Tu concordia mea pacifica. Tu cuſtodia mea tota. Tu perfectio mea tota. Tu ſalus mea ſempiterna. Tu miſericordia mea magna. Tu vita mea immaculata. Tu patientia robuſtiſſima. Tu redemptio mea facta. Tu reſurrectio mea ſancta. Tu vita perpetua. Te rogo, te deprecor, vt per te ambu-

lem, ad te perueniam, in te requieſcam, & ad te reſurgam. Exaudi me, Domine. Memento, Domine, Dauid, ſicut iuraſti Patribus noſtris, vt auertas iram tuam à famulo tuo. Angelus Michaël, Angelus Gabriel, Angelus Raphael, omnes Angeli, omnes Archangeli, omnes Throni, omnes Dominationes, omnes Principatus & Poteſtates, omnes Patriarchæ & Prophetæ, omnes Apoſtoli & Martyres, omnes Confeſſores & Virgines, in adiutorium & auxilium adſiſtant mihi, per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. Matthæus, Marcus, Lucas, Ioannes. Sancte Georgi famule mî, intercede pro me famulo tuo. Sancte Chriſtophore, intercede pro me. Domine, de limo terræ formaſti me, oſſibus & venis compegiſti me. Domine pro tua pietate ſaluum me fac. Pax hîc, Deus hîc. Domine exaudi orationem meam, & clamor meus ad te veniat. Quia tibi ſoli peccaui, & malum coram te feci: quia peccata mea innumerabilia ſunt valde. Veniam pro his peto, Domine, peccatis & negligentiis meis, pro vana gloria, pro concupiſcentia carnali, pro delectatione, pro pollutione, pro murmuratione, pro inuidia, pro ſuperbia, pro ſomnolentia, pro viſionibus, pro cogitationibus meis iniquis, pro adulterio, pro fornicatione, pro hoc quod ego ad opus Dei tardè venio. Peccata mea nec dicere, nec nominare poſſum. Reus ſum, iniquitates meas, & malitias meas non abſcondi, quia ſcio & credo quòd tu pius Pater es. Ne me derelinquas, Pater miſericors, ſed dignare indulgere quod malum egi. Succurre mihi pius, inuiſibilis, dulcis, & amabilis, antequam porta inferorum abſorbeat me, antequam veniat pars inimici mei. Tu mihi manus porrige, & lumen oſtende, vt nulla poteſtas inferni inuadat me in illa hora, quando anima mea aſſumptura erit de corpore meo. Piiſſime Deus, miſericors Deus, clemētiſſime Deus, te laudo, te magnifico, tibi gratias ago: qui me ſaluaſti per noctem, iubeas me ſeruari per diem. Fac me, Domine, tuam gratiam inuenire, te amare, te laudare & timere, tibi ſeruire, & diligere omnibus diebus vitæ meæ. Deus, tibi commendo vitam meam. Miſerere mei, Domine gloriæ, qui es vnus & verus, & ſolus & iuſtus, & in quo omnia & per quem omnia facta ſunt. Exaudi me, Domine, orantem, ſicut exaudiſti tres pueros de camino ignis ardentis, Sidrac, Miſac, & Abdenago. Exaudi me, Domine, orantem, ſicut exaudiſti Petrum in mari, Paulum in vinculis. Parce animæ meæ, par-

A ce malis meis, & cunctis criminibus meis. Chriſte Deus meus, pone te ante me, ſi exultat inimicus meus cōtra me. Ego dormiam, & cor meum vigilet. Angeli tui, Domine, me cuſtodiant tam per diē quàm per noctem. Deus omnipotens, emitte ſpiritum tuum bonum & rectum, qui animam meam & corpus meum cuſtodiat. Peccaui, Domine, peccaui in lege Dei, verbis, factis, & cogitationibus. Multa ſunt peccata mea. Negligens fui de opere Dei, & de ordine meo. Precor te beata Virgo Maria, & omnes ſancti Dei, orate pro me peccatore. B Miſereatur mei omnipotens Deus, & donet Dominus Deus verus, veram humilitatem, veram pœnitentiam, veram indulgentiam, ſobrietatem, tolerantiam, bonam fidem, bonam perſeuerantiam. Illuminet me Spiritus ſanctus, indulgeat mihi Dominus omnia peccata mea hîc & in futuro, Amen.

C

In tentationibus immundorum ſpirituum.

CONſolatur nos in tentationibus dæmoniacis egregius prædicator, dicens: *Fidelis autem Deus, qui non patietur vos tentari ſuprà quàm poteſtis; ſed faciet cum tentatione etiā exitum vt poſſitis ſuſtinere.* Quocirca ſciendum eſt, quia iudicij occulti menſura eſt, & quando tentationis procella proſiliat, & quando conquieſcat. Certè Euangelio atteſtante deſcribitur, quòd nec manere in D obſeſſo homine potuit, nec rurſus inuadere bruta animalia niſi iuſſus præſumpſit, dicens: *Si eijcis nos, mitte nos in gregem porcorum.* Quando ergo iſte ſua ſponte nocere factis ad Dei imaginem hominibus auderet, cui ſi poteſtas ſumma licentiam non præberet, graſſari nec in porcos valeret? Nullo ergo modo ambigendum eſt, permiſſu æquiſſimi iudicis, in electos ad tempus diabolum tentandi accipere poteſtatem: ſed miſericorditer iudex concedit, quod crudeliter hoſtis capit. Hinc eſt, quòd fideli famulo, de eodem Dominus dicit: *Non quaſi crudelis* E *ſuſcitabo eum.* Hinc fidelem animam tentationibus fatigatam blandis conſolationibus refouet, dicens: *Dixit Dominus Deus tuus ad punctum, in modico dereliqui te, & in miſerationibus magnis congregabo te.* Item ibi: *Abſcondi faciem meam parumper à te, & in miſericordia ſempiterna miſertus ſum tui.* Cùm ergo in tentatoris voluntatem ad tempus incidimus, priuſquàm in delectationis aut praui conſenſus labamur voraginem; tremamus medulliter, clamemus valenter,

hos decan[illegible]ndo Pſalmos: *Deus, Deus meus reſpice in me. Deus in nomine tuo. Miſerere mei Domine, quoniam cõculcauerunt. Deus in adiutorium meum. Domine Deus ſalutis meæ. Eripe me Domine ab homine malo.*

Poſt Orationem Dominicam Verſus.

EXaudi, Deus, orationem meam cùm tribulor, à timore inimici eripe animã meam. Tribulationes cordis mei dilatatæ ſunt, de neceſſitatibus meis eripe me. Statuiſti in loco ſpacio pedes meos, miſerere mei Domine quoniam tribulor. Exurge, quare obdormis Domine? exurge & ne repellas vſque in finem. Ne tradas me à deſiderio meo peccatori, cogitauerunt aduerſum me, ne derelinquas me, ne vnquam exaltemur. Exurge Domine, non præualeat homo, iudicentur Gentes in conſpectu tuo. Exurge Domine Deus meus, exaltetur manus tua, ne obliuiſcaris pauperis in finem. Tu autem Domine, ne longè facias auxilium tuum à me, ad defenſionem meam aſpice. Emitte manum tuam de alto, eripe me, & libera me de aquis multis, & de manu filiorum alienorum. Quoniam alieni inſurrexerunt in me, & fortes quæſierunt animam meam: & non propoſuerunt Dominum ante conſpectum ſuum. Et tu, Domine, fac mecum miſericordiam propter nomen tuum, quoniam ſuauis eſt miſericordia tua. Libera me, quoniam egenus ſum, & pauper ſum ego, & cor meum conturbatum eſt in me. Ne tradideris me in animas perſequentium me, quoniam inſurrexerunt in me teſtes iniqui. Diſperge illos in virtute tua & deſtrue eos protector meus Domine. Adiutor meus & liberator meus eſto Domine, ne tardaueris. Sed & lingua mea meditabitur iuſtitiam tuam, dum cõfuſi & reueriti fuerint qui quærunt mala mihi. Sit nomẽ Domini benedictum, ex hoc nunc & vſque in ſeculum. Domine Deus virtutum conuerte nos, & oſtende faciem tuam, & ſalui erimus. Exurge Domine adiuua nos, & libera nos propter nomen tuum.

Oratio.

PRæſta mihi, Domine, profectum quærendi legem tuam, & peccatorum omnium remiſſionẽ, vt qui deſiderio magno ad lumen ſcripturarum tuarum peruenire cupio, nullis peccatorum caligationibus [illegible] mihi obſcurentur. Attrahe me ad te virtute omnipotentiæ tuæ. Non me derelinquas in propria voluntate vagari, quem pretioſo ſanguine redemiſti. Imaginem tuam in me non ſinas obſcurari; quæ ſi te præſtante defendatur, ſemper egregia eſt. Non diabolo liceat tua dona ſubuertere, quia totum fragile eſt quicquid tibi nititur obuiare. Audi me, pie Rex, clamãtem pro peccatis meis, & priùs illa à me remoue quàm pro eiſdem in tua examinatione condemner. Quid mihi mea inſidiatur iniquitas? quid contra me delicta mea confligunt? Creaturam tuam euertere cupiunt, quæ nulla ſubſtantiæ firmitate ſubſiſtunt. dicat certè diabolus, Cur me inſaturabili dolore proſequitur? Numquid ego illi dedi, vt tibi Domine ſuperbus exiſteret, & & de beatitudine collocata caderet, cum tantæ virtutis inſignia poſſideret? Sufficiat illi quòd me in Adam perdidit: quare me quotidianis deceptionibus impius calumniator inſequitur; & ſicut ille à gratia tua per culpam ſuam cecidit, me quoque vt ab eadem ſeparet exquirit? Concede mihi, Domine, contra hoſtem crudeliſſimum pium tuæ defenſionis auxilium; vt ſicut ille fragilitatem meam non deſinit impugnare, ita tuis cogatur viribus confuſus abſcedere. Non permittas, bone Rex, in me ſæuiſſimum hoſtẽ ſua vota complere, qui te grauiter elegit offendere. Quid me ſicut leo rugiens circuit? quid me deuorare contendit? Semel illi in baptiſmate ſacro renunciaui, ſemel tibi Domino credere profeſſus ſum. Talem me perpetua defenſione concede ſeruari, qualem me fieri per aquã regenerationis, Creator altiſsime, præſtitiſti. Et quia tuus eſſe cœpi, alium dominum neſciam; vt quia tua gloria redẽptus ſum, tua mandata te donante faciam. Quod ſi me relinquis, ſtatim ille tergiuerſator inuadit, qui indefeſſus atque impudens ſemper adſiſtit, lucra ſua computans humanas ruinas. Qui ideò blãditur vt decipiat, ideo inſtigat vt perimat. Maximè per corpus noſtrum animas noſtras decipit, & ita per deſideria humana diffunditur, vt nulla pene prouidentia, nullo prorſus conſilio ſentiantur. Longum eſt per cuncta diſcurrere: tali quis poſſet obſiſtere, niſi tu, Domine, decreueris obuiare? Quid enim mihi non poteſt facere, qui te in meo corpore auſus fuit per ſubdola machinamenta tentare? Exaudi me, ô cuſtos hominum; & me ab illo indulgentiâ tuâ libera, qui me trahere nititur ad gehennam. Cum illo partem non habeam, vt tecum Domine poſsim habere. Vindica fabricam tuam ab illo qui deſtruit. Damnari alios non faciat qui

ſeipſum damnauit: ſed potiùs ille cum ſuis pereat, qui perdere cuncta feſtinat. Me verò omnipotens libera, & eripe ab hoſte generis humani, & perduc me ad gaudia æterna, vbi ſine fine lætari merear, Amen.

In tribulationibus varijs, quæ ab hominibus inferuntur.

INuoca me, ait Dominus per Prophetam, *in die tribulationis meæ, & eripiam te.* Dulcior lacte & melle ori noſtro hæc Domini promiſſio. Cùm ergo tribulationes à falſis fratribus patimur, inuocemus eum, qui nos vt inuocemus hortatur. Certum eſt enim, quia vult exaudire, qui vult inuocari. In his ergo quinis congruis Pſalmis clamemus ad Dominum à facie tribulantis. *Saluum me fac Domine, quoniam defecit ſanctus. Iudica Domine nocentes me. Exaudi Deus orationem meã, & ne deſpexeris deprecationem meam. Eripe me de inimicis meis Deus meus. Saluum me fac Deus, quoniam intrauerunt aquæ vſque ad animam meam*: vſque *Dederunt in eſca mea fel.* Cætera verò quæ ſequuntur, quia ſpiritualiter Chriſti interfectores feriunt, nolumus contra Chriſtianos tam pernicioſa maledicta iactari.

Verſus vt ſuprà, ſequitur Oratio.

CHriſte fili Dei viui, virtus & vna indiſcreta maieſtas, Orationis meæ tota ſubſtantia, inuoco nomen tuum ſanctum: exaudi me cum corde luctantem, & agnoſcentem peccata facinorum, & cogitationum crimina confitentem. Frange Domine artes diaboli, obrepentibus aliis aliud ſuggerendo. Ipſa enim orationem in alienationem captiuat. Reſpice, Domine, lacrymas meas; & cùm lacrymæ non ſunt indulgentiâ tuæ pietatis infunde. Cuſtodi in me immaculatam fidem, méque cum proximis meis ſemper in pace reconcilia, fructus tuos panis ac vini propria largitate diſtribue. Tibi inclino ceruicem, tibi genua flecto. Te Dominum meum, cùm ſis vnus, in ſancta Trinitate confiteor. Frange Domine, contra me omnium poteſtatem, erue me iacentem; & ea quæ explere non poſſum, quaſi ſint poſtulata, concede, Amen.

Optimum recitatione quinque Pſalmorum poſt tribulationem de percepto gaudio gratias agere.

IGitur cùm pius Dominus dixiſſet, *Inuoca me in die tribulationis tuæ, eripiam te*: Pro A ipſa ereptione quærens à nobis laudis debitum, ſubiunxit ſtatim: *& honorificabis me.* Hinc Dauid ait: *In me ſunt Deus vota, quæ reddam laudationis tibi. Quoniam eripuiſti animam meam de morte.* Hinc iterum dicit: *Quia factus es adiutor meus, & refugium meum, in die tribulationis meæ, ſuſceptor meus tibi pſallam.* Ergo cùm in tentationibus variis, vel falſorum fratrum, vel ſæuientium dæmonum inciderimus: contra hos & illos diuini verbi iacula intorquentes, cùm illos defeciſſe, & nos conualuiſſe viderimus; mox puram B cordis noſtri intentionẽ, oculoſque & manus ad cælum leuantes, in voce laudis & confeſſionis benedicamus illi, qui miſit de cœlo, & liberauit nos, & dedit in opprobrium conculcantes nos. Dicamus illi concordanti corde: *Exaltabo te, Domine, quoniã ſuſcepiſti me; nec delectaſti inimicos meos ſuper me.* Et conſequenti conſcientiam eius vſque in finem. Continuemus ei, *Benedicam Domino in omni tempore. Iubilate Deo omnis terra: pſalmum dicite nomini eius. Niſi quòd Dominus erat in nobis dicat nunc Iſraël.* C *Confitebor tibi Domine in toto corde meo; quoniam exaudiſti omnia verba oris mei.* Conſidera tamen qui legis, & perſpicuè videbis in nullo Pſalmorum, quàm in his quinque melius poſt tribulationem de percepto gaudio aptiuſ-ve poſſe gratias Domino compenſare.

Poſt Dominicam Orationem Verſus.

CVm inuocarem te, exaudiſti me Deus iuſtitiæ meæ, in tribulatione dilataſti D mihi. Confitebor tibi Domine in toto corde meo, narrabo omnia mirabilia tua. Lætabor & exultabo in te, & pſallam nomini tuo altiſſime. Exultauit cor meum in ſalutari tuo: cantabo Domino qui bona tribuit mihi, & pſallam nomini Domini altiſſimi. Narrabo nomen tuum fratribus meis, in medio Eccleſiæ laudabo te. Quoniam reſpexiſti humilitatem meam, ſeruaſti de neceſſitatibus animam meam. Nec concluſiſti me in manus inimici. Confitebor tibi, Domine, in ſecula, quia feciſti: & expectabo nomen tuum, quoniam bonum eſt ante conſpectum Sanctorum tuorum. Prote- E xiſti me à conuentu malignantium, & à multitudine operantium iniquitatem. Propterea confitebor tibi in populis Domine, & nomini tuo pſalmum dicã. Deus in ſancto via tua, quis Deus magnus ſicut Deus noſter? tu es Deus qui facis mirabilia ſolus. Ego autem ſemper in te ſperaui Domine, & adiiciam ſuper omnem laudem tuam. Mihi autem adhærere Domino bonum eſt,

ponere in Domino Deo ſpem meam. Per ſingulos dies benedicam te,& laudabo nomen tuum in æternum,& in ſeculum ſeculi. Quoniam tu, Domine, adiuuiſti me, & conſolatus es me. Sit nomen Domini benedictum, ex hoc nunc & vſque in ſeculū.

Oratio.

Benedictum nomen tuū, Domine Deus Patrum noſtrorum;qui cùm iratus fueris miſericordiam facis, & in tempore tribulationis peccata dimittis his, qui inuocant nomen tuum. Ad te Domine faciem meam conuerto, tibi omnia peccata mea confiteor, tu noſti omnia antequam fiant. Tu ſcis quia poſt baptiſmum præcepta tua contempſi, & mandata tua non cuſtodiui. Et bonum quod potui facere, per negligentiam non feci: & malum quod non debui facere,per audaciam perpetraui. Et per concupiſcentiam multa mala feci in viſu, in auditu, in guſtu, in odoratu, & tactu: in cogitatione, & in locutione, & in opere. Et quod in ſacroſancto baptiſmate coram Angelis & ſanctis tuis promiſi, non cuſtodiui ſicut debui, nec adimpleui; ſed conſumpſi, & præceptis tuis non obediui ſicut debui: ſed ſuperbiendo, iraſcendo, contemnendo, negligendo, proprias voluntates faciendo, murmurando,detrahendo, diiudicando culpas incurri. Deus tu ſcis inſipientiam meam, & delicta mea à te non ſunt abſcondita. Aſpice in me confitentem peccata mea corā te, & miſerere mei. Concede mihi in hoc ſeculo agere veram pœnitentiam, & in futuro da mihi indulgentiam, quia tu dignatus es dicere: *Nolo mortem peccatoris, ſed vt conuertatur & viuat.* Effunde ſuper me miſericordiam tuam,& dimitte omnia peccata mea, quæ conſcientia mea metuit, & adiice quod oratio non præſumit. Et da mihi perſeuerātiam in bonis operibus,vt te miſerante peruenire merear ad gloriam regni tui, Saluator mundi, qui viuis & regnas in ſecula ſeculorum, Amen.

Quòd ſatis ſit vtile præuenire Dominum orationibus in ipſo diei initio.

Docent nos ſancti Prophetæ ſuis imitabilibus exemplis, præuenire faciem Domini māne orationib. noſtris. Et Dauid quidem, *Mane*, inquit, *ad Dominum oratio mea præueniet te.* Eſaias autem ſic: *Anima mea deſiderauit te in nocte: ſed in ſpiritu meo, in præcordiis meis de mane vigilabo ad te.* Cum his ergo tribus congruentiſſimis Pſalmis vigilet ad Dominum manè ſpiritus meus,oremuſque in ortu ſurgentis auroræ; vt à luce prima in veſperam ſint oculi eius ſuper nos,& aures eius ad preces noſtras: noſtroſque dirigat greſſus in viam pacis,vt abſque omni errorum ſcandalo gradientes, non dominetur noſtri omnis iniuſtitia. Hos ergo canamus in ipſo diei initio Pſalmos: *Verba mea. Clamaui in toto corde meo, exaudi me Domine*, vſque *In æternum fundaſti eam. Domine exaudi orationem meam, auribus percipe obſecrationem meam.*

Poſt Dominicam Orationem Verſus.

Conſerua me, Domine, quoniam in te ſperaui. Dixi Domino, Deus meus es tu,quoniam bonorum non eges. Auditam fac mihi mane miſericordiam tuam,quia in te ſperaui Domine. Notam mihi fac viam in qua ambulem,quia ad te Domine leuaui animam meam. Dirige me in veritate tua, & doce me:quia tu es Deus ſalutaris meus, & te ſuſtinui tota die. Deduc me, Domine, in via tua; & ambulabo in veritate tua. Auerte oculos meos ne videāt vanitatem: in via tua viuifica me. Legem mihi conſtitue in via tua, & dirige me in ſemitam rectam propter inimicos meos. Deduc me in ſemitam mandatorum tuorum, quia ipſam volui. Et miſericordia tua ſubſequatur me, omnibus diebus vitæ meæ. Sed & lingua mea meditabitur iuſtitiam tuam, tota die laudem tuam. Sit nomen Domini benedictum,ex hoc nunc & vſque in ſeculum.

Oratio.

Gratias tibi ago omnipotens Pater, qui me dignatus es in hac nocte cuſtodire. Deprecor clementiam tuam, piiſſime Domine, vt concedas mihi diem venturum ſic peragere in tuo ſancto ſeruitio cum humilitate & diſcretione, qualiter tibi complaceat ſeruitus noſtra: & præſta mihi hodie cum ſumma patientia tibi gratum exhibere ſeruitium. Immitte,quæſo Domine, Angelum tuum in circuitu noſtro, & eripe nos ab impiis qui in circuitu ambulant; vt viam mandatorum tuorum abſque omni errorum ſcandalo inoffenſo pede currere valeamus, per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, Amen.

A

Laus Pſalmi CXVIII. *& quid à nobis frequentandum ſit.*

LEgi prætereà in cuiuſdam Monachi viſione, quòd ab Angelo lucis ſollicitè ſit admonitus, vt Pſalmum centeſimum octauum decimum, id eſt *Beati immaculati*, in quo moralis virtus deſcribitur, ſæpè in oratione repeteret. Et reuera idem diuerſis ſpiritualibus confertur virtutibus, vt ſi nullus adeſſet alius in oratione, ſolus ſufficeret. Abſque enim Prophetiæ myſteriis, omnia humanæ vitæ neceſſaria, quæ in cæteris Pſalmis latiùs deſcribuntur, in iſto velut in quodam ferculo congeſta nobis offeruntur. Ergo iuxta Angelici numinis ſalubre præceptum, quouſque huic mortali vitæ terminum demus, hunc ſingularis beneficij Pſalmum diebus ſingulis decantemus.

Poſt Kyrie eleiſon, *& Orationem Dominicam, dicantur Verſus ſupradicti.*

Oratio.

PIe exaudibilis Domine Ieſu Chriſte, exaudi me indigniſſimum peccatorem ſupplicantem, per interuentum & meritum beatæ & glorioſæ ſemper Virginis Mariæ genitricis tuæ, & omnium ciuium ſupernorum, Eccleſiæ tuæ ſanctæ Catholicæ fidem auge, pacem tribue Papæ noſtro il. Epiſcopóque noſtro il. Abbati noſtro il. & omni huic cōgregationi, Principibus quoque noſtris, conſanguineis, parentibus, & tua mihi charitate cōiunctis, etiam ſua nobis munera largientibus, perſequentibus & calumniantibus nos, omnibus qui pro nobis implorāt ſanctum nomen tuum, vel qui pro ſe nos miſeros apud tuam clementiam ſupplicare voluerunt. Nobis quoque peccatoribus remiſſionem & indulgētiam tribue omnium peccatorum, infirmis ſalutem, lapſis reparationem, aëris commoditatem nauigantibus, & itinerantibus iter proſperum, ac ſalutis portū: tribulatis gaudium, oppreſſis releuationem, captiuis, vinctis, & peregrinis, remiſſionē, abſolutionē, ad patriam reuerſionem propitius cōcede, Amen. Angelum tuum ſanctum nobis hîc & vbique largire cuſtodē & defenſorem, mutuam diſcordantibus charitatē, infidelibus verā fidē, defunctis parentibus noſtris, patribus, fratribus, ſeu omnibus in tua fide quieſcentibus indulgentiam tribue delictorum, Amen.

Finis laudis Pſalmorum, prioris Libri Partis.

ALTERA LIBRI PARS, ORATIONVM PER ordinem,

Quomodo cyphræ ſequentes indicant, cum Orationibus hîc ſuperſcriptis.

7. *Pro ſeruanda ſilendi loquendíque diſcretione.*

B SCriptum eſt, affirmante Apoſtolo, *Quia vita & mors in manu linguæ eſt.* Et iterum: *Linguam nullus hominum domare poteſt.* Quod ergo non poteſt domare purus homo, rogemus vt domet Deus & homo. Ergo ad obtinendam virtutem diſcreti ſilentij, ſupplici deuotione hos canamus Domino Pſalmos: *Verba mea. Dixi, cuſtodiā vias meas. Domine clamaui ad te, exaudi me.*

Poſt Dominicam Orationem Verſus.

C DOmine exaudi orationem meam, auribus percipe verba oris mei. Cuſtodi me, Domine, vt pupillam oculi: ſub vmbra alarum tuarum protege me. Pone, Domine, cuſtodiam ori meo, & oſtium circumſtantiæ labiis meis. Vt non declinet cor meum in verbum malum, ſed repleatur os meum laude tua; vt poſſim cātare gloriam tuam, tota die magnitudinem tuam. Et erunt, vt complaceant eloquia oris mei, & D meditatio cordis mei in cōſpectu tuo ſemper. Sed & lingua mea meditabitur iuſtitiam tuam, tota die laudem tuam. Domine exaudi orationem meam, & clamor meus ad te perueniat.

Oratio.
v. col. 901. C.

DOmine Deus noſter, credimus te Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum. Neque enim diceret Veritas: *Ite, baptizate omnes gentes in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti*, niſi Trinitas eſſet. Nec baptizare E nos iuberes, Domine Deus, in eius nomine qui nō eſſet Deus; nec diceretur voce eius: *Audi Iſraël, Dominus Deus tuus vnus eſt*, niſi Trinitas vnus Deus eſſet. Et niſi tu Deus Pater ipſe eſſes, & Filius Verbum tuum Ieſus Chriſtus ipſe eſſet, & donum veſtrum Spiritus ſancti; non legeremus in litteris Veritatis: *Miſit Deus filium ſuum.* Nec tu [illegible] genite diceres de Spiritu ſancto: *Quem mittet Pater in nomine meo, & quē ego mitta[illegible] vobis à*

Patri, Ad hanc regulam fidei dirigens intentionem meam, quantum me poſſe feciſti; quæſiui te, & deſideraui intellectu videre quod credidi, & mecum diſputaui & laboraui. Domine Deus meus vna ſpes mea, exaudi me. Ne fatigatus nolim te quęrere, ſed quæram faciẽ tuam ſemper ardentem. Tu da quærendi vires, qui inuenire te feciſti, & magis magiſque inueniendi te ſpem dediſti. Coram te eſt ſcientia & ignorantia mea. Vbi mihi aperuiſti, ſuſcipe intrantem: vbi clauſiſti, aperi pulſanti, vt meminerim tui, intelligam te, diligam te. Auge in me iſta, donec me reformes ad integrum. Scio ſcriptum eſſe; *In multiloquio non effugies peccatum.* Sed vtinam prædicando verbum tuum, & laudando te, tantummodo loquerer, & non ſolum fugerem peccatum, ſed meritum adquirerem; quamlibet multum ſic loquerer. Neque enim hoc modo de te beatus Paulus præciperet Timotheo filio ſuo, cui ſcripſit, dicens: *Prædica verbũ, inſta opportunè, importunè.* Verbum tuum, Domine, numquid dicendum eſt, iſtum nõ multum locutum, quoniam non ſolum opportunè, verumetiam importunè? Verbum tuum, Domine non tacebat; ſed ideò non erat multũ, quia tantum erat neceſſarium. Libera me, Deus meus, à multiloquio, quod patior intus in anima mea miſera in conſpectu tuo, & confugientem ad miſericordiam tuam: non enim cogitationibus taceo, etiam tacens vocibus. Et quidem ſi non cogitarem, niſi quod placeret tibi; non vtique rogarem, vt me ab hoc multiloquio liberares. Sed multæ ſunt cogitationes meæ tales, quales noſti cogitationes hominum, quæ vanæ ſunt. Dona mihi non eis conſentire; & ſi quando me delectat, eas nihilominus improbare, nec in eis velut dormitando immorari: nec tamen valeant apud me, vt aliquid in opera mea procedat ex illis; ſed ab eis mea ſaltem ſit tota ſententia, tota conſciẽtia te tuente. Sapiens quidam, cum de te loqueretur in libro ſuo, qui Eccleſiaſticus proprio nomine vocatur: *Multa,* inquit, *dicimus, & deficimus verbis. Conſummatio autem ſermonũ vniuerſorum ipſe eſt.* Cùm ergo peruenerimus ad te, ceſſabunt multa iſta quæ dicimus, & non permanebunt; ſed tu manebis ſolus omnia in omnibus. Et non ſine fine dicemus, vnũ laudantes te, vnum & in te facti, etiam nos vnum. Domine Deus vne, Deus Trinitas, quæcumque dixi in his Libris de tuo, agnoſcant & tui: ſi qua de meo, & tu agnoſce, † & tui, Amen.

† *ignoſce.*

Laus Hymni trium puerorum, & quòd in Dei laude frequentanda ſit.

Præcedet alteram partem Orationum, ſed ita vt prior pars finiatur hîc.

Oportet nos ſanctum imitari Prophetam dicentem: *Benedicam Domino in omni tempore, ſemper laus eius in ore meo.* Et illud: *In omni loco damnationis eius benedic anima mea Dominum.* Et ſi Deus vbique rectè creditur eſſe, omnibus eum locis dominari rectiſſimè confitemur. Benedicamus ergo ei in omni tempore, qui nos in omni loco, & in omni tempore regit. Qui nos creauit & recreauit, cuſtodit & nutrit: in quo viuimus, & mouemur, & ſumus. Quapropter vna parua & magna laus ſemper in ore noſtro verſetur: in qua omnis creatura per genus & ſpeciem ad laudem creatoris hortatur. Et non ſolum diebus ſingulis, ſed & veſperè, manè & meridie, immò ſingulis quibuſque horis diei, tota cordis intentione eam Domino offeramus. Hæc namque omnibus laudibus laudabilior, & Deo præ omnibus amabilior. Hæc namque eſt illa ſingularis laus, qua nos laudamus, melle & fauo dulcior: Hymnus videlicet, quem tres Deo dilecti pueri, inter medias edaces flammas tripudiantes, luſerunt, id eſt: *Benedicite omnia opera Domini Domino.* De quo fidenter dico; quia ſicut dicimus Sancta Sanctorum, & Cantica Canticorum: ita & iſte dici poteſt Hymnus Hymnorum. In quo ſuccinctè & affatim meliùs quàm in omnibus laudatur Deus Deorum, qui perſonaliter trinus, & conſubſtantialiter vnus viuit & regnat vbique per omnia ſecula ſeculorum, Amen.

6. *Poſt Dominicam Orationem Verſus.*

Benedictus es, Domine Deus patrum noſtrorũ, & laudabilis, & glorioſus, & ſuperexaltatus in ſecula. Et benedictum nomen gloriæ tuæ ſanctum, & laudabile, & ſuperexaltatum in omnibus ſeculis. Benedictus es in templo gloriæ tuæ, & ſuperlaudabilis, & ſupergloirioſus in ſecula. Benedictus es in throno regni tui, & ſuperlaudabilis, & ſuperexaltatus in ſecula. Benedictus es, qui intueris abyſſos, & ſedes ſuper Cherubim; & laudabilis, & ſuperexaltatus in ſecula. Benedictus es Domine, doce me iuſtificationes tuas.

Confeſſio, & laus ſanctæ Trinitatis.

LAudo, & benedico te, iuſte & bone Deus, totius creaturæ parentem, in perſonis trinum, in ſubſtantia vnum, verum Patrem vnigenitæ maieſtatis, ex nullo ducentem initium. Omnibus initium dantem, non corporali progenie, neque extrinſecus: non neceſſitate, neque voluntate, ſed natura filium generatem. Verum Filium ex Patre ſine ſpacio temporis, ineffabiliter ante tempora natum. Verum Spiritum ſanctum ex Patre & Filio inenarrabiliter procedentem, in Patre & Filio ſubſtantialiter permanentem. Æternum Patrem ſine natiuitate, æternum Spiritum ſanctum cum proceſſione ſine natiuitate. Totum Patrem in Filio & Spiritu ſancto. Totum Filium in Patre & Spiritu ſancto. Totum Spiritum ſanctum in Patre & Filio manentem, vna poteſtate vnoque regno, vna potentia, & vna æternitate. Et hunc, & nunc vbique regnantem. Per omnia ſecula ſeculorum, Amen.

Quòd orandum nobis ſit quotidie cum lacrymis pro diuerſis plagis, quas patimur.

QVia videmus nos in illud Hieremiæ incidiſſe lamentum, quod dicit: *Si egreſſus fuero ad agros, ecce occiſi gladio: & ſi introiuero in ciuitatem, ecce attenuati fame.* Nec non & illam Domini terribilem comminationem in nobis completam, qua Dominus gladio, & fame, & peſte conſumat eos. Petamus & cum eodem Propheta capiti noſtro aquam, & oculis noſtris fontem lacrymarum, & ploremus die ac nocte interfectos populi noſtri. Quòd numquam melius poſſumus deplorare, quàm ſi contrito & humiliato corde hos quinque Pſalmos coram Domino frequentemus: *Deus auribus noſtris. Deus repuliſti nos. Ad quid repuliſti nos Deus in finem? Deus, venerunt gentes. Qui regis Iſraël intende.*

Poſt Dominicam Orationem Verſus.

EGo dixi, Domine miſerere mei; ſana animam meam, quia peccaui tibi. Peccauimus cum patribus noſtris, iniuſtè egimus, iniquitatem fecimus. Ne memineris iniquitates noſtras antiquas, citò nos anticipet miſericordia tua Domine. Adiuua nos Deus ſalutaris noſter, & propter honorem nominis tui, Domine, libera nos. Memento noſtri, Domine, in beneplacito populi tui, & viſita nos in ſalutari tuo. Conuerte nos Deus ſalutaris noſter, & auerte iram tuam à nobis. Eripe nos de inimicis noſtris Deus noſter, & ab inſurgentibus in nos libera nos. Domine, ne longè eas à nobis. Deus in auxilium noſtrũ reſpice. Conuertere, Domine, aliquantulum, & deprecare ſuper ſeruos tuos. Saluos fac nos Domine, Deus noſter, & congrega nos de nationibus: vt confiteantur nomini tuo ſancto, & gloriemur in laude tua. Exurge, Domine adiuua nos, & libera nos propter nomen tuum.

Oratio.

ORamus te, piè exaudibilis Domine Ieſu Chriſte Deus noſter, & cum omni ſupplicatione rogamus, vt per interuentum beatæ & glorioſæ ſemper virginis Mariæ, omniumque Sanctorum Angelorum, Archangelorum, Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum, Virginum, Monachorum, & omnium ciuium ſupernorum, Eccleſiæ tuæ Catholicæ fidem augeas, pacem tribuas, indulgentiam nobis & remiſſionem peccatorum concedas, Amen. Infirmis ſalutem, lapſis reparationem, aëris commoditatem nauigantibus, & itinerantibus fidelibus iter proſperum, ac ſalutis portum: tribulantibus gaudium, oppreſſis releuationem; captiuis, vinctis, & peregrinis, remiſſionem, abſolutionem & ad patriam reuerſionem, Amen. Angelum tuum ſanctum hîc & vbique cuſtodem, mutuam diſcordantibus charitatem, infidelibus veram fidem, & defunctis fidelibus requiem propitius donare digneris æternam.

2. Quòd ſecundum præceptum Apoſtoli orandum ſit ab omnibus pro omnibus.

PRæcepit nobis ſermo Apoſtolicus: *Orate*, dicens, *pro inuicem, vt ſaluemini.* Cui nos neceſſe eſt in ſaluberrimis præceptis obedire, & orare omnes pro omnibus, vt ſaluentur omnes cum omnibus. Septẽ ſunt præterea Pſalmi, ex quibus ſi vnum corpus efficimur, pro omni prorſus corpore oramus Eccleſiæ. Cõſiderato tamen qui legis, & proba quod dicimus. In his namque memoria Sacerdotum, Regumque, & Potentatuum, populi quoque & plebis ſimul. Pſalmorum ergo, quos diximus, iſta ſunt capita: *Memento, Domine, Dauid. Domine in virtute tua. Ad te, Domine,*

clamaui I[...]us meus. Deus miſereatur nobis. Benedixiſti Domine. Domine refugium. Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo, quoniam exaudiſti omnia verba oris mei. Sanè, ne quis nos reprehendat, quòd priùs poſuimus Pſalmum, *Memento, Domine, Dauid*, qui poſterior eſt ordine; dabimus reſponſum, quia non eſt penſandus ordo in Pſalmis, ſed virtus. Et quia primus eſt intra Eccleſiam ordo Sacerdotalis, hunc primum poſuimus in precibus.

Poſt Dominicam Orationem Verſus.

EGo dixi, Domine miſerere mei: ſana animam meam, quia peccaui tibi. Sacerdotes tui induant iuſtitiam, & ſancti tui exultent. Domine, ſaluum fac Regem, & exaudi nos in die, qua inuocauerimus te. Saluum fac populum tuum Domine, & benedic hereditatem tuam, & rege eos, & extolle eos vſque in ſeculum. Memento congregationis tuæ, quam creaſti ab initio. Liberaſti virgam hereditatis tuæ. Ne tradas beſtiis animas confitentium tibi: animas pauperum tuorũ ne obliuiſcaris in finem. Domine Deus virtutum conuerte nos, & oſtende faciem tuã, & ſalui erimus. Oſtende nobis, Domine, miſericordiam tuam, & ſalutare tuum da nobis. Domine Deus virtutum, exaudi preces noſtras, auribus percipe Deus Iacob. Et tu Domine, Domine, fac nobiſcum miſericordiam propter nomen tuum, quia ſuauis eſt miſericordia tua. Protege nos à cõuentu malignantium, & à multitudine operantium iniquitatem. Mitte nobis auxilium de ſancto, & de Sion tuere nos. Exaudi nos Domine, quoniam benigna eſt miſericordia tua: ſecundum multitudinem miſerationum tuarum reſpice in me. Prætende, Domine, miſericordiam tuam ſcientibus te, & iuſtitiam tuam his qui recto ſunt corde. Complaceat tibi, Domine, vt eripias me: Domine in auxilium noſtrum reſpice. Exurge, Domine, adiuua nos; & libera nos propter nomen tuum.

Oratio.

PRopitiare Domine, quæſo vniuerſæ Eccleſiæ tuæ Catholicæ toto orbe terrarum diffuſæ. Largire illi fidem rectam, opus præcipuum, pacem perpetuam. Propitiare omnibus fidelibus tuis ſub iugo Ethnicorum laborantibus. Propitiare famulo tuo N. Papæ, & omnibus Sacerdotibus atque miniſtris, cunctoque Clero ſuorum. Propitiare famulo tuo N. Abbati,

A & vniuerſæ huic Congregationi tuæ, omnibuſque per totum orbem in tuo nomine congregatis. Propitiare famulo tuo N. Regi, cunctiſque Chriſtianis Principibus, & vniuerſo exercitui eorum. Propitiare vniuerſis fratribus meis, ſiue eis qui à tua charitate, vel etiam conſanguinitate coniuncti ſunt. Propitiare omnibus, qui pro me implorant nomen ſanctum tuum, vel qui me miſerum apud tuam clementiam ſupplicare voluerunt. Propitiare virginibus, coniugatis, ac viduis, orphanis, captiuis,
B pœnitentibus, infirmis, afflictis, nanigantibus, itinerantibus, incarceratis, & in quibuſcumque neceſſitatibus atque miſeriis conſtitutis, & vniuerſo populo tuo Chriſtiano, quem precioſo ſanguine redemiſti. Propitiare etiam miſeris paganis, Iudæis atque hereticis, ſiue lapſis, vt credant in te Dominum Deumque verum, & reuertantur ad te in toto corde ſuo. Tribue, quæſo Domine, omni ſexui, & vniuerſæ ætati, atque conditioni ordinis Chriſtiani, mandatorum tuorum cuſtodiam, & ſuorum om-
C nium veniam delictorum, & nobis miſerere, Amen.

Quòd bonum ſit orare pro defunctis fidelibus.

ARguit ſanctus Apoſtolus quoſdã Corinthios infidelitatis, quia de reſurrectionis gloria titubabãt: *Si Chriſtus*, inquit, *prædicatur quòd reſurrexit à mortuis; quomodo quidam dicunt in vobis, quoniam reſurrectio bo-*
D *norum non eſt?* Nos ergo, qui abſque omni ſcrupulo reſurrectionẽ veraciter credimus & expectamus; oremus quotidie pro reſurrecturis dormientibus fratribus noſtris. In his namque quinque Pſalmis, poſſumus aliquo modo eorum memoriã facere, quia prædicatur in eis quodammodo reſurrectio mortuorum. *Miſerere mei, Deus, ſecundum magnam. Dilexi, quoniam exaudiuit Dominus. Credidi propter quod locutus ſum. Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in ſeculum miſericordia eius. Dicat nunc Iſraël. Lauda-*
E *te Dominum in ſanctis eius.*

Poſt Dominicam Orationem Verſus.

ANimæ morientium fratrum noſtrorum in bonis demorentur, & ſemen eorum hereditate poſſideat terram. Non veniat eis pes ſuperbiæ, & manus peccatorum non moueant eos. Accipiant benedictionem à Domino, & miſericordiam à Deo ſalutari ſuo. Exultent in conſpectu

Dei, & delectentur in lætitia. Tu autem, Domine, ne longè facias miſericordias tuas à me. Miſericordia tua & veritas tua ſuſcipiat eos. Da eis, Domine, protectionem ſalutis tuæ, & dextera tua ſuſcipiat eos. Emitte lucem tuam & veritatem tuam: ipſa eos deducat in mōtem ſanctum tuum, in tabernacula tua. Et inhabitent in tabernacula tua in ſecula, protegantur in velamento alarum tuarum. Tu autem, Domine, miſerere eis, & reſuſcita eos, & confirma eos in conſpectu tuo in æternum: vt inhabitent in domo tua, in longitudine dierum. A B

Oratio.

NE reputes, piiſſime Domine, peccata quieſcentium fratrum meorum, vel eorum, qui mihi coniuncti tua charitate extiterunt; vt his, atque omnibus in tua fide defunctis digneris æternam concedere requiem.

Alia Oratio.

DA, quæſo Domine, requiem omnibus fratribus noſtris, qui de hac luce in confeſſione tui nominis migrauerunt, & nobis miſerere, Amen. C

Quòd orandum ſit in dormitorij Cellula, priuſquam corpuſculum detur quieti.

POſt decurſum verò totius diei ſpatium, cùm ad lectulos accedimus dormitum, votis omnibus rogemus Dominum, cum Propheta dicentes: *Illumina oculos meos, ne vnquam obdormiam in morte.* Neque enim melior eſt mortuo dormiens, qui à veſpere vſque ad mane obdurato ore laude Creatoris non tam ſomno, quàm lythargia depreſſus reſupinus ſtertit in lectulo. Verùm quia cōtra naturam eſt, inſomnem viuere hominem, illum rogemus dormituri, qui non dormitabit neque dormiet; vt ſatisfaciamus dormientes non voluntati, ſed neceſſitati. Canamus præterea coram lectulo Pſalmum ſextum, id eſt, *Domine ne in ira tua arguas me.* Congruit enim & rei & tempori. Poſſunt tamen ſicut placet, & non cedit pigritiæ, continuari huic Pſalmus duodecimus, *Vſquequo Domine:* & centeſimus & vigeſimus, *Leuaui oculos meos ad montes.* D E

Poſt Dominicam Orationem Verſus.

MItte nobis Domine, auxilium de ſancto, & de Sion tuere nos. Protege nos à conuentu malignantium, & à multitudine operantium iniquitatem. Illumina faciem tuam ſuper ſeruum tuum, & ſaluum me fac in tua miſericordia. Domine non confundar, quoniam inuocaui te. Faciem tuam illumina ſuper ſeruum tuum, & doce me iuſtificationes tuas. Quoniam tu illuminas lucernas meas, Domine Deus meus illumina tenebras meas.

Oratio in Dormitorij Cellula, prima.

BEnedic Domine, quæſo, Cellulā iſtam; vt qui in vmbra alarum tuarum ſperamus, ab omnibus inſidiis dæmonum virtutis tuæ potentia tueamur. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui viuit & regnat in ſecula ſeculorum, Amen.

Alia.

HVic Cellulæ quæſo Domine, præſens adeſto; vt caterua dæmonum contrita effugetur.

Item Oratio.

DOmine, quem neque ſpatia dilatant, nec breuitas locorum anguſtat, hanc Cellulam quæſo præſentiæ tuæ luce perfunde, vt tenebrarum auctor confuſus abſcedat, Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.

Alia.

A Facie impiorum, quæſo Domine, ſub vmbra alarum tuarum nos protege, vt ad laudem tui nominis ſurrecturi, te ſuper nos vigilante ſecuri dormiamus, Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, Amen.

Alia.

GRatias tibi ago, Domine ſancte Pater, omnipotens æterne Deus, qui me dignatus es in hac die cuſtodire per tuam ſanctam miſericordiam; concede mihi hanc noctem tranquillo & mundo corde & corpore ſic pertranſire, vt purè ad vigilias ſurgens gratum tibi ſeruitium exoluere poſſim.

Oratio ſancti Hieronymi pro cuſtodia diei ſequentis.

MEcum eſto, Domine Sabaoth, manè cùm ſurrexero intende ad me, & guberna omnes actus meos, & verba mea, & cogitationes meas vel opera mea, vt totum diem tranſigam in tua voluntate. Da mihi, Domine, timorem tuum, cordis compunctionem, mentis humilitatem, conſcientiæ puritatem, vt terram deſpiciam, cœlum ſuſpiciam, peccata oderim, & iuſtitiam diligã. B Abſcinde à me, Domine, gulæ appetitum, concupiſcentiam fornicationis, amorem pecuniæ, peſtem iracundiæ, triſtitiam ſeculi, mentis accidiam, vanam lætitiam, tyrannidem ſuperbiæ. Planta in me, Domine, virtutem abſtinentiæ, & continentiam carnis, & caſtitatem mentis, voluntariam paupertatem, veram patientiam, lætitiam ſpiritualem, animi ſtabilitatem, cordis contritionẽ, humilitatem non fictam, fraternam charitatem. Cuſtodi os meum ne loquar vana, ne fabuler ſecularia, ne detraham abſentibus, ne maledicam præſentibus parentibus, ne C reſpondeam maledictum pro maledicto; ſed econtrario benedicam Dominũ in omni tempore, ſemper laus eius in ore meo. Cuſtodi oculos meos, ne videant mulierẽ ad concupiſcẽdam eam, ne deſiderem rem proximi, nec delicias huius ſeculi; ſed dicã cum ſpiritu Dauid, *Illumina oculos meos, ne vnquam obdormiam in morte, ne quando dicat inimicus meus, Præualui aduerſus eum.* Et dicã, *Oculi mei ſemper ad Dominum*, & reliqua. Et iterum dicam; *Ad te leuaui oculos meos, qui habitas in cœlis.* D Cuſtodi aures meas, ne audiãt linguam detrahentem, nec audiant mendacium, nec verbum ocioſum: ſed ſemper apertæ ſint quotidie ad audiendum verbum Dei. Cuſtodi pedes meos, ne circumeant domum ocioſi, ſed ſtent in oratione Dei. Cuſtodi manus meas, ne porrigantur ſæpe ad accipienda munera, ſed potiùs eleuẽtur in precibus Domini mundæ & puræ, ſine ira & diſceptatione, quo poſſim dicere illũ Propheticum ſermonem: *Dirigatur oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo. Eleuatio manuum mearum ſacrificium veſpertinum* fiat, E Amen.

Oratio ad emendos Pſalmos pro ſeipſo.

LIberator animarum & mundi Redemptor, Ieſu Chriſte, Domine Deus æterne, Rex immortalis, ſupplico ego peccator A immenſam & magnam clementiam tuam, vt per modulationem Pſalmorum, quos ego miſer indignus cantaui, liberes animã meam de peccato, & abducas cor meum de malis & prauis perfidiſque cogitationibus, & abſtrahas corpus meum à ſeruitute peccati, & repellas à me carnales concupiſcentias, & eripias me de omni impedimento Sathanæ, atque miniſtrorum eius viſibilium atque inuiſibilium, & infidelium tuorum, qui quærunt impedire animam meã.

4. Oratio quando pro aliis Pſalmi decantantur.

DOmine Deus omnipotens, creator cœli & terræ, exaudi propitius orationem meam, in qua ego peccator magnificentiã tuam exoro pro famulo tuo N. Suſcipe obſecro per magnam miſericordiam tuam, & pro modulatione Pſalmorum, quos infelix cantaui, petitionem meam; & concede ei in præſenti ſeculo vitam & ſanitatem, & ſpatium in iſta vita ad pœnitentiam agendam, & in futuro ſeculo da ei veniam, & indulgentiam vel remiſſionem omnium peccatorum, & cum omnibus ſanctis tuis, vitam percipere ſempiternam. Amen.

5. Oratio pro patre, & matre, & omni parentela.

DOminator Domine Deus omnipotẽs, qui mirabiliter cuncta condidiſti, & tua diſpoſitione omnia creaſti, quique iuſſiſti conditionem propagandæ ſobolis ex viro & femina eſſe, & præcepiſti dilectionem & amorem circa patrem matremque exhibere; exaudi me miſericors Deus clamantem ad te pro genitore meo N. & pro genitrice mea N. quorum vtrumque ex tua prouidentia mihi humillimo præparare dignatus es, ſeu & fratribus meis atque ſororibus, omnique parentela, qui mihi peccatori ex carnis conſanguinitate coniuncti ſunt, tam viuis quàm & defunctis, quorũ nomina & merita tibi Domino Deo vniuerſorum cognita ſunt, vt protegas eos, atque ab omni malo defendas, & in via ſalutis eos diſponas, & ne dies eorum ante finiri ſinas, quàm per veram confeſſionem, veramque emendationem ſuorum omniũ delictorum peccata dimittas, vt carne exutos cæleſti participatione dignos efficias. Exaudi me etiam miſerrimum, clementiſſime Deus, ſupplicantem ad te pro animabus famulorum famularumque tuarum, illorũ & illarum, qui nobis ſuas largiti ſunt elee-

moſynas, & quorum nomina ſcripta ſunt A apud nos, & qui ſe in noſtris commendauerunt orationibus, vt eis tua miſericordia beneficia impendas, & in loco tibi placentium collocare digneris, Seruator mundi, qui cum Deo Patre, & Spiritu ſancto viuis & regnas in ſecula ſeculorum, Amen.

Oratio pro Abbate vel Congregatione.

DOmine Deus æterne & incomprehenſibilis, tu ſolus noſti corda filiorum hominum. Tu ſcis quòd innumerabilis eſt iniquitas mea: & quo modo aliis rogare valeo, B qui pro me ipſo idoneus non ſum? Tamen clementiſſime Pater, ſecundum multitudinem miſericordiæ tuæ ſuſcipe preces ſerui tui, quas in conſpectu Maieſtatis tuæ effundo pro famulo tuo N. Abbate, vel cunctis fratribus, qui ſub regimine ipſius eſſe videmur, vt des nobis omnibus charitatem veram adinuicem, & concordiam quæ tibi ſit placita. Aufer à nobis, Domine, omnia mala, & mitte nobis omnia bona, quæ ſine te nemo habere poteſt: & da nobis perſeuerãtiam in bonis operibus, vt te miſerante C peruenire mereamur ad gloriam regni tui, ſeruator mundi, qui viuis & regnas in ſecula ſeculorum, Amen.

Alia Oratio.

DOminator Domine Deus omnipotẽs, in voluntate tua vniuerſa ſunt poſita, tu noſti omnia antequam fiant. Aſpice in nos, & miſerere noſtri. Tu clementiſsime Deus, qui hanc Congregationem ad glorificandum nomen tuum ſanctum in hũc lo- D cum aduna re permiſiſti, da adiutorium tuũ ſanctum de cœlis nobis ſeruis tuis, ne patiamur detrimentum animę noſtræ, & ne des hanc Congregationem in diſperſionem: ſed conſerua eam propter nomen ſanctum tuum, & reple corda noſtra fide, ſpe, & charitate, obedientia, & humilitate, atque patientia; & fac noſtrum Rectorem atque Patrem ſecundum cor tuum, vt faciat voluntatem tuam ad ſalutem ſuam & noſtram: qualiter te, Domine, ſemper mereamur habere Paſtorem, & in omnibus protectorẽ. E Fiat, Domine, voluntas tua in omnibus nobis, vt te miſerante peruenire mereamur ad gloriam regni tui, Seruator mundi, qui viuis & regnas in ſecula ſeculorum, Amen.

6. Oratio pro familiaribus, & omnibus Chriſtianis, omnibus commendatis.

DOmine Deus omnipotens, qui Eccleſiam tuam toto orbe terrarum in cunctis gentibus dilatare dignatus es, & ab omnibus gradibus, qui in ea fideliter continẽtur, tibi ſeruiri iuſsiſti, & cui ſingulorũ merita cognita ſunt, miſerere vniuerſis familiaribus noſtris, & omnibus orthodoxis Epiſcopis, Abbatibus, Presbyteris, Diaconis & Subdiaconis, Acolytis, Exorciſtis, Lectoribus, Ianitoribus, Monachis, Clericis, Virginibus, Viduis, Coniugatis, Continentibus, Pœnitentibus, Regibus, Principibus, Ducibus, Iudicibus, Tribunis, Cẽturionibus, Quinquagenariis & Decanis, vniuerſis gradib., qui in fide ſãctæ Trinitatis in Eccleſia tua Catholica cõmuniter continẽtur. Miſerere & omnib., qui in fide & amore ſancti nominis tui nobis eleemoſynas ſuas dederunt, ſeu in orationibus noſtris ſe cõmendauerunt, & his quos admiſceri in orationibus noſtris promiſimus, tam viuis quã defũctis, incolumibus atque infirmis, quorum nomina & merita tibi Domino Deo vniuerſorum ſunt cognita, quia ſapientiæ tuæ non eſt numerus. Exaudi me piiſsime & miſericors Deus, & miſerere omnibus Catholicis adhuc in corpore commorantibus, & auerſos à via veritatis dignare ad te conuertere, vt te toto corde requirant: & æterna protectione omnes cõſerua, vt nullis tentationibus à te ſeparentur; & præſta, vt mortuis proſit hæc oratio ſerui tui ad emundationem delictorum, ſeu alienationẽ pœnarum. Tu Deus magne & terribilis, miſericors & amator hominum, tu ſcis quid ſingulis expediat. Obſecramus clementiam tuam, vt iuxta voluntatem tuam fiat nobis, omnibus tam viuis quàm defunctis fidelibus, ſeruator mundi, qui viuis & regnas in ſecula ſeculorum, Amen.

Oratio pro eleemoſyna.

DOmine Deus omnipotens, magne & æterne Medice, qui remedium animarũ in eleemoſynarum diſtributione fidelibus tuis indulgentiam & remiſsionem peccatorum miſericorditer promiſiſti: exaudi me clemens & benigne, pro vniuerſis fidelibus tuis qui nobis eleemoſynas ſuas dederunt, vel in fide tuæ maieſtatis in orationibus noſtris ſe cõmendauerunt, tam viuis quàm defunctis, incolumibus atque infirmis &

perueniat ad aures miſericordiæ tuæ preces meæ, quas pro ſalute illorum coram te effūdo. Ne adſpicias, Domine, peccata mea, ſed fidem illorum atque illarum, qui nobis in fide tui nominis largiti ſunt bona temporalia, vt tu Deus remunerator omnium bonorum retribuere illis digneris pro paruis magna, & pro terrenis præmia ſempiterna, Seruator mundi, qui viuis & regnas in ſecula ſeculorum, Amen.

Confeſſio Maieſtatis, & poſtulatio veniæ.

DOmine exaudi orationem meam, auribus percipe verba oris mei. Deus, intret in conſpectu tuo oratio mea. Inclina aurem tuam ad preces meas Domine. Deus qui iuſta poſtulantes exaudis, ne ſis inexorabilis propter nimia peccata & crimina mea, ſed propter immēſam pietatem tuam exaudi orationem meam, & auribus percipe lacrymas meas, & remitte mihi vt refrigerer priùs quàm abeā, & ampliùs non ero. Deus, qui omnes homines vis ſeruare, & neminem vis perire, ſerua me à laqueo mortis, & a pœnis inferni, & ab omnibus inſidiis inimici mentis & corporis. Deus, qui non vis mortem peccatoris, ſed vt conuertatur & viuat; adiuua me vt toto corde conuertar ad tē, & tuis merear inhærere mandatis. Deus, qui mortificas & viuificas, deducis ad inferos ac reducis, da mihi mortificationē carnis, & viuificationem ſpiritus. Deus qui ſuſcitas de puluere egenum, & de ſtercore eleuas pauperem; erige me de lacu miſeriæ, & de luto fæcis ad te clamantem, & ſtatue ſupra petra pedes meos; & immitte in eos & in os meum canticū nouum, hymnū gloriæ tuæ. Deus, qui ſolus habes immortalitatem, & lucem habitas inacceſſibilem, libera me a morte perpetua, & oſtende mihi lucē miſerationum tuarum, & dele iniquitates meas, & doce me facere voluntatem tuam cunctis diebus vitæ meæ. Deus qui noſti præterita & futura, da mihi veniam delictorum meorum præteritorum, & de præſentibus & futuris dona mihi continentiam, vt ad tuam merear miſericordiam peruenire. Deus, qui magis nos vis eſſe correctos quā perire neglectos, noli me perdere in delictis meis multis & maximis; ſed ſecundum tuā miſericordiam & miſerationē corripe me, & a tua miſericordia ne repellas me, nec corruam in cōſpectu aduerſariorum meorum, & ne dicat inimicus meus, *Præualui aduerſus eum*. Deus, cuius oculi reſpiciunt vias filiorum hominum, reſpice in me, & miſerere mei, & repelle à me quod odiſti, & miſericors impende quod diligis. Repelle à me, Domine, omnes cogitationes noxias, & omne os prauum, & opus peruerſum; & admitte quæ conſcientia meā miſera metuit, & adiice quod oratio non præſumit. Deus, quia tibi de omnibus cura eſt, noli me derelinquere in manu conſilij mei, & in arbitrio meo ſine adiutorio, quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens: & quia ſine te labitur humana mortalitas, tuis ſemper auxiliis & abſtrahatur à noxiis omnibus fragilitas mea, & ad ſalutaria dirigatur. Deus, qui es cordium inſpector, da mihi cor quod te timeat, ſenſum qui te intelligat, opus quod tibi placeat; vt timendo ſemper declinem à malo, & te diligendo ſemper à te cuſtodiar in bono: & da mihi virtutem reſiſtendi contra vitia, & inſidiatores omnium virtutum. Deus, qui es largitor omnium bonorum, largire mihi fidē, & opus ſcientiæ, & continentiam, charitātem & caſtitatem, veram patientiam & humilitatem, & voluntariam paupertatem, & perſeuerantiam bonam in tuo famulatu. Deus, qui es via, veritas, & vita; deduc me in viam tuam, vt ingrediar in veritate tua, lætetur cor meum, vt timeat nomen tuum, & perduc me ad vitam æternam.

Deus, qui es lux vera illuminans corda fidelium, illumina cor meum lumine intelligentiæ tuæ, & da mihi ſcientiam veram, & repelle à me omnes tenebras ignorantiæ, & tenebras peccatorum meorum expelle à me Domine, vt in ſplendore luminis tui ſēper ambulare merear. Deus, qui facis mirabilia magna ſolus, fac mecum ſignū in bonū, vt videant qui me oderunt, & confundantur; quoniam tu Domine adiuuaſti me, & conſolatus es me, & dicant, *Hæc mutatio dexteræ Excelſi*. Eſto Domine fac cum ſeruo tuo ſecundum miſericordiam tuam, & iuſtificationes tuas doce me. Seruus tuus ſum ego, da mihi intellectum vt diſcam mandata tua, & cuſtodiam illa in toto corde meo, quia in cuſtodiendis illis retributio multa eſt. Domine fac mecum ſecundum miſericordiam tuam, quia ſuauis eſt miſericordia tua. Libera me quia egenus & pauper ego ſum, & cor meum conturbatum eſt intra me. Libera me à perſequentibus me, quia confortati ſunt ſuper me. Libera me, Deus Iſraël, ex omnibus iniquitatibus meis. Libera me de ſanguinib. Deus, Deus ſalutis meæ, & exaltabit lingua mea iuſtitiam tuam. Libera me de ore leonis, & à cornibus vnicornium, vt enarrem nomen tuum fratribus meis. Liberator meus de inimicis meis ira-

cundis, ab inſurgentibus in me exaltabis me, à viro iniquo eripies me, nec me patiaris tentari ſupra id quod poſſum, quia tu ſcis figmentum meum, tu ſcis fragilitatem corporis & mentis meæ. Tu ſcis inſipientiã meam, & delicta mea à te non ſunt abſcondita. Deus meus eripe me de manibus inimicorũ meorum, & à perſequentibus me, & deduc me de laqueo quem abſconderũt mihi, quia tu es protector meus: & illumina faciem tuam ſuper ſeruum tuum, & ſaluum me fac in tua miſericordia. Domine non confundar, quoniam inuocaui te.

Oratio pro agnitione Dei, & pro indulgentia delictorum, & peremptione diuerſarum tribulationum.

MIſerere Domine, miſerere Chriſte, tu miſericordia mea miſerere mei. Miſerere Domine, miſerere Chriſte, vt benè rogem te. Miſerere Domine, miſerere Chriſte, vt dignum me facias exaudiri. Miſerere Domine, miſerere Chriſte; exaudias me, vt ſciam voluntatem tuam; doceas me, vt in charitate tua enutrias me. Miſerere Domine, miſerere Chriſte, vt credam in te, vt cognoſcam te, vt diligam te. Miſerere Domine, miſerere Chriſte, vt ſperem in te. Miſerere Domine, quia coinquinatum ſenſum habeo in omnibus concupiſcentiis illicitis, & ex omni elatione & ira, & ſuſpicione & hypocriſi. Miſerere Domine Deus omnipotens, vt cognoſcam & diligam vinculum charitatis perſeueranter. Miſerere Deus, vt à morte perpetua eripias me. Miſerere Deus, vt de omnibus peccatis & criminibus meis veram pœnitentiam & indulgentiam tribuas mihi. Miſerere Deus, vt remiſſionem omnium peccatorum meorum concedas mihi, vt ab omni tribulatione eripias me, & ab omni immunditia cordis & corporis liberes me, totumque fomitem libidinis extinguas in me, ac ab omnibus inſidiis diaboli & omni malo liberes me. Miſerere Domine Deus, miſerere, vt anima mea viuat in te, & vita mea proficiat in te. Miſerere Domine Deus pater, gloria mea, vita mea, ſalus ac fortitudo mea. Miſerere Spiritus paraclete, conſolatio & illuminatio mea. Miſerere, miſerere Trinitas & Vnitas. Te laudo, te adoro, te cõfiteor pax mea, ſpes mea, laus, vita, pulchritudo, & beatitudo mea, confidentia & fiducia mea, remiſſio facinorum & flagitiorum meorum: amor ac firmamentum meum, refugium, liberator, & ſuſceptor Deus meus: doctor, medicina, gubernator ac redemptor meus, requies mea, ſanitas & delectatio mea, teſtis & iudex meus, ſancta Trinitas, inſeparabilis Vnitas. Deus omnipotens, me ab omni malo liberare digneris, & tua ſempiterna benedictione benedicere, qui es Deus benedictus, ineffabilis, & incorruptibilis in ſecula ſeculorum. Amen.

Confeſſio peccatorum.

SVb confeſſionem tuam futuram viriliter age, teque in Domino confortare, & noli erubeſcere, & quia inde venit indulgentia, cùm in ſpe miſericordiæ Dei humiliter confeſſus fueris peccata tua, & reliqueris ea; quia ſine confeſſione non eſt indulgentia. In primis proſterne te humiliter in conſpectu Dei in terra ad orationem, & roga beatam Dei genitricem Mariam, vt ipſa intercedat pro te ad Dominum, cum omnibus ſanctis Apoſtolis, Martyribus, Confeſſoribus, & Virginibus; vt Deus omnipotens dignetur tibi dare ſapientiam perfectam, & indulgentiam veram, & virtutem animi conſtantem ad confitendum veraciter ex intimo corde peccata tua, & poſtea ſurge, & cum fiducia & vera credulitate dic ei, cui confiteri vis peccata tua, Mea culpa, quia peccaui nimis in cogitatione, locutione, & opere.

Alia.

COnfiteor coram Deo omnipotenti, Creatore cœli & terræ, & coram hoc altari ſancto, & ſanctis reliquiis, quæ in hoc loco ſancto ſunt; quia nimis peccaui in cogitationibus nefandiſſimis, delectando & conſentiendo illis, & meditando, diſponẽdo in ſenſu, & memoria, ac voluntate mea, qualiter explere potuiſſem opere quæ malè cogitabam.

Alia.

COnfiteor, quia peccaui nimis in ſermonibus vanis & immundis & turpibus, ocioſis & nocuis. Confiteor odia cordis mei, & doloſitates, & inuidias, detractiones, impatientiam, conuicia, contentiones, diiudicationes, blaſphemias, turpiloquia, ſcurrilitates, mendacia, maledicta, periuria, concilia iniqua, excuſationes peccatorum meorum, irriſiones, diſſimulationes, adulationes, improperationes, inflationes, tumultuationes, maleuolentias, ſeductiones, furores, indignationes, ambitiones, concu-

piſcentias carnis & oculorum, & ſuperbias, A triſtitias, timiditates, mollities animi, tædia multa, negligẽtias, ſecuritates, vigilias inutiles, & Deo diſplicentes edacitates, & bibitiones, & locutiones, & dormitiones ſuperfluas, & inordinatas carnales concupiſcentias, & tyrannides cordis mei iniquas, & amaras atque impiiſſimas.

Alia.

CONfiteor, quia propter corporis mei ſuauitatem & delectationem Dei præcepta poſtpoſui, B & ſæpe vigilias ſanctas dimiſi, & ſomnolentiam meam expleui: deſidiam, mollitiem, pigritiam, torporem, ignauiam, plenus faſtidio ſpiritali ſecutus ſum. Per ſuperbiam & elationem Dei præcepta tranſgreſſus ſum, & me meliorem cæteris putaui: de multis rebus voluptates carnales, & immunditias, pollutiones, ebrietates, commeſſationes, conuiuia, crapulas, manifeſtè & occultè, perperam, & in his totis ſẽſibus meis, tanquam in deliciis delectãs malè ſuauiterque requieui. Dominicorũ dies, & ſanctas Dei ſolemnitates, & Sanctorum C feſtiuitates indignè, & ſine Dei timore deduxi, & nihil ſpiritale in his meditatus ſum, ſed totum carnaliter egi, intentus ad ſaturitatem ventris, & ad diſſolutionem riſus, & ioci vani diſcurſus: religioſum ſtatum cum timore Dei reuerẽter, prout debui, non cuſtodiui. In ſancta Eccleſia, dum ad opus Dei acceſſi & interfui, multa vana & mala cogitaui, perpetraui, & locutus ſum; & ſæpè nimio ſomno grauatus multas perdidi orationes, lectiones, & pſalmodias cum officiis. D Nam & vigilans frequenter alienata memoria diſcurrit, viſus meus interior per multas rerum terrenarum diſpoſitiones, & per illicitas oblectationes, vanas ac turpes meditationes, varioſque errores; vnde occupatus ſenſus meus ſine fructu ſpiritali efficitur.

Alia Confeſſio.

CONſecrata Dei miniſteria, & ſanctas reliquias, E & ſanctos codices, & ſancta vaſa indignus & pollutus tetigi, & ſordidè atque negligenter contrectaui. Corpus & ſãguinem Domini polluto corde & corpore, ſine confeſſione & pœnitentia, ſcienter indignè acceſſi; nec iudicium Dei ſuper me venturum exterritus timui, vt timere debui. Officia canonica, & orationes atque pſalmodias vel lectiones negligenter atque irreuerenter in cõſpectu Dei effudi, & multa dimiſi quæ non ſolui. Patrem meum & matrem, fratres meos & ſorores, & omnes propinquos meos & Chriſtianos, non ſicut præcepit Deus, dilexi propter Deum, & nec eis honoris obſequium exhibui; ſed ſẽper omnibus carnaliter placere volui, quia quæ mea ſunt quæſiui potiùs quàm quæ Dei. Aduerſantes & calumniantes me non ſolùm ſecundum Dei præceptum non dilexi, nec patienter ſuſtinui; ſed inſuper malũ pro malo ampliatum eis reddidi, & ſæpè malum pro bono reddere decertaui. Epiſcopos, Presbyteros, Abbates, Monachos, Canonicos, & omnem Clerum Eccleſiæ Dei, necnon & Priores meos, ſeu in ſublimitate poſitos non amaui nec dilexi, neque honoris obſequium præbui eis ſicut Deus præcepit; ſed inſuper vituperaui eos, & detraxi atque diiudicaui. Decimas vel primitias bonorum meorum non reddidi, hoſpitalitatem non dilexi, veram fraternitatem puro corde non cuſtodiui, latrocinium & furtum abſcondi & comedi, latrocinantibuſque & abſcondentibus conſenſi. Infirmos & incarceratos non viſitaui, nudoſve operui vt debebam. Hoſpites & peregrinos propter Deum non ſuſcepi. Eſurientes & ſitientes non refeci. Dolentes & flentes non ſum conſolatus. Diſcordantes inter ſe plus ad iram quàm ad pacem prouocaui. Malum & credere & audire malui quàm bonum, & mendacium priùs quàm veritatem: & quod maximè credere debui nõ credidi, & quod non debui credere credidi. Sæpè ad malum conſenſi, detrahentes libenter audiui, meipſum per carnalia deſideria, & malas cogitationes ac voluntates, & mala opera, contaminaui & perdidi, & cui nocere potui nocui, & diabolo conſenſi, & voluptati illius peccãdo me ſubdidi. Confiteor, quia multum peccaui in viſu, auditu, guſtu, odoratu & tactu; in pedibus & in manibus meis, & in lingua mea, atque in genitalibus membris meis, & in omnibus meis ſenſibus multa mala perpetraui. Repletus omni iniquitate, malitia & nequitia, feci ſacrilegium, homicidium, adulterium, falſum teſtimonium, furtum, rapinam, periurium: vſuras tenui longo tempore, reddidi malum pro bonis; & non ſolùm iſta, ſed & alia mala feci multa. & facientibus conſenſi. Ego miſer peccaui nimis, quia eleemoſynas, & primitias, atque decimas, quas ſub obtentu ſacerdotij cõſuſcepi, malè expendi, & in propriis vſibus meis ea ſumpſi, & illud quod indè debui facere non feci. Peccaui, quòd negligens fui de meo curſu, quem per Horas Canonicas exſoluere debui; & de mea pſalmo-

dia, & de meis orationibus, & de meo miniſterio, quod non cuſtodiui ſecundum ordinem. Peccaui de illis pœnitentibus, qui ad me propter confeſsionem venerunt, quos ego nec ſecundum Canonicum iudicium iudicaui, nec ſollicitus fui de illis ſicut debui. Peccaui erga ſubditos mihi quia circa negligentes zelum rectitudinis iuſto moderamine non tenui vt debui; & ſæpè per inutilem remiſsionem eis cōdeſcendi quādo non debui. Peccaui poſtquam confeſſus fui crimina mea quæ perpetraui. Peccaui in deſiderio alienarum rerum, & per curioſitatem multa vidi oculis meis, & multa audiui auribus meis, quæ nec videre nec audire oportuerat. Sæpè volui publica increpatione eum, qui mihi non placuit, confundere, & proximi famam mordaciter carpere, & paſsim vituperare. Sæpè occulta cordis alieni malè diiudicaui. Peccaui, quia iniurias mihi factas in mente retinui, & peccantibus in me puro corde non indulſi, & modo dimitto ex toto corde omnibus, qui in me peccauerunt. Peccaui, quia ipſas iniquitates, quas feci, in alios iure diiudicaui & condemnaui; & aliter me, aliter alios iudicaui. Multa dixi, quæ dicere nō debui. Multa cogitaui quæ non debui, & multa quæ cogitare debui bona non cogitaui. Oſcula illicita, & amplexus nefandos feci. Sæpe palpaui quæ non debui, ſæpè conſenſi quæ non oportuit, dimiſi opera bona quæ non debui, & feci mala quæ non debui: horrui quod diligere debui, & dilexi quod non debui. Pro quibus omnibus atque aliis innumeris ſceleribus meis, quæ contra legem Dei commiſi, vt poſſem apud Deum inuenire indulgentiam, Cœnobium petij, vitam Monaſticam ſuſcepi: ſed miſer ego ſæpè inuoluor variis modis in leuitatibus, vanitate, negligentia, inquietudine animi, in amaritudine & ſtimulis malarum cogitationū, in contumaci euerſione, in negligentia boni operis, in præuaricatione religionis, in loquacitate, ſcurrilitate, duritia mentis, in accidia, in indignatione, inobedientia, diiudicatione, murmuratione & detractione, ſuperbia & rancore animi. Quæ omnia mala coram Deo omnipotente, & ſancto hoc altari, & ſanctis reliquiis, quæ in hoc loco ſunt confiteor pura & vera confeſſione, & bona voluntate emendare, inquantum Dei miſericordia dignatur me adiuuare. Ipſe enim Deus omnipotens, qui dixit per Prophetam; *Nolo mortem peccatoris, ſed vt conuertatur & viuat*: Et iterum, *In quacumque die ingemueris, ſaluus eris*: Et qui me dignatus eſt ad confeſsionem peccatorum meorum miſericorditer trahere, & mihi virtutem continendi me à malis operibus, & miſereatur animæ meæ, & parcat & remittat ac deleat omnia peccata mea præterita, præſentia, & futura, & perducat me & introducat in vitam æternam, Amen.

Alia Confeſsio.

SVſcipe confeſsionem meam Domine Deus, vnica ſpes ſalutis meæ, gula, ebrietate, fornicatione, libidine, triſtitia, accidia, ſomnolentia, negligentia, ira, cupiditate, inuidia, odio, detractione, periurio, falſitate, mendacio, vana gloria, leuitate, ac ſuperbia. Perditus ſum omnino cogitatione, locutione, actione, atque omnibus ſenſibus meis executus ſum; ſed tu qui iuſtificas impios, & viuificas mortuos, viuifica me, & iuſtifica me Domine Deus meus, Amen.

Alia Confeſsio.

DOmine Deus, credo omnipotentem, inuiſibilem, incircumſcriptum, omnia regentem, omnia continentem, omnium creatorem, Trinitatem, Vnitatem. Credo te miſiſſe filium tuum Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum in terram pro ſalute generis humani. Hæc eſt fides, qua in te credo: ſi rectè credo, benè; ſin autem minus quàm oportet, obſecro vt non adſpicias ad verba quæ dixi, ſed ad id quod volui. Domine Ieſu Chriſte credo te per Angelum Mariæ Virgini annunciatum, credo te ſecundum carnem natum, Paſtoribus demonſtratum. Credo te octauo die circumciſum, credo te à Magis adoratum, à Ioanne baptizatum in Iordane, præſentatum in templo. Credo te à Iuda traditore traditum, conſputum, flagellatū, ſpinis coronatum, crucifixū, ſepultum, tertia die reſurrexiſſe, & quadraginta diebus cum diſcipulis manducaſſe & bibiſſe: deinde quadrageſimo die in cœlos adſtantibus diſcipulis aſcendiſſe, inde credo te venturum iudicare viuos & mortuos. Certus ſum, Domine, te dixiſſe: *Nolo mortem peccatoris, ſed vt conuertatur & viuat.* Et iterum: *Gaudium erit ſuper vno peccatore pœnitentiam agente, quàm ſuper nonaginta nouem iuſtis, qui non indigent pœnitentia.*

Oratio Monachorum.

DOmine, quicquid errans, ſciens atque contemnens; quicquid voluntate, vel infirmitate, ſeu ſtudio; quicquid ſurreptione, vel

ne,vel meditatione, cogitatu,dicto, vel facto, occulte ſeu manifeſtè peccaui; quicquid etiam horum aut latet animo, aut patet,aut mordet ſenſum,aut deludendo quibuſcumque modis per ſecuritatem decipit gratuita pietate tua placatus clementer indulge, nec ſine ſpe veniæ animam meam deſeras, quã poſt perpetrata crimina multa & grauia,ac mortalia, ad immenſam tuæ pietatis clementiam feſtinare miſeratus inſpiras;& cum eam de futuris pœnarum tormentis ſuſpectam eſſe pateris. De manſuris quoque vitæ æternæ gaudiis indulta venia peccatorum ſemper reſpirare concedas, & emundatam animi conſcientiam à præuaricationum ſeu omnium vitiorum cogitatione iterum apoſtatari eam à te, vel irrecuperabiliter inquinari non permittas. Domine,omnem ſtultitiam cordis mei miſericorditer munda, & quæ in me ſunt vitiorũ ſecreta purifica,& cor meum ad expugnandas paſſiones, tua ſancta vnctione dilata, ſenſuſque meos ad impugnationum certamina ſuperanda conforta, & fac me dignè viciis meis iraſci, vt omnium peccatorum meorum indulgentiam conſequar. Domine fac nos inceſſanter ante mentis oculos habere timorem tuũ, vt in omni loco peccata noſtra, & futurum pro eis iudiciũ cogitare ac timere, ſimulque præcepta tua, & gloriam cæleſtem à te datam his,qui ea ſeruant, conſiderare, & ſemper in mente retinere;quia inceſſanter tu [illegible]eus;qui nos iudicaturus es, de cœlo reſpicis omnes actus & cogitationes noſtras,& locutiones noſtras, & quod omni hora Angelus nobis deputatus in cœlo annunciat facta noſtra:& idcirco timentes numquam recedamus à bonis meditationib. & actibus,ſed ſemper in cordibus noſtris tibi placita cogitemus, & diſponamus.Domine,tribue nobis,vt nullo actu delectemus noſtram voluntatem propriam implere;ſed omnia ſecundum tramitem præceptorum tuorum tibi, & prioribus noſtris obediendo faciamus. Domine, largire nobis,vt ſine murmuratione oris & cordis, omnibus diebus vitæ noſtræ ſimus veraciter ſubiecti & obedientes tibi, & ſenioribus noſtris. Domine, tribue nobis, vt omnia dura & aſpera, & noſtræ voluntati contraria, etiam ſuper vires & ſcientiam noſtram nobis iniuncta,vel etiam hęc ipſa cum iniuriis & contumeliis imperata, ſimpliciter & humiliter in ſpe miſericordiæ tuæ, abſque vlla ſimulatione patienter & gaudentes ſuſcipiamus, & cum magno deſiderio impleamus, etſi impoſſibilia fuerint nobis, humiliter & patienter ſuggera-

A mus imperanti impoſsibilitatem noſtram: & ſi ille ſuam ſententiam nullatenus mutare voluerit, tu operare in cordibus noſtris, vt nos confidentes in auxilio tuo;datis nobis diuinitus animi viribus& ſciẽtia,ex charitate obediamus deuotè, quia ſine te nihil boni poſſumus.Da nobis Domine,vt nulla correptione contendere præſumamus, neque vllis ſermonibus iuſtos nos conemur oſtendere, nec erubeſcendo deformes aliis apparere,aliquem culpare velimus;ſed terra cõſternati tam diu nos culpabiles& reos

B confiteamur, quouſque commotio animi nos corripientis noſtra humilitate ſanetur. Domine da nobis, vt omnes noſtras malas cogitationes,&mala opera à nobis abſconſa humiliter noſtro confiteamur Abbati, & alij cuilibet ſpiritali fratri;vt per correptionem & admonitionem eorum, diaboli laqueos te auxiliante euadamus, ſed & cor noſtrum ſemper ſit confitens omnia, cui nihil eſt abſconditum. Domine, tribue nobis, vt ſemper ſimus contenti omni vilitate cibi,& potus,ac veſtium; vt quæcumq; ſint vilia iſta, intantum vt per ea poſsit corpus

C noſtrum ſubſiſtere ad ſeruiendum tibi,non nobis ſit cura de melioribus, ſed his ſimus ſufficientes abſq;dolo & hypocriſi. Domine, da nobis, vt omnis extremitas placeat nobis,quantocumque fuerimus minimi,& poſteriores omnibus in ſedendo,in ſtando, & aſcendendo,& loquendo, & in omnibus quæ dici poſſunt,gaudeamus de hoc:& tũc nos verè à te miſericorditer reſpectos æſtimemus, & in cordibus noſtris gratias tibi agamus. Domine, da nobis,vt ad om-

D nia, quæ nobis iniunguntur, quantocumque ſint vilia & abiecta, & omnium miniſteriorum minima, indignos nos ad tam honeſta faciendum, & corde credamus ac ſentiamus, ac perficiamus ea cum magna deuotione. Domine, da nobis fructum charitatis & humilitatis, & obedientiæ, & patientiæ, cum vero amore fraternitatis. Domine, tribue nobis, vt nos ſemper ex intimo corde credamus viliores omnibus atque inferiores, & ſic ha-

E beri nos ab aliis, & conſtitui cupiamus, atque ab omnibus dici, quamuis alij nos ſic non æſtiment, nec ordinent, neque dicant, & nos non ſinas eſſe hypocritas, vt quaſi nos ore noſtro fateamur nos eſſe indignos, & viliores atque inferiores omnibus eſſe debere, & ſub hac profeſsione humili velimus videri, & haberi ab aliis tamquam iuſti & religioſi, interius huius ſeculi altitudines, & laudes atque honores appetendos;

neque de illis nos permittas eſſe, quibus ſi alter eis dixerit, quod ipſi de ſe fatentur ore proprio, vel ſi ita eos viles aut extremos poſuerit, vt illis eſſe debere dicunt, aut ſtatim in contumelias, aut nimiam iram irrumpũt, vt ad hoc vſque perueniant, quòd inſtigante diabolo à congregatione, cui ſe ſociauerunt, recedant, aut certè dolum in corde celantes, iracundiæ tempus reſeruent, vel eos, qui rectè viuere decertant, detrahere & dilacerare iniuriis, atq; impedire nõ deſiſtant. Ab his, Domine, & huiuſmodi neruis corda noſtra munda. Domine adiuua nos, & libera nos, & cuſtodi nos; vt nihil agamus noſtra præſumptione, niſi quod agendum in Monaſterio ſancta præcipit regula. Domine, tribue nobis virtutem diſcretè tacendi, & diſcretè loquendi, vt interrogati cum humilitate & reuerentia reſpondeamus; & cùm interrogamus, cum omni ſubiectione & reuerentia interrogemus: cauentes ne plus aut aliter videamur loqui, quàm expedit noſtræ religioni vel cauſæ, ſeu neceſſitati vnde loquimur, & muni corda noſtra, vt numquam delectemur vana vel ſuperflua gloria, neque inutilia cogitemus, audiamus, loquamur, ſeu videamus. Domine, miſerere nobis, & fac vt non ſimus faciles ac prompti in riſu, ſed te tribuente, ſit in nobis ſalutaris contritio & cordis humiliatio, & compunctio, & affluentia lacrymarum, & vtilis triſtitia. Riſus otioſus, carnalis lætitia, diſſolutio & oblectatio tua virtute procul pellatur à nobis. Domine, da nobis, vt cùm loquimur, leuiter, cum grauitate, pauca verba ſalutaria, ſine vocis clamore, & abſque concitatione loquamur. Domine, tribue nobis miſeris & indignis, vt in omni loco omnique tempore, & omni opere ſedentes, ſtantes, ambulantes, operantes inclinatum & humiliatũ habeamus coram te, & reos nos omni hora de noſtris actibus æſtimemus, & repleti ſpiritu timoris & amoris, tui dicamus ſinguli in ſecreto cordis noſtri: *Domine, non ſum dignus ego peccator leuare oculos meos in cœlum.* Deus, propitius eſto mihi peccatori ſemper, hîc & in æternum, qui viuis & regnas in ſecula ſeculorum, Amen.

Alia Oratio.

MAgnus es Domine, & laudabilis valde, magna virtus tua, & ſapientiæ tuæ nõ eſt numerus. Tu excitas cor noſtrum vt te laudet & glorificet, quia feciſti nos ad laudandum te, & inquietum eſt cor noſtrum donec requieſcat in te. Quæram te, Domine, inuocans te, & inuocem te credens in

A te: quærens enim te inueniam te, & inueniens laudem te. Inuocat te, Domine, fides mea, quam dediſti mihi, quam inſpiraſti mihi per humanitatem Filij tui, per miniſterium prædicatoris tui; & quis locus eſt in me, quo venias in me, Domine Deus meus, quo veniens inuenias in me Deus, qui feciſti cœlum & terram. An vero cœlum & terra, quæ feciſti, & in quibus me feciſti, capiunt te? An quia ſine te non eſt quicquid eſt, fit vt quicquid eſt capiat te? Quoniam itaque & ego ſum, quid peto, B vt venias in me; qui non eſſem, niſi eſſes in me? Non ergo eſſem, Deus meus, non omninò eſſem, niſi eſſes in me. Summe, optime, potentiſſime, miſericordiſſime, & iuſtiſſime, ſacratiſsime, fortiſsime, ſtabilis & incomprehenſibilis, immutabilis mutans omnia, numquam nouus, numquam vetus, innouans omnia, & in vetuſtatem perducens ſuperbos, etiam neſcientes. Semper agens, ſemper quietus, colligens, & non egens, portans, & implens, & pro- C tegens, creans, & nutriens, & perficiens, & quærens cùm nihil deſit tibi. Amas, nec æſtuas, & zelas, & ſecurus es. Pœnitet te, & non dolet: iraſceris, & tranquillus es: opera mutas, nec mutas conſiliũ: recipis quod inuenis, & numquã amiſiſti: numquã inops, & gaudes lucris: nũquam auarus, & vſuras exigis: ſupererogatur tibi vt debeas, & quis habet quicquam. Nonne tu reddis debita nulli debens, donas debita nihil perdens? Et quid dixi, Deus meus, vita mea, dulcedo mea ſancta? aut quid dicit aliquis cum D de te dicit? & væ tacentibus de te, quoniam loquaces muti ſunt. Quis mihi dabit acquieſcere in te? quis dabit mihi vt venias in cor meum, & inebries illud, vt obliuiſcar mala mea, & vnum bonum meum amplectar te? Quid mihi es? miſerere vt loquar. Quid tibi ſum ipſe, vt amari te iubeas à me, & niſi faciam iraſceris mihi, & minaris ingentes miſerias? Paruáne ipſa eſt miſeria, ſi non amem te? hei mihi! Dic mihi per miſerationes tuas, Domine Deus, E quid ſis mihi. Dic animæ meæ, *Salus tua ego ſum*, ſed dic vt audiam. Ecce aures cordis mei ante te Domine, aperi eas, & dic animæ meæ, *Salus tua ego ſum.* Curram poſt vocem hanc, & apprehendam te. Noli abſcondere à me faciem tuam, ne moriar: ſed fac vt eam videam. Anguſta eſt domus animæ meæ, quo venias ad eã, dilatetur à te: ruinoſa eſt, refice eam. Habet immũditias peccatorum multas, quæ offendant oculos tuos, fateor, & ſcio. Sed quis alius mundabit eam, aut cui alij præter te accla-

mans dicam: *Ab occultis meis munda me Domine, & ab alienis parce ſeruo tuo?* Nónne tibi prolocutus ſum aduerſum me delicta mea, Deus meus? & tu dimitte obſecro impietatem cordis mei. Non iudicio contendo tecum, quia veritas es; & ego nolo fallere meipſum, ne mentiatur iniquitas mea ſibi. Non ego iudicio contendo tecum, quia ſi iniquitates obſeruaueris Domine, Domine quis ſuſtinebit? Dic mihi ſupplici, Deus miſericors, dic miſero, *Salus tua ego ſum.* Peccaui, Domine Deus meus, ordinator & creator rerum omnium naturalium, peccatorum tantum non ordinator vnquam. Domine Deus meus, peccaui faciendo contra præcepta tua. Non enim meliora eligens inobediens extiti; ſed amore faciendi voluntatem propriam, & adimplendi ſuperbas victorias. Libera me, Domine, iam inuocantem te. Libera etiam eos, qui nondum te inuocant, vt inuocent te, & liberes eos. Obſecro te, Domine Deus meus, vt intus in anima mea clames, quid ſit amare te, & ego audiam, & veritas tua dicat mihi, *Salus tua ego ſum*, & conſolationes tuæ lætificent animam meã. Non clament aduerſus me iniqui appetitus mei, nec timeant quod timendum non eſt: ſed confitear tibi Deus meus, & acquieſcam in reprehenſionem malarum viarum mearum, vt diligam bonas vias tuas: fluxum vicioſitatis meæ reſtringant legis, & miſerationes tuæ, Domine. Miſce ſalubres amaritudines, reuocantes nos ad te à iocunditate peſtifera, qua receſſimus à te. Exaudi, Domine, deprecationem meam, ne deficiat anima mea ſub diſciplina tua: neque deficiam in confitendo miſerationes tuas, quibus eruas me ab omnibus viciis meis peſſimis, vt dulceſcas mihi ſuper omnes ſeductiones quas ſecutus ſum, & amplexer manum tuam totis præcordiis meis, vt eruas me ab omni tentatione vſque in finem, & omnia peccata delectationum mearum malarum dimittas mihi. Erue me, Domine, de immaniſſimo profundo delectationum iniquarum, & libera me quærentem te, & ſitientem delectationes tuas: & dicat tibi cor meum, *Quæſiui vultum tuum, vultum tuum Domine requiram.* Nam longe à vultu tuo in affectu tenebroſo, non pedibus aut ſpatiis locorum itur abs te aut reditur ad te: aut vero filius tuus ille minor equos, vel currus, vel naues quæſiuit, aut auolauit penna viſibili, aut moto poplite iter egit, vt in longinqua regione viuens prodige diſſiparet quod dederas proficiſcenti, dulcis Pater & regno redeunti dulcior. In affectu ergo libidinoſo & tenebroſo, vt longè à vultu tuo. Bonus enim es Domine, quia tu es bonum noſtrum. Peccaui quòd non in te, ſed in creaturis tuis voluptates meas dilataui, & ideò irrui in dolores, confuſiones, & errores. Tu autem, Domine, qui ſemper es, & non mutaris, qui ſemper viuis, & nihil moritur in te: dic mihi miſero ſeruo tuo, *Salus tua ego ſum.* Gratias tibi, dulcedo mea, & honor meus, & fiducia mea, Deus meus: gratias tibi de vniuerſis donis tuis quæ largitus es mihi; ſed tu mihi ea ſerua: ita enim ſeruabis me, & augebuntur & perficientur quæ dediſti mihi, & ero ipſe tecum, ſi tu ſeruaueris me, & dona tua quæ dediſti mihi, quia vt ſim tu dediſti mihi, qui viuis & regnas in ſecula ſeculorum, Amen.

Oratio ad Crucem.

CHriſte, qui pro nobis Crucis & mortis patibulum ſubiiſti, vt mortis à nobis expelleres poteſtatem, & ſanguinis tui nos precio liberares: miſerere mei, qui ſum humillimus ſeruus tuus, & veniam mihi omnium meorum tribue peccatorum, meque coram adoranda cruce tua proſtratum, ab omnibus malis eripe, bonis tuis miſericorditer refice.

Alia Oratio.

DOmine Ieſu Chriſte, qui es, & qui eras cum Patre ante ſecula genitus, Deus ex Deo verò, conceptus ex Spiritu ſancto, & natus homo in fine ſeculorum de Maria Virgine ſemper; qui obediens Patri vſque ad mortem, mortem autem Crucis, liberaſti nos tuo ſancto & precioſo ſanguine, deſtructo mortis imperio, omnibus in te credentibus cæleſtis gloriæ aditum reſeraſti: te Deum verum, & Dominum noſtrum ſuppliciter exoro, ſedentem ad dexteram Dei Patris omnipotentis; deprecando infinitam & ineffabilem miſericordiam tuam, vt per virtutem huius ſalutaris ſigni Crucis & redemptionis tuæ, redimas me miſerum, & dignum morte peccatorem ab omnibus criminibus & facinoribus meis, & libera me ab omnibus malis præteritis, præſentibus, & futuris, & mortifica in me omnia vicia ſpiritalium & carnalium nequitiarum, & fac me reſurgere tecum in virtute gloriæ tuæ, & quæ ſurſum ſunt cæleſtia deſiderare & quærere, & ad æternæ beatitudinis gloriam feliciter peruenire, præſtante tua immenſa clementia, Domine

Ieſu Chriſte Deus, & Dominus noſter, qui A cum Deo Patre & Spiritu ſancto in vnitate eſſentiæ deitatis omnia creando regis, viuificas, & gubernas, per immortalia ſecula ſeculorum, Amen.

Prima Hora hac Oratione orandum eſt.

DOmine Deus, qui ad principium huius diei nos peruenire feciſti, tua nos ſerua virtute, vt in die hac ad nullum declinemus peccatum: ſed ſemper ad tuam iuſti- B tiam faciẽdam noſtra procedant eloquia, Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.

Oratio ad ſecundam Horam.

DOmine Deus omnipotens, qui nos in hanc horam ſecundam poſt nocturnas caligines peruenire feciſti, cõſerua nos hodie per omnium horarum ſpatia & momẽta temporis, & perpetua nos ſemper fac miſericordia permanere illæſos, per Dominũ noſtrum Ieſum Chriſtum.

C

Oratio ad Tertiam.

DOmine Deus, Ieſu Chriſte, qui hora tertia diei ad Crucis pœnam pro mundi ſalute ductus es, te ſuppliciter deprecamur, vt noſtra deleas peccata: vt & de præteritis malis noſtris ſemper apud te inueniamus veniã, & de futuris iugiter habeamus cuſtodiam. Qui viuis & regnas per omnia ſecula ſeculorum, Amen.

D

Oratio ad Sextam.

DOmine Ieſu Chriſte, qui dum hora ſexta pro redemptione mundi in Crucis aſcendiſti lignum, vniuerſus mundus in tenebris conuerſus eſt, illam nobis lucem in anima & corpore noſtro ſemper tribue, per quam ad æternam vitam peruenire mereamur. Qui cum Patre & Spiritu ſancto regnas in æterna ſæcula.

E

Oratio ad Nonam.

DOmine Ieſu Chriſte, qui nona hora in Crucis patibulo confitentem latronẽ intra mœnia Paradiſi tranſire iuſſiſti, te ſuppliciter deprecamur, vt poſt obitum noſtrũ Paradiſi nos gaudia introire gaudentes cõcedas. Qui viuis & regnas per omnia ſecula ſeculorum, Amen.

Oratio ad Veſperas.

GRatias tibi agimus, Domine Deus omnipotẽs, qui nos per huius diei curſum in hanc horam veſpertinam peruenire tribuiſti, te ſupplices deprecamur, vt ad te eleuatio manuum noſtrarum ſit in conſpectu tuo acceptabile ſacrificium veſpertinum. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.

Oratio Horæ duodecimæ.

DOmine Deus, dominator omnium & protector, qui ſeparaſti lucem de tenebris, te ſubnixè precibus exoramus, vt per hanc ſuperuenturæ noctis caliginem tua nos protegat dextera, vt in lucis aurora cũcti ſurgamus gaudentes. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.

Oratio ad Completorium.

PAcem tuam, Domine, da nobis de cælo, & pax tua Chriſto ſemper maneat in viſceribus noſtris, vt non timeamus à timore nocturno.

Alia.

PAcem tuam, Domine, da nobis de cœlo, & pax tua Chriſte ſemper maneat in viſceribus noſtris, vt dormiamus cum pace, & vigilemus cum Chriſto. Qui cum Patre & Spiritu ſancto regnat in æterna ſecula.

Oratio ante Communionem.

DOmine Ieſu Chriſte, fili Dei vnigenite, qui es, & qui eras cum Patre & Spiritu ſancto vnius eſſentiæ Deus; in quo ſolo eſt vera omnium peccatorum remiſsio, & per quem vita & ſalus præſtatur æterna: qui Publicanum confitentem peccata ſua iuſtificaſti, & Chananæam humilẽ te inuocantem exaudiſti, & Petrum negantem reſpexiſti, flentem quoque amarè recepiſti, & latroni in cruce te confitenti veniam cum gloria Paradiſi donaſti. Da mihi miſerrimo & infeliciſsimo peccatori, cum timore & tremore confitendi peccata mea, veniam & indulgentiam ſcelerum meorum, vt ſacroſancti communionem corporis & ſanguinis tui non ad iudicium damnationis, ſed ad remedium perpetuæ mihi concedas eſſe ſalutis. Per Dominum noſtrũ Ieſum Chriſtum, Amen.

Alia Oratio.

DOmine Ieſu Chriſte, filij Dei viui, qui ex voluntate Patris, cooperante Spiritu ſancto, per mortem tuam mundum viuificaſti, libera me per hoc ſacrum corpus & ſanguinem tuum à cunctis iniquitatibus, & prauis ac perfidis cogitationibus, & vniuerſis malis; & fac me tuis obedire præceptis, & permitte me à te numquam in perpetuum ſeparari, Per Dominum.

Oratio poſt communionem.

DOmine Ieſu Chriſte, filij Dei viui, creator & reſtaurator generis humani, qui ex voluntate æterni Patris, cooperante ſan-
A cto Spiritu, & carnem noſtram ſuſcipere, & mortem pro nobis ſubire dignatus es; qui iugiter pro noſtra ſalute immolaris, & integer permanes: te glorifico & ſuperexalto, clementiſſime, hymnum gloriæ concino, qui me miſerum tantis criminibus irretitũ, in numero ſeruorum tuorum aduocare dignatus es, & ſacri corporis ac ſanguinis tui participem fieri tribuiſti, rogo ęternam miſericordiam tuam Domine Deus meus, vt per hanc Sacramentorum tuorum perceptionem & à peccatorum ſordibus me mundes, & à viciis cunctis & inſidiis inimici cuſtodias, & tuam me facere voluntatem doceas, & ad ſupernæ patriæ gaudia perducas. Deo gratias, Amen.

MAGISTRI

ALBINI FLACCI ALCHVVINI,

OFFICIA PER FERIAS,

SEV

Pſalmi ſecundum dies Hebdomadæ ſingulos, quibus in Eccleſia cantantur, diſpoſiti.

Cum Orationibus, Hymnis, Confeſſionibus, & Letaniis.

NVNC PRIMVM EDVNTVR EX BIBLIOTHECA Illuſtriſſimi Viri Iac. Aug. Thuani, in ſupremo Regis Conſiſtorio Conſiliarij.

FERIA I.

†† *Deeſſe videtur aliquid.* ††

PSALMVS.

COnfitemini Domino, & inuocate nomẽ eius: annuntiate inter gentes opera eius. Cantate ei, & & pſallite ei: narrate omnia mirabilia eius. Laudamini in nomine ſãcto eius: lætetur cor quærentium Dominum. Quærite Dominum & confirmamini: quærite faciẽ eius ſemper. Mementote mirabiliũ eius quæ fecit: prodigia eius iudicia oris eius. Semẽ Abraha, ſerui eius: filij Iacob, electi eius. Ipſe Dominus Deus noſter, in vniuerſa terra iudicia eius Memor fuit in ſeculum teſtamenti ſui: verbi quod mandauit in mille generationes. Quod diſpoſuit ad Abraham: & iuramenti ſui ad Iſaac. Et ſtatuit illud Iacob in præceptum: & Iſraël
B in teſtamentum æternum. Dicent, Tibi dabo terram Chanaam: funiculum hæreditatis veſtræ. Cum eſſent numero breui: pauciſſimi & incolæ eius. Et pertranſierunt de gente in gentem: & de regno ad populum alterum. Non reliquit hominẽ nocere eis, & corripuit pro eis reges. Nolite tangere Chriſtos meos: & in Prophetis meis nolite malignari. Et vocauit famem ſuper terram: & omne firmamentum panis contriuit. Miſit ante eos virum: in ſeruum venundatus eſt Ioſeph. Humiliauerunt in compedibus pedes eius, ferrum pertranſiuit animam eius: donec veniret verbum eius.
C Eloquium Domini inflammauit eum, miſit rex & ſoluit eum: princeps populorũ, & dimiſit eũ. Conſtituit eum Dominum domus ſuæ, & principem omnis poſſeſſionis ſuæ. Vt erudiret principes eius ſicut ſemetipſum, & ſenes eius prudentiam doceret. Et intrauit Iſraël in Ægyptũ: & Iacob accola fuit in terra Cham. Et auxit populum ſuum vehementer: & firmauit eum ſuper inimicos eius. Conuertit cor eorum vt odirent popu-

lum eius: & dolum facerent in ſeruos eius. Miſit Moyſen ſeruum ſuum: Aaron quem elegit ipſum. Poſuit in eis verba ſignarum ſuorum: & prodigiorum in terra Chan. Miſit tenebras & obſcurauit: & non exacerbauit ſermones ſuos. Conuertit aquas eorum in ſanguinem: & occidit piſces eorum. Edidit terra eorum ranas: in penetralibus regum ipſorum. Dixit, & venit cynomia, & ſciniphes in omnibus finibus ipſorum. Poſuit pluuias eorum grādinem: ignem comburentem in terra ipſorum. Et percuſſit vineas eorum & ficulneas eorum: & contriuit lignum finium eorum. Dixit, & venit locuſta, & bruchus: cuius non erat numerus. Et comedit omnē fœnum in terra eorum: & comedit omnē fructum terræ eorū. Et percuſſit omne primogenitum in terra eorū: primitias omnis laboris eorum. Et eduxit eos cum argento & auro: & non erat in tribubus eorum infirmus. Lætata eſt Ægyptus in profectione eorum: quia incubuit timor eorum ſuper eos. Expandit nubem in protectionem eorum: & ignem vt luceret eis per noctem. Petierunt, & venit coturnix: & pane cæli ſaturauit eos. Diſrupit petram, & fluxerunt aquæ: abierunt in ſicco flumina. Quoniam memor fuit verbi ſancti ſui, quod habuit ad Abraham puerum ſuum. Et eduxit populum ſuum in exultatione: & electos ſuos in lætitia. Et dedit illis regiones gentium: & labores populorum poſſederunt. Vt cuſtodiant iuſtificationes eius: & legem eius requirant.

Vt ſupra.

Domine in cœlo miſericordia tua, & veritas tua vſque ad nubes. Inuocantes nomē tuum, Domine, exaudire digneris.

Oratio.

Inuocantes nomen tuum, Domine, deprecamur, vt qui patres noſtros, virtute tui nominis præeūte, Angelicis paſtibus refeciſti; nos quoque myſticis dapibus foueas, ac reformes, Per.

PSALMVS.

CV. Confitemini Domino quoniam bonus: quoniam in ſeculum miſericordia eius. Quis loquetur potentias Domini: auditas faciet omnes laudes eius? Beati qui cuſtodiunt iudicium: & faciunt iuſtitiam in omni tempore. Memento noſtri Domine in beneplacito populi tui: viſita nos in ſalutari tuo. Ad videndum in bonitate electorum tuorum, ad lætandum in lætitia gentis tuæ: vt lauderis cum hæreditate tua. Peccauimus cum patribus noſtris: iniuſtè egimus, iniquitatem fecimus. Patres noſtri in Ægy-
A pto non intellexerunt mirabilia tua: nō fuerunt memores multitudinis miſericordiæ tuæ. Et irritauerunt aſcendentes in mare: mare rubrū. Et ſaluauit eos propter nomen ſuum: vt notam faceret potentiam ſuam. Et increpuit mare rubrum, & exſiccatū eſt: & deduxit eos in abyſſis ſicut in deſerto. Et ſaluauit eos de manu odientium: & redemit eos de manu inimici. Et operuit aqua tribulantes eos: vnus ex eis non remāſit. Et crediderunt verbis eius: & laudauerunt laudem eius. Citò fecerunt, obliti ſunt
B operum eius: & non ſuſtinuerunt conſilium eius. Et concupierunt concupiſcentiam in deſerto: & tentauerunt Deum in inaquoſo. Et dedit eis petitionem ipſorum: & miſit ſaturitatem in animas eorum. Et irritauerunt Moyſen in caſtris: Aaron ſanctum Domini. Aperta eſt terra, & deglutiuit Dathan, & operuit ſuper congregationem Abiron. Et exarſit ignis in ſynagogam eorū: flamma combuſſit peccatores. Et fecerunt vitulum in Horeb: & adorauerunt ſculpti-
C le. Et mutauerunt gloriam ſuam in ſimilitudinem vituli comedentis fœnum. Obliti ſunt Deū qui ſaluauit eos, qui fecit magnalia in Ægypto, mirabilia in terra Cham: terribilia in mari rubro. Et dixit vt diſperderet eos: ſi non Moyſes electus eius ſtetiſſet in confractione in conſpectu eius. Vt auerteret iram eius ne diſperderet eos: & pro nihilo habuerunt terram deſiderabilem. Non crediderunt verbo eius, & murmurauerunt in tabernaculis ſuis: non exaudierunt vocē Domini. Et eleuauit manū ſuam ſuper eos:
D vt proſterneret eos in deſerto. Et vt deiiceret ſemen eorum in nationibus, & diſperderet eos in regionibus. Et initiati ſunt Beelphegor: & comederunt ſacrificia mortuorum. Et irritauerunt eum in adinuctionibus ſuis: multiplicata eſt in eis ruina. Et ſtetit Phinees, & placauit: & ceſſauit quaſſatio. Et reputatum eſt ei in iuſtitiam in generatione & generationem, vſque in ſempiternum. Et irritauerunt eum ad aquas contradictionis; & vexatus eſt Moyſes propter
E ter eos, quia exacerbauerunt ſpiritum eius. Et diſtinxit in labiis ſuis: nō diſperdiderūt gentes quas dixit Dominus illis. Et commixti ſunt inter gentes, & didicerunt opera eorum, & ſeruierunt ſculptilibus eorum: & factum eſt illis in ſcandalum. Et immolauerunt filios ſuos, & filias ſuas dæmoniis. Et effuderunt ſanguinem innocentem: ſanguinem filiorum ſuorum, & filiarum ſuarū: quas ſacrificauerunt ſculptilibus Chanaan. Et infecta eſt terra in ſanguinibus, & contaminata eſt in operibus eorum: & for-

nicati ſunt in adinuentionibus ſuis. Et iratus eſt furore Dominus in populũ ſuũ: & abominatus eſt hæreditatẽ ſuã. Et tradidit eos in manus gentiũ: & dominati ſunt eorũ qui oderunt eos. Et tribulauerunt eos inimici eorũ, & humiliati ſunt ſub manib. eorũ, ſæpe liberauit eos. Ipſi autem exacerbauerunt eum in conſilio ſuo: & humiliati ſunt in iniquitatibus ſuis. Et vidit cum tribularentur: & audiuit orationem eorum. Et memor fuit teſtamenti ſui: & pœnituit eum ſecundum multitudinẽ miſericordiæ ſuæ. Et dedit eos in miſericordias: in conſpectu omnium qui cœperant eos. Saluos fac nos Domine Deus noſter: & congrega nos de nationibus. Vt confiteamur nomini ſancto tuo: & gloriemur in laude tua. Benedictus Dominus Deus Iſraël, à ſeculo & vſque in ſeculum: & dicet omnis populus, Fiat, fiat.

Vt ſupra.

Deus in ſancto via tua, quis Deus magnus ſicut Deus noſter? tu es Deus qui facis mirabilia.

Oratio.

Memento noſtri Domine in beneplacito populi tui, & à peccati nos ſeruitute diſcuſſos, Salutaris tui viſitatione ſaluifica. Per Dominum.

PSALMVS.

Confitemini Domino quoniam bonus: quoniam in ſeculũ miſericordia eius. Dicant qui redempti ſunt à Domino, quos redemit de manu inimici: & de regionibus congregauit eos. A ſolis ortu & occaſu, ab aquilone & mari. Errauerunt in ſolitudine in inaquoſo: vias ciuitatis habitaculi nõ inuenerũt. Eſuriẽtes & ſitientes: anima eorum in ipſis defecit. Et clamauerunt ad Dominum cùm tribularentur: & de neceſſitatibus eorum eripuit eos. Et deduxit eos in viam rectam: vt irent in ciuitatem habitationis. Confiteãtur Domino miſericordiæ eius: & mirabilia eius filiis hominum. Quia ſatiauit animam inanem: & animam eſurientem ſatiauit bonis. Sedentes in tenebris & vmbra mortis: vinctos in mendicitate & ferro. Quia exacerbauerunt eloquia Dei; & conſilium Altiſſimi irritauerunt. Et humiliatum eſt in laboribus cor eorum: infirmati ſunt, nec fuit qui adiuuaret. Et clamauerunt ad Dominum cùm tribularentur: & de neceſſitatibus eorum liberauit eos. Et eduxit eos in tenebris & vmbra mortis: & vincula eorum diſrupit. Confiteantur Domino miſericordiæ eius: & mirabilia eius filiis hominum. Quia contriuit portas æreas: & vectes ferreos confregit. Suſcepit eos de via iniquitatis eo-

A rum: propter iniuſtitias enim ſuas humiliati ſunt. Omnem eſcam abominata eſt anima eorum, & appropinquauerunt vſque ad portas mortis. Et clamauerunt ad Dominum cùm tribularentur: & de neceſſitatibus eorum liberauit eos. Miſit verbum ſuum & ſanauit eos: & eripuit eos de interitionibus eorum. Confiteantur Domino miſericordiæ eius: & mirabilia eius filiis hominum. Et ſacrificent ſacrificium laudis, & annuntient opera eius in exultatione. Qui deſcendunt mare in nauibus, facientes operationem in aquis multis. Ipſi
B viderunt opera Domini, & mirabilia eius in profundo. Dixit, & ſtetit ſpiritus procellæ: & exaltati ſunt fluctus eius. Aſcendunt vſque ad cœlos, & deſcendunt vſque ad abyſſos: anima eorum in malis tabeſcebat. Turbati ſunt & moti ſunt ſicut ebrius: & omnis ſapiẽtia eorum deuorata eſt. Et clamauerunt ad Dominum cùm tribularentur: & de neceſſitatibus eorum eduxit eos. Et ſtatuit procellam eius in auram: & ſiluerunt fluctus eius. Et lætati ſunt quia ſiluerunt: & deduxit eos in portum voluntatis
C eorum. Confiteantur Domino miſericordiæ eius: & mirabilia eius filiis hominum. Et exaltent eum in Eccleſia plebis: & in cathedra ſeniorum laudent eum. Poſuit flumina in deſertum: & exitus aquarum in ſitim. Terram fructiferam in ſalſuginem, a malitia inhabitantium in ea. Poſuit deſertum in ſtagna aquarum: & terram ſine aqua in exitus aquarum. Et collocauit illic eſurientes: & conſtituerunt ciuitatem habitationis. Et ſeminauerũt agros, & plantauerunt vineas: & fecerunt fructum natiuita-
D tis. Et benedixit eis, & multiplicati ſunt nimis: & iumenta eorum non minorauit. Et pauci facti ſunt: & vexati ſunt à tribulatione malorum & dolore. Effuſa eſt contentio ſuper principes: & errare fecit eos in inuio, & non in via. Et adiuuit pauperem de inopia: & poſuit ſicut oues familias. Videbunt recti, & lætabuntur: & omnis iniquitas oppilauit os ſuum. Quis ſapiens, & cuſtodiet hæc? & intelliget miſericordias
E Domini. *Vt ſuprà.*

Miſericordias Domini in æternum cantabo. In generatione & generationem annunciabo veritatem tuam in ore meo.

Oratio.

Confitemur, Domine, miſericordias tuas, quas iugiter circa noſtras exerces inopias: precantes, vt qui exaltatus in Eccleſiis reſides ad dexteram patris, in throno nobis tantæ miſerationis & intelligere & cuſtodire concedas arcanum, Per.

CX. PSALMVS. A

COnfitebor tibi Domine in toto corde meo: in concilio iuſtorum & congregatione. Magna opera Domini: exquiſita in omnes voluntates eius. Confeſſio & magnificentia opus eius: iuſtitia eius manet in ſeculum ſeculi. Memoriam fecit mirabiliũ ſuorum, miſericors & miſerator Dominus eſcam dedit timentibus ſe. Memor erit in ſeculum teſtimenti ſui, virtutem operum ſuorum annuntiabit populo ſuo. Vt det illis hæreditatem gentium: opera manuum eius, veritas & iudicium. Fidelia omnia mãdata eius, confirmata in ſeculum ſeculi, facta in veritate & æquitate. Redemptionem miſit populo ſuo, mandauit in æternum teſtamentum ſuum. Sanctum & terribile nomen eius: initium ſapientiæ, timor Domini. Intellectus bonus omnibus facientibus eum; laudatio eius manet in ſeculum ſeculi. *Vt ſuprà.* B

Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo, narrabo omnia mirabilia tua.

Oratio.

Sanctorum omnium glorioſa confeſſio Deus, tribue nobis timorem nominis tui, quod eſſe initium ſapientiæ prædixiſti, vt tuorum commiſſi conciliis, miſericordiæ tuæ dapibus ſaginemur. Per. C

CXI. PSALMVS.

BEatus vir qui timet Dominum: in mandatis eius volet nimis. Potens in terra erit ſemen eius: generatio rectorum benedicetur. Gloria & diuitiæ in domo eius: & iuſtitia eius manet in ſeculum ſeculi. Exortum eſt in tenebris lumen rectis: miſericors & miſerator & iuſtus. Iucundus homo qui miſeretur & commodat, diſponit ſermones ſuos in iudicio: quia in æternum non commouebitur. In memoria æterna erit iuſtus: ab auditione mala non timebit. Paratũ cor eius ſperare in Domino: confirmatum eſt cor eius, non commouebitur donec deſpiciat inimicos eius. Diſperſit, dedit pauperibus, iuſtitia eius manet in ſeculum ſeculi: cornu eius exaltabitur in gloria. Peccator videbit & iraſcetur, dentibus ſuis fremet & tabeſcet: deſiderium peccatorum peribit. D

Vt ſuprà

Confitebuntur cœli mirabilia tua, Domine: etenim veritatem tuam in Eccleſia Sanctorum. *Oratio.* E

Lumen perpetuum rectorum cordium Deus, concede nobis te diligere, tua gloria iocundari, & ſic deſpicere hoc ſeculum in præſenti, vt caueamus auditum aſperum in futuro. Per.

PSALMVS.

LAudate pueri Dominum: laudate nomen Domini. Sit nomen Domini benedictum: ex hoc nunc & vſque in ſeculũ. A ſolis ortu vſque ad occaſum: laudabile nomen Domini. Excelſus ſuper omnes gẽtes Dominus: & ſuper cælos gloria eius. Quis ſicut Dominus Deus noſter qui in altis habitat: & humilia reſpicit in cælo & in terra? Suſcitans à terra inopem: & de ſtercore erigens pauperem. Vt collocet eum cum principibus: cum principibus populi ſui. Qui habitare facit ſterilem in domo: matrem filiorum lætantem. CXII.

Vt ſuprà.

Sit nomen eius benedictum in ſecula, ante ſolem permaneat nomen eius. Et benedictum nomen maieſtatis eius in æternum, & replebitur maieſtate eius omnis terra: fiat, fiat. *Oratio.*

Laudantes benedictum nomen tuum omnipotens Deus, rogamus vt nos in ſinu matris Eccleſiæ collocatos, caritatis tuæ facias ſtabilitate connecti, Per.

PSALMVS.

IN exitu Iſrael de Ægypto, domus Iacob de populo barbaro. Facta eſt Iudæa ſanctificatio eius, Iſrael poteſtas eius. Mare vidit & fugit: Iordanis conuerſus eſt retrorſum. Montes exultauerũt vt arietes: & colles ſicut agni ouium. Quid eſt tibi mare quod fugiſti? & tu Iordanis quia conuerſus es retrorſum? Montes exultaſtis ſicut arietes: & colles ſicut agni ouium. A facie Domini mota eſt terra: à facie Dei Iacob. Qui conuertit petram in ſtagna aquarum, & rupem in fontes aquarum. Non nobis Domine, non nobis: ſed nomini tuo da gloriam. Super miſericordia tua & veritate tua: nequando dicant gentes, Vbi eſt Deus eorum? Deus autem noſter in cælo: omnia quæcũque voluit fecit. Simulachra gentium argentum & aurum: opera manuũ hominum. Os habent, & non loquentur: oculos habent, & non videbunt. Aures habent, & non audient: nares habent, & non odorabunt. Manus habent & non palpabunt, pedes habent & non ambulabunt: nõ clamabunt in gutture ſuo. Similes illis fiant qui faciunt ea: & omnes qui confidunt in eis. Domus Iſraël ſperauit in Domino: adiutor eorum & protector eorum eſt. Domus Aaron ſperauit in Domino: adiutor eorum & protector eorum eſt. Qui timent CXIII.

Dominum ſperauerunt in Domino: adiutor eorum & protector eorum eſt. Dominus memor fuit noſtri: & benedixit nobis. Benedixit domui Iſraël: benedixit domui Aaron. Benedixit omnibus qui timent Dominum: puſillis cum maioribus. Adiiciat Dominus ſuper vos: ſuper vos & ſuper filios veſtros. Benedicti vos à Domino: qui fecit cœlum & terram. Cœlum cœli Domino: terram autem dedit filiis hominum. Non mortui laudabunt te Domine: neque omnes qui deſcendunt in infernum. Sed nos qui viuimus benedicimus Domino: ex hoc nunc & vſque in ſeculū.

Vt ſuprà.

Adiutorium noſtrum in nomine Domini, qui fecit cœlum & terram.

Oratio.

Ineffabile nomen Trinitatis Deus, qui fluenta Iordanis aſpectu tui luminis terruiſti, præſta, vt quos ablutos ſacro baptiſmate renouaſti, numquam patiaris à vetitis ſimulacrorum idolis maculari, Per.

PSALMVS.

cxiv. Dilexi, quoniam exaudiet Dominus vocem orationis meæ. Quia inclinauit aurem ſuam mihi: & in diebus meis inuocabo. Circumdederūt me dolores mortis: & pericula inferni inuenerunt me. Tribulationem & dolorem inueni: & nomen Domini inuocaui. O Domine libera animam meam: miſericors Dominus & iuſtus, & Deus noſter miſeretur. Cuſtodiēs paruulos Dominus: humiliatus ſum & liberauit me. Conuertere anima mea in requiem tuam: quia Dominus benefecit tibi. D Quia eripuit animam meam de morte: oculos meos à lachrymis, pedes meos à lapſu. Placebo Domino in regione viuorum.

Vt ſuprà.

In me ſunt, Deus vota tua, quæ reddam laudationes tibi. Quoniam eripuiſti animam meam de morte, & pedes meos de lapſu: vt placeam coram Deo in lumine viuentium.

Oratio.

Ablutor peccaminum Domine, qui animam te fideliter inuocātem velociter conſolaris; rogamus vt nos à periculis inferni erutos in regione viuorum, ablata peccati morte, reſtituas, Per.

PSALMVS.

cxv. Credidi, propter quod locutus ſum: ego autem humiliatus ſum nimis. Ego dixi in exceſſu meo: Omnis homo mēdax.

A Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem ſalutaris accipiam: & nomen Domini inuocabo. Vota mea Domino reddam coram omni populo eius: pretioſa in conſpectu Domini, mors ſanctorum eius. O Domine quia ego ſeruus tuus: ego ſeruus tuus, & filius ancillæ tuæ. Dirupiſti vincula mea, tibi ſacrificabo hoſtiam laudis: & nomen Domini inuocabo. Vota mea Domino reddam in conſpectu omnis populi eius: in atriis domus Domini in medio tui Hieruſalem. B

Vt ſuprà.

Lætamini in Domino, & confiteamini memoriæ ſanctificationis eius.

Oratio.

Talis ſit, quæſumus Domine, vita ſupplicum, ſicut eſt in cōſpectu tuo mors pretioſa Sanctorum; vt à vinculis peccati liberi mereamur futuræ Hieruſalem gaudiis prælibari. Per Dominum.

PSALMVS.

C Laudate Dominum omnes gentes: laudate eum omnes populi. cxvi. Quoniam confirmata eſt ſuper nos miſericordia eius: & veritas Domini manet in æternum.

Vt ſuprà.

Omnis terra adoret te Deus, & pſallat tibi: pſalmum dicam nomini tuo.

Oratio.

Omnipotentiſſime dominator, qui ab omnium gentium ore laudaris, precamur vt dilates veritatem tuam in mente noſtra, & confirmes ſuper nos miſericordiam tuam, Per.

PSALMVS.

Confitemini Domino quoniam bonus: quoniam in ſeculū miſericordia eius. cxvii. Dicat nunc Iſraël quoniam bonus: quoniā in ſeculum miſericordia eius. Dicat nunc domus Aaron: quoniam in ſeculum miſericordia eius. Dicant nunc qui timent Dominum: quoniā in ſeculum miſericordiā eius. De tribulatione inuocaui Dominum: & exaudiuit me in latitudine Dominus. E Dominus mihi adiutor: non timebo quid faciat mihi homo. Dominus mihi adiutor: & ego deſpiciam inimicos meos. Bonum eſt confidere in Domino, quàm confidere in homine. Bonum eſt ſperare in Domino, quàm ſperare in principibus. Omnes gentes circuierunt me: & in nomine Domini, quia vltus ſum in eos. Circundantes circumdederunt me: & in nomine Domini, quia vltus ſum in eos. Circundede-

runt me ſicut apes, & exarſerunt ſicut ignis in ſpinis: & in nomine Domini, quia vultus ſum in eos. Impulſus euerſus ſum vt caderem: & Dominus ſuſcepit me. Fortitudo mea & laus mea Dominus: & factus eſt mihi in ſalutem. Vox exultationis & ſalutis in tabernaculis iuſtorum. Dextera Domini fecit virtutẽ: dextera Domini exaltauit me: dextera Domini fecit virtutem. Non moriar, ſed viuam: & narrabo opera Domini. Caſtigans caſtigauit me Dominus: & morti non tradidit me. Aperite mihi portas iuſtitiæ, ingreſſus in eas confitebor Domino: hæc porta Domini, iuſti intrabunt in eam. Confitebor tibi quoniam exaudiſti me: & factus es mihi in ſalutem. Lapidem quem reprobauerunt ædificãtes: hic factus eſt caput anguli. A Domino factum eſt iſtud: & eſt mirabile in oculis noſtris. Hæc eſt dies quam fecit Dominus: exultemus & lætemur in ea. O Domine ſaluum me fac, ô Domine bene proſperare: benedictus qui venit in nomine Domini. Benediximus vobis de domo Domini: Deus Dominus & illuxit nobis. Conſtituite diem ſolennem in condenſis: vſque ad cornu altaris. Deus meus es tu, & confitebor tibi: Deus meus es tu, & exaltabo te. Confitebor tibi quoniam exaudiſti me: & factus es mihi in ſalutem. Confitemini Domino quoniam bonus: quoniam in ſeculum miſericordia eius.

Vt ſuprà.

Domine exaudi orationem meam, & clamor meus ad te veniat.

Oratio.

Conſolatio tribulationum noſtrarum, piiſſime Domine, qui iuſtorum tabernacula lætitia & exultatione perfundis, exalta Eccleſiam tuam virtute potentis dexteræ, qua fiat porta iuſtitiæ; & ita ſe angulari ſtabilitate connectat, vt tua reſurrectione clarificata fulgeat, Per.

PSALMVS.

CXXXIV. LAudate nomen Domini: laudate ſerui Dominum. Qui ſtatis in domo Domini: in atriis domus Dei noſtri. Laudate Dominum quia bonus Dominus: pſallite nomini eius, quoniam ſuaue. Quoniam Iacob elegit ſibi Dominus, Iſraël in poſſeſſionem ſibi. Quia ego cognoui quod magnus eſt Dominus: & Deus noſter præ omnibus diis. Omnia quæcunque voluit Dominus fecit in cœlo & in terra: in mari & in omnibus abyſſis. Educẽs nubes ab extremo terræ: fulgura in pluuiam fecit. Qui producit ventos de theſauris ſuis: qui percuſſit primogenita Ægypti ab homine vſque ad pecus. Et miſit ſigna & prodigia in medio tui Ægypte: in Pharaonem & in omnes ſeruos eius. Qui percuſſit gentes multas, & occidit reges fortes. Seon regem Amorrhæorum, & Og regem Baſan, & omnia regna Chanaam. Et dedit terram eorum hæreditatem: hæreditatem Iſraël populo ſuo. Domine nomen tuum in æternum: Domine memoriale tuum in generatione & generationem. Quia iudicabit Dominus populum ſuum: & in ſeruis tuis deprecabitur. Simulacra gentium argentum & aurum: opera manuum hominum. Os habent, & non loquentur: oculos habent, & non videbunt. Aures habent, & non audient: neque enim eſt ſpiritus in ore ipſorum. Similes illis fiant qui faciunt ea: & omnes qui confidunt in eis. Domus Iſraël benedicite Domino: domus Aaron benedicite Domino. Domus Leui benedicite Domino: qui timetis Dominum, benedicite Domino. Benedictus Dominus ex Sion, qui habitat in Hieruſalem.

Vt ſupra.

Benedictus Dominus Deus Iſraël à ſeculo, & vſque in ſeculum, & dicet *omnis* populus: Fiat, fiat.

Oratio.

Suauitas eximia Deus, quem omnis terra pro dulcedinis benignitate conlaudat; rogamus, vt ablato à nobis vanæ ſuperſtitionis errore, tuis voluntatibus connectamur, Per.

PSALMVS.

COnfitemini Domino quoniam bonus: quoniam in æternũ miſericordia eius. CXXXV.
Confitemini Deo Deorum: quoniam in æternum miſericordia eius. Confitemini Domino Dominorum: quoniam in æternum miſericordia eius. Qui facit mirabilia magna ſolus: quoniam in æternum miſericordia eius. Qui fecit cœlos in intellectu: quoniam in æternum miſericordia eius. Qui firmauit terram ſuper aquas: quoniam in æternum miſericordia eius. Qui fecit luminaria magna: quoniam in æternum miſericordia eius. Solem in poteſtatem diei: quoniam in æternũ miſericordia eius. Lunam & ſtellas, in poteſtatem noctis: quoniam in æternum miſericordia eius. Qui percuſſit Ægyptum, cum primogenitis eorum: quoniam in æternum miſericordia eius. Qui eduxit Iſraël in medio eorum: quoniam in æternum miſericordia eius. In manu potenti & brachio excelſo, quoniam

in æternum miſericordia eius. Qui diuiſit A mare rubrum in diuiſiones : quoniam in æternum miſericordia eius. Et eduxit Iſraël per medium eius : quoniam in æternum miſericordia eius. Et excuſſit Pharaonem & virtutem eius in mari rubro : quoniam in æternum miſericordia eius. Qui traduxit populũ ſuum per deſertum : quoniam in ſeculum miſericordia eius. Qui percuſſit reges magnos : quoniam in æternum miſericordia eius. Et occidit reges fortes : quoniam in æternum miſericordia eius. Seon regem Amorrheorum : quoniã in æternum miſericordia eius. Et Og regem Baſan : quoniam in æternum miſericordia eius. Et dedit terram eorum hæreditatem : quoniam in æternum miſericordia eius. Hæreditatem Iſraël ſeruo ſuo: quoniam in æternum miſericordia eius. Qui in humilitate noſtra memor fuit noſtri : quoniam in æternũ miſericordia eius. Et redemit nos ab inimicis noſtris : quoniã in æternum miſericordia eius. Qui dat eſcam omni carni : quoniam in æternum miſericordia eius. Confitemini Deo cœli : quoniam in æternum miſericordia eius. Confitemini Domino dominorum : quoniam in æternum miſericordia eius.

Vt ſuprà.

Domine refugium factus es nobis, à generatione & generatione. *Oratio.*

Memor humilitatis noſtræ , miſerere nobis omnipotens Deus, & qui quondam patribus noſtris terram aduerſariorum in hæreditate donaſti ; nos à peccati macula liberatos in tua hereditate conſtitue , Per.

PSALMVS.

CXLV. LAuda anima mea Dominum , laudabo Dominum in vita mea : pſallam Deo meo quandiu fuero. Nolite confidere in principibus : in filiis hominum in quibus non eſt ſalus. Exibit ſpiritus eius , & reuertetur in terram ſuam , in illa die peribunt omnes cogitationes eorum. Beatus cuius Deus Iacob adiutor eius , ſpes eius in Domino Deo ipſius : qui fecit cœlum & terrã, mare , & omnia quæ in eis ſunt. Qui cuſtodit veritatem in ſeculum , facit iudicium iniuriam patientibus : dat eſcam eſurientibus. Dominus ſoluit compeditos : Dominus illuminat cæcos. Dominus erigit eliſos : Dominus diligit iuſtos. Dominus cuſtodit aduenas , pupillum & viduam ſuſcipiet: & vias peccatorum diſperdet. Regnabit Dominus in ſecula , Deus tuus Sion in generatione & generationem.

Vt ſuprà.

Exaltate Dominum noſtrum, & adorate in mõte ſancto eius , quoniam ſanctus Dominus Deus noſter. *Oratio.*

Glorioſe omnipotens Deus, in quem beatorum animæ totam ſpei confidentiam ponunt ; concede nobis , vt adiutorio tuo inluminati, valeamus te iugiter mente pura diligere. Per.

PSALMVS.

B LAudate Dominum quoniam bonus eſt pſalmus : Deo noſtro ſit iucunda decoraque laudatio. Ædificans Hieruſalem Dominus , diſperſiones Iſraelis congregabit. Qui ſanat contritos corde : & alligat contritiones eorum. Qui numerat multitudinem ſtellarum : & omnibus eis nomina vocat. Magnus Dominus noſter , & magna virtus eius : & ſapientiæ eius non eſt numerus. Suſcipiens manſuetos Dominus : humilians autem peccatores vſque ad terram. Præcinite Domino in confeſſione : pſallite C Deo noſtro in cithara. Qui operit cœlum nubibus : & parat terræ pluuiam. Qui producit in montibus fœnum , & herbam ſeruituti hominum. Qui dat iumentis eſcam ipſorum : & pullis coruorum inuocantibus eum. Non in fortitudine equi voluntatem habebit: nec in tibiis viri beneplacitum erit ei. Beneplacitum eſt Domino ſuper timentes eum : & in eis qui ſperant ſuper miſericordia eius. CXLVI.

Vt ſuprà.

D Fiat miſericordia tua, Domine, ſuper nos, quemadmodum ſperauimus in te.

Oratio.

Ædificator cœleſtis Hieruſalem Deus, qui multitudinem ſtellarum & concludis numero , & nominatim ſingulas vocas : ſana, quæſumus , contritos corde , diſperſos congrega, atque nos in innumerabili ſapientia tua locupletare. Per.

PSALMVS.

E LAuda Hieruſalem Dominũ : lauda Deũ tuum Sion. Quoniam confortauit ſeras portarum tuarum : benedixit filiis tuis in te. Qui poſuit fines tuos pacem : & adipe frumenti ſatiat te. Qui emittit eloquiũ ſuum terræ : velociter currit ſermo eius. Qui dat niuem ſicut lanam : nebulam ſicut cinerem ſpargit. Mittit cryſtallum ſuum ſicut buccellas : ante faciem frigoris eius quis ſuſtinebit ? Emittet verbum ſuum , & liquefaciet ea : flabit ſpiritus eius, & fluent CXLVII.

aquæ. Qui annuntiat verbum ſuum Iacob: iuſtitias & iudicia ſua Iſraël. Non fecit taliter omni nationi: & iudicia ſua non manifeſtauit eis. *Vt ſuprà.*

Confitebor Domino ſecundum iuſtitiã eius, & pſallam nomini Domini altiſſimi.

Oratio.

Conforta, Domine, portas Eccleſiæ tuæ, & pone terminis eius pacem, eique adipem ſpiritalis tritici dignanter adtribue, Per.

PSALMVS.

CXLVIII. LAudate Dominum de cælis: laudate eũ in excelſis. Laudate eum omnes angeli eius: laudate eum omnes virtutes eius. Laudate eum ſol & luna: laudate eum omnes ſtellæ & lumen. Laudate eum cæli cælorum: & aquæ quæ ſuper cælos ſunt, laudent nomen Domini. Quia ipſe dixit, & facta ſunt: ipſe mandauit & creata ſunt. Statuit ea in æternũ & in ſeculum ſeculi: præceptum poſuit, & non præteribit. Laudate Dominum de terra: dracones & omnes abyſſi. Ignis, grando, nix, glacies, ſpiritus procellarum: quæ faciunt verbum eius. Montes & omnes colles, ligna fructifera, & omnes cedri. Beſtiæ, & vniuerſa pecora, ſerpentes & volucres pennatæ. Reges terræ & omnes populi, principes & omnes iudices terræ. Iuuenes & virgines, ſenes cum iunioribus laudent nomen Domini: quia exaltatum eſt nomẽ eius ſolius. Confeſſio eius ſuper cælum & terram: & exaltauit cornu populi ſui. Hymnus omnibus ſanctis eius: filiis Iſraël populo appropinquanti ſibi. *Vt ſuprà.*

Mirabilis Deus in ſanctis ſuis, Deus Iſrael, ipſe dabit virtutem, & fortitudinem plebi ſuæ benedictus Deus.

Oratio.

Excelſorum ſedium ſupereminẽs & excelſa poteſtas Deus, concede famulis tuis; vt ſicut cuncta, quæ cernimus, te iubente creata ſunt; ita quæ præcepiſti, te cuſtode ſeruentur, Per.

PSALMVS.

CXLIX. CAntate Domino cãticum nouum: laus eius in Eccleſia ſanctorum. Lætetur Iſraël in eo qui fecit eum: & filiæ Sion exultent in rege ſuo. Laudent nomen eius in choro: in tympano & Pſalterio pſallant ei. Quia beneplacitum eſt Domino in populo ſuo: & exaltauit manſuetos in ſalutem. Exultabunt ſancti in gloria: lætabuntur in cubilibus ſuis. Exultationes Dei in gutture eorum: & gladii ancipites in manibus eorum. Ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis. Ad alligandos reges eorum in cõpedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis. Vt faciant in eis iudicium conſcriptum: gloria hæc eſt omnibus ſanctis eius. *Vt ſuprà.*

Bonum eſt confiteri Domino, & pſallere nomini tuo, Altiſſime. Ad annuntiandum mane miſericordiam tuam, & veritatem tuam per noctem.

Oratio.

Auctor totius bonitatis Deus, qui omnem manſuetudinem te humiliter confitentem exaltas; præſta, vt ſicut ſanctos tuos exultare facis in gloria, ita præſentem Eccleſiam cuſtodire digneris perpetuis temporibus ab huius ſeculi delectationibus impollutam, Per Dominum.

PSALMVS.

LAudate Dominum in ſanctis eius: laudate eum in firmamento virtutis eius. CL.
Laudate eum in virtutibus eius: laudate eum ſecundum multitudinem magnitudinis eius. Laudate eum in ſono tubæ: laudate eum in pſalterio & cithara. Laudate eum in tympano & choro: laudate eum in chordis & organo. Laudate eum in cymbalis beneſonantibus, laudate eum in cymbalis iubilationis: omnis ſpiritus laudet Dominum. *Vt ſuprà.*

Laudate nomen eius, quoniam ſuauis eſt Dominus, in æternũ miſericordia eius, & vſque in generatione & generationem veritas eius.

Sic pſalmum dicam nomini tuo in ſeculum ſeculi, vt reddam vota mea de die in diem. *Oratio.*

Armoniæ noſtræ, Deus, ſuauiſſimum melos, qui noſtri pectoris modulamina nunc flatibus, nunc fletibus præcipis exercere; præſta, vt dum illa ſpiritali affectu concinimus, perpetualibus choris inſerti, te cum omnibus Sanctis collaudemus, Per.

HYMNVS TRIVM PVERORVM.

BEnedicite omnia opera Domini Domino: laudate & ſuperexaltate eum in ſecula. Benedicite angeli Domini Domino: benedicite cœli Domino. Benedicite aquæ omnes quæ ſuper cœlos ſunt Domino: benedicite omnes virtutes Domini Domino. Benedicite ſol & luna Domino: benedicite ſtellæ cœli Domino. Benedicite imber & ros Domino: benedicite omnis ſpiritus Dan. 3.

Dei

Dei Domino. Benedicite ignis & æſtus A Domino: benedicite frigus & æſtas Domino. Benedicite rores & pruina Domino: benedicite gelu & frigus Domino. Benedicite glacies & niues Domino: benedicite noctes & dies Domino. Benedicite lux & tenebræ Domino: benedicite fulgura & nubes Domino. Benedicat terra Dominum: laudet & ſuperexaltet eum in ſecula. Benedicite montes & colles Domino: benedicite vniuerſa germinantia in terra Domino. Benedicite fontes Domino: benedicite maria & flumina Domino. B Benedicite cetæ & omnia quæ mouentur in aquis Domino: benedicite omnes volucres cœli Domino. Benedicite omnes beſtiæ & pecora Domino: benedicite filij hominum Domino. Benedicat Iſraël Domino: laudet & ſuperexaltet eum in ſecula. Benedicite Sacerdotes Domini Domino: benedicite ſerui Domini Domino. Benedicite ſpiritus & animæ iuſtorum Domino: benedicite ſancti & humiles corde Domino. Benedicite Anania, Azaria, Miſael Domino: laudate & ſuperexaltate eum in C ſecula. Benedicamus Patrē & Filium, cum ſancto Spiritu: laudemus & ſuperexaltemus eum in ſecula. Benedictus es Domine in firmamento cœli: laudabilis & glorioſus & ſuperexaltatus in ſecula.

Oratio.

Deus, per quem fides ignem non ſentit, & infidelitas ſine igne exuritur; qui beatiſſimos tres pueros fide armatos, coniectos in camino ignis, læto vultu omni ex parte inlæſos Hymnum tibi canere feciſti: obſe- D cramus vt pari dignatione, fide, & deuotione nos armare, & timoris tui vigore implere digneris, vt à camino vitiorum liberati Hymnum dicere, & exaltare nomen tuum in perpetuum mereamur.

LETANIA.

Parce Domine, parce populo tuo, quem redemiſti, Chriſte, ſanguine tuo: ne in E æternum iraſcaris nobis.

Chriſte audi nos.

Præſta mihi, Deus, vt te primum benè rogem.

Deinde vt me dignum facias exaudiri.

Deinde vt exaudias.

Sancta MARIA, ora pro nobis.

Sancta Maria, intercede pro me peccatore.

Sancta Maria, adiuua me in die exitus mei ex hac præſenti vita.

Sancte Ioannes, ora pro nobis.

Sancte Petre, ora pro nobis.

Sancte Paule, ora pro nobis.

Sancte Andrea, ora pro nobis.

Sancte Iacobe, ora pro nobis.

Sancte Ioannes, ora pro nobis.

Sancte Thoma, ora pro nobis.

Sancte Iacobe, ora pro nobis.

Sancte Philippe, ora pro nobis.

Sancte Bartholomæe, ora pro nobis.

Sanctæ Mathæe, ora pro nobis.

Sancte Tathæe, ora pro nobis.

Omnes ſancti Apoſtoli, orate pro nobis.

Sancte Stephane, ora pro nobis.

Sancte Line, ora pro nobis.

Sancte Clete, ora pro nobis.

Sancte Clemens, ora pro nobis.

Sancte Sixte, ora pro nobis.

Sancte Corneli, ora pro nobis.

Sancte Cypriane, ora pro nobis.

Sancte Dionyſi cum ſociis tuis, ora pro nobis.

Sancte Laurenti, ora pro nobis.

Sancte Maurici cum ſociis tuis, ora pro nobis.

Sancte Coſme, ora pro nobis.

Sancte Damiane, ora pro nobis.

Omnes ſancti Martyres, orate pro nobis.

Sancti Hilari, ora pro nobis.

Sancte Martine, ora pro nobis.

Sancte Silueſter, ora pro nobis.

Sancte Leo, ora pro nobis.

Sancte Ambroſi, ora pro nobis.

Sancte Gregori, ora pro nobis.

Sancte Germane, ora pro nobis.

Sancte Remigi, ora pro nobis.

Sancte Amande, ora pro nobis.

Sancte Chrodoberte, ora pro nobis.

Sancte Hieronyme, ora pro nobis.

Sancte Benedicte, ora pro nobis.

Sancte Maure, ora pro nobis.

Sancte Babolene, ora pro nobis.

Omnes ſancti Confeſſores, orate pro nobis.

Sancta Felicitas, ora pro nobis.

Sancta Perpetua, ora pro nobis.

Sancta Agatha, ora pro nobis.

Sancta Lucia, ora pro nobis.

Sancta Cecilia, ora pro nobis.

Sancta Agnes, ora pro nobis.

Sancta Anaſtaſia, ora pro nobis.

Sancta Euphemia, ora pro nobis.

Sancta Petronilla, ora pro nobis.

Sancta Suſanna, ora pro nobis.
Sancta Brigida, ora pro nobis.
Omnes ſanctæ Virgines, orate pro nobis.
Propitius eſto, parce nobis Domine.
Propitius eſto, libera nos Domine.
Ab omni malo libera nos Domine.
Ab omni tentatione libera nos Domine.
Ab omni cogitatione mala libera nos Domine.
Ab omni iniquitate libera nos Domine.
Ab omni immunditia cordis & corporis libera nos Domine.
Per Crucem tuam libera nos Domine.
Peccatores te rogamus audi nos.
Vt pacem nobis donare digneris Domine Ieſu, te rogamus audi nos.
Vt indulgentiam delictorum noſtrorum nobis donare digneris Domine Ieſu, te rogamus audi nos.
Vt remiſſionem peccatorum noſtrorum nobis donare digneris Domine Ieſu, te rogamus audi nos.
Vt gratiam ſancti Spiritus cordibus noſtris clementer infundere digneris Domine Ieſu, te rogamus audi nos.
Vt interceſſionem ſanctorum tuorum nobis donare digneris Domine Ieſu, te rogamus audi nos.
Vt ſanctam caritatem tuam nobis donare digneris Domine Ieſu, te rogamus audi nos.
Vt fidem rectam nobis donare digneris Domine Ieſu, te rogamus audi nos.
Vt ſpem firmam in tua bonitate nobis donare digneris Domine Ieſu, te rogamus audi nos.
Vt vitam æternam nobis donare digneris Domine Ieſu, te rogamus audi nos.
Vt laudem ſancto nomini tuo nobis donare digneris Domine Ieſu, te rogamus audi nos.
Fili Dei, te rogamus audi nos.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miſerere nobis.
Chriſte audi nos. Kyrie eleiſon, Kyrie eleiſon, Kyrie eleiſon. Pater noſter.

Miſerere mei Deus, miſerere mei: quoniam in te confidit anima mea. Exaltare ſuper cœlos Deus, & ſuper omnem terram gloriam tuam, vt liberentur dilecti tui. Adiutor meus, tibi pſallam, quia Deus ſuſceptor meus: Deus meus, miſericordia mea. Benedicam Dominum in omni tempore: ſemper laus eius in ore meo. Domine exaudi orationem meam, & clamor meus ad te veniat.

A

Oratio.

Armoniæ noſtræ ſuauiſſimū melos, Deus, qui noſtri pectoris modulamina nunc facibus †, nunc fletibus præcipis exercere: † al. [illegible]bus.
præſta quæſumus, Domine, vt qui illo ſpiritali concinimus, perpetualibus choris inſerti cum ſanctis omnibus gloriari mereamur. Per.

B

FERIA II.

Confeſſio peccatorum pura Alchuuini.

DEvs inæſtimabilis miſericordiæ, Deus immenſæ pietatis, Deus conditor & reparator humani generis, qui confitentium tibi corda purificas, & accuſantes ſe ante conſpectum diuinæ clementię tuæ ab omni vinculo iniquitatis abſoluis; virtutem tuam totis exoro gemitibus, vt ſecundum multitudinem miſerationum tuarum, de omnibus peccatis meis, de

C

quibus me mea conſcientia accuſat, puram mihi coram te concedas agere confeſsionem; veramque ex his omnibus & condignam mihi tribuas pœnitentiam, quæcumque peccaui in cogitationibus peſsimis, in meditationibus prauis, in conſenſu malo, in conſilio iniquo, in concupiſcentia atque delectatione immunda, in verbis otioſis, in factis malitioſis, in viſu, in auditu, in guſtu, in odoratu & tactu. Tu enim, miſeri-

D

cors Deus, ad operādum mihi animæ meæ ſalutem membra ſingula humanis vſibus apta dediſti. Sed ego miſerrimus omnium & peccator, te æternæ ſalutis auctorem contempſi, & æterna mihi inimico incendia præparanti ſuadente conſenſi. Lapſus ſum in peccatis, corrui in deliciis. In membris ſingulis naturæ modum exceſsi, & impiis me laboribus obnoxium feci. Pedes mei ad currendum in malum ſequendo libidinem ſupra modum veloces fuerunt, & in obedientia mandatorum tuorum im-

E

becilles. Crura mea ad me ſuſtinendum in malum fortes. Genua mea ad fornicationem potiùs quàm ad orationē flexi. In femoribus & in genitalibus meis ſupra modū in omnibus me immūditiis contaminare non metui, & reum me omni hora peregi. Venter meus & viſcera omnia crapula ſunt iugiter & ebrietate diſtenta. In renibus & lumbis, inluſione diabolica ac flagitia libidinis turpiſſimo ardeo deſiderio. Lacera

enim mea luxuriæ malitiam non formidant perpetrare. Dorſum meum ad iniqua roboraui opera, & collum meum in carnali erexi ſuperbia. Humera mea ad portanda nequitiæ onera ſubdidi. Et brachia illecebroſis iugiter amplexibus præbui. Manus meæ plenæ ſunt ſanguine, omnibuſque ſordibus ſunt pollutæ. Promptæ ad omne opus prauum, pigræ ad aliquid operandum bonum. Os meum nefario pollutum eſt oſculo, & iniqua eſt concupiſcentia maculatum. Verbiſque luxurioſis, ac fabulis otioſis ſuperabundanter me & mendacio coinquinaui. Gulæ ſemper & ebrietati deditus, carnalibus numquam deſideriis ſatiatus. Sed & lingua mea omni eſt fallacia profanata. Guttur meum inſatiabili ſemper ardet ingluuie. Aures meæ doloſis ſunt obtuſæ loquelis, promptæ ad omne malum, ſurdæ ad omne bonum. In naribus namque ſæpius iniquis delectatus ſum odoribus, in quibus etiam putredinem delictorũ minimè horrui. Quid igitur dicam de oculis, qui omnibus me fecerunt obnoxium, omnemque ſenſum cordis mei auerterunt, quibus in omni conſenſi libidine? Qui & me, quamuis raro in Sanctuario tuo, Domine, te adorantem intuitu peruerterunt iniquo, omnemque motum corporis mei ad immunda pertraxerunt deſideria. Caput verò meum omnibus ſupereminens membris rarò vmquã ad te Deum creatorem meum incuruaui; ſed etiam ceteris membris in omni malitia conſentaneum feci. Cor meum plenum dolo & malitia, numquam purâ purgaui pœnitentia: ſemperque diabolica pollui inluſione, nunquam vera ablui confeſſione. Non enim hæc narrans tuam, Domine in me blaſphemo creaturam: ſed meam ad te piiſſime Deus, expoſco medicinam. Qui etiam in omnibus membris meis me reum intellige ſuper menſuram. Quia vt aſtra cœli, atque arena maris, mea ita innumerabilia cognoſco delicta. Inſuper etiam ira, triſtitia, accidia, iactantia, atque deſidia, omnibuſque octo principalibus vitiis obnoxium me eſſe profiteor. Sed tu, Domine occultorum cognitor, qui dixiſti pœnitẽtiã te malle peccatorum quàm mortem: tibi omnia cordis mei reuelabo arcana. Reſpice in me, & miſerere mei, fontemque lacrymarum & remiſſionem omnium peccatorum, intimam mihi cordis confeſſionem tribue poſcenti. Renoua, innoua, piiſſime Pater, quicquid actione, quod verbo, quod ipſa denique cogitatione diabolica fraude vitiatum eſt. Et vnitati corporis Eccleſiæ membrum tuæ redemptionis adnecte. Et non habentem fiduciam niſi in tua miſericordia, ad ſacramentum tuæ reconciliationis admitte, Per Ieſum Chriſtum vnigenitum filium tuum Dominum & Saluatorem noſtrum, qui tecum vna cum ſancto Spiritu vnus eſt Dominus, per immortalia regnans ſecula ſeculorum, Amen.

Nouè dictum.

PSALMI POENITENTIALES.

PSALMVS I.

B DOmine ne in furore tuo arguas me: neque in ira tua corripias me. Miſerere mei Domine, quoniam infirmus ſum: ſana me Domine: quoniam conturbata ſunt oſſa mea. Et anima mea turbata eſt valde: ſed tu Domine vſquequo? Conuertere Domine, & eripe animam meam, ſaluum me fac propter miſericordiam tuam. Quoniã non eſt in morte qui memor ſit tui: in inferno autem quis confitebitur tibi? Laboraui in gemitu meo, lauabo per ſingulas C noctes lectum meum: lacrymis meis ſtratum meum rigabo. Turbatus eſt à furore oculus meus: inueteraui inter omnes inimicos meos. Diſcedite à me omnes qui operamini iniquitatem: quoniam exaudiuit Dominus vocem fletus mei. Exaudiuit Dominus deprecationem meam: Dominus orationem meam ſuſcepit. Erubeſcant, & conturbentur vehementer omnes inimici mei: conuertantur & erubeſcant valde velociter.

D *Vt ſupra.*

Domine conuertere, & eripe animam meam, ſaluum me fac propter miſericordiam tuam. Reſpice, & exaudi me, Domine Deus meus, illumina oculos meos: ne vmquam obdormiam in morte, ne quando dicat inimicus meus, Præualui aduerſus eum. Ab occultis meis munda me, Domine, & ab alienis parce ſeruo tuo.

Oratio.

E Exauditor omnium Deus, exaudi noſtrorũ fletuum ſupplicem vocem, & tribue infirmitatibus noſtris perpetuam firmitatem: vt dum dignanter gemitum noſtri laboris ſuſcipis, tua nos ſemper miſericordia conſoleris, Per Dominum.

PSALMVS II.

BEati quorum remiſſæ ſunt iniquitates: & quorum tecta ſunt peccata. XXXI.

Beatus vir cui nō imputauit Dominus peccatum: nec eſt in ſpiritu eius dolus. Quoniam tacui, inueterauerunt oſſa mea: dum clamarem tota die. Quoniam die ac nocte grauata eſt ſuper me manus tua: conuerſus ſum in ærumna, dum configitur ſpina. Delictum meum cognitū tibi feci: & iniuſtitiam meam non abſcondi. Dixi, confitebor aduerſum me iniuſtitiā meam Domino: & tu remiſiſti impietatem peccati mei. Pro hac orabit ad te omnis ſanctus in tempore opportuno. Veruntamen in diluuio aquarum multarum, ad eum non approximabunt. Tu es refugium meum à tribulatione quæ circundedit me: exultatio mea erue me à circundantibus me. Intellectum tibi dabo, & inſtruam te in via hac qua gradieris: firmabo ſuper te oculos meos. Nolite fieri ſicut equus & mulus: quibus non eſt intellectus. In chamo & freno maxillas eorum conſtringe: qui non approximant ad te. Multa flagella peccatoris: ſperantem autem in Domino, miſericordia circundabit. Lætamini in Domino & exultate iniuſti: & gloriamini omnes recti corde.

Vt ſuprà.

Delicta iuuentutis meæ, & ignorantias meas ne memineris Domine. Secundum magnam miſericordiam tuam memento mei tu propter bonitatem tuam Domine. Propter nomen tuum, Domine, propitiaberis peccato meo: multum eſt enim. Delictum meum cognitum tibi feci, & iniuſtitiam meam non abſcondi.

Oratio.

Sancte Domine, qui remiſſis delictis beatitudinem te confeſſis adtribuis, exaudi vota præſentis familiæ †, & cōfractis peccati aculeis ſpiritali nos exultatione perfunde. Per Dominum noſtrum.

† al. Eccleſiæ.

PSALMVS III.

XXXVII. DOmine ne in furore tuo arguas me: neque in ira tua corripias me. Quoniam ſagittæ tuæ infixæ ſunt mihi: & confirmaſti ſuper me manum tuam. Non eſt ſanitas in carne mea à facie iræ tuæ: non eſt pax oſſibus meis à facie peccatorum meorū. Quoniam iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meū: & ſicut onus graue grauatæ ſunt ſunt ſuper me. Putruerūt & corruptæ ſunt cicatrices meæ: à facie inſipientiæ meæ. Miſer factus ſum & curuatus ſum vſque in finem: tota die contriſtatus ingrediebar. Quoniam lumbi mei impleti ſunt illuſionibus & non eſt ſanitas in carne mea. Afflictus ſum & humiliatus ſum nimis: rugiebam à gemitu cordis mei. Domine, ante te omne deſiderium meum: & gemitus meus à te non eſt abſconditus. Cor meum conturbatum eſt, dereliquit me virtus mea: & lumen oculorum meorum, & ipſum non eſt mecum. Amici mei & proximi mei aduerſum me appropinquauerunt & ſteterūt. Et qui iuxta me erant de longè ſteterunt: & vim faciebant qui quærebant animam meā. Et qui inquirebant mala mihi, locuti ſunt vanitates: & dolos tota die meditabantur. Ego autem tāquam ſurdus non audiebam: & ſicut mutus non aperiens os ſuum. Et factus ſum ſicut homo non audiens: & non habens in ore ſuo redargutiones. Quoniā in te Domine ſperaui, tu exaudies me Domine Deus meus. Quia dixi: Nequando ſupergaudeant mihi inimici mei: & dum commouentur pedes mei, ſuper me magna locuti ſunt. Quoniā ego in flagella paratus ſum: & dolor meus in cōſpectu meo ſemper. Quoniā iniquitatē meā annuntiabo, & cogitabo pro peccato meo. Inimici autem mei viuunt, & confirmati ſunt ſuper me: & multiplicati ſunt qui oderunt me iniquè. Qui retribuunt mala prō bonis, detrahebant mihi: quoniam ſequebar bonitatem. Ne derelinquas me Domine Deus meus: ne diſceſſeris à me. Intende in adiutorium meum, Domine Deus ſalutis meæ.

Preces vt ſuprà.

Domine, ante te omne Deſiderium meū, & gemitus meus à te non eſt abſconditus. Exaudi orationem meam, Domine, & deprecationem meam: auribus percipe lachrymas meas. Complaceat tibi, Domine, vt eruas me: Domine ad adiuuandum me reſpice.

Oratio.

Emitte, Domine, ſalutare tuum infirmitatibus noſtris, vulnerum cicatricumque mortalium potentiſſime medicator; vt omnem gemitū doloremque noſtrum coram te deplorantes, valeamus euincere inſultationes aduerſantium vitiorum. Per Dominum noſtrum.

PSALMVS IIII.

MIſerere mei Deus ſecundum magnam miſericordiam tuam. Et ſecundum multitudinem miſerationum tuarum: dele iniquitatem meam. Amplius laua me ab iniquitate mea: & à peccato meo munda me. Quoniam iniquitatem meam ego cognoſco: & peccatum meum contra me eſt ſemper. Tibi ſoli peccaui, & malum coram te feci: vt iuſtificeris in ſermonibus tuis, & vincas cùm iudicaris.

Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum: A &in peccatis concepit me mater mea. Ecce enim veritatem dilexiſti: incerta & occulta ſapientiæ tuæ manifeſtaſti mihi. Aſperges me Domine hyſopo & mundabor: lauabis me, & ſuper niuē dealbabor. Auditui meo dabis gaudium & lætitiam: & exultabunt oſſa humiliata. Auerte faciem tuam à peccatis meis: & omnes iniquitates meas dele. Cor mundum crea in me Deus: & ſpiritum rectum innoua in viſceribus meis. Ne proiicias me à facie tua: & ſpiritum ſanctū tuum ne auferas à me. Redde mihi lætitiā B ſalutaris tui: & ſpiritu principali confirma me. Docebo iniquos vias tuas: & impij ad te conuertētur. Libera me de ſanguinibus Deus Deus ſalutis meæ: & exultabit lingua mea iuſtitiam tuā. Domine labia mea aperies: & os meum annuntiabit laudem tuā. Quoniam ſivoluiſſes ſacrificium dediſſem: vtique holocauſtis non delectaberis. Sacrificium Deo, ſpiritus contribulatus: cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies. Benignè fac Domine in bona voluntate tua Sion: vt ædificentur muri Hieruſalem. C Tunc acceptabis ſacrificium iuſtitiæ, oblationes & holocauſta: tunc imponent ſuper altare tuum vitulos.

Vt ſuprà.

Domine miſerere mei, ſana animam meam quia peccaui tibi. Miſerere mei Deus, miſerere mei, quoniam in te confidit anima mea. Domine, auerte faciem tuam à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele. Ne memineris, Domine, D iniquitatum noſtrarum antiquarum: citò anticipent nos miſericordiæ tuæ, quia pauperes facti ſumus nimis. Adiuua nos, Deus, ſalutaris noſter, propter gloriam nominis tui, Domine, libera nos; & propitius eſto peccatis noſtris propter nomen tuum.

Oratio.

Profluæ miſerationis ineffabile nomen Trinitatis Deus, qui humani pectoris antrum emundans viciis, ſuper candorem efficis niuis; innoua, quæſumus, in viſceribus E noſtris, Spiritum ſanctum tuum, quo laudem tuam adnunciare poſſimus: vt recto principalique ſpiritu confirmati, mereamur æternis ſedibus in Hieruſalem cœleſtem componi. Per.

Psalmvs v.

DOmine exaudi orationem meam: & clamor meus ad te veniat. Non auertas faciem tuam à me: in quacunque die tribulor, inclina ad me aurem tuam. In quacunque die inuocauero te: velociter exaudi me. Quia defecerunt ſicut fumus dies mei: & oſſa mea ſicut cremium aruerunt. Percuſſus ſum vt fœnum, & aruit cor meum: quia oblitus ſum comedere panem meum. A voce gemitus mei adhæſit os meum carni meæ. Similis factus ſum pellicano ſolitudinis: factus ſum ſicut nycticorax in domicilio. Vigilaui, & factus ſum ſicut paſſer ſolitarius in tecto. Tota die exprobrabant mihi inimici mei: & qui laudabant me aduerſum me iurabāt. Quia cinerem tanquam panem manducabam, & potum meum cum fletu miſcebam. A facie iræ indignationis tuæ: quia eleuans alliſiſti me. Dies mei ſicut vmbra declinauerunt: & ego ſicut fœnum arui. Tu autem Domine in æternum permanes: & memoriale tuum in generatione & generationem. Tu exurgens miſereberis Sion: quia tempus miſerendi eius, quia venit tempus. Quoniam placuerunt ſeruis tuis lapides eius: & terræ eius miſerebuntur. Et timebunt gentes nomen tuum Domine, & omnes reges terræ gloriam tuam. Quia ædificauit Dominus Sion: & videbitur in gloria ſua. Reſpexit in orationem humilium: & non ſpreuit precem eorum. Scribātur hæc in generatione altera: & populus qui creabitur laudabit Dominum. Quia proſpexit de excelſo ſancto ſuo, Dominus de cœlo in terram aſpexit. Vt audiret gemitus compeditorum, vt ſolueret filios interemptorū. Vt annuncient in Sion nomen Domini: & laudem eius in Hieruſalem. In conueniēdo populos in vnum & reges terræ: vt ſeruiāt Domino. Reſpondit ei in via virtutis ſuæ: paucitatem dierum meorum nuncia mihi. Ne reuoces me in dimidio dierum meorū: in generatione & generationem anni tui. Initio tu Domine terram fundaſti & opera manuum tuarum ſunt cœli. Ipſi peribunt, tu autem permanes: & omnes ſicut veſtimentum veteraſcent. Et ſicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur: tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient. Filij ſeruorum tuorum habitabunt: & ſemen eorum in ſeculum dirigetur.

Vt ſuprà.

Deus tu ſcis inſipientiam meam, & delicta mea à te non ſunt abſcondita. In multitudine miſericordię tuæ exaudi me, in ve-

ritate ſalutis tuæ.Exaudi me Domine,quoniam benigna eſt miſericordia tua: ſecundum multitudinem miſerationum tuarum reſpice in me. Et ne auertas faciem tuam à puero tuo; quoniam tribulor, velociter exaudi me. Intende animæ meæ, & libera eam:propter inimicos meos eripe me.

Oratio.

Exorabilis Domine, intende in orationem ſupplicum tuorum, vt qui in peccatis detenti tanquam fœnum aruimus,reſpectu cœleſtis miſericordiæ ſubleuemur. Per.

PSALMVS VI.

CXXIX. DE profundis clamaui ad te Domine: Domine exaudi vocem meam. Fiant aures tuæ intendentes: in vocem deprecationis meæ. Si iniquitates obſeruaueris Domine: Domine quis ſuſtinebit? Quia apud te propitiatio eſt: & propter legem tuam ſuſtinui te Domine. Suſtinuit anima mea in verbo eius: ſperauit anima mea in Domino. A cuſtodia matutina vſque ad noctem, ſperet Iſraël in Domino. Quia apud Dominum miſericordia:& copioſa apud eum redemptio. Et ipſe redimet Iſraël, ex omnibus iniquitatibus eius. *Vt ſuprà.*

Domine, vide humilitatem meam & laborem meum: & dimitte vniuerſa delicta mea. Ne perdas, Domine,cum impiis animam meam;& cum viris ſanguinum vitam meam. Redime me, Domine, & miſerere mei. *Oratio.*

Intendant, quæſumus Domine, pietatis tuæ aures in oratione ſupplicũ, quia apud te eſt propitiatio peccatorum: vt non obſerues iniquitates noſtras,ſed impertias nobis miſericordias tuas. Per Dominum.

PSALMVS VII.

CXLII. DOmine exaudi orationem meam,auribus percipe obſecrationem meam: in veritate tua exaudi me in tua iuſtitia.Et nõ intres in iudicium cum ſeruo tuo:quia non iuſtificabitur in cõſpectu tuo omnis viuẽs. Quia perſecutus eſt inimicus animã meã: humiliauit in terra vitã meam. Collocauit me in obſcuris ſicut mortuos ſeculi, & anxiatus eſt ſuper me ſpiritus meus: in me turbatum eſt cor meum. Memor fui dierũ antiquorum, meditatus ſum in omnibus operibus tuis:in factis manuũ tuarum meditabar. Expandi manus meas ad te:anima mea ſicut terra ſine aqua tibi. Velociter exaudi me Domine,defecit ſpiritus meus. Nõ

A auertas faciẽ tuam à me:& ſimilis ero deſcendentibus in lacum. Auditam fac mihi mane miſericordiam tuã:quia in te ſperaui. Notam fac mihi viã in qua ambulem: quia ad te leuaui animam meam. Eripe me de inimicis meis, Domine ad te confugi:doce me facere voluntatem tuã,quia Deus meus es tu. Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam:propter nomen tuum Domine: viuificabis me in æquitate tua. Educes de tribulatione animã meam, & in miſericordia tua diſperdes omnes inimicos meos. Et perdes omnes qui tribulant anı- B mam meam: quoniã ego ſeruus tuus ſum.

Vt ſupra.

Clamaui ad te, Domine, dixi: Tu es ſpes mea,portio mea in terra viuentium.Intende ad deprecationem meam, quia humiliatus ſum nimis.Libera me à perſequentibus me,quia confortati ſunt ſuper me.Educ de cuſtodia animam meam, ad confitendum nomini tuo:me expectant iuſti donec retribuas mihi. *Oratio.*

Deus qui matutinam ſacræ reſurrectionis C tuæ auditam feciſti iocunditatem; cùm ex inferno rediens repleſti terram gaudiis, quam reliqueras in obſcuris.

Rogamus potentiæ tuæ ineffabilem maieſtatem, vt ſicut tunc cateruam Apoſtolicam gaudere feciſti ſacra in anaſtaſi:ita hãc Eccleſiam tuam miſericordiam expanſis manibus flagitantem ſplẽdore cœleſtis iubaris inluſtrare digneris, Per Dominum.

Letania vt ſuprà. Et Preces.

Ego dixi, Domine miſerere mei, ſana animam meã,quia peccaui tibi.Deus,Deus D meus,reſpice in me, quare me dereliquiſti? longè à ſalute mea verba delictorum meorum. Ego autem ſum vermis, & nõ homo: opprobrium hominum, & abiectio plebis. Quoniam tu es, Domine, qui extraxiſti me de ventre, ſpes mea ab vberibus matris meę:in te proiectus ſum ex vtero.Salua me ex ore leonis: & à cornibus vnicornium humilitatem meam. Ne auertas faciem tuã à me, ne declines in ira à ſeruo tuo. Adiutor meus eſto, ne derelinquas me: neque E deſpicias me, Deus ſalutaris meus. Ne ſimul tradas me cum peccatoribus, & cum operantibus iniquitatẽ ne perdas me. Amplius laua me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me. Quoniam iniquitatem meam ego cognoſco, & peccatũ meũ cõtra me eſt ſemper. Aſperges me hyſopo, & mũdabor: lauabis me & ſuper niuẽ dealbabor. Exſurge, Domine, adiuua nos: & libera nos propter nomẽ tuũ. Domine Deus virtutũ cõuerte nos, & oſtende faciẽ tuã, &

ſalui erimus. Conuerte nos,Deus ſalutaris noſter,&auerte iram tuam à nobis.Deus tu conuerſus viuificabis nos,&plebs tua lætabitur in te. Oſtende nobis Domine miſericordiam tuam, & ſalutare tuum da nobis. Domine exaudi orationem meam, & clamor meus ad te veniat.Miſerere mei Deus, ſecundum magnam miſericordiam tuam.

Oratio.

Quæſumus omnipotens Deus, adflicti populi lacrymas reſpice, & iram tuæ indignationis auerte, vt qui reatum noſtræ infirmitatis agnoſcimus, tua conſolatione liberemur. Per.

Alia.

Deus, qui conſpicis omni nos virtute deſtitui, interius exteriuſque cuſtodi: vt & ab omnibus aduerſitatibus muniamur in corpore; & à prauis cogitationibus mundemur in mente. Per.

Item Oratio.

Propitiare, Domine, iniquitatibus noſtris, & exorabilis tuis eſto ſupplicibus, vt conceſſa venia quam precamur, perpetuo miſericordiæ tuæ munere gloriemur.Per.

ORATIO FER. II. SI QVIS SE in tribulationibus derelictum intelligat, decantanda.

DEus, qui contritorum non deſpicis gemitum, & mœrentium non aſpernaris affectum, adeſto precibus noſtris,quas pietati tuæ pro tribulatione noſtra fundere præſumimus: implorantes, vt eas clementer ſuſcipere digneris, tribuaſque vt quicquid contra nos diabolicæ atque humanæ moliũtur aduerſitates, ad nihilum redigas, D & conſilio pietatis tuæ allidas, vt nullis aduerſitatibus læſi,ſed erepti de omni tribulatione & anguſtia,læti tibi in Eccleſia tua ſãcta gratias referamus per Chriſtum Dominum noſtrum. Per quem te, ſumme Deus, rogamus, vt preces has adtendas propitiabili dignatione, & ad hanc noſtrã orationẽ reſpicias, quam tibi pro ereptione & releuatione noſtra à preſſura noſtræ infirmitatis offerimus. Iam Domine reſpice ſuper nos vultu placabili,& miſericordia ſingulari à nobis amoue quod ſæuitia malorum E permittit, quod inimicorum prauitas infert, quod prauorum in conſiliis aduerſitas alligat, quod ex iudicio imminet, quod ex ſententia pendet, quod conſpiratione machinatur, quod accuſatione confingitur, quod propriæ merentur iniquitates, quod alienis ſanctionibus alligatur: quòd preſſuris deiicimur, quòd cruciatibus premimur, A quòd anguſtiis anguſtiamur. Non iuſtitia tua,Domine quæſumus, iniuſtitias noſtras exerceas:ſed potius pietatem tuã in noſtris iniquitatibus manifeſta, nõ nos in perſecutione deiicias. Nõ per intolerantiã perdas, ſed per tribulationem exerce,per pietatem adtolle, per miſericordiã rege: quo per te ab inimicorum iaculis tuti,à præſenti tribulatione exempti, te Deum vnum in Trinitate conſona conlaudemus voce. Qui cum eo vnigenito filio tuo Domino noſtro Ieſu Chriſto, ſanctoque paracleto Spiritu viuis & regnas, Domine Deus omnipotens, Per B omnia ſecula ſeculorum, Amen.

PSALMVS.

VSquequo Domine obliuiſceris me in XII.
finem?vſquequo auertis faciem tuam à me?Quamdiu ponã conſilia in anima mea: dolorem in corde meo per diem? Vſquequo exaltabitur inimicus meus ſuper me? reſpice & exaudi me Domine Deus meus. Illumina oculos meos ne vnquam obdormiam in morte: nequando dicat inimicus C meus: Præualui aduerſus eum. Qui tribulant me,exultabunt ſi motus fuero:ego autem in miſericordia tua ſperaui. Exultabit cor meum in ſalutari tuo:cantabo Domino qui bona tribuit mihi, & pſallam nomini Domini altiſſimi.

Vt ſuprà.

Ego autem in multitudine miſericordiæ tuæ introibo in domum tuam, adorabo ad templum ſanctum tuum in timore tuo.Domine deduc me in iuſtitia tua propter inimicos meos, dirige in conſpectu tuo viam meam. *Oratio.*

Ne auertas faciem tuam à nobis omnipotens Deus, ne inimici noſtri exaltentur aduerſus nos:ſed ita cor noſtrum Salutaris tui exultatione perfunde,vt faciat nos ſomnum ſecundæ mortis euadere.Per.

PSALMVS.

IN te Domine ſperaui, non confundar in LXX.
æternum:in iuſtitia tua libera me & eripe me.Inclina ad me aurem tuam:& ſalua me. Eſto mihi in Deum protectorem, & in locũ munitum: vt ſaluum me facias Quoniam firmamentum meum & refugium meum es tu. Deus meus eripe me de manu peccatoris: & de manu contra legem agentis & iniqui.Quoniam tu es patientia mea Domine;Domine ſpes mea à iuuentute mea.In te confirmatus ſum ex vtero:de ventre matris meæ tu es protector meus. In te cantatio

mea ſemper: tanquam prodigium factus ſũ multis, & tu adiutor fortis. Repleatur os meum laude, vt cantem gloriam tuam: tota die magnitudinem tuam. Ne proiicias me in tempore ſenectutis: cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me. Quia dixerunt inimici mei mihi: & qui cuſtodiebant animam meam, conſilium fecerunt in vnum. Dicentes: Deus dereliquit eum, perſequimini, & comprehendite eum: quia non eſt qui eripiat. Deus ne elongeris à me: Deus meus in auxilium meum reſpice. Confundantur & deficiant detrahentes animæ meæ: operiantur confuſione & pudore, qui quærunt mala mihi. Ego autem ſemper ſperabo: & adiiciam ſuper omnem laudem tuam. Os meũ annuntiabit iuſtitiam tuam: tota die ſalutare tuum. Quoniam non cognoui literaturam, introibo in potentias Domini: Domine memorabor iuſtitiæ tuæ ſolius. Deus docuiſti me à iuuẽtute mea: & vſque nũc pronuntiabo mirabilia tua. Et vſque in ſenectã & ſenium: Deus ne derelinquas me. Donec annuntiem brachiũ tuum generationi omni quæ ventura eſt. Potentiam tuam & iuſtitiam tuam Deus vſque in altiſſima quæ feciſti magnalia: Deus quis ſimilis tibi? quãtas oſtendiſti mihi tribulationes multas & malas? & cõuerſus viuificaſti me: & de abyſſis terræ iterum reduxiſti me. Multiplicaſti magnificentiam tuam: & conuerſus conſolatus es me. Nam & ego confitebor tibi in vaſis Pſalmi veritatem tuam Deus: pſallam tibi cithara ſanctus Iſrael. Exultabũt labia mea cùm cantauero tibi: & anima mea quam redemiſti. Sed & lingua mea tota die meditabitur iuſtitiam tuam, cùm confuſi & reueriti fuerint qui quærunt mala mihi. *Vt ſuprà.*

Tu es, Domine, refugium meum; à tribulatione, quæ circundedit me, exultatio mea erue me à circundantibus me. Ne derelinquas me, Domine Deus meus, ne diſceſſeris à me. Intẽde in adiutorium meum, Domine ſalutis meæ.

Oratio.

Immẽſam multitudinem dulcedinis tuæ, piiſſime Domine, ſuppliciter exoramus; vt dum veritatem tuam requirimus, tumorẽ execrabilis ſuperbiæ conteramus, Per.

Alia.

Excelſi ſolij regnator æternæ Deus, qui ſperantes in te damnari æternis confuſionibus non pateris, reple quæſumus labia noſtra laude tua, & his nos ſemper meditationibus bonorum inſinuator exerce, Per.

PSALMVS.

Deus auribus noſtris audiuimus, patres noſtri annuntiauerunt nobis. XLIII. Opus quod operatus es in diebus eorum, in diebus antiquis. Manus tua gentes diſperdidit, & plantaſti eos: afflixiſti populos, & expuliſti eos. Nec enim in gladio ſuo poſſederunt terram: & brachium eorum non ſaluauit eos. Sed dextera tua, & brachium tuum, & illuminatio vultus tui: quoniam complacuiſti in eis. Tu es ipſe rex meus & Deus meus: qui mandas ſalutes Iacob. In te inimicos noſtros ventilabimus cornu: & in nomine tuo ſpernemus inſurgẽtes in nos. Nõ enim in arcu meo ſperabo: & gladius meus non ſaluabit me. Saluaſti enim nos de affligentibus nos: & odientes nos confudiſti. In Deo laudabimur tota die: & in nomine tuo confitebimur in ſecula. Nunc autem repuliſti & confudiſti nos: & non egredieris Deus in virtutibus noſtris. Auertiſti nos retrorſum poſt inimicos noſtros: & qui oderunt nos, diripiebant ſibi. Dediſti nos tanquam oues eſcarum: & in gentibus diſperſiſti nos. Vẽdidiſti populum tuum ſine pretio: & nõ fuit multitudo in commutationibus eorum. Poſuiſti nos opprobrium vicinis noſtris, ſubſannationem & deriſum his qui ſunt in circuitu noſtro. Poſuiſti nos in ſimilitudinẽ gentibus: commotionem capitis in populis. Tota die verecundia mea contra me eſt: & confuſio faciei meæ cooperuit me. A voce exprobrantis & obloquentis, à facie inimici & perſequentis. Hæc omnia venerunt ſuper nos, nec obliti ſumus te, & iniquè non egimus in teſtamento tuo. Et non receſſit retro cor noſtrum: & declinaſti ſemitas noſtras à via tua. Quoniam humiliaſti nos in loco afflictionis: & cooperuit nos vmbra mortis. Si obliti ſumus nomen Dei noſtri: & ſi extendimus manus noſtras ad Deum alienum. Nonne Deus requiret iſta? ipſe enim nouit abſcondita cordis. Quoniam propter te mortificamur tota die: æſtimati ſumus ſicut oues occiſionis. Exurge, quare obdormis Domine? exurge, & ne repellas in finem. Quare faciem tuam auertis? obliuiſceris inopiæ noſtræ, & tribulationis noſtræ? Quoniam humiliata eſt in puluere anima noſtra: conglutinatus eſt in terra venter noſter. Exurge Domine, adiuua nos: & redime nos propter nomen tuum.

Vt ſuprà.

Deus in nomine tuo ſaluum me fac. Deus exaudi orationem meam; auribus percipe verba oris mei.

Oratio.

Exſurge, Domine, in auxilium noſtrum; & erue nos ab opprobriis vitiorum: & qui coram patribus noſtris inimicarum gentiū regna viciſti, à perſequentibus inimicis vultus tui inluminatione nos eripe. Per Dominum.

PSALMVS.

LIV. Exaudi Deus, orationem meam, & ne deſpexeris deprecationem meam: intende mihi, & exaudi me. Contriſtatus ſum in exercitatione mea: & conturbatus ſum à voce inimici, & à tribulatione peccatoris. Quoniam declinauerunt in me iniquitates: & in ira moleſti erant mihi. Cor meum conturbatum eſt in me: & formido mortis cecidit ſuper me. Timor & tremor venerunt ſuper me: & contexerunt me tenebræ. Et dixi, quis dabit mihi pēnas ſicut columbæ: & volabo, & requieſcam? Ecce elongaui fugiens, & manſi in ſolitudine. Expectabam eum qui ſaluum me fecit à puſillanimitate ſpiritus, & tempeſtate. Præcipita, Domine, diuide linguas eorum: quoniam vidi iniquitatem & contradictionem in ciuitate. Die ac nocte circundabit eam ſuper muros eius iniquitas, & labor in medio eius, & iuſtitia. Et non defecit de plateis eius vſura & dolus. Quoniam ſi inimicus meus maledixiſſet mihi: ſuſtinuiſſem vtique. Et ſi is qui oderat me, ſuper me magna locutus fuiſſet: abſcondiſſem me forſitan ab eo. Tu vero homo vnanimis, dux meus & notus meus. Qui ſimul mecum dulces capiebas cibos: in domo Dei ambulauimus cum conſenſu. Veniat mors ſuper illos: & deſcendant in infernum viuentes. Quoniam nequitiæ in habitaculis eorum in medio eorum. Ego autem ad Deum clamaui: & Dominus ſaluabit me. Veſpere, & mane, & meridie, narrabo & annuntiabo: & exaudiet vocē meā. Redimet in pace animam meam ab his qui appropinquant mihi: quoniam inter multos erant mecum. Exaudiet Deus, & humiliabit illos qui eſt ante ſecula. Non enim eſt illis commutatio, & nō timuerunt Deū: extendit manum ſuam in tribuendo. Contaminauerunt teſtamētum eius, diuiſi ſunt ab ira vultus eius: & appropinquauit cor illius. Molliti ſunt ſermones eius ſuper oleū: & ipſi ſunt iacula. Iacta ſuper Dominum curam tuam, & ipſe te enutriet: non dabit in æternum fluctuationem iuſto. Tu vero Deus deduces eos in puteum interitus. Viri ſanguinum & doloſi, non dimidiabunt dies ſuos, ego autem ſperabo in te Domine.

Vt ſuprà.

Ego autem cantabo fortitudinem tuam, & exaltabo mane miſericordiam tuam. Quia factus es ſuſceptor meus, & refugium meū in die tribulationis meæ. Adiutor meus, tibi pſallam, quia Deus ſuſceptor meus es, Deus meus miſericordia mea.

Oratio.

Bellorum inuiſibilium optime propugnator Deus, qui in te confidētes ab inimicis obrui nō permittis; exterge, precamur, ab oculis noſtris peccata lacrymarum, vt dum carnalia bella comprimimus, placere tibi in lumine viuentium mereamur. Per.

Alia.

Ieſu Domine, qui ante ſecula cum Patre & Spiritu ſancto manens, conditionemque humanam ſuſcipiens, ab vnanimo diſcipulo proditus mortem ſubiſti pro perditis: exaudi orationem ſupplicum, vt te & veſpere & mane, meridieque laudantes, mereamur ab huius ſeculi tempeſtatibus defenſari. Per.

PSALMVS.

Miſerere mei Deus, quoniam conculcauit me homo: tota die impugnans tribulauit me. LV. Cōculcauerūt me inimici mei tota die: quoniā multi bellantes aduerſum me. Ab altitudine diei timebo: ego vero in te ſperabo. In Deo laudabo ſermones meos, in Deo ſperaui: nō timebo quid faciat mihi caro. Tota die verba mea execrabantur: aduerſū me omnes cogitationes eorū in malū. Inhabitabūt & abſcōdent: ipſi calcaneū meum obſeruabunt. Sicut ſuſtinuerunt animam meam, pro nihilo ſaluos facies illos: in ira populos confringes. Deus vitam meā annuntiaui tibi: poſuiſti lacrymas meas in conſpectu tuo. Sicut & in promiſſione tua: tunc conuertentur inimici mei retrorſum. In quacunque die inuocauero te: ecce cognoui quoniam Deus meus es. In Deo laudabo verbum, in Domino laudabo ſermonem: in Deo ſperaui, non timebo quid faciat mihi homo. In me ſunt Deus vota tua: quæ reddā laudationes tibi. Quoniam eripuiſti animam meam de morte, & pedes meos de lapſu, vt placeam coram Deo in lumine viuentium.

Vt ſuprà.

Quoniam probaſti nos Deus, igne nos examinaſti ſicut examinatur agentum. Induxiſti nos in laqueum, poſuiſti tribulationes in dorſo noſtro: impoſuiſti homines ſuper capita noſtra. Da nobis, Domine, auxiliū de tribulatione; & vana ſalus hominis.

Oratio.

A

Transfer, Domine, iniquitatem familiæ huius ſub tuarum alarum vmbra ſperantis, vt miſſam de cœlo miſericordiam tuam, à nequiſſimis, quibus inſidiamur, foueis eruamur. Per.

Letania vt ſuprà.

IN die tribulationis meæ Deum exquiſiui manibus meis nocte contra eum & non ſum deceptus. Domine Deus virtutum cõuerte nos, & oſtende faciem tuam, & ſalui erimus. Domine Deus virtutum, exaudi orationem meam, auribus percipe Deus Iacob. Protector noſter aſpice Deus, & reſpice in faciem Chriſti tui. B Numquid in æternum iraſceris nobis, aut extendes iram tuã à generatione in generationem? Deus tu conuerſus viuificabis nos, & plebs tua lætabitur in te. Oſtende nobis Domine miſericordiam tuam, & ſalutare tuum da nobis. Reſpice in me, & miſerere mei; quia vnicus & pauper ſum ego. Tribulationes cordis mei multiplicatæ ſunt, de neceſſitatibus meis erue me. Adiutor meus eſto, ne derelinquas me, neque diſpicias me Deus ſalutaris meus. Ego autem in te ſperaui, Domine, C dixi: Deus meus es tu, in manibus tuis ſortes meæ. Eripe me de manu inimicorum meorum, & à perſequentibus me. Inluſtra faciem tuam ſuper ſeruum tuum, ſaluum me fac in miſericordia tua, Domine non confundar quoniam inuocaui te. Ne memineris, Domine, iniquitatum noſtrarum antiquarum, cito anticipent nos miſericordiæ tuæ, quia pauperes facti ſumus nimis.

Oratio.

Adiuua nos Deus ſalutaris noſter, propter gloriã nominis tui Domine libera nos, & propitius eſto peccatis noſtris propter D nomen tuum.

Dimitte, Deus, peccata noſtra, & tribue nobis miſericordiam tuam oris noſtri deprecatus alloquio, ac humilitatem adtende, vincula ſolue, delicta dele, tribulationẽ inſpice, aduerſitatem repelle, effectumque petitionis noſtræ largiens & benignus clementer exaudi. Per.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui ſubuenis in periculis & neceſſitatibus laborantibus, maieſtatem tuam ſuppliciter exora- E mus, vt mittere digneris ſanctum Angelũ tuum, qui nos in anguſtiis & neceſſitatibus noſtris laborantes, conſolationibus foueat tuis quibus & de præſenti tribulatione cõſequamur auxilium, & æterna remedia cõprehendere valeamus. Per.

FERIA III.

Ad ſpeciales Orationes faciendas.

MISERERE Domine, miſerere Chriſte: tu miſericordia mea miſerere mihi. Miſerere Domine, miſerere Chriſte; vt credam in te. Miſerere Domine, miſerere Chriſte; vt diligam te. Miſerere Domine, miſerere Chriſte; vt cognoſcam te. Miſerere Domine, miſerere Chriſte; vt ſperem in te. Miſerere Domine, miſerere Chriſte; vt anima mea viuat in te. Miſerere Domine, miſerere Chriſte; vt caro mea exultet in te. Miſerere Domine, miſerere Chriſte; vt vita mea proficiat in te. Miſerere Domine Deus pater, gloria mea, vita mea. Miſerere Chriſte Saluator, ſalus mea, fortitudo mea. Miſerere Spiritus paraclitus, conſolatio mea, inluminatio mea. Miſerere Domine Deus, Trinitas & vnitas. Te laudo, te adoro, te confiteor. Pax mea, ſpes mea, laus mea, lux mea. Pulcritudo mea, beatitudo mea. Tibi laus; tibi gloria, tibi gratiarum actio ſemper & vbique in ſecula ſempiterna.

Deus adiutorium, *ter.*

PSALMVS.

EXaudi Domine iuſtitiam meam: inten- XVI.
de deprecationem meam. Auribus percipe orationem meam, non in labiis doloſis. De vultu tuo iudicium meum prodeat: oculi tui videant æquitatem. Probaſti cor meum, & viſitaſti nocte: igne me examinaſti, & non eſt inuenta in me iniquitas. Vt non loquatur os meum opera hominum: propter verba labiorum tuorum ego cuſtodiui vias duras. Perfice greſſus meos in ſemitis tuis: vt non moueantur veſtigia mea. Ego clamaui quoniam exaudiſti me Deus: inclina aurem tuam mihi, & exaudi verba mea. Mirifica miſericordias tuas, qui ſaluos facis ſperantes in te. A reſiſtentibus dexteræ tuæ cuſtodi me vt pupillam oculi. Sub vmbra alarum tuarum protege me, à facie impiorum qui me afflixerunt. Inimici mei animam meam circundederunt: adipem ſuum concluſerunt, os eorum locutũ eſt ſuperbiam. Proiicientes me, nunc circũdederunt me: oculos ſuos ſtatuerunt declinare in terram. Suſceperunt me ſicut leo

paratus ad prædam, & ſicut catulus leonis habitãs in abditis. Exurge, Domine, præueni eum, & ſupplanta eum: eripe animam meam ab impio, phrameam tuam ab inimicis manus tuæ. Domine à paucis de terra diuide eos in vita eorum: de abſconditis tuis adimpletus eſt venter eorum. Saturati ſunt filiis: & dimiſerunt reliquias ſuas paruulis ſuis. Ego autem in iuſtitia apparebo conſpectui tuo: ſatiabor cum apparuerit gloria tua.

Vt ſuprà.

Ego dixi, Domine miſerere mei, ſana animam meam. Miſerere mei Domine, & exaudi orationem meam. Intende voci orationis meæ, Rex meus, & Deus meus. Quoniam ad te orabo Domine, mane exaudies vocem meam.

Oratio.

Conuerte, Dómine, oculos cordis noſtri, ad cernendam tui iudicij veritatem; vt dum hîc igne ſpiritali probamur, de tuis in æternum conſpectibus cum fructu iuſtitiæ ſatiemur.

Psalmvs.

XXIV. AD te Domine leuaui animam meam: Deus meus in te confido, non erubeſcam. Neque irrideant me inimici mei: etenim vniuerſi qui ſuſtinent te, non confundentur. Confundantur omnes iniqua agentes ſuperuacuè. Vias tuas, Domine, demonſtra mihi: & ſemitas tuas edoce me. Dirigẽ me in veritate tua, & doce me: quia tu es Deus ſaluator meus, & te ſuſtinui tota die. Reminiſcere miſerationum tuarum Domine, & miſericordiarum tuarum quæ à ſeculo ſunt. Delicta iuuentutis meæ, & ignorantias meas ne memineris. Secundum miſericordiam tuam memento mei tu propter bonitatem tuam Domine. Dulcis & rectus Dominus: propter hoc legẽ dabit delinquẽtibus in via. Diriget manſuetos in iudicio: docebit mites vias ſuas. Vniuerſæ viæ Domini, miſericordia & veritas: requirentibus teſtamentum eius, & teſtimonia eius. Propter nomẽ tuum Domine propitiaberis peccato meo: multum eſt enim. Quis eſt homo qui timet Dominum? legem ſtatuit ei in via quam elegit. Anima eius in bonis demorabitur: & ſemen eius hæreditabit terram. Firmamentum eſt Dominus timentibus eum: & teſtamentum ipſius vt manifeſtetur illis. Oculi mei ſemper ad Dominũ: quoniã ipſe euellet de laqueo pedes meos. Reſpice in me & miſerere mei: quia vnicus & pauper ſum ego. Tribulationes cordis mei multiplicatæ ſunt: de neceſſitatibus meis erue me. Vide humilitatem meam & laborem meum: & dimitte vniuerſa delicta mea. Reſpice inimicos meos, quoniã multiplicati ſunt: & odio iniquo oderunt me. Cuſtodi animam meam & erue me: non erubeſcam, quoniam ſperaui in te. Innocentes & recti adhæſerunt mihi, quia ſuſtinui te. Libera Deus Iſraël ex omnibus iniquitatibus ſuis.

Vt ſuprà.

Ego dixi, Domine miſerere mei: ſana animam meam, quoniam peccauit tibi. Exaudi, Domine, vocem meam, qua clamaui: miſerere mei, & exaudi me. Tibi dixit cor meum, exquiſiuit te facies mea: faciem tuã, Domine, requiram.

Oratio.

Libera nos ab omnibus anguſtiis noſtris, mitiſſime Deus, qui ad te animas noſtras erigimus: obliuiſcere, quæſumus, delicta iuuentutis, & ignorantiæ prioris; & ſi quid neglegenter deliquimus, clementer ignoſce. Per.

Psalmvs.

LIII. DEus in nomine tuo ſaluum me fac: & in virtute tua iudica me. Deus exaudi orationem meam: auribus percipe verba oris mei. Quoniam alieni inſurrexerunt aduerſum me, & fortes quæſierunt animam meã: & non propoſuerunt Deum ante conſpectũ ſuum. Ecce enim Deus adiuuat me: & Dominus ſuſceptor eſt animæ meæ. Auerte mala inimicis meis: & in veritate tua diſperde illos. Voluntarie ſacrificabo tibi: & confitebor nomini tuo Domine, quoniam bonum eſt. Quoniam ex omni tribulatione eripuiſti me: & ſuper inimicos meos deſpexit oculus meus.

Vt ſuprà.

Ego dixi, Domine miſerere mei. Ad te, Domine, clamabo, Deus meus, ne ſileas à me: nequando taceas à me, & adſimilabor deſcendentibus in lacum. Exaudi, Domine, vocem deprecationis meæ, dum oro ad te; dum extollo manus meas ad templum ſanctum tuum. Inluſtra faciem tuam ſuper ſeruum tuum, ſaluum me fac in miſericordia tua: Domine non confundar, quoniam inuocaui te.

Oratio.

Ieſu Domine, qui ante ſecula manens, conditionemque humanam ſuſcipiens ab vnianimo diſcipulo proditus mortem ſubiſti pro perditis: exaudi orationem ſupplicum, & præſta, vt te veſperè meridieque

laudantes mereamur ab huius ſeculi tempeſtatibus defenſari, Per te Deus noſter, qui cum æterno Patre viuis & regnas in ſecula ſeculorum, Amen.

PSALMVS.

LXVI. DEus miſereatur noſtri, & benedicat nobis: illuminet vultum ſuum ſuper nos, & miſereatur noſtri. Vt cognoſcamus in terra viam tuam: in omnibus gentibus ſalutare tuum. Confiteantur tibi populi Deus: confiteantur tibi populi omnes. Lætentur & exultent gentes, quoniam iudicas populos in æquitate, & gentes in terra dirigis. Confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes, terra dedit fructum ſuum. Benedicat nos Deus Deus noſter, benedicat nos Deus: & metuant eum omnes fines terræ.

Vt ſuprà.

Ego dixi, Domine miſerere mei. Adiuua nos Deus ſalutaris noſter: propter gloriam nominis tui, Domine, libera nos. Et propitius eſto peccatis noſtris propter nomen tuum. Fiat, Domine, miſericordia tua ſuper nos: quemadmodũ ſperauimus in te. Exaudi nos Deus ſalutaris noſter, ſpes omnium finium terræ & in mari longè.

Oratio.

Inlumina Domine, vultum tuum ſuper nos, & miſericordiam nobis vberem, benedictionemque largire. Per.

PSALMVS.

LXIX. DEus in adiutorium meum intende: Domine ad adiuuandum me feſtina. Confundantur & reuereantur qui quærunt animam meam. Auertantur retrorſum & erubeſcant qui volunt mihi mala. Auertantur ſtatim erubeſcentes: qui dicunt mihi: Euge, euge. Exultent & lætentur in te omnes qui quærunt te: & dicant ſemper: Magnificetur Dominus, qui diligunt ſalutare tuum. Ego vero egenus & pauper ſum: Deus adiuua me. Adiutor meus & liberator meus es tu: Domine ne moreris.

Vt ſuprà.

Ego dixi, Domine miſerere mei. Deus ne elongeris à me: Deus meus in auxilium meum reſpice. Ego autem in te, Domine, ſemper ſperabo: & adiiciam ſuper omnem laudem tuam. Adiuua me, Domine Deus meus: ſaluum me fac ſecundum miſericordiam tuam. *Oratio.*

Inexhauſti adiutorij Deus æterne, ad adiuuandum familiæ tuæ ſupplicanti feſtinus

A occurre: vt euictis macularum opprobriis, tuis ſemper auxiliis muniamur.

PSALMVS.

IN te Domine ſperaui, non confundar in æternum: in iuſtitia tua libera me. Inclina XXX.
ad me aurem tuam: accelera vt eruas me. Eſto mihi in Deum protectorem, & in domum refugij: vt ſaluum me facias. Quoniam fortitudo mea & refugium meum es tu: & propter nomen tuum deduces me, & enutries me.
B Educes me de laqueo hoc quem abſconderunt mihi: quoniam tu es protector meus. In manus tuas commendo ſpiritum meum: redemiſti me Domine Deus veritatis. Odiſti obſeruantes vanitates ſuperuacuè. Ego autem in Domino ſperaui: exultabo & lætabor in miſericordia tua. Quoniam reſpexiſti humilitatem meam, ſaluaſti de neceſſitatibus animã meam. Nec concluſiſti me in manibus inimici: ſtatuiſti in loco ſpatioſo pedes meos. Miſerere mei Domine quoniam tribulor: conturbatus eſt in ira oculus meus, anima
C mea, & venter meus. Quoniam defecit in dolore vita mea, & anni mei in gemitibus. Infirmata eſt in paupertate virtus mea, & oſſa mea conturbata ſunt. Super omnes inimicos meos factus ſum opprobrium: vicinis meis valde & timor notis meis. Qui videbant me foras fugerunt à me: obliuioni datus ſum tanquam mortuus à corde. Factus ſum tanquam vas perditum: quoniam audiui vituperationem multorum commorantium in circuitu. In eo dum conue-
D nirent ſimul aduerſum me: accipere animã meam conciliati ſunt. Ego autem in te ſperaui Domine: dixi, Deus meus es tu, in manibus tuis ſortes meæ. Eripe me de manu inimicorum meorum, & à perſequentibus me. Illuſtra faciem tuam ſuper ſeruum tuũ, ſaluum me fac in miſericordia tua Domine: non confundar, quoniam inuocaui te. Erubeſcant impij, & deducantur in infernum: muta fiant labia doloſa. Quæ loquuntur aduerſus iuſtum iniquitatem in ſuperbia, & in
E abuſione. Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abſcondiſti timentibus te! Perfeciſti eis qui ſperant in te, in conſpectu filiorum hominum. Abſcondes eos in abſcondito faciei tuæ, à conturbatione hominum. Proteges eos in tabernaculo tuo, à contradictione linguarum. Benedictus Dominus: quoniam mirificauit miſericordiam ſuam mihi in ciuitate munita Ego autem dixi in exceſſu mẽtis meæ: Proiectus ſum à facie oculorum tuorum. Ideo exaudiſti

diſti

diſti vocē orationis meæ, dum clamarem ad te. Diligite Dominum omnes ſancti eius: quoniam veritatem requiret Dominus, & retribuet abundanter facientibus ſuperbiā. Viriliter agite, & confortetur cor veſtrum: omnes qui ſperatis in Domino.

Vt ſuprà.

Ego dixi, Domine, miſerere mei. Exaudi, Deus, orationem meam, & ne diſpexeris deprecationem meam: intende mihi, & exaudi me. Domine exaudi orationem meā, & clamor meus ad te veniat. In quacumque die inuocauero te, velociter exaudi me.

Oratio.

Excelſi ſolij regnator immenſe, qui ſperantes in te damnari æterna confuſione nō pateris: reple, quæſumus, labia noſtra, & in his nos ſemper meditationibus bonorum inſinuator exerce. Per.

PSALMVS.

LXXXV. INclina Domine aurem tuam, & exaudi me: quoniam inops & pauper ſum ego. Cuſtodi animam meam, quoniam ſanctus ſum: ſaluum fac ſeruum tuum Deus meus ſperātem in te. Miſerere mei Domine quoniam ad te clamaui tota die: lætifica animā ſerui tui, quoniam ad te Domine animam meam leuaui. Quoniam tu Domine ſuauis & mitis: & multæ miſericordiæ omnibus inuocantibus te. Auribus percipe Domine orationem meam: intende voci deprecationis meæ. In die tribulationis meæ clamaui ad te: quia exaudiſti me. Non eſt ſimilis tui in diis Domine: & non eſt ſecundum opera tua. Omnes gentes quaſcumque feciſti, venient & adorabunt coram te, Domine: & glorificabunt nomen tuum. Quoniā magnus es tu, faciens mirabilia: tu es Deus ſolus. Deduc me Domine in via tua, & ingrediar in veritate tua: lætetur cor meum, vt timeat nomen tuum. Confitebor tibi Domine Deus meus in toto corde meo: & glorificabo nomen tuum in æternum. Quia miſericordia tua magna eſt ſuper me: & eruiſti animam meam ex inferno inferiori. Deus iniqui inſurrexerunt ſuper me: & ſynagoga potentium quæſierunt animam meam: & non propoſuerunt te in conſpectu tuo. Et tu Domine Deus miſerator & miſericors, patiens & multæ miſericordiæ, & verax. Reſpice in me, & miſerere mei, da imperium tuum puero tuo: & ſaluum fac filium ancillæ tuæ. Fac mecum ſignum in bonum, vt videant qui oderunt me, & confundantur: quoniam tu Domine adiuuiſti me & conſolatus es me.

Vt ſuprà.

Ego dixi, Domine miſerere mei. Ne derelinquas me, Domine, Deus meus: ne diſceſſeris à me. Intende in adiutorium meum, Domine Deus ſalutis meæ. Adiutor meus, & protector meus, tu es Deus meus, ne tardaueris.

Oratio.

Lætifica, Domine, vultum familiæ tuæ, & erue animas noſtras ex inferno inferiori, vt tui vultus contemplatione protecti, deſideria carnis ſpiritali dominatione calcemus, Per.

Letania Vt ſuprà.

EGo dixi, Domine Deus meus, in te ſperaui. Saluū me fac ex omnib. perſequētibus me, & libera me. Ne quando rapiat vt leo animam meam, dum non eſt qui redimat, neque qui ſaluum faciat. Tu autem Domine, ne elongaueris auxilium tuum à me: ad defenſionem meam conſpice. Iudica, Domine, nocentes me, expugna impugnantes me. Adprehende arma & ſcutum, & exurge in adiutorium mihi. Effunde frameam, & conclude aduerſus eos qui perſequuntur me: dic animæ meæ, Salus tua ego ſum. Domine auerte faciem tuam à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele. Cor mundum crea in me Deus, & ſpiritum rectum innoua in viſceribus meis. Ne proiicias me à facie tua, & ſpiritum ſanctum tuū ne auferas à me. Redde mihi lætitiam ſalutaris tui, & ſpiritu principali confirma me. Eripe me, Domine, ab homine malo, à viro iniquo eripe me. Non tradas, Domine, deſiderio meo peccatori, cogitauerunt contra me: ne derelinquas me, ne forte exaltentur. Domine clamaui ad te, exaudi me, intende voci meæ cum clamauero ad te. Dirigatur oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo: eleuatio manuum mearum ſacrificium veſpertinum. Pone, Domine, cuſtodiam ori meo; & oſtium circumſtantiæ labiis meis. Non declines cor meum in verba malitiæ, ad excuſādas excuſationes in peccatis. Domine exuadi orationem meā, auribus percipe obſecrationem meam in veritate tua, exaudi me in tua iuſtitia. Et non intres in iudicio cum ſeruo tuo: quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens. Auditam fac mihi mane miſericordiam tuam, quia in te ſperaui. Notam fac mihi viam in qua ambulem, quia ad te leuaui animam meam. Eripe me de inimicis meis, Domine, ad te confugi: doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu. Spiritus tuus bonus deducet

me in terra recta, propter nomen tuum Domine: viuificabis me in æquitate tua. Educes de tribulatione animam meam, & miſericordiâ tua diſperdes inimicos meos. Et perdes omnes qui tribulant animam meã, quoniam ego ſeruus tuus ſum. Domine exaudi orationem meam, & clamor meus ad te veniat. Miſerere mei Deus ſecundum magnam, &c.

Oratio S. Auguſtini.

A Tibi ſoli, Domine, peccaui, quia nullus hominũ ſine peccato: & ideo tibi ſoli peccaui, quia tu ſolus es ſine peccato. Da, Domine, miſericordiam miſero, qui tamdiu pepercisti crimino ſo. Aſpice ad infelicem pietas immenſa. Reſpice crudelem, miſericordia publica. Penè deſperatus ad omnipotẽtem venio, vulneratus ad medicum curro. Serua, Domine, pietatem manſuetudinis, qui tamdiu ſuſpendiſti gladium vltionis. Dele numeroſitatem criminum multitudine miſericordiarum †††. *hic nonnulla deſunt.*

B Et ego ad te, Domine, clamaui, & mane oratio mea præueniet te. Vt quid, Domine, repellis orationem meam, auertis faciem tuam à me? Pauper ſum ego, & in laboribus à iuuentute mea: exaltatus autem, humiliatus, & conturbatus. In me tranſierunt iræ tuæ: & terrores tui conturbauerunt me. Circundederunt me ſicut aqua tota die, circundederũt me ſimul. Elongaſti à me amicum & proximũ, & notos meos à miſeria.

Oratio.

C Redemptor omnium, ineffabiliſque Saluator Deus, qui pro nobis inferna penetrãs, factus es inter mortuos liber: exaudi matutinam precem: miſerere, Domine, familiæ, & erue nos ab inimici inſidiantis peſſima ſeruitute, Per.

Alia Oratio.

D Palma totius beatitudinis Deus, qui fideles tuos vt in legẽ tua ambulent, teſtimonia tua ſcrutentur, mandata cuſtodiant, ſalubris prouiſor informas: concede nobis iuſtificationes tuas toto corde quęrere, eloquia intelligere, mirabilia prædicare: vt qui hactenus quaſi perditę oues errauimus, tuis piis humeris reſtitui Paradiſo gloriemur. Per.

Letania vt ſupra.

E Deus, propitius eſto mihi peccatori. Domine, miſerere mei, ſana animam meam, quia peccaui tibi. Quoniam lumbi mei impleti ſunt inluſionibus, & non eſt ſanitas in carne mea. Propter nomen tuum, Domine, propitiaberis peccato meo: multum eſt enim. Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me: & ab alienis parce ſeruo tuo. Delecta iuuentutis meæ, & ignorantias meas ne memineris. Secundum miſericordiam tuam memento mei tu, propter bonitatem tuam Domine. Miſerere mei Deus ſecundum magnam miſericordiam tuam, dele iniquitatem meam.

Oratio Aurelij Prudentij Clementis per Metrum.

O Dee cunctipotens animæ dator, ô Dee Chriſte,
Cuius ab ore Deus ſubſiſtit ſpiritus vnus,
Te moderante regor, te vitam principe duco:
Iudice te pallens trepido, te iudice eodem
Spem capio fore quicquid ago veniabile apud te,
Quamlibet indignum venia, faciamque loquarque,
Confiteor, dimitte libens, & parce fatenti.
Omne malum merui, ſed tu bonus arbiter aufer
Quod merui, meliora fauens: largire precanti
Dona animæ quandoque meæ, cùm corporis huius
Liquerit hoſpitium, neruis, cute, ſanguine, felle
Os ſibi extructum corrupta quod incola luxu
Heu nimium complexa fouet, cùm flebilis hora
Clauſerit hos orbes, & conclamata iacebit
Materies, oculiſque ſuis mens nuda fruetur,
Ne cernat truculentum aliquem dè gente latronum
Immitem, rabidum, vultúque & voce minacem,
Terribilem, qui me maculoſum aſpergine morum
In præceps vt prædo trahat, nigriſque ruẽtem
Immergat ſpecubus cuncta exacturus ad vſque
Quadrantem minimum damnoſæ debita vitæ.
Multa in theſauris patris eſt habitatio Chriſte
Diſparibus ſecreta locis. non poſco beata
In regione domum, ſint illic caſtra virorum.

Agmina puluereum quæ dedignantia cenſum A
Diuitias petiere tuas, ſit flore perenni
Candida virginitas animum caſtrata reciſum.
At mihi tartarei ſatis eſt ſi nulla miniſtri
Occurrat facies, auidæ nec flamma gehennæ
Deuoret hanc animam merſam fornacibus imis.
Eſto, cauernoſo, quia ſic pro labe neceſſe eſt
Corporea, triſtis me ſorbeat ignis Auerno.
Statim mitificos incendia lenta vapores
Exhalent, æſtúque calor languente tepeſcat.
Lux immenſa alios, & tempora iuncta coronis
Glorificet, me pœna leuis clementer adurat.

Item Preces, de Caritatis dono.

Diligam te, Domine, fortitudo mea.

De laude Dei.

Benedicam Dominum in omni tẽpore,
Semper laus eius in ore meo.

Pro fide.

Domine auge nobis fidem.

Pro ſpe.

Exaudi nos Deus ſalutaris noſter,
Spes omnium finium terræ.

Pro cuſtodia Dei.

Cuſtodi me, Domine, vt pupillam oculi.
Sub vmbra alarum tuarum protege nos.

Pro Conuerſione. D

Domine, dimitte me vt refrigerer priuſquam abeam, & ampliùs non ero.

Pro Fortitudine.

Fortitudinem meam ad te cuſtodiam, quia Deus ſuſceptor meus: Deus meus, miſericordia eius præueniet me.

Pro gratia Dei.

Miſericordia tua præueniet me, & miſericordia tua ſubſequatur me omnibus diebus vitæ meæ.

Pro extremo die. E

Quoniam tu es protector meus Domine, in manus tuas commendabo ſpiritum meum.

Pro tentatione.

Erue, Domine, à framea animam meam.
Et de manu canis vnicam meam.

O Domine libera animam meam, miſericors Dominus, & iuſtus, & Deus noſter miſeretur.

Pro viſione Dei.

Vnam petij à Domino, hanc requiram; vt inhabitem in Domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.

Vt videam voluntatem Domini, & viſitem templum eius. Beati qui habitant in domo tua Domine, in ſecula ſeculorum laudabunt te.

Oratio Alchuuini de agnitione Dei, & indulgentia delictorum, & de ereptione diuerſarum tribulationum.

Miſerere Domine, miſerere Chriſte: tu miſericordia mea, miſerere mihi. Miſerere Domine, miſerere Chriſte: vt benè rogem te. Miſerere Domine, miſerere Chriſte: vt dignum me facias exaudiri. Miſerere Domine, miſerere Chriſte: vt exaudias me. Miſerere Domine, miſerere Chriſte; vt ſanctam voluntatem tuam doceas me. Miſerere Domine, miſerere Chriſte: vt in charitate tua enutrias me. Miſerere Domine, miſerere Chriſte, vt Spiritu ſancto tuo illumines me. Miſerere Domine, miſerere Chriſte; vt credam in te. Miſerere Domine, miſerere Chriſte; vt cognoſcam te. Miſerere Domine, miſerere Chriſte, vt diligam te. Miſerere Domine, miſerere Chriſte: vt ſperem in te. Miſerere Domine, miſerere Chriſte, vt à morte perpetua eripias me. Miſerere Domine, miſerere Chriſte: vt de omnibus peccatis meis veram pœnitentiã tribuas mihi. Miſerere Domine, miſerere Chriſte: vt remiſſionem omnium peccatorum tribuas mihi. Miſerere Domine, miſerere Chriſte; vt ab omni tribulatione eripias me. Miſerere Domine, miſerere Chriſte; vt ab omni immunditia cordis & corporis liberes me. Miſerere Domine, miſerere Chriſte: vt fontem libidinis extinguas in me. Miſerere Domine, miſerere Chriſte: vt ab inſidiis diaboli liberes me. Miſerere Domine, miſerere Chriſte: vt ab omni malo liberes me. Miſerere Domine, miſerere Chriſte; vt ab immunda cogitatione liberes me. Miſerere Domine, miſerere Chriſte: vt anima mea viuat in te. Miſerere Domine, miſerere Chriſte: vt caro mea exultet in te. Miſerere Domine, miſerere Chriſte: vt vita mea proficiat in te. Miſerere Domine Deus pater, gloria mea, vita mea. Miſerere Chriſte ſaluator, ſalus mea, fortitudo mea. Miſerere Spiritus paraclitus, conſolatio mea, inluminatio mea. Miſerere Domine Deus, Trinitas & vnitas. Te laudo, te adoro, te confiteor, pax mea, ſpes mea,

laus mea. Lux mea, pulchritudo mea, beatitudo mea. Tibi laus, tibi gloria, tibi gratiarũ actio ſemper vbique in ſecula ſempiterna.

FERIA IV.

Oratio beati Ambroſij, in qua pro ſuis peccatis veniam poſtulat.

MISERATOR & miſericors, patiens, & multum miſericors, magne & terribilis Deus: tibi confiteor delicta mea, tibi patefacio vulnera mea. Tu propter ineffabilem bonitatem tuam confer mihi miſero medicinam. Tu enim mitiſſime, dignatus es dicere. Nolo mortem peccatoris, ſed vt conuertatur, & viuat. Confiteor, iniquè egi: peruerſa eſt in conſpectu tuo via mea. Lapſa eſt in lacum miſeriæ vita mea, extincta eſt in iniquitatibus anima mea. Superbia, libido, ira, impatientia, malitia, inuidia, gula, ebrietas, concupiſcentia, rapina, mendacium, periurium, ſcurilitas, ſtultiloquium, ignorantia, neglegentia, ſeu ceteræ peſtes occiderunt animam meam. Pollutum eſt cor meum, & labia mea; viſus meus & auditus, guſtus, odoratus, & tactus: & omnimodis cogitatione, locutione, ſiue actione perditus ſum. Quæſo te, Domine Deus, cuius miſeratio nullum habet finem, adtrahe me ſicut adtraxiſti mulierem peccatricem. Dona mihi, ſicut donaſti illi, non ceſſare oſculari pedes tuos, rigare lacrymis, extergere capillis. Cõcede mihi, vt ſecũdum magnitudinem iniquitatum mearum ſit magna dilectio mea in te: vt propter immenſam pietatem tuam omnia dimittas mihi. Largire mihi de præteritis veniam, de præſentibus malis continentiam, de futuris cautelam. Fac me, priuſquam moriar conſequi pleniſſimè miſericordiam tuam, & ne dies meos ante finiri ſinas, quàm peccata dimittas: ſed ſicut vis, & ſicut ſcis, miſerere mei.

PSALMI PRO QVACVMQVE *tribulatione cantandi.*

PSALMVS.

xxi. DEus Deus meus reſpice in me: quare
me dereliquiſti? longe à ſalute mea ver-
ba delictorum meorum. Deus meus clama-
bo per diem, & non exaudies: & nocte, &
non ad inſipientiam mihi. Tu autem in ſan-
A cto habitas, laus Iſrael. In te ſperauerunt
patres noſtri: ſperauerunt, & liberaſti eos.
Ad te clamauerunt, & ſalui facti ſunt: in te
ſperauerunt, & non ſunt confuſi. Ego autẽ
ſum vermis, & non homo: opprobrium ho-
minum & abiectio plebis. Omnes videntes
me, deriſerunt me: locuti ſunt labiis, & mo-
uerunt caput. Sperauit in Domino, eripiat
eum: ſaluum faciat eum, quoniam vult eũ.
Quoniam tu es qui extraxiſti me de ven-
tre: ſpes mea ab vberibus matris meæ, in te
proiectus ſum ex vtero. De ventre matris
B meæ Deus meus es tu: ne diſceſſeris à me.
Quoniam tribulatio proxima eſt, quoniam
non eſt qui adiuuet. Circundederunt me
vituli multi: tauri pingues obſederunt me.
Aperuerunt ſuper me os ſuum: ſicut leo ra-
piens & rugiens. Sicut aqua effuſus ſum: &
& diſperſa ſunt omnia oſſa mea. Factum eſt
cor meum tamquam cera liqueſcẽs, in me-
dio ventris mei. Aruit tamquam teſta vir-
tus mea, & lingua mea adhæſit faucibus
meis: & in puluerem mortis deduxiſti me.
Quoniam circundederunt me canes mul-
ti: conſilium malignantium obſedit me. Fo-
C derunt manus meas & pedes meos, & dinu-
merauerunt omnia oſſa mea. Ipſi vero con-
ſiderauerunt & inſpexerunt me: diuiſerunt
ſibi veſtimenta mea, & ſuper veſtem meam
miſerunt ſortem. Tu autẽ Domine ne elõ-
gaueris auxilium tuum à me: ad defenſionẽ
meam conſpice. Erue à phramea animam
meam: & de manu canis vnicam meam. Sal-
ua me ex ore leonis, & à cornibus vnicor-
nium humilitatem meam. Narrabo nomen
tuum fratribus meis: in medio eccleſiæ lau-
D dabo te. qui timetis Dominum laudate eũ:
vniuerſum ſemẽ Iacob glorificate eum. Ti-
meat eum omne ſemen Iſrael: quoniam nõ
ſpreuit, neque deſpexit deprecationẽ pau-
peris. Nec auertit faciem ſuam à me: & cum
clamarem ad eum exaudiuit me. Apud te
laus mea in Eccleſia magna: vota mea red-
dam in conſpectu timentium eum. Edent
pauperes, & ſaturabuntur: & laudabunt Do-
minum qui requirunt eum: viuent corda
eorum in ſeculum ſeculi. Reminiſcentur, &
E conuertentur ad Dominum vniuerſi fines
terræ. Et adorabunt in conſpectu eius vni-
uerſæ familiæ gentium. Quoniam Domini
eſt regnum: & ipſe dominabitur gentium.
Manducauerunt & adorauerunt omnes
pingues terræ: in conſpectu eius cadẽt om-
nes qui deſcendunt in terram. Et anima
mea illi viuet: & ſemen meum ſeruiet ipſi.
Annunciabitur Domino generatio ventu-
ra: & annunciabunt cœli iuſtitiam eius, po-
pulo qui naſcetur, quem fecit Dominus.

Vt ſuprà.

Domine, quid multiplicati ſunt qui tribulant me? multi inſurgunt aduerſum me. Multi dicunt animæ meæ, Non eſt fœdus ipſi in Deo eius. Tu autem, Domine, ſuſceptor meus es: gloria mea, & exaltans caput meum.

Oratio.

Caput miſericordiæ Deus, qui propter nos deſcendens in vterum, addictus ligno, perfoſſus clauo, veſtimentis inſuper ſorte diuiſis, ſurrexiſti liber ab inferis: precamur, vt huius ſancti commercij non immemor ſis, populi ab hoſte leonis ereptor, qui fuiſti quondam patribus in te ſperantibus liberator. Per Dominum.

PSALMVS.

LXIII. Exaudi Deus orationem meam cum deprecor: à timore inimici eripe animam meam. Protexiſti me à conuentu malignãtium: à multitudine operantium iniquitatẽ. Quia exacuerunt vt gladium linguas ſuas, intenderunt arcum rem amaram, vt ſagittẽt in occultis immaculatum. Subito ſagittabunt eum, & non timebunt: firmauerunt ſibi ſermonem nequam. Narrauerũt vt abſconderent laqueos: dixerunt: Quis videbit eos? Scrutati ſunt iniquitates: defecerũt ſcrutantes ſcrutinio. Accedet homo ad cor altum: & exaltabitur Deus. Sagittæ paruulorum factæ ſunt plagæ eorum, & infirmatæ ſunt contra eos linguæ eorum. Conturbati ſunt omnes qui videbant eos: & timuit omnis homo. Et annuntiauerũt opera Dei, & facta eius intellexerunt. Lætabitur in Domino, & ſperabit in eo: & laudabuntur omnes recti corde.

Vt ſuprà.

Adiutor in opportunitatibus, in tribulationibus, quæ inuenerunt nos nimis. *Sperent in te omnes, qui nouerunt nomen tuũ Domine; quoniam non dereliquiſti quærentes te Domine. Deus qui ſedes ſuper thronum, & iudicas æquitatem, eſto refugium pauperum, quia tu ſolus laborem & dolorem conſideras.*

Oratio.

Tutela omnium credentium, Deus, cuſtodi Eccleſiam tuam à conuentu malignantium, qui eam occultis iaculis oppugnare nituntur: vt te ſalubri rectóque retinens intellectu, iuſtorum meritis perpetualiter conlætetur.

PSALMVS.

Saluum me fac Deus: quoniam intrauerunt aquæ vſque ad animam meã. Infixus ſum in limo profundi: & non eſt ſubſtãtia. Veni in altitudinem maris: & tempeſtas demerſit me. Laboraui clamans, raucæ factæ ſunt fauces meæ: defecerunt oculi mei, dum ſpero in Deum meum. Multiplicati ſũt ſuper capillos capitis mei qui oderunt me gratis. Confortati ſunt qui perſecuti ſunt me inimici mei iniuſte: quæ non rapui, tunc exoluebam. Deus tu ſcis inſipientiam meã: & delicta mea à te non ſunt abſcondita. Nõ erubeſcant in me, qui expectant te Domine virtutum. Non confundantur ſuper me qui quærunt te, Deus Iſrael. Quoniam propter te ſuſtinui opprobrium: operuit confuſio faciem meam. Extraneus factus ſum fratribus meis: & peregrinus filijs matris meæ. Quoniam zelus domus tuæ comedit me: & opprobria exprobrantium tibi ceciderunt ſuper me. Et operui in ieiunio animam meam, & factum eſt in opprobrium mihi. Et poſui veſtimentum meum in cilicium: & factus ſum illis in parabolam. Aduerſum me loquebantur qui ſedebant in porta, & in me pſallebant qui bibebãt vinũ. Ego vero orationem meam ad te Domine: tempus beneplaciti Deus. In multitudine miſericordiæ tuę exaudi me: in veritate ſalutis tuæ. Eripe me de luto vt non infigar: libera me ab his qui oderunt me, & de profundis aquarum. Non me demergat tempeſtas aquæ, neq; abſorbeat me profundum: neque vrgeat ſuper me puteus os ſuum. Exaudi me, Domine, quoniam benigna eſt miſericordia tua: ſecundum multitudinem miſerationum tuarum reſpice in me. Et ne auertas faciem tuam à puero tuo: quoniam tribulor, velociter exaudi me. Intende animæ meæ & libera eam: propter inimicos meos eripe me. Tu ſcis improperium meũ: & confuſionem meam, & reuerẽtiam meã. In conſpectu tuo ſunt omnes qui tribulant me: improperium expectauit cor meum & miſeriam. Et ſuſtinui qui ſimul contriſtaretur, & non fuit: & qui conſolaretur, & non inueni. Et dederunt in eſcam meam fel: & in ſiti mea potauerunt me aceto. Fiat menſa eorum coram ipſis in laqueum: & in retributiones & in ſcandalũ. Obſcurentur oculi eorum ne videant & dorſum eorũ ſemper incurua. Effunde ſuper eos irã tuã: & furor iræ tuę cõprehẽdat eos. Fiat habitatio eorũ deſerta: & in tabernaculis eorũ non ſit qui inhabitet. Quoniã quẽ tu percuſſiſti perſecuti ſunt: & ſuper dolorẽ vulnerũ meorum LXVIII.

addiderũt. Appone iniquitatẽ ſuper iniquitatẽ eorum: & nõ intrent in iuſtitiam tuam. Deleantur de libro viuentium: & cum iuſtis non ſcribantur. Ego ſum pauper & dolens: ſalus tua Deus ſuſcepit me. Laudabo nomen Dei cum cantico: & magnificabo eum in laude. Et placebit Deo ſuper vitulũ nouellum, cornua producentem & vngulas. Videant pauperes & lætentur: quærite Deum, & viuet anima veſtra. Quoniam exaudiuit pauperes Dominus: & vinctos ſuos non deſpexit. Laudent illum cæli & terra: mare, & omnia reptilia in eis. Quoniam Deus ſaluam faciet Sion: & ædificabuntur ciuitates Iudæ. Et inhabitabunt ibi, & hæreditate acquirent eam. Et ſemen ſeruorum eius poſſidebit eam, & qui diligunt nomẽ eius habitabunt in ea.

Vt ſuprà.

In tribulatione inuocaui Dominum, & ad Deum meum clamaui. Et exaudiuit de templo ſancto ſuo vocem meam, & clamor meus in conſpectu eius introibit in aures. Deus noſter refugium & virtus: adiutor in tribulationibus, quę inuenerunt nos nimis.

Oratio.

Benigniſſime Domine exaudi nos in veritate ſalutis tuæ, vt eruti ab ſqualore peccati mereamur in libro vitæ digito cæleſti conſcribi. Per.

Educes de tribulatione animam meam. Et perdes omnes qui tribulant animam meam. Exaudi Deus orationẽ meam cũm deprecor.

Oratio Sancti Ambroſij.

CHriſte ſumma Dei virtus, vna & indiſcreta Maieſtas, orationis meæ tota ſubſtantia, inuoco nomen ſanctum tuum: exaudi me meo mecum corde luctantem, agnoſcentem peccata facinorum, & cogitionum crimina confitentem. Frange, Domine, artes diaboli. fingit enim labiis aliud ſuggerẽdo, ipſamque orationem captiuat. Reſpice, Domine, mei ſupplicis lacrymas; & cùm lacrymæ non ſint, indulgentiæ tuæ pietatem infunde. Cuſtodi in me immaculatam fidem, meque cum proximis ſemper in pace reconcilia. Fructuos tuos panis ..... propria largitate diſtribue. Tibi inclino ceruicem. Tibi genua flecto. Te Dominum Deum, cùm ſis vnus, in ſancta Trinitate cõfiteor. Frange, Domine, contra me inimicorum poteſtates, erue me de periculis, tuere me in omnibus cauſis, & in criminatione defende. Ægro me iacente, & ea quæ explere non poſſum quaſi ſint expleta concede.

ORATIO PRO FAMILIARIBVS noſtris, & cunctis fidelibus defunctis.

TE, Domine ſancte Pater omnipotens æterne Deus, ſupplices deprecamur pro ſpiritibus famulorum & famularum tuarũ, quos ab origine ſeculi huius ad te accerſire præcepiſti; vt digneris, Domine, dare eis locum lucidum, locum refrigerij & quietis; & vt liceat eis tranſire portas infernorum, & vias tenebrarum, maneantque in manſionibus Sanctorum, & in luce ſancta quam olim Abrahæ promiſiſti & ſemini eius. Nullam læſionem ſuſtineant animæ eorum, ſed cùm magnus ille dies reſurrectionis ac remunerationis aduenerit, reſuſcitare eos digneris Domine, vnà cum Sanctis & electis tuis: & vt deleas eorum delicta atque peccata vſque ad nouiſſimum quadrantem, tecumque immortalitatis vitam & regnum conſequantur æternum.

Vt ſuprà.

Ne tradas beſtiis. Requiem æternam. Iuſtorum animæ.

PSALMVS.

VErba mea auribus percipe Domine: intellige clamorem meum. Intende voci orationis meæ, rex meus & Deus meus. Quoniam ad te adorabo Domine: mane exaudies vocem meam. Mane aſtabo tibi & videbo: quoniam non Deus volens iniquitatem tu es. Neque habitabit iuxta te malignus: neque permanebunt iniuſti ante oculos tuos. Odiſti omnes qui operantur iniquitatem: perdes omnes qui loquũtur mẽdacium. Virum ſanguinum & doloſum abominabitur Dominus. Ego autem in multitudine miſericordiæ tuæ introibo in domũ tuam: adorabo ad templum ſanctum tuum in timore tuo. Domine deduc me in iuſtitia tua: propter inimicos meos dirige in conſpectu tuo viam meam. Quoniam non eſt in ore eorum veritas: cor eorum vanum eſt. Sepulchrum patens eſt guttur eorum: linguis ſuis doloſe agebant, iudica illos Deus. Decidant à cogitationibus ſuis, ſecundum multitudinem impietatum eorum expelle eos, quoniam irritauerunt te Domine. Et lætentur omnes qui ſperant in te: in æternum exultabunt & habitabis in eis. Et gloriabũtur in te omnes qui diligunt nomen tuum: quoniã tu benedices iuſto. Domine vt ſcuto bonæ voluntatis tuæ coronaſti nos.

Vt ſuprà.

A porta inferi. Precioſa eſt in conſpectu Domini.

Oratio.

Pie Domine, qui attriti cordis gemitum

priuſquam proferatur intelligis, effice nos quæſo tēplum Paracliti, vt mereamur ſcuto cæleſtis beniuolentiæ coronari. Per.

Alia Oratio.

Supplicationibus clamoris noſtri, quæſumus Domine, aures tuæ pietatis clemēter accommoda: vt animæ famulorum famularumque tuarum omnium Chriſtianorum ab omni mortis exutæ contagio, cœleſti perfrui regno mereantur. Per te Chriſte Ieſu qui viuis & regnas.

PSALMVS.

VI. Domine ne in furore tuo arguas me: neque in ira tua corripias me. Miſerere mei Domine, quoniam infirmus ſum: ſana me Domine, quoniam conturbata ſunt oſſa mea. Et anima mea turbata eſt valde: ſed tu Domine vſquequo? Conuertere Domine, & eripe animam meam, ſaluum me fac propter miſericordiam tuam. Quoniā non eſt in morte qui memor ſit tui: in inferno autem quis confitebitur tibi? Laboraui in gemitu meo, lauabo per ſingulas noctes lectum meum: lacrymis meis ſtratum meum rigabo. Turbatus eſt à furore oculus meus: inueteraui inter omnes inimicos meos. Diſcedite à me omnes qui operamini iniquitatem: quoniam exaudiuit Dominus vocem fletus mei. Exaudiuit Dominus deprecationem meam: Dominus orationem meam ſuſcepit. Erubeſcant, & conturbentur vehementer omnes inimici mei: conuertantur & erubeſcant valde velociter.

Vt ſuprà.

In memoria æterna erit iuſtus. Animæ eorum in bonis demorabuntur.

Oratio.

Vt ne in furore & ira tua animas famulorum tuorū, Domine, arguas deprecamur: ſed cūcta peccaminum labe mundatos, tuæ pietatis dono refrigerij locum concede. Per Dominum.

PSALMVS.

XXXIX. Expectans expectaui Dominum: & intendit mihi. Et exaudiuit preces meas, & eduxit me de lacu miſeriæ, & de luto fæcis. Et ſtatuit ſupra petram pedes meos, & direxit greſſus meos. Et immiſit in os meum canticum nouum, carmen Deo noſtro. Videbunt multi & timebunt: & ſperabunt in Domino. Beatus vir cuius eſt nomen Domini ſpes eius: & non reſpexit in vanitates, & inſanias falſas. Multa feciſti tu Domine Deus meus mirabilia tua, & cogitationibus tuis non eſt qui ſimilis ſit tibi. Annunciaui & locutus ſum: multiplicati ſunt ſuper numerum. Sacrificium & oblationem noluiſti: aures autem perfeciſti mihi. Holocauſtum & pro peccato non poſtulaſti: tunc dixi, Ecce venio. In capite libri ſcriptum eſt de me, vt facerem voluntatem tuam, Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei. Annunciaui iuſtitiam tuam in Eccleſia magna: ecce labia mea non prohibebo, Domine tu ſciſti. Iuſtitiam tuam non abſcondi in corde meo: veritatem tuam & ſalutare tuum dixi. Non abſcondi miſericordiam tuam & veritatem tuam à conſilio multo. Tu autem Domine ne longè facias miſerationes tuas à me, miſericordia tua & veritas tua ſemper ſuſceperunt me. Quoniam circundederunt me mala quorum non eſt numerus: comprehēderunt me iniquitates meæ, & non potui vt viderem. Multiplicatæ ſunt ſuper capillos capitis mei: & cor meum dereliquit me. Complaceat tibi Domine vt eruas me: Domine ad adiuuandum me reſpice. Confundantur & reuereātur ſimul: qui quærunt animam meam vt auferant eam. Conuertantur retrorſum & reuereantur, qui volunt mihi mala. Ferant confeſtim confuſionem ſuam, qui dicunt mihi: Euge, euge. Exultent & lætentur ſuper te omnes quærentes te, & dicant ſemper: Magnificetur Dominus, qui diligunt ſalutare tuum. Ego autem mendicus ſum & pauper: Dominus ſolicitus eſt mei. Adiutor meus & protector meus tu es: Deus meus ne tardaueris.

Vt ſupra.

Exurge, Domine, in requiem tuam. Iuſti in perpetuum viuent.

Oratio.

Partem beatæ reſurrectionis obtineant, Domine, animæ ſeruorum tuorum, vitamque æternam habere mereantur in cœlis, per te Chriſte Ieſu qui viuis & regnas cum Deo Patre in vnitate ſpiritus ſancti, per immortalia ſecula ſeculorum, Amen.

Alia Oratio.

Expectatio tuorum vnica famulorum, Deus, quem venturum in mundum caput Libri principalis edocuit, inſere precamur legem tuam in medio cordis noſtri, vt tu[illegible] nunciantes ab imminentibus periculis eruamur, Per.

Oratio pro qualicumque homine defuncto.

Omnipotens & miſericors Deus, tuam deprecamur clementiam, quia iudicio tuo & naſcimur & finimur: vt animam fratris noſtri, quem tua pietas de incolatu huius

mundi tranſire præcepit, in requiem æternam ſuſcipias, & in conſortio electorum tuorum in reſurrectione ſociari permittas, vt in æterna beatitudine vnà cum illis ſine fine permaneat. Per.

Animam, quam redemiſti, ſuſcipe Domine, cum ſeruis tuis; & qui te confeſſus eſt in vita communi, conſtituas eum in vita perenni.

Alia Oratio.

Libera, Domine, animam ſerui tui de periculis infernorum, & de periculis tenebrarum, & de perſequutionibus multis, & de flammarum gehennæ ignibus. Libera, Domine animam ſerui tui, ſicut liberaſti Abraham de Vr Chaldæorum. Libera, Domine, animã ſerui tui, ſicut liberaſti Loth de ciuitate Sodomorum. Libera, Domine, animam ſerui tui, ſicut liberaſti populum Iſraël de manu Ægyptiorum. Libera, Domine animã ſerui tui, ſicut liberaſti Moyſem de manu Pharaonis, qui antecedebat populum Iſraël in deſerto. Libera, Domine, animam ſerui tui, ſicut liberaſti Dauid de manu Saulis, & de manu Goliæ gigantis. Libera, Domine, animam ſerui tui, ſicut liberaſti Eliam & Enoch de hoc mundo. Libera, Domine, animam ſerui tui, ſicut liberaſti tres pueros de camino ignis ardentis. Libera, Domine, animã ſerui tui, ſicut liberaſti Suſannam de manu Principum. Libera Domine, animam ſerui tui, ſicut liberaſti Danihel de lacu leonum. Sicut liberaſti, Domine, Ionam de ventre ceti, ſic animam fratris noſtri ab omnibus periculis pœnarum liberare digneris, & bonis æternis cum electis tuis eam perfrui iubeas. Per.

In memoria æterna. Requiem æternam. Requieſcant in pace.

FERIA V.

Confeſſio peccatorum poſt acceptam quietem.

Confiteor tibi, Domine, omnia peccata mea, quæcumque feci, & egi, & geſſi omnibus diebus vitæ meæ. Deus qui creaſti omnia, tu noſti peccata mea: indulge & miſerere mei, quia nimium peccaui tibi. Domine, miſerere mei. Per interceſſionem omnium Angelorum atque Archangelorũ, miſerere mei. Per interceſſionem Patriarcharũ, & Prophetarum, miſerere mei. Per interceſſionem Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum, & Virgi-

A num, te deprecor miſerere mei. Domine, ſi in te peccaui, tamen te non dereliqui deos alienos non adoraui: miſerere mei Domine, veniam peto à te pro omnibus culpis meis. Pius Deus, tibi confiteor peccata mea, quia crimina agnoſco in me. Deus propitius eſto mihi peccatori ſeruo tuo: non me deſeras, non me derelinquas Deus meus. Pius Deus, ſanctus fortis, ſanctus & immortalis: miſericors Deus clementiſſime, adiuua me peccatorem famulum tuum. Da mihi cor quod timeat te,
B ſenſum qui te intelligat, oculos qui te videant, aures quæ te audiant, nares qui te odorem ſuſcipiant. Domine, mollifica cor meum durum & lapideum, qui ſum cinis mortuus. Salua me, Domine, vigilantem, cuſtodi me dormientem; vt dormiam in pace, & vigilem in Chriſto, Amen. Deprecor te, Domine, vt omnes, qui mihi bona volunt aut faciunt, redde illis in æternũ: & ſi qui mihi mala volunt aut faciunt, da illis indulgentiam. Miſericors Deus, da mihi famulo tuo remiſſionem peccatorum, &
C finem perfectum; perduc me ad viam ſalutis.

Alia Oratio.

Fiat mihi quæſo, Domine, fides firma in corde, galea ſalutis in capite, ſignum Chriſti in fronte, verbum veritatis in ore, voluntas bona in mente, dilectio Dei in pectore, præcinctio caſtitatis in circuitu, honeſtas in actione, ſobrietas in conſcientia, humilitas in proſperitate, patientia in tribulatione, ſpes in creatore, perſeueran-
D tia vſque in finem, amor vitæ æternæ, Præſtante Domino.

Oratio ſancti Benedicti.

Digneris mihi donare, Pater pie & ſancte, intellectum qui te intelligat, ſenſum qui te ſentiat, animum qui te ſapiat, diligentiam quæ te quærat, ſapientiam quæ te inueniat, animum qui te cognoſcat, viſcera quæ te ament, cor quod te cogitet, actum qui te augeat, auditũ qui te audiat, oculos qui te videãt, linguam quæ te prædicet, conuerſationem quæ tibi placeat,
E patientiam quæ te ſuſtineat, perſeuerantiam quæ te expectet, finem perfectum, præſentiam tuam ſanctam, reſurrectionem bonam, retributionem, vitam æternam, Amen.

PSALMVS.

Benedicam Dominũ in omni tempore, ſemper laus eius in ore meo. In Domino laudabitur anima mea: audiant manſueti & lætentur. Magnificate Dominum xxx

A mecum; & exaltemus nomen eius in idipſum. Exquiſiui Dominum, & exaudiuit me: & ex omnibus tribulationibus meis eripuit me. Accedite ad eum, & illuminamini: & facies veſtræ non confundentur. Iſte pauper clamauit, & Dominus exaudiuit eum: & ex omnibus tribulationibus eius ſaluauit eum. Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum: & eripiet eos. Guſtate & videte quoniam ſuauis eſt Dominus: beatus vir qui ſperat in eo. Timete Dominum omnes ſancti eius: quoniam non eſt inopia timentibus eum. B Diuites eguerunt & eſurierunt: inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono. Venite filii, audite me: timorem Domini docebo vos. Quis eſt homo qui vult vitam: diligit dies videre bonos? Prohibe linguam tuam à malo, & labia tua ne loquantur dolum. Diuerte à malo & fac bonum, inquire pacem & perſequere eam. Oculi Domini ſuper iuſtos: & aures eius in preces eorum. Vultus autem Domini ſuper facientes mala: vt perdat de terra memoriam eorum. C Clamauerunt iuſti, & Dominus exaudiuit eos: & ex omnibus tribulationibus eorum liberauit eos. Iuxta eſt Dominus his qui tribulato ſunt corde: & humiles ſpiritu ſaluabit. Multæ tribulationes iuſtorum: & de omnibus his liberauit eos Dominus. Cuſtodit Dominus omnia oſſa eorum: vnum ex his non conteretur. Mors peccatorum peſſima: & qui oderunt iuſtum, delinquent. Redimet Dominus animas ſeruorum ſuorum: & non delinquent omnes qui ſperant in eo.

Vt ſuprà.

D Protexiſti me à conuentu malignantium.

Oratio.

Angelorum & totius creaturæ diſpenſator Deus, emitte Angelum tuum in circuitu *noſtro*, cuius ambitione muniti, mereamur à peccatorum morte peſſima liberari. Per Dominum.

Alia Oratio.

E Inquirentes te, Domine, dignanter exaudi; & vt benedicamur tam in aduerſis, quam & in proſperis, benignus indulge: atque vt in te laudetur anima noſtra propitius indultor imperti. Et quia iuxta es his qui tribulato ſunt corde, aurem tuam ad contritionis noſtræ ſpiritus aperi; & pacem tuam, quæ exuperat omnem ſenſum, & corpora noſtra & corda purificet. Per.

PSALMUS.

Exaltabo te Deus meus rex: & benedicam nomini tuo in ſeculum, & in ſeculum ſeculi. Per ſingulos dies benedicam tibi: & laudabo nomen tuum in ſeculum, & in ſeculum ſeculi. Magnus Dominus & laudabilis nimis, & magnitudinis eius non eſt finis. Generatio & generatio laudabit opera tua: & potentiam tuam pronuntiabunt. Magnificentiã gloriæ ſanctitatis tuæ loquentur: & mirabilia tua narrabunt. Et virtutem terribilium tuorum dicent: & magnitudinem tuam narrabunt. Memoriam abundantiæ ſuauitatis tuæ eructabunt: & iuſtitia tua exultabunt. Miſerator & miſericors Dominus, patiens & multum miſericors. Suauis Dominus vniuerſis: & miſerationes eius ſuper omnia opera eius. Confiteantur tibi Domine omnia opera tua: & ſancti tui benedicant tibi. Gloriam regni tui dicent: & potentiam tuam loquentur. Vt notam faciant filiis hominum potẽtiam tuam & gloriam magnificentiæ regni tui. Regnum tuum regnum omnium ſeculorum: & dominatio tua in omni generatione & generationem. Fidelis Dominus in omnibus verbis ſuis: & ſanctus in omnibus operibus ſuis. Alleuat Dominus omnes qui corruunt, & erigit omnes eliſos. Oculi omnium in te ſperant Domine: & tu das eſcam illorum in tempore opportuno. Aperis tu manum tuam: & imples omne animal benedictione. Iuſtus Dominus in omnibus viis ſuis: & ſanctus in omnibus operibus ſuis. Prope eſt Dominus omnibus inuocantibus eum: omnibus inuocantibus eum in veritate. Voluntatem timentium ſe faciet, & deprecationem eorum exaudiet: & ſaluos faciet eos. Cuſtodit Dominus omnes diligentes ſe: & omnes peccatores diſperdet. Laudationem Domini loquetur os meum: & benedicat omnis caro nomini ſancto eius in ſeculum, & in ſeculum ſeculi. CXLIV.

Vt ſuprà.

Miſit de ſummo, & accepit me: adſumpſit me de aquis multis. Eripuit me de inimicis meis fortiſſimis, & ab his qui oderũt me, quoniam cõfortati ſunt ſuper me. Præuenerunt me in die adflictionis meæ, & factus eſt Dominus protector meus.

Oratio.

Regnator omnium ſeculorum Domine, qui ſpiritualem cibum omni animæ opportuno miniſtras in tempore: concede nobis te perpetualiter benedicere, tuamque po-

mundi tranſire præcepit, in requiem æternam ſuſcipias, & in conſortio electorum tuorum in reſurrectione ſociari permittas, vt in æterna beatitudine vnà cum illis ſine fine permaneat. Per.

Animam, quam redemiſti, ſuſcipe Domine, cum ſeruis tuis; & qui te confeſſus eſt in vita communi, conſtituas eum in vita perenni.

Alia Oratio.

Libera, Domine, animam ſerui tui de periculis infernorum, & de periculis tenebrarum, & de perſequutionibus multis, & de flammarum gehennæ ignibus. Libera, Domine animam ſerui tui, ſicut liberaſti Abraham de Vr Chaldæorum. Libera, Domine, animã ſerui tui, ſicut liberaſti Loth de ciuitate Sodomorum. Libera, Domine, animam ſerui tui, ſicut liberaſti populum Iſraël de manu Ægyptiorum. Libera, Domine animã ſerui tui, ſicut liberaſti Moyſem de manu Pharaonis, qui antecedebat populum Iſraël in deſerto. Libera, Domine, animam ſerui tui, ſicut liberaſti Dauid de manu Saulis, & de manu Goliæ gigantis. Libera, Domine, animam ſerui tui, ſicut liberaſti Eliam & Enoch de hoc mundo. Libera, Domine, animam ſerui tui, ſicut liberaſti tres pueros de camino ignis ardentis. Libera, Domine, animã ſerui tui, ſicut liberaſti Suſannam de manu Principum. Libera Domine, animam ſerui tui, ſicut liberaſti Danihel de lacu leonum. Sicut liberaſti, Domine, Ionam de ventre ceti, ſic animam fratris noſtri ab omnibus periculis pœnarum liberare digneris, & bonis æternis cum electis tuis eam perfrui iubeas. Per.

In memoria æterna. Requiem æternam. Requieſcant in pace.

FERIA V.

Confeſſio peccatorum poſt acceptam quietem.

Confiteor tibi, Domine, omnia peccata mea, quæcumque feci, & egi, & geſſi omnibus diebus vitæ meæ. Deus qui creaſti omnia, tu noſti peccata mea: indulge & miſerere mei, quia nimium peccaui tibi. Domine, miſerere mei. Per interceſſionem omnium Angelorum atque Archangelorũ, miſerere mei. Per interceſſionem Patriarcharũ, & Prophetarum, miſerere mei. Per interceſſionem Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum, & Virginum, te deprecor miſerere mei. Domine, ſi in te peccaui, tamen te non dereliqui, deos alienos non adoraui: miſerere mei Domine, veniam peto à te pro omnibus culpis meis. Pius Deus, tibi confiteor peccata mea, quia crimina agnoſco in me. Deus propitius eſto mihi peccatori ſeruo tuo: non me deſeras, non me derelinquas Deus meus. Pius Deus, ſanctus fortis, ſanctus & immortalis: miſericors Deus clementiſſime, adiuua me peccatorem famulum tuum. Da mihi cor quod timeat te, ſenſum qui te intelligat, oculos qui te videant, aures quæ te audiant, nares qui te odorem ſuſcipiant. Domine, mollifica cor meum durum & lapideum, qui ſum cinis mortuus. Salua me, Domine, vigilantem, cuſtodi me dormientem; vt dormiam in pace, & vigilem in Chriſto, Amen. Deprecor te, Domine, vt omnes, qui mihi bona volunt aut faciunt, redde illis in æternũ: & ſi qui mihi mala volunt aut faciunt, da illis indulgentiam. Miſericors Deus, da mihi famulo tuo remiſſionem peccatorum, & finem perfectum; perduc me ad viam ſalutis.

Alia Oratio.

Fiat mihi quæſo, Domine, fides firma in corde, galea ſalutis in capite, ſignum Chriſti in fronte, verbum veritatis in ore, voluntas bona in mente, dilectio Dei in pectore, præcinctio caſtitatis in circuitu, honeſtas in actione, ſobrietas in conſcientia, humilitas in proſperitate, patientia in tribulatione, ſpes in creatore, perſeuerantia vſque in finem, amor vitæ æternæ, Præſtante Domino.

Oratio ſancti Benedicti.

Digneris mihi donare, Pater pie & ſancte, intellectum qui te intelligat, ſenſum qui te ſentiat, animum qui te ſapiat, diligentiam quæ te quærat, ſapientiam quæ te inueniat, animum qui te cognoſcat, viſcera quæ te ament, cor quod te cogitet, actum qui te augeat, auditũ qui te audiat, oculos qui te videãt, linguam quæ te prædicet, conuerſationem quæ tibi placeat, patientiam quæ te ſuſtineat, perſeuerantiam quæ te expectet, finem perfectum, præſentiam tuam ſanctam, reſurrectionem bonam, retributionem, vitam æternam, Amen.

PSALMVS.

Benedicam Dominũ in omni tempore, ſemper laus eius in ore meo. In Domino laudabitur anima mea: audiant manſueti & lætentur. Magnificate Dominum XXX[illegible]

A mecum; & exaltemus nomen eius in idipſum. Exquiſiui Dominum, & exaudiuit me: & ex omnibus tribulationibus meis eripuit me. Accedite ad eum, & illuminamini: & facies veſtræ non confundentur. Iſte pauper clamauit, & Dominus exaudiuit eum: & ex omnibus tribulationibus eius ſaluauit eum. Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum: & eripiet eos. Guſtate & videte quoniam ſuauis eſt Dominus: beatus vir qui ſperat in eo. Timete Dominum omnes ſancti eius: quoniam non eſt inopia timentibus eum. B Diuites eguerunt & eſurierunt: inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono. Venite filii, audite me: timorem Domini docebo vos. Quis eſt homo qui vult vitam: diligit dies videre bonos? Prohibe linguam tuam à malo, & labia tua ne loquantur dolum. Diuerte à malo & fac bonum, inquire pacem & perſequere eam. Oculi Domini ſuper iuſtos: & aures eius in preces eorum. Vultus autem Domini ſuper facientes mala: vt perdat de terra memoriam eorum. C Clamauerunt iuſti, & Dominus exaudiuit eos: & ex omnibus tribulationibus eorum liberauit eos. Iuxta eſt Dominus his qui tribulato ſunt corde: & humiles ſpiritu ſaluabit. Multæ tribulationes iuſtorum: & de omnibus his liberauit eos Dominus. Cuſtodit Dominus omnia oſſa eorum: vnum ex his non conteretur. Mors peccatorum peſſima: & qui oderunt iuſtum, delinquent. Redimet Dominus animas ſeruorum ſuorum: & non delinquent omnes qui ſperant in eo.

D *Vt ſuprà.*

Protexiſti me à conuentu malignantium.

Oratio.

Angelorum & totius creaturæ diſpenſator Deus, emitte Angelum tuum in circuitu noſtro, cuius ambitione muniti, mereamur à peccatorum morte peſſima liberari. Per Dominum.

Alia Oratio.

E Inquirentes te, Domine, dignanter exaudi: & vt benedicamur tam in aduerſis, quam & in proſperis, benignus indulge: atque vt in te laudetur anima noſtra propitius indultor imperti. Et quia iuxta es his qui tribulato ſunt corde, aurem tuam ad contritionis noſtræ ſpiritus aperi; & pacem tuam, quæ exuperat omnem ſenſum, & corpora noſtra & corda purificet. Per.

PSALMVS.

CXLIV. Exaltabo te Deus meus rex: & benedicam nomini tuo in ſeculum, & in ſeculum ſeculi. Per ſingulos dies benedicam tibi: & laudabo nomen tuum in ſeculum, & in ſeculum ſeculi. Magnus Dominus & laudabilis nimis, & magnitudinis eius non eſt finis. Generatio & generatio laudabit opera tua: & potentiam tuam pronuntiabunt. Magnificentiã gloriæ ſanctitatis tuæ loquentur: & mirabilia tua narrabunt. Et virtutem terribilium tuorum dicent: & magnitudinem tuam narrabunt. Memoriam abundantiæ ſuauitatis tuæ eructabunt: & iuſtitia tua exultabunt. Miſerator & miſericors Dominus, patiens & multum miſericors. Suauis Dominus vniuerſis: & miſerationes eius ſuper omnia opera eius. Confiteantur tibi Domine omnia opera tua: & ſancti tui benedicant tibi. Gloriam regni tui dicent: & potentiam tuam loquentur. Vt notam faciant filiis hominum potẽtiam tuam & gloriam magnificentiæ regni tui. Regnum tuum regnum omnium ſeculorum: & dominatio tua in omni generatione & generationem. Fidelis Dominus in omnibus verbis ſuis: & ſanctus in omnibus operibus ſuis. Alleuat Dominus omnes qui corruunt, & erigit omnes eliſos. Oculi omnium in te ſperant Domine: & tu das eſcam illorum in tempore opportuno. Aperis tu manum tuam: & imples omne animal benedictione. Iuſtus Dominus in omnibus viis ſuis: & ſanctus in omnibus operibus ſuis. Prope eſt Dominus omnibus inuocantibus eum: omnibus inuocantibus eum in veritate. Voluntatem timentium ſe faciet, & deprecationem eorum exaudiet: & ſaluos faciet eos. Cuſtodit Dominus omnes diligentes ſe: & omnes peccatores diſperdet. Laudationem Domini loquetur os meum: & benedicat omnis caro nomini ſancto eius in ſeculum, & in ſeculum ſeculi.

Vt ſuprà.

Miſit de ſummo, & accepit me: adſumpſit me de aquis multis. Eripuit me de inimicis meis fortiſſimis, & ab his qui oderũt me, quoniam cõfortati ſunt ſuper me. Præuenerunt me in die adflictionis meæ, & factus eſt Dominus protector meus.

Oratio.

Regnator omnium ſeculorum Domine, qui ſpiritualem cibum omni animæ opportuno miniſtras in tempore: concede nobis te perpetualiter benedicere, tuamque po-

tentiam cum electis tuis fiducialiter exaltare. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. *Capitulum.*

Liberaſti nos, Domine, ex adfligentibus nos, & eos qui nos oderunt confudiſti. Laus tibi Domine Rex æternæ gloriæ.

Gratiarum actio.

Tibi ago laudes & gratias Deus meus, miſericordia mea, qui me ad tuã cognitionem perducere; & per ſacri me baptiſmatis ablutionem inter adoptionis tuæ filios adgregare dignatus es. Tibi ago laudes & gratias, qui me ab ipſis rudimentis infantiæ vſque ad hanc horam per multa defluentem vitia, immenſæ bonitatis tuæ patientia ad emendationem expectas. Te laudo & glorifico, qui me ſæpiſſimè de multis tribulationibus & anguſtiis, calamitatibus & miſeriis liberaſti, qui me hactenus de æternis ſuppliciis, de corporis huius cruciatibus exemiſti. Te laudo & glorifico, qui mihi ſoſpitatẽ membrorum, tranquilitatem temporum, & honorem, affectum & charitatem: ſi qua etiam dona ſunt in me tuæ pietatis, conferre dignatus es. Quæſo, Domine Deus, inæſtimabilem ſuauitatis tuæ clementiam; vt inchoata in me bona perficias. Quicquid in me tibi diſplicet repellas, à cunctis me, quæ ſuperſunt, tribulationibus, iniquitatibus ac diuerſis malis eripias. Cogitationes meas, locutiones pariter & actus in tua voluntate dirigas; & ne auferas animam meã de hoc mundo priuſquam emendari ſtudeat in tua voluntate. Inter aduerſa me & proſpera gradientem ſemper & vbique cuſtodias: & ad tuæ me viſionis iterata gaudia quandoque perducas, Amen.

Oratio Iſidori pro omnibus Chriſtianis.

Pie exaudibilis Domine Deus noſter Ieſu Chriſte, clementiam tuam cum omni ſupplicatione depoſcimus, vt per interuentum & meritum beatæ & glorioſæ ſemper Virginis Mariæ, omniumque Sanctorum Angelorum, Archangelorum, Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, Martyrum, Virginum, Confeſſorum, Monachorum, & omnium ciuium ſupernorum, Eccleſiæ tuæ ſanctæ Catholicæ fidem augeas, pacem tribuas Rectorib. noſtris, & nobis indulgentiam & remiſſionem peccatorum concedas: infirmis ſalutem, lapſis reparationem, aërum commoditatem nauigantibus, atque itinerantibus fidelibus proſperum iter ac ſalutis portum, tribulantibus gaudium, oppreſſis releuationem, captiuis, vinctis, & peregrinis remiſſionem, abſolutionem, ad patriam reuerſionem, mutuam diſcordantibus caritatem, infidelibus veram fidem, & defunctis fidelibus requiem. Angelum tuum ſanctum nobis hîc & vbique cuſtodem & defenſorem propitius donare digneris, qui cum patre & ſpiritu Sancto viuis & regnas Deus per omnia ſecula ſeculorum, Amen.

Hymnus S. Ambroſii pro infirmis.

Chriſte cœleſtis, medicina Patris,
Verus humanæ Medicus ſalutis:
Prouidę plebi precibus potenter
Pande fauorem.
En ob infirmos tuæ ſupplicamus,
Quos nocens peſtis valitudo quaſſat:
Vt pius morbum releues iacentem,
Quo patiuntur.
Qui poteſtate manifeſtus extans,
Mox Petri ſocrum febribus iacentem,
Reguli prolem, puerumque ſaluas
Centurionis.
Ferto languenti populo vigorem,
Efflue largam populo ſalutem:
Priſtinis more ſolito reformans
Viribus ægros.
Corporum morbos, animumque ſana,
Vulnerum cauſis adhibe medelam,
Ne ſine fructu cruciatus vrat
Corpora noſtra.
Omnis impulſus perimens recedat,
Omnis incurſus crucians liqueſcat,
Vigor optatę foueat ſalutis
Membra dolentis.
Iam Deus noſter miſerate fletus,
Sic quibus te nunc petimus medere,
Vt tuam omnis recubans medelam
Sentiat æger.
Quo per illata mala dum teruntur,
Eruditorum numero decori,
Compotes intrent ſociante fructu
Regna polorum.
Gloria Patri, genitæque proli,
Et tibi compar vtriuſque ſemper
Spiritus alme, Deus vnus omni
Tempore ſecli.
Gloria pſallat chorus, & reſultet,
Gloriam dicat, canat & reſoluat,
Spiritus alme, Deus vnus omni
Tempore ſecli.

Pro familiaribus Oratio.

Libera nos, quæſumus Domine ſancte Pater omnipotens, æterne Deus, ab omnibus viciis, & de inſidiis inimici. Pro-

ge nos ab omni tribulatione & poteſtate A iniqua, vt magnificetur nomen tuum & maieſtas tua: ne dicant gentes, *Vbi eſt Deus eorum? Deus autem noſter in cœlo, omnia quæcumque voluit fecit.* Cuſtodi nos Domine, vt pupillam oculi, ſub vmbra alarum tuarum protege nos: ne vlla poteſtas humana iniqua nobis nocere valeat in anima, in corpore, in mente, in ambulãdo, in dormiendo, in ſtando, in ſedendo, in viſu, in auditu, in tactu, in odoratu, in guſtu, in potu, in vſu, in greſſu, in lectione, in oratione, in ſenſu, in locutione, in cogitatione, in ſeparatione, in congregatione, in itinere, in nauigatione. Libera nos, clemens Trinitas, ab omni malo præterito, præſenti, & futuro: ſicut liberaſti ſeruos tuos ab initio mundi, Noë à diluuio, Abraham de Vr Chaldæorum, Loth de ciuitate Sodomorum, Moyſen & populum Iſraël de mari rubro & de manibus Pharaonis, Dauid de manu Saulis & Goliæ, Heliam & Enoch de hoc mundo, Tobiam de dolore oculorum, tres pueros de camino ignis ardentis, Suſannam de manu Principum, Danihel de lacu leonum, Ionã de ventre ceti, Ezechiam de infirmitate, Naaman Syrum de ægritudine, & Ieſum filium Nun de præliis Chananæorum, Niniuem de morte minante, Iſaac de gladio patris ſui, Iob de tribulationibus ſuis, Gedeon de barbaris, Petrum de fluctibus maris & de carcere, Paulum de multis tribulationibus & periculis. Sic ſancta Trinitas æterne Deus, nos famulos tuos ab omnibus in hoc ſeculo inſidiis diaboli liberare, & in tuo ſancto conſeruare digneris inlæſos ſeruitio: vt in futuro tecum præmia conſequi mereamur æterna, qui viuis & regnas in ſecula ſeculorum, Amen.

PSALMVS.

xix. EXaudiat te Dominus in die tribulationis: protegat te nomen Dei Iacob. Mittat tibi auxilium de ſancto: & de Sion tueatur te. Memor ſit omnis ſacrificii tui: & holocauſtum tuũ pingue fiat. Tribuat tibi ſecundum cor tuum: & omne conſilium tuum confirmet. Lætabimur in ſalutari tuo: & in nomine Dei noſtri magnificabimur. Impleat Dominus omnes petitiones tuas: nunc cognoui quoniam ſaluum fecit Dominus Chriſtum ſuum. Exaudiet illum de cœlo ſancto ſuo: in potentatibus ſalus dexteræ eius. Hi in curribus, & hi in equis: nos autem in nomine Domini Dei noſtri inuocabimus. Ipſi obligati ſunt & ceciderunt: nos autem ſurreximus & erecti ſumus. Domine ſaluum fac regem: & exaudi nos in die qua inuocauerimus te.

Vt ſuprà.

Fiat miſericordia tua, Domine, ſuper nos.

Oratio.

Imple, Domine, petitiones noſtras, & tanquam pinguiſſimum nos holocauſtum adſume, vt inimicorum curribus obligatis, ſalutaris tui opitulatione lætemur, Per.

Alia Oratio.

Imple, Domine, petitiones noſtras, & B mitte nobis auxilium de ſancto: memor eſto ſacrificij noſtri, quod tibi non ſolum oblatione & oratione offertur, ac preces noſtras, quas in quacumque die tibi tam manu linguę, quàm genu cordis offerimus, propitius audire dignare. Per.

PSALMVS.

BEatus vir qui intelligit ſuper egenum & xl. pauperem: in die mala liberabit eum Dominus. Dominus conſeruet eum, & C viuificet eum, & beatum faciat eum in terra: & non tradat eum in animam inimicorum eius. Dominus opem ferat illi ſuper lectum doloris eius: vniuerſum ſtratum eius verſaſti in infirmitate eius. Ego dixi: Domine miſerere mei: ſana animam meã, quia peccaui tibi. Inimici mei dixerunt mala mihi: Quando morietur & peribit nomen eius? Et ſi ingrediebatur vt videret, vana loquebatur cor eius: congregauit iniquitatem ſibi. Egrediebatur foras: & lo- D quebatur in idipſum. Aduerſum me ſuſurrabant omnes inimici mei: aduerſum me cogitabant mala mihi. Verbum iniquum conſtituerunt aduerſum me: Nunquid qui dormit non adiiciet vt reſurgat? Etenim homo pacis meæ in quo ſperaui, qui edebat panes meos: magnificauit ſuper me ſupplantationem. Tu autem Domine miſerere mei, & reſuſcita me: & retribuam eis. In hoc cognoui quoniam voluiſti me: quoniam non gaudebit inimicus meus ſuper me. Me autem propter innocentiam ſuſcepiſti: & confirmaſti me in conſpectu tuo E in æternum. Benedictus Dominus Deus Iſraël à ſeculo & vſque in ſeculum: fiat, fiat.

Vt ſuprà.

Diſperſit, dedit pauperibus.

Oratio.

Noſtrorum peccaminum mitis indultor æterne Deus, qui das effugere diem malum ſi miſericordia ſubſequatur egenum: fer opem, quæſumus, doloribus noſtris, vt dum carnalia delicta clementer arguis, me-

dicamentum animæ placabiliter largiaris. A
Per Dominum.

Alia.

Confirma nos in conſpectu tuo, Domine, in æternum; vt defixum iter noſtrum nullo alieno ſollicitetur aſpectu. Per.

PSALMVS.

LXVI. DEus miſereatur noſtri, & benedicat nobis: illuminet vultum ſuum ſuper nos, & miſereatur noſtri. Vt cognoſcamus in terra viam tuam: in omnibus gentibus ſalutare tuum. Cõfiteantur tibi populi Deus: confiteantur tibi populi omnes. Lætentur & exultent gentes, quoniam iudicas populos in æquitate, & gentes in terra dirigis. Confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes, terra dedit fructum ſuum. Benedicat nos Deus Deus noſter, benedicat nos Deus: & metuant eum omnes fines terræ.

Vt ſuprà.

Adiutorium noſtrum in nomine Domini. *Oratio.*

Illumina, Domine, vultum tuum ſuper nos, & miſericordiam nobis vberem, benedictionemque largire. Per.

Alia Oratio.

Cognoſcentes in terra viam tuam, Domine, in omnibus gentibus ſalutare tuum Chriſtum Dominum & viam eſſe confitemur & patriam, per quem in directum gradimur, & ad profectum pleniſſimum peruenimus. Per.

PSALMVS.

CXXXI. MEmento Domine Dauid, & omnis manſuetudinis eius. Sicut iurauit Domino, votum vouit Deo Iacob. Si introiero in tabernaculum domus meæ, ſi aſcendero in lectum ſtrati mei. Si dedero ſomnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem. Et requiem temporibus meis: donec inueniam locum Domino, tabernaculum Deo Iacob. Ecce audiuimus eam in Ephrata: inuenimus eam in campis ſyluę. Introibimus in tabernaculum eius: adorabimus in loco vbi ſteterunt pedes eius. Surge Domine in requiem tuam: tu & arca ſanctificationis tuæ. Sacerdotes tui induantur iuſtitiam: & ſancti tui exultent. Propter Dauid ſeruum tuum, non auertas faciem Chriſti tui. Iurauit Dominus Dauid veritatem & non fruſtrabitur eam: De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam. Si cuſtodierint filii tui teſtamentũ meum: & teſtimonia mea hæc quæ docebo eos. Et filii eorum vſque in ſeculum, ſedebunt ſuper ſedem tuam. Quoniam elegit Dominus Sion: elegit eam in habitationem ſibi. Hæc requies mea in ſeculum ſeculi: hic habitabo, quoniam elegi eam. Viduam eius benedicens benedicam: pauperes eius ſaturabo panibus. Sacerdotes eius induam ſalutari: & ſancti tui exultatione exultabunt. Illuc producam cornu Dauid paraui lucernam Chriſto meo. Inimicos eius induam confuſione: ſuper ipſum autem efflorebit ſanctificatio mea. B

Vt ſuprà.

Saluos fac nos, Domine Deus noſter.

Oratio.

In omni ingreſſu noſtro memor eſto nobis omnipotens æterne Deus, indue nos ſacerdotali iuſtitia, vt induci mereamur in tabernacula ſempiterna. Per.

Alia.

Exurge, Domine, & corda noſtra tibi præparentur in requiem, ſitque in ſingulis archæ tuæ ſanctificatio, meditatioque ſanctitatis, & operum noſtrorũ lucerna Chriſtus Dominus noſter, vt hæc eo præparante fructu iuſtitiæ repleamur ad gratiam, & verbo vitæ contineamur ad gloriam. Per. C

PSALMVS.

ECce quàm bonum & quàm iocundum habitare fratres in vnum. Sicut vnguentum in capite, quod deſcendit in barbam, barbam Aaron. Quod deſcendit in oram veſtimenti eius: ſicut ros Hermon, qui deſcendit in montem Sion. Quoniam illic mandauit Dominus benedictionem, & vitam vſque in ſeculum. D

Vt ſuprà.

Non mortui laudabunt te, Domine.

Oratio.

Infunde Domine in Eccleſiam tuam charitatem fraternitatis & pacis, vt rore ſpiritalis vnguenti aſperſi, benedictionis tuæ gratia iocundemur. Per.

Alia.

Chriſte Domine, cuius ſacrum nomen vnguento effuſo ſapiẽtiæ comparauit odorem; da quæſumus vnguentum verticis tui in barbam decoris populi tui, te profundente deſcẽdere, ac in ipſa veſtimenti ora, quæ præſentis vitæ induitur, peruenire. Per Dominum. E

PSALMVS.

ECce nunc benedicite Dominum omnes ſerui Domini. Qui ſtatis in domo Domini,

Domini, in atriis domus Dei noſtri. In no- A
ctibus extollite manus veſtras in ſancta: & benedicite Dominum. Benedicat te Dominus ex Sion: qui fecit cœlum & terram.

Vt ſuprà.

Propter fratres meos & proximos meos.

Oratio.

Benedicentes te omnes ſerui tui, Domine, deprecamur; vt nos mundi huius nocte contectos illuminare digneris, quati- B
nus dum manus noſtras in bonis operibus eleuamus, benedictionem à te largiſſimam conſequamur. Per.

Alia Oratio.

Præſta, Domine, vt cunctis gradibus perfectionis aſcenſi in virtutum culmine, te laudemus; & ſtantes in domo tua atque in atriis tuis, manus noſtras ad te benedicendum diebus ac noctibus extendamus, benedictione à te percepta cœli ac terræ C
Domino & Saluatore.

DEPRECATIO, QVAM PAPA Gelaſius pro vniuerſali Eccleſia conſtituit canendam eſſe.

Dicamus omnes, Domine exaudi & miſere.

Patrem Vnigeniti, & Dei filium genitoris ingeniti, & ſanctum Deum Spiritum fidelibus animis inuocamus.

Pro immaculata Dei viui Eccleſia, Sacerdotibus ac miniſtris, diuinam bonitatis D
opulentiam deprecamur.

Pro ſanctis Dei magni Sacerdotibus & miniſtris, cunctiſque Deum verum colentibus populis, Chriſtum Dominum ſupplicamus.

Pro vniuerſis rectè tractantibus verbum veritatis, multiformem Verbi Dei ſapientiam peculiariter obſecramus.

Pro his, qui ſe mente & corpore propter cœlorum regna caſtificant, & ſpiritualiũ E
labore deſudant, largitorem ſpiritalium munerum obſecramus.

Pro religioſis Principibus, omnique militia eorum, qui iudicium & iuſtitiam diligunt, Domini potentiam obſecramus.

Pro iocunditate & ſerenitate pluuiæ, atque aurarum vitalium blandimentis, ac proſpero diuerſorum operum curſu, rectorem mundi Dominum deprecamur.

Pro his, quos prima Chriſtiani nominis initiauit agnitio, quos iam deſiderium gratiæ cœleſtis accendit, omnipotentis Dei miſericordiam obſecramus.

Pro his quos humanæ infirmitatis fragilitas, & quos nequitiæ ſpiritalis inuidia, vel varius ſeculi horror inuoluit, Redemptoris noſtri miſericordiam imploramus.

Pro his quos peregrinationis neceſſitas, aut iniquæ poteſtatis impietas vel hoſtilis vexat ærumna; Saluatorem Dominum ſupplicamus.

Pro Iudaica falſitate, aut hæretica prauitate deceptis, vel gentilium ſuperſtitione perfuſis, veritatis Dominum deprecamur.

Pro operariis pietatis, & his qui neceſſitatibus laborantum fraterna caritate ſubueniunt, miſericordiarum Dominum deprecamur.

Pro omnibus intrantibus in hæc ſanctæ domus Dei atria religioſo corde, & ſupplici deuotione conuener. Dominum gloriæ deprecamur.

Pro emundatione animarum corporumque noſtrorum omnium, ac venia peccatorum, clementiſſimum Dominum ſupplicamus.

Pro refrigerio fidelium animarum, præcipuè ſanctorum Domini Sacerdotum, qui huic Eccleſiæ præfuerunt Catholicæ, Dominum ſpirituum, & vniuerſæ carnis iudicem deprecamur.

Mortificatam vitiis carnem, & viuentem fide animam præſta, Domine; præſta.

Caſtum timorem, & veram dilectionem præſta, Domine, præſta.

Gratum vitæ ordinem, & probabilem exitum præſta, Domine, paæſta.

Angelum pacis, & ſolatia ſanctorum præſta, Domine, præſta.

Noſmetipſos, & omnia noſtra, quæ orta, quæ acta, per Dominum ipſo auctore ſuſcepimus, ipſo cuſtode retinemus, ipſiuſque miſericordiæ & arbitrio prouidentiæ commendamus. Domine miſerere.

Cotidie pro familiaribus.

Dicamus omnes, Domine exaudi & miſerere, Domine miſerere.

Hanc noſtram auribus tuæ pietatis, clementiſsime Pater, orationem exaudire digneris, quam tibi fraternæ caritatis affectu

ſtimulante pro fratribus & ſororibus noſtris ſupplici voce fundimus, quietéque pro nobis quotidie indefeſſa oratione intercedere ſtudentes noſtris ſe commendauerunt orationibus; nec non pro omnibus tua præſtante clementia, propter nomen tuum benè nobis facientibus. Et pro his qui ſpiritali ſtimulo compuncti ſua nobis confeſſi ſunt peccata.

Hos ergo, omnipotẽs Deus, omnes, quorum hic nomina ſcripta habentur, ab omnibus in hoc ſeculo inſidiis diaboli in tuo ſancto conſeruare digneris inlæſos ſeruitio, vt in futuro tecum præmia conſequi mereantur æterna.

Saluos fac ſeruos tuos. Mitte eis, Domine, auxilium de ſancto. Nihil proficiat inimicus in eis.

Per merita, Domine, & orationes Sanctorum omnium libera, cuſtodi, confirma, pacifica, purifica, & dimitte eis delicta eorum, & conſerua eos in nomine tuo, ſicut vis & ſicut ſcis, Domine. Benedictio, & claritas, & ſapientia, & gratiarum actio, & honor, & virtus, & fortitudo, Deo noſtro in ſecula ſeculorum, Amen.

FERIA VI.

In memoriam Incarnationis, Paſſionis, & Reſurrectionis, ſiue Aſcenſionis Domini.

Hymnus Fortunati, de Natiuitate & Cruce Chriſti.

PAnge lingua glorioſi
Prælium certaminis,
Et ſuper Crucis trophæo
Da triumphum nobilem;
Qualiter Redemptor orbis
Immolatus vicerit.

De parentis protoplaſti
Fraude factor condolens,
Quando pomi noxialis
Morte morſu corruit:
Ipſe ligno tunc notauit,
Damna ligni vt ſolueret.

Hoc opus noſtræ ſalutis
Ordo depopoſcerat,
Multiformis perditoris
Arte vt artem falleret;
Et medelam ferret indè
Hoſtis vnde læſerat.

Quando venit ergo ſacri
Plenitudo temporis,
Miſſus eſt ab Arce Patris
A Natus orbis conditor,
Atque ventre virginali
Caro factus prodiit.

Vagit infans inter arcta
Conditus præſepia,
Membra pannis inuoluta
Virgo mater adligat,
Et pedes, manuſque, crura
Stricta pangit faſcia.

Luſtra ſex qui iam peracta
Tempus implens corporis,
Se volente, natus ad hoc
B Paſſioni deditus,
Agnus in crucis leuatur
Immolandus ſtipite.

Hic acetum, fel, arundo,
Sputa, claui, lancea,
Mite corpus perforatur,
Sanguis vnda profluit:
Terra, pontus, aſtra, mundus,
Quo lauantur flumine.

Crux fidelis inter omnes
Arbor vna nobilis,
Nulla talem ſilua profert
Fronde, flore, germine;
C Dulce lignum, dulcem clauum
Dulce pondus ſuſtinens.

Flecte ramos arbor alta
Tenſa laxa viſcera,
Et rigor lenteſcat ille
Quem dedit natiuitas,
Vt ſuperni membra Regis
Mittenda ſtipite.

Sola digna tu fuiſti
Ferre precium ſeculi,
D Atque portum præparare
Nauta mundo naufrago:
Quam ſacer cruor perunxit
Fuſus agni ſtipite.

EIVSDEM.

CRux benedicta nitet, Dominus qua carne pependit
Atque cruore ſuo vulnera noſtra lauit.
Mitis amore pio pro nobis victima factus,
Traxit ab ore lupi qua ſacer agnus oues.
Trãſixis palmis vbi mundũ clade redemit,
Atque ſuo clauſit funere mortis iter.
E Hîc manus illa fuit clauis confixa cruentis,
Quæ eripuit Paulum crimine, morte Petrum.
Fertilitate potẽs ô dulce & nobile lignum,
Quãdo tuis ramis tam noua poma geris.
Cuius odore nouo defuncta cadauera ſurgunt,
Et redeunt vitæ qui caruere die.
Nullum vret æſtus ſub frondibus arboris huius,

Luna nec in noctem, ſol neque meridie.
Tu plantata micas ſecus eſt vbi curſus
aquarum,
Spargis & ornatas flore recente comas.
Appenſa eſt vitis inter tua brachia, de qua
Dulcia ſanguineo vina rubore fluunt.

PSALMVS DE INCARNATIONE.

II. QVare fremuerunt gentes: & populi meditati ſunt inania? Aſtiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in vnum aduerſus Dominum, & aduerſus Chriſtum eius. Dirumpamus vincula eorum, & proiiciamus à nobis iugum ipſorum. Qui habitat in cœlis, irridebit eos: & Dominus ſubſannabit eos. Tunc loquetur ad eos in ira ſua: & in furore ſuo conturbabit eos. Ego autem cõſtitutus ſum rex ab eo ſuper Sion montem ſanctum eius, prædicãs præceptum eius. Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ. Reges eos in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringes eos. Et nunc reges intelligite: erudimini qui iudicatis terram. Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. Apprehendite diſciplinam, nequando iraſcatur Dominus, & pereatis de via iuſta. Cùm exarſerit in breui ira eius, beati omnes qui confidunt in eo.

Vt ſuprà.

Exortum eſt in tenebris. Suſcepimus Deus miſericordiam tuam.

Oratio.

Effice nos, Domine, tanquam fructuoſiſſimum lignum ante conſpectum tuum, vt tuis imbribus mitigati, mereamur tibi ſuauium fructuum vbertate placere. Per.

Alia.

uientes tibi, Domine, ob metum in
e iudicij, exultãtes cum tremore pro-
duciam ſpei, doce nos adprehendere
linam, qui iudicas terram, vt te pro-
te veteris hominis figulum confrin-
s exterioris terræ purgamenta calce-

MVS DE PASSIONE DOMINI.

ca, Domine, nocentes me: expugna
ugnantes me. Adprehende arma &
n, & exurge in adiutorium mihi. Ef-
fr[illegible]eam, & conclude aduerſus eos

A qui perſequuntur me: dic animæ meæ, Salus tua ego ſum. Confundantur & reuereantur; quærentes animam meam. Auertantur retrorſum, & confundantur: cogitantes mihi mala. Fiant tanquam puluis ante faciem venti, & Angelus Domini coartans eos. Fiat via illorum tenebræ & lubricum, & angelus Domini perſequens eos. Quoniam gratis abſconderunt mihi interitum laquei ſui: ſuperuacue exprobrauerunt animam meam. Veniat illi laqueus quem ignorat, & captio quam abſcondit apprehendat eum: & in laqueum
B cadat in ipſum. Anima autem mea exultabit in Domino: & delectabitur ſuper ſalutari ſuo. Omnia oſſa mea dicent: Domine, quis ſimilis tibi? Eripiens inopem de manu fortiorum eius: egenum & pauperem a diripientibus eum. Surgentes teſtes iniqui, quæ ignorabam interrogabant me. Retribuebant mihi mala pro bonis: ſterilitatem animæ meæ. Ego autem cum mihi moleſti eſſent, induebar cilicio. Humiliabam in ieiunio animam meam: & oratio mea in ſinu
C meo conuertetur. Quaſi proximum, & quaſi fratrem noſtrum, ſic complacebam: quaſi lugens & contriſtatus ſic humiliabar. Et aduerſum me lætati ſunt, & conuenerunt: congregata ſunt ſuper me flagella, & ignoraui. Diſſipati ſunt nec cõpuncti tentauerunt me, ſubſannauerunt me ſubſannatione: frenduerunt ſuper me dentibus ſuis. Domine quando reſpicies? reſtitue animam meam à malignitate eorum, a leonibus vnicam meam. Confitebor tibi in Eccleſia magna: in populo graui laudabo
D te. Non ſupergaudeant mihi qui aduerſantur mihi inique, qui oderunt me gratis, & annuunt oculis. Quoniam mihi quidem pacificè loquebantur: & in iracundia terræ loquentes, dolos cogitabant. Et dilatauerunt ſuper me os ſuum, dixerunt: Euge, euge, viderunt oculi noſtri. Vidiſti Domine, ne ſileas: Domine ne diſcedas a me. Exurge & intẽde iudicio meo: Deus meus, & Dominus meus in cauſam meam. Iudica me ſecundum iuſtitiam tuã Domine Deus
E meus: & non ſupergaudeant mihi. Non dicant in cordibus ſuis: Euge, euge animæ noſtræ, nec dicant: Deuorabimus eum. Erubeſcant & reuereantur ſimul, qui gratulantur malis meis. Induantur confuſione & reuerentia, qui maligna loquuntur ſuper me. Exultent & lætentur qui volunt iuſtitiam meam, & dicant ſemper: Magnificetur Dominus, qui volunt pacem ſerui eius. Et lingua mea meditabitur iuſtitiam tuam, tota die laudem tuam.

Vt ſuprà.

Adiutor & liberator meus eſto, Domine, ne moreris.

Oratio.

Protectio ſaluſque animæ noſtræ, operi nos galea ſpei, & ſcuto inexpugnabilis munimenti; vt à te in cauſis noſtræ neceſſitatis adiuti, mereamur cum te diligentibus lætitia & exultatione perfundi. Per.

Alia Oratio.

Domine, quando reſpicies, diceſque nobis, Salus veſtra ego ſum? & ad ſolitudinem atque implorationẽ noſtram quando propitius conuertes? ad quam iam conuertere, Domine, & intende iudicium noſtrum, & ipſe iudicantes nos fortis propugnator expugna; vt oratio noſtra, quæ nũc in ſinum noſtrum pro ſecretorum ſuorum compunctione conuertitur, ante conſpectum tuum purgata, cordis gemitu dirigatur.

PSALMVS DE RESVRRECTIONE.

III. DOmine quid multiplicati ſunt qui tribulant me: multum ſurgunt aduerſum me. Multi dicunt animæ meæ, non eſt ſalus ipſi in Deo eius. Tu autem Domine, ſuſceptor meus: gloria mea, & exaltans caput meum. Voce mea ad Dominum clamaui, & exaudiuit me de monte ſancto ſuo. Ego dormiui, & ſoporatus ſum, & exſurrexi: quia Dominus ſuſcepit me. Non timebo milia populi circundantis me, exſurge Domine, ſaluum me fac Deus meus. Quoniam tu percuſſiſti omnes aduerſantes mihi ſine cauſa, dentes peccatorum contriuiſti. Domini eſt ſalus, & ſuper populum tuum benedictio tua.

Vt ſuprà.

Tenuiſti manum dexteram meam.

Oratio.

Effunde, Domine, benedictionem tuam ſuper populum tuum, vt tua reſurrectione muniti, non timeamus ab aduerſantium vitiorum malitia circundari. Per.

Alia.

Domine, contra multiplicationem tribulationum nobis fortis propugnator adcurre, & aduerſus multitudinem inſurgentium in nos pius defenſor adſiſte, ſitque benedictio tua ſuper populum tuum: vt qui ſalutem animæ noſtræ in te eſſe negant, te ſaluatorem noſtrum ipſa ſua expugnatione cognoſcant.

ITEM PSALMVS DE EADEM.

EXaltabo te Domine, quoniam ſuſcepiſti me: nec delectaſti inimicos meos ſuper me. Domine Deus meus clamaui ad te: & ſanaſti me. Domine eduxiſti ab inferno animam meam: ſaluaſti me à deſcendentibus in lacum. Pſallite Domino ſancti eius: & confitemini memoriæ ſanctitatis eius. Quoniam ira in indignatione eius: & vita in voluntate eius. Ad veſperum demorabitur fletus: & ad matutinum lætitia. Ego autem dixi in abundantia mea: non mouebor in æternum. Domine in voluntate tua præſtitiſti decori meo virtutem. Auertiſti faciem tuam à me: & factus ſum conturbatus. Ad te Domine clamabo, & ad Deum meũ deprecabor. Quæ vtilitas in ſanguine meo, dum deſcendero in corruptionem? Nunquid confitebitur tibi puluis, aut annunciabit veritatem tuam? Audiuit Dominus, & miſertus eſt mei: Dominus factus eſt adiutor meus. Conuertiſti planctũ meum in gaudium mihi: conciditi ſaccum meum, & circundediſti me lætitia. Vt cantet tibi gloria mea & non compungar: Domine Deus meus in æternum confitebor tibi.

Vt ſuprà.

Ego dormiui.

Oratio.

Suſceptor omniũ, clementiſſime Deus, ne permittas delectari inimicos noſtros ſuper nos; ſed ita nos tua virtute corrobora, vt conuerſum planctum noſtrum in ſanctitatis tuæ gaudium memoria iugiter excolamus. Per.

Alia.

Audi, Domine, & miſerere noſtri, & confitentes memoriæ ſanctitatis tuæ lætitia confeſſionis accinge: & quia in voluntate tua vita eſt noſtra, voluntatis ipſius munus impertire; vt dum nobis vita ex voluntate tua tribuitur, voluntas tua vitæ ipſius munere impleatur. Per.

PSALMVS DE ASCENSIONE.

DOmine Dominus noſter, quàm admirabile eſt nomen tuum in vniuerſa terra? Quoniam eleuata eſt magnificentia tua ſuper cœlos. Ex ore infantium & lactentiũ perfeciſti laudem propter inimicos tuos, vt deſtruas inimicum & vltorem. Quoniam videbo cœlos tuos, opera digitorum tuorum: *lunam & ſtellas quæ tu fundaſti.* VIII.
Quid eſt homo, quód memor es eius?

ius hominis, quoniam viſitas eum? ſiſti eum paulóminus ab angelis : glo- honore coronaſti eum, & conſtitui- m ſuper opera manuum tuarum. Om- bieciſti ſub pedibus eius : oues & bo- niuerſas, inſuper & pecora campi. Vo- i cæli, & piſces maris, qui perambu- emitas maris. Domine dominus no- quàm admirabile eſt nomen tuum in erſa terra.

Vt ſuprà.

cendit Deus in jubilo. Regnabit Deus gentes.

Oratio.

uid eſt homo, Domine, quòd memor s : aut cur es tu filius hominis, niſi vt ne in perpetuum periret, redimeres? go nobis auxilium neceſſarium, qui ti pro nobis ſanguinem precioſum; & a, vt quos mors tua redimit, eorum te vita glorificet.

Secundum nomen tuum Deus. Exaudiuit de templo ſancto ſuo vocem meam. Pſallite Deo noſtro, quoniam Rex omnis terræ Deus.

Oratio.

Ammirabile nomen tuum, omnipotens Domine, ſupplices exoramus; vt qui omnem creaturam mundi ad vſus hominum ſubieciſti, nos ad tuæ ſeruitutis officium dignos digneris efficere, Per.

Item Oratio.

Exaudi, Domine, ſancte Pater omnipotens æterne Deus, orationes noſtras, quas pietati tuæ fundimus in memoriam ſacræ Incarnationis, Natiuitatis, Paſſionis, Reſurrectionis, Aſcenſionis Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui pro nobis incarnari, naſci, mori, reſurgere, cæloſque aſcendere, noſtram ſua virtute captiuitatem ducens captiuam dignatus eſt; eius gubernatione, protectione, miſericordia, à cunctis muniamur diabolicæ fraudis inſidiis, qui tecum viuit in vnitate Spiritus ſancti per immortalia ſecula ſeculorum.

FERIA ITEM VI. ORATIO S. *Cypriani Martyris.*

DOmine ſancte Pater agios, ad te leuaui animam meam. Deus meus, Quis enim maior te? Tibi gratias & laudem refero. Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Iacob, Deus Patrum noſtrorum, Deus Apoſtolorum, Deus Prophetarum, Deus Martyrum; qui es, & qui fuiſti ante mundi conſtitutionem. Deus viuorum, venturus iudicare viuos & mortuos, qui es Deus verax, qui ſedes ſuper Cherubim, & proſpi-
A cis abyſſos : qui vides cuncta priuſquam naſcantur, qui habes poteſtatem occidere, & rurſum reſtituere; qui habes poteſtatem de arido viridem facere. Tu omnium Deus dominator, libera me ab hoc ſeculo. Exaudi me orantē, ſicut exaudiſti filios Iſrael de terra Ægypti, & non tibi crediderunt, nec famulo tuo Moyſi. Væ peccatis meis. cum te leuaueris cōfringere terram, ſub quā fiſſuram petrarum me abſconſurus ſum ante virtutem tuam? Cui monti dicturus ſum, Cade ſuper me? & cui colli, Tege me: ante metum Domini, cùm te leuaueris con-
B fringere terram. Rogo, Domine, ſubueni mihi, & noli ſecundum actum meum me iudicare: nihil enim in præceptis tuis paraui. Exaudi me rogantem, ſicut exaudiſti Ionam de ventre cœti, ſic exaudias me & eiicias me de morte ad vitam. Sicut Niniuitæ induerunt cinerem & cilicium, & pœnitentiam egerunt, ita & ego exhomologeſin faciens ante conſpectum tuum pro vniuerſis peccatis meis, qui es amator pœnitentiæ, miſerere mei. Sed & Dauid
C dicit: *Domine propter nomen tuum dele peccatum meum*; & ego deprecans maieſtatem tuam dele vniuerſa peccata mea. Exaudi me orātem ſicut exaudiſti tres pueros de camino ignis, Ananiam, Azariam, Miſahel: & miſiſti Angelum tuum cum nimbo roris. Cōfuſus eſt Nabuchodonoſor præpoſitus regni, quoniam tu es Rex regnantium, & Dominus dominantium, qui ſolus habes immortalitatem, & lucem inacceſſibilem, quem nemo hominum videt, nec videre
D poteſt. Exaudi me orantem, ſicut exaudiſti Danihelem de lacu leonum, & miſiſti Abbacuc Prophetam, & attulit ei prandium; & dixit: *Prande prandium quod tibi miſit Dominus*, Et dixit Danihel, *Non relinquit Dominus quærentes ſe.* Exaudi me orantem, ſicut exaudiſti Tobiam & Sarram, dum orarent in atrio domus ſuæ, tunc obtulit pro eis Raphaël Angelus orationem eorum; ſic exaudias preces meas, & admittas ad aulam ſanctam tuā orationes meas: & continenter mittas Angelum tuum, qui deleat vniuerſa commiſſa mea, ſicut dele-
E ſti ſpiritum immundum à Sarra, filia Raguel. Illumines cor meum, ſicut illuminaſti oculos Tobiæ. Exaudi me orantem, ſicut exaudiſti Suſannam, & liberaſti eam de manibus Seniorum, ſic & me liberes ab hoc ſeculo, quia tu es amator puræ conſcientiæ. Exaudi me orantem ſicut exaudiſti Ezechiam Regem Iudæ, & deleſti ab eo infirmitatē carnis; ſic & à me auferas infirmitatē corporis & animæ, & augeas

mihi fidem ſicut auxiſti illi annos xv. ad vitam. Liberes me de medio ſeculi huius, ſicut liberaſti Teclam de medio Amphitheatro, ſic liberes me de omni infirmitate carnis. Te deprecor, Pater, qui in fine temporum commemoratus es noſtri, mittens nobis Ieſum Chriſtum filium tuũ Dominum Saluatorem noſtrum natum ex Maria Virgine de ſpiritu Sancto adnũtiante Gabrihel Angelo, per quem nos liberaſti de periculo mortis imminentis. Et te deprecor fili Dei viuentis, qui feciſti magnalia in Chana Galilææ, de aqua vinum feciſti propter Iſrahel: qui cęcis oculos aperuiſti, qui ſurdum audire feciſti, qui paralyticos ad ſua membra reuocaſti, linguas bleſorum dæmonio vexante ſanaſti, claudos currere feciſti velut ceruos, mulierem profluxu ſanguinis liberaſti, mortuos ſuſcitaſti, ſuper aquam pedibus ambulaſti: qui mare fundaſti, & terminos ei impoſuiſti in tua virtute. Te deprecor, fili Dei viui, propter vniuerſa commiſſa mea, qui es in cœlis filius in Patre, Pater in te ſempiterno; qui ſedes ſuper Cherubim & Seraphim ſedẽ honoris tui. Tibi adſiſtũt Angeli numerus inæſtimabilis, timentes & pauentes honorem & virtutem tuam, clamantes voce magna, & dicentes: *Sanctus, ſanctus, ſanctus Dominus Deus Sabaoth*. Tu ipſe nobiſcum teſtamentum feciſti, & paulò poſt dixiſti: *Petite & accipietis, quærite & inuenietis, pulſate & aperietur vobis. Quodcumque à Patre meo petieritis in nomine meo, accipietis.* Ego Patrem peto vt accipiam, ego quæro vt inueniam, ego pulſo vt aperiatur mihi. Ego in tuo nomine peto, vt tu patrem petas, & detur mihi venia. Paratus ſum propter nomen tuum victimam ſanguinis fundere, & quodcumque tormentum ſuſtinere. Tu es adiutor meus, defenſor meus, defende ab aduerſario animam meam. Angelus tuus lucis protegat me, quoniam tu dixiſti: *Quod credẽtes petieritis per orationẽ, dabitur vobis.* Omnis homo mendax. Tu ſolus verax. Sicut tu repromiſiſti, poteſtatem habes dare. Domine, reuela mihi ſacramentum tuum cæleſte, vt dignus ſim faciẽ Sanctorum tuorum videre. Spiritus ſanctus in me operetur voluntatẽ tuam, quam tibi ſpopondi omnibus diebus vitæ meæ. Qui paſſus es ſub Pontio Pilato bonam confeſſionem. Crucifixus es, deſcendiſti, & conculcaſti aculeum mortis. Qui dixiſti, vbi es mors quæ regnabas? Vbi es, aculeus mortis? Victa es mors, deuictus inimicus diabolus. Tu reſurrexiſti à mortuis, & apparuiſti Apoſtolis tuis. Aſcendiſti ad

A cœlos, ſedes ad dexteram Patris. Venturus iudicare viuos & mortuos. Qui noſtri dominaris, libera me de manu quærentis animam meam. Per nomen ſanctum tuum deprecor, libera me ab aduerſarij parte, vt operam des vincendi inimicum meum; quoniam tu es potens adſertor, & aduocatus precum; & ad petitionẽ noſtram die & nocte, Domine, interpellans pro peccatis meis, orationem meam perferas ad Patrem tuum. Digneris reſpicere ſuper preces meas, ſicut reſpexiſti ſuper munera Abel iuſti tui. Digneris me liberare ab igne B perenni pœnarum, & ab omni tormento quod paraſti iniquis, per bonum & benedictum Ieſum Chriſtum Saluatorem noſtrum, per quem tibi eſt honor, virtus, gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

Alia Oratio.

LArgire mihi, Domine, munditiam labiorum, puritatẽ & innocentiam cordis, rectitudinem operis. Dona mihi humi- C litatem, patientiam, abſtinentiam, caſtitatem, ſobrietatem, prudentiam, iuſtitiam, fortitudinem, ſiue temperantiam. Largire mihi ſpiritum ſapientiæ & intellectus, conſilij & fortitudinis, ſcientiæ & pietatis atque timoris tui. Da mihi inriguum inferius, & inriguum ſuperius. Præbe mihi geminũ caritatis effectum, fidem rectam, ſpem inconcuſſam. Da mihi benedictionem de rore cœli, & pinguedine terræ. Fac me toto corde meo, tota anima mea exquirere faciem tuam. Concede mihi in tuo conſpe- D ctu cor habere contritum & humiliatum, tuæ caritati nihil præponere, tuo quandoque amore mundo funditus extingui. Fac me in tuo ſacrificio hoſtiã viuam fieri, tuæ clementiæ holocauſta medullata offerre. Summa, æterna, & ineffabilis ſapientia, depelle à me cæcitatis & ignorantiæ tenebras. Summa æterna virtus, liber[a me]. Summa æterna fortitudo adiuua me. [Sum]ma & incomprehẽſibilis lux inlumin[a me]. Summa & infinita miſericordia, mi[ſerere] E mei, Amen.

COLLECTIO PSALTE[RII] BEDAE.

BEatus vir, qui non abiit in conſil[io im]piorum, & in via peccatorum no[n ſte]tit, & in cathedra deriſorum non [ſedit.] Sed in lege Domini voluntas ei[us, &] in lege eius meditabitur die [ac nocte.] Et erit tanquam lignum tranſpl[antatum]

iuxta riuulos aquarum, quod fructum ſuũ A
dabit in tempore ſuo. Et folium eius non
defluet, & omne quod fecerit proſperabi-
tur.
II. Nunc ergo Reges intelligite, erudimini
Iudices terræ. Seruite Domino in timore,
& exultate ei in tremore. Adorate purè, ne
fortè iraſcatur, & pereatis de via.
III. Tu autem, Domine, clypeus circa me:
gloria mea, & exaltans caput meum. Sur-
ge Domine, ſaluum me fac Deus meus.
IV. Miſerere mei, & exaudi orationem
meam.
V. Verba mea audi, Domine, intellige mur-
mur meum. Rex meus, & Deus meus: quo-
niam ad te deprecor. Domine, deduc me
in iuſtitia tua, propter inſidiatores meos:
dirige ante faciem meam viam tuam.
VI. Domine, ne in furore tuo arguas me:
neque in ira tua corripias me. Miſerere
mei, Domine, quoniam infirmus ſum: ſana
me Domine, quoniam conturbata ſunt oſ-
ſa mea. Et anima mea turbata eſt valde, &
tu Domine vſquequo? Reuertere Domine,
& erue animam meam: ſalua me propter C
miſericordiam tuam.
VII. Domine Deus meus, in te ſperaui: ſalua
me ab omnibus perſequentibus me, & libe-
ra me. Ne forte rapiat, vt leo animam meã
laceret, & non ſit qui eruat.
VIII. Domine dominator noſter, grande eſt
nomen tuum in vniuerſa terra.
IX. Lætabor, & gaudebo in te, canam nomi-
ni tuo, Altiſſime. Exſurge Domine Deus,
leua manum tuam, noli obliuiſci paupe-
rum.
X. *Dominus iuſtum probat.*
XI. *Salua nos Domine.* D
XII. Vſquequo exaltabitur inimicus meus
ſuper me? Conuertere, & exaudi me Do-
mine Deus meus: ne quando dicat inimi-
cus meus, Præualui aduerſus eum.
XIII. Exultabit Iacob, & lætabitur Iſrael.
XIV. Timentes autem Dominum glorificat.
XV. Cuſtodi me Deus, quoniam ſperaui in
te, dicens Deo: Dominus meus es tu, benè
mihi non eſt ſine te.
XVI. Intende deprecationem meam, ſuſtenta
greſſus meos in callibus tuis, & non laben- E
tur veſtigia mea. Inclina aurem tuam mihi:
audi eloquium meum. Mirabilem fac miſe-
ricordiam tuam Saluator ſperantium in te.
Cuſtodi me quaſi pupillam intus in oculo,
in vmbra alarum tuarum protege me. Ego
autem in iuſtitia videbo faciem tuam.
XVII. Diligam te, Domine, fortitudo mea.
XVIII. Ab occultis meis munda me, à ſuperbis
[illegible] libera ſeruum tuum. Sint placen-
tes ſermones oris mei, Domine fortitudo
mea, & redemptor meus.
Nos autem nominis Domini recordabi- XIX.
mur.
Exaltare, Domine, in fortitudine tua, XX.
cantabimus & pſallemus fortitudines tuas.
Tu autem, Domine, ne longè fias forti- XXI.
tudo mea: in auxilium meum feſtina. Erue
à gladio animam meam, ſalua me ex ore
leonis.
Et benignitas & miſericordia tua ſubſe- XXII.
quatur me omnibus diebus vitæ.
Et accipiam benedictionem à Domino. XXIII.
Ad te, Domine, animam meam leuo. XXIV.
Vias tuas, Domine, oſtende mihi: & ſemitas
tuas doce me. Deduc me in veritate tua, do-
ce me quia tu es Deus Saluator meus. Pec-
catorum adoleſcentiæ meæ & ſcelerũ meo-
rum ne memineris. Secundum miſericor-
diam tuam recordare mei. Propter nomen
tuum propitiare iniquitati meæ, quoniam
grandis eſt. Reſpice in me, & miſerere mei:
de anguſtiis meis educ me. Vide adflictio-
nem meam, & porta omnia peccata mea.
Cuſtodi animam meam, & libera me.
Domine, dilexi habitaculum domus tuæ. XXV.
Ne auferas cum peccatoribus animã meã:
redime me, & miſerere mei.
Dominus lux mea, & ſalutare meum, quẽ XXVI.
timebo? Audi, Domine, vocem meam inuo-
cantis: miſerere mei, & exaudi me. Ne ab-
ſcondas faciem tuam à me, ne declines in
furore à ſeruo tuo. Auxilium meum fuiſti,
ne derelinquas me, & ne dimittas me Deus
ſaluator meus. Oſtende mihi, Domine, viam
tuam, & deduc me in ſemita recta, propter
inſidiatores meos. Ne tradas me, Domine,
animæ tribulantium me. Ego autem credo
quod videam bona Domini in terra viuen-
tium.
Audi, Domine, deprecationem meam, XXVII.
cum clamauero ad te. Ne tradas ne cum
impiis, & cum operantibus iniquitatem.
Dominus fortitudo mea, & ſcutum meũ. XXVIII.
Adorate Dominum in decore ſancto.
Audi Domine, & miſerere mei. Domine, XXIX.
eſto adiutor vt laudet te gloria, & non ta-
ceat. Domine Deus meus, in ſempiternum
confitebor tibi.
In te, Domine, ſperaui, non confundar XXX.
in æternum: in iuſtitia tua ſalua me. Inclina
ad me aurem tuam, velociter libera me.
Quia petra mea, & munitio mea tu es. In
manu tua commendo ſpiritum meum. In
manu tua tempora mea. Libera me de ma-
nu inimicorum meorum, & perſequentium
me. Oſtende faciem tuam ſuper ſeruum
tuum, ſalua me in miſericordia tua.

XXXI. Beatus, cui dimiſſa eſt iniquitas, & abſcō-A ditum eſt peccatum. Peccatum meum notum facio tibi, & iniquitatem meam non abſcondo. Tu es protectio mea, ab hoſte cuſtodies me.

XXXII. Ecce oculus Domini ſuper timentes eum, & expectantes miſericordiam eius. Sit miſericordia tua, Domine ſuper nos, ſicut expectauimus te.

XXXIII. Benedicam Domino in omni tempore, ſemper laus eius in ore meo. Magnificate Dominum mecum, & exaltemus nomen eius pariter. Quæſiui Dominum, & exaudiuit me; & de omnibus anguſtiis meis liberauit me B Guſtate, & videte quoniam bonus eſt Dominus: beatus vir qui ſperat in eo. Timete Dominum ſancti eius, quoniam non eſt inopia timentibus eum. Quærentibus autem Dominum non deerit omne bonum. Dominus cuſtodit omnia oſſa eorum, vnum ex eis non confringetur. Redimet Dominus animas ſeruorum ſuorum.

XXXIV. Iudica, Domine, aduerſarios meos; pugna contra impugnantes me. Apprehende C ſcutum & haſtam, & conſurge in auxilium meum. Dic animæ meæ, Salus tua ego ſum. Anima autem mea exultabit in Domino, & lætabitur in ſalute ſua. Confitebor tibi in Eccleſia grandi, & lingua mea meditabitur iuſtitiam tuam, tota die laudem tuam.

XXXV. Domine in cælo miſericordia tua. Quā precioſa eſt miſericordia tua, Domine! Quoniam tecum eſt fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen. Adtrahe miſericordiam tuam ſcientibus te, & iuſtitiam tuam rectis corde. Non veniat mihi pes ſuper- D biæ, & manus impiorum non me commoueat.

XXXVI. Puer fui, ſiquidem ſenui: & non vidi iuſtum derelictum. Quia Dominus diligit iudicium, & non derelinquet ſanctos ſuos. In æternum cuſtoditi ſunt, & auxiliabitur eis Dominus.

XXXVII. Domine, ne in ira tua arguas me, neque in furore tuo corripias me. Te enim, Domine, expectabam: tu exaudies Domine E Deus meus. Quia ſequebar bonum, ne derelinquas me. Domine Deus meus ne elongeris à me: feſtina in auxilium meum Domine ſalutis meæ.

XXXVIII. Præſtolatio mea tu es, ab omnibus iniquitatibus meis libera me. Opprobrium ſtulto ne ponas me, tolle à me plagas tuas.

XXXIX. Expectans expectaui Dominum, & inclinatus eſt ad me. Et audiuit clamorem meū, Domine ad adiuuandum me feſtina. Gaudeant & lætentur qui quærunt te, auxilium meum & ſalutare meum tu es Deus meus, ne moreris.

XL. Ego dixi, Domine miſerere mei, ſana animam meam quia peccaui tibi. Tu autē Domine miſerere mei.

XLI. Sicut areola præparata ad irrigationes aquarum: ſic anima mea præparata eſt ad te Deus.

XLII. Iudica me, Deus, & diſcerne cauſam meā à gente non ſancta: à viro doloſo & iniquo libera me. Tu enim es fortitudo mea, quare proieciſti me?

XLIII. Surge, auxiliare nobis: & redime nos propter miſericordiam tuā.

XLIV. Thronus tuus Deus, in ſeculum: & in æternum. Propterea populi confitebuntur tibi in ſeculum, & in æternum.

XLV. Deus miſer, ſpes & fortitudo: auxilium in tribulationibus inuentus es validum.

XLVI. Rex magnus ſuper omnē terram. Canitē Deo, canite: canite Regi noſtro canite.

XLVII. Quia ipſe eſt Deus, Deus noſter, in ſeculum & in perpetuum. Ipſe erit dux noſter in morte.

XLVIII. Verumtamen Deus redimet animam meam de manu inferiori, cum adſumpſerit me.

XLIX. Fortis Deus Dominus locutus eſt, Non propter victimas tuas arguam te: & holocauſtomata tua coram me ſunt ſemper. Nō accipiam de domo tua vitulum, neque de gregibus hircos: mea ſunt enim omnia animalia ſiluarum. Scio omnes aues mōtium, & vniuerſitas agri mecum eſt. Si eſuriero, non dicam tibi: meus eſt enim orbis, & plenitudo eius. Immola Deo laudés, & redde Altiſſimo vota tua. Et inuoca me in die tribulationis: liberabo te, & glorificabis me. Qui immolat confeſſionem glorificat me: & qui ordinatè ambulat, oſtendam ei ſalutare meum.

L. Miſerere mei, Deus, ſecundum magnam miſericordiam tuam. Iuxta multitudinem miſerationum mearum, dele iniquitates meas. Multum laua me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me. Quoniam iniquitates meas cognoui: & peccatum meum contra me eſt ſemper. Tibi ſoli peccaui, & malum coram te feci. Abſconde faciē tuam à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele. Cor mundum crea in me Deus, & ſpiritū ſtabilem renoua in viſceribus meis. Ne proiicias me à facie tua, & Spiritū ſanctum tuum ne auferas à me. Redde mihi lætitiam Ieſu tui, & ſpiritu potenti confirma me. Libera me de ſanguinibus Deus, Deus ſalutis meæ: laudabit lingua mea iuſtitiam tuam. Domine, labia mea aperies, & os meum annū-

ciabit laudem tuam. Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies.

LI. Miſericordia Dei tota eſt die. Ego autem ſicut oliua virens in domo Dei, ſperaui in miſericordia Dei in ſeculum ſempiternum.

LII. Exultabit Iacob, & lætabitur Iſrael.

LIII. Deus in nomine tuo ſalua me, & in fortitudine tua vlciſcere me. Deus exaudi orationem meam, auribus percipe verba oris mei.

LIV. Exaudi Deus orationem meam, & ne deſpicias deprecationem meam: adtende mihi, & exaudi me. Ego autem fiduciam habeo tui.

LV. In quacumque die territus fuero, ego in te confidam. Non timebo quid faciat mihi caro, hoc ſcio quia Deus meus es.

LVI. Miſerere mei Deus, miſerere mei: quoniam in te ſperat anima mea. In vmbra alarum tuarum ſperabo, donec tranſeant inſidiæ. Inuocabo Deum Altiſſimum, Deum vltorem meum. Mittet de cœlo, & ſaluabit me.

LVII. Verè eſt Deus iudicans in terra.

LVIII. Eripe me de inimicis Deus meus, & à reſiſtentibus mihi protege me. Fortitudinem meam ad te ſeruabo. Quoniam tu Deus eleuator meus, Dei mei miſericordia præueniet me. Quoniam factus es fortitudo mea, & refugium meum in die tribulationis meæ. Tibi cantabo quoniam Deus adiutor meus, fortitudo mea, Deus miſericordia mea.

LIX. Da nobis auxiliũ in tribulatione, vana eſt enim ſalus ab homine. In Deo faciemus virtutem, & ipſe conculcabit tribulantes nos.

LX. Exaudi, Deus, laudationem meam: intẽde orationi meæ. De nouiſſimo terræ ad te clamabo, cum triſte fuerit cor meum. Cùm fortis eleuabitur aduerſum me, tu eris ductor meus. Fuiſti ſpes mea, turris munitiſſima a facie inimici. Habitabo in tabernaculo tuo, iugiter ſperabo in protectione alarum tuarum. Tu enim, Deus, exaudiſti orationem meam: dediſti hereditatem timentibus nomen tuum. Miſericordia & veritas ſeruabunt eum.

LXI. Ab ipſo enim præſtolatio mea, ipſe eſt fortitudo mea & ſalus mea: ſuſceptor meus, non timebo.

LXII. Deus fortitudo mea tu es, de luce conſurgam ad te. Sitiuit te anima mea: deſiderauit te caro mea. Sic in ſancto apparui tibi, vt videam fortitudinem tuam & gloriam tuam. Melior miſericordia tua quam vita, labia mea laudabunt te. Sic benedicam tibi in vita mea, in nomine tuo leuabo manus meas. Quia fuiſti auxilium meum, in vmbra alarum tuarum laudabo te.

LXIII. Audi Deus vocem meam loquentis, à timore inimici ſerua vitam meam.

LXIV. Exaudi nos Deus Saluator noſter.

LXV. Omnis terra adoret & canet tibi, canet nomini tuo. Benedicite populi Deo noſtro, & auditam facite vocem laudis eius. Qui poſuit animam noſtram in vita. Benedictus qui non abſtulit orationem meam, & miſericordiam tuam à me.

LXVI. Deus miſereatur noſtri, & benedicat nobis, illuſtret faciem ſuam ſuper nos. Benedicat nobis Deus Deus noſter, benedicat nobis Deus.

LXVII. Exſurgat Deus, & diſpergantur inimici eius, & fugiant qui oderunt eum à facie eius. Iuſti autem lætentur & exultent in cõſpectu Dei, gaudeant in lætitia.

LXVIII. Exaudi me Domine, quoniam bona eſt miſericordia tua; ſecundum multitudinem miſerationum tuarum reſpice ad me. Et ne abſcondas faciem tuam à ſeruo tuo quoniã tribulor, cito exaudi me. Accede ad animã meam, & redime eam: propter inimicos meos libera me. Salus tua Deus ſuſcepit me.

LXIX. Deus vt liberes me, Domine vt auxilieris mihi feſtina. Gaudeant & lætentur in te omnes qui quærunt te. Ego autem egenus & pauper Deus feſtina pro me. Auxilium meum & ſaluator meus, tu Domine ne moreris.

LXX. In te, Domine, ſperaui, non confundar in æternum: in iuſtitia tua erue me, & libera me. Inclina ad me aurem tuam, & ſalua me. Deus meus, ſalua me de manu impij, de manu iniqui & nocentis. Quia tu es expectatio tua Domine. Deus ne elongeris à me: Deus, ad auxiliandum mihi feſtina.

LXXI. Erit nomen tuum in æternum, vltra ſolem perſeuerabit nomen tuum.

LXXII. Mihi autem appropinquare Deo bonũ eſt, poſui in Domino Deo ſpem meam.

LXXIII. Deus autem Rex meus ab initio. Ne tradas beſtiis animam eruditam lege tua, vitæ pauperum tuorum ne obliuiſcaris in perpetuum.

LXXIV. Ego autem annũtiabo in ſempiternum, cantabo Deo Iacob.

LXXV. Cùm ſurrexerit ad iudicandum Deus, vt ſaluos faciat omnes mites terræ.

LXXVI. Voce mea ad Dominum clamaui; voce mea ad Dominum, & exaudiuit me. In die tribulationis meæ Deum requiſiui.

LXXVII. Ipſe vero miſericors propitiatur iniquitati, & non diſperdet.

LXXVIII. Ne recorderis iniquitatum noſtrarum

veterum. Citò anticipent nos miſericordię A tuæ, quia adtenuati ſumus nimis. Auxiliare nobis Deus Ieſus noſter propter gloriam nominis tui, & libera nos. Et propitiare peccatis noſtris propter nomen tuum.

LXXIX. Suſcita fortitudinem tuam, & veni: vt ſaluos facias nos. Domine Deus exercituum conuerte nos, & oſtende faciem tuam, & ſalui erimus.

LXXX. Laudate Dominum fortitudinem noſtram.

LXXXI. Iudicate pauperi & pupillo, egeno & inopi iuſtè facite. Saluate inopem, & pauperem de manu impiorum liberate.

LXXXII. Deus ne taceas, ne ſileas, & non quieſcas Deus. Et ſciunt quia nomen tuum eſt Domine, ſolus tu excelſus ſuper omnem terram.

LXXXIII. Domine Deus exercituū, exaudi orationem meam: Domine exercituum, beatus homo qui confidit in te.

LXXXIV. Conuerte nos Ieſus noſter, & ſolue iram tuam aduerſum nos. Noli in æternum iraſci nobis. Oſtende nobis, Domine, miſericordiam tuam, & ſalutare tum da nobis.

LXXXV. Inclina, Domine, aurem tuam, & exaudi me: quia egenus & pauper ego ſum. Miſerere mei Domine, quoniā ad te clamabo tota die. Lætifica animam ſerui tui, quia ad te animam meam leuo. Tu enim es, Domine, bonus & propitiabilis: & multus miſericordiā omnibus qui inuocant te. Exaudi, Domine, orationem meam: & auſculta vocem deprecationum mearum. In die tribulationis meæ inuocabo te, quia exaudies me. Doce me, Domine viā tuā: vt ambulem in veritate tua. Vnicum fac cor meum, vt timeat nomen tuum. Confitebor tibi Domine Deus meus, in toto corde meo: & glorificabo nomen tuum in ſempiternum. Tu autem Domine, Deus miſericors & clemens. Reſpice ad me, & miſerere mei: da fortitudinem ſeruo tuo, & ſalua filiam ancillæ tuæ. Fac mecum ſignum in bonitate, & audiant qui oderunt me, & confundantur. Quia tu, Domine, auxiliatus es mihi, & conſolatus es me.

LXXXVI. Et cantabunt quaſi in choris omnes fortes mei in te.

LXXXVII Ingrediatur ante te oratio mea: inclina aurem tuam ad laudationem meam. Ego autem ad te Domine, clamaui: & mane oratio mea præueniet te.

LXXXVIII Confitebuntur cęli mirabilia tua Domine: miſericordia & veritas præcedent faciem tuam.

LXXXIX. Appareat apud ſeruos tuos opus tuum, & gloria tua ſuper filios eorum. Et ſit decor Domini Dei noſtri ſuper nos, & opus manuum noſtrarum confirma.

Tu enim es, Domine, ſpes mea.

Quoniam lætificaſti me, Domine, in opere tuo.

Teſtimonia tua fidelia facta ſunt nimis.

Miſericordia tua ſuſtentabat me.

Venite, adoremus & curuemur. Flectamus genua ante faciem Domini factoris noſtri: quia ipſe eſt Dominus Deus noſter.

Gloria & decor ante vultum eius.

Qui diligitis Dominum odite malum, cuſtodit animas ſanctorum ſuorum: de manu impiorum eruet eos.

Recordatus eſt miſericordię ſuæ. Et exaltate Dominum Deum noſtrum.

Seruite Domino in lætitia. Ingredimini coram eo in laude. Scitote quoniam Dominus ipſe eſt Deus: ipſe fecit nos, & ipſius ſumus.

Miſericordiam & iudicium cantabo tibi, Domine: pſallam & erudiar in via perfecta quando venias ad me.

Domine exaudi orationem meam, & C clamor meus ad te veniat. Ne abſcondas faciem tuam à me. In die tribulationis meę inclina ad me aurem tuam. In quacumque die inuocauero te, velociter exaudi me.

Benedic anima mea Domino, & noli obliuiſci omnium retributionum eius. Qui propitiatur in cūctis iniquitatibus: & ſanat omnes infirmitates tuas. Qui redimet de corruptione vitam tuam, & coronat te in miſericordia & miſerationibus.

Benedic anima mea Domino: Domine D Deus meus, magnificatus es nimis. Gloria & decore indutus es. Sit gloria Domini in ſēpiternum: lætabitur Dominus in operibus ſuis.

Quærite Dominum, & virtutem eius: quærite faciem eius iugiter. Recordamini mirabilium eius quæ fecit.

Beati, qui cuſtodiunt iudicium, & faciant iuſtitiam in omni tempore. Salua nos, Domine Deus noſter, vt confiteamur nomini ſancto tuo: & canamus laudantes, Benedictus Dominus Deus Iſraël.

E Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in æternum miſericordia eius. Confitemini Domino miſericordiæ eius, & mirabilia eius in filios hominum. Quia ſaturauit animam vacuam, & animam eſurientem impleuit bonis.

Da nobis auxilium in tribulatione: vana eſt enim ſalus ab homine. In Deo erimus fortes, & ipſe conculcabit hoſtes noſtros.

Tu autem Deus Domine, fac mecum

propter nomen tuum: quoniam bona eſt miſericordia tua. Libera me, quoniam egenus & pauper ſum ego: adiuua me Domine Deus meus. Salua me ſecundum miſericordiam tuam.

Dominare in medio inimicorum tuorum.

Confitebor Domino in toto corde meo. Gloria & decor opus eius: opus manuum eius veritas & iudicium.

Beatus vir, qui timet Dominum: in mandatis eius volet nimis. In memoria ſempiterna erit iuſtus, ab auditu malo non timebit. Sit nomen Domini benedictum, modo vſque in æternum.

Non nobis, Domine, non nobis: ſed nomini tuo da gloriam. Propter miſericordiam tuam, & veritatem tuam.

Obſecro, Domine, ſalua animam meam.

Et nomen Domini inuocabo. Glorioſa in conſpectu Domini mors ſanctorum eius.

Et veritas Domini in æternum.

Dominus Dominus meus es, non timebo quid faciat mihi homo. Dominus mihi auxiliator, & ego deſpiciam odientes me. Melius eſt ſperare in Domino, quàm ſperare in homine. Melius eſt ſperare in Domino, quam ſperare in Principibus. Confitebor tibi Domine, quoniam exaudiſti me: & factus es mihi in ſalutem.

Confitebor tibi, Domine, in directione cordis: cum didicero iudicia iuſtitiæ tuæ. Ne errare facias me à mandatis tuis. Reuela oculos meos, & videbo mirabilia in lege tua. Viam mendacij aufer à me, & legem tuam dona mihi. Inclina cor meum ad teſtimonia tua & non ad auaritiam. Et veniāt mihi miſericordiæ tuæ Domine, & ſalus tua iuxta eloquium tuum. Hæc eſt conſolatio mea in afflictione mea, quia eloquium tuū viuificauit me. Miſericordia tua completa eſt terra, præcepta tua doce me. Antequam audirem ego ignoraui. Bonus tu & beneficus doce me præcepta tua. Sit obſecro miſericordia tua in conſolatione mea, ſicut locutus es ſeruo tuo. Secundum miſericordiam tuam viuifica me, & cuſtodiam teſtimonium oris tui. Niſi quòd lex tua meditatio mea eſt, forte periiſſem in preſſura mea. Quàm dulce gutturi meo eloquium tuum. ſuper mel ori meo. Voluntaria oris mei cōplaceant tibi Domine, & ſecundum iudicia tua doce me. Confirma me ſecundum verbum tuum, & viuam: auxiliare mihi, & ſaluus ero. Fac cum ſeruo tuo iuxta miſericordiam tuam, & præcepta tua doce me. Reſpice ad me, & miſerere mei, & doce me præcepta tua. Iuſtus es Domine, & rectum iudicium tuum. Vocem meam audi iuxta miſericordiam tuam Domine: ſecundum iudicium tuum viuifica me. Vide adflictionem meam, & eripe me: iuxta miſericordiam tuā viuifica me. Pax multa diligentibus legem tuam, & non eſt illis ſcandalum. Ingrediatur laus mea coram te Domine ſecundum verbum tuum. Veniat deprecatio mea ante vultum tuum: ſecundum eloquium tuum libera me.

Domine libera animam meam à labio mendacij, à lingua doloſa. CXVIII.

Leuabo oculos meos in montes, vnde veniat auxilium mihi. CXIX.

Sit bene his qui diligunt te. CXX.

Miſerere noſtri, Domine, miſerere noſtri. CXXI.

Auxilium noſtrum in nomine Domini, qui fecit cælum & terram. CXXII.

Benefac, Domine, bonis & rectis corde. CXXIII.

Conuerte, Domine, captiuitatem noſtrā ſicut riuum in auſtro. CXXIV.

Niſi Dominus cuſtodierit ciuitatem, fruſtra vigilat qui cuſtodit eam. CXXV.

Beatus omnis qui timet Dominum, qui ambulat in viis eius. CXXVI.

Benedictio Domini ſit ſuper nos. CXXVII.

Domine exaudi vocem meam. Fiant aures tuæ intendentes ad vocem deprecationis meæ. CXXVIII.

Domine, non eſt exaltatum cor meum, neque elati ſunt oculi mei. CXXIX.

Hæc eſt requies mea in ſempiternum. CXXX.

Quoniam ibi mandauit Dominus benedictionem, & vitam vſque in æternum. CXXXI.

Qui ſtatis in domo Domini. CXXXII.

Laudate Dominum quoniam bonus eſt. CXXXIII.

Confitemini Deo cæli, quoniam in æternum miſericordia eius. CXXXIV.

Beatus homo qui amat Dominum. CXXXV.

Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo. Domine miſericordia tua in æternum, opera manuum tuarum ne dimittas. CXXXVI.

Si aſcendero in cælum, ibi es tu: ſi iacuero in infernum, ibi ades. CXXXVII.

Erue me, Domine, ab homine malo: à viris iniquis ſalua me. CXXXVIII

Exaudi vocem meam clamantis ad te. CXXXIX.

Dirigatur oratio mea ſicut incenſum in cōſpectu tuo.

Pone, Domine, cuſtodiam ori meo: ſerua paupertatem labiorum meorū. Educ de carcere animam meam, vt confitear nomini tuo. CXL.

Domine exaudi orationem meam, exaudi me in iuſtitia tua. Et non venias ad iudi- CXLI.

candum cum ſeruo tuo, quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens. Fac me audire mane miſericordiam tuam, quoniam in te confido. Notam fac mihi viam in qua ambulo, quoniam ad te leuabo animam meam. Libera me de inimicis meis, Domine à te protectus. Doce me vt faciam voluntatem tuam, quia tu Deus meus. Spiritus tuus bonus deducet me in terra recta, propter nomen tuum Domine, viuificabis me in iuſtitia tua. Ego enim ſum ſeruus tuus.

CXLII. Benedictus Dominus fortis meus, miſericordia mea, & fortitudo mea: auxiliator meus, & ſaluator meus.

CXLIII. In omni die benedicam tibi, & laudabo nomen tuum in ſempiternum iugiter.

CXLIV. Laudem Domini loquetur os meum, & benedicat omnis caro nomini ſancto eius: in æternum, & iugiter.

CXLV. Lauda anima mea Dominum, laudabo Dominum in vita mea: cantabo Deo meo quandiu ſum.

CXLVI. Laudate Dominum quoniam bonus eſt: placetur Domino in his qui timent eum, & expectant miſericordiam eius.

CXLVII. Flabit ſpiritu ſuo, & fluent aquæ.

CXLVIII. Laudate Dominum de cælis, laudate eũ in excelſis. Laudate eum omnes Angeli eius. Laudate eum omnes exercitus eius. Laudate eum ſol & luna: laudate eum ſtellæ luminis. Laudate eum cæli cælorum, & aquæ quæ ſuper cælos ſunt laudent nomen Domini. Quoniam ipſe mandauit, & creatã ſunt. Laudate Dominum Reges terræ, & omnes populi: Principes, & vniuerſi Iudices terræ. Iuuenes & virgines, ſenes cum pueris laudent nomen Domini. Quoniam ſublime nomen eius ſolius, gloria eius in cælo & in terra. Exaltauit cornu populi, laus omnibus ſanctis eius.

CXLIX. Cantate Domino canticum nouum, laus eius in congregatione Sanctorum. Exaltabit manſuetos in Ieſu. Exultabunt ſancti in gloria, laudabunt in cubilibus ſuis. Exultationes Dei in gutture eorum.

CL. Omne quod ſpirat laudet Dominum.

Letania vt ſuprà, & Preces.

Viuit anima mea, & laudabit te. Iudica, Domine, nocentes me. Repleatur os meum laude. Domine, auerte faciem tuam à peccatis meis. Cor mundum crea in me Deus. Redde mihi lætitiam Salutaris tui. Domine, ne ſimul tradas me cum peccatoribus. Domine, non ſecundum peccata noſtra facies nobis. Domine, ne memineris

A iniquitatum noſtrarum. Adiuua nos Deus ſalutaris noſter. Eſto nobis, Domine, turris fortitudinis. Adiutor & liberator meus eſto Domine. Benedictus Dominus die quotidie. Ne intres in iudicio cum ſeruo tuo. Delicta iuuentutis meæ. Eripe me, Domine, ab homine malo. Eripe me de inimicis meis Deus meus. Eripe me de operantibus iniquitatem. Sic Pſalmum dicã nomini tuo in ſeculum ſeculi. Exaudi nos Deus ſalutaris noſter. Deus in adiutorium meum intende. Sanctus Deus, ſanctus fortis. Benedicat

B nos Deus Pater. O Domine ſaluum me fac. Domine, ſaluum fac Regem. Saluum fac populum tuum. Saluos fac ſeruos tuos. Memento congregationis tuæ. Exaudi Domine vocem meam. Miſerere mei Deus, *totum.* Domine exaudi.

Oratio Eugenij Toletani Epiſcopi.

REx Deus, immenſi quo conſtat machina mundi,
Quod miſer imploro, tu Chriſte perfice clemens.
C Sit mihi recta fides, & falſis obuia tectis.
Sit mihi præcipuè morum correctio præſens.
Sim carus, humilis, verax, cum tempore prudens,
Secreti tacitus, & linguæ famine catuus.
Da fidum ſocium, da fixum ſemper amicum.
Da blandum, ſobrium, parcum, caſtumque, miniſtrum.
D Non me pauperies cruciet, nec languor obuncet.
Sit comes alma ſalus, & ſufficientia victus.
Abſint diuitiæ, faſtus, & iurgia, lites,
Inuidiæ, luxus, & ventris penſio turpis.
Crimine ne lædam quemquam, nec crimine lædar.
Sic benè velle queam, quo prauum poſſe recedat.
Nil turpe cupiam, faciam, vel proloquar vmquam.
Te mens deſideret, lingua canat, actio promat.
E Da, Pater altitonans, vndoſum fletibus imbrem;
Quo valeam lacrymis culparum ſoluere moles.
Da precor auxilium, poſſim quo vincere mundum,
Et vitæ ſtadium placido percurrere paſſu.
Cumque ſuprema dies mortis patefecerit vrnam,
Concede veniam cui tollit culpa coronam.

SABBATO

SABBATO.

Si cui vita præſens faſtidio ſit, ei ſuperna contemplari iuuat.

Oratio S. Auguſtini.

DEVS vniuerſitatis conditor, præſta mihi primum vt te benè rogem: deinde vt me agã dignum quẽ liberes; poſtremò vt liberes. Deus, per quẽ omnia, quæ per ſe non eſſent, tendunt eſſe. Deus, qui ne id quidem quod ſe inuicem perdit perire permittis. Deus, qui de nihilo mundum iſtum creaſti, omnium quem ſentiunt oculi pulcherrimum. Deus, qui malum non facis, & facis eſſe ne peſſimum fiat. Deus, qui paucis, ad id quod vere eſt, refugientibus, oſtẽdis malum nihil eſſe. Deus, per quem vniuerſitas, etiam cum ſiniſtra parte, perfecta eſt. Deus, à quo diſſonantia vſque in extremum nulla eſt, cùm deteriora melioribus concinant. Deus, quem amat omne quod poteſt amare, ſiue ſciẽs, ſiue neſciens. Deus, in quo ſunt omnia, cuius tamen vniuerſæ creaturæ nec turpitudo turpis eſt, nec malitia nocet, nec error errat. Deus, qui niſi mundos, verum te ſcire noluiſti. Deus Pater veritatis, pater ſapientiæ, pater veræ ſũmæque vitæ, pater beatitudinis, pater boni & pulchri, pater intelligibilis lucis, pater euigilationis atque inluminationis noſtræ, pater pignoris quo ammonemur redire ad te, te inuoco. Deus veritas, in quo, & à quo, & per quẽ vera ſunt quæ vera ſunt omnia. Deus ſapientia, in quo, & à quo, & per quẽ ſapiunt quæ ſapiunt omnia. Deus vera & ſumma vita, in quo, & à quo, & per quem viuunt quæ vere ſummeque viuunt omnia. Deus beatitudo, in quo, & à quo & per quẽ beata ſunt quæ beata ſunt omnia. Deus bonum & pulchrum, in quo, & à quo, & per quem bona & pulchra ſunt quæ bona & pulchra ſunt omnia. Deus intelligibilis lux in quo, & à quo, & per quem intelligibiliter lucent quæ intelligibiliter lucent omnia. Deus, cuius regnum eſt totus mundus, quem ſenſus mortalis corporis ignorat.

Deus, de cuius regno lex etiam in iſta regna deſcribitur. Deus, à quo auerti cade-A re, in quem conuerti reſurgere, in quo manere conſiſtere eſt. Deus, à quo exire mori, in quem redire reuiuiſcere, in quo habitare viuere eſt. Deus, quem nemo amittit niſi deceptus, quem nemo quærit niſi ammonitus, quem nemo inuenit niſi purgatus. Deus, quem relinquere hoc eſt quod perire, quem adtendere, hoc eſt quod amare, quem videre hoc eſt quod habere. Deus, cuius nos fides excitat, ſpes erigit, caritas iungit. Deus, per quem vincimus inimicum, te deprecor. Deus, quem accepimus, ne omninò periremus. Deus, à quo ammonemur vt vigilemus. Deus, per quem à malis bona ſeparamus. Deus, per quem mala fugimus, & bona ſequimur. Deus, per quem non cedimus aduerſitatibus. Deus, per quem benè ſeruimus, & benè dominamur. Deus, per quem diſcimus aliena eſſe, quæ aliquando noſtra, & noſtra eſſe quæ aliquando aliena putauimus. Deus, per quem malorum eſcis atque inlecebris non inhæremus. Deus, per quem nos res minutæ C non minuunt. Deus, per quem melius noſtrum deteriori ſubiectum non eſt. Deus, per quem mors abſorbetur in victoria. Deus, qui nos conuertis. Deus, qui nos eo quod non eſt exuis, & eo quod eſt induis. Deus, qui nos exaudibiles facis. Deus, qui nos munis. Deus qui nos in omnem veritatem inducis. Deus, qui nobis omnia bona loqueris, nec inſanos facis, nec à quoquam fieri ſinis. Deus, qui nos reuocas in viam. Deus, qui facis vt pulſantibus aperiatur. Deus, qui nos deducis ad ianuam. Deus, qui das nobis panem D vitæ. Deus, per quem ſitimus potum, quo hauſto numquam ſitiamus. Deus, qui arguis ſeculum de peccato, de iuſtitia, de iudicio. Deus, per quem nos non mouent qui minimè credunt. Deus, per quem improbamus eorum errorem, qui animarum merita nulla eſſe apud te putant. Deus, per quem non ſeruimus infirmis & egenis elementis. Deus, qui nos purgas, & ad diuina præparas præmia. Adueni mihi in auxilium propitius: tu quicquid à me dictum E eſt, vnus Deus: tu, tu veni, veni in auxilium mihi vna, æterna, vera ſubſtantia, vbi nulla diſcrepantia, nulla confuſio, nulla tranſitio, nulla indigentia, nulla mors: vbi ſumma concordia, ſumma euidentia, ſumma conſtantia, ſumma plenitudo, ſumma vita: vbi nihil deeſt, vbi redundat, vbi qui gignit & quem gignit vnũ ſunt: cui ſeruiunt quæ ſeruiunt omnia, cui

obtemperat omnis bona anima, cuius legibus rotantur poli, curſus ſuos ſidera peragunt, ſol exercet diem, luna temperat noctem: omniſque mundus per dies viciſſitudine lucis & noctis, & per menſes crementis decrementiſque lunaribus, per annos veris, æſtatis, autumni, hiemis ſucceſſionibus perluſtrat, perfectione curſus ſolaris per magnos orbis recurſus in ortus ſuos ſiderum magnam rerum continentiam, quantum ſenſibilis materia patitur, temporum ordinibus replicationibuſque cuſtodit. Cuius legibus in æuo ſtantibus motus inſtabilis rerum mutabilium perturbatus eſſe non ſinitur, freniſque circumeuntium ſeculorum ſemper ad ſimilitudinem ſtabilitatis renouatur. Cuius legibus arbitrium animæ liberum eſt, boniſque præmia, & malis pœnæ fixis per omnia neceſſitatibus diſtributæ ſunt. A quo manant omnia bona vſque ad nos, à quo coercentur vſque à nobis omnia mala: ſupra quem nihil, extra quem nihil, ſine quo nihil: ſub quo totum, in quo totum, cum quo totum eſt: qui feciſti hominem ad imaginem & ſimilitudinem tuam, quod qui ſe nouit agnoſcit. Exaudi, exaudi, exaudi me Deus meus, Domine meus, Rex meus, pater meus, cauſa mea, ſpes mea, res mea, honor meus, domus mea, patria mea, ſalus mea, lux mea, vita mea. Exaudi, exaudi, exaudi me more illo tuo paucis notiſſimo. Nam te ſolum amo, te ſolum ſequor, te ſolum quæro, tibi ſoli ſeruire paratus ſum, quia tu ſolus iuſtè dominaris. Tui iuris eſſe cupio, iube quæſo atque impera quicquid vis: ſed ſana & aperi aures meas, quibus voces tuas audiam: Sana & aperi oculos meos, quibus nutus tuos videam: expelle à me inſaniam, vt recognoſcam te. Dic mihi qua adtendam, vt aſpiciam te: & omnia me ſpero quæ iuſſeris eſſe facturum. Reſpice, oro, fugitiuum tuum, Domine clementiſſime: iamiam ſatis pœnas dederim: ſatis inimicis tuis, quos ſub pedibus habes, ſeruierim: ſatis fuerim fallaciarum ludibrium. Accipe me ab iſtis fugientem famulum tuum, quia & iſta me quando à te fugiebam acceperunt alienum. Ad te mihi redeundum eſſe ſentio, pateat mihi pulſanti ianua tua, ſed quomodo ad te perueniatur doce me. Nihil aliud habeo quã voluntatem. Nihil aliud ſcio, niſi fluxa & caduca ſpernenda eſſe, certa & æterna requirenda. Hoc facio pater, quia hoc ſolum noui: ſed vnde ad te perueniatur ignoro. Tu mihi ſuggere, tu oſtende, tu viaticum præbe. Si fide te inueniunt qui ad te refugiunt, fidem da: ſi virtute, virtutem: ſi ſcientia, ſcientiam. Auge in me ſpem. Auge charitatem. O ammiranda & ſingularis bonitas tua! ad te ambio, & quibus rebus à te ambiatur, à te rurſum peto. Tu enim ſi deſeris, perītur hîc: ſed non deſeris, quia tu es ſummum bonum, quod nemò rectè quæſiuit, & minimè inuenit. Omnis autem rectè quæſiuit, quem tu rectè quærere feciſti, fac & me Pater, vindica me ab errore. Quærenti te mihi nihil aliud pro te occurrat, ſi nihil aliud deſidero quàm te, inueniam te iam quæſo Pater. Si autẽ eſt in me ſuperflui alicuius appetitio, tu ipſe me munda, & fac idoneum ad videndum te. Ceterum, de ſalute huius mortalis corporis mei, quamdiu in hac habitem, neſcio quid mihi ex eo vtile ſit, vel eis quos diligo. Tibi illud committo, Pater ſapientiſſime atque optime, & pro eo quod ammonueris ad tempus deprecabor. Tantum oro excellentiſsimam clementiam tuam, vt me penitus ad te conuertas, nihil mihi repugnare facias tendenti ad te, iubeaſque me, dum hoc ipſum corpus ago atque porto, purum, magnanimum, iuſtum, prudentemque eſſe, perfectumque amatorem, perceptoremque ſapientiæ tuæ, & dignum habitatione, atque habitatorem beatiſsimum regni tui, Amen.

Deus in adiutorium meum intende, *ter.*

Psalmvs.

QVemadmodum deſidebat ceruus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus. Sitiuit anima mea ad Deum fortem viuum: quando veniam & apparebo ante faciem Dei? Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte: dum dicitur mihi quotidie, Vbi eſt Deus tuus? Hæc recordatus ſum, & effudi in me animam meam: quoniam tranſibo in locum tabernaculi admirabilis vſque ad domum Dei. In voce exultationis & confeſsionis ſonus epulantis. Quare triſtis es anima mea? & quare conturbas me? Spera in Deo quoniam adhuc confitebor illi: ſalutare vultus mei, & Deus meus. Ad meipſum anima mea conturbata eſt: propterea memor ero tui de terra Iordanis, & Hermoniim à monte modico. Abyſſus abyſſum inuocat in voce cataractarum tuarum. Omnia ex-

celſa tua & fluctus tui ſuper me tranſierunt. In die mandauit Dominus miſericordiam ſuam, & nocte canticum eius. Apud me oratio Deo vitæ meæ: dicam Deo, Suſceptor meus es. Quare oblitus es mei, & quare contriſtatus incedo, dum affligit me inimicus? Dum confringũtur oſſa mea: exprobrauerunt mihi qui tribulant me inimici mei. Dum dicunt mihi per ſingulos dies, Vbi eſt Deus tuus? quare triſtis es anima mea? & quare conturbas me? Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: ſalutare vultus mei & Deus meus.

Vt ſuprà.

Diligam te, Domine, fortitudo mea. Dominus firmamentum meum, & refugium meum, & liberator meus. Deus meus adiutor meus, & ſperabo in eum.

Oratio.

Vultus noſtri mirificum ſalutare, quem animæ fidelium ardenter ſitiunt ſeruulorum; tribue quæſumus, vt dum te viſibili lacrymarum imbre paſti requirimus, inuiſibiliter te intra pectoris noſtri tabernaculum conlocemus. Per.

PSALMVS.

LXII. Deus Deus meus, ad te de luce vigilo. Sitiuit in te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea. In terra deſerta, inuia, & inaquoſa: ſic in ſancto apparui tibi, vt viderem virtutem tuam & gloriam tuam. Quoniam melior eſt miſericordia tua ſuper vitas: labia mea laudabunt te Sic benedicam te in vita mea: & in nomine tuo leuabo manus meas. Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea: & labiis exultationis laudabit os meum. Sic memor fui tui ſuper ſtratum meum, in matutinis meditabor in te: quia fuiſti adiutor meus. Et in velamento alarum tuarum exultabo, adhæſit anima mea poſt te: me ſuſcepit dextera tua. Ipſi verò in vanum quæſierunt animam meam, introibunt in inferiora terræ, tradentur in manus gladij, partes vulpium erunt. Rex vero lætabitur in Deo, laudabuntur omnes qui iurant in eo: quia obſtructum eſt os loquentium iniqua.

Vt ſuprà.

Beatus quem elegiſti & adſumpſiſti, habitabit in atriis tuis.

Oratio.

Ad te diluculò vigilantibus lumen largire perpetuum, auctor lucis æternæ; vt te labia noſtra laudent, te vita benedicat, te meditatio matutina glorificet. Per.

PSALMVS.

Qvàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum: concupiſcit & deficit anima mea in atria Domini. Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum. Etenim paſſer inuenit ſibi domum: & turtur nidum ſibi, vbi reponat pullos ſuos. Altaria tua Domine virtutum: rex meus & Deus meus. Beati qui habitant in domo tua, Domine: in ſecula ſeculorum laudabunt te. Beatus vir cuius eſt auxilium abs te, aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit in valle lachrymarum: in loco quem poſuit. Etenim benedictionem dabit legiſlator, ibunt de virtute in virtutem: videbitur Deus Deorum in Sion. Domine Deus virtutum exaudi orationẽ meam: auribus percipe Deus Iacob. Protector noſter aſpice Deus, & reſpice in faciem Chriſti tui. Quia melior eſt dies vna in atriis tuis ſuper milia. Elegi abiectus eſſe in domo Dei mei: magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum. Quia miſericordiam & veritatem diligit Deus: gratiam & gloriam dabit Dominus. Non priuabit bonis eos qui ambulant in innocentia: Domine virtutum beatus homo qui ſperat in te. LXXXIII.

Letania vt ſupra.

Confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis: à templo tuo in Hieruſalem tibi offerunt Reges munera. Emitte ſpiritum tuum, & creabuntur, & renouabis faciem terræ. Sit gloria Domini in ſeculum, lætabitur Dominus in operibus ſuis. Iocundum ſit ei eloquium meum, ego verò delectabor in Domino. Lætetur cor quærentium Dominum, & confirmamini: quærite faciem eius ſemper.

Oratio.

Tabernaculorũ cæleſtium fundator æterne Deus, diſpone, quæſumus aſcenſus in cordibus noſtris, quibus ad tua tabernacula mereamur ſine lapſu peccati conſcendere. Per.

Oratio ſancti Iſidori.

Beatiſſimi ſerui illi, quos cùm venerit Dominus inuenerit vigilantes. Beata vi-

gilia, qua ad Dominum vniuerſitatis amatorem vigilatur. Vtinam me quoque vilem, licet tuum tamen ſeruulum, ita digneris, Domine, de ſomno inertiæ excitare, ita illo diuinæ caritatis igne accendere, quo de meo corde ſupra ſidera exardeſceret tuæ caritatis flamma: Tuæ nimiæ dilectionis deſiderium, ſemperque diuinus ignis intra me arderet! Vtinam illa ligna haberem, quibus ille ignis iugiter aleretur, paſceretur, ſuccenderetur, & illa flamma nutriretur quæ extingui neſciret, ſed augeri ſciret! Vtinam talis eſſem meriti, vt mea lucerna ſemper tota nocte in templo Domini Dei mei arderet, vt omnibus domum Dei intrantibus luceret! Da mihi, Domine, rogo te, in nomine Ieſu Chriſti filij tui Dei mei, illam quæ neſcit cadere caritatem: vt mea lucerna accendi ſciat, extingui neſciat, mihi ardeat, aliis luceat. Tu ipſe Chriſte lucernas noſtras accendere digneris, ac lucidiſſime Saluator noſter, quo perpetuè luceant in templo tuo, ac perenne lumen à te perenni lumine accipiant, vt tenebræ noſtræ inluminentur, mundi autem tenebræ fugentur: ſic lumen meæ largiaris lucernæ, rogo te Domine Ieſu, vt illius luminis claritate illa, ita mihi Sancta Sanctorum appareant, quæ te æternum Pontificem æternorum in interioribus magni illius tui Templi illo intrantem habeant, quo te iugiter tantummodo aſpiciam, deſiderem, expectem. Tantum te amans concupiſcam. Tuum ſit quæſo, ita te nobis pulſantibus demonſtrare, amantiſſime Saluator noſter, vt te amplius intelligentes te tantum amemus, te ſolum die ac nocte meditemur, ſemper de te cogitemus: & intantum nobis tuam inſpirare digneris dilectionem, quantum amari Deum decet ac diligi, vt omnia interiora noſtra tua impleat dilectio, totoſque nos tuus poſſideat amor. Tua impleat caritas, vt tua igniti caritate præter te aliud amare neſciamus, quo tanta caritas aquis multis huius aëris, huius terræ, huiuſque maris extingui in nobis nequeat: iuxta illud, *Aquæ multæ non poterunt extinguere caritatem*, quod in nobis quoque compleri vel ex parte Deus faciat. Donante Domino noſtro Ieſu Chriſto.

Eiuſdem alia Oratio.

Apud nos fias, quæſumus Domine, vt nos defendas in gloria, intra nos fias vt

A nos recipias, circa nos fias vt nos conſerues, ante nos fias vt nos deducas, pro nobis fias vt pro nobis intercedas, ſuper omnia fias vt nos benedicas, & prouoces ad tuum regnum qui viuit & regnat.

ITEM SABBATO IN HONORE omnium Sanctorum,

Oratio ſancti Gregorij Papæ.

B DEus omnipotens Pater & Filius & Spiritus ſanctus, vnica Trinitas in tribus perſonis, qui es idem & qui eras, & qui venturus es. Libera me, Domine, ab omnibus peccatis meis & iſta mortalitate, & à morte pœnæ, à planta vſque ad verticem, intus & foris. Intercedite pro me ſancta Cherubim, ſancta Seraphim, ſancti Throni, ſanctæ Dominationes, ſancti Principatus, ſanctæ Poteſtates, ſanctæ Virtutes, ſancti Angeli, ſancti Archangeli. Sancte Gabriel, ſancte Michael, C ſancte Raphael orate pro me. Intercedite pro me, ſancti Patriarchæ, ſancti Duces, ſancti Iudices, ſancti Sacerdotes, ſancti Prophetæ, ſancti Reges, ſancti Machabæi, ſancti Infantes. Intercedite pro me Natiuitas Chriſti, Chriſti circumciſio, Chriſti baptiſma, Chriſti operatio, Chriſti virtutes, Chriſti doctrina, Chriſti Crux, Chriſti anima, Chriſti caro, Chriſti reſurrectio, Chriſti deſcenſio, Chriſti aſcenſio. Sancta Maria, ſancti Apo- D ſtoli, ſancti Diſcipuli, ſancti Succeſſores, ſancti Baptiſtæ, ſancti Principes, ſancti Epiſcopi, ſancti Presbyteri, ſancti Diaconi, ſancti Subdiaconi, ſancti Lectores, ſancti Exorciſtæ, ſancti Martyres, ſancti Confeſſores, ſancti Anachoritæ, ſancti Monachi, ſancti Clerici, ſancti Laici, ſanctæ Virgines, ſanctæ Vxores, ſancti Domini, ſancti Serui, ſancti Diuites, ſancti Pauperes, ſancti Doctores, ſancti Fratres, ſancti Sorores. Horum E omnium generaliter nomina, & memoriæ, & ſpiritus, & animæ, & ſanctæ cogitationes, & ſancta verba, & ſancta opera, & merita in cælis, & reliquæ in terris, & diuitiæ bonitatis Dei, & longanimitatis, & patientiæ, & miſericordiæ. Hæc omnia in nomine Domini noſtri IESV CHRISTI, ſint ſcuta, ſint galeæ, ſint ſanitates, ſint ſuffragia, ſint loricæ animæ meæ, & ſpiritus

mei, & corporis mei cum omnibus perſo- A
nis meis intus & foris, à planta vſque ad
verticem viſui, auditui, odoratui, guſtui, ta-
ctui, carni & ſanguini cum omnibus oſſis,
& neruis, & viſceribus meis, venis, medul-
lis, compagibus, artubus meis, cuti, meati-
bus meis. Per te enim Ieſu Chriſte omnia
viuificantur, & inſpirantur, & mutantur, &
ſana ſunt. Protege me, Domine, à dextris &
à ſiniſtris, ante & retro, ſubtus & ſuprà, in
aere, in terra, in aquis, in mari, in flexu, in
erectione, in greſſu, in ſede, in ſtando, in
ambulando, in vigilando, in dormiendo, in B
loco, in omni hora, in omni die, in omni
nocte, in omni vita. Adiuua me, cuſto-
di me, Trinitas ſancta, omnipotens Deus.
Libera me, Domine, ab omni malo præ-
terito, præſenti, & futuro: de periculis ter-
ræ, & maris, & omnium beſtiarum, & phan-
taſmatum, & volucrum, & quadrupedum,
& ſerpentium. Defende me ab igne & ful-
gore, à tonitruo, à grandine, à niue, à plu-
uia, à ventis, à hiatu terræ, à turbine, à ter-
ræmotu, ab omnibus hominibus malis, à
beneficiis, ab inuidis oculis. Ego confi- C
teor impietatem peccati mei: peccator
enim ſum, & de peccato natus. Tu au-
tem verus Deus omnipotens ſine pecca-
to. Rogo Patrem per Filium. Rogo Fi-
lium per Patrem. Rogo Spiritum ſan-
ctum per Patrem & Filium, vt & omnia
vitia elongentur à me, & omnes ſanctæ
virtutes plantentur in me. Deus immen-
ſe, à quo omnia, per quem omnia ſunt:
in quo omnia facta ſunt, viſibilia & inui-
ſibilia, ſuprà tegens, & infra ferens, ope-
ra tua extra circumdans, intra replens. Cu- D
ſtodi me, Domine, creaturam tuam vſque
in ſempiternum. Hos omnes inuoco in au-
xilium meum. Per.

PSALMVS IN HONORE S. *Mariæ.*

ERuctauit cor meum verbum bonum:
dico ego opera mea Regi. Lingua mea
calamus ſcribæ velociter ſcribentis. Spe- E
cioſus forma præ filiis hominum, diffu-
ſa eſt gratia in labiis tuis: propterea bene-
dixit te Deus in æternum. Accingere gla-
dio tuo ſuper femur tuum, potentiſſime.
Specie tua & pulchritudine tua: intende,
proſpere procede & regna. Propter veri-
tatem & manſuetudinem & iuſtitiam: &
deducet te mirabiliter dextera tua. Sagit-
tæ tuæ acutæ, populi ſub te cadent in cor-
da inimicorum Regis. Sedes tua Deus in ſe-
culum ſeculi: virga directionis, virga regni
tui. Dilexiſti iuſtitiam, & odiſti iniquitatem:
propterea vnxit te Deus Deus tuus oleo læ-
titiæ præ conſortibus tuis. Myrrha & gut-
ta & caſia à veſtimẽtis tuis à domibus ebur-
neis: ex quibus delectauerunt te filiæ re-
gum in honore tuo. Aſtitit regina à dex-
tris tuis in veſtitu deaurato: circundata va-
rietate. Audi filia & vide, & inclina aurem
tuam: & obliuiſcere populum tuum, & do-
mum patris tui. Et concupiſcet rex deco-
rem tuum, quoniam ipſe eſt Dominus Deus
tuus, & adorabunt eum. Et filiæ Tyri in
muneribus: vultum tuum deprecabuntur
omnes diuites plebis. Omnis gloria filiæ re-
gis ab intus, in fimbriis aureis, circumami-
cta varietatibus. Adducentur regi virgines
poſt eam: proximæ eius afferentur tibi. Af-
ferentur in lætitia & exultatione: adducen-
tur in templum regis. Pro patribus tuis na-
ti ſunt tibi filij: conſtitues eos principes ſu-
per omnem terram. Memor ero nominis
tui in omni generatione & generationem.
Propterea populi confitebuntur tibi in æ-
ternum, & in ſeculum ſeculi.

Oratio.

Chriſte Domine verbum Patris, per quẽ
cuncta creata ſunt & creantur: cuſtodi,
quæſumus, Eccleſiam tuam varietate gen-
tium congregatam, vt dum te ex ipſa cre-
dulitatis iuſtitia corde puro diligimus, prin-
cipatum æterni ſeculi cum Patribus merea-
mur. Per.

Alia oratio.

Domine Deus noſter, cuius ſedes in ſecu-
lum ſeculi manet: præſta, vt tibi, Rex no-
ſter, opera noſtra pandamus, cui antequam
fiant nota, & per te præſentes poteſtates
ſcimus. Per.

PSALMVS APOSTOLORVM.

CÆli enarrant gloriam Dei: & opera ma-
nuum eius annuntiat firmamentum:
Dies diei eructat verbum: & nox nocti indi-
cat ſcientiam. Non ſunt loquelæ neque ſer-
mones, quorum non audiantur voces eo-
rum. In omnem terram exiuit ſonus eo-
rum: & in fines orbis terræ verba eorum.
In ſole poſuit tabernaculũ ſuum: & ipſe tã-
quam ſponſus procedens de thalamo ſuo.
Exultauit vt gigas ad currendã viam: à ſũ-
mo cælo egreſſio eius. Et occurſus eius vſq;
ad ſummum eius, nec eſt qui ſe abſcondat à
calore eius. Lex Domini immaculata cõuer-
tẽs animas: teſtimoniũ Domini fidele, ſa-
pientiam præſtãs paruulis. Iuſtitiæ Domini

rectæ, lætificantes corda: præceptum Domini lucidum, illuminans oculos. Timor Domini ſanctus permanet in ſeculum ſeculi: iudicia Domini vera, iuſtificata in ſemetipſa. Deſiderabilia ſuper aurum & lapidem pretioſum multum: & dulciora ſuper mel & fauum. Etenim ſeruus tuus cuſtodit ea: in cuſtodiendis illis retributio multa. Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me, & ab alienis parce ſeruo tuo. Si mei nõ fuerint dominati, tunc immaculatus ero: & emundabor à delicto maximo. Et erunt vt complaceant eloquia oris mei, & meditatio cordis mei in conſpectu tuo ſemper. Domine adiutor meus, & redẽptor meus.

Vt ſuprà.

Sanctis, qui ſunt in omnem terram, exiuit ſonus eorum. Cõſtitues eos. Nimis honorati ſunt amici tui Deus.

Oratio.

Domine, ante quem nullus abſconditur, à cuius inquiſitione quod latitat non celatur; ab occultis noſtris munda nos, & ab alienis parce ſeruis tuis, & præſta vt examinationis tuæ calore puritas à te conceſſa nõ æſtuet.

PSALMVS MARTYRVM.

XXXII. EXultate iuſti in Domino: rectos decet collaudatio. Confitemini Domino in cithara: in pſalterio decem chordarum pſallite illi. Cantate ei canticum nouum: bene pſallite ei in vociferatione. Quia rectum eſt verbum Domini, & omnia opera eius in fide. Diligit miſericordiam & iudicium: miſericordia Domini plena eſt terra. Verbo Domini cæli firmati ſunt: & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum. Congregans ſicut in vtre aquas maris: ponens in theſauris abyſſos. Timeat Dominum omnis terra: ab eo autem commoueantur omnes inhabitantes orbem. Quoniam ipſe dixit, & facta ſũt: ipſe mandauit, & creata ſunt. Dominus diſſipat conſilia gentium: reprobat autem cogitationes populorum, & reprobat conſilia principum. Conſilium autem Domini in æternum manet: cogitationes cordis eius in generatione & generationem. Beata gẽs cuius eſt Dominus Deus eius: populus quẽ elegit in hæreditatem ſibi. De cælo reſpexit Dominus, vidit omnes filios hominum. De præparato habitaculo ſuo reſpexit ſuper omnes qui habitant terram. Qui finxit ſingillatim corda eorum: qui intelligit omnia opera eorum. Non ſaluatur rex per multã virtutem: & gigas non ſaluabitur in multitudine virtutis ſuæ. Fallax equus ad ſalutem in abundantia autem virtutis ſuæ non ſaluabitur. Ecce oculi Domini ſuper metuentes eum, & in eis qui ſperant ſuper miſericordia eius. Vt eruat à morte animas eorũ, & alat eos in fame. Anima noſtra ſuſtinet Dominum: quoniam adiutor & protector noſter eſt. Quia in eo lætabitur cor noſtrũ: & in nomine ſancto eius ſperauimus. Fiat miſericordia tua, Domine, ſuper nos, quẽadmodum ſperauimus in te.

Vt ſuprà.

Sanctis, qui ſunt in terra eius. Gloria & honore coronaſti eos. Poſuiſti Domine.

Oratio.

Fiat miſericordia tua, Domine, ſuper nos, & animabus noſtris patientiam ad omnia toleranda adiutorio tuæ protectionis inſinua; & qui ſingillatim corda hominum fingis, ſpe tua ſãctifices, & quia oculi tui ſuper eos ſunt, qui te ..... timoris tui da nobis plenitudinem, vt etiam aſpectui conferas dignitatem.

PSALMVS ITEM MARTYRVM.

DEus venerunt gentes in hæreditatem tuam, polluerunt templum ſanctum tuum: poſuerunt Hieruſalem in pomorum cuſtodiam. Poſuerunt morticina ſeruorum tuorum eſcas volatilibus cæli: carnes ſanctorum tuorum beſtiis terræ. Effuderunt ſanguinem eorum tanquam aquam in circuitu Hieruſalem: & non erat qui ſepeliret. Facti ſumus opprobrium vicinis noſtris, ſubſannatio & illuſio his qui in circuitu noſtro ſunt. Vſquequo Domine iraſceris in finem: accendetur velut ignis zelus tuus? Effunde iram tuam in gentes quæ te non nouerunt: & in regna quæ nomen tuum non inuocauerunt. Quia comederunt Iacob, & locum eius deſolauerunt. Ne memineris iniquitatum noſtrarum antiquarum: citò anticipent nos miſericordiæ tuæ, quia pauperes facti ſumus nimis. Adiuua nos Deus ſalutaris noſter: & propter gloriam nominis tui Domine libera nos, & propitius eſto peccatis noſtris propter nomen tuum. Ne fortè dicant in gentibus, vbi eſt Deus eorũ? & innoteſcant in nationibus coram oculis noſtris. Vltio ſanguinis ſeruorum tuorum qui effuſus eſt, introeat in conſpectu tuo gemitus compeditorũ. Secundum magnitudinem brachij tui poſſide filios mortificatorũ. Et redde vicinis noſtris ſeptuplum in ſinu eorũ: improperium ipſorum quod exprobrauerunt tibi Domine. Nos autem populus tuus & oues paſcuæ tuæ confitebimur tibi in ſeculũ. In generatione & gene-

rationem annuntiabimus laudem tuam.

Vt ſuprà.

Oculi Domini ſuper iuſtos. Precioſa in conſpectu Domini. Iuſtorum animæ.

Oratio.

Ne memineris iniquitatum noſtrarum antiquarum, Domine, neque nos originalis culpa contriſtet, quos ſecunda natiuitas in Chriſto regenerat. Adprehendat nos itaque miſericordia tua Domine, quia creator hominis in homine naſcitur, & homo in Deo glorificando aſſumitur.

PSALMVS CONFESSORVM.

CXXIII. NIſi quia Dominus erat in nobis, dicat nunc Iſraël: niſi quia Dominus erat in nobis. Cùm exurgerent homines in nos, fortè viuos deglutiſſent nos. Cùm iraſceretur furor eorum in nos: forſitan aqua abſorbuiſſet nos. Torrentem pertranſiuit anima noſtra: forſitan pertranſiſſet anima noſtra aquam intolerabilem. Benedictus Dominus, qui non dedit nos in captionem dentibus eorum. Anima noſtra ſicut paſſer erepta eſt de laqueo venantiũ. Laqueus contritus eſt: & nos liberati ſumus. Adiutorium noſtrum in nomine Domini: qui fecit cœlum & terram.

Vt ſuprà.

Inimici defecerunt framea in finem. Deſtruxiſti omnes ſepes eius. Laudem Domini loquetur os meum.

Oratio.

Conuerte, Domine, laqueos, quos nobis hi, qui animas noſtras venari conantur, opponunt, & aduerſantium atque captiuantium nos inſidias adiutorij tui opitulatione conturba, quia niſi tu in nobis fueris, tam nos poteſt contraria virtus deglutire quam abſorbere. Eſto ſeruorum tuorum & cuſtos & præuius, vt ſpiritalium nequitiarum muſcipulas non incurrat; vt volatus, quibus ad te venire nituntur, tota alacritate exerceant.

Laudate Dominum de cælis. *require retro in feria prima.*

Letaniæ vt ſuprà.

Iuſti in perpetuo viuent. Gloriabuntur in te omnes, qui diligunt nomen tuum. Exultabunt Sancti in gloria. Exultent in conſpectu Dei, apud te eſt, Domine, fons vitæ. Mirabilis Deus in ſanctis ſuis. In conſpectu Angelorum pſallam tibi. Exaudi, Domine, vocem meam, qua clamaui.

Oratio Sancti Gregorij.

DOminator Domine Deus omnipotens, qui es Trinitas vna, Pater in Filio, Filius in Patre, cum Spiritu ſancto: qui es ſemper in omnibus, & eras ante omnia, & eris ſuper omnia Deus benedictus in ſecula. Commendo animam meam in manus potentiæ tuæ, vt cuſtodias eam diebus ac noctibus, horis atque momentis. Miſerere mei, Deus Angelorum. Dirige me Rex Archangelorum. Cuſtodi me per Orationes Patriarcharum, per merita Prophetarum, per ſuffragia Apoſtolorum, per victorias Martyrum, per fidem Confeſſorum, per interceſſionem omnium Sanctorum qui tibi placuerunt ab origine mundi vſque ad conſummationem ſeculi. Oret pro me ſanctus Abel, qui primus coronatus eſt martyrio. Oret pro me ſanctus Seth, qui primus cœpit inuocare nomen Domini. Oret pro me ſanctus Enoch, qui ambulauit cum Deo, & tranſlatus eſt de mundo. Oret pro me ſanctus Noë, quem Deus ſeruauit in diluuio propter iuſtitiam. Oret pro me Melchiſedech Rex iuſtus, qui obuiauit Abrahæ, & benedixit ei. Roget pro me fidelis Abraham, qui primus credidit, cui reputata eſt fides ad iuſtitiam. Intercedat pro me iuſtus Iſaac, qui fuit obediens patri vſque ad mortem, in exemplum Domini noſtri IESV CHRISTI, qui oblatus eſt Deo Patri pro ſalute mundi. Poſtulet pro me felix Iacob, qui vidit Angelos Dei & Domini venientem in auxiliũ ſibi. Oret pro me beatus Ioſeph, qui ſoluit ſomnia Regis, & interpretatus eſt, & liberatus eſt de carcere. Oret pro me ſanctus Iob, magnus & patiens, qui nihil peccauit in labiis ſuis, in omnibus quæ acciderunt illi. Oret pro me beatus Moyſes, cum quo locutus eſt Deus facie ad faciem. Oret pro me Hieſus filius Nun, quem elegiſti, Domine, poſt Moyſen famulum tuum. Oret pro me sãctus Samuhel Propheta, qui benedixit & vnxit duos Reges ſuper Iſrahel. Subueniat mihi ſanctus Dauid, quem elegiſti ſecundum cor tuum Domine. Deprecetur pro me ſanctus Helias Propheta, quem eleuaſti in curru igneo vſque ad cœlum. Oret pro me beatus Eſaias, cuius mundata ſunt labia igne cœleſti. Adſit mihi beatus Hieremias, quem ſanctificaſti in vtero matris ſuæ. Oret pro me ſanctus Ezechiel Propheta, qui vidit viſiones mirabiles Dei, & prophetauit reſurrectionẽ mortuorum. Deprecetur pro me electus Danihel, deſiderabilis Dei, qui ſoluit ſomnia Regis, & interpretatus eſt, & liberatus eſt de lacu leonum, & tres pueri Ananias, Azarias, Miſahel, liberati ab igne. Duodecim Prophetæ, Oſee, Amos, Micheas, Iohel,

Abdias, Abacuc, Ionas, Naum, Sophonias, Aggæus, Zacharias, Malachias, Eſras, Tobias, & Machabæi. Hos, & omnes Sanctos veteris Teſtamẽti inuoco in auxilium meũ. Oret pro me ſancta virgo Maria mater Saluatoris, & ſanctus Iohannes Baptiſta præcurſor Domini, & omnes ſancti Apoſtoli Domini noſtri Ieſu Chriſti, Petrus & Paulus, Andreas & Iohannes, tres Iacobi, Philippus & Bartholomæus, Thomas, & Mathæus, Tathæus, Simon, Barnabas & Mathias, Marcus, Lucas, Stephanus. Per horum ergo & cæterorum omnium Sanctorum noui Teſtamenti merita depelle à me, Domine, concupiſcentiam gulæ, & da mihi virtutem abſtinentiæ: fuga à me ſpiritum fornicationis, & da mihi ardorem caſtitatis: extingue in me cupiditatem, & da mihi voluntariam paupertatem. Cohibe à me iracundiam meam, & accende in me nimiam ſuauitatem & caritatem Dei & proximi. Abſcinde à me, Domine, triſtitiam ſeculi, auge mihi gaudium ſpiritale, expelle à me iactantiam mentis, timorem tuum & amorem, compunctionem cordis, minue ſuperbiam meam, & perfice in me humilitatem veram. Indignus ego ſum & infelix homo: quis me liberabit de corpore mortis huius peccati, niſi gratia tua Domine Ieſu Chriſte; quia ego peccator ſum & innumerabilia delicta mea, & non ſum dignus vocari ſeruus tuus? Suſcita in me fletum, mollifica cor meum durum & lapideum, & accende in me ignem timoris tui, quia ſum cinis mortuus. Libera animam meam ab inſidiis inimici, & conſerua me in tua voluntate. Doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu. Tibi honor & gloria per omnia ſecula ſeculorum, Amen.

LITANIA BEATORVM APOSTOLORVM MARTYRVM QVOQVE, Confeſſorum, atque Virginum.

Ex Libro, quem beatus Hieronymus de Sanctorum per anni circulum Natalitiis conſcripſit, collecta.

PRIMA FERIA.

MIſerere nobis miſeris miſericors Trinitas ſancta, & dimitte vniuerſa delicta noſtra, quæ commiſimus corã Angelis tuis in conſpectu tuo, per merita, & orationes, & interceſſiones, & inuocationes omnium Sanctorum tuorum, quorum feſtiuitas celebratur N. & quorum nomina nunc recitamus. Libera nos clemens Trinitas, cum omnibus fratribus & ſororibus noſtris ab omni malo præterito, præſenti, & futuro: de morte ad vitam, de tenebris ad lucem, de inferno ad Paradiſum, de malo ad bonum: de ignorantia ad ſcientiam, de peccatis ad veram pœnitentiam, de omnibus vitiis ad perfectas virtutes: de cunctis inſidiis inimici ad medicinã cæleſtẽ & diuinã protectionẽ: per inuocationẽ trini nominis tui, Patris, & Filij, & Spiritus ſancti; quia qui fideliter & humiliter nomen tuum inuocauerit, ſaluus erit. Humiliter ergo & fideliter te poſtulamus, vt deleas & obliuiſcaris cũcta ſcelera noſtra per ſuffragia & merita ſanctorum tuorum: quorum meritis precibuſque cõcede, vt in omnibus protectionis tuæ muniamur auxilio, atque ab æterna dãnatione nos facias eripi, & in eorum numero iubeas aggregari. Fac nos captiuitatis noſtræ redẽptor benè rogare, dignos exaudiri, & cum miſericordia exaudi nos.

Omnes ſancti Spiritus orate pro nobis.

Angeli
Archangeli,
Virtutes,
Poteſtates,
Principes,
Dominationes,
Throni,
Cherubim,
Seraphim,
Patriarchæ,
Prophetæ,
Apoſtoli,
Martyres,
Confeſſores,
Epiſcopi,
Presbyteri,
Diaconi,
Et omnes ſancti,
Et Eccleſiaſtici,
Et Anachoritæ,
Et Monachi,
Et ſanctæ Virgines,
Sanctæ Viduæ,
Et ſancti ſapientes
Et omnes ſancti qui nos præceſſerunt ab Adam vſque in hodiernum diem orent pro nobis.
Michael,
Gabriel,
Raphael, orate pro

PATRIARCHAE

Abel,
Seth,
Enoch,
Noë,
Melchiſedech,
Abraham,
Iſaac,
Iacob,
Ioſeph,
Iob,
Moyſes,
Ieſus,
Samuhel,
Dauid.

PROPHETAE

Helia,
Heliſæus,
Eſaias,
Hieremias,
Ezechiel,
Daniel,
Heſdras,
Oſee,
Ioël,
Amos,
Abdias,
Ionas,
Micheas,
Naum,
Abacuc,
Sophonias,
Aggæus,

Zacharias,
Malachias,
Tobias,
Ananias,
Azarias,
Mizahel,
Iohannes Baptiſta,
orate pro nobis.
SANCTA MARIA,
sancte Petre,
sancte Paule,
sancte Andreas,
sancte Iacobe,
sancte Iohannes,
sancte Thomas,
sancte Mathæe,
sancte Philippe,
sācte Bartholomæe,
sancte Tathæe,
sancte Simon,
sancte Iacobe,
sancte Mathias,
sancte Barnabas,
sancte Lucas,
sancte Marce, orate pro nobis,
SANCTE STEPHANE,
sancte Line,
sancte Clete,
sancte Clemens,
sancte Xiſte,
sancte Silueſter,
sancte Corneli,
sancte Cypriane,
sancte Hermes,
sancte Hippolyte,
sancte Sebaſtiane,
sancte Tranquiline,
sancte Marcelle,
sancte Marce,
sancte Chromaci,
sancte Tiburti,
sancte Valeriane,
sancte Neree,
sancte Achilee,
sancte Panchrati,
sancte Valentine,
sancte Polycarpe,
sancte Ignati,
sancte Apollinaris,
sancte Babillas,
sancte Griſogone,
sancte Geruaſi,
sancte Prothaſi,
sancte Montane,
sancte Celſe,
sancte Ioannes,
sancte Paule,
sancte Coſmas, A
sancte Damiane,
sancte Anaſtaſi,
sancte Flauiane,
Sancte Georgi,
sancte Cirici,
sancte Felix,
sancte Adriane,
sācte Symphoriane,
sancte Iuliane,
sancte Valeri.
SANCTE DIONYSI,
sancte Ruſtice, B
sancte Eleutheri,
sancte Vincenti,
sancte Candide,
sancte Maurici,
sancte Exſuperi,
sancte Geneſi,
sancte Criſpine,
sancte Luciane,
sancte Venanti,
sancte Theodare,
sancte Gereon,
sancte Ferruci, C
sancte Paſtor,
sancte Victor,
sancte Alexander,
sancte Gordiane,
sancte Marcelline,
sancte Beatricis,
sancte Simplici,
sancte Saturnine,
sancte Albine,
sancte Marcelle,
sancte Marcialis,
sancte Firmine,
sancte Caſſiane, D
sancte Criſpine,
sancte Criſpiniane,
sancte Pantaleon,
sancte Galle,
sancte Innocenti,
sancte Cilliane,
sancte Columbane,
sancte Romane,
sancte Vitalis,
sancte Euenti,
sancte Vrbane, E
sancte Proceſſi,
sancte Abdo,
sancte Cyriace,
sancte Nicomedis,
sancte Nicoſtrate,
sancte Theodore,
sancte Marcelle,
sancte Quintine,
sancte Priſce,
sancte Benigne,
sācte Saturnine,
sācte Maximine,
s. Chriſtophore,
sancte Albane,
sancte Iuſte,
sancte Ianuari,
sancte Martine,
sancte Fauſtine,
sancte Senes,
sancte Agapite.

SECVNDA FERIA.

Sancte Ceſari,
sācte Fauiane,
sācte Iuuenalis,
sancte Niceti,
sancte Felicule,
sācte Lantberte,
sancte Bonefaci,
sancte Prote,
sancte Iacinte,
sācte Ammoni,
sancte Iuliane,
sancte Celſe,
sancte Antoni,
sancte Baſſiane,
sancte Romane,
sancte Cirione,
sancte Agatore,
sācte Ammone,
sancte Petre,
sancte Rogate,
S. Rogatiane,
sancte Viane,
sācte Fortunate,
sancte Petre,
sancte Paule,
sancte Vrbane,
sancte Donate,
sancte Felix,
sācte Valētone,
sancte Ianuari,
sancte Luce,
sancte Hiriane,
S. Ganduliane,
sācte Modiane,
sancte Iuſte,
sācte Quintine,
sancte Dionyſi,
S. Saturnine,
sācte Martialis,
sancte Cature,
S. Victoriane,
sancte Euaſſe,
sancte Terh,
sancte Fuſſee,
S. Marcelline,
sancte Orate,
sancte Tanate,
S. Honorate,
sancte Profire,
sancte Eraſmi,
S. Lugodoni,
sancte Vite,
sancte Macari,
sancte Silbe,
sancte Vitalis,
sancte Comme,
sancte Gemine,
sancta Eulalia,
sancta Emelia,
sancta Potamia,
sancta Rodana,
sancta Cantia,
sancte Amaſſe,
sācte Mutiriane,
sancte Tabule,
S. Alexander,
sancte Pontice,
sancte Hiſtee,
sancte Soſine,
sancte Tite,
sancte Iuli,
sancte Sotice,
sācte Gemiane,
sancte Babille,
sancte Vincēti,
sancte Priſce,
sancte Hilari,
sancte Felix,
sancte Agapite,
sācte Honorate,
sācte Phurphire,
sācte Pamphile,
sācti VII. fratres.
sancte Anaſtaſi,
sancte Baſſe,
sancte Felix,
sancte Siluane,
sancte Caſſare,
S. Sebaſtiane,
sancte Vincenti,
sācte Alexāder,
sancte Rufine,
sancte Eugeni,
S. Secundine,
sancte Donate,
sancte Longine,
sācte Fructuoſe,
sancte Eucine,
sācte Eppepoli,
sācte Victorine,
sancte Victor,

sancte Peregrine,
sancte Seueriane,
sancte Sanctule,
sancte Emerite,
sancte Iuſtine,
sancte Apolinaris,
sancte Criſſoni,
sancte Polychroni,
sancte Helene,
sancte Parmene,
sancte Theodole,
sancte Euenti,
sancte Feliciſſime,
sancte Hermes,
sancte Gallicane,
sancti xl. milites,
sancte Argee,
sancte Marcialis,
sancte Marciane,
sancte Theodole,
sancte Quintine,
sancte Aquiline,
sancte Candide,
sancte Secundine,
sancte Luciane,
sancte Iucunde,
sancte Caliſte,
sancte Reuocate,
sancte Abſalme,
sancte Repenſe
S. Eudbrichthe,
sancte Muſcenti,
sancte Chriſtifere,
sancte Senonis,
sancte Mucce,
sancte Sabiane,
sancte Fructuoſe,
sancte Eulogi,
sancte Minuce,
sancte Seueriane,
sancte Caſtule,
sancte Rodonis,
sancte Putiolis,
sancte Arthemate,
sancte Iuliane,
sancte Meſſoriane,
sancte Celiane,
sancte Date,
S. Cōmeſſoriane,
sancte Feliane,
sancte Conſtane,
sancte Taſſice,
sancte Sotice,
sancte Dionyſſe,
sancte Marine,
S. Symphoriane,
sancte Celeris,
sancte Gelaſſe,
sancte Sulpici,
sancte Soterice,
sancte Amane,
sancte Siluane,
sancte Pœne,
sancte Eubraxe,
sancte Baſſili,
sancte Caſtarte,
sancte Deſideri,
sancte Damiane,
sancte Modeſte,
sancte Cyriace,
sancte Fauſtiniane,
sancte Criſſantis,
sācte Secundiane,
sancte Ritule,
sancte Claſſice,
sancte Pupule,
sancte Marcelle,
sancte Gag,
sancte Potamine,
sancte Nemiſſe,
sancte Viruli,
sancte Felix,
sancte Iucunde,
sancte Seruule,
sancte Sirice,
sancte Floriane,
sancte Paule,
sancte Primitiue,
sancte Carfore,
sancte Herenee,
sancte Cerere,
sancte Neſtoris,
sancte Thetolis,
sancte Anteginis.

TERTIA FERIA.

Sancte Popule,
sancte Serapion,
sancte Leo,
sancte Donate,
sancte Floriare,
sancte Caſte,
sancte Vocator,
sancte Ruſtice,
sancte Firmine,
sancte Mirdane,
sancte Macedone,
sancte Palatine,
sancte Innocens,
sācti Infantes omnes occiſi pro Chriſto in toto mundo.

A sancte Gorgone,
sancte Macidane,
sancte Palatine,
sancte Candide,
sancte Valere,
sancte Petre,
sancte Marciane,
sancte Paule,
sancte Silue,
sancte Petroſe,
sancte Ingeune,
sancte Regule
B sancte Longine,
sancte Hilari,
sancte Tatiane,
sancte Caſtor,
sancte Dionyſſe,
sancte Ianuari,
sancte Collecte,
sancte Aprelis,
sancte Quintine,
sancte Seruule,
sancte Theothole,
sancte Baſſe,
C sancte Originis,
sancte Filocale,
sancte Fidelis,
sancte Albine,
sancte Seluce,
sancte Ambroſi,
sancte Caſtule,
sancte Montane,
sancte Paſtor,
sancte Rogate,
sancte Succeſſe,
sancte Dorothee,
sancte Domine,
D scncte Amiſſe,
sancte Quintiane,
sancte Victor,
sancte Procule,
sancte Miltiades,
sancte Euagre,
sancte Benigne,
sancte Agathe,
sancte Meri,
sancte Creſte,
sancte Thetole,
E sancte Agatho,
sancte Phi,
sancte Mature,
sancte Claudiane,
sancte Plante,
sancte Marciane,
sancte Nicandre,
sancte Herenee,
sancte Selcuſe,
sancte Cyriaces,
sancte Apolone,
sancte Repenſe,
sancte Gaiane,
sancte Oſuualde,
Omnes ſancti martyres, orate pro nobis.
sancte Hilari,
sancte Martine,
sancte Silueſter,
sancte Remei,
sancte Euſebi,
sācte Germane,
sancte Ambroſi,
sācte Hieronyme,
sancte Auguſtine,
sancte Gregori,
sancte Iſidore,
sancte Seuerine,
sancte Pauline,
sancte Auite,
sancte Seruaſi,
sancte Medarde,
sancte Vedaſte,
sancte Amande,
sancte Audomare,
sancte Richari,
sancte Bertine,
sancte Arnulfi,
sancte Leudegari,
sancte Bauo,
sancte Goar,
sancte Gaurici,
sancte Valeriane,
sancte Theodore,
sancte Audate,
sancte Tiburti,
sancte Anniane,
sancte Calliſte,
sancte Candide,
sancte Rumolde,
sancte Piato,
sancte Sulpici,
sancte Brici,
sancte Flodolde,
sancte Marcelle,
sancte Cubrethe,
sancte Egbreth,
sancte Benedicte,
sancte Patrici,
Omnes ſancti Cōfeſſores.
sancte Paule,
sancte Antoni,
sancte Hilarion,
sancte Machari,
sancte Pocomi,
sancte Neſtorion,

ſancte Amate,
ſancte Ioſeph,
ſācte Zacharias,
ſancte Paſtor,
ſancte Pambo,
ſancte Saſas,
ſancte Chame,
ſancte Arſeni,
ſācte Methoen,
ſancte Euagri,
ſancte Moyſes,
ſancte Nile,
ſancte Abrahā,
ſancte Anaſtaſi,
ſancte Felix,
ſancteEpiphani,
ſancte Iſidore,
ſancte Speriti,
ſācteTheodore,
ſācte Serapion,
ſancte Sperici,
ſancte Daniel,
ſancte Mathois,
ſancte Iohānes,
ſancte Paſſion,
ſancte Petre,
ſancte Loth,
ſancte Ammon,
ſācteTheophile,
ſancte Helias,
ſancte Biſarion,
ſancte Pior,
ſācte Marce,
ſancte Agiahen,
ſancte Sarion,
ſancte Iacob,
ſancte Ammai,
ſancte Zelon,
ſācteTheodote,
ſancte Siluane,
ſācte Zacharias,
ſancte Apollo,
ſancte Milido,
ſancte Euolog,
ſancte Iohānes,
ſancte Zenon,
ſancteNiſteron,
ſācte Ammonas,
ſancte Natira,
ſancte Luci,
ſancte Miſtero,
ſancte Anubab,
ſancte Paſſis,
ſancte Effrem,
ſancte Peſteris,
ſancte Iohānes,
ſancte Or,
ſancteAmmon,
ſancte Beree,
ſancteTheon,
ſancte Apollon,
ſancte Ammon,
ſancte Cepres,
ſancte Pater,
ſancte Mot,
ſancte Sire,
ſancte Eſaias,
ſancte Paule,
ſancte Helene,
Omnes ſancti Monachorum Ordines.

QVARTA FERIA.

Sancta Maria,
ſancta Tecla,
ſācta Felicitas,
ſanctaPerpetua,
ſancta Agatha,
ſancta Agnes,
ſancta Cecilia
ſāctaPetronilla,
ſancta Eugenia
ſancta Sabina,
ſācta Anaſtaſia,
ſācta Genoueſa,
ſācta Gertrudis,
ſancta Afra,
ſancta Colūba,
ſancta Sinclita,
ſancta Eulalia,
ſanctaCriſtiana,
ſāctaEuphemia,
ſancta Baſiliſſa,
ſācta Scolaſtica,
ſācta Aldegūdis,
ſācta Radagūdis,
ſancta Priſca,
ſancta Lucia,
ſāctaTheodoſia,
ſancta Candida,
ſancta Iulitta,
ſanctaTranſilla,
ſanctaFulgenia,
ſancta Cirilla,
ſancta Lucina,
ſāctaTheodora,
ſācta Chorona,
ſancta Leonilla,
s. Emerentiana,
s. Conſtantia,
ſancta Agappa,
ſancta Balbina,
s. Seuerentia,
A ſancta Claudia,
ſancta Baſiliſſa,
ſācta Helena cū tribus filiis.
ſancta Palladia,
ſancta Ciriaca,
ſanct Cōcordia,
ſancta Triphonia,
ſancta Anna,
ſancta Babilla,
ſancta Luſtra,
ſancta Iuſtina,
B ſancta Ambicula,
ſancta Feliciſſima,
ſancta Iuſta,
ſancta Flabia,
ſancta Marcioſa,
ſancta Valeria,
ſancta Megitia,
ſancta Baſilia,
ſancta Italica,
ſancta Eulogia,
ſancta Sabathia,
ſancte Helia,
ſancta Philagia,
ſancta Trophima,
ſancta Papia,
ſancta Donata,
ſancta Daraclita,
ſancta Iulia,
ſancta Auguſta,
ſancta Maxima,
ſancta Donatilla,
ſancta Veneria,
ſancta Philenta,
ſancta Martina,
ſancta Suſanna,
ſancta Theodota,
ſancta Fuſtimatha,
ſancta Chaſia,
ſancta Valentina,
ſancta Manna,
ſancta Martyria,
ſancta Paulina,
ſancta Candida,
ſancta Criſpina,
ſancta Leochudia.
*** *Videntur aliqua deeſſe.*

C

ORATIO,

QVAM BEATI PATRES POST recitata Sanctorum nomina in cotidianis Orationibus cantare ſolebant.

PER Sanctorum Angelorum, Archangelorū, & Patriarcharū, & Prophetarum, & beatorum Apoſtolorū, & omniū Sanctorum Martyrū & Confeſſorum, & beatarum Virginū merita & orationes, & interceſſiones, & paſſiones & ſuffragia, Trinitas clemens exaudi me, libera me, defende me, redime me, protege me, adiuua me, & ſalua me, conſerua me, inluſtra me, viſita me. Da mihi, Domine, cor contritū & purū, quod te videat, & cogitet, & credat: & pedes caſtos, qui præceptis tuis obediēter miniſtrēt; & manus continentes, ſine ira & vanitate ad te eleuatas, quæ vtilitatem proximorum & miſericordiam laborent. Largire Domine Chriſte labia diſcreta, quæ te benedicant, & magnificent, & prædicent, & cum timore, & tremore, & exultatione te ſemper adorēt: & aures intentas, quæ nomen tuū, & legem tuam, & verba tua audiāt: & oculos humiles qui te videāt, ſenſū qui te ſentiat, intellectum qui te intelligat, & animum qui te ſemper cogitet & diligat: & non veniat mihi pes ſuperbiæ, & munus peccatoris non moueat me. Non hebetes

me gaſtrimargia, & non coinquinet me fornicatio. Non gubernet me vana gloria, non obducat me filargiria, non dilaniet me ira, non mortificet me triſtitia. Non vacuet me accedia, non humiliet me cenodoxia, & non deſtruat me ſuperbia. Sed largire mihi, clemens Trinitas, abſtinentiam & caſtitatem, voluntariam paupertatem & manſuetudinem: largitatem, pietatem, & quietem: miſericordiam, lenitatem, indulgentiam, humilitatem, benignitatem, hilaritatem, patientiam, modeſtiam, ſinceritatem, ſapientiam, concordiam, pacem & caritatem. Miſerere mihi, Domine, miſerere mihi. De præteritis veniam, de præſentibus emendationem, de futuris largire cuſtodiam. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.

A B

HYMNVM DOMINICALE.

TE Deum laudamus, te Dominum confitemur. Te æternum Patrem omnis terra veneratur. Tibi omnes Angeli, tibi cœli & vniuerſæ poteſtates. Tibi Cherubim & Seraphim inceſſabili voce proclamant. Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth. Pleni ſunt cœli & terra maieſtatis gloriæ tuæ. Te glorioſus Apoſtolorũ chorus. Te Prophetarum laudabilis numerus. Te Martyrum cãdidatus laudat exercitus. Te per orbem terrarum ſancta confitetur Eccleſia. Patrem immenſæ maieſtatis. Venerandum tuum verum vnicum Filium. Sanctum quoque paraclitum Spiritum. Tu Rex gloriæ Chriſtus. Tu Patris ſempiternus es Filius. Tu ad liberandum ſuſcepturus hominem non horruiſti Virginis vterum. Tu deuicto mortis aculeo aperuiſti credentibus regna cœlorum. Tu ad dexteram Dei ſedes in gloriam Patris. Iudex crederis eſſe venturus. Te ergo quæſumus tuis famulis ſubueni, quos precioſo ſanguine redemiſti. Æterna fac cum Sanctis tuis gloria munerari. Saluum fac populum tuũ Domine, & benedic hereditati tuæ. Et rege eos & extolle illos vſque in æternum. Per ſingulos dies benedicimus te. Et laudamus nomen tuum in ſeculum, & in ſeculum ſeculi. Dignare Domine die iſto ſine peccato nos cuſtodire. Miſerere noſtri Domine, miſerere noſtri. Fiat miſericordia tua, Domine, ſuper nos: quemadmodum ſperauimus in te. In te, Domine, ſperaui: non confundar in æternum.

C D E

Oratio.

Deus rerum omnium conditor atque creator, qui vnus in Trinitate, & trinus in vnitate cognoſceris, cuius magnitudinem deficiens eſt lingua humana narrare: quem ſine ceſſatione proclamant Angeli ſanctus: Ideò nos minimi famuli tui ore quidem indigno non tres ſanctos, ſed ter ſanctus præconio vocis adtollimus, vt conſona modo lamina † proclamant terræ petita laudatio: ob hoc pietatem tuam, Domine clementiſſime Pater exoramus, optata tribuas, cõmiſſa indulgeas, vt deterſa à nobis peccamina pura & libera conſcientia tua mereamur opulentia gratulari. Per.

Fides edita apud Niceam à CCCXVIII. Epiſcopis.

CRedimus in vnum Deum Patrem omnipotentem, omnium viſibilium & inuiſibilium factorem, & in vnum Dominum noſtrum Ieſum Chriſtũ filium Dei de Patre natum vnigenitum, hoc eſt de ſubſtantia Patris. Deum ex Deo, lumen ex lumine, Deum verum de Deo vero. Natum, non factum omouſion Patri, hoc eſt eiuſdem cum Patre ſubſtantiæ, per quem omnia facta ſunt in cœlo & in terra. Qui propter nos, & propter noſtram ſalutem deſcendit & carnem aſſumpſit, & homo factus eſt. Paſſus eſt, & reſurrexit tertia die. Aſcendit ad cœlos, ſedet in dexteram Dei Patris omnipotentis. Indè venturus iudicare viuos & mortuos. Et in Spiritum ſanctum. Eos autem qui dicunt, aliquando erat tempus quando non erat, & priuſquam naſceretur non erat; & quia ex nullis ſubſiſtentibus factus eſt; aut ex alia ſubſtantia vel eſſentia, aut mutabilem dicunt eſſe, vel conuertibilem Filium Dei, anathematizat Catholica & Apoſtolica Eccleſia.

Oratio S. Hilarij, quam XII. Libris, quos de ſancta conſcripſit Trinitate, ſubiunxit.

SAncta Trinitas, conſerua oro fidem meam incontaminatam Religionem, vſque ad exceſſum ſpiritus mei. Dona mihi hanc conſcientiæ meæ vocẽ, vt quod in regenerationis meæ ſymbolo baptizatus in Patre, & Filio, & Spiritu ſancto profeſſus ſum, ſemper obtineam. Patrem ſcilicet te noſtrum, Filium tuum vnà tecum adorem, & ſanctum Spiritum tuum, qui ex te per vnigenitum tuum eſt, promerear; quia mihi idoneus ad fidem teſtis eſt, dicens. Pater, omnia mea tua ſunt, & tua mea. Deus

meus

omnia mea tua ſunt, & tua mea. Deus meus Ieſus Chriſtus manens in te, & ex te, & apud te ſemper Deus, qui eſt benedictus in ſecula ſeculorum, Amen.

Oratio S. Auguſtini Epiſcopi.

DEus iuſtitiæ, te deprecor, Deus miſericordiæ, Deus inuiſibilis, Deus incomprehenſibilis, Deus inenarrabilis, æterne, perpetue, benedicte. Deus, cuius omnia, in quo omnia, ſub quo omnia, per quem omnia ſunt: parce animæ meæ, parce malis meis, parce peccatis meis atque criminibus: viſita infirmum, cura ægrum, ſana languentem. Da cor quod te timeat, ſenſum qui te intelligat, oculos cordis qui te videant. Da mihi ſcintillam ſapientiæ tuæ, quæ mihi iuſtificationum tuarum iter oſtendat, & foueas inimici declinare me doceat. Miſerere mei quia peccaui, & propter duritiam cordis mei, in ipſa peccatorum meorum morte, perduro ego ore, ego corde, ego opere, ego omnibus vitiis inquinatus ſum, omnibus ſceleribus coopertus ſum. Veniam peto, quia crimen agnoſco: ſcelera mea tibi fateor, quæ & ſi non confiterer, tamen te latere non poſſunt. Tu enim ſcrutator cordis & renium es: tibi occulta manifeſtantur, & ſecreta patefiunt. Miſerere mei Domine, ne me perire patiaris: ne me permittas æternis tenebris, & perpetua morte conſumi. Aufer à corde meo alienum ſenſum, cura in me ſtuporem mentis: exſtirpa à viſceribus meis conſilia iniquitatis, erade à lingua mea detrahendi conſuetudinem, mentiendi facilitatem, loquendi ſcurilitatem, & omnes actus meos arte & medicina tua ſana. Circumcide in me, Domine, vitia cordis & corporis. Miſerere mei Deus, quia tu noſti facta mea. Si tu tranſgreſſiones meas iudicio tuo perſequi ac punire voluiſſes, olim me terra viuum abſorbuiſſet. Sed quia tanta eſt clementia maieſtatis tuæ, vt nullum perire patiaris; ſed omnes expectas ad pœnitentiam reuerti, qui das ſpatium pœnitendi. Da poſſibilitatem operanti, vt non ſit hoc vanum indulgentiæ tuæ tempus, quod mihi largiri pro tua pietate dignaris. Miſerere mei Deus, ne me diſpicias, neque auertas faciem tuam à me, quia non pro iuſtitia mea peto miſericordiam tuam, ſed propter clementiam tuam reſpice ad me de ſede maieſtatis tuæ, & tenebras

A cordis mei radio ſplendoris tui inlumina. Protege me Domine ſcuto veritatis ac fidei, vt me diaboli iacula ignita non penetrent, & quicquid illud eſt quod infelicitas mea à te petere aut non præſumit, aut non intelligit, id tu pro tua virtute tribue, & hoc largire quod animam meam ſaluet à morte; & exeunti mihi de hac clauſura tenebrarum manum porrige, & lumen oſtende. Miſerere mei Domine, & redintegra confractum, ſana corruptum, emenda vitiatum, & illud indulge quod feci, & hoc præſta ne iterum faciam.

B Miſericors & miſerator Deus, qui & barbaros ſaluare vis, & ad veritatis agnitionem venire ad te confugi fidelium Saluatorem. Miſerere mei, quia te plurimum exacerbaui, & inimicum gaudere feci, & ecce mortuus ſum obediens ei. Tu Domine & impiis, & his qui ſunt ſine miſericordia miſereris: miſerere humilitati meæ. Apud te enim impoſſibile nihil eſt, quoniam ſecus infernum diſſipata eſt anima mea. Fac miſericordiam, quia benignus

C es & miſericors, figmento tuo; qui & corpora quæ non ſunt in die reſurrectionis ſuſcitaturus es. Exaudi me, Domine, quia defecit ſpiritus meus, & infelix anima mea. Tabefactum eſt etiam corpus meum, quod coinquinaui: etiam viuere non valeo pro eo quod non credidi. Ignoſce peccatum meum per pœnitentiam, viuifica me contritum, & igne ſplendoris tui inlumina, & accende cor meum: vt ego accipiens fiduciam miſericordiæ & indulgentiæ tuæ, reſiduum tempus vitæ quod mihi dona-

D ueris, mandata tua cuſtodiam, & à timore tuo non recedam; ſed deuotè ſeruiam tibi amplius quàm modo. Parce ergo mihi, & viuifica me omnipotens Deus. Domine Ieſu Chriſte vniuerſitatis conditor, ſpes vnica mundi. Præſta mihi primum, vt te bene rogem, & vt me agam dignum quod me exaudias. Auge in me, Domine, munera tua, vt anima mea diligat te, & fiat expedita ab omni vitio con-

E cupiſcentiæ. Rogo te Pater, deprecor te Fili, obſecro te Spiritus ſancte, vt euadam de mũdi miſeria, & dones mihi ęterni regni perpetua gaudia. Reuertere iã Deus meus, & ne obliuiſcaris mei vſque in finem, non in perpetuum deſeras, nec me cadere in poteſtate dæmonum permittas. Licet in offenſa iaceam, tu tamen clemens, tu pius, tu patiens, tu multum miſericors: nullum derelinquis, nullum ſpernis ad ſanitatem venientẽ, ſed vltro offerens miſericordiã tuã

clementias peccatores expectas vt redeant. Quanti enim ſcelerati, & multis flagitiis inuoluti, per bonitatis tuæ gratiam ad indulgentiam peruenerunt? Sicut multis non merentibus gratis veniam donaſti: ſic & mihi indigno indulgentiam largiri digneris propter tuam ineffabilem miſericordiam, Omnipotens Deus, qui viuis & regnas per omnia ſecula ſeculorum, Amen.

Oratio ſancti Gregorij.

DOmine ſancte Pater omnipotens æterne Deus, qui ſedes in ſeptimo throno: ſub cuius pedibus omnia contremiſcunt; miſerere mei, qui feciſti cœlum & terram, mare & omnia quæ in eis ſunt. Miſerere mei, qui altitudinem cœli, & latitudinem terræ, & profundum abyſſi metitus es: qui perpetua ſapientia tua cœlos cameraſti, & ſtellis ornaſti, & terram floribus depinxiſti; quem mundus non capit, & requieſcis in corde mundo. Fac, Domine, cor meum immaculatum, qui diem à nocte ſeparas, & mutas linguas ferarum, & das eis ſapientiam: quem diuerſa volatilia garrula agnoſcunt voce ſuauitatis, laudantes ſuum creatorem. Glorioſus es tu Domine, & glorioſa opera tua qui feciſti quæ non erant. Iuſtus es, Domine, & iuſtum iudicium tuum: magna & mira ſunt opera tua. Benedictus es ſuper omnes benedictiones. Trinitas Deus inſeparabilis, qui es vnus & non ſolus: vna diuinitas, trina maieſtas, coæqualis gloria, Alpha & Omega, initium & finis. Deus noſter Rex ante ſecula, qui operatus es ſalutem in medio terræ. Deus qui ſeculum ſenectute concludis, & tamen ipſe cum ſeculo non ſeneſcis. Ad te expando manus meas in ſimilitudinem Crucis: ad te humilior, ad te reſurgam. Erigat me dextera tua Ieſu Chriſte, qui manes in Patre, & Pater in te in ſempiternum. Credimus, Domine, aduentum tuum & reſurrectionem tuam. Tu noſtri dominaris. Domine antequam diſcutias me miſerere mei; ſana peccatorum meorum vulnera, quia peccaui in te. Ab occultis meis munda me Domine. Inlumina cor & ſenſum meum lumine ſerenitatis tuæ. Te ante omnia ſenſus meus ſapiat. Da mihi intellectum, vt ſciam teſtimonia tua, & cuſtodiam ea in corde meo. Da mihi gratiam tuam, quia non eſt qui conualeſcat...... Pater orphanorum, venerator viduarum, indultor egentium, confeſſor pœnitentium; præſta mihi veniam, quem plaſmaſti de limo, & cogitationes quæ fidem non frangant. Doce me facere voluntatem tuam. Quæcumque præcipis, ipſe adiuua vt implere poſſim, vt non peccem tibi amplius; ſed da mihi deſiderium ad omne opus bonum. Domine, in tua iuſtitia libera me de peccatis meis, ab omni malo, ab omni periculo, ab omni hæreſi, ab omnibus iniquis deſideriis: & conſtitue me in omni opere bono, & viſita dolores meos, & ſana quæ tibi apta non ſunt; & quod in me obſcurum eſt, nomen luminis accipiat. Ante te, Domine, omne deſiderium meum, & gemitus meus à te non eſt abſconditus. Da mihi, Domine, fortitudinem aduerſus inſidias diaboli, & inſtiganti obſiſtere ſatanæ. Da mihi arma virtutis, & loricam fortitudinis tuæ. Nulla mihi nimia oblectatio ſubripiat, nullus antiquæ putredinis ſuæ me fœtor corrumpat. Aufer à me lubricos & inutiles cogitatus, ſuggeſtioneſque furtiuas. Deus, qui plus potes dare quàm nos petamus aut intelligamus; moueat vox mea miſericordiam tuam, qui es vnus in Trinitate, & trinus in vnitate. Ne perdas me cum peccatis meis; quia non veniſti iuſtos ſaluare, ſed peccatores ad pœnitentiam reuocare, qui es amator pœnitentiæ miſerere mei.

DOmine ſancte Pater omnipotens æterne Deus, fortitudo mea, firmamentum meum, liberator & protector magnus & patiens, refugium & virtus, adiutor & liberator, lux lucis, fons luminis, ſol iuſtitiæ, ſtella diei, qui inhabitas ſeculum, cuius alta & ſuperna terra, cuius thronus inæſtimabilis, & gloria incomprehenſibilis, cui adſiſtunt militiæ cum pauore, cuius vultus excitat abyſſos, & tabeſcere facit montes: exaudi orationem ſerui tui Deus meus, per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filium tuum, qui eſt ſpendor veræ lucis, ianua vitæ, via ſalutis, lucerna ardens, cibus cœleſtis, panis viuus, potus ex fonte perenni. Verbum in principio apud Deum cum Spiritu ſancto, qui à Patre procedens circumit girũ cœli. Quid ergo Deus meus, quid rogo niſi Dominus Deus ſumme, optime, potentiſſime, & miſericordiſsime, & iuſtiſsime & ſacratiſsime & præſentiſsime, & pulcherrime, ſtabilis & incõprehenſibilis, immortalis, mutãs omnia, nunquã nouus, nũquã vetus, innouãs omnia ſine vetuſtate,

perdens ſuperbos & neſciunt, ſemper A agens, ſemper quietus, colligens & non egens, portans & implens, & protegens, & creans, & nutriens, & perficiens; quærens, cùm nihil tibi deſit. Amas nec æſtuas; zelas & ſecurus es: pœnitet te, & nõ doles: iraſceris & tranquillus es: opera mutas, nec mutas conſilium: recipis quod inuenis, & nunquã amiſiſti: nunquam inops, & gaudes lucris: nunquam auarus, & vſuras exigis: ſupererogas vt debeas, nec quis habet quicquam non tuum. Reddis perdita debita nihil perdens, ſine qualitate bonus, ſine quantitate magnus, ſine indigentia creator, ſine B ſitu omnia tenens, ſine loco vbique totus, ſine tempore ſempiternus, ſine vlla mutatione mutabilia faciens, nihilque patiens, exaudi, exaudi me Domine. Tu es enim Deus meus viuus & verus, Pater meus ſanctus, Dominus meus pius, Rex meus magnus, Iudex meus iuſtus, magiſter meus vnus, adiutor meus opportunus, medicus meus potentiſſimus. Dilectus meus pulcherrimus, panis meus viuus, ſacerdos meus in æternum. Deus meus ad patriam, C lux mea vera. Dulcedo mea ſancta, via mea recta, ſapientia mea præclara, ſimplicitas mea pura, concordia mea pacifica. Cuſtodia mea tuta, portio mea bona, ſalus mea ſempiterna, miſericordia mea magna. Patientia mea robuſtiſſima, victima mea immaculata, redemptio mea facta, ſpes mea futura, caritas mea perfecta, reſurrectio mea ſancta, vita mea æterna. Te deprecor, ſupplico, & rogo, vt per te ambulem, ad te perueniam, in te requieſcam. Exaudi, exaudi, exaudi me Chriſte, qui cum Pa- D tre & Spiritu ſancto viuis & regnas.

Oratio ſancti Gregorij Papæ.

PEccaui, Domine, coram te, peccaui & coram Angelis tuis. Fac mecum ſeruulo tuo ſecundum miſericordiam tuam. Tibi, Domine, miſericordia, tibi Domine iuſtitia. Sana me, Domine, & ſanabor: ſalua me, & ſaluabor, quia non E infernus confitebitur tibi, neque mors laudabit te. Viuens, viuens ipſe confitebitur tibi, ſicut & ego hodie. Intercede pro me ſancta Maria mater Domini noſtri Ieſu Chriſti. Beatiſſima & glorioſa genitrix adiuua me. Intercede pro me ſancte Petre, Apoſtolorum Princeps, & ſolue me à vinculis peccatorum meorum. Intercede pro me peccatore ſancte Paule Apoſtole Chriſti vas electionis. Intercede pro me indigno & reo atque torpente ſancte Andreas. Intercede pro malis meis ſancte Iacobe. Intercede pro malefactis meis ſancte Ioannes dilecte Dei. Intercede pro peccatis meis ſancte Philippe. Intercede pro peccatis meis ſancte Bartholomæe. Intercede pro infirmitatibus meis ſancte Thoma. Intercede pro delictis meis ſancte Mathæe. Intercede pro iniquitatibus meis ſancte Iacobe. Intercede pro ſceleribus meis ſancte Tathæe. Intercede pro tranſgreſſionibus meis ſancte Simon. Intercede pro vanitatibus meis ſancte Mathias. Obſecro vos Apoſtoli Chriſti per commemorationem veſtram, vt mihi ſeruulo veſtro miſereamini, & me in omni adiutorio adiuuetis. Obſecro vos nouem Ordines Angelorum, Angelos, Archangelos, Virtutes, Poteſtates, Principatus, Dominationes, Thronos, Cherubim & Seraphim vt intercedatis pro me, vt ſit mihi propitius Chriſtus filius Dei viui. Obſecro diuitias bonitatis & longanimitatis & patientiæ tuæ, Ieſu Chriſte fili Dei Saluator noſter: miſerere mei, & propitius eſto mihi peccatori; quia non vis mortem peccatoris, ſed vt conuertatur & viuat. Nec extinguis linum fumigans & harundinem quaſſatam non confringis. Fac me ſicut vnum de mercenariis tuis, & efficiar à te de ſeruo amicus: & fiat voluntas tua, ſicut in cœlo & in terra.

Oratio ſancti Hieronymi Presbyteri.

DOmine Ieſu Chriſte, qui me dignatus fuiſti creare ad imaginem tuam, & redimere de tuo precioſo ſanguine: qui intra matris viſcera mea membra compaginaſti, & ad iſtius vitæ lucem perduxiſti. Precor dulciſsimam pietatem tuam, vt me tuo cœleſti lumine illuminare digneris, & vias paradiſi mihi oſtendas, & ad portum ſalutis æternæ perducas. Domine miſericordiſsime, dignare in me accendere ignem amoris tui, qui peccata mea conſumat, & ad tuum deſiderium ſemper accendat, & habitet Spiritus ſanctus in corde meo, qui me doceat facere voluntates tuas. Domine piiſsime Pater, mollifica cor meum durum & lapideum. Largire mihi compunctionem cordis, vt de reatu peccatorum

meorum profuſas lacrymas ante clementiam tuam fundam. Concede mihi, Domine, lacrymas Mariæ, quæ pedes tuos vnguento vnxit, lacrymis rigauit, & crine terſit. Concede mihi fidem latronis, qui in cruce poſitus te confeſſus eſt, dicens: *Memento mei Domine cum veneris in regnum tuum.* & audire meruit, *Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiſo.* Præſta mihi, omnipotens Deus, vt in illa die, qua iuſſeris animam meam à corpore ſeparari, piam ſententiam merear audire, & Angeli ſancti perducant animam meam ad gaudia iuſtorum. Angeli verò iniqui triſtes abſcedant à me. Dirigatur ad te, Domine, oratio mea, ſicut incenſum in conſpectu tuo. Exaudi, Domine, vocem meam qua clamaui ad te, miſerere mei & exaudi me. Domine exaudi orationem meam, & clamor meus ad te veniat.

Item eiuſdem.

DA mihi, Domine, compunctionem cordis, & lacrymas oculis meis; vt defleam diebus ac noctibus omnes dies negligentiæ meæ cum humilitate & puritate cordis & caritate. Adpropiat oratio mea in conſpectu tuo. Si iratus fueris, Domine, aduerſum me; quem adiutorem quæram, aut quis miſerebitur infirmitatibus meis? Memento, Domine, quod Chananæam & Publicanum vocaſti ad pœnitentiam, & Petrum lacrymantem ſuſcepiſti; ſic & meas ſuſcipere digneris preces, miſericors Deus ſalua me ſaluator mundi, qui regnas.

Oratio ſancti Hieronymi.

EGo te, Domine Ieſu Chriſte, verè credo, verum fateor; quia verè redemiſti nos: verè, quia viuificaſti nos; verum, quia ſaluaſti nos. Tu fortior forte, victor in prælio, præparator vitæ. Tu reſurrectio mortuorum. Tua ſumus vaſa, tu noſter figulus. Rogamus te, Domine, vt vacua ſpiritu tuo impleas, plena conſerues. Te in patre credimus. Patrem ſimiliter in te confitemur. Spiritum quoque ſanctum in vtroque veneramur. Trinum Deum colimus in perſonis, vnum in ſubſtantia deitatis. Munda me, Domine, vas tuum, & ſanctifica quod feciſti, de malitia euacua, & imple de gratia. Præſta mihi, vt fraternam ſemper teneam caritatem. Mala obliuiſcar, aliena non requiram. Te ſolum creaturarum omnium, qui vnus & verus es, ſemper diligam creatorem, qui mortificas & viuificas, deducis ad inferos & reducis, in Trinitate ſemper permanens in ſecula ſeculorum.

Oratio ſancti Martini.

DEus gloriæ, qui vnus & verus, qui ſolus & iuſtus es, in quo omnia, ſub quo omnia, per quem omnia facta ſunt. Exaudi me orantem, ſicut exaudiſti tres pueros de camino ignis ardentis. Exaudi me orantem, ſicut exaudiſti Ionam de ventre cœti. Exaudi me orantem, ſicut exaudiſti Suſannam, & liberaſti eam de manu iniquorum teſtium. Exaudi me orantem, ſicut exaudiſti Petrum in mari, & Paulum in vinculis. Parce animæ meæ. Parce factis meis. Parce cunctis criminibus noſtris, qui regnas cum Patre & Filio in ſecula.

Oratio ſancti Columbani.

DOmine Deus, deſtrue, & quicquid in me plantat aduerſarius eradica; vt deſtructis iniquitatibus, in os & cor meum intellectum & opus bonum inſeras: vt opere & voluntate tibi ſoli deſeruiam, & intelligam mandata tua, & teipſum requiram. Da memoriam. Da caritatem. Da caſtitatem. Da fidem. Da omne quod ſcis ad vtilitatem animæ meæ pertinere. Domine, fac in me bonum, & præſta mihi quod ſcis oportere; qui regnas.

Oratio ſancti Iſidori.

TV, Domine, verus doctor & præſtitor, aduocatus & iudex, largitor & munitor: terribilis & clemens, adiutor & conſolator, qui cæcis mentibus donas aſpectum, qui facis infirmis poſſibile quod præcipis, qui ſic pius es vt aſſiduè rogari velis, ſic munificus vt neminem deſperare permittas. Dona quod te præſtante benè quærimus, parce, & perduc nos ad illam contemplationem, vbi iam non poſſimus errare. Dona facere quæ te inſpirante loqui præſumpſi. Dona complere quæ alios commonui, vt qui præſtitiſti pium ſermonem, probabilem quoque conferas tuis famulis actionem. Libera nos, amator hominum benigniſſime, ab illo periculo; ne ſicut dicit Apoſtolus, dum aliis prædico ipſe reprobus inueniar. Quàm infirmi ſumus tu veraciter noſti, quali hoſte de-

primamur agnoſcis.. Te quærit certamen impar Te expetit mortalis infirmitas, quia maieſtatis tuæ gloria eſt ſi leo rugiens ab infirma oue ſuperetur, ſi ſpiritus violentiſſimus à debiliſſima carne vincatur. Ille qui de cœlo cecidit, & hîc te pugnante ſubdatur; vt ſi poteſtatem ipſius ad tempus tua permiſſione patimur, nequaquam eius inſatiabilibus faucibus ſorbeamur. Fac illum triſtem de humana lætitia, qui de offenſione noſtra exultat Chriſte Ieſu Saluator mundi.

Item eiuſdem.

QVo fletu mala mea flere incipiam; quibus lacrymis facinora mea lugeam, quibus fletibus anguſtias meas plangam? Peccata mea mihi ſenſum doloris tulerunt. O lacrymæ! vbi vos ſubduxiſtis? vbi eſtis fontes lacrymarum? vbi es mœroris vnda? vbi eſtis lamenta? quò fugiſtis fletus? quò abiſtis ploratus? Redite, obſecro vos in nomine Domini noſtri IESV CHRISTI; redite, progredimini, & oculos meos replete lacrymis. Nouemini fontes lacrymarum, aſpergite me fletibus, fluite ſuper faciem meam, humectate maxillas meas, genas meas irrigate. Date mihi planctum anxium & amarum. Ego enim infelix & miſer flendus ac miſerandus, infeliciſſimus omnium atque miſerrimus fœditatem meam conſpicio, meumque reatum agnoſco. Scio me eſſe peccatorem, & quàm turpis ſum video. Iniquum me eſſe reprehendo, impium me eſſe accuſo. Rogo te, Domine, vt ignoſcas mihi; ego agnoſco iniquitatem meam. Inter omnes enim grauius corrui, inter omnes deterius cecidi, inter omnes plus peccato ſubiacui, plus cæteris carnali delectationi ſubcubui. Cunctos carnales ſqualore luxuriæ ſuperaui, omniumque impiorum mala ſcelere meo vici: itaut tormenta tartarea vix malis meis ſufficiant. Non eſt enim peccatum ſuper peccatum meum, non eſt iniquitas ſuper iniquitatem meam. Et nunc ſummæ clementiæ Deus, quoniam delicta mea cognita tibi facio; & iuſtitiam meam non abſcondo; miſericordiam tuam deprecor, miſericordiam tuam imploro. Tuam imploro miſerationem, tuam quæſo clementiam; dele mea peccata, ablue facinora mea. Peccatorum meorum maculas munda, labem criminum meorum purga, ſordes delictorum meorum abſter-

A ge, ſordes iniquitatum mearum ablue. Non differas mundationem meam Deus. Totum me tibi ſanandum offero, recipiat ſalutem anima mea. Da vulneri meo ſalutem. Deus languoribus meis medelam tribue, poſt plagas vulnerum redde incolomem. Vulneratus ſum, medicum quæro.. Languidus ſum, medelam poſco. Conſumpta eſt caro mea; contabuit ſpecies mea. Oſſa mea exaruerunt, membra mea contabuerunt. Adpropinquaui corruptioni, vmbra mortis comprehendit me. Tenebræ operuerunt me, caligo B inferni inuoluit me. Oppreſsit me tenebrarum horror. Doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu. Tibi honor, & gloria, & virtus, & poteſtas in ſecula ſeculorum, Amen.

Oratio ſancti Iſidori.

SVccurre mihi, Deus meus, antequam mors veniat, antequam mors me perimet, antequam tartarus rapiat, ante- C quam flamma comburat, antequam tenebræ me inuoluant, antequam ſine fine deficiam. Subueni mihi Deus meus, priuſquam gehennâ ignis deuoret, priuſquam ſine termino crucier. Væ mihi miſero homini omni polluto contagio! Væ mihi peccatori omnium peſſimo! Væ mihi, qui factus ſum ſentina omnium criminum! Heu mihi, qui ſuperaui omnem magnitudinem peccatorum! Heu mihi, cuius iniquitas excreuit omnem magni- D tudinem delictorum! Obſecro vos omnes Sancti, miſeriis meis ſubuenite, perditionem meam plangite. Flete me miſerum & proiectum. Flete me mortuum & abominatum. Flete me cœlum & terra. Plorate me omnia elementa. Ingemiſce me omne genus humanum. Sumite ſuper me lamentum, veniam pro me lacrymis impetrate, & preces pro me impio fundite, terram lacrymis irrigate. Plenus ſum ſceleribus, plenus ſum vitiis omnibus, vas iniquitatis ego ſum. Per omnia membra mea ſcelerum inſignia agnoſcuntur. Nihil E eſt quod iuſtitiæ reſeruauerim, totum impietati me tradidi. Omne vicium, quod deſtinaui in carne, perfeci in opere. Omne crimen, quod cogitaui, compleui. Omnem prauam cogitationẽ ad ſtudium perficiendi deduxi. Hinc eſt, quod inter homines confuſus, in cœlum oculos erige non valeo. In vultu enim meo ignominiam porto. In omnibus actibus meis erubeſco.

Faciem meam conſcientiæ reatus inclinat. Confuſio operis mei ante oculos verſatur. Corde meo deprehenſus vbique confundor. Non audeo quempiam fiducialiter intueri. Fidem enim perdidi, pietatem contaminaui, ſanctitatem pollui, religionem vitiis impiaui. Diuina omnia atque humana iura violaui. In omne fas nefaſque properaui. Miſerere mei Domine, miſerere mei qui regnas.

Oratio ſancti Effrem Diaconi.

DOmine Deus & Saluator meus, quare me dereliquiſti? Miſerere mei, quoniam tu es amator omnium ſolus. Salua me peccatorem, quoniam tu es ſine peccato ſolus. Erue me de cœno iniquitatum mearum, vt non infigar in æternum. Libera me de ore inimici mei. Ecce enim vt leo rugiēs deuorare me cupit. Excita potentiā tuam, & veni, vt ſaluum me facias; coruſca coruſcationes tuas. Diſperge virtutem inimici, amator hominū benigniſſime. Deus, adiuro te per miſerationes tuas, ne me cum hœdis à ſiniſtris tuis ſtatuas. Cum his qui te exacerbauerunt ne dicas mihi, *Neſcio te*: ſed tribue mihi propter multam miſericordiam tuam indeſinenter cordis compunctionem & fletum: & ſanctifica me, vt fiam templum gratiæ tuæ per te Chriſte Ieſu.

Oratio, vt in Regum continetur Hiſtoria, pro omni populo.

PArce Domine, parce populo tuo, quem redemiſti, Chriſte, ſanguine tuo; vt non in æternum iraſcaris nobis. Deprecamur, Domine, in omni miſericordia tua, vt auferatur furor tuus & ira tua à loco iſto, & à domo ſancta tua, quoniam peccauimus. Peccauimus tibi, Domine, & tu iratus es nobis, & non eſt qui effugiat manus tuas: ſed ſupplicamus vt veniat miſericordia tua ſuper nos, qui Niniuæ peperciſti. Inuocantes Dominum exclamemus, vt reſpiciat populum conculcatum & dolentem: protegat templum ſanctum ſuum, ne ab impiis contaminetur, ſed miſereatur nobis. Exclamemus omnes ad Dominum dicentes: Peccauimus tibi, Domine, patientiam habe in nobis, & erue nos à malis iſtis, quæ quotidie adcreſcunt ſuper nos. Dimitte Domine, peccata populi tui, ſecundum multitudinem miſericordiæ tuæ. Sicut propitius fuiſti Patribus noſtris, propitius eſto nobis, & impleatur gloria tua vniuerſa terra. Recordare, Domine, dic Angelo percutienti: Sufficit, contine manum tuam, & ceſſet interfectio quæ graſſatur in populo, & ne perdas omnem animam viuentem. Exurge, Domine, adiuua nos; & libera nos propter nomen tuum.

Oratio Effrem Diaconi.

POne, Domine, lacrymas meas in conſpectu tuo, ſicut in promiſſione tua, vt auertatur inimicus meus retrorſum, & expaueſcens conturbet cùm viderit me in loco, quem præparauit miſericordia tua. Expectans autem inimicus videre in loco, quem mihi propter delicta mea præparauit, videat me in loco lucis & vitæ æternæ, & conuerſus in tenebris conturbetur, quia nequaquam voluntas eius effecta eſt. Ita benigniſſime, ita amator hominum, ita qui ſolus ſine peccato es. Effunde ſuper me inæſtimabilem & immenſam miſericordiam tuam, & præſta mihi vt & ego & hi qui te diligunt, regni tui efficiamur hæredes; & videntes gloriam tuam, adoremus bonitatem tuam, & dicamus pariter qui digni fuerimus, videre inſatiabilem pulchritudinem maieſtatis tuæ: Gloria Patri qui fecit nos, gloria filio qui ſanauit nos, gloria Spiritui ſancto qui renouauit nos: Trinitas ſancta, vne Deus, ſub vmbra alarum tuarum nos protege, qui es benedictus in ſecula.

Oratio pro itineris & nauigij proſperitate.

DEi Patris feſtinare maximum mihi citò peto adiutorium. Ieſu Chriſti imploro ſuffragia, qui natus eſt ex Virgine Maria. Sancti quoque Spiritus præſidio fungar ſemper hic vel in exilio. Chriſtus à me auferat pericula cuncta, quæque dæmonum iacula. Ne me captent hoſtes atque latrones, ne fures neque mundi prædones. Ne me vndæ maris, neque flumina, neque aquæ, nulla nocent numina. Ne tenebris, vel venti, vel flumine, velis plenis ventis † quæque proſperis maris, cunctis ſoluar à periculis. Chriſtus mecum duras ac peſtiferas vincat terræ & aquarum beſtias: vincat tela aëris vitalia, vincat cuncta tonitrui fulgora. Vincat quæque venena ſerpentina, vincat ſæua mundi veneficia: vt hæc cuncta non mihi quæ diximus, neque

meis noceant comitibus. Sanus ego, ſani mei comites, ſine däno pergamus incolumes. Sana naue in pelagi fluctibus, ſanis equis velis in terreſtribus, ſana noſtra vehatur pecunia, vt ſit apta ad noſtra vtilia. Inimici ne ſint nobis nociua, quamuis mala prorumpant conſilia. Chriſti mihi in æterno nomine viæ cunctæ pateant magnopere, ſi aſcendam ardua in montium, ſi deſcẽdam conuexa in vallium ſi ...vias per vaſtiſſimas ſiluarum, rubo per denſiſſimas: via plana pergam atque lucida vſque loci deſtinati ✝✝✝.

Domine Ieſu Chriſte, te obſecro per miſericordiam & clementiam tuam, vt præſtes mihi veniam delictorum meorum. Aperi mihi ianuam vitæ, & princeps tenebrarum non occurrat mihi. Non veniat mihi pes ſuperbiæ, & manus extranea non contingat mihi: ſed ſuſcipe me ſecundum verbum tuum, & perduc me ad conuiuium epularum tuarum, vbi epulantur omnes amici tui tecum. Tu es Ieſus Chriſtus filius Dei viui, cum Patre & Spiritu ſancto regnans in ſecula ſeculorum.

Oratio ſancti Auguſtini, quam XV. Libris, quos de ſancta conſcripſit Trinitate, ſubiunxit.

DOmine Deus, credimus in te Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum. Neque enim diceret Veritas, *Ite, baptizate gentes in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti*, niſi Trinitas eſſes. Nec baptizari nos iuberes, Domine Deus, in eius nomine qui non eſt Dominus Deus. Nec diceretur voce diuina, *Audi Iſrael, Dominus Deus tuus, Dominus vnus eſt*, niſi Trinitas ita eſſes, vt vnus Dominus Deus eſſes. Et ſi tu Deus Pater ipſe eſſes, & Filius Verbum tuum Ieſus Chriſtus ipſe eſſes, & donum veſtrum Spiritus ſanctus: non legeremus in literis veritatis, *Miſit Deus Filium ſuum:* nec tu vnigenite diceres de Spiritu ſancto, *Quem mittet Pater in nomine meo, & quem ego mittam vobis à Patre.* Ad hanc regulam fidei dirigens intentionẽ meam, quantum potui, quantum me poſſe feciſti; quæſiui te, & deſideraui intellectu videre quod credidi, & multum diſputaui & laboraui. Domine Deus meus, vna ſpes mea, exaudi me ne fatigatus nolim te quærere; ſed quæram faciem tuam ſemper ardenter. Tu da quærendi vires, qui te inueniri feciſti, & magis magiſque inueniendi te ſpem dediſti. Coram te eſt firmitas & infirmitas mea: illam ſerua, iſtam ſana. Coram te eſt ſcientia & ignorantia mea: vbi mihi aperuiſti, ſuſcipe intrantem; vbi clauſiſti, aperi pulſanti. Meminerim tui, intelligam te, diligam te. Auge in me iſta, donec me formes ad integrum. Scio, ſcriptum eſt, *In multiloquio non effugies peccatum.* Sed vtinam prædicando verbum tuum, & laudando te, tantummodo loquerer! non ſolum fugerem peccatum, ſed meritum bonum adquirerem; quantumlibet meruiſſes loquerer. Neque enim homo de te beatus peccatum præciperet germano in fide filio ſuo, cui ſcripſit, dicens: *Prædica verbum, ſta opportunè, importunè.* Numquid dicendum eſt iſtũ non multum locutum, qui non ſolum opportunè, verumetiam importunè verbum tuum, Domine, non tacebat: ſed ideò non erat multum, quia tantum erat neceſſariũ. Libera me, Deus meus, à multiloquio quod patior intus in anima mea miſera in conſpectu tuo, & confugientem ad miſericordiam tuam. Non enim cogitationibus taceo, etiam tacens voce. Et ſi quidem non cogitarem niſi quod placeret tibi, non vtique rogarem vt me ab hoc multiloquio liberares. Sed multæ ſunt cogitationes meæ tales, quales noſti cogitationes hominum quoniam vanæ ſunt. Dona mihi non eis conſentire, & ſi quando me delectantur, eas nihilominus improbare, nec in eis velut dormitando immorari: nec intantum valeant apud me, vt aliquid in opera mea procedat ex illis, ſed ab eis mea ſtatim ſit tuta ſententia, tuta conſcientia à te tuente. Sapiens quidam cùm de te loqueretur in Libro ſuo, qui Eccleſiaſticus proprio nomine iam vocatur: *Multa*, inquit, *dicimus, & non peruenimus; & conſummatio ſermonum vniuerſa ipſe eſt.* Cum ergo peruenerimus ad te, ceſſabunt multa iſta quæ dicimus, *& non peruenimus*; & manebis vnus omnia in omnibus; & ſine fine dicemus vnum laudantes te in vnum, & in te etiam facti nos vnum, Domine Deus vne. Deus Trinitas, ignoſce mihi omnia peccata mea, & in hac integritate fidei, & bonorum operum perfectione cuſtodi me, & ab omnibus inſidiis diaboli & hominum libera me, & ſub vmbra alarum tuarum protege me, qui es benedictus in ſecula.

HYMNVS BEATI EPISCOPI Sedulij,

De Natiuitate, & Baptiſmo, & virtute, & traditione, & Paſſione, Reſurrectione & Aſcenſione Domini noſtri Ieſu Chriſti.

A Solis ortus cardine
Ad vſque terræ limitem,
Chriſtum canamus Principem
Natum Maria Virgine.
Beatus auctor ſeculi
Seruile corpus induit,
Vt carne carnem liberans
Ne perderet quos condidit.
Clauſæ parentis viſcera
Cæleſtis intrat gratia:
Venter puellæ baiolat
Secreta quæ non nouerat.
Domus pudici corporis
Templum repente fit Dei:
Intacta neſciens virum
Verbo concepit Filium.
Enixa eſt puerpera
Quem Gabriel prædixerat:
Quem matris aluo geſtiens
Clauſus Ioannes ſenſerat.
Fœno iacêre pertulit,
Præſepe non abhorruit:
Paruoque lacte paſtus eſt,
Per quem nec ales eſurit.
Gaudet chorus cæleſtium,
Et Angeli canunt Deo:
Palamque fit Paſtoribus
Paſtor creator omnium.
Hoſtis Herodes impie,
Chriſtum venire quid times?
Non eripit mortalia
Qui regna dat cæleſtia.
Ibant Magi qua venerant
Stellam ſequentes præuiam:
Lumen requirunt munere,
Deum fatentur munere.
Katerua matrum perſonat
Conliſa deflens pignora:
Quorum tyrannus milia
Chriſto ſacrauit victima.
Lauacra puri gurgitis
Cæleſtis Agnus attigit:
Peccata quæ non detulit
Nos obluendo ſuſtulit.
Miraculis dedit fidem
Habere ſecundum Patrem:
Infirma ſanans corpora,
Et ſuſcitans cadauera.
Nouum genus potentiæ

A Aqua rubeſcunt hydriæ:
Vinumque iuſſa fundere
Mutauit vnda originem.
Orat ſalutem ſeruulo
Nixus genu Centurio:
Credentis ardor plurimus
Extinxit ignes febrium.
Petrus per vndas ambulat
Chriſti leuatus dextera:
Natura quam negauerat
Fides parauit ſemitam.
Quarta die iam fœtidus
Vitam recepit Lazarus:
B Mortiſque liber vinculis
Factus eſt ſuperſtes ſibi.
Riuos cruoris torridi
Contacta veſtis obſtruit:
Fletus rigantis ſupplicis
Clauſit fluenta ſanguinis.
Solutus omni languore
Iuſſus repente ſurgere,
Suis viciſſim greſſibus
Æger vehebat lectulum.
Tunc ille Iudas carnifex
C Auſus Magiſtrum tradere,
Pacem ferebat oſculo
Quam non habebat pectore.
Verax datur fallacibus,
Pium flagellat impius:
Crucique fixus innocens
Coniunctus eſt latronibus.
Xyro myrram poſt ſabbatum
Quædam vehebant compares,
Quas adlocutus Angelus:
Viuum ſepulcrum non tegit.
Ymnis venite dulcibus
D Omnes canamus ſubditum
Chriſti triumpho tartarum,
Qui nos redemit venditos.
Zelum draconis inuidi
Et os leonis peſſimi
Calcauit vnicus Dei,
Seſe qui cælis reddidit.
Gloria Patri ingenito,
Gloria Vnigenito,
Vnà cum ſancto Spiritu
E In ſempiterna ſecula.

ORATIO.

PRæſta, Domine, legentibus profectum quærentibus legem tuam peccatorum omnium remiſſionem: vt qui deſiderio magno ad lumen ſcripturarum tuarum peruenire cupimus, nullis peccatis caligantibus obſcuremur. Adtrahe nos ad te virtute omnipotentiæ tuæ. Ne relinquas ſua voluntate vagari, quos precioſo ſanguine redemi

ſti. Imaginem tuam in nobis non ſinas obſcurari, quæ ſi te præſtante defendatur, non diabolo, non nobis liceat tua dona ſubuertere; quia totum fragile quicquid tibi nititur obuiari. Audi nos, pie Rex, contra peccata noſtra: & prius illa à nobis remoue, antequam nos per ea iuſtè poſſis in tua examinatione damnare. Quid nobis noſtra inſidiatur iniquitas? quid contra nos delicta confligunt? Creaturam tuam euertere cupiunt, qui nulla ſubſtantia firmitate conſiſtunt.... Diabolus cur nos inſaturabili dolore perſequitur? Numquid illi conſilium dedimus, vt tibi Domino ſuperbus exiſteret, & de beatitudine collata caderet; cùm tantæ per te virtutis inſignia poſſideret? Sufficiat quòd nos in Adam perculit. Quare quotidianis deceptionibus impius calumniator inſequitur? Et ſicut ille à gratia tua per culpam ſuam cecidit; nos quoque vt ab eadem ſeparemur exquirit. Concede, Domine, contra hoſtem crudeliſſimum pium tuæ defenſionis auxilium: vt ſicut ille fragilitatem noſtram non deſinit impetere, ita tuis poſſit viribus confuſus abſcedere. Non permittas, bone Rex, in nobis ſæuiſſimum hoſtem ſua vota cõplere, qui te grauiter eligit offendere. quid vos ſicut leo rugiens circuit? quid deuorare contendit? Se- A mel illi in baptiſmate ſacro renunciauimus, ſemel tibi Domino credere profeſſi ſumus. Tales nos per tuam defenſionem concede ſeruari, quales nos fieri per aquam regenerationis, Creator altiſsime præſtitiſti. Qui tui eſſe cœpimus, alium Dominum neſciamus. Tua gratia redempti ſumus, tua mandata te donante faciamus. Si nos relinquis, tergiuerſator inuadit. Indefeſſus atque impudens ſemper adſiſtit. Lucra ſua computans humanas ruinas, blanditur vt decipiat, inſtigat vt perimat. Maximè per corpus noſtrum animas decipit, & ita labilis per deſideria humana diffunditur, vt nulla penè prouidentia, nullo prius conſilio ſentiatur. Longum eſt per ſingula diſcurrere. B Tali quis poſsit obſiſtere, niſi tu, Domine, illi decreueris obuiare? quid enim de nobis poſsit facere, qui te in noſtro corpore auſus fuit per ſubdola machinamenta tentare. Exaudi nos, ô cuſtos hominum. Hic nos ab illo indulgentia tua libera, qui nos trahere nititur ad gehennam. Cum illo ſortem non habeamus, vt tecum, Domine, habere poſsimus. Vindica fabricam tuã ab illo qui deſtruit. Damnari alios ſi faciunt, qui ſe ipſe damnauit: ſed potius ille cum ſuis pereat, qui perdere cuncta feſtinat. ***

Cetera deſunt.

MAGISTRI

ALBINI FLACCI ALCHVVINI,

EPISTOLA,

DE ILLO CANTICI CANTICORVM LOCO, Sexaginta ſunt Reginæ, & octoginta Concubinæ.

Dilectiſsimo Filio meo Daphini, Albinus Pater ſalutem.

Cant. 6. QVIA pridem de numerorum ratione mecum egiſti, interrogans, quomodo in excellẽtiſſimo Cãtico Salomonis ſexagenarius numerus reginis conueniret, & octogenarius concubinis, & cur adulicentulæ ſine numero eſſent: Igitur & ſi nouerim te plenam huius rationem in ſanctorum Patrum tractatibus legiſſe, tamen ne tuam contriſtem ſollicitudinem, dicam quod meæ vi- C detur imperitiæ poſſe conuenire, & quod tantum inter familiares aures latitare velim quia me publicè magnorum Doctorum iudicio præſentare non audeo.

Legimus enim in numerorum ſubtiliſſima ratione, alios numeros eſſe pares, alios impares, & item parium numerorum alios eſſe perfectos, alios eſſe imperfectos: Item & imperfectorum alios eſſe ſuperfluos, alios exiguos. Pares autem numeri ſunt, qui in duo æqualia diuidi poſſunt: vt octo in bis quatuor, & quatuor in bis duo. Impares ſunt qui in duo ęqualia diuidi non poſſunt, vt ſeptem vel nouem, quos ſi diuidas, duas æquales in eis inuenire non poteris: Item

ipſorum parium numerorum alij ſunt perfecti, alij imperfecti. Perfectus numerus eſt, qui partibus ſuis impletur: nec diminutione frangitur, nec multiplicatione partium ſuperabundat, vt ſenarius numerus. Habet enim ſenarius numerus dimidiam ſui partem tres, & tertiam duo, & ſextam vnam, qui ſimul iuncti eũdem implent ſenarium. Nam vnum, duo, tres faciunt qui partibus ſuis impletur. Nec diminutione frangitur, nec abundantia ſupercreſcit, idcirco perfectiſsimus Creator, qui vniuerſa valde bona creauit, in eo numero originalis mundi creaturas condidit, vt oſtenderet omnia in ſuo genere eſſe perfecta quæ condidit.

Item octogenarius numerus, ſi eum in partes à ſe ipſo nominatas diuidas, minor ſeipſo ipſe inuenitur, habet enim dimidiam ſui partem quatuor & quartam duas, & octauam vnum: Quæ ſimul ducta octogenarium non implent, ſed ſeptenarium; vnũ, duo, & quatuor, ſeptem efficiunt, non octo: & idcirco ſecunda huius generis origo ab octonario numero creſcere cœpit. Videlicet octo animas in arca eſſe legimus, à quibus totius humani generis multitudo pullulauit, vt oſtenderetur ſecunda origo eſſe imperfectior quàm prima, quæ ſenario numero creata eſt. Inde & redemptor noſter & reparator primæ perfectionis, ſicut Adã ſexta die ex virgine terra creatus eſt, ita ille ſexta ætate ex virgine Maria factus eſt homo, vt ſenarij numeri perfectionem ſuo dicaret aduentu, quam in primi hominis mõſtrauit conditione.

Item progreſsionem numerorum articulis, quaſi quibuſdam vnitatibus, ad infinita creſcere per quaſdam finitas formas videmus. Nã prima progreſsio numerorum eſt ab vno vſque ad decem. Secunda à decẽ vſque ad centum. Tertia à centenario vſq; ad millenarium. Et eandem regulam perfectionis, quæ prima vnitas in ſuis numeris, pro denario ſeruat. Eandem & ſecundam in ſuis denariis ſub centenario ſeruare neceſse eſt. Nam ſicut ſenarius numerus in ſuis partibus per vnitatem poſitus perfectus eſt in ſeipſo, ita & ſexagenarius partibus ſuis poſitis per denarium perfectus eſſe noſcitur, ita vt ſemper in ſexagenario denarius locum obtineat vnitatis in ſenario, & ſit illlius diuiſio per partes ſuas eiuſmodi medietas; ſexagenarij eſt tricenarius, ſicut ternarius ſenarij, & eſt tertia pars vicenarius, ſicut binarius in ſenario, & denarius in eo locum teneat vnitatis; quæ ſumma ſi colligitur eundem implet ſexagenarium. Decem itaque, & viginti, & triginta; ſexaginta ſunt, ſicut & tres, & duo, & vnum, ſex.

Poteris & per te ipſum iuxta eandem regulam octogenarij explorare diminutionem. Nam octogenarij quadragenarius medietas eſt, & viginti quarta pars, & denarius octaua: quæ ſimul ducta ſeptuaginta faciunt non octoginta, nam decem, viginti, quadraginta, ſeptuaginta ſunt.

Sexaginta vero Reginæ & octoginta concubinæ rectores ſunt ſanctæ Eccleſiæ. Sed alij ex illis propter ſolam Chriſti charitatem docẽt. Alij terrena ſequentes commoda laborant in Eccleſia, non cæleſtis patriæ labore; ſed terreni lucri gratia deſudãt in docendo. Hi ſua in perfectione octogenario numero comparantur: Illi perfecta beatitudine ſexagenario deſignantur, vt reginarum nomine digni efficiantur, quia ſpiritualem ſobolem propter amorem ſolummodo Sponſi, & multiplicandis filiis in cæleſtem patriam felicem prolem baptiſando ſeu prædicando generare non deſiſtunt. Illi vero concubinarum nomine denotantur, quia ſæculi ambitione vel temporalis honoris gratia prædicando ſeu baptizando nobiles quidam generant ſæpe filios, ſed illij ignobiles in ſemetipſis permanẽt. Quorum contubernium, fili chariſſime, fuge obſecro, & ſi te quandocumque Dei miſericordia doctorem dignetur efficere, tu pro eius amore laborare non ceſſes, qui pro tua ſalute ſanguinem ſuum fundere non dubitauit, vt tibi ſint mercis non periture diuitiæ, ſed perpetua gloria in cœleſti thalamo Domini Ieſu Chriſti, cui laus & gloria in omnes æternitates. Amen.

MAGISTRI

ALBINI FLACCI ALCHVVINI, COMMENTARIA SVPER ECCLESIATEN.

PRAEFATIO.

Dilectiſſimis in Chriſto filiis, Oniæ ſacerdoti, Candido presbytero, & Nathanaëli diacono, Albinus perpetuæ proſperitatis in Domino Deo ſalutem.

POSTQVAM de paternæ pietatis nido in publicas ſecularium negociorum euolaſtis auras, mentis meę ſollicitudo veſtram omnibus penè horis occupationem comitata eſt, optans vos, diuina donante gratia, in charitate perfecta, ſanctarum titulis virtutum Deo placere, honeſtiſque viuere moribus coram hominibus, & quod didiciſtis ſub alis paternæ eruditionis, nobilibus oſtendere moribus. Nec velim ſapientiæ decus quod habetis in corde, ſeculi obſcurari vanitatibus, inter quas religio veſtræ conuerſationis fulgeat, quaſi claritas lucis in tenebris. Mementote vos aliena diſpenſare, nō propria poſſidere: de quibus ipſa Veritas ait: Si in alieno fideles non fuiſtis, quod veſtrum eſt quis dabit vobis? Alienæ ſunt à nobis huius ſeculi facultates, id eſt, extra noſtram ſita naturam. Nihil enim intulimus in hunc mūdum, haud dubium quia nec auferre quid poſſumus. Noſtra autem poſſeſſio regnum cœlorum, noſtra vita Chriſtus eſt, noſtræ opes ſunt ſpiritualium operum fructus: Quas congregare vos filij chariſſimi omni intentione exhortor: nec in incerto diuitiarum ſperare, quæ aut deſerunt poſſidentem, aut à poſſidente deſeruntur. In quas, mentis noſtræ intentionem Spiritus ſanctus per Prophetam anhelari prohibuit, dicēs: Diuitiæ ſi affluant, nolite cor apponere. Quarum copia, eſt aliorum inopia. De quibus Dominus in Euangelio ait: Facite vobis amicos de mammona iniquitatis. Idcirco iniquas nominauit huius ſeculi diuitias, quia mammona Syra eſt lingua, & Latinè diuitiæ dici poſſūt, quia diuitiæ aut per iniquitatem congregantur, vel iniquè pauperibus ſubtrahuntur. De quarum vana poſſeſſione in huius ſeculi deliciis, penè ſapientiſſimus Salomon totum compoſuit librum, cui titulus eſt, Eccleſiaſtes, dicens in capite libri: Vanitas vanitatum, dixit Eccleſiaſtes, & omnia vanitas. Si omnia vanitas, quæ vtilitas eſt diuitias retinere caducas? In quem librum, ex ſanctorum opuſculis patrum, ac maxime de beati Hieronymi commentario ~~patrum~~ compoſui breuiarium, veſtri cauſa filij chariſſimi, quatenus paterna ſollicitudine admonerem veſtrum nobile ingenium, ne nimio amore ſtudeatis caducis & cito tranſitoriis inhiare diuitiis, quæ citiſſimè velut volatiles recedunt vmbræ, & vt ſi quid ſuperſit in eis neceſſario vitæ veſtræ ſtipendio, pauperibus erogare ſtudeatis: quia vt idem Salomon ait, Redemptio animæ viri, propriæ diuitię eius. Sedula mente ipſius Domini ſanctum conſiderate pręceptum, quo nos admonuit cœleſtibus magis quàm terrenis inhiare theſauris, dicens: Theſaurizate vobis theſauros in cœlo, vbi neque erugo, neque tinea demolitur, & vbi fures non effodiunt nec furantur: Vbi enim eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum. Hunc ſiquidem librum ſupradictum ſemper pro magiſtro habeatis in manibus, vt diſcatis terrena non amare, ſed cœleſtia: dominari diuitiis, non ſeruire: laudem non quęrere terrenam, ſed à iudice Chriſto, miſerorum conſolatore, amabilem audire ſententiam, inter eos quibus dicturus erit. Venite benedicti patris mei, percipite regnum quod vobis paratum eſt ab origine mūdi.

ALBINI IN ECCLESIASTEN COMMENTARIA.

CAP. I.

VErba Eccleſiaſtis filij Dauid Regis Hieruſalem.] Tribus nominibus vocatum fuiſſe Salomonem, ſcripturæ maniſeſtiſſime docent: Salomonem, id eſt pacificum: & Ydida, hoc eſt, dilectum Domini: & quod nunc dicitur Coeleth, id eſt Eccleſiaſten. Eccleſiaſtes autem appellatur Græco ſermone, quod cœtum, id eſt, Eccleſiam congreget: quem nos appellare poſſumus concionatorem, qui loquitur ad populum, & ſermo eius non ſpecialiter ad vnum, ſed ad vniuerſos generaliter dirigitur. Porrò pacificus, & dilectus Domini, ab eo quod in regno eius pax fuerit, & eum Dominus dilexerit, appellatus eſt. Nam & Pſalmus quadrageſimus quartus, & ſeptuageſimus primus, dilecti & pacifici titulo prænotantur. Qui tametſi ad Prophetiā Chriſti & Eccleſiæ pertinentes, felicitatem & vires Salomonis excedant, tamen ſecundum hiſtoriam ſuper Salomone conſcripti ſunt. Is itaque iuxta numerum vocabulorum ſuorum, tria volumina edidit: Prouerbia, Eccleſiaſten, Cantica Canticorum. In Prouerbiis paruulum docens, & quaſi de officiis præſentibus erudiens, vnde ad filium crebro ſermo repetitur. In Eccleſiaſte vero, maturæ virum ætatis inſtituens, ne quicquam in mundi rebus putet eſſe perpetuum, ſed caduca & breuia vniuerſa quæ cernimus. Ad extremum iam conſummatū virum & calcato ſeculo præparatum, in Cantico canticorum, ſpōſi iungit amplexibus. Niſi enim prius relinquamus vitia, & pompis ſeculi renunciantes expeditos nos ad aduentum Chriſti præparauerimus, non poſſumus dicere, Oſculetur me oſculo oris ſui. Haud procul ab hoc ordine doctrinarum & Philoſophi ſectatores ſuos erudiunt, vt primū Ethicam doceant, deinde Phyſicam interpretentur, & quem in his profeciſſe perſpexerint, ad Theologicam vſque perducant. Necnon & hoc diligentius attendendum, quod per tres Libros Autoris, diuerſus eſt titulus. In Prouerbiis enim adnotatur: Prouerbia Salomonis filij Dauid Regis Iſraël. In Eccleſiaſte vero, Verba Eccleſiaſtis filij Dauid Regis Hieruſalem. Superfluum quippe eſt hic, Iſraël, quod male in Græcis & Latinis codicibus inuenitur. In

A Cantico Canticorum, nec filius Dauid, nec Rex Iſraël, ſiue Hieruſalem, præſcribitur, ſed tantum Canticum Canticorum Salomonis. Sicut enim Prouerbia, & rudis inſtitutio, ad duodecim tribus, & ad totum pertinent Iſraël, & quomodo contemptus mundi, non niſi Metropolitis conuenit, hoc eſt, habitatoribus Hieruſalem, ita & Canticum Canticorum ad eos propriè facit mentionem, qui tantum ſuperna deſiderant. Ad incipientes & proficientes, & paterna dignitas, & regni proprij meritò
B iudicatur autoritas. Ad perfectos vero, vbi non timore eruditur diſcipulus, ſed amore, proprium nomen ſufficit, & æqualis magiſter eſt, & neſcit ſe eſſe regem. Hæc interim iuxta literam. Cæterum per intelligentiam ſpiritalem, pacificus eſt dilectus Dei patris, & Eccleſiaſtes noſter Chriſtus eſt, qui medio pariete deſtructo, & inimicitias in carne euacuās, fecit vtraque vnum, dicens: Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis. De quo, pater ad diſcipulos: Hic eſt, inquit, filius meus dilectus, in quo
C mihi bene complacui, hunc audite: qui eſt caput Eccleſiæ. Et nequaquam ad ſynagogam Iudæorum, ſed ad gentium multitudinem loquens, viuis lapidibus extructæ, non illius de qua ipſe ait: Hieruſalem, Hieruſalem, quæ occidis prophetas, & ecce relinquetur domus veſtra deſerta: ſed illius per quam iurari vetat, quia ſit ciuitas magni regis. Hic eſt filius Dauid, ad quem cæci in Euangelio clamabant: *Miſerere noſtri fili Dauid*: & omnis turba conſonabat, & vna voce reſpondebat: *Oſanna filio Dauid.* Denique non ad eum fit verbum Dei, ſicut
D ad Hieremiam, & ad cæteros Prophetas: ſed quia diues eſt, & rex potens, ipſe eſt ſiquidem verbum, & ſapientia, cæteræque virtutes, verba loquitur ad Eccleſiæ viros, verba inſinuat Apoſtolis, de quibus cantatur in Pſalmo: *In omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba illorum.* Male igitur quidam opinantur, nos ex hoc Libro ad voluptatem & luxuriam prouocari, quum è contrario omnia quæ cernimus in mundo, vana eſſe doceantur, ne
E debere nos ea ſtudioſe appetere, quæ dum tenentur, intereant. Tradunt Hebræi hunc Librū, quem modò in manibus habemus Salomonis eſſe pœnitentiam agentis: quia in ſapientia diuitiiſque confiſus, & per mulieres offenderit Deum, nunc ſecum reputat, omnia vana eſſe huius ſeculi delectamenta, quæ ad vltimam miſeriam deuoluunt eos, qui in eis ponunt ſpem ſuam. Sed & beatus Gregorius doctor mirabili

& ſacræ ſcripturæ lucidiſſimus expoſitor, in quarto Dialogorum libro, quomodo iſte liber legendus ſit, vel intelligendus, optime expoſuit, de nomine huius libri, ſic dicens: Eccleſiaſtes autem, proprie concionator dicitur: in concione vero, ſententia promitur, per quam tumultuoſæ turbæ ſeditio cõprimatur, & quũ multi diuerſa ſentiant, per concionantis rationẽ ad vnam ſententiã perducuntur. Hic igitur liber idcirco Concionator dicitur, quia Salomon in eo quaſi tumultuantis turbæ ſuſcepit ſenſum, vt ea per inquiſitionem dicat, quæ fortaſſe per tentationem imperita mens ſentiat. Nã quot ſententias per inquiſitionem mouet, quaſi tot in ſe perſonas diuerſorum ſuſcipit. Sed concionator verax, velut extenſa manu, omnium tumultus ſedat, eoſque ad vnam ſententiam reuocat, quum in eiuſdẽ libri termino ait: Finẽ loquendi omnes pariter audiamus: *Dominũ time, & mandata eius obſerua, hoc eſt enim omnis homo.* Si enim in libro eodem per collocutionem ſuam multorum perſonas non ſuſciperet, cur ad audiendum loquendi finem, ſecum pariter omnes admonebat? Quia igitur in fine libri dicit, omnes pariter audiamus, ipſe ſibi teſtis eſt, quia in ſe multorum perſonas ſuſcipiens, quaſi ſolus loquutus non eſt: vnde & alia ſunt, quę in libro eodem per inquiſitionem mouentur, atque alia, quæ per rationẽ ſatisfaciunt, alia quæ ex tentati profert animo, atque adhuc huius mundi delectationibus deditι, alia vero, in quibus ea quæ rationis ſunt, diſſerat, atque animum à delectatione compeſcat. Ibi namque ait: *Hoc itaque mihi viſum eſt bonum, vt comedat quis & bibat, & fruatur lætitia ex labore ſuo.* Et longe inferius ſubiũgit. *Melius eſt ire ad domum luctus, quam ad domum conuiuij.* Si enim bonum eſt manducare & bibere, melius fuiſſe videbatur ad domum conuiuij pergere, quàm ad domum luctus. Ex qua re oſtenditur, quia illud ex infirmantium perſona intulit, hoc ex rationis definitione ſubiunxit: nam ipſas protinus rationis cauſas ediſſerit, & de domo luctus quæ ſit vtilitas oſtendit, dicẽs: *In illa enim finis cunctorum admonetur hominũ, & viuens cogitat, quid futurum ſit.* Rurſum illic ſcriptum eſt: *Lætare iuuenis in adoleſcentia tua.* Et paulo poſt ſubditur: *Adoleſcẽtia enim & voluptas, vana ſunt.* Qui dum hoc poſtmodum vanum eſſe redarguit, quod prius admonuiſſe videbatur, palam indicat, quia illa, quaſi ex deſiderio carnali verba intulit, hæc vero ex iudicij veritate ſubiunxit. Sicut ergo delectationem prius carnalium exprimens, curis poſtpoſitis denunciat bo-

A num eſſe manducare & bibere, quod tamẽ poſtmodum ex iudicij ratione reprehẽdit, quum eſſe melius dicit ad domum luctus ire, quàm ad domum conuiuij: Et ſicut lætari debere iuuenem in adoleſcentia ſua, quaſi ex deliberatione carnalium proponit, & tamen poſtmodum per definitionem ſententiæ adoleſcentiam & voluptatem vana eſſe redarguit. Similiter & Cõcionator iſte, diuerſas cogitationum tentationes exponens, alio ait in loco, quũ dicit: *Vnus interitus hominis & iumentorum, & æqua vtriuſque conditio: ſicut moritur homo, ſic & illa moriuntur: ſimiliter*
B *ſpirant omnia, & nihil habet homo iumẽtis amplius.* Qui tamen ex definitione rationis ſuam poſtmodum ſententiam protulit, dicens: *Quid habet amplius ſapiens a ſtulto? & quid pauper? niſi vt pergat illuc vbi eſt vita?* Qui igitur dixit, *Nihil habet homo iumentis amplius*, ipſe rurſum definiuit, quod habeat aliquid ſapiens non ſolum amplius à iumento, ſed etiam ab homine ſtulto, videlicet vt pergat illuc, vbi eſt vita. Quibus verbis primum indicat quia hic hominum vita nõ
C eſt, quam eſſe alibi teſtatur. Habet rogo homo amplius iumẽtis, quod illa poſt mortem non viuunt: hic verò tunc viuere inchoat, quum per mortem carnis hanc viſibilem vitam conſummat. Qui etiam longè inferius dicit: *Quodcumque poteſt manus tua facere, inſtanter operare, quia nec opus, nec ratiò, nec ſapientia, nec ſcientia erit apud inferos, quò tu properas.* Quomodo ergo vnus interitus eſt hominis & iumenti? & æqua vtriuſque conditio? aut quomodo nihil habet homo iumentis amplius? quum iumenta
D poſt mortem carnis non viuunt, hominum verò ſpiritus, pro malis ſuis operibus, poſt mortem carnis ad inferos deducti, nec in ipſa morte moriuntur. Sed in vtraque tam diſpari ſententia demonſtratur, quia concionator verax, & illud ex tentatione carnali intulit, & hoc poſtmodum ex ſpirituali veritate definiuit. Has verò diuerſas humanæ mentis opiniones diligenter huius Libri lector intelligat, quid cui con-
E ueniat perſonæ: & caueat ne in Epicuri dogmata cadat ex huius Libri lectione, ſi diligentius non diſcutiat, quid ex cuiuſque perſonæ tentatione Concionator iſte dixerit.

Vanitas vanitatum, dixit Eccleſiaſtes, vanitas vanitatum, & omnia vanitas.] Si iuxta Pſalmographi ſententiã, omnis homo viuẽs vanitas, quãto magis irrationabiles creaturę rectè dicũtur vanitati ſubiacere, ſicut Apoſtolus ait: Vanitati enim creatura ſubiecta eſt? Quicquid enim mutabile eſt, & non eſ-

ſe poterit quod eſt, vanitas appellari recte A poteſt: nam Deus ſolus immutabilis, & ſemper idem eſt quod eſt, & non aliud. Quod enim mutabitur, quodammodo euaneſcit, & non eſt quod erat. Idcirco ad comparationem Creatoris, omnis creatura vanitas dici poteſt, & quicquid in hoc circulo continetur, pro nihilo computari, in comparatione æternæ maieſtatis.

Quid ſupereſt homini, in omni labore ſuo quo laborat ſub Sole?] Poſt generalem ſententiam ad vanos hominum labores conuertit ſermonem, qui fruſtra in iſtius mundi labore deſudant, congregantes diuitias perituras, B ambientes honores: quibus ſubito dicitur: Stulte, hac nocte morieris, cuius erunt, quæ congregaſti?

Generatio vadit, & generatio venit, terra autem in ſeculum ſtat.] Aliis morientibus, naſcũtur alij: & quos videras, non vides: incipieſque videre eos, qui ante non erant, ſed ſubito naſcuntur. Quid vanius hac vanitate, quàm terrã manere, quæ hominũ cauſa facta eſt, & ipſum hominem terræ Dominum, in puluerem repente diſſolui? Signãter dixit, terra in ſeculum ſtat, non in ſecula C ſeculorum, quia cœlum & terra tranſibunt, & ecce facta erunt omnia noua.

Oritur Sol, & occidit, & ad locum ſuum reuertitur, vt iterum oriatur.] Ipſe Sol, qui ad lucem mortalibus datus eſt, ortu ſuo & occaſu quotidie interitum mundi demõſtrat, qui per incognitas vias nobis ab occaſu ad ortum regreditur, expletoque noctis circulo, de thalamo ſuo nouus exoritur. Hoc autem totum idcirco dicit, vt doceat mutationibus temporum, & ortu occaſuque ſyderum, humanam ætatem labi & interire D dum neſciat.

Vadit ad auſtrum, & girat ad aquilonem, girãs girando vadit ſpiritus per circulos ſuos.] Ipſum Solem ſpiritum nominauit, quia animet, & inſpiret, & viuificet omnia, ſicut Veris tempore, in quo principium mundi æſtimatur eſſe, ſingulis annis videmus: obliqua enim linea eſt zodiaci circuli, & zona, per quam curſus eſt Solis. Ideo brumali tempore ad auſtralia, deuexo tramite vergit Sol, & iterum æſtiuo circulo ſe tollit ad borealia, ne ſi vno modo curreret, alia calor, alia frigus E conſumeret. Aliter vero: Sol Chriſtus Deus omnia viuificat, & illuminat ſpiritalis gratię ſplendore & virtute, in cuius pennis ſanitas eſt: qui credenti in eum oritur, & infideli cuilibet occidit.

Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat, ad locum vnde exeunt flumina reuertuntur, vt iterum fluant.] Dicunt Philoſophi, aquas dulces, quę in mare influunt, vel ardente deſuper Sole conſumi, vel ſalſuginis maris eſſe pabula. Sed Eccleſiaſtes noſter, id eſt Chriſtus, ipſarum conditor aquarũ, dicit eas per occultas terræ venas, ad capita fontium regredi, & de matrice abyſſo, in ſua ſẽper bullire principia. Poſſumus tamen ſub fluminum & maris nomine, per metaphoram, homines intelligere, qui in terrã, vnde ſumpti ſunt, redeunt, poſtquam in primo audierunt peccatore, Terra es, & in terram ibis: nec tamen terra impletur multitudine mortuorum.

Cunctæ res difficiles, non poteſt homo eas explicare ſermone. Non ſaturatur oculus viſu, nec auris impletur auditu.] Nullatenus valet ſermo explicare cauſas, naturaſq; rerum: nec oculus ſaturari, vt rei poſſit dignitatẽ intueri: nec auris, inſtituente Doctore, ad ſummã rerum notitiã peruenire. Nam modo omnia in ænigmate cernũtur, & ex parte intelligũtur, donec perfecta veniat ſcientia, quæ in hoc mortali corpore eſſe non poterit. Tamen hæc ſententia maxime contra eos agit, qui ſine labore & diſcendi ſtudio, ſanctarũ ſcripturarum ſibi notitiam promittunt, æſtimantes ſe ſapientes quum ſunt inſipientes.

Quid eſt quod fuit? ipſum, quod futurũ eſt. Quid eſt quod factum eſt? ipſum, quod faciendum eſt. Nihil ſub Sole nouum, nec valet quiſquam dicere, Ecce, hoc recens eſt.] De naturis in primordio mundi creatis videtur dicere, & de ſucceſſione earum, quomodo veniunt, & quomodo tranſeunt. Verbi gratia: Dum homo moritur, homo naſcitur. Eadẽ natura fuit morientis, quæ & naſcentis erit. Similiter de auibus, piſcibus, ſerpẽtibus, & omnibus animantibus, intelligendum eſt, necnõ in herbis & arboribus, cæteriſque rerum naturis, nihil nouum inuenitur, quod ante nõ eſſet: nihil periturum, quod poſtea non fiat. Ideo dicit ſcriptura: Requieuit Deus die ſeptimo ab omnibus operibus ſuis, id eſt, à nouarum creatione naturarũ ceſſauit, non à gubernatione, de quia ipſa Veritas ait: *Pater meus vſque modo operatur, & ego operor.* Vnde ex primordialibus creaturarũ ſeminibus, totius ſeculi tempus naturali curſu peragitur.

Iam enim præceſſit in ſeculis, quæ fuerunt ante nos. Non eſt priorum memoria, ſed nec eorum quidem, quæ poſt futura ſunt, erit recordatio, apud eos qui futuri ſunt in nouiſſimo.] Sicut præterita quæ olim fuerunt, apud nos abſcondit obliuio, ſic ea quæ nunc nobiſcum præſentialiter fiunt, hi qui naſci hàbent, ſcire non poterunt, quia cuncta ſilentio peribunt, & quaſi non fuerint abſcondentur, & complebitur illa ſententia: *Vanitas vanitatum, omnia vanitas*: quia omnia tranſeunt, & more fluentis aquæ

vadunt,& non redibunt. Cui ſententiæ totus mundus teſtis eſt,& maxime humanum genus.

Ego Eccleſiaſtes fui rex Iſrael,in Hieruſalem.] Hucuſque præfatio generaliter de huius ſeculi vanitatibus diſputat. Hinc ad ſemetipſum redit,& quis eſſet oſtendit, vel quomodo experimento omnia cognouerit & docuerit. Ideo conſequenter ſubiunxit.

Et propoſui in animo meo quærere & inueſtigare ſapienter,de omnibus quæ fiunt ſub Sole. Hac occupationem peſſimam dedit Deus filiis hominũ, vt diſtendantur in ea.] Dedit vero dixit,eo locutionis genere,quo Apoſtolus ad Romanos ait: *Tradidit eos Deus in reprobum ſenſum.* id eſt, permiſit eos propter præcedentia peccata, in reprobum cadere ſenſum. Propoſuit ergo Eccleſiaſtes, primo omnium cor ſuum ad ſapientiam requirendam, & vltra licitum ſe extendens,voluit cauſas rationeſque cognoſcere,quare paruuli corriperentur à dæmone,cur naufragia pios impioſque pariter abſorberent: Vtrum hæc,& his ſimilia,cauſa euenirent, an iudicio Dei, & prouidentia. Si non iudicio, vbi prouidentia Dei? Hæc, inquit, noſſe deſiderans, intellexi ſuperfluam curam & ſollicitudinem per diuerſa cruciantem, à Deo hominibus datam,vt ſcire cupiant,quod ſcire nõ licitum eſt. Et hoc propter curioſitatem, in quam ſe ſua ſponte iniecerunt,permiſit eos Deus laborare euentibus vitæ huius in quibus nullam rationem inuenire valuerunt.

Vidi quæ fiunt cuncta ſub Sole, & ecce vniuerſa vanitas, & afflictio ſpiritus.] Aliter eſt ſenſus: Conſideraui vniuerſa quæ in mundo ſunt,& nihil aliud deprehendi quàm vanitatem, & malitiam, id eſt, miſerias ſpiritus, quibus animus diuerſis fatigatur cogitationibus. Laborat ſapiens cognoſcere, quod humanæ non eſt datum ſapientiæ ſcire.

Peruerſi difficile corriguntur,& ſtultorum infinitus eſt numerus.] Sanctorum numerabilis multitudo, ſtultorum vero congregatio, non eſt numero digna. Tale quid & Pſalmiſta ait: *Dinumerabo eos*, id eſt,ſanctos, *ſuper arenam maris*, id eſt, ſtultos, qui arenæ comparantur. Sicut ad Abraham Dominus dixit: *Et erit ſemen tuum ſicut ſtellæ cœli, & ſicut arena maris.* In ſtellis intellige ſanctos, de quibus Pſalmiſta ait: *Qui numerat multitudinem ſtellarum, & omnibus eis nomina vocat.* In arena,peccatores,de quibus dicitur: Perdẽtur peccatores de terra.

In corde meo loquutus ſum,dicens: ecce magnus effectus ſum, & præceſſi ſapientia omnes qui fuerunt ante me in Hieruſalem,& mens mea contẽ-

A *plata eſt multa ſapienter,& didicit.*] Legimus & in Regum libris, multæ ſapientiæ fuiſſe Salomonem, & hoc à Deo ſpeciale donum præ cæteris ſeculi diuitiis vel honoribus poſtulaſſe. Mundi ergo cordis oculus,multam ſapientiam & ſcientiam contuetur. Ideo non ait,multam ſapientiam & ſcientiam ſum loquutus,ſed vidit cor meum: nõ enim poſſumus eloqui omnia quæ ſentimus: latior eſt enim cordis intelligentia, quàm oris interpretatio.

Dedi quoque cor meum, vt ſcirem prudentiam, B *atque doctrinam, erroreſque & ſtultitiam, & agnoui,quod in his quoque eſſet labor, & afflictio ſpiritus.*] Contraria contrariis intelliguntur:& ſapientia prima eſt, ſtultitia caruiſſe. Stultitia autem carere non poteſt, niſi qui intellexerit eam. Vnde & plura ſunt in rebus noxia creata, vt dum vitamus ea, ad ſapientiam erudiamur. Æqualis ergo ſtudij fuit Salomoni ſcire ſapientiam,errorem, & ſtultitiam,vt in appetendis aliis, & aliis declinandis,veracius ſapientia probaretur. Et agnoui,quod in huiuſmodi cogitationibus afflictio ſpiritus, & perturbatio animi eſſet.

C *Eo quod in multa ſapientia, multa ſit indignatio,& qui addit ſcientiam,addit dolorem.*] Quanto magis quis ſapientiam fuerit conſequutus, tanto plus indignatur ſubiacere ſe vitiis, & procul eſſe à virtutibus quas requirit: dolet ignorantiam dum quærit ſcientiã. Intelligit ſe ex parte agnoſcere, & ad plenum intelligẽdi lumen rerum occultarum ſe non poſſe peruenire videt,ideo addit dolorem,qui addit ſcientiam.

CAP. II.

D *Dixi in corde meo, Vadam & affluam deliciis, & fruar bonis,& vidi quod hoc quoque eſſet vanitas.*] Hic concionatoris modo, communi ſententia vulgi loquitur, quam tamẽ vanam oſtendit. Et eſt ſenſus: Poſt quàm in multitudine ſapientiæ, & adiectione ſcientiæ,dolorem & laborem eſſe comprehendi, & nihil aliud niſi caſſum laborem, & inane certamen,tranſtuli me ad lætitiam, vt luxu fruerer, & congregarem opes, & vt diuitiis abundarem,& perituras voluptates caperẽ, antequam morerer. Sed & in hoc vanitatem ipſe perſpexi,dum præterita voluptas præſentem non iuuat, & exhauſta non ſatiat. Ideo intellexi carnalem luxuriam eſſe, vanitatem, & adieci dicens.

Riſum putaui errorem, & gaudio dixi: Quid fruſtra deciperis?] Hoc eſt quod in Euangelio legitur: *Væ vobis qui ridetis, quia lugebitis.* Decipiuntur vero, qui carnalia in hoc ſeculo ſequuntur deſideria, & magis

carnaliter viuunt, quàm ſpiritualiter, æſtimantes perpetuum eſſe, quod velut vmbra citiſſime tranſibit, & labor dolore punietur. Poteſt hoc & de Hæreticis accipi, qui falſis dogmatibus acquieſcentes, læta ſibi & proſpera promittunt, dum ſint filij perpetuæ perditionis.

Cogitaui in corde meo abſtrahere à vino carnem meam, vt transferrem animum meum ad ſapientiam, deuitaremque ſtultitiam, donec viderem quid eſſet vtile filiis hominum, quo facto opus eſt ſub ſole, numero dierum vitæ ſuæ.] Eleganter aut voluptatem ebrietati comparauit: Siquidem ebrietas euertit animi vigorem: quam qui potuerit ſapientia commutare, & (vt in quibuſdam codicibus habetur) obtinere lætitiam ſpiritalem, is poterit ad ſcientiam rei iſtius peruenire, quid in hac vita appetendum, quidve vitandum ſit.

Magnificaui opera mea: ædificaui mihi domos, & plantaui vineas: feci hortos & pomaria, & conſeui ea cuncti generis arboribus, & extruxi mihi piſcinas aquarum, vt irrigarem ſyluam lignorum germinantium: poſſedi ſeruos & ancillas, multamque familiam habui: armenta quoque & magnos ouium greges, vltra omnes qui fuerunt ante me in Hieruſalem: coaceruaui mihi argentũ & aurum & ſubſtantias regum & prouinciarũ: feci mihi cantores & cantatrices & delicias filiorum hominum, cyphos & vrceolos in miniſterio ad vina fundenda, & ſupergreſſus ſum opibus omnes qui fuerunt ante me in Hieruſalem. Sapientia quoque perſeuerauit mecum, & omnia quæ deſiderauerunt oculi mei, non negaui eis: nec prohibui cor meum quin omni voluptate frueretur, & oblectaret ſe in iis quæ præparaueram: & hanc ratus ſum partem meam, ſi vterer labore meo. Quumque me conuertiſſem ad vniuerſa opera quæ fecerant manus meæ, & ad labores in quibus fruſtra ſudaueram, vidi in omnibus vanitatem & afflictionem animi, & nihil permanere ſub Sole. Tranſiui ad contemplandam ſapientiam, erroreſque & ſtultitiam. Quid eſt, inquam, homo, vt ſequi poſſit regem factorem ſuum? & vidi quod tantum præcederet ſapientia ſtultitiam, quantum differt lux à tenebris. Sapientis oculi in capite eius, ſtultus in tenebris ambulat. Et didici quod vnus vtriuſque eſſet interitus.] Videtur mihi vtilius eſſe legentibus, hæc omnia quæ Eccleſiaſtes de ſua gloria ſubinfert, breui cuncta ſermone comprehendere, & quaſi in vnũ corpus ſenſum redigere, vt poſſint facilius intelligi quæ dicuntur. Igitur ea quæ putantur in ſeculo bona quaſi rex & potens habui. Ædificaui mihi palatia, vitibus colles monteſque conſeui, & ne quid deeſſet de luxu vel voluptate, hortos mihi
A pomariaque plantaui, diuerſi generis arbores inſtituens, quas collectæ aquæ in piſcinas deſuper irrigarent, vt longus viror humore perpeti nutriretur. Seruorum quoque ſiue emptorum ſiue ancillarum ſiue vernaculorum mihi fuit innumera multitudo, & quadrupedum greges multi, boum ſcilicet & ouium, quantum nullus alter ante me rex habuit in Hieruſalem. Nec non & theſauri argenti & auri innumerabiles condebantur, quos diuerſorum regum & gentium tributa contulerunt. Vnde & accidit, vt ex nimiis opibus ad
B maiores delicias prouocarer, & muſicorum chori mihi tibiali voce concinerent, vt vterque ſexus in conuiuiis mihi miniſtraret. Sed quanto iſta creſcebant, tanto ſapientia deerat: nam in quancumque voluptatem cupido traxiſſet me, infrenis per præceps ferebar, putabamque hunc eſſe fructum laborum meorum, ſi ipſe in luxuriæ libidine conſumerer. Tandem in me reuerſus, & quaſi de graui ſomno euigilans aſpexi, & manus meas, & opera mea
C plena vanitatis, plena ſordium, plena ſpiritu erroris intuitus ſum. Nihil enim quod in mundo putatur bonum, bonum potui reperire. Reputans igitur quæ eſſent ſapientiæ bona, & quæ ſtultitiæ mala, conſequenter in laudem illius hominis erupi, qui poſt vitia ſe refrenans, virtutum poſſit eſſe ſectator. Magna quippe diſtantia eſt inter ſapientiam & ſtultitiam, & quantum dies diſtat à nocte, tantum virtutes à vitiis ſeparantur. Videtur mihi itaque qui ſapientiam ſequitur oculos ad
D cœlum ſemper erigere, & in ſublime os habere erectum, eaque quæ ſuper verticem ſunt, contemplari: qui vero ſtultitiæ & vitiis deditus ſit, verſari in tenebris, & in rerum ignorantia volutari. Quumque hæc ita ſe habeant, inter ſapientem & ſtultum ea diſtantia eſt, quod alter diei, alter tenebris comparetur: ille oculos ad cœlum leuat, iſte in terram deprimit. Repente autem mihi cogitatio iſta ſubrepſit,
E quare ſapiens & ſtultus communi pereant interitu: cur eadem plaga, eodem euentu, eadem morte premantur: cur eædem ſint vtrique anguſtiæ. Sunt verò qui hæc verba Eccleſiaſtis ab eo loco vbi ait, *Magnificaui opera mea*, vſque ad hunc locum in quo ait, *Sapientis oculi in capite eius*, de Chriſto interpretari conantur. Sed quibuſdam in locis laborioſa eſt interpretatio, niſi forte de mẽbris illius intelligi poſsint. Ideo nos hiſtoriali tantummodo intelli-

gentia in hoc loco contenti ſumus, maxime quia nobis non eſt propoſitum omnia dicere, quæ à diuerſis inueniuntur autoribus dicta, ſed ea commatico ſermone, quæ ad ſenſum planiorem pertinere videntur, paucis perſtringere verbis.

Et dixi in corde meo, ſi vnus & ſtulti & meus occaſus erit, quid mihi prodeſt, quod maiorem ſapientiæ dedi operam? loquutuſque cum mente mea, animaduerti quod hoc quoque eſſet vanitas: non enim erit memoria ſapientis, ſimiliter vt ſtulti in perpetuum, & futura tempora obliuione cuncta pariter operient: moritur doctus ſimiliter vt indoctus.] Hæc enim diligentius conſiderans dixi, ſapiens & ſtultus, iuſtus & impius, æquali morte moriuntur, & omnia in hoc ſeculo mala euentu ſimili ſuſtinebunt. Sicut enim impius tribulationes patitur, ita etiam & iuſtus: nec quemlibet in hoc ſeculo ſua adiuuabit iuſtitia, ſed omnia incerta ſunt, pro quo quid cui eueniat. Si ita eſt, dixi in corde meo, quid mihi ergo prodeſt quod ſequutus ſum ſapientiam, & plus cæteris laboraui, ſi meus occaſus & ſtulti æqualis erit? Sed rurſum cogitans, diligentiuſque conſiderans, non ſimilem ſapientem & ſtultum habere in futuro memoriam, quando conſummatio veniet vniuerſitatis, & nequaquam pari exitu iniuſtus & iuſtus iudicabitur, quia hic ad refrigeria, ille pergit ad pœnam: ideo priorem ſententiam meam damnaui, & me ſtulte loquutum eſſe intellexi, & erraſſe, qui antea ſic ſenſeram.

Idcirco tæduit me vitæ meæ, videntem mala eſſe vniuerſa ſub Sole, & cuncta vanitatem atque afflictionem. Rurſum deteſtatus ſum omnem induſtriam meam, qua ſub Sole ſtudioſiſſimè laboraui, habiturus hæredem poſt me quem ignoro, vtrum ſapiens an ſtultus futurus ſit, & dominabitur in laboribus meis, in quibus deſudaui & ſollicitus fui: & eſt quicquã tam vanum?] Videtur quidem de diuitiis & opibus retractare, quia ſecundum Euangelium repentina morte ſubtracti, quaſi moriamur hærede neſcimus, vtrum ſapiens an ſtultus ſit, qui noſtro labore eſt fruiturus. Et hoc Salomoni malũ accidiſſe, Regum libri teſtantur, qui Roboã inſipienti filio labores ſuos reliquit. Sed melius intelligendum eſt de ſpiritali labore, in quo diebus ac noctibus vir ſapiens in lege Domini meditatur, & ſcripturarum ſanctarum deſudat interpretatione, & libros componit multos, vt memoriam ſui poſteris relinquat, & nihilominus labores illius in manus ſtultorum perueniunt, qui frequenter ſecundum peruerſitatem cordis ſui, ex ſanctorum Patrum dictis, hæreticæ prauitatis ſemina capiunt, & alienos labores calumniantur.

Vnde ceſſaui, renunciauitque cor meum vltra laborare ſub Sole: nam quum alius laborat in ſapientia & doctrina & ſollicitudine, homini ocioſo quæſita dimittit: & hoc ergo vanitas, & magnum malum. Quid enim proderit homini de vniuerſo labore ſuo, & afflictione ſpiritus, qua ſub Sole cruciatus eſt? Cuncti dies eius doloribus & ærumnis pleni ſunt, nec per noctem mente requieſcit. & hæc, nonne vanitas?] Hic vt ſupra de incerto hærede loquitur, vtrum ſtultus an ſapiens futurus ſit, qui labore alterius fruiturus ſit: & in eundem circulum res reuertitur, vt labores morientium deliciæ ſint viuentium. Maxime tamen de labore ſapiẽtiæ diſputat, in quo ſtudioſi vel rerum ſpiritalium vel viſibilium, die ac nocte laborant, ignorantes in quorum manus perueniant opuſcula ſua, vtrum ſapientes de literis diſputent ſuis, vel etiam ſtulti & ocioſi. Eſt quicquam tam vanum? quia nec noctibus nec diebus ceſſat à labore, & neſcit ad quem profectum futuro tempore labores euenient ſui.

Nonne melius eſt comedere & bibere, & oſtẽdere animæ ſuæ bona de laboribus ſuis? Et hoc de manu Dei eſt. Quis ita vorabit & deliciis affluet vt ego? Homini bono in conſpectu ſuo dedit Deus ſapientiam & ſcientiam & lætitiam: peccatori autem dedit afflictionem & curam ſuperfluam, vt addat & congreget & tradat ei qui placuit Deo: ſed & hoc vanitas, & caſſa ſollicitudo mentis.] Aliud eſt ex conſideratione rationis, aliud eſt ex infirmantis vulgi tentatione diſputare. Hic quid indoctum vulgus ſentiat, videtur definire. Vbi vero ait: *Melius eſt ire ad domum luctus quam ad domum conuiuij*, ex rationis diſcretione oſtendit ſe loqui. Dicamus tamen ſecundum conſequentiam ſuperioris diſputationis. Poſtquam vniuerſa tractaui, & nihil in iſtius mundi labore perpetuum intellexi, poſterioremque generationem prioris frui laboribus, tum mihi viſum eſt hoc in rebus eſſe iuſtiſſimum, & quaſi Dei donum, vt ſuo quis labore frueretur, bibens & comedens, & pro tempore parcens opibus congregatis. Et hoc ſiquidem Dei donum eſt, talem iuſto dari viro mentem, vt ea quæ curis vigiliiſque quæſiuit, ipſe conſumat. Sicut econtrario iræ Dei eſt, vt peccator diebus ac noctibus opes congreget, & nequaquam eis vtens, derelinquat his qui in conſpectu Dei iuſti ſunt. Sed & hoc, inquit, diligenter inſpiciẽs, & videns omnia morte finiri, vaniſſimum iudicaui. Hæc interim ſuper literam, ne videamur penitus ſimplicem præterire ſenſum, & dum ſpiritales diuitias

ſequimur, hiſtoriæ contemnere paupertatem. Bonum eſt itaque veros cibos & veram ſumere potionem, quos de agni carne & ſanguine in diuinis voluminibus inuenimus, de quibus dicitur in Cantico Canticorum: *Comedite amici mei, bibite & inebriamini.* Ad quos ipſa vocat Sapientia, dicens: *Venite, comedite panem meum, & vinum quod miſcui vobis. Relinquite infantiam & viuite, & ambulate per vias prudentiæ.* Quis enim vel comedere, vel quum opus eſt, parcere poteſt abſque Deo? qui præcipit ſanctum canibus nō eſſe mittendū, & docet quomodo in tēpore ſint dāda cibaria. Pulchrè enim homini dat Deus bono ſapientiam & ſcientiā & lætitiā. Niſi enim bonus fuerit, & mores ſuos, Dei adiuuante gratia, proprio arbitrio antè correxerit, ſapientiam & ſcientiam & lætitiam non merebitur. Vt ergo bono coram ſe dedit Deus ſapientiam & cætera, ſic peccatorem ſuo arbitrio derelinquens, facit congregare diuitias, & hincinde peruerſorum dogmatum conſuere ceruicalia: quæ quum vir ſanctus & placens Deo viderit, intelligit quia vana ſunt; & præſumptione ſpiritus compoſita. Nec mirandum quod dixerit, *Peccatori dedit ſollicitudinem, &c.* dedit enim pro dimiſit, intelligendum eſt. Propterea dat ei ſollicitudinem ſiue afflictionem, quia peccator fuit, & non eſſe cauſam afflictionis in Deo, ſed in illo qui ſponte ſua ante peccauerit.

CAP. III.

OMnia tempus habent, & ſuis ſpaciis tranſeunt vniuerſa ſub cœlo.] Incertum & fluctuantem ſtatum conditionis humanæ in ſuperioribus docuit. Nunc vult omnia oſtendere ſibi in mundo eſſe contraria, & nihil ſtare perpetuo, eorum duntaxat quæ ſub cœlo ſunt, & tempori obnoxia ſunt, quia cæteræ ſubſtantiæ ſpiritales nec cœlo, nec tempore continentur.

Tempus naſcendi & tempus moriendi, tempus plantandi & tempus euellendi quod plantatum eſt, tempus occidendi & tempus ſanandi, tempus deſtruendi & tempus ædificandi, tempus flendi & tempus ridendi, tempus plangendi & tempus ſaltandi, tempus ſpargendi lapides & tempus colligendi, tempus amplexandi & tempus longe fieri ab amplexibus, tempus acquirendi & tempus perdendi, tempus cuſtodiendi & tempus abijciendi, tempus ſcindendi & tempus conſuendi, tempus tacendi & tempus loquendi, tempus dilectionis & tempus odij, tempus belli & tempus pacis.] Nulli dubium eſt, quod ortus & interitus hominum Deo notus ſit, & præfinitus: & idipſum eſſe parere, quod plantare: mori, quod plantatum eſt euellere. Hebræi omne hoc quod de contrarietate temporum ſcriptum eſt, vſque ad illum locum in quo ait, Tempus belli, & tempus pacis, ſuper Iſrael intelligunt. Tempus fuit naſcendi in Patriarchis populo Dei, tempus moriendi tempore Veſpaſiani & Titi. Tempus plantandi in terra repromiſſionis ſub Ieſu Naue, tempus euellendi dum ducti ſunt in captiuitatem à præfatis ducibus. Tempus occidendi eos in Ægypto, & tempus liberandi de Ægypto. Tempus deſtruendi ſub Nabuchodonoſor, & tempus ædificandi ſub Dario. Tempus plangendi euerſionem vrbis, & tempus ridendi atque ſaltandi ſub Zorobabel, & Eſdra, & Neemia. Tempus diſpergendi Iſrael per diuerſas gentes, & in vnum congregandi, quando reducti ſunt de captiuitate in patriam. Tempus amplexandi, dum cœleſti auxilio cingebantur: tempus longe fieri à complexibus, dum pro peccatis ſuis derelicti ſunt à Deo. Tempus quærendi de Babylonica captiuitate, tempus perdendi eos in excidio vrbis ſub Romanis. Tempus cuſtodiendi legalia mandata, tempus abiiciendi laciniosæ legis præcepta. Tempus ſcindendi, quando in duo regna poſt Salomonem diuiſus eſt populus, & tempus conſuendi tempore Maccabæorum. Tempus tacendi Prophetas, nunc in captiuitate Romana, & tempus loquendi Apoſtolos, dicente Domino: *Ite ad oues perditas domus Iſrael.* Tempus dilectionis, quo eos ſub patribus ante dilexit: & tēpus odij, dū Chriſto intulerant manus. Tēpus belli modo, non agentibus eis pœnitentiam: tempus pacis in futuro, quando intrat plenitudo gentiū, & ſic omnis Iſrael ſaluus erit. Aliter altiori ſenſu: Tempus occidēdi & tēpus ſanandi, ſicut ait, *Ego occidam & ego viuificabo.* Sanat, ad pœnitētiā prouocans: occidit iuxta illum ſenſum: *In matutino interficiebam omnes peccatores terræ.* Tempus deſtruendi, & tempus ædificandi. Non poſſumus ædificare bona, niſi prius deſtruxerimus mala. Tempus plorandi, & tempus ridendi: nunc flendi tempus eſt, & in futuro ridendi, Domino dicente: *Beati flentes, quoniam ipſi ridebunt.* Tempus plangendi, & tempus ſaltādi. Eodem ſenſu quo ſuprà, plangendum eſt impræſentiarum, vt in futuro ſeculo ſpiritali ſaltatione gaudeamus. Tempus ſpargendi lapides, & tempus colligendi: quia tempus fuit gentilis populi diſpergendi, & tempus rurſum in Eccleſiam congregandi. Tempus amplexandi, dum dictum eſt, *Creſcite & multiplicamini:* tempus longe fieri à complexibus,

vbi ait, *Dabo ſpadonibus locum in domo mea meliorem à filiis & filiabus, locum ſempiternum.* Aliter: Tempus eſt ſapientiam amplexandi, id eſt de cœleſtibus cogitandi, & tempus eſt iterum curâ corporis agendi. Tempus acquirendi populum ex gentibus, & tempus perdendi populum Iudæorum. Tempus cuſtodiendi credentes ex nationibus, & tempus abiiciendi incredulos ex Iſraël. Tempus ſcindendi, & tempus conſuendi. Sub diuerſis ſermonibus idem nũc qui ſuprà ſenſus eſt, in eo quod ait, Tempus deſtruendi, & tempus ædificandi: ac deinde tẽpus ſcindendi, & tẽpus conſuendi: modo enim ſynagoga deſtruitur, vt ædificetur Eccleſia, & alligant ſciſſiones legales, vt Euangelij gloria conſuantur. Quod Euangeliſtæ ſinguli perpetrarunt, de lege & Prophetis aduentus Dominici teſtimonia conſuentes. Tempus tacendi, vt diſcamus quæ ſint docenda: tempus loquendi, vt doceamus quæ rectè didicimus. Nihil nobis videatur rectum eſſe, niſi quod diſcimus, vt poſt multum ſilentium de diſcipulis efficiamur magiſtri. Tempus amandi legem, & ea quæ ex lege fuerint imperata, circumciſionem, hoſtias, ſabbata, neomenias: & tempus odiendi eas, Euangelij gratia ſuccedente. Tempus belli, & tempus pacis. Quandiu in hoc ſeculo ſumus, tempus eſt belli: quum migrauerimus autem de hoc ſeculo, pacis tempus adueniet: in pace eſt laus Dei, & ciuitas noſtra Hieruſalem de pace ſortita vocabulum eſt. Nemo ergo nunc ſe putet eſſe ſecurum, in tempore belli, vbi certandum eſt, & apoſtolica arma tractanda, vt victores quondam requieſcamus in pace.

Quid habet amplius homo de labore ſuo? Vidi afflictionem quam dedit Deus filiis hominum. Cuncta fecit bona in tempore ſuo, & mundum tradidit diſputationi eorum, vt non inueniat homo opus quod operatus eſt Deus ab initio vſque ad finem.] Plerique putant hoc de magiſtris eſſe dictum, quibus Deus dedit ſenſum, vt quærerent naturas rerum, & creatorem laudarent ex eis, ne forte ocioſa mens torpeſceret, & in vitia corrueret. Prius enim diſputauit de diuerſitate temporum, & varietate mutabiliũ rerum: nunc dicit: Quid habet amplius homo de labore ſuo, niſi vt ſapienter intelligat creatorem laudare in creaturis ſuis, nec quicquam in hoc ſeculo perpetuum putare? Quid enim amplius habere poſſumus in hoc ſeculo laborando, quamvt nos erudiamur ex diuerſitate creaturarum, creatoris agnoſcere magnitudinem, & omne bonum eſſe quod Deus fecit, qui dedit mundum hominibus ad inhabitandum, vt fruantur eo, & varietates intelligant temporum, nec quærant quomodo creata ſint omnia, quare hoc vel illud ab initio mundi vſque ad conſummationem fecerit creſcere, manere, mutari.

Et cognoui quod non eſſet melius, niſi lætari & facere bene in vita ſua. Omnis enim homo qui comedit & bibit, & videt bonum de labore ſuo, hoc donum Dei eſt.] Propterea colonus & hoſpes mundi homo datus eſt, vt breuis vitæ fruatur tẽpore, & ſpe prolixioris ætatis abſciſa, cuncta quæ poſſidet quaſi ad alia cito profecturus aſpiciat, & quantum poteſt bene faciat in vita ſua: nec fruſtra congregando magnas opes, cogitationibus torqueatur: neque ſe putet plus de ſuo labore lucrari poſſe, quàm cibum & potum, & ſi quid de opibus ſuis in bonis operibus expenderit, hoc ſolum Dei donum eſt. Non vt ad deſperationem & luxuriam prouocemur, ſed habentes victum & veſtitum his contenti ſimus, & quicquid plus eſt neceſſitate corporis, in pauperum expendatur ſolatia. Quia ſicut caro cibo alitur & potu, ita anima eleemoſynis pauperum, & ſolatiis miſerorum. Iuxta anagogen, verus cibus eſt caro Chriſti, & verus potus ſanguis eius, ſicut ipſe Dominus ait: *Qui manducat carnem meam, & bibit ſanguinem meum, in me manet, & ego in illo.* In hac cibi & potus ſpiritali iucunditate lætari debemus, non ſolum in myſterio, ſed etiam in lectione ſanctarum ſcripturarum, vbi paſcamur & potemur de ligno vitæ, quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum.

Didici quod omnia opera quæ fecit Deus perſeuerent in perpetuum, non poſſumus eis addere quicquam, nec auferre, quæ fecit Deus vt timeatur.] Nihil eſt in mundo quod nouum ſit. Solis curſus & Lunæ vices, & terræ arborumque ſiccitas vel viror, cum ipſo mundo nata ſunt atque creata, & idcirco Deus certa ratione cuncta moderatus eſt, & iuſſit humanis vſibus elementa ſeruire, vt homines videntes hæc intelligant eſſe prouidentiam Dei, & timeant à facie Dei, dum ex rerum æqualitate, curſu, ordine atque conſtantia, intelligunt creatorem. Pulchrè autem temperauit dicens, vt timeant à facie eius: vultus quippe Domini ſuper facientes mala.

Quod factum eſt, ipſum permanet: quæ futura ſunt, iam fuerunt: & Deus inſtaurat quod abiit.] Vel præterita, vel præſentia, vel futura, ipſa fuerunt, & ſunt, & erunt vniuerſa quæ cernimus. Sol qui nunc oritur, & antequam nos eſſemus in mundo fuit, &

poſtquam mortui fuerimus, oriturus eſt. Quod de Sole diximus, hoc de omnibus cognoſcendum eſt creaturis. Terra ſingulis annis areſcit, iterumque vireſcit in germine ſuo. Mare fluit, & recedit vt refluat. Animalia moriuntur, & renaſcuntur iterum eiuſdem generis. Homines morte finiuntur, & alij pro eis oriuntur. Et ea lege creaturarum nihil nouū inueniri poterit, ſed Deus per ſuccedentia tempora omnia reſtaurat quæ fuerunt.

Et vidi ſub Sole in loco iudicij impietatem, & in loco iuſtitiæ iniquitatem. Et dixi in corde meo: Iuſtum & impium iudicabit Deus, tempus omni rei tunc erit.] Sub Sole, inquit, iſto veritatem & iudicium requiſiui, & vidi in iudiciis non veritatem valere, ſed munera. Aliter: Arbitratus ſum aliquid iuſtitiæ in præſenti ſeculo geri, & vel pium pro ſuo nunc merito recipere, vel impium pro ſuo ſcelere damnari. Poſteà vero cum corde meo colloquens & reputans, intellexi non per partes Deum, & per ſingulos ſemper iudicare, ſed in futurum tempus ſeruare iudicium, vt omnes pariter iudicentur, & recipiat vnuſquiſque meritis ſuis digna, ſecundum quod geſſit in hoc ſeculo, & tunc perſpexit tempus diſcretionis eſſe omni rei.

Dixi in corde meo de filiis hominum, vt probaret eos Deus, & oſtenderet ſimiles eſſe beſtiis. Idcirco vnus interitus eſt hominum & iumentorum, & æqua vtriuſque conditio. Sicut moritur homo, ſic & illa moriuntur. Similiter ſpirant omnia, & nihil habet homo iumento amplius. Cuncta ſubiacent vanitati, & omnia pergunt ad vnum locum. De terra facta ſunt, & in terram pariter reuertentur. Quis nouit ſi ſpiritus filiorum Adam aſcendat ſurſum, & ſi ſpiritus iumentorum deſcendat deorſum?] Non mirandum eſt in præſenti vita, inter iuſtum & impium nullam eſſe diſtantiam, nec aliquid virtutis valere, ſed incerto euentu omnia volutari, quum etiam inter pecudes & homines ſecundum corporis vilitatem nihil differre videatur. Sicut eadem conditio eſt naſcendi, ita ſors vna moriendi. Similiter procedimus ad lucem, æquè diſſoluemur in puluerem. Si autem videtur hæc eſſe diſtantia, quia ſpiritus hominis aſcendat in cœlum, & ſpiritus pecoris deſcendat in terram, qua iſtud certa autoritate cognouimus? Quis poteſt ſcire vtrū verum an falſum ſit quod ſperamus? Hoc autem dicit, non quod animam putet perire cum corpore, vel vnum beſtiis & hominibus præparari locum, ſed quod ante aduentum Chriſti omnia ad inferos pariter deſcenderunt. Vnde & Iacob ad inferos deſcenſurum ſe dicit. Ideo pios & impios queritur apud inferos detentari. Et reuera antequam flammeam illam rotam, & igneā romphæam ad paradiſi fores Chriſtus cum latrone reſeraret, clauſa erant cœleſtia, & ſpiritus hominis pecoriſque æqualis vilitas coartabat. Et licet aliud videtur diſſolui, aliud reſeruari, tamen non multum intererat, perire cum corpore, aut inferni tenebris detineri. Quod verò ait, de terra facta ſunt, & in terram reuertuntur, hoc eum de corpore dicere manifeſtum eſt, quia corpus de terra creatum eſt; non anima, ſicut vindex peccati ſententia homini intulit; *Terra es, & in terram ibis.* Hæc interim iuxta literam. Quantum ad ſpiritalem intelligentiam pertinet, quis ſcit vtrum ſpiritus, qui hominis appellatione dignus eſt, aſcendat in cœlum, & vtrum peccator qui iumentum vocatur, deſcendat in terram? Fieri enim poteſt vtrunque pro incerto vitæ huius & lubrico ſtatu, vt iuſtus cadat, peccator reſurgat, & nonnunquam eueniat, vt rationabilior & eruditus ſcripturis, id eſt homo, non circunſpectè, & vt ſcientia ſua exigit viuat, & ducatur ad inferos, & ſimplicior quiſque atque ruſticior, qui iumentum hominis comparatione dicitur, melius viuat, & martyrio coronatus paradiſi ſit colonus.

Et deprehendi nihil eſſe melius quàm lætari hominem in opere ſuo, & hanc eſſe partē illius. Quis enim adducet eum vt poſt ſe futura cognoſcat? Superiori errore turbatus, quod putarem inter homines & beſtias nihil eſſe; in hanc ſententiam praua opinione ſeductus ſum, vt nihil aliud dicerē bonum, niſi præſentē capere voluptatem: Neque enim quum ſemel nos diſſoluerit interitus, poſſe his perfrui à quibus recedimus ingrati. Sed meliori ſenſu de lætitia bonorum operum intelligendum eſt. Nihil eſt ergo melius in vita iſta, niſi quod lætetur homo in opere ſuo, faciens eleemoſynam, & futuros ſibi theſauros in regno cœlorum præparans. Hanc ſolam habemus veraciter portionem, quā nec fur, nec latro valet, nec tyrannus auferre, quæ nos tantummodo poſt mortem ſequetur.

Cap. IV.

Verti me ad alia, & vidi calumnias quæ ſub Sole geruntur, & lacrymas innocentium, & conſolatorem neminem, nec poſſe reſiſtere eorum violentiæ cunctorum auxilio deſtitutos.] Poſt hanc cogitationem illuc mentem meam oculoſque conuerti vt viderem calumnia-

tores, & calumniam ſuſtinentes. Et ecce A vidi eorum qui à potentioribus opprimuntur lacrymas, quas ſolas habere poſſunt in calamitatibus, rei inuidiam proteſtantes, qui conſolatorem nequeunt inuenire. Et quod malorum miſerrimum ſit & inconſolabilis dolor, calumniatores vident in ſuis iniquitatibus fortiores: & hæc eſt cauſa, quod non valent conſolari. Plenius hunc locum in ſeptuageſimo ſecundo Pſalmo Dauid & Hieremias in ſuo volumine exquirunt.

Et laudaui magis mortuos quàm viuentes, & B *feliciorem vtroque iudicaui, qui necdum natus eſt, nec vidit mala quæ fiunt ſub Sole.*] Ad comparationem miſeriarum quibus in hoc mundo mortales premuntur, feliciores iudicaui mortuos ab huius miſeriæ labore liberatos, quàm viuentes. Melior eſt itaque his duobus, viuente videlicet & defuncto, qui necdum natus eſt in eo felicior eſt, quia necdum malum mundi expertus eſt. Hoc autem dicit, non quia animæ ſint hominum ſecundum quorundam errorem antequam naſcatur homo in mundo, ſed quia melius C ſit omnino non eſſe, nec ſenſum habere ſubſtantiæ, quàm infeliciter vel eſſe, vel viuere. Quo modo & de Iuda Dominus loquitur, futura eius tormenta ſignificans: Melius erat non naſci homini illi: quia melius fuerat ei omnino non eſſe, quàm æternos cruciatus perpeti.

Rurſus contemplatus ſum omnes labores hominum, & induſtrias animaduerti patere inuidiæ proximi, & in hoc ergo vanitas & cura ſuperflua eſt.] Conuerti me rurſus ad alia, & vidi omnem fortitudinem & gloriam laborantium, & deprehendi bonum alterius eſſe D alterius malum, dum inuidus aliena felicitate torquetur, & patet inſidiis glorioſus. Quid enim vanius quàm homines non ſuas flere miſerias, nec propria lugere peccata, alios iudicare, ſeipſos obliuiſci, & melioribus tãtum inuidere, aliorumque benefactis torqueri?

Stultus complicat manus ſuas, & comedit carnes ſuas.] Totum quod diſſerit hoc eſt, vt oſtendat eum qui laborat & aliquid habet E in mundo, patere inuidiæ: & rurſum eum qui viuere vult quietus, inopia opprimi, & eſſe vtrumque miſerabilem, dum alius propter opes periclitatur, alius propter inopiam egeſtate conficitur. Aliter: Manus crebro pro operibus accipiuntur. Stultus retrahit manus ſuas ab opere bono, & non vult viriliter agere, ſed comedit carnes ſuas, id eſt, ſecundum carnalia viuit deſideria, tabeſcens in voluptatibus ſuis donec conſumantur.

Melior eſt pugillus cum requie, quàm plena vtraque manus cum labore & afflictione animi.] Melius eſt modicum habere iuſto, quàm diuitias peccatorum multas. Eleganter iuſtitia requiem habet, iniquitas laborem: & quia ſingularis numerus in bono ſemper accipitur, & duplex in malo, propterea vnus pugillus habet requiem, & duæ manus labore ſunt plenæ.

Conſiderans reperi & aliam vanitatem ſub Sole: Vnus eſt, & ſecundum non habet, non filium, non fratrem, & tamen laborare non ceſſat, nec ſatiantur oculi eius diuitiis, nec cogitat dicens, Cui laboro & fraudo animam meam bonis? In hoc vanitas eſt, & afflictio peſſima] Cõuerſus ſum ad alios, & vidi eos pluſquam neceſſe eſſet laborare, cõgregare opes per fas & nefas, & non vti congregatis, habere omnia, incubare diuitias, ſeruare aliis, & ſuo labore non perfrui, maximè quum nec filium nec fratrem habeant, nec propinquum vt videatur pius labor neceſſariis reſeruatus. Nihil itaque vanius eſſe deprehendi, quàm eum hominem qui diuitias cõgregat, cui eas relinquat ignorãs. Quod quidem poſſumus ſecundum priorem interpretationem & de his intelligere, qui libros conſcribunt, & eos faſtidioſis lectoribus relinquunt. Quidam hunc locum ab eo quod ait, *Vnus eſt, & non eſt ſecundus*, ſuper Saluatore interpretantur: quod ſolus & abſque vllo comite ad ſaluandum mundum deſcendit: & quanquam multi filij Dei ſint, & fratres adoptione dicantur, tamen nullus dignus extitit, qui in hoc ei opere iungeretur. Cuius laborum non eſt finis, portantis noſtra vitia atque peccata; & pro nobis dolet, & oculus eius non ſatiabitur diuitiis, ſemper noſtram cupiens ſalutem, & quanto plus quem peccare viderit, tanto magis ad pœnitentiam cohortans. Eo genere locutionis dicimus, *Dolet* quo Apoſtolus ait: *Et ipſe Spiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*, Id eſt, nos gemere facit. Ita & hic dolet Chriſtus, quia nos dolere facit pro peccatis noſtris.

Melius ergo eſt duos ſimul eſſe, quàm vnum: habent enim emolumentum ſocietatis ſuæ: ſi vnus ceciderit, ab altero fulcietur. Væ ſoli, quia quum corruerit, non habet ſubleuantem. Et ſi dormierint duo, fouebuntur mutuò, vnus quomodo caleſiet? & ſi quiſpiam præualuerit contra vnum, duo reſiſtunt ei. Funiculus triplex difficile rumpitur] Poſt ſolicitudines & miſerias in quibus corruptus eſt ille, qui in opibus con-

quirendis abſque certo hærede ſe cruciat, A nunc ad ſodalitatem ſermo confertur, & dicitur quid boni habeat amicorum contubernium, & commune ſolatium, quia & alterius ruina, alterius auxilio ſubleuatur, & curas domeſticas, ipſius quoque noctis requiem melius exigit ille, qui fidum amicum habet, quàm qui ſolis opibus incubat acquiſitis. Quod ſi robuſtior quis inimicus contra vnum ſurrexerit, alterius imbecillitatem amici ſolatio ſuſtentari dicit. Et quantum duo vno differunt, ſi amore coniuncti ſunt, tanto etiam trium contubernium plus valere. Etenim vera caritas, & nullo violata liuore, quanto augetur numero, tanto creſcit & robore. Et hæc interim ſimpliciter dicta ſint. Cæterum quod in ſuperiori loco ſuper Chriſto quorundam intelligentiam poſuimus, & reliqua eodem ordine differenda ſunt. Melius eſt enim duos pariter eſſe, quam vnum: melius eſt enim habitantem in ſe habere Chriſtum, quàm ſolũ patére inſidiis aduerſantis. Merces quippe contubernij, ſtatim in ipſa ſocietatis vtilitate monſtratur. Si enim ceciderit vnus, Chriſtus eriget participem ſuum. Væ quippe ei, qui quum corruerit, Chriſtum in ſe non habet erigẽtem. Quod ſi & dormierit vnus, hoc eſt ſi morte fuerit diſſolutus, & ſecum Chriſtum habuerit, calefactus citius reuiuiſcit: & ſi aduerſus hominem robuſtior in expugnando diabolus extiterit, ſtabit homo, ſtabit & Chriſtus pro homine ſuo, pro ſodali ſuo: Non quod ſolius Chriſti aduerſus diabolum virtus infirma ſit, ſed quod liberum homini relinquitur arbitrium, & adnitentibus nobis, ipſe in præliando fortior fiet. Quod ſi & Pater & Filius & Spiritus ſanctus aduenerint, nõ cito corrumpetur iſta ſodalitas. De hac ſodalitate in Euangelio dicitur: *Et Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.* Et paulò poſt: *Paracletus autem Spiritus, ipſe vos docebit omnia.* Significans trium, id eſt, Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, vnum eſſe opus, & vnam manſionem in corde diligentis Deũ. Quod ſuperius dixit, *Si vnus dormierit quomodo calefiet?* Niſi igitur nobiſcum Chriſtus dormierit, & in morte requieuerit, calorem æternæ vitæ accipere non valemus.

Melior eſt puer pauper & ſapiens ſene rege & ſtulto, qui neſcit prouidere in poſterum: quod & de carcere cateniſque interdum quis egrediatur ad regnum, & alius natus in regno, inopia conſumatur. Vidi cunctos viuentes qui ambulant ſub Sole, cum adoleſcente ſecundo, qui conſurgit pro eo. Infinitus eſt numerus populi, omnium qui fuerunt ante eum, & qui poſtea futuri ſunt, non lætabuntur in eo. Sed & hoc vanitas & afflictio ſpiritus.] Hebræi hunc locum ita diſſerunt. Melior eſt interior homo, qui poſt quartumdecimum pubertatis annum in nobis exoritur, exteriore homine qui de matris vtero natus eſt, qui neſcit recedere à vitio, & qui è domo vitiorum, de vtero videlicet materno ad hoc exiuit, vt regnaret in vitiis, qui & in natura ſua pauper factus eſt, non habens ſapientiam, mala omnia deſerendo. Vidi eos qui in priore homine vixerunt, & cum ſecundo homine poſtea B verſati ſunt, eo videlicet, qui priore decedente generatus eſt, intellexique homines in homine priore peccaſſe, antequam ſecundo naſcente tempore legitimo duo homines fuerint, alter carnalis, alter ſpiritalis. Qui verò ad meliora conuerſi fuerint, & interiori homini, id eſt ſecundò ſe ſubiicere ſciunt, non lætantur in priore, qui in vitiis regnabat. Hos duos homines doctor egregius vnum interiorem, & alterum exteriorem nominare ſolebat. Nos vero C melius æſtimamus hæc intelligenda de diabolo rege ſtulto, & de Chriſto paupere ſapiente, qui egreſſus eſt de virginali vtero in mundũ: vt contereret & ſubuerteret imperium ſtulti regis, qui ei oſtendit omnia regna mundi, eoque victo, vaſa illius caperet, & domum ſubuerteret, captiuamque captiuaret captiuitatem. Puerum vero prophetico ſpiritu nominauit Chriſtum, & pauperem, ſicut dictum eſt: *Ecce puer meus quem elegi.* Item Apoſtolus: *Qui quum diues eſſet, pauper factus eſt pro nobis.* Et D ſapientem eum Euangeliſta teſtatur dicens: *Et Ieſus proficiebat ætate & ſapientia & gratia coram Deo.* Iſte natus eſt in regno ſenis & ſtulti, optimus, pauper & puer admirabilis, vt de domo vinculatorum procederet in regnũ, abiens in regionem longinquam, iuxta parabolam Euangelicam, accipere ſibi regnum & reuerti, eos poſt aliquantum temporis qui ſuper ſe eum regnare noluerunt, in iudicio damnaturus. Tamen erunt quàmplurimi qui non lætabuntur in Chriſto, E recipientes Antichriſtum pro eo. Sed & illi non lætantur in eo qui carnalia deſideria, id eſt, exterioris hominis vitia ſequuntur, magis quàm interioris ſapientiam. Hi ſunt qui naſcuntur per gratiam ſancti Spiritus & ſacramentum baptiſmi in regnum, ſed non permanent in eo, reuertentes ad vitia, ideo conſumpti inopia tabeſcent.

Cuſtodi pedem tuum ingrediens in domum Dei, & propinqua vt audias. Multo enim melior eſt obedientia, quàm ſtultorum victimæ, qui neſciunt

quid faciunt mali.] Præcepta dat vitæ, & non vult offendere euntes ad Eccleſiam. Non enim ingredi domum Dei, ſed ſine offenſione ingredi laudis eſt. Et ſi eſſet omnium qui ſunt in Eccleſia Dei, audire ſermonem & diuina myſteria, nunquam addidiſſet, *Appropinqua vt audias.* Denique Moyſes ſolus propè accedebat ad audiendum Deum, cæteri accedere non valebant. Quod ſtulti neſcientes remedium eſſe peccati, æſtimantesque pro oblatione munerum Deo ſatisfacere ſe poſſe, ignorant hoc malum eſſe atque peccatum, non ob obedientiam præceptorum Dei, bonis operibus, ſed donis & victimis emendare velle, quæ iniquè fecerint. Huic congruit illud, quod in Euangelio ipſa Veritas ait: *Diſcite quid eſt, Miſericordiam volo, & non ſacrificium.*

Cap. V.

Ne temere quid loquaris, neque cor tuum ſit velox ad proferẽdum ſermonem coram Deo. Deus enim in cælo, & tu ſuper terram, idcirco ſint pauci ſermones tui. Multas curas ſequuntur ſomnia, & in multis ſermonibus inuenitur ſtultitia.] Plerique arbitrantur hæc in præſenti ſeculo præcipi, ne coram Deo facile aliquid promittamus, & ſine conſideratione virium voueamus ea, quę explere non poſſumus. Adeſſe quippe præſentem Deum, & licet ille in cœlo, nos eſſe videamur in terra, tamen audire quæ loquimur & inſipientiam noſtram argui ex multiplicatione ſermonum. Alij vero melius intelligentes, hæc præcipuè affirmãt, ne aut loquentes cogitanteſue, plus de Deo quàm poſſumus opinemur, ſed ſciamus imbecillitatem noſtram. Quantum enim cœlum diſtat à terra, tantum noſtra opinatio à natura illius ſeparatur: & idcirco debere verba noſtra eſſe moderata. Sicut enim qui in multis cogitationibus eſt, ea ſomniat frequenter, de quibus cogitat: ita qui plura voluerit de diuinitate diſſerere, incidit in ſtultitiam. Vel certe verba noſtra pauca ideo eſſe debere, quod ea quæ noſſe nos æſtimamus, per ſpeculum videmus & in ænigmate, & veluti ſomnium comprehendimus, quod tenere nos æſtimamus: quumque plura vt viſum nobis fuerit dixerimus, finem diſputationis noſtræ eſſe ſtultitiam: ex multiloquio enim nos nõ effugere peccatum.

Si quid vouiſti Deo, ne moreris reddere: diſplicet enim ei infidelis & ſtulta promiſſio. Sed quodcunque voueris, redde. Multoque melius eſt non vouere, quàm poſt votum promiſſa non reddere.]

A Simplex intelligentia, interpretationẽ non indiget. Melius eſt non promittere, quàm promiſſa non facere, quia diſplicent Deo vota infidelium, qui non implẽt, quæ promittunt Deo. Deus niſi verax eſt, & veritas, eoſque amat qui veritatis opera faciũt. Conſideret homo quod Deo voueat, an implere poſſit, quæ vouere cogitat. Sed generaliter omni præcipitur Chriſtiano, vt fidem opere compleat, & non ſit ſimilis Iudæorum qui ſpondent ſe omnia facere, quæ Dominus præcipit, dicentes: *Omnia quæcumque præcipit nobis Dominus, faciemus:* B poſtea vitulos facientes adorauerũt idola.

Ne dederis os tuum vt peccare facias carnem tuam, neque dicas coram Angelo, Non eſt prouidentia, ne forte iratus Deus ſuper ſermone tuo, diſſipet cuncta opera manuum tuarum.] Hebræi ita ſentiunt: Quod non potes facere, non promittas, non enim in vẽtum dicta tranſeunt, ſed à præſenti Angelo, qui vnicuique adhæret comes, ſtatim proferuntur ad Dominum. Et tu qui putas ignorare Deum quod pollicitus es, prouocas eum ad ira- C cundiam, vt omnia opera tua diſſipentur. Nos vero ita intelligimus, quod his verbis arguantur, qui in neceſſitate carnis & naturæ ſe peccare contendunt, Creatorique inſcribunt, cur eos tales fecerit, vt carnali deſiderio ſuperati cogantur peccare, & hoc eſt quod ait: Ne dederis os tuum, vt peccare facias carnem tuam. Noli itaque vanas excuſationes quærere, & dare occaſionem carni tuæ ad peccandum, & dicere, Non ego pecco, ſed quod habitat in mea D carne peccatum. Si enim, inquit, hæc dixeris, Deum prouocas quaſi autorem mali atque peccati, vt iratus ſit, & ſi quid videris boni habere, auferet de manibus tuis, vel certe talia ſentientem, tradet te in reprobum ſenſum, vt facias ea quæ non conueniunt.

Vbi multa ſunt ſomnia, plurimæ ſunt vanitates, & ſermones innumeri. Tu vero Deum time.] Et hunc locũ Hebręi ita ediſſerunt: Nec ſuperiora facias, de quibus iam dictum eſt, nec facile ſomniis credas. Quum enim E diuerſa videris per nocturnam quietem, & variis anima fuerit exagitata terrorib. ſiue incitata promiſſis, tu contemne, quia ſomnia ſunt, & ſolum Deum time: Qui enim ſomniis crediderit, vanitatibus & ineptiis ſe tradet. Aliter quia dixi atque præcepi, non des os tuum vt peccare facias carnem tuam, & quæras vanas excuſationes, hoc nunc infero, quod in ſomno vitæ iſtius, & imagine vmbræ nubis qua viuimus, multa poſſumus inuenire quæ nobis veriſimilia

videantur, & noſtra excuſare peccata. Propterea admoneo, vt id omnimodis caueas, ne putes abſentem Deum ab operibus tuis, imò & cogitationibus peruerſis, ſed eum timeas, & ſcias in cunctis operibus tuis eius prouidentiam eſſe, teque libero arbitrio conditum, non cogi, ſed velle quod facias.

Si videris calumnias egenorum, & violenta iudicia, & ſubuerti iuſtitiam in prouincia, non mireris ſuper hoc negocio, quia excelſior eſt alius, & ſuper hos quoque eminentiores ſunt alij, & inſuper vniuerſæ terræ rex imperat ſeruiēti.] Vnū B disputationis ſeruemus textum, & eundem ſenſum & ordinem ſequamur. Suprà dixit, *Ne dixeris coram Angelo, Non eſt prouidentia, ne fortè iraſcatur Deus ſuper vocem tuam*, & reliqua. Aduerſuſque eos loquutus eſt, qui negarent per prouidentiam Dei res humanas regi. Sed hic intellexit oriri poſſe huiuſmodi quæſtionem: Si à Deo autore res regitur humana, quare iuſti calumniam patiuntur, & quare iniqui ſunt iudices, & non Deus vlciſcitur in eos, qui iniqua faciunt & iudicant? Nunc infert & ſoluit quæſtio- C nem, quæ poterat opponi, dicens: *Si videris calumniam pauperis*, qui beatus in Euangelio prædicatur, & res vigere, non iuſtitiam, nón mireris, nec tibi nouum aliquid eſſe videatur, quia excelſo alius excelſior eſt, & omnia reſpicit Deus, qui Angelos ſuos ſuper iudices & reges terræ præpoſuit, qui poſſunt vtique prohibere iniuſtitiam, & magis in terra valere, quàm quæuis hominum poteſtas. Sed quoniam ſeruat in finem iudicium, & in conſummatione mundi, quando in maturas ſegetes meſſores venire iuſſurus eſt, vt ſeparetur triticum, D & in horreum cœleſtis regni condatur, lolium autem æterno tradatur incēdio, ideo nunc expectat & differt ſententiam, donec in fine mundi iniqui puniantur, & iuſti coronam recipiant iuſtitiæ.

Auarus non implebitur pecunia, & qui amat diuitias, fructus non capiet ex eis: & hoc ergo vanitas. Vbi multæ ſunt opes, multi & qui comedunt eas: & quid prodeſt poſſeſſori, niſi quod cernit diuitias oculis ſuis?] Hic verò auarus de- E ſcribitur, qui nunquam opibus expletur, & quanto plus capit, tanto plus cupit: Sicut hydropicus, quanto plus bibit, tantum ſitis addita creſcit. Flacci quoque ſuper hoc concordat ſententia, qui ait: Semper auarus eget. Nihil diuitiæ proſunt ergo (inquit Eccleſiaſtes) poſſidēti, niſi hoc ſolum, vt videat quod poſſidet. Quanto enim maior fuerit ſubſtantia, tanto plures miniſtros habebit, qui opes deuorent congregatas:

A Dominus autem earum videat tātum quid habeat, & pluſquam vnius hominis cibum capere non poſſit.

Dulcis eſt ſomnus operāti ſiue parum ſiue multum comedat: ſaturitas autem diuitis non ſinit dormire eum.] Adhuc de diuite & auaro ſermo eſt, & comparantur operanti, & abſque ſollicitudine dormienti, ſiue parum ſiue multum comederit, quod ille labore operis & ſudore quemuis cibum digerit, & dulci ſomno perfruitur. Diues verò diſtentus dapibus, in diuerſa laceratus dormire non valet, redundante crapula, & incocto cibo in ſtomachi anguſtiis æſtuante. Porrò quia ſomnus communis de hac vita exitus appellatur, melior erit requies eius qui operatur in præſenti, & ſecundum vires ſuas in bonis operibus conuerſatur, quàm eorum diuitiæ de quibus ſcribitur: *Væ vobis diuitibus, quia recepiſtis conſolationem veſtram.*

Eſt & alia infirmitas peſſima, quam vidi ſub Sole, diuitiæ conſeruatæ in malum Domini ſui, pereunt enim in afflictione peſſima. Generauit filium qui ſumma in egeſtate erit, ſicut egreſſus eſt nudus de vtero matris ſuæ, ſic reuertetur, & nihil auferet ſecum de labore ſuo. Miſerabilis prorſus infirmitas, quomodo venit ſic reuertetur. Quid ergo prodeſt ei quod laborauit in ventum? cunctis diebus vitæ ſuæ comedit in tenebris, & in curis multis, & in ærumna atque triſtitia.] Cum ſuperiori iunge quod ſequitur. Eccleſiaſte diuitem deſcribente quod nec ipſe poſſit ſuis diuitiis perfrui, & crebro propter eas in diſcrimen veniat, nec hæredi quod congregauit relinquat, ſed & ipſe & filius ſuus ſicut venerunt nudi, ita nudi reuertantur in terram, & nihil eos laborum ſuorum comitetur. Nonne enim languor eſt peſſimus, pro diuitiis cogitatione torqueri, & perituras opes quas nobiſcum non poſſumus auferre morientes, in triſtitia, in gemitu, in indignatione, in litibus, caſſo labore conquirere. Poſſumus hæc eadem verba de Philoſophorum dogmatibus, vel hæreticorum peruerſitatibus intelligere, qui in malum ſui, diuitias diuerſorum congregant dogmatum, nec aliquam in eis vtilitatem habent, nec ſectatoribus ſuis fructum relinquunt perpetuum, ſed & ipſi diſcipuli eorum nudi, abſque vllis meritis reuertentur in terram, non habentes lucem veræ ſapientiæ, ſed in tenebris ignorantiæ veriique luminis expertes, omnes labores ſuos perdent, illius iudicio qui ait: *Perdam ſapientiam ſapientium, & prudentiam prudentium reprobabo.*

Hoc

Hoc itaque mihi viſum eſt bonum, vt comedat quis & bibat, & fruatur lætitia ex labore ſuo, quo laborauit ipſe ſub Sole, numero dierum vitæ ſuæ quos dedit illi Deus. Et hæc eſt pars illius, & omni homini cui dedit Deus diuitias, atque ſubſtantiam, poteſtatemque ei tribuit vt comedat ex eis, & fruatur parte ſua, & lætetur de labore ſuo, hoc eſt donum Dei. Non enim ſatis recordabitur dierum vitæ ſuæ, eo quod Deus occupet deliciis cor eius. Qui laboribus ſuis in curarum tenebris veſcitur, & quum grādi vitæ tædio peritura comportat, meliorem dicit eum eſſe, qui præſentibus fruitur bonis in lætitia & iucunditate. Hic enim vel parua voluptas eſt in fruendo, ibi verò ſolicitudinis tantummodo magnitudo. Et reddit cauſas quare donū Dei ſit, frui poſſe diuitiis, quoniam non multum recordabitur dierum laboris ſui, ideo non erit in triſtitia, non cogitatione vexabitur, abductus lætitia & voluptate præſenti. Sed melius eſt iuxta Apoſtolum ſpiritalem eſcam & ſpiritalem potum ſpiritalemque lætitiam à Deo dari intelligi, & videre bonitatem Dei, & iucunditatem cordis ſui in omni labore ſuo, quo ſpiritaliter in bonis laborat operibus, ſpe conſolatus futuræ retributionis: & hæc eſt pars noſtra, vt lætemur in ſtudio bonorum operum, quæ lætitia licet bona ſit, nec tamen plenè bona eſt, donec manifeſtetur Chriſtus, cuius viſio perfecta bonitas eſt & iucunditas. Notandum quoque eſt, quod occupatio in hoc loco in bono intelligi debet, pro intentione ſpiritali, veraque lætitia quam diuina inſpirant gratia, hic in præceptis laborantibus Dei.

Cap. VI.

Est & aliud malum quod vidi ſub Sole, & quidem frequēs apud homines. Vir cui dedit Deus diuitias & ſubſtantiam & honorē, & nihil deeſt animæ eius ex omnibus quæ deſiderat, nec tribuit ei Deus poteſtatem vt comedat ex eo, ſed homo extraneus vorabit illud. Hoc vanitas & magna miſeria eſt. Si genuerit quiſpiam centum liberos, & vixerit multos annos, & plures dies ætatis habuerit, & anima illius non vtatur bonis ſubſtantiæ ſuæ, ſepulturaque careat, de hoc ego pronuncio, quod melior illo ſit abortiuus. Fruſtra enim venit, & pergit ad tenebras, & obliuione delebitur nomen eius. Non vidit Solem, neque cognouit diſtantiam boni & mali, & ſi duobus millibus annis vixerit, & non fuerit perfruitus bonis. Nonne ad vnum locum properant omnia?] Deſcribit auarum diuitem, & hoc malum frequens eſſe in hominibus aſſerit, quod nihil eorum quæ in mundo putantur bona ei deſint, & nihilominus ſtultiſſima parcitate ſe cru- A ciat, aliis deuorantibus cōſeruans. Necnon & illud hyperbolycè addidit, quod etſi liberos centū procreauerit, & non vt Adam propè mille, ſed duobus millibus vixerit annis, & anima eius cupiditate & auaritia contabeſcat, multo deterioris conditionis ſit abortiuo illo, qui ſtatim vt natus eſt interiit: Ille enim nec mala vidit nec bona, iſte verò quum bona poſſederit, ſemper triſtis, & cogitatione excruciatus eſt: magiſque requiem habebit abortiuus, quàm auarus ille longæuus, & tamen ambo æquali fine B rapientur, dum & hic & ille ſubtrahuntur ſimili morte. Poteſt hoc de Iſraël accipi, quod dederit illi Deus legem, & Prophetas, teſtamentum & repromiſſionem, Saluatore dicente: *Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructum eius.* Hæc omnia ad alienum & peregrinum gentium tranſlata ſunt populum, vt videant illi bona ſua & non fruantur. Multoque nos conditionis eſſe melioris, qui quaſi abortiui & nouelli putabamur ab eis, quàm illi qui ſibi in antiquitate applaudebant, de patribus C glorianțes atque dicentes: *Pater noſter Abraham.* Et tamen ad vnum locum & nos & illos properare, id eſt ad iudiciū Dei. Quod autem in medio ait: *Et quidem ſepulchrum non fuit ei*, ſiue hoc ſignificat, quod diues ille de ſua morte non cogitet, & quum omnia poſſideat, in extructione ſepulchri auarus ſit: ſiue quod ſępè propter iſtas diuitias occiſus inſidiis, inſepultus abiiciatur: ſiue, quod melius puto, nihil bonum honorificum-ve egerit, ex quo ſibi queat apud poſteros memoriam comparare, vitam ſilentio velut pecus tranſiens, quum habue- D rit materiam per quam potuerit apparere quod vixerit.

Omnis labor hominis in ore eius, ſed anima eius non implebitur bonis. Quid habet amplius ſapiens à ſtulto, & quid pauper, niſi vt pergat illuc vbi eſt vita?] Omne quod laborant homines in hoc mundo ore conſumitur, & attritum dentibus, ventri traditur digerendum: ſed non implebitur anima comedentis, quia rurſum deſiderat quod comedat. E Et quum tam ſapiens quàm ſtultus abſque cibo nequeant viuere, & pauper nihil aliud quærat, niſi quomodò poſſit organum ſui corpuſcli ſuſtentare, ideo illuc properat pauper, vbi opes eſſe perſpexerit. Sed melius eſt hoc intelligere de Eccleſiaſtico viro, qui in ſcripturis cœleſtibus eruditus, omnem laborem habet in ore ſuo, id eſt, in doctrina ſpiritali, & anima eius non implebitur, dum ſemper cupit diſcere quod doceat, & in eo plus

habet ſapiens quàm inſipiens, quia cum paupere illo qui in Euangelio beatus dicitur, properat ad ea comprehendenda, quæ vitæ ſunt, & ambulat arctam & anguſtam viam, quæ ducit ad vitam. Et pauper eſt ornatus operibus, & ſcit vbi Chriſtus qui vita eſt, commoretur.

Melius eſt videre quod cupias, quàm deſiderare quod neſcias. Sed & hoc vanitas eſt & præſumptio ſpiritus.] Melius eſt iuxta ſenſum & prouidentiam cuncta agere, quia ſenſus oculus eſt animæ, quàm voluntatem carnis ſequi, quæ neſcientem ducit ad perditionem. Vel certè ſuperbum & ſibi placentem arguit, & meliorem dicit eſſe eum qui cuncta prouiderit, quàm illum cui nihil prodeſt, niſi quod ipſe fecerit, quia hæc eſt mala mentis afflictio & præſumptio peſſima, eo quod Deus diſſipat oſſa hominum ſibi placentium.

Qui futurus eſt, iam vocatum eſt nomen eius, & ſcitur quod ſit homo, & non poſſit contra fortiorem ſe iudicio contendere.] Aperte de Saluatoris prædicatur aduentu, quia futurus eſt, antequam in corpore cerneretur. Iam vocatum in ſcripturis nomen eius, & cognitum eſt Prophetis & ſanctis Dei vt homo ſit, & iuxta hoc quod homo eſt, non poſſit ſe conferre cum Patre, vt in Euangelio ipſe ait: Pater qui me miſit, maior me eſt.

Verba ſunt plurima, multamque in diſputando habentia vanitatem.]

Cap. VII.

Qvid neceſſe eſt homini maiora ſe quærere, quum ignoret quid conducat ſibi in vita ſua, numero dierum peregrinationis ſuæ, & tempore quo vt vmbra præteriit. Aut quis ei poterit indicare, quid poſt eum futurum ſit ſub Sole?] Videtur adhuc de Saluatore dicere, & prohibere ne curioſe quæramus qualis vel quantus vel quomodo veniſſet, ſed tantum credere quod ſcriptura ſancta de eo teſtatur. Quum enim de ſtatu noſtro ignoremus, & vita noſtra quaſi vmbra pertranſeat, & futura incerta ſint, non nobis expedit vt maiora quàm poſſumus inquiramus, ſed ſilentium imponamus ori noſtro, credentes eum veniſſe qui prædictus eſt.

Melius eſt enim nomen bonum, quàm vnguenta precioſa, & dies mortis die natiuitatis.] Conſidera, inquit, ô homo dies tuos breues, & quia citò ſublatus carne, in hac vita eſſe ceſſabis. Fac tibi in bonis operibus famam longiorem, vt quomodo nares vnguentorum odore delectantur, ſic ad

A tuum nomen cuncta poſteritas dele... tur. Et hoc eſt quod in Prouerbiis dicitur: *Memoria iuſtorum cum laude, no[m]en autem impiorum putreſcit.* Quod autem ait *dies mortis ſuper diem natiuitatis eius*, hoc oſtendit, melius eſſe ire ex hoc ſeculo, & carere laboribus huius vitæ, quàm ad tribulationes laboreſque tãtummodò naſci, & omnia ſuſtinere quæ in hoc mundo hominibus ſuperuenire videntur. Vel certè quia in morte quales ſimus notum ſit, in exordio verò naſcendi quales futuri ſimus ignoretur.

B *Melius eſt ire ad domum luctus, quàm ad domum conuiuij, in illa enim finis cunctorum admonetur hominum, & viuens cogitat quid futurum ſit.*] Vtilius eſt ad exequias funeris ire, quàm ad domum conuiuij: quia ibi recordatione conditionis noſtræ & fragilitatis humanæ, ex præſenti cadauere commonemur. In conuiuiis autem & lætitia, etſi quid timoris habere videamur vel compunctionis in corde, amittimus, & quid futuri ſimus non cogitamus.

C *Melior eſt ira riſu, quia per triſtitiam vultus, corrigitur animus delinquentis.*] Riſus diſſoluit ſapientem, ira corripit & emendat peccantem. Iraſcamur & nobis, quia peccauimus: iraſcamur aliis quoque peccantibus, ad emendationem ſui, non ad vltionem noſtri.

Cor ſapientium vbi triſtitia, & cor ſtultorum vbi lætitia.] Beati, inquit Saluator, lugentes, quoniam ipſi conſolabuntur: igitur ſapiens vir vadat ad domum lugentis, & D ſeipſum corrigentis, alioſque admonentis vt plangant peccata ſua, non ad domum adulatoris, qui plauſus quærit audientium, non lacrymas delinquentium. Talis doctor plangitur diues in ſermone, non diues in opere. Ideo mox in ſequenti verſiculo adiungit.

Melius eſt à ſapiente corrigi, quàm ſtultorum adulatione decipi: quia ſicut ſonitus ſpinarũ ardentium ſub olla, ſic riſus ſtulti. Sed & hoc vanitas.] Huic ſententiæ ſimile eſt illud: *Meliora ſunt vulnera amici, quàm fraudulenta oſcula inimici.* Sicut enim ſonitus ſpinarum ſub olla ardentium E ſtrepitum reddunt inſuauem, ſic & palpantis magiſtri verba non proderint audienti, vel ad curas ſeculi, quæ ſpinæ interpretantur, auditores ſuos cohortãtis, vel futuro eos incendio præparantis.

Calumnia cõturbat ſapientẽ, & perdit robur cordis illius.] Vtamur hoc verſiculo, ſi quẽ iuſtũ virũ atq. ſapientẽ videamus calumnias ſuſtinere, & turbari de iniquitate iudicis, nec Deũ periclitãti ſubuenire præſẽtẽ: multę tri-

…tationes ſunt iuſtorum, quia refrigeſcit charitas multorum, & abundat iniquitas, pro qua cõturbabitur cor ſapientis Deumque timentis.

Melior eſt finis orationis quàm principium.] Meliora ſunt in dicendo epilogi quàm exordia, quia in iſtis inchoatio eſt locutionis, in illis conſummatio. Qui ad præceptorem vadit, melius in fine verbi intelligit quæ dicuntur, quàm in principio: Ita melior eſt conſummata iuſtitia quàm inchoata: illa victoriam præſtat, iſta certare incipit. Hic enim ex parte cognoſcitur, quum autem venerit quod perfectum eſt, non erit neceſſe illud quod ex parte eſt.

Melior eſt patiens arrogante.] Quia ſuperius iram conceſſerat, dicens: Meliorem iram quàm riſum, ne putaremus iram quæ eſt in paſſione laudari, nunc præcipit iram patientia eſſe tollendam. Ibi enim pro correctione in peccantes, & eruditione in minores iram poſuiſti, hic vero patientiam quæ non ſolum in anguſtiis, ſed & in lætioribus neceſſaria eſt, ne plus quàm decet exaltemur.

Ne ſis velox ad iraſcendum, quia ira in ſinu ſtulti requieſcit.] Inconſiderate iraſci vetat, quia repentinus furor conſilium non habet, & nihil viro ſapienti ſine ratione agendum eſt. Idcirco Comicus quidam ait: *Ne quid nimis*: quia omnis intemperantia cadit in vitium. Ira in ſinu ſtulti requieſcit. Semper iracundia ſuperbiæ iuncta vltionẽ quærit, quia quamuis aliquis potens videatur & ſapiens æſtimetur, ſi iracundus ſine ratione eſt, inſipiens arguitur. Et in Euangelio: *Qui iraſcitur fratri ſuo*, illa vel alia æſtimatione iudicij dignus efficietur.

Ne dicas, Quid putas cauſa eſt quod priora tempora meliora fuere quàm nunc ſunt? ſtulta enim eſt huiuſmodi interrogatio.] Ne dicas ergo meliores fuiſſe dies ſub Moyſe, & ſub Chriſto, quam modo ſunt. Nam & illo tempore plures fuerunt increduli, & dies eorum mali facti ſunt, & nunc credentes multi reperiuntur, de quibus ait Saluator: Beatiores ſunt qui me non viderunt & crediderunt. Aliter: Debes ſic viuere, vt ſemper præſentes dies meliores tibi ſint, quàm præteriti, ne quum paulatim decreſcere cœperis, dicatur tibi: Currebatis bene, quis vos impediuit veritati non obedire?

Vtilior eſt ſapientia quàm diuitiæ, & magis prodeſt videntibus Solem. Sicut enim protegit ſapientia, ſic protegit pecunia. Hoc autem amplius habet eruditio & ſapientia quod vitam tribuunt poſſeſſori ſuo.] Maioris eſt gloriæ
A ſapientia cum diuitiis. Alij enim ſapientia indigent, alij opibus: & melior eſt qui vtrunque præſtat, vtroque indigenti. Qui ſapiens eſt & non diues, poteſt quidem docere quod bonum eſt, ſed interdum non poteſt præſtare quod petitur: ideo ait: Quomodo protegit ſapientia, ita protegit & pecunia: ſed in eo maior eſt ſapientia diuitiis, quod abſque vllis opibus huius ſeculi vitam tribuit habenti eam. Sciendum eſt tamen quod hoc de vera dicitur ſapientia, quæ ad vitam tendit æternam, & deducit ad ſolem iuſtitiæ ſequentem ſe. Vnde
B ait: Videntibus Solem, id eſt, intelligentibus qui ſit Sol iuſtitiæ, & quomodo perueniendum ſit ad eum.

Conſidera opera Dei, quod nemo poſſit corrigere, quem ille deſpexerit.] In hoc verſiculo perſpicuè ad ſtudium nos hortatur ſapientiæ & ſcientiæ, vt conſideremus opera Dei quàm magna & quàm mirabilia ſint, & quomodo alium gratuita pietate elegerit, aliũ iuſto iudicio deſpexerit, ſicut de Iacob & Eſau dicitur: *Iacob dilexi, & Eſau odio habui.*
C Dicitur & in Pſalmo: *Vniuerſæ viæ tuæ miſericordia & veritas.*

In die bona fruere bonis, & malum diem præcaue. Sicut enim hunc, ſic & illum fecit Deus, vt non inueniat homo contra eum iuſtas querimonias.] Hoc enim ait, ſignificans omnium eſſe retributionem: ideo admonet nos, diem malum, id eſt, diem vindictæ præcauere. Bene verò facienti bonus eſt huius vitæ dies, ad promerendum æternæ beatitudinis diem. Sicut enim Deus fecit iſtum, vt bene viuamus in eo, ita & illum malè
D facientibus fecit. Aliter: Bona, inquit, & mala, id eſt, proſpera & aduerſa, prout venerint tibi viriliter ſuſtine, quia vtraque Dei iudicio euenient ſemper iuſto, quamuis ſæpe occulto. Prohibétque querimonias contra Deum, cur alij felicitatem, atque alij miſeriam in hoc habeant ſeculo.

Hæc quoque vidi diebus vanitatis meæ, iuſtus perit in iuſtitia ſua, & impius multo viuit tempore in malitia ſua.] Hoc idem & Propheta in ſeptuageſimo ſecundo Pſalmo
E deteſtando miratus eſt. Et Abacuc Propheta deplorat, quare impij felicia habeant tempora, & iuſti plurimis torqueantur aduerſis. Dei in occulto patientia eſt, tribulari nunc ſanctos, vt recipiant mala in vita ſua, & peccatores non viſitare pro ſcelere ſuo in hoc ſeculo præſenti, vt & illis poſſit æterna bona reſtituere, & his mala æterna inferre, ſicut de Lazaro & de diuite legitur. Vnde & præfatus Pſalmiſta reſpiciẽs finem malorum qui

hic feliciter viuunt, exclamauit dicens: Exiſtimabam vt cognoſcerem, hoc labor eſt ante me, Donec intrem in ſanctuarium Dei, & intelligam nouiſſima eorum.

Noli eſſe iuſtus multum, nec plus ſapias quàm neceſſe eſt, ne obſtupeſcas.] Qui verò nunquam fraternis ignoſcere peccatis vult, ſed omnia vindicare ſecundum furorem animi ſui, plus iuſtus eſt quàm decet. Quum enim Saluator ait: *Nolite iudicare, vt non iudicemini. & , Si dimiſeritis hominibus peccata eorum, dimittet vobis Pater veſter cœleſtis delicta veſtra.* Nec nimis rigidus, aut animo ſolutus magiſter debet eſſe, ſed via regia ingredi, & conſiderare diligenter, quid cui conueniat ad ſalutem animæ ſuæ. Quod autem ait: *Noli quærere amplius, ne obſtupeſcas*: mentem noſtram ſcit perfectam non poſſe comprehendere ſapientiam, & menſuram fragilitatis noſtræ iubet nos ſcire debere.

Ne impiè agas multum, & noli eſſe ſtultus, ne moriaris in tempore nō tuo.] Quum Dominus loquatur, Nolo mortem peccatoris, ſed tantū vt reuertatur & viuat, ſemel peccaſſe ſufficiat, debemus nos erigere poſt ruinam. Si enim iuxta eos qui de phyſicis diſputant, nouit hirundo pullos ſuos de ſua oculare chelidonia, dyctamum capræ appetunt vulneratæ, cur nos ignoremus medicinam pœnitentiæ propoſitam eſſe peccantibus? Quod autem ait, *Ne moriaris in tempore non tuo*: ſcimus Chore & Dathan & Abiron propter ſeditionē aduerſus Moyſen & Aaron repentino terræ hiatu deuoratos, & ad emendationem aliorum ante diem iudicij in hac vita plurimos iudicatos. Quod ergo dicit tale eſt, noli peccatis adiicere peccata, ne prouoces Deum, & hic tibi inferat ſupplicium.

Bonum eſt te ſuſtentare iuſtum, ſed ab illo ne ſubtrahas manū tuam: quia qui timet Dominum, nihil negligit.] Bonum eſt iuſtis benefacere, non iniuſtum eſt tantum domeſticos fidei ſuſtinere, ſed omni petenti tribuere, præceptum eſt. Timens quippe Dominum, & imitator conditoris ſui, qui pluit ſuper iuſtos & iniuſtos, abſque reſpectu perſonarum omnibus benefacere feſtinat. Aliter: Quia vita hęc miſerabilis diuerſis quotidie variatur euentibus, tam ad aduerſa quàm ad proſpera iuſti animus præparetur, & poſcat Dei miſericordiam, vt quodcunque euenerit, libera mente ſuſtineat. Qui timet Dominum, nec poſteris eleuatur, nec opprimitur aduerſis.

Sapientia confortauit ſapientem ſuper decem principes ciuitatis. Non eſt enim homo qui faciat bonum, & non peccet.] Sapientia verò

A ſicut alio loco legitur, melior eſt fortitudine, quam dicit decem principibus eſſe fortiorem in vno ſapiente. Aliter: Decem qui poteſtatem habent & in vrbe conſiſtunt, Angeli ſunt qui ad perfectum numerum peruenire poſſunt denarium, & auxiliantur humano generi. Sed ſi quis conſideret omnia auxilia, maius eſt auxilium ſapientiæ, id eſt, domini noſtri Ieſu Chriſti, omnium Angelorum: quia nullus ex Angelis redimere potuit humanum genus peccatis obnoxium. Tum Dominus Angelorum

B deſcendit, & reſperſos nos ſanguine ſuo, ſanauit ob omni infirmitate peccatorum noſtrorum. Sicut enim per vnum hominem intrauit mors in mundum, ita per vnum, id eſt Ieſum Chriſtum, redemptio venit in mundum.

Sed & cunctis ſermonibus qui dicuntur, ne accommodes cor tuum, ne fortè audias ſeruum tuū maledicentem tibi. Scit enim tua conſcientia, quia & tu crebro maledixiſti aliis.] Docet igitur ſapientem maledicorum linguas non auſcultari, ſed ſapientiæ auxilio confortatum ma-

C gis mores vanos paruipendere, magiſque conſcientiæ bono lætari, quàm maledictis alienis contriſtari: maximè qui ſeipſum nouit aliquoties aliis detrahere, & ſi ſibiipſi ignoſci deſideret alios reprehendenti, aliis quoque ſe reprehendētibus ignoſcat. Si enim curioſus eſt quiſpiam, quid alij de ſe loquantur & iudicent, ſemper in tribulatione erit, quia nullatenus nec ſeruorum ſuorum muſcitationes compeſcere valet, & ſimul docet non facile iudicandum, & habenti trabem in oculo, de feſtuca alterius non loquendum.

D *Cuncta tentaui in ſapientia, dixi: Sapiens efficiar, & ipſa longius receſſit à me, multo magis quàm erat, & alta profunditas: quis inueniet eam?*] Dicit ſe, vt Regnorum quoque teſtantur libri, vltra omnes homines quæſiſſe ſapientiam, & tentaſſe ad finem illius peruenire: ſed quanto plus quæſierit, tanto minus reperiſſe, & in media demerſum caligine tenebris ignorantiæ circumdatum. Aliter autem: Qui eruditus fuerit in ſcripturis,

E quanto plus ſurgere cœperit, tanto ei in his quotidie oritur maior obſcuritas: quia in ſpeculo & imagine videmus, donec veniat quod perfectum eſt: ideo hæc ſapientia mortalium parua eſt, ad illam quæ ſanctis datur in futuro regno Dei.

Luſtraui vniuerſa animo meo, vt ſcirem & conſiderarem & quærerem ſapientiam & rationem, & vt cognoſcerem impietatē ſtulti & errorē imprudentiū, & inueni amariorem morte mulierē, quæ laqueus venatorum eſt, & ſagena cor eius,

Vincula ſunt manus illius: qui placet Domino ef-fugiet eam, qui autem peccator eſt, capietur ab illa.] Quia ſuprà Eccleſiaſtes dixerat, omnia ſe in ſapientia tentaſſe, & quanto eam plus inquiſierit, tanto illam longius refugiſſe: Nunc ait, & illud in ſua inueniſſe ſapientia malum, quod in rebus humanis omnia vinceret mala, id eſt, mulierem omnium eſſe malorum caput, quia per illam mors in orbem terrarum introiuit, & precioſas animas virorum capit, & quum in mentem miſeri amatoris inciderit, trahit eũ in præceps, nec ante pedes ſuos reſpicere patitur, B ſed quaſi laqueus & ſagenæ cor adoleſcentis innectit. Vincula ſunt manus illius. id eſt, ſuadere poteſt, vim facere non poteſt, nec ad ſe nolentes compellere. Iuſtus qui fuerit & bonus coram Deo, eruetur ab ea: peccator vero captus deducetur ad mortem. Non putemus hinc Salomonem de omni genere mulierum protuliſſe ſententiam: quod expertus eſt loquitur, ideo quippe oſtendit Deum, quia captus fuit à muneribus. Et hęc ſecundum litteram. Cæterum ſecũdum intelligentiam ſpiritalem, C hæretica prauitas mulieris nomine deſignatur, quæ mollibus incautos ſæpè ligat ſermonibus, quia panis abſcõditus, & aquæ furtiuæ dulciores inſipientibus ſolent eſſe.

Ecce hoc inueni, dicit Eccleſiaſtes, vnum & alterum, vt inuenirem rationem quam adhuc quærit anima mea, & non inueni. Virũ de mille vnum reperi, mulierem ex omnibus non inueni. Solummodo hoc inueni, quod fecerit Deus hominem rectum, & ipſe ſe infinitis miſcuerit quæſtionibus.] Omnia diligenter tractando conſideraui, D vt rationem vnius alterius-ve rei, id eſt, cuiuſcunque rei inuenirem, vel etiam inter homines eorumque mores diſcretionem, quis perfecte bonus eſſet. Sed ex omnibus viris vnum inueni perfectè bonum, id eſt, Chriſtum: ſicut Propheta dicit, Non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum. Solus Chriſtus ſine omni labe peccati inuentus eſt bonus. Millenarius verò numerus pro ſanctorum diſcretione à peccatoribus, qui mulieris nomine deſignantur, hoc in loco ponitur. Vir igitur à virtute dicitur, E & mulier à mollitie. Poteſt quoque mulier pro carnalibus accipi operibus, & vir qui à virtute dicitur, pro rationali animi excellentia. Sed ne videretur his ſermonibus communem humani generis naturã damnare, & Deum autorem facere mali, dum talium conditor ſit, qui malum vitare non poſſunt, argute præcauit & ait: Bonos nos ſcimus à Deo creatos, ſed quia libero ſumus arbitrio derelicti vitio noſtro ad peiora labi, dum maiora quærimus, & vltra vires noſtras varia cogitamus.

Cap. VIII.

QVis talis vt ſapiens eſt, & quis cognouit ſolutionem verbi? Sapientia hominis lucet in vultu eius, & potentiſſimus faciem eius commutauit.] Suprà docuerat difficile bonum hominem inueniri, & venientem contrà eluſerat quæſtionem dicens, à Deo bonos homines conditos, ſed ſponte ſua in peccatum lapſos. Nunc quid bono homini dederit Deus quaſi gloriabundus enumera, ſapientiam ſcilicet, rationem prudentiæ, occulta Dei noſſe myſteria, & arcana eius ſenſu cordis intrare. Obliquè autem de ſe loquitur, quod nemo ita fuerit ſapiens, vt ipſe, & nullus ſic ſciret problemata & ſolutiones, & ſapientia eius à cuncto laudata ſit populo, quæ non ſolum intrinſecus latuerit, ſed & in ſuperficie corporis & ſpeculo vultus eluxerit, vltraque omnes homines prudentiam mentis in facie ſua pinxerit. Multi ſunt qui promittunt ſapientiam & ſolutionẽ ſe ſcire diuinæ ſcripturæ, ſed pauci ſunt qui veram inueniant ſolutionem meam. Sed & hoc ſciendum eſt, quod ſapiens ſæpè moribus agnoſcitur honeſtis, & viſu diſcernitur à ſtulto.

Ego os regis obſeruo, & præcepta iuramenti Dei. Ne feſtines recedere a facie eius, neque permaneas in opere malo, quia omne quod voluerit faciet, & ſermo illius poteſtate plenus eſt: nec dicere quiſquam poteſt, quare ita facias?] De eo ſiquidem videtur dicere, de quo in Pſalmo cantatur: Domine in virtute tua lætabitur rex. Et in alio loco, vt Patris & Filij regnũ vnum ſignificetur, ſcriptura commemorat: Deus iudicium tuum regi da, & iuſtitiam tuam filio regis. Non enim iudicat pater quenquam, ſed omne iudicium dedit filio. Qui rex filius, Dei patris regis eſt filius. Huius itaque cuſtodienda ſunt præcepta, qui ait: Si vis vitam ingredi, ſerua mandata. Admonet quoque non eſſe diſcutienda præcepta Dei, quare hoc vel illud præceperit, ſed quodcunque viderit eſſe mandatum, hoc pia mens hominis implere feſtinet, vt ſit in lege Domini voluntas eius die ac nocte. Iuramentum Dei dicitur pro affirmatione ſententiæ eius, quæ nullatenus immutari poterit. Idcirco conſilium dat ne ſtemus in opere malo, quia neſcit homo quid ventura pariat dies. Igitur pœnitenti indulgentia promiſſa eſt, craſtinus dies vero nemini certus eſt. Ideo dicit ſcriptura: Ne tardes conuerti ad Dominum.

Qui cuſtodierit mandatum, non experietur in futuro quicquam mali.] Qui in hoc ſeculo præceptum Domini cuſtodit, non experietur quicquam mali.

Tempus & reſponſionem cor ſapientis intelligit.] Præcipit autem & Regis imperium, id eſt Chriſti, conſeruandum, & ſcire quid, & quare, & quo tempore iubeat.

Omni negocio tempus eſt & opportunitas, & multa hominis afflictio, quia ignorat præterita, & futura nullo ſcire poteſt nuncio.] Omni negocio, ait, tempus eſt, idem quod in ſuperioribus dixit, omnia opportunitatem habere: quondam fuit tempus circunciſionis, ſed modo tempus gratiæ. Etenim magna afflictio generis humani, quia ad laborem homo naſcitur, & variis affligitur tribulationibus, cui ſæpe aliud euenit, & aliud ſperat: ab altero ſibi velut ab hoſte cauet, & alterius iaculo vulneratur, quia neſcius eſt futuri, ſicut Poëta ait:

Neſcia mens hominum fati ſortiſque futuræ.

Quamuis nemo ſit conſcius futurorum, tamen ſcire debet omnia à Deo ad vtilitatē hominum fieri, & non abſque eius voluntate diſponi, ſine cuius diſpoſitione nec vnus paſſer in laqueum cadit.

Non eſt in hominis ditione prohibere ſpiritum, nec habet poteſtatem in die mortis, nec ſinitur quieſcere ingruente bello, neque ſaluabit impietas impium.] Non eſt ergo lugendum, ſi futura ſcire non poſſumus, & ſæpe ab iniquis potentioribus opprimamur, quum morte omnia finiantur, & ſuperbus & potens qui cunctà populatus eſt, non valet animam ſuam retinere, quum exire iubetur de corpore, nec eum ſaluabit impietas ſua, ſed magis aggrauat in die exitus ſui, dum meritis æqualia recipit ſuis, & ingruente ſuper ſe bello miſeriæ peccatorum ſuorum, ſaluari non poterit, eo quod negligit tempus pœnitentiæ.

Omnia hæc conſideraui, & dedi cor meum in cunctis operibus quæ fiunt ſub Sole. Interdum dominatur homo homini in malum ſuum. Vidi impios ſepultos, qui etiam quum adhuc viuerent, in loco ſancto erant, & laudabantur in ciuitate quaſi iuſtorum operum. Sed & hoc vanitas eſt. Etenim quia non profertur cito ſententia operum contra malos, abſque vllo timore filij hominum perpetrant mala.] Hanc ſententiam beatus Hieronymus ita interpretatus eſt: Dedi, inquit, cor meum vt omne quod ſub Sole geritur intuerer, & hoc maximè quod homo in homines accipit poteſtatem, vt quoſcunque vult affligat atque condemnet. Quum itaque mentem meam ad hæc intuenda dirigerem, vidi impios cum tali opinione

A mortuos, & ſic ſepultos vt ſancti æſtimarentur in terra, quod quum viuerent putabantur digni eſſe Eccleſię principes, & templo Dei, & inſuper ambulantes tumidi laudabantur in malis ſuis, ſicut ſcriptum eſt: Laudatur peccator in deſideriis animę ſuæ, & qui iniqua gerit benedicitur. Hoc autem propterea euenit, quod nemo peccantibus Epiſcopis audet contradicere, nec ſtatim Deus ob ſcelus vlciſcitur, ſed differt pœnam, quum expectat pœnitentiam. Peccatores autem qui non ſtatim arguti atque correcti ſunt, putantes nequaquam futurum

B eſſe iudicium, in ſcelere perſeuerant. Poſſumus hoc teſtimoniū accipere aduerſus Epiſcopos qui acceperunt in Eccleſia poteſtatem, & ſcandalizant magis eos quos docere & ad meliora debuerant incitare. Hi frequenter poſt mortem laudantur in Eccleſia, & beati in his quæ non probabiliter fecerunt publicè, ſiue à ſucceſſoribus, ſiue à populis prædicantur. Et hoc quidem vanum eſt, quod non ſicut egerunt ſic audiunt, nec ſtatim corripiuntur in peccato

C ſuo. Nemo quippe audet accuſare maiorem, propterea quaſi ſancti & beati in præceptis Domini ambulantes, augent peccata peccatis. Difficilis eſt accuſatio in Epiſcopum: ſi enim peccauerit non creditur, & ſi conuictus fuerit non punitur.

Attamen ex eo quod peccator centies facit malum, & per patientiam ſuſtentatur, ego cognoui quod erit bonum timentibus Dominum, qui verentur faciem eius.] Ex eo quod impius plurimum peccat, hoc quippe ſignificat quod ait, Centies dat Deus locum pœnitentiæ,

D & non ſtatim punit in ſcelere, ſed expectat vt conuertatur ab iniquitate ſua, & agat pœnitentiam: quia non vult mortem peccatoris, ſed vt conuertatur & viuat. Ego intelligo quia benignus & miſericors ſuper eos futurus ſit Deus, qui habent timorem illius, & ad verbum eius contremiſcunt, & agunt pœnitentiam de præteritis, & de futuris ſibi cauere incipiunt, quia peccator poſt pœnitentiam ſi reuertetur iterum ad peccata priora, cani comparatur, qui reuertitur ad

E vomitum ſuum.

Non ſit bonum impio, nec prolongetur dies eius, ſed quaſi vmbra tranſeant, qui non timent faciem Dei.] Imprecatur male his qui non habent timorem Dei, & optat ne diu differantur à pœna, ſed ſtatim morte ſubtracti cruciatus recipiant, quos merentur. Simile quid & Apoſtolus loquitur: *Vtinam præcidantur qui nos conturbant!* Et alibi: *Alexander ærarius multa mala mihi oſtendit, reddet illi Deus ſecundum opera eius.* Et

malis quidem qui conuerti non volunt, ſed in malitia ſua permanere, melius eſt mori quàm viuere; quia quanto plures viuit dies, tanto atrociorem ſibi præparat pœnam. Vnde & Comicus ait: *Quid mali imprecer homini, niſi vt diu viuat?*

Eſt & alia vanitas quæ fit ſuper terram: Sunt iuſti quibus mala proueniunt quaſi opera egerint impiorum, & ſunt impij qui ita ſunt ſecuri, quaſi iuſtorum facta habeant. Sed & hoc vaniſſimum iudico.] Inter cæteras vanitates quæ in mundo vario feruntur euentu, etiam hoc deprehendi, quod iuſtis ea frequenter eueniunt, quæ impiis euenire debuerant, & impij tam feliciter in hoc mundo degant, vt eos putes eſſe iuſtiſſimos; quemadmodum de diuite purpurato, & Lazaro mendico legitur in Euangelio. Septuageſimus quoque ſecundus Pſalmus de hac re diſputat, cur iuſtis interdum mala, & impiis eueniant bona. Sed Hebræi hoc de filiis Aaron intelligunt, qui Deo ſacrificantes perierunt: & de Manaſſe, qui poſt tanta mala reductus eſt de captiuitate, & reſtitutus in regnum, vt dies ſuos feliciter finiret.

Laudaui igitur lætitiam, quod non eſſet homini bonum ſub Sole, niſi quod comederet & biberet atque gauderet, & hoc ſolum ſecum auferret de labore ſuo in diebus vitæ quos dedit ei Deus ſub Sole.] Concionator noſter, qui multas in ſe transfigurat perſonas, modo vulgi verba profert, quod nihil aliud bonum æſtimat, niſi lætari manducando & bibendo, & ſeculi ſeruiendo deliciis, ſummam accipere felicitatem. Sed hæc ſentẽtia ſi ſic intelligitur ſicut ſcripta eſt, miſeros approbauit quos in Euangelio Dominus beatos aſſerit, id eſt, pauperes quorum regnum cœlorum eſſe dixit: necnon eſurientes & ſitientes beatos eſſe ibidem teſtatur. Sed melius eſt de ſpiritali cibo, & potu ſapientiæ hæc intelligere, de quibus & in Pſalmo legitur: Vinum lætificat cor hominis, & panis confirmat. Quod autem hæc ſpiritaliter ſentienda ſunt, ſequens verſiculus demonſtrat, in quo ait.

Et appoſui cor meum vt ſcirem ſapientiam, & intelligerem diſſenſionem quæ verſatur in terra. Eſt homo qui diebus ac noctibus ſomnum oculis non capit, & intellexi quod omnium operum Dei nullam poſſit homo inuenire rationem eorum quæ fiunt ſub Sole: & quanto plus laborauerit ad quærendum, tanto minus inueniet: etiam ſi dixerit ſapiens ſe noſſe non poterit reperire.] Teſtatur ſcilicet melius eſſe, in meditatione ſcripturæ ſanctæ verſari die ac nocte, quàm in epulis carnalibus perdere tempora ſibi à Deo data, ad proficiendum in ſapientiæ ſtudiis, vt cognoſcat mirabilia Dei, & laudet Creatorem in operibus ſuis: quamuis occulta ſũt iudicia Dei, tamen miranda ſunt, & Creator in eis laudandus eſt. Et quid de ſtulto dicẽdum eſt, dum ſtudioſus ſapientiæ ſcrutator inuenire non valet, quare hoc vel illud factum ſit, & quare mundus variis gubernetur euentibus, cur alius cæcus, alius debilis, alius videns & ſanus naſcatur: hic paupertatem habeat, ille diuitias: iſte ſit nobilis, ille inglorius. Suboſtendit itaque his verbis eſſe cauſas rerum omnium rationabiles per iuſtitiã Dei, quare vnumquodque fiat, ſed in occulto eas latere, & non poſſe ab hominibus comprehendi.

Cap. IX.

Omnia hæc tractaui in corde meo, vt curioſe intelligerem. Sunt iuſti & ſapientes, & opera eorum in manu Dei, & tamen neſcit homo, vtrum amore an odio dignus ſit, ſed omnia in futurũ ſeruantur incerta, eo quod vniuerſa æquè eueniãt.] Porro hic ſenſus eſt huius ſententiæ: In hoc dedi cor meum, & ſcire volui quos Deus diligeret, & quos odiſſet. Inueni iuſtorum opera in manu Dei eſſe, & tamen vtrum amentur à Deo an non, ſcire nequeo, & ambigo fluctuans in cogitationibus meis, vtrũ ſuſtineant ad probationem iuſti tribulationes in hoc ſeculo, ſicut Iob, an per odium vt plurimi peccatores. Sed hoc nunc habetur omnimode incertum.

Iuſto & impio, bono & malo, mundo & immundo, immolanti victimas & ſacrificia contemnenti: Sicut bonus, ſic & peccator: vt periturus, ita & ille qui verum deierat. Hoc eſt peſſimum inter omnia quæ fiunt ſub Sole, quia eadem cunctis eueniunt.] Ea quę per ſe nec bona nec mala ſũt, & à ſapientibus huius ſeculi media nuncupantur, quia æqualiter iuſtis eueniunt & iniuſtis, ſimplices quoſque conturbant, cur ita eueniant, & propterea non putant eſſe iudicium, quum omnium rerum in futuro diſcrimen ſit. Tale quid in Euangelio ipſe Dominus ait: *Eſtote perfecti ſicut Pater veſter perfectus eſt, qui Solem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, & pluit ſuper iuſtos & iniuſtos.* Quod autem ait, euẽtus eſt vnus omnibus, iuſto & impio, ſiue anguſtiarum ſiue mortis ſignificat euentum. Ideo nec charitate Dei dignos vel odio ſeipſos eſſe intelligũt. Hoc enim peſſimum eſſe omnium quæ ſub Sole ſunt dixit, quia nulla diſcretio hic eſſe videtur inter bonos & malos, & hoc apud eos qui cum Propheta non intrabunt in ſanctuarium Dei, vt intelligant nouiſſima eorum.

Vnde & corda filiorum hominum implentur A *malitia & contemptu in vita ſua, & poſt hæc ad inferos deducentur. Nemo eſt qui ſemper viuat, & qui huius rei habeat fiduciam.*] Eundem ſenſum replicat quem ante poſuit, quia communes anguſtiæ iuſtos & iniuſtos premunt. Ideo ſine reſpectu homines peccare non metuunt, quia in præſenti iudicium Dei nõ vident ſuper impios, qui ſubito rapiuntur pro peccatis ad inferos, dum nec ſemper viuere poteſtatem habent, nec vllus tam potens eſt in ſeculo, qui huius rei, id eſt, ſine morte viuere, facultatem habere valeat. Vnde in ſequentibus mox adiungit.

B *Melior eſt canis viuens leone mortuo, viuentes enim ſciunt ſe eſſe morituros, mortui verò nihil nouerũt amplius, nec habent vltra mercedem, quia obliuioni data eſt memoria eorum. Amor quoque & odium & inuidia ſimul perierunt, nec habent partem in ſeculo, & in opere quod ſub Sole geritur.*] Quod autem ſuprà dixerat cor filiorum hominum impleri malitia & iniquitate, & poſt hæc omnia morte finiri, nunc eadem complet & repetit, donec viuant homines poſſe eos iuſtos fieri, poſt mortem verò nullam boni operis occaſionem dari. C Peccator enim viuens, quem cani comparauit, poteſt melior eſſe iuſto mortuo, quẽ leonem dixit: quia viuens proficere poterit in opere bono, mortuus verò nihil poteſt addere meritis ſuis. Poſſumus quoque canẽ pauperem iuſtum intelligere viuentem, & leonem mortuum potentem huius ſeculi, qui nihil ſecum bonorum exiens de hoc mundo meritorum abſtulit. Sed & dilectio eorũ & odium & immolatio & omne quod in ſeculo habere potuerunt, mortis finitur aduentu, nec iuſtè quippiam poſſunt agere D nec peccare, nec virtutes adiicere nec vitia. Spiritaliter etiam intelligamus Chananæam illam, cui dictum eſt: *Fides tua te ſaluam fecit*, canem iuxta Euangelium eſſe, leonem mortuum circumciſionis populum, ſicut Balaam Propheta dicit: *Ecce populus vt catulus leonis, exurget vt leo exultans.* Canis viuens nos ſumus ex nationibus, leo verò mortuus Iudæorum populus à Deo derelictus. Et melior eſt apud Dominum iſte canis viuẽs, quàm ille leo mortuus. Nos verò viuentes cognoſcimus Patrem & Filium & Spiritum E ſanctum, illi verò mortui nihil ſciunt, nec æſtimant aliquam repromiſſionem atque mercedem, ſed completa eſt eorum memoria: neque meminerũt ipſi quæ ſcire debuerunt, neque illorum Dominus iam recordatus eſt, qui perierunt in ſcelere ſuo. Quorum zelus & inuidia & æmulatio quã habuerunt contra Chriſtum & Apoſt pariter periit.

Vade ergo & comede in lætitia panem t & bibe in gaudio vinum tuum, quia placent opera tua.] Melius hæc omnia, ſicut ſæp ximus, ſpiritaliter intelliguntur quàm naliter, ne forte in Epicuri dogma rua. qui beatã æſtimauit vitã corporis del tionibus frui: niſi forte Cõcionatoris r æſtimemus Salomonem vulgi verba & ſus ex ſua perſona proferre. Dicamus a ri ſenſu: Quia didiciſti priori ſententia, quod morte omnia finiuntur, & in inferno non ſit pœnitentia fructuoſa, nec aliquis virtutis recurſus, dum in iſto ſeculo es feſtina, contende, age pœnitentiam: dum habes tempus labora: libenter enim Deus ſuſcipit pœnitentiam, & comede panem charitatis, & vinum ſapientiæ bibe, vt Deo placeant opera tua, ſicut verus Eccleſiaſtes in Euangelio dicit: *Qui ſitit veniat ad me & bibat.* Et in Prouerbiis: *Venite, comedite panem, & bibite vinum quod miſcui vobis.*

Omni tempore ſint veſtimenta tua candida, & oleum de capite tuo non deficiat.] Habeto, inquit, corpus mundum & caſtum, & eſto miſericors: hoc eſt quod in Euangelio ipſa Veritas ait: Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris. In præcinctu caſtitatem corporis ſignificat, & in lucernis ardentibus quæ oleo alantur bonorum operum, candorem & prædicationis lucem. Hoc oleo vultus noſter exhilarandus eſt: hoc ieiunantes vnguentum in capite habeant, quod peccatores habere nõ poſſunt, quorum vir iuſtus oleum deteſtatur, vbi ait: *Oleum peccatoris non impinguet caput meum.* Quod oleum hæretici habere ſolent, vt perfundant capita deceptorum, id eſt, verba ſuauia, ſed fallaciæ plena.

Perfruere vita cum vxore quam diligis cunctis diebus vitæ inſtabilitatis tuæ qui dati ſunt tibi ſub Sole omnibus diebus vanitatis tuæ. Hæc eſt enim pars in vita & in labore tuo, quo laboras ſub Sole.] Sapientiam ſequere, & ſcientiam ſcripturarum, & hanc tibi in coniugium copula, de qua in Prouerbiis: Ama illam & ſeruabit te, amplexare eam & circumdabit te. Dies enim vanitatis, dies huius ſeculi nequam ſignificat, de quibus & Apoſtolus non tacet. Pulchrè præcipit vt in diebus vanitatis noſtræ veram vitam cum ſapientia vxore quæramus: hæc enim pars noſtra eſt, & hic laboris fructus, ſi in hac vita vmbratili ſapientiam veram, quæ ad vitam nos ducat æternam, inuenire valeamus.

Quodcunque facere poteſt manus tua inſtanter

operare, quia nec opus, nec ratio, nec ſcientia, nec ſapientia erunt apud inferos, quo tu properas.] Fac quodcumque boni operis valeas: nunc laborandum: habes tempus laborandi, quia mors tibi quæ inferni nomine deſignatur, tempus tollet proficiendi, Propheta dicente: *Numquid mortuis facies mirabilia, aut in inferno quis confitebitur tibi? Numquid enarrabit aliquis in ſepulchro miſericordiam tuam?* Simile quid Saluator in Euangelio dicit: *Operamini dum dies eſt, veniet nox quando nemo poterit operari.*

Verti me ad aliud, & vidi ſub Sole nec velocium eſſe curſum, nec fortium bellum, nec ſapientiũ panem, nec doctorum diuitias, nec artificum gratiam, ſed tempus caſumque in omnibus.] Epiſtola ad Romanos huic loco conuenit, vbi dicit, non eſſe volentis neque currentis, ſed Dei miſerantis, quia ſine gratia Dei, nec voluntas bona erit in homine, neque curſus boni operis ſine Deo fieri valet. Et hic locus Pelagianam ſectam optimè deſtruit. Qui graui peccatorum pondere premitur, non eſt aptus ad curſum illum de quo dicitur: *Curſum conſummaui, fidem ſeruaui.* Qui autem leuis eſt, & anima illius non grauatur, nihilominus & ipſe abſque adiutorio Domini non poteſt ad cœlum peruenire, quia quandiu ſarcina carnis anima aggrauatur, bellũ ſibi aduerſum aërias reſtat poteſtates: licet enim ſit robuſtus, propriis viribus vincere non poterit, nec cœleſtem & viuentem panem habere poterit, niſi per ſapientiam cohortantem: *Venite, comedite panes meos.* Sciendum quoque eſt, virum prudentem diuitias ſalutis & ſapientiæ habere non poſſe, niſi eas à Deo acceperit; cuius ipſæ diuitiæ ſunt, de quibus & alibi ſcriptum eſt: *Redemptio animæ viri propriæ diuitiæ.* Gratiam quoque niſi ſcientiam comitata fuerit, & conceſſa à Deo, quis eruditus vir poterit inuenire? Quod Paulus ſciens, *Plus*, inquit, *omnibus laboraui: non autem ego, ſed gratia Dei quæ mecum eſt.* Et iterum: *Gratia eius in me vacua non fuit.* Et ad extremum neſcitur ab homine, quando tempus aduenìat, in quo varius euentus & finis omnium ſubſequatur.

Neſcit homo finem ſuum, ſed ſicut piſces capiuntur hamo, & ſicut aues comprehenduntur laqueo, ſic capiuntur homines tempore malo, quum eis extemplo ſuperuenerit.] Neſciunt homines, ſicut ſupra dictum eſt, tribulationes vel repentinas miſerias, quæ ſuperueniunt eis incerto Dei iudicio ſæpe occulto, ſed numquam iniuſto: nec etiam ipſius mortis horam noſſe poterunt, quæ ſicut fur veniet, vt vaſtet domum peregrinationis noſtræ. Sicut piſces capiuntur reti, vel aues laqueo, ita filios hominum repentinæ inuoluent anguſtiæ. Porrò ſecundum allegoriam ſciẽdum eſt, regnum cœlorum ſimile eſſe ſagenæ miſſæ in mare: hoc eſt, Euangelica prædicatione miſſa in huius mundi fluctiuagas tempeſtates, vnde Dominus in vocatione Apoſtolorum ait: *Venite poſt me, faciam vos fieri piſcatores hominum.* Et econtrario, ſagenam habent hæretici malæ prædicationis, qua capiunt animas innocentes ad interitum. Sagena eorum eſt ſermo affabilis, blãdum eloquium, ſimulata aut coacta ieiunia, veſtis humilis, virtutum imitatio, per quæ laqueum ponunt animabus ſimplicium vt capiant eas, ſicut piſces ſagena capiuntur, & aues laqueo. Sciendum eſt Eccleſiaſticos quoque viros, qui filij hominum appellantur, & ſunt modicæ fidei, cito poſſe corruere. Notandum eſt, quod per totum librum vbicũque dicitur filij hominum, in Hebræo habetur filij hominis, hoc eſt filij Adam: & omnis penè ſcriptura hoc idiomate plena eſt, vniuerſum genus humanum Adam filios vocans.

Hanc quoque vidi ſapientiam, & probaui maximam. Ciuitas parua, & pauci viri in ea, & venit rex contra eam magnus, & vallauit eam, & extruxit munitiones per gyrum, & perfecta eſt obſidio, inuentuſque eſt in ea vir pauper, & liberauit vrbem per ſapientiam ſuam, & nullus deinceps recordatus eſt hominis illius pauperis.] Aliis omnia incerta dicentibus, & iuſtum ab iniuſto amplius nihil habere, ego ſapiẽtiam in hoc maximam comprobaui, quod crebro euenit vt parua ſit ciuitas, & habitatores in ea pauci, & innumerabilium hoſtium cingatur exercitu & obſidione, & fame populus intus necetur, & repente contra omnium ſuſpicionem inueniri virum humilem & pauperem, qui haberet ſapientiam maiorẽ cunctis diuitibus magnis, & potentibus & ſuperbis in periculo poſitis, & obſidionem pauentibus, cogitat & inquirit vt inueniat quomodo à malis eruat ciuitatem. Et ingrata hominum obliuio poſtquam fuerint libertati dediti, & ſoluta captiuitas, & reddita patriæ libertas, nemo meminit ſapientis illius pauperis, nemo pauperi refert gratias pro ſalute, ſed omnes honorant diuites, qui in periculo nihil ſubuenire poterãt. Aliter: Parua ciuitas, & viri in ea pauci, ad comparationem totius mundi, Eccleſia eſt. Aduerſus eam ſæpe conſurgit rex magnus diabolus, non quod magnus ſit, ſed quod magnum ſe eſſe iactitet, & circundat eam obſidione, ſiue perſecutione, ſiue alio anguſtiarum genere, & inuenit in ea virum pauperem & ſapientem, Dominum noſtrum

Ieſum Chriſtum, qui pro nobis factus eſt pauper, & liberat vrbem in ſapientia ſua. Sed proh dolor, quum vrbs per hunc pauperem ſapientem liberata fuerit, vix aliquis eius meminit, vix illius mandata conſiderat, ſed totos ſe luxuriæ & voluptatibus cõcedentes, quærunt diuitias, quæ tempore neceſſitatis & anguſtiæ non liberant eos.

Et dicebam ego meliorem eſſe ſapientiam fortitudine. Quomodo ergo ſapientia pauperis contempta eſt, & verba eius non ſunt audita?] Quando nullus meminit ſapientis pauperis illius, quum læta ſunt omnia, ſed vniuerſi diuitias & potentiam admirantur. Ego tamen per omnes ſupra interpretationes magis honoro contemptam ſapientiam, & verba quæ nullus audire dignatur.

Verba ſapientum audiuntur in ſilentio, plus quã clamor principis inter ſtultos.] Verba quippe ſapientium in quiete & moderato audiuntur ſilentio, & qui non quærunt plauſus excitare vulgi, ſed ſalutem deſiderant audientium. Qui vero inſipiens eſt, quamuis ſit potens, & clamorem ſiue ſuæ vocis ſiue populi habeat acclamantis, inter inſipiẽtes computatur, qui ſibi laudem quærit humanam, non profectum populi audientis.

Melior eſt ſapientia quam arma bellica, & qui in vno peccauerit, multa bona perdet.] Nunc quoque ſapientiam præfert fortitudini, & dicit eam plus valere in præliis, quàm arma pugnantium, & crebro euenit quod per vnius inſipientiam opes magnæ atque diuitiæ pereunt. Quod verò ait: *Qui in vno peccauerit, multa bona perdet:* ſimile quid & Iacobus Apoſtolus ponit, vbi ait: *Qui in vno peccauerit, factus eſt omnium reus.* Qui in ſola peccauerit charitate, omnium expers bonorum inuenietur.

Cap. X.

Muſcæ morientes perdũt ſuauitatem vnguenti: precioſior eſt ſapientia & gloria parua ad tempus ſtultitiæ.] Exemplum ſuperioris ſenſus dedit, in quo ait, per vnum ſtultum multa bona poſſe ſubuerti, quod ſic malus mixtus bonis contaminet plurimos, quomodo muſcæ ſi moriantur in vnguento, perdunt odorem eius & ſaporem. Et quia ſæpe mixta eſt ſapientiæ calliditas, & prudentiæ malitia, præcepit vt ſapientiam ſimplicem requiramus, mixtaque ſit cum innocentia columbarum prudentia ſerpentina, & vt prudentes ſimus ad bonum, ſimplices autem ad malum. Aliter: Precioſior eſt humilis gloria, quàm ſuperba elatio, & ad tempus ſtultum videri, id eſt ſimplicem, quam glorioſum & ſuperbum.

Cor ſapientis in dextera eius, & cor ſtulti in ſiniſtra illius. Sed in via ſtultus ambulans, quum ipſe inſipiens ſit, omnes ſtultos æſtimat.] Et in Euangelio præcipitur, vt neſciat ſiniſtra quid faciat dextera ſapientis. Et quando percutimur in maxillam dextram, non iubemur ſiniſtram genam percutienti præbere, ſed alteram. Iuſtus autem ſiniſtram in ſe non habet, ſed totum in eo dextrum eſt. Qui autem ſapiens eſt, ſemper de futuro ſeculo cogitat, quod ducit ad dextram: qui vero inſipiens eſt, de præſenti, quod poſitũ eſt in ſiniſtra, ſemper inquirit. Sequens autem verſiculus in quo ait: *Sed in via ſtultus ambulans, quum ipſe inſipiens ſit, omnes ſtultos æſtimat:* hunc ſenſum habet, ſtultus vt ipſe peccat, ſperat omnes peccare ſimiliter, atque ex ſuo ingenio vniuerſos iudicat.

Si ſpiritus poteſtatem habentis aſcendit ſuper te, locum tuum ne dimiſeris, quia curatio ceſſare faciet peccata maxima.] Principem mũdi iſtius, & rectorem tenebrarũ harũ, & operantẽ in filiis diffidentiæ, cuius & Apoſtolus meminit, nunc ſcriptura ſignificat, quod ſi in cor noſtrum aſcenderit, & animus malæ cogitationis vulnus acceperit, non debemus locum vltro tribuere, ſed pugnare contra cogitationem peſſimam, & liberari à peccato maximo, ne ſcilicet cogitationem opere cõpleamus: quia aliud eſt cogitatione peccare, aliud opere. De quo grandi peccato in Pſalmo legitur: *Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero, & emundabor à delicto maximo.*

Eſt & malum quod vidi ſub Sole, quaſi per errorem egrediens à facie principis, poſitum ſtultum in dignitate ſublimi, & diuites ſedere deorſum. Vidi ſeruos in equis, & principes quaſi ſeruos ambulantes ſuper terram.] Hanc ergo iniquitatem ſe in ſeculo perſpexiſſe cõmemorat, quod mali dominantur iuſtis, & ſæpe peiores qui ſunt, ſublimiores facti melioribus. Nec ſolùm in ſecularibus poteſtatibus, ſed & in Eccleſiæ dignitate multoties eliguntur ſacerdotes, non ex virtutum meritis, ſed ex fauore populi, & principum voluntate, ſuggerente diabolica fraude, & Dei iuſto iudicio permittẽte ob merita populi, vt dicitur in Propheta: *Sacerdotes mali, peccata populi, vt cæci duces habeant cæcos, donec pariter corruant in foueam perditionis.* In hunc ſenſum facit & illud quod ſequitur: *Vidi ſeruos ſuper equos, & principes ambulantes quaſi ſeruos ſuper terram:* vt hi qui ſerui ſunt vitiorum atque peccati, ſiue tam humiles vt ſerui ab hominibus cõ-

putentur, ſubita à diabolo dignitate per flagitia publica videantur exaltari, & magiſtros bonos Deumque timentes opprimi, & humilia officio ſeruorum.

Qui fodit foueam ipſe incidet in eam, & qui diſſipat ſepem mordebit eum coluber.] Ex parte ſimplex, & ex parte myſticus eſt intellectus. Siquidem & alibi ipſe Salomon ait: *Qui ſtatuit laqueum, capietur in illo.* Et in Pſalmo ſeptimo: *Lacum aperuit, & effodit eum, & incidit in foueam quam fecit.* Sepis autem confirmatio, Eccleſiaſtica & Apoſtolica ſunt dogmata, quæ qui diſſoluerit, & voluerit præterire, in eo ipſo quod negligit ſanctorum ſtatuta Patrum, à ſerpente percutitur, id eſt, à diabolo vulneratur. De quo ſerpente in Amos ſcriptum eſt: *Si deſcenderit in infernum, mandabo ſerpenti, & mordebit eum.*

Qui transfert lapides, affligetur in eis, & qui ſcindit ligna vulnerabitur ab eis.] Voluuntur & in Zacharia ſancti lapides ſuper terram, nõ enim firma ratione conſiſtunt, ſed prætereunt, & ſemper ad altiora nitentes, hinc abire feſtinant. De his viuis lapidibus & in Apocalypſi vrbs Saluatoris extruitur, & Eccleſiam ædificari Apoſtolus meminit. Qui verò hos lapides viuos de ædificatione Eccleſiæ transfert hæretica qualibet prauitate, æterno dolore affligetur pro eis. Ligna quoque ſcindens periclitabitur in eis. Hæretici ligna infructuoſa ſunt, & ſaltus abſque vtilitate pomorum, pro quorum ſchiſmatica diuiſione prudens & Eccleſiaſticus Doctor animo vulnerabitur, Apoſtolo dicente: Quis ſcandalizatur, & ego non vror?

Si retuſum fuerit ferrum, & hoc non vt prius, ſed hebetatum erit, multo labore exacuetur, & poſt induſtriam ſequetur ſapientia.] Si ſe, inquit, aliquis viderit propter negligentiam ſcripturas diſcendi ſanctas, obtuſum habere ſenſum, & nequaquam talem ſe intellexerit qualis antè fuit, dum ſpiritales diligenter ſenſus in diuinis libris cõſequutus eſt: quia euenit interdum, vt quum modicum ſapiẽtiæ quis habuerit, elatus in ſuperbiam diſcere deſiſtat: paulatim vero quod ſciebat, ex eo quod nihil ei additur, detrahitur, & vacuum ei diſciplinis pectus remanet: ferrum quod acutum fuerat hebetatur ocio & deſidia, quaſi quandam rubiginem ſapientiæ patitur. Si igitur hoc quis paſſus fuerit, non deſperet remedium ſanitatis, ſed vadat ad magiſtrum, & rurſum inſtruatur ab eo, & poſt laborem & induſtriam ſudore nimio valebit ſapientiam recipere, quam amiſerat.

Si mordeat ſerpens in ſilentio, nihil eo minus habet qui occulte detrahit.] Simplex hic ſenſus eſt. Serpens & detractor æquales ſunt. quomodo enim ille occultè mordẽs venenum inſerit, ſic iſte clam detrahens, virus pectoris ſui infundit in fratrem, & nihil habet à ſerpente minus. quum enim lingua hominis ad benedicẽdũ & ædificationem proximi ſit creata, ille eam æqualem ſerpenti facit, dum virtutibus eius in peruerſum abutitur. Aliter: Si quem ſerpens diabolus in occulto momorderit, & nullo conſcio eum peccati veneno infecerit, ſi tacuerit qui percuſſus eſt, & non egerit pœnitentiam, nec vulnus ſuum magiſtro voluerit confiteri, magiſter qui linguam habet ad curandum, facile ei prodeſſe non poterit.

Verba oris ſapientis gratia, & labia inſipientis præcipitabunt eum.] Stultitia ſi ſua eſſet ruſticitate contenta, minus aliquid haberet mali: Nunc autem contra ſapientiam bellum gerit, & quicquid prudentiæ in docto viro viderit, zelo ſtimulata non recipit. Loquitur enim vir ſapiens verba ſcientiæ, verba gratiæ, quæ vtilitatem poſſunt præbere audientibus, & aures ſtulti non ita audiunt quæ dicuntur vt dicta ſunt, ſed econtrario virum prudentem ſupplantare ſtultus conatur, & ſui ſimilem facere. Et reuera præcipitatur vir ſapiens, quando in aurem loquitur imprudentis, & verba eius in profundo (vt ita dicam) gurgite pereunt. Vnde beatus ille eſt, qui in aurem audientis loquitur.

Initium verborum eius ſtultitia, & nouiſſimũ oris illius error peſſimus. Stultus verba multiplicat. Ignorat homo quid ante ſe fuerit, & quid poſt ſe futurum ſit, quis ei poterit indicare?] Adhuc ei de ſtulto diſputatio eſt, cuius labia præcipitant ſapientem, ſiue iuxta aliam interpretationem, ſtultum ipſum corruere faciunt, & initium ſermonis illius & finis ſtultitia eſt, & error peſſimus, dum ipſe ſtultus non manet in ſententia prudentium, ſed putat in multiplicatione verborum ſe doctum eſſe, & effugere poſſe peccatum. quum enim nec præteritorum meminit, nec futura cognoſcat, ignorantiæ tenebris inuolutus, ſolum ſibi ſcientiam repromittens, in eo ſe doctum eſſe putat & ſapientem, ſi verba multiplicet. Poteſt hoc de hæreticis accipi, qui prudentium virorum dicta non capiũt, ſed ſe ad diſputationes contrarias præparãtes, & initium & finem loquendi vanitatem cum multo errore cumulant, & quum nihil ſciant, loquuntur plura quam norunt.

Labor ſtultorum affliget eos, qui neſciunt in vrbem pergere. Hos etiam verſiculos iunge lector cum ſuperioribus, aut generaliter de omnibus ſtultis qui ignorant Deum, & ne-

ſciunt in ciuitatem Catholicæ pacis pergere. Aut ſpecialiter de hæreticis diſputantibus intellige, qui exierunt de ciuitate Dei in peruerſas munitiones, quarum ciuitatẽ iuxta Pſalmiſtæ vocem Dominus deſtruit. Qui enim legerit vanos Philoſophorum labores, probare poterit verum eſſe quod dicitur: Labor ſtultorum affliget eos. Veritatem quidem illi omni ſtudio quæſierunt, ſed quia non habuerunt ducem & præuium itineris, & humanis ſenſibus rati ſe comprehendere poſſe ſapientiæ altitudinem, ad ciuitatem Dei minime peruenerunt. De qua & de quibus in Pſalmo ſcribitur: *Domine in ciuitate tua imagines eorum ad nihilum rediges.* De hac & Eſaias Propheta: *Ego ciuitas firma, ciuitas quæ oppugnatur.* Siquidem hanc veritatis & ſapientiæ ciuitatem quum firma ſit & robuſta, omnes ſapientes ſeculi & hæretici impugnare cognoſcuntur. Et quod de Philoſophis diximus, hoc idem de hæreticis ſentimus, quod fruſtra laborent & affligantur in ſtudio ſcripturarum, quum veritatem inuenire non valeant.

Væ tibi terra cuius rex puer eſt, & cuius principes mane comedunt. Beata terra cuius rex nobilis eſt, & cuius principes veſcuntur in tempore ſuo ad reficiendum, & non ad luxuriam.] Videtur quidem reprobare iuuenum principatum, & luxurioſos iudices condemnare, quod in altero per ætatem infirma ſit ſapientia, & aliis matura ætas deliciis eneruetur. Et contrario probare principem bonis operibus liberaliter inſtitutum, & eos iudices prædicare qui nequaquam negociis ciuium voluntatem præferant, ſed poſt multum laborem & adminiſtrationem Reipublicæ cibũ capere, quaſi neceſſitate cogente, non luxuria inſtigante. Aliter: Væ terræ, id eſt, carnali homini, cuius diabolus rex, qui ſemper rerum nouarum cupidus eſt, qui iudices & principes habet eos, qui amant huius ſeculi voluptates, qui ſolent dicere: Manducemus & bibamus, cras enim moriemur. Econtra, beata Eccleſia eſt, cuius rex Chriſtus eſt, filius nobilium & ſanctorum parentum, Abraham videlicet, Iſaac, & Iacob, Dauid ſtirpe deſcendens, in quibus peccatum non fuerat dominatum, & ob id verè fuerunt liberi & nobiles, ex quibus nata eſt beata virgo Maria, nullum habens fruticem, nullum germẽ ex latere, ſed totus eius fructus erupit in florem loquentem in Cantico Canticorum: *Ego flos campi & lilium conuallium.* Principes quoque eius ſunt Apoſtoli, & omnes ſancti, qui regem habent filium nobilium, Abrahæ ſcilicet, nõ de ancilla Agar, ſed de Sara libera genitum: nec comedunt

A mane nec velociter, nec enim in præſenti ſeculo voluntatem quærunt, ſed tempore ſuo manducabunt, quum retributionis tempus aduenerit, de quibus & ipſe Saluator ait in Euangelio: *Et ego diſpono vobis regnum, vt edatis & bibatis ſuper menſam meam in regno meo.*

In pigritiis humiliabitur contignatio, & in infirmitate manuum perſtillabit domus.] Domus noſtra quæ cum ſtatu hominis creata eſt, aut habitatio quam habemus in cœlis, quia pigri ſumus, & ad bona opera tardiores, humiliabitur, & omnis contignatio quæ debet

B culmen portare in ſublime, ad terram corruens habitatorem ſuum opprimit, quumque auxilium manuum virtutumque torpuerit, omnes deſuper poteſtates & nimborũ ad nos turbo erũpit. Porro quod in vno homine interpretati ſumus, melius poteſt ſuper Eccleſiam accipi, quod per negligentiam principum omnis eius corruat altitudo, & ibi vitiorum illecebræ ſunt, vbi tegmen putabitur eſſe virtutum.

In riſu faciunt panem ac vinum, vt epulentur

C *bibentes, & pecuniæ obediunt omnia.*] De ſuperioribus huius ſentẽtiæ pendet intellectus. In pigritia enim dixit & ſocordia magiſtrorum humiliari Eccleſiam, & culmen eius concidere, & tigna perfluere prædixit. Nũc autem de eiſdem magiſtris loquitur, accuſans eos deliciis ſeculi & luxuriæ epuliſque magis ſeruire, quàm ſaluti in prædicatione verbi Dei gregis ſibi commiſſi, dum Epiſcopi & presbyteri non laborant in Eccleſia conſtituti in ſermone & doctrina, vel etiam ea docent quæ ſint populo delectabilia

D audire, vt gratiam habeant audientium magis quam illorum profectum, ſic in riſu vitę æternæ panem & vinum ſapientiæ populo miniſtrant, non ad ſalutem, ſed ad perniciem. Sic ipſi qui docent, diuitias & opes & cibos per delectabilia promiſſa conquirunt, & ad honores perueniunt ſeculares, quibus ſubiecti ſæpe perdunt cœleſtes.

In cogitatione tua regi ne detrahas, & in ſecreto cubilis tui ne maledixeris diuiti, quia aues cœ-

E *li portabunt vocem tuam, & qui habet pennas annunciabit ſententiam.*] Simplex præceptum: ædificat audientes, ne ira & furore ſuperati in maledictum & in detractionem regum & principum erumpamus, quia contra ſpẽ interdum euenit, vt ſi his quibus maledicimus nuncietur, incurramus periculum in immoderatione linguæ. Quod autem ait, Aues cœli auferent vocem, & habens pennas annunciabit verbum, hyperbolice intelligendum eſt. Modo ſolemus dicere, etiam ipſos parietes, quibus conſciis loqui-

mur, quæ audierunt non celaturos: ſed melius eſt ſic audire præceptum, vt ſciamus eſſe nobis mandatum, non ſolum contra Chriſtum nihil temerè loquendum, verumetiam in arcanis cordis quamuis variis coartamur tribulationibus, nihil blaſphemum, nihil impium ſentiendum ſit. Et quia dilectionem quam Chriſto exhibemus, debemus & proximo, Dilige quippe Dominum Deum, ſed & proximum tuum tanquam te ipſum, & nunc iubet ne poſt regem de ſanctis quoque facile detrahamus, & eis quos viderimus ſapientia, ſcientia, B virtutibuſque ditatos, lingua mordaci derogemus; quod Angeli qui terram circumeunt & ſunt adminiſtratores ſpiritus, & in Zacharia loquuntur, *Circuiuimus terram, ecce omnis terra habitatur, & ſilet*, ad inſtar auium ad cœlum noſtra verba perferant & cogitationes, & quod clam cogitamus, ſcientiam Dei non latere.

Cap. XI.

Mitte panem tuum ſuper tranſeuntes aquas, C *quia poſt multa tempora inuenies illum.*] Ad eleemoſynam cohortatur, quod omni petenti ſit dandum, & indiſcrete faciendum bene. Quo modo enim qui ſuper irrigua ſeminat, fructum ſementis expectat, ita qui largitur egentibus, non granum ſeminis, ſed ipſum panem ſerit, fœnore quodam multiplicationem illius præſtolãs, & quum dies iudicij venerit, multo amplius quam dederat recepturus. Aliter: In quocũque homine illam aquam videris, de qua dicitur: *Flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ,* D ne te pigeat panem ſapientiæ, panem rationabilem præſtare ſermonis, & in multitudine dierum inuenies illum. id eſt, inuenies longitudinem dierum vitæ æternæ in retributione cœleſti. Si enim hoc feceris, frequenter inuenies te non incaſſum doctrinarum ieciſſe ſementem. Tale quid in Eſaia dictum puto: *Beatus qui ſeminat ſuper aquam, vbi bos & aſinus calcant.* Quod ille magiſter beatitudine dignus habeatur, qui ſuper irri- E guum pectus ſeminat audientium, tam ex Iudæis quam ex gentibus populo congregato.

Da partes ſeptem, necnon & octo, quia ignoras quid futurum ſit mali ſuper terram.] Præcipit ergo vtrumque teſtamentum, id eſt, vetus quod ſeptenario numero deſignatur, & nouum quod in octonario intelligitur, digna veneratione haberi ſanctiſſimum. Iudæi dederunt partes ſeptem, credentes ſabbatum: ſed non dederunt octo, reſurrectionẽ A die dominico in Chriſto denegantes. Ecõtrario hæretici Marcion & Manichæus, & omnes qui veterem legem rabido ore dilaniant, dant partes octo, ſuſcipientes Euangelium, ſed eandem ſeptenario numero nõ tribuunt, veterem legem reſpuentes. Nos vero vtraque quæ ponit credamus, & vtrũque veneremur. Non enim poſſumus cruciatus dignamque pœnam iam nunc mente comprehendere, quæ repoſita eſt his qui verſantur in terra infidelitatis, Iudæis ſcilicet & hęreticis, è duobus alterum denegantibus. Hebræi itaque hunc locum intelligunt, & ſabbatum & circumciſionem ſeruare, ne ſi hoc forte non feceris, inopinatum tibi ſuperueniat malum.

Si repletæ fuerint nubes, imbrem effundent ſuper terram. Si ceciderit lignum ad auſtrum aut ad aquilonem, in quocumque loco ceciderit ibi erit.] Serua mandata quæ tibi ſuperius ſunt præcepta, vt nubes ſuper te fundant in benedictione Dei imbrem ſuum. Vbicumque enim tibi locum præparaueris, futuramque ſedem ſiue ad auſtrum ſiue ad aquilonem, ibi quum mortuus fueris permanebis. Aliter: Propterea ſupradiximus, mitte panem tuum ſuper faciem aquæ, & omni petenti tribue, quia & nubes quum plenæ fuerint, diuitias ſuas mortalibus largiuntur. Et quaſi lignum fructuoſum quamuis longæuus ſis, non eris in perpetuum, ſed ſubita vi ventorum ita mortis tempeſtate ſubuerſus, vbicumque cecideris, ibi iugiter permanebis, ſiue te rigidum & trucem, ſiue clementem & miſericordem vltimum inuenerit tempus. Aliter: Nubes ſiquidem ſunt Prophetę & Doctores, qui quum multas habeant in corde ſacrę ſcripturæ rationes, tunc valebunt pręcepta pluere doctrinarum, & dicere, Expectetur ſicut pluuia eloquium meum. Quod verò ait, ſiue ad auſtrum ſiue ad aquilonem lignum ceciderit, quantum ęſtimo ſemper in bonam partem accipitur auſter, & aquilo in malam. Vnde in Cantico Canticorum dicitur: *Exurge aquilo*, hoc eſt recede & abi, *& veni auſter.* Nec eſt aliquod lignum quod vel ad aquilonem non ſit vel ad auſtrum, quia omnis homo malus vel bonus morietur.

Qui obſeruat ventum, non ſeminat, & qui conſiderat nubes nunquam metit.] Qui conſiderat cui benefaciat, & non omni petenti tribuit, ſæpe præterit eum qui meretur accipere, vel miſericordiæ ſolatium, vel verbi Dei ſemen. In ipſis enim proſperis, dum neſcimus aduerſa conſurgunt. Quapropter opportuno vel importuno tẽpore

prædicandus eſt ſermo Dei, nec bonus ſe- A
minator aduerſariorum vento territus, vel nubibus blandientium obumbratus, ceſſare à prædicationis ſemine debet. Abſque conſideratione ergo nubium & ventorum timore in mediis tempeſtatibus ſeminãdum eſt, nec dicendum illud tempus commodũ eſt, hoc inutile, quum ignoremus quæ via & voluntas ſit ſpiritus vniuerſa diſpenſantis. Vnde ſequitur.

Quomodo ignoras quæ ſit via ſpiritus, & qua ratione compingantur oſſa in ventre prægnantis, ſic neſcis opera Dei qui gubernator eſt omnium.] Sicut neſcis viam ſpiritus & animæ ingre- B
dientis in paruulum, & ignoras os ſuum & venarum varietates in ventre prægnantis, quomodo ex vili elemento corpus hominis in diuerſas effigies artuſque varietur, & de eodem ſemine aliud molleſcat in carnibus, aliud induretur in oſſibus, aliud in venis palpitet, aliud ligetur in neruis, ita Dei opera ſcire non poteris qui factor eſt omnium. Ex quo docet contraria non timenda, nec temere de ventis & nubibus quas ſupra diximus iudicandum, quum ſuo tempore & curſu debeat ſator C
ſpargere, & euentum Domini ſententiæ reſeruare. Non eſt enim volẽtis neque currentis ſed miſerantis Dei.

Mane ſemina ſemen tuum, & veſpere non ceſſet manus tua, quia neſcis quid magis oriatur, hoc an illud, & ſi vtrumque ſimul, melius erit. Dulce lumen, & delectabile eſt oculis videre ſolem. Si annis multis vixerit homo, & in his omnibus lætatus fuerit, meminiſſe debet tenebroſi temporis, & dierum multorum: qui quum venerint, vanitatis arguentur præterita.] Hortatur omnibus benefacere, nec eligere perſonam D
aut tempus in quo benefacias, numquam enim te vult à bono opere deſiſtere, ſed matutinam iuſtitiam veſper inueniat, & veſperis miſericordiam Solis ortus accumulet. Incertum eſt quod quidem magis placeat opus, & ex quo tibi fructus iuſtitiæ præparetur. Poteſt autem fieri vt non vnum, ſed vtrũque placeat Deo. Aliter: De ætate hominis intelligi poterit, vt æqualiter ſiue in adoleſcentia, ſiue etiam in ſenectute bona faciamus, quia neſcis vtrum in iuuentute an in ætate longæua magis placeas Deo. E
Nec prodeſt adoleſcentiæ frugalitas, ſi ſenecta ducatur in luxuria: qua enim die iuſtus errauerit, veteres eum iuſtitiæ à morte liberare non poterunt. Quod ſi iuxta vtrãque interpretationem ſemper benefeceris, & omni ætate æqualem curſum habueris, videbis Deum patrem dulciſſimum lumẽ, videbis Chriſtum ſolem iuſtitiæ. Porro & ſi annis multis vixeris, & omnia bona habueris, vel bona opera peregeris, & ſcieris te ſẽper moriturum, & ante oculos tuos tenebrarum, id eſt, mortis ſemper verſetur aduentus, præſentia quaſi fluxũ & fragilia & caduca contẽnes, & qui hoc fecerit, videbit Chriſtum ſolem iuſtitię ſemper in æternũ. Aliter: Lux eſt doctrina ſapientiæ cœleſtis: & bonum oculis videre Solem, id eſt, ſenſibus cordis videre Chriſtum.

Lætare ergo iuuenis in adoleſcentia tua, & in bono ſit cor tuum.] Ab hoc loco vſque in finem libelli varias Doctores ponunt interpretationes. Hebræi ad Iſrael populum Dei putant dicta eſſe, cui præcipitur vt fruatur diuitiis antequam eis captiuitatis tempus adueniat, vel adoleſcentiam ſenectute commutet, ita tamen vt in bono, id eſt lege Dei, ſit cor eius. Admonet quoque vt in diebus proſperitatis & ſalutis, in viis cordis ſui & intuitu oculorum, id eſt, conſideratione mandatorum Dei ambulet, magis quam in carnalibus deſideriis, & vt ſciat ſe pro omnibus quæ geſſerit ſiue bonum ſiue malum ſit, à Deo eſſe iudicãdum, & vt auferat iram à corde, & malitias à carne ſua, id eſt, cogitationes malas, & libidines carnis ſuæ: quia deſideria carnis, adoleſcentiæ, voluptatumque carnalium vana ſunt: recordeturque ſemper creatoris ſui antequam veniat dies tribulationis, id eſt, Babylonicæ vel Romanæ captiuitatis miſeria, quibus non poterit habere voluntatem. Et totum hunc locum in quo ait, *Antequam tenebreſcant Sol & Luna & ſtellæ*, vſque ad eum locum in quo ſcriptura commemorat. *Et conuertetur puluis in terram vnde erat, & ſpiritus reuertetur ad Deum qui dedit illum*, ſuper ſtatu ſuæ conditionis explanant, & aiunt Salomonem diligenter hortari populum Dei, vt hæc omnia faciant, antequam tollatur ab eis omnis honor & decus, duces & iudices & ſacerdotes, templum & ſacrificia, poteſtas & regnum, & ſancti quos in Sole & Luna & ſtellis intelligi volunt auferantur ab eo, antequam veniat Nabuchodonoſor, ſiue Titus Veſpaſiani filius, accitus à Prophetis, vt eorum vaticinia compleantur, in die qua Angeli templi præſides recedent, & curuabuntur robuſtiſsimi qui in exercitu tuo ſunt, & ocioſa erunt eloquia magiſtrorum, & Prophetæ qui de cœlis ſolebant viſionum ſuarum lumen accipere, contenebreſcent, quando claudentur templi ianuę, & humiliabitur Hieruſalem, & Chaldæus veniet, quaſi cantu volucris ita Hieremiæ vocibus prophetatus, & conticeſcent filiæ Cantici in tem-

pſo & pſallentium chori, illo tempore quãdo aduenientes Hieroſolymam ipſi quoque hoſtes Dei magnitudinem pertimeſcent, & in via formidabunt audientes interitum Sennacherib Regis Aſſyriorum & exercitus ſui. Hoc enim dictum putant ab excelſo, id eſt, à Deo Hebræorum formidabunt. In illis diebus florebit amygdalum, ille baculus & virga, quam Hieremias in Prophetiæ ſuæ vidit exordio, & impinguabitur locuſta, Nabuchodonoſor cum ſuo exercitu, diſſipabitur capparis, amicitia Dei cum Iſrael. Hoc autem totum euenit Iſrael, quia abiit homo in domum æternitatis ſuæ, & præſidio Dei ad cœleſtia reuerſus eſt. Quo habitante in tabernaculo ſuo, circuibunt in platea plangentes atque flentes, & hoſtium obſidione vallati. Lætare ergo Iſrael in iuuentute proſperitatis tuæ, antequam rumpatur funiculus argenteus. Hoc eſt, donec gloria veſtra vobiſcum eſt, antequam recurrat vitta aurea, id eſt, antequam arca teſtamenti auferatur, priuſquam hydria conteratur ad fontem, & conuoluatur rota ſuper lacum, id eſt, donec in ſancto ſanctorum præcepta legis, & ſancti Spiritus gratia eſt, & antequam reuertaris in Babylonem vnde egreſſus es in lumbis Abrahæ, & incipias in Meſopotamia conteri, vnde quondam profectus es, omniſque gratia Prophetiæ, qua quondam fueras inſpiratus, reuertatur ad datorem ſuum. Nos vero melius, ad ſuperioris diſputationem ordinis reuertentes, ſingula conabimur explanare. Iuxta tropologiam, ad ſuperiora reſpicit huius capituli ſenſus, vbi ait: Mane ſemina ſemen tuum, & veſpere ne ceſſet manus tua. Quod intelligendum eſt, in omni ætate bene eſſe faciendum, & in omnibus operibus noſtris Dei eſſe iudicium timendum. Dicit enim hic, lætare iuuenis in adoleſcentia tua: & mox addidit. Et in bono ſit cor tuum, ne nos ad luxuriam carnis hortari videretur. Tale & Apoſtolus ait: *Gaudete in Domino ſemper: iterum dico gaudete:* Felix homo qui læto animo bonum facit, & gaudet in bono cor ſuum exercere, non in malo. Et in bono ſit cor tuum in diebus iuuentutis tuæ. Vult verò florentem ætatem florere virtutũ decore, & in cordis contemplatione, id eſt, ſapientiæ, quam oculorum nomine deſignat, potius ambulare, quàm carnis deſideria ſequi, quia caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem, quorum opera Apoſtolus diſcreuit. Et hæc agenda admonet eſſe, antequam ingruat nox æternæ mortis, in qua

A nihil operari poterit homo. Sic in Euangelio ipſa Veritas ait: *Ambulate dum lucem habetis, ne tenebræ vos comprehendant.* Admonet nos ſcriptura in hoc loco ſemper dum viuimus, de futuro cogitare iudicio, in quo omnia quæ geſſimus iudicabuntur.

Cap. XII.

Repelle iram à corde tuo, & aufer malitiam à carne tua, quia adoleſcentia & voluptas vana ſunt.] In ira omnes perturbationes animi comprehendit, in carnis malitia vniuerſas ſignificat corporis voluptates, relinqui B ſuadens iuuentutis vitia, quia iuuentus inſipientiæ copulata eſt, & noxias generare ſolet voluptates.

Memento Creatoris tui in diebus iuuentutis tuæ, antequam veniat tempus afflictionis tuæ, & appropinquent anni de quibus dicas, Non mihi placent, antequam tenebreſcant Sol & lumen & ſtellæ & Luna, & reuertantur nubes poſt pluuiam, quando commouebuntur cuſtodes domus, & mutabuntur viri fortiſſimi, & ocioſæ erunt molentes in minuto numero, & tenebreſcent videntes per foramina.] Semper memento creatoris tui, & ſic adoleſcentiæ viam gradere, C vt recorderis viam tuam morte eſſe finiendam, & omnia quæ geſſeris iudicanda. Tu verò memento creatoris tui antequam tibi adueniat tempus triſtitiæ & ſenectutis, & anni qui tibi non placebunt, antequam tenebreſcat Sol, & lumen, & Luna, & ſtellæ, & reuertantur nubes poſt pluuiam Sunt enim qui Solem, Lunam & ſtellas ad oculos aureſque & capitis ſenſus coaptant, quę omnia ſenectutis moleſtia debilitantur, quia inferius videntur de humani corporis D membris hæc omnia dici: & cuſtodes domus coſtas ſignificare putant, quod ab ipſis inteſtina vallentur, & tota ventris mollitudo ſeruetur: viros vero fortes crura æſtimant. Quod verò ait, ocioſæ erunt molentes minuto numero, ad dentium referuntur officia, quod quum extrema ſenectus aduenerit, dentes aut deteruntur, aut deiiciuntur, à quibus permoliti cibi in aluum tranſmittuntur, qui ſunt ocioſi, quia fortitudinem corpori non ſubminiſtrant, ſed tantummodo ad horam cito perituram paululum ſuſtentare videntur vitam. Tenebreſcere autē videntes in foraminibus putãt oculos, quòd nimia ſenectute nullis dubiũ eſt caligare acies, & cõtuitus obſcurari.

Et claudent oſtia in platea in humilitate vocis molentis, & conſurgent ad vocem volucris, & obmuteſcent omnes filiæ carminis: excelſa quoque timebunt & formidabunt in via.] Clauſas in plateis ianuas, pro infirmis ſenum greſſibus accipi volunt, quod ſemper ſedeant, &

ambulare non poſſint, nec congaudeant ludis iuuenum, qui in plateis ſolent eſſe, ſed clauſo oſtio illos fugiant videre. In humilitate autem vocis molentis, de manibus interpretantur, quod cibum labore proprio inuenire non valeant, & ſpiritu coartato, vox in ſenili corpore vix tenuis audiatur. Porro conſurgere eum ad vocem volucris oſtendit, quod frigeſcente ſanguine & humore ſiccato, quibus materia ſoporis alitur, ad leuem ſonitum euigilet, noctiſque medio quum gallus cecinerit feſtinus exurgat, nequaquam valens in ſtrato ſæpius mēbra conuertere. Obmuteſcere quoque, ſiue vt melius habetur in Hebræo, ſurdeſcere filias carminis, aures ſignificat, quod grauior ſeni auditus fiat, & nulla inter voces ſcire valeat diſcrimina, nec à carminibus delectari. Excelſa timebunt & formidabunt inuia, id eſt, ardua ingredi non valebunt, & laſſis poplitibus ac tremeſcēte veſtigio etiam in plano itinere fluctuantes, offenſa greſſum formidabunt.

Florebit amygdalum, impinguabitur locuſta, & diſſipabitur capparis, quoniam ibit homo in domū æternitatis ſuæ, & circuibunt in platea plangentes.] Per metaphoram etiam nunc de membris noſtris Eccleſiaſtis ſermo eſt, quod quum ſenectus aduenerit, capillus incanuerit, intumuerint pedes, libido refriguerit, & homo fuerit diſſolutus, tunc reuertatur in terram ſuam æternitatis ſuæ ad ſepulchrū, exequiis ritè celebratis atque finitis, plangentium in platea circa ſepulchrum turba præcedente. Hæc vero nomina, amygdalum, locuſta, & capparis, per figuram ſeni conueniunt, amygdalum pro canitie, locuſta pro crurum dolore ac pedum tumore, & capparis pro frigeſcente libidine, ſecundum etymologiam Hebraicæ interpretationis, vt diximus, ſeni conueniunt. Hactenus Eccleſiaſtes plurima ſenectutis mala proſequutus, de fine vniuſcuiuſque hominis ait.

Antequam rumpatur funis argenteus, & recurrat vitta aurea, & conteratur hydria ſuper fontem, & confringatur rota ſuper lacum, & reuertatur puluis in terram ſuam ſicut erat, & ſpiritus redeat ad Dominum qui dedit illum. Vanitas vanitatum, dixit Eccleſiaſtes, vniuerſa vanitas.] Reuertitur ad ſuperiora, & poſt grande hyperbaton quod ab eo loco interiecerat in quo ait: *Memento creatoris tui in diebus iuuentutis tuæ, antequam veniant dies malitiæ, & antequam tenebreſcant Sol & Luna, & ſtellæ,* &c. *in die qua mouebuntur cuſtodes domus,* nunc cœptam ſententiam ſimili fine concludit dicens: *Antequam rumpatur funiculus argēti,* hoc vel illud fiat. Funiculus autem argenti, candidam hanc vitam & ſpiramen quod nobis è cœlo tribuitur oſtendit: recurſus quoque vittæ aureæ, animā ſignificat, quæ illuc recurrit vnde deſcenderat. Porro duo reliqua quæ ſequuntur, contritio hydriæ ſuper fōtem, & cōfractio rotæ ſuper lacum, per metaphoram mortis ænigmata ſunt: quo modo enim hydria quæ conteritur, ceſſat haurire, & rota per quam de lacu ex puteis leuantur aquæ, ſi confracta fuerit, earum vſus intercipitur. Ita & quum funiculus argenti fuerit interruptus, & animæ riuus recurrit ad fontem interibit homo, vtque manifeſtius ſequitur, conuertetur puluis in terram ſuam vnde ſumptus eſt, & ſpiritus reuertetur ad Dominum qui dedit illum. Ex quo ſatis ridendi ſunt, qui putant animas cum corporibus ſeri, & non à Deo, ſed à corporum parentibus generari: quum enim caro reuertatur in terram ſuam, & ſpiritus redeat ad Deum qui dedit illum, manifeſtum eſt Dominum patrem animarum eſſe, non homines. Poſt deſcriptionem autem interitus humani, pulchrè exordium libri ſui repetens, ait: *Vanitas vanitatum, dixit Eccleſiaſtes, omnia vanitas.* Quum enim cunctus mortalium labor, de quo in toto volumine diſputatum eſt, huc perueniat, vt reuertatur puluis in terram ſuam, & anima illuc redeat vnde aſſumpta eſt, magnæ vanitatis res eſſe videtur in ſeculi deliciis atque luxuriis carnis tota laborare intentione, quæ citiſſima morte finiuntur, & homo ad iudicium feſtinat pro omnibus vanitatis ſuæ erratis. De ſe ipſo quoque ſubiunxit, quis eſſet, dicens.

Quumque Eccleſiaſtes eſſet ſapientiſſimus, docuit populum, & enarrauit quæ fecerat, & inueſtigans compoſuit parabolas multas, quæ ſunt verba vtilia, & conſcripſit ſermones rectiſſimos, ac veritate plenos.] Nunc etiam his verbis prouocat lectorem, allegoriam quærere in libris ſuis, magis quàm ſimplicem hiſtoriam: & doctrinam populo prodeſſe ſuam, ſi myſticè intelligerentur prouerbia, aliud habentes in medulla, aliud ſuperficie pollicentes. Prouerbia quippe non hoc ſonare quod ſcriptum eſt, & in Euangelio edocemur, quod Dominus populo in parabolis & in prouerbiis ſit loquutus, ſecreto autem Apoſtolis diſſoluerit ea. Ex quo manifeſtum eſt & Prouerbiorum librum non vt ſimplices arbitrantur patentia habere præcepta, ſed quaſi in terra aurum, in nuce nucleus, in hirſutis caſtanearum operculis abſconditus fructus inquiritur, ita in eis diuinum ſenſum altius per-

ſcrutandum. Poſt hæc addidit, etiam cauſas A naturaſque rerum, & Dei diſpoſitionem, & prudentiam, quare vnumquodque, vel quo modo factum ſit, ſe voluiſſe cognoſcere.

Verba ſapientum vt ſtimuli, & quaſi claui in altum defixi, quæ per magiſtrorum conſilium data ſunt à paſtore vno.] Ne videretur poſt legem Dei temerarius ſubito in præceptum erumpere, & ſibi vendicare doctrinam, quod Moyſes non tam ſua ſponte, quam à Deo iubente primum, dehinc inſpirante ſuſceperat, dicit ſua verba verè eſſe ſapientium, quæ in ſimilitudinem ſtimulorum corrigant B delinquentes, & pigros mortalium greſſus aculeo pungente commoueant, ſicque ſint firmi, quaſi in altum ſolidumque defixi, nec autoritate vnius, ſed conſilio atque conſenſu magiſtrorum omnium proferantur, & ne contemneretur hominum ſcientia, ait eam ab vno Paſtore conceſſam: id eſt, quum plurimi doceant, tamen doctrinæ huius autor eſt Dominus. Simulque notandum eſt, quod dicantur verba ſapientum pungere, non palpare, nec molli manu attrahere laſciuiam, ſed errantibus & C (vt ſupra diximus) tardis, pœnitentiæ dolores, & vulnus infligere. Si cuius igitur ſermo non pungit, ſed oblectationem facit audientibus, iſte non eſt ſermo ſapientis. Verba ſapientium vt ſtimuli, quoniam ad conuerſionem prouocant delinquentem, & firmata ſunt, & à conſilio ſanctorum data, atque ab vno Paſtore conceſſa, & ſolida radice fundata.

His amplius fili mi ne requiras, faciendi plures libros nullus eſt finis, frequenſque meditatio carnis afflictio eſt.] Exceptis his verbis quæ ab vno D Paſtore ſunt data, & à conſilio atque conſenſu ſapientium, nihil facias, nihil tibi vendices, maiorum ſequere veſtigia, & ab eorum autoritate ne diſcrepes, alioquin quærenti multa, infinitus librorum numerus occurret, qui te pertrahat ad errorem, & legentem fruſtra faciat laborare. Vel certe docet breuitatis ſtudium, & ſenſum magis ſectandum eſſe quam verba, aduerſus Philoſophos, & ſeculi huius rectores, qui ſuorum dogmatum falſitates conantur aſſerere, varietate ac multitudine ſermonũ. E Et contra, ſcriptura diuina breui circulo coartata eſt, & quantum dilatatur in ſenſibus, tantum in ſermone conſtringitur, quod conſummatum breuiatumque ſermonem faciat Dominus ſuper terram, & verbum eius iuxta eſt in ore noſtro & in corde noſtro. Hunc igitur ſenſum arbitror nunc præceptum, ne plures libri fiant: quicquid enim dixeris, ſi ad eum referatur qui in principio erat Verbum apud Deum, & Deus erat Verbum, vnum volumen eſt, innumerabiles libri, vna lex, vnum Euangelium nominatur. Quod ſi diuerſa & diſcrepantia diſputaueris, & curioſitate nimia huc atque illuc animum adduxeris, & in vno libro multi libri ſunt, vnde dictum eſt: Ex multiloquio non effugies peccatũ. Talibus igitur libris non eſt finis: bonum enim & omnis veritas certo fine cõcluditur, malitia atque mendacium ſine fine ſunt, talis ſi quidem meditatio carnis eſt afflictio, id eſt, carnalis ſenſus, non ſpiritalis.

Finem loquendi omnes pariter audiamus: Deũ time, & mandata eius obſerua: hoc eſt omnis homo: & cuncta quæ fiunt adducet Deus in iudicium pro omni errato, ſiue bonum ſiue malum ſit.] Aiunt Hebræi, quũ inter cætera ſcripta Salomonis quæ antiquata ſunt, nec in memoria durauerunt, & hic liber obliterandus videretur, eo quod vanas aſſereret Dei creaturas, & totum eſſe pro nihilo, cibum autẽ & potum & delicias tranſeuntes præferret omnibus, ex vno capitulo meruiſſe autoritatem, vt in diuinorum voluminum numero poneretur, quod totam diſputationem ſuam, & omnem Catalogũ ſub hac recapitulatione breuiſſima coartauerit, & dixerit, omnem ſermonum ſuorum auditum eſſe promptiſſimum, nec aliquid in ſe habere difficile, vt ſcilicet Deum timeamus, & eius præcepta faciamus. Ad hoc enim eſſe hominem creatum, vt creatorem ſuum intelligens, veneretur eum metu & honore & opere mandatorum. Siquidem quum iudicij tempus aduenerit, quicquid à nobis geſtum eſt, ſtare ſub iudice & ancipitem Domini expectare ſententiam, & vnũquemq; recipere pro opere ſuo, ſiue mali quid geſſerit, ſiue boni, iudicij æquitate permanſura in æternum.

Albini in Eccleſiaſten Commentarioli finis.

EIVSDEM AD LECTOREM.

Iſte liber vario ſenſus ſermone pateſcit
Diuerſos hominum, quid cuinam placeat.
Quem tuus ô iuuenis tanto moderamine ſenſus
Perlegat, Epicuri ne ruat in foueam.
Albinus patrum gradiens per prata piorum,
Carperet vt flores per pia rura ſacros,
Fingere ſerta volens puerorum congrua fronte,
Grandia quorum ætas pondera ferre nequit.
Has rogo litterulas noſtri perdiſcite nati,
Et tota æternos mente tenete dies.
Omnia fluxa fluunt ſeculorum gaudia longe,

Nec redeunt iterum more fluentis aquæ.
Pectora nec nimium vanis inceſsite rebus,
Sed confirmate ſemper amore Dei.
Mors properat horis mox omnibus atque momẽtis,
Vt rapiat noſmet iudicis ad faciem.
Quo conſtat noſtris certo diſcrimine factis.
Iudicium cunctis, vt liber iſte canit.
Quod timeat diues, pauper, iuuenſque ſenexque,
Tum recipit meritis præmia quiſque ſuis,
Præmia perpetuis ſemper manſura diebus.
Mox bona quiſq; bonus, mox mala quiſq. malus.
Impius in tenebras cum dæmone pellitur atras,
Cum Chriſto regnat lucis in arce bonus.
Accipite hæc animis Paſchalia munera lætis,
Mittentis memores ſitis & ore pio.
Hoc opus, hoc crudum rapuit portator ab igne,
Igniuomo coctum nec bene ſub camino,
Veſtra precor fili pietas errata repurget,
Dens illud putridus rodere nec valeat,
Aut oculus nigro ſuffuſus felle per auras
Contendat patulas ſpargere more ſuo.

ORATIO SALOMONIS, QVAM *habuit in dedicatione templi.*

DOmine Deus Iſrael, non eſt ſimilis tui Deus in cœlo deſuper, & ſuper terram deorſum, qui cuſtodis pactum & miſericordiam ſeruis tuis qui ambulant coram te in toto corde ſuo, qui cuſtodiſti ſeruo tuo Dauid patri meo quæ loquutus es ei. Ore loquutus es, & manibus perfeciſti, vt hæc dies probat. Nunc igitur Domine Deus Iſrael conſerua famulo tuo Dauid patri meo quæ loquutus es ei, dicens: Non auferetur de te vir coram me qui ſedeat ſuper thronum Iſrael, ita tamen ſi cuſtodierint filij tui viam ſuam vt ambulent coram me, ſicut tu ambulaſti in conſpectu meo. Et nunc Domine Deus Iſrael, firmentur verba tua quæ loquutus es ſeruo tuo Dauid patri meo. Ergóne putandum eſt quod verè Deus habitet ſuper terram? Si enim cœlum & cœli cœlorum te capere non poſſunt, quanto magis domus hæc quam ædificaui? Sed reſpice ad orationem ſerui tui, & ad preces eius Domine Deus meus. Audi hymnum & orationem quam ſeruus tuus orat coram te hodiè, vt ſint oculi tui aperti ſuper domum hanc die ac nocte, ſuper domum de qua dixiſti: Erit nomen meum ibi: vt exaudias orationem quam orat ad te ſeruus tuus in loco iſto, vt exaudias deprecationem ſerui tui & populi tui Iſrael quodcumque orauerint in loco iſto, & exaudies in loco habitaculi tui in cœlo, & quum audieris propitius eris. Si peccauerit homo in proximũ ſuum, & ha-

A buerit aliquod iuramentum quo teneatur adſtrictus, & venerit propter iuramentum coram altari tuo in domum tuam, tu exaudies in cœlo, & facies, & iudicabis ſeruos tuos, condemnans impium, & reddens viã ſuam ſuper caput eius, iuſtificanſque iuſtum & retribuens ei ſecundum iuſtitiam ſuam. Si fugerit populus tuus Iſrael inimicos ſuos, quia peccaturus eſt tibi, & agentes pœnitentiam & confitentes nomini tuo venerint & adorauerint, & deprecati te fuerint in domo hac, exaudi in cœlo, & di-
B mitte peccatum populi tui Iſrael, & reduces eos in terram quam dediſti patribus eorum. Si clauſum fuerit cœlum & non pluerit propter peccata eorum, & orantes in loco iſto pœnitentiam egerint nomini tuo, & à peccatis ſuis conuerſi fuerint propter afflictionem ſuam, exaudi eos in cœlo, & dimitte peccata ſeruorum tuorum & populi tui Iſrael, & oſtende eis viam bonam per quam ambulent, & da pluuiam ſuper terram quam dediſti populo tuo in poſſeſſionem. Fames ſi oborta fuerit in ter-
C ra, aut peſtilentia, aut corruptus aer, aut erugo, aut locuſta, vel rubigo, & afflixerit eum inimicus eius portas obſidens, omnis plaga, vniuerſa infirmitas, cuncta deuotio & imprecatio quæ acciderit omni homini de populo tuo Iſrael, ſi quis cognouerit plagam cordis ſui, & expanderit manus ſuas in domo hac, tu exaudies in cœlo in loco habitationis tuæ, & repropitiaberis, & facies vt des vnicuique ſecundum omnes vias ſuas ſicut videris cor eius, quia tu noſti ſolus cor omnium filiorum
D hominum, vt timeant te cunctis diebus quibus viuunt ſuper faciem terræ quam dediſti patribus noſtris. Inſuper & alienigena qui non eſt de populo tuo Iſrael, quum venerit de terra longinqua propter nomen tuum (audietur enim nomen tuum magnum, & manus tua fortis, & brachium tuũ extentum vbique) quum venerit ergo & orauerit in hoc loco, tu exaudies in cælo in firmamento habitaculi tui, & facies omnia pro quibus inuocauerit te alienigena, vt diſcant vniuerſi populi terrarum nomen tuum timere, ſicut populus tuus Iſrael, & probent quia nomen tuum inuocatum eſt ſuper domum hanc quam ædificaui. Si egreſſus fuerit populus tuus ad bellum contra inimicos ſuos per viam quocunque miſeris eos, & orabunt te contra viam ciuitatis quam elegiſti, & contra domum quam ædificaui nomini tuo, tu exaudies in cælo orationes eorum & preces eorum, & facies iudiciũ eorũ. Quod ſi peccauerint tibi

(non eſt enim homo qui non peccet) & iratus, tradideris eos inimicis ſuis, & captiui ducti fuerint in terram inimicorum longè vel propè, & egerint pœnitentiam in corde ſuo in loco captiuitatis, & conuerſi te deprecati fuerint in captiuitate ſua, dicentes: Peccauimus, iniquè egimus, impiè geſſimus, & reuerſi fuerint ad te in vniuerſo corde ſuo, & tota anima ſua in terra inimicorum ſuorum ad quam captiui ducti fuerint, & ornauerint te contra viam terræ ſuæ quam dediſti patribus eorum, & ciuitas quam elegiſti, & templi quod ædificaui nomini tuo, exaudies in cœlo in firmamento ſolij tui orationes eorum & preces eorum, & facies iudicium eorum, & propitiaberis populo tuo qui peccauit tibi, & omnibus iniquitatibus eorum quibus præuaricati ſunt in te, & dabis miſericordiam coram eis, qui eos captiuos habuerint, vt miſereantur eis. Populus enim tuus eſt, & hæreditas tua, quos eduxiſti de terra Ægypti, de medio fornacis ferreę, vt ſint oculi tui aperti ad deprecationem ſerui tui & populi tui Iſraël; & exaudies eos in vniuerſis pro quibus inuocauerint te. Tu enim ſeparaſti eos tibi in hæreditatem de vniuerſis populis terrę, ſicut loquutus es per Moyſen ſeruum tuum, quando adduxiſti patres noſtros de Ægypto, Domine Deus.

MAGISTRI

ALBINI FLACCI ALCHVVINI, COMMENTARIORVM IN S. IOANNIS EVANGELIVM, LIBRI VII.

Nunc primum caſtigatiores, & pleriſque in locis auctiores editi, ex antiquo MS. Bibliothecæ nobiliſſimi ac ornatiſſimi viri Iac. Aug. Thuani.

CHRISTI FAMVLARVM GISLÆ ATQVE RECTRVDÆ AD ALBINVM MAGISTRVM EPISTOLA.

Venerando Patri, nobis cum ſummo honore amplectendo Albino Magiſtro, humillimæ Chriſti famulæ Giſla & Rectruda perpetuæ beatitudinis ſalutem.

Poſtquam, venerande Magiſter, aliquid de melliflua ſanctæ Scripturæ cognitione, veſtra ſagacitate exponente hauſimus, ardebat nobis, vt fatemur, de die in diem deſiderium huius ſacratiſſimæ lectionis, in qua purificatio eſt animæ, ſolatium mortalitatis noſtræ, & ſpes perpetuæ beatitudinis. In qua beatus vir, iuxta Pſalmiſtam, cottidiana ſeipſum exercet meditatione: intelligens omnibus ſeculi diuitiis huius eſſe agnitionem præferendam. Neque aliam eſſe veram ſapientiam, niſi quæ humano generi ſecundum diſpenſationem diuinæ prouidentiæ, cæleſtis gratia amminiſtrauit. Hoc eſt manna quod ſine faſtidio ſatiat, ſine defectu paſcitur. Hæc ſunt diuinæ ſegetis grana, quæ Apoſtolicis fricata manibus, atque per eos fidelium epulis animarum appoſita ſunt. Sed duo valde nobis contraria cottidiana triſtitia, paruitatis noſtræ mentem fatigant. Vnum quod tardius huius optimi ſtudij diligentiam habuimus. Aliud quod modo magnam habentibus deuotionem, veſtra longinquitas deſiderio noſtro ſatis obſiſtit. Sed veſtram, chariſſime Doctor, deprecamur pietatem, ne nos literarum tuarum ſolatio deſeras. Poteris teipſum nobis quærentibus per litterarum officia oſtendere, vt intellega-

tur vox tua in arcano cordis noſtri deſiderio. Nam ſicut loquentis lingua in aure audientis, ita ſcribentis calamus proficit in oculo legentis, & ad interiora cordis peruenit ſenſus dirigentis, ſicut verba inſtruentis. Quapropter, beatiſſime Pater, nolite ipſum nobis negare. Irriga ſalutiferi † fontis vnda, pectora noſtræ paruitatis arentia. Scimus in te eſſe fontem viuentis aquæ, quæ Domino dicente ſaliet in vitam æternam. Nolumus ad te pertineat, quod Salomon ait, de his qui ſuam ſolent celare ſapientiam: Theſaurus occultatus, & ſapientia abſcondita, quæ vtilitas in vtriſque? *Sed magis Domino dicente per Prophetam:* Aperi os tuum, & ego adimplebo illud. *Aperi confidenter os tuum in ſacratiſſimam, Spiritu ſancto inſpirante, beati Ioannis Euangeliſtæ expoſitionem, & venerabiles ſanctorum Patrum pande nobis ſenſus. Collige multorum margaritas, in ſpiritalis theſauri cubili, & paſce ex eo pauperes Chriſti. Noli nos ieiunas dimittere, ne deficiamus in via. Habemus ſiquidem clariſſimi doctoris Auguſtini homeliatico ſermone explanationes in eundem Euangeliſtam, ſed quibuſdam in locis multo obſcuriores, maiorique circunlocutione decoratas, quàm noſtræ paruitatis ingeniolum intrare valeat. Sufficit nobis veſtræ deuotionis de riuulis dulciſſimæ aquæ potare, non profundiſſimis gurgitum fluminibus noſtras immittere carinas. Scis enim optimè, paruis parua ſufficere, nec ad menſam magnatorum, pauperem turbam accedere poſſe. Nec noſtrum eſt altiſſima cedrorum cacumina aſcendere, ſed cum Zachæo pro breuitate ſtaturæ noſtræ, in ſycomoro ſtare, Ieſumque tranſeuntem cernere, continuiſque precibus deplorare, vt nos ſuis dignas efficiat conuiuiis, vobiſcumque dulciſſimum epithalamij paradigma decantare.* Introduxit nos rex in cellaria ſua, exultabimus & lætabimur in eo. *Memento clariſſimum in ſancta Eccleſia diuinæ Scripturæ Doctorem, beatiſſimum ſiquidem Hieronymum, nobilium nullatenus ſpernere fœminarum preces, ſed plurima nominibus illarum in propheticas obſcuritates dedicaſſe opuſcula, ſæpiuſque de Bethleem caſtello Chriſti Domini noſtri natiuitati conſecrato ad Romanas arces Epiſtolaribus hiſdem petentibus volare chartulis, nec terrarum longinquitate vel procelloſis Adriatici maris fluctibus territum, quo minus ſanctarum virginum petitionibus annueret. Minori vadoſum Ligeri flumen, quàm Tyrrheni maris latitudo periculo nauigatur. Et multo facilius chartarum portator tuarum de Turonis Pariſiacam ciuitatem, quàm illius de Bethleem Romam peruenire poterit. Noli tuæ deuotionis nobis ſubtrahere ſcientiam, noli accenſam in te lucernam modio ſupponere, vel torpentis lectuli quiete abſcondere; ſed præcelſo ſuperpone eam candelabro, vt luceat omnibus qui in domo Dei ſunt. Intra ſanctorum gazophylacia Doctorum, & profer nobis, veluti doctiſſimus ſcriba & à Domino laudatus, noua & vetera. Aderit tibi in itinere huius laboris illius gratia, qui duobus diſcipulis euntibus in via, tertium ſe ſocium addidit, illiſque ſenſus aperuit, vt ſanctas intelligerent ſcripturas. Quomodo poteris teipſum à culpa taciturnitatis apud eum excuſare, qui ait:* Omni petenti te da, *maximè dum nullatenus tibi minuetur quod dederis, ſed datum magis augetur? Spiritus paraclitus omni veritatis doctrina, & perfectæ charitatis ſcientia veſtra impleat pectora, Magiſter dulciſſime.*

† al. ſalutaris.

Eccleſ. 41.

Pſal. 80.

Luc. 19.

Cant. 1.

Matth. 5.

Matth. 13.

Luc. 24.

ALBINI MAGISTRI AD GISLAM ET RICHTRVDAM EPISTOLA.

*Nobiliſsimis in Chriſtinianæ Religionis ſanctitate, & in ſapientiæ ſtudiis deuotiſsimis, Deoque dicatis virginibus, Giſlæ ſorori, & Richtrudæ filiæ, * humilis frater & pater Albinus, perpetuæ beatitudinis ſalutem.* * al. Giſlæ & Richtrudę filiabus.

QVantum in ſanctiſſimo ſapientiæ ſtudio optimam in vobis laudo deuotionem, tantum meam ipſius plango imperitiam, meque ipſum lõge imparem veſtræ laudabili deuotioni agnoſco. Atque vtinam tanta eſſet in meo pectore facultas ſcribendi, quantum eſt in vobis voluntas legendi. Proinde duabus coartor anguſtiis: hinc charitati quicquam negare, cui omnia præſtare debitor ſum: illinc altiora petere, modulumque meæ paruitatis tranſcendere, dicente Scriptura: *Altiora te ne quæſieris.* Niſi forte in vobis ſit culpa, quia dif- Eccleſ. 3. ficilia petiſtis, & in me ratio iuſtæ excuſationis, qui infirmitates meas conſiderans, altiſſimum meo opere calamum abſtinere decreui. Scire debetis omnibus diuinæ ſcripturæ paginis merito Euangelicam excellere autoritatem, quia quod lex & Prophetæ futurum prænunciauerunt, hoc redditum atque completum in Euangelio † demonſtratur. † al. Euangelium demonſtrat. Atque inter ipſos Euangeliorum ſcriptores valde beatum Ioannem, in diuinorum profunditate myſteriorum, eminentiorem eſſe. Quem etiam tradunt, ſicut legitur in Eccleſiaſtica Hiſtoria, vſque ad vltimum penè vitæ ſuæ tempus abſque vllius ſcripturæ indiciis, Euangelium puro ſermone prædicaſſe. Siquidem à tempore Dominicæ Paſſionis, Reſurrectionis & Aſcenſionis, vſque ad vltima Domitiani Principis tempora, per annos circiter ſexaginta & quinque, abſque vllo ſcribendi adminiculo, verbum Dei prædicabat. At vbi à Domitiano, qui ſecundus poſt Neronem Chriſtianorum perſecutor extitit, in exilio Pathmos miſſus eſt; nacta occaſione illius pij Patris abſentia, inrumpentes in Eccleſiam hæretici, quaſi in deſtituta paſtoris ouilia lupi, Marcion, Cherinthus, & Hebion, cæterique Antichriſti, qui Chriſtum fuiſſe ante Mariam negabant, ſimplicitatem fidei Euangelicæ peruerſa maculauere doctrina. Sed dum ipſe poſt occaſionem Domitiani, permittẽte pio principe Nerua, rediret Epheſum, compulſus eſt ab omnibus penè tunc Aſiæ Epiſcopis, & multarum Eccleſiarum legationibus, de coæterna Patri diuinitate Chriſti altius facere ſermonem, eo quod in trium Euangeliſtarum ſcriptis, Matthæi videlicet, Marci, & Lucæ, de humilitate eius, ac de his quæ per hominem geſſit, ſufficiens ſibi viderentur habere teſtimonium. Quod ille ſe non aliter acturum reſpondit, niſi indicto ieiunio omnes in commune Dominum precarentur, vt illo donante digna ſcribere poſſet. Et hoc ita patrato, inſtructus reuelatione cæleſti, ac ſancti Spiritus gratia ebriatus, omnes hæreticorum tenebras patefacta ſubito veritatis luce diſpulit dicens: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Atque cum trium Euangeliorũ, Matthæi ſcilicet, Marci, & Lucæ, ad eum notitia perueniſſet, probaſſe quidem dicitur fidem & veritatem dictorum, deeſſe tamen vidit aliqua rerum geſtarum hiſtoriæ, ea maxi-

mè quæ primo prædicationis ſuæ tempore Dominus geſſerat. Certum eſt enim quòd in ſuperioribus tribus Euangeliis hæc videntur ſola cõtineri, quæ geſta ſunt poſtquam Ioannes Baptiſta traditus & incluſus eſt in carcere. Denique ſi obſerues, ſtatim in initio narrationis, poſteaquam refert Matthæus de quadraginta dierum ieiunio, & de tentatione eius continuo ſubiecit dicens: *Audiens autem quia Ioannes traditus eſt, diſceßit de Iudæa, & venit in Galilæã.* Sed & Marcus ſimiliter, *Poſteaquam*, inquit, *traditus eſt Ioannes, venit Ieſus in Galilæam.* Lucas verò etiam, priuſquam incipiat aliquid de actibus referre Ieſu, dicit: *Quia adiecit Herodes ſuper omnia mala quę geſſerat*, & concluſit Ioannem in carcere. Quia, inquam, ab his hæc videbantur omiſſa, rogatus dicitur Ioannes Apoſtolus, vt ea quæ præterierant priores, ante traditionem Ioannis, Saluatoris geſta deſcriberet. Et ideò dicit in Euangelio ſuo: *Hoc fecit initium ſignorum ſuorum Ieſus.* Et iterum in alio loco indicat dicens: *Nondum enim Ioannes erat miſſus in carcerem.* Ex quibus conſtat, quòd ea quę, antequam Ioannes traderetur, ab Ieſu fuerant geſta, deſcribit; ſed proculdubio maximè diuinitatem Domini noſtri Ieſu Chriſti, qua Patri eſt æqualis, intendit declarare, eamque præcipuè ſuo Euangelio, quantum inter homines ſufficere credidit, commendare curauit. Itaque longè à tribus ſuperioribus Euangeliſtis ſublimius eleuatus eſt, ita vt eos quodammodo videas in terra cum Chriſto homine cõuerſari, illum autem tranſcendiſſe nebulam qua tegitur omnis terra, & perueniſſe ad liquidum cœli lumen, vnde acie mentis acutiſſima, atque firmiſſima videret in principio Verbum, Deum de Deo, lumen de lumine, per quem facta ſunt omnia, & ipſum agnoſceret carne factum, vt habitaret in nobis. Quod acceperit carnem, non quòd fuerit mutatus in carnem. Niſi enim carnis aſſumptio, ſeruata incommutabili diuinitate facta eſſet, non diceretur: *Ego & pater vnum ſumus.* Neque enim Pater & caro vnum ſunt. Et hoc de ſe ipſo Domini teſtimonium, ſolus idem Ioannes commemorauit. *Et qui me videt, videt & Patrem.* Et, *Ego in Patre, & pater in me.* Et, *Vt ſint vnum; ſicut & nos vnum ſumus.* Et, *Quæ Pater facit, hæc eadem & filius facit ſimiliter*: Et ſi qua alia ſunt, quæ Chriſti diuinitatem, in qua æqualis eſt Patri, rectè intellegentibus intiment, plenius ſolus Ioannes in Euangelio ſuo poſuit, tanquam de pectore ipſius Domini, ſuper quod diſcumbere in eius conuiuio ſolitus erat, ſecretum diuinitatis eius vberius, & quodammodo familiarius biberet. Proinde cùm duæ virtutes propoſitæ ſint animę humanę, vna actiua, altera contemplatiua: illa qua itur, iſta qua peruenitur: illa qua laboratur vt cor mundetur ad videndum Deum, iſta qua vocatur & videtur Deus: Illa eſt in præceptis exercendæ vitæ huius temporalis, iſta in doctrina vitæ illius ſempiternã. Ac per hoc illa operatur, iſta requieſcit: quia illa eſt in purgatione peccatorum, iſta in lumine purgatorum: ac per hoc, in hac vita mortali, illa eſt in opere bonæ conuerſationis, iſta verò magis in fide, & apud perpaucos per ſpeculum in ænigmate, & ex parte in aliqua viſione incommutabilis Veritatis. Ex quo intelligi datur, ſi diligenter aduertas, tres Euangeliſtas, temporalia facta Domini & dicta, quæ ad informandos mores vitę pręſentis maximè valerent, copioſius proſecutos, circa illam actiuam fuiſſe verſatos. Ioannem verò facta Domini multo pauciora narrantẽ, dicta vero eius, ea præſertim quæ Trinitatis vnitatem, & vitæ æternæ felicitatẽ inſinuarent, diligentiùs & vberiùs conſcribentem, in virtute contemplatiua commendanda, ſuam

continuationem atque prædicationem tenuiſſe. Iſte eſt ſiquidem Ioannes, vnus ex diſcipulis Chriſti, quem Dominus de fluctiuaga nuptiarum tempeſtate virginem vocauit. Cuius virginitatis in hoc duplex teſtimonium in Euangelio datur, quod & præ cæteris dilectus à Deo dicitur, & huic matrem ſuam de throno crucis commendauit, dicens, vt virginem virgo ſeruaret. Qui ſingulari priuilegio meruit caſtitatis, vt cæteris omnibus miraculorum Chriſti ſcriptoribus, altiùs diuinæ maieſtatis ſimul caperet, ac patefaceret arcanũ. Neque enim fruſtra in cœna myſtica ſupra pectus Ieſu recubuiſſe perhibetur, ſed per hoc veriſſimè docetur, quia cœleſtis hauſtum ſapientiæ, cæteris excellentius de ſanctiſſimo eiuſdem pectoris fonte potauerit. Vnde & merito in figura quatuor animalium, aquilæ volanti comparatur. Cunctis quippe auibus aquila celſiùs volare, cunctis animantibus clariùs ſolis radiis infigere conſueuit obtutus. Ita beatus Ioannes ſublimius æternæ natiuitatis Chriſti myſteria conſpexit. Iſte prior laborantibus in piſcatione diſcipulis, Chriſtũ in litore ſtantem, retéque in dexterã nauigij mittere iubentẽ agnouit, cens Petro: *Dominus eſt*. Iſte eſt vnus de illis de quibus Propheta prædixit: *Cœli enarrant gloriam Dei*. Vnde filius tonitrui ab ipſo Domino appellatur, quia hoc mirabile & omnibus ſæculis inauditũ, ex cœleſti claritate intonuit procemium dicens: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*. Quæ verba ſemper ſunt pura fide veneranda, ac perpetua religione colenda, non humanæ coniecturæ ratiunculis nimium diſcutienda, quæ in pleriſque fallitur, dum ſe putat agnoſcere quæ humani ſenſus excedunt indagationem. Tamen quicquid inde pia charitas & humilis inquiſitio intellegere potuit, in ſacratiſſimis ſanctorum Patrum ſcriptis, licet ſparſim, dicta inueniuntur: ſicut etiam & in toto eiuſdem Euangelij textu, plurima à Catholicis Doctoribus leguntur expoſita, pro opportunitate loci vel temporis, vel confirmatione orthodoxæ fidei, necnon contra hæreticas prauitates, in defenſione Apoſtolicæ traditionis. Quapropter, forſan temperamentum quoddam inter meam negationem, veſtramque petitionem inuenire poſſe video, ne omnino vel charitas veſtra taciturnitate mea ſpernatur, vel temeritas mea in veſtræ petitionis obſequio reprehendatur. Solent namque medici ex multorum ſpeciebus pigmentorum, in ſalutem poſcentis quoddam medicamenti componere genus, nec ſeipſos fateri præſumunt creatores herbarum vel aliarum ſpecierum, ex quarum compoſitione ſalus efficitur ægrotantium; ſed miniſtros eſſe in colligendo, & in vnum pigmentaria manu cõficiendo corpus. Sic etiam ſi forſitan meæ deuotionis labor aliquid veſtræ charitati proficere valet. Nec ex quolibet paternæ poſſeſſionis prato mihi flores colligendos eſſe cenſeo, ſed multorum Patrum humili corde, prona ceruice, florida rura peragranda mihi eſſe video; vt ſine periculo nominis mei ſatisfaciam ſanctiſſimæ voluntati veſtræ. Primoque omnium ſancti Auguſtini ſuffragia quærens, qui maiori ſtudio huius ſancti Euangelij exponere niſus eſt ſacratiſſima verba. Deinde ex opuſculis ſancti Ambroſij ſanctiſſimi Doctoris aliqua trahens, necnon ex Homeliis præcipui Patris Gregorij Papæ, vel ex Homeliis beati Bedæ Presbyteri, multa aſſumens, aliorumque ſanctorum Patrum, ſicut inuenire potui, interpretationes poſui; magis horum omnium ſenſibus ac verbis vtens, quàm meæ quicquam præſumptioni committens, veluti legentium curioſitas facilè probare po-

Pſal. 18.

terit. Cautiſſimo planè ſtilo præuidens diuina opitulante gratia, ne quid contrarium ſanctorum Patrum ſenſibus ponerem. Igitur & omne opus ſecundum Capitula eiuſdem Euangelij diſtinxi, ac ſub numero ſeptem Librorum conſummaui. Optans vos, ſeptiformis Spiritus gratia inſpirante pectora veſtra, variis in Eccleſia Chriſti florere delitiis, & ambulare cottidie cum ſanctis de virtute in virtutem, donec videatur Deus Deorum in Sion, vbi perpetua dulcedine inter choros cœleſtium agminum dicatis, *Beati qui habitant in domo tua Domine, in ſeculum ſeculi laudabunt te. Amen.*

CAPITVLA IN EXPOSITIONE S. IOANNIS
à Magiſtro Albino edita.

CAPITVLA LIBRI I.

CAP. I. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, per quem facta ſunt omnia. Ioannes miſſus refertur ante eum, qui recipientes ſe facit filios Dei per gratiam ſuam.* A

II. *Interrogantibus Iudæis, Ioannes Chriſtum ſe eſſe negat, ſed miſſum ſe ante illum, vocemque eſſe clamantis in deſerto, ſecundum Eſaiam enuntiat. Ipſum verò fatetur agnum tollentem peccata mundi, & baptizantem in Spiritu ſancto, eo quod ipſe ſit ſuper omnes.* B

III. *Ex duobus Ioannis diſcipulis qui ſecuti fuerant Dominũ, vnus dictus Andreas adduxit fratrẽ ſuũ ad eum qui Petrus ab ipſo eſt nuncupatus. Philippus quoque vocatus, Nathanaeli indicat, qui mox inter cætera eum Dei filiũ confitetur. Hinc Ioannes aquam conuertit in vinum, creduntque in eum Diſcipuli eius.*

CAPITVLA LIBRI II.

C

IV. *Appropinquante Paſcha Iudæorum, eiecit vendentes de templo, & ementes. Et interrogantibus Iudæis quod ſignum daret; ſoluendi templum, & in triduo excitandi myſterium proponit.*

V. *Nicodemo inter multa dicit: niſi renatũ in regnum Dei intrare non poſſe, vel quod ipſe non iudicare, ſed ſaluare venerit in mundum, & manifeſtare dicit opera quæ in Deo ſunt facta.*

VI. *Ioanni in Aenon baptizanti à Phariſæis dicitur, Cùm ipſe non ſit Chriſtus cur baptizaret. Quibus ille reſpondit, ſe in Ieſu nomine baptizare, quem ſponſum eſſe oportet & eum creſcere, ſe autem minui, illumque deſurſum & ſupra omnes eſſe, credentemque in eum habere vitam æternam. Super incredulum verò iram manere confirmat.* E

VII. *Ad puteum Iacob mulieri Samaritanæ Chriſtus ſe manifeſtans plurima myſticè loquitur, & multi Samaritanorum credunt in eum dicentes:* Hic eſt verè Saluator mundi.

VIII. *Reguli cuiuſdam filius ægrotans, abſentis Domini voce ſanatur.*

CAPITVLA LIBRI III.

Hominem triginta octo annos habentem in infirmitate ſua Ieſus dicendo: Surge, tolle grabatum tuum & ambula, *in Sabbato curauit, æqualem ſe qui erat faciens Deo.* IX.

Quod ſicut Pater ſuſcitat mortuos, ſic & Filius, & quòd æqualiter cum Patre ſit honorandus, in quo credentes tranſeant de morte ad vitã. Venturã quoque pronuntiat horam, qua de monumentis boni malique reſurgent. X.

Ioannem lucernam appellat. Patrem quoque & ſcripturas de ſe teſtimonium perhibere. Iudæos ſe non recipientes venientem in nomine Patris, alium in nomine ſuo venturum recepturos. De ſe autem Moyſen ſcripſiſſe teſtatur. XI

Appropinquante Paſcha Iudæorum, de quinque panibus & duobus piſcibus, quinque milia hominum ſatiauit. Pro quo ſigno cùm regem eum vellent facere fugit in montem. Dehinc ambulans ſuper mare, pauentibus diſcipulis ait: Ego ſum, nolite timere. XII.

A turbis quæſitus & inuentus ait: Operamini cibum qui non perit, ſed qui permanet in vitam æternam *& panem de cœlis verum ſe dicit vitamque mundi.* XIII

Panem vitæ ſe dicit, & reſurrecturos credentes in ſe in nouiſſimo die. XIV

Murmurantes Phariſæi filium Ioſeph eum dicunt, & ipſe inter multa, carnem ſuam panem ſe daturum dicit pro mundi vita, & cætera his ſimilia plurima de pane & carne ſua teſtatur. XV

Verba ſua Spiritum vitamque pronunciat, & vnum ex duodecim Diabolum appellat. XVI.

CAPITVLA LIBRI IIII.

Iudæis interficere eum quærentibus, aſcendit occultè ad diem feſtum Scenophegiæ, vbi diuerſa de eo, & ab eo dicuntur, & quærentes eum adprehendere, nequiuerunt, quia nondum venerat hora eius. XVII

Multis de turba credentibus plurima loquitur, XVIII

inter quæ ait: Qui ſitit veniat ad me & bibat. A

Nicodemo quoque de audientia ipſius reſiſtitur à Phariſæis.

XIX. *Mulierem in adulterio deprehenſam atque ad ſe adductam, nec ab accuſatoribus condemnatam, ipſe ſub conditione, qua vlterius non peccaret, abſoluit.*

XX. *Lucem mundi ſe dicit. Phariſæos de proprio teſtimonio reſultates arguit. Iudicium ſuum verum eſſe confirmat.*

XXI. *Dicit Iudæis:* Et vos in peccato veſtro moriemini. *A quibus interrogatus quis eſſet, principium ſe eſſe reſpondit, addens hoc:* Cùm exaltaueritis filium hominis, tunc cognoſcetis B quia ego ſum.

XXII. *Iudæis credentibus ait:* Si manſeritis in ſermone meo, Veritas liberabit vos. *Quibus reſpondentibus ſe eſſe liberos, dicit.* Qui facit peccatum ſeruus eſt peccati, *& inter alia multa, diabolum homicidam & mendacij patrem adſignat.*

XXIII. *Qui ſermonem ſuum ſeruauerit, eum mortem non viſurum dicit in æternum. Et inter cætera plurima ante Abraham ſe eſſe affirmans exiuit de templo.*

CAPITVLA LIBRI V.

XXIV. *Cæco à natiuitate illuminato, multaque Phariſæis anxietate turbatis mundi lucem ſe dicit. Poſtea cognitus ab inluminato adoratur.*

XXV. *Qui non intrat per oſtium in ouile ouium, furē eſſe, oſtium ſe & paſtorem ouium, pro quibus ſe ſuam animam poſiturum, & alias oues adducturū pronunciat, vt fiat vnum ouile & vnus paſtor.*

XXVI. *Poteſtatem ſe dicit habere ponendi ac reſumendi animam ſuam. Facta quoque encænia in Hieroſolymis, & inter multa quæ Phariſæis ſciſcitantibus dixerat, ait:* Ego & pater vnum ſumus, *& multi crediderunt in eum.*

XXVII. *Lazarum amicum ſuum quatriduanum mortuum dormire dicit, quem magna voce clamando reſuſcitans ſolui iubet & abire, plurimis credentibus ex Iudæis.*

XXVIII. *Pontifices aduerſus eum conſilium colligunt, in quo Caiphas vnum debere mori pro populo ne cuncti perirent prophetizat, & ante ſex dies Paſchæ de vnguento ſuper pedes Domini profuſi precio murmur arguitur Iudæ.*

XXIX. *Turba cum ramis palmarum occurrens clamabat:* Oſanna, *ipſe vero ſuper pullum aſinæ ſedit, Phariſæis dicentibus:* Totus mundus poſt eum abiit.

XXX. *Nuntiatis gentibus eum videre volentibus, horam ſuæ clarificationis eſſe dicit, & granum frumenti mortuum multum fructum pronuntiat allaturum. Miniſtrantem quoque ſibi honorificandum promittit à Patre.*

XXXI. *Animam ſuam turbatam eſſe dicenti, & clarificari ſe à Patre poſcenti, vox de cœlo ait:* Clarificaui, & iterum clarificabo. *Poſt hæc multa proſequitur, inter quæ ſe non ad iudicandum, ſed ad ſaluandum mundum veniſſe teſtatur.*

CAPITVLA LIBRI VI.

XXXII. *Surgens à cæna pedes lauit diſcipulorum, exemplum dediſſe ſe dicens, vt ipſi conſeruis faciant, quod omnium Dominum feciſſe probarent.*

XXXIII. *Non eſſe ſeruum maiorem Domino dicens, poſt teſtimonium ſcripturæ Iudam intincti panis porrectione ſignificat, & diſcipulos multipliciter exhortatur.*

XXXIV. Non turbetur cor veſtrum, *ait diſcipulis,* Ego ſum via, veritas, & vita. Qui videt me, videt & Patrem. Ego in Patre, & Pater in me. Quodcunque petieritis in nomine meo hoc faciam.

XXXV. *Diligentibus ſe diſcipulis, mandataque ſeruantibus, Paraclitum a Patre mittendum promittit, manſurumque cum eis in æternum, ſeque pacem dare eis, pacemque relinquere pollicetur.* C

XXXVI. *Seipſum vitem, patrem verò agricolam dicens, diſcipulóſque palmites; ſine ſe nihil eos facere poſſe teſtatur. Et multis locutionum modis alternam eis dilectionem inculcat, cuius merito poſſent quodcunque petierint impetrare.*

XXXVII. *Eandem dilectionem inſtantius commendans, contemnendum docet odium mundi. Prædicens quoque qualia pro eius nomine ſint paſſuri, & arguendum mundum à Paraclito de peccato, de iuſtitia, & de iudicio manifeſtat.* D

XXXVIII. *Modicum ſe ab eis videndum dicit, & iterum modicum & non videndum. De quo quærentibus diſcipulis, ſimilitudinem mulieris poſt partum præ gaudio triſtitiæ non reminiſcentis inducit. Et quos à Patre amari ſignificat corroborat relicturus dicens:* In mundo preſſuram habebitis, ſed confidite, ego vici mundum.

CAPITVLA LIBRI VII. E

XXXIX. *Ad patrem de clarificatione ſua loquens, diſcipulos prolixa & multimoda proſecutione commendat, paſſione protinus imminente.*

XL. *Traditionis ac paſſionis eius per ordinem geſta narrantur.*

XLI. *Reſurrectionis ſimiliter manifeſtatio declaratur, qua Maria Magdalenæ Petro & Ioanni nuntiat, ſublatum corpus de monumento. Quibus oc-*

currentibus ac reuerſis, ipſa poſt Angelicam viſionem viſum à ſe Dominum æſtimans hortulanum, proprio mox ab eo vocatur ex nomine. Quem cognitum iubetur protinus diſcipulis nunciare.

Cum fores eſſent clauſæ, veniens ad diſci-
XLII. *pulos, pacem infert, manibus latereque monſtrato. Quibus etiã perſufflationem ſignificat Spiritũ ſanctum. Item poſt dies octo Thomas inſpectione vel tactu lateris ac manuum in fidem confirmatur, audiens:* Beati qui non viderunt & crediderunt.

Manifeſtat ſe iterum ad mare Tiberiadis ſe-
XLIII. *ſeptem diſcipulis in captura piſcium centum* A *quinquaginta trium, cùm reſurrexiſſet à mortuis.*

Vſque tertio dicit Petro: Amas me, *quia ter* XLIV.
eum negauerat, & paſcendas oues æquè tertiò commendans, extentione manuum ſignificat et quod crucis morte foret martyrio coronandus.

Dicit Simoni Petro Ieſus: Simon Ioannis di- XLV.
ligis me plus his? *vſque ad locum vbi dicit:* Significans qua morte clarificaturus eſſet Deum.

Dicit Dominus Petro, Sequere me, *vſ-* XLVI.
que vbi dicitur: Et ſcimus quia verum eſt teſtimonium eius.

COMMENTARIORVM SVPER IOANNEM

LIBER I.

CAP. I.

In principio erat Verbũ apud Deum, per quem facta ſunt omnia. Ioannes miſſus eſt ante eum, qui recipientes facit filios Dei per gratiam.

IN principio erat Verbum, & Verbũ erat apud Deum, & Deus erat Verbum.] Neque enim fruſtra beatus Ioannes dilectus Domini diſcipulus, in cœna ſupra pectus Ieſu recubuiſſe perhibetur. Sed per hoc typicè docetur, quia cœleſtis hauſtum ſapientiæ cæteris excelſiùs de ſanctiſſimo C eiuſdem pectoris fonte pòtauerit. Vnde ex merito in figura quatuor animalium, Aquilę volanti comparatur. Cunctis quippe auibus Aquila celſiùs volare, cunctis animantibus clarius ſolis radiis infigere conſueuit obtutus. Et cæteri Euangeliſtæ, quaſi in terra ambulant cum Domino, qui temporalem eius generationem pariter, & temporalia facta ſufficienter exponentes, pauca de diuinitate dixerunt. Hic autem quaſi ad cœlum volat cum Domino, qui perpauca de temporalibus eius actis D ediſſerens, æternam diuinitatis eius potentiam, per quem omnia facta ſunt, ſublimiùs mente volando, & limpidiùs ſpeculando cognouit, ac nobis cognoſcendam ſcribendo contradidit. Ergo alij Euangeliſtæ Chriſtum ex tempore natum deſcribunt, Ioannes eundem in principio iam fuiſſe teſtatur dicens:

In principio erat Verbum.] Quod duobus modis intelligitur. Nam Pater principium eſt, quaſi dixiſſet in Patre. In Patre eſt filius, quem Verbum nominauit iſte Euangeliſta. Nec nos mouere debet, B quod in ſequentibus huius Euangelij, Iudæis interrogãtib. quis eſſet ipſe Deus Dei filius, reſpondit, *Principium, qui & loquor vobis.* Si enim Filius principiũ eſt * qui habet Patrem, quanto facilius Deus pater intelligendus eſt eſſe principium; *qui habet quidem filium cui pater ſit?* Filius enim patris eſt filius, & pater vtique filij pater eſt, & pater Deus, ſed non de Deo Deus. Filius verus Deus de Deo eſt. Et Pater dicitur lumen, ſed non de lumine. Filius dicitur lumen, ſed lumen de lumine. Sic Pater principium, ſed non de principio. Filius principium, ſed à principio principium. Quod enim erat in principio, non finitur tempore, non principio inchoatur. Filius principium non finitur tempore, non principio peruenitur. Siue ad creaturarum * principium, vel temporũ velis referre, quod ait: *In principio erat Verbum.* Quicquid creaturarum, quodcunque principium habuit vt eſſet, erat tunc verbum Dei, per quod facta ſunt omnia. Ideo quater dicit Euangeliſta, *Erat, erat, erat, erat,* vt intelligeres omni tempore præueniſſe coæternũ Deo Patri Verbum. Alij Euangeliſtæ inter homines ſubito apparuiſſe Dei filium demonſtrant. Beatus Ioannes apud Deum ſemper fuiſſe declarat, dicens:

*al. Si enim Filius generatus nõ eſſet à Patre.
*al. Spiritus Sancti
† al. Ad creaturam vel tẽpus.

Et Verbum erat apud Deum.] Alij eum verum hominem, ille ipſum verum confirmat eſſe Deum, dicens:

Et Deus erat Verbum.] Alij hominem cum apud homines temporaliter conuerſatum, ille Deum apud Deum in principio manentem oſtendit dicens:

Hoc erat in principio apud Deum.] Si etiam A ſuperius principium ad Patrem referri placet, & hoc ſequens principium ad creaturas, intelligitur æternaliter verbum, id eſt, filium eſſe in Patre, & omne † creaturarum principiũ, ſua eſſentia præire. Alij magnalia quæ in homine geſſit perhibẽt, ille quod omnem creaturam viſibilem, & inuiſibilem per ipſum Deus pater fecerit docet, dicens:

† *al. omnis creatur.*

Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factũ eſt nihil.] Si enim nihil creaturarum ſine ipſo factũ eſt, patet profectò, quia ipſe creatura non eſt, per quem omnis creatura B facta eſt. Et ne quis audiens factam per Dei filium creaturam, mutabilẽ credat eius voluntatẽ, quaſi qui ſubito vellet facere creaturam, quam ab æterno nunquam ante feciſſet; manifeſtè docet Euangeliſta, factam quidem in tempore creaturam, ſed in æterna creatoris ſapientia, quando & qualis crearetur ſemper fuiſſe diſpoſitum, & hoc eſt quod ait:

Quod factũ eſt in ipſo, vita erat.] Id eſt, quod factum in tempore, ſiue viuum, ſiue vita carens C apparuit, omne hoc in ſpiritali factoris ratione, quaſi ſemper vixerat & viuit; Non quia coæternum eſt creatori quod creauit, ſed quia coæterna eſt illi ratio voluntatis ſuæ, in qua ab æterno habuit & habet, quid & quando creauit, qualiter creatũ gubernet vt maneat, ad quem finem ſingula quæ creauit perducat. Ideo ita diſtinguẽdum & ſubinferendum eſt, quaſi alia voce, *In ipſo vita erat.* Quia quicquid per ipſum factũ eſt, etiam & in ipſo viuit. Sicut ars in animo artificis viuit: Licet arca vel aliud quid ab ipſo factum, pereat. Sequitur: D

Et vita erat lux hominũ.] Quo verbo apertè docetur, quod ipſa vitalis ratio, per quã omnia diſpoſita ſunt & reguntur, non omnem creaturam, ſed rationabilem tantum, vt ſapere poſſit, inluminat. Homines nanq. quia ad imaginem Dei facti ſunt, percipere ſapientiam poſſunt, animalia non poſſunt. Sed & animalis quicunque eſt homo, non percipit ea quæ ſunt ſpiritus Dei. Vnde benè cum dixiſſet: *Et vita erat lux hominũ.* Subiunxit & de his, qui ab humanæ cõditionis E honore procul recedentes, comparati ſunt iumentis inſipientibus, & ſimiles facti ſunt illis, atq. ideo rectè veritatis luce priuatur.

Et lux, inquit, *in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.*] Lux quippe eſt hominum Chriſtus, quia omnia quæ illuminari merentur corda hominum, ſuæ præſentia cognitionis inluſtrat. Tenebræ autem ſtulti ſunt & iniqui, quorum cæca præcordia, lux æternæ ſapientiæ qualia ſint manifeſtè cognoſcit, quamuis ipſi radios eiuſdem lucis nequaquam capere per intelligentiam poſſint, veluti ſi quilibet cæcus iubare ſolis perfundatur, nec tamẽ ipſe ſolem cuius lumine perfunditur aſpiciat; talibus diuina conſuluit miſericordia; qualiter peruenire poſſint, vt illam veram lucem cernerent & eſſent filij lucis, qui fuerunt filij tenebrarũ. Et huius cognitionis initium fuit, quod ſequitur:

Fuit homo miſſus à Deo, cui nomẽ erat Ioannes, hic venit in teſtimonium, vt teſtimonium perhiberet de lumine, vt omnes crederent per illum.] Non ait, vt omnes crederent in illum. Maledictus enim homo qui confidit in homine, & ponit carnem brachiũ ſuũ. Sed vt omnes, inquit, crederent per illum; hoc eſt vt per illius teſtimonium crederent in lucem, quã necdum videre nouerant, Dominum videlicet Ieſum Chriſtũ qui de ſeipſo teſtatur: *Ego ſum lux mundi, qui ſequitur me, non ambulabit in tenebris, ſed habebit lumẽ vitæ.* Sequitur:

Non erat ille lux, ſed vt teſtimonium perhiberet de lumine, erat lux vera, quæ inluminat omnẽ hominem venientem in mundũ.] Et ſancti quidem homines lux ſunt rectè vocati; dicente ad eos Domino: *Vos eſtis lux mundi.* Et Apoſtolo Paulo. *Fuiſtis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* Sed multum diſtat inter lucẽ quæ illuminatur, & lucem quæ illuminat: inter eos qui participatione veræ lucis accipiunt vt luceant, & ipſam lucẽ perpetuam, quæ non ſolùm in ſe ipſa lucere, ſed & ſua præſentia quoſcunque adtigerit inluſtrare ſufficit. Ad huius comparationem veræ lucis, non tantum minores quilibet electi, verùm etiã ipſe Ioãnes, quo maior inter mulierũ nemo ſurrexit, lux non eſſe aſſeritur, vt videlicet Chriſtus nõ eſſe quod putabatur, mõſtretur. Ille enim † vt ſcriptum eſt, *Erat lucerna ardens, & lucens.* Ardens ſcilicet fide & dilectione, lucens verbo & actione. Gratiam verò lucis pectoribus infundere, ſolius eſt eius, de quo dicit: *Erat lux vera, quæ inluminat omnem hominẽ venientem in mundũ.* Omnem videlicet qui inluminatur, ſiue naturali ingenio ſeu ſapientia diuina. Sicut enim nemo à ſe ipſo eſſe, ita etiam nemo à ſe ipſo ſapiens eſſe poteſt, ſed illo inluſtrante de quo ſcriptum eſt: *Omnis ſapientia à Domino Deo eſt.* Cuius vtramque naturam, & diuinam videlicet, qua ſemper vbique totus manet, & humanam ex qua in tempore natus, loco incluſus apparuit, conſequenter Euangeliſta deſcripſit, dicens:

Matth. 5.
Epheſ. 5.
† *al. Ioannes enim.*
Eccleſ. 1.

In mundo erat, & mundus per ipſum factus eſt, & mundus eum non cognouit. In pro-

pria venit, & ſui eum non receperunt.] In mundo erat, & mūdus per ipſum factus eſt, quia Deus erat, quia totus vbique, quia ſuæ præſentia maieſtatis, ſine labore regens, & ſine onere continens quod fecit. Et mundus eū non cognouit. Quia lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt. Mundum namque hoc in loco dicit homines, mundi amore deceptos, atq. inhærendo creaturæ, ab agnoſcenda creatoris ſui maieſtate reflexos. In propria venit, quia in mundo, quem per diuinitatē fecit, per humanitatem natus apparuit. In propria venit, quia in gente Iudæa, quam ſibi præ cæteris nationibus ſpeciali gratia copulauerat, incarnari dignatus eſt. In mundo erat ergo: & in mundum venit. In mundo erat per diuinitatem: in mundum venit per incarnationem. Venire quippe & abire humanitatis eſt, manere & eſſe diuinitatis. Quia ergo cùm in mundo eſſet per diuinitatem, mundus eum non cognouit, dignatus eſt venire in mundum per humanitatem, vt vel ſic eum mundus cognoſceret. Sed videamus quid ſequitur.

In propria venit, & ſui eū non receperūt.] Quē enim in potētia diuinitatis cuncta creantē regentemque cognouerāt, ipſum in carnis infirmitate, miraculis coruſcantem recipere noluerunt. Et quod grauius eſt, ſui eum non receperunt, homines ſcilicet quos ipſe creauit. Iudæi, quos peculiarem ſibi elegerat in plebem, quibus ſuæ cognitionis reuelauerat arcanū, quos mirificis patrum glorificauerat actis, quibus ſuę legis doctrinam contulerat. Ex quibus ſe incarnādum promiſerat, & in quibus ſe incarnatum, vt promiſerat, oſtendit. Ipſi eum recipere venientem magna ex parte recuſarūt. Neque enim omnes recuſarunt. Alioquin nullus eſſet ſaluus, & ſuperuacua eius eſſet incarnatio. Nunc autem, multi eum ex vtroque populo non credēdo receperūt: de quibus Euangeliſta conſequenter inſinuat dicens:

Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatē filios Dei fieri, his qui credūt in nomine eius.] Cōſideremus, fratres chariſſimi, quāta gratia redēptoris noſtri, quàm magna ſit multitudo dulcedinis eius. Vnicus ex Patre natus eſt, & noluit remanere vnus. Deſcendit ad terram, vbi fratres ſibi, quibus regnum patris ſui dare poſſet, adquireret. Deus ex Deo natus eſt, & noluit Dei tantum filius manere, hominis quoque filius fieri dignatus eſt non amittens quod erat, ſed aſſumens quod non erat; vt per hoc homines in Dei filios trāsferret, gloriæque ſuæ faceret cohæredes, qui quod ipſe ſemper habe-

A bat per naturam, inciperēt habere per gratiam. Cōſideremus quanta virtus eſt fidei, cuius merito poteſtas datur hominibus filios Dei fieri. Vnde bene ſcriptum eſt, quia *iuſtus ex fide viuit.* Viuit iuſtus ex fide, non illa quæ labiorum tātum confeſſione profertur, ſed ea quæ per dilectionē operatur. Alioquin, fides ſi non habeat opera, mortua eſt in ſemetipſa. Nullus ſeipſum deſpiciat, nullus de ſua ſalute deſperet, curramus omnes, curramus ſinguli, vt qui eramus longè, mereamur fieri prope in ſanguine Chriſti. Videamus quod dicitur: Quia

Haba. 2. Rom. 1. Iacob. 2. Actor. 10.

B *quotquot receperūt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri; Quotquot*, inquit, *receperunt eum.* Nō eſt enim perſonarum acceptor Deus, ſed in omni gente qui timet eum & operatur iuſtitiam, acceptus eſt illi. Quo autem ordine credentes filij Dei poſſunt fieri, & quantum hęc generatio à carnali diſtet, ſubſecutus Euangeliſta deſignat.

Qui non ex ſanguinibus, inquit, *neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt.*] Carnalis quippe noſtra ſingulorum generatio, ex ſanguinibus, id eſt, ex ſemine

C maris & fœminæ, à coniugij duxit originem cōplexu. At verò ſpiritalis, Spiritus ſancti gratia miniſtratur, quam carnaliter diſtinguens Dominus ait: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu, non poteſt introire in regnum Dei. Quod natum eſt ex carne, caro eſt, & quod natum eſt de ſpiritu, ſpiritus eſt.* Verum ne quis hominum dubitet filium ſe Dei & cohæredem Chriſti poſſe fieri, dat exemplū Euangeliſta, quia & ipſe filius Dei homo

D fieri, & habitare inter homines dignatus ſit, vt humanæ particeps exiſtendo fragilitatis, homines diuinæ virtutis ſuæ donaret eſſe participes.

Et Verbum, inquit, *caro factum eſt, & habitauit in nobis.*] Quod eſt dicere, & filius Dei homo factus eſt, & inter homines conuerſatus eſt. Solet nāque ſcriptura modo animæ, modo carnis vocabulo, totū deſignare hominem, animæ videlicet, vt ſcriptū eſt: *Quia deſcendit Iacob in Aegyptum, in animabus ſeptuaginta.* Carnis verò, vt rurſus ſcriptum

Deut. 10. Luc. 3.

E eſt: *Et videbit omnis caro ſalutare Dei.* Neque enim vel animæ ſine corporibus in Ægyptum deſcendere, vel caro ſine anima videre aliquid poteſt, ſed hic per animam, totus homo ibi ſignatur per carnē. Sic ergo hoc in loco quod dicitur: *Et Verbum caro factum eſt*, nihil aliud debet intellegi, quàm ſi diceretur, & Deus homo factus eſt, carnem videlicet induendo & animam. Vt ſicut quiſque noſtrū vnus homo ex carne cōſtat & anima, ita vnus ab incarnationis tempo-

re Chriſtus ex diuinitate, carne & anima conſtat. Deus ab æterno in æternum exiſtens verus, vt erat, hominem ex tempore aſſumens in vnitatem ſuæ perſonæ verum, quem non habuerat. Sequitur:

Et vidimus gloriam eius, gloriam quaſi Vnigeniti à patre, plenũ gratiæ & veritatis.] Gloriã Chriſti, quam ante incarnationẽ videre nõ poterant homines, poſt incarnationem viderunt, aſpiciẽtes humanitatem miraculis refulgentem, & intellegentes diuinitatem intus latitantẽ; illi maximè qui & eius claritatem ante paſſionẽ trãsfigurati in monte ſancto contemplari meruerunt, voce delapſa ad eũ huiuſcemodi à magnifica gloria. *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Et poſt paſſionem, reſurrectionis, aſcenſioniſque ipſius gloria conſpecta, ſpiritus eius ſunt dono mirificè refecti. Quibus omnibus manifeſtè cognouerũt, quòd huiuſmodi gloria nõ cuilibet ſanctorum, ſed illi ſoli homini, qui eſſet in diuinitate vnigenitus à Patre conueniret. Quod autem ſequitur: *Plenum gratiæ & veritatis.* Gratiæ plenus erat, & eſt homo Chriſtus Ieſus, cui ſingulari munere præ cæteris mortalibus datum eſt, vt ſtatim ex quo in vtero virginis concipi, & homo fieri inciperet, verus eſſet & Deus. Vnde & eadem glorioſa ſemper virgo Maria, non ſolum hominis Chriſti, ſed & Dei genitrix rectè credẽda & cõfitenda eſt. Idẽ veritatis plenus erat & eſt, ipſa videlicet verbi diuinitate, quæ hominẽ illum ſingulariter electum, cum quo vna Chriſti perſona eſſet, aſſumere dignata eſt. Non aliquid ſuæ diuinæ ſubſtantiæ, vt hæretici volunt, in faciendam hominis naturã commutans, ſed ipſe apud Patrem manens, totum quod erat, totam de ſemine Dauid naturam veri hominis, quam non habebat, ſuſcipiens.

Ioannes teſtimoniũ perhibet de ipſo.] Redemptoris noſtri præcurſor, teſtimoniũ de ipſo perhibens, celſitudinem humanitatis eius pariter & diuinitatis æternitatẽ manifeſta voce pronunciat. Clamat enim dicens: *Hic erat quem dixi vobis, qui poſt me venturus eſt, ante me factus eſt, quia prior me erat.* In eo nãque quod ait, *qui poſt me venturus eſt*, ordinẽ humanæ diſpenſationis, qua poſt eum natus, poſt eum etiã prædicaturus, baptizaturus, ſigna facturus, & mortẽ erat paſſurus, inſinuat. In eo verò quod ſubiũgit, *Ante me factus eſt*, ſublimitatẽ eiuſdẽ humanitatis, qua cæteris omnibus creaturis erat merito pręferenda, deſignat. Quod enim ait, ante me, non ad ordinem temporis, ſed ad diſtantiã pertinet dignitatis, iuxta quod de Ioſeph filiis benedicente Iacob ſcriptũ eſt, *Conſtituitque Ephraim ante Manaſſen*, vbi rectè poſuit dicere Manaſſes; *Qui poſt me venit ante me factus eſt*, id eſt, qui poſt me natus eſt, potentia me regni anteceſſit. Quemadmodũ Ioãnes de Domino, *Qui poſt me*, inquit, *venturus eſt, ante me factus eſt*: id eſt, qui poſt me ad prædicandũ venturus eſt, culmine me regni & ſacerdotij perennis antecellit. Quarè autem his qui poſt eum venturus erat, eum dignitate antecelleret, aperuit cũ ſubiunxit: *Qui prior me erat.* id eſt, quia ęternus ante ſecula Deus erat; Propterea me licet poſterior natus, gloria maieſtatis etiã in aſſumpta humanitate præibit. Expoſito autem Euãgeliſta præcurſoris Domini teſtimonio, quod de illo perhibuerat, reddit ſtatim ſuæ quoque aſſertionis quod cœperat illi teſtimonium dare. Nam ſequitur,

Gene. 48.

Et de plenitudine eius nos omnes accepimus gratiam pro gratia.] Superius nãque dixit: *Quia Verbũ caro factum eſt & habitauit in nobis, & vidimus gloriã eius, gloriã quaſi Vnigeniti à Patre plenũ gratiæ & veritatis.* Quod cùm præcurſoris quoq. eius teſtimonio cõfirmaſſet, dicentis, *Hic erat quẽ dixi vobis, qui poſt me venturus eſt, ante me factus eſt, quia prior me erat:* rurſus ipſe quod cœperat exequitur dicẽs: *Et de plenitudine eius nos omnes accepimus gratiã pro gratia.* Plenus quippe erat Dominus Spiritu ſancto, plenus gratia & veritate, quia ſicut Apoſtolus ait: *In ipſo habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter, de cuius plenitudine nos omnes iuxta modũ noſtræ capacitatis accepimus, quia vnicuique noſtrũ data eſt gratia, ſecundum menſurã donationis Chriſti.* De ſolo nãque mediatore Dei & hominum, homine Ieſu Chriſto veraciter dici potuit. *Et requieſcet ſuper eum Spiritus Domini, ſpiritus ſapientiæ & intellectus, ſpiritus conſilij & fortitudinis, ſpiritus ſcientiæ & pietatis, & replebit eum ſpiritus timoris Domini.* Omnes verò Sancti, nõ plenitudinẽ ſpiritus eius, ſed de plenitudine eius quantum ille donat accipiũt. Quia alij per ſpiritũ datur ſermo ſapientiæ, alij ſermo ſcientię, ſecundum eundem ſpiritum. Alteri fides in eodem ſpiritu, alij gratia ſanitatũ in vno ſpiritu. Alij operatio virtutum, alij prophetatio, alij diſcretio ſpirituũ, alij genera linguarũ, alij interpretatio ſermonũ. Hęc autem omnia operatur vnus atq. idem ſpiritus, diuidens ſingulis prout vult. Quia ergo de plenitudine conditoris noſtri, non quidam, ſed omnes quicquid boni accepimus, habemus: curandum ſummoperè eſt, ne quiſpiam de bona ſe ſua actione, vel cogitatione incautus extollat; ne ſi ingratus largitori remanſerit,

Coloſſ. 2.

Eſaiæ 11.

perdat bonum quod accepit. Cum autem dixiſſet Euangeliſta, Nos omnes de plenitudine Chriſti accepiſſe; confeſtim ſubiunxit & ait: *Gratiam pro gratia.* Geminam ergo nos gratiam accepiſſe teſtatur, vnam videlicet in præſenti, alteram verò in futuro. In præſenti quidem, fidem quæ per dilectionem operatur. In futuro autem vitam æternam. Fides quidem, quæ per dilectionem operatur, gratia Dei eſt; quia quod credimus, & vt diligamus, vt operemur bona quæ nouimus: non vllis præcedentibus meritis noſtris, de ipſo largiente percepimus, qui dicit: *Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos, & poſui vos, vt eatis & fructum afferatis.* Et vt vitam propter fidem & dilectionem per opera bona percipiamus ęternam, gratia Dei eſt; quia ne à bono deuiemus itinere, ipſo duce ſemper opus habe-
Pſal. 85. mus, cui dicitur: *Deduc me, Domine, in via tua, & ambulabo in veritate tua.* Notandum eſt quòd quidam libri habent, *Nos omnes accepimus de plenitudine eius, & gratiam pro gratia.* Aliquid primo de plenitudine eius accepimus, & poſtea gratiam pro gratia, id eſt, de plenitudine eius accepimus remiſſionem peccatorum, & gratiam, id eſt, vitam æternam, pro gratia fidei, quæ per dilectionem operatur. Quæ omnia ex vno fonte plenitudinis Chriſti nobis prouenire certiſſimũ eſt. Quid ergo accepimus de plenitudine bonitatis illius? ſcil. remiſſionem peccatorum, vt iuſtificemur in fide. Inſuper quid? Et gratiam pro gratia, id eſt, pro gratia in qua ex fide viuimus, recepturi ſumus aliam. Quid tamen niſi gratiam? hoc eſt, vitam æternam. Sequitur:

Quia lex per Moſen data eſt, gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt.] Lex quidem per Moyſen data eſt, in qua quod agendum, quod vitandum ſit, cœleſti iure decernitur. Sed quod illa præcipit, nõ niſi gratia Chriſti completur. Illa ſiquidẽ mõſtrare peccatum, iuſtitiam docere, & tranſgreſſores ſui reos oſtendere valebat. Porrò gratia Chriſti diffuſa per ſpiritum caritatis in cordib. fidelium facit, vt quod lex præcipit impleatur. Vnde illud quod ſcriptum eſt, *Non concupiſces,* lex eſt per Moyſen quæ iubet, ſed per Chriſtum fit gratia, quando quod iubetur impletur. Veritas autem facta eſt per Chriſtum, quia vmbram habebat lex futurorum bonorum, non ipſam imaginem re-
1. Cor. 10. rum. Et ſicut alibi dicit Apoſtolus: *Omnia in figura contingebant illis.* Sed prò vmbra lucẽ veritatis, prò figura legis ipſam imaginem rerum, quæ figurabatur, exhibuit Chriſtus; quando data ſpiritus gratia, aperuit diſcipulis ſuis ſenſum, vt intelligerẽt ſcripturas. Lex per Moſen data eſt, cum populus aſperſione ſanguinis agni mũdari præceptus eſt. Gratia & veritas, quæ in lege figurabatur, per Ieſum Chriſtum facta eſt; cùm ipſe paſſus in cruce, lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo. Lex per Moſen data eſt, quia populũ pręceptis ſalutaribus inſtituit, quæ ſi ſeruaret, terrã repromiſſionis intraturum, & in ea perpetuò victurum promiſit. Sin aliàs, proſternendũ ab hoſtibus prædixit. Gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt, quia dato ſpiritus ſui dono, & leges ſpiritaliter intelligi ac ſeruare poſſe donauit: & eos qui ſeruant, in veram cœleſtis vitæ beatitudinem, quam terra repromiſſionis ſignabat, introducit. Quæ ſit autem ſumma gratiæ & veritatis, quæ per Ieſum Chriſtum facta eſt, Euãgeliſta ſubdendo manifeſtat:

Deum nemo vidit vnquã, vnigenitus filius qui eſt in ſinu patris, ipſe enarrauit.] Nulla etiã gratia maior hominibus dari, nulla veritas altior poteſt ab hominibus cognoſci; quàm ea de qua vnigenitus filius Dei ſuis fidelibus narrans: *Beati,* inquit, *mundo corde, quoniã ipſi Dominum videbunt.* Et de qua patri ſupplicans ait: *Hæc eſt autẽ vita æterna, vt cognoſcant te verum & vnum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum.* Quæ nimirũ beatiſſima perceptio gratiæ & veritatis, quoniã in huius ſeculi vita fieri nõ poteſt, rectè dicitur: *Deũ nemo vidit vnquam,* id eſt, nemo corruptibili adhuc & mortali carne circundatus, incircunſcriptã diuinitatis poteſt lucẽ contueri. Vnde manifeſtius dicit Apoſtolus: *Quẽ nemo vidit hominũ, nec videre poteſt.* Nemo enim hominũ dicitur, id eſt, nemo humano adhuc habitu adgrauatus, humana conuerſatione caducus. Hinc eſt enim quod Moſes, qui Deum, quem in Angelo videbat, in ipſa eius natura videre deſiderans orabat: *Si inueni gratiam in conſpectu tuo, oſtende mihi gloriam tuã,* audiuit, *Non poteris videre faciem* Exod. 33. *meam, non enim videbit me homo & viuet.* Qua autem ratione ad viſionem incommutabilis & æterni luminis perueniro debeat, Euangeliſta conſequenter expoſuit, dicens:

Vnigenitus filius, qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarrauit.] Cui ſimile eſt quod Dominus ait: *nemo venit ad Patrem niſi per me.* Et alibi: *Nemo nouit filiũ niſi Pater, neque Patrem quis nouit niſi filius, & cui voluerit Filius reuelare.* Ipſius quippe ducatu ad patrem venire ipſius magiſterio Patrem & Filium, necnon & Spiritum ſanctum Deum & Dominum noſſe debemus, quia nimirum ipſe homo factus pro

nobis,in hominis habitu loquẽs nobis,quid de ſanctę Trinitatis vnitate rectè ſentiendũ qualiter ad eius contemplationẽ fidelibus properandũ quibus actibus ad hãc ſit peruenïẽdũ clara luce reuelauit.Ipſe Sacramẽtis ſuę incarnationis nos imbuẽs,ſui nos ſpiritus charismatib. ſanctificãs,vt ad hanc venire valeamus, adiuuat.Ipſe peracto in hominis forma iudicio, nouiſſimè ad viſionẽ nos diuinæ maieſtatis ſublimiter introducet,atque arcana nobis regni cæleſtis mirabiliter enarrabit.Sane quod ait: *Qui eſt in ſinu patris*, in ſecreto patris ſignificat. Neque enim ſinus Patris pueriliter eſt cogitandus, in ſimilitudinem noſtri ſinus quem habemus in veſtibus:aut putandus eſt Deus,qui humanorum forma membrorum compaginatus non eſt, ſic ſedere quemadmodum nos. Sed quia ſinus noſter intus eſt, more noſtro loquens ſcriptura, in ſinu patris eſſe dicit,quem in ſecreto Patris, quò humanus intuitus pertingere non valet, ſemper manentem vult intellegi.Non tunc autem ſolum enarrabit vnigenitus Filius Deum, id eſt, ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis, quæ eſt vnus Deus, gloriam manifeſtabit hominibus, cum poſt vniuerſale iudicium omnes pariter electos ad viſionem claritatis eius inducet: ſed & cotidie narrat, cum ſingulis quibuſque fidelium perfectorum mox à carnis incorruptione ſolutis, implere cœperit quod promiſit: *Qui diligit me, diligetur à patre meo, & ego diligam eum, & manifeſtabo ei meipſum.* Meipsũ,inquit, manifeſtabo dilectoribus meis,vt quẽ in ſua cognouerunt mortalem,in mea tamẽ natura,Patri & Spiritui ſancto videre poſſint æqualem.

Cap. II.

Ioannes negat ſe eſſe Chriſtum, ſed miſſum ſe ante ipſum, vocemque clamantis in deſerto ſecundum Iſaiam enunciat.

Hoc eſt teſtimoniũ Ioannis, quando miſerunt Iudæi ab Hieroſolymis ſacerdotes & leuitas ad eum, vt interrogarent eum, Tu quis es, &c.] Ex his verbis Ioannis humilitas commendatur, qui cùm tantæ virtutis eſſet,vt Chriſtus credi po tuiſſet, elegit ſolidè ſubſiſtere in ſe,ne humana opinione raperetur inaniter ſuper ſe.

Et confeſſus eſt, & non negauit, & confeſſus eſt, quia non ſum ego Chriſtus.] Sed quia dixit, *Non ſum*, negauit planè quod non erat, ſed nõ negauit quod erat; vt veritatem loquẽs, eius membrum fieret,cuius ſibi nomen falſaciter non vſurparet. Cum ergo non vult

A appetere nomen Chriſti,factus eſt membrũ Chriſti, quia dum infirmitatẽ ſuam ſtuduit humiliter agnoſcere, illius celſitudinem meruit veraciter obtinere. Quiſnam ſit cõtinuo exprimit cùm ſubiungit.

Ego vox clamantis in deſerto.] Scitis quia vnigenitus filius Verbum Patris vocatur, Ioanne adteſtante, qui ait: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*, & ex ipſa veſtra locutione cognoſcitis, quia prius vox ſonat, vt verbum poſtmodum poſſit audiri. Ioan. ergo vocẽ

B ſe eſſe aſſerit,quia Verbum præcedit.Aduẽtum itaque Dominicum præcurrens vox dicitur, quia per eius miniſterium, Patris verbum ab hominibus auditur, qui etiam in deſerto clamat, quia derelictæ ac deſtitutæ Iudęæ,ſolatium redemptoris adnunciat. Quid autem clamet inſinuat, cùm ſubiungit.

Dirigite viam Domini, ſicut dixit Eſaias Propheta.] Via Domini ad cor dirigitur, cùm veritatis ſermo humiliter auditur. Via Domini ad cor dirigitur, cum ad præceptum vita præparatur. Vnde ſcriptum eſt: *Si quis*

C *diligit me, ſermonem meũ ſeruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.* Quiſquis ergo in ſuperbia mentem eleuat, quiſquis auaritiæ æſtibus anhelat,quiſquis ſe luxuriæ inquinationibus polluit, cordis oſtium contra veritatem claudit; & ne ad ſe Dominus veniat, clauſtra animi ſeris vitiorum damnat. Sed adhuc qui miſſi ſunt,percunctantur.

Quid ergo baptizas, ſi tu non es Helias, neque Chriſtus, neque Propheta?] Quod quia non ſtu-

D dio cognoſcendę veritatis,ſed malitia exercendæ æmulationis dicitur,Euangeliſta tacitè innotuit,cùm ſubiunxit.

Et qui miſſi fuerant, erant ex Phariſæis.] Ac ſi apertè dicat: Illi Ioannem de ſuis actibus requirunt, qui doctrinam neſciunt quærere, ſed inuidere. Sed ſanctus quiſque etiam cùm peruerſa mente requiritur, à bonitatis ſuæ ſtudio non mutatur. Vnde Ioannes quoque ad verba inuidiæ, prædicamenta reſpondit vitæ. Nam protinus adiungit.

Ego baptizo in aqua, medius autem veſtrûm ſtetit, quem vos neſcitis.] Ioannes non ſpiritu, ſed aqua baptizat, quia peccata ſoluere nõ valens, baptizatorum corpora aqua lauat, ſed tamen per veniam non lauat. Cur ergo baptizat qui peccata per baptiſma nõ relaxat? niſi vt præcurſionis ſuæ ordinem ſeruans, quia naſciturum naſcendo præuenerat, baptizaturum quoque Dominum baptizando præueniret.Et qui prædicando factus eſt præcurſor Chriſti, baptizando

etiam prçcurſor eius fieret, imitatione Sacramenti. A Qui inter hæc myſterium Redẽptoris noſtri adnuncians, hunc in medio hominum & ſtetiſſe aſſerit & neſciri, quia per carnem Dominus apparens, & viſibilis ſtetit corpore, & inuiſibilis maieſtate. De quo etiam ſubdidit: *Qui poſt me venit, ante me factus eſt.* Sic namque dicitur: *Ante me factus eſt*, ac ſi dicatur, antepoſitus. Poſt me ergo venit, quia poſtmodum natus, ante autem factus eſt, quia mihi prælatus. Sed hæc paulo ſuperiùs dicens, etiam prælationis eius cauſas aperuit cùm ſubiunxit: *Quia prior me erat.* Ac ſi apertè dicat, inde me etiam poſt B natus ſuperat, quo cum natiuitatis ſuæ tempora non anguſtant. Nam qui per matrem in tempore naſcitur, ſine tempore eſt à patre generatus, qui quantæ reuerentiæ humilitatem debeat, ſubdendo manifeſtat cùm ait.

Cuius non ſum dignus ſoluere corrigiam calciamenti.] Mos apud veteres fuit, vt ſi quis eam quæ ſibi competeret accipere vxorem nollet, ille ei calciamentum ſolueret, qui ad hanc ſponſus iure propinquitatis veniret. Quid igitur inter homines Chriſtus, niſi C ſanctæ Eccleſiæ ſponſus apparuit? De quo & iſdẽ Ioan. dicit: *Qui habet ſpõſam ſponſus eſt.* Sed quia Ioannẽ homines Chriſtũ eſſe putauerunt, quod iſdem Ioannes negat, rectè ſe indignum eſſe ad ſoluendum corrigiam eius calciamenti denunciat. Ac ſi apertè dicat: Ego redemptoris veſtigia denudare nõ valeo, quia ſponſi nomen mihi immeritus non vſurpo. Quod tamen intellegi & aliter poteſt. Quis enim neſciat, quod calciamenta ex mortuis animalibus fiant? Incarnatus verò Dominus veniens, quaſi calciatus D apparuit, qui in diuinitate ſua morticina noſtræ corruptionis aſſumpſit. Vnde etiã per Prophetam dicit: *In Idumeam extendam calciamentum meum.* Per Idumeam quippe gentilitas deſignatur. In Idumeam ergo Dominus calciamentum ſuum ſe extendere aſſerit, quia dum per carnem gentibus innotuit, quaſi calciata ad nos diuinitas venit. Sed huius incarnationis myſterium humanus oculus penetrare non ſufficit. Inueſtigari enim nullatenus poteſt, quomodo incorporatur verbum, quomodo ſummus & viuificator ſpiritus intra vterum matris animatur, quomodo is qui initiũ nõ habet, & exiſtit & concipitur. Corrigia vero calciamenti, eſt ligatura myſterij. Ioannes itaque ſoluere corrigiam calciamenti eius nõ valet, quia incarnationis myſterium nec ipſe inueſtigare ſufficit, qui hanc per prophetiæ ſpiritum agnouit. Quid eſt ergo dicere, *Non ſum dignus ſoluere corrigiam calciamenti eius*, niſi apertè & humiliter ſuam ignorantiam profiteri? Ac ſi patenter dicat: Quid mirum ſi mihi ille prælatus eſt, quem poſt me quidem natum conſidero, ſed natiuitatis eius myſterium non adprehendo?

Hæc in Bethania facta ſunt trans Iordanem vbi erat Ioannes baptizans.] Bene præcurſor Domini noſtri in Bethania dicitur baptiſaſſe. Nam Bethania domus obedientiæ interpretatur, vt demonſtraret per obedientiam fidei, omnes ad Chriſti baptiſma debere peruenire. Sicut Magis mandatum eſt, per aliam viã reuerti in patriam, ita nobis præceptum eſt, per aliam ad paradiſi gaudia peruenire. Nam noſtri parentes per inobedientiæ culpam indè eiecti ſunt, nos verò per obedientiæ bonum & obſeruationem mandatorum Dei, ad æternæ beatitudinis paradiſum peruenire debemus.

Altera die vidit Ioannes Ieſum ad ſe venientem.] Ioannes interpretatur gratia Dei. Altera dies populo Chriſtiano eſt ſub gratia, qui precioſo ſanguine Chriſti redemptus eſt. Altera dies fuit populo priori ſub lege, qui myſticè ſanguine agni redemptus eſt à ſeruitute Ægyptiaca. Ille agnus ſignificabat iſtum agnum, quem præſentem beatus Baptiſta digito oſtendebat, dicens: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Ecce agnus Dei, ecce innocens, & ab omni peccato immunis, vtpote qui os quidem de oſſibus Adam, & carnem de carne Adam, ſed nullam de carne peccatrice traxit maculam culpæ. Ecce qui tollit peccata mundi, ecce qui iuſtus inter peccatores, mitis inter impios, hoc eſt, quaſi agnus inter lupos apparens, etiam peccatores & impios iuſtificandi habet poteſtatem. Quomodo autem peccata mundi tollat, quo ordine iuſtificet impios, Apoſtolus Petrus oſtendit qui ait: *Non corruptibilibus, argento vel auro redempti eſtis de vana veſtra conuerſatione paternæ traditionis, ſed pretioſo ſanguine, quaſi agni incontaminati & immaculati Ieſu Chriſti.* Sequitur:

Ioannes teſtimoniũ perhibet de Domino. Hic eſt de quo dixi, Poſt me venit vir qui ante me factus eſt, quia prior me erat.] Poſt me venit vir, poſt me natus eſt in mundo, poſt me prædicare incipiet mundo, qui ante me factus eſt, qui me potentia maieſtatis tantum, quantum præconem iudex, quantum ſol luciferum, licet poſt apparens, antecellit. Quia prior me erat, quia *in principio erat Verbum & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Poſt me venit vir.* Tempus humanæ natiuitatis deſignat, in quo Ioanne poſteriorem Chriſtum intellige, *qui ante me factus eſt*, pri-

matum regiæ poteſtatis, quo etiam Angelis præſidet intuere. *Quia prior me erat*, æternitatem diuinæ maieſtatis, qua Patri eſt æqualis, intellige. *Poſt me venit vir qui ante me factus eſt, quia prior me erat*. Poſt me venit humanitate, qui ideo me præcellit dignitate, quia prior me erat diuinitate.

Et ego neſciebam, inquit, eum.] Certum eſt, quia ſciebat Dominum Ioannes, cui teſtimonium perhibere miſſus eſt, quem iudicem omnium venturum prædicabat, dicẽs: *Cuius ventilabrum in manu ſua, & permũdabit aream ſuam.* A quo Spiritum ſanctum dari debere teſtabatur, *Ipſe vos baptizabit*, inquiens, *Spiritu ſancto.* A quo ſe ipſum ablui deſiderabat, dicens: *Ego debeo à te baptizari, & tu venis ad me?* Quomodo ergo dicit, *& ego neſciebam eum?* niſi quia eum, quem & antea nouerat, perfectiùs iam cùm baptizaretur agnouit? quem mundi Saluatorem & iudicem nouerat, huius potentiam maieſtatis; altiùs Spiritu ſancto ſuper eum deſcendente cognouit. Neque enim dubitandum eſt, quia Beatus Ioannes cùm Spiritum ſãctum, licet corporali ſpecie videre, cùm vocem Patris licet corporaliter ſonantem meruiſſet audire; multum ex hoc viſu & auditu profecerit, multum de diuinæ poteſtatis excellentia, reuelatis oculis mentis, ſcientiæ cæleſtis acceperit. Adeout ad comparationem intelligentiæ, qua tunc inluſtrari cœperat, eatenus illum quantus eſſet, omnimodis ſibi videretur ignoraſſe. Qui teſtimonium in quo miſſus eſt, Domino diligenter perhibens adiungit.

Sed vt manifeſtaretur Iſraël, propterea veni ego in aqua baptizans.] Quod eſt aperte dicere, Nõ ideo veni in aqua baptizãs, quia peccata mũdi baptizando tollere poſſim, ſed vt eum baptizando ac prædicando manifeſtarem populo Iſraël, qui in Spiritu ſancto baptizans, ad tollenda peccata non ſolum Iſraël, ſed & totius mundi, ſi ei credere voluerit, idoneus eſt. Propterea veni ego in aqua † baptizans, vt ſic baptizando, illi viam pararem qui baptizaret in remiſsionem peccatorum.

† al. in pœnitentiam.

Et teſtimonium perhibuit Ioannes dicens, Quia vidi Spiritum deſcendentem quaſi columbam de cælo, & manſit ſuper eum.] Bene autem columbæ ſpecie deſcendit ſuper Dominum Spiritus, vt diſcant fideles, non aliter ſe mẽbra eius fieri, non aliter eius ſpiritu ſe poſſe repleri, niſi ſimplices fuerint, niſi veram cũ fratribus habuerint pacem, quam ſignificãt oſcula columbarum. Habent autem oſcula & corui, ſed laniant, quod columbæ omnimodo non faciunt. Significantes eos qui loquuntur pacem cum proximo ſuo, mala autem ſunt in cordibus eorum. Columbæ autem natura, quæ laniatu innocens eſt, illis aptiſsimè congruit, qui pacem ſequuntur cum omnibus & ſanctimoniam, ſolliciti ſeruare vnitatem ſpiritus in vinculo pacis. Atque ideo Spiritus in columbę ſpecie deſcendendo, non ſuam tantummodo, vel eius in quem deſcendit innocentiam ſimplicitatemque deſignat, ſed eorum æquè, qui ſentiunt de illo in bonitate, & in ſimplicitate cordis quærunt illum. *Et ego*, inquit, *neſciebam eum.* Subaudis tam ſubtiliter, quã Spiritu in eum deſcendente cognoui.

Sed qui miſit me baptizare in aqua, ille mihi dixit. Super quem videris Spiritum deſcendentem, & manentem ſuper eum, hic eſt, qui baptizat in Spiritu ſancto.] Baptizat Dominus in Spiritu ſancto, per Spiritus ſancti gratiam peccata dimittendo. Siue enim ipſe aqua aliquos diſcipulorum ſuorum primus baptizauerit, per quos ad cæteros fideles riuus baptiſmi proflueret, eoſdem etiam ſpiritu baptizabat, peccata illis relaxando, & Spiritus ſancti dona miniſtrando. Siue fideles eius inuocato nomine ipſius aqua baptizẽt, electos ex chriſmate ſãcto perungant, eoſdem nihilominus ipſe Spiritu ſancto baptizat. Quia nemo præter ipſum, peccatorum nexus ſoluere, & Spiritus ſancti valet dona tribuere. Sed diligentiùs intuendum eſt, quia cùm dixiſſet: *Super quem videris ſpiritum deſcendentem*, adiecit, *& manentem ſuper eum.* Et in ſanctos enim eius ſpiritus deſcendit. Verum quamdiu ſunt in corpore, peccato carere nequeunt, quia cæleſtium contemplationi ſemper oculum mentis intendere non ſufficiunt, ſed ſæpiùs hunc ad terrenæ curã conuerſationis inflectũt. In eorũ proculdubio cordibus ſpiritus aliquãdo venit, aliquãdo recedit. Vnde dictum eſt, *Spiritus vbi vult ſpirat, & vocem eius audis, ſed non ſcis vnde veniat, & quo vadat.* Venit quippe ad ſanctos, vadit ad ſanctos ſpiritus, vt quẽ ſẽper idonei non ſunt, eius per tẽpora redeũte crebra luce reficiantur. In ſolo autem mediatore Dei & hominum homine Ieſu Chriſto ſpiritus perpetuo veraciter manet, in quo nec ſordidæ cogitationis maculam, quam refugerit, vllam inuenit. Manſit autem totus in illo, non ex eo ſolũ tempore, quo hunc Ioannes ſuper eũ vidit deſcẽdentem, ſed ex quo homo incipiens, eius miniſterio & opere cõceptus eſt. Idcirco autem ſuper eum, in quo ſemper manebat, baptizatum deſcendere Spiritus oſtenditur, vt & Baptiſta ipſe celſiùs iam quem prædicaret oſtenditur, & credentibus daretur indi-

cium, nequaquam ſe niſi baptizatū aqua, ſpiritus eiuſdem poſſe baptiſma mereri.

Quærendum eſt interea, quomodo ſpeciale filij Dei agnoſcendi ſignum fuerit, quod ſuper eum deſcenderit & manſerit ſpiritus? Cùm etiam diſcipulis ipſe promittat, dicēs eis. *Ego rogabo Patrem, & alium paracletum dabit vobis, vt maneat vobiſcum in æternum ſpiritum veritatis.* Et paulo poſt. *Quia apud vos manebit, & in vobis erit.* Si enim apud ſeruos Dei electos manet, & in illis erit ſpiritus, quid eſt magnum filio Dei, quod in ipſo manere ſpiritus aſtruatur? Notandum quoque quod ſemper in Domino manſerit Spiritus ſanctus. In ſanctis autem hominibus, quamdiu mortale corpus geſtauerint, partim maneat in æternum, partim rediturus ſecedat. Manet quippe apud eos, vt bonis inſiſtant actibus, voluntariam paupertatem diligant, manſuetudinem ſequantur, pro æternorum deſiderio lugeant, eſuriant, & ſitiant iuſtitiam, miſericordiam, mūditiam cordis, & tranquillitatem pacis amplectantur. Sed & pro obſeruatione iuſtitiæ, perſecutionem pati non vereantur, eleemoſynis, orationibus, & ieiuniis, cęteriſque ſpiritalibus fructibus inſiſtere deſiderent. Recedit autem ad tempus, ne ſemper infirmos curandi, mortuos ſuſcitandi, lepro ſos mundandi, Dæmones eiiciendi, vel etiam prophetandi poſſint habere virtutem. Manet ſemper, vt mirabiliter ipſi viuant. Venit ad tempus, vt etiam aliis per miraculorum ſigna, quales ſint intus effulgeant.

Ego, inquit, vidi & teſtimonium perhibui, quia hic eſt filius Dei.] Supra dixerat, *Poſt me venit vir, qui ante factus eſt.* Nunc teſtimonium perhibet, *quia hic eſt filius Dei*: vtriuſque naturæ veritatem, & humanæ videlicet & diuinæ in vna eademque Chriſti perſona, manifeſtè deſignans. Erubeſcat Manichæus, audiens: *Venit vir.* Conticeſcat Fotinus, audiens: *hic eſt filius Dei.* Audiant manſueti & lætentur, quia venit vir poſt Ioannem, fortior Ioanne, qui baptizat in Spiritu ſancto, & quia hic eſt filius Dei. Quia enim per ſuperbiam receſſimus omnes à Deo, filius E Dei per miſericordiam factus eſt homo: vt idem ipſe & per diuinitatem Patri, & per humanitatem congrueret nobis. Ac per humanitatem noſtri ſimilem, pro nobis cū hoſte confligere, per diuinitatem Patri cōſubſtantialem, ad imaginem nos Dei & ſimilitudinem, quam peccando amiſimus, poſſet dignè recreare. Per mortem noſtræ fragilitatis deſtrueret eum, qui habebat mortis imperium, & per impaſſibilem ſuæ A diuinitatis potentiam reconciliaret nos Deo patri.

Stabat Ioannes, & ex diſcipulis eius duo.] Stabat Ioannes, quia credebat in Domino, & duo ex diſcipulis eius: ſtatim enim crediderunt, & ſecuti ſunt Ieſum ambulantem.

Et reſpiciens Ieſum ambulantem.] Debemus ſingula ſcripturarum verba tractare, quare Ioannes ſtans, & Ieſus ambulans dicitur. *Et aſpiciens Ieſum ambulantem, dicit.*

Ecce agnus Dei.] Lex dat teſtimonium, Ecce agnus Dei, agnus immaculatus, agnus B anniculus, agnus qui tollit peccata mundi, agnus qui exterminatorem Ægypti populum Iſrael percutere non ſinit. *Ecce agnus Dei.*

Et audierunt eum diſcipuli.] Quare voluit dicere, *Ecce?* quando dicitur, Ecce, quodammodo ille qui oſtenditur digito demonſtratur. Dicit ergo ad diſcipulos ſuos, Quid me ſequimini? quid me putatis magiſtrum habere? *Ecce agnus Dei.* Illum ſequimini, illū oportet creſcere, me autem minui. Nemo prudentum eum qui minuitur ſequitur, & C relinquit eum qui creſcit. Et audierunt eum duo diſcipuli loquentem. Magiſtrum magiſtri imperio ſunt ſecuti. Teſtimonium Ioānis fides eſt diſcipulorum. *Et ſecuti ſunt Ieſum.* Sequentes Ieſum, reliquerunt Ioannem. Sequentes Euangelium, Legem amiſerunt. Sic tamen ſecuti ſunt Euangelium, vt teſtimonio vterentur è lege. *Conuerſus autem Ieſus & videns eos.* Diſcipuli Ioannis, cōminus & coram & anteceſſu Ieſum videre non poterant, ſed tergum illius ſequebantur D vt viderent. Ergo diſcipuli faciem Domini videre non poterant. Conuertit ſe & quodammodo de ſua maieſtate deſcendit, vt poſſent diſcipuli contemplari faciem illillius. Conuertit ſe, vt ex lege à diſcipulis cerneretur.

Conuerſus autem & videns eos ſequentes dixit: Quid quæritis?] Non quaſi ignorans interrogat, ſed interrogat vt mercedem habeant reſpondentes. *Quid quæritis?* Nec dixit quem quæritis, ne ſe videretur oſtendere. *Quid quæritis?* Rem interrogat, vt illi perſonam ſignificent. *Quid quæritis.*

Qui dixerunt ei, Rabbi.] Ipſa appellatio reſponſionis indicium eſt fidei. quando enim dicunt Rabbi, quod intelligitur magiſter, & ſequuntur eum, vtique magiſtrum ſequuntur & dicunt.

Vbi habitas? Dicit eis, Venite & videte.] Volunt habitaculum noſſe Ieſu, volunt ſibi oſtendi qualem habitationem habeat Saluator, vt cùm ille oſtēderit in quibus Chri-

ſtus habitet, tales ſe exhibeant in quibus A Dominus poſſit habitare. Et dixit eis: *Venite & videte.* Vultis videre habitaculum meũ? ſermone explicari non poteſt, opere demonſtratur. *Venite & videte.* Iſti quia de teſtimonio legis venerant, qui ſtatim in ipſo nomine confitentur & dicunt: *Rabbi*, quod interpretatur magiſter. Ieſus autem reſpõdit eis, & dixit: Vos autem qui diſcipuli eſtis Ioannis, qui ex ipſo nomine confeſſionem veſtram demonſtratis, & dicitis, *Rabbi*, venite & videte.

Venerunt & viderunt vbi maneret, & apud eum manſerunt die illo.] quia credebant, non B in nocte manſerunt, ſed in die. Nox illa tenebras non habebat, vbi erat fides veri luminis. *Et apud eum manſerunt die illo.*

Hora erat quaſi decima.] Ex lege veniebant ad Euangelium, ad fidem Chriſti, mittebat illos legis decalogus qui per Ioannem ſignificabatur.

Cap. III.

Quod ex duobus Ioannis diſcipulis, qui ſequuti fuerant Dominum, vnus Andreas adduxit C *fratrem ſuum ad Ieſum, qui Petrus ab ipſo nuncupatur. Philippus quoque vocatus Nathanaeli indicat. Qui mox inter cetera Dei filium confitetur. Hinc Ieſus aquam conuertit in vinum, creduntque in eum diſcipuli eius.*

E*Rat autem Andreas frater Simonis Petri, vnus ex duobus qui audierant à Ioanne, & ſecuti fuerant eum.*] In fide non eſt ordo, vbicunque fidelis eſt anima, ibi annorum multitudo non quæritur, nec paucitas. Andreas minor erat Simone Petro, & tamen non D quæritur ætatis ordo, ſed fidei. Ieſum primus inuenit. Erat autem Andreas frater Simonis Petri, vnus ex duobus. Niſi forte & hæc dignitas eſt Andreæ, quia Petri appellatur frater, ſuper quem erat fundata Eccleſia. Qui audierant à Ioanne, & ſecuti fuerant Dominum.

Inuenit hic primum fratrem ſuum.] O vera pietas, ſtatim vt inuenit Ieſum, ſtatim vt in- E uenit margaritam, ſtatim vt inuenit theſaurum, fratri nunciat. Fratrem ſuum Simonẽ vocat fratrem, non tam ſanguine quàm ſpiritu. Quem fratrem habebat germanitate & ſanguine, voluit habere & fide germanum. *Et dicit ei.*

Inuenimus Meſſiam.] Nemo inuenit, niſi qui quærit. Iſte qui inueniſſe dicit, oſtendit quia diu quæſiuit. *Inuenimus Meſſiam*, quod eſt interpretatum Chriſtus. Diu quæſiuimus Chriſtum in Moſe & in omnibus Prophetis, & quem inuenire cupiebamus, ipſe nos inuenit, & inuenti inuenimus.

Et adduxit eum ad Ieſum.] Non dedignatur maior minorem ſequi, quia non erat ordo ætatis, vbi erat meritum fidei.

Intuitus autem Ieſus eum dixit, Tu es Simon filius Iona, tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus.] Nec dum aliquid Petrus fecerat, & iam meruit nomen mutari. Nũquid plus ab Andrea crediderat? quid maius fecit vt à fratre plus acciperet? Minorẽ fratrem ſequutus eſt, & quem habebat diſcipulum, non dedignatus eſt habere magiſtrum. *Tu es Simon filius Iona.* Iona lingua noſtra dicitur columba. Tu es ergo filius Iona, tu es filius Spiritus ſancti. Filius ergo dicitur Spiritus ſancti, quia humilitatem de Spiritu ſancto acceperat.

In craſtinum voluit exire in Galilæam.] In craſtinum, inquit, voluit Ieſus exire in Galilæam, & inuenit Philippũ, & dicit ei: *Sequere me.* Iam patet ex ſuperioribus, vnde voluerit Ieſus exire in Galilæam, videlicet à Iudæa vbi erat Ioannes baptizans, & teſtimonium illi perhibens quòd eſſet agnus Dei. Duos ex diſcipulis ſuis ad eum ſequendum prouocauit, è quibus vnus Andreas, ad illum etiam fratrem Petrum adduxit. Patet iuxta ſenſum ſpiritalẽ, & crebra expoſitione veſtræ fraternitati iam cognitum eſt, quid ſit Dominum ſequi. Sequitur namque Dominũ, qui imitatur. Sequitur Dominũ, qui quantum fragilitas humana patitur, ea quæ in homine monſtrat filius Dei, humilitatis exempla non deſerit. Sequitur Dominum, qui ſocius paſſionum exiſtendo, ad conſortium reſurrectionis eius, & aſcenſionis pertingere ſedulus exoptat. Sed non ſine certi ratione myſterij refertur, quod dicturus eſt Philippo Ieſu, *Sequere me. Voluit exire in Galilæam.* Galilæa namque tranſmigratio facta, vel reuelatio interpretatur. In eo quippe quod tranſmigratio facta dicitur, profectũ fidelium deſignat: quod de vitiis ad virtutum celſitudinem tranſmigrare, vel in ipſis virtutibus paulatim proficere, ac de minoribus ad maiora cotidie ſubire contendũt, quouſque de hac conualle lachrymarum ad arcem lætitiæ cæleſtis, Domino auxiliante, perueniant. In eo autem quod reuelationem ſonat, ipſam vitæ æternæ beatitudinem, pro qua in præſenti ſancti laborant, inſinuat. Cuius vtramque interpretationẽ nominis, Pſalmiſta vno verſiculo comprehendit vbi ait. *Ambulabunt de virtute in virtutem, videbitur Deus Deorum in Sion.* Hæc eſt namque viſio, de qua dicit Apoſtolus: *Nos autem reuelata facie gloriam Domini ſpeculantes,*

in eandem imaginem transformamur, à gloria in gloriam, tanquam à Domini Spiritu †. Bene ergo vocaturus ad ſequendum ſe diſcipulum Ieſus voluit exire in Galilæam, id eſt, in transmigrationem factam, ſiue reuelationem, vt videlicet ipſe teſte Euangelio proficiebat ſapientia & ætate, & gratia apud Deum & homines, ſicut paſſus eſt & reſurrexit, & ita intrauit in gloriam ſuam: ſic etiam ſuos ſequaces oſtenderet proficere virtutibus, ac per paſſiones tranſitorias ad æternorum dona gaudiorum tranſmigrare debere. Sequitur.

† al. à Domino præſenti.

Erat autem Philippus à Betſaida, ciuitate Andreæ & Petri.] Non eſt putandus Euangeliſta, fortuitu & abſque ratione myſtica, nomē ciuitatis de qua eſſet Philippus, & quod eadem Andreæ quoque & Petri eſſet, voluiſſe monſtrare, ſed per nomen ciuitatis typicè qualis tunc iam animo Philippus, qualis officio eſſet futurus, quales etiam Petrus & Andreas, oſtendere curaſſe. Betſaida quippe domus venatorum dicitur, & venatores vtique erant futuri, qui audiebant à Domino: *Venite poſt me, & faciam vos fieri piſcatores hominum.* Venator & ille, qui & antequam ad prædicationis officium ordinaretur à Domino, quantum capiendis ad vitā animabus eſſet intentus, mox ſponte prædicando monſtrauit.

Inuenit enim Nathanael, & dicit ei. Quem ſcripſit Moſes in Lege, & Prophetæ, inuenimus Ieſum filium Ioſeph à Nazareth.] Quantum rete fidei quàm capacibus deuotæ prædicationis miraculis intextum inuento fratri circundat, quem ad æternam cupit prouidus captare ſalutem? Illum dicit inuentum, quem Moſes & Prophetæ venturum ſuis ſcriptis ſignauerunt, vt cunctis ſequentibus intelligatur quod ipſe ſit, cuius aduentui præconando vniuerſa veterum ſcripta ſeruiunt. Ieſum nuncupat, quod nomen Chriſti futurum, Prophetarum oracula concinebant. Filium Ioſeph appellat, nōn vt hūc ex coniunctione maris & feminæ natum aſſeueret, quem de Virgine naſciturum in Prophetis didicerat: ſed vt de domo ac familia Dauid, vnde Ioſeph ortum nouerat, ſecundum vaticinia Prophetarum, eum veniſſe doceret. Neque enim mirandum ſi Philippus eum filium Ioſeph vocet, cùm & ipſa genitrix illius intemerata ſemper virgo Maria, quæ virum non nouerat, conſuetudinem vulgi ſequens ſic locuta legatur. *Fili, quid feciſti nobis ſic? ecce pater tuus & ego dolentes quærebamus te.* Addit & patriam à Nazareth, vt ipſum eſſe ſignaret, de quo legerat in Prophetis, *quoniam Nazareus vocabitur.* Non ergo mirum ſi mox ad conſenſum credendi ac veniendi ad Chriſtum, captauit Pilippus Nathanael, cui tantas vndique veritatis caſſes prætendit. *Quem ſcripſit Moſes in lege, & Prophetæ, inuenimus Ieſum filium Ioſeph à Nazareth.* Neque immerito à Betſaida, id eſt, domo venatorum oriundus aſſeritur, qui tantam Deo dilectæ venationis curam pariter & gratiam accepiſſe monſtratur. Nam ſequitur.

Et dixit ei Nathanael, A Nazareth poteſt aliquid boni eſſe?] Nazareth, munditia ſiue flos eius, aut ſeparata interpretatur. Annuens ergo verbis Euangelizantis ſibi Philippi Nathanael, *A Nazareth*, inquit, *poteſt aliquid boni eſſe?* ac ſi patenter dicat: Poteſt fieri vt à ciuitate tanti nominis aliquid ſummæ gratiæ nobis oriatur, vel ipſe videlicet mūdi Saluator Dominus, qui ſingulariter ſanctus eſt, innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus, quique loquitur in Canticis Canticorum: *Ego flos campi, & lilium conuallium.* Et de quo Propheta. *Exiet*, inquit, *Virga de radice Ieſſe*, & Nazareus, id eſt, *flos de radice eius aſcendet.* Vel certè aliquis doctor eximius, qui florem nobis virtutum munditiamque ſanctitatis prædicare ſit miſſus. Poſſumus hunc locum & ita rectè intelligere, quod dicente Philippo: *Quem ſcripſit Moſes in lege & Prophetæ, inuenimus Ieſum filium Ioſeph à Nazareth*, Nathanael cætera quidem bene intellexerit; miratus ſit autem, quomodo à Nazareth Chriſtum veniſſe dixerit, quem de domo Dauid, & de Bethleem ciuitate vbi erat Dauid, venturum Prophetæ canebant? Adeoque admirando reſponderit à Nazareth, ſed continuo reminiſcēs, quantum etiam vocabulum Nazareth myſteriis Chriſti congrueret, caute aſſenſerit prædicanti. *Poteſt*, inquiens, *aliquid boni eſſe.* Vtrique autem ſenſui poteſt conuenire quod ſequitur.

Dicit ei Philippus, Veni & vide.] Ipſum namque venire & videre monebat, vt ſi quid ei verbo prædicantis ambigui in corde reſediſſet, totum hoc viſio & allocutio præſens eius quem prædicabat abſtergeret. Nec diſtulit pius auditor, prædicatum ſibi lumen veritatis ſollicitè quærendo, ac piè pulſando, vt percipere mereretur inſiſtere. Vnde mox Dominus ſatiare in bonis deſiderium eius accelerans, ſalutaria eius cœpta prouida laudatione remunerat, vt hæc paulatim ad altiora quærenda ſimul & capienda prouehat.

Vidit namque eum venientem ad ſe, & dicit de eo: Ecce verè Iſraelita, in quo dolus non eſt.) Vbi notandum quod laudans hominem,

qui

qui nouit corda Deus, non eum abſque peccato, ſed abſque dolo extitiſſe confirmat. Non eſt enim homo iuſtus in terra qui faciat bonum, & non peccet. Multi autem ſine dolo inceſſiſſe, id eſt, ſimplici & mundo corde conuerſati eſſe leguntur. Immo etiã cuncti fideles tales viuere docentur, dicente ſcriptura:

Sap. 1.

Sentite de Domino in bonitate, & in ſimplicitate cordis quærite illum. Et ipſe Dominus.

Matt. 10.

Eſtote, inquit, *prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ.* Talis erat exemplar patientiæ Iob, de quo ſcriptum eſt:

Iob. 1.

Erat autẽ vir ille ſimplex & rectus. Talis Iacob Patriarcha, de quo ſcriptum eſt:

Gen. 25.

Iacob vir ſimplex, habitabat in tabernaculis. Qui quoniam puritate conſcientiæ ſimplicis videre Deum meruit, etiam Iſrael, id eſt, vir videns Deum appellatus eſt. Talis iſte Nathanael, quem Dominus ob parilitatem innoxiæ conuerſationis eiuſdem Patriarchæ meritis ſimul & nomine dignum ducit: *Ecce,* inquiens, *verè Iſraelita, in quo dolus non eſt.* Ecce qui verè à Patriarcha Deum vidente genus ducit, cui ſicut & ipſi Patriarchæ, doli duplicitas nulla ineſſe probatur. O quam pulchrum auſpicium veniendi ad Dominum, & videre illum cupienti! *Ecce verè Iſraelita, in quo dolus non eſt.*

Matt. 5.

Beati mundo corde quoniam ipſi Deum videbunt. Et hic videre Deum deſiderans, non ab alio, ſed ab ipſo qui ſcrutatur renes & corda Deo, mundus corde laudatur, & Iſraelita, id eſt, à viro Deum videnti generatus aſtruitur. O quàm magnus nobis quoque, qui de gentibus ad fidem venimus, in hac ſententia noſtri Redemptoris ſpiritus aperitur ſalutis. Si enim verè Iſraelita eſt, qui doli neſcius incedit, iam perdidere Iudæi nomen Iſraelitarum, quamuis carnaliter de Iſrael, quotquot doloſo corde à ſimplicitate Patriarchæ ſui degenerauerunt: & adſciti ſumus ipſi in ſemen Iſraelitarum, qui quamlibet aliis de nationibus genus carnis habentes, fide tamen veritatis & mundicia corporis ad mentis veſtigia ſequimur Iſrael, iuxta illud Apoſtoli:

Rom. 9.

Non enim omnes qui ex Iſrael, hi ſunt Iſraelitæ, neque qui ſemen ſunt Abrahæ omnes filij, ſed in Iſaac vocabitur tibi ſemen. Id eſt, non qui filij carnis hi filij Dei, ſed qui filij ſunt repromiſsionis, æſtimantur in ſemine. Sequitur.

Dicit ei Nathanael, Vnde me noſti? Reſpondit Ieſus & dixit ei: Priusquam te Philippus vocaret cùm eſſes ſub ficu, vidi te. Reſpondit ei Nathanael & ait: Rabbi, tu es filius Dei, tu es rex Iſrael.] Quia cognouit Nathanael vidiſſe & noſſe Deum quæ alio in loco gererentur, id eſt, quomodo & vbi vocatus ſit à Philippo, cùm ipſe ibi corporaliter non eſſet: diuinæ hic maieſtatis intuitum conſiderans, protinus eum non ſolum Rabbi, id eſt, magiſtrũ, ſed & filium Dei ac regem Iſrael, id eſt, Chriſtum confeſſus eſt. Et libet intueri quã prudens laudantis ſerui confeſsio reſpondeat Domino. Ille hunc verè Iſraelitam, id eſt, virum qui Deum videre poſſet, eo quod dolũ minimè haberet, aſtruxit. Iſte eum non magiſtrũ tantummodo, qui vtilia præciperet, verũetiam filium Dei, qui cæleſtia dona tribueret, & regem Iſrael, id eſt, populi Deum videntis, religioſa deuotione fatetur: vt hac confeſsione ſuum quoque hunc regem, & ſe eius regni militem ſignificet. Poteſt etiã Domini hæc ſententia qua dixit, ſe Nathanael priuſquam vocaretur à Philippo, cùm eſſet ſub ficu vidiſſe, ſuper electione ſpiritalis Iſrael, id eſt, populi Chriſtiani myſticè intellegi, quem Dominus nec dum ſe vidẽtem, nec dum per Apoſtolos eius ad fidei gratiam vocatum, ſed ſub tegmine adhuc peccati prementis abditum, miſericorditer videre dignatus eſt, Paulo atteſtante qui ait:

Ephes. 1.

Qui benedixit nos in omni benedictione ſpiritali, in cæleſtibus in Chriſto, ſicut elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, vt eſſemus ſancti & immaculati in conſpectu eius in caritate. Et quidem fici arbor aliquando in ſcripturis dulcedinem ſupernæ dilectionis inſinuat, vnde ſcriptum eſt:

Prou. 27.

Qui ſeruat ficum comedet fructum eius; & qui cuſtos eſt Domini ſui, glorificabitur. Sed quia primi parentes noſtri reatu præuaricationis confuſi, de fici ſibi foliis ſuccinctoria fecerunt; poteſt arbor fici non incongruè male dulcoratam generi humano conſuetudinem peccandi ſignare, ſub qua poſitos adhuc electos ſuos, ſed nec dum electionis ſuæ gratiam cognoſcentes, quaſi ſub ficu conſtitutos nec dum ſe vidẽtem Dominus videt Nathanael. Nouit enim Dominus qui ſunt eius. Quorum ſaluationi ipſum quoque nomen Nathanael aptiſsimè conuenit. Nathanael namque donum Dei interpretatur, & niſi dono Dei quiſque vocatus fuerit, numquam reatum primæ tranſgreſsionis, numquam male blandientia augeſcentium cottidie peccatorum vmbracula euadit, numquam ſaluandus venire meretur ad Chriſtum. Vnde dicit Apoſtolus:

Ephe. 2.

Gratia enim eſtis ſaluti per fidem, & hoc non ex vobis Dei donum eſt, non ex operibus, vt ne quis glorietur. Sequitur.

Reſpondit Ieſus & dixit ei. Quia dixi tibi: Vidi te ſub ficu, credis, maius his videbis.] De quo dicit, ipſe ſubſequenter aperit, futuram credentibus ſpondendo apertionem regni cæleſtis, & prędicandam mundo vtramque

vnius ſuæ naturam perſonæ, quod reuera multo excellentius eſt arcanum, quã quod nos in peccati adhuc vmbra poſitos, à ſe illuminandos prçuidit. Maius eſt enim quod nos ſaluatos gratia ſuæ cognitionis imbuit, quod cœli nobis gaudia pandit, quod prædicatores ſuę fidei in mundo diſperſit, quã quod nos ſaluandos potentia ſuæ maieſtatis ante ſæcula præſciuit.

Amen, amen dico vobis, videbitis cælum apertum, & Angelos Dei aſcendentes & deſcendentes ſupra filium hominis.] Iam completum cernimus promiſſi huius effectum. Videmus etenim cælum apertum, quia poſtquam cælum Deus homo penetrauit, etiam nobis in eum credentibus, ſupernæ patriæ patefactũ cognoſcimus ingreſſum*. [*al. introitum.] Videmus Angelos Dei aſcendentes & deſcendentes ſupra filium hominis, quia prædicatores ſanctos nouimus ſublimitatem diuinitatis Chriſti ſimul & humanitatis eius infirma nunciare. Aſcendunt ſuper filium hominis Angeli, cùm docent prædicatores, quia *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Deſcendunt ſuper filium hominis Angeli, cum ſe adiungũt iidem, quia *Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis.* Neque immerito prædicatores ſancti typicè Angeli vocantur, quibus conſuetè diriuatum ab Angelis nomen Euangeliſtarum conceditur; vt ſicut hi nuncij, ita & illi propter idem ſummæ prædicationis officium, boni nuncij cognominentur. Et notandum quod Dominus ſeipſum filium hominis nuncupat. Nathanael eundem filium Dei prædicat. Cui ſimile eſt, quod apud alios Euangeliſtas ipſe diſcipulos interrogat: [Math. 10.] Quem dicunt homines eſſe filium hominis? At illi dixerunt: Alij Ioannem Baptiſtam, alij Heliam, &c. Dicit illis Ieſus: Vos autem quem me eſſe dicitis? Reſpondit Simon Petrus, tu es Chriſtus filius Dei viui. Et quidem iuſtæ diſpenſationis moderamine actum eſt, vt cũ vtraque eiuſdem mediatoris Dei & Domini noſtri vel ab ipſo Domino, vel ab homine puro eſſet commemoranda ſubſtãtia, Deus homo fragilitatem aſſumptæ à ſe humanitatis, purus homo virtutem æternæ in eo diuinitatis aſtrueret: ipſe ſuam humilitatẽ, ille eius fateretur altitudinem. Notandum quippe etiam quod Dominus, qui beatum Nathanael verè Iſraelitam nuncupat, in hoc quoque verbo, quo ait: [Gen. 28.] *Videbitis cælum apertum, & Angelos Dei aſcendentes & deſcendentes ſuper filium hominis*, viſionem Iacob patriarchæ, qui per benedictionem vocatus eſt Iſrael, ad memoriam reducit. Is namque cùm volens in quodam loco requieſcere, lapidem capiti ſuo ſuppoſuiſſet, vidit in ſomnis ſcalam ſtantem ſuper terram, & cacumen illius tangens cælum, Angelos quoque Dei aſcendentes & deſcendentes ſuper eam, & Dominum innixum ſcalæ dicentem ſibi: *Ego ſum Deus Abraham patris tui, & Deus Iſaac.* Surgenſque manè, debito cum pauore laudes Domino referens, tulit ipſum lapidem & erexit in titulum, fundens oleum deſuper. Huius ergo loci Dominus facit mentionem, & de ſe ac ſuis fidelibus figuratum manifeſtiſsimè teſtatur.

Et die tertio nuptiæ factæ ſunt in Cana Galilææ, & erat mater Ieſu ibi.] Nec vacat à myſterio quod die tertio, poſt ea quæ ſuperior ſermo Euangelij deſcripſerat, nuptiæ factę referuntur. Sed tertio tempore ſæculi Dominum adoptandum ſibi Eccleſiam veniſſe deſignat. Primum quippe ſæculi tempus ante legem Patriarcharum exemplis: ſecundum ſub lege Prophetarum ſcriptis: tertium ſub gratia præconiis Euangeliſtarum, quaſi tertia diei luce mundo refulſit, in quo Dominus & ſaluator noſter, pro redemptione generis humani in carne natus apparuit. Sed & hoc quod in Cana Galilææ, id eſt, in zelo tranſmigrationis perpetratæ, eędem nuptiæ factæ perhibentur; typicè denunciat, eos maximè gratia Chriſti dignos exiſtere, qui zelo feruoris ac piæ deuotionis, & ęmulari chariſmata maiora, ac de vitiis ad virtutes bona operando, de terrenis ad æterna norunt ſperando & amando tranſmigrare. Diſcumbẽte autem ad nuptias Domino vinum defecit, vt vino meliore per ipſum mirabili ordine facto, manifeſtaretur gloria latentis in homine Dei, & credentium in eum fides aucta proficeret. Quod ſi myſterium nouimus, apparente in carne Domino, meraca illa legalis ſenſus ſuauitas paulatim cœperat, ob carnalem Phariſæorum interpretationem, à priſca ſua virtute deficere. Qui mox ea quæ carnalia videbantur mandata, ad ſpiritalem conuertit doctrinam, cunctamque literæ legalis ſuperficiem Euangelica cæleſtis gratiæ virtute mutauit, quod eſt, vinum feciſſe de aqua. Sed primo videamus quid ſit, quod deficiente vino dicit mater Ieſu ad eum.

Vinum non habent. Reſpondit, Quid mihi & tibi eſt mulier? nondum venit hora mea.] Neque enim matrem ſuam inhonoraret, qui nos iubet honorare patrem † & matrem; aut eã ſibi eſſe matrẽ negaret, ex cuius carne virgine carnẽ ſuſciperę nõ diſpexit, Apoſtolo [† al. parentes.]

etiam teſtante qui ait: *Qui factus eſt ei ex ſemin Dauid ſecundum carnem.* Quomodo enim ex ſemine Dauid ſecundum carnem, ſi non ex corpore Mariæ ſecundum carnem quæ ex Dauid ſemine deſcendit? ſed in eo quod miraculum facturus ait: *Quid mihi & tibi eſt mulier.* ſignificat ſe diuinitate qua miraculũ erat patrandum, non principium temporaliter accepiſſe de matre, ſed æternitatem ſemper habuiſſe de patre. *Quid mihi,* inquit, *& tibi eſt mulier? Nondum venit hora mea.* Quid diuinitati, quam ex patre ſemper habui, cum tua carne, ex qua carnem ſuſcepi, commune eſt? Nondum venit hora, vt fragilitatem ſumptæ ex te humanitatis moriẽdo demonſtrem. Prius eſt, vt potentiam æternæ Deitatis, virtutes operando patefaciam. Veniet autem hora, vt quod ſibi & matri commune eſſet oſtenderet, cum eam moriturus in cruce diſcipulo Virgini, Virginem commendare curauit. Carnis namque infirma perpeſſus, matrem, de qua hæc ſuſceperat piè cognitam, eidem quem maximè diligebat diſcipulo commendauit: quam, diuina facturus, quaſi incognitam ſe noſſe diſſimulat, quia hanc diuinæ natiuitatis auctricem non eſſe cognoſcit. Huius verò † horæ Dominus in cruce pendens commemorat cum dixit matri: *Mater ecce filius tuus,* quaſi dixiſſet, ecce hoc quod ex te ſumpſi modo oſtenditur, moriendo quidẽ; quæ tamen natura poſtmodum clarificanda erat, in reſurrectionis gloria.

Dixit mater eius miniſtris, Quodcumque dixerit vobis facite.] Sciebat quidẽ mater eius humanitatẽ filij ſui, licet quoquomodo videtur negatum quod poſcebat mater tamẽ ſciebat pietatẽ filij quod nõ eſſet negaturus quod petebatur: ideò fiducialiter mandauit miniſtris, vt mãdata implerent filij iubẽtis.

Erant autem lapideæ hydriæ ſex poſitæ, ſecundum purificationem Iudæorum, capientes ſingulæ metretas binas vel ternas.] Hydriæ vocantur vaſa aquarum receptui parata, Græcè enim aqua ὕδωρ dicitur. Aqua autem ſcripturæ ſacræ ſcientiam deſignat, quæ ſuos auditores, & à peccatorũ ſorde abluere, & diuinæ cognitionis ſolet fonte potare. Vaſa ſex, quibus aqua continebatur, corda ſunt deuota ſanctorum, quorum perfectio vitæ & fidei, ad exemplum rectè credẽdi ac viuendi propoſita eſt generi humano per ſex ſæculi labẽtis ætates, id eſt, vſque ad tempus Dominicæ prędicationis. Et bene lapidea ſunt vaſa, quia fortia ſunt præcordia iuſtorum, vtpote illius fide & dilectione lapidis ſolidata quem vidit Daniel præciſum de mõte ſine manibus, factumq́; in montem magnum, & impleſſe omnem terram. Et de quo dicit Zacharias: *In lapide vno ſeptem oculi ſunt,* (Zacha. 3.) id eſt, in Chriſto vniuerſitas ſcientiæ ſpiritalis inhabitat. Cuius & Apoſtolus Petrus meminit ita dicens: *Ad quem accedentes* (1. Pet. 2.) *lapidem viuum, & ipſi tanquam lapides viui ſuperædificamini.* Bene ſecundum purificationem Iudæorum poſitę erant hydriæ, quia Iudæorum tantum populo lex per Moſen data eſt. Nam gratia & veritas Euangelij, non minus Gentibus quàm Iudęis per Ieſum Chriſtum facta eſt. *Capientes,* inquit, *ſingulæ metretas binas vel ternas.* Quia ſcripturæ ſanctæ autores & miniſtri Prophetę, modo de Patre tantum loquuntur & Filio, vt eſt illud: *Omnia in ſapientia feciſti,* (Pſal. 103.) virtus enim Dei & ſapientia Chriſtus eſt. Modo etiam Spiritus ſancti faciunt mentionem, iuxta illud eiuſdem Pſalmographi: *Verbo Domini* (Pſalm. 32.) *cœli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum.* Verbum, Dominus, & ſpiritus, totuſque vnus Deus eſt intelligendus in Trinitate. Sed quantum inter aquam & vinum, tantum diſtat inter ſenſum illum, quo ſcripturæ ante aduentum Saluatoris intellegebantur, & eum quem veniens ipſe reuelauit Apoſtolis, eorumque diſcipulis perpetuò ſequendum reliquit. Et quidem potuit Dominus vacuas implere hydrias vino, qui in exordio mundanæ creationis cuncta creauit ex nihilo; ſed maluit de aqua facere vinũ, quo typicè doceret, non ſe ad ſoluendam improbandamque, ſed ad implendam potius legem Prophetaſque veniſſe, neque alia ſuper Euangelicam gratiam facere & docere, quàm quæ legalis & Prophetica ſcriptura eum facturum docturumque ſignaret. Videamus ergo ſex hydrias ſcripturarum aqua ſalutari repletas, videamus eandem aquam in ſuauiſſimum vini odorem guſtumque conuerſam. In prima ætate ſeculi, (Gen. 4.) Abel iuſtum frater inuidens occidit, & ob hoc ipſe perpetua martyrij gloria beatus, etiam in Euangelicis (Matth. 23. Luc. 11.) & Apoſtolicis literis iuſtitiæ laudem accepit. Fratricida verò impius æternæ maledictionis pœnas luit. Quicumque his auditis, metuentes cum impiis damnari, cupientes benedici cum piis, omnem odiorum & inuidiæ fomitem abiiciunt, Deo placere per ſacrificium iuſtitiæ, modeſtiæ, & innocentiæ virtuteque patientiæ curant; vas profectò aquæ in ſcriptura inuenerunt, vnde ſalubriter abluti, potatiq́. gaudeant. Sed ſi intellexerint in Cain homicidam, Iudæorum eſſe perfidiam, occiſionem Abel paſſionẽ eſſe Domini ſaluatoris: terram, quę aperuit os ſuum & ſuſcepit ſan-

guinem de manu Cain, Eccleſiam eſſe, quæ effuſum à Iudæis Chriſti ſanguinem in myſterium ſuæ redemptionis accepit; nimirũ aquam in vinum mutatam reperiunt, quia ſacræ dicta legis ſacratius intelligunt. Secũda ætate ſæculi inchoante, deletus eſt aquis diluuij mundus, ob peccatorum magnitudinem, ſed ſolus Noë per iuſtitiam cum domo ſua liberatus in arca. Huius plagæ audita vaſtatione horribili, paucorumque liberatione mirabili, quiſquis emendatius viuere cœperit, liberari deſiderans cum electis, timens exterminari cum reprobis, hydriam profectò aquæ qua mundetur vel reficiatur accepit. At dum altius ſapere cœperit, & in arca Eccleſiam, in Noë Chriſtum, in aqua diluente peccatores aquam baptiſmi, quæ peccata diluit in hominibus, & in animalibus, quæ arca continebat, multifariam baptizatorum differentiam: in columba, quæ poſt diluuium ramum oliuæ intulit in arcã, vnctionem Spiritus ſãcti quo baptizati imbuuntur, intellexerit, vinum profecto de aqua factum libat, quia in veteris hiſtoria facti, ſuam ablutionem, ſanctificationẽ, iuſtificationem prophetari contemplatur. Tertia ſæculi ætate, Deus tentans obedientiam Abrahæ, filium vnicũ quem diligebat, eum in holocauſtum ſibi offerre præcepit. Non differt Abraham facere quæ iubetur, ſed pro filio immolatur aries, ipſe tamen pro obedientiæ virtute eximia, perpetuæ benedictionis hæreditate donatur. Ecce habes hydriam tertiam. Audiens enim quãta virtus obedientiæ mercede remuneretur, & ipſe obedientiam diſcere atque habere ſatagis. Quod ſi in immolatione filij vnici dilecti, paſſionem eius intelligis, de quo dicit Pater: *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi complacui*, in qua quia diuinitate impaſsibili permanente, ſola humanitas mortem paſſa eſt & dolorem, quaſi filius offertur, ſed aries mactatur. Si intellegis benedictionem quæ promiſſa eſt Abrahæ, in te qui de gentibus credis munus eſſe completum, nimirum de aqua vinum fecit tibi, quia ſpiritalem ſenſum, cuius noua flagrantia debriaris, aperuit. Quartæ ætatis initiis, Dauid pro Saule regnum Iſraëliticæ Gentis ſortitur, humilis, innocens & mitis, exul. Porrò ille, cuius iniuſta diu perſecutione cruciabatur, abiectus eſt. Ecce hydria quarta fonte ſalutari repleta. Quiſquis hæc audiens, humilitati atque innocentię ſtudere, & ſuperbiam cœperit atq; inuidiam ſuo de corde repellere, quaſi hauſtum aquæ limpidiſsimæ quo reficiatur inuenit. At ſi in Saule Iudæos perſequentes, in Dauide Chriſtum & Eccleſiã

Gen. 7.

Gen. 22.

Matt. 17.

A ſignificare cognouerit, illorumque perfidia & carnale ſimul imperium, & ſpiritale deſtructum, Chriſti autem & Eccleſiæ regnũ ſemper eſſe manſurum, poculum vtique vini de aqua factum ſentiet, quia ſe ſuamque vitam & regnum, ſed & ipſum regem ibi ſcriptum legere nouit, vbi prius quaſi de aliis veterem legebat hiſtoriam. Quinta ætate ſæculi, populus peccans, captiuante Nabuchodonoſor, Babyloniã trãſmigrat. Sed poſt ſeptuaginta annos pœnitens & correctus ad patriam per Ieſum ſacerdotem magnum reducitur, vbi domum Dei quæ incenſa eſt, & ciuitatem ſanctam quæ deſtructa eſt, reædificat. Hæc legens ſiue audiens B quiſque peccandi metum corripit, ad pœnitendi remedium confugit, aqua hydriæ purificantis ablutus eſt. Si verò intellegere didicerit, Hieruſalem & templum Dei, Eccleſiam Chriſti: Babylonem, cõfuſionem peccatorum: Nabuchodonoſor, Diabolum: Ieſum ſacerdotem magnum, verum æternũque pontificem eſſe Ieſum Chriſtũ, ſeptuaginta annos, bonorum plenitudinem operum, quæ per Spiritus ſancti dona largiuntur, videlicet propter decalogum, & ſeptiformem eiuſdem ſpiritus gratiam, viderit- C que hoc cotidie fieri, alios nimirũ à Diabolo de Eccleſia peccando raptos, alios gratia Spiritus ſancti per Ieſũ reſipiſcẽdo ac pœnitendo recõciliatos; vinum de aqua factũ habet, quia ad ſe pertinere quæ ſcripta ſunt intellegens, magno mox compunctionis quaſi muſto incaleſcens, quicquid ſibi peccati captiuantis ineſſe deprehenderit, * per Chriſti gratiam liberari depoſcit. Sexta inchoante ſæculi ætate, Dominus in carne apparens, octaua die natiuitatis, iuxta legem circunciſus eſt. Triceſima & tertia poſt hæc D ad templum delatus, & legalia pro eo ſunt munera oblata. Hæc intuentes ad literam, apertè diſcimus quantã nobis diligentia ſunt Euangelicæ fidei ſubeunda myſteria, quando ipſe benedictionem gratiæ afferens, qui legem literæ dedit, veterũ primo cerimoniarum ritu conſecrari, qui cuncta diuinitus conſecrat, & ſic noua gratiæ ſacramenta ſuſciperere ſimul & tradere curauit. Ecce hydria ſexta, ad abluenda peccati cõtagia, ad potãda vitæ gaudia, mundiorem E cæteris afferens vndam. Verum ſi in octaua diei circunciſione baptiſma, quod in myſterium dominicæ reſurrectionis à peccatorũ nos morte redemit intellegis, in inductione in tẽplũ, & oblatione, oblationẽ hoſtiæ purificatis figuratã cognoſcis, fideles quouſq; de baptiſterio ad altare ſanctũ ingredi, ac Dominici corporis & ſanguinis victima

* al. intellexerit.

ſingulari debere conſecrari, vino quidē de A aqua facto, & quidem meraciſſimo donatus es. Porrò ſi circunciſionis diem ad generalem humani generis reſurrectionem, quando mortalis propago ceſſabit, mortalitas verò tota in immortalitatem mutabitur, interpretaris, & circunciſos induci in templū cum hoſtiis intellexeris, quando poſt reſurrectionem vniuerſali expleto iudicio ſancti iam incorruptibiles facti, ad contemplandā perpetuò ſpeciem diuinæ maieſtatis cum bonorum operum muneribus intrabunt, tunc profectò vinum de aqua fieri videbis, vt conditori rectè proteſteris, & dicas. *Et* B *poculum tuum inebrians quàm præclarum eſt.* Ergo Dominus vinum in aqua * nuptiarum, non de nihilo facere voluit, ſed hydrias ſex impleri aqua præcipiens, hanc mirabiliter conuertit in vinum, quia ſex mundi ætates ſapientiæ ſalutaris largitate donauit, quam tamen ipſe veniens, ſublimioris ſenſus virtute fœcundauit. Namque carnales carnaliter tantum ſapiebant, ipſe ſpiritalibus ſpiritaliter ſentienda reſerauit. Vultis ſcire qualiter de aqua vinum fecerit? Apparuit poſt reſurrectionem ſuam duobus diſcipu- C lis ambulantibus in via, ibatque cum illis, & incipiens à Moſe & omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus ſcripturis, quæ de ipſo erāt. Vultis iterum audire quomodo eodem ſint vino inebriati? Poſtmodum cognoſcentes quis eſſet qui eis verbum vitæ propinabat, dicebant ad inuicem: *Nonne cor noſtrum ardens erat in nobis cùm loqueretur in via, & aperiret nobis ſcripturas?*

Pſal. 22.

* al. in gaudio.

Luc. 24.

Dicit ergo miniſtris Ieſus: Implete hydrias aqua. Et impleuerunt eas vſque ad ſummū.] Quid per miniſtros qui hæc facere iubentur, niſi Chriſti ſignantur diſcipuli, qui impleuerūt D hydrias aqua? Non quidem ipſi præteritas mundi ætates legalibus ac propheticis ſcriptis implēdo, ſed intellegendo ipſi prudēter, & aperiendo fideliter. Quia ſcriptura quæ à Prophetis miniſtrata eſt, & ſalubris eſſet ad hauſtum ſapientiæ cæleſtis, & ad operum caſtigationem vtilis. Impleuerunt autem eas vſque ad ſummum, quia rectè intellexerunt nullum fuiſſe tempus ſæculi à ſanctis alienum Doctoribus, qui ſiue verbis, ſiue exemplis, ſiue etiam ſcriptis, viam vitæ mortalibus panderent.

Et dicit eis Ieſus: Haurite nunc & ferte Architriclino. Et tulerunt.] Architriclinus, aliquis legiſperitus illius temporis eſt, fortaſſe Nicodemus vel Gamaliel, vel diſcipulus tunc eius Saulus, nunc autem magiſter totius Eccleſiæ Paulus Apoſtolus. Et dum talibus verbum Euangelij creditur, quod in litera legis & Prophetæ latebat occultum, vinum vtique architriclino de aqua factum propinatur. Et bene in domo harum nuptiarum, quæ Chriſti & Eccleſiæ ſacramenta figurarent, triclinium id eſt, tres ordines diſcumbentium, altitudine diſtantes † ineſſe deſcribuntur, quæ nimirum tres ſunt ordines fidelium, quibus Eccleſia conſtat: cōiugatorum videlicet, continentium, & Doctorum. Primus ordo diſcumbentium ad nuptias Sponſi cæleſtis, id eſt, in Eccleſia fide & operatione gaudentium, gradus eſt coniugatorum fidelium. Secundus continentium. Supremus prædicatorum. Vnde conuenienter perhibetur, quod architriclinus vocato ſponſo dixerit:

† al. diſtentas.

Omnis homo primum bonum vinum ponit, & cùm inebriati fuerint, tunc id quod deterius eſt. Tu autem ſeruaſti bonum vinum vſque adhuc.] Quia Doctorum eſt cognoſcere diſtantiam legis & Euangelij, veritatis & vmbræ, cunctiſque veteribus inſtitutis, cunctis regni terreni promiſſis, nouam Euangelicæ fidei gratiam, & perpetua cæleſtis patriæ dona præferre.

Hoc fecit initium ſignorum Ieſus in Cana Galileæ, & manifeſtauit gloriam ſuam.] Manifeſtauit hoc ſigno, quia ipſe eſſet rex gloriæ, & ideo ſponſus Eccleſiæ, qui vt homo communis veniret ad nuptias, ſed quaſi cœli & terræ Dominus, elementa prout voluiſſet conuerteret. Pulchra autem rerum conuenientia. Qui initio ſignorum quæ mortalis adhuc mortalibus erat oſtenſurus, aquam conuertit in vinum; ipſe initio ſignorum qui immortalis iam per reſurrectionem effectus, immortalis vitæ ſtudia ſola ſectantibus oſtenderet, carnalem prius & quaſi inſipidam mentem eorum, ſapore ſcientię cęleſtis imbuit: poſt verę reſurrectionis gloriam, maiori eos ſpiritalis gratię munere completurus.

LIBER SECVNDVS.

CAP. IV.

Appropinquante Paſcha Iudæorum, eiicit vendentes, & ementes de Templo.

SEQVITVR namque huius pręfati ſigni mirabile ſacramentū, quomodo ipſe Ieſus cum matre & fratribus aſcendiſſet Hieroſolymam, & ibi inueniſſet vendentes & ementes in templo, eoſque qualiter inde eiecerit, dicente Euangeliſta:

Deſcendit Ieſus Capharnaum, ipſe & mater eius & fratres eius, & diſcipuli eius, ibique manſerunt non multis diebus, & prope erat Paſcha Iudæorum, & aſcendit Ieſus Hieroſolymam.] Bene autem Euangeliſta ait, deſcendiſſe Ieſum in Capharnaum. Capharnaum verò villa pulcherrima interpretatur, ſignificans hunc mundum, quò Dominus noſter Ieſus Chriſtus pro ſalute humani generis à paterna ſede numquam recedens deſcendiſſe dicitur. Sed ſolet mouere quoſdam, quod in exordio lectionis huius Euangelicę dictum eſt, quia deſcendente Capharnaum Domino, non ſolum mater & diſcipuli, ſed & fratres eius ſecuti ſunt eum. Nec defuere hæretici, qui Ioſeph virum beatæ ſemper Virginis Mariæ putarent ex alia vxore genuiſſe eos, quos fratres Domini ſcriptura appellat. Alij maiore perfidia hos eum ex ipſa Maria, poſt natum Dominum generaſſe putarunt. Sed nos, fratres chariſſimi, abſque vllius ſcrupulo quæſtionis, ſcire & confiteri oportet, non tantum beatam Dei Genitricem, ſed & beatiſſimum caſtitatis eius teſtem atque cuſtodem Ioſeph, ab omni prorſus actione coniugali manſiſſe ſemper immunem, nec natos, ſed cognatos eorum more ſcripturæ vſitato, fratres, ſororesve Saluatoris vocari. Denique Abraham hoc modo loquitur ad Loth: (Gen 13.) *Ne quæſo ſit iurgium inter me & te, & paſtores meos & paſtores tuos, fratres enim ſumus.* (Gen. 29.) Et Laban ad Iacob: *Num quia frater meus es, gratis ſeruies mihi?* Et quidem conſtat, quia Loth filius Aran fratris Abrahæ fuit. Et Iacob filius Rebeccę ſororis Laban. Sed propter cognationem, ſunt fratres nuncupati. Hac ergo regula in ſcripturis ſanctis, vt dixi, frequentiſsima, etiam cognatos Mariæ vel Ioſeph, fratres Domini appellatos oportet intellegi. Quod autem propinquante Paſcha, Ieſus aſcendit Hieroſolymam, nobis profecto dat exemplum, quanta animi vigilantia Dominicis ſubiici debeamus imperiis, cùm ipſe in hominis infirmitate apparens, eadem quæ ex diuinitatis autoritate ſtatuit decreta cuſtodiat. Ne enim putarent ſerui abſque crebris orationum bonorũque actuũ victimis, vel flagella euadere, vel præmia ſe poſſe percipere, & ipſe inter ſeruos ad adorandum, immolandumque filius aſcendit. Qui veniens Hieroſolymã, quid ibi gerentes inuenerit, quid ibidẽ ipſe geſſerit, videamus.

Et inuenit, inquit, in templo vendentes oues & boues & columbas, & nummularios ſedentes. Et cùm feciſſet quaſi flagellum de funiculis, omnes eiecit de templo. Oues quoque & boues & nummulariorum effudit æs, & menſas ſubuertit.] Bo-

A ues, oues & columbæ ad hoc emebantur, vt offerrentur in templo. Nummularij ad hoc ſedebant ad menſas, vt inter emptores venditoreſque hoſtiarum, prompta eſſet pecuniæ taxatio. Videbantur ergo licitè vẽdi in templo, quæ ob hoc emebantur, vt in eodẽ tẽplo offerrentur Domino. Sed nolens ipſe Dominus aliquid in domo ſua terrenę negotiationis, ne eius quidẽ quæ honeſta putaretur exhiberi, diſpulit negotiatores iniuſtos, & foras omnes ſimul cum his qui negotiabantur eiecit. Quid ergo, fratres mei, B quid putamus faceret Dominus? ſi rixis diſſidentes, ſi fabulis vacãtes, ſi riſu diſſolutos, vel alio quolibet ſcelere reperiret irretitos? qui hoſtias quæ ſibi immolarentur, ementes in templo vidit, & eliminare feſtinauit? Hæc propter illos diximus, qui Eccleſiã ingreſsi, non ſolùm intentionem orandi negligunt, verumetiam ea pro quibus orare debuerant augent, inſuper & arguentes ſe pro huiuſmodi ſtultitia, conuiciis odiiſque, vel etiam detractionibus inſequuntur, addentes videlicet peccata peccatis, & quaſi funem ſibi longiſsimum in cauta eorũ au- C gmentatione texentes, nec timentes ex eo diſtricti iudicis examinatione damnari. Nã bis quidem in Euangelio ſancto legimus, quod veniens in templo Dominus, huiuſmodi negotiatores eiecerit, nunc videlicet, id eſt, tertio ante paſsionem ſuam anno, ſicut & huius Euangeliſtæ ſequentibus ſcriptis agnoſcimus, & ipſo quo paſſus eſt anno, cùm ante quinque dies paſchæ ſedẽs aſino, Hieroſolymã veniſſet. Sed & hoc idẽ eum in tẽplo ſanctæ Eccleſiæ examine coti- D dianæ viſitationis agere, omnis qui rectè ſapit intellegit. Vnde multum tremenda ſunt hæc, dilectiſsimi, & digno expaueſcenda timore; ſedulaque præcauendũ induſtria, ne veniẽs improuiſus, peruerſũ quid in nobis, vnde meritò flagellari, ac de Eccleſia eiici debeamus, inueniat. Et maximè in illa quæ ſpecialiter domus orationis vocatur obſeruandũ, ne quid ineptũ geramus, nec cũ Corinthiis audiamus ab Apoſtolo: (1. Cor. 11.) Nũquid domus non habetis ad agenda vel loquendã E tẽporalia? aut Eccleſiã Dei contemnitis? & à Propheta cum Iudæis, (Hier. 11.) *Dilectus meus in domo mea fecit ſcelera multa.* Et quidẽ gaudendũ eſt, quia ipſi ſumus in baptiſmo templũ Dei facti, teſte Apoſtolo qui ait: (1. Cor. 3.) *Templũ Dei ſanctũ eſt quod eſtis vos.* Ipſi ciuitas regis magni, de qua canitur: (Pſal. 86.) *Fundamẽta eius in montibus ſanctis*, id eſt, fundamenta Eccleſiæ in ſoliditate fidei Apoſtolorum & prophetarum. Sed non minus tremendum, quia præmiſit Apoſtolus dicens: (1. Cor.) *Si quis autem templum Dei violarit,*

diſperdet illum Deus. Et ipſe iudex iuſtus, *Diſperdam*, inquit, *de ciuitate Domini omnes qui* Pſal. 100. *operantur iniquitatem.* Gaudendum, quia in nobis Paſchæ ſolemnitas agitur, cùm de vitiis ad virtutes tranſire ſatagimus. Paſcha quippe tranſitus dicitur. Gaudendum, quia Dominus noſtra pectora, ciuitatem videlicet ſuam viſitare, quia idem Paſcha noſtræ bonæ actionis, præſentia ſuæ pietatis inluſtrare dignatur. Sed timendum ſatis, ne nos in ciuitate ſua aliud quàm ipſe diligit agentes inueniat, & ipſe qualem non diligimus nobis diſtrictus redditor oſtenMatth. 21. datur. Ne nos in templo nummularios, ne venditores boum, ouium, columbarumue reperiens damnet. Boues quippe, doctrinã vitæ cœleſtis: oues opera munditiæ & pietatis: columbæ ſancti Spiritus dona deſignant. Quia nimirum boum iuuamine ſolet ager exerceri, ager autem eſt Domini, cor cœleſti exultum doctrina, & ſuſcipiendis verbi Dei præparatum rite ſeminibus. Oues innocẽter ſua vellera veſtiendis hominibus præſtant. Spiritus ſuper Dominũ in columbæ ſpecie deſcẽdit. Vendunt autẽ boues, qui verbum Euangelij non diuino amore, ſed terreni quæſtus intuitu audientibus impendunt. Quales reprehẽdit Apoſtolus, quia Chriſtum adnunciarent non ſincere. Vendunt oues, qui humanæ gratia laudis, opera pietatis exercent. De qui-Matth. 6. bus Dominus ait: *Quia receperunt mercedem ſuam.* Vendunt columbas, qui acceptam Matth. 10. Spiritus gratiam, non gratis, vt præceptum eſt, ſed ad præmium dant: qui impoſitionẽ manus qua ſpiritus accipitur, etſi non ad quæſtum pecuniç, ad vulgi tamen fauorem tribuunt: qui ſacros ordines non ad vitæ meritum, ſed ad gratiam largiuntur. Nummos mutuo dant in templo, qui non ſimulatè cœleſtibus, ſed apertè terrenis rebus in Eccleſia deſeruiunt; ſua quærẽtes, non quç Philip. 2. Ieſu Chriſti. Verum huiuſmodi operarios fraudulentos quæ merces maneat, oſtendit Dominus, cum facto de funiculis flagello, omnes eiecit de templo. Eiiciũtur enim de parte ſortis ſanctorum, qui inter ſanctos poſiti, vel fictè bona, vel apertè faciũt opera mala. Oues quoque & boues eiecit, qui talium vitam pariter & doctrinam oſtendit eſſe reprobam. Funiculi quibus flagellando impios de tẽplo expulit, tremenda ſunt actionum malarũ, de quibus materia damnãdi reprobos diſtricto iudici datur. Hinc Eſai. 5. etenim dicit Eſaias: *Væ qui trahitis iniquitatẽ in funiculis vanitatis.* Et in Prouer. Salomon. Prouer. 5. *Iniquitates*, inquit, *ſuæ capiunt impium, & funibus peccatorum ſuorũ conſtringitur.* Qui enim peccata peccatis, pro quibus acrius damnetur, accumulat; quaſi funiculos, quibus ligetur ac flagelletur, paulatim augẽdo prolongat. Nummulariorum quoque quos expulerat, effudit æs, & menſas ſubuertit, quia damnatis in fine reprobis, etiam ipſarum quas dilexere rerum tollet figuram, iuxta hoc quod ſcriptũ eſt: *Et mundus tranſibit & concupiſcentia eius.* 1. Ioan. 2. Et eis qui columbas vendebant dixit.

Auferte iſta hinc, nolite facere domum patris mei, domum negotiationis.] Venditionem columbarum de templo auferri pręcipit, quia gratia ſpiritus gratis accipi, gratis debet dari. Matth. 10. Vnde Simon ille magus, quia hanc emere pecunia voluit, vt maiore precio venderet, audiuit: *Pecunia tua tecum ſit in perditione, non eſt tibi pars, neque ſors in ſermone hoc.* Actor. 8. Notandum autem, quia non ſoli venditores ſunt columbarum, & domum Dei faciunt domum negotiationis, qui ſacros ordines largientes, precium pecuniæ, vel laudis, vel etiam honoris inquirunt: verum hi quoque, qui gradum vel gratiam in Eccleſia ſpiritalem, quam Domino largiente percepêre, non ſimplici intẽtione, ſed cuiuſlibet humanæ cauſa retributionis exercent, contra illud Apoſtoli Petri, *Qui loquitur quaſi ſermones Dei, qui miniſtrat tanquam ex virtute quam adminiſtrat Deus, vt in omnibus honorificetur Deus per Ieſum Chriſtũ.* 1. Petr. 4. Quicunque ergo tales ſunt, ſi nolint veniente Domino de Eccleſia auferri, auferant iſta de ſuis actibus, ne faciant domum Dei domum negociationis. Nec prætereundum, quia ſollicitè nobis ſcriptura vtrãque Saluatoris noſtri naturam, & humanam videlicet commendat & diuinam. Vt enim verus Dei filius intellegatur, audiamus quod ipſe dicit. *Nolite facere domum Patris mei, domum negociationis.* Apertè namque ſe filium Dei patris oſtendit, qui templum Dei domum ſui patris cognominat. Et vt rurſum verus hominis filius ſentiatur, recolamus quod in huius capite lectionis deſcendens in Capharnaum, matrem comitem habuiſſe perhibetur. Sequitur:

Recordati verò ſunt diſcipuli eius, quia ſcriptum eſt: Zelus domus tuæ comedit me.] Zelo domus patris Saluator eiecit impios de templo. Zelemus & nos, fratres chariſſimi, domum Dei, & quantũ poſſumus, ne quid in ea prauum geratur inſiſtamus. Si viderimus fratrem qui ad domum Dei pertinet, ſuperbia tumidũ, ſi detractionibus aſſuetũ, ſi ebrietati ſeruientem, ſi luxurie eneruatum, ſi iracundia turbidum, ſi alio cuiquam vitio ſubſtratum; ſtudeamus in quantum

facultas ſuppetit caſtigare, polluta ac peruerſa corrigere, & ſi quid de talibus emendare nequiuimus, non ſine acerrimo mentis ſuſtinere dolore. Et maximè in ipſa domo orationis, vbi corpus Domini conſecratur, vbi Angelorum præſentia ſemper adeſſe non dubitatur, ne quid ineptũ fiat, ne quid quod noſtram, fraternamve orationem impediat, totis viribus agamus. Sequitur:

Reſponderunt ergo Iudæi, & dixerunt ei: Quod ſignum oſtendis nobis, quia hæc facis? Reſpondit Ieſus, & dixit eis: Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.] De quo templo diceret, Euangeliſta poſt aperuit, videlicet de templo corporis ſui, quod ab illis paſſione ſolutum, ipſe poſt triduum excitauit de morte. Quia ergo ſignum quærebant à Domino, quare ſolita commercia proijcere debuerat è templo, reſpondit ideo ſe rectiſſimè impios exterminare de templo, quia ipſum templum ſignificauerit, templum corporis ſui, in quo nulla prorſus eſſet alicuius macula peccati. Neque immerito typicum purgauerit à ſceleribus templum, qui verum Dei templum ab hominibus morte ſolutum, diuinæ potentia maieſtatis excitare poſſet à mortuis.

Dixerunt ergo Iudæi: Quadraginta & ſex annis ædificatum eſt templum hoc, & tu tribus diebus excitabis illud?] Quomodo intellexerunt, ita reſponderunt. Sed ne nos quoque ſpiritalem Domini ſermonem carnaliter ſentiremus, Euãgeliſta ſubſequenter de quo templo loqueretur expoſuit. Quod autem aiunt templum quadraginta & ſex annis ædificatum; non primam, ſed ſecundam illius ædificationẽ ſignificauit. Primus enim Salomon templum in maxima regni ſui pace decentiſſimo ſeptem annorum opere perfecit, quod deſtructum à Chaldæis, poſt ſeptuaginta annos ad iuſſionem Cyri Perſæ laxata captiuitate, reædificari cœptum eſt. Sed filij transmigrationis opus quod ſub principibus Zorobabel & Ieſu faciebant, propter impugnationem Gentium vicinarum, ante quadraginta & ſex annos implere nequiuerunt. Qui etiam numerus annorum perfectioni Dominici corporis aptiſſimè congruit. Tradunt etenim naturalium ſcriptores rerum, formam corporis humani tot dierum ſpacio perfici. Quia videlicet primis ſex à conceptione diebus, lactis habeat ſimilitudinem, ſequentibus nouem conuertatur in ſanguinem, deinde duodecim ſolidetur, reliquis decem & octo formetur vſque ad perfecta liniamenta omnium membrorum; & hinc iam reliquo tempore, vſque ad tempus partus, magnitudine augeatur. Sex autem, & nouẽ, & duodecim, & decem, & octo, quadraginta quinque faciunt. Quibus ſi vnum adiecerimus, id eſt, ipſum diem quo diſcretum per membra corpus crementum ſumere incipit, tot nimirum dies in ædificatione corporis Domini, quot in fabrica templi annos inuenimus. Et quia templum illud manufactum, ſacroſanctam Domini carnẽ, quam ex Virgine ſumpſit, vt ex hoc loco diſcimus, figurabat, quia æquè corpus eius, quod eſt Eccleſia, quod vnius cuiuſq. fidelium corpus, animamque deſignabat, vt in pleriſque ſcripturarum locis inuenimus. Adam verò primus poſt peccatum audiuit. *Terra es, & in terram ibis.* Secundus verò Adam de ſe ipſo ait: *Soluite templũ hoc, & in tribus diebus excitabo illud.* Sparſus verò fuit primus Adam per vniuerſum mundum, qui in ſecundo collectus eſt; quod ſignificat nomen Adam, qui quatuor literis ſcribitur, id eſt, Alpha, Delta, iterum Alpha, & My: quæ quatuor literæ, quatuor partes orbis deſignant, in quas ſparſus eſt Adam in filijs ſuis. Ideo in principijs nominum partium mundi, hæ quatuor literę leguntur, nam ἄρκτος, quod eſt Septentrio ab Alpha incipit, & δύσις, quod eſt Occidens à Delta incipit, & ἀνατολή, quod eſt Oriens, ab Alpha incipit, μεσήμβριος quod eſt meridies, à My incipit: quæ ſunt quatuor partes orbis, ab his quatuor literis incipientes. Quæ literæ ſi in compoto Græco conſiderentur, quadraginta ſex faciunt. Nam Alpha vnum, Delta quatuor, & iterum Alpha vnum, My quadraginta, quæ ſimul ducta faciunt quadraginta ſex. Qui numerus myſticè deſignat quadraginta ſex annos, quibus templum corporis Chriſti in vtero virginali ædificatum eſt, ſicut ſuperius diximus. Caro autem Chriſti, quæ de Adam ſumpta eſt, deſtructa eſt à Iudæis, & à ſeipſa iterum ædificata ſecundum ſcripturas Prophetarum, & ideo dicit Euangeliſta:

Geneſ. 3.

Hoc enim dicebat de templo corporis ſui. Cum ergo reſurrexiſſet à mortuis, recordati ſunt diſcipuli eius quia hoc dicebat, & crediderũt ſcripturæ.] Id eſt, Prophetarum, qui prædixerunt Chriſtum tertia die reſurgere. *Et ſermonem quem dixit Ieſus*, id eſt, quod ait: *Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud*, hoc eſt, tertia die reſſuſcit[illegible] quod vos ſoluetis in cruce. Sequitur:

Cum autem eſſet Ieſus Hieroſolymis in Paſcha in die feſto, multi crediderunt in eum, ipſe autem Ieſus non credebat ſemetipſum eis, quia ipſe ſciebat quid eſſet in homine.] Non enim ſic

credebant in eum, vt digni eſſent Chriſtum habitare in eis, quorum fides catechumenis comparari poteſt, qui credunt in Chriſtum, ſed Chriſtus non credit ſeipſum eis, Quia niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei. Nemini verò ſe credit Chriſtus, niſi qui dignus eſt introire in regnum Dei. Nullus vero dignus eſt introire in regnum Dei, niſi qui renatus eſt ex aqua & Spiritu ſácto. Inde & Eccleſiaſtica conſuetudo, Catechumenis corporis & ſanguinis Chriſti communionem non tradit, quia non ſunt renati ex aqua & Spiritu ſancto, quibus tantum creditur participatio corporis & ſanguinis Chriſti. Ex his autem multis qui credebant in Ieſum, vnus erat Nicodemus iſte. Et ideo nocte venit non die, quia nec dum inluminatus venit, cœleſtis gratiæ luce.

Cap. V.

Nicodemo inter multa dicit, niſi renatum in regnum Dei intrare non poſſe: vt quod non iudicare, ſed ſaluare venerit mundum. Et manifeſtari dicit opera quæ in Deo ſunt acta.

E*Rat homo ex Phariſæis Nicodemus nomine, princeps Iudæorũ, hic venit ad Ieſum nocte.*] Princeps ſcilicet Iudæorum venit ad Ieſum nocte, cupiens ſecreta eius allocutione plenius diſcere myſteria fidei, cuius aperta oſtenſione ſignorum aliquatenus iam rudimenta perceperat. Qui quoniam prudenter ea quę ab illo fieri videbat intellegere curauit, ſubtiliter ea quæ ab illo quærebat inueſtigare promeruit.

Rabbi, inquit, *ſcimus quia à Deo veniſti magiſter. Nemo enim poteſt hæc ſigna facere quæ tu facis, niſi fuerit Deus cum eo.*] A Deo igitur Ieſum ad magiſterium cœleſte mundo adhibendum veniſſe confeſſus eſt, Deum cum illo fuiſſe miraculis prodentibus † intellexit, nec dum tamen ipſum Deum eſſe cognouit. Sed quia quem magiſtrum nouerat veritatis, ſtudioſe docendus adijt, merito ad cognitionem diuinitatis eius perfectè doctus ſubiit; meritò vtriuſque natiuitatis eius, diuinæ ſcilicet & humanæ, ſed & paſſionis atque aſcenſionis ipſius arcana percepit, nec non etiam modum ſecundæ generationis, ingreſſum regni cœleſtis, aliaque [illegible] doctrinæ Euangelicæ ſacramenta Domino reuelante didicit.

† al. prudentius.

Reſpondit enim Ieſus, & dixit ei. Amen amen dico tibi: Niſi quis renatus fuerit denuo, non poteſt videre regnum Dei.] Quæ ſententia tanto apertius cunctis fidelibus lucet, quanto

A conſtat, quia ſine huius luce fideles eſſe nequeunt. Quis etenim ſine lauacro regenerationis, remiſſionem peccatorum conſequi, & regnum valet intrare cœlorum? Sed Nicodemus qui nocte venit ad Ieſum, nec dum lucis myſteria capere nouerat. Nam & nox in qua venit, ipſam eius qua premebatur ignorantiam deſignat. Nec dum enim eorum numero ſociatus erat, quibus ait Apoſtolus: *Fuiſtis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino*, ſed inter eos potius remanebat, quibus loquitur Eſaias: *Surge, inluminare Hieruſalem, quia venit lumen tuum, & B gloria Domini ſuper te orta eſt.* Reſpondit ergo Domino, & ait:

Epheſ. 5.

Eſaiæ 60.

Quomodo poteſt homo naſci cum ſenex ſit? Nunquid poteſt in ventrem matris ſuæ iterato introire & naſci?] Quia ſecundæ natiuitatis adhuc neſcius perſeuerabat, de ſalute autem ſua iam ſollicitus extiterat, neceſſario de vna quam nouerat natiuitate, an poſſet iterari, vel quo ordine regeneratio poſſet impleri quærebat, ne huius expers remanendo, vitæ cœleſtis particeps eſſe nequiC ret. Notandum autem quia quod de carnali dixit, hoc etiam de ſpiritali eſt regeneratione ſentiendum, nequaquam videlicet eam poſtquam ſemel expleta fuerit, poſſe repeti. Siue enim hæreticus, ſiue ſchiſmaticus, ſiue facinoroſus quiſque in confeſſione ſanctæ Trinitatis baptizet, non valet ille qui ita baptizatus eſt, à bonis Catholicis rebaptizari, ne confeſſio vel inuocatio tanti nominis videatur adnullari. Et quia Nicodemus ad primam Domini reſponſionem ſollicitus, quomodo ſit intelligenda diliD genter inquirit, meretur iam planius inſtrui, & quia ſecunda natiuitas non carnalis eſt, ſed ſpiritalis, audire. Reſpondit nanque illi Ieſus:

Amen amẽ dico tibi, Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu, non poteſt introire in regnum Dei.] Cuius natiuitatis modum ſubſequenter exponens, prorſuſque à carnali diſtinguens ait: *Quod natum eſt ex carne, caro eſt; & quod natum eſt ex ſpiritu, ſpiritus eſt.* Natura ſpiritus inuiſibilis, carnis eſt viſibilis, atE que ideo carnalis generatio viſibiliter adminiſtratur viſibilibus incrementis. Qui in carne naſcitur, per ætatum momenta proficit. Spiritalis autem generatio, tota inuiſibiliter agitur. Nam videtur quidem baptizatus in fontem deſcendere, videtur aquis intingui, videtur de aquis aſcendere. Quid autem in illo lauacrum regenerationis egerit, minimè poteſt videri. Sola autem fidelium pietas nouit, quia peccator in fontem deſcendit, ſed purificatus aſcendit.

Filius præuaricationis deſcendit, ſed filius reconciliationis aſcendit. Filius mortis deſcendit, ſed filius reſurrectionis aſcendit. Filius iræ deſcendit, ſed filius miſericordiæ aſcendit. Filius diaboli deſcendit, ſed filius Dei aſcendit. Sola hæc Eccleſia mater quæ generat nouit. Cæterum, oculis inſipientium videtur talis exire de fonte, qualis intrauit, totumque ludus eſſe quod agitur. Vnde in fine videntes gloriam ſanctorum dicent gementes in tormentis. *Hi ſunt quos aliquando habuimus in deriſum, & in ſimilitudinem improperij, quomodo computati ſunt inter filios Dei?* Apoſtolus Ioannes, *Chariſſimi*, inquit, *nunc filij Dei ſumus, & nondum apparuit quid erimus.* Quod ergo natum eſt ex ſpiritu, ſpiritus eſt, quia qui ex aqua & ſpiritu regeneratur, inuiſibiliter in nouum mutatur hominem, & de carnali efficitur ſpiritalis. Qui ideo rectè non ſolum ſpiritalis, ſed etiam ſpiritus vocatur; quia ſicut ſubſtãtia ſpiritus inuiſibilis eſt noſtris aſpectibus, ita is qui per gratiam Dei renouatur, inuiſibiliter fit ſpiritalis & Dei filius, cùm viſibiliter omnibus caro & filius hominis appareat. Sequitur:

Non mireris quia dixi tibi, Oportet vos naſci denuo. Spiritus vbi vult ſpirat, & vocem eius audis, ſed non ſcis vnde veniat, & quò vadat. Sic eſt omnis qui natus eſt ex ſpiritu.] Spiritus vbi vult ſpirat, quia ipſe habet in poteſtate cuius cor gratia ſuæ viſitationis inluſtret. Et vocem eius audis, cùm te præſente loquitur, is qui Spiritu ſancto repletus eſt. Sed non ſcis vnde veniat, & quò vadat; quia etiam ſi te præſente quempiam ſpiritus ad horam impleuerit, nõ poteſt videri * quomodo eum intrauerit, vel quomodo redierit, quia natura eſt inuiſibilis. Sic eſt omnis, qui natus eſt ex ſpiritu. Et ipſe enim inuiſibiliter agente ſpiritu incipit eſſe quod non erat, ita vt infideles neſciant vnde veniat & quò vadat, id eſt, quia à gratia regenerationis venit in adoptionem filiorum Dei, & vadit in perceptionem regni cœleſtis. Quærente autem adhuc Nicodemo, quomodo poſſint hæc fieri, ſubiungit Dominus, dicens:

* *al.* non potes videre.

Tu es magiſter in Iſraël, & hæc ignoras?] Non quaſi inſultare volens ei qui magiſter vocetur, cùm ſit ignarus ſacramentorum cœleſtium, ſed ad humilitatis illum viam prouocans, ſine qua ianua cœleſtis non poteſt inueniri.

Si terrena dixi vobis, & non creditis, quomodo ſi dixero vobis cœleſtia credetis?] Terrena illis dixit, vt in ſuperiore lectione inuenimus, cùm de paſſione & de reſurrectione ſui corporis, quod de terra aſſumpſerat, loqueretur dicens: *Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.* Non tamen credebant verbo quod dixit, ſed ne hoc quidem intellegere valebant, quia non de alio quàm de templo corporis ſui diceret. Qui ergo terrena audientes non capiebant, quanto minus ad cœleſtia, id eſt, diuinæ generationis capienda myſteria ſufficiunt? Addit autem Dominus adhuc, & de cœleſtibus ſacramentis, & de terrenis inſtruere eum, quem vidit ſapienter ac diligenter his quæ audit intendere. Cœleſtis namque eſt aſcenſio eius ad vitam ſempiternam, terrena verò exaltatio eius ad mortem temporalem. Dicit ergo de cœleſtibus.

Et nemo aſcendit in cœlum, niſi qui deſcendit de cœlo, filius hominis qui eſt in cœlo.] Subiungit verò de terrenis.

Et ſicut Moyſes exaltauit ſerpentẽ in deſerto, ita exaltari oportet filium hominis.] Merito autem quæritur, quomodo dicatur filius hominis, vel deſcendiſſe de cœlo, vel eo tempore quo hæc in terra loquebatur iam fuiſſe in cœlo? Nota eſt namque confeſſio fidei Catholicæ, quia deſcendens de cœlo filius Dei, filium hominis in vtero virginali ſuſcepit, eumque completa diſpenſatione paſſionis ſuæ reſſuſcitauit à mortuis, & aſſumpſit in cœlum. Non ergo caro Chriſti deſcendit de cœlo, neque ante tempus aſcenſionis erat in cœlo. Et qua ratione dicitur: *Niſi qui deſcendit de cœlo Filius hominis qui eſt in cœlo?* niſi quia Chriſti perſona vna eſt, in duabus exiſtens naturis: atque ideo Filius hominis rectè dicitur & deſcendiſſe de cœlo, & ante paſſionem fuiſſe in cœlo; quia quod in ſua natura habere non potuit, hoc in filio Dei à quo aſſumptus eſt habuit. Sicut propter eandem vnius Chriſti perſonam quę ex duabus exiſtit naturis, Apoſtolus ait: *Vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei, quam adquiſiuit ſanguine ſuo.* Neque enim Deus in ſua ſubſtantia, ſed in homine aſſumpto ſanguinem, qui pro Eccleſia funderetur, habuit. Hinc enim Pſalmiſta dicit: *Aſcendit Deus in iubilatione.* Quomodo enim Deus niſi in homine aſcenderet, qui in ſuæ natura maieſtatis ſemper vbique præſens adeſt? Sed & hoc quærendum eſt, quomodo dictum ſit, *Et nemo aſcendit in cœlum, niſi qui deſcendit de cœlo*, cùm omnes electi veraciter confidant aſcenſuros in cœlum, promittente ſibi Domino, quia, *Vbi ego ſum, illic & miniſter meus erit?* Cuius tamen nodum quæſtionis apertiſsima ratio ſoluit, quia videlicet mediator Dei & hominum,

homo Chriſtus Ieſus, electorum omnium A caput eſt. Itemque omnes electi, eiuſdem capitis membra ſunt, dicente Apoſtolo. *Et ipſum dedit caput ſuper omnia Eccleſiæ.* Et rurſum: *Vos enim eſtis corpus Chriſti, & membra de membro.* Nemo ergo aſcendit in cœlum, niſi qui deſcendit de cœlo, filius hominis qui eſt in cœlo. Quod eſt apertè dicere, nemo aſcendit in cœlum, niſi Chriſtus in corpore ſuo, quod eſt Eccleſia, qui in ſeipſo quidem primum cernentibus Apoſtolis, eminentioribus nimirum membris ſuis aſcendit, & exinde in membris ſuis cottidie B aſcendens ſe colligit in cœlũ. Hinc eſt enim quod ipſum corpus eius, intra aduerſa præſentis ſæculi deprehenſum gloriatur & dicit: *Nunc autem exaltauit caput meum ſuper inimicos meos.* Ac ſi patenter dicat: Qui occiſum à Iudæis Chriſtum, caput videlicet meum ſuſcitauit à mortuis, ac fruſtratis omnibus inimicorum inſidiis, ſubleuauit in cœlum, ſpero me etiam de præſentibus periculis eruens, meo capiti iungat in regno ſuo. Quia ergo nemo aſcendit in cœlum, niſi qui deſcendit de cœlo, quiſquis in C cœlum aſcendere deſiderat, ei qui de cœlo deſcendit & in cœlo, ſe vera fidei & dilectionis vnitate coniungat; apertè intelligens, quia nullo alio ordine, niſi per eum qui deſcendit de cœlo, poteſt aſcendere in cœlum. Vnde aliàs ipſe dicit: *Nemo venit ad patrem niſi per me.* Hæc ideo Nicodemo & cunctis dicuntur catechumenis, vt diſcant eius membris renaſcendo incorporari, per quem poſſint aſcendere in regnum Dei. Et quia aſcenſio vel ingreſſus regni fieri non poteſt abſque fide, & ſacramentis dominicæ paſſionis, rectè infertur. *Et ſicut Moyſes* D *exaltauit ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet filium hominis.*

Epheſ. 1.
1. Cor. 12.
Pſalm. 20.

Vt omnis qui credit in ipſum non pereat, ſed habeat vitam æternam.] Mira magiſterij cœleſtis arte, Dominus magiſtrum legis Moſaicæ, ad ſpiritalem legis eiuſdem ſenſum inducit, recordans hiſtoriæ veteris, & hanc in figuram ſuæ paſſionis, atque humanæ ſaluationis factam ediſſerens. Narrat quippe liber Numerorũ, quia pertæſus in eremo populus Iſraël itineris longi ac laboris, Murmurauit contra Dominum & Moſen. Ideoque Dominus immiſerit in illum ignitos ſerpẽtes, ad quorum plagas & mortes plurimorum, cùm clamarent ad Moyſen, & ille oraret pro eis, iuſſit eum Dominus facere ſerpentem æneum, & ponere pro ſigno. *Qui percuſſus,* inquit, *aſpexerit eũ, viuet.* Et ita factum eſt. Plaga igitur ſerpentium ignitorum, venena ſunt & incentiua vitio-

Nume. 21.

E

rum, quæ animam, quam tangunt, ſpiritali morte perimunt. Et benè murmurans contra Dominum populus ſerpentium morſibus ſternebatur, vt ex ordine flagelli exterioris agnoſceret, quantam intus perniciem murmurando pateretur. Exaltatio autem ſerpentis ænei, quem dum percuſſi aſpicerent ſanabantur, paſſio eſt noſtri Redemptoris in cruce, in cuius ſolum fide, regnum mortis & peccati ſuperatur. Rectè etenim per ſerpẽtes, peccata quæ animam ſimul & corpus ad interitum trahunt exprimuntur; non ſolum quia igniti, quia virulenti, quia ad perimẽdum ſunt aſtuti, verùm etiam quia per ſerpẽtem primi parentes noſtri ad peccandum perſuaſi, ac de immortalibus ſunt peccãdo mortales effecti. Rectè per ſerpentẽ æneũ Dominus oſtenditur, qui venit in ſimilitudinẽ carnis peccati: quia ſicut æneus ſerpens effigiem quidem ignitis ſerpentibus ſimilem, ſed nullum prorſus in ſuis membris habuit ardorem veneni nocentis; quin potius percuſſos à ſerpentibus, ſua exaltatione ſanabat. Sic nimirum, ſic Redemptor humani generis, non carnem peccati, ſed ſimilitudinem induit carnis peccati, in qua mortem crucis patiendo, credentes in ſe ab omni peccato, & ab ipſa etiam morte liberaret. *Sicut ergo Moyſes exaltauit ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet filium hominis.* Quia ſicut illi qui exaltatũ pro ſigno ſerpentem æneũ aſpiciebant, ſanabantur ad tempus à temporali morte & plaga, quam ſerpentium morſus intulerat, ita & qui myſterium Dominicæ paſſionis credendo, confitendo, ſinceriter imitando aſpiciunt, ſaluantur in perpetuum ab omni morte, quam peccando in anima pariter & carne contraxerant. Vnde rectè ſubiungitur: *Vt omnis qui credit in ipſum, non pereat, ſed habeat vitam æternam.* Cuius quidem verbi patet ſenſus, quia qui credit in Chriſtum, non ſolùm perditionem euadit pœnarum, ſed & vitã percipit æternam. Et hoc inter figuram diſtat & veritatem, quia per illam vita protelatur tẽporalis, per hanc vita donatur ſine fine manſura. Sed curandum ſolerter eſt, vt quod intellectus bene ſentit, operatio condigna perficiat, quatinus confeſſio rectæ noſtræ fidei, piè & ſobriè conuerſando, ad perfectionem promiſſæ nobis vitæ mereatur adtingere. Verum hæc quia de filio hominis dicuntur, qui exaltari in cruce, & mortem potuit pati; ne putaret Nicodemus filium tãtum eum hominis eſſe, à quo vita eſſet expectanda perpetua, curauit ei Dominus etiam diuinitatis ſuæ patefacere

ſacramentum, vnumque & eundem filiū Dei, & filium hominis mundi oſtendere ſaluatorem. Nam ſequitur.

Sic enim dilexit Deus mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eū non pereat, ſed habeat vitam æternam.] Vnde notandum, quod eadem de filio Dei vnigenito replicat, quæ de filio hominis in cruce exaltato præmiſerat, dicens, *Vt omnis qui credit in eum non pereat, ſed habeat vitam æternam.* Quia profectò idem redemptor & conditor noſter, filius Dei ante ſecula exiſtens, filius hominis factus eſt in fine ſeculorum, vt qui per diuinitatis ſuæ potentiam nos creauerat ad perfruendam vitæ beatitudinem perennis, ipſe per fragilitatem humanitatis noſtræ nos reſtauraret ad recipiendam quam perdidimus vitam. Sequitur autem:

Non enim miſit Deus filium ſuum in mundum, vt iudicet mundum, ſed vt ſaluetur mundus per ipſum.] Ergo quantum in medico eſt, ſanare venit ægrotum. Se ergo interimit, qui præcepta medici obſeruare nō vult. Venit Saluator in mūdū. Quare Saluator dictus eſt mundi, niſi vt ſaluet mundum, non vt iudicet mundum? Saluari non vis ab ipſo? ex te iudicaberis. Et quid dicā iudicaberis? Vide quid ait: *Qui credit in eum non iudicabitur. Qui autem non credit iudicatus eſt.* Quid dicturum ſperabas niſi iudicatus? *Iam,* inquit, *iudicatus eſt.* Nondum apparuit iudicium, ſed iam factum eſt iudicium. Nouit enim Dominus qui ſunt eius, nouit qui permaneāt ad coronam, qui permaneāt ad flammam. Nouit in area ſua triticū ſuum, nouit & paleam, nouit & ſegetem, nouit zizania. Iam iudicatus eſt qui non credit, quare iudicatus? quia non credit in nomine vnigeniti filij Dei. Hoc eſt autem iudicium, quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quàm lucem: erāt enim mala opera eorum. Fratres mei, quorum opera bona inuenit Dominus? nullorum. Omnia enim mala opera inuenit. Quomodo ergo quidam fecerunt veritatem, & venerunt ad lucem? Hoc enim ſequitur:

2. Tim. 2.

Qui autem facit veritatem venit ad lucem, vt manifeſtentur opera eius quia in Deo facta ſunt.] Quomodo ergo quidam bonum opus fecerunt, vt venirent ad lucem? id eſt, ad Chriſtum. Et quomodo ergo quidam dilexerunt tenebras? Si enim omnes peccatores inuenit, & omnes à peccato ſanat? Et ſerpens ille in quo figurata eſt mors Domini eos ſanat, qui morſi fuerant. Et propter morſus ſerpentis, erectus eſt ſerpens, id

A eſt, mors Domini propter mortales homines quos inuenit iniuſtos? Quomodo intelligitur, hoc eſt iudicium, quoniam lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quàm lucem? Erant enim mala opera eorum. Quid enim eſt hoc quorum enim erant opera bona? Nonnè veniſti vt iuſtifices impios? Sed dilexerunt inquit, tenebras magis quàm lucem. Ibi poſuit vim. Multi enim dilexerunt peccata ſua, quia qui confitetur peccata ſua, & accuſat peccata ſua, iam cum Deo facit. Accuſat Deus peccata tua. Si & tu accuſes B coniungeris Deo. Quaſi duæ res ſunt, homo & peccator. Quod audis homo, Deus fecit; quòd audis peccator, ipſe homo fecit. Dele quod feciſti, vt Deus ſaluet quod fecit. Oportet vt oderis in te opus tuum, & ames in te opus Dei. Cùm autem cœperit tibi diſplicere quod feciſti, inde incipiūt bona opera tua, quia accuſas mala opera tua. Initium bonorum operum, confeſſio eſt operum malorum. Facis veritatem, & venis ad lucem. Quid eſt facis veritatem? C Non te palpas, non tibi blandiris, non te adulas, non dicis, Iuſtus ſum, cùm ſis iniquus, & incipis facere veritatem. Venis autem ad lucem, vt manifeſtentur opera tua, quia in Deo ſunt facta, quia & hoc ipſum quod tibi diſplicuit peccatum tuum, non tibi diſpliceret, niſi Deus tibi luceret, & eius veritas tibi oſtenderet lucem; ſed qui etiam admonitus diligit peccata ſua, odit admonentem lucem, & fugit ea, vt non arguantur opera eius mala quæ diligit. Qui autem facit veritatem, accuſat in ſe mala ſua, non D ſibi parcit, nō ſibi ignoſcit, vt Deus ignoſcat; quia quod vult vt Deus ignoſcat, ipſe agnoſcit & venit ad lucem, cui gratias agit. Quod illi quid in ſe odiſſe oſtenderit, dicit Domino: *Auerte faciem tuam à peccatis meis.* Et qua fronte dicit, niſi iterum dicat? *Quoniam facinus meum ego agnoſco, & peccatū meum contra me eſt ſemper.* Sit ante te quod non vis eſſe ante Dominum. Si autem poſt te feceris peccatum tuum, retorquet tibi illud Deus ante oculos tuos. Et tunc re- E torquet quando iam pœnitentiæ fructus nullus erit. Currite dum lucem habetis, ne tenebræ mortis vos comprehendant. Sequitur autem:

Pſalm. 50.

Poſt hæc autem venit Ieſus & diſcipuli eius in Iudæam terram. Et illic demorabatur cum eis, & illic baptizabat.] Baptizatus baptizat; Non in eo baptiſmate baptizat quo baptizatus eſt. Dat baptiſmum Dominus baptizatus à ſeruo, oſtendens humilitatis viam, & perducens ad baptiſmum Domini. Hoc eſt

baptiſma

baptiſma ſuũ, præbendo humilitatis exemplum, quia ipſe non reſpuit baptiſma ſerui. Et baptiſmate ſerui via præparabatur Domino. Et baptizatus Dominus, viã ſe fecit ad ſe. Ipſum audiamus: *Ego ſum, via, veritas, & vita.* Si veritatem quæris, viã tene. Nam ipſe eſt via, qui eſt veritas. Audiamus Ioannem; *Baptizabat Ieſus.* Diximus, quia baptizat Ieſus. Quomodo, inquit, Ieſus, quomodo Dominus, quomodo Dei filius, quomodo Verbum? Sed Verbum caro factum eſt.

Cap. VI.

Ioanni in Aenon baptizanti à ſuis diſcipulis dicitur, Quòd cui ille teſtimonium perhibebat, hic baptizet, & quod omnes ad eum veniãt. Quẽ ille ſponſum eſſe & oportere creſcere, ſe autem minui. Illumque deſurſum & ſuprà omnes eſſe. Credentẽque in eum habere vitam æternã. Super incredulum verò iram manere confirmat.

E*Rat autẽ Ioãnes baptizans in Aenõ, iuxta Salim.*] Locus quidẽ ex nomine intelligitur, quia aquę multę erãt ibi. Aenõ iuxta Salim locus eſt vbi baptizabat Ioãnes, & oſtenditur nũc vſq. locus, in octauo lapide Scytopoleos ad meridiẽ, iuxta Salim & Iordanẽ.

Nondum enim miſſus fuerat Ioannes in carcerẽ.] Quare baptizabat Ioannes? quia oportebat vt baptizaretur Dominus. Quare oportebat vt Dominus baptizaretur? ne aliquis magna licet præditus gratia, vel poteſtate, contemneret baptizari. Ipſe Dominus non cõtempſit baptiſmi ſacramentum, quamuis in illo nõ eſſet quod mundaretur in baptiſmo; qui nullum habuit peccatum, quod dimitteretur in baptiſmi lauacro. Baptizatus eſt à ſeruo Dominus, ne ſeruus Domini baptiſmum contemneret. *Nondũ enim miſſus fuerat Ioannes in carcerem.* Ideo hoc dixit Euangeliſta, vt intelligeretur quæ ante poſuit, primo anno doctrinæ Domini noſtri Ieſu Chriſti, quæ incipiebat à baptiſmo ſuo, acta eſſe; cuius anni geſta, maximè alios intellexit Euangeliſtas tacere.

Facta eſt autẽ quæſtio ex diſcipulis Ioannis cum Iudæis de purificatione.] Zelantes verò diſcipuli Ioannis magiſtrum, quia plures audiebant cõcurrere ad baptiſma Chriſti, & præferre Iudæos baptiſmo Ioannis baptiſmũ Chriſti, ita vt nouiſſimè ventum eſt ad ipſum Ioannem, vt ſolueret quæſtionem, quam habuerãt diſcipuli illius cum Iudęis, de diſcretione inter baptiſmum Chriſti, & baptiſmum Ioannis, & dixerunt ei:

Rabbi qui erant tecũ trans Iordanem, cui tu teſtimoniũ perhibuiſti, ecce hic baptizat, & omnes veniunt ad eũ.] Quaſi indignãtes quod plures veniſſent ad baptiſmum Chriſti, dixerunt: *Omnes veniunt ad eũ, & te dimittunt*, dum tuo baptiſmo baptizatus eſt ille, ad cuius baptiſmum omnes modo concurrunt.

Reſpõdit Ioannes & dixit: Non poteſt homo accipere quicquã, niſi fuerit ei datum dẽ cœlo.] Vos mihi teſtimoniũ perhibetis quod dixerim, Non ſum ego Chriſtus. Si meo teſtimonio creditis, ſcitote me nõ eſſe Chriſtũ, ſed illũ, & illius baptiſmum eſſe, in quo eſt remiſſio peccatorum, & Spiritus ſanctus datur; non meũ in quo tantũmodo pœnitentia dabatur, & fides in eum in quo querimoniã nũc habetis. Non poteſt homo aliquid accipere, niſi fuerit illi datum de cœlo. Miniſteriũ accepi, quod mihi datũ fuit de cœlo. Præco ſum, ille iudex. Ego ſeruus, ille Dominus. Ille ſpõſus, ego amicus ſponſi. Illũ oportet creſcere, me autẽ minui. Veniebam illi viã parare, non me exaltare. Ego vox clamãtis, ille Verbum Patris. Qui poſt me venit ante me factus eſt, id eſt, dignitate prælatus eſt mihi. Cuius ego non ſum dignus corrigiã calciamenti ſoluere, id eſt, natiuitatis illius qui ex Virgine natus venit in mundũ, enarrare myſterium. Audiſtis teſtimoniũ meũ, credite teſtimonio meo. Cõcurrite ad illũ, in cuius baptiſmo eſt remiſſio peccatorũ. Iſte Ioannes tantæ auctoritatis habebatur, vt à populo Chriſtus putaretur. Sed ille falſum reſpuit honorem, vt ſolidam potuiſſet habere veritatẽ. Noluit de ſe iactare quod non fuit, ne ſine eo eſſet, qui ſemper fuit.

Qui habet ſponſam, ſponſus eſt.] Ego nõ ſum ſponſus. Sed quid ſum? amicus ſponſi, gaudens in vocẽ illius. Quis eſt ſponſus? ille de quo dicitur: *Rex omnis terræ Deus, & adorabũt eum omnes Reges terræ, omnes gentes ſeruient ei.* Pſalm. 71.
Ille ſponſus verus. Sponſa vero ſancta Eccleſia, ex omnibus cõgregata gentibus. De qua Apoſtolus ait: *Deſponſaui vos vni viro, virginem caſtam exhibere Chriſto.* Virgo eſt, & ſponſum habet, quę cottidie generat, & virgo perpetua permanet. Virginitas hæc integritas eſt mẽtis, charitatis perfectio, vnitas Catholicæ fidei, pacis cõcordia, caſtitas in corde & anima, quia nihil valet corporis caſtitas ſine catholicę fidei integritate. Cuius virginis, id eſt, vniuerſalis Eccleſiæ, amici ſunt, prædicatores Euangelicæ veritatis. Et ideò dicit iſte Ioannes, *amicus ſponſi. Qui ſtat & audit gaudio gaudet propter vocem ſponſi.* Stat enim qui in fide recta permanet, & quod credit prædicat. Quare ſtat? quia non cadit. Quare non cadit? quia humilis eſt. Iſte præcurſor Domini in ſolida petra ſtabat, dum ait: Non ſum ego Chriſtus, non ſum ego ſponſus, ſed amicus ſponſi. Qui

2\. Cor. 11.

gloriam illius quærit, qui miſit eũ, merito non cadit, merito ſtat, merito audit vocem ſpõſi, & gaudio gaudet propter vocẽ ſponſi. Vox ergo ſponſi eſt: *Ite, docete omnes gẽtes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.* Cõfeſſus eſt ergo Ioannes ſicut ſuperius audiſtis, *quia non ſum ego Chriſtus,* quia cùm diſcipulos multos faceret Ieſus, & perferretur ad eum veluti inſtigaretur: quaſi inuido enim narrauerũt: *Ecce ille facit plures diſcipulos quàm tu.* Ille cõfeſſus eſt quid eſſet, & inde meruit pertinere ad eum, quia non eſt auſus ſe dicere quod eſt ille. Hoc ergo dicit Ioannes, *Non poteſt homo accipere quicquam niſi fuerit ei datum de cœlo.* Ergo Chriſtus dicit, homo accipit.

Ipſi vos mihi teſtimonium perhibetis quod dixerim, Ego non ſum Chriſtus; Sed quia miſſus ſum ante illum. Qui habet ſponſam ſponſus eſt, amicus autẽ ſponſi qui ſtat & audit eum, & gaudio gaudet propter vocem ſponſi.] Non ſibi gaudiũ facit de ſe. Qui vult gaudere de ſe, triſtis erit. qui autẽ de Deo vult gaudere, ſemper gaudebit, quia Deus ſempiternus eſt. Vis habere gaudiũ ſempiternũ? inhære illi qui ſempiternus eſt. Talẽ ſe dixit Ioannes. Propter vocem ſponſi gaudet, amicus ſpõſi ait, non propter vocem ſuã; & ſtat & audit eum. Si ergo cadit, non audit eum. De illo quondã qui cecidit dictũ eſt: *Et in veritate non ſtetit.* De Diabolo dictum eſt. Ergo ſtare debet amicus ſpõſi, & audire. Quid eſt ſtare? Permanere in gratia eius quam accepit, & audire vocẽ ad quam gaudeat. Sic erat Ioannes. Nouerat vnde gaudebat. Non ſibi arrogabat quod ipſe nouerat. Sciebat inluminatum ſe, non inluminatorẽ. Erat enim lumen verum, ait Euãgeliſta, quod inluminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Si ergo omnẽ hominẽ, & ipſum Ioannẽ, quia & ipſe de hominibus erat. Sequitur. *Et dicit Ioannes: Hoc ergo gaudium meũ impletum eſt.* Quod eſt gaudium ipſius? vt gaudeat ad vocẽ ſpõſi. Multi enim ideo facti ſunt inſipientes, quia dixerunt ſe eſſe ſapientes. Quos arguit Apoſtolus in Epiſtola

Rom. 1. ad Romanos dicens: *Aeſtimantes ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt.* Ergo Deus quod dat gratias agentibus, tulit non agentibus. Noluit eſſe hoc Ioannes, gratus eſſe voluit. Confeſſus eſt accepiſſe ſe, & gaudere ſe dixit propter vocem ſponſi, & ait:

Hoc ergo gaudium meum impletũ eſt, illum oportet creſcere, me autem minui.] Quid eſt hoc? illum oportet exaltari, me autem humiliari. Magnum hoc ſacramentum eſt, antequam veniret Dominus Ieſus, homines gloriabatur de ſe, venit ille homo, vt minueretur illius gloria, & augeretur gloria Dei. Etenim

A venit ille ſine peccato, & inuenit omnes cũ peccato. Si ſic venit ille vt dimitteret peccata, Deus largiatur, homo cõfiteatur. Etenim cõfeſſio hominis, humilitas hominis; miſeratio Dei, altitudo Dei. Si ergo venit ille dimittere peccata, agnoſcat homo humilitatem ſuã, & Deus faciet miſericordiã ſuã. Illum oportet creſcere, me autẽ minui, hoc eſt, illũ oportet dare, me autẽ accipere. Illum oportet glorificari, me autẽ confiteri. Intelligat homo gradũ ſuũ, & confiteatur Deo, & audiat Apoſtolũ dicentẽ homi-

B ni ſuperbiẽti & elato & extollere ſe volenti: *Quid enim habes, quod non accepiſti? Si autẽ accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis?* Intelligat ergo homo quia accepit, qui volebat ſuũ dicere, quod non eſt eius, & minuatur. Bonũ eſt illi enim vt Deus in illo glorificetur, ipſe in ſe minuatur, vt in Deo augeatur. Hæc teſtimonia, hanc veritatẽ, etiã paſſionibus ſuis, ſignificauerũt Chriſtus & Ioannes. Nam Ioannes capite minoratus eſt, & Chriſtus in cruce exaltatus; vt & ibi appareret quid eſt, *Illum oportet creſcere, me autem*

C *minui,* hoc eſt, illũ oportet exaltari, me autẽ humiliari. Hoc enim ſignificat & ipſa creatura lucis. Nam Chriſtus natus eſt diebus creſcentibus, Ioannes verò decreſcentibus, vt oſtẽderetur quid eſt Chriſtus, hoc eſt lumen verũ, & quid eſt Ioãnes, hoc eſt illuminatus ab eo. Creſcamus in illo & per illũ, vt ille creſcat in nobis, donec perueniamus ad perfectum diem. Audiamus adhuc quid Ioannes de Chriſto dixerit vel quid de ſeipſo. Dicit enim:

1. Cor. 4.

Qui de ſurſum venit ſuper omnes eſt, & qui de terra eſt, de terra loquitur. Qui de ſurſũ venit, ſuper

D *omnes eſt,* id eſt Chriſtus. *Qui autẽ eſt de terra, terra eſt, & de terra loquitur.*] Id eſt Ioannes. Quomodo ergo de terra loquitur? Omnis homo terrenus eſt, & dũ terrena loquitur, de terra loquitur. Qui verò illuminatus eſt ab eo qui eſt lumen verũ, de diuinis loquitur. Ergo ſeorſum eſt gratia Dei, ſeorſũ natura hominis. Carnalis carnaliter æſtimat, carnaliter ſuſpicatur. Dũ venit gratia Dei illuminans hominẽ, cœleſtia loquitur, ſicut dictũ eſt: *Qui illuminas lucernã meam, Domine,* Pſalm. 17.

E *Deus meus illumina tenebras meas.* Hoc eſt illũ oportet creſcere, me autẽ minui. Ergo Ioãnes quod ad Ioannẽ pertinet, de terra eſt, & de terra loquitur. Si quid diuinum à Ioanne audiſti, inluminantis eſt, non recipiẽtis.

Qui de cœlo venit ſuper omnes eſt, & quod vidit & audiuit hoc teſtificatur, & teſtimoniũ eius nemo accepit.] Qui de cœlo venit ſuper omnes eſt, Dominus noſter Ieſus Chriſtus, de quo ſuperius dictũ eſt: *Nemo aſcẽdit in cœlũ niſi qui deſcẽdit de cœlo, filius hominis qui eſt in cœlo.* Et

autē ſuper omnes, & quod vidit & audiuit hoc loquitur. Habet enim & patrem ipſe filius Dei, habet & matrē. Et audiuit à patre. Et quod audiuit à patre quid eſt? quis hoc explicet? quando lingua mea, quando cor meū ſufficere poteſt? vel cor ad intelligendum, vel lingua ad proferendum? Quid eſt quod filius audiuit à patre? fortè filius Verbum patris audiuit, immo filius Verbū patris eſt. Cùm ergo Verbum Dei filius ſit, filius autem locutus eſt nobis; non Verbum ſuū, ſed Verbū patris ſe nobis loqui voluit qui Verbum patris loquebatur. Hoc ergo quomodo decuit & oportuit, dixit Ioānes, *Qui de cœlo venit ſuper omnes eſt, & quod vidit & audiuit illud teſtatur, & teſtimonium eius nemo accepit.* Si nemo, vt quid venit? quorundā enim * nemo eſt, quidā populus præparatus ad iram Dei, dānandus cum diabolo, horū nemo accepit teſtimonium Chriſti. Nam ſi omnino nemo, nullus homo, quid ergo eſt quod ſequitur?

* Al. ergo.

Qui accepit teſtimoniū eius, ſignauit quia Deus verax eſt.] Certè ergo nemo. Sed tu ipſe dicis: *Qui accepit teſtimonium eius, ſignauit quia Deus verax eſt.* Reſponderet ergo fortaſsè interrogatus Ioānes, & diceret nobis quid dixerit nemo. Eſt quidā populus natus ad iram Dei, & ad hoc præcognitus. Qui ſint enim credituri, & qui non ſint credituri, nouit Dominus. Qui ſint perſeueraturi in eo quod crediderint, & qui ſint lapſuri, nouit Deus. Et numerati ſunt Deo omnes futuri in vitam æternā. Teſtimonium eius qui venit de cœlo nemo accepit. Qui autē accepit teſtimonium eius, *ſignauit, quia Deus verax eſt.* Signauit, dixit, hoc eſt, ſignū poſuit in corde ſuo, quaſi ſingulare & ſpeciale aliquid, hūc eſſe Deum verū, qui miſſus eſt ob ſalutē humani generis. Quid eſt, *Signauit quia Deus verax eſt*? niſi quia omnis homo mēdax, Deus autem verax eſt? Quia nemo hominū poteſt dicere quod veritas eſt, niſi illuminetur ab eo qui mentiri non poteſt. Deus ergo verax, Chriſtus autē Deus. Vis probare? Accipe teſtimonium eius, & inuenis. Qui enim accepit teſtimonium eius, ſignauit quia Deus verax eſt. Quis? ipſe qui de cœlo venit & deſcendit, & ſuper omnes eſt, Deus verax eſt. Quem enim miſit Deus verba Dei loquitur. Ipſe eſt Deus verax, ipſe eſt Deus & Dominus noſter Ieſus Chriſtus, de quo Apoſtolus ait: *Poſtquā venit plenitudo temporis, miſit Deus filium ſuū factum ex muliere, factum ſub lege.*

Quem enim miſit Deus, verba Dei loquitur.] Hoc vtique de Chriſto dicebat, vt ſe ab illo diſtingueret. Quid enim? Ioannem nonne Deus miſit? an nō ipſe dixit? *Miſſus ſum ante eum, & qui me miſit baptizare in aqua.* Et de illo dictum eſt: *Ecce ego mitto Angelum meum ante te, & præparabit viam tuam.* (Malach. 3.) Nonne & ipſe verba Dei loquitur? De quo etiam dictū eſt, quod ſit amplius quàm Propheta. Si ergo & ipſum Deus miſit & verba Dei loquitur, quomodo ad diſtinctionem de Chriſto eum dixiſſe accepimus, *Quem enim miſit Deus, verba Dei loquitur*? Sed vide quid adiungat:

Non enim ad menſurā dat Deus ſpiritū.] Audi Apoſtolum dicentem: *Secundum menſura donationis Chriſti.* (Epheſ. 4.) Hominibus ad menſurā dat, vnico filio non dat ad menſurā. Quomodo hominibus dat ad mēſuram? Alij quidē datur per ſpiritum ſermo ſapientiæ, (1. Cor. 12.) alij ſermo ſcientiæ, ſecundum eundē ſpiritū. Alij fides in eodē ſpiritu, alij Prophetia, alij iudicatio ſpirituum, alteri genera linguarum, alij dona curationū. Nunquid omnes Prophetæ? Nūquid omnes doctores? Nūquid omnes habēt virtutes? Nūquid omnes dona habent ſanitatum? Nunquid omnes linguis loquuntur? Nunquid omnes interpretantur? Aliud habet ille, aliud iſte, & quod habet iſte, ille non habet. Menſura, diuiſio quædā donorū eſt. Ergo hominibus menſura datur, & concordia ibi vnū corpus facit. Quomodo aliud accepit manus vt operetur, aliud oculos vt videat, aliud aures vt audiat, aliud pedes vt ambulet: anima tamē vna eſt, quæ agit omnia. In manu vt operetur, in pede vt ambulet, in aure vt audiat, in oculo vt videat. Sic ſunt etiā diuerſa dona fidelium, tanquam mēbris ad menſurā cuique propria diſtributa. Sed Chriſtus qui dat, non ad menſuram accipit. Audi enim adhuc quod ſequitur, quia de filio dixerat, *Non enim ad menſuram dat Deus ſpiritum.*

Pater diligit filiū, & omnia dedit in manu eius.] Addidit, *& omnia dedit in manus eius*, vt noſſes & hîc quàm diſtinctè dictum eſt, *Pater diligit filium.* Quare? ergo pater non diligit Ioannem? & tamen omnia dedit in manu eius. Pater non diligit Paulum? & tamen omnia dedit in manu eius. Pater diligit filium, ſed quomodo pater filium, non quomodo Dominus ſeruum. Quomodo vnicum, non quomodo adoptatum. Itaque omnia dedit in manu eius. Quid eſt omnia? Vt tantus ſit filius, quantus eſt pater. Sequitur.

Vt ergo cognouit Ieſus, quia audierunt Phariſæi, quia Ieſus plures diſcipulos facit quàm Ioannes & baptizat, quanquā Ieſus non baptizaret, ſed diſcipuli eius, reliquit Iudæā terrā, & abiit in Galilæā.] Vtiq. Dominus ſi ſciret Phariſæos ita de ſe

A cognouiſſe, quòd plures diſcipulos faceret, & quod plures baptizaret; vt hoc eis ad ſalutẽ pertineret ſequendi eũ, vt & ipſi eſſent diſcipuli, & ipſi vellent ab eo baptizari, magis non relinqueret Iudæã terram, ſed propter illos maneret ibi. Quia verò cognouit eorum ſcientiã, ſimul cognouit & inuidentiam; quia non hoc propterea didicerunt vt ſequerentur, ſed vt perſequerẽtur, abiit inde. Poterat quidem ille & pręſens ab his nõ teneri ſi nollet, non occidi ſi nollet, qui potuit & non naſci ſi nollet. Sed quia in omni re quã geſſit, vt homo hominibus in ſe credituris B præbebat exẽplum; quia vnuſquiſq. ſeruus Dei non peccat ſi ſeceſſerit in alium locum, videns furorẽ fortem perſequentiũ ſe, aut quærentium in malum animam ſuã. Videretur autem ſibi ſeruus Dei peccare ſi faceret, niſi in faciendo Dominus proceſſiſſet. Fecit hoc ille magiſter bonus, vt doceret, nõ quod timeret. Fortaſſis etiã hoc moueat, cur dictũ ſit, *Baptizabat Ieſus plures quã Ioannes*, & poſteaquam dictũ eſt, *Baptizat*, ſubiectum ſit, *Quanquam Ieſus non baptizaret, ſed diſcipuli eius.* C Quid ergo? falſũ dictũ erat, & correctum eſt cum additum eſt, *Quanquã Ieſus nõ baptizaret, ſed diſcipuli eius?* An vtrunque verũ eſt, quia Ieſus & baptizabat & nõ baptizabat? Baptizabat enim, quia & ipſe mũdabat. Non baptizabat, quia nõ ipſe tingebat. Prębebãt diſcipuli miniſteriũ corporis, prębebat ille adiutoriũ maieſtatis. Quãdo enim ceſſaret à baptizãdo, qui non ceſſat à mundando? De quo dictum eſt ab eodem Ioanne per Ioannis Baptiſtæ perſonã: *Hic eſt qui baptizat.* Ergo Ieſus adhuc baptizat, D & quouſq. baptizantur, qui baptizandi ſunt, Ieſus baptizat. Securus homo accedat ad inferiorem miniſtrum, habet enim ſuperiorem magiſtrum. Sed forte dicat aliquis: Baptizat quidẽ Chriſtus in ſpiritu, nõ in corpore. Quaſi verò alterius dono quã illius quiſquã etiam ſacramento corporalis & viſibilis baptiſmatis imbuatur? Vis noſſe quia ipſe baptizat non ſolũ ſpiritu, ſed etiã aqua? Audi Apoſtolũ: *Sicut Chriſtus*, inquit, *dilexit Eccleſiam ſuam, & ſeipſum tradidit pro ea,* (Epheſ. 5.) E *mundans eam lauacro aquæ in verbo, vt exhiberet ſibi ipſe glorioſam Eccleſiam, non habentẽ maculam aut rugam, aut aliquid eiuſmodi.* Mundans eã, vnde? lauacro aquę in verbo. Tolle aquã, non eſt baptiſmum. Similiter verbũ ſi tuleris, baptiſmum non fit. Quæri enim ſolet, ſi in hoc baptiſmo diſcipulorum Chriſti Spiritus ſanctus daretur propter verba quæ in ſequenti huius Euãgelij loco leguntur, vbi dicitur, *Spiritus ſanctus nondũ fuerat datus, quia Ieſus nondũ fuerat glorificatus.* Profectò dabatur Spiritus ſanctus in hoc diſcipulorum Chriſti baptiſmo, licet nõ ea manifeſtatione quã poſt Aſcenſionẽ Chriſti decima die in igneis linguis datus eſt. Quod quædam latenter, quædam verò per viſibilẽ creaturam, viſibiliter Deus operatur; pertinet ad gubernationẽ prudentiæ, quia omnes diuinæ actiones, locorum, temporumq. ordinis diſtinctione pulcherrima agũtur. Quomodo autem ipſe Dominus ſecũ habebat vtiq. Spiritum ſanctũ, in ipſo homine quem gerebat, quando vt baptizaretur venit ad Iordanem, & tamen poſteaquã baptizatus eſt deſcẽdere in eum in columbæ ſpecie idem ſpiritus viſus eſt: Sic intelligẽdum eſt, ante manifeſtum & viſibilem aduentũ Spiritus ſancti, quoſcunque ſanctos eum latẽter habere potuiſſe. Ita ſane hoc diximus, vt intellegamus etiam viſibili demonſtratione Spiritus ſancti, qui aduentus eius dicitur, ineffabili vel etiam incogitabili modo largius in hominum corda plenitudinem eius infuſam. Sequitur.

Reliquit Iudæam, & abiit iterum in Galilæam.] Quid eſt *reliquit Iudæam*, niſi reliquit infidelitatem illorum, qui eum recipere noluerunt, & lapidem quem ædificare debuerũt reprobauerunt? Et abiit per Apoſtolos in Galilæam, id eſt, in volubilitatẽ iſtius mundi, præcipiẽs Apoſtolis: *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.* (Matt. vlt.) E

Oportebat enim eum tranſire per Samariam.] In lectione vero Euangelij, infirmitatẽ humani generis ſuſcepiſſe Dominũ Ieſum Chriſtum, pleniſſime nobis ſanctus Euangeliſta monſtrauit. Siquidem cum dixiſſet veniſſe Dominum in ciuitatẽ Samariæ quæ dicitur Sichar, iuxta prędium quod dedit Iacob filio ſuo Ioſeph, in quo prædio erat fons Iacob: addidit: *Ieſus*, inquit, *fatigatus ex itinere, ſedebat ſic ſupra fontem.*

CAP. VII.

Ad puteum Iacob mulieri Samaritanæ Chriſtus ſe manifeſtans plurima myſticè loquitur, & multi Samaritanorum credunt in eum, dicẽtes, Vere hic eſt Saluator mundi.

VEnit Ieſus in ciuitatem Samariæ, quæ dicitur Sychar, iuxta prædium quod dedit Iacob Ioſeph filio ſuo. Erat enim ibi fons Iacob.] *Ieſus* inquit, *fatigatus itinere, ſedebat ſic ſuper fontem.* Super fontem videlicet puteũ, quem ſanctus Iacob Ioſeph filio ſuo dereliquerat. Quod prædium non tam Ioſeph, quàm Chriſto arbitror derelictum, cuius figuram ſanctus Ioſeph Patriarcha portauit, quem verè ſol adorat & luna, & omnes ſtellæ be-

nedicunt. Ad hoc prædium ideò venit Dominus, vt Samaritani, qui hæreditatem ſibi Patriarchę Iſraël vindicare cupiebat, agnoſcerent poſſeſſorem ſuum, & conuerterentur ad Chriſtum, qui legitimus Patriarchæ hæres eſt factus. Dicit Euangeliſta: *Ieſus autem fatigatus ex itinere, ſedebat ſic ſuper fontem.* Euangelica ſacramenta in Domini noſtri Ieſu Chriſti dictis factiſque ſignata, non omnibus patent, & ea nonnulli minus diligenter minuſque ſobriè interpretãdo aſſerunt, plerumque pro ſalute pernitiem, & pro cognitione veritatis errorẽ. Inter quæ illud eſt ſacramentum quod ſcriptum eſt, Dominum hora diei ſexta veniſſe ad puteũ Iacob, feſſumque ab itinere reſediſſe, à muliere Samaritana potum petiſſe, & cætera quæ in eodem loco ſcripturarũ diſcutienda, & pertractanda dicuntur. De qua re id primum tenendum eſt, quòd in omnibus ſcripturis ſumma vigilãtia cuſtodire oportet, vt ſecundum fidem ſit ſacramenti diuini expoſitio. Hora igitur diei ſexta, venit ad puteum Dominus noſter. Video in puteo tenebroſam profunditatẽ. Ammoneo ergo, intelligi mundi huius infirmas partes, id eſt, terrenas quò venit Dominus Ieſus hora ſexta, id eſt, ſexta ætate generis humani, tanquam ſenectute veteris hominis, quo iubemur exui, vt induamur nouo, qui ſecundum Deum creatus eſt. Nam ſexta ætas ſenectus eſt, quoniam prima eſt infantia, ſecunda pueritia, tertia adoleſcentia, quarta iuuentus, quinta grauitas. Veteris itaque hominis vita, quę ſecundum carnem temporali conditione peragitur, ſexta ætate, id eſt ſenectute concluditur, quia ſenectute, vt dixi, humani generis Dominus noſter creator nobis & reparator aduenit, vt moriente ſcilicet vetere homine, nouum in ſe conſtitueret, quem exutũ luto terreno in cœleſtia regna trãsferret. Ergo nunc puteus, vt dictum eſt, mundi huius terrenum laborem & errorem tenebroſa profunditate ſignificat. Et quoniam exterior eſt homo vetus, & nouus interior, dictum eſt ab Apoſtolo: *Etſi exterior homo noſter corrumpitur, interior autem renouatur de die in diem.* Rectiſſimè omnino, quoniam omnia viſibilia ad exteriorẽ hominẽ pertinent, quibus Chriſtiana diſciplina renũciat. Hora ſexta venit Dominus ad puteum, id eſt, medio die, vnde iam incipit ſol iſte viſibilis declinare in occaſum: quoniam & nobis vocatis à Chriſto ad inuiſibilium amorẽ, homo interior recreatus, ad interiorem lucem, quæ nunquam occidit, reuertatur; ſecundũ Apoſtolicam diſciplinã, non quærens quæ videntur, ſed quæ non videntur. Quæ enim videntur temporalia ſunt, quæ autem non videtur æterna ſunt. Quòd autem fatigatus venit ad puteum, infirmitatẽ carnis ſignificat: quòd ſedit, humilitatem, quia & imbecillitatẽ carnis pro nobis ſuſcepit, & homo hominibus tã humiliter apparere dignatus eſt. De hac infirmitate carnis Propheta dicit: *Homo in plaga poſitus, & ſciens ferre imbecillitatem.* De humilitate verò Apoſtolus loquitur dicẽs: *Humiliauit ſe, factus ſubditus vſque ad mortẽ.* Quamquã illud quod ſedit, quoniã ſolent ſedere dolores, poſſit alio intellectu nõ humilitatis modeſtiam, ſed magiſtri demonſtrare perſonam. Sed quæri poteſt, quare à muliere Samaritana, quæ aquæ implẽdæ gratia venerat, bibere poſtulauerit, cum ipſe poſtea ſpiritalis fontis affluentiam ſe petentibus dare poſſe prædicauerit? Sed ſcilicet, ſitiebat Deus mulieris illius fidem, quæ quoniã Samaritanã erat, & ſolet Samaria Idololatriæ imaginẽ ſuſtinere. Ipſi enim ſeparati à populo Iudæorum, ſimulacris mutorũ animalium, id eſt, vaccis aureis animarũ ſuarum dedecus adduxerant. Venerat autẽ Ieſus Dominus noſter, vt gentiũ multitudinem, quæ ſimulacris ſeruierat, ad munimentũ fidei Chriſtianæ, & incorruptæ religionis adduceret. *Non enim eſt, inquit, ſanis opus medicus, ſed male habentibus* Ergo eorum fidem ſitit, pro quibus ſanguinem fudit.

Ephes. 4.

Philip. 2.

Dixit ergo ad eam Ieſus: Mulier da mihi bibere.] Et vt noueris quid ſitiebat Dominus noſter, poſt paululum veniunt diſcipuli eius, qui perrexerant in ciuitatem vt cibos emerent. Et dicunt ei.

Rabbi manduca. Ille autem dixit eis: Ego aliã habeo eſcam mãducare quam vos neſcitis. Dicunt ergo diſcipuli eius ad alterutrũ: Nunquid aliquis attulit ei mãducare? Dicit ei Ieſus: Meus cibus eſt vt faciam voluntatem eius qui me miſit, & vt perficiam opus eius.] Nã quid hic intelligitur alia voluntas patris qui eum miſit, & opus eius quod perficere velle reſpõdit, niſi vt nos ad fidem ſuã à pernicioſo mundi errore conuerteret? Qualis eſt ergo cibus eius, talis & potus. quapropter hoc in illa muliere ſitiebat, vt faceret in ea voluntatem patris, & perficeret opus eius. Sed illa carnaliter intelligens reſpondit:

Tu cum ſis Iudæus, quomodo à me bibere poſcis, cũ ſim mulier Samaritana? Non enim coutũtur Iudæi Samaritanis.] Cui Dominus noſter dixit:

Si ſcires donum Dei, & quis eſt qui dicit tibi, Da mihi bibere, tu magis petiſſes ab eo, vt dediſſet tibi aquam viuam.] Vt hinc ei oſtenderet non ſe talem aquam petiſſe,

qualem ipſe intellexerat, ſed quia ipſe ſitiebat fidem eius, eidem ſitienti Spiritum ſanctum dare cupiebat. Hanc enim rectè intelligimus aquam viuam, quod eſt donum Dei, ſicut ipſe ait: *Si ſcires donum Dei*, & ſicut idem Ioannes teſtatur alio loco, dicens: *Quoniam ſtabat Ieſus, & clamabat: Si quis ſitit veniat & bibat. Qui credit in me, ſicut dicit ſcriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ.* Conſequenter omnino, *Qui credit in me*, inquit, *flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ*, quia primo credimus vt hæc dona mereamur. Hæc ergo flumina aquæ viuæ, quæ illi mulieri volebat dare, merces eſt fidei, quam prius ſitiebat. Cuius aquæ viuæ interpretationem ita ſubiicit: *Hoc autem dicebat*, inquit, *de Spiritu quem accepturi erant, hi qui in eum credituri erant.* Nondum autē erat ſpiritus datus, quia Ieſus nondum fuerat clarificatus. Hoc itaque donum, Spiritus ſanctus eſt, quod poſt ſuam clarificationē dedit Eccleſiæ, ſicut alia ſcriptura dicit: *Aſcendens in altum captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus.* Sed adhuc illa mulier carnaliter ſapit. Sic enim reſpondit:

Epheſ. 4.

Domine, neque hauritorium habes, & puteus altus eſt. Vnde mihi habes dare aquam viuam? Nunquid tu maior es patre noſtro Iacob, qui dedit nobis hunc puteum, & ipſe ex eo bibit, & filii eius & pecora eius?] Nunc verò iam Dominus exponit quid dixerit.

Omnis, inquit, *qui biberit de aqua iſta, ſitiet iterum. Qui autem de aqua quam dedero biberit, non ſitiet in ſempiternum. Sed aqua illa quam dedero, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam.*] Sed adhuc mulier prudentiam carnis amplectitur. Quid enim reſpondit?

Domine, da mihi hanc aquam, vt neque ſitiā, neque veniam huc haurire. Dicit ei Ieſus: Vade, voca virum tuum, & veni huc.] Cùm ſciret eam virum non habere, cur hoc dixerit? Quæritur enim, cum mulier dixerit, *non habeo virum?*

Dicit ei Ieſus: Bene dixiſti non habere te virum. Quinque enim viros habuiſti, & nunc quem habes non eſt tuus vir. Hoc verè dixiſti.] Sed non ſunt hęc carnaliter accipienda, ne huic ipſi adhuc mulieri Samaritanæ ſimiles eſſe videamur. Sed de illo dono Dei ſi aliquid iam guſtauimus, ſpiritaliter iſta tractemus. Quinque viros, quinq. libros, qui per Moſen miniſtrati ſunt, nonnulli accipiunt. Quod autem dictum eſt: *Et nunc quem habes non eſt tuus vir*, de ſeipſo Dominum dixiſſe intelligunt, vt iſte ſit ſenſus. Primo quinq. libris Moyſi, quaſi quinq. viris ſeruiſti. Nūc autem hic quem habes, id eſt, quem audis, non eſt tuus vir; quia nondum in eum credidiſti. Sed quoniā nondum credens Chriſto, adhuc vtique illorum quinque virorū, id eſt, quinque librorum copulatione tenebatur; poteſt mouere, quomodo dici potuerit, *quinque viros habuiſti*, quaſi nunc eos iam non haberet, cùm adhuc vtique ipſis ſubdita viueret? Deinde cùm quinque libri Moſi nihil aliud quàm Chriſtum prædicēt, ſicut ipſe ait: *Si crederetis Moſi, crederetis forſitan & mihi: ille enim de me ſcripſit*, quomodo poteſt intelligi à quinque illis libris recedere hominem, vt ad Chriſtum tranſeat? cùm ille qui credit in Chriſtū, non relinquendos quinque illos libros, ſed ſpiritaliter intellegendos multo beatiùs amplectatur? Eſt ergo alius intellectus, vt quinque viri intellegantur quinque corporis ſenſus. Vnus qui ad oculos pertinet, quo lucem iſtam viſibilem, & quoſlibet colores, formaſque corporum cernimus. Alter eſt aurium, quo vocum & omnium ſonorū momenta ſentimus. Tertius narium, quo varia odorum ſuauitate delectamur. Quartus in ore guſtus, dulcia & amara ſentit, & omnium ſaporū habet examen. Quintus, per totum corpus tangendo diiudicat calida & frigida, mollia & dura, lenia & aſpera, & quicquid aliud eſt quod tangendo ſentimus. Iſtis itaque carnalibus ſenſibus quinque prima hominis ætas imbuitur, neceſſitate naturæ mortalis, qua ita poſt peccatū primi hominis nati ſumus, vt nondum reddita luce mentis, carnalibus ſenſibus ſubditi, carnalem vitam ſine vlla veritatis intellegentia tranſeamus. Tales neceſſe eſt eſſe infantes, & paruulos pueros, qui nondum poſſunt accipere rationem. Et quia naturales ſunt iſti ſenſus, qui primam ætatem regunt, & Deo artifice nobis tributi ſunt, rectè dicuntur viri, id eſt mariti, tanquam legitimi, quoniam non eos error vitio proprio, ſed Dei artificio natura contribuit. Cùm autem quiſque venerit ad eam ætatē, cui vita poſſit capax eſſe rationis, ſi veritatem ſtatim comprehehendere potuerit, non iam illis ſenſibus rectoribus vtitur, ſed habebit ſpiritum virum rationalem, cui ſenſus illos in famulatum redigat, ſeruituti ſubiiciens corpus ſuum. Cum anima non iam viris quinque, id eſt, quinque corporis ſenſibus ſubdita eſt, ſed verbum diuinum habet legitimum virum, cui copulata inhærens, cum & ipſe ſpiritus hominis hæſerit Chriſto, quia caput viri Chriſtus eſt, amplexus ſpiritalia, ſine vllo ſeparationis timore æterna perfruitur vita. Quis nos enim ſeparare potuerit à charitate Chriſti? Sed quoniam illa mulier errore te-

1. Co
Rom

nebatur, quæ ſignificabat multitudinem ſæculi vanis ſuperſtitionibus ſubiugati, poſt tempora illa quinque carnalium ſenſuum, quibus prima ætas, vt diximus, regitur, non eam verbum Dei acceperat in coniugium, ſed complexu adulterino diabolus obtinebat. Itaque illi Dominus dicit, videns eam eſſe carnalem, id eſt, carnaliter ſapere: *Vade, voca virum tuum, & veni huc.* Id eſt, remoue te ab affectione carnali, in qua nunc conſtituta es, vnde non potes intellegere quæ loquor. *Et voca virum tuum,* id eſt, ſpiritu intelligentiæ præſens eſto. Eſt enim animæ quaſi maritus quodammodo ſpiritus hominis, qui animalem affectionem tanquam coniugem regit. Non ille Spiritus ſanctus, qui cum Patre & Filio incommutabiliter datur, ſed ſpiritus hominis, de quo Apoſtolus dicit: *Nemo ſcit quid eſt in homine niſi ſpiritus hominis.* Nam ille Spiritus ſanctus, ſpiritus Dei eſt, de quo iterum dicit: *Sic & quæ Dei ſunt nemo ſcit, niſi ſpiritus Dei.* Hic ergo ſpiritus hominis cũ præſens eſt, id eſt, intentus eſt, & ſe pietate ſubiicit Deo, intellegit homo quæ ſpiritaliter dicuntur. Cùm autẽ Diaboli error, tanquam abſente intellectu in anima dominatur, adulter eſt. *Voca ergo,* inquit, *virum tuum,* id eſt, ſpiritum qui eſt in te, quo poteſt homo intellegere ſpiritalia, ſi eum lux veritatis inluſtret. Ipſe adſit cùm loquor tibi, vt ſpiritalem aquam poſſis accipere. Et cùm illa diceret: *Non habeo virum, Bene,* inquit, *dixiſti. Quinque enim viros habuiſti,* id eſt, quinque ſenſus carnis te in prima ætate rexerunt, & nunc quem habes non eſt tuus vir, quia non in te eſt ſpiritus qui intellegat Deum, cum quo legitimum potes habere coniugium: ſed error Diaboli potius dominatur, qui te adulterina contaminatione corrumpit. Et fortaſſe vt intellegentibus indicaret, quinque memoratos corporis ſenſus quinque virorum nomine ſignificari, poſt quinque carnales reſponſiones iſta mulier ſexta reſponſione nominat Chriſtum. Nã prima eius reſponſio eſt: *Tu cum ſis Iudæus, quomodo à me bibere petis?* Secunda, *Domine, neque in quo haurias habes, & puteus altus eſt.* Tertia, *Domine da mihi hanc aquam, vt neque ſitiam, neque veniam huc haurire.* Quarta, *Non habeo virum.* Quinta, *Video quia Propheta es tu, Patres noſtri in monte hoc adorauerunt.* Nam iſta reſponſio carnalis eſt. Carnalibus enim datus fuerat locus terrenus, vbi orarent. Spiritales autem ſpiritu & veritate oraturos Dominus dixerat, quia poſtea quàm locutus eſt, ſexta mulieris reſponſio Chriſtum fatetur omnium iſtorum eſſe doctorem. Dicit enim.

Scio quia Meſsias venit, qui dicitur Chriſtus. Cum ergo venerit, ipſe nobis adnunciabit omnia.] Sed adhuc errat, quia eum quem venturũ ſperat, veniſſe non videt. Verumtamen miſericordia Domini nunc error iſte tanquam adulter expellitur. Dicit enim Ieſus:

Ego ſum qui tecum loquor.] Quo audito illa non reſpondit, ſed ſtatim relicta hydria ſua, abiit in ciuitatem feſtinans, vt Euangelium & Domini aduentum non tantùm crederet, ſed etiam prædicaret. Nec hoc quod relicta hydria diſceſſit, neglegenter prætereundum eſt. Hydria enim fortaſſe amorem ſæculi huius ſignificat, id eſt, cupiditatem, qua ſi homines de tenebroſa profunditate, cuius imaginem puteus gerit, hoc eſt, de terrena conuerſatione hauriunt voluptatem; qua percepta iterum in eius appetitu inardeſcunt, ſicut de aqua illa qui biberit, ſitiet iterum. Oportebat autem vt Chriſto credens ſæculo renunciaret, & relicta hydria, cupiditatem ſæcularem ſe reliquiſſe monſtraret; non ſolùm corde credens ad iuſtitiam, ſed etiam ad ſalutem ore confeſſura, & prædicatura quod credidit.

Dicit ei mulier: Domine video quia Propheta es tu.] Cœpit venire vir, ſed nondum plene venit. Prophetam Dominum putabat. Erat quidem & Propheta, nam de ſe ipſo ait: *Non eſt Propheta ſine honore, niſi in patria ſua.* Item de illo dictum eſt ad Moſen: *Prophetã eis ſuſcitabo de fratribus eorum ſimilem tui,* ſimilem ſcilicet ad formam carnis, non ad eminentiam maieſtatis. Ergo inuenimus Dominum Ieſum dictum Prophetam. Proinde iam multum errat mulier iſta, *Video,* inquit, *quia Propheta es tu.* Incipit virum adulterum excludere cùm ait, *Video quia Propheta es,* & incipit quærere quod illam ſolebat mouere. Contentio quippe fuerat inter Samaritanos & Iudæos, quia Iudæi in templo à Salomone fabricato adorabant Deum. Samaritani longè inde poſiti, non in eo adorabant; & eò Iudæi meliores ſe eſſe lætabantur, quia in templo adorabant Deum. *Non enim coutuntur Iudæi Samaritanis,* quia dicebãt eis, Quomodo vos iactatis, & ideo vos nobis meliores eſſe perhibetis, quia templum habetis quod nos non habemus? Numquid patres noſtri, qui Deo placuerunt, in illo templo adorauerunt? Nonne in iſto monte adorauerunt vbi nos ſumus? Melius ergo nos, inquiunt, in hoc monte Deum rogamus, vbi Patres noſtri rogauerunt. Contendebant vtrique ignari, quia virum non habentes, illi pro templo, iſti pro monte inflamabantur aduerſus ſe inuicem. Dominus tamen modo quid docet mulierem, tan-

quam cuius vir cœperit præſens eſſe? Dicit ei mulier: *Domine video quia Propheta es tu.*

Patres noſtri in monte hoc adorauerunt, & vos dicitis, quia Hieroſolymis adorare oportet. Dicit ei Ieſu: Mulier crede mihi, quia veniet hora quando neque in monte hoc, neque in Hieroſolymis adorabitis Patrem.] Veniet enim Eccleſia, ſicut dictum eſt in Canticis Canticorum: *Dilectus meus loquitur mihi, ſurge, propera amica mea, ſponſa mea, columba mea, immaculata mea, & veni: Iam enim hyems tranſiit, imber abiit & receſſit, flores apparuerunt in terra, tempus putationis aduenit, vox turturis audita eſt in terra noſtra.* Merito iam præſente viro audit: *Mulier crede mihi*, iam enim eſt in te qui credat, quia præſens eſt vir tuus. Cœpiſti adeſſe intellectu, quando me Prophetam appellaſti. Mulier crede mihi, quia niſi credideritis, non intellegetis: Ergo, *mulier crede mihi, quia veniet hora quando neque in monte hoc, neque in Hieroſolymis adorabitis patrem.* Vos adoratis quod neſcitis. nos adoramus quod ſcimus, quia ſalus ex Iudæis eſt. *Sed veniet hora & nunc eſt, quando veri adoratores adorabunt patrem, in ſpiritu & veritate.* Non in monte iſto, non in templo, ſed in ſpiritu & veritate.

Can. 2.

Spiritus eſt Deus.] Si corporeus eſſet Deus, oportebat eum adorari in monte, quia corporeus eſt mons. Oportebat eum adorari in templo, quia corporeum eſt templum. *Spiritus eſt Deus, & eos qui adorant eum in ſpiritu oportet adorare.* Nos adoramus quod ſcimus, vos adoratis quod neſcitis, quia ſalus ex Iudæis eſt. Multum dedit Iudæis, ſed noli iſtos reprobos accipere. Parietem illum accipe cui adiunctus eſt alius, vt pacati in lapide angulari, qui eſt Chriſtus, copularentur. Vnus enim paries à Iudæis, vnus à Gentibus. Longe à ſe iſti parietes diſtabant, donec in angulo * coniunguntur. Alienigenæ autem & hoſpites erant Gentes, & peregrini à teſtamento Dei. Secundum ergo hoc dictum eſt, Nos adoramus quod ſcimus. Ex perſona quidem Iudæorum dictũ eſt, ſed non omnium Iudæorum, non reproborum Iudæorum. Sed de qualibus fuerunt Apoſtoli, quales fuerunt Prophetæ, quales fuerunt illi omnes ſancti, qui omnia ſua vendiderunt, & pretia rerum ſuarum ad pedes Apoſtolorum poſuerunt. Non repulit enim Deus plebem ſuam quam præſciuit. Audiuit hoc mulier iſta, & addidit: *Iamdudum Prophetã dixerat.* Vidit alia dicere eum cum quo loquebatur, qui etiam plus eſſet quàm Propheta. Et quid reſpondit, videte. Dicit ei mulier, *Scio quia Meſſias veniet, qui dicitur Chriſtus, Cum ergo venerit, ille nobis omnia demonſtrabit.* Quid eſt hoc? Modo, inquit, de templo contendunt Iudæi, & nos de monte contendimus. Cùm ille venerit, montem ſpernet, & templum euertet. Docebit nos iſte omnia, vt in ſpiritu & veritate oportet adorare. Sciebat quis eam poſſet docere, ſed iam docentem nondum agnoſcebat. Iam ergo digna erat, cui manifeſtaretur. Meſſias autem vnctus eſt: vnctus enim græcè Chriſtus eſt, Hebraicè Meſsias. Ergo dicit ei mulier, *Scio quia Meſſias venit qui dicitur Chriſtus.* Cùm ergo venerit, ille nobis adnunciabit omnia.

* al. Chriſto.

Act. 4.

Dicit ei Ieſus, Ego ſum qui loquor tecum.] Vocauit virum ſuum, factus eſt vir caput mulieris, factus eſt Chriſtus caput viri. Iam mulier ordinatur in fide, & regitur bene victura †. Poſteaquã audiuit hoc, *Ego ſum qui loquor tecum*, iam vltra qui diceret, quando Chriſtus Dominus manifeſtare ſe voluit mulieri cui dixerat, *Crede mihi.*

Et continuo venerunt diſcipuli eius, & mirabantur, quia cum muliere loquebatur.] Quia quærebat perditam, qui venerat quærere quod perierat, hoc illi mirabantur. Bonum enim mirabantur, non malum ſuſpicabantur.

Nemo tamen dixit, Quid quæris? aut, Quid loqueris cum ea? Reliquit ergo hydriam ſuam mulier, & abiit ad ciuitatem.] Audito, *Ego ſum qui loquor tecum*, & recepto in corde Chriſto Domino, quid faceret niſi iam hydriam dimitteret, & Euangelizare curreret? Proiecit cupiditatem, & properauit adnunciare veritatem. Diſcant qui volunt Euangelizare, proiiciant hydriam ad puteum. Recordamini quid ſuperius dixerim de hydria. Hydria vas erat vnde aqua hauriebatur. Græco nomine appellatur hydria, quoniam Græcè, aqua, ὕδωρ dicitur, tanquam ſi aquarium diceretur. Proiecit ergo hydriam, quæ non iam vſui, ſed oneri fuit. Auida quippe, deſiderabat aqua illa ſatiari, vt nunciaret Chriſtum. Onere abiecto cucurrit ad ciuitatem, & dicit illis hominibus.

Venite, & videte hominem, qui dixit mihi omnia quæcunque feci.] Proiecit hydriam, & abiit, & nunciauit ciuitati pedetentim, ne illi quaſi iam iraſcerentur, & indignarentur, & perſequerentur. Ait enim, *Venite*, inquit, *& videte hominem, qui dixit mihi omnia quæcunque feci.*

Nunquid ipſe eſt Chriſtus? Exierunt de ciuitate, & veniebant ad eum, & rogabant eum diſcipuli dicentes: Rabbi, manduca. Ierant enim emere cibos & venerant. Ille autem dixit: Ego cibum habeo manducare, quem vos neſcitis. Dicebant ergo diſcipuli ad inuicem: Numquid aliquis attulit ei manducare?] Quid mirum ſi mulier illa non intellegat aquam? Ecce diſcipuli nondum

intellegunt eſcam. Audiuit autem cogitationes illorum, & iam inſtruit vt magiſter; non per circuitum ſicut illa cuius adhuc virum requirebat, ſed iam apertè dicit eis Ieſus: *Meus*, inquit, *cibus es, vt faciam voluntatem eius qui me miſit*. Ergo & potus ille erat, in illa muliere, vt faceret voluntatem eius qui eum miſit. Ideo dicebat: *Sitio, da mihi bibere*. Scilicet vt fidem in ea operaretur, & fidem eius biberet, & eam in corpus ſuum traiceret. Corpus enim eius eſt Eccleſia. *Ergo*, inquit, *ipſe eſt cibus meus, vt faciam voluntatem eius qui me miſit*.

Nonne vos dicitis quod adhuc quatuor menſes ſunt, & meſſis?] In opus feruebat, & operarios mittere diſponebat. Vos quatuor menſes computatis ad meſſem, ego vobis aliam meſſem albam & paratam oſtendo.

Ecce dico vobis, leuate oculos veſtros, & videte quia iam albæ ſunt regiones ad meſſem.] Ergo meſſores miſſurus eſt? *In hoc enim eſt verbum verum, quia alius eſt qui metit, & alius qui ſeminat, vt & qui ſeminat, ſimul gaudeat & qui metit.*

Ego miſi vos metere quod vos non laboraſtis. Alij laborauerunt, & vos in eorum laborem introiſtis.] Quid ergo? Meſſores miſit, non ſeminatores. Quò meſſores? vbi iam alij laborauerunt. Nam vbi iam laboratum erat, vtique ſeminatum erat. Et quod ſeminatum erat, iam maturum factum, falcem & trituram deſiderabat. Quò ergo erant meſſores mittendi? vbi iam Prophetæ prædicauerunt. Ipſi enim ſeminatores. Nam ſi ipſi non ſeminatores, ſed meſſores erant, vnde ad illam mulierem peruenerat quæ ait: *Scio quia Meſſias venit?* Iam iſte, mulier, fructus maturus erat, & erant albæ meſſes, & falcem quærebant. Miſi vos, quò? Metere quod non ſeminaſtis. Alij ſeminauerunt, & vos in eorum labores introiſtis. Qui laborauerunt? ipſe Abraham, Iſaac, & Iacob. Legite labores illorum, in omnibus eorum laboribus eſt Prophetia Chriſti. Et ideo ſeminatores, Moſes & cæteri Patriarchæ, & omnes prophetæ, quanta pertulerunt, in illo frigore quando ſeminabant? Ergo iam in Iudæa meſſis parata erat, merito ibi tamquam matura ſeges fuit, quando tot milia hominum precia rerum ſuarum afferebãt; & ad pedes Apoſtolorum ponentes, expeditis humeris à ſarcinis ſæcularibus, Chriſtum Dominum ſequebantur. Verè matura meſſis. Quid indè factum eſt? De ipſa meſſe iecta ſunt pauca grana, & ſeminauerunt orbem terrarum, & ſurgit alia meſſis, quæ in fine ſæculi metenda eſt. De ipſa meſſe dicitur: *Qui ſeminant in lachrymis, in gaudio metent.* Ad iſtam ergo meſſem non Apoſtoli, ſed Angeli mittuntur. *Meſſores*, inquit, *Angeli ſũt*. Iſta ergo meſſis creſcit inter zizania, & expectat in fine purgari. Illa ergo meſſis iam matura erat, quò prius miſsi ſunt diſcipuli, vbi prophetæ laborauerunt. Sed tamen fratres videte quid dictum ſit: *Simul gaudeat & qui ſeminat & qui metit?* Diſparis temporis labores habuerunt, ſed gaudio pariter perfruentur, mercedem ſimul accepturi ſunt vitam æternam.

Ex ciuitate autem illa multi crediderũt in eum, propter ſermonem eius, non propter verbum mulieris teſtimonium perhibentis, quia dixit mihi omnia quæcunque feci. Cùm veniſſent autem ad illum Samaritani, rogauerunt vt apud eos maneret. Et manſit ibi duos dies, & multo plures crediderunt propter ſermones eius, & mulieri dicebant: Quia iam nõ propter tuam loquelam credimus, ipſi enim audiuimus & ſcimus, quia hic eſt verè ſaluator mundi.] Et hoc paululum animaduertendũ eſt, quia lectio terminata eſt. Mulier prima nunciauit, & ad mulieris teſtimonium crediderunt Samaritani. Et rogauerunt eum vt apud eos maneret, & manſit ibi biduo, & plures crediderunt. Et cùm crediſſent dicebant mulieri: *Non iam propter verbum tuum credimus, ſed ipſi cognouimus & ſcimus, quia hic eſt vere ſaluator mundi.* Primo per famam, poſtea per præſentiam. Sic agitur hodie cum eis qui foris ſunt, & nondum ſunt Chriſtiani. Chriſtus nunciatur per Chriſtianos amicos, tanquam illa muliere, hoc eſt, Eccleſia annunciante, ad Chriſtum veniunt. Credunt per iſtam famam, manet apud eos biduo, hoc eſt, dat illis duo præcepta charitatis, & multo plures in eum credunt firmiùs, quoniam vere ipſe eſt ſaluator mũdi.

Poſt duos autem dies exijt inde, & abijt in Galilæam. Ipſe enim Ieſus teſtimonium perhibuit: quia Propheta in ſua patria honorem non habet.] Confirmatis verò in fide & charitate Samaritanis, id eſt, Gentibus, reuertitur nouiſſimis diebus huius ſæculi in patriam, in qua nec dum honorem habuit. De qua ipſe in hoc loco teſtatur, quia Propheta in ſua patria honorem non habet. In patria verò miracula fecit, & non crediderunt in eum. In Samaria non fecit, tamen crediderũt, vnius feminæ teſtimonio incitati. Mundus credidit Apoſtolicæ Eccleſiæ prædicatione, quæ eſt vna columba, incitatus. Patriæ vero terrenæ nec ipſo Chriſto prædicante, niſi pauci crediderunt. Et hoc eſt, quod in alio loco eiuſdem Euangelij ait: *Qui credit in me, opera quæ ego facio & ipſe faciet, & maiora horum faciet.* Maiora opera fuerunt totius mundi fides per Apoſtolicam prædicationẽ, quàm

Chriſti,qui in Iudæa paucos admodum ſaluauit,in tantum paucos, vt diſcipuli ſui penè omnes præter duodecim dimiſerint eũ, ſicut dictum eſt: *Ex hoc multi diſcipulorum eius abierunt retro, & iam cum illo non ambulabant.*

Cum ergo veniſſet in Galilæam, exceperunt Galilæi,cum omnia vidiſſent quæ fecerat Hieroſolymis in die feſto, & ipſi aſcenderunt ad diem feſtum.] Forte miraculorum curioſitate incitati, non voluntate prædicationis audiendæ.

Venit ergo iterum Ieſus in Cana Galilææ, vbi aquam vinum fecit.] Quaſi diceret, Quamuis plena domus eſſet diſcumbentium, vbi miraculum in conſpectu illorum fecit Chriſtus, tamen pauci crediderunt in eum, dicente Euangeliſta: *Et crediderunt in eum diſcipuli eius.* Et forſitan ad verecundiam dictum eſt ciuium ſuorum, & ad laudem alienigenarum. Nam Galilæi ciues fuerunt Chriſti, & Samaritani alienigenæ fuerunt, vt in ſacra legitur hiſtoria.

CAP. VIII.

Reguli cuiuſdam filius ægrotans abſentis Domini voce ſanatur.

E*Rat autem quidam regulus, cuius filius infirmabatur Capharnaum.*] Regulus vero,diminutiuum nomen eſt à rege.Et ideo forſitan regulus dicitur iſte, qui ſalutem popoſcit filio ſuo,quia plenam non habuit fidem. Habuit & non habuit,ideo audiuit: *Niſi ſigna & prodigia videritis,non creditis.* Qui enim ſalutem quærebat pro filio, proculdubio credebat:Neque enim ab eo quæreret ſalutem,quem nõ crederet Saluatorem. Quare ergo dicitur,niſi ſigna & prodigia videritis non creditis,qui antè credebat quàm ſignũ videret? Sed mementote quod petiit, & aperte cognoſcetis, quia in fide dubitauit. Popoſcit namque vt deſcenderet, & ſanaret filium eius. Corporalem ergo præſentiam Domini quærebat, qui per ſpiritum nuſquam deerat. Minus itaque in illo credidit, quem non putauit poſſe ſalutem dare, niſi præſens eſſet & corpore. Si enim perfectè crediſſet, proculdubio ſciret quia non eſſet locus,vbi non eſſet Deus.Ex magna ergo parte diffuſus eſt, quia honorem non dedit maieſtati,ſed præſentiæ corporali. Et ſalutem itaque filio petiit, & tamen in fide dubitauit, quia eum ad quem venerat & potentem ad curandum credidit, & tamen morienti filio eſſe abſentem putauit Deum. Sed Dominus qui rogatur vt vadat,quia non deſit, vbi inuitatur indicat.Solo iuſſu ſalutem reddidit, qui voluntate omnia creauit. Qua in re,hoc eſt nobis ſolerter intuendum, quoniam ſicut alio Euangeliſta atteſtante didicimus, *Centurio ad Dominum venit dicens: Domine puer meus iacet paralyticus in domo, & malè torquetur.* Cui à Ieſu protinus reſpondetur: *Ego veniam, & curabo eum.* Quid eſt,quod Regulus rogat vt ad eius filium veniat, & tamen corporaliter ire recuſat? Ad ſeruum verò Centurionis non inuitatur, & tamen ſe corporaliter ire pollicetur? Reguli filio per corporalem præſentiam non dignatur adeſſe, Centurionis ſeruo non dedignatur occurrere. Quid eſt hoc? niſi quod ſuperbia noſtra retunditur, qui in hominibus non naturam, qua ad imaginem Dei facti ſunt, ſed honores & diuitias veneramur? Cumque penſamus quæ circa eos ſunt, profectò interiora minimè peruidemus. Dum ea conſideramus quæ in corporibus diſpecta ſunt, neglegimus penſare quod ſunt. Redemptor verò noſter vt oſtenderet, quia quæ alta ſunt hominum ſanctis diſpicienda ſunt, & quæ diſpecta ſunt hominum diſpicienda non ſunt ſanctis, ad filium Reguli ire noluit,& ad ſeruum Centurionis ire paratus fuit. Increpata eſt ergo ſuperbia noſtra, quæ neſcit penſare homines propter homines.Sola, vt diximus,quæ circunſtant hominibus, penſat, naturam non aſpicit, honorem Dei in hominibus non agnoſcit. Ecce ire non vult filius Dei ad filium Reguli, & tamen venire paratus eſt ad ſalutem ſerui. Hoc eſt quod Apoſtolus ait: *Infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia.*

Credidit homo ſermoni quem dixit ei Ieſus, & ibat.] Incipit enim iam fidem habere in ſermone Ieſu, & ideo ſanitatem meruit filij. Et qui ex parte dubius venit, fidelis receſſit,& ideo ſanitatem meruit filij.

Iam autem eo deſcendente, ſerui occurrerunt ei, nunciãtes quod filius eius viueret. Interrogauit ergo horã ab eis in qua melius habuerat. Dixerunt ei: Quia heri hora ſeptima reliquit eũ febris.] Septenarius numerus, ſanctificatus eſt in donis Spiritus ſancti,in quo ſanitas omnibus credentibus conſtat,quia in ſancto Spiritu,qui eſt donum Dei, remiſſio eſt omnium peccatorum credentibus. Septenarius quoque numerus ſi diuiditur in tria & quatuor, ſanctam Trinitatem ſignificat in ternario numero, & omnium creaturarum perfectionem in quaternario, propter quatuor elementa plenaria, & quatuor plagas mundi, & quatuor anni tempora. Quæ omnia ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo creata ſunt,

conſtant & gubernantur. Quomodo in ipſo viuimus, mouemur & ſumus.

Cognouit ergo pater, quia illa hora erat, in qua dixit ei Ieſus, Filius tuus viuit. Et credidit ipſe, & domus eius tota, quia nunciatus eſt ei filius eius ſanus.] Ad ſolum ergo ſermonem crediderunt plures Samaritani, ad illud autem miraculum ſola domus credidit. Quæ res prętendit in multitudine fidem Gentium, & in paucitate fidem Iudæorum. Gentes verò ſolo ſermone, id eſt, prædicatione Apoſtolica crediderunt. Iudæi verò ſigna viderunt ipſum Dei filium facientem, & tamen pauci crediderunt ex eis.

LIBER TERTIVS.

DElectatio diuinorum eloquiorum, & dulcedo intellegendæ ſanctæ ſcripturæ, & maximè humilis Euangelicæ veritatis in qua verborum honeſta ſimplicitas patet, & ſenſuum alta profunditas latet, adiuuante ipſo Domino, qui dat ſuauitatem vt terra noſtra det fructum ſuum, & nos ad loquendum, & vos ad audiendum exhortatur. Atque vtinam tam efficax nobis eſſet loquendi ſenſus, quàm vobis ſtudioſa audiendi data eſt diligentia, dum video ſine faſtidio vos audire, & gaudeo palato cordis veſtri, à quo id quod ſalubre eſt non reſpuitur, ſed cum auiditate percipitur, & vtiliter continetur. Loquamur ergo vobis & nunc de Euangelica lectione, in qua duo pariter miracula humanæ ſanitatis leguntur, vnum inuiſibiliter per Angelicam adminiſtrationem, alterum per dominicam præſentiam viſibiliter exhibitum. Sed vtriuſque nobis ſunt breuiter exponenda myſteria, ne prolixæ lectionis prolixa quoque explanatio cuiquam forte grauior exiſtat.

CAP. IX.

Hominem triginta octo annos habentem infirmitate ſua Ieſus dicendo, Tolle grabatum tuum, & ambula, *in Sabbato curauit; æqualem ſe qui erat faciens Deo.*

POſt hæc erat dies feſtus Iudæorum, & aſcendit Ieſus Hieroſolymam. Eſt autem Hieroſolymis Probatica piſcina, quæ cognominatur Hebraicè Betſaida, quinque porticus habens. In his iacebat multitudo magna languentium, cæcorum, claudorum, aridorum, expectantium aquæ motū. Angelus autem Domini ſecundum tempus deſcen- A *debat in piſcinam, & mouebatur aqua. Et qui prior deſcendiſſet in piſcinā poſt motionem aquæ, ſanus fiebat à quacūque detinebatur infirmitate.*] Probatica piſcina, quæ quinque porticibus cingebatur, populus eſt Iudæorum, legis vndique cuſtodia ne peccare debeat munitus. Rectè etenim lex, quæ quinque libris Moſi deſcripta eſt, quinario numero figuratur. Rectè populus, qui in quibuſdā munditiam vitæ ſeruare, in quibuſdam verò ſolebat immundorum ſpirituum tentamentis agitari, per aquam ſignificatur piſcinæ, quæ nunc placida ventis ſtare, nunc eis ir- B ruentibus turbari conſueuerat. Et benè piſcina eadem probatica vocatur: Probata quippe Græcè, oues dicuntur. quia erant nimirum in illo populo qui dicere Domino noſſent: *Nos autem populus tuus, & oues gregis tui, confitebimur tibi in ſæcula.* Pſalm. 78. Vulgo autem probatica, id eſt, pecualis piſcina fertur appellata, quod in ea ſacerdotes hoſtias lauare conſueuerint. Multitudo languentium quæ in memoratis porticibus iacebat, aquæ motum expectans, ſignificat eorum cateruas, quæ legis verba audientes, ſuis ſe C hanc viribus implere non poſſe dolebant. Atque ideò Dominicæ auxilium gratiæ totis animæ affectibus implorabant. Cæci erant, qui nec dum perfectum fidei lumen habebant. Claudi erant qui bona quæ nouerant, operandi greſſibus implere nequibant. Aridi, qui quamlibet oculum ſcientiæ habentes, pinguedine tamen ſpei & dilectionis egebant. Tales in quinque porticibus iacebant, ſed non niſi in piſcina Angelo veniente ſanabantur, quia per legem cognitio peccati, gratia autem remiſſionis Rom. 3. non niſi per Ieſum Chriſtum facta eſt. Hūc D deſignat Angelus, qui inuiſibiliter deſcendens in piſcinam, ad ſuggerendam vim ſanandi, mouebat aquam. Deſcendit enim carne indutus magni conſilij Angelus, id Eſa. 9. eſt, paternæ voluntatis nuncius, in populum Iudæorum, & mouit peccatores factis ac doctrina ſua, vt occideretur ipſe, qui ſua morte corporali non ſolùm ſpiritaliter lan- E guentes ſanare, ſed & mortuos viuificare ſufficeret. Motus ergo aquæ paſsionem Domini, qua mota turba à Iudæorum gente facta eſt, inſinuat. Et quia per eandem paſſionem redempti ſunt credentes à maledicto legis, quaſi deſcendentes in aquam piſcinæ turbatam ſanabantur, qui eatenus iacebant in porticibus ægroti. Legis ſiquidem litera, quæ neſcientes quid agendum, quid vitandum eſſet docuit, nec tamē edoctos vt ſua decreta complerentur adiuuit, quaſi eductos de ſedibus ignorantiæ prio-

ris, in porticibus ſuis continebat, nec ſanabat languidos. Gratia autem Euangelij, quæ per fidem ac myſterium Dominicæ paſſionis ſanat omnes languores iniquitatum noſtrarum, à quibus in lege Moſi non potuimus iuſtificari, quaſi eiectos de porticibus legis ægrotos in aquam piſcinæ turbidam vt ſanari poſſint immittit; quia à peccatis quæ lex oſtenderat, per aquam baptiſmatis abluit, teſtante Apoſtolo: *Quia quicunque baptizati ſumus in Chriſto Ieſu, in morte ipſius baptizati ſumus; conſepulti enim ſumus cum illo per baptiſmum in mortem, vt quomodo ſurrexit Chriſtus à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus.* Benè autem dicitur, quia qui primus deſcendiſſet poſt motum aquæ ſanus fiebat à quocumque languore tenebatur, quia vnus Dominus, vna fides, vnum baptiſma, vnus Deus. Et qui in vnitate Catholica Chriſti myſteriis imbuitur ſanus fit à quocumque peccatorum languore detinebatur. Quiſque autem ab vnitate diſcrepat, ſalutem quæ ab vno eſt conſequi non valet. Hæc de primo Euangelicæ lectionis miraculo, quod Dominus dedit, locuti. Nunc de ſecũdo quod ipſe dederit, fraternitati veſtræ loquamur, in quo etiam ipſo vnus commendatur ſanatus: non quia omnipotentis pietas Saluatoris omnes quos ibi languentes inuenit ſanare nequit, ſed vt doceret præter vnitatem Catholicę fidei, nullum cuilibet locum patere ſalutis.

Rom. 6.

Epheſ. 4.

Erat autem quidam homo ibi, inquit, *triginta & octo annos habens in infirmitate ſua.*] Homo iſte multorum infirmitate detentus annorum, ſignificat peccatorē quemlibet, enormi ſcelerum magnitudine vel numeroſitate depreſſum. Cuius ſignificando reatũ, etiam motus temporis quo iſte languebat congruit, nam duodequadraginta annos habebat in infirmitate. Quadragenarius autem numerus, qui denario quater ducto conficitur, pro perfectione rectæ conuerſationis ſolet in ſcripturis accipi, quia quiſquis perfectā conuerſationem egerit, legis profecto decalogum per quatuor ſancti Euangelij libros implet. Ad quam nimirum perfectionem duo minus habet, quia Dei & proximi dilectione, quam legis pariter & Euangelij ſcriptura commendat, vacuus incedit. Quod etiam myſticè Dominus ſanans infirmum docuit, cum ait.

Surge, tolle grabbatum tuum, & ambula.] Surge enim dicitur, vitiorum torporem quibus diu languebas excute, & ad exercitium virtutum, quibus perpetuo ſalueris, erigere. Tolle grabbatum tuum, id eſt, porta. Diligis proximum tuum? Patienter eius infirma tolerando porta, qui te adhuc tentationum faſce depreſſum diu patienterque ſuſtinuit. *Alter, enim, alterius onera portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti.* Et ſicut alibi dicitur: *Supportãtes inuicem in charitate, ſollicti ſeruare vnitatem ſpiritus in vinculo pacis.* Ambula autem, toto corde, tota anima, tota virtute Deum dilige, & vt ad eius viſionem pertingere merearis, cottidianis bonorum operum paſſibus de virtute in virtutem progredere. Nec fratrem quem ſufferendo ducis, ob amorem eius ad quem pergis deſeras. Nec ob fratris amorem, ab illo quærendo, cum quo manere deſideras, intentionem recti inceſſus auertas. Sed vt perfectè poſsis ſaluari, ſurge, tolle grabbatum tuum & ambula, id eſt, relinque peccata priſtina, neceſsitatibus fratrum ſucurre, & in vniuerſis quæ agis, vide ne in hoc ſeculo mentem figas; ſed ad videndum faciem tui feſtines Redemptoris. Surge bona operando, porta grabbatum diligendo proximũ, & ambula expectando beatam ſpem & aduentum gloriæ magni Dei. Sed ô mira perfidorum dementia! qui ad tam inopinatam diu languentis ſanationem credere ac ſpiritaliter ſanari debuerant, è contra ſcandalizantur, & ſaluato pariter ac Saluatori calumnias ſtruunt. Saluato quidem, quia Sabbato grabbatum tulerit. Saluatori autem, quia Sabbato illum ſaluari & grabbatum tolli pręceperit, quaſi melius ipſe diem Sabbati, quàm tanta diuinitatis potentia noſſet.

Dicebant, inquit, *Iudæi, illi qui ſanus fuerat: Sabbatum eſt, nõ licet tibi tollere grabbatum tuũ.*] Literam legis ſtultè defendebant ignorando diſpenſationem eius, qui legis quondam edicta per ſeruum decernens, nunc ipſe adueniens, eandem legem gratia mutare diſpoſuit; vt quod iuxta literam diu carnales carnaliter obſeruabant, deinceps ſpiritales ſpiritaliter obſeruandum cognoſcerent. Sabbato quippe † carnali, quod iuxta literam cuſtodiebat populus, ab omni opere ſeruili die ſeptima vacare præceptus eſt. Spiritale autem Sabbatum eſt in luce gratiæ ſpiritalis, quę ſeptiformis accipitur; quia non vna, ſed omni die, nos ab inquietudine vitiorum manere feriatos oportet. Si enim iuxta vocem Dominicam, *Omnis qui facit peccatum ſeruus eſt peccati*, patet liquido, quia peccata recte opera ſeruilia intelleguntur, à quibus quaſi in die ſeptima in præceptione gratiæ ſpiritalis, immunes incedere iubemur, nec ſolùm à prauis contineri, ſed & bonis inſiſtere factis. In hac quoq; lectione

† al. dem.

Dominus

Dominus typicè oſtendit, cum eũ qui duodequadraginta annos lãguebat, in die Sabbati non ſolum ſurgere, verum etiam grabbatum tollere & ambulare præcepit. Videlicet inſinuans, eos qui lõgo vitiorum languore tabeſcũt, & Dei ac proximi dilectione inanes, quaſi à perfecta virtutũ ſumma, duo minus habent, iam per donum ſancti Spiritus à vitiis poſſe reſurgere, eorumque excuſſo torpore, cum fraternæ dilectionis onere, ad viſionem debere ſui properare conditoris. Nam ſequitur.

Poſtea inuenit eum Ieſus in templo, & dixit ei: Ecce ſanus factus es, iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.] Quod autem is qui ſanatus eſt, Ieſum non in turba adhuc poſitus, ſed poſt in templo cognoſcit, myſticè nos inſtituit, vt ſi vere cõditoris noſtri gratiam cognoſcere, ſi eius amore confirmari, ſi ad eius viſionem peruenire deſideramus, fugiamus ſollicitè turbam, non ſolum turbantium nos cogitationum affectuumque prauorum, verum etiam hominũ nequam, qui noſtræ ſynceritatis poſſunt impedire propoſitum, vel mala videlicet exemplo ſuo monſtrando, vel bona noſtra opera deridendo, aut etiam prohibendo. Confugiamus ſeduli ad domum orationis, vbi ſecreta libertate Dominum inuocantes, & de perceptis ab eo beneficijs gratias agamꝰ, & de perceptionis humili deuotione precemur. Immo etiam ipſi templum Dei ſanctũ, in quo venire & manſionem facere dignetur, exiſtere curemus, audientes ab Apoſtolo: 1. Cor. 6. *Quia corpus veſtrum templum eſt Spiritus ſancti, qui in vobis eſt.* Inter quæ diligentius intuendum, fratres mei, quod inueniens in templo quem ſanauerat, Dominus ait illi.

Ecce ſanus factus es, iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid cõtingat.] Quibus verbis aperte monſtratur, quia propter peccata languebat, nec niſi dimiſſis eiſdẽ peccatis poterat ſanari, ſed qui foris ab infirmitate, ipſe etiã intus ſaluauit à ſcelere. Vnde & cautè præmonuit, ne amplius peccando grauioris ſibi ſententiam damnationis contraheret. Quod non ita ſentiendum eſt, quaſi omnis qui infirmatur, ob peccata infirmetur. 2. Cor. 12. Sæpè infirmatur homo ne extollatur in donis Dei, ſicut de Paulo Apoſtolo legitur. Sæpe vt probetur tribulatur, ſicut beati Iob patientia, tribulata & probata eſt. Sæpe infirmitas pro caſtigatione datur, vt illud, Heb. 12. *Flagellat Deus omnem filium quem recipit.* Quibuſdam vero infirmitas pro gloria Dei datur, vt de cæco nato vel de Lazaro legitur. Nouit Dominus pro quo quemlibet iubeat infirmari, vel dimittat ſæpè occulto hominibus iudicio, ſed numquam iniuſto. Sed diſcamus flagellis piiſſimi Redemptoris noſtri humiliter ſubſterni, arbitrantes nos minus pati quam meremur, ſemper illius ſententiæ memores: Iob. 5. *Quia beatus homo qui corripitur à Domino.* Et ipſi in Apocalypſi: Apo. 3. *Ego,* inquit, *quos amo, arguo & caſtigo.* Longæuo autem languenti interius exteriuſque ſanato, id eſt, & à flagellis apertæ caſtigationis, & à peccatis quibus hæc merebatur erepto. Iudæi è contra malè intus languidi iam deterius ægrotare incipiunt, perſequendo videlicet Ieſum qui hoc faceret in Sabbato. Perſequebantur autem eum quaſi legis autoritatem ſimul & diuinæ operationis exempla ſecuti, quia & Dominus ſex diebus mundi perfecta creatione, ſeptimo requieuit ab omnibus operibus ſuis, & populum ſex diebus operari, ſeptimo vacare præceperit. Non intellegentes quia carnalia legis decreta paulatim erant ſpirituali interpretatione mutanda, apparente illo qui non tantum legiſlator, ſed & finis legis eſt Chriſtus, ad iuſtitiam omni credenti. Rom. 10. Neque animaduertentes, quia conditor in die ſeptima non ab opere mundanæ gubernationis & annuæ, immo cottidiana rerum creaturarum ſubſtitutione, ſed à noua creaturarum inſtitutione ceſſauit. Quod verò dicitur, *Requieuit Deus in die ſeptimo ab omnibus operibus ſuis*, ita intellegendum eſt, ceſſaſſe Deum à nouarum conditione creaturarum. Quid verò hic ipſa Veritas ait?

CAP. X.

Quod ſicut Pater ſuſcitat mortuos, ſic & Filius: & quòd æqualiter cum Patre ſit honorandus. Et in quo credentes tranſeant de morte ad vitam. Venturam quoque pronunciat horam, qua de monumentis boni malique reſurgent.

Pater meus vſque modo operatur & ego operor.] Operatur Pater & Filius, vt naturarũ diuerſitas permaneat, quæ in prima conditione mundi conditæ ſunt. Ideo dictum eſt in Pſal. *Qui finxit ſingillatim corda eorum;* non incognita animarum genera, ſed eiuſdem ſubſtantiæ animas, quæ in primo homine cõdita eſt, reformat. quapropter Pſalmiſta cùm non ſolùm primordialem mundi creationem, ſed & cottidianam creaturę gubernationem ad laudem Creatoris referret, ait inter cætera: Pſalm. 103. *Omnia in ſapientia feciſti.* Si autem Chriſtum Dei virtutem & Dei ſapientiam rectè confitemur, & omnia in ſapientia fecit, ac regit Deus; conſtat

nimirum, quia Pater vſque modo operatur, operatur & Filius. Ergo Pater meus, inquit, non ſolũ ſex, vt putatis, dieb. primis operatus eſt, verũ vſq. modo operatur, non nouũ creaturæ genus inſtituẽdo: ſed quæ in principio creauerat, ne deficiant propagando. Et ego operor, ſubauditur vſque modo, cũ eo cuncta diſponẽs, regens, accumulãs. Ac ſi apertè dicat: Quid mihi inuidetis? cur me vituperatis cæci legis lectores, quòd in forma hominis Sabbato ſalutẽ vnius hominis operatus ſim? qui in natura diuinitatis vnà cũ Deo patre totũ genus humanum, immo totam mundi machinã, & cuncta viſibilia & inuiſibilia quietus ſẽper operor? Sed ipſi talis ac tãti myſterij minus capaces, propterea magis quærebant eũ interficere, quia nõ ſolùm ſoluebat ſabbatum, ſed & Patrẽ ſuũ dicebat Deum, æqualem ſe faciens Deo. In eo maximè dolebant, quia is quẽ verum ex infirmitate carnis hominem cognouerant, verum ſe Dei filium credi voluiſſet, id eſt, non gratia adoptatum vt cæteros ſanctos, quibus loquitur Propheta: *Ego dixi, dij eſtis, & filij Excelſi omnes*, ſed natura, Patri per omnia æqualem. Notandum ſane quòd dictum eſt, *æqualem ſe faciens Deo*, à Iudæorum perſona dictum, qui putabant Dominum Ieſum prædicando ſe facere quod nõ eſſet, & non veraciter intimare quod eſſet.

Comoti igitur Iudæi & indignati ſunt.] Merito quidem quod audebat homo æqualem ſe facere Deo, ſed ideò immerito, quia in homine non intellegebant Deum. Carnem videbant, Deum neſciebant: habitaculum cernebant, habitatorem ignorabant. Caro enim illa tẽplũ erat, Deus inhabitabat intus. Non ergo Ieſus carnem æquabat patri, non formam ſerui Domino comparabat. Non quod factum eſt propter nos, ſed quod erat quãdo fecit nos. Quis nãq; ſit Chriſtus, catholicis loquor, noſtis, quia benè credidiſtis non Verbum tantum, ſed *Verbũ caro factum eſt, & habitauit in nobis*. Recenſete de Verbo quod noſtis. In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Dic æqualitas cum patre. Sed *Verbũ caro factum eſt, & habitauit in nobis*. Hac carne maior eſt pater. Ita pater & æqualis & maior. Æqualis Verbo, maior carne. Æqualis ei per quem fecit nos, maior eo qui factus eſt propter nos. Cõmotis verò & turbatis Iudæis quia ſe æqualem Chriſtus patri fecit, qui hominem tantummodo intellexerunt, non Deum. Carnem viderunt, diuinitatem non crediderunt. Dixit enim.

Non poteſt a ſe filius facere quicquam, niſi quod viderit patrem facientem.] Non alia opera facit pater quæ videat Filius, & alia Filius cũ viderit patrem facientem, ſed eadem opera ipſe pater & Filius facit. Secutus enim ait.

Quæcũque ille fecerit, hæc filius ſimiliter facit.] Non cum ille fecerit, alia filius ſimiliter facit: ſed quæcunque ille fecerit, hæc & filius ſimiliter facit. Si hæc facit filius quæ fecerit pater, per Filium facit pater. Si per Filium facit Pater quæ facit, non alia pater, alia Filius facit: ſed eadem opera ſunt patris & Filij. Et quomodo eadem facit Filius, eadem & Pater ſimiliter. Ne fortè eadem, ſed diſſimiliter: *Eadẽ*, inquit, *& ſimiliter*. Et quomodo poſſit eadem non ſimiliter, dum omnia quæ pater facit per filium facit? Sicut dictũ eſt: *Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil*. Ideo ſimiliter dixit, quia *eadem facit filius quæ facit & Pater*. Quia vna patris & Filij in diuinitate ſubſtantiæ eſt operatio, vna volũtas & poteſtas, vna vita & eſſentia, & æqualia omnia ſunt in patre & filio, niſi quod Pater pater eſt, & Filius Filius eſt. Separatio eſt in perſonis, ſed vnitas in natura.

Non enim poteſt filius à ſe facere quicquam, niſi quod viderit Patrem facientem.] Nõ debemus carnaliter intellegere hanc ſententiã, quaſi duorum hominũ patris & filij, vnius oſtendentis, alterius videntis: vnius loquentis, alterius audientis. Quæ omnia fãtaſmata cordis ſunt. Talis cogitatio procul à pectoribus Chriſtianis expellenda eſt. Ergo de filio & patre præſentis docet lectionis exemplũ, quia nec pater minorem quã filius, nec Dei filius maiorem quã pater habet perſonã: cũ patri & filio nulla diſtãtia diuinitatis ſit, ſed vna maieſtas. Quòd enim ait filiũ nihil facere, niſi quod viderit patrem facientem, non corporaliter intellegendum eſt, quia non corporalibus modis Deus videt: ſed viſus ei omnis in virtute naturæ eſt. Neque enim partitio eſſe poterit in ſimplici natura diuinitatis. Sed Filio videre eſt patris opera cũ patre æqualiter facere, quia idem eſt filio videre & eſſe. Ideo ſubiecit.

Omnia enim quæcunque facit Pater, eadem & filius facit ſimiliter.] Significationem vnius naturæ oſtendit & vnius operationis, quia cõmunis operatio patris & Filij, quorum eſt vna natura, vna etiam & operatio. Ideo conſequenter ſubiunxit.

Pater enim diligit filium, & omnia demonſtrat ei quæ ipſe facit.] Vt oſtenderet omnem hãc patris demonſtrationem fidei noſtræ eſſe doctrinã. Vt ſcilicet & pater nobis in cõfeſſione eſſet, & filius; & ne qua ignoratio in filio poſſet intellegi, cui pater opera omnia quæ ipſe faceret monſtraret, continuo ait.

Et maiora horum opera demonſtrabit ei,

Vt vos admiremini. Sicut enim Pater ſuſcitat mortuos & viuificat: ſic & filius quos vult viuificat.] Ea enim patrem demonſtraturum Filio dixit, quæ mirentur. Et quæ eadem eſſent illa, mox docuit. *Sicut enim pater ſuſcitat mortuos, ſic & filius quos vult viuificat.* Exæquata virtus eſt indiſſimilis per naturæ vnitatem, & demonſtratio operum non ignorationis inſtructio eſt, ſed noſtræ fidei, quæ non filio ſcientiam ignoratorum, ſed nobis confeſſionem natiuitatis inuexit. Demonſtrare enim Patrem, eſt per filium facere quæ facturus eſt. Nam maiora opera ſunt reſurrectio mortuorum, quæ erit in nouiſſimo die, quàm iſtius languentis ſanitas, qui Chriſti verbo ſanatus eſt. Ex quo nata eſt huius occaſio tota ſermonis. Dicit enim: *Vt vos miremini.* Et hoc difficile eſt videre, quomodo tanquam temporaliter Filio coæterno aliqua demonſtraret æternus Pater, omnia ſcienti quæ ſunt apud patrem. Quæ ſunt tamē illa maiora. Hoc enim facile eſt intelligere. *Sicut enim Pater,* inquit, *ſuſcitat mortuos & viuificat, ſic & Filius quos vult viuificat.* Maiora ergo ſunt opera, mortuos ſuſcitare, quā lāguidos ſanare. Sed ſicut ſuſcitat pater mortuos & viuificat, ſic & filius quos vult viuificat. Nō alios ergò pater, alios filius. Sed omnia per ipſū. Ipſos itaque filius, quos & pater: quia non alia nec aliter, ſed hæc & filius ſimiliter facit. Ita planè intellegendū eſt & ita tenendū. Sed mementote, quia filius quos vult viuificat. Tenete hic ergo nō ſolum poteſtatem filij, verumetiā voluntatem. Filius quos vult viuificat, & pater quos vult viuificat: & ipſos filius quos & pater. Ac per hoc, eadem patris & filij poteſtas eſt & voluntas, eadem quoque vita & viuificatio mortuorum. Et ideo dicit: *Sicut pater ſuſcitat mortuos & viuificat quos vult:* ſic & filius quos vult viuificat. Nō enim alios Pater, alios filius viuificat. Sed vna poteſtas vnam viuificationem facit. Quæ etiā poteſtas, vno honore honoranda eſt †. Et ideo conſequenter ſubiunxit.

Pater enim non iudicat quenquā, ſed omne iudiciū dedit filio, vt omnes honorificent filium, ſicut honorificant patrē. Qui non honorificat Patrē, non honorificat filiū. Pater non iudicat quēquam, quia patris perſona hominē nō ſuſcepit, nec in iudicio videbitur: ſed ſola Filij perſona, in ea forma quæ iudicata eſt iniuſtè, & iuſtè iudicabit viuos ac mortuos. Nec enim Filius videbitur in iudicio in ea natura qua cōſubſtantialis eſt Deo Patri, ſed in ea qua conſubſtantialis eſt matri, & homo factus eſt. Ita intelligendum eſt: *Pater non iudicat quenquam, ſed omne iudicium dedit filio.* Ac ſi diceretur, patrem nemo videbit in iudicio viuorum & mortuorum, ſed omnes filium. Quia & filius hominis eſt, vt poſſit & ab impiis videri; cum & illi videbunt in quem pupugerunt. Quod ne conijcere potius quam apertè demonſtrare videamur, proferimus eiuſdem Domini certā manifeſtamque ſententiā, qua oſtendimus ipſam fuiſſe cauſsā vt diceret: *Pater non iudicat quenquam, ſed omne iudicium dedit Filio,* quia iudex forma filij hominis apparebit. Quę forma non eſt Patris, ſed Filij, nec filij in qua æqualis eſt patri, ſed in qua minor eſt patre: vt ſit in iudicio conſpicuus bonis & malis.

Vt omnes honorificent filium, ſicut honorificant patrem. Qui non honorificat patrem, non honorificat filium.] Quid eſt enim honorificare patrem, niſi quod habeat filiū? Aliud eſt enim cum tibi cōmendatur Deus, quia Deus eſt; & aliud cum tibi commendatur Deus, quia pater eſt. Cum tibi Deus quia Deus eſt cōmendatur, creator tibi commendatur, omnipotens tibi commendatur, ſpiritus quidē ſummus, æternus, inuiſibilis, incommutabilis tibi commendatur. Cùm verò tibi pater quia pater eſt commēdatur, nihil tibi aliud quā & filius cōmendatur. Quia pater non dici poteſt, ſi filiū non habet; ſicut nec filius, ſi patrem nō habet. Sed ne fortè patrem quidem honorifices tāquam maiorem, filium vero tanquam minorem, vt dicas mihi, honorifico patrem. Scio enim quod habeat filium, & nō erro in patris nomine. Nō enim patrē intellego ſine filio. Honorifico tamē & filium tanquam minorem. Corrigit te ipſe filius, & reuocat dicens: *Vt omnes honorificent filium,* non inferius, ſed *ſicut honorificat patrem.* Qui ergo non honorificat filium, nec patrem honorificat, qui miſit illum. Ego, inquis, maiorem honorem volo dare patri, minorem filio. Ibi tollis honorem patri, vbi minorem das filio. Quid enim tibi aliud videtur iſta ſententia, niſi quia pater æqualem ſibi filium generare aut noluit, aut non potuit? Si noluit, inuidit: ſi non potuit, defecit. Non ergo vides, quia ita eſt ſentiendum. Vbi maiorem honorem vis dare patri, ibi es contumelioſus in patrē. Proinde, ſic honorifica filium quomodo honorificas patrem, ſi vis honorificare & filiū & patrē.

Amen amen dico vobis, quia qui verbum meū audit, & credit ei qui miſit me, habet vitā æternā, & in iudicium nō veniet, ſed trāſiet à morte ad vitā.] Non nunc tranſit, iā tranſiit à morte in vitam. Et hoc attendite, *qui verbum meum audit.* Et non dixit, credit mihi; ſed *credit ei qui miſit me.* Verbum ergo filij audiat, in patre credat. Quare Verbum audit tuum

& credit alteri? Nonne cum verbum alicuius audimus, eidem verbum proferenti credimus? loquenti nobis fidem accommodamus? Quid ergo voluit dicere, qui verbum meum audit & credit ei qui miſit me, niſi quia verbum eius eſt in me? Et quis eſt qui audit verbum meum, niſi qui audit me? Qui credit in me, credit etiam ei qui miſit me: quia cum illi credit, verbum eius credit. Cum autem verbum eius credit, mihi credit, quia Verbum patris ego ſum. Non enim tranſiret de morte ad vitam, niſi primo eſſet in morte, & non eſſet in vita. Cum ergo tranſierit in vitam, non erit in morte. Mortuus ergo erat & reuixit, perierat & inuentus eſt. Fit proinde iam quædam reſurrectio, & tranſeunt homines à morte quadam ad quandam vitam, à morte infidelitatis ad vitam fidei, à morte falſitatis ad vitā veritatis, à morte iniquitatis ad vitam iuſtitiæ. Eſt ergo & iſta reſurrectio mortuorum. Aperiat illam plenius, & luceſcat nobis, vt cœpit.

Amen amen dico vobis, quia venit hora & nunc eſt, quando mortui audient vocem filij Dei, & qui audierint viuent.] Hoc proprium eſt piorum, qui ſic audiunt de incarnatione eius, vt credant quia Filius Dei eſt, id eſt, ſic eum propter ſe factum accipiunt minorem Patre in forma ſerui, vt credant quia æqualis eſt patri in forma Dei. Et ideo ſequitur, & hoc ipſum commendans dicit.

Sicut enim pater habet vitam in ſemetipſo, ita dedit & filio gratiam habere in ſemetipſo.] Quod ergo ait, *Dedit filio vitam habere in ſemetipſo*, breuiter dicam: Genuit filium, vitam in ſe habentem. Neque enim erat ſine vita, & accepit vitam, ſed naſcendo vita eſt. Pater vita eſt non naſcendo, filius vita eſt naſcendo. Pater de nullo patre, filius de Deo patre. Pater propter filium eſt, filius verò & quod eſt, propter patrem eſt, & quod eſt à patre eſt. Hoc ergo dixit: *Vitam dedit filio, vt haberet eam in ſemetipſo*, tanquam diceret: Pater, qui eſt vita in ſemetipſo, genuit filium qui eſſet vita in ſemetipſo. Pro eo enim quod genuit, voluit intellegi dedit. Tamquam ſi cuidam diceremus: Dedit tibi Deus eſſe. Sequitur enim & dicit.

Et dedit ei poteſtatem facere iudicium quia filius hominis eſt.] Puto nihil eſſe manifeſtius, nam quia Filius Dei eſt, æqualis eſt patri; non accipit hanc poteſtatem iudicium faciendi, ſed habet illam cum patre in occulto. Accipit autem illam, vt boni & mali eū videant iudicantem, quia filius hominis eſt. Viſio quippe filij hominis exhibetur & malis. Nam viſio formæ Dei, non niſi mundis corde, quia ipſi Deum videbunt. Id eſt, ſo- Mat. 5.

A lis piis, quorum dilectioni hoc ipſum promittit, quia oſtendet ſeipſum illis. Et ideo vide quid ſequatur.

Nolite mirari hoc, inquit.] Quid nos prohibet mirari? niſi illud, quod reuera miratur omnis qui nō intelligit? Vt ideo diceret patrem dediſſe ei poteſtatem iudicium facere, quoniam filius hominis eſt, cum magis quaſi hoc expectaretur vt diceret, quoniam filius Dei eſt. Sed quia filium Dei ſecundum id quod in forma Dei æqualis eſt patri videre iniqui non poſſunt, oporteat autem & iudicem viuorum & mortuorum, cum coram eo iudicabuntur, & iuſti videāt & iniqui

B *Nolite*, inquit, *hoc mirari. Quoniam veniet hora in qua omnes qui in monumentis ſunt, audient vocem eius, & procedent qui bona fecerunt in reſurrectionem vitæ. Qui verò mala geſſerunt, in reſurrectionem iudicij.*] Ad hoc ergo oportebat, vt ideo acciperet illam poteſtatem, quia filius hominis eſt, vt reſurgentes omnes viderent eum in forma in qua videri ab omnibus poteſt. Sed alij ad damnationem, alij ad vitam æternam. Quæ eſt autem

C vita æterna, niſi illa viſio quæ non conceditur impiis? *Vt cognoſcant te*, inquit, *vnum verum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum.* Quomodo & ipſum Ieſum Chriſtum, niſi quemadmodum vnum verum Deum, qui oſtendet ſe ipſum illis, Non quomodo ſe oſtendet etiam puniendis in forma filij hominis. Secūdum autem illam viſionem bonus eſt, ſecūdum quam viſionem? qua Deus apparet mundis corde, quanquam bonus Deus Iſrael rectis corde. Quando autem iudicem videbunt mali, non eis videbitur

D bonus, quia non ad eum gaudebunt corde; ſed tunc ſe plangent omnes tribus terræ. In numero itaque malorū omnium, & infideliū. Propter hoc etiam illi, qui eum dixerat magiſtrū bonū, quærens ab eo conſiliū cōſequendæ vitæ æternę, reſpondit: *Quid me interrogas de bono? Nemo bonus niſi vnus Deus.* Cùm & hominem alio loco dicat bonum ipſe Dominus. *Bonus homo*, inquit, *de bono theſauro cordis ſui profert bona, & malus homo de* Luc. 18.

E *malo theſauro cordis ſui profert mala.* Sed quia ille vitam æternam quærebat, vita autem æterna eſt in illa contemplatione, qua non ad pœnam videtur Deus, ſed ad gaudiū ſupernū: duas hic reſurrectiones ipſe Dominus Chriſtus in his verbis nobis demōſtrat. Primam, quæ in fide eſt, reſurgendo à peccatis, de qua ait: *Amen amen dico vobis, quia venit hora & nunc eſt, in qua mortui audient vocem filij Dei.* Alteram vbi ait: *Amen amen dico vobis, quia veniet hora, in qua omnes qui in monumentis ſunt, audient vocem filij Dei.* Illa prior eſt reſurrectio animarum, iſta ſequēs

reſurrectio erit corporum. Qui vero in hac prima reſurgit, in ſecunda reſurget ad gloriam. Qui verò in hac prima non reſurgit, in ſecunda tamen reſurget, ſed ad pœnam. Vtramque facit Deus per Chriſtum. qui hic reſurgit per eum, ibi reſurget ad eum. Qui hic per eum non reſurgit, nec ibi ad eũ reſurget. Hora autem nunc eſt vt reſurgant mortui. Hora erit in fine ſæculi, vt reſurgant mortui. Sed reſurgunt nunc in mente, tunc in carne. Reſurgunt nunc in mente per verbum Dei, filium Dei. Reſurgent tunc in carne per verbum Dei, carne factum filium hominis. Neque enim ad iudicium viuorum & mortuorum Pater ipſe venturus eſt, nec tamen recedit à filio pater. Quomodo ergo non ipſe venturus eſt? quia non ipſe videbitur in iudicio. Videbũt in quem compunxerunt. Forma illa erit iudex, quæ ſtetit ſub iudice. Illa iudicabit quæ iudicata eſt. Iudicata eſt enim iniquè, iudicabit iuſte. Talis apparebit iudex, qualis videri poſſit, & ab eis quos coronaturus eſt, & ab eis quos damnaturus eſt. Diſtinctio eſt inter illud verbum, quod ſuperius dixit, *quod mortui audient vocem filij Dei:* & inter illud quod hìc ait, *Venit hora in qua omnes qui in monumentis ſunt, audient vocem filij Dei.* Ibi verò ait, *audient*, id eſt, obedient. Ideo iſta reſurrectio eſt ad vitam, illa verò quæ futura eſt, de qua dicit, *audient vocem filij Dei*, audiẽt vt reſurgant ad iudicium, non addit hic ad vitam, quia omnes ad gloriam non reſurgent, ſed multi ad pœnam. Ideo addidit de futura reſurrectione. *Qui bona fecerunt, in reſurrectione vitæ, qui mala egerunt, in reſurrectionem iudicij*, id eſt, damnationis, quia hìc iudicium pro pœna poſuit. Tunc erit vltima pala, quæ ſeparat bonos à malis, triticum à paleis. Tunc ibunt impij in ignem æternum, iuſti autem in vitam æternam. Sequitur autem.

Non poſſum a me ipſo facere quicquam, ſed ſicut audio iudico, & iudiciũ meum iuſtum eſt.] Fortaſſis ideo dixit, non poſſum à me ipſo facere quicquam, quaſi dixiſſet: A me ipſo non ſum, ſed à patre. Pater enim à nullo alio eſt, filius enim à patre eſt. Ideo dixit: *Sicut audio iudico*, quia vnum opus eſt Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Sicut audit iudicat. Audit videlicet per vnitatem ſubſtantiæ & proprietatem ſcientiæ. Non iudicat à ſemetipſo, quia non eſt à ſemetipſo. Pater quippe ſolus de alio non eſt, filius à patre genitus eſt, vt diximus. Ab ipſo enim audit & filius à quo genitus eſt, quia non eſt à ſeipſo, ſed ab illo à quo genitus eſt. A quo illi eſt intellegentia, ab illo vtique & ſcien-

A tia. Ab illo igitur audientia, quæ nihil eſt aliud quàm ſcientia. Poteſt quoque hoc ipſum quod dixit, *ſicut audio iudico*, de humanitatis natura intellegi, quam Dei filius ex virgine ſumpſit. Cum ageret de reſurrectione animarum, non dicebat, *audio*, ſed *iudico*. Audio enim tamquam præcipientis patris imperium. Iam ergo ſicut homo, ſicut quo maior eſt pater. Iam ex forma ſerui, non ex forma Dei. *Sicut audio iudico.*

Et iudicium meũ iuſtum eſt.] Vnde eſt iudicium iuſtum hominis? quia ſequitur.

Non quæro voluntatem meam, ſed volunta- B *tem eius qui miſit me.*] Iſta miſsio, incarnatio eſt Chriſti, quæ ad hoc facta eſt, vt paterna voluntas in ſalutem humani generis per eum efficeretur. Videtur enim in hoc loco ex his verbis Saluatoris noſtri, velle eum inſinuare nobis duas naturas in ſe eſſe, & veram habere animam, in qua ſola voluntas eſt. quæ etiam tanta coniunctione commixta eſt diuinitati, vt tota voluntas in ea ſpiritalis fuerit, non animalis, id eſt, carnalis. Nam conſequenter ſubiunxit.

Si ego teſtimonium perhibeo de me ipſo, teſti- C *monium meum non eſt verum.*] Sicut in conſequentibus dixit: *Si glorifico me ipſum, gloria mea nihil eſt, ſed qui miſit me pater ipſe me glorificat*, ſic & hic dictum eſt: *Si ego teſtimonium perhibeo de me ipſo, teſtimoniũ meum non eſt verum.* Et paulo poſt, *Qui miſit me pater, ipſe teſtimoniũ perhibet de me.* Nunc in ſe naturam hominis demonſtrat, nunc in Dei maieſtatẽ æqualem ſe ſignificat patri. Nunc vnitatem ſibi diuinitatis cum Deo patre vindicans, nunc fragilitatem humanæ carnis oſtendens. Nunc doctrinam ſuam ſe non dicere, D nunc voluntatem ſuam ſe non quærere. Nunc teſtimonium ſuum verum non eſſe, nunc verum eſſe ſignificans. Nam hic ait: *Si ego teſtimonium perhibeo de me ipſo, teſtimonium meum non eſt verum.* Et paulo poſt: *Et ſi ego teſtimonium perhibeo de me, verum eſt teſtimonium meum.* Quomodo ergo non eſt verum teſtimonium tuum Domine, niſi ſecũdum fragilitatem carnis? Nam & illud quod E dixit: *Non veni facere voluntatem meam*, & *filius à ſe nihil poteſt facere*, & alia multa huiuſmodi. Quæ omnia non infirmant filium, neque depreciant, nec à patre diſiungunt. Siquidem & hæc ideo ſunt poſita, vt vera incarnatio noſcatur. Nam quod dicit: *Ego de patre exiui, ego in patre & pater in me, ego & pater vnum ſumus, & qui me videt, videt & patrem, & ſicut pater ſuſcitat mortuos & viuificat, ita & filius quos vult viuificat:* vera eius diuinitas approbatur. Quia voluntas patris & filij, vna operatio, vna denique

gratia, eademque gubernatio eſt, ſicut magiſter gentium docet ita ſcribens: *Gratia vobis & pax à Deo patre noſtro, & Domino Ieſu Chriſto.* Rom.1.

Alius eſt qui teſtimonium perhibet de me.] In ſequentibus oſtendit, quis ſit ille alius qui
Mat. 6. teſtimonium perhibet de ſe, vbi ait: *Qui miſit me Pater, ipſe teſtimonium perhibet de me.* Teſtimonium Patris eſt de filio in baptiſmo,
Mat. 17. vbi vox facta eſt de cælo. *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacuit.* Simile quoque teſtimonium in monte ſancto perhibuit pater, audientibus tribus diſcipulis de filio ſuo.

Et ſcio quia teſtimonium eius verum eſt.] Omne verum, à veritate verum eſt. Deus enim veritas eſt. Et quicquid verum eſt, à Deo verum eſt. Atque id teſtimonium dixit quid ſit. *Opera*, inquit, *quæ ego facio, teſtimonium perhibent de me.* Deinde adiunxit, *& teſtimonium perhibet de me, qui miſit me pater.* Ipſaque opera quæ facit, à patre ſe accepiſſe dicit. Teſtimonium ergo perhibent opera, teſtimonium perhibet pater qui miſit eum. Perhibuit Ioannes teſtimonium de Chriſto tanquam lucerna, non ad ſanandos amicos, ſed ad confundendos inimicos. Iam
Pſal. 131. antea prædictum erat à perſona patris: *Paraui lucernam Chriſto meo: Inimicos eius induam confuſione, ſuper ipſum autem florebit ſanctificatio mea.* Eſto tanquam in nocte poſitus, adtendiſti in lucernam, & miratus es lucernam, & exultaſti ad lumen lucernæ. Sed illa lucerna dicit eſſe ſolem in quo exultare debeas. Et quamuis ardeat in nocte, diem te iubet expectare. Non ergo quia illius hominis teſtimonium non erat opus. Nam vt quid mitteretur, ſi non erat opus? Sed ne in lucerna homo, & lumen lucernæ ſibi ſufficere arbitretur, ideo Dominus nec lucernam illam ſuperfluam dicit fuiſſe, nec tamē dicit in lucerna debere remanere. Dicit aliud teſtimonium ſcriptura Dei, vbi vtique Deus perhibuit teſtimonium filio ſuo. Et in illa ſcriptura Iudæi ſpem poſuerant, in lege ſcilicet Dei miniſtrata ſibi per Moſen famulum Dei. *Scrutamini*, inquit, *ſcripturam*, in qua vos putatis vitam æternam habere. Ipſa teſtimonium perhibet de me, & non vultis venire ad me, vt vitā habeatis. Quid vos putatis habere in ſcriptura vitam æternam? ipſum interrogate cui perhibet teſtimonium, & intelligite quæ ſit vita æterna. Et quia propter Moſen videbantur repudiare Chriſtum tanquam aduerſarium inſtitutis & præceptis, quæ Moſes tradidit, rurſus eoſdem ipſe conuincit tanquam de alia lucerna, dicens.

Cap. XI.

Ioannem lucernam appellat. Patrem quoque & ſcripturas de ſe teſtimonium perhibere. Iudæos ſe non recipientes venientem in nomine Patris, alium in nomine ſuo venturum recepturos. De ſe autem Moyſen ſcripſiſſe teſtatur.

Vos miſiſtis ad Ioannem, & teſtimonium perhibuit veritati. Ego autem non ab homine accipio teſtimonium; ſed hæc dico vt vos ſalui ſitis. Ille erat lucerna ardens & lucens. Vos autem voluiſtis exultare ad horam in lucem eius. Ego autem habeo teſtimonium maius Ioanne.] Omnes enim homines lucernæ ſunt, quia & incendi poſſunt & extingui. Et lucernæ quidem cùm ſapiunt, lucent & ſpiritu feruent. Nam & ſi ardebant, & extinctæ ſunt, & iam putent. Permanſerunt autem ſerui Dei lucernæ bonæ ex oleo miſericordiæ illius, non ex viribus ſuis. Gratia quippe Dei gratuita 1.Co.
illa oleum lucernarum eſt. *Plus enim illis omnibus laboraui*, ait quædam lucerna. Et ne viribus ſuis ardere videretur, adiunxit: *Non ego autem, ſed gratia Dei mecum.* Omnis ergo Propheta ante Domini aduentum lucer- 2.Pet.
na eſt, de quo Apoſtolus Petrus dicit. *Habemus certiorem Propheticum ſermonem, cui benefacitis intendentes, quemadmodum lucernæ lucenti in obſcuro loco, donec dies luceſcat, & lucifer oriatur in cordibus veſtris.* Lucernæ itaque Prophetæ, & omnis prophetia vna magna lucerna. Quid Apoſtoli, nonne lucernæ? Et iam ipſi lucernæ planæ. Sol enim ille, non lucerna. Non accenditur & extinguitur, ſed eſt lux vera quæ inluminat omnem hominem venientem in hunc mundum. De Ioanne dicitur: *Non erat ille lumen, ſed vt teſtimonium perhiberet de lumine.* De Chriſto autem: *Erat lux vera quæ inluminat omnem hominem venientem in hunc mūdum.* Quid eſt quod Mat.5.
de Apoſtolis ipſa Veritas dicit? *Vos eſtis lux mundi.* Et Ioannes Euangeliſta: *Non erat ille lumen.* Nec Ioannes per ſe erat lucerna, nec Apoſtoli per ſe lumen, ſed à lumine Chriſto ille lucerna, & illi inluminati ab eo, qui eſt ſol verus oriens in cordibus fidelium.* *al. credentium.

Ego autem habeo teſtimonium maius Ioanne. Opera enim quæ dedit mihi pater, ipſa opera quæ ego facio teſtimonium perhibent de me, quia pater me miſit. Et qui miſit me pater, ipſe teſtimonium perhibuit de me.] Superius dixit, *Teſtimonium non accipio ab homine.* hic cauſam reddit, quare ab homine teſtimonium non accepiſſet. Quia habet teſtimonium Patris,

& operũ teſtimonia, quæ ſunt maius quàm hominum. Ergo hæc miſſio, incarnatio eſt Chriſti. Incarnatio verò Chriſti, redemptio eſt noſtra. Redemptio verò noſtra eſt ipſa Veritas, quæ ait: *Ego veni vt vitam habeant, & abundantius habeant.* Subiunxit verò huic teſtimonio patris de ipſo patre, quod Iudæi vel magi omneſque infideles, excæcatis mentibus veritatem diuinitatis non poſſunt accipere, dicens:

Neque enim vocem eius audiſtis vnquam, neque ſpeciem eius vidiſtis; & verbum eius non habetis in vobis manens.] Dicit Apoſtolus: (Rom. 2.) *Non enim auditores legis iuſtificati ſunt, ſed factores verbi Dei.* Id eſt filius Dei non manet in eorum cordibus, quia non ſeruant quæ audiunt. Quòd verò ait, *Neque vocem eius audiſtis, neque ſpeciem eius vidiſtis.* In hoc oſtendit ſubſtantiam diuinitatis incomprehenſibilem eſſe, & inuiſibilem, & vocem eius non carnalibus audire potuiſſe auribus, ſed ſpiritali intelligentia per gratiam ſancti Spiritus intelligere vel amare, ſecundum quod vnicuique datum erit.

Quia quem miſit ille, huic vos non creditis. Scrutamini ſcripturas, quia vos putatis in ipſis vitam æternam habere, & illæ ſunt quæ teſtimonium perhibent de me, & nõ vultis venire ad me, vt vitam habeatis.] Non vultis venire, id eſt, non vultis credere, (Hebr. 11.) quia impoſſibile eſt ſine fide Deo placere. Venire noſtrum eſt ad Chriſtum, id eſt credere illum verum filiũ Dei, & veram nos per illum habere ſalutem. Omnis enim ſcriptura ſancta teſtimonium perhibuit Chriſto, ſiue per figuras, ſiue per Prophetas, ſiue per Angelorum miniſteria. Ergo & Moſes perhibuit teſtimonium Chriſto, & Ioannes perhibuit teſtimonium Chriſto, & cæteri Prophetæ, & Apoſtoli perhibuerũt teſtimonium Chriſto. His omnibus teſtimoniis præponit teſtimonium operum ſuorum, quia per illa non niſi Deus perhibuit teſtimonium filio ſuo.

Claritatem ab hominibus non recipio.] Id eſt, laudem humanam non quæro, quia non veni miniſtrari, ſed miniſtrare. Id eſt, non veni vt honorem ab hominibus acciperem carnalem, ſed vt honorem hominibus darem ſpiritalem.

Sed cognoui vos, quia dilectionem Dei non habetis in vobis.] Ideo dilectionem Dei non habuerunt, quia non crediderunt in eum, qui non venit facere voluntatem ſuam, ſed voluntatem eius qui miſit illum. Ideo ſubiunxit:

Ego veni in nomine Patris mei, & non ſuſcepiſtis me.] Id eſt, non crediſtis in me, qui ideo veni in mundum, vt glorificaretur nomen Patris.

Si alius venerit in nomine ſuo, illum accipietis.] Quid eſt qui venit in nomine ſuo (2. Theſſ. 2.) niſi ille qui gloriam propriam quærit, & non illius qui miſit illum? Quis eſt quem accepturi erunt Iudæi, niſi Antichriſtum? qui venturus eſt gloriã propriam quærere, & hoc erit illis pœna peccati, quia noluerunt veritati credere, vt crederent mendacio.

Quomodo poteſtis vos credere, qui gloriam ad inuicem accipitis? Et gloriam quæ eſt à ſolo Deo non quæritis?] Conſiderandum eſt intentius, quantum ſit iactantiæ & humanæ laudis ambitio malum, pro quo ipſa Veritas ait, credere non poſſe quoſdam, quia ſecularis gloriæ cupidi erant. Quæ eſt humanæ laudis cupiditas? niſi ſuperbæ mẽtis elatio? Vult de ſe homo æſtimari quod in ſe habere non ſtudet. Alter eſt interius, alter foris videri deſiderat. Humilitas verò gloriã quærit à ſolo Deo, ſuperbia ab hominibus. Inde Ioannes Baptiſta ab ipſa veritate tam (Matth. 11.) excellenter laudatus eſt, vt non eſſet arundo vento agitata: quia non humanæ laudis, nec odioſæ vituperationis aura flante, flexibilis fuit. Ideo gloriã habuit à Deo Chriſto, quia gloriam non quæſiuit humanam.

Nolite putare quia ego accuſaturus ſim vos apud Patrem. Eſt qui accuſat vos Moſes, de quo vos maximè ſperatis. Si enim crederetis Moyſi, crederetis forſitan & mihi. De me enim ille ſcripſit.] Ideo non accuſo, quia non veni damnare, ſed ſaluare. Moyſes verò accuſat, quia increduli eſtis voci illius. De me ille ſcripſit dum ait: (Deut. 18.) *Prophetam vobis ſuſcitabit Dominus Deus de fratribus veſtris, tanquam me ipſum audietis eum.* Quid verò ſequatur adtendite. (Actor. 3.) *Et erit omnis anima quæ non obedierit Prophetæ illi, exterminabitur de populo Dei.*

Si enim illius litteris non creditis, quomodo meis credetis verbis? Quicquid enim lex & Prophetæ ſcripſerunt, omnia Chriſtũ venturum eſſe deſignabant. Si enim Iudæi legi vel Prophetis crediſſent, vtique & Chriſto. Poſt hæc verba myſtica & profundiſſimæ intelligentiæ Domini noſtri Ieſu Chriſti, quibus partim ſuæ diuinitatis, partim & humanitatis arcana myſteria, vel tunc audientibus, vel nunc legentibus demonſtrare voluit, quinque panum miraculo ſeipſum oſtendere quis eſſet ſtuduit. Idcirco conſequenter Euangeliſta adiunxit:

Cap. XII.

Appropinquante Iudæorum Paſcha de quinque panibus & duobus piſcibus quinque millia ho-

minum ſatiauit. Pro quo ſigno cum Regem vellet eum facere, fugit in montem. Dehinc ambulans ſuper mare pauentibus ait diſcipulis. Ego ſum, nolite timere.

A

P*oſt hæc abiit Ieſus trans mare Galilææ, quod eſt Tiberiadis, & ſequebatur illum multitudo maxima, quia videbãt ſigna quæ fiebant ſuper his qui infirmabãtur.*] *Abiit Ieſus trãs mare Galilææ, quod eſt Tiberiadis.* Primo dicendum iuxta hiſtoriam, quia mare Galilææ, quod multis pro diuerſitate circumiacentium regionum vocabulis diſtinguitur, illis tantum in locis mare Tiberiadis vocabatur, vbi Tiberiadem ciuitatem aquis, vt aiunt, calidis, ſalubrem habitationem ab occidente præmonſtrat. Siquidem interfluente Iordane, duo de viginti paſſuum milibus in lõgum, & quinque extenditur in latum. Myſticè autem mare, turbida ac tumentia ſæculi huius volumina ſignificat; in quibus praui quilibet iniuſtè delectati, quaſi profundis dediti piſces, mente ad ſuperna gaudia non intendunt. Vnde bene idem mare Galilææ, id eſt, rota cognominatur, quia nimirum amor labentis ſeculi quaſi in vertiginem * corda mittit, quæ ad perennis vitæ deſideria non permittit erigi. De qualibus Pſalmiſta. *In circuitu*, inquit, *impij ambulant.* Sed abeuntem trans mare Galilææ Ieſum multitudo maxima ſequebatur, quæ doctrinæ, ſanationis & refectionis ab eo cœleſtis munere ſumma perciperet. Quia priuſquam Dominus in carne appareret, ſola illũ gens Iudæa ſequebatur credendo. Poſtquam vero per incarnationis ſuæ diſpẽſationem, fluctus vitæ corruptibilis adiit, calcauit, tranſiit; maxima mox eum multitudo credentium ſecuta eſt nationum, ſpiritaliter inſtrui, ſanari, ac ſatiari deſiderans, & cum Pſalmiſta deprecans: *Domine ad te confugi, doce me facere voluntatem tuam.* Et iterum: *Miſerere mihi Domine quoniam infirmus ſum, ſana me Domine quoniam conturbata ſunt omnia oſſa mea.* Et iterum de percipiendis ab eo vitæ perpetuæ alimoniis confiſa, *Dominus*, inquit, *paſcit me, & nihil mihi deerit, in loco paſcuæ ibi me collocauit.*

* al. voraginem.

Pſalm. 11.

Pſal 142.

Pſalm. 50.

Pſalm. 22.

Subiit ergo Ieſus in montẽ, & ibi ſedebat cũ diſcipulis ſuis. Erat autem proximũ Paſcha dies feſtus Iudæorũ.] Quod autẽ ſubiẽs in montem Ieſus, ibi ſedebat cum diſcipulis ſuis, ſed veniẽte ad eum multitudine deſcendit, atque hãc in ſuperioribus reficit, quã in inferioribus paulo ante curauerat, nequaquam fruſtra factum credamus: ſed ad ſignificandũ myſticè, quia doctrinam & chariſmata ſua Dominus iuxta percipientium capacitatẽ diſtribuit. Infirmis quidem adhuc mentibus, ac paruulis ſpiritu, ſimpliciora monita committens, & apertiora credens ſacramenta. Celſioribus autẽ quibuſque & perfectioribus ſenſu, ſecretiora ſuæ maieſtatis arcana reſerans, arctiora deuotæ cõuerſationis itinera ſuggerens, & altiora præmiorum cœleſtium dona promittens. Denique cuidã ſciſcitanti, quid faciens vitam æternam poſſideret? quaſi inferius adhuc poſito, communia ſuæ dona largitatis impendit dicens: *Non occides, non mœchaberis, non* B *furtum facies, non falſum teſtimonium dices, honora patrem tuum & matrẽ.* Cui poſtmodum maiora quærenti, & velut ad montem virtutum aſcendere cupienti, *Si vis*, inquit, *perfectus eſſe, vade, vende quæ habes & da pauperibus, & habebis theſaurum in cœlo, & veni, ſequere me.* Cuius diſcretionem moderaminis, non per ſe ſolum Dominus in carne docens exhibuit, verũ nunc quoque per verbi ſui miniſtros exhibere non ceſſat. Vnde de eiſdem ſub vnius boni ſerui perſona teſtatur, quia dare debeant conſeruis in tempore C tritici menſuram, id eſt, pro captu audientium, opportunè & menſuratè verbi dapes ſuggerere. Quod verò propinquante Paſcha Dominus turbas docet & ſanat & reficit, poſſumus ita myſticè interpretari, quia Paſcha tranſitus dicitur. Et quoſcunque Dominus in terra munerum ſuorum ſuauitate recuperat, ad ſalubrem profectò tranſitum præparat, vt carnales videlicet concupiſcentias mentis ſublimitate tranſcendant: infima mundi deſideria, proſpera pariter & aduerſa, cœleſti ſpe & amore conculcent. Et ſi necdum anima vel carne D ad ſuperna valent pertingere, quia hoc nimirum in futuro promittitur: quicquid tamen carnales quaſi altum amplecti conſpiciunt, comparatione æternorum, quaſi nihili deſpiciant. Iuxta exempla illius, qui videns impium ſuperexaltatum & eleuatũ ſuper cedros Libani, tranſiit temporalia, contemplando æterna, & quaſi iam non eſſe videbat, quem cito tollendum præuidebat.

Matt. 1

Lucæ

E

Cum ſubleuaſſet ergo oculos Ieſus, & vidiſſet quia multitudo maxima venit ad eum, dicit ad Philippum: Vnde ememus panes vt manducent hi? hoc autem dicebat, tentans eum. Ipſe enim ſciebat quid eſſet facturus. Reſpondens autem Philippus dixit ei: Ducentorum denariorum panes non ſufficiunt eis, vt vnuſquiſque modicum quid accipiat.] Quod ſubleuaſſe oculos Ieſus, & venientem ad ſe multitudinem vidiſſe perhibetur, diuinæ pietatis indicium eſt. Quia videlicet cunctis ad ſe

venire quęrentibus, gratia miſericordię A cœleſtis occurrere cōſueuit; & ne quærendo errare poſſint, lucem ſui ſpiritus aperire currētibus. Nam quod oculi Ieſu dona ſpiritus eius myſticè deſignent, teſtatur in Apocalypſi Ioannes, qui figuratè de illo loquens: *Et vidi*, inquit, *Agnum ſtantem tanquam occiſum, habentem cornua ſeptem, & oculos ſeptem, qui ſunt ſeptem ſpiritus Dei miſſi in omnem terram.* Quod tentans Philippum Dominus, *Vnde*, inquit, *ememus panes, vt manducent hi?* prouida vtique diſpenſatione facit, non vt ipſe quæ non nouerat diſcat; ſed vt Philippus tarditatem ſuæ fidei, B in quam magiſtro ſciente ipſe neſciebat, tentatus agnoſcat, & miraculo facto caſtiget. Neque enim dubitare debuerat præſente rerum creatore, qui educit panem de terra, & vinum lætificat cor hominis, (Pſal. 110.) paucorum denariorum panes ſufficere turbarum milibus, non paucis, vt vnuſquiſque ſufficienter acciperet, etiam ſaturatus abiret.

Dicit ei vnus ex diſcipulis eius Andreas frater Simonis Petri: Et puer vnus hic, qui habet quinque panes hordeaceos, & duos piſces. Sed hæc quid C *ſunt inter tantos? Dicit ergo ei Ieſus. Facite homines diſcumbere. Erat autem fœnum multum in loco. Diſcubuerunt ergo viri: numero quaſi quinque milia. Accepit ergo panes Ieſus. Et cùm gratias egiſſet, diſtribuit diſcumbentibus. Similiter & ex piſcibus quantum volebant.*] Quinque autem panes quibus multitudinem populi ſaturauit, quinque ſunt libri Moſi, quibus ſpiritali intellectu patefactis, & abundantiori iam ſenſu multiplicatis, auditorum fideliū cottidie corda reficit. Qui bene hordeacei fuiſſe referuntur, propter nimium auſte- D riora legis edicta, & integumenta literæ groſſiora, quæ interiorem intellegentiam ſpiritalis ſenſus quaſi medullam celabant. Duos autem piſces quos addidit, Pſalmiſtarum non inconuenienter & Prophetarum ſcripta ſignificāt, quorum vni canēdo, alteri conloquendo, ſuis auditoribus futura Chriſti & Eccleſiæ ſacramenta narrabāt. Et bene per aquatilia animantia figurantur illius æui præcones. In quo populus fidelium ſine aquis baptiſmi viuere nullatenus E poſſet. Sunt qui putant duos piſces, qui ſaporem ſuauem pani dabant, duas illas perſonas ſignificare, quibus populus ille regebatur, vt per eas conſiliorum moderamen acciperet, regiam ſcilicet & ſacerdotalem, ad quas etiam ſacroſancta illa vnctio pertinebat, quarum officium erat, procelloſis fluctibus popularibus nunquam frangi atque corrumpi, & violentas turbarum contradictiones, tanquam aduerſantes vndas, ſæpe diſrumpere. Interdum eis cuſtodita ſua integritate cedere, prorſus more piſcium, tanquam in procelloſo mari, ſic in turbulenta populi adminiſtratione verſari. Quæ tamen duæ perſonæ Dominum noſtrum præfigurabant. Ambas enim ſolus ille ſuſtinuit, & non figuratè, ſed propriè ſolus impleuit. Puer qui quinque panes & duos piſces habuit, nec tamen hos eſurientibus turbis diſtribuit; ſed Domino diſtribuendos obtulit, populus eſt Iudæorum, literali ſenſu puerilis, qui ſcripturarum dicta clauſa ſecum tenuit. Quæ tamen Dominus in carne apparens accepit, & quid intus haberet vtilitatis ac dulcedinis oſtēdit: Quàm multiplici ſpiritus gratia, quę pauca ac deſpecta videbantur, exuberarent, patefecit. Et hæc per Apoſtolos ſuos, Apoſtolorumque ſucceſſores, cunctis nationibus miniſtrāda porrexit. Vnde benè alij Euangeliſtæ referunt, quia panes & piſces Dominus diſcipulis, diſcipuli autem miniſtrauerunt turbis. Cùm enim miniſterium humanæ ſalutis initium accepiſſet enarrari per Dominum, ab eis qui audierunt in nos confirmatum eſt. (Lucæ. 24.) Quinque ſiquidem panes & duos piſces fregit & diſtribuit diſcipulis, quando aperuit illis ſenſum, vt intellegerent omnia quæ ſcripta eſſent in lege Moſi & Prophetis & Pſalmis de ipſo. (Mar. 16.) Diſcipuli appoſuerunt turbis, quando profecti prædicauerunt vbique Domino cooperante & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis. Fœnum in quo diſcumbens turba reficitur, concupiſcentia carnalis intelligitur, quam calcare ac premere debet omnis, qui ſpiritalibus alimentis ſatiari deſiderat. Omnis enim caro fœnum, & omnis gloria eius tanquam flos fœni. Diſcumbat ergo ſuper fœnum, florem fœni conterat, id eſt, caſtiget corpus ſuū, & ſeruituti ſubiiciat. Voluptates carnis edomet, luxuriæ fluxa reſtringat. Quiſq. panis viui cupit ſuauitate refici, quiſque ſupernæ gratiæ dapibus renouari, ne infima vetuſtate deficiat. Quinque millia virorum qui manducauerunt, perfectionem vitæ eorum qui verbo reficiuntur inſinuant. Virorum quippe nomine ſolent in ſcripturis perfectiores quique figurari, quos feminea mollicies nulla corrumpit. Quales eſſe cupit eos, quibus dicit Apoſtolus: *Vigilate, ſtate in fide, viriliter agite, & confortamini.* (1. Cor. 16.) Millenarius autem numerus, vltra quem nulla noſtra computatio ſuccreſcit, plenitudinem rerum, de quibus agitur, indicare conſueuit. Quinario verò numero quinque notiſſimi corporis noſtri ſenſus exprimuntur, viſus videli-

cet, auditus, guſtus, olfactus & tactus. In quibus ſingulis quicunque viriliter agere & confortari ſatagunt, ſobriè & iuſtè & piè viuendo, vt cœleſtis ſapientiæ mereantur dulcedine recreari; hi nimirum quinque milibus virorum, quos Dominus myſticis dapibus ſatiauit figurantur. Nec prætereundum quòd refecturus multitudinem gratias egit. Egit quippe gratias, vt & nos de perceptis cælitus muneribus gratias ſemper agere doceret, & ipſe quãtũ de noſtris profectibus gratuletur, de noſtra ſpiritali refectione gaudeat, intimaret. Vultis etenim noſſe fratres quãtum Saluator noſter noſtræ gaudeat ſaluti? Narrat Euangeliſta Lucas dediſſe eum diſcipulis poteſtatem calcandi ſupra omnem virtutem inimici, eorumque nomina ſcripta indicaſſe in cœlis, & ſtatim infert: *In ipſa hora exultauit Spiritu ſancto, & dixit: Confiteor tibi Pater Domine cœli & terræ, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis.* Claret ergo quia ſaluti ac vitæ fidelium congratuletur, qui Patrem gratias agendo cõlaudat, quòd ea quæ ſuperbientibus abſcondit, humilibus ſpiritus ſecreta reuelauit.

Luc. 10.

Vt autem impleti ſunt, dixit diſcipulis ſuis: Colligite quæ ſuperauerunt fragmenta ne pereant.] Quod autem ſaturata multitudine, iuſſit diſcipulos colligere quæ ſuperauerũt fragmentorum ne perirẽt, hoc profectò ſignat, quia pleraque ſunt arcana diuinorum eloquiorum, quę vulgi ſenſus non capit. Nonnulla quæ per ſe quidem minus docti aſſequi nequeunt, ſed à doctoribus expoſita mox intellegere queunt. Hæc ergo neceſſe eſt qui valent diligenter ſcrutando colligant, & ad eruditionem minorum ſuo dicto vel ſcripto faciant peruenire, ne alimenta verbi illorum deſidia pereant, plebibuſque tollantur, qui hæc Domino donante interpretando colligere norunt. Sequitur.

Collegerunt ergo, inquit, *& impleuerunt duodecim cophinos fragmentorum ex quinque panibus hordeaceis, quæ ſuperfuerunt his qui manducauerant.*] Quia duodenario numero, ſolet perfectionis cuiuſlibet ſumma figurari, rectè per duodecim cophinos fragmentorũ plenos, omnis doctorum ſpiritalium chorus exprimitur, qui obſcura ſcripturarum quæ turbæ nequeunt, & meditando colligere, & mandata literis ſuo pariter ac turbarum vſui conſeruare iubentur. Hoc ipſi fecere Apoſtoli & Euangeliſtæ. Non pauca legis & prophetarum dicta, myſtica ſuis interpretatione addita inferendo opuſculis. Hoc ſequaces eorum Eccleſiæ toto orbe magiſtri, etiã integros nonnulli vtriuſque Teſtamenti libros, diligentiori explanatione diſcutiendo. Qui quamlibet hominibus diſpecti, cœleſtis tamen gratiæ ſunt pane fœcundi. Nam ſeruilia cophinis ſolent opera fieri, vnde de populo, qui in luto ac lateribus ſeruiebat in Ægypto, dicit Pſalmiſta: *Manus eius in cophino ſeruierunt.* Pſalm.

Illi ergo homines cùm vidiſſent quod fecerat ſignum, dicebant: Quia hic eſt vere Propheta, qui venturus eſt in mundum.] Rectè quidem dicebant Dominum Prophetam magnum, magnæ ſalutis præconem iam mundo futurum. Nam & ipſe Prophetam ſe vocare dignatur, vbi ait: *Quia non capit Prophetam perire extra Hieruſalem.* Sed nec dum plena fide proficiebant, qui hunc etiam Deum dicere neſciebant. Ergo illi videntes ſignũ quod fecerat Ieſus dixerunt: *Quia hic eſt verè Propheta, qui venturus eſt in mundum.* Nos certiori agnitione veritatis & fidei, vidẽtes mundum quem fecit Ieſus, & ſigna quibus illum repleuit, dicamus: Quia hic eſt vere mediator Dei & hominũ, qui in mũdo erat diuinitate & mundus per ipſum factus eſt. Qui in propria venit humanitate, quærere & ſaluare quod perierat, ac recreare mundum quem fecerat. Qui cum ſuis fidelibus per præſentiam diuinitatis eſt in mundo, omnibus vſque ad conſummationem ſæculi. Luc. 13.

Ieſus autem cùm cognouiſſet quia venturi eſſent vt raperent eum, & facerent eum Regem, fugit iterum in montem ipſe ſolus.] Datur ergo intellegi, quòd Dominus cùm ſederet in monte cum diſcipulis ſuis, & videret turbas ad ſe venientes, deſcenderat de monte, & circa inferiora loco turbas pauerat. Nam quomodo fieri poteſt, vt rurſus illuc fugeret, niſi ante de monte deſcenderet? Significat ergo aliquid quod Dominus de alto deſcendit ad paſcendas turbas, pauit & aſcendit. Quare aſcendit? Cùm cognouiſſet quòd vellent eum rapere, & Regem facere. Quid enim? Non erat Rex qui timebat fieri Rex? Erat omnino, nec talis Rex, qui ab hominibus fieret, ſed talis qui hominibus regnum daret. Numquid fortè & hîc aliquid ſignificat nobis Ieſus, cuius facta verba ſunt? Ergo in hoc quod voluerunt eum rapere & Regem facere. Et propter hoc fugit in montem ipſe ſolus. Hoc in illo factum tacet, nihil loquitur, nihil ſignificat. An fortè hoc erat rapere eum, præuenire velle tempus regni eius? Enim venerat modo nõ iam regnare, qui modo

regnaturus eſt in eo quod dicimus: *Adueniat regnum tuum.* Semper quidem ille cum patre regnat ſecundum quod eſt filius Dei, Verbum Dei, Verbũ per quod facta ſunt omnia. Prædixerunt autem Prophetæ regnum eius, etiam ſecundum id quod homo factus eſt Chriſtus, & fecit fideles ſuos Chriſtianos. Erit ergo regnum Chriſtianorũ quod modo colligitur, quod modo cõmoratur, quod modo emitur ſanguine Chriſti. Erit aliquando manifeſtum regnũ, quãdo erit aperta claritas Sanctorum eius poſt iudicium ab eo factum. Quod iudiciũ B ſuperiùs ipſe dixit, quod filius hominis facturus ſit. De quo regno etiam Apoſtolus dicit: *Cum tradiderit regnum Deo & patri.* Vnde etiã ipſe dicit: *Venite benedicti patris mei, percipite regnum quod vobis paratum eſt ab initio mundi.* Diſcipuli autem & turbæ credentes in eum, putauerunt illum ſic veniſſe vt iam regnaret, hoc eſt, velle rapere & Regem facere, præuenire velle tempus eius, quod ipſe apud ſe occultabat, vt opportunè proderet & opportunè in fine ſeculi declararet. Quare autem dictum eſt fugit? neque enim ſi nollet teneretur, ſi nollet raperetur, qui ſi nollet nec agnoſceretur. Sed hoc ſignificatiuè factum eſt. Solus fugit, ne carnaliter regnaret, quia ſolus aſcendit in cœlum, vnde ſpiritaliter regnaret in ſanctis ſuis. *Fugit in montem ipſe ſolus,* Primogenitus à mortuis, aſcendens ſuper omnes cœlos, & interpellans pro nobis. Quem ſacerdos ſignificat ſemel in anno ſancta ſanctorum ingrediens, non ſine ſanguine, vt interpellaret pro populo. Sic rurſus poſito ſolo in mõte magno, qui intrauit in interiora veli, foris populo cõſtituto. Sed videamus quid illo intra velum cœleſtis altitudinis morante, quid diſcipuli in nauicula patiebantur? Quid eſt nauicula quæ à fluctibus iactabatur, niſi Eccleſia quæ perſecutionibus fatigatur, & foris & intus? Foris à paganis aperta perſecutione. Intus à falſis fratribus occulta ſeditione. Ideo addidit:

1. Cor. 15.
Matt. 25.

Vt autem ſero factum eſt, deſcenderunt diſcipuli eius ad mare, & cùm aſcendiſſent nauiculã venerunt trans mare in Capharnaum.] Cito dixit finitum quod poſtea factum eſt. *Venerũt trans mare in Capharnaum.* Et redit vt exponat quomodo venerunt, quia per ſtagnum nauigantes tranſierunt. Et cum nauigarent ad eum locum, quò eos veniſſe iam dixit, recapitulando exponit quid acciderit:

Tenebræ iam factæ erant, & non venerat ad illos Ieſus. Mare autem vento magno flante exurgebat.] Meritò tenebræ, quia lux non venerat. Tenebræ iam factæ erant, & non

A venerat ad illos Ieſus. Quia quantum propiùs accedit finis mundi, tantò vehementiùs creſcunt errores, crebreſcũt terrores, creſcit iniquitas, creſcit infidelitas. Lux denique, quæ charitas apud Ioannem ipſum Euangeliſtam ſatis apertéque monſtratur, ita vt diceret: *Qui odit fratrem ſuum in tenebris eſt,* creberrimè extinguitur, refrigeſcente charitate, abundãte iniquitate. Ipſi ſunt fluctus nauem turbantes: tempeſtas & venti, clamores ſunt maledictorum. Inde charitas refrigeſcit, inde fluctus augẽtur. Turbabatur nauis vento magno flante, mare exurgebat, tenebræ creſcebant, intelligentia minuebatur, iniquitas augebatur. Tamen inter hæc omnia nauis ibat ad terram, properabat, portum quærebat. Ita inter omnia tentamentorum genera, Eccleſia proficit, laborat, ſed non mergitur. Chriſtum expectat, quando per eum ad portum veniat tranquillitatis.

1. Ioan. 2

Cùm ergo remigaſſet ſtadia viginti quinque aut triginta, vident Ieſum ambulantem ſuper mare, & proximum naui fieri. Et timuerunt. Ille autem dicit eis: Ego ſum, nolite timere.] C Creſcunt fluctus, augentur tenebræ, ſæuiunt tempeſtates; ſed tamen nauis ambulat, quia qui perſeuerauerit in finem, hic ſaluus erit. Nec ipſe ſtadiorum numerus contemnendus eſſe videtur. Et quare dixit Euangeliſta *quaſi ſtadiis viginti quinque aut triginta?* Sufficeret dicere viginti quinque aut triginta niſi quòd hos numeros æſtimantis voce, non adfirmantis protulit idem Euãgeliſta. Quæramus ergo numerum. Viginti quinque vnde conſtãt, vnde fiunt? de quinario. Quinarius ille numerus ad legẽ pertinet. D Ipſi ſunt quinq. libri Moyſi, ipſi ſunt quinque porticus illi languidos cõtinentes. Ipſi quinque panes quinque milia hominum paſcentes. Ergo legem ſignificat numerus viginti quinque, quoniã quinque per quinque, id eſt quinquies quini faciunt viginti quadrato numero, quinario ſuperaddito. Sed huic legi antequam Euangelium veniret deerat perfectio. Perfectio autem in ſenario numero comprehenditur. Nam ſenarius numerus perfectus eſt, & partibus E ſuis implebitur. Id eſt, vnum, duo, tres. Nec aliæ partes in eo inueniri poſſunt, nec illæ partes coniunctæ aliud quid * conficere poſſunt, niſi ſenarium numerum. Propterea ſex diebus Deus mundum perfecit. Et quinque ipſi per ſex multiplicantur, vt lex per Euangelium adimpleatur, vt fiant ſexies quini, triginta. Ad eos ergo † qui implent legem venit Ieſus. Et quomodo venit? Calcans fluctus, omnes tumores mun-

* al. aliquid.
† al. igitur.

di ſub pedibus habens, omnes celſitudines ſeculi premens. Et tamen tantæ ſunt tribulationes, vt etiam ipſi qui crediderunt in Ieſum, & qui conantur perſeuerare, expaueſcant nec deficiant, Chriſto fluctus calcante ſeculi. Cur timet Chriſtianus dum Chriſtus loquitur? *Ego ſum, nolite timere. Confidite, ego vici mundum.*

Voluerunt ergo eum accipere in naui. Agnoſcentes, ac gaudentes, ſecuri facti. Et ſtatim fuit nauis ad terram in quam ibant.] Factus eſt finis ad terram, de humido ad ſolidum, de turbato ad firmum, de itinere ad finem, id eſt, ad perfectam trãquillitatem, quæ non erit niſi in portu æternæ ſerenitatis. Ibi tota charitas & nulla iniquitas, tota felicitas & nulla perturbatio, vbi ſine fide regnabunt, qui hoc fortiter vſque in finem vitæ ſuæ laborant.

Altera die turba, quæ ſtabat trans mare, vidit quia alia nauicula non eſſet ibi niſi vna, & quia non introiſſet Ieſus cum diſcipulis ſuis in nauem, ſed ſoli diſcipuli eius abiiſſent.] Alię verò ſuperuenerunt naues à Tiberiade, iuxta locum, vbi manducauerunt panem, gratias agentes Deo.

Cap. XIII.

A turbis quæſitus & inuentus ait, Operamini cibum non qui perit, ſed qui permanet in vitam æternam. *Et panem de cœlis ſeducit verum, vitamque mundi.*

CVm *ergo vidiſſet turba, quia Ieſus non eſſet ibi, neque diſcipuli eius, aſcenderunt in nauiculas, & venerunt in Capharnaum quærentes Ieſum.*] Inſinuatum eſt tamen illis tam magnum miraculum. Viderũt enim quòd diſcipuli ſoli aſcendiſſent in nauem. Et quia nauis non erat ibi. Venerunt autem inde & naues iuxta locum illum, vbi manducauerunt panem, in quibus eum turbæ ſecutæ ſunt cum diſcipulis. Ergo non aſcenderat. Alia nauis illic non erat. Vnde ſubito trans mare factus eſt Ieſus, niſi quia ſuper mare ambulauit, vt miraculum monſtraret. Et cùm inueniſſent eum turbæ. Ecce præſentat ſe turbis, à quibus rapi timuerat, & in montem fugerat, omnino confirmans, & inſinuans nobis in myſterio dicta eſſe illa omnia, & facta in magno ſacramento, vt aliquid ſignificarent. Ecce adeſt ille qui in montem fugerat turbas, nonne cum ipſis turbis loquitur? modo teneant, modo regem faciant.

Et cum inueniſſent eum trans mare, dixerunt ei: Rabbi, quando huc veniſti?] Ille poſt mi-

A raculi ſacramentum & ſermonem infert, vt ſi fieri poteſt qui paſti ſunt paſcantur, & quorum ſatiauit panibus ventrem, ſatiet ſermonibus mentem, ſed ſic vt capiunt: & ſi non capiunt, ſumant quod capiant, ne fragmenta pereant. Loquatur ergo Dominus, & audiamus.

Reſpondit Ieſus & dixit eis. Amen amen dico vobis, quæritis me non quia vidiſtis ſigna, ſed quia manducaſtis ex panibus meis, & ſaturati eſtis.] Propter carnem me quæritis, non propter ſpiritum. Quàm multi non quærunt Ieſum, niſi vt illis faciat bene ſecundum tempus!

B Alius negotium habet, quærit interceſſionem clericorum. Alius premitur à potente, refugit ad Eccleſiã. Alius vult pro ſe interueniri apud eum, contra quẽ parũ valet. Ille ſic, iſte vero ſic. Impletur cottidie talibus Eccleſia, vix quæritur Ieſus propter Ieſum. *Quæritis me non quia vidiſtis ſigna, ſed quia manducaſtis ex panibus meis.*

Operamini nõ cibum qui perit, ſed qui permanet in vitã æternã.] Quæritis me propter aliud,

C quærite me propter me. Seipſum enim inſinuat iſtum cibum, qui in conſequentibus inluceſcit, *quem filius hominis dabit vobis.* Expectabas credo iterum panes manducare, iterum diſcumbere, iterum ſaginari. Sed † dixerat cibum non qui perit, ſed qui permanet in vitam æternam. Superius diximus, nauem Eccleſiam Chriſti ſignificare, quæ tempeſtatibus huius ſeculi turbatur, & laborantes in ſe portat, vt viriliter laborẽt, donec Chriſtus comprimat fluctus perſecutionum, & reddat ſerenitatem. Hic verò

† al. ſerm. ipſum.

Pſa.

D dicit, *Altera die turba quæ ſtabat trans mare, vidit quia alia nauicula non erat ibi niſi vna.* Quid eſt altera die turbam ſtare ſuper mare, niſi poſt aſcenſionem Chriſti turba ſtans in operibus bonis, non iacens in terrenis volutabris, ſed expectans vnde veniat ad eos Ieſus? Et hic vna nauis dicitur, ſicut prius vna fuit Eccleſia Chriſti, in qua ille præſentialiter corpore verſabatur. Nunc quoque vna eſt, quæ ſimiliter in ſpe expectat aduẽtum illius. Sed quid eſt quod aliæ

E naues venerunt à Tiberiade, niſi hæreticorum conuenticula, quæ Ieſum non ſyncera fide quærunt, quæ ſub dolo calliditatis ſua quærunt, non quæ ſunt Ieſu. Vnde conſequenter reſpondit eis Ieſus: *Amen amen dico vobis, quæritis me non quia vidiſtis ſigna, ſed quia manducaſtis ex panibus & ſaturati eſtis.* De illis verò qui ſaturati ſunt, in alio dicit Euangelio: *Væ vobis qui ſaturati eſtis.* De eſurientibus verò vitæ panem, & iuſtitiæ cognitionem dicitur: *Beati qui eſuriunt*

Philip. 2.

Lucæ 6.

Matth. 5.

riunt & ſitiunt iuſtitiam. Ad quem cibũ hortabatur eos, in ſequenti mox Chriſtus ſermone dicens: *Operamini non cibum qui perit, ſed qui permanet in vitam æternam.* Carnalis cibus perit, ſpiritalis verò permanet, quem filius hominis vobis dabit.

Hunc ergo pater ſignificauit † Deus.] Iſtum filiũ hominis nolite ſic accipere quaſi alios filios hominis, quibus dictum eſt: *Filij autem hominum in protectione alarum tuarum ſperabunt.* Iſte filius hominis ſequeſtratus quadã gratia Dei eſt à cæteris filiis hominum. Iſte filius hominis exceptus à numero hominum, filius hominis eſt. Iſte filius hominis & filius Dei eſt. Iſte homo, etiam Deus eſt. Vnde & ipſa Veritas, quę tunc loquebatur ad Iudæos, & nunc omnibus loquitur per Euangelicæ prædicationis verba, & quis ſit oſtendit, non qualem eſſe plurimi tunc æſtimauerunt, vel etiam nunc æſtimanti. Subiunxit verò: *Hunc enim Deus pater ſignificauit.* Signare quid eſt, niſi proprium aliquid ponere? Hoc eſt ſignare, ponere aliquid quod non confundatur cum cæteris. Signare eſt, ſignum rei ponere. Cuicunque rei ponis ſignum, ideo ponis ſignum, ne confuſa cum aliis à te non poſſit agnoſci. Pater ergo eũ ſignauit. Quid eſt ſignauit? proprium quiddã illi dedit, ne cęteris compararetur hominibus, Ideo dictũ eſt. *Vnxit te Deus, Deus tuus oleo exultationis, præ participibus tuis.* Ergo ſignare quid eſt? exceptum habere, hoc eſt, præ participibus tuis. *Itaque nolite,* inquit, *me contemnere quia filius hominis ſum, & quærite à me cibum, non qui perit, ſed qui permanet in vitam æternam.* Sic enim filius hominis ſum, vt non ſim vnus ex vobis. Sic ſum filius hominis, vt Deus pater me ſignaret. Quid eſt ſignare? proprium aliquid mihi dare, quo non cõfunderer cum genere humano, ſed per me liberaretur genus humanum.

† al. ſignauit.
Pſalm. 35.
Pſalm. 44

Dixerunt ergo ad eum: Quid faciemus vt operemur opera Dei?] Dixerat enim illis: *Operamini eſcam non quæ perit, ſed quæ permanet in vitam æternam.* Quid faciemus, inquiunt? quid obſeruando, hoc præceptum implere poterimus?

Reſpondit Ieſus, & dixit eis: Hoc eſt opus Dei vt credatis in eum quem miſit ille.] Hoc eſt ergo manducare cibum non qui perit, ſed qui permanet in æternum. Vt quid paras dentem & ventrem? Crede & manducaſti. Diſcernitur quidem ab operibus fides, ſicut Apoſtolus dicit; Iuſtificari hominem per fidem, ſine operibus legis. Et ſunt opera quæ videntur bona ſine fide

A Chriſti, & non ſunt bona, quia non referuntur ad eum finem ex quo ſunt omnia bona. Finis enim legis Chriſtus ad iuſtitiam omni credenti. Ideo noluit diſcernere fidem ab opere, ſed ipſam fidem dixit eſſe opus. Ipſa eſt enim fides, quæ per dilectionem operatur. Nec dixit, Hoc eſt opus veſtrum; ſed dixit, *Hoc eſt opus Dei vt credatis in eum quem miſit ille, vt qui gloriatur, in Domino glorietur.* Quia ergo inuitabat eos ad fidem, illi adhuc quærebant ſigna quibus crederent. Vnde ſi non Iudæi ſigna petunt?

Rom. 10.
1. Cor. 1.

B *Dixerunt ergo ei, Quod ergo tu facis ſignum vt videamus & credamus tibi, quid operaris?*] Parúmne erat quod de quinque panibus paſti ſunt? Sciebant hoc quidem, ſed huic cibo manna de cœlo præferebant. Dominus autem Ieſus talem ſe dicebat, vt Moyſi præponeretur. Non enim auſus eſt Moyſes de ſe dicere quod daret cibum, non qui perit; ſed qui habet vitam æternam. Aliquid plus promittebat Dominus quàm Moyſes. Per Moyſen quippe C promittebatur regnum, & terra fluens lac & mel, temporalis pax, abundantia filiorum, ſalus corporis, & cætera omnia temporalia quidem, in figura tamen ſpiritalia, qui veteri homini in veteri teſtamento promittebatur. Attendebant autem promiſſa per * Moyſen, & attendebant promiſſa per Ieſum. Ille plenum ventrem promittebat in terra, ſed cibum qui perit. Iſte promittebat cibum non qui perit, ſed qui permanet in vitam æternam. Adtendebant enim * plus promittentem, D & quaſi nondum videbant maiora facientem. Adtendebant vtique qualia feciſſet Moyſes, & adhuc aliqua maiora volebant fieri ab eo, qui tam magna pollicebatur. *Quid,* inquiunt, *facis vt credamus tibi?* Et vt noueritis quia miracula illa huic miraculo comparabant, & ideo quaſi maiora iſta iudicabant quàm quæ faciebat Ieſus.

* al. per Chriſtum Moyſi.
* al. autẽ.

Patres noſtri, inquiunt, *manna manducauerunt in deſerto.*] Sed quidem manna fortè E contẽnitis, ſicut ſcriptũ eſt: *Dedit illis manna manducare per Moyſen.* Patres noſtri panem de cœlo acceperunt, & non eis datum eſt à Moyſe: *Operamini cibum qui non perit, ſed qui permanet in vitam æternam.* Et tu non talia operaris qualia Moyſes. Panes ordeaceos ille non dedit, ſed manna de cœlo.

Dixit ergo eis Ieſus: Amẽ amen dico vobis, Non Moyſes dedit vobis panem de cœlo, ſed Pater meus dedit vobis panem de cœlo.] Verus enim panis

eſt, qui de cœlo deſcendit, & dat vitã mundo. Verus ergo ille panis eſt qui dat vitam mundo, & ipſe cibus eſt, de quo paulo ante locutus ſum: *Operamini cibum qui non perit, ſed qui permanet in vitam æternam.* Ergo & illud manna hoc ſignificabat, & illa omnia ſigna mea erant. Signa mea dilexiſtis, quod ſignificabant cõtemnitis. Non ergo Moyſes dedit panem de cœlo. Deus dat panem. Sed quem panem? forte manna? Non, ſed panem quem ſignificauit manna, ipſum ſcilicet Dominum Ieſum.

Pater meus dat vobis panem verum.] Panis verus Dei eſt qui deſcendit de cælo, & dat vitam mundo.

Dixerunt ergo ad eum: Domine ſemper da nobis panem hunc.] Quomodo mulier Samaritana, cui dictum eſt, *Qui biberit de hac aqua, nõ ſitiet vnquam*, continuò illa ſecundum corpus accipiens, ſed tamen carere indigentia nolens: *Da*, inquit, *mihi Domine de hac aqua*: Sic & iſti, *Domine da nobis panem hunc qui nos reficiat nec deficiat.*

Cap. XIV.

Panem vitæ ſe dicit, & reſurrecturos credentes in ſe in nouiſſimo die.

Dixit ergo eis Ieſus, *Ego ſum panis vitæ. Qui venit ad me non eſuriet, & qui credit in me non ſitiet vnquam.*] *Qui venit ad me*, hoc eſt, quod ait, *Et qui credit in me.* Et quod dixit, *Non eſuriet*, hoc intelligendum eſt, *non ſitiet vnquam.* Vtroque enim illa ſignificatur ęterna ſatietas, vbi nulla eſt egéſtas. Panem de cœlo deſideratis, ante vos habetis, & non manducatis.

Rom. 3. *Sed dixi vobis, quia & vidiſtis me, & non credidiſtis.*] Sed non ideo ego populum perdidi. Nunquid enim infidelitas veſtra fidem Dei euacuauit? Videamus enim quod ſequitur:

Omne quod dat mihi pater ad me veniet, & eum qui venit ad me nõ eiiciam foras.] Quale eſt illud intus, vnde non exitur foras? Magnũ penetrale & dulce ſecretum. O ſecretum ſine tædio, ſine amaritudine malarum cogitationum, ſine interpellatione tentationum & dolorum! Nónne illud ſecretum eſt, quò intrabit ille, cui dicturus eſt Deus,
Matth. 25. *Euge ſerue bone & fidelis, intra in gaudium Domini tui*? Et, *Eum qui veniet ad me, non eiiciam foras:* quia deſcendi de cœlo.

Non vt faciam voluntatem meam, ſed eius qui miſit me.] Ideo ergo eum qui veniet ad te non eiicies foras, quia deſcendiſti de cœlo, non facere voluntatem tuã, ſed voluntatem eius qui te miſit. Magnũ ſacramentum eſt quod ait: *Qui venit ad me non eiiciam foras.* Cauſam mox ſubiungens, quare foras non eiecerit ad ſe venientẽ, id eſt, in ſecretum dentem dicit: *Quia non veni facere voluntatem meam, ſed voluntatem eius qui miſit me.* Quis eſt, qui eiicitur foras, de illo dulci & ſuauiſſimo ſecreto, quò intrare præcipitur ſeruus faciens voluntatẽ Domini ſui: niſi ſuperbus, niſi anima in ſe ipſa confidens, & ſuæ poteſtatis eſſe quærẽs, nec non Propheta habẽs dicere: *Nonne Deo anima mea ſubiecta eſt?* Anima vero per humilitatem Dei ſubiecta gratiæ, nunquam eiicitur foras, ſed intrat in gaudium Domini Dei ſui. Igitur vt cauſa omniũ morborum curaretur, id eſt, ſuperbia, deſcendit humilitas, id eſt humiliauit ſe filius Dei. Quid ſuperbis homo? Deus humilis propter te factus eſt. Puderet te forſitan imitari humilem hominem, ſaltẽ imitare humilem Deũ. Venit filius Dei in homine, & humilis factus eſt. Præcipitur tibi vt ſis humilis, non tibi præcipit ex homine facias pecus. Ille Deus factus eſt homo, tu homo cognoſce quia es homo. Tota humilitas tua eſt vt cognoſcas te. Ergo quia humilitatem docet Deus, dixit: *Non veni facere voluntatem meam, ſed eius qui me miſit.* Hæc enim commendatio, humilitatis eſt. Superbia quippe facit voluntatem ſuam, humilitas facit voluntatem Dei. *Ideo qui ad me venerit non eiiciam foras.* Quare? quia *non veni facere voluntatem meam, ſed voluntatẽ eius qui me miſit.* Humilis veni, humilitatem docere veni, magiſter humilitatis veni. Qui ad me venit, incorporetur mihi. Qui ad me venit, humilis fit. Qui mihi adhæſerit †, humilis erit, quia non faciet voluntatem ſuam, ſed Dei. Et ideo *non eiicietur foras.* † al. adh. Philip. 2.
Quia Adam cùm ſuperbus eſſet, proiectus eſt foras. Chriſtus verò humilis factus, exaltatus eſt ſuper omne nomen quod nominatur vel in cœlo vel in terra. Qui doctor humilitatis venit, non facere voluntatem ſuam, ſed voluntatem eius qui miſit illum. Veniamus ad eũ, intremus ad eum, incorporemur ei, vt nec nos faciamus voluntatẽ noſtram, ſed voluntatem Dei. Et non nos eiiciet foras, quia membra eius ſumus, quia caput noſtrum eſſe voluit docẽdo humilitatẽ. Ad quẽ venire nõ poteſt niſi humilis, à quo non mittitur foras, niſi ſuperbus.

Hæc eſt voluntas eius qui miſit me patris, vt omne quod dedit mihi, non perdam ex eo, ed reſuſcitem illud in nouiſſimo die.] Ipſe ille datus eſt. Qui ſeruat humilitatem, hoc accipit. Qui non ſeruat humilitatem, longè eſt à magiſtro humilitatis.

Vt omne quod dedit mihi Pater non perdam ex eo.] Sic non eſt voluntas in conſpectu patris veſtri, vt pereat vnus de puſillis iſtis.
Matth. 18. De tumentibus poteſt perire, de puſillis nihil perit. Quia niſi fueritis ſicut puſillus iſte, non intrabitis in regnum cœlorum. *Omne quod dedit mihi pater non perdam ex eo, ſed reſuſcitabo ego eum in nouiſſimo die.* Videte quemadmodum & hic geminam illam reſurrectionem deliniat. Qui venit ad me, modo reſurgit humilis factus in membris meis. Sed reſuſcitabo eum in nouiſſimo die ſecundum carnem.

Hæc eſt enim voluntas patris mei qui miſit me, vt omnis qui videt filium & credit in eum, habeat vitam æternam. Et ego reſuſcitabo eum in nouiſſimo die.] Superius dixit, *qui audit verbum meum & credit ei qui miſit me.* Modo autem, *qui videt filium & credit in eum.* Non dixit videt filium, & credit in patrem. Hoc eſt enim credere in filium, quod & in patrem. Quia ſicut habet vitam pater in ſemetipſo, ſic dedit & filio vitam habere in ſemetipſo. *Vt omnis qui videt filium, & credit in eum, habeat vitam æternam.* Credendo & tranſeundo ad vitam, tanquam primam illam reſurrectionem. Et quia non eſt ſola, *& reſuſcitabo,* inquit, *eum in nouiſſimo die.* Sequitur:

Ego ſum panis viuus qui de cœlo deſcendi.] Ideo panis, quia vita, & ideo vita, quia de cœlo deſcendit, dicente ipſo: *Ego ſum via, veritas, & vita.* Ille eſt panis ſuperſubſtantialis, qui vt nobis detur cottidie, deprecari iubemur, cùm Dominus noſter Ieſus Chriſtus panem ſe dicebat de cœlo deſcendiſſe.

Cap. XV.

Murmurantes Phariſæi filium Ioſeph eum dicũt. Et ipſe inter plura carnem ſuam panem ſe daturũ dicit pro mundi vita. Et cætera his ſimilia plurima de pane & carne ſua teſtatur.

M*Vrmurarunt Iudæi & dixerunt ei: Hic eſt filius Ioſeph, cuius nos nouimus patrem & matrem. Quomodo ergo dicit hic, quia de cœlo deſcendi?*] Ideo murmurabant, quia hunc panem non intellegebant, hunc panem non eſuriebant, hunc panem non amabãt. Si amarent vtique non murmurarent. Ideo à pane cæleſti longè erant, nec eum eſurire nouerant. Fauces cordis languidas habebant, auribus apertis ſurdi erant. Videbant, & cæci ſtabant. Panis quippe iſte, interioris hominis quęrit eſuriem. Vnde alio loco dicit: *Beati qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiã, quoniam ipſi ſaturabuntur.* Dixerunt: *Cuius nouimus patrem & matrem.* Matrem ſciebant terrenam, patrem neſciebant cœleſtem. Quia à patre cœleſti adtracti nõ fuerunt. Quod mox ipſe Dominus ſequenti verbo innotuit, dicens:

Nolite murmurare inuicem. Nemo poteſt venire ad me niſi pater, qui miſit me, adtraxerit eũ.] Quid eſt, *Nemo poteſt venire ad me;* niſi quia nemo poteſt credere in me, *niſi pater qui miſit me adtraxerit eum?* Ille venit quem gratia Dei pręuenit. Cui cum Propheta dicamus: *Miſericordia eius præueniet me.* Et iterùm, *Miſericordia eius ſubſequetur me.* Pſalm. 58. Pſalm. 22. Præueniet velle, ſubſequetur perficere. Trahit pater ad filium eos, qui propterea credũt in filium; quia eum cogitant patrem habere Deum. Deus enim pater æqualem ſibi genuit filium. Et qui cogitat atque in fide ſua ſentit & ruminat, æqualem eſſe patri eum in quem credit, ipſum trahit pater ad filium. Qui enim de Chriſto dicit, non eſt Deus verus, non trahit eum pater, ſed ſua peruerſa cogitatio trahit eum, veritati non conſentire. Ille tractus eſt à patre qui ait, Matth. 16. *Tu es Chriſtus filius Dei viui.* Cui Dominus inquit, *Beatus eſt Simon Bariona, quia caro & ſanguis non reuelauit tibi, ſed pater meus qui in cœlis eſt.* Iſta reuelatio ipſa eſt attractio. Dũ enim dixit, *Nemo poteſt venire ad me niſi pater qui me miſit adtraxerit eum,* continuò ſubiunxit: *& ego reſuſcitabo eum in nouiſſimo die.* Credendo quod ſperat, videbit quod adhuc non videndo credidit. Manducabit quod eſuriit, ſatiabitur eo quod ſitit. Vbi? in reſurrectione mortuorum. Quia *ego reſuſcitabo eum in nouiſſimo die.*

Scriptum eſt enim in Prophetis: Et erunt omnes docibiles Dei.] Quare hoc dicit, ô Iudæi? Pater vos non docuit, quomodo poteſtis me cognoſcere? Omnes regni illius homines docibiles Dei erunt. Non ab hominibus audiũt. Et ſi ab hominibus audiunt, tamen quod intellegunt intus datur, intus coruſcat, intus reuelatur. Homines foris verbum ſonare poſſunt, ſed in vanum laborant niſi intus Deus docens aperiat ſenſus. Ille eſt Dei docibilis, quem Deus intus veritatis inſtruit agnitione & amore.

Omnis qui audit à patre, & didicit, venit ad me.] Quomodo trahit pater? docendo delectat, non neceſſitatem imponendo. Quia nemo neceſſitate credit, ſed voluntate. Filius dicebat, pater docebat. Homo qui videbatur loquebatur, ſed vt Deus in corde audientis interius docebat. Ideo ſubiunxit:

Non quia patrem vidit quiſquam, niſi is qui eſt à Deo, hic vidit patrem.] Nolite putare patrem eſſe viſibilem vobis, nemo vidit patrem, niſi is qui eſt à Deo, hic vidit patrem. Ego ſum à patre, & ideo patrẽ video. Quod eſt autem vos trahi à patre, niſi diſcere à patre? Quid eſt diſcere à patre, niſi audire patrem? Et quid eſt audire à patre, niſi audire Verbum patris, id eſt me? Ne fortè ergo cũ dico vobis: *Omnis qui audiuit à patre & didicit*, dicatis apud vos: ſed nunquam vidimus patrem. Quomodo autem diſcere potuimus à patre? A meipſo audite. Non quia patrem vidit quiſquam, ſed qui eſt à Deo, hic vidit patrem. Ego noui patrem, ab illo ſum, ſed quomodo verbum ab illo cuius eſt verbum. Non quod ſonat & tranſit, ſed quod manet cum dicente, & trahit audientem. Sequitur:

Amen amen dico vobis, qui credit in me, habet vitam æternã.] Reuelare ſe voluit quid eſſet. Nã cõpendio dicere potuit: Qui credit in me, habet me. Ipſe enim Chriſtus verus eſt Deus, & vita æterna. Qui ergo credit in me, inquit, it ad me, & qui it ad me, habet me. Quid eſt autẽ habere me? habere vitã æternã. Mortẽ aſſumpſit vita æterna & mori voluit: Sed de tuo ô homo, non de ſuo. Accepit à te, vbi moreretur pro te. Aſſumpſit † ergo vita mortem, vt vita occideret mortem. Nam qui credit, inquit, habet vitam æternam; non quæ patet, ſed quæ latet. Vita enim æterna, Verbum in principio apud Deum erat, & Deus erat Verbum, & erat lux vita hominum. Mori venit, ſed tertia die reſurrexit.

† al. Accepit.

Ego ſum, inquit, *panis vitæ.*] Et vnde illi ſuperbiant? *Patres*, inquit, *veſtri manducauerunt manna, & mortui ſunt.* Quare manducauerunt, & mortui ſunt? Quia quod videbant credebant, quod non videbãt non intellegebant. Ideo patres veſtri, quia ſimiles eſtis illorum. Manducauerunt Moyſes & Aaron, & cæteri ſancti qui fuerunt in populo, manna, & non ſunt mortui, quia ſpiritaliter viſibilem cibum intellexerunt, ſpiritaliter eſuriunt. Alij verò manducauerunt, & permanſerunt in infidelitate. Sicut Iudæi audierunt loquentem Chriſtum, ſed non ſpiritaliter verba eius intellexerunt. Ideo dixit eis: *Patres veſtri manducauerunt manna in deſerto, & mortui ſunt.* Qua morte, niſi infidelitatis? Nam communi morte mortui ſunt & ſancti, qui fuerunt inter eos. Ideo ſignauit Dominus his verbis mortem ſpiritalem, non carnalem. Patres ergo iſtorum, id eſt, mali, patres malorum. Infideles patres, infideles murmuratores, patres murmuratorum. Nam de nulla re magis Deum offendiſſe ille populus dictus eſt, quàm contra Deum murmurando. Ideo & Dominus volens oſtendere talium filios, hinc ad eos cœpit, *Quid murmuratis in inuicem*, murmuratores, filii murmuratorum? *Patres veſtri manna manducauerunt, & mortui ſunt*: non quia malum erat manna, ſed quia malè manducauerunt.

Hic eſt panis qui de cœlo deſcendit.] Hunc panem ſignificauit manna. Hunc panem ſignificat altare Dei. Sacramenta illic fuerunt. In ſignis diuerſa ſunt, in re, qua ſignificantur, paria ſunt. Apoſtolum audi: *Nolo enim*, inquit, *vos ignorare fratres, quia patres noſtri omnes ſub nube fuerunt, & omnes per mare tranſierunt, & omnes in Moyſe baptizati ſunt in nube & in mari, & omnes eandem eſcam ſpiritalem manducauerunt.* Spiritalem vtique, non corporalem. Alteram, quia illi manna, nos aliud. Spiritalem verò quàm nos, ſed patres noſtri, non patres illorum. Quibus nos ſimiles ſumus, non quibus illi ſimiles fuerunt. Hic eſt ergo panis de cœlo deſcendens, vt ſi quis ex ipſo manducauerit, non moriatur. Sed quod pertinet ad virtutem ſacramenti, non quod pertinet ad viſibile ſacramentum. Qui manducat intus, non foris: qui manducat in corde, non qui premit dente.

1. Cor.

Ego ſum panis viuus qui de cœlo deſcendi.] Ideo viuus, quia de cœlo deſcendit. De cœlo deſcendit & manna, ſed manna vmbra erat, iſta veritas eſt.

Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum. Et panis quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita.] Hoc quando caperet caro, quod dixit panem carnem? Vocatur caro, quod non capit caro. Et ideo magis nõ capit caro, quia vocatur caro. Hoc enim exhorruerunt, hoc aſſimulatum eſſe dixerũt, hoc non poſſe fieri putauerũt. *Caro mea eſt*, inquit, *pro mundi vita.* Norunt fideles corpus Chriſti, ſi corpus Chriſti eſſe non negligunt. Fiant corpus Chriſti, ſi volunt viuere de ſpiritu Chriſti. De ſpiritu Chriſti non viuit, niſi corpus Chriſti. Quiſque viuere vult, credat in Chriſtum, manducet ſpiritaliter ſpiritalem cibum. Incorporetur corpori Chriſti, & non ſit putridum membrum, quod reſecari mereatur *. Sit pulchrum, ſit ſanum, ſit aptum capiti ſuo.

† al. [illegible]

Litigabãt ergo Iudæi ad inuicem dicẽtes: Quomodo poteſt hic nobis carnẽ ſuã dare ad mãducandũ?] Litigabant vtique ad inuicẽ, quoniam panem cõcordiæ nõ intellegebant, nec ſumere volebãt. Nã qui manducant talẽ panem,

non litigant ad inuicem. Quoniam vnus A panis vnum corpus multi ſumus. Et per hunc facit Deus vnius moris habitare in domo. Quod autem ad inuicem litigantes quærunt, quomodo poſſit Dominus carnē ſuam dare ad manducandum, non ſtatim edunt, ſed adhuc eis dicitur:

1. Cor. 10.
Pſal. 67.

Amen amen dico vobis, niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, no habebitis vitam in vobis.] Quomodo quidem detur, & quiſnam modus ſit manducandi iſtum panem ignoratis. Veruntamen niſi manducaueritis carnem filij hominis, B & eius ſanguinem biberitis, non habetis vitam in vobis. Hæc non itaque cadaueribus, ſed viuentibus loquebatur. Vnde ne iſtam vitam intelligentes de hac re litigarent, ſequutus adiunxit.

Qui manducat meam carnem & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam.] Hanc ergo non habet, qui iſtum panem non manducat, nec iſtum ſanguinem bibit. Nam temporalem vitam ſine illo vtcunque homines in hoc ſeculo, qui non ſunt per fidē in corpore eius, habere poſſunt. Æternam C autem, quę ſanctis promittitur, numquam. Ne autem putarent ſic in iſto cibo & potu eis qui carnaliter ſumunt*, & non ſpiritaliter intellegunt, in fide promitti vitā æternam, vt qui eam ſumerent, iam nec corpore morerentur; huic etiam cogitationi eſt dignatus occurrere. Nam cum dixiſſet, *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam.* Continuo ſubiecit, & dixit:

*al. ſapiūt.

Et ego reſuſcitabo eū in nouiſſimo die.] Vt habeat interim ſecundum ſpiritum vitā æternam in requie, quæ ſanctorum ſpiritus ſuſcipit. Quod autem ad corpus attinet, nec D eius vita æterna fraudetur, ſed in reſurrectione mortuorum, in nouiſſimo die caro viua reſurgat.

Caro enim mea, inquit, *verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus.*] Cum enim cibo & potu id appetant homines, vt non eſuriant neque ſitiant; hoc veraciter non præſtat niſi iſte cibus & potus, qui eos à quibus ſumitur immortales, & incorruptibiles facit. E Id eſt, ſocietas ipſa ſanctorū, vbi pax erit, & vnitas plena atque perfecta. Propterea quippe, ſicut etiam hoc ante nos intellexerunt homines, Dominus noſter Ieſus Chriſtus corpus & ſanguinem ſuum in eis rebus commendauit, quæ ad vnum aliquid rediguntur ex multis. Namque aliud in vnum aliquid ex multis granis cōficitur & cōſtat, aliud in vnum ex multis racemis† cōfluit. Denique iam exponit quomodo id fiat

†al. acinis.

quod loquitur, & quid ſit manducare corpus eius, & ſanguinem bibere.

Et qui manducat, inquit, *meam carnem, & bibit meum ſanguinē, in me manet & ego in eo.*] Hoc eſt ergo manducare illam eſcam, & illum bibere potum, in Chriſto manere, & illū manentē in ſe habere. Ac per hoc qui non manet in Chriſto, & in quo non manet Chriſtus, proculdubio nec manducat ſpiritaliter eius carnē; licet carnaliter & viſibiliter premat ſacramentum corporis & ſanguinis Chriſti; ſed magis tātæ rei ſacramentum ad iudiciū ſibi manducat & bibit, quia immundus præſumpſit ad Chriſti accedere ſacramenta, quæ alius non dignè ſumit, niſi qui mūdus eſt, de quibus dicitur: *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.* Matth. 5.

Sicut miſit me, inquit, *viuens pater, & ego viuo propter patrem. Et qui manducat me, & ipſe viuit propter me.*] Non enim filius participatione patris fit melior, qui eſt natus æqualis, ſicut participatio filij per vnitatē corporis eius & ſanguinis, quæ illa manducatio potatioq. ſignificat, efficit nos meliores. Viuimus ergo nos propter ipſum mārducantes eum, id eſt, ipſum accipientes æternam vitā, quam non habemus ex nobis. Viuit autem ipſe propter patrem miſſus ab eo, quia ſemetipſum exinaniuit, factus obe Philip. 2. diens vſque ad ſignū* crucis. *Sicut miſit me viuens pater, & ego viuo propter patrem, & qui manducat me, ipſe viuit propter me.* Ac ſi diceret. Et ego viuam propter patrem, id eſt, vt ad illum tanquam ad maiorem referam vitam meā, exinanitio mea fecit, in qua me miſit. Vt autem quiſque viuat propter me, participatio facit, qua manducat me. Ego itaque humiliatus viuo propter patrem, ille rectus viuit propter me. Non de ea natura dixit qua ſemper eſt æqualis patri, ſed de ea in qua minor factus eſt patri. Quia etiā ſuperius dixerat: *Sicut pater habet vitam habere in ſemetipſo*, ita dedit filio vitam habere in ſemetipſo. Id eſt, genuit filium vitam habentem in ſemetipſo.

*al. mortē.

Hic eſt panis qui de cœlo deſcendit.] Vt illud manducando viuamus, quia æternā vitam ex nobis habere non poſſumus.

Non ſicut manducauerunt, inquit, *patres veſtri manna, & mortui ſunt. Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.*] Quod ergo illi mortui ſunt, ita vult intelligi, vt non viuāt in æternum. Nam temporaliter profectò & hic morientur, qui Chriſtum manducāt; ſed viuent in æternū, quia Chriſtus eſt vita æterna. Signum eiuſquia mādúcauit, & bibit, hoc eſt, ſi manet & manetur, ſi habitat & inhabitatur, ſi ſic hęret vt nō deſeratur.

Hoc ergo nos docuit & ammonuit myſticis verbis, vt ſimus in eius corpore, ſub ipſo capite in membris eius, edentes carnem eius, non relinquentes vnitatem eius. Sed qui aderant plures non intelligendo ſcandalizati ſunt. Non enim cogitabāt hæc audiendo, niſi carnem, quod ipſi erant. Apoſtolus autem dicit, & verum dicit. Sapere ſecundum carnem, mors eſt. (Rom. 8.) Carnem ſuam dat nobis Dominus ad manducandum, & ſapere tamen ſecundum carnem mors eſt; cum de carne ſua dicat, quia ibi eſt vita æterna. Ergo nec carnem debemus ſapere ſecundum carnem, ſicut in his verbis, *Multi itaque audientes*, non ex inimicis, ſed ex diſcipulis eius, dixerunt:

Durus eſt hic ſermo. Quis poteſt eum audire?] Si diſcipuli durum habuerūt iſtum ſermonem, quid inimici? Et tamen ſic oportebat, vt diceretur, quod non ab hominibus intellegeretur. Secretum Dei intentos debet facere, non auerſos. Iſti autem citò defecerunt, & talia loquente Domino Ieſu non crediderunt, aliquid magnum dicente, & verbi illius aliquam gratiam cooperiente. Sed prout voluerunt, ita intellexerunt. Et more hominum quia apud eos erat Ieſus, aut hoc diſponebat Ieſus, carnem qua indutum erat Verbum, velut inconciſſam diſtribuere credentibus in ſe, *Durus eſt*, inquiunt, *hic ſermo, quis poteſt eum audire?*

Sciens autem Ieſus apud ſemetipſum, quia murmurarent de hoc diſcipuli eius.] Sic enim apud ſe iſta dixerunt, vt ab illo non audirentur. Sed ille qui eos nouerat in ſeipſis, audiens apud ſemetipſum, reſpondit, & ait:

Hoc vos ſcandalizat.] Quia dixi, carnem meam do vobis manducare, & ſanguinem meum bibere, hoc vos nempe ſcandalizat.

Si ergo videritis filium hominis aſcendentem vbi erat prius.] Quid eſt hoc? hinc ſoluit quod illos mouerat. Hinc aperuit vnde fuerant ſcandalizati, hinc planè ſi intellegerent. Illi enim putauerunt illum erogaturum corpus ſuum, ille autem ſe dixit aſcenſurum in cœlum, vtique integrū: *Cum videritis filium hominis aſcendentem, vbi erat prius*, certè vel tunc videbitis, quia non eo modo quo putatis erogat corpus ſuum. Certè vel tunc intellegetis, quia gratia eius non conſumitur morſibus. In his verbis perſpicuè intellegitur Chriſtum eſſe vnam perſonam, dum dixit filium hominis eſſe prius in cœlo. In terra loquebatur & in cœlo ſe eſſe dicebat. Quo pertinet, niſi vt intellegamus vnam perſonam eſſe Chriſtum Deum & hominem, non duas? ne fides noſtra nō ſit trinitas, ſed quaternitas. Chriſtus ergo vnus eſt, verbum, anima & caro. Vnus Chriſtus filius Dei & filius hominis. Vnus Chriſtus filius Dei ſemper, filius hominis ex tempore. Tamen vnus Chriſtus ſecundum vnitatem perſonæ in cœlo erat, quando in terra loquebatur. Sic erat filius hominis in cœlo quomodo filius Dei erat in terra. Filius Dei in terra ſuſcepta carne, filius Dei in cœlo in vnitate perſonæ. Quod mox latiùs exponit quid interſit inter ſpiritum & carnem, & quid inter carnaliter Chriſtum manducare velle, vel ſpiritaliter accipere. Ait enim:

Spiritus eſt qui viuificat, caro non prodeſt quicquam.] Paulo ante dixit, Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis. Et modo dicit: *Caro non prodeſt quicquam*, id eſt, ſi carnaliter vultis intellegere quæ dico. Caro non prodeſt quicquam, ſi ſic carnem intellegetis manducandam ſicut aliū cibum, ſicut carnes quæ emuntur in macellis. Spiritus eſt ergo qui viuificat, per ſpiritum prodeſt caro, quæ per ſeipſam nō prodeſt: quia litera occidit, ſpiritus autem viuificat. (2. Cor.) Nam per carnem ſpiritus aliquid pro ſalute noſtra egit. Caro vas fuit quod habebat, per quam ſpiritus ſaluabit nos, vtens organo carnis ad ſalutē humani generis. Quia diabolus vtebatur ſerpēte quaſi organo, ad ſubuerſionem primi parentis noſtri. Spiritus eſt qui viuificat, caro autem non prodeſt quicquam. Sicut illi intellexerunt carnem, non ſic ego do ad manducandum meam carnem.

Cap. XVI.

Verba ſua ſpiritum vitamque pronunciat, & vnum ex duodecim diabolum appellat.

P*Roinde verba*, inquit, *quæ ego locutus ſum vobis, ſpiritus & vita ſunt.* Diximus enim fratres, hoc Dominū commēdaſſe in manducatione carnis ſuæ & potatione ſanguinis ſui, vt in illo maneamus, & ipſe in nobis. Manemus autem in illo, cùm ſumus membra eius. Manet autem ipſe in nobis, cū ſumus templum eius. Vt autē ſimus membra eius, vnitas nos compaginet. Vt enim compaginet nos vnitas, quid hoc facit niſi charitas Dei? Vnde Apoſtolum interroga: *Charitas*, inquit, *Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis.* (Rom. 5.) Ergo ſpiritus eſt qui viuificat. Spiritus enim facit viua membra, nec viua membra ſpiritus facit, niſi quæ in corpore quod vegetat ipſe Chriſtus inuenerit. Nā ſpiritus qui eſt in te, ô homo, quo cōſtas vt homo ſis nūquid viuificat membrū quod ſeparatū inuenerit

à carne tua? Spiritum tuum dico, animam tuam. Anima tua non viuificat, niſi membra quæ ſunt in carne tua. Vnum ſi tollas, ... ex anima tua non viuificatur, quia vnitati corporis tui non copulatur. Hæc dicũtur vt amemus vnitatem, & timeamus ſeparationem. Nihil enim ſic debet formidare Chriſtianus quàm ſeparari à corpore Chriſti. Si enim ſeparatur à corpore Chriſti, non eſt membrum eius. Si non eſt membrum eius, nõ vegetatur ſpiritus eius. *Quiſquis autem*, inquit Apoſtolus, *Spiritum Chriſti non habet, hic non eſt eius.* Spiritus ergo eſt qui viuificat, caro non prodeſt quicquam.

Rom. 8.

Verba quæ locutus ſum vobis, ſpiritus & vita ſunt.] Quid eſt, *ſpiritus & vita ſunt*, niſi ſpiritaliter intelligenda ſunt? Intellexiſti ſpiritaliter? *ſpiritus & vita ſunt.* Intellexiſti carnaliter? etiam ſi illa ſpiritus & vita ſunt, ſed tibi non ſunt, homo, qui ſpiritaliter ea non intellegis, nec fide ea venerari noſti.

Sunt enim quidam in vobis qui non credunt.] Et ideo non intellegunt, quia non credunt. Propheta enim dixit: *Niſi credideritis, non intelligetis.* Per fidem copulamur, per intellectum viuificamur. Prius hæreamus per fidem, vt ſic poſt viuificemur per intellectum.

Isa. 6.

Sciebat enim ab initio Ieſus qui eſſent credentes, & quis traditurus eſſet eum.] Nam ibi Iudas erat inter eos qui ſcandalizati ſunt, quẽ Chriſtus nec ſiluit, nec apertè monſtrauit, vt omnes timerent, quamuis vnus periret. Sed poſteaquam dixit & diſtinxit credentes à non credentibus, expreſſit cauſſam, quare non credebant.

Propterea dixi vobis, inquit, *quia nemo poteſt venire ad me, niſi fuerit ei datum à Patre meo.*] Dabitur enim à patre credentibus fides, vt nemo glorietur in fide ſua, quæ à ſe non eſt quaſi propria, ſed à Deo data quaſi gratia.

Ex hoc multi diſcipulorum eius abierunt retro, & iam non cum illo ambulabant.] Abierunt retro, nõ poſt Chriſtum, ſed poſt Satanam. Iſti autem ſic abierũt retro, quomodo præciſi à corpore Chriſti, nec vltra redientes ad eum, quia fortes fideliter in corpore eius non fuerunt. Et hi non pauci, ſed multi. Audiamus ergo quid ad paucos dixerit qui remanſerunt.

Dixit ergo Ieſus ad duodecim: Nunquid & vos vultis abire?] Non diſceſſit nec Iudas. Sed quare manebat? Domino iam apparebat, poſtea manifeſtatus eſt. Reſpondit Petrus pro omnibus, vnus pro multis, vnitas pro vnitis †.

al. vniuerſis.

Reſpondit ergo Simon Petrus. Domine, ad quẽ ibimus?] Repellis nos à te, da nobis alterum ſimilem tui ad quem eamus. Si à te recedimus, ad quem ibimus?

Verba vitæ æternæ habes.] Videte quemadmodum Petrus dante Domino, recreante Spiritu ſancto, intellexit. Vnde, niſi quia credidit verba vitæ æternæ. Vitam enim æternam habes in miniſtratione corporis & ſanguinis tui. Et nos credidimus, & cognouimus. Non cognouimus & credidimus, ſed credidimus & cognouimus. Credidimus enim vt cognoſceremus. Nam ſi prius cognoſcere & deinde credere vellemus, nec cognoſcere, nec credere valeremus. Quid credidimus & quid cognouimus? quia tu es Chriſtus filius Dei. Id eſt, quia ipſa vita æterna tu es, & non das in carne & ſanguine tuo, niſi quod eſt.

Reſpondit eis Ieſus: Nonne ego vos duodecim elegi, & vnus ex vobis diabolus eſt? Dicebat autem de Iuda Simone Scariotis. Hic enim erat eum traditurus, cùm eſſet vnus ex duodecim.) Vnus ex duodecim erat, non fide, ſed numero, non veritate, ſed ſimulatione. Sed quomodo intelligendum eſt, *Nonne ego vos duodecim elegi*, dum ille vnus filius Diaboli dicitur eſſe: niſi quia aliter electi ſunt illi vndecim, aliter & ille vnus? Electi ſunt illi vt manerent in Chriſto, & vt ſonus illorum exiret per orbem terrarum. Electus eſt ille vnus, vt diſpenſatio diuinæ miſericordiæ in ſalutem humani generis impleretur per eum. Vnde bonitas Dei bene vtebatur malitia illius, ſicut in venditione Ioſeph bene vſus eſt Deus malitia fratrum: vt ex opere malo illorum, bonitas Dei oſtenderetur in ſalutem multorum. Sic malum Iudæ in bonum verſum eſt noſtrum. Quod facit malus malè vtendo bonis Dei, ſibi nocet, non bonitatem Dei deſtruere poterit. Quare duodecim elegit Chriſtus? Duodenarius numerus ſacratus eſt. Non enim quia periit indè vnus, ideo illius numeri honor ademptus eſt. Nam in loco pereuntis, alius ſubrogatus eſt. Manſit numerus cõſecratus, hoc eſt numerus duodenarius, qui per vniuerſum orbem, hoc eſt, per quatuor cardines mundi, Trinitatẽ fuerat annunciaturus. Ideo quaterni electi ſunt, vt ſancta Trinitas per quatuor partes orbis prædicaretur. Nam & annus duodenario numero currit, & ordo ſignorum in cælis, per quæ ſolet luna currere, noſcuntur, duodenario numero diſtinguuntur. Ideo hoc numero primos prædicatores Deus Chriſtus direxit in mundum. Nec numerus Iuda pereunte violatus eſt, ſed alius eius loco ſubrogatus. De cuius numeri ſacratiſſima ſignificatione ipſe Chriſtus in Euange-

Gen. 37.

lio ait, de excellentiſſima Sanctorum gloria: *Cùm autem ſederit filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Iſrael.*

LIBER QVARTVS.

CAP. XVII.

Iudæis interficere eum quærentibus, aſcendit occultè ad diem feſtum Scenopegiæ, vbi diuerſa de eo & ab eo dicuntur. Et quærentes eum apprehendere, nequiuerunt; quia nondum venerat hora eius.

POST hæc, inquit Euangeliſta, *ambulabat Ieſus in Galilæam. Non enim volebat in Iudæam ambulare, quia quærebant eum Iudæi interficere.*] Hoc infirmitati noſtræ præbebat exemplum. Non ipſe perdiderat poteſtatem, ſed noſtram conſolabatur fragilitatem. Futurum enim erat, vt dixi, vt aliquis fidelis eius abſconderet ſe, ne à perſecutoribus inueniretur. Et ne illi pro crimine obiiceretur latibulum, præceſſit in capite quod in membris confirmaretur. Potuit enim Chriſtus ambulare in Iudæam & non occidi, qui ait: *Poteſtatem habeo ponendi animam meam, & poteſtatem habeo iterum ſumendi eam.* Hanc poteſtatem oſtendit, dum voluit, cùm ad vocem illius retro ceciderunt, qui eum cum armis venerunt apprehendere.

Erat autem in proximo dies feſtus Iudæorum, Scenopegia. [Scenopegia eſt dies feſtus, quo Iudæi menſe ſeptimo in tabernaculis ſub ramis arborum habitare diebus ſeptem iubebantur, ad memoriam habitationis illorum in eremo. Iſte erat dies feſtus, quem Iudæi magna ſolemnitate celebrabant, velut reminiſcentes beneficiorum Domini, qui eos eduxit de terra Ægypti. Dies feſtus more Iudæorum dicitur, non vnus dies, ſed quotquot illius feſtiuitatis fuerunt, quaſi vnum diem feſtum propter vnius feſtiuitatis conſuetudinem, nominare ſolebant.

Dixerunt ergo ad eum fratres eius: Tranſi hinc, & vade in Iudæam.] Fratres Domini vſitatiſſimo ſanctæ Scripturæ more, conſanguinei ſanctæ Mariæ ſemper virginis dicebantur. Nam Abraham & Loth fratres ſunt dicti, cùm Abraham patruus eſſet Loth. Et Laban & Iacob fratres ſunt dicti, cùm eſſet Laban auunculus Iacob. Cùm ergo audie- A ritis fratres Domini, Mariæ cogitate conſanguinitatem, non iterum parientis vllam propaginem. Diximus fratres qui fuerint. Audiamus quid dixerint: *Tranſi hinc & vade in Iudæam.*

Vt & diſcipuli tui videat opera tua quæ facis.] Opera Domini diſcipulos non latebant, ſed iſtos latebant. Iſti enim fratres, id eſt, conſanguinei Chriſti cōſanguineum Chriſtum habere potuerūt: credere autem in eum ipſa propinquitate faſtidierunt. Ideo continuo Euangeliſta ſecutus eſt.

Neque enim fratres eius credebant in eū.] Qua- B re in eum non credebant? quia humanam gloriam requirebant, dicentes ad eum: *Tranſi hinc, & vade in Iudæam, vt & diſcipuli tui videant opera tua quæ facis.*

Nemo quippe in occulto aliquid facit, & quærit ipſe in palam eſſe. Si hæc facis, manifeſta teipſum mundo.] Nam his verbis oſtenditur gloriam illius carnaliter quærere eos. Quaſi dixiſſent: Facis mirabilia, ſed abſcondis te. Tranſi in Iudæam, vt principatus gentis & ciuitas caput regni videant mirabilia tua. Innoteſce, appare omnibus, vt laudari poſ- C ſis ab omnibus. Quid ergo ad hæc Dominus Ieſus dicit?

Tempus meum nondum aduenit, tempus autem veſtrum ſemper eſt paratum.] Apoſtolus dicit, *Poſtquam venit plenitudo temporis, miſit Deus filium ſuum.* Tempus vero gloriæ Chriſti nec dum venit cū hæc locutus eſt. Quod illi videbātur quærere qui ei ſuadebant ire in Iudæam, miraculum facere, mundo innoteſcere, ne latens ignobilis putaretur. Sed ille voluit altitudinem humilitate præcedere, & ad ipſam celſitudinem per humi- D litatis viam peruenire. Tempus autem veſtrum, id eſt, mundi gloria, ſemper eſt paratum. Erit enim tempus gloriæ, quia qui venit in humilitate, veniet in altitudine. Qui venit iudicandus, veniet iudicaturus. Qui venit occidi à mortuis, veniet iudicare de viuis & mortuis.

Vos aſcendite ad diem feſtum hunc.] Quid eſt *hunc*? Vbi gloriam humanam quæritis. Quid eſt *hunc*? Vbi extendere vultis carnalia gau- E dia, non æterna cogitare.

Ego non aſcendo ad diem feſtum hunc, quia meum tempus nondum impletum eſt.] In die enim feſto hoc gloriam vos humanam quæritis, meum verò tempus, id eſt, gloriæ meæ, nondum venit. Ipſe erit dies feſtus meus, non diebus iſtis percurrens & tranſiens, ſed permanens in æternum. Ipſa erit feſtiuitas, gaudium ſine fine, æternitas ſine labe, ſerenitas ſine nube.

Hæc cùm dixiſſet, ipſe manſit in Galilæa. Vt

Vt autem aſcenderunt fratres eius, tunc & ipſe aſcendit ad diem feſtũ, non manifeſtè, ſed quaſi in occulto.] Ideo non ad diẽ feſtum hũc aſcendere, quia non gloriam temporaliter cupiebat, ſed aliquid docere ſalubriter. Corrigere homines, de die feſto æterno ammonere, amorem eorum ab hoc ſæculo auertere, & in Deum conuertere. Quid eſt autem quòd quaſi latenter aſcendit ad diem feſtum? non vacat & hoc Dei opus. Nam omnes dies feſti Iudæorum in figura fuerunt. Ideo Chriſtus latenter aſcendebat in eis, quia Chriſtus latuit in illis. Populo verò priori occultus, modo verò meliori populo manifeſtus. Quia ille populus in vmbra agebat, nos verò manifeſta luce facimus. Licet quidam intellegere velint hanc Domini reſponſionem qua ait: *Ego non aſcendo ad diem feſtum hunc*, ad paſſionem illius pertinere, qua Chriſtus non in feſtiuitate ſcenopegiæ, ſed in feſtiuitate Paſchali, qua agnus occidi ſolebat, crucem aſcendit.

Iudæi autem quærebant eum in die feſto.] Antequam aſcenderet. Priores enim fratres aſcenderunt, & non tunc aſcendit ille, quando illi putabant & volebant, etiam vt hoc impleretur quod ait: *Non ad hunc*, id eſt, ad quem vos vultis primum vel ſecundum diem. Aſcendit autem poſtea, vt Euangelium loquitur, mediãte die feſto, id eſt, cùm iã illius diei feſti tot dies præteriſſent, quot remanſiſſent. Ipſam enim feſtiuitatem, quãtum intellegendum eſt, diebus plurimis celebrabant.

Dicebant ergo, Vbi eſt ille? Et murmur multus de eo erat in turba.] Vnde murmur? de contentione. Quæ fuit contentio?

Quidam enim dicebant, quia bonus eſt. Alij autem dicebant, Non, ſed ſeducit turbas.] De omnibus eius ſeruis hoc dicitur modo, quicunque eminent in aliqua gratia. Alij dicunt, bonus eſt: alij non, ſed ſeducit turbas. Vnde hoc? quia vita noſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo. Hoc patitur Chriſtus vſq. in finem ſæculi à mundi amatoribus, quod tunc paſſus eſt à Iudæorum murmuratoribus. Nec dum frumentum à paleis ſegregatum eſt, vt grana frumenti congregentur in horrea, & paleæ comburantur igni æterno. Quod dictum eſt ergo de Domino, valet ad conſolationem, de quocunque hoc dictum fuerit Chriſtiano.

Nemo tamen palam loquebatur de illo propter metum Iudæorum.] Qui dicebant, *bonus eſt*, non qui dicebant, *ſeducit turbas*. Sonitus eorum apparebat, tamquam aridorum foliorum. *Seducit turbas*, clarius ſonabant. *Bonus eſt*, preſſius ſuſurrabant. Modo autem fra- A tres, quamuis nondum venerit illa gloria Chriſti, quæ nos æternos factura eſt, modo tamen ita creſcit Eccleſia eius. Ita eam dignatus eſt per cuncta diffundere, vt etiam ſuſurretur. *Seducit turbas*, ſed clarius perſonet, *Bonus eſt*. Nam noua hæreſis in angulis occultè ſuſurrat: Chriſtꝰ eſt adoptiuus. Sed clarius vniuerſalis ſanctæ Eccleſiæ vox reſonat, Chriſtus filius eſt Dei proprius. Sibilant quoque ſerpentino ore: Chriſtus nuncupatus eſt Deus, ſed preſſius firmiuſque fidelium omnium vnanimitas clamat: Chriſtus bonus eſt Deus, verus eſt Deus, teſte B egregio prædicatore qui ait: *Quorum patres ex quibus Chriſtus, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus*. Aſcendit ergo Dominus ad diem feſtum mediante die feſto, & docebat.

Et mirabantur Iudæi dicentes: Quomodo hic literas ſcit cum non didicerit?] Ille quia latebat, docebat, & palam loquebatur & non tenebatur. Illud enim vt lateret exempli, hoc poteſtatis. Sed cùm doceret, mirabantur Iudæi. Omnes quidem quantum arbitror mirabantur, ſed non omnes conuertebantur. C Vnde admiratio? quia multi nouerant vbi natus, & quemadmodum fuerat educatus, numquam eum viderant literas diſcentem. Audiebant tamen de lege diſputantem, legis teſtimonia proferentem, quæ nemo poteſt proferre niſi legiſſet, nemo legeret niſi literas didiciſſet, & ideò mirabantur. Eorum autem admiratio, magiſtra facta eſt inſinuandæ altius veritatis occaſio. Ex eorum quippe admiratione & verbis, dixit Dominus aliquid profundum, & diligentius inſpiciendum. Quid ergo reſpondit D Dominus eis admirantibus, quomodo ſciret literas quas non didicerat?

Mea, inquit, *doctrina non eſt mea, ſed eius qui me miſit.*] Hæc enim profunditas. Videtur enim paucis verbis quaſi contraria locutus. Non enim ait, Iſta doctrina non eſt mea, ſed, *mea doctrina non eſt mea*. Quomodo mea & nõ mea? Quæſtio eſt quomodo fieri poſſit vtrumque, & mea & non mea. Si enim diligenter intuemur, quid ipſe in exE ordio dicit ſanctus Euangeliſta: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*: indè pendet huius ſolutio quæſtionis. quæ ergo doctrina patris, niſi Verbum patris? Ipſe ergo Chriſtus doctrina patris, ſi Verbum patris. Sed quia Verbum non poteſt eſſe nullius, ſed alicuius, & ſuam doctrinam dixit ſeipſum & non ſuã, quia Verbum patris eſt. Hoc dixiſſe videtur Dominus Chriſtus, *Meà doctrina non eſt mea*. Ac ſi diceret: Ego non ſum à meipſo. quamuis enim filium patri dicamus & cre-

damus æqualem,nec vllam in eis eſſe naturæ vel ſubſtantiæ diſtantiam, nec inter generantem atque generatum aliquod interfuiſſe interuallū; tamen hoc ſeruato & cuſtodito iſta dicimus,quod ille pater eſt, ille filius. Pater autem non eſt ſi non habeat filium. Filius non eſt, ſi non habeat patrem. Sed tamen filius Deus de patre, pater autem Deus, ſed non de filio. Pater non Deus de Deo,filius verò Deus de Deo, lumen de lumine. Pater lumen,filius lumen. Non duo lumina,ſed vnum lumen. Pater Deus, filius Deus. Non duo dij,ſed vnus Deus pater & filius. Spiritus ſanctus de patre & filio procedens & ipſe Deus. Sicut Pater Deus,ſicut Filius Deus, ſic etiam Spiritus ſāctus Deus. Non tres Dij, ſed vnus Deus. Vnum lumē, vna ſubſtantia, vna natura, vna maieſtas, vna æternitas, vna magnitudo, vna potentia, vna bonitas. Vidit itaque ipſe Dominus Chriſtus, Dei ſapientia, hoc tam profundum arcanum non omnes intellecturos: Eſa. 6. in conſequenti dedit conſilium. Intellegere vis? crede. Deus enim per Prophetam dixit: *Niſi credideritis, non intellegetis.* Ad hoc pertinet quod hîc etiam Dominus ſecutus adiunxit.

Si quis voluerit voluntatem eius facere, cognoſcet de doctrina mea vtrum ex Deo ſit, an ego a meipſo loquar?] Quid eſt hoc? *ſi quis voluntatem eius voluerit facere*? Sed ego dixeram, *ſi quis crediderit*, & hoc conſilium dederam. Si non intellexiſti, inquam, crede. Intellectus enim merces eſt fidei. Ergo noli quærere intellegere vt credas, ſed crede vt intelligas. Quoniam niſi credideritis,non intellegetis. Cùm ergo ad poſſibilitatem intellegendi conſilium dederim obediētiā credēdi, & dixerim Dominum Ieſum Chriſtum hoc ipſum coniunxiſſe,in conſequenti ſententia inuenimus eum dixiſſe, *Si quis voluerit voluntatem eius facere*, hoc eſt,credere,cognoſcet de doctrina. Quid eſt cognoſcet? hoc eſt intelliget. Sed quia cognoſcet, hoc eſt intelliget,omnes intellegunt. Quia verò ait, *ſi quis voluerit voluntatem eius facere*, hoc pertinet ad credere. Vt diligentius intellegatur, opus eſt nobis ipſo Domino noſtro expoſitore, vt indicet nobis vtrum reuera ad credere pertineat facere voluntatem patris eius. Quis neſciat hoc eſſe facere voluntatem Dei,operari opus eius,id eſt quod illi placet. Ipſe autem Dominus apertè alio loco dicit: *Hoc eſt opus Dei vt credatis in eum quē ille miſit.* Vt credatis in eū,non vt credatis ei. Non autem continuo qui credit ei, credit in eum. Nam & dæmones credebant ei, & non credebant in eum. Rurſus etiam de A-

A poſtolis ipſius poſſumus dicere. Credimus Paulo,ſed non credimus in Paulum. Credimus Petro, ſed non credimus in Petrum. Credenti in eum qui iuſtificat impium, deputatur fides eius ad iuſtitiam. Quid eſt ergo credere in eum? credendo amare, credendo diligere,credendo ad eum ire,& eius membris incorporari. Ipſa eſt ergo fides quam de nobis exigit Deus, quæ per dilectionem operatur. Si intelligis verba Dei intellige quia Chriſtus filius Dei, qui eſt doctrina patris,non ex ſeipſo,ſed filius patris; B non ex nihilo, non ex aliis ſubſiſtentibus, ſed ex patre tantum in patre manens æqualis patri.

Qui à ſemetipſo loquitur, gloriam propriam quærit.] Hoc erit qui vocatur Antichriſtus, *extollens ſe*, ſicut Apoſtolus dicit, *ſuper omne quod dicitur Deus & quod colitur.* 2. Theſ. 2. Ipſum quippe adnuncians Dominus gloriam ſuā quæſiturum,non gloriam patris, ait ad Iudæos: *Ego veni in nomine patris mei, & non ſuſcepiſtis me. Alius veniet in nomine ſuo, & hunc ſuſcipietis.* Significauit eos Antichriſtum ſuſce- C pturos,qui gloriam nominis ſui quæſiturus eſt, inflatus, non ſolidus, & ideo non ſtabilis,ſed vtique ruinoſus. Dominus autem noſter Ieſus Chriſtus magnum exemplum nobis præbuit humilitatis. Nempe æqualis Patri. Nempe, *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Nēpe ipſe dixit,& veriſſimè dixit: *Tanto tempore vobiſcum ſum, & non cognouiſtis me. Philippe, qui me videt, videt & patrem.* Nempe ipſe dixit,& veriſſimè dixit: *Ego & pater vnum ſumus.* Si ergo cum patre vnum,æqualis patri D Deus de Deo. Deus apud Deum coæternus, immortalis, pariter incommutabilis, pariter creator,diſpenſator temporum. Tamen quia venit in tempore, & formam ſerui accepit,& habitu eſt inuentus vt homo: quærit gloriam patris,non ſuam. Quid tu homo facere debes, qui quādo aliquid boni facis, gloriam tuam quæris? Quando autem aliquid mali facis, Deo calumniam meditaris? Intende tibi, creatura es, agnoſce creatorem. Seruus es, ne contemnas Dominum. E Adoptatus es, ſed non meritis tuis. Quære gloriam eius, à quo habes hanc gratiam, ô homo adoptatus, cuius gloriam quæſiuit, qui eſt ab illo vnicus natus.

Qui autem quærit gloriam eius qui miſit illum, hic verax eſt, & iniuſtitia in illo non eſt.] In Antichriſto autem iniuſtitia eſt, & verax non eſt, quia gloriam ſuam quæſiturus eſt, non eius à quo miſſus eſt. Non enim eſt miſſus, ſed venire permiſſus. Omnes ergo pertinentes ad corpus Chriſti, ne inducamur in

laqueum Antichriſti, non quæramus gloriam noſtram. Sed ſi ille quæſiuit gloriam eius qui eum miſit ad nos, quanto magis nos eius qui nos fecit? Sequitur.

Nonne Moyſes, inquit, *dedit vobis legem, & nemo ex vobis facit legem? Quid me quæritis interficere?*] Ideo enim me quæritis interficere, quia nemo ex vobis facit legem. Nam ſi legem feciſſetis, in ipſis literis Chriſtum agnoſceretis, & præſentem non occideretis, & illi reſponderunt. Reſpondit enim turba, & dixit. Reſpondit quaſi turba non pertinentia ad ordinem, ſed ad perturbationem. Denique turba turbata, videte quid reſponderit?

Dæmonium habes, quis te quærit occidere?] Quaſi non fuit peius dicere, Dæmonium habes, quàm eum occidere. Ei quippe dictum eſt, *Dæmonium habes*, qui dæmones expellebat? Quid poſſet aliud dicere turba turbulenta? Quid poſſet aliud olere cœnum commotum, niſi putidum? Turbatur turba, vnde à veritate turbam lippitudinis turbauit claritas lucis. Oculi autem non habentes ſanitatem, non poſſunt ferre luminis claritatem. Dominus autem non planè turbatur, ſed in ſua veritate tranquillus, non reddidit malum pro malo, nec maledictum pro maledicto. Quibus ſi diceret, Dæmoniū habetis vos, verum vtique diceret. Vnde auderent dicere Veritati, Dæmonium habes, niſi eos Diaboli falſitas irritaret? Quid ergo reſpondeat tranquillus, audiamus, & tranquillè viuamus.

Vnum opus feci, & omnes admiramini.] Tanquam diceret: quid ſi omnia opera mea videretis? Ipſius enim opera erant, quę in mūdo videbant, & ipſum qui fecit omnia non videbant. Fecit vnam rem, & turbati ſunt, quia ſaluum fecit hominem in Sabbato. Non intellegentes Dominum eſſe Sabbati filium hominis, qui Sabbatum propter hominem conſtituit, non hominem propter Sabbatum. Nec Sabbatum deſtruxit, qui ſanum fecit hominem in Sabbato, quia ad ſalutem hominum, hominibus Sabbati cuſtodia data eſt.

Propterea Moyſes dedit vobis circunciſionem.] Benefactum eſt vt acciperetis circunciſionem à Moyſe, non quia ex Moyſe eſt, ſed ex Patribus. Abraham quippe primus accepit circunciſionem à Domino.

Et in Sabbato circuncidiſtis hominem.] Conuincit vos Moyſes: In lege accepiſtis vt circuncidatis octauo die. Accepiſtis in lege, vt vacetis ſeptimo die. Si octauus dies illius qui natus eſt occurrerit ad diem ſeptimum Sabbati, quid facietis? Vacabitis vt ſeruetis Sabbatum, an circuncidetis vt impleatis ſacramentum diei octaui? Sed noui, inquit, quid facietis? Circuncidetis hominem. Quare? quia circunciſio pertinet ad aliquod ſignum ſalutis, & non debent homines Sabbato vacare à ſalute. Ergo nec mihi iraſcamini, quia ſaluum feci totum hominem in Sabbato.

Si circunciſionem, inquit, accipit homo in Sabbato, vt non ſoluatur lex Moyſi.] Aliquid enim per Moyſen in illa conſtitutione circunciſionis ſalubriter inſtitutum eſt. Mihi operanti ſalutem in Sabbato quare indignamini? Forte enim illa circunciſio ipſum Dominum ſignificabat, cui iſti curanti & ſananti indignabātur. Iuſſa eſt enim adhiberi octaua die. Et quid eſt circunciſio niſi carnis expoliatio? Significat ergo iſta circunciſio expoliationem à corde cupiditatum carnalium. Non ergo † ſine cauſa data eſt, & in eo membro fieri iuſſa, quoniam per illud mēbrum procreatur creatura mortalium. Et per vnum hominem mors, ſicut per hominem reſurrectio mortuorum. Et per vnum hominem peccatum introiuit in mundum, & per peccatum mors. Ideo quiſque cum præputio naſcitur, quia omnis homo cum vitio propaginis naſcitur. Et non mundat Deus, ſiue à vitio cum quo naſcimur, ſiue à vitiis quæ malè viuēdo addidimus, niſi per cultellum petrinum, id eſt, Dominum Ieſū Chriſtum, petra enim erat Chriſtus. Cultellis enim petrinis circuncidebant, & petræ nomine Chriſtum figurabant. Et præſentem non agnoſcebant, ſed inſuper eum occidere cupiebant. Quod verò circunciditis hominem in Sabbato, intelligite hoc ſignificari opus bonum, quod ego feci totum hominem ſaluum in Sabbato, quia & curatus eſt vt ſanus eſſet in corpore, & credidit vt ſanus eſſet in mente*.

† al. enim.

† al. in anima.

Nolite iudicare perſonabiliter, ſed rectum iudicium iudicate.] Quid eſt hoc, quia cùm per legem Moyſi circunciditis in Sabbato, non iraſcimini Moyſi, & quia ego die Sabbati ſaluum feci hominem, iraſcimini mihi? perſonabiliter iudicatis. Veritatē adtendite, & iuſtum iudicium iudicate. Si ſecundum veritatem iudicatis, neque Moyſen, neque me condemnabitis. Et veritate cognita me cognoſcetis, quia ego ſum Veritas. Hoc vitiū fratres, quod Dominus notauit hoc loco, euadere in hoc ſæculo magni laboris eſt, non perſonabiliter iudicare, ſed rectum iudicium retinere. Admonuit quidem Dominus Iudæos, ſed monuit nos. Illos conuincit, nos inſtruxit. Illos redarguit, nos exacuit. Non putemus hoc nobis ideo non di-

ctum, quia tunc ibi non fuimus. Nos itaque A ſic audiamus Euangelium, quaſi præſentem Dominum. Ne dicamus: O illi felices qui eum videre potuerunt! Multi in eis qui viderunt eum carnaliter, occiderunt. Multi autem in nobis qui non viderunt, crediderunt. De quibus dictum eſt: *Beati qui non viderunt & crediderunt.* Quis eſt qui non iudicat perſonaliter, niſi qui æqualiter diligit? Qui æqualiter omnes diligit, æqualiter de omnibus iudicat. Nec hoc dictum putemus de illis, quos pro honore graduum diuerſo modo honoramus, ſed de illis quorum cauſas diiudicare iubemur. Dominus igitur Ieſus, non manifeſtè, ſed occultè aſcendit ad diem feſtum, non quia timebat vt teneretur, cuius poteſtas erat vt non teneretur: ſed vt ſignificaret, iam in ipſo die feſto qui celebrabatur à Iudæis, occultandum, & ſuum eſſe myſterium. Sed mox apparuit poteſtas, quæ putabatur timiditas. Loquebatur enim pálam in die feſto, ita vt mirarentur turbæ, & dicerent, quod audiuimus cùm lectio legeretur.

Nonne hic eſt quem quærebant interficere? Et ecce palam loquitur, & nihil ei dicunt. Nunc verò cognouerunt Principes, quia hic eſt Chriſtus?] Qui nouerant qua ſæuitia quærebatur, mirabantur qua potentia non tenebatur. Deinde non plenè intellegentes illius potentiam, putauerunt eſſe principum ſciētiam. Quod ipſi cognouerint eundem eſſe Chriſtum, ideò pepercerunt ei, quem tanto tempore occidendum quæſierunt. Deinde illi ipſi qui dixerāt apud ſemetipſos: Nunquid cognouerunt Principes quia hic eſt Chriſtus? fecerunt ſibi quæſtionem, qua eis videretur non eſſe Chriſtus. Adiungentes enim dixerunt.

Sed iſtum nouimus vnde ſit, Chriſtus autem cùm venerit, nemo ſcit vnde ſit.] Quid eſt quòd dixerunt Iudæi, *Chriſtus cùm venerit nemo ſcit vnde ſit?* Dum Herode interrogante locum natiuitatis eius, demonſtrauerunt iuxta prophetiam Micheæ Prophetæ. Et ex hoc certum eſt locum natiuitatis illius eos noſſe. Sed conſiderandum eſt quid ſe noſſe putarent, & quid ſe non ſcire dixerunt. Locum verò natiuitatis illius ſciebāt per Prophetarum dicta: ſed diuinam eius natiuitatem, qua ex Deo patre æternaliter natus eſt, propter impietatem cordis ſui neſciebant, Eſaia dicente: *Generationem eius quis enarrabit?* Denique & ipſe Dominus ad vtrūque reſpondit, & de humilitatis fragilitate, & de natiuitate maieſtatis, dicens.

Eſa. 53.

Clamabat ergò docens in templo Ieſus, Et me ſcitis, & vnde ſim ſcitis.] Rectè ergo dixit,

A *Et me noſtis, & vnde ſim ſcitis.* Id eſt, ſecundum carnem natiuitatem meam noſtis, & nobilitatem parētum meorum, & effigiem vultus mei noſtis. Secundum diuinitatem autem non noſtis. Quia à me ipſo non veni, ſed eſt verus qui me miſit, quem vos neſcitis. Sed vt eum ſciatis, credite *in* eum quē miſit, & ſcietis quod nemo vidit Deum vnquam, niſi vnigenitus filius qui eſt in ſinu patris, & ipſe narrauit. Et patrem nemo cognouit niſi filius, & cui voluerit filius reuelare. Denique cùm dixiſſet, Sed eſt verus qui miſit mē, quem vos neſcitis, vt oſtenderet

B eis vnde poſſint ſcire quod neſciebant, ſubiecit: *Ego ſcio eum.* Ergo à me quærite vt ſciatis eum. Quare autem ſcio eum? quia ab ipſo ſum, & ipſe me miſit. Magnificè vtrumque monſtrauit. Ab ipſo, inquit, ſum, quia filius de patre. Et quicquid eſt filius, de illo eſt cuius eſt filius. Ideo Dominum Ieſum dicimus Deum de Deo. Patrem non dicimus Deum de Deo, ſed tantum Deum. Et dicimus Dominum Ieſum, lumen de lumine. Patrem non dicimus lumen de lumine,

C ſed tantum lumen. Ad hoc ergo pertinet quod dixit: *ab ipſo ſum.* Quod autem videtis me in carne, ipſe me miſit. Vbi audis, *Ipſe me miſit*, noli intellegere naturæ diſſimilitudinem, ſed generantis autoritatem.

Quærebant ergo eum adprehendere, & nemo miſit in illum manus, quia nondum venerat hora eius.] Hoc eſt, quia nolebat. Qui enim volūtate natus eſt, voluntate paſſus eſt, ſicut horam præuidit ſibi natiuitatis ſuæ, ita horam prædeſtinauit paſſionis ſuæ. Si hora mortis noſtræ † illius eſt voluntas, quanto magis,

D hora paſſionis ſuæ in arbitro voluntatis ſuę venit? Magna igitur miſericordia Domini noſtri Ieſu Chriſti, factum eſſe eum propter nos in tempore, per quem facta ſunt tēpora: factum eſſe inter omnia, per quem facta ſunt omnia: factum eſſe quod fecit, vt ſaluaret quod fecerat. Factus eſt enim homo qui hominem fecerat, ne periret quod fecerat. Secundum hanc diſpenſationem iam venerat hora natiuitatis,

E & natus erat: ſed nondum venerat hora paſſionis. Ideo nondum paſſus erat, quia nec dum venerat hora in qua pati voluiſſet. Ideo in cruce legitur eum dixiſſe, dum omnia perfecta fuerant ſecundum ſcripturas Prophetarum, *Conſummatum eſt. Et inclinato capite tradidit ſpiritum.* Dum verò voluit, conſummata fuerunt quæ de eo ſcripta ſunt. Et conſummatis omnibus, poteſtate propria emiſit ſpiritum.

† al. ſua

Cap. XVIII.

Multis de turba credentibus plurima loquitur, inter[illegible]t; Qui ſitit, veniat ad me, & bibat. *Nicodemo quoque de audientia ipſius reſiſtitur à Phariſæis.*

De *turba autem multi crediderunt in eum.*] Humiles & pauperes ſaluos faciebat Dominus: Principes inſaniebant, & ideo medicum non ſolum agnoſcebant, ſed etiã occidere cupiebant. Erat quædam turba quæ ſuam ægritudinem cito vidit, & illius medicinam ſine dilatione cognouit. quæ commota miraculis credidit, principibus in infidelitate manentibus.

Et audierunt Phariſæi turbam murmurantem de illo hæc.] Ideo audita multitudinis fide, murmurabant, quia Chriſtus gloriabatur. Et cito miſerunt miniſtros vt eum comprehenderent, quem adprehendere nõ potuerunt, adhuc nolentem vt comprehenderetur. Sed audierunt docentem qui venerant adprehendere.

Dixit ergo Ieſus: Adhuc modicum tempus vobiſcum ſum, & vado ad eum qui miſit me.] Quod modo vultis facere, facturi eſtis, ſed non modo quia modo nolo. Quare adhuc modo nolo? quia adhuc modicum tempus vobiſcũ ſum, & tunc vado ad eũ qui miſit me. Implere debeo diſpenſationem meam, & peruenire ad paſſionem meam.

Quæretis me & non inuenietis, & vbi ſum ego, vos non poteſtis venire.] Hic iam reſurrectionẽ ſuam prædixit. Noluerunt eũ agnoſcere præſentem, & poſtea quæſierunt, cùm viderent multitudinem iam credẽtem. Magna enim ſigna facta ſunt, etiã cùm Dominus reſurrexit & aſcendit in cœlum. Tunc per diſcipulos facta ſunt magna. Sed ille per illos & per ſe ipſum. Ipſe quippe illis dixerat: *Sine me nihil poteſtis facere.* Quare non potuerunt venire? quia noluerunt credere, quia nullus ſine fide ſaluari poteſt.

Dixerunt ergo Iudæi, non ad ipſum, *ſed ad ſeipſos, Quò hic iturus eſt, quia non inueniemus eũ? Nunquid in diſperſionem gentium iturus eſt, & docturus gentes?*] Non enim ſciebant quid dixerint, ſed quia ille voluit, prophetauerunt. Iturus enim erat Dominus ad gentes, non præſentia corporis ſui, ſed poteſtate diuina in diſcipulis ſuis. De quibus dixit Propheta: *Quam pulchri ſunt pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona?* In his pedibus Chriſtus iturus erat ad gentes, & per eos docturus gentes: vt fidem accepiſſent gentes, quam Iudæi ſpreuerunt. Qui verum neſcientes,

A prophetauerunt, qui & ignorauerunt Chriſtum dicentem: *Et vbi ego ſum, vos non poteſtis venire.* Quare non poteſtis venire? quia non vultis credere. Quid eſt quòd dixit, *vbi ſũ ego* niſi in ſinu patris, conſempiternus patri ſũ? In terra loquebatur, ſed in patris ſinu ſe eſſe monſtrabat. Inter cæteras diſpenſationes Domini noſtri, & doctrinas ſalutis noſtræ, & dubitationes Iudæorum de Domino Ieſu Chriſto, qui dixit quibus alij cõfunderẽtur, alij docerentur, nouiſſimo feſtiuitatis illius die. Tunc enim iſta agebatur, quæ appellantur ſcenopegia, id eſt, tabernaculorũ B conſtructio. Qua feſtiuitate ia antea meminit caritas veſtra fuiſſe diſſertũ. Vocat Dominus Chriſtus, & hoc non vtcunq; loquẽdo, ſed clamando, vt qui ſitit veniat ad eũ. Sitimus, veniamus. Et nõ pedibus, ſed affectibus, nec migrãdo, ſed amãdo veniamus. Quanquã ſecũdũ interiorem hominem, & qui amat migrat. Sed aliud eſt migrare corpore, aliud corde. Migrat corpore, qui motu corporis mutat locũ. Migrat corde, qui motu cordis mutat affectum. Si aliud amas, a-C liud amabas, nõ ibi es, vbi eras. Clamabat ergo nobis Dominus: Stabat, & clamabat.

Si quis ſitit, veniat ad me & bibat. Qui credit in me, ſicut dicit ſcriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ.[Quid hoc eſſet, quãdo Euãgeliſta expoſuit, immorari non debemus. Vnde enim dixerit Dominus, *Si quis ſitit veniat ad me, & bibat, & qui credit in me flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ*, conſequenter expoſuit Euangeliſta, dicens.

D *Hoc autem dixit de ſpiritu quem accepturi erãt, credentes in eum.*] Hoc tãtum ſciamus, quod de charitate hoc clamabat Dominus Ieſus. Clamat ergo & dicit, vt veniamus & bibamus, ſi intus ſitit animus: quia cũ biberim⁹, flumina aquæ viuæ fluent, aquæ viuæ fluent de ventre noſtro. Vẽter interioris hominis conſcientia cordis eſt. Bibito ergo iſto liquore reuiuiſcit purgata cõſcientia, & hauriens fontem habebit, etiam ipſa fons erit. Quid eſt fons, vel quid eſt fluuius, qui emaE nat de ventre interioris hominis? beneuolentia, qua vult conſulere proximo. Si enim putet quia quod bibit ſoli ipſi debet ſufficere, non fluit aqua viua de vẽtre eius. Si autẽ proximo feſtinat conſulere, ideo non ſiccat quia emanat. Videbimus quid nunc ſit quod bibunt, qui credunt in Deũ. Quia vtique Chriſtiani ſumus, & ſi credimus bibimus. Et vnuſquiſq. in ſe debet cognoſcere ſi bibit. Et ſi bibit largiatur ex eo quod bibit. Non enim nos deſerit fons, ſi nõ deſeramus fontem. Expoſuit Euangeliſta

& dixit, Vnde Dominus clamaſſet, ad qualem potum inuitaſſet, quidve ex bibētibus propinaſſet, dicens: *Hoc autem dicebat de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum.*

Nondum enim erat ſpiritus datus, quia Ieſus nondum fuerat glorificatus.] Quem dicit ſpiritum, niſi ſanctum? Nam vnusquiſque homo habet in ſe propriũ ſpiritum, id eſt, animam. Anima enim cuiuſque eius eſt ſpiritus. 1.Cor.2. De quo dicit Paulus Apoſtolus: *Quis enim ſcit hominum quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis qui in ipſo eſt?* Sed quid eſt, quod ait: *Nõ enim erat Spiritus datus, quia Ieſus nõdũ erat glorificatus?* Nũquid non ſpiritus fuit in ſanctis Dei Prophetis, & Patriarchis, qui multa per Spiritum ſanctum futura prædixerunt? Igitur & Eliſabeth legitur Spiritu ſãcto repleta eſſe, & Zacharias ſimiliter, dicente Euangeliſta: *Et Zacharias pater eius repletus eſt Spiritu ſancto, & prophetauit,* (Luc.1.) Quid eſt quod dicit, *Spiritus ſanctus nec dum fuerat datus?* Multa ergo indicia præcedentis Spiritus ſancti habemus, antequam Dominus glorificaretur reſurrectione carnis ſuæ. Nõ enim alium ſpiritum etiam Prophetæ habuerunt, qui Chriſtum venturum prænunciauerunt, ſed modus quidam futurus erat donationis huius, qui omnino antea non apparuerat. De ipſo hic dicitur. Nuſquam enim legimus antea congregatos homines accepto Spiritu ſancto, linguis omnium gentium locutos fuiſſe. Poſt reſurrectionẽ autem ſuam primum quando apparuit diſcipulis ſuis, dixit illis: *Accipite Spiritum ſanctum.* De hoc ergo dictum eſt: *Non erat Spiritus datus, quia Ieſus nondum erat glorificatus. Et inſufflauit in faciem eorum.* Quo flatu primum hominem, quem fecit, viuificauit, & de limo erexit. Quo flatu animam mẽbris eius dedit. Significans enim eundem eſſe ſpiritum, quem inſufflauit in faciem eorum, vt à luto exurgerent, & luteis operibus renunciarent. Tũc primum poſt reſurrectionem ſuam Dominus, quam dicit Euangeliſta glorificationem, dedit diſcipulis ſuis Spiritum ſanctum. Deinde commoratus cũ eis XL. diebus, vt liber Actuum Apoſtolorum demonſtrat, ipſis videntibus, & videndo deducentibus, aſcendit in cœlum. Ibi peractis decem diebus, die Pentecoſtes miſit deſuper Spiritum ſanctum, qui, ſicut dixi, fuerãt vno in loco congregati. Quo accepto Spiritu ſancto, omnium gentium linguis locuti ſunt. Quærit aliquis, ſi forſitã baptizati in Chriſto, & in charitate præceptorum eius viuentes, quare omnium gentium linguis non loquantur, dum certum eſt Spiritum ſanctũ eos accepiſſe, quia ipſa Eccleſia quæ

A eſt corpus Chriſti omnium gẽtium linguis loquitur. Quod tunc in primitiua Eccleſia præſignatum eſt, quæ in Iudæa vna tãtummodo gente initiata eſt: nunc verò ex omnibus gentibus congregata. Quomodo verò vnus tunc homo loquebatur omnibus linguis, ita modo vnitas ſanctæ Eccleſiæ omnibus loquitur linguis. Accipimus ergo & nos Spiritum ſanctum, ſi amamus Eccleſiã, ſi charitate cõpaginamur, ſi Catholico nomine & fide gaudemus. Igitur quantũ quiſque amat Eccleſiã Chriſti, tantũ habet Spiritũ ſanctum. Habemus ergo Spiritũ ſan- B ctum, ſi amamus Eccleſiã. Amamus autẽ, ſi in eius compage & charitate conſiſtimus, quã Apoſtolus omnibus virtutibus fiducialiter præpoſuit. (1.Cor.) Quicunque ipſam habet, cũcta habebit bona; quia ſine illa nihil proderit, quicquid habere potuerit homo. De qua beatus Iacobus Apoſtolus ait: *Qui autem offenderit in vno, factus eſt omnium reus.* (Iac.) De hac etiam & ipſa Veritas ait: *In hoc enim cognoſcent omnes quia mei diſcipuli eſtis, ſi dilectionem habueritis ad inuicem.* Cur ergo hæc loquebatur Chriſtus in die nouiſſimo feſtiuitatis, C quæ modo propoſuimus, & vt potuimus tractauimus?

Ex illa ergo turba cùm audiſſent quidam de turba ſermones Ieſu, dicebant: Hic eſt vere Propheta. Alij dicebant, Hic eſt Chriſtus.] Nata eſt de illo in turba diſſentio. Aliis putantibus quod ipſe eſſet Chriſtus. Aliis dicentibus, quia de Galilæa nõ exurget Chriſtus. Qui vero miſſi fuerant vt eum tenerent, redierũt immunes à crimine, & pleni admirationis. Nam & teſtimonium perhibuerunt diuinæ doctrinæ eius, cùm dicerẽt à quibus miſſi fuerant. *Quare non adduxiſtis eum?* reſponderunt D enim: Nunquam ſe audiuiſſe hominem ſic locutum. Non enim quiſquam ſic loquitur homo. Ille autem ſic locutus eſt, quia Deus erat & homo. Tamen Phariſæi teſtimoniũ eorum repellentes, dixerunt eis.

Nunquid & vos ſeducti eſtis?] Videmus enim delectatos vos eſſe ſermonibus illius. Nunquid aliquis de Principibus credidit in E eum, aut ex Phariſæis? Sed turba hæc, quæ non nouit legem, maledicti ſunt. Qui non nouerant legem, ipſi credebant in eum. Et qui docebant legem, eum qui miſerat legẽ contemnebant. Vt impleretur quod dixerat ipſe Dominus: *Ego veni vt non videntes videant, & videntes cæci fiant.* Cæci enim facti ſunt Phariſæi doctores, illuminati ſunt populi legẽ neſciẽtes, & in auctorem legis credentes. Nicodemus tamẽ ex Phariſæis, qui ad Dominum nocte venerat, & ipſe quidẽ non incredulus, ſed timidus. Nam ideo

nocte venerat ad lucem, quia inluminari volebat, & sciri timebat. Reſpondit.

Numquid lex noſtra iudicat hominem, niſi audierit ab ipſo prius, & cognouerit quid faciat?] Volebant enim illi peruerſi ante eſſe damnatores quàm cognitores. Sciebat autem Nicodêmus, vel potius credebat, quia ſi tãtummodo eum patienter vellent audire, fortè ſimiles fierent illis qui miſſi ſunt tenere eum, & maluerunt credere illi, quàm tenere illum. Reſponderunt ex præiudicio cordis ſui quod & illis.

Nunquid & tu Galilæus es?] Id eſt, quaſi à Galilæo ſeductus. Dominus enim Galilæus dicebatur, quoniam de Nazareth ciuitate erant parentes eius. Secundum Mariam dixi parentes, non ſecundum virile ſemen. Nõ enim quæſiuit in terra niſi matrem, qui iam habebat deſuper patrem. Nam vtraque eius natiuitas mirabilis fuit. Diuina ſine matre, humana ſine patre homine. Quid ergo illi quaſi legis Doctores ad Nicodemum? Scrutare ſcripturas, & vide quia Propheta à Galilæa non ſurget. Sed Dominus Prophetarum inde ſurrexit. *Reuerſi ſunt*, inquit Euangeliſta, *vnuſquiſque in domum ſuam.*

Cap. XIX.

Mulierem in adulterio deprehenſam, adductamque ad ſe, nec ab accuſatoribus condemnatam, ipſe ſub conditione qua vlterius non peccaret abſoluit.

INde *Ieſus perrexit in montem Oliueti; & diluculo iterum venit in templum.*] Mons quippe Oliueti ſublimitatem Dominicæ pietatis & miſericordiæ deſignat. Quia & Græcè ἔλεος miſericordia, Oliuetũ vocatur ἐλαιώ. Et ipſa vnctio olei feſſis ac dolentibus membris ſolet afferre leuamen. Sed & hoc quod oleũ & virtute ac puritate præeminet, & quencunque ei liquorem ſuperfundere volueris, confeſtim hunc tranſcendere, eique ſuperferri conſueuit, gratiam miſericordiæ cæleſtis nõ incõuenienter inſinuat. De qua ſcriptũ eſt. Suauis Dominus vniuerſis, & miſerationes eius ſuper omnia opera eius. (Pſal. 144.) Tempus quoq; diluculi exortũ eiuſdẽ gratiæ †, qua remota legis vmbra, lux Euangelicæ veritatis erat reuelanda, demonſtrat. (al. eiuſdẽ gratiam exortũ.) Pergit ergo Ieſus in montẽ Oliueti, vt arcẽ miſericordiæ in ſe conſtare denunciet.

Venit iterum diluculo in templum.] Vt eandem miſericordiam, cum incipiente noui teſtamẽti lumine fidelib., templo videlicet ſuo, pandendam præbendamque ſignificet.

Et omnis, inquit, *populus venit ad eũ, & ſedens docebat eos.*] Seſſio Domini, humilitatẽ incarnationis eius, per quam nobis miſereri dignatus eſt, inſinuat. Bene autẽ dicitur, quia cùm ſedens doceret Ieſus, omnis populus venit ad eum. Quia poſtquam humilitate ſuæ incarnationis proximus hominũ factus eſt, libentiùs eſt à multis eius ſermo receptus. A multis, inquam, eſt ſermo receptus, nanque à pluribus eſt ſuperba impietate contemptus. Audierũt enim manſueti, & læuati ſunt. (Pſalm. 33.) Denique Iudæi tentantes.

Adduxerunt mulierem in adulterio deprehenſam, interrogantes quid de ea fieri iuberet.] Quoniam Moyſes talem lapidare mandauerat. (Leuit. 20.) Vt ſi & ipſe hanc lapidandam decerneret, deriderent eum: quaſi miſericordiæ, quam ſemper docebat, oblitum. Si lapidari vetaret, ſtriderent dentibus ſuis in eum, & quaſi fautorem ſcelerum legiſque contrarium, velut merito damnarent.

Ieſus autẽ inclinans ſe deorſum, digito ſcribebat in terra.] Per inclinationem Ieſu humilitas, per digitũ qui articulorum compoſitione flexibilis eſt, ſubtilitas diſcretionis exprimitur. Porro per terrã, cor humanũ quod vel bonarũ vel malarum actionũ ſolet reddere fructus, oſtenditur. Poſtulatus ergo Dominus iudicare de peccatrice, non ſtatim dat iudicium, ſed prius ſe inclinãs deorſum, digito ſcribit in terra. Ac ſic demũ quod obnixè rogatur, iudicat. Nos videlicet, typicè inſtituens, vt cũ qualibet proximorũ errata conſpicimus, nõ hæc antea reprehẽdendo iudicemus; quàm ad cõſcientiã noſtrã humiliter reuerſi, digito eã diſcretionis ſolerter exculpamus, & quid in ea cõditori placeat, quidve diſpliceat ſedula examinatione dirimamus. Iuxta illud Apoſtoli: *Fratres, & ſi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto*, vos qui ſpiritales eſtis, inſtruite huiuſmodi in ſpiritu manſuetudinis. Conſiderans te ipſum ne & tu tenteris. (Gal. 6.)

Cùm autem perſeuerarent interrogantes eum, erexit ſe, & dixit eis: Qui ſine peccato eſt veſtrûm primus in illam lapidem mittat.] Quia hinc & inde Domino Scribæ & Phariſæi tendebant laqueos inſidiarum, putantes eum vel immiſericordem futurum in iudicando, vel iniuſtum. Præuidens ille dolos quaſi fila tranſit araneæ, & iudicium iuſtitiæ per omnia & manſuetudinẽ pietatis oſtendens. Ecce temperantia miſerandi, *Qui ſine peccato eſt veſtrûm.* Ecce iterum iuſtitia iudicandi, *primus in illam lapidem mittat.* Ac ſi dixiſſet: Si Moyſes mandauit vobis mulierem huiuſmodi lapidare. Videte quia non hoc peccatores, ſed iuſtos facere præcepit. Primò vos ipſi iuſtitiã legis implete, & ſic innocẽtes manibus & mundo corde, ad lapidandam ream concurrite. Primo ſpiritalia legis

edicta, fidē, miſericordiam & caritatē perficite, & ſic ad carnalia iudicanda diuertite. Dato autem iudicio, Dominus iterum ſe inclinans ſcribebat in terra. Et quidem iuxta morem conſuetudinis humanæ poteſt intellegi, quod ideò Dominus coram tentatoribus improbis inclinari, & in terra ſcribere voluerit, vt aliò vultum intendens, libertatem eis daret exire †, quos ſua reſponſione perculſos citius exituros, quàm plura interrogaturos eſſe præuiderat.

† al. liberũ eis daret exitum.

Denique audientes vnus poſt vnum exiebant, incipientes à ſenioribus.] Sed figuratè nos admonet, in eo quòd & ante datã & poſt datam ſententiam inclinans ſcripſit in terra; vt & prius quàm peccantem proximum corripiamus, & poſtquam debitæ caſtigationis illi miniſterium reddiderimus, nos ipſos digna humilitatis inueſtigatione perpendamus, ne fortè aut eiſdem quæ in ipſis reprehendimus, aut aliis quibuſlibet ſimus facinoribus irretiti. Sicut fortè fieri poteſt, vt ipſe qui homicidam reũ mortis eſſe iudicauerit, ipſe in ſeipſo per odium fraternæ mortis reus eſſe ante oculum conditoris inueniatur. Similiter qui fornicationis crimen in fratre accuſat, in ſe ipſo ſuperbię facinus non videat. Ideo iubetur iudex alieni criminis digito diſcretionis in corde ſuo deſcribere, ne forte in ſeipſo reus inueniatur. Quid igitur nobis in huiuſmodi periculis remedij, quid reſtat ſalutis, niſi vt cùm peccantem conſpicimus alium, mox inclinemus deorſum? Id eſt, quàm deiecti ex noſtræ cõditione fragilitatis ſimus, ſi nõ nos diuina pietas ſuſtineat †, humiliter inſpiciamus. Digito ſcribamus in terra, id eſt, diſcrimine ſolerti penſemus, an cũ beato Iob dicere poſſimus: Neque enim reprehendit nos cor noſtrum in omni vita noſtra. Benè qui inclinatus ſcripſit in terra, erectus miſericordiæ verba depromit, quia quod per humanæ infirmitatis ſocietatem promiſit, per diuinæ virtutem potentiæ hominibus donum pietatis impendit.

† al. ſuſtentet.

Iob. 27.

Erigens, inquit, *ſe Ieſus dixit ei: Mulier, vbi ſunt qui te accuſabant? Nemo te condemnauit. Quæ dixit, Nemo Domine.*] Nemo condemnare auſus eſt peccatricem, quia in ſe ſinguli cernere cœperant, quod magis damnandum cognoſcerent. Sed quia accuſantium turbas prolato iuſtitiæ pondere fugauit, videamus accuſatam, quanto miſericordiæ munere ſubleuet. Sequitur.

Dixit autē Ieſus. Nec ego te condemnabo. Vade, & amplius noli peccare.] Quoniam miſericors & pius eſt, præterita peccata relaxat. Quoniam iuſtus eſt, & iuſtitiam diligit, ne amplius iam peccet interdicit. Verùm quia poterant dubitare aliqui, an poſſet Ieſus, quem verum hominem nouerant, dimittere peccata; dignatur ipſe apertiùs quid diuinitus valeat oſtendere. Poſt repulſam namque tentatorum nequitiam, poſt ſolutam peccatricis culpam, iterum locutus eſt.

CAP. XX.

Lucem mundi ſe dicit. Phariſæos de proprio teſtimonio reſultans arguit. Iudicium ſuum verum ipſe confirmat.

EGo ſum lux mundi. Qui ſequitur me, non ambulabit in tenebris, ſed habebit lucē vitæ.] Vbi manifeſtè docet, non ſolùm qua authoritate mulieri peccata dimiſerit, ſed etiam quod ipſe ſit vera lux quæ inluminat omnem hominem venientem in hunc mũdum, cuius perpetuũ ſplendorem humana fragilitas videre non potuiſſet, niſi nube carnis tegeretur, per quam quaſi per quoddã lucidiſſimũ ſpeculum diuini luminis claritas humanis mentibus innoteſceret, quæ fide purganda eſt, vt tãti luminis aſpectui digna efficiatur. Vnde ſecutus ait: *Qui ſequitur me, non ambulabit in tenebris, ſed habebit lucem vitæ.* Qui meis modo iuſſis & exemplis obſequitur, nõ timebit in futuro tenebras damnationis, ſed lucẽ potius vitæ, vbi nunquam prorſus moriatur habebit. Itaque fratres mei, ſequamur Chriſtũ lumen mundi, ne ambulemus in tenebris. Tenebræ metuendæ ſunt morum, non oculorum; & ſi oculorũ, non exteriorum, ſed interiorũ. Vnde diſcernitur nõ album & nigrum, ſed iuſtum & iniuſtũ. Cùm hoc ergo dixiſſet Dominus noſter Ieſus Chriſtus, reſponderunt Iudæi.

Tu de te teſtimonium dicis †, teſtimonium tuũ non eſt verum.] Antequam veniret Dominus noſter Ieſus Chriſtus, multas ante ſe lucernas Propheticas accendit & miſit. De his erat etiam Ioannes Baptiſta. Hic tamē quo nemo erat maior in natis mulierum, dicit de Domino noſtro Ieſu Chriſto: *Ego quidē baptizo vos in aqua, qui autē venit poſt me fortior me eſt, cui non ſum dignus corrigiam calciamenti ſoluere.* Videte quemadmodum ſe lucernã Dei ſubmittat. Lucernam verò ipſum Ioannem fuiſſe, Dominus ipſe teſtatur. *Ille erat*, inquit, *lucerna ardens & lucens, & vos voluiſtis ad horam exultare in lumine eius.* Reſponderũt ergo Iudæi: *Tu de te teſtimoniũ dicis, teſtimoniũ tuum non eſt verum.* Videamus quid audiunt. Audiamus & nos, ſed nõ ſicut illi. Illi contemnentes, nos credentes. Illi Chriſtũ occidere volentes, nos Chriſtum viuere cupiẽtes. Interim iſta diſtantia diſtinguat aures menteſque noſtras, & audiamus quid Iudæis reſponderit Dominus.

† al. perhibes.

Reſpondit Ieſus, & dicit ei: Et ſi ego teſtimo-

ſtium perhibeo de meipſo, verum eſt teſtimonium meum, quia ſcio vnde veni & quò vado.] Lumē & alia demonſtrat, & ſeipſum. Chriſtus & ſe oſtendit, & patrem oſtendit, & de Iudæis quid eſſet venturum. Ergo ait Dominus, & verum ait. Et ſi ego de me teſtimoniū perhibeo, verum eſt teſtimonium meum, quia ſcio vnde veni & quò vado. Patrem volebat intellegi, patri gloriam dabat, filius æqualis. Glorificabat eum à quo eſt miſſus. Quantum debet homo glorificare eum à quo eſt miſſus? quantum debet homo glorificare eum à quo eſt creatus? Scio vnde veni, & quò vado. Iſte qui in præſētia vobis lo[illegible] habet quod non deſeruit, ſed tamen venit. Non enim veniendo inde diſceſſit, aut redeundo nos dereliquit. Quid miramini? Deus eſt, non poteſt hoc fieri, ſed ab homine. Non poteſt hoc fieri ab ipſo ſole oriente, ſol oriens pergit ad occidētem, & deſerit orientem. Non eo more Dominus noſter Ieſus Chriſtus. Et venit enim & ibi eſt; & rediit, & hic eſt. Audi ipſum Euangeliſtam alio loco dicētem: Et ſi potes, cape; ſi non potes, crede. *Deum*, inquit, *nemo vidit vnquam, niſi vnigenitus filius qui eſt in ſinu patris, ipſe enarrauit.* Non dixit, qui fuit in ſinu patris. Hic loquebatur, & ibi ſe eſſe dicebat. Qui & hinc diſceſſurus dixit. *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſæculi.* (Mat. 28.) Ergo verum eſt teſtimoniū luminis, ſiue ſe oſtendat ſiue alia. Quia ſine lumine non poteſt videri lumen. Et ſine lumine non poteſt videri quodlibet aliud quod non eſt lumen. Itaque & lumen & ſeipſum oſtendit, & quæ circa ſe ſunt. Ita & Chriſtus & ſeipſum oſtendit & alios inluminat, qui charitate circa ſe ſunt, & ſequūtur illum non pedum greſſibus, ſed charitatis officiis. Duos aduentus Domini noſtri Ieſu Chriſti legimus in ſcripturis ſanctis à Prophetis eſſe prædictos, vnum miſericordiæ, qui peractus eſt: alterum iudicij qui vēturus eſt. Prima ergo diſpenſatio Domini noſtri Ieſu Chriſti medicinalis, non iudicialis. Nam ſi primo veniſſet iudicaturus, neminē inueniſſet cui præmia iuſtitiæ redderet. Quia ergo vidit omnes peccatores, & omnino eſſe neminem immunem à morte peccati, prius eius erat miſericordia pereroganda, & poſt exercendum iudiciū: quia de illo cantauerat Pſalmus: (Pſal. 100.) *Miſericordiam & iudicium cantabo tibi Domine.* Non enim ante iudicium & poſt miſericordiam. Nam ſi primū eſſet iudicium, nulla eſſet miſericordia; ſed primo miſericordia, poſtea iudiciū. Quę eſt primo miſericordia? creator hominis, homo eſſe dignatus eſt, factus quod fecerat ne periret quod fecerat. Quid huic miſericordiæ addi poteſt? addidit tamē. Nā reprobatus eſt ab omnibus, pro quorū ſalute venerat in mundū, inriſiones ſuſtinuit, flagella, ſputa, opprobria inimicorū; turpiſſimam mortem crucis. Hæc omnia ſuſtinuit, quia voluit, vt ſaluaret hominem quem creauerat. Nullū genus mortis intolerabilius fuit cruce, propter longos cruciatus. Sed nihil nunc glorioſius quàm ſignum crucis portare in fronte. Vnde Apoſtolus ait, gloriam crucis prædicās. *Mihi autē abſit gloriari, niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti, per quē mihi mūdus crucifixus eſt, & ego mūdo.* Quia venit neminē iudicare, cōſequēter Iudæis reſpōdit.

Vos ſecundum carnem iudicatis, ego non iudico quenquam.] Pertulit iniuſtum iudicium, vt ageret iuſtum. Sed in eo quod pertulit iniuſtum, miſericordiæ fuit. Denique ita humilis factus eſt, vt perueniret ad crucem. Diſtulit quidem potentiam, ſed publicauit miſericordiam. Vnde diſtulit potētiam? quia de cruce noluit deſcēdere, qui potuit de ſepulchro reſurgere. Vnde publicauit miſericordiā? quia pendens in cruce dixit: *Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt.* Siue ergo propter hoc, quia non venerat iudicare mundum, ſed ſaluare mundum, dixit, *Non iudico quenquam*, ſiue quemadmodum commemoraui, quoniam dixerat: *Vos ſecundum carnem iudicatis*, addidit: *Ego non iudico quenquam*, vt intellegamus Chriſtū, non ſecundum carnem iudicare, ſicut ab hominibus iudicatus eſt. Nam vt cognoſcatis iam & iudicē Chriſtum, audite quid ſequitur.

Et ſi iudico ego, iudicium meum verum eſt.] Ecce habet & iudicium, ſed agnoſce Saluatorem, ne ſentias iudicium. Quare autem dixit iudicium ſuum verum eſſe? Quia ſolus, inquit, non ſum, ſed ego & qui me miſit pater. Quid eſt miſſio Chriſti, niſi incarnatio eius? Miſſus eſt Chriſtus, idem eſt vt ſi dicas, incarnatus eſt Chriſtus. Et à patre miſſus erat, & à patre nunquam receſſit. Et hic fuit per incarnationem, & hic eſt modo per diuinitatem. Fides ergo mundet corda noſtra, & intellectus impleat corda noſtra, vt intellegamus myſterium ſalutis noſtræ. Altum eſt, profundum eſt, ſecretum eſt. Vna eſt ſubſtantia, vna diuinitas, vna maieſtas, patris & filij. Pater non paſſus eſt, ſed ſolus filius. Ergo intellegamus miſſionem filij nominatam incarnationem filij: Patrem autem incarnatum eſſe nō credamus. Vnde ergo verum iudicium eius, niſi quia verus eſt filius patris? Ideo dixit, *Iudiciū meū verum eſt*, quia ſolus non ſum, inquit, ſed ego & qui me miſit pater. Idem ergo in alio

loco dixit: *Ego & pater vnum ſumus*, vnum in ſubſtantia, duo in perſona. *Vnum* dixit, propter ſubſtantiæ vnitatem, *ſumus* dixit propter perſonarum diſtinctionem. Audi quid dixit, *Ego & qui me miſit pater.* Diſtingue perſonas, & agnoſce quia pater pater eſt, & filius filius eſt, ne in baratrum Sabelliani peruenias. Et noli dicere, *alius & aliud*, ſed dic, *alius & alius*. Non aliud in ſubſtantia, ſed alius in perſona. Non pater maior, nō fili⁹ minor in diuinitatis gloria; ſed crede, *vnū ſumus*. In eo quod dixit ipſa Veritas, *vnum*, liberat te ab Arrio. Quod dixit *ſumus*, liberat te à Sabellio. Si vnum, non ergo diuerſum; ſi *ſumus*, non ergo *vnus*. De iudicio dixerat, dum dixit: *Ego non iudico quemquam.* De teſtimonio nunc vult dicere, vt intellectus impleat corda noſtra.

In lege veſtra inquit, *ſcriptum eſt.*] Veſtram dixit tanquam diceret: In lege quę vobis à Deo data eſt, ſicut dicimus, panem noſtrum quotidianum, quem à Deo nobis dari poſcimus. Quid eſt quod in lege veſtra ſcriptum eſt, quia *duorum hominum teſtimonium verum eſt?* Numquid ſemper duo homines verum dicunt teſtimonium? Nonne duo falſi teſtes contra Suſannam falſum protulerūt teſtimonium? Et Iudæis quærentibus falſum teſtimonium contra Chriſtum, dicit Euangeliſta: *Nouiſſimè venerunt duo falſi teſtes.* Nunquid quia duo erant, ideò falſi teſtes non erant? quid de duobus dicimus vel tribus? vniuerſus populus mentitus eſt contra Chriſtum. Si ergo totus populus, qui conſtat ex magna hominum multitudine, falſū teſtimonium dicere inuentus eſt? quomodo accipiendum eſt, *In ore duorum vel trium teſtium ſtabit omne verbum?* niſi quia hoc modo per myſterium Trinitas commendata eſt, in qua perpetua ſtabilitas veritatis eſt. Si vis habere bonam cauſſam, habeto duos vel tres teſtes, Patrem, & Filium, & Spiritū ſanctum. Denique quando Suſanna caſta femina fideliſque coniunx, duobus falſis teſtibus vrgebatur, Trinitas illi in conſcientia atq; in occulto ſuffragabatur. Illa Trinitas de occulto vnum teſtem Danielem excitauit, & duos cōuicit. Ergo quia in lege veſtra ſcriptum eſt: *Duorum hominum teſtimoniū verum eſſe*, accipitē verum teſtimonium, ne ſentiatis iudicium. *Ego enim*, inquit, *non iudico quenquam, ſed teſtimonium perhibeo de me.* Differo iudicium, non differo teſtimonium. Eligamus, fratres, teſtimonium Dei; quia teſtimonium Die verum eſt. Et qui modo teſtis eſt omnium quæ agimus, iudex erit omniū quæ fecimus. Et alium non quærit teſtem niſi ſeipſum, quia omnia ſecreta cordis noſtri conſiderat, & quid, & ex quo fonte procedat. Ideo teſtis, quia non quærit alium vnde cognoſcat quis ſis, vel qualis ſit vita tua, qui reddet vnicuique ſecundum opera ſua. Reſponderunt ergo Iudæi Domino loquente de Patre ſuo, & dixerunt.

A B C D E

Vbi eſt pater tuus?] Patrem Chriſti carnaliter acceperunt, quia verba Chriſti ſecundum carnem iudicauerunt. Erat autem qui loquebatur in aperto caro, in occulto Verbum. Homo manifeſtus, Deus occultus. Videbant indumentum, & contemnebant indutum. Videamus ergo quid ad hæc Dominus reſpondit. Vbi eſt, inquiunt, pater tuus? audiuimus enim te dicere. [illegible] non ſum, ſed ego & qui me miſit Pater. Nam ſolum te videmus, Patrē tuum tecum non videmus. quomodo te dicis ſolum non eſſe, ſed cum patre tuo eſſe? Oſtende nobis tecum eſſe patrem tuum. Et Dominus, Numquid me videtis, & Patrem meum non videtis? Hoc enim ſequitur, hoc ſuis verbis ipſe reſpondit. Quorum verborū expoſitionē nos antè pręmiſimus. Videte enim quid dixerit.

Neque me ſcitis, neque patrem meum. Si me ſciretis, forte & patrem meum ſciretis.] Dicitis ergo, Vbi eſt pater tuus? quaſi me iam ſciatis, quaſi totum hoc ſim quod videtis. Ergo quia me non noſtis, ideo vobis patrem meū non oſtendo. Me quippe hominem putatis, ideo patrem meum hominem quæritis, quia ſecundum carnem iudicatis. Quia verò ſecundum quod videtis aliud ſum, & aliud ſecundum quod non videtis, patrem meum loquor occultum. Prius eſt vt me noueritis, tunc & patrem meum ſcietis. Si enim me ſciretis, & patrem meum forſitan ſciretis. Ille qui omnia ſcit, quando dicit, *forſitan*, non dubitat, ſed increpat. Attende enim quomodo increpatiuè dicatur ipſum forſitan, quod videtur eſſe verbum dubitationis, ſed dubitationis verbum eſt quādo dicitur ab homine, ideo dubitante, quia neſciente. Cum verò dicitur à Deo verbum dubitationis, cùm Domino nihil vtique lateat: illa dubitatione arguitur infidelitas; non opinatur diuinitas. Homines enim de his rebus, quas certas habent, aliquando increpatione dubitant, id eſt, verbum dubitationis ponunt, cum corde non dubitant. Velut ſi indigneris ſeruo tuo, & dicas: Contemnis me? Conſidera, forſitan Dominus tuus ſum. Hinc & Apoſtolus ad quoſdam contemptores ſuos loquens ait: *Puto autem, & ego Spiritum Dei habeo.* Qui dicit puto, dubitare videtur; ſed ille increpabat, non dubitabat. Et Dominus Ieſus Chriſtus alio loco increpans infi-

Lucæ 18. delitatem futuram generis humani, *Cum veneris, inquit, filius hominis, putas inueniet fidem ſuper terram?* Scit ergo omnia per quem facta ſunt omnia, & tamen dubitando increpabat, *Si me ſciretis, forſitan & patrem meum ſciretis.* Increpabat infideles, admonet fideles; vt ſciant vnam eſſe cogitationem Patris & Filij, quatinus ſciant cognitionem filij cognitionem eſſe & patris. Ideo diſcipulo electo poſcenti vt oſtenderet eis patrem, reſpondit. *Tanto tempore vobiſcum ſum, & non cognouiſtis me. Philippe, qui videt me, videt & patrem meum.* Si diſſimilis eſſet Filius Patri, nunquid diceret diſcipulis *Qui me videt, videt & patrem?* Nunquid diceret Iudæis, *Si me ſciretis, forſitan & patrem meum ſciretis?*

Hæc verba locutus eſt Ieſus in gazophylacio docens in templo.] Magna fiducia ſine timore. Non enim pateretur ſi nollet, quia nec naſceretur ſi nollet. Quid eſt quod hæc verba eius in gazophylacio docens in templo locutus eſt? Gazophylaciũ locus eſt vbi theſauri conduntur. Ieſus in gazophylacio loquebatur Iudæis, dum in parabolis locutus eſt turbis. Nam gazophylaciũ fuit Chriſtus, in quo omnia latuerunt myſteria, tunc aperiẽda dũ ipſe, qui latuit in litera, loquebatur non in prouerbiis, ſed palàm omnia fidelibus ſuis enarrans. Nam & gazophylacia adhærebant templo, quia ipſe Chriſtus templum eſt, de quo ipſe ait: *Soluite templum hoc*, cui omnia myſteria veteris legis adhærebant, & ad eum omnia reſpiciebant, donec veniret ad aperienda ſingulorum gazophylacia myſteriorũ, aperiẽte eo ſenſus fidelium ſuorum, vt intellegerẽt quæ latebant, ſicut Euangeliſta ait: *Tunc aperuit illis ſenſus vt intellegerent ſcripturas.* Denique quid ſequitur?

Nemo apprehendit eum, quia necdum venerat hora eius.] Scilicet omnia diſpoſitionis ſuæ, omnia voluntatis ſuæ. Quia qui voluntate natus eſt, voluntate & paſſus eſt. Si ergo pati nollet, non pateretur: ſi non pateretur, ſanguis ille non funderetur, mundus non redimeretur. Agamus itaque gratias & poteſtati diuinitatis, & miſerationi infirmitatis eius, de occulta potentia quam Iudæi non nouerant. Vnde illis modo dictum eſt: *Neque me noſtis, neque patrem meum*, & de carne ſuſcepta quam Iudæi nouerant, & cuius patriam ſciebant. Vnde illis alio loco dixit: *Et me noſtis, & vnde ſim ſcitis.* Vtrũque nouimus in Chriſto, & vnde æqualis patri, & vnde illo maior eſt pater. Illud Verbum eſt, illud caro. Illud Deus eſt, illud homo. Sed vnus Chriſtus Deus & homo.

A Modo de ſua paſſione quid loquatur Chriſtus audiamus.

CAP. XXI.

Dicit Iudæis, quòd in peccata ſuo morientur. A quibus cùm eſſet interrogatus quis eſſet, reſpondit principium ſe eſſe, addens hoc: Cùm exaltaueritis filium hominis, tunc cognoſcetis quia ego ſum.

Ego vado & quæretis me, & in peccato veſtro moriemini. Quò ego vado, vos non poteſtis venire.] Ego vado, inquit, & quæretis me: non deſiderio, ſed odio. Nam illum poſteaquam abſceſſit ab oculis hominum, inquiſierunt, & qui oderant & qui amabant. Illi perſequendo, illi habere cupiendo. Bonum eſt animam Chriſti quærere, ſed quomodo diſcipuli eam quæſierunt. Et malum eſt quærere animam Chriſti: ſed quomodo eam Iudæi quæſierunt. Illi enim vt haberent, iſti vt perderent. Denique iſti quia ſic quærebant more malo, corde peruerſo, quid ſecutus adiunxit? *quæritis me.* Et ne putetis, quia benè me quæritis, *in peccato veſtro moriemini*; Hoc eſt Chriſtum malè quærere, in peccato ſuo mori. In peccato ſuo moritur, qui in peccato permanet vſque ad mortem. Ille Chriſtum non quærit, qui ſalutem animæ ſuæ per pœnitentiam non quærit. Ad quem Propheta clamat: *Quærite Dominum dum inueniri poteſt.* Eſaiæ 55. Modo qui miſericordem dum tempus habet non quærit, inueniet eum iratum. Iudæis dixit: *In peccato veſtro moriemini*, quia præſciebat eos in peccato ſuo permanere. Singulari numero dixit *in peccato*, & plurali numero *moriemini*: quia omnibus illis ad quos loquebatur vnam eſſe voluntatem, æqualem malitiam perdendi eum, qui ſaluare eos venerat. Alio vero loco diſcipulis ſuis dixit: *Quo ego vado, non poteſtis modo venire.* Non abſtulit eis ſpem, ſed prædixit dilationem. Quando enim hoc diſcipulis Dominus loquebatur, tunc non poterãt venire quò ille ibat, ſed poſtea venturi erãt. Iſti autem nunquam, quibus præſciens dixit: *In peccato veſtro moriemini.* His autem auditis verbis, quomodo ſolent carnalia cogitantes, & ſecundum carnem iudicantes, & totum carnaliter audiẽtes & ſapientes, dixerunt;

Nunquid interficiet ſemetipſum, quia dicit, Quò ego vado vos nõ poteſtis venire?] Stulta verba, & omnino inſipientiæ plena. quid enim? non poterant illò venire, quò ille perrexiſſet, ſi interficeret ſemetipſum? Nunquid ipſi

non erāt morituri? Quid eſt ergo, *Nunquid interficiet ſemetipſum, quia dixit: Quò ego vado vos non poteſtis venire?* Si de morte hominis diceret, quis hominū non moritur? Ergo quò ego vado dixit, nō quo itur ad mortē, ſed quò ibat ipſe poſt mortem vt occideret mortem. Illis itaque non intellegentibus iſta, reſpondit Dominus.

† al. terrena.

Vos deorſum eſtis.] Ideo terram † ſapitis, quia ſicut ſerpens terrā manducatis. Quid eſt terram manducatis, niſi terrenis paſcimini, terrenis delectamini, terrenis inhiatis? Surſum cor non habetis. Vos deorſum eſtis.

Ego de ſupernis ſum, vos de mundo hoc eſtis, ego non ſum de hoc mundo.] Quomodo ergo non erat de hoc mundo, per quem factus eſt mundus, & ſemper vbique eſt? Sed omnes de mundo. Sed prius mundus, poſtea homo. Sed Chriſtus ante mundum, ante Chriſtū nihil. Quia in principio erat Verbum, & omnia per ipſum facta ſunt. Sic enim erat ille de ſupernis. De quibus ſupernis Chriſtus? ab ipſo patre, nihil illo inferius, nihil illo ſuperius. Quia pater Verbum genuit æqualem ſibi, coæternum ſibi, vnigenitum ſibi, ſine tempore, per quem conderet tempora. Ideo Chriſtus ante omnes creaturas, & ante omnia tempora, quia de patre, coæternus patri genitus eſt. *Ego de ſupernis ſum, vos de hoc mundo eſtis, ego non ſum de hoc mundo.*

Dixi ergo vobis, quia moriemini in peccatis veſtris.] Expoſuit nobis fratres, quod intellegi voluit, *Vos de mūdo hoc eſtis.* Ideo quippe dixit, *Vos de hoc mūdo eſtis*, quia peccatores erāt, quia iniqui erant, quia infideles erant, quia terrena ſapiebant. Nunquid Apoſtoli & ſancti Dei de hoc mundo non erant? Erant ſiquidem, quia de Adam nati ſunt, ſed ipſa Veritas de eis ait: *Ego elegi vos de mundo*, id eſt, de carnali conuerſatione, quæ mundi nomine hoc loco ſignificari videtur. Qui ergo erant de mundo, facti ſunt non de mundo, & pertinere cœperunt ad eum, per quem factus eſt mundus. Iſti autem remanſerunt eſſe in mundo, quibus dictum eſt: *Moriemini in peccatis veſtris.* Nemo dicat, De hoc mundo non ſum. Quiſquis es, ô homo, de hoc mundo es: ſed venit ad te qui fecit mundum, & liberauit te de hoc mundo. Si delectat te mundus, ſemper vis eſſe in mundo. Si autem iam nō delectat te hic mundus, iam nō eris mundus, & non audies quod Iudæi audierunt: *Moriemini in peccato veſtro.* Et qui plus peccat, plus eſt immundus, & quanto quis ſe mundat à peccato, tanto ſe eleuat de mundo non eſſe. Meritò audierunt Iudæi, *Moriemini in peccatis veſtris*, quia non habere peccatum nullo modo potuiſtis, qui cum peccato nati eſtis. Sed tamen, *Si in me*, inquit, *credideritis*, cum peccato quidem nati eſtis, ſed in peccato veſtro morituri non eſtis. Tota ergo infelicitas ipſa erat, non peccatum habere, ſed in peccatis mori. Hoc eſt quod debet fugere omnis Chriſtianus. Propter hoc ad baptiſmum curritur. Propter hoc qui ægritudine vel aliunde periclitatur, ſibi deſiderat ſubuenire. Propter hoc etiam ſugens paruulus, à matre piis manibus ad Eccleſiam fertur, ne ſine baptiſmo exeat, & in peccato qui natus eſt moriatur. Adiunxit enim dicens:

Si non credideritis quia ego ſum, moriemini in peccatis veſtris.] Ergo ſi credideritis quia ego ſum, non moriemini in peccatis veſtris. Reddita eſt ſpes deſperantibus, excitatio facta eſt dormientibus. Cordibus euigilauerunt, inde plurimi crediderunt, ſicut Euangelij ipſius conſequentia teſtatur, vbi ait: *Hæc illo loquente, multi crediderunt in eum.* In hoc ergo populo, cui Dominus loquebatur, erant qui in peccato ſuo fuerāt morituri. Erant etiam qui in ipſum, qui loquebatur, fuerant credituri, & ab omni peccato liberandi. Tamen hoc adtende quod ait Dominus Chriſtus: *Si non credideritis quia ego ſum, moriemini in peccatu veſtro.* Quid eſt, *ſi nō credideritis quia ego ſum*? Quid? Nihil addidit. Multum eſt quod commendauit. Dixit, *Ego ſum*, & non addidit quid, ſiue Chriſtus, ſiue filius Dei, ſiue ille quem Prophetæ prædixerunt, ſiue Saluator mundi, ſiue aliquid, quod de eo in ſcripturis legitur. Multum eſt quod ait ipſe. *Ego ſum*, quia dixerat Deus Moyſi, *Ego ſum qui ſum*. Et hic modo, *Niſi credideritis quia ego ſum*, Eodem verbo eſſentiæ ſempiternæ vſus eſt ad populum Iudęorum, quo tunc ad Moyſen per Angelum in rubo flammæ ignis, quem miſſurus erat ad liberandum populum ſuū. Quid eſt quod hîc dixit: *Ego ſum?* Niſi ille ipſe qui tunc venit in Angelum mittere, Moyſen ſeruum meum ad liberandum populum meum. Ego ipſe, modo per meipſum veni incarnatus, homo factus, liberare homines quos creaui, ſaluare qui perditi fuerāt. Quicquid enim aliquo modo mutari poteſt, vel in melius vel in deterius; quodammodo moritur eo quod fuit ante, dum incipit aliud eſſe, vel aliter eſſe quàm fuit. Solus verò Deus ſemper idem eſt immutabilis. Immutabilis bonitas, immutabilis ſempiternitas, immutabilis natura, immutabilis ſubſtantia. Et quicquid

de eo dici poteſt, ſemper idem eſt quod fuit, & quod erit. Prorſus nihil aliud melius videtur intellegi, in hoc verbo quod ait Dominus: *Ego ſum*, niſi ego ſum Deus. Moriemini in peccato veſtro. Sed illi ſemper terrena ſapientes & ſemper ſecundum carnem audientes, & reſpondentes, quid ei dixerunt?

Tu quis es?] Non enim cùm dixiſti: *Niſi credideritis quia ego ſum*, addidiſti quis eſſes. Quis es vt credamus? Et ille: Principium. Ecce quod eſt, eſſe. Principium mutari nõ poteſt. Principium in ſe manet, & innouat omnia. Principium eſt, cui dictum eſt: *Tu* [illegible]*em ipſe es, & anni tui non deficient.* (Pſalm. 101.) *Principium*, ait, *quod & loquor vobis.* Principium me credite, ne moriamini in peccatis veſtris. Tanquam enim in eo quod dixerunt: *Tu quis es?* nihil aliud dixerũt, quàm quid te eſſe credemus? Reſpondit: Principium me eſſe credite, & addidit, *quod & loquor vobis.* Id eſt, quia humilis propter vos factus, ad iſta verba deſcendi. Nam ſi principium ſicuti eſt, ita maneret apud Patrem, vt non acciperet formam ſerui, & homo loqueretur hominibus: quomodo ei crederent, cùm infirma corda intellegibile verbum, ſine voce ſenſibili * audire nõ poſſent? (* al. ſine voce, ſed ſenſibili, videre.) Ergo, inquit, credite me eſſe principium, quia vt credatis non ſolum ſum, ſed & loquor vobis. Verba Domini noſtri Ieſu Chriſti, quæ habuit cum Iudæis, ita moderans loquela ſua, vt cæci non viderent, & fideles oculos aperirent. Dicebant ergo Iudæi, *Tu quis es?* quia dixerat ſuprà Dominus: *Niſi credideritis quia ego ſum, moriemini in peccatis veſtris.* Ad hæc ergo illi, *Tu quis es?* Veluti quærentes noſſe in quem deberent credere, ne in ſuo peccato morerentur. Reſpondit dicentibus, *Tu quis es?* & ait, *Principium quod & loquor vobis.* Quare ſe dicit Dominus Ieſus principiũ? Quia omnia per ipſum facta ſunt, ſicut Pſalmus dicit: *Omnia in ſapientia feciſti.* (Pſalm. 103.) Si igitur omnia in ſapientia fecit Deus, id eſt, in filio ſuo coæterno ſibi & conſubſtantiali, filius vtique omnium principium eſt. Nunquid & Pater poteſt dici principium? Vtique rectè dicitur Pater principium, & Filius principium. Non tamen duo principia, ſicut Pater Deus, & Filius Deus. Non tamẽ duo dij, ſed vnus Deus dicendus eſt. Sic pater principium, & filius principium, non tamen duo principia, ſed vnum principiũ fatendũ eſt. Ergo & Spiritus ſanctus principium eſt. Non tamen tria principia, Pater & Filius & Spiritus ſanctus, ſed vnum principium. Sicut Pater Deus, Filius Deus,

A Spiritus ſanctus Deus. Non tamen tres dij, ſed vnus Deus. Pater omnipotens, Filius omnipotens, Spiritus ſanctus omnipotẽs. Non tamen tres omnipotentes, ſed vnus omnipotens. Id enim quod Pater à ſe eſt, Deus eſt: quod ad Filium eſt, pater eſt. Quod filius ad ſeipſum, Deus eſt; quod à Patre eſt, filius eſt. Et Spiritus ſanctus quod ad ſe eſt, Deus eſt; quod à Patre & Filio, Spiritus ſanctus eſt: quia Patris & Filij Spiritus eſt, ex Patre & Filio procedẽs, vnius ſubſtantiæ, poteſtatis, maieſtatis cum Patre & Filio. Audiamus ergo principium B quod loquitur nobis.

Multa, inquit, *habeo de vobis loqui & iudicare.*] In alio verò loco dixit: *Non iudico quenquam.* Præſentem eius oſtendens aduentum, quo venit ſaluare, non iudicare: quia venerat vt ſaluaret mundum, non vt iudicaret mundum. Quod autem nunc dicitur: *Multa habeo de vobis loqui & iudicare*, Iudicium futurum dicit. Ideo enim aſcendit vt veniat iudicare viuos & mortuos. Nemo iuſtius iudicabit, quàm qui iniuſtè C iudicatus eſt. *Multa habeo*, inquit, *loqui & iudicare de vobis; ſed qui me miſit verax eſt.* Videte quemadmodum Patri det gloriam æqualis Filius Patri. Exemplum enim nobis præbens, gloriam dare Deo, gloriam Dei quærere, non noſtram, quaſi diceret: O homo fidelis, ſi ego filius patris æqualis patri, conſubſtantialis patri, coæternus patri, do gloriam ei à quo ſum: quomodo tu ſuperbus es apud eum, cuius es ſeruus? *Multa*, inquit, *habeo de vobis loqui & iudicare, ſed qui me miſit verax eſt.* Tanquã D diceret, Ideo verum dico, quia filius veracis, veritas ſum. Pater verax eſt, Filius veritas. Ait enim apertiſſimè ipſe Dominus: *Ego ſum via, & veritas, & vita.* Ergo ſi Filius veritas, Pater quid? niſi quod ait Veritas: *Qui me miſit verax eſt.* Filius veritas, pater verax. Sicut à Patre Filius, ita à veraci Veritas. Pater verax eſt, ſed nõ à Veritate. Filius Veritas, ſed à Patre, quaſi Filius à Patre, nõ à ſeipſo. Et ideo alio loco: *A me ipſo non veni*, id eſt, à me ipſo non ſum. E Pater vtiq. verax eſt, non participãdo veritati, ſed generando veritatẽ. Quia pater genuit filiũ, qui de ſe ipſo ait: *Ego ſũ via & veritas.* Cùm autem dixiſſet Dominus Ieſus, *Verax eſt qui me miſit*, non intellexerunt illi quod de patre eis dicebat, nec dum habuerunt oculos cordis apertos vt intellegere poſſent æqualitatem veracis & veritatis.

Dicebat Ieſus turbis Iudæorum: Cùm exaltaueritis filium hominis, tunc cognoſcetis quia ego ſum, & à me ipſo facio nihil: ſed ſicut docuit me

pater, hæc loquor.] Quid eſt hoc? Nihil enim aliud videtur dixiſſe, niſi eos poſt paſſionē ſuam cognituros quid eſſet. Proculdubio ergo videbat ibi aliquos, quos ipſe cum cæteris ſanctis ſuis ante mundi conſtitutionē præſciendo elegerat, poſt paſſionem ſuam eſſe credituros. Ipſi ſunt illi, quos aſſiduè commendamus, & ad imitationem cum magna exhortatione proponimus. Miſſo deſuper Spiritu ſancto poſt Domini paſſionem & reſurrectionem & aſcenſionem, cùm miracula fierēt in eius nomine; quem tanquam mortuum perſequentes Iudæi contempſerunt, compuncti ſunt corde, & qui ſæuientes occiderunt, mutati crediderunt. Et quem ſanguinem ſæuiendo fuderunt, credendo biberunt. Ille tria milia, & ille quinque milia Iudæorum, quos ibi videbat quando dicebat: *Cùm exaltaueritis filium hominis, tunc cognoſcetis quia ego ſum.* Tanquam dicens: differo cognitionem veſtram vt impleam paſſionem meam. Ordine veſtro cognoſcetis qui ſim. Non quia omnes tunc erant credituri ex his qui audiebant, id eſt, poſt Domini paſſionem. Nam paulo ante dicit: *Hæc eo loquente multi crediderunt in eum, & nondum exaltatus erat filius hominis.* Exaltationem quippe dicit paſſionis, non glorificationis: crucis, non cœli. Nam ibi exaltatus eſt, quando pependit in ligno: ſed illa exaltatio, humiliatio fuit. Tunc enim factus eſt Patri obediens vſque ad mortem: mortem autem crucis. Propter quod exaltauit illum Deus. Altera exaltatio fuit, quando eleuatus eſt in crucem. Altera dum aſcendit in cœlum. Illa humiliationis, iſta glorificationis. Exaltationem crucis oportebat impleri per eorū manus, qui poſtea fuerant credituri, quibus dicit: *Cum exaltaueritis filium hominis, tunc cognoſcetis quia ego ſum.* Quare hoc niſi vt nemo deſperaret in quocunque ſcelere malè conſcius, quando videbat eis donari homicidium, qui occiderant Chriſtum? Addidit: *Tunc cognoſcetis quia ego ſum.* Quid eſt, *ego ſum*? niſi vnius ſubſtantiæ cum Patre. Sicut & ad Moyſen ſuperiùs diximus, dictum eſſe: *Ego ſum qui ſum.* Verbo ſubſtantiali vtitur de ſeipſo Dominus, vt intellegatur æterna eſſe ſubſtantia, & vnam eſſe ſubſtantiam Patris & Filij. Tamen ne ipſe intellegeretur Pater, continuò adiunxit:

Epheſ. 1. — Actor. 2. — Actor. 4. — Philip. 2.

Et à meipſo facio nihil, ſed ſicut docuit me Pater, hæc loquor.] Quòd verò ait: *A meipſo facio nihil.* Quid eſt à meipſo facio nihil? id eſt, à meipſo non ſum. Quod autē addidit *ſicut docuit me pater, hæc loquor*, ſenſus altiſſimus eſt. Cor enim mundandum, vt intellegatur quod ait: *Sicut docuit me pater, ſic loquor.* Non enim ita intellegendum eſt, quaſi homo Pater homini filio loqueretur: ſed excellentiùs & ſacratiùs. Aliter vero intelligendum eſt quod ait Euangeliſta: *In principio erat Verbum*, & aliter intellegendū, *Verbum caro factū eſt.* Aliter de diuinitatē Chriſti, in qua æqualis eſt Deo patri. Aliter de humanitate eius, in qua conſimilis eſt nobis. Cogitandum eſt, non vno modo intellegendum eſſe, quod ait Dominus: *Ego & pater vnus ſumus*, & illud quod dixit: *Pater maior me eſt.* Ergo incorporaliter cogitetur pater locutus filio, quia incorporaliter pater genuit filium. Nec eum [illegible] quaſi indoctum genuerit. Sed hoc eſt eum docuiſſe, quod eſt ſcientē genuiſſe. Et hoc eſt, *docuit me pater*, quod ſcientem me pater genuit. Si enim, quod pauci intellegunt, ſimplex eſt natura veritatis, hoc eſt filio eſſe quod noſſe. Ab illo ergo habet quòd nouerit, à quo habet vt ſit, non vt prius ab illo eſſet, & ab illo poſtea noſſet: ſed quemadmodū illi gignendo dedit vt eſſet, ſic gignendo dedit vt noſſet, quia ſimplicis indiciū eſt naturæ, veritatis * eſt. Eſſe & noſſe, non eſt aliud atque aliud, ſed hoc ipſum. Dixit ergo iſta Iudæis & addidit.

Et qui me miſit, mecum eſt.] Iam hoc antea dixerat, ſed rem magnam aſſiduè commemorat. *Miſit me, & mecum eſt.* Si ergo tecum eſt, ô Domine, non vnus ab alio miſſus eſt, ſed ambo veniſtis. Et tamen cùm ambo ſimul ſint, vnus miſſus eſt, alter miſit: quoniam miſſio, incarnatio eſt. Ipſa incarnatio filij tantùm eſt, non & patris. Miſit itaque pater filium, ſed non receſſit à filio. Ergo, inquit, *Qui me miſit, non reliquit me ſolum.* Cuius autoritate tanquam patris incarnatus ſum, mecum eſt, non me dereliquit. Quare me non dereliquit? *Non dereliquit me*, inquit, *ſolum, quia ego quæ placita ſunt ei facio ſemper.* Ipſa eſt æqualitas ſemper, non ex quodam initio & deinceps, ſed ſine initio & ſine fine. Dei enim generatio non habet initium temporis, quia per genitum facta ſunt tempora.

Hæc illo loquente multi crediderunt in eum.] Multi crediderunt, nec dum in omnem terram exiuit ſonus eorum, necdum omnibus prædicatum eſt, necdum dictum eſt: *Ite, docete omnes gentes.* Ergo Dominus ad eos qui crediderunt in eum ait Iudæos:

Cap. XXII.

Iudæis credentibus ait: Si manſeritis in ſermone meo, veritas liberauit vos. *Quibus*

reſpondentibus ſe eſſe liberos, dicit: Qui facit peccatum ſeruus eſt peccati.

A diuimus ergo quid libera veritas dixit, audiamus quid ſuperba falſitas reſpondeat. Dixerunt ergo Iudæi:

SI *vos manſeritis in verbo meo.*] Ideo manſeritis, quia initiati eſtis, quia eſſe ibi cœpiſtis. Si manſeritis, hoc eſt, in fide quæ in vobis eſſe credentibus cœpit, quò peruenietis? Vide quale initiũ quò perducitur †. Amaſti fundamentum, culmen adtende, & ex iſta humilitate aliam celſitudinem quære. Fides enim humilitatem habet. Cognitio & immortalitas & æternitas non habet humilitatem, sed celſitudinem, & erectionem, nullam defectionem, æternam ſtab[illegible]m, nullam ab inimico expugnationem, nullum deficienti timorem. Magnũ eſt quod incipit à fide, ſed maius quo peruenitur per fidem. Audi igitur quò perueniat, & vide quanta ſit fides.

†al. perducit.

Ergo & vos, ait, *ſi manſeritis in verbo meo, in quo credidiſtis, verè diſcipuli mei eritis.*] Subiunxit quoque: *& cognoſcetis veritatem.* Qui cognoſcit veritatẽ, cognoſcit Deum, quia Deus veritas eſt, dicente ipſo Domino: *Ego ſum via, & veritas, & vita.* Credamus ergo, vt cognoſcamus veritatem, quia ſine fide ad cognitionem veritatis nullus peruenire poterit. Quid cognituri ſumus? illud quod nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit. Quid eſt enim fides, niſi credere quod nõ vides? Fides ergo eſt, quod non vides credere. Veritas, quod credidiſti videre. Quid eſt quod videre nobis promittitur? Dicit enim Dominus in alio loco, quid eſſet quod viſuri erimus: *Qui autem diligit me, diligitur à patre meo, & ego diligam eum, & manifeſtabo ei me ipſum.* Hæc eſt promiſſio, hæc eſt merces fidei, quæ per dilectionem operatur. Hæc eſt ſatietas quam Pſalmiſta optauit, dicens: *Satiabor dum manifeſtabitur gloria tua.* O Domine, fac nos dignè amare te, & non amare ſæculum, vt valeamus ad illam libertatem peruenire, ad quam per cognitionem veritatis peruenitur. De qua ſubiunxiſti, dicens:

Eſaiæ 64. 1. Cor. 2.

Pſalm. 10.

Et veritas liberabit vos.] Quid eſt liberabit vos? liberos faciet. Denique Iudæi carnales, & ſecundum carnem iudicantes, non hi qui crediderant, ſed in illa turba qui erãt qui non credebant, iniuriam ſibi factam putauerunt, quia dixit eis: *Veritas liberauit vos:* Indignati ſunt ſeruos ſe eſſe ſignificatos, & verè ſerui erant. Et exponit illis quæ ſit ſeruitus, & quæ ſit futura libertas, quam ipſe promittit. Nihil enim aliud eſt dicere: *Et veritas liberauit vos*, niſi liberos vos faciet, ſicut nihil eſt ſaluabit, niſi ſaluos faciet. Au-

Semen Abrahæ ſumus, & nemini ſeruiuimus vnquam. Quomódo tu dicis, liberi eritis?] Non enim dixerat Dominus, liberi eritis, ſed veritas liberauit vos. In quo tamen verbo, illi nihil aliud intellexerunt, niſi libertatem carnalẽ, & extulerũt ſe, quod ſemen eſſent Abrahæ, & dixerunt: *Semen Abrahæ ſumus, & nemini ſeruiuimus vnquam, quomodo tu dicis, liberi eritis?* O vana ſuperbia! ô falſa iactantia! quomodo verum dixiſtis: *Nemini* B *ſeruiuimus vnquam?* Ioſeph non eſt venundatus? Prophetæ ſancti non ſunt ducti in captiuitatem? Denique nonne ille ipſe eſt populus, qui in Ægypto lateres faciebat, & operibus duris, non ſaltem in argento & auro, ſed in luto ſeruiebat? Si nemini ſeruiſtis vnquam, ô ingrati, quid eſt quod vobis aſſiduè imputat Deus, quomodo vos de domo ſeruitutis liberauit? An fortè patres veſtri ſeruierunt, vos autem qui loquimini nulli ſeruiſtis vnquam? Quomodo C ergo ſoluebatis tributum Romanis? Vnde & ipſi veritati laqueum quaſi captionis propoſuiſtis, vt diceretis: *Licet reddere tributum Cæſari?* vt ſi dixiſſet, Licet, teneretis eũ, quaſi malam optaſſet libertatem ſemini Abrahæ. Si autem diceret, Non licet, calumniaremini apud reges terræ, quòd prohiberet Regibus tributa perſolui. Deinde prolato nummo victi eſtis, & captioni veſtræ vos ipſi eſtis reſpondere compulſi. Ibi enim vobis eſt dictum: *Reddite Cæſari quæ Cæſaris ſunt, & Deo quæ Dei ſunt*, cùm vos ipſi reſpondiſſetis, quod nummus habet D imaginem Cæſaris: quia ſicut quærit Cæſar in nummo imaginem ſuam, ſic Deus quærit in homine ſuam. Nec alienum quid quærit Deus ab homine, ſed quod condidit in homine. Ideo Deus homo factus eſt, vt in homine reformaret quod in homine formauit. Ergo mentientibus & de vana libertate tumentibus, quid reſpondiſſet Dominus Iudæis, audiamus.

Amen, amen dico vobis, quia omnis qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati.] Quis non ſub E his verbis contremiſcat: Si omnis homo peccator, omnis homo ſeruus peccati? Sed intentiùs audiamus, qualiter liberemur de hac ſeruitute. Terrorem incutit, medicinã adhibet. Nam ait Dominus: *Amen, amen dico vobis:* Quid eſt amen, amen, niſi verum verũ dico vobis? quod verbum nec Græcus interpres, nec Latinus auſus eſt in aliam transferre linguã, vt honorẽ haberet velamento ſecreti teſtificatio veritatis in Chri-

ſto. Veritas dicit: *Verum, verum dico vobis,* ingeminat, replicat verbum veritatis, vt excitaret dormientes, intus faceret audientes, nec contemneretur, qui ait: *Amen amen dico vobis, quia omnis qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati.* O mirabilis ſeruitus, ſeruire peccato, ſeruire Diabolo, qui peccati eſt autor! Plerumque homines cùm dominos malos patiuntur, venales ſe petunt, nõ quærentes dominum non habere, ſed ſaltem mutare. Seruus peccati quid faciat, quem interpellet, apud quem interpellet, apud quem venalem ſe petat? Sæpè homines malos dominos fugiunt, ne ſeruiant malis, & non fugiunt peccatum cuius ſeruus eſt, qui peccator eſt. Et quanto feliciùs eſſet fugere peccatum, & ſeruire homini libera conſcientia? Deinde ſeruus hominis aliquando ſui domini duris imperiis fatigatus, fugiendo requieſcit. Seruus peccati qui fugit, ſecum trahit peccatum quocunq. fugerit. Non fugit ſeipſã mala conſcientia, non eſt quo eat. Sequitur ſe, immò non recedit à ſe. Peccatum enim quod facit, intus eſt. Fecit peccatum vt aliquã corporalem caperet voluntatẽ. Voluntas tranſiit, peccatum remanet. Præteriit quod delectabat, remanſit quod pugnat mala ſeruitus. Aliquando fugiunt homines improbos dominos, volentes carere dominis qui nolunt carere peccatis. Quanto feliciùs ſi deſerat homo peccatum, fugiat ad Chriſtum, Deum liberatorem interpellet? Liberat ergo ab hac ſeruitute peccati ſolus Dominus, qui illam non habuit, qui ſolus ſine peccato venit in mundum. Ille ſolus liberare poteſt de peccato, qui venit ſine peccato, & factus eſt ſacrificium pro peccato. Cum ergo omnis qui facit peccatum, ſeruus ſit peccati, quę ſit ſpes nobis libertatis, audite.

Seruus autem, inquit, *non manet in domo in æternũ.*] Eccleſia eſt domus, ſeruus eſt peccator. Non maneat homo in peccato, nec ſit ſeruus peccati; vt poſſit manere in domo, id eſt, in Eccleſia. Maneat in corpore peccati ſui, vt ſit filius, non ſeruus. Longè aliud eſt peccare, aliud manere in peccato. Qui manet in peccato, ſeruus eſt peccati. Qui fugit à peccato, ſeruus erit iuſtitiæ. Terruit itaque, & ſpem dedit. Terruit, ne peccatum amaremus. Spem dedit, ne de peccati ſolutione diffideremus. *Omnis*, inquit, *qui facit peccatũ, ſeruus eſt peccati.* Seruus autem non manet in æternum. Quæ ergo nobis ſpes eſt, qui non ſumus ſine peccato? Audi ſpem tuam, filius manet in æternum.

A *Si ergo filius vos liberauerit, tunc verè liberi eritis.*] Hæc ſpes eſt noſtra, fratres, vt à libero liberemur, & liberando ſeruos nos faciat. Serui enim eramus cupiditatis, liberati efficimur ſerui charitatis. Prima libertas eſt, non permanere in peccato, ſeruire iuſtitiæ. Dicente Apoſtolo: *Cum ſerui eſſetis peccati, liberi eratis iuſtitiæ.* Nunc autem habetis fructum veſtrum in ſanctificatione, finẽ verò vitam æternam. Perfecta verò libertas eſt, Chriſto ſeruire, illum diligere, qui verè nos liberauit, qui verus eſt filius Dei, & Dominus in forma ſerui. Non ſeruus, B ſed in forma ſerui Dominus. Fuit quippe illa carnis forma ſeruilis, ſed q[illegible]eſſet ſimilitudo carnis peccati, non erat caro peccati. Libertatem promiſit credentibus in ſe. Iudæi verò tanquam de ſua libertate ſuperbientes, dedignati ſunt fieri liberi, cùm eſſent ſerui peccati. Ideo autem ſe liberos eſſe dixerunt, quia ſemen Abrahæ erant. Quid ergo eis ad hæc reſpondit Dominus, audiamus:

Scio, inquit, *quia filij Abrahæ eſtis, ſed quæ-* C *ritis me interficere.*] Agnoſco carnis originẽ, non cordis fidem. Filij Abrahæ eſtis, ſed ſecundum carnem. Ideo quæritis me occidere, inquit.

Sermo enim meus non capit in vobis.] Id eſt, non habet locum in vobis. Si ſermo meus caperetur à vobis, caperet vtique vos. Quid eſt ergo, Non capitur à vobis? Id eſt, non capit cor veſtrum, quia non recipitur à corde veſtro. Audiſtis Dominum certè dicentem: *Scio quia filij Abrahæ eſtis.* Audite quid poſtea dicat: *Ego quod vidi apud patrem* D *meum, loquor; & vos quod audiſtis apud patrem veſtrum facitis.* Quid autem faciunt quod eis dixit: *Quæritis me occidere,* hoc apud Abraham nunquam viderunt. Dicit: *Quæ vidi apud patrem meum loquor.* Veritatem vidi, veritatem loquor, quia veritas ſum. Si enim Dominus veritatem loquitur, quia ipſe eſt veritas Patris, quam vidit apud patrem. Ipſe eſt enim Verbum, quod Verbum erat apud Deum. Iſti ergo malum quod faciũt, quod Dominus obiurgat, & corripit vbi E viderunt? apud patrem ſuum. Cùm audierimus in conſequentibus apertius dictum, quis ſit eorum pater; tunc intellegemus qualia viderint apud talem patrem. Adhuc enim nõ nominat patrem ipſorum. Paulo ſuperiùs Abraham commemorauit; ſed carnis originem, non vitæ ſimilitudinem. Dicturus alterum patrem illorum, qui nec genuit eos, nec creauit vt homines eſſent, ſed tamen filij erant eius, in quantum mali erant, non in quantum homines. In qu[illegible]

imitati

imitati, non in quo creati. Reſponderunt, & dixerunt ei:

Pater noſter Abraham eſt.] Quaſi tu quid dicturus es contra Abraham? Aut ſi aliquod potes audere, reprehende Abraham? Non quia Dominus non audebat reprehendere Abraham, ſed talis erat Abrahã, qui non reprehenderetur à Domino; ſed potiùs laudaretur. Tamen iſti videbantur eũ prouocare, vt aliquid malè diceret de Abraham & eſſet occaſio faciendi, quod cogitabant. Pater noſter Abraham eſt. Audiamus quomodo eis reſpondit Dominus, cum illorum damnatione laudans Abraham.

Dicit eis Ieſus. Si filij Abrahæ eſtis, opera Abrahæ facite. Nunc autem quæritis me interficere, hominem qui veritatem locutus ſum vobis, quam audiui à Deo. Hoc Abrahã non fecit.] Ecce ille laudatus, iſti damnati, Abraham non erat homicida. Nõ dico, inquit, ego Deus ſum Abrahæ? quod ſi dicerem, verum dicerem. Nam dixit de alio loco: *Ante Abraham ego ſum.* Tunc eum illi lapidare voluerunt. Nõ dixit hoc. Sed ait, interim quid videtis? quid aſpicitis? quid me ſolũ putatis? homo ſum. Hominem dicentem vobis quod audiuit à Deo, quare vultis occidere? niſi quia non eſtis filij Abrahæ? Et tamen ſuperiùs ait: *Scio quia filij Abrahæ eſtis.* Non negauit eorum originem, ſed facta condemnat. Caro eorum ex illo erat, ſed vita non erat. Ergo Chriſtiani facti ſunt, ſemen Abrahæ, gratia Dei, non de carne Abrahæ facti. Illi cohæredes, Deus illos exhæreditauit, iſtis adoptauit. Iſti ſunt, de quibus alio loco à Ioanne Baptiſta dictum eſt: *Potens eſt Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ.* Illi erũt filij Abrahæ, qui fidem Abrahæ imitantur. Ideo ſubiunxit Dominus, dicens: *Si filij Abrahæ eſtis, opera Abrahæ facite.* Factis probate nobilitatem, non verbis. Sed quæritis me interficere, hominem qui veritatem locutus ſum vobis, quam audiui à Deo, hoc Abraham non fecit. Vos facitis opera patris veſtri, & adhuc non dicit, Quis eſt iſte pater eorum. Modo illi quid reſponderũt? Cœperunt enim vtcunque cognoſcere, nõ de carnis generatione Dominum loqui, ſed de vitæ inſtitutione, & quia conſuetudo ſcripturarum eſt, quam legebant, fornicationem ſpiritaliter appellari, cùm dijs multis & falſis anima tanquam proſtituta ſubiicitur. Ad hæc reſponderunt.

Matth. 3.

Dixerunt itaque ei: Nos ex proſtitutione non ſumus nati, vnum patrem habemus Deum.] Iam vilem Abraham: repulſi ſunt enim, quomodo repelli debuerunt † ore veridico, quia

† 4. voluerunt.

A erat talis Abraham cuius factum non imitabatur, & de illius genere gloriabantur. Et mutauerunt reſponſionem, credendo dicentes apud ſeipſos: Quotieſcunque nominauerimus Abraham dicturus eſt nobis, Quare non imitamini eum de cuius genere gloriamini? Nos ſanctum, iuſtum, innocentem tantum virum imitari non poſſumus. Deum dicamus patrem noſtrum. Videamus quid nobis dicturus eſt? Nunquid ſi falſitas inuenit quod diceret, & veritas non inueniret quod reſponderet? Audiamus quid dicant, audiamus quid audiant.

B *Vnum*, inquiunt, *patrem habemus Deum.*

Dixit ergo eis Ieſus: Si Deus pater veſter eſſet, diligeretis me vtique: Ego enim ex Deo proceſſi & veni. Neque enim à meipſo veni, ſed ille me miſit.] Dicitis Deum patrem, agnoſcite vel fratrẽ veſtrum. Hic tetigit quod ſæpiùs ſolet dicere: *Non à meipſo veni*, ſed ille me miſit, à Deo proceſſi & veni. Chriſti ergo miſſio, incarnatio eſt eius. Quod verò de Deo proceſſit Verbum, æterna proceſſio eſt; nõ habẽs tempus, per quem factũ eſt tempus.

C Ergo ab illo proceſſit vt Deus, vt æqualis, vt filius vnicus, vt verbum patris venit ad nos. Quia Verbum caro factum eſt, vt habitaret in nobis, aduentus eius, humanitas eius, manſio eius, diuinitas eius.

Quare, inquit, *loquelam meam non cognoſcitis? quia nõ poteſtis audire ſermonem meũ.*] Ideo non poterant cognoſcere, quia non poterant audire. Sed vnde audire non poterãt, niſi quia corrigi credẽdo nolebant? Et hoc vnde? Vos ex patre diabolo eſtis, quam diu patrem commemoratis, quàm diu patrem

D mutatis. Modo Abraham, modo Deum audite à filio Dei, cuius filij eſtis, à patre diabolo eſtis. Deus itaque creator omnium creaturarum, creauit hominem. Quomodo hic dicit, *Vos à patre diabolo eſtis*? Quicquid à Deo creatum eſt, bonum eſt, & omnis homo quãtum creatura Dei eſt, bonus eſt: quantum verò ſe ſubiicit per liberum arbitrium diabolo, à patre diabolo eſt. Bona eſt enim hominis natura, ſed vitiata erat per malam voluntatẽ, & inde à patre erat

E diabolo. Quod fecit Deus non poteſt eſſe malũ, ſi ipſe homo non ſit ſibi malus. Inde ergo Iudæi dicti ſunt filij diaboli, non naſcendo, ſed imitando. Conſuetudo verò ſanctę ſcripturæ eſt, ex imitatione vel ſimilitudine operum, filios ſæpe nominare, vt Propheta ad Iudæos ait: *Pater tuus Amorrhæus, & mater tua Cethea.* Amorrhęi gẽs erat quædã, vnde originem Iudęi non ducebãt. Cethei & ipſi gentẽ ſuã habebant omnino alieni à genere Iudæorum. Sed quia erant

Ezech. 16.

impij Amorrhæi & Cethei. Iudæi autem imitati ſunt impietates illorum, inuenerãt filij parentes, nõ de quibus naſcerẽtur, ſed quorum mores ſectando pariter damnarentur. Quæritis autem fortaſſe, vnde ipſe diabolus? Inde vtique, vnde & cæteri Angeli. Cæteri Angeli in ſua obedientia perſtiterunt. Ille inobediendo & ſuperbiendo lapſus eſt Angelus, & factus eſt diabolus. Sed modo audite quid dicat Dominus: *Vos, inquit, à Patre diabolo eſtis, & deſideria patris veſtri facere vultis. Quæritis me occidere hominẽ qui veritatem vobis dico.* Et ille inuidit homini, & occidit hominem. Diabolus autem cum inuideret homini, ſerpentem indutus, locutus eſt mulieri, & de muliere venenauit & virum. Mortui ſunt diabolum audiendo, quẽ non audiſſent, ſi Deũ audire voluiſſent. Poſitus enim homo inter Deũ qui creauit eum, qui obtemperare debuit Creatori, nõ deceptori. Ergo ille homicida erat ab initio. Videte genus homicidij fratres. Homicida dicitur diabolus, nõ gladio armatus, nõ ferro accinctus. Ad hominem venit, verbũ malum ſeminauit, & occidit. Noli ergo putare, te non eſſe homicidam, quando fratri tuo mala perſuades. Si fratri tuo mala perſuades, occidis. Audi Pſalm. 56. Pſal. *Filij hominũ dentes eorum arma & ſagittæ, & lingua eorũ machæra acuta.* Vos ergo deſideria patris veſtri facere vultis, ideo ſæuitis in carnẽ, quia nõ poteſtis in mentẽ. Ille homicida erat ab initio, vtique in primo homine. Ex illo, ille homicida, ex quo potuit fieri homicidium, ex quo factus eſt homo. Nõ enim poſſet occidi homo, niſi priùs fieret homo. *Homicida ergo ille ab initio.* Et vnde homicida? *Et in veritate non ſtetit*, quia veritas non eſt in eo. Non quomodo in Chriſto, ſic eſt veritas, vt Chriſtus ipſe ſit veritas. Si ergo iſte in veritate ſtetiſſet, in Chriſto ſtetiſſet. Sed in veritate non ſtetit, quia veritas non eſt in eo.

Cùm loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quia mendax eſt & pater eius.] Quid eſt hoc? Audiſtis verba Euãgelij? intenti accepiſtis? Ecce repeto, vt agnoſcatis quid exigatis. De diabolo Dominus ea dicebat, quæ de diabolo dici à Domino meruerũt. *Ille homicida erat ab initio.* Verũ eſt. Nam primum hominem occidit, & in veritate non ſtetit, quia de veritate lapſus eſt. Cùm loquitur mendacium, vtiq. ipſe diabolus de proprio loquitur, quia mendax eſt & pater eius. Diabolus autem à ſemetipſo mendax fuit, & mendacium ſuũ ipſe genuit, à nemine audiuit prius mendaciũ. Quomodo Deus pater genuit filium veritatẽ, ſic diabolus ge-

A nuit quaſi filiũ mendacium. Mendaciũ genuit, quia in veritate nõ ſtetit. Omnis enim qui in Deo manet, in veritate manet, quia Deus Veritas eſt. Si quis verò à Deo receſſerit, mendax erit, dicente Pſalmographo: *Omnis homo mendax.* In quantũ verò homo à Deo recedit, intantũ mendax erit, dum ſe à veritate declinauerit, & inde peccator erit: quia omne peccatũ non eſt veritas, ſed mendaciũ, quia recedẽdo à Deo non habet veritatẽ. Diabolus vero bonus creatus eſt, ſed per ſeipſum malus factus eſt, declinando ſe à ſummo bono. B Ideo ex propriis locutus eſt mendaciũ, quia in ſeipſo inuenit vnde eſſet mẽdax. Homo verò [illegible] à diabolo, factus eſt à diabolo mendax. Ideoque filius diaboli, non natura, ſed imitatione. Recedamus ergo à patre mẽdacij, curramus ad patrem veritatis. Amplectamur veritatem, vt accipiamus veram libertatẽ. Iudæi apud patrẽ ſuum viderant quod loquebantur. Quid niſi mendaciũ? Dominus autem apud patrem ſuũ vidit quod loqueretur, Quid? niſi ſeipſum. Quid niſi Verbum Patris æternum, & Patri coæternum? C Ideo ſubiunxit:

Ego veritatem dico vobis, & nõ creditis mihi.] Nã mendax mendaciũ loquitur, ſed veritas veritatem profert. Diabolus mẽdax, Chriſtus verò veritas, & veritatis adſertor: quia ex veritatis ore nihil aliud poterit procedere, niſi veritas. Sequitur ergo.

CAP. XXIII.

Qui ſermonem ſuũ ſeruauerit eum mortẽ non viſurum in æternũ dicit. Et inter cætera plurima ante Abrahã ſe eſſe affirmans exiuit de templo.

D QVis ex vobis arguet me de peccato?] Sicut ego arguo vos, veſtrumque patrem de peccato & mendacio. Ecce qualis eſt manſuetudo Chriſti. Relaxare peccata venerat & dicebat: *Quis ex vobis arguet me de peccato* Non dedignatur ex ratione oſtendere ſe peccatorẽ non eſſe, qui ex virtute diuinitatis poterat peccatores iuſtificare, Interrogat eos, quare veritatem non velint credere dicentem.

E *Si veritatem locutus ſum vobis, quare non creditis mihi?*] Niſi quia filij diaboli eſtis, & non veritatis. Filij diaboli non natura, ſed imitatione. Reddiditque * cauſam cur veritati non crederent, cùm dicit:

Ideo vos nõ auditis, quia ex Deo nõ eſtis.] Iterũ noli attendere naturam, ſed vitiũ. Sic ſunt iſti ex Deo, & non ſunt ex Deo. Naturâ ex Deo, vitio non ex Deo. Natura verò bona quæ ex Deo eſt, peccauit volũtate, credendo quod diabolus perſuaſit, & vitiata eſt.

Ideo medicum quærat, quia ſana non eſt. Agnoſcatur natura, vnde creator laudetur. Agnoſcatur vitium propter quod medicus aduocetur. Terribile eſt quod ſubdit:

Qui eſt ex Deo, verba Dei audit. Propterea vos non auditis, quia ex Deo non eſtis.] Si enim ipſe verba Dei audit, qui ex Deo eſt; & audire verba eius non poteſt quiſquis ex illo non eſt. Interroget ſe vnuſquiſque, ſi verba Dei in aure cordis percipit & intellegit vnde ſit: Cœleſtem patriam deſiderare Veritas iubet, carnis deſideria conteri, mundi gloriã declinare, aliena non rapere, propria largiri. Penſet ergo apud ſe vnuſquiſque veſtrũ, ſi [illegible] Dei in cordis eius aure conualu[illegible]a ex Deo ſit agnoſcit. Dixerunt ergo Iudæi:

Nonne benè dicimus nos quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes?] Accepta autem tanta contumelia, quid Dominus reſpondeat audiamus:

Ego dæmonium nõ habeo, ſed honorifico patrem meum, & vos inhonoratis me.] Quia enim Samaritanus interpretatur cuſtos, & ipſe veraciter cuſtos eſt, de quo Pſalmiſta ait: *Niſi Dominus cuſtodierit ciuitatem, in vanum vigilãt, qui cuſtodiunt eam.* Et cui per Eſaiam: *Cuſtos quid de nocte? Cuſtos quid de nocte?* Reſpondere noluit Dominus, Samaritanus nõ ſum; ſed *Ego dæmonium non habeo.* Duo quippe ei inlata fuerant, vnum negauit, & aliud tacendo conſenſit. Cuſtos nãque humani generis venerat, & ſi Samaritanum ſe non eſſe diceret, eſſe cuſtodem negaret. Sed tacuit quod recognouit, & patiẽter repulit quod dictum fallaciter audiuit, dicens: *Ego dæmonium non habeo.* Hic verò in ſemetipſo nobis Dominus patientiæ præbuit exemplũ, quaſi reſpondere voluiſſet Iudæis: Vos dæmonium habetis, verũ vtique dixiſſet, quia niſi impleti dæmonio, tam peruerſe de Deo loqui non poſſent. Sed accepta iniuria, etiam quod verum erat dicere Veritas noluit; ne non dixiſſe veritatem, ſed prouocatus contumeliam reddidiſſe videretur. Ex qua re, quid vobis innuitur, niſi vt eo tẽpore quo à proximis ex falſitate contumelias accipimus, eorum etiam vera mala taceamus, ne miniſterium iuſtæ correptionis in arma vertamus furoris? Sed quid nobis ad iſta faciendum ſit, adhuc exemplo nos admonet, cum ſubiungit:

Ego non quæro gloriam meam, eſt qui quærat & iudicet.] Scimus certè quod ſcriptum eſt, quia *Pater omne iudicium dedit filio.* Et tamen ecce iſdem filius iniurias accipiens, gloriã ſuam non quærit. Inlatas cõtumelias Patris iudicio reſeruat, vt nobis profectò inſinuet, quantum nos eſſe patiẽtes debemus, dum adhuc ſe vlciſci non vult, & ipſe qui iudicat. Cùm verò malorum peruerſitas creſcit, non ſolum frangi prædicatio non debet, ſed etiam augeri. Quod ſuo Dominus exemplo nos admonet, qui poſtquam habere dæmonium dictus eſt, prędicationis ſuæ beneficia largius impendit dicens:

Amen amen dico vobis: ſi quis ſermonem meum ſeruauerit, mortem non videbit in æternum.] Sed ſicut bonis neceſſe eſt, vt meliores etiã per contumelias exiſtant; ita ſemper reprobi de beneficio peiores fiunt. Nam accepta prædicatione, iterum dicunt:

Nunc cognouimus, quia dæmonium habes.] Quia enim æternæ morti inhæſerant, & eandem mortem cui inhæſerant non videbant: dum ſolam mortis carnem aſpicerent, in veritatis ſermone caligabant, dicentes:

Abraham mortuus eſt, & Prophetæ, & tu dicis: Si quis ſermonem meum ſeruauerit, mortem non guſtabit in æternũ.] Vnde & ipſi veritati eundem Abrahã & Prophetas quaſi venerantes præferũt. Sed aperta nobis ratio oſtenditur, quia qui Deum neſciunt, Dei quoque famulos falsè venerantur. *Vos*, inquit, *dicitis, dæmoniũ habes.* Ego vos ad vitam voco. Seruate ſermonẽ meũ, & non moriemini. Illi audiebant, *Mortem nõ videbit in æternum, qui ſeruauerit ſermonem meum*, & iraſcebantur, quia iam mortui erant illa morte, quæ vitanda erat. Nam illam mortem vitare non potuerunt, qua mortuus eſt Abraham, & Prophetæ, id eſt, carnis mortem. Nam Abraham ſpiritu viuebat; & ideò de eo ipſa Veritas ait alio loco: *Non eſt Deus mortuorum, ſed viuorum.* Quid eſt quod dicit, *Mortem non videbit in æternũ?* Id eſt, mortem damnationis, cum diabolo & angelis eius. Nam iſta mors corporis, migratio quędam eſt ſanctis ad meliorem vitam. Impiis verò ad pœnas perpetuas, quas hic mortis nomine Veritas deſignare voluit. Sed iſta morte, quam Dominus voluit intellegi, nec Abraham mortuus eſt, nec Prophetæ mortui ſunt. Illi enim mortui ſunt, & viuunt. Iſti viuebant, & mortui erant.

Quem teipſum facis, inquiũt.] Vt dicas, *Mortem non videbit in æternum qui ſeruauerit ſermonem meum.* Cùm ſcias & Abraham mortuũ, & Prophetas mortuos. Reſpondit Ieſus:

Si ego glorifico meipſum, gloria mea nihil eſt. Eſt pater meus qui glorificat me.] Hoc ait, propter illud quod dixerunt: Quem teipſum facis? Refert enim gloriam ſuam ad Patrem, de quo eſt quod Deus eſt. Dicit patrem ſuũ Dominus Ieſus Chriſtus, quẽ

Pſalm. 126. Eſaiæ 21. Matth. 22.

A illi dicebant Deum ſuum, & non cognouerunt. Si enim ipſum cognouiſſent, eius filiũ recepiſſent. *Ego autem*, inquit, *noui eum.* Secundum carnem iudicantibus, potuit & hinc arrogans videri, quia dixit: *Ego noui eum.* Sed vide quid ſequitur:

Si dixero, non noui eũ, ero ſimilis vobis mendax.] Ergo arrogantia non ita vitatur, vt veritas relinquatur. Sed ſcio eum, & ſermonẽ eius ſeruo. Sermonem Patris tanquam filius loquebatur, & ipſe erat Verbum patris quod hominibus loquebatur. Et notãdum quod vidit eos Dominus aperta ſibi impugnatione reſiſtere, & tamen eis ſe iterata non de- B ſinit voce prædicare, dicens:

Abraham pater veſter exultauit, vt videret diẽ meum: & vidit, & gauiſus eſt.] Tunc quippè diem Domini Abraham vidit, cùm in figura ſummæ trinitatis tres Angelos hoſpicio recepit. Quibus profectò ſuſceptis, ſic trib. quaſi vni locutus eſt: quia etſi in perſonis numerus Trinitatis eſt, in natura vnitas diuinitatis eſt. Sed carnales mentes audientium oculos à carne non ſubleuãt, in eo ſolam † carnis ætatem penſat, dicentes: C

† al. ſola carnis ætate.

Quinquaginta annos nondum habes, & Abrahã vidiſti?] Quos benignè Redemptor noſter à carnis ſuæ intuitu ſubmouet, & ad diuinitatis contemplationem trahit dicens:

Amen amen dico vobis, antequam Abraham fieret, ego ſum.] *Ante* enim præteriti temporis eſt, *ſum*, præſentis. Et quia præteritũ tempus & futurum diuinitas non habet, ſed ſemper eſſe habet, non ait: Ante Abraham ego fui, ſed, *Ante Abraham ego ſum.* Vnde ad Moyſen dicitur: *Ego ſum qui ſum*; Et, *Dices filijs Iſraël: Qui eſt miſit me ad vos.* D Ante ergo vel poſt Abraham habuit, qui & accedere potuit per exhibitionem præſentiæ & recedere per curſum vitæ. Veritas verò ſemper eſſe habet, quia ei quicquam nec priore tempore incipitur, nec ſubſequenti terminatur. Sed ſuſtinere iſta æternitatis verba, mentes infidelium non valentes, ad lapides currunt, & quem intellegere non poterant, obruere quærebant. Quid autem cõtra furorem lapidantium Dominus fecit, oſtẽditur, cùm protinus ſubinfertur: E

Exod. 3.

Ieſus autem abſcondit ſe, & exiuit de templo.] Mirum valde eſt, fratres chariſſimi, cur perſecutores ſuos Dominus ſeſe abſcondendo declinauerit, qui ſi diuinitatis ſuæ potentiam exercere voluiſſet, tacito nutu mentis in ſuis eos ictibus ligaret, aut in pœnam mortis ſubitæ obrueret. Sed quia pati venerat, exercere iudicium nolebat. Certè ſub ipſo paſſionis tempore, & quantum poterat oſtendit, & tamen hoc ad quod venerat pertulit. Nam cum perſecutoribus ſuis ſe quærentibus diceret: *Ego ſum*, ſola hac voce eorum ſuperbiam perculit, & omnes in terram ſtrauit. Qui ergo hoc in loco potuit manus lapidantium non ſe abſcondendo euadere, cur abſcondit ſe, niſi quòd homo inter homines factus Redemptor noſter, alia nobis verbo loquitur, alia exemplo? Quid autẽ nobis hoc exemplo loquitur, niſi vt etiam cùm reſiſtere poſſumus, iram ſuperbientium humiliter declinemus?

LIBER QVINTVS.

CAP. XXIV.

Cæco à natiuitate illuminato, multaque Phariſæis anxietate turbatis, mundi lucem ſe dicit. Poſtea cognitus ab illuminato cæco adoratur.

POſtquam exiſſet Dominus de templo Iudæorum, quid feciſſet in populo gentiũ, immò totius humani generis, audiamus. Sequitur enim Euangeliſta, & dicit.

Præteriens vidit hominem cæcum à natiuitate.] Ea quippe quæ fecit Dominus noſter Ieſus Chriſtus ſtupenda atq. miranda, & opera & verba ſunt. Opera, quia facta ſunt. Verba, quia ſigna ſunt. Si ergo quid ſignificet hoc quod factum eſt, cogitemus, Genus humanum eſt iſte cæcus. Hæc enim cæcitas contigit in primo homine per peccatũ, de quo omnes originem duximus; non ſolũ mortis, ſed etiam iniquitatis. Si enim cæcitas eſt infidelitas, & inluminatio fides, quem fidelẽ quando venit Chriſtus inuenit? Ideo Euangeliſta de Chriſto dicit: *Et præteriens.* Sic præteriit enim Chriſtus, & non in via peccatorum noſtrorum ſtetit, ſicut in quadam parabola ipſe Dominus ait: *Venit enim* Pſalm. 1.
Samaritanus ſecus viã, qui venit ſanare vulneratum ſemiuiuũ, præteriit cæcũ inluminare, qui vulneratus in parabola dicitur, hic in re geſta cæcus inluminatur. Vidit ergo hominem cæcũ, non vtcunque cæcum, ſed cæcum à natiuitate. Omnes enim homines præter illũ ſolum, qui ex virgine natus eſt, originali peccato cæci: id eſt, cum peccato nati ſunt, quod ex radice peccatrice primi parentes traxerunt. Interrogauerunt eum diſcipuli eius:

Rabbi?] Scis quia Rabbi magiſter eſt. Magiſtrum appellabant, quia diſcere deſide-

rabant. Quæſtionem quippe Domino propoſuerunt, tanquam magiſtro.

Quis peccauit, hic aut parentes eius vt cæcus naſceretur? Reſpondit Ieſus, Neque hic peccauit, neque parentes eius.] Quid eſt quod dixit? Si nullus homo ſine peccato, nunquid parentes huius cęci ſine peccato erant? Nunquid ipſe ſine peccato originali natus erat, vel viuendo nihil addiderat? Si ergo & parentes eius habuerunt peccatum, & iſte non habuit peccatum, quare Dominus Dixit? *Neque hic peccauit, neque parentes eius*, niſi ad rem reſpōdit, de qua interrogatus eſt, cur cæcus naſceretur? Habebant enim peccatū parentes eius, ſed non ipſo peccato factum eſt vt cæcus naſceretur. Si ergo non peccato parentum factum eſt, vt cæcus naſceretur, quare cæcus natus eſt? Audi magiſtrum docentem, quærit credentem, vt faciat intellegentem. Ipſe cauſam dicit, quare ſit ille cæcus natus. *Neque hic peccauit,* inquit, *neque parentes eius, ſed vt manifeſtentur opera Dei in illo.* Non ſolum quid in hoc tantummodo cæco acturus ſim; ſed vt manifeſtetur, quid in cæcitate totius humani generis per me agendum ſit. *Me oportet operari opera eius qui miſit me, donec dies eſt.* Memento quomodo vniuerſam gloriam illi dat, de quo eſt; quia ille habet filium, qui de illo ſit, ipſe non habet de quo ſit. Quæ ſunt opera Domini propter quę venit filius Dei in mundum, niſi cæcitatem humani generis illuminare, vulnerata quæque ſanare, perdita requirere, deformia reformare? Sed quid eſt quod dixit?

Me oportet operari opera eius qui miſit me, donec dies eſt. Venit enim nox, quando nemo poteſt operari.] Conſtat expreſſum ac definitum eum commemoraſſe Dominum in hoc loco ſcriptum, id eſt lumen mundi. Quandiu, inquit, ſum in hoc mundo, lumen ſum mundi. Ergo ipſe operatur. Quandiu eſt autem in hoc mūdo, putamus fratres eum fuiſſe hic tunc, & modo non hîc eſſe? Si hoc putamus, iam ergo poſt aſcenſum Domini facta eſt nox iſta metuenda, vbi nemo poſſit operari? Si poſt aſcenſionē facta eſt nox iſta, quid eſt quod ait diſcipulis ſuis aſcendens in cœlum, *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationē ſæculi?* Qui tunc corporali pręſentia fuit in mūdo, nunc diuina potentia præſens eſt vbique in mundo. Audiuimus diem, audiamus quæ ſit nox iſta. Quid igitur? quid dicemus de nocte iſta quando erit, quando nemo poterit operari? Nox iſta impiorum erit, nox iſta eorum erit, quibus in fine dicetur: *Ite in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo & Angelis eius.* Sed & nox dicta eſt, non flamma, non ignis. Audi quia & nox eſt. De quodam ſeruo dicitur: *Ligate illi manus & pedes, & proiicite eum in tenebras exteriores.* Matth. 25.

Operetur ergo homo ne illa nocte præueniatur, vbi nemo poſſit operari. Modo eſt, vt operetur fides per dilectionem. Et ſi modo operamur, hic eſt dies, hic eſt Chriſtus. Audi promittentem, & ne arbitreris abſentem: *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus, vſque ad conſummationem ſeculi.* Ibi enim erit nox, vbi nemo poſſit operari, ſed recipere quod operatus eſt. Aliud eſt tempus operationis, aliud receptionis. Reddet enim vnicuique ſecundū opera ſua. Audiamus ſollicita mente Apoſtolum exhortantem nos operari dum tempus habemus. Dicit enim: *Dum tempus habemus operemur bonum ad omnes.* Quid enim Chriſtus dixerit, admonendo bonos, terrendo malos audiuimus: ſed videamus quid fecerit. Galat. 6.

Hæc cùm dixiſſet, expuit in terram, & fecit lutum ex ſputo, & liniuit lutum ſuper oculos eius, & dixit ei: Vade & laua in natatoria Siloæ, quod interpretatur miſſus.] Quid fecit Dominus perſpicuum eſt. Inluminatio facta eſt in cæco, ſed magnum myſterium commendatur in humano genere. Expuit in terrā, de ſaliua lutum fecit, qui Verbum caro factum eſt, & vnxit oculos cæci. Inunctus erat, & nondum videbat. Mittit illum ad piſcinam, quæ vocatur Siloæ. Pertinuit autem ad Euangeliſtam commendare nobis nomen huius piſcinæ, & ait: *Quod interpretatur miſſus.* Iam quis eſt miſſus agnoſcitis. Niſi enim ille fuiſſet miſſus, nemo noſtrum fuiſſet ab iniquitate dimiſſus. Lauit ergo oculos in ea piſcina, quæ interpretatur miſſus, baptizatus eſt in Chriſto. Si ergo quando eum in ſe ipſo quodammodo baptizauit, tunc inluminauit: quando inunxit, fortaſſe catechumenum fecit. Poteſt quidem aliter atque aliter tanti ſacramenti exponi & pertractari profunditas, ſed hoc ſufficiat caritati veſtræ. Vngitur catechumenus, id eſt, docetur vt credat in Chriſtum, mittitur ad piſcinam baptiſmi vt inluminetur, vt lumen verum agnoſcat, vt remiſſionem peccatorum accipiat, vt ex filio iræ efficiatur filius Dei, inluminatuſque veniat prædicare Chriſtum.

Itaque vicini, & qui videbāt eū prius quia mendicus erat, dicebant: Nonne hic eſt qui ſedebat & mendicabat? Alij dicebant, quia hic eſt. Alij autem nequaquam, ſed ſimilis eſt eius.] Aperti oculi, vultum mutauerant.

Ille dicebat, quia ego ſum.] Vox grata, ne damnaretur ingrata.

Dicebant ergo ei: Quomodo aperti ſunt oculi tui? Reſpondit: Ille homo qui dicitur Ieſus, lutum fecit, & vnxit oculos meos, & dixit mihi: Vade ad natatoriam Siloæ, & laua. Et abij, & laui, & vidi.] Ecce adnunciator factus eſt gratiæ, ecce euangelizat, confitetur videns. Cæcus illum confitebatur, & cor impiorum ringebatur *, quia non habebant in corde, quod ille iam habebat in facie.

* al. ſtringebatur.

Dixerunt ei, Vbi eſt ille? Ait, Neſcio.] In his verbis, animus ipſius adhuc inuncto ſimilis erat, nondum videnti. Sed ponamus, fratres, tanquam illam vnctionem in animo habuerit, & prædicat; & neſcit quem prædicat.

Adducunt eum ad Phariſæos qui cæcus fuerat. Erat autem ſabbatum quādo lutum fecit Ieſus, & aperuit oculos eius. Iterum ergo interrogabant eū Phariſæi, quomodo vidiſſet? Ille autem dixit: Lutū poſuit ſuper oculos meos, & laui, & video. Dicebant ergo ex Phariſæis quidam.] Non omnes, ſed quidam. Iam enim inungebantur quidam. Quid ergo dicebant, nec videntes nec vncti?

Non eſt iſte homo à Deo, qui ſabbatum non cuſtodit.] Ipſe potius cuſtodiebat qui ſine peccato erat. Sabbatū enim ſpiritale hoc eſt, nō habere peccatum. Denique fratres hoc admonet Deus, quando commendat ſabbatum: *Omne opus ſeruile non facietis.* Hæc ſunt verba Dei ſabbatum commendantis. *Omne opus ſeruile non facietis.* Iam ſuperiores lectiones interrogate quid ſit opus ſeruile, & Dominum audite: *Omnis qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati.* Sed iſti nec videntes, vt dixi, nec inuncti, ſabbatum carnaliter obſeruabant, ſpiritaliter violabant.

Exod. 20.

Alij dicebāt, Quomodo poteſt homo peccator hæc ſigna facere?] Ecce ſunt inuncti.

Et ſchiſma erat in eis.] Dies ille diuiſus erat inter lucem & tenebras.

Dicunt ergo cæco iterum: Tu quid dicis de eo qui aperuit oculos tuos?] Quid de illo ſentis? quid exiſtimas? quid iudicas? Quærebant quemadmodum homini calumniarentur, vt de ſynagoga pelleretur, ſed à Chriſto inueniretur. Sed ille conſtanter quod ſentiebat expreſſit. Ait enim:

Quia Propheta eſt.] Adhuc quidem inunctus in corde, nondum Dei filiū confitetur, nec mentitur. Tamen ipſe Dominus de ſeipſo ait: *Non eſt Propheta ſine honore, niſi in patria ſua.*

Non crediderūt ergo Iudæi de illo quia cæcus fuiſſet, donec vocauerunt parentes eius qui viderant.] Id eſt quia cæcus erat & viderat.

Et interrogauerūt eos dicentes: Hic eſt filius veſter, quem vos dicitis, quia cæcus natus eſt? Quomodo ergo nunc videt? Reſponderūt eis parentēs eius, & dixerunt: Scimus quia hic eſt filius noſter, & quia cæcus natus eſt. Quomodo autē nunc videat neſcimus. Et dixerunt: Ipſum interrogate, ætatem habet, ipſe de ſe loquatur.] Scimus autem quia filius noſter eſt, ſed iuſtè cogeremur loqui pro infāte, quia ipſe pro ſe loqui nō poſſet. Olim loquitur, modo videt, cæcum à natiuitate nouimus, loquentem olim ſcimus, videntem modò videmus, ipſum interrogate vt inſtruamini.

Hæc dixerunt parētes eius, quia timebāt Iudæos. Iam enim conſpirauerāt Iudæi, vt ſi quis eum confiteretur Chriſtum, extra ſynagogam fieret.] Iam non erat malum extra ſynagogam fieri. Illi expellebant, ſed Chriſtus excipiebat.

Propterea parentes eius dixerunt: Quia ætatem habet, ipſum interrogate. Vocauerunt ergo rurſum hominem qui fuerat cæcus, & dixerunt ei: Da gloriam Deo.] Quid eſt, *Da gloriam Deo?* negā quod accepiſti. Hoc plane non eſt Deo gloriam dare, ſed Deum potius blaſphemare.

Da, inquiūt, gloriam Deo. Nos ſcimus quia hic homo peccator eſt. Dixit ergo ille: Si peccator eſt neſcio, vnum ſcio, quia cæcus cùm eſſem modo video. Dixerūt ergo illi: Quid fecit, quomodo aperuit tibi oculos?] Et ille iam ſtomachans aduerſus duritiam Iudæorum, & ex cæco videns, non ferens cæcos, reſpondit eis.

Dixi vobis iam & audiſtis. Quid iterum vultis audire? Nūquid & vos vultis diſcipuli eius fieri?] Quid eſt, *Nunquid & vos?* niſi quia ego iam ſum? *Nunquid & vos vultis?* Iam video, ſed non video vos videre.

Maledixerunt ei, & dixerūt: Tu diſcipulus eius ſis.] Tale maledictum ſuper nos, & ſuper filios noſtros. Maledictum eſt enim, ſi cor diſcutias, non ſi verba perpendas.

Nos autē Moyſi diſcipuli ſumus. Nos ſcimus quia Moyſi locutus eſt Deus.] Vtinam ſciretis quia Moyſi locutus eſt Deus; ſic ſciretis quis per Moyſē prædictus eſt Deus. Habetis enim Deum dicentem: *Si crederetis Moyſi, crederetis & mihi. De me enim ſcripſit.* Itane ſequimini ſeruum, & dorſum ponitis contra Dominum? Sed nec ſeruum ſequimini: nam per illum ad Dominum duceremini.

Reſpondit ille homo, & dixit eis: In hoc mirabile eſt, quia vos neſcitis vnde ſit, & aperuit oculos meos. Scimus autem quia peccatores Deus non exaudit, ſed qui Dei cultor eſt, & voluntatem eius facit, hūc exaudit Deus.] Adhuc inunctus loquitur. Nam & peccatores exaudit Deus. Si enim peccatores Deus non exaudiret, fruſtra ille publicanus oculos in terram dimittens, & pectus ſuum percutiens diceret: *Domine, propitius eſto mihi peccatori.* Et iſta confeſſione meruit iuſtificationem.

quomodo iſte cæcus inluminationem. Sed peccatoribus lauandum eſt cor pœnitentiæ lacrymis, vt exaudiantur, & fiat in corde illorum, quod factum eſt in facie cæci huius, & ſentiunt Deum illos exaudire, qui vt peccatores ſaluaret, venit in hunc mundum.

A ſæculo non eſt auditum, quia aperuit quis oculos cæci nati. Niſi eſſet hic à Deo, non poterat facere quicquã.] Liberè cõſtanter que confeſſus eſt veritatem. Hæc enim quæ facta ſunt à Domino, à quo fierent niſi à Deo? aut quando à diſcipulis talia fierent, niſi in eis Dominus habitaret?

Reſponderunt, & dixerunt ei: In peccatis natus es totus.] Quid eſt totus? cum oculis clauſis. Sed qui aperuit oculos, ſaluat & totum. Ipſe dabit in corde reſurrectionem, qui in facie dedit inluminationem. *In peccatis totus natus es, & tu doces nos?* Et eiecerunt eũ foras. Ipſi illum magiſtrum fecerant, ipſi vt diſcerent totiens interrogauerunt, & ingrati docentem proiecerunt. Sed vt dixi iamdudum, fratres, illi pellunt, Dominus ſuſcipit. Magis enim quia expulſus eſt, Chriſtianus factus eſt. Certè proiectus eſt iſte de ſynagoga. Audiuit Ieſus & inuenit eum, & dixit ei.

Tu credis in filium Dei? Et ille: Quis eſt, Domine, vt credã in eũ?] Videbat & non videbat, videbat oculis tantũ, ſed corde adhuc non videbat. Ait illi Dominus: *Et vidiſti eum*, quando inluminatus fuiſti, hoc eſt oculis, *& qui loquitur tecum, ipſe eſt.* Dum ergo audiuit Ieſus quia eiecerunt eum foras, & cùm inueniſſet eum, dixit ei: *Tu credis in filium Dei?* Modo lauat faciem cordis. Reſpondit ille, & dixit, quaſi adhuc inũctus. *Quis eſt, Domine, vt credam in eum?*

Et dixit ei Ieſus: Et vidiſti eum & qui loquitur tecum, ipſe eſt.] Tunc proſtratus adorauit eum. Tunc lauit faciem cordis. Denique iam facie lota cordis, & mundata conſcientia, agnoſcens illum non filium hominis tantum, quod ante crediderat, ſed iam filium Dei quem videbat, ait.

Credo Domine.] Sed parum eſt dicere, *Credo.* Vis videre qualem credat? Procidens adorauit eum. Si Dominum Dei Filium nõ crediidiſſet, quem videbat, nullatenus adoraſſet eum. Incumbite ergo orationibus peccatores, confitemini peccata veſtra, orate vt deleantur, orate vt minuantur, orate vt vobis proficientibus ipſa deficiant. Tamen nolite deſperare, & peccatores orate. Quis enim non peccauit? à ſacerdotibus incipe: ſacerdotibus dictum eſt. *Prius offerte ſacrificia pro peccatis veſtris, & ſic pro populo.*

Sequitur.

In iudicium ego in hunc mundum veni, vt qui non vident videant, & qui vident, cæci fiant.] Quid eſt quod dicit, *In iudicium ego in hunc mundum veni*, dum alio loco dicit: *Non enim veni vt iudicem mundum?* Niſi quia aliud eſt iudicium diſcretionis, aliud eſt iudicium damnationis. De quo ipſe Dominus ait alibi: *Qui non credit in me, iam iudicatus eſt*, id eſt, damnatus. Hic enim in hoc loco, ſicut in ſequentibus verbis patet, Iudicium diſcretionis ſignificat dum ait: *Vt qui non vident videant, & qui vident cæci fiant.* Quid eſt, *vt qui non vident videant?* qui ſe nõ videre confitentur, & medicum quærunt vt videant. *Et qui vident cæci fiant.* Quid eſt, *qui vident cæci fiant?* id eſt, qui ſe putant videre, & medicum non quærunt; ſed in ſua cæcitate permanent. Ergo iſtam diſcretionem vocauit iudicium, quia diſcernit humiles à ſuperbis, credentes à non credẽtibus, medicum quærentes ab eis, qui medicum quærere contemnunt. O Domine, veniſti vt qui non vident videant. Rectè, quia lumen es; rectè, quia dies es; rectè, quia de tenebris liberas homines. Hoc omnis anima accipiat, hoc omnis anima intelligat, vt non maneat in tenebris; ſed inluminetur ab eo qui inluminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Commoti ſunt enim verbis iſtis quidam ex Phariſæis, & dixerunt ei.

Nunquid & nos cæci ſumus?] Audiant quid eſt quod mouebat: *Et qui vident cæci fiant.*

Dixit eis Ieſus: Si cæci eſſetis, non haberetis peccatum.] Cùm ſit cæcitas ipſa peccatum. *Si cæci eſſetis*, id eſt, ſi vos cæcos aduerteretis, & ad medicum curreretis. Si ergo ita cæci eſſetis, *non haberetis peccatum.*

Nunc verò dicitis, quia videmus, veſtrum peccatum manet.] Quare? quia dicendo, *videmus*, medicum non quæritis, in cæcitate veſtra remanetis. Sequitur.

Cap. XXV.

Qui non intrat per oſtium in ouile ouium, furem eſſe, oſtiumque ſe & paſtorem omnium, pro quibus ſe animam poſiturum ſuam, & alias oues adducturum, vt fiat vnum ouile, & vnus paſtor, dicit.

Amen amen dico vobis, qui non intrat per oſtium in ouile ouium, ſed aſcendit aliundè, ille fur eſt & latro. Hoc prouerbium dixit eis Ieſus. Illi autem non cognouerunt quid loqueretur eis.] Propter Phariſæorum, qui ſe videre iactabant, cùm cæci erant, venenatam, & ſu-

perbam, & inſanabilem arrogantiam, Dominus Ieſus iſta contexuit, quæ in hac parabola leguntur. Quam ipſe illis non intellegentibus exponere dignatus eſt. In qua nos ſalubriter, ſi aduertamus, admonuit, non gloriari in ſapientia humana, non in morum dignitate, ſi humilitas fidei Catholicæ in Chriſtum deſit. Multi enim ſunt pagani, qui ſecundum quandam vitæ huius conſuetudinem dicuntur boni homines, innocentes & quaſi obſeruantes ea quæ in lege præcepta ſunt. Deferentes honorem parentibus ſuis, non mœchantes, non homicidium perpetrantes, non furtum facientes, non falſum aduerſus quenquam teſtimonium perhibentes, & cætera quæ in lege mandata ſunt, vel vt obſeruant, & Chriſtiani non ſunt, & plerumque ſe iactant, quomodo iſti Phariſæi, dicentes: *Numquid & nos cæci ſumus?* Sed hæc omnia inaniter faciunt, quia non intrant per oſtium, ſed aliundè, tumido faſtu quaſi per ſe ipſos aſcendere quærunt. Quapropter Dominus ſimilitudinem propoſuit de grege ſuo, & de oſtio quo intratur ad ouile. Quid enim prodeſt vana iactantium, de bene viuendo inflatio, dum ad finem perpetualiter bene viuendo vita eorum non perueniat? Ad hoc enim debet vnicuique prodeſſe bene viuere, vt detur illi ſemper bene viuere. Nā ſi cui non datur ſemper benè viuere, quid prodeſt ei bene viuere ad tempus? Igitur nec bene viuere dicēdi ſunt, qui finem bene viuendi, vel cæcitate neſciunt, vel inflatione contemnunt. Non eſt autem cuiquam ſpes vera & certa ſemper viuendi, niſi agnoſcat vitam quæ eſt Chriſtus, & per ianuam intret in ouile. Sunt enim quidam homines, qui in ſuis gloriantur moribus, & alios poſt ſe trahere quęrunt, non de Chriſti pręceptis inſtruentes ſuos ſectatores, ſed ſuis exemplis viuere eos ſuadentes. De quibus alio loco ipſa Veritas ait: *Docentes doctrinas hominum, & mandata Dei contemnentes.* (Mat. 15.) Hi per aliam partem aſcendere quærunt, rapere & occidere, non vt paſtor ſaluare atque conſeruare. De talibus hîc dictum eſt: *ſed aſcendit aliunde, ille fur eſt & latro.* Non ſolum verò tales inueniuntur Doctores inter eos, qui ſine nomine Chriſti ſunt: ſicut multi Philoſophorum, qui ſuam ſapientiam buccis crepantibus ventilabant, & vitam beatam ſectatoribus promiſerūt. Verùm etiam plurimi, qui Chriſtiano nomine cenſebantur, & inluminatos à Chriſto ſe eſſe iactabant, fingētes ſibi noua quæque nomina de Chriſto, & fidei Catholicæ contraria, ſicut innumerabiles hæretici faciebant, æſtimantes ſe falſo nomine per ianuam quæ Chriſtus eſt intrare. Sabellius dicit: Qui filius eſt, ipſe eſt pater, ſed filius non eſt pater. Non intrat per oſtium qui filium dicit patrem. Arrianus dicit: Aliud eſt pater, aliud filius. Rectè diceret, ſi diceret alius, non aliud. Quando enim dicit aliud, ei contradicit, à quo audit: *Ego & pater vnum ſumus.* Nec ipſe ergo intrat per oſtium. Prędicat enim Chriſtum qualem ſibi pingit, non qualem veritas habet. Fotinus dicit: Chriſtus homo tātum eſt, non Deus. Nec ipſe intrat per oſtium, quia Chriſtus & homo & Deus eſt. Huic enim noua hæreſis, quæ noſtris temporibus orta eſt, conſentire videtur, affirmando & prædicando: Chriſtus ſicut quilibet ſanctus nuncupatiuus Deus eſt, & non verus. Quid eſt opus multa percurrere? & multa vana hæreſum dinumerare? Hoc tenete, in ouili Chriſti, Eccleſiam Catholicam eſſe credite. Quicunque vult intrare ad ouile, per oſtium intret, id eſt, per Chriſtum intret, & Chriſtum verum Deum, & verum filium Dei prædicet. Non ſolum Chriſtum prædicet, ſed Chriſti gloriam quærat, non ſuam. Nam multi quærendo gloriam ſuam, oues Chriſti ſparſerunt, potius quàm congregauerunt. Humilis eſt enim ianua Chriſtus Dominus Deus noſter. Qui intrat per hanc ianuam, oportet humiliet ſe, vt ſano capite poſſit intrare. Hi ſunt qui vocem veri Paſtoris audiunt. Hi ſunt quos proprias oues nominatim verus paſtor vocat. De his dictum eſt: *Gaudete & exultate, quoniam nomina veſtra ſcripta ſunt in cælis.* (Luc. 10.) Hinc enim eas vocat nominatim. Et quis eas alius emittit, niſi qui earum peccata dimittit, vt cum ſequi duris liberatæ vinculis poſſint? Et quis eas præceſſit quò eum ſequantur, niſi qui reſurgens à mortuis iam non moritur, & mors illi vltrà non dominabitur? (Rom. 6.) Has vero educit à fide ad ſpeciem, & ante iſtas vadit: quia prior omnium & aſcendit in cælum, & quæ ſunt oues ſuæ illum ſequuntur, quia ſciunt vocem doctrinæ eius. Alienos vero Doctores non ſequuntur, ſed fugiēt ab eis, quia non nouerunt vocem, id eſt, doctrinam alienorum. Sed loquente Domino Ieſu non intellexerunt, qui audierunt. (Act. 28.) Incraſſatum enim habuerunt cor, & grauiter audierunt. Nominat oſtium, nominat ouile, nominat oues. Commendat hæc omnia, ſed nondum exponit. Legamus ergo quia venturus eſt ad ea verba, in quibus nobis aliqua quæ dixit dignetur exponere, ex quorum expoſitione dabit nobis fortaſſe illa quæ non expoſuit intellegere. Paſcit enim manifeſtis, exercet obſcuris. Audi-

mus exponentem, qui audiuimus propo- A nentem.

Dicit ergo eis iterum Ieſus: Amen amen dico vobis, quia ego ſum oſtium ouium.] Ecce ipſum oſtium, quod clauſum poſuerat, aperuit. Ipſe eſt oſtium, agnouimus, intremus, vt nos intraſſe gaudeamus.

Omnes quotquot venerunt, fures ſunt & latrones.] Quid eſt hoc Domine, *Omnes quotquot venerunt*? Quid enim? tu non veniſti? ſed intellege. *Omnes quotquot venerunt*, dixit, vtique præter me. Recolamus ergo. Ante aduentum ipſius venerunt Prophetæ, nunquid fures fuerunt & latrones? Abſit. Non B præter illum venerunt, ſed cum illo venerunt. Venturus præcones mittebat, ſed eorum corda quos miſerat poſſidebat. Cum illo ergo venerunt, quia cum verbo Dei venerunt. *Ego ſum*, inquit, *via, veritas & vita.* Ipſe eſt veritas. Cum illo venerunt, quia veraces fuerunt, & veritatem prædicauerunt. Quotquot autem præter illum venerunt, fures fuerunt & latrones. Per ſe venerunt, quia per eum miſſi non fuerunt, dicēte Apoſtolo. *Quomodo prædicabunt niſi mittan-* C *tur?* & qui per ſe venerunt, & non ſunt ab eo miſſi, fures ſunt & latrones. Nam ante aduentum Chriſti falſi fuerunt in populo Dei Prophetæ, falſi Doctores. Sicut poſt aduentum illius ſub nomine Chriſtiano, quamplurimi falſi fuerunt Doctores, nec Doctores, ſed ſeductores: nō prædicatores, ſed falſi prædicatores, latrocinia exercentes, non ſanæ doctrinæ inhærentes. De quibus dictum eſt: *Fures ſunt & latrones*, id eſt, ad furandum & occidendum venerunt. Sed non audierunt eos illæ quæ veræ ſunt D oues, non ſub pelle ouina lupinum cor abſcondentes. Igitur qui ante aduentum Chriſti prædicauerunt, eodem ſpiritu prædicauerunt, quo Apoſtoli & ſancti Doctores, qui poſt aduentum Chriſti veritatis viam mundo oſtenderunt. Quotquot autem illo tempore crediderunt vel Abraham, vel Iſaac, vel Iacob, vel Moyſi, vel aliis Patriarchis, aliiſque Prophetis Chriſtum prænunciantibus, oues erant, & Chriſtum audierūt. E Non alienam vocem, ſed ipſius Chriſti audierunt. Nam iudex clamat in præcone, dū præco iudicem adnunciat venturum. Alij ſunt ergo quos non audierunt oues, in quibus non erat vox Chriſti. Errantes, falſa dicentes, inania garrientes, vana fingentes, miſeros ſeducentes, ſicut pſeudoprophetæ, ſicut Scribæ & Phariſæi temporibus ipſius Domini. Hi ſunt qui venerunt per ſe, & nō ſunt à iudice miſſi. His verò cùm doctrinis ſuis procul expulſis, videamus quò nos paſtor bonus vocat. Dicit enim.

Rom. 10.

Ego ſum oſtium, per me ſi quis introierit ſaluabitur, & ingredietur, & egredietur, & paſcua inueniet.] Et hoc euidenter oſtendit, non ſolum paſtorem, ſed etiam oues intrare per oſtium. Sed quid eſt, *Ingredietur & egredietur, & paſcua inueniet*? Ingredi quippe in Eccleſiam per oſtium Chriſtum, valde bonum eſt. Exire autem de Eccleſia, ſicut ait ipſe Ioannes Euangeliſta in Epiſtola ſua: *Ex nobis exierunt, ſed non erant ex nobis*, non eſt vtique bonum. Talis ergo egreſſus non poſſet à bono paſtore laudari, vt diceret, *Et ingredietur & egredietur, & paſcua inueniet.* Eſt ergo aliquis non ſolum ingreſſus, verumetiā egreſſus bonus, per oſtium bonum, quod eſt Chriſtus. Sed quis eſt ille laudabilis & beatus egreſſus? Poſſim quidem dicere ingredi nos, quando interius aliquid cogitamus: Egredi autem, quādo exterius aliquid operamur. Et quoniam, ſicut dicit Apoſtolus, *per fidem habitat Chriſtus in cordibus noſtris*, ingredi per Chriſtum, eſſet ſecundum ipſā fidem cogitare. Egredi autem per Chriſtum, ſecundum ipſam fidem etiam foris, id eſt, coram hominibus operari. Vnde & in Pſalmo dicitur: *Exiet homo ad opus suū.* Et ipſe Dominus dicit: *Luceant opera veſtra corā hominibus.* Sed plus me delectat quòd ipſa Veritas tamquam paſtor bonus, & ideo doctor bonus, quodammodo nos admonuit: ſecundum quem modum intellegere debeamus, quod ait: *Ingredietur, & egredietur & paſcua inueniet.* Tunc ſecutus adiunxit.

1. Ioan. 2.

Epheſ. 3.

Pſalm. 103.

Matth. 5.

Fur non venit niſi vt furetur & mactet, & perdat. Ego veni vt vitā habeant, & abundātius habeant.] Videtur enim dixiſſe, vt vitam habeant ingredientes. Nō autem poteſt quiſque per oſtium, id eſt, per Chriſtum egredi ad æternam vitam, quæ erit in ſpecie; niſi per ipſum oſtium, hoc eſt, per eundē Chriſtum, in Eccleſiam eius, quæ eſt ouile eius intrauerit ad vitam temporalem, quæ eſt in fide †. Ideo ait: *Ego veni vt vitam habeant*, hoc eſt, fidem quæ per dilectionem operatur, per quā fidem in ouile ingrediuntur vt viuant quia *Iuſtus ex fide viuit.* Et abundantius habeant, qui perſeuerando vſque in finem, per illud oſtium, id eſt per fidem Chriſti egrediuntur; quoniam veri fideles moriuntur. Et abundantiùs habebunt vitam, veniendo quò paſtor ille præceſſit, vbi nūquam deinde moriantur. Quamuis ergo & hic in ipſo ouili non deſint paſcua, quoniam ad vtrumque poſſumus intellegere quod dictum eſt, *Et paſcua inueniet*, id eſt, & ad ingreſſum, & ad egreſſum: tamen verè paſcua inuenient vbi ſaturentur, qui eſu-

† al. ſidem.

riunt & ſitiunt iuſtitiam. Qualem paſcuam inueniet cui dictum eſt, *Hodie mecum eris in paradiſo.* Sequitur de boni paſtoris perfectione, ſententia Domini, & de mali paſtoris fuga, quem mercenarium nominat.

Mat. 5. Luc 23.

Ego ſum paſtor bonus, inquit. *Paſtor bonus animam ſuam ponit pro ouibus ſuis. Mercenarius autem fugit, quia mercenarius eſt, & non pertinet ad eum de ouibus.*] Loquens Dominus Ieſus ouibus ſuis, & præſentibus & futuris quæ tunc aderant, qui erant ibi iam oues eius erant, quæ futuræ erant oues eius. Itē præſentibus & futuris, & illis & nobis, & quotquot etiam poſt nos fuerint oues eius oſtendit. Omnes ergo audiant vocem paſtoris ſui dicentis: *Ego ſum paſtor bonus*. Non adderet, *bonus*, niſi eſſent paſtores mali. Sed paſtores mali ipſi ſunt fures & latrones, aut certè vt multum, mercenarij. Omnes enim hic perſonas quas poſuit requirere, diſtinguere, & noſſe debemus. Aperuit enim iā duas res Dominus, quas quodammodo clauſas propoſuerat. Iam ſcimus quia oſtiū ipſe eſt, ſcimus quia paſtor ipſe eſt. Fures & latrones qui ſint, priore ſententia patefactum eſt. Nunc autem audiuimus mercenarium, audiuimus & lupum, nominatus eſt & oſtiarius. In bonis ergo oſtium eſt; oſtiarius, paſtor & oues. In malis, fures & latrones, mercenarius & lupus. Oſtium Dominum Chriſtum accipimus, paſtorem ipſum. Oſtiarium quem? hæc enim duo ipſe expoſuit. Oſtiarium nobis quærendum reliquit. Et quid ait de oſtiario? *Huic*, inquit, *oſtiarius aperit*. Cui aperit? paſtori. quid aperit paſtori? oſtium. Et quis eſt ipſum oſtium? ipſe etiam paſtor. Diuerſa ſunt nomina, paſtor, ouis, vnum aliquid ſignificantia. Nam ipſius Domini verba paulo ante audiuimus: *Ego ſum oſtium*, & hic modo lectum eſt nobis: *Ego ſum paſtor*. Qui etiam ab amico ſponſi Agnus nominatur, ſicut in hoc præſenti Euangelio audiuimus: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* De quo multo ante Propheta prædixit: *Tamquam ouis ad occiſionem ductus eſt*, quamuis totum corpus ſuum, oues illius intellegantur. Poteſt & ille oſtiarius intellegi, quia nemo ingreditur vel egreditur, niſi eo aperiente, qui habet clauem Dauid, qui aperit & nemo claudit, claudit & nemo aperit. Non ergo pigeat nos ſecundum quandam ſimilitudinem, ipſum oſtiarium accipere, quem & oſtium. Quis eſt oſtiarius, niſi qui aperit? Quis aperit niſi qui ſe exponit? Dicente ſeipſo de ſeipſo: *Ego ſum via & veritas & vita.* Si fortè tibi voluntas eſt aliā quærere perſonam oſtiarij, Spiritus ſanctus eſt. De quo ipſe Dominus

Eſa. 53.

Apocal. 3.

diſcipulis ſuis ait: *Ipſe vos docebit omnem veritatem.* Oſtium quid eſt? Chriſtus. Chriſtus quid eſt? veritas. quis aperit oſtium niſi qui docet omnem veritatem? Dum Dominus boni paſtoris opus oſtendere voluit, ſeipſum propoſuit in exemplo dicens: *Bonus paſtor animam ſuam ponit pro ouibus ſuis.* Fecit quod monuit, oſtendit quod iuſſit. Animā ſuam poſuit pro ouibus ſuis. Oſtenſa eſt nobis de contemptu mortis via, quam ſequamur: appoſita forma, cui imprimamur. Primum nobis eſt exteriora noſtra miſericorditer ouibus eius impendere. Poſtremum verò ſi neceſſe ſit, etiam mortem noſtram pro eiſdem ouibus miniſtrare. Qui non dat pro ouibus ſubſtantiam ſuā, quando pro eis daturus eſt animam ſuam? Expoſuimus vel magis Domino docente intelleximus, quis ſit paſtor, quis oſtium, quis oſtiarius, quis etiam & ouis. Nec non qui ſint fures, & latrones, cognouimus. Sed modo de mercenario & lupo conſideremus, de quibus ipſe Dominus dixit. *Mercenarius autem & qui non eſt paſtor, cuius non ſunt oues propriæ, videt lupum venientem, & dimittit oues, & fugit.* Non paſtor, ſed mercenarius vocatur, quia non pro amore intimo oues dominicas, ſed ad temporales mercedes paſcit. Mercenarius quippe eſt qui locum paſtoris tenet, ſed lucra animarum non quærit. Terrenis commodis inhiat, honore prælationis gaudet, temporalibus lucris paſcitur, impenſa ſibi ab hominibus reuerentia lætatur. Iſtæ ſunt etenim mercedes mercenarij, vt pro eo ipſo quod in regimine laborat, hic quod quærit inueniat, & ab hæreditate gregis in poſterum alienus exiſtat. Lupus enim ſuper oues venit, cùm quilibet iniuſtus & raptor fideles quoſque atque humiles opprimit. Sed is qui paſtor eſſe videbatur & nō erat, reliquit oues & fugit; quia dum ſibi ab eo periculum metuit, reſiſtere eius iniuſtitiæ non præſumit. Fugit autem non mutando locum, ſed ſubtrahendo ſolatium. Fugit qui iniuſtitiam vidit & tacuit. Fugit qui ſe ſub ſilentio abſcondit. Sed eſt alius lupus, qui ſine ceſſatione cotidie non corpora, ſed mentes dilaniat. Malignus videlicet ſpiritus, qui caulas fidelium inſidians circumit, & mortes animarum quærit. De quo lupo mox ſubditur.

Et lupus rapit, & diſpergit oues.] Lupus venit & mercenarius fugit, quia malignus ſpiritus mentes fidelium in tentatione dilaniat, & is qui locum paſtoris tenet curam ſollicitudinis non habet. Animæ pereunt, & ipſe de terrenis commodis lætatur. Lupus rapit, & diſpergit oues, cum alium ad

luxuriam pertrahit, alium in auaritiam accendit, alium in ſuperbiam erigit, alium per iracundiam diuidit. Hunc inuidia ſtimulat, illum in fallacia ſupplãtat. Quaſi ergo gregem lupus diſſipat, cùm fidelem populum diabolus per tentationes necat. Sed contra hæc mercenarius nullo zelo accenditur, nullo feruore dilectionis excitatur; quia dum ſola exteriora commoda requirit, interiora gregis damna negligenter patitur. Vnde & mox adiungitur. Mercenarius autem fugit, quia mercenarius eſt, & non pertinet ad eum de ouibus. Sola ergo cauſſa eſt vt mercenarius fugiat, quia mercenarius eſt. Ac ſi apertè diceretur. Stare in periculo ouium non poteſt, qui in eo quod ouibus præeſt, non oues diligit, ſed lucrum terrenum quærit. Dum enim honorem amplectitur, dum temporalibus commodis lętatur, opponere ſe contra periculum trepidat, ne hoc quod diligit amittat. Sed quia redemptor noſter culpas ficti paſtoris innotuit, iterum formam cui debeamus imprimi oſtendit, dicens: *Ego ſum paſtor bonus.* Atque ſubiungit: *& cognoſco meas*, hoc eſt, diligo, *& cognoſcunt me meæ.* Ac ſi patenter dicat: *Diligentes obſequuntur.* Vnde mox ſubiunxit.

Sicut nouit me pater, & ego cognoſco patrem, & animam meam pono pro ouibus meis.] Ac ſi patenter dicat: In hoc conſtat, quia & cognoſco patrem, & cognoſcor à patre, quia animam meam pono pro ouibus meis. Id eſt, ea charitate qua pro ouibus morior, quantum patrem diligam oſtendo. Quia verò non ſolum Iudæam, ſed etiam gentilitatem redimere venerat, adiungit.

Et alias oues habeo quæ non ſunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet vnum ouile & vnus paſtor.] Redemptionem noſtram qui ex gentili populo venimus, Dominus aſpexerat, cùm ſe adducere & alias oues dicebat. Hoc cotidie fieri, fratres, aſpicitis: hoc reconciliatis gẽtibus factum hodie videtis. Quaſi ex duobus gregibus vnum ouile efficit, quia Iudaicum & gentilem populum in ſua fide coniungit, Paulo atteſtante qui ait: *Ipſe eſt pax noſtra, qui fecit vtraque vnum.* Dum enim ad æternam vitam ex vtraque natione ſimplices eligit, ad ouile proprium oues deducit. De quibus profectò ouibus rurſum dixit: *Oues meæ vocem meam audiunt, & ego cognoſco eas, & ſequuntur me, & ego vitam æternam do eis.* De quibus & paulò ſuperiùs dicit: *Per me ſi quis introierit ſaluabitur, & ingredietur, & egredietur, & paſcua inueniet.* Ingredietur quippe ad fidem, egredietur verò à fide ad ſpeciem, à credulitate ad contemplationem. Paſcua autem inueniet in æterna refectione. Oues ergo eius paſcua inuenient, quia quiſquis illum corde ſimplici ſequitur, æternæ viriditatis pabulo nutritur. Quæ autem ſunt iſtarum ouium paſcua niſi æterna gaudia ſempiternè virentis paradiſi? Paſcua nanque electorum ſunt vultus præſens Dei, qui dum ſine defectu conſpicitur, ſine fine mens vitæ cibo ſatiatur. Sequitur.

Propterea me diligit pater, quia ego pono animam meam, & iterum ſumo eam.] Quid ait? Propterea me pater diligit, quia morior vt reſurgam. Cum magno enim pondere dictum eſt: *Ego. Quia ego*, inquit, *pono animam meam. Ego pono.* Quid eſt, ego pono? Ego, inquit, illam pono. Non glorientur Iudæi, ſæuire potuerunt, poteſtatem habere non potuerunt. Sæuiant quantum poſſunt, ſi ego noluerò ponere animam meam, quid ſæuiendo facturi ſunt? Vna reſpõſione proſtrati ſunt, quando eis dictum eſt: *Quem quæritis?* Dixerunt, *Ieſum.* Et ait eis: *Ego ſum.* Redierunt retro, & ceciderunt. Qui ceciderunt ad vnam vocem Chriſti morituri, quid facient ſub voce iudicaturi? *Ego*, inquit, *pono animam meam.* Non glorientur Iudæi quaſi qui præualuerint. Ipſe poſuit animam ſuã. Sicut poteſtatem habuit ponendi, ita poteſtatem reſumendi. Quod aliis verbis in hoc ipſo Euangelio oſtendit, dicens: *Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.* Quod Euangeliſta ſecutus expoſuit: *Hoc enim dicebat de templo corporis ſui.* Et adiunxit, diſcipulos ſuos hæc verba rememoraſſe. Cùm reſurrexiſſet Chriſtus à mortuis, hoc ſuſcitabatur, quod moriebatur. Nam Verbum mori non potuit, nec anima illa mortua fuit. Caro tantum mortua eſt, & reſurrexit tertia die. Sed quærendum eſt, quid ſit quod dixit: *Ego pono animam meam?* Quis poſuit? Quem poſuit? Quis eſt qui poſuit? Quid eſt Chriſtus? Verbum & homo. Nec ſic homo vt ſola caro, ſed quia homo conſtat ex carne & anima, totus autem homo in Chriſto. Non enim partem deteriorem ſuſcepiſſet, & partem meliorem deſeruiſſet. Pars quippe hominis melior eſt anima quam corpus. Quia ergo totus homo in Chriſto, quid eſt Chriſtus? Verbum inquam & homo. *Verbum caro factum eſt*, id eſt, Deus homo factus eſt. Dicit enim.

Cap. XXVI.

Poteſtatem habere ſe dicit ponendi ac reſumendi animam ſuam. Facta quoque encænia in Hie-

roſolymis, & inter multa Phariſæis ſciſcitantibus ait: Ego & pater vnum ſumus. *Et multi crediderunt in eum.*

P*Oteſtatem habeo ponendi animam meam, & poteſtatem habeo iterum ſumẽdi eam.*] Chriſtus autem & pro nobis poſuit, & quando voluit ſumpſit animam ſuam. Ponere ergo animam mori eſt. Sic Apoſtolus Petrus Domino dixit: *Animam meam propter te ponam*, id eſt, propter te moriar carne. Caro poſuit animam ſuam, & caro iterum aſſumpſit animam. Non tamen poteſtate ſua caro, ſed poteſtate inhabitantis Verbi Dei. Verbum verò Dei numquam poſuit animam ex eo quam ſumpſit eam in vnitatẽ perſonæ ſibi, ſed à carne anima poſita eſt, & iterum reſumpta per poteſtatem diuinitatis. Caro ergo ponit animam ſuam expirando. Vide ipſum Dominum in cruce quid dixit, *Sitio.* Qui aderant tinxerunt ſpongiam in aceto, alligauerunt arundini, & appoſuerunt ori eius. Quod cum accepiſſet ait: *Perfectum eſt.* Quid eſt, *perfectum eſt*? impleta ſunt omnia, quæ ante mortem futura fuerant prophetata. Et quia poteſtatem habebat quando vellet ponendi animam ſuam, poſtea quã dixit, *perfectum eſt*, ait Euangeliſta, *& inclinato capite tradidit ſpiritum.* Quod ibi dicitur *tradidit*, & hîc dictum eſt *ponit*, quia vnũ eſt tradere & ponere. Quis tradidit? quem tradidit? ſpiritum tradidit. Caro illum tradidit. Quid eſt caro illum tradidit? Caro illum emiſit, caro illum expirauit. Ideo enim dicitur expirare, ideo extra ſpiritum fieri, quomodo eſt exulare extra ſolum fieri. quod hic dicitur: *Poteſtatem habeo ponendi animam meam*, ibi dictum eſt: *Inclinato capite tradidit ſpiritum*, quia ſpiritus anima eſt. Cũ ergo exit anima à carne, & remanet caro ſine anima, tunc homo ponere animam dicitur. quando Chriſtus animam poſuit? quãdo Verbum voluit. Principatus enim in Verbo erat, ibi poteſtas erat quando poneret caro animam, quando ſumeret. Sicut enim vnus homo anima & corpus, ſic vnus Chriſtus Verbum & homo. Anima & corpus duæ res ſunt, ſed vnus homo. Verbum & homo duæ res ſunt, ſed vnus Chriſtus. Nemo enim titubet in fide quando audit Dominum dixiſſe: *Poteſtatem habeo ponendi animam meam.* Ponit eam caro, ſed ex poteſtate Verbi: ſumit eam caro, ſed ex poteſtate Verbi. Verbum, anima, caro, vnus eſt Chriſtus. Et dum caro occiſa fuit, Chriſtus occiſus fuit. Et dum caro animam reſumpſit, Chriſtus animã reſumpſit. Quia quicquid ibi factum eſt in diſpenſatione humanæ ſalutis, totum vnus Chriſtus egit, vnus filius Dei proprius & perfectus, vnus Deus verus & omnipotens, homo propter Verbum Deus, Deus propter hominem. Homo ſicut dictum eſt: *Verbum caro factum eſt.* Sed hæc omnia vnde implerentur ſubſequenti verbo oſtendit.

Hoc, inquit, *mandatum accepi à patre meo.*] Verbum, non verbo. Accepit mandatum, ſed in Verbo vnigenito patris eſt omne mandatum. Cùm autem dicitur filius à patre accipere quod ſubſtantialiter habet, quomodo dictum eſt: *Sicut habet pater vitam in ſemetipſo, ſic dedit filio vitam habere in ſemetipſo*, & cùm filius ipſe ſit vita. Non p[illegible]as minuitur, ſed generatio oſtenditur. Quoniam pater non quaſi ei filio, qui imperfectus † natus eſt, aliquid addidit: ſed ei quem perfectum genuit, omnia gignendo dedit. Ita dedit illi ſuam æqualitatem, quem non genuit inæqualem. Sed hæc loquente Domino, quoniam lux lucebat in tenebris, & tenebræ eam non comprehenderunt. † al. imperfecto.

Diſſenſio iterum facta eſt inter Iudæos propter ſermones hos. Dicebant autem multi ex ipſis: Dæmonium habet, inſanit, quid eum auditis?] Iſtæ fuerant denſiſſimæ tenebræ.

Alij dicebant: hæc verba non ſunt dæmonium habentis. Numquid Dæmonium poteſt oculos cæcorum aperire?] Iam iſtorum oculi cœperant aperiri, & aliquid lucis videre, & veritatis agnoſcere. Audiuimus patientiam Dei, & inter opprobria Iudæorum ſalutis prædicationem, ſed illi obdurati, magis eum tentare aggreſſi ſunt, quàm verbis illius obedire.

Facta ſunt, inquit Euangeliſta, *encænia in Hieroſolymis, & hyems erat: & ambulabat Ieſus in templo in porticu Salomonis.*] Encænia autem vocabatur ſolennitas dedicationis tẽpli, quam populus Dei ex antiqua patrum traditione per annos ſingulos celebrare conſueuerat. Sed notandum eſt, quòd hæc encænia, quæ hîc leguntur, non ad primam templi dedicationem, ſed ad vltimam pertinent. Quod ex eo facilè colligitur, quia hyeme facta referuntur. Prima ſiquidẽ eiuſdem templi dedicatio à Salomone tempore autumni. Secunda autem à Zorobabel & Ieſu ſacerdote tempore veris. Tertia à Iuda Machabæo tempore hyemis eſt facta, quãdo ſpecialiter conſtitutum eſſe legitur, vt eadem dedicatio per omnes annos in memoriam ſolennibus renouaretur officiis Quæ etiam ad tempus vſque Dominicæ incarnationis obſeruata fuiſſe, ſicut modo cùm legeretur Euangelium, audiuimus. Quæ etiam dedicatio ſalubri conſuetudine in

in Eccleſiis Chriſti ſeruari moderno tempore dinoſcitur. Conſiderandum eſt, quare Euangeliſta dixerit, hæc encænia hyemis tempore facta eſſe. Omnino propter duritiam Iudæorum & infidelitatem, quæ frigoris nomine ſæpè deſignari legitur. *Et ambulabat Ieſus in tẽplo in porticu Salomonis.* Si ergo Dei filius ambulare voluit in templo, in quo caro & ſanguis brutorum animalium offerebatur, multo magis noſtram orationis domum, vbi carnis ipſius ac ſanguinis ſacramenta celebrãtur, viſitare gaudebit. Si perambulare non deſpexit porticum, in qua rex quondam mortalis ac terrenus, quamuis potentiſſimus ac ſapientiſſimus ad orandum ſtare ſolebat: quantò magis penetralia cordium noſtrorum inuiſere atque inluſtrare deſiderat? ſi tamen ea porticum eſſe Salomonis, hoc eſt, ſi ea timorem ſuum, qui eſt initium ſapientiæ, habere perſpexerit. ſal.110. Neque enim putandum eſt, quia domus ſolummodò in qua ad orandum, vel ad myſteria celebranda conuenimus, templum ſit Domini, & non ipſi qui in nomine Domini conuenimus: multò amplius templum eius appellemur & ſimus, cùm manifeſtè dicat Apoſtolus: *Vos eſtis templum Dei viui, ſicut dicit Deus: Inhabitabo in eis, & inter illos ambulabo.* Oſtendit verò Euangeliſta, cur dixiſſet hyemis tempore.

Tunc, inquit, *circundederunt eum Iudæi.*] Circundederunt itaque eum tentationis gratia, non veritatis agnoſcendæ voluntate, & dicebant.

Quouſque animam noſtram tollis? ſi tu es Chriſtus, dic nobis palam.] Hæc verò non veritatẽ fidei inquirendo, ſed illi quem interrogabant inſidiando, & calumniam inſtruendo dicebant: vt inuenirent quomodo accuſarent eum, nolentes eum credere Deũ, ſed hominem purum tantum, modo futurum, & regem cæteris omnibus excelſiorem eſſe venturum. Qua etiam dementia poſteriorum vſque in præſens, & donec Antichriſtum pro Chriſto ſuſcipiant, errare non ceſſant. Et ſi ſe Dominus Ieſus Chriſtum eſſe reſponderet, cogitabant eum tradere poteſtati præſidis puniendum, & quaſi contra Auguſtum repugnans inlicitum ſibi vſurparet imperium. Sed ipſe noſtræ ſaluti conſulens, propter quos hæc ſcribenda erant, ita reſponſum temperauit ſuum, vt & calũniatorum ora concluderet, & quia Chriſtus eſt fidelibus aperta voce panderet. Illi enim de homine Chriſto quærebant. Ipſe autem diuinitatis ſuæ, quæ æqualis eſt Patri palam myſteria narrat. Quid ergo Iudæi circundantes Dominum dixerunt? Videamus.

A *Quouſque, inquiunt, animam noſtram tollis? ſi tu es Chriſtus, dic nobis palam.*] Non venit Chriſtus in ſe credentibus animam tollere, ſed animam viuificare. Sed ipſi ſibi Iudæi animam per infidelitatem tulerunt, qui tentare Chriſtum, non in Chriſtum credere congregati ſunt.

Reſpondit eis Ieſus: Loquor vobis & non creditis.] Propriè oſtendit quis eſſet, dum dixit: *Loquor vobis*, id eſt, verbum Dei coæternum Patri: quia opera quæ facit in nomine patris, teſtimonium perhibent quòd eſt filius B Dei, qui gloriam ſuam non quæſiuit, ſed eius qui miſit illum, quia vna eſt gloria patris & filij. Sed hanc fidem corda infideliũ accipere nequiuerunt, de quibus ait: *Sed vos non creditis.* Cauſſamque reddit cur non crederent.

Quia non eſtis ex ouibus meis.] Oues ſunt credendo, oues ſunt paſtorem ſequendo, oues ſunt redemptorem non contemnẽdo. Oues ſunt per oſtium intrando, oues ſunt exeundo & paſcua inueniendo. Quomodo ergo iſtis dixit? *Non eſtis ex ouibus meis.* Quia C videbat eos ad ſempiternam futuros perditionem, non ad vitam æternam ſui ſanguinis precio comparatos.

Oues meæ vocem meam audiunt, & ego cognoſco eas, & ſequuntur me, & ego vitam æternã do eis.] Dicit enim, *cognoſco eas.* Conſuetudo ſãctæ ſcripturæ eſt, dicere Dominum noſſe quicquid elegit, Apoſtolo dicente: *Nouit Dominus qui ſunt eius.* 2. Tim. 2. Et illud neſcire, quod non adprobat dignum vitæ æternæ. Vnde & ad impios dicturus erit: *Non noui vos.* Sequitur de ouibus: *Et ego vitam æternam do eis.* Mat. 7. D Hæc ſunt paſcua, quæ ſuperiùs promiſit ouibus ſuis, vbi nulla herba areſcit, totũ viret, totum viget, totum integrum permanet: & quicquid ſemel accipitur, ſemper habetur. *Et non peribunt in æternum.* Hîc ſubaudiendum eſt, quomodo vos peribitis, quia non eſtis ex ouibus meis.

Et non rapiet eas quiſquam de manu mea.] Id eſt, de poteſtate mea.

Pater meus quod dedit mihi, maius eſt omnibus.] E Quod dedit pater filio maius eſt omnibus vt ipſe illi eſſet vnigenitus filius, æqualis, conſubſtantialis. Quid eſt quod dedit? vtique gignendo dedit, quia non minorẽ ſibi genuit, non tẽpore poſteriorem: ſed coæternum, ſine initio temporis ſemper Deũ. Non eſt dicendum, non erat antequã natus erat: nũquam enim non natus erat, qui patri coæternus erat. Qui ſapit capit, qui nõ capit credat: nutriatur fide, vt poſſit capere Verbum Dei, quia Verbũ filius. Semper ergo filius, & ſemper æqualis. Non

enim creſcendo, ſed naſcendo æqualis eſt, A qui ſẽper natus de patre filius, de Deo Deus, de æterno coæternus. Pater autem non de filio Deus, filius de patre Deus. Ideo pater, ideo gignendo dedit vt Deus eſſet. Gignẽdo dedit vt æqualis eſſet, hoc eſt, quod maius eſt omnibus. Ideo tranſcẽdit iſte Ioannes omnes altitudines creaturarum, & milia exercitus Angelorum, & magna omnia, & peruenit ad illud quod maius eſt omnibus, & dixit: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Hoc eſt quod maius omnibus eſt, id eſt, vt ſim Verbum eius, vt ſim Vnigenitus filius eius, vt ſim ſplẽdor lucis eius. Ideo nemo rapiet oues de manu mea, & nemo poteſt rapere de manu patris mei. Manus patris & manus filij, vna manus eſt, id eſt, vna poteſtas: quia vna diuinitas, vna maieſtas, vna æternitas, vna æqualitas. Quam videlicet æqualitatẽ, ipſe Dominus in diuinitate habuit, priuſquam mundus eſſet apud patrem, ipſe in humilitate ex tẽpore incarnationis accepit.

Et nemo poteſt rapere de manu patris mei.] Apertè dans intelligi, vnam atque indiſſimilem eſſe manum, C hoc eſt virtutem ſuam & patris, atque ideo Chriſtum ſe eſſe credẽdum, qui non ſicut cæteri ſancti factus per gratiam ex tempore, ſed verus ſemper extiterit filius Dei. Quod etiam ſequenti ſententia luce clarius aperit, dicens.

Ego & pater vnum ſumus.] Vnum, inquit, ſumus, vna nobis ſubſtantia, vna eſt diuinitas, vna æternitas, perfecta æqualitas, diſſimilitudo nulla. Quibus profectò verbis nõ præſentem ſolummodo Iudæorum quæſtionem, qua an ipſe eſſet Chriſtus interrogabant explicauit; D ſed etiam hæreticorum perfidiam, quam futuram præuidit, quantum ſit execranda monſtrauit. Conticeſcat Sabellius audiens: *Ego & pater*, qui vnam perſonam patris & filij praua doctrina diſſeruit. Nam *ego & pater*, duæ ſunt perſonæ. Item erubeſcat Arrius, audiens vnum ſumus, qui duas naturas in patre & filio aſtruit, dum vnum vnam naturam ſignificat, ſicut *ſumus*, duas perſonas. Sequamur Apoſtolicam fidem, E quam beatus Petrus princeps Apoſtolorum confeſſus eſt: *Tu es Chriſtus filius Dei viui.* Matt.16. Iudæi videlicet verba Domini audientes, & huc vſque ſuſtinuerunt. Dum verò ait: *Ego & pater vnum ſumus*, non pertulerunt, ſed more ſuo duri ad lapides cucurrerunt, ſicut Euangeliſta dicit.

Tulerunt lapides vt lapidarent eũ.] Dominus qui non patiebatur quod nolebat pati, & non eſt paſſus niſi quod voluit pati, adhuc eos lapidare cupientes alloquitur. *Suſtulerunt Iudæi lapides vt lapidarent illum.*

Reſpondit eis Ieſus: Multa opera bona oſtendi vobis ex patre meo, propter quod eorum opus me lapidatis? Et illi reſponderunt: De bono opere non lapidamus te, ſed de blaſphemia, quia tu homo cum ſis, facis te ipſum Deum.] Ad illud hoc reſpõderunt quod dixerat: *Ego & pater vnum ſumus.* Ecce Iudæi intellexerunt, quod Arriani non intellegunt. Ideo enim irati ſunt, quoniam ſenſerunt non poſſe dici, *Ego & pater vnũ ſumus*, niſi vbi æqualitas eſt patris & filij. Dominus autem vidit quid reſponderet prauis, vidit eos non ferre ſplendorem veritatis, & eos tentauit in verbis.

B *Nonne ſcriptum eſt in lege veſtra?* [Id eſt, vobis data.

Quia ego dixi, dij eſtis.] Deus dicit per Prophetam in Pſalmo hominibus: *Ego dixi, dij eſtis.* Et legem appellauit Dominus generaliter Pſal.81. omnes illas ſcripturas, quamuis alibi ſpecialiter dicat legem, à Prophetis eam diſtinguens: ſicuti eſt, *Lex, & Prophetæ vſque ad Ioannem.* Matth 11. *Et in his duobus præceptis tota lex pendet & Prophetæ.* Matth.22. Aliquando autem in tria diſtribuit eaſdem ſcripturas, vbi ait: *Oportebat impleri omnia quæ ſcripta ſunt in lege & Prophetis & Pſalmis de me.* Luc.24. Nunc verò etiã Pſalmos legis nomine nuncupauit, vbi ſcriptum eſt: *Ego dixi, dij eſtis.*

Si illos dixit deos, ad quos ſermo Dei factus eſt, & non poteſt ſolui ſcriptura, quem pater ſanctificauit & miſit in mundum, vos dicitis blaſphemare, quia dixi filius Dei ſũ?] Si ſermo Dei factus eſt ad homines, vt dicerentur dij; ipſum verbum Dei, quod eſt apud Deum, quomodo non eſt Deus? Si per ſermonem Dei fiunt homines dij, ſi participando fiunt dij, vnde participant non eſt Deus? Si lumina inluminata dij ſunt, lumen quod inluminat quomodo non eſt Deus? Si caleſacti quodammodo igne ſalutari, dij efficiuntur, vnde calefiunt non eſt Deus? Accedis ad lumen, inluminaris, & inter filios Dei numeraris. Si recedis à lumine, obſcuraris, & in tenebris cõputaris. Illud tamẽ nec accedit ad ſe, quia non recedit à ſe. Si ergo vos deos facit ſermo Dei, quomodo non eſt Deus Verbũ Dei patris? Ergo ſanctificauit filium ſuum, & miſit in mundum. Forte aliquis dicat: Si pater eum ſanctificauit, aliquãdo non ſanctus. Si ſanctificauit, quomodo genuit? Vt enim ſanctus eſſet gignendo ei dedit, quia ſanctum eum genuit. Nam ſi quod ſanctificatur, ante non erat ſanctum, quomodo dicimus Deo patri: *Sanctificetur nomen tuum?*

Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi. Si autẽ facio, & ſi mihi nõ vultis credere, operibus credite. Vt agnoſcatis & credatis, quia in me eſt pater, & ego in illo.] Quomodo poſſunt dicere

homines. Si enim benè cogitemus, in Deo ſumus: & ſi benè viuamus, Deus in nobis eſt. Fideles participantes eius gratiam, inluminati ab ipſo in illo ſumus & ipſe in nobis. Sed non ſic vnigenitus filius ille in patre, & pater in illo, tanquam æqualis in eo cui eſt æqualis. Denique nos aliquando poſſumus dicere, In Deo ſumus & Deus in nobis. Numquid poſſumus dicere? Ego & Deus vnum ſumus. In Deo es, quia Deus te continet. Deus eſt in te, quia templum Dei factus es. Sed numquid quia in Deo es, & Deus eſt in te, potes dicere, Qui me videt Deum videt? Quomodo vnigenitus dixit: *Qui me videt videt & patrem. Ego & pater vnum ſumus?* Agnoſce proprium Domini, & munus ſerui. Proprium Domini eſt, æqualitas patris. Munus ſerui eſt, participatio ſaluatoris.

Quærebant ergo eum adprehendere.] Vtinam adprehenderent, ſed credendo & intellegendo, non ſæuiendo & occidendo. Quærebant ergo eum adprehendere. Dum eum adprehendere voluerunt, quid eis fecit?

Exiuit de manibus eorum.] Non eum adprehenderunt, quia manus fidei non habuerunt, & quia noluit qui poteſtatem habuit animam ſuam ponere, non adprehenderunt eum. Dum autem voluit, adprehenſus eſt ab eis manibus iniquitatis.

Et abiit iterum trans Iordanem, ad eum locum vbi erat Ioannes baptizans primum. Et manſit ibi, & multi venerunt ad eum & dicebant. Quia Ioannes quidem ſignum fecit nullum.] Meminiſtis vobis dictum de Ioanne, *Quia lucerna erat*, & diei teſtimonium perhibebat. Quid ergo iſti dixerunt apud ſe, Nullum, inquiunt, miraculum oſtendit Ioannes. Non dæmonia fugauit, non expulit febrem, non cæcos inluminauit, non mortuos ſuſcitauit, non tot milia hominum de quinque vel ſeptem panibus ſaciauit. Non ſuper mare ambulauit, non ventis & fluctibus imperauit, nihil horum fecit Ioannes. Et totum quicquid dicebat, huic teſtimonium perhibebat. Per lucernam veniamus ad diem. Ioannes nullum ſignum fecit.

Omnia enim quæcunque dixit Ioannes de hoc vera erant.] Ecce quid adprehenderunt. Non quomodo Iudæi volebant adprehendere diſcedentem, adprehenderunt iſti permanentem. Denique quid ſequitur?

Et multi crediderunt in eum.]

Cap. XXVII.

Lazarum amicum ſuum iam quatriduanum mortuum dormire dicit. Quem magna voce clamando reſuſcitans, ſolui iubet ſimul & abire, plurimis credentibus ex Iudæis.

Erat autem quidam languens Lazarus à Bethania de caſtello Mariæ & Marthæ.] Plurima verò in hoc miraculo reſuſcitati Lazari manifeſta ſunt. Expoſitionem in ſingulis nō quæramus, vt liberius neceſſaria pertractemus. In ſuperiori lectione meminiſtis, quòd Dominus exiit de manibus eorū, qui lapidare eum voluerant, & diſceſſit trās Iordanem, vbi Ioannes baptizabat. Ibi ergo Domino conſtituto, infirmabatur in Bethania Lazarus, quod caſtellum erat proximum Hieroſolymis.

Maria autem erat, quæ vnxerat Dominum vnguento, & exterſit pedes eius capillis ſuis, cuius frater Lazarus infirmabatur. Miſerunt ergo ſorores eius ad eum dicentes.] Iā intelligimus quò miſerunt, vbi erat Dominus. Quoniam abſens erat, trans Iordanem ſcilicet, miſerunt ad Dominum, nunciantes, quòd ægrotaret frater earum: vt ſi dignaretur veniret, & eum ab ægritudine liberaret ille diſtulit ſanare, vt poſſet reſuſcitare. Quid ergo nunciauerunt ſorores eius?

Domine, ecce quem amas infirmatur.] Nō dixerunt, Veni. Amanti enim tantummodò nunciatum fuit. Non auſæ ſunt dicere, Veni & ſana. Non ſunt auſæ dicere, Ibi iube, & hic fiet. Cur enim non & iſtud, ſi fides illius Centurionis inde laudatur? Ait enim: *Non ſum dignus vt intres ſub tectum meum, ſed tantum dic verbo, & ſanabitur puer meus.* Nihil horum iſtæ, ſed tantummodo. *Domine, ecce quem amas infirmatur.* Sufficit vt noueris, non enim amas & deſeris. Dicit aliquis, Quomodo per Lazarum peccator ſignificabatur, & à Domino ſic amabatur? Audiat eum dicentem: *Non veni vocare iuſtos, ſed peccatores.* Si enim peccatores Dominus non amaret, de cœlo ad terram non deſcenderet. Matth. 9. Marci 2.

Audiens autem Ieſus dixit illis: Infirmitas hæc non eſt ad mortem, ſed pro gloria Dei, vt glorificetur filius Dei per eam.] Talis glorificatio ipſius non ipſum auxit, ſed nobis profuit. Hoc ergo ait: *Non eſt ad mortem*, quia ipſa mors non eſt ad mortē, ſed potius ad miraculū: quo facto crederēt homines in Chriſtum, & vitarent veram mortē. Sanè videte quemadmodum tamquam ex obliquo Dominus Deum ſe dixit, propter quoſdam qui negant. Nam ſunt hæretici, qui hoc negant, quod filius Dei ſit Dominus, ecce audiant: *Infirmitas ergo hæc*, inquit, *non eſt ad mortem, ſed pro gloria Dei.* Qua gloria? Cuius Dei? Audi quid ſequitur, *Vt glorificetur filius Dei. Infirmitas* ergo *hæc*, inquit, *non eſt ad mortem*,

ſed pro gloria Dei, vt glorificetur filius Dei per eam. Per quam? per illam infirmitatem.

Diligebat autem Ieſus Martham & ſororem eius Mariam, & Lazarum.] Ille languens, illæ triſtes, omnes dilecti. Sed diligebat eos & lãguentium ſaluator, immo etiam mortuorum ſuſcitator, & triſtium conſolator.

Vt ergo audiuit quod infirmabatur, tunc quidem manſit in eodem loco duobus diebus.] Nuntiauerunt ergo illę, manſit illic ille. Tamdiu tempus ductum eſt, quouſque quatriduum compleretur. Non fruſtra, niſi quia fortè, immò quia certè & ipſe numerus dierum intimat aliquod ſacramentum.

Deinde poſt hæc dicit diſcipulis ſuis: Eamus in Iudæam iterum.] Vbi pene fuerat lapidatus, qui propterea indè diſceſſiſſe videbatur, ne lapidaretur. Diſceſſit enim vt homo, ſed in redeundo quaſi oblitus infirmitatem, oſtēdit poteſtatem. *Eamus*, inquit, *in Iudæam*. Denique hoc dicto, videte quemadmodum diſcipuli territi fuerunt.

Dicunt ei diſcipuli: Rabbi, nunc quærebant te lapidare Iudæi, & iterum vadis illuc? Reſpondit Ieſus: Nonne duodecim horæ ſunt diei?] Quid ſibi vult iſta reſponſio? Illi dixerunt, *Modo te volebant lapidare Iudæi, & iterum vadis illuc*, vt te lapident? Et Dominus: *Nonne duodecim horæ ſunt diei?*

Si quis ambulauerit in die non offendit, quia lucem huius mundi videt. Si autem ambulauerit in nocte offendit, quia lux non eſt in eo.] De die quidem locutus eſt, ſed ad noſtram intellegentiam, quaſi adhuc nox eſt. Inuocemus diem, vt repellat noctem, & cor lumine inluſtret. Quid enim Dominus dicere voluit? Quantum mihi videtur, quantum ſubiacet altitudo, profunditaſque ſententiæ, redarguere voluit dubitationem illorum & infidelitatem. Voluerunt enim conſilium dare Domino, ne moreretur, qui
Matth. 16. venerat mori, ne ipſi morerentur. Sic etiam quodam alio loco Petrus ſanctus diligens Dominum, ſed adhuc non plenè intellegens cur veniſſet, timuit ne moreretur, & vitæ diſplicuit, id eſt, ipſi Domino. Cùm ergo vellent dare conſilium, homines Deo, diſcipuli magiſtro, ſerui Domino, ægroti medico, corripuit eos & ait: *Nonne duodecim horæ ſunt diei?* ſi quis ambulauerit in die non offendit. Me ſequimini, ſi non vultis offendere. Nolite mihi conſilium dare, quos à me conſilium oportet accipere. Quò ergo pertinet: *Nonne duodecim horæ ſunt diei?* Quia vt diem ſe eſſe oſtenderet, duodecim diſcipulos elegit. Si ego ſum, inquit, dies, & vos horæ. Nunquid horæ diei conſilium dant? horæ diem ſequuntur, non horas dies. Si er-

A go illi horæ, quid ibi Iudas, & ipſe inter duodecim horas? Si hora erat, lucebat: ſi lucebat, quomodo diem ad mortem tradebat? Sed Dominus in hoc verbo, non ipſum Iudam, ſed ſucceſſorem ipſius præuidebat. Iuda enim cadente, ſucceſſit Matthias, & duodenarius numerus manſit. Non enim fruſtra duodecim diſcipulos elegit, niſi quia ipſe ſpiritalis eſt dies. Sequantur ergo horæ diem, prædicent horæ diem, horæ inluſtrentur à die, horæ inluminentur à die, & per horarum prædicationem credat mūdus in diem. Hoc ergo ait, de compendio:
B Me ſequimini ſi non vultis errare.

Et poſt hoc dicit eis: Lazarus amicus noſter dormit, ſed vado vt à ſomno excitem eum.] Verè dixit. Sororib. mortuus erat, Domino dormiebat. Hominibus mortuus erat, qui eum ſuſcitare non poterant. Nam Dominus tanta facilitate ſuſcitabat de ſepulchro, quanta tu non excitas dormientem de lecto. Ergo ſecundum potentiam ſuam dixit dormientem, quia & alij mortui dicti ſunt in ſcripturis ſæpè dormientes, ſicut Apoſtolus di-
C cit: *De dormientibus autem nolo vos ignorare fratres, vt non contriſtemini ſicut & cæteri, qui ſpem non habent.* 1. Theſſ. 4. Ideo & ipſe dormientes appellauit, quia reſurrecturos pronunciauit. Et in alio loco: *Omnes quidem dormiemus, ſed non omnes reſurgemus:* 1. Cor. 15. Mortem noſtram dormitionis nomine ſignificans. Nam corpus dū deſeritur ab anima, dormit in ſepulchro, reſuſcitandum in nouiſſimo die. Animæ vero dum deſerūt corpora, diuerſas receptiones habent: gaudium bonę, malæ tormenta. Sed cum facta fuerit reſurrectio, & bo-
D norum gaudium amplius erit, & malorum tormenta grauiora, quando cum corpore torquebuntur. Dum Dominus de dormitione amici dixerat diſcipulis, reſponderunt quomodo intellexerunt.

Domine, ſi dormit, ſaluus erit.] Solent enim eſſe ſomni ægrotantium ſalutis indicium.

Dixerat autem Ieſus de morte eius.] Illi autē putauerunt, quia de dormitione ſomni diceret. Tunc ergo dixit eis Ieſus manifeſtè.
E Subobſcùrè enim dixerat, dormit.

Ait ergo manifeſtè: Lazarus mortuus eſt, & gaudeo propter vos, vt credatis, quia non eram ibi, ſed ſcio quia mortuus eſt.] Æger enim non mortuus fuerat nunciatus. Sed quid lateret eum qui creauerat? & ad cuius manus anima morientis exierat? hoc eſt quod ait: *Gaudeo propter vos vt credatis, quia non ibi eram.* Vt iam inciperent admirari, quia Dominus potuit dicere mortuum, nec viderat, nec audierat. Vbi ſanè meminiſſe debemus, quod adhuc etiam

A ipſorum diſcipulorum, qui in eum iam crediderant, miraculis ædificabatur fides. Non vt ea quæ non erat eſſe inciperet, ſed vt ea quæ iam eſſe cœperat creſceret. Quamuis tali verbo vſus ſit, quaſi tunc credere inciperent. Non enim ait: *Gaudeo propter vos, vt veſtra fides augeatur ſiue firmetur, ſed vt credatis.* Quod intellegendum eſt, vt amplius robuſtiuſque credatis.

Sed eamus ad eum. Dixit ergo Thomas qui dicitur Didymus, ad condiſcipulos ſuos: Eamus & nos vt moriamur cum eo. Venit itaque Ieſus, & inuenit eum quatuor dies iam in monumento habẽtem.] De quatuor diebus multa quidem dici poſſunt, ſicut ſe habent obſcura ſcripturarum, quæ pro diuerſitate intelligentium multos ſenſus pariunt. Dicamus & nos, quid nobis videatur ſignificare mortuus quatriduanus. Quomodo enim in illo cæco intellegimus quodammodo humanum genus, ſic fortè & in iſto mortuo multos intellecturi ſumus. Diuerſis enim modis vna res ſignificari poteſt. Homo quando naſcitur, iam cum morte naſcitur, quia de Adam peccatum trahit. Vnde dicit Apoſtolus. *Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors: & ita in omnes homines pertranſiit, in quo omnes peccauerunt.* Ecce habes vnum diem mortis, peccatum quod homo trahit de mortis propagine. Deinde creſcit, incipit accedere ad rationales annos, vt legem ſapiat naturalem, quam homines habent in corde fixam. Quod tibi fieri non vis, alij ne feceris. Numquid hoc de paganis dicitur, & non in natura ipſa quodammodo legitur? Furtum vis pati? vtique non vis. Ecce lex in corde tuo, quod non vis pati, facere noli, & hanc legem tranſgrediuntur homines. Ecce aliter dies mortis. Data eſt etiam lex diuinitus per famulum Dei Moyſen. Dictum eſt illis: *Non occides, non mœchaberis, non falſum teſtimonium dices, honora patrem & matrem, non concupiſces rem proximi tui.* Ecce lex ſcripta eſt, & ipſa contemnitur. Adde tertium diem mortis. Quid reſtat? Venit ad Euãgeliũ, prædicatur regnum cælorũ, diffamatur vbique Chriſtus, minatur gehenna, vita promittitur æterna, & ipſe contemnitur. Tranſgrediuntur homines Euãgelium. Ecce quartus dies mortis. Merito iam putet, numquid & talibus neganda eſt miſericordia? Abſit, etiã ad tales Dominus excitandos non dedignatur accedere.

Rom. 5.

Multi autem ex Iudæis venerant ad Martham & Mariam vt conſolarentur eas de fratre ſuo. Martha ergo vt cognouit quia Ieſus venit, occurrit illi. Maria autem domi ſedebat. Dixit ergo Martha ad Ieſum: Domine ſi fuiſſes hic, frater meus non eſſet mortuus. Sed & nunc ſcio, quia quæcunque popoſceris à Deo, dabit tibi Deus.] Non dixit, Sed & modo rogo te, vt ſuſcites fratrem meum. Vnde enim ſciebat, ſi frater eius reſurgeret, quod vtile fuerat †? hoc tãtum dixit: Scio quia potes, ſi vis facis. Vtrũ autem facies, iudicij tui eſt, nõ præſumptionis meæ. *Sed & nunc ſcio, quia quæcunque popoſceris à Deo, dabit tibi Deus.*

†al. vt filiis adeſſet.

Dicit illi Ieſus, Reſurget frater tuus. Dicit ei Martha: Scio quia reſurget in reſurrectione in nouiſſimo die.] De illa reſurrectione ſecura ſum. De hac incerta ſum.

Dicit ei Ieſus: Ego ſum reſurrectio & vita.] Dicis: *Reſurget frater meus in nouiſſimo die.* Verum eſt. Sed per quem tunc reſurget, poteſt & modo reſurgere. *Quia ego ſum reſurrectio & vita.* Ideo reſurrectio, quia vita: *Qui credit in me, non morietur in æternum.* Quid eſt hoc? *Qui credit in me, etiam ſi mortuus fuerit viuet.* Sicut Lazarus mortuus eſt & viuit, quia non eſt Deus mortuorum, ſed viuorum. De olim mortuis Patribus, hoc eſt, de Abrahã, de Iſaac, de Iacob, tale reſponſum Iudæis dedit. *Ego ſum Deus Abrahã, & Deus Iacob. Nõ eſt Deus mortuorum, ſed viuorum.* Omnes enim illi viuunt. Crede ergo, & ſi mortuus fueris, viues. Si autẽ nõ credis, & cũ viuis mortuus es. Vnde eſt ergo mors in anima? quia non eſt fides in ea. Vnde eſt mors in corpore? quia non eſt ibi anima. Ergo animæ tuæ vita fides eſt. Sicut anima corporis vita eſt corporis, ita fides animæ, vita eſt animæ. *Qui credit in me,* inquit, *etiam ſi mortuus fuerit,* in carne *viuet* in anima: donec reſurget caro, numquã poſtea moritura. Hoc eſt, Qui credit in me licet moriatur viuet, & omnis qui viuit in carne, & credit in me, & ſi morietur ad tempus propter mortem carnis, non morietur in æternum propter vitam ſpiritus, & immortalitatem reſurrectionis. Hoc eſt quod ait: *Et omnis qui viuit & credit in me, non morietur in æternum.*

Matt. 22.

Exod. 3.

Credis hoc? Ait illi: Vtique Domine. Ego credidi, quia tu es Chriſtus filius Dei, qui in hunc mundum veniſti.] Quando hoc credidi, quia tu es reſurrectio, credidi quia tu es vita. Credidi, quia qui credit in te, & ſi moriatur viuet, & qui viuit & credit non morietur in æternum.

Et cum hæc dixiſſet, abiit & vocauit Mariã ſororem ſuam ſilentio, dicens: Magiſter adeſt, & vocat te.] Aduertendum eſt quemadmodũ ſuppreſſam vocem ſilentium nuncupauit. Nã quomodo ſiluit, quæ dixit: *Magiſter adeſt, & vocat te?* Aduertendum eſt etiã quemadmodum Euangeliſta nõ dixerit, vbi vel

quando vel quomodo Mariam Dominus vocauerit. Vt hoc in verbis Marthæ potius intellegeretur, narrationis veritatē ſeruat.

Illa vt audiuit ſurgit cito, & venit ad eum. Nondū venerat Ieſus in caſtellum, ſed erat adhuc in illo loco, vbi occurrerat ei Martha. Iudæi igitur qui erant cum illa in domo, & conſolabantur eam, cùm vidiſſent Mariam quia cito ſurrexit & exiit, ſecuti ſunt eam, dicentes: Quia vadit ad monumentum vt ploret ibi.] Quare hoc pertinuit Euangeliſtam narrare? videamus quæ occaſio fecerit, vt plures ibi eſſent, quando Lazarus reſuſcitatus eſt. Putantes enim Iudæi propterea illam feſtinare, vt doloris ſui ſolatiū lachrymis quæreret, ſecuti ſunt eam, vt tam grande miraculum quatriduani mortui reſurgentis teſtes plurimos inueniret.

Maria ergo cùm veniſſet vbi erat Ieſus, vidēs eum cecidit ad pedes eius, & dixit ei: Domine, ſi hic fuiſſes frater meus non eſſet mortuus. Ieſus ergo vt vidit eam plorantem, & Iudæos qui cum illa erāt plorantes, fremuit ſpiritu, & turbauit ſemetipſum, & dixit: Vbi poſuiſtis eum?] Aliquid nobis inſinuauit fremendo ſpiritu, & turbando ſeipſum. Quis enim eum poſſet niſi ipſe turbare? Itaque primò hic adtendite poteſtatem, & ſic inquirite ſignificationē. Turbaris tu nolens, turbatur Chriſtus quia voluit. Eſuriuit Ieſus, verum eſt, quia voluit. Dormiuit Ieſus, verum eſt, quia voluit. Contriſtatus eſt Ieſus, verum eſt, ſed quia voluit. Mortuus eſt Ieſus, verum eſt, ſed quia voluit. In illius poteſtate erat ſic vel ſic affici. Verbum † enim animam ſuſcepit, & carnem, totius hominis ſibi coaptans in perſonæ vnitate naturam. Nam & animæ Apoſtolorum Pauli & Petri verbo inluſtratæ ſunt. Aliorum Apoſtolorum, ſanctorū, Prophetarū verbo inluſtratæ ſunt animæ. Sed de nulla dictum eſt: *Verbum caro factum eſt.* De nullo dictum eſt: *Ego & pater vnum ſumus.* Anima Chriſti & caro Chriſti, cum verbo Dei vna perſona eſt, vnus Chriſtus eſt. Ac per hoc vbi ſumma poteſtas, ibi ſecundum voluntatis nutum turbatur infirmitas. Hoc eſt, turbauit ſemetipſum. Dixi poteſtatem, adtende ſignificationem. Magnus reatus eſt, quem mortis quatriduanæ illa ſignificat ſepultura. Quid eſt ergo quod turbat ſemetipſum Chriſtus? Niſi vt ſignificet tibi, quomodo turbari tu debeas, cum tanta mole peccati grauaris & premeris. Adtendiſti enim te, vidiſti te reum. Computaſti tibi: Illud feci, & pepercit Deus. Illud commiſi, & diſtulit me. Euangelium audiui, & contempſi. Dic, dic lachrymando, Baptizatus ſum, & iterum ad eadem reuolutus ſum. Quid facio? Quò eo? vnde euado?

† al. Veram.

A Quando iſta dicis, iam fremit Chriſtus, quia fides fremit. In voce fremētis apparet ſpes reſurgentis. Ipſa fides intus, ibi eſt Chriſtus fremens. Si fides in nobis, Chriſtus in nobis. Quid enim aliud ait Apoſtolus: *Habitare Chriſtum per fidem in cordibus veſtris?* Ergo ſi fides tua in Chriſto, Chriſtus eſt in corde tuo. Ergo fremat Chriſtus in corde tuo. Fleuit ergo Chriſtus amicum mortuū, quē venit reſuſcitaturus. Quare enim fleuit? niſi quia hominem flere docuit, oppreſſum pōdere peccatorum. Quare fremuit, & turbauit ſemetipſum, B niſi quia fides hominis ſibi merito diſplicentis fremere admodum debet in accuſationem malorum operum, vt violentiæ pœnitentis cedat conſuetudo peccandi. Et dixit: *Vbi poſuiſtis eum?* Scis quia mortuus ſit, & vbi ſepultus ignoras? & iſta ſignificatio eſt. Non auſus ſum dicere, neſcit. Quid enim ille neſcit? ſed quaſi neſcit. Vnde hoc probamus? Dominū audi dicturum in iudicio: *Non noui vos, diſcedite à me.* Quid eſt, *Non vos noui?* (Matth. 7.) non vos video in luce mea, nō vos video in illa iuſtitia quā noui. C Sic & hic tanquā neſciens talem peccatorē, dixit: *Vbi poſuiſtis eū.* Talis eſt vox Dei in paradiſo, poſteaquā peccauit Adam, *Vbi es.* (Gen. 3.)

Dicunt ei: Domine veni, & vide.] Quid eſt, *Vide?* Miſerere. Videt enim Dominus quādo miſeretur. Vnde illi dicitur: *Vide humilitatem meam, & laborem meum, & dimitte omnia peccata mea.* (Pſalm. 24.)

Lachrymatus eſt Ieſus. Dixerunt ergo Iudæi: Ecce quomodo amabat eum] Quid eſt, *Amabat eum?* Non veni vocare iuſtos, ſed peccatores in pœnitentiam.

D *Quidam autem dixerunt ex ipſis: Non poterat hic qui aperuit oculos cæci, facere vt hic non moreretur?*] Qui voluit facere vt non moreretur, plus eſt quod facturus eſt, vt mortuus ſuſcitetur.

Ieſus rurſus fremens in ſemetipſo, venit ad monumentum.] Fremit & in te, ſi diſponis reuiuiſcere. Omni homini dicitur qui premitur peſſima conſuetudine, *Venit ad monumentū.*

Erat autem ſpelunca, & lapis ſuperpoſitus erat ei.] Mortuus ſub lapide, reus ſub lege. E Scitis enim quia lex, quę data eſt Iudæis, in lapide ſcripta eſt. Omnes autem rei ſub lege ſunt. (1. Tim. 1.) Benè viuentes enim in lege non ſunt. Iuſto lex poſita non eſt. Quid eſt ergo lapidem remouere? gratiam prædicare. (2. Cor. 3.) Apoſtolus enim Paulus miniſtrum ſe dicit noui Teſtamenti, non literæ, ſed ſpiritus. Nam *litera*, inquit, *occidit*, *ſpiritus autem viuificat.* Litera occidens, quaſi lapis eſt premens.

Remouete, inquit, *lapidem.*] Remouete legis pondus, gratiam prædicate.

Dicit ei Martha ſoror eius qui mortuus fuerat: Domine, iam fœtet, quatriduanus enim eſt. Dicit ei Ieſus. Nonne dixi tibi, quoniā ſi credideris, videbis gloriam Dei?] Quid eſt, *Videbis gloriam Dei?* Quia & putentem, & quatriduanum ſuſcitat. Omnes enim peccauerūt, & egent gloria Dei. Et vbi abundauit peccatum, ſuperabundauit gratia. Rom. 3. Rom. 5.

Tulerunt ergo lapidem, Ieſus autem eleuatis ſurſum oculis dixit: Pater, gratias ago tibi, quoniam audiſti me. Ego autem ſciebam quia ſemper me audis, ſed propter populum qui circumſtat dixi, vt credant, quia tu me miſiſti. Hæc cùm dixiſſet, voce magna clamauit.] Fremuit, lacrymauit, voce magna clamauit. Quàm difficile ſurgit, quem moles malæ conſuetudinis premit? Sed tamen ſurgit, occulta gratia intus viuificatus. Surgit poſt vocem magnam. Quid eſt factum? voce magna clamauit:

Lazare veni foras. Et ſtatim prodiit qui fuerat mortuus, ligatus pedes & manus inſtitis, & facies illius ſudario erat ligata.] Quomodo proceſſit ligatis pedibus miraris, & non miraris quia reſurrexit quatriduanus? In vtroque potentia Domini erat, non vires mortui. Proceſſit, & adhuc ligatus eſt, adhuc inuolutus, tamē foras iam proceſſit. Quid ſignificat? quando contemnis, mortuus iaces. Et ſi tanta, quanta dixi, contemnis, ſepultus iaces. Quando confiteris, tunc procedis. Quid eſt enim procedere, niſi ab occultis velut exeundo manifeſtari? Sed vt confitearis, Deus facit voce magna clamando, id eſt, magna gratia vocādo. Ideo cum proceſſiſſet mortuus, adhuc ligatus confitens, & adhuc reus, vt ſoluerentur peccata eius. Miniſtris hoc dixit Dominus:

Soluite illum, & ſinite abire.] Quid eſt, *Soluite, & ſinite abire?* Quæ ſolueritis in terra, erunt ſoluta & in cœlis. Potuit enim ligamenta ſoluere, qui mortuum reſuſcitauit: ſed propter vnitatem ſanctæ Dei Eccleſiæ, & indiuiduam charitatem; dicitur miniſtris, id eſt, diſcipulis Chriſti, *Soluite eum*; quia ſine vnitate Catholicæ fidei & charitate Eccleſiaſticæ ſanctitatis, peccata non ſoluuntur.

Multi autem ex Iudæis qui venerant ad Mariam, & viderunt quæ fecit Ieſus, crediderunt in eum. Quidam autem ex ipſis abierunt ad Phariſæos, & dixerunt quæ fecit Ieſus.] Non omnes ex Iudæis, qui cōuenerant ad Mariam, crediderunt: ſed tamen multi. Quidam verò ex eis, ſiue ex Iudæis qui conuenerant, ſiue ex eis qui crediderant, abierunt ad Phariſæos, & dixerunt eis quæ fecit Ieſus, ſiue adnuntiando, vt & ipſi crederent, ſiue potius prodendo vt ſæuirent. Sed quomodolibet & quibuſlibet, ad Phariſæos iſta prolata ſunt.

Cap. XXVIII.

Pontifices aduerſus eum cōcilium colligunt, in quo Caiphas vnum debere pro populo mori, ne cuncti perirent, prophetizat. Et ante ſex dies Paſchæ de vnguenti ſuper pedes Domini profuſi precio murmur arguitur Iudæ.

Collegerunt ergo Pontifices & Phariſæi concilium, & dicebant: Quid facimus?] Nec tamen dicebant, credamus. Plus enim perditi homines cogitabant, quomodo nocerent vt perderēt, quàm quomodo ſibi conſulerent ne perirent. Et tamen timebant, & quaſi conſulebant. Dicebant enim, *Quid facimus?*

Quia hic homo multa ſigna facit: Si dimittimus eum ſic, omnes credent in eum, & venient Romani, & tollent noſtrum locum & gentem.] Temporalia perdere noluerunt, & vitam æternam non cogitauerunt. Ac ſic vtrunque amiſerunt. Nam & Romani poſt Domini paſſionem & glorificationem tulerūt eis locum & gentem, & pugnādo & transferendo, & illud eos ſequitur quod alibi dictum eſt: *Filij autem regni huius ibunt in tenebras exteriores.* Matth. 8. Hoc autem timuerunt, ne ſi omnes in Chriſtum crederēt, nemo remaneret qui aduerſus Romanos ciuitatē Dei, templumque defenderet. Quoniam contra ipſum templum, & contra ſuas paternas leges, doctrinam Chriſti eſſe ſentiebant.

Vnus autem ex ipſis Caiphas, cùm eſſet pontifex anni illius, dixit eis: Vos neſcitis quicquam nec cogitatis, quia expedit vobis vt vnus homo moriatur pro populo, & non tota gens pereat. Hoc autem à ſemetipſo non dixit, ſed cùm eſſet Pontifex anni illius, prophetauit.] Hic docuit etiam per homines malos prophetiæ ſpiritum futura prædicere. Quod tamen Euangeliſta diuino tribuit ſacramento, quia pontifex fuit, id eſt, ſummus ſacerdos. Poteſt autem mouere, quomodo dicatur Pontifex anni illius? cùm Dominus ſtatuerit vnum ſummum ſacerdotem, cui mortuo vnus ſuccederet? Sed intelligendum per ambitiones & contentiones inter Iudæos poſtea conſtitutum vt plures eſſent, & per annos ſingulos vicibus miniſtrarent. Nam de Zacharia hoc dicitur: *Factum eſt autem cùm ſacerdotio fungeretur in ordine vicis ſuæ ante Deū, ſecundum conſtitutionem ſacerdotij ſorte exiit, vt* Lucæ 1.

incenſum poneret ingreſſus in templum Domini. A Hinc apparet plures eos fuiſſe, & vices ſuas habuiſſe. Nam incenſum non licebat ponere, niſi ſummo ſacerdoti. Et fortè etiam vnum annum plures adminiſtrabant, quibus alio anno alij ſuccedebant. Ex quibus ſorte exiebat, qui incenſum poneret. Quid eſt ergo quod prophetauit Caiphas?

Quia Ieſus moriturus erat pro gente, non tantum pro gente, ſed vt filios Dei qui erant diſperſi congregaret in vnum.] Hoc Euangeliſta addidit. Nam Caiphas de ſola Iudæorũ gente prophetauit, in qua erant oues. B De quibus ait ipſe Dominus: *Non ſum miſſus niſi ad oues quæ perierunt domus Iſraël.* Sed nouerat Euangeliſta alias oues quæ non erant de hoc ouili, quas oportebat adduci, vt eſſet vnum ouile & vnus paſtor. Hæc autem ſecundum prædeſtinationem dicta ſunt, quia neque oues eius nec filij Dei adhuc erant, qui nondum crediderant.

Ab illo ergo die cogitauerunt vt interficerent eum: Ieſus ergo iam non palàm ambulabat apud Iudæos, ſed abiit in regionem iuxta deſertum in ciuitatem quæ dicitur Effrem, & ibi morabatur C *cum diſcipulis ſuis.*] Non quia potentia eius defecerat, in qua vtique ſi vellet & palàm cum Iudæis conuerſaretur, & nihil ei facerent. Sed in hominis infirmitate viuendi exemplum diſcipulis demõſtrabat. In quo apparet & non eſſe peccatum, ſi fideles eius, qui ſunt membra eius, oculis perſequentium ſeſe ſubtraherent, & furorem ſceleratorum latendo potius deuitarent. Sciebat Ieſus tempus appropinquaſſe paſſionis ſuæ & redemptionis noſtræ. Ad propinquante tempore in quo pati diſpoſuit, appropinquauit ille & loco, in quo eiuſdẽ D paſſionis diſpenſationem perficere voluit. Dicit enim Euangeliſta:

Proximum autem erat Paſcha Iudæorum.] Illum diem feſtum Iudæi cruentum habere Domini ſanguine voluerunt. Illo die feſto occiſus eſt Agnus qui nobis eundem diem feſtum ſuo ſanguine conſecrauit. Conſilium erat inter Iudæos de occidendo Ieſu. Ille qui de cœlo venerat, propinquare voluit loco paſſionis, quia imminebat hora paſſionis. E

Aſcenderunt ergo multi in Hieroſolymam de regione ante Paſcha, vt ſanctificarent ſeipſos.] Hoc faciebant Iudæi ſecũdum præceptum Domini per ſanctum Moyſen in lege datum, vt die feſto quo Paſcha erat, omnes vndique conuenirent, & illius diei celebratione ſanctificarentur. Sed illa celebratio, vmbra erat futuri. Quid eſt vmbra futuri? prophetia Chriſti venturi, prophetia pro nobis illo die paſſuri, vt tranſiret vmbra, & lux veniret, vt tranſiret ſignificatio, & veritas teneretur. Habebant ergo Iudæi Paſcha in vmbra, nos in luce. Quid enim opus erat, vt Dominus eis præciperet per ipſum diem feſtum ouem occidere? Niſi quia ille erat de quo prophetatum eſt: *Sicut ouis ad immolandum ductus eſt.* (Eſaiæ 53.) Sanguine occiſi pecoris Iudæorum poſtes ſignati ſunt, ſanguine Chriſti frontes noſtræ ſignantur. Et illa ſignatio quæ erat ſignificatio, dicta eſt à domibus ſignatis exterminatorem prohibere. Signum Chriſti expellit à nobis exterminatorem, ſi cor noſtrum recipiat ſaluatorem.

Quærebant, inquit Euangeliſta, *Ieſum, & colloquebantur adinuicem ſtantes in templo: Quid putatis quia non venit ad diem feſtum?*] Quærebant ergo Iudæi Ieſum, ſed malè. Quærebant enim vt venientem ad diem feſtum interficerent. Quæramus autem nos illum ſtantes in templo Dei & perſeuerantes vnanimiter in oratione, & conloquamur adinuicem, Pſalmis, Hymnis, Canticis ſpiritalibus (Epheſ. 5) in gratia: poſtulantes ipſum, vt veniat ad diem feſtum noſtrum, & ſua nos præſentia inluſtrare, ſua ipſe nobis dona ſanctificare dignetur.

Dederunt autem Pontifices & Phariſæi mandatum, vt ſi quis cognouerit vbi ſit indicet, vt adprehendant eum.] Mandatum ergo Iudæorum peccatum eſt illorum. quærebant Chriſtum occidere, non in Chriſto viuere. quæramus nos in Chriſto viuere, quem illi quærebant occidere. Illi malè quærebant, nos benè quæramus. Nam nunc eſt tempus quærendi Dominum, ſicut Propheta ait: *Quærite Dominum dum inueniri poteſt.* (Eſaiæ 55.) Qui miſericordiam eum inuenire voluerit in iudicio, quærat eum modo in humilitatis & charitatis officio.

Ante ſex dies Paſchæ venit Ieſus Bethaniam, vbi fuerat Lazarus mortuus, quem ſuſcitauit.] Sciens autem Dominus conſpiraſſe de ſe occidendo Iudæos, non fugit inſidiantiũ manus, ſed certus de gloria reſurrectionis, Primo venit Bethaniam proximam Hieroſolymis ciuitatem, vbi Lazarum ſuſcitauerat à mortuis. Deinde etiã Hieroſolymam, vbi ipſe pateretur & reſurgeret à mortuis. Hieroſolymam quidem, vt ipſe ibi moreretur. Bethaniam vero, vt reſuſcitatio Lazari cunctorũ memoriæ arctius imprimeretur, & magis magiſque confunderentur, atque inexcuſabiles conuincerentur impij principes qui occidere non timerent eum, qui ſuſcitare * poſſet à mortuis: & nec beneficiis ſuſcitationis prouocati, nec diuina

(* al. ſuſcitari.)

ſuſcitantis virtute perterriti, animos ab iniuſta cæde retraherent. Nec tranſitoriè legendum eſt, quare ante ſex dies Paſchæ veniſſet Ieſus Bethaniam. Magna verò dignitas ſenarij numeri eſt in ſanctis ſcripturis, & multa opera Domini Dei noſtri in ſenario numero perfecta eſſe demonſtrantur. Quia ſenarius numerus in ſeipſo per ſuas proprias partes diuiſus vel coniunctus, perfectiſſimus eſſe conſtat. Habet enim partes tres in ſeipſo denominatas, id eſt, vnum, duo, & tres. Nam ſexta eius pars vnum eſt; tertia verò, duo; dimidia itaque, tres. Vnum verò & duo & tres, ſex eſſe dinoſcitur. Nec aliud ex his tribus partibus coniunctis confici poteſt, niſi ſex tantum: nec in alias partes ſenarius numerus diuidi poteſt, niſi in has tres, id eſt, vnũ, duo, tres. Nam ipſe Dominus creator omnium huius mundi creaturas ſex diebus perfeciſſe notiſſimum eſt, & ſexta die hominem feciſſe conſtat. Quem ſerpentina fraude perditum, ante ſex dies Paſchæ venit ipſe filius Dei, per quem creatus eſt, Bethaniam ad liberandum, vt qui ſexta die creatus eſt, ſexta feria liberaretur. Nã ſexta feria Chriſtum eſſe paſſum, nemini ignotum eſſe reor. Igitur & menſe ſexto annunciante Archangelo, virgo ſacra inſpiratione Spiritus ſancti eundem Redemptorem noſtrũ concepiſſe legitur. Qui etiam ſexta hora perfecta ætate, ſuper puteum ſedens mulieri Samaritanæ diuini fontis fluenta aperire dignatus eſt. Sexta quoque ætate mundi, ipſe creator ad redemptionem mundi iuxta fidem ſacræ hiſtoriæ veniſſe iam legitur. Habent quoque hæ tres partes, id eſt, vnum, & duo, & tres, ex quibus, vt diximus, ſenarium conſtat, aliquid myſterij in diſpenſatione ſalutis humanæ. Primo itaque tẽpore ſub lege naturæ, veluti in quadam vnitate ſancti patres Deo ſeruiebant. Secundo vero tempore lex addita eſt ad naturam, vt quod mala conſuetudo vitiauit in natura, lex reformaret in litera: & fuerunt duo, natura & lex. Tertio itaque tempore venit gratia cœleſtis per Ieſum Chriſtum: & ſunt tria, natura, lex, & gratia. Sicut nec lex naturæ bonum deſtruit, nec gratia legem ſoluit, ſed adimpleuit, naturamque priſtinæ reddidit nobilitati. Natura tamen & lex ſine gratia impleri non potuit, nec ſic homini liberum arbitrium datum eſt, vt legis præcepto, vt gratiæ non indigeret, ſicut Pelagiana hæreſis adfirmat. Et ne dicerẽt machinatores calumniarum fantaſticè ſuſcitatum fuiſſe Lazarum, facta ibi Domino cœna, & ipſe vnus erat ex diſcumbentibus cum eo: vt dum viuentem, loquentem, epulantem, cum ſuis familiariter conuerſantem viderent ſiue audirent, vel ſic ſuſcitatis potentiam agnoſcerent, & acciperent gratiam. Myſtice autem cœna hæc Dominica, vbi Martha miniſtrabat & Lazarus inter alios diſcumbebat, fides eſt Eccleſiæ, quæ per dilectionem operatur. In qua cœna Martha miniſtrat, cum anima quæque fidelis operam Domino ſuæ deuotionis impendit. Lazarus verò vnus fit ex diſcumbentibus cum Domino, cùm etiam hi qui poſt peccatorum mortem reſuſcitati ad iuſtitiam ſunt, vnà cum eis, qui in ſua permanſere iuſtitia, de præſentia veritatis exultant; pœnitentes ſimul cum innocentibus cœleſtis gratiæ muneribus aluntur. Et bene eadem cœna in Bethania celebratur, quæ eſt ciuitas in latere montis Oliueti, & interpretatur domus obedientiæ. Domus namque obedientiæ Eccleſia eſt, quæ fideliter Domini iuſſis obtemperat. Et ipſa eſt ciuitas, quæ ſuper montem miſericordiæ conſtituta nunquam poteſt abſcondi, ipſaque de ſui latere conſtructa redẽptoris, id eſt, aqua ablutionis, & ſanguine ſanctificationis, quæ de ipſius latere pro ſe morientis exiere, imbuta eſt. Vbi etiam altera ſoror Lazari Maria in magnæ indicium dilectionis, ſicut ſequentia monſtrãt Euangelicæ lectionis, accepit libram vnguenti nardi piſtici pretioſi, & vnxit pedes Ieſu, & exterſit capillis ſuis pedes eius. Quo facto non ſolum ſuæ dat indicium deuotionis, ſed & aliarum fidelium Deo animarum ſignat pietatis obſequium.

Maria autem accepit libram vnguenti nardi piſtici precioſi.] Quid namque per libram vnguenti niſi perfectio iuſtitiæ exprimitur? Quod vnguentum ex nardo piſtico dicitur eſſe confectum. Quid enim per vnguentum, niſi bonus odor opinionis inſinuatur? Et hoc vnguentum ex nardo piſtico, conficitur, id eſt, nardo fideli. Nam piſtis Græcè, fides Latinè dicitur. Sine fide enim Deo placere impoſſibile eſt, nec bona fama ſine fide Catholica fieri poterit. O homo vnge pedes Ieſu, bene viuendo, Dominica ſectare veſtigia, & capillis exterge, ac ſi habeas ſuperflua pauperibus eroga. Hoc eſt capillis pedes Ieſu tergere. Quæ tibi ſuperflua ſunt, pedibus Domini neceſſaria ſunt, id eſt minimis quibuſque in Eccleſia. De quibus in fine dicturus erit Dominus. *Quamdiu feciſtis vni ex minimis his, mihi feciſtis.* Matth. 25.

Domus autem repleta eſt odore.] Id eſt, Eccleſia vitæ religioſæ fama. Nam odor bonus eſt vita bona. Audi Apoſtolum:

2. Cor. 2. *Chriſti bonus odor ſumus*, inquit, *in omni loco.* A Et in Cantico Canticorũ: *Vnguentũ effuſum nomen tuum.* Item: *Dum eſſet rex in accubitu ſuo, nardus mea dedit odorem ſuum.* Vbi apertè quid Maria ſemel fecerat, typicè autem quid omnis Eccleſia, quod anima quæque perfecta ſemper faciat, oſtenditur.

Cant. 1.

Dicit ergo vnus ex diſcipulis eius Iudas Iſcariotis, qui erat eum traditurus: Quare hoc vnguentum non venijt trecentis denariis, & datum eſt egenis?] Væ impio traditori! væ complicibus eius nequitiæ etiam nunc mẽbra Chriſti perſequentibus! qui famã virtutis, quam ipſi habere non merentur, proximis qui habent inuidere non ceſſant. B Et quidem putare poſſemus Iudam curâ pauperum hæc fuiſſe locutum, ſed prodit mentem illius teſtis verax, qui ait:

Dixit autem hoc, non quia de egenis pertinebat ad eum: ſed quia fur erat, & loculos habens, ea quæ mittebantur portabat.] Non ergo tunc Iudas periit quãdo pecunia corruptus Dominum perdidit, ſed iam perditus Dominum ſequebatur. Qui loculos habens dominicos, ea quæ mittebantur portabat in C miniſterium pauperum, quæ etiam infideli mente furari ſolebat. Videns ergo Dominus cor illius cupiditatis iam ſorde pollutum, præuidens peiori proditionis ſorde polluendum, commiſit eius fidei quicquid habebant in ſacculis, eumque de his quæ vellet facere permiſit, vt vel conlati honoris vel habitę memoria pecunię, mentem ab ipſius venditione reuocaret. Verùm quia ſemper auarus eget, neque vnquam beneficiorum perfidus meminit, impius à D furto pecuniæ quam portabat peruenit ad traditionem Domini, qui pecuniã ſibi ſeruandam commendabat.

Dixit ergo Ieſus: Sine illam, vt in diem ſepulturæ meæ ſeruet illud.] Quaſi innocenter interroganti Iudæ, Dominus ſimpliciter & manſuetè, quo miniſterium Mariæ pertineret expoſuit: quia ipſe videlicet moriturus, & ad ſepeliẽdum aromatibus eſſet vnguendus. Ideoque Mariæ, cui ad vnctionem mortui corporis eius, quamuis multum deſideranti, peruenire non liceret, donatum eſt vt viuẽti adhuc impenderet obſequium, quod poſt mortem celeri reſurrectione præuenta requireret. E Vnde benè Marcus Dominum de illa dixiſſe teſtatur: *Quod habuit hæc fecit, præuenit vngere corpus meum in ſepulturam.* Quod eſt apertè dicere, quia corpus meum iam defuncti tangere non poterit, ſolum quod potuit fecit. Præuenit viuum adhuc, funerandi officio donare.

Pauperes enim ſemper habebitis vobiſcũ me autem non ſemper habebitis.] Et hic magna moderamine patientiæ Dominus, non Iudam arguit auaritiæ: & non pauperum gratia de pecunia loqui, ſed ex ratione demonſtrat, non eſſe culpandos eos, qui ei inter homines conuerſanti de facultatibus ſuis miniſtrarent, cùm tam paruo tempore ipſe apud Eccleſiã corporaliter manſurus. Pauperes autem, quibus eleemoſyna fieri poſſet, in ea ſemper eſſent habendi.

Cognouit ergo turba multa ex Iudæis, quia illic eſt, & venerunt non propter Ieſum tantum, ſed vt Lazarum viderent, quem ſuſcitauit à mortuis.] Curioſitas hos, non charitas adduxit ad Ieſum: ſed nos verſa vice, fratres chariſſimi, ſi cognoſcimus vbi Ieſus eſt, vbi manſionẽ facit, vbi Bethaniam, id eſt, domum animæ obedientis in qua habitet inuenit, veniamus illuc contemplatione, non propter hominem tantum quem à morte animæ ſuſcitatum ſpiritaliter viuere donauit, ſed vt bonam hominis vitam imitãdo, per hoc ad viſionem Ieſu pertingere mereamur, quia pro certo cognouimus vbi Ieſus eſt. Reſurrexit enim poſt mortem, & aſcendit in cœlum, vbi habet manſionem perpetuã: ipſa eſt vera Bethania, ciuitas ſcilicet cœleſtis, quam nullus valet niſi obediens intrare.

Cogitauerunt autem principes ſacerdotum vt & Lazarum interficerent, quia multi propter illum abibant ex Iudæis & credebant in Ieſum.] O cæca cæcorum verſutia! occidere velle ſuſcitatum, quaſi non poſſet ſuſcitare occiſum, qui poterat defunctum. Et quidem ſe vtrumque poſſe docuit, qui & Lazarum defunctum, & ſeipſum ſuſcitauit occiſum. Poſtquam Dominus quatriduanum mortuum ſuſcitauit, ſtupentibus Iudæis, & aliis eorum videndo credentibus, aliis inuidendo pereuntibus, diſcubuit in domo Ieſus: recumbente quoque Lazaro, qui fuerat à morte ſuſcitatus, poſt vnguentum diffuſum ſuper pedes eius, vnde domus odore completa eſt. De quibus in ſuperioribus quantum potuimus tractauimus. Nunc videndum eſt, quid ante Domini paſſionem geſtum eſt. Dicit enim Euangeliſta:

Cap. XXIX.

Turba cum ramis palmarum occurrens, clamat, Oſanna. *Ipſe verò ſuper pullũ ſedit, Phariſæis dicẽtibus:* Totus mundus poſt eũ abit.

IN *craſtinum autem turba multa, quæ conuenerat ad diem feſtum, cùm audiſſent quia venit*

A *Ieſus Hieroſolymam, acceperunt ramos palmarum, & proceſſerunt obuiam & clamabant. Oſanna benedictus qui venit in nomine Domini rex Iſraël.*] Rami palmarum laudes ſunt, ſignificantes victoriam qua erat Dominus mortem moriẽdo ſuperaturus, & trophæo crucis diabolum mortis principem triumphaturus. Oſanna benedictus qui venit in nomine Domini. Notandum ſanè quod *Oſanna*, verbum Hebraicum, compoſitum eſt ex duobus, corrupto & integro. *Salua* nãque ſiue *ſaluifica* apud eos dicitur. Oſanna verò interiectio eſt deprecantis, quo- B modo apud Latinos interiectio eſt dolentis, *heu*, & interiectio admirantis, *papæ*! Denique in Pſalmo vbi LXX. Interpretes tranſtulerunt, *O Domine ſaluum me fac*. In Hebræo ſcriptum eſt, *Anna, Adonai, Oſanna*, quod interpres noſter Hieronymus diligentius elucidans tranſtulit. *Obſecro Domine, ſalua obſecro*. Idem namque ſignificat, *O Domine*, per interiectionem obſecrantis, quod, *obſecro Domine*, per ipſum verbum obſecrationis. Oſanna itaque, *ſalua obſecro*, ſignificat. Conſumpta litera i, vocali quæ C verbum prius terminat, cum perfectè dicitur, *Oſi*, per virtutem literæ vocalis Aleph, à qua verbum ſequens incipit *Anna*, quod metrici in verſibus ſcandendis ſynalepham vocant. Quamuis ſcriptam literam ſcandentes tranſiliant. In hoc autem verbo *Oſanna*, iota litera, nec ſaltem ſcribatur, ſed ſenſu loquentium ſaluo funditus intermittatur: *Benedictus qui venit in nomine Domini rex Iſraël*. Sic accipiendum eſt, vt *in nomine Domini*, in nomine Dei patris intellegatur. Quamuis poſſit intellegi etiam in nomine ſuo, quia & ipſe eſt Dominus. Vnde alibi D ſcriptum eſt: *Pluit Dominus à Domino*. Verba eius melius noſtrum dirigunt intellectũ, qui ait: *Ego veni in nomine patris mei, & non ſuſcepiſtis me. Alius veniet in nomine ſuo, hunc ſuſcipietis*. Humilitatis enim magiſter eſt Chriſtus, qui humiliauit ſemetipſum factus (Philip. 2.) obediens vſque ad mortem, mortẽ autem crucis. Non itaque amittit diuinitatem, quando nos docet humilitatem. In illa patri eſt æqualis, in hac nobis ſimilis. Per E quod patri eſt æqualis, nos vt eſſemus creauit: per quod nobis eſt ſimilis, ne periremus redemit. Has ei laudes turba dicebat: *Oſanna, benedictus qui venit in nomine Domini rex Iſraël*. Quam vocem, mentis inuidentia principes Iudæorum perpeti non poterant, quando regem ſuum Chriſtum tanta multitudo clamabat. Sed quid fuit Domino, regẽ eſſe Iſraël? Quid magnum fuit regi ſeculorum, regem fieri hominum? non enim rex Iſraël Chriſtus ad exigendũ tributum vel ferro exercitum armãdo, hoſteſque debellandos: ſed rex Iſraël quod mentem regat, quod in æternum conſulat, quod in regnum cœlorum credentes, ſperantes, amanteſque perducat. Dei ergo filius æqualis patri, verbum per quod facta ſunt omnia, quod rex eſſe voluit Iſraël, dignatio eſt, non promotio: miſerationis iudicium eſt, non poteſtatis augmẽtum. Qui enim appellatus eſt rex Iudæorum, in cœlis eſt Dominus Angelorum.

Et inuenit Ieſus aſellum, & ſedit ſuper eum.] Hîc breuiter dictum eſt. Nam quemadmodum ſit factum, apud alios Euangeliſtas pleniſſimè legitur. Adhibetur autem huic facto propheticum teſtimonium, vt appareret quòd maligni principes Iudæorum eum non intellegebant, in quo implebantur quæ legebant. Inuenit ergo Ieſus aſellum & ſedit ſuper eum.

Sicut ſcriptum eſt: Noli timere filia Sion, ecce rex tuus venit ſedens ſuper pullum aſinæ.] Hæc filia Sion, cui diuinitus iſta dicuntur, in illis erat ouibus, quæ vocem paſtoris audiebãt. In illa erat multitudine, quæ Dominum venientem tanta deuotione laudabat, tanto agmine deducebat. Ei dictum eſt: *Noli timere*, illum agnoſce, qui ecce laudatur: & noli trepidare cùm patitur, quia ille ſanguis fundetur, per quem tuum delictum deleatur, & vita redimatur. Sed pullũ aſinæ, in quo nemo ſederat (hoc enim apud alios Euangeliſtas inuenitur) intelligimus populum gentium, qui legem Domini non acceperant. Aſinam verò, quia vtrunque iumentum Domino adductum eſt, plebem eius, quæ veniebat ex populo Iſraël non indomita tamen, ſed quæ præſepe Domini agnouit.

Hæc non cognouerunt diſcipuli eius primũ, ſed quando glorificatus eſt Ieſus.] Id eſt, quando virtutem ſuæ reſurrectionis oſtendit.

Tunc recordati ſunt, quia hæc erant ſcripta de eo.] Recolentes quippe ſecundum ſcripturam, quæ ante paſſionem vel in Domini paſſione completa ſunt. Ibi & hoc inuenerunt, vt ſecundum eloquia Prophetarum in pullo aſinæ ſederet.

Teſtimonium ergo perhibebat turba quæ erat cum eo, quando Lazarum vocauit de monumento, & ſuſcitauit eum à mortuis. Propterea & obuiã venit ei turba, qui audierunt eum feciſſe hoc ſignum. Phariſæi ergo dixerunt ad ſemetipſos: Videtis quia nihil proficimus, ecce mundus totus poſt eum abiit.] Turba turbauit turbam. Quid autem inuides cæca turba, quia poſt eũ vadit mundus per quem factus eſt mundus?

Cap. XXX.

Nunciatus Gentibus eum videre volentibus, horam ſuæ clarificationis eſſe dicit, & granum frumenti mortuum multum fructum pronunciat allaturum. Miniſtrantem quoque ſibi honorificandum promittit.

E*Rant autem gentiles quidam ex his qui aſcenderant vt adorarent in die feſto. Hi ergo acceſſerunt ad Philippum qui erant à Bethſaida Galilææ, & rogabant eum dicentes: Domine, volumus Ieſum videre. Venit autem Philippus, & dicit Andreæ. Andreas rurſus & Philippus dixerunt Ieſu.*] Videamus quid Dominus ad iſta reſponderit. Ecce voluerunt eum Iudæi occidere, Gentiles videre. Sed etiam illi ex Iudæis erant qui clamabant, *Benedictus qui venit in nomine Domini rex Iſraël.* Ecce illi ex circuncisione, illi ex præputio velut parietes de diuerſo venientes, & in vnā fidem Chriſti pacis oſculo concurrentes. Audiamus ergo vocem lapidis angularis.

Ieſus autem, inquit, *reſpondit eis dicens: Venit hora vt clarificetur filius hominis.*] Hic quiſquam forſitan putat, ideo ſe dixiſſe glorificatum, quia Gentiles eum volebant videre. Non ita eſt, ſed videbat ipſos Gentiles, poſt paſſionem & reſurrectionem ſuam in omnibus gẽtibus credituros, quia
Rom. 11. ſicut dicit Apoſtolus: Cæcitas ex parte Iſraël facta eſt, donec plenitudo gentium intraret. Ex occaſione igitur iſtorum gentilium qui eum videre cupiebant, adnunciat futuram plenitudinem gentium, & promittit iam iamque adeſſe horam glorificationis ſuæ, qua facta in cœlis, gentes fue-
Pſalm. 107. rant crediture. Vnde prædictum eſt: *Exaltare ſuper cœlos Deus, & ſuper omnem terram gloriam tuam.* Hæc eſt gentium plenitudo, de qua dicit Apoſtolus: *Cæcitas ex parte Iſraël facta eſt, donec plenitudo gentiũ intraret.* Sed altitudinẽ glorificationis oportuit vt præcederet humilitas paſſionis. Ideo ſecutus adiunxit:

Amen amen dico vobis, niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipſum ſolum manet. Si autem mortuum fuerit, multum fructũ adfert. Se autem dicebat ipſum eſſe granũ mortificandum, & multiplicandum. Mortificandum infidelitate Iudæorum, multiplicandum fide omnium populorum. Iam verò exhortans ad paſſionis ſuæ ſectanda veſtigia.

Qui amat, inquit, *animam ſuam, perdet eam.*] Quod duobus modis intellegi poteſt. *Qui amat perdet*, id eſt, ſi amas perdes: ſi cupis vi-
A tam tenere in Chriſto, noli timere mori pro Chriſto. Item alio modo: *Qui amat animam ſuam, perdet eam.* Noli amare in hac vita, ne perdas in æterna vita. Hoc autem quod poſterius dixit, magis habere videtur Euangelicus ſenſus. Sequitur enim:

Et qui odit animam ſuam in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodit eam.] Ergo quod ſuprà dictum eſt. Qui amat, ſubintellegitur in hoc mundo. Ipſe itaque perdet. Qui autem odit, vtique in hoc mundo, in vitam æternam ipſe cuſtodit eam. Magna & mira ſententia, quemadmodum ſit
B hominis in animam ſuam amor vt pereat, odium ne pereat. Si malè amaueris, tunc odiſti. Si benè oderis, tunc amiſiſti. Felices qui oderunt cuſtodiẽdo, ne perdant amando. Hic animæ nomine vita præſens deſignatur, vel etiam huius vitæ delectatio, quę perdenda eſt, vt feliciter inuenias voluntatem tuam in regno Dei, quam fortiter viciſti in hoc ſeculo. Nam ſancti martyres odio habuerunt hāc præſentem vitam pro Chriſti nomine, dum magis voluerunt hāc
C præſentem vitam perdere quàm Chriſtum negare, implentes quod ſequitur:

Si quis mihi miniſtrat, me ſequatur.] Quid eſt, *me ſequatur*, niſi me imitetur? Chriſtus enim pro nobis paſſus eſt, ait Apoſtolus Petrus, relinquens nobis exemplum, vt ſe- 1. Petr. 2.
quamur veſtigia eius. Ecce quod dictum eſt: *Si quis mihi miniſtrat, me ſequatur.* Quo fructu, qua mercede, quo præmio?

Et vbi ſum, inquit, *ego, illic & miniſter meus erit.*] Merces eſt amoris & operis pretium, quo miniſtratur Chriſto, eſſe cum
D illo cui miniſtrat. Vbi enim bene erit ſine illo? aut quomodo eſſe poterit cum illo? Audi euidentius.

Et ſi quis mihi miniſtrauerit, honorificabit eũ pater meus.] Quo honore? Niſi vt ſit cum filio eius. Quod enim ſuperius ait: *Vbi ego ſum, illic & miniſter meus erit.* Hoc intellegitur expoſuiſſe cùm dicit: *Honorificabit eum pater meus.* Nam quem maiorem honorem accipere poterit adoptatus, quàm vt ſit vbi eſt vnicus? non æqualis factus diui-
E nitati, ſed conſociatus æternitati. Quid ſit autem miniſtrare Chriſto, cui operi merces tanta promittitur, conſiderandum eſt: *Si quis mihi miniſtrat, me ſequatur*, hoc intellegi voluit, ac ſi diceret: Si quis me non ſequitur, non mihi miniſtrat. Miniſtrant ergo Ieſu Chriſto, qui non ſua quærunt, ſed quæ Ieſu Chriſti. Hoc enim eſt, *me ſequatur*, vias ambulet meas, non ſuas. Sicut alibi ſcriptum eſt: *Qui ſe dicit in Chriſto manere, debet ſicut ille ambulauit, & ipſe ambulare.*

Etiam

Etiam ſi porrigit eſurienti panem, de miſericordia facere debet, non de iactantia. Matth. 6. Non aliud ibi quæret quàm opus bonum, neſciente ſiniſtra, quid faciat dextera. Id eſt, vt alienetur intētio cupiditatis ab opere charitatis. Matth. 25. Illi dicitur: *Cum vni ex minimis meis feciſti, mihi feciſti.* Nec ea tantū, quæ ad miſericordiam pertinent corporalem, Rom. 10. ſed omnia opera propter Chriſtum faciēs, tunc erunt bona, quoniam finis legis Chriſtus ad iuſtitiam omni credenti. Credens miniſter eſt Chriſti vſque ad illud opus magnæ charitatis, quod eſt animam ſuam pro fratribus ponere. Hoc eſt enim & pro Chriſto ponere, quia & hoc propter ſua membra dicturus eſt: *Cum pro iſtis feciſtis, pro me feciſtis.* De tali quippe opere etiam ſe miniſtrum facere, & appellare dignatus eſt, Matth. 20. Marc. 10. vbi ait: *Sicut filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare, & animam ſuam ponere pro multis.* Hinc ergo eſt, vnuſquiſque miniſter Chriſti, vnde eſt & miniſter Chriſtus. Sic miniſtrantem Chriſto honorificat pater eius honore illo magno, vt ſit cum filio eius, nec vnquam deficiat fides eius. Communiter verò de omnibus ait: *Si quis mihi miniſtrat,* Omnis enim quicūque benè agit, Chriſto miniſtrat. Vnde vnuſquiſque pro modulo ſuo miniſtret Chriſto, benè viuendo, eleemoſynas faciendo, nomen doctrinamque eius quibus potuerit prædicando. Qui vero bene viuētes exhortatur, vt permaneant in bene viuendo, miniſtrat Chriſto. Qui verò humiliter admonenti ſe obedit, miniſtrat Chriſto, & qui fideliter in hoc ſeculo miniſtrat Chriſto, feliciter in futuro ſeculo regnabit cum Chriſto. Cum Dominus Ieſus prædixiſſet in grano frumenti paſſionem ſuam, & ſuos hortaretur miniſtros, vt ſequerentur eum, ad noſtram rurſum infirmitatem ſuum temperauit affectum, & ait:

Cap. XXXI.

Animam ſuam turbatam eſſe dicenti, & clarificari ſe à patre poſcenti vox de cœlo ait: Et clarificaui, & iterum clarificabo. *Poſt hæc multa proſequitur. Inter quæ ſe non ad iudicandum, ſed ad ſaluandum mundum veniſſe teſtatur.*

Nunc anima mea turbata eſt.] Vnde turbata eſt, Domine Ieſu, anima tua? Nunquid non ideo animam accepiſti, & hominem perfectū vt patereris in eo? Video te Domine noſtram infirmitatem in te transferre, & in te cauſam ſuſcipere noſtrā. Ideo A turbatus es, quia voluiſti; ſicut natus fuiſti, quia voluiſti. Nam paulo ante de te dictum eſt, vbi Lazarum ſuſcitaſti: *Turbauit ſemetipſum.* Nam his verbis ab infirmitate noſtra rapuit nos ad infirmitatem ſuam. Vox eſt enim fortitudinis Domini vbi ait: *Venit hora vt clarificetur filius hominis.* Vox eſt enim infirmitatis noſtræ, dum ait: *Nunc anima mea turbata eſt.* O Domine mediator, Deus ſupra nos, homo, propter nos, agnoſco miſericordiam tuam. Nam quod tu tātus, tuæ charitatis voluntate turbaris, multos in corpore tuo, qui ſuæ infirmitatis neceſſitate turbantur, ne deſperando pereant, conB ſolaris. Audi ergo ô miles Chriſti, quid deinde ſubiungat, cùm dixiſſet, *Nunc anima mea turbata eſt.* Et quid dicam inquit?

Pater ſaluifica me ex hac hora. Sed propterea veni in horam hanc, pater clarifica tuum nomen.] Docuit te quid cogites. Docuit quid dicas, quem inuoces, in quo ſperes, cuius voluntatem certam atque diuinam tuæ voluntati humanæ, infirmæque proponas. Nō ideo tibi videatur ex alto deficere, quia te vult C ab imo proſpicere. Nam & tentari dignatus eſt à diabolo, à quo vtique, ſi nollet, nō tentaretur: & ea reſpōdit diabolo, quæ tu in tentationibus debeas reſpondere. Et ille quidem tentatus eſt, ſed non periclitatus: vt doceret te in tentatione periclitantem, tentatori reſpondentem, & poſt tentationem nō ire, ſed à periculo tentationis exire. Sicut autem hic dixit: *Nunc anima mea turbata eſt,* Ita etiam tibi dicit: *Triſtis eſt anima mea vſque ad mortē.* Et: *Pater, ſi fieri poteſt, tranſeat à me calix iſte.* Hominis ſuſcepit inD firmitatem, vt doceat ſe contriſtatum & conturbatum quod ſequitur dicere: *Veruntamen, non quod ego volo, ſed quod tu vis pater.* Sic enim homo ab humanis in diuina dirigitur, cum voluntati humanæ voluntas diuina præponitur. Quid eſt autem, Clarifica tuum nomen: niſi in ſua paſſione & reſurrectione? Quid eſt ergo aliud, niſi vt pater clarificet filium, qui clarificat nomen ſuum, etiam in ſimilibus paſſionibus ſeruorum ſuorum?

E *Venit ergo vox de cœlo dicens: Et clarificaui, & iterum clarificabo.*] *Et clarificaui,* antequam facerem mundum, *& iterum clarificabo,* ſurgentem à mortuis, & aſcendentem in cœlum. Et aliter intelligi poteſt. *Et clarificaui,* cùm de virgine natus eſt, cùm de cœlo indice ſtella à Magis adoratus eſt, Matth. 2. cùm à ſanctis ſancto Spiritu plenis agnitus eſt, cùm deſcendente ſpiritu in ſpecie colūbæ declaratus, cùm voce de cœlo ſonante mōſtratus, cùm in mōte transfiguratus, Matth. 17.

cùm miracula multa fecit, cùm multos ſanauit atque mundauit, cùm de pauciſſimis panibus tantam multitudinem pauit, cùm ventis & fluctibus imperauit, cùm mortuos ſuſcitauit. Et iterum clarificabo, cùm reſurget à mortuis, cùm mors ei vltrà non Rom. 6. dominabitur, cùm exaltabitur ſuper cœlos Pſalm. 107 Deus, & ſuper omnem terram gloria eius.

Turba ergo quæ ſtabat & audiebat, dicebat tonitruum eſſe factum. Alij dicebant, Angelus ei locutus eſt. Reſpondit Ieſus & dixit: non propter me vox hæc venit, ſed propter vos.] Hic oſtendit illa voce non ſibi indicatum quod iam ſciebat, ſed eis quibus indicari oportebat. Sicut autem illa vox non propter eum, ſed propter illos à diuinitate facta eſt: ſic anima eius non propter eum, ſed propter alios voluntate turbata eſt.

Nunc iudicium eſt mundi.] Non enim de futuro iudicio hoc dictum eſſe putemus, quod in fine mundi futurum eſt, vbi boni & mali ſeparabuntur æterna diuiſione, ſed de iudicio quod cottidie in ſancta Dei Eccleſia ſolet eſſe. Poſſidebat ergo diabolus genus humanum, & reos ſuppliciorum tenebat chirographo peccatorum, dominabatur in cordibus infidelium, ad creaturam colendam deſerto creatore, deceptos captiuoſque trahebat. Per Chriſti autem fidem, quæ morte eius & reſurrectione firmata eſt, per eius ſanguinem qui in remiſſionem fuſus eſt peccatorũ, milia credentium à dominatu diaboli liberantur, Chriſti corpori copulantur, & ſub tanto capite vno eius ſpiritu debilia membra vegetantur. Hoc vocabat iudicium, hanc diſcretionem, hanc à ſuis redemptis diaboli expulſionem. Denique attende quid dicat, quaſi quæreremus quid eſſet quod ait: *Nunc iudicium eſt mundi*, ſecutus expoſuit, ait enim:

Nunc princeps huius mundi eiicietur foras.] Audiuimus quale dixerit eſſe iudiciũ. Non ergo illud quod in fine venturum eſt, vbi viui & mortui iudicandi ſunt, aliis ad ſiniſtram, aliis ad dexteram ſeparatis: ſed iudicium, quo princeps huius mundi eiicietur foras. Quomodo ergo intus erat? quò eũ dixit eiiciendum foras? *Nunc*, inquit, *Princeps huius mũdi eiicietur foras*, hoc intellegendum eſt, quod nunc fit, non quod tantum poſt futurum eſt in nouiſſimo die. Præuidebat ergo Dominus quod ſciebat, poſt paſſionem & glorificationẽ ſuam per vniuerſum mundum multos populos credituros: in quorum cordibus Diabolus intus erat, cui quãdo ex fide renunciat, eiicietur foras. Sed dicit aliquis: Nunquid de cordibus Patriarcharum & Prophetarum, veterumque iuſtorum non eſt eiectus? eſt planè. Quomodo ergo dictum eſt, Nunc eiicietur foras, quomodo putamus, niſi quia tunc quod in hominibus pauciſſimis factũ eſt, nunc in multis magniſque populis iam futurum eſſe prædictũ eſt, ſicut illud quod dictum eſt: *Spiritus autem nondum erat datus, quia Ieſus nondum erat glorificatus?* Poteſt ſimilem habere quæſtionem, & ſimilem ſolutionem. Non enim ſine Spiritu ſancto futura prænunciauerunt Prophetæ, aut non etiam Dominum infantem in Spiritu ſancto Simeon ſenex & Anna vidua cognouerunt: & Zacharias & Elizabeth, qui de illo nondum nato, ſed iam concepto tanta per Spiritum ſanctum prædixerunt. Sed ſpiritus nondũ erat datus, id eſt, illa abundantia gratiæ ſpiritalis, qua congregati, linguis omnium loquerentur, ac ſic in linguis omnium gentium futura prænunciaretur Eccleſia, qua gratia ſpiritali populi congregarentur, qua lõgè latéque peccata dimitterentur, & milia milium Deo reconciliarentur. Quid ergo ait quiſpiam, quia diabolus de credentium cordibus eiicitur foras, iam fidelium neminem tentat? Immo verò tentare non ceſſat. Sed aliud eſt, intrinſecus regnare, aliud eſt forinſecus obpugnare. Aliud eſt vulnerare, aliud occidere. Sed ſi vulnerat, adeſt qui ſanat. Quia ſicut pugnantibus dictũ eſt: *Hæc ſcribo vobis vt non peccetis.* 1. Ioan. 2. Ita qui vulnerantur, quod ſequitur audiunt: *Et ſi peccaueritis, aduocatũ habemus apud patrem Ieſum Chriſtum iuſtum, ipſe eſt propitiatio peccatorũ noſtrorum.* Quid enim oramus cùm dicimus: *Dimitte nobis debita* Matth. 6. *noſtra*, niſi vt vulnera noſtra ſanentur? Et quid aliud petimus cùm dicimus: *Et ne nos inferas in tentationem*, niſi vt ille qui inſidiatur, vel certat extrinſecus, nulla irrumpat ex parte, nulla nos fraude decipiat, nullis ſubuertat machinis, quando non tenet locum cordis, vbi fides habitat? Eiectus eſt foras, ſed, *Niſi Dominus cuſtodierit ciuitatem,* Pſalm. 126. *in vanum vigilat qui cuſtodit eam.* Nolite ergo de vobis ipſis præſumere, ſi nõ vultis foras eiectum diabolum intrò iterum reuocare. Abſit autem vt diabolũ mundi principem ita dictũ exiſtimemus, vt eum cœlo & terræ dominari poſſe credamus. Sed mũdus appellatur in malis hominib. qui toto terrarũ orbe diffuſi sũt. Sicut appellatur domus in his, à quibus habitatur, ſecundũ quod dicimus: Bona domus eſt, vel mala domus eſt, non quando reprehẽdimus ſiue laudamus ædificiũ parietũ atque tectorũ, ſed quando mores vel bonorum hominũ vel malorũ. Sic ergo dictum eſt, *Princeps huius mundi*, id

eſt, princeps malorum hominum, qui habitant in mundo. Appellatur etiam mundus in bonis, qui ſimiliter toto terrarum orbe diffuſi ſunt. Inde dicit Apoſtolus: *Deus erat in Chriſto, mundum reconcilians ſibi.* Hi ſunt, ex quorũ cordibus princeps mundi eiicitur foras. Cùm ergo dixiſſet: *Nunc princeps huius mundi eiicietur foras:*

Et ego, inquit, *ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham poſt me.*] Quæ omnia? niſi ex quibus ille eiicitur foras: Non autem dixit omnes, ſed omnia. Non enim omnium eſt fides. (1.Theſſ. 3.) Non itaque hoc ad vniuerſitatem hominum retulit, ſed ad creaturæ integritatem; id eſt, ſpiritum & animam & corpus. Et illud quod intellegimus, & illud quod videmus, & illud quod inuiſibiles & contractabiles ſumus. Qui enim dixit: *Capillus capitis veſtri non peribit*, (Lucæ 21.) omnia trahit poſt ſe. Aut ſi omnia ipſi homines intellegẽdi ſunt, omnia prædeſtinata ad ſalutem poſſumus dicere, ex quibus omnibus ait nihil eſſe periturum, cum ſuprà de ſuis ouibus loqueretur. Aut certe omnia hominum genera, ſiue in linguis omnibus, ſiue in ætatibus omnibus, ſiue in gradibus honorũ omnium, ſiue in diuerſitatibus ingeniorũ omnibus, ſiue in artium licitarũ & vtilium profeſſionibus omnibus: & quicquid aliud dici poteſt, ſecundũ innumerabiles differentias, quibus inter ſe, præter ſola peccata, homines diſtant, ab excelſiſſimis vſque ad humillimos, à rege vſque ad mendicum: *Omnia*, inquit, *traham poſt me*, vt ſit caput eorũ: & illa membra eius. *Sed ſi exaltatus*, inquit, *fuero à terra*, hoc eſt, cùm exaltatus fuero. Non enim dubitat futurũ eſſe quod venit implere. Hoc refertur ad illud quod ſuperius ait: *Si autem mortuum fuerit granum, multum fructum affert.* Nam exultationem ſuam quid aliud dixit, quàm in cruce paſſionem? Quod & ipſe Euangeliſta non tacuit. Subiunxit enim, & ait:

Hoc autem dicebat, ſignificans qua morte eſſet moriturus. Reſpondit ei turba: Nos audiuimus ex lege, quia Chriſtus manet in æternum, & quomodo tu dicis, Oportet exaltari filium hominis? Quis eſt iſte filius hominis?] Memoriter tenuerunt, quod Dominus dicebat aſſiduè filium hominis ſe eſſe. Nam hoc loco non ait: Si exaltatus fuerit à terra filius hominis, ſed ſicut ſuperiùs dixerat, quãdo nunciati ſunt gentiles illi qui eum videre cupiebant: *Venit hora vt glorificetur filius hominis.* Hoc itaq. iſti animo retinentes, & quod nũc ait: *Cum exaltatus fuero à terra*, mortem crucis intellegentes, quæſierunt ab illo, & dixerunt: *Vos audiuimus ex lege, quia Chriſtus manet in æternũ. Et quomodo tu dicis, Oportet exaltari filium hominis?* Si enim Chriſtus eſt, inquiunt, manet in æternũ. Si manet in æternum, quomodo exaltabitur à terra? Id eſt, quomodo crucis paſſione morietur? hoc enim eum dixiſſe intellegebant, quod facere cogitabant. Non ergo eis verborum iſtorum obſcuritatem aperuit infuſa ſapientia, ſed ſtimulata conſcientia.

Dixit ergo eis Ieſus: Adhuc modicum lumen in vobis eſt.] Hinc eſt quod intellegitis, quòd Chriſtus manet in æternum.

Ergo ambulate dum lucem habetis, vt non vos tenebræ comprehendant.] Ambulate, accedite, totum intellegite, & moriturum Chriſtum & victurum in æternum, & ſanguinem fuſurum, quo redimat, & aſcenſurum in ſublimia, quò perducat. Tenebræ autem vos comprehendent, ſi eo modo credideritis Chriſti æternitatem, vt negetis in eo mortis humilitatem. Et qui ambulat in tenebris, neſcit quò vadat. Sic poteſt offendere, in lapidem offenſionis & petrã ſcandali, quod fuit Dominus cæcis Iudæis, ſicut (Pſalm. 117) credentibus lapis quem reprobauerũt ædificantes, factus eſt in caput anguli. Hinc indignati ſunt credere in Chriſtum, quia eorum impietas contempſit mortuum, riſit occiſum: & ipſa erat mors grani multiplicandi, & exaltatio trahentis poſt ſe omnia.

Dum lucem habetis credite in lucem, vt filij lucis ſitis.] Cùm aliquid veri auditum habetis, credite in veritatem, vt renaſcamini in veritate.

Hæc locutus eſt Ieſus, & abſcondit ſe ab eis.] Non ab eis qui credere & diligere cœperant, non ab eis qui cum ramis palmarum & laudibus obuiam venerãt: ſed ab eis qui videbant & inuidebant, quia nec videbant, ſed in lapidem illum cæcati offendebant. Cùm autem ſe abſcondiſſet Ieſus ab eis qui illum occidere cupiebant, quod ſæpè propter obliuionem cõmonendi eſtis, noſtræ infirmitati conſuluit, non ſuæ poteſtati derogauit. Prænunciata Dominus Chriſtus paſſione ſua in exaltatione crucis, quod Iudæi intellegentes, quæſtionem propoſuerunt, quomodo diceret ſe eſſe moriturum: cùm ex lege audierint, quod Chriſtus manet in æternum. Deinde intulit Euangeliſta, & ait:

Cum autem tanta ſigna feciſſet coram eis, non credebant in eum. Vt ſermo Eſaiæ Prophetæ impleretur quem dixit: Domine quis credidit auditui noſtro? & brachium Domini cui reuelatum eſt?] (Eſaiæ 53.) Quis, pro raritate poſuit, quia quod ſancti Prophetę à Deo audierũt & populo prędicauerũt, pauciſſimi crediderũt, in eo quod ait.

Brachium Domini cui reuelatum eſt? Vbi ſatis oſtendit, brachium Domini, ipſum Dei filium nuncupatum. Non quod Deus pater figura determinetur carnis humanæ, eique filius tanquam membrū corporis hæreat: ſed quia omnia per ipſum facta ſunt, ideo brachium Domini dictus eſt. Sicut enim tuum brachium per quod operaris, ſic Dei brachium dictum eſt eius verbum, quia per verbum operatus eſt Deus mundum. Cur enim homo brachium, vt aliquid operetur extendit, niſi quia non continuò fit quod dixerit? Si autem tanta poteſtate præualeret, vt ſine vllo corporis motu ſui quod diceret fieret, brachium eius eſſet verbū eius. Sed Dominus Ieſus Dei patris vnigenitus filius, ſicut non eſt paterni corporis membrum, ita non eſt cogitabile, vel ſonabile ac tranſitorium verbum, quia cum omnia per ipſum facta ſunt, Deus erat verbum. Quē Euangeliſta verbum nominauit eſſe apud Deum, hunc Propheta brachium Domini nominauit. Dum brachium Domini audiamus, Dei virtutem & Dei ſapientiam Chriſtum agnoſcamus, per quē facta ſunt omnia. *Omnia enim in ſapientia feciſti.* dicit Pſalmiſta. Non eſt enim ipſe qui pater, ſed vnū ſunt ipſe & pater, & æqualis patri, vbique totus. Hîc quæſtio difficilis oritur, quid feciſſent Iudæi mali, vel quæ culpa illorum eſſet vt non crederent? Si neceſſe erat, vt ſermo Eſaiæ Prophetæ impleretur quem dixit: *Domine quis credidit auditu noſtro? & brachium Domini cui reuelatum eſt?* Cui quæſtioni reſpondemus, Dominum præſcium futurorum, per Prophetā dixiſſe, infidelitatem Iudæorum prædixiſſe, tamen non feciſſe. Non enim propterea quenquam Deus ad peccandum cogit, quia futura hominum peccata iam nouit. Ipſorum enim præſciuit peccata, non ſua, non cuiuſque alterius, ſed ipſorum. Quapropter ſi ea quæ ille præſciuit, ipſorum non ſunt, ipſorum non vera præſciuit. Sed quia illius præſcientia falli non poteſt, ſine dubio non alius, ſed ipſi peccant, quos Deus peccatores eſſe præſciuit. Fecerunt ergo peccatum Iudæi, quod eos facere non compulit, cui peccatum non placet: ſed facturos eſſe prædixit, quem nihil latet. Sed ea quæ ſequuntur Euangelij verba plus vrgent, & profundiorem quæſtionem faciunt. Dicitur enim hic quaſi cauſa ſit Deus incredulitatis illorum, qui illorum oculos excæcauit & cor indurauit. Hoc omnino de Deo dicitur, non de Diabolo. Sed cauſa quærenda eſt, cur Propheta dixiſſet hoc Deum feciſſe: quam eo donante quantū poterimus

Pſalm. 103.

A exponemus. Non poterant credere, quia hoc Propheta prædixit, quia Deus hoc futurum eſſe præſciuit. Quare autē non poterant? ſi à me quæratur, cito reſpondeo, quia nolebant. Malam quippe eorum voluntatem præuidit Deus, & per Prophetam prænunciauit ille, cui abſcondi futura non poſſunt: & hanc excæcationem vel indurationem malam eorum meruiſſe voluntatem. Sic enim excæcat, ſic obdurat Deus deſerendo & non adiuuando, quod occulto nobis iudicio facit, ſed nunquam iniuſto. Cùm ergo Apoſtolus hanc ipſam difficillimam quæſtionem tractaret, ait: *Nunquid iniquitas eſt apud Deum?* Abſit. Si ergo abſit vt ſit iniquitas apud Deum, ſiue quando adiuuat, miſericorditer facit: ſiue quando non adiuuat, iuſtè facit; quia omnia nō temeritate, ſed iuſto iudicio facit. Porrò ſi iudicia Sanctorum iuſta ſunt, quanto magis ſanctificantis & iuſtificantis Dei? Iuſta ergo ſunt, ſed occulta. Ideò cùm quæſtiones huiuſmodi in medium venerint, quare alius ſic & alius ſic iudicetur, quare ille Deo deſerente excæcetur, ille Deo adiuuante inluminetur, non nobis iudicium de iudicio tanti iudicis vſurpemus, ſed cōtremiſcentes exclamemus cum Apoſtolo: *O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei! quam inſcrutabilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ ipſius!* De talibus verò quęſtionib. vel iudiciis Dei, admonētem audiamus ſcripturā atque dicentem: *Altiora te ne quæſieris, & fortiora te ne perſcrutatus fueris.* Perueniamus ergo in viam fidei, hanc perſeuerantiſſimè teneamus. Ipſa perducit ad cubiculum regis, in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ abſconditi. Non enim Dominus ipſe Ieſus Chriſtus ſuis illis magnis & præcipuè electis diſcipulis inuidebat, quando dicebat: *Multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis illa portare modo.* Ambulandum eſt, proficiendum eſt, creſcendum eſt, vt ſint corda noſtra capacia earum rerum, quas capere modo non poſſumus. Quòd ſi nos vltimus dies proficientes inuenerit, ibi diſcemus quod hîc non potuimus. Non itaque mirum eſt, quia non poterant credere, quorum voluntas ſic ſuperba erat; vt ignorantes Dei iuſtitiam & ſuam volentes conſtituere, ſicut de illis dicit Apoſtolus, iuſtitiæ Dei non eſſent ſubiecti. Quia enim non ex fide, ſed tanquam ex operibus tumuerūt: ipſo ſuo tumore cęcati, offenderūt in lapidem offenſionis. Sic autem dictū eſt, non poterant credere: ſubintelligendum eſt quòd nolebāt. Quemadmodū dictū eſt de Domino Deo, quòd illos ſaluos fieri voluit,

B Rom. 9.
C Rom. 11.
Eccleſ. 3.
D
E

ſed illi noluerunt. Sed ſi non credimus, ille fidelis permanet, negare ſeipſum non poteſt; Sicut laus eſt voluntatis diuinæ, ita quod illi non poterant credere, culpa eſt voluntatis humanæ. Hoc de Iudæis, qui excæcati & indurati ſunt, Deus præſciuit, atque in eius ſpiritu Propheta prædixit: quod vero addidit: *& conuertantur & ſanem eos*, vtrum ſubaudiendum ſit, id eſt, non conuertantur, connexa deſuper ſententia vbi dictum eſt, *Vt non videant oculis, & intelligant corde*: quia & hic vtique dictum eſt, vt non intellegant. Et ipſa enim con- Pſalm. 79. uerſio de illius gratia eſt, cui dicitur: *Deus virtutum conuerte nos*. An forte & hoc de ſupernæ medicinæ miſericordia factũ intellegendum eſt, quoniam peruerſæ & ſuperbæ voluntatis erant, & iuſtitiam ſuam con- Rom. 10. ſtituere volebant, & ob hoc deſererentur vt cæcarentur: ad hoc excæcarentur, vt offenderent in lapidem offenſionis, & im- Pſalm. 82. plerentur facies eorum ignominia: ita humiliati quærerẽt nomen Domini, & non ſuam iuſtitiam, qua inflatur ſuperbus: ſed iuſtitiam Dei, qua iuſtificatur impius. Hoc enim multis eorum profecit in bonum, qui de ſuo ſcelere compuncti, in Chriſtum poſtea crediderũt, pro quibus & ipſe orauerat, dicens: *Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt.* Sequitur:

Veruntamen & ex principibus multi crediderunt in eum. Sed propter Phariſæos non confitebantur, vt de Synagoga non eiicerentur. Dilexerunt enim gloriam hominum magis quàm gloriam Dei.] Videte quemadmodum notauerit Euangeliſta & improbauerit, quos tamen in eum dixit crediſſe, qui in hoc ingreſſu fidei ſi proficerent, amorem quoque humanæ gloriæ proficiẽdo ſuperarent, quem ſuperauerat Apoſtolus dicens: Galat. 7. *Mihi autem abſit gloriari niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti, per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo.* Ad hoc enim & ipſe Dominus crucem ſuam, vbi eum dementia ſuperbæ impietatis irriſit, in eorum qui in illum crederent frontibus fixit. Vbi eſt quodammodo ſedes verecundiæ, vt de nomine eius fides non erubeſcat, & magis Dei gloriam quam hominum diligant. Loquente Domino Ieſu Chriſto apud Iudæos, & tanta miraculorum ſigna faciente, quidam crediderunt, prædeſtinati in vitam æternam, quos etiam vocauit oues ſuas. Quidã vero non crediderunt, nec poterant credere, eo quod occulto nec tamen iniuſto iudicio Dei fuerant excæcati. Alij verò palàm credentes, & cum ramis palmarum occurrentes. Alij verò occultè credentes, ſed propter Phariſæos non cõfitentes, quos Euangeliſta notauit cum dixit, *Dilexerunt gloriam hominũ magis quam gloriã Dei.* Gloria Dei eſt publicè confiteri Chriſtum, ſicut Martyres ſancti fecerunt. De quibus alio in loco ipſe Dominus ait: *Qui me confeſſus fuerit corã hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo.* Matth. 10. Qui confitetur Chriſtum in confeſſione laudis, cõfitebitur, id eſt, laudabitur à Chriſto, coram Deo Patre. His ita ſe habẽtibus, & ſua iam propinquante paſſione:

Ieſus clamauit & dixit: Qui credit in me, non credit in me, ſed in eum qui miſit me. Et qui videt me, videt eum qui miſit me.] Iam dixerat quodam loco: *Mea doctrina nõ eſt mea, ſed eius qui me miſit.* Vbi intelleximus, eum doctrinam ſuam dixiſſe verbum patris quod eſt ipſe, & hoc ſignificaſſe dicendo: *Doctrina mea non eſt mea, ſed eius qui me miſit*: quòd à ſeipſo ipſe non eſſet, ſed haberet à quo eſſet. Deus enim de Deo filius patris, pater autem non Deus de Deo, ſed Deus pater filij. Nunc autem quod ait: *Qui credit in me, non credit in me, ſed in eum qui miſit me*, quomodo intellecturi ſumus, niſi quia homo apparebat hominibus, cùm lateret Deus? & ne putarent hoc eum eſſe tantummodo, quod videbant, talem ac tantũ ſe volens credi, qualis & quantus eſt pater. *Qui credit in me*, inquit, *non credit in me*, id eſt, quod videt, *ſed in eum qui miſit me*, id eſt, in patrem. Sed qui credit in patrem, neceſſe eſt, vt eum credat filium habere. Et dum eum patrem credit æternum, credat & filium habere coæternũ ſibi, & conſubſtantialem ſibi. Propterea dixit: *Qui credit in me, non credit in me*: nolens vt totum quod de Chriſto creditur, ſecũdum hominem crederetur. Ille bene credit in me, qui ſecundum id quod videt me, non tantum credit in me, ſed ſecundũ id quod videt me æqualem eſſe patri: ac ne putaretur ſic voluiſſe intelligi patrem, tanquã patrem multorum filiorum per gratiã regeneratorum, non vnici Verbi æqualis ſibi, continuò ſubiecit: *Et qui videt me, videt eum qui miſit me.* Vſque adeo enim nihil diſtat inter eum & me, vt qui me videt, videat eum qui miſit me. Hæc viſio, intellectualis, non carnalis debet intellegi, quæ modo in laude eſt Sanctorum, poſt reſurrectionis vltimæ diem in ſpecie æternæ beatitudinis erit, de qua alibi ait: *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.* Attẽdamus cætera.

Ego lux in mundum veni, vt omnis qui credit in me, in tenebris non maneat.] Dixit quodã loco Matth. 5. diſcipulis ſuis: *Vos eſtis lumẽ mundi, non poteſt abſcondi ciuitas ſuper montem conſtituta. Neque accendunt lucernam & ponunt eam ſub modio,*

ſed ſuper candelabrum, vt luceat omnibus qui in A *domo ſunt. Sic luceat lumen veſtrum coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent patrem veſtrum qui in cœlis eſt.* Non tamen dixit: Vos lux veniſtis in mundum vt omnis qui credit in vos, in tenebris non maneat. Nuſquam hoc legi poſſe confirmo. Lumina ergo ſunt omnes ſancti, ſed credendo illuminantur ab eo, à quo ſi quis receſſerit, tenebrabitur. Lumen autem illud quod inluminat, à ſe recedere non poteſt, quia incōmutabile omninò eſt. Cùm autem dicit: *Omnis qui credit in me, in tenebris non manet*: ſatis manifeſtat omnes, ſe in B tenebris inueniſſe, ſed ne in eis tenebris remaneat, in quibus inuenti ſunt, debent credere in lucem quæ venit in hunc mundum, quia per illam factus eſt mundus.

Et ſi quis audierit, inquit, *verba mea, & non cuſtodierit ea, ego non iudico eum.*] Audite quomodo dicit filius, *Ego non iudico eum*? cùm dicit alio loco: *Pater non iudicat quemquam, ſed omne iudicium dedit filio*, niſi quia intelligendum eſt quod ſequitur:

Non enim veni, inquit, *vt iudicem mundum, ſed vt ſaluificem mundum.*] Nunc ergo tem- C
Pſalm 100. pus eſt miſericordię, poſt erit iudicij. Quia *miſericordiam,* inquit, *& iudicium cantabo tibi Domine.* Sed de ipſo etiam futuro nouiſſimo iudicio videte quid dicat.

Qui ſpernit me, & non accipit verba mea, habet qui iudicet eum. Sermo quem locutus ſum, ille iudicabit eum in nouiſſimo die.] Nō ait, Qui ſpernit me, & non accipit verba mea, ego eum non iudico in nouiſſimo die. Venit enim filius Dei ad ſaluandum, non ad iudicandum. Ideò dixit, non iudico eum, id eſt, modo, in præſenti, ſed iudico eum in nouiſſimo die. Cum enim dixiſſet: *Qui ſpernit me, & non accipit verba mea, habet qui iudicet eum.* Expectantibus autem quiſnam ille eſſet, ſecutus adiunxit: *Sermo quem locutus ſum, ille iudicabit eum in nouiſſimo die:* ſatis manifeſtauit ſeipſum iudicaturum in nouiſſimo die. Seipſum quippe locutus eſt, ſeipſum adnunciauit, ſeipſum ianuam poſuit, qua ipſe ad oues paſtor intraret. Aliter itaque iudicabuntur qui non audierunt, & aliter qui audierunt & contem- E
Rom. 2. pſerunt. *Qui enim ſine lege peccauerunt,* ait Apoſtolus, *ſine lege peribunt. Et qui in lege peccauerunt per legem iudicabuntur.*

Quia ego, inquit, *ex me non ſum locutus.*] Ideo ſe dicit non locutum ex ſeipſo, quia non eſt ex ſe ipſo. Iam hoc ſæpè diximus, quòd filius à ſe non eſt, ſed à patre, ideo adiunxit:

Sed qui miſit me pater, ipſe mihi mandatum A *dedit, quid dicam & quid loquar.*] Non enim locorum ſpacio, non ſyllabarum expreſſione, non vocali ſono pater filio loquitur, vt filius mandatum patris audiat: ſicut filius hominis ab homine audire ſolet, quid pater mandet illi. Sed vnicus filius eſt, Verbum patris & Sapientia patris. In illo ſunt omnia mandata patris. Neque enim mandatum patris aliquando filius neſciuit, vt eum neceſſe eſſet ex tempore habere quod accepit, vt naſcendo acciperet, dederitque illi pater gignendo quod non haberet: ſed eum genuit vitam habentem, ſicut ſuperius ait: *Sicut pater habet vitam, ſic dedit & filio vitam habere in ſemetipſo,* id eſt, genuit filium, vitam habentem in ſemetipſo. Sic dicit hic, *Sicut mandatum dedit mihi pater.* Et quia æterna ipſa natiuitas nunquam non fuit filius qui eſt vita, & ſicut eſt vita æterna, ſic eſt qui natus eſt vita æterna. Ita & mandatum non quod filius non habeat pater dedit, ſed ſicut dixi: In ſapientia patris, quod eſt verbum patris, omnia mandata ſunt patris. Sequitur enim:

Et ſcio quia mandatum eius vita æterna eſt.] Si ergo vita æterna eſt ipſe filius, & vita æterna eſt mandatum patris, quid aliud dictum eſt, quàm ego ſum mandatum patris? Proinde & id quod adiungit & dicit:

Quæ ego loquor, ſicut dixit mihi pater ſic loquor.] Non accipiamus, *dixit mihi*, quaſi per verba locutus ſit vnico verbo, aut egebat Deus verbis Dei. Verbum dixit ergo D pater filio, ſicut dedit vitam filio, nō quod neſciebat vel non habebat, ſed quod ipſe filius erat. Quid eſt autem: *Sicut dixit mihi ſic loquor*, niſi verbum loquor? Ita ille dixit vt verax, ita iſte loquitur vt Veritas. Verax autem genuit Veritatem. Quid ergo iam diceret Veritati? non enim imperfecta erat veritas, cui verum aliquid adderetur. Dixit ergo veritati, quia genuit veritatē. Porro ipſa veritas ſic loquitur, vt ei dictum eſt: ſed intelligētibus, quos docet vt nacta eſt. Vt autem crederent homines quod intellegere nondum valerēt, ex ore carnis verba ſonuerunt, & abierunt tranſuolantibus ſonis: ſtrepuerunt peractis morulis temporum ſuorum, ſed res ipſæ quarum ſigna ſunt ſoni, tractæ quodammodo in eorum memoriam qui audierunt, & iam ad nos per literas quæ viſibilia ſigna ſunt peruenerunt. Non ſic loquitur veritas, intelligentibus mentibus intus loquitur, ſine ſono inſtruit, intelligibili voce perfundit. Qui ergo poteſt in ea videre natiuitatis eius ęter-

nitatē, ipſe illā ſic audit loquentem, ſicut ei dixit pater quod loqueretur. Excitauit nos ad magnum deſiderium interioris dulcedinis ſuæ, ſed creſcendo capiamus, ambulando creſcamus, proficiendo ambulemus, vt peruenire poſſimus per ſeipſum ad ſeipſum, ſeipſo docente nos & promittente nobis: *Ego ſum via, & veritas, & vita.* Via quærentibus, veritas inuenientibus, vita permanentibus.

CHARISSIMÆ IN CHRISTO SORORI GISLÆ, ET filiæ Deo votæ Columbæ, humilis Leuita Alcuinus ſalutem.

AD ſolatium ſanctitatis veſtræ hunc Libellum direxi, comatico ſermone dictatum, vt eum habeatis his diebus, ad exercendam in eo veſtram ſanctam deuotionem: quia optimum eſt, in tali ſtudio hos ſanctiſſimos peragere dies, & maximè in beati Ioannis Euangeliſtæ Euangelio, in quo ſunt altiora myſteria diuinitatis, illius quoque Euangelij ſanctiſſima verba Domini noſtri Ieſu Chriſti, quæ locuta eſt ea nocte qua tradi voluit pro mundi ſalute. Totius forſitan Euangelij Expoſitionem direxi vobis, ſi me non occupaſſet Domini regis pręceptum in emendatione veteris nouique Teſtamenti. Tamen Deo auxiliante & vita comite, cœptum opus ſecundum opportunitatem temporis expleuero, veſtroque nomini conſummatum dedicauero. Nunc vero in pręſenti deprecor, vt noſtri nominis habeatis memoriam, in ſanctiſacris orationibus veſtris, & hoc tempus ſanctiſſimum in ſeruitio ſanctitatis, & religione caſtiſſimæ vitę, & in lectionis ſtudio proſperè peragatis, quatenus ad ſanctum Paſcha peruenientes, condignis laudibus Reſurrectionem Domini noſtri celebrare valeatis. Opto vos ſemper valere, & in omni pietatis exercitio florere, chariſſimę Dominæ.

LIBER VI.

CAP. XXXII.

Surgens à Cœna lauit pedes diſcipulorum, exemplum ſe dediſſe dicens vt ipſi conſeruis faciant, quod omnium Dominum feciſſe probantur.

ANte diem autem feſtum Paſchæ, ſciens Ieſus quia venit hora eius, vt tranſeat ex hoc mūdo ad patrem.] Paſcha, fratres, non ſicut quidam exiſtimant Græcum nomen eſt, ſed Hebræum. Paſcha tranſitus dicitur in ſua lingua, propterea, quia tunc primum Paſcha celebrauit populus Dei, quando ex Ægypto fugientes rubrum mare tranſierunt. Quæ figura in Chriſto ſecundum veritatem impleta eſt, dum per paſſionem crucis tranſiret ex hoc mundo ad patrem. Ita nobis tranſeundum eſt ab hoc mundo ad patrem, à temporalibus ad æterna, ab iniquitate ad iuſtitiam, à deceptore Diabolo ad ſaluatorem Chriſtum.

Cum dilexiſſet ſuos qui erant in mundo, vſque in finem dilexit eos.] Vtique vt & ipſi de hoc mūdo vbi erant, ad ſuum caput, quod hinc B tranſiſſet, eius dilectione tranſiſſent: *in finem*, id eſt, in æternum, *dilexit eos*. Vel *in finem*, in Chriſtum, quia finis legis Chriſtus eſt.

Et cœna iam facta.] Non ita debemus intellegere cœnam factam, veluti iam conſumptam atque tranſactam. Adhuc enim cœnabatur cum Dominus ſurrexit, & pedes lauit diſcipulis ſuis. Nam poſtea recubuit, & buccellam ſuo traditori dedit. Cœna ergo facta dictum eſt, iam parata, conuiuantibus diſcipulis cum magiſtro.

Cum Diabolus iam miſiſſet in cor, vt traderet eum Iudas Simon Scariothis.] Si quæris quid C miſſum ſit in cor Iudæ? hoc vtique vt traderet eum. Miſſio iſta ſpiritalis ſuggeſtio eſt, non in aures corporalibus ſonis, ſed in cor, conſentientis iniqua. Sicut enim bonas cogitationes benignus ſpiritus immittit, ſic etiam malas cogitationes malignus ſpiritus ſuggerit. Sed intereſt quibuſnam eorum mens humana conſentiat, diuino auxilio vel deſerta per meritum, vel adiuta per gratiam. Sine fine proditor iſte venit ad conuiuium, non credens Deum eſſe quē tradere cogitabat. Videbatur, & tolerabatur. In eo quem falli putabat, fallebatur, cu-

ius malitia bonitas Dei vtebatur ad ſalutem aliorum.

Sciens quia omnia dedit ei pater in manus.] Ergo & ipſum traditorem. Nam ſi eum in manibus non haberet, non vtique illo vteretur vt vellet. Sciebat enim Dominus quid faceret pro amicis, qui patienter vtebatur inimicis.

Sciens etiam quia à Deo exiuit, & ad Deum vadit.] Nec Deum cùm inde exiret, nec nos deſerens cùm rediret.

Surgit a cœna, & ponit veſtimenta ſua.] Locuturus Euangeliſta de tanta Domini humilitate, priùs eius celſitudinem voluit cõmendare. Ad hoc pertinet quod ait: *Sciens quia omnia dedit ei pater in manus.* Cùm ergo ei omnia dediſſet pater in manus, nõ Dei Domini, ſed hominis ſerui, impleuit officium. Tanta eſt quippe humanæ humilitatis vtilitas, vt eam ſuo commendaret exemplo, etiam diuina ſublimitas. Surgit à cœna, deſcendit de cæleſtibus, poſuit veſtimenta ſua, id eſt, ſemetipſum exinaniuit.

Cum accepiſſet linteum præcinxit ſe.] Formã ſerui induens.

Mittit aquam in peluem.] Id eſt, fudit ſanguinem ſuum in terram, vt mundaret in ſe credentium veſtigia, quæ terrenis peccatis ſordida fuerant, & extergeret linteo quo erat præcinctus, id eſt, corporis ſui linteo quo erat præcinctus purgaret, quia tota illa eius paſsio, noſtra eſt purgatio. Dum formam ſerui accepit, non quod habebat dimiſit, ſed quod non habebat aſſumpſit.

Venit ergo ad Simonem Petrum.] Non ita intellegendum eſt, quaſi aliorum pedibus lauatis, veniſſet ad primum Apoſtolorum: ſed quia inde primum cœpit. Ideo expaueſcit Petrus, vt Dei filius pedes ei lauaret, Dominus ſeruo, Deus homini. Quando ergo pedes diſcipulorum lauare cœpit, venit ad eum à quo cœpit, id eſt, ad Petrum. Et tunc Petrus quod etiam quilibet eorum expauiſſet, expauit atque ait.

Domine tu mihi lauas pedes?] Tu Deus, ego homo: tu Dominus, ego ſeruus: tu redemptor, ego peccator.

Quod ego facio, tu neſcis modo: ſcies autem poſtea.] Huius facti myſterium nec dum intellegis, ſed poſtea intellecturus eris: quia ſi te non lauero, non habebis partem mecum.

Dixit autem Petrus: Non lauabis mihi pedes in æternum.] Æternum, pro numquam poſuit, ſed territus reſponſione Domini ſubiunxit.

Domine non tantum pedes, ſed & caput & manus.] Quandoquidem ſic minaris, lauanda tibi mea membra, non ſolum ima non ſubtraho, verumetiam prima ſubſterno. Non mihi neges capiendam tecum partem, nullam tibi nego abluendam mei corporis partem. Reſpondit Ieſus:

Qui lotus eſt, non habet opus, niſi pedes lauare: ſed eſt mundus totus.] Quomodo vtrumque, & mundus totus, tamen & pedes ei lauandi ſunt? niſi quia mundus totus eſt in lauacro ſancti baptiſmatis, iterum puluere terrenæ habitationis ſordidatur: Vnde & neceſſe habet iterum lauari per gratiam diuinæ pietatis, licèt prius eadem gratia eſſet totus mundatus, Apoſtolo Ioanne atteſtãte. Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipſos decipimus, & veritas in nobis non eſt. Cottidie igitur pedes lauat nobis, qui interpellat pro nobis: & cottidie nos opus habere vt pedes lauemus, in ipſa oratione Dominica confitemur cùm dicimus: *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.*

Et vos mundi eſtis, ſed non omnes.] Quod Euangeliſta ſequentibus verbis expoſuit, ideo tranſeamus ad cætera.

Poſtquam ergo lauit pedes eorum.] Id eſt, impleta redemptionis noſtræ purgatione per ſanguinis ſui effuſionem.

Accepit veſtimenta ſua.] Tertio die de ſepulchro reſurgens, & eodem corpore quo moriebatur in cruce, immortalis factus eſt & veſtitus. Et cùm recubuiſſet iterum, aſcendit in cælum in dexteram Dei ſedens, & in maieſtate paternæ diuinitatis recumbens, vnde iterum venturus eſt, iudicare viuos & mortuos. Sequitur enim:

Dixit eis: Scitis quid fecerim vobis?] Hoc enim ait, quod ante præmiſerat, dum Petro Apoſtolo reſpondit, *Quod ego facio neſcis modo, ſcies autem poſtea.* Nũc eſt illud poſt, quod ante promiſit.

Vos vocatis me, Domine & magiſter, & bene dicitis.] Vtique, quia verum dicitis.

Sum etenim.] Non arrogantiæ typo, ſed veritatis obſequio dixit, *ego ſum.*

Si ergo ego laui veſtros pedes, Dominus & magiſter, & vos debetis alter alterius lauare pedes.] Si ego Deus & Dominus dimiſi vobis peccata veſtra, quanto magis & vos debetis alter alterius peccata dimittere? Et hoc eſt quod Apoſtolus ait: *Donantes vobiſmetipſis, ſi quis aduerſus aliquem habet culpam.* Sicu & Dominus donauit nobis, ita & nos in inuicem itaque nobis delicta donemus, & pro noſtris delictis in inuicem oremus. Atque ita quodammodo in inuicem pedes noſtros lauamus. Licet & hoc corporaliter charitatis officio & humilitatis exempl

aliquibus vtiliter facere placeat, tamen ſpiritaliter in corde omnibus agendum eſt, vt debita noſtra in inuicem dimittamus nobis, ſicut à Deo noſtro nobis debita dimitti deprecamur. Sequitur enim.

CAP. XXXIII.

Non eſſe ſeruum maiorem Domino dicens, poſt teſtimonium Scripturæ à Iuda ſe tradendum intincti panis porrectione ſignificat; & diſcipulos multipliciter exhortatur.

A*Men amen dico vobis: Non eſt ſeruus maior Domino ſuo, neque Apoſtolus maior eo qui miſit illum. Si hæc ſcitis, beati eritis ſi feceritis ea.*] Hoc ideo dixit, quia lauerat pedes diſcipulorum, magiſter humilitatis & verbo & exemplo: vt verbo & exemplo eos inſtrueret in charitatis officio.

Non de vobis omnibus dico.] Id eſt, non vos omnes beatos dico.

Ego ſcio quos elegerim.] Ad hanc beatitudinem, vt meorum ſint ſequaces præceptorum.

Sed vt impleatur ſcriptura: Qui manducat panem mecum, leuabit contra me calcaneum ſuum.] Id eſt, calcabit me. Manducat panē, non ad ſalutē ſibi, ſed ad pœnam: quia manducauit vt iteret proditor, non vt proficeret amator. Quid eſt quod alio loco dicit, *Nonne ego vos duodecim elegi, & vnus ex vobis Diabolus es?* & hic dicit: *Ego ſcio quos elegerim?* Electus eſt ille Iudas, non ad beatitudinem, ſed ad proditionis perfidiam: ob ſalutem mundi, non ſuam, quia dictum eſt de eo: Melius eſſet homini illi, ſi non fuiſſet natus. Iſti verò, de quibus modo dicitur: *Ego ſcio quos elegerim*, ad beatitudinem æternæ gloriæ electi ſunt.

Amodo, inquit, *dico vobis priuſquam fiat, vt credatis cùm factum fuerit, quia ego ſum.*] Id eſt, ſum de quo illa ſcriptura præceſſit vbi dictum eſt: *Qui manducat mecum panem, leuabit ſuper me calcaneum.*

Qui accipit ſi quem miſero, me accipit: qui autē me accipit, accipit eum qui me miſit.] Cùm hæc dicebat, non vnitatē naturæ diuiſit, ſed mittentis autoritatem oſtēdit. Sic vtique vnuſquiſque eum qui eſt miſſus accipiat, vt in illo eum qui miſit adtendat. Si ergo adtendas Chriſtum in Petro, inuenies diſcipuli præceptorem. Si autem adtendas patrem in filio, inuenies vnigeniti genitorem. Ac ſi in eo qui miſſus eſt, ſine vllo accipit errore mittentem.

Cum hæc dixiſſet Ieſus, turbatus eſt Spiritu, & proteſtatus eſt & dixit: Amen amen dico vobis, A quia vnus ex vobis tradet me.] Turbauit eum imminens paſſio & periculum proximum, & traditoris impendens manus, cuius fuerat præcognitus animus. Turbatus eſt itaque ſpiritu, tāto ſcelere traditoris. Turbata eſt in eo noſtra infirmitas, nō ſua poteſtas. Sicut pro nobis paſſus eſt, ita pro nobis turbatus eſt. Qui ergo poteſtate mortuus eſt, ne noſtra perturbatio in deſperationem cadat, ſed miſerationem proximorum, vel in pœnitentiam peccatorum noſtrorum vertatur, quia illius perturbatio noſtra eſt conſolatio. *Amen amen dico vobis, quia vnus* B *ex vobis hodie tradet me.* Vnus numero, non merito: ſpecie, non virtute: commixtione corporali, non vinculo ſpiritali: carnis adiunctione, non cordis ſocius vnitate. Quid eſt *ex vobis*, niſi, ex vobis exiturus eſt, qui tradet me.

Aſpiciebant ergo diſcipuli ad inuicem, hæſitantes de quo diceret.] Sic quippe in eis erat erga magiſtrum ſuum pia charitas, vt tamen eos humana alterutrum de altero ſimularet infirmitas. Nota fuit vnicuique ſua conſcientia, ſed alterius incognita.

C *Erat autem recumbens vnus ex diſcipulis eius in ſinu Ieſu, quem diligebat Ieſus.*] Quod dixerat in ſinu, paulò poſt dicit ſuper pectus Ieſu. Ipſe eſt Ioannes, cuius eſt hoc Euangelium, ſicut poſtea manifeſtatur. Erat enim hæc eorum conſuetudo, qui ſacras nobis literas miniſtrarunt, vt quando ab aliquo eorum diuina narrabatur hiſtoria, cùm ad ſeipſum veniret, tanquam de alio loqueretur; & ſic ſe infereret ordinationi narrationis ſuæ, tanquam rerum geſtarum ſcriptor, nō tanquam ſui ipſius prædicator. Hoc fecit D & beatus Moyſes: ita de ipſo tanquam de alio cuncta narrauit. Diligebat, nō præ omnibus vnum, ſed familiarius in omnibus vnum. Quiddam in eo dilexit, quod in aliis non dilexit, id eſt, vt per pacem tranſiret & hanc vitam. In ſinu Ieſu, id eſt, in ſecreto, de quo illud mirabile & omnibus ſæculis inauditum eructauit ſacramentum: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.*

E *Innuit autem huic Simon Petrus, & dicit ei.*] Innuendo dicit, non loquendo: ſignificando, non ſonando. Quid dicit innuendo? quod ſequitur: quis eſt de quo dicit? Hæc verba Petrus innuit, non ſono vocis, ſed motu corporis dixit.

Itaque cum recubuiſſet ille ſupra pectus Ieſu.] Hic eſt vtique pectoris ſinus, ſapientiæ ſecretum.

Dicit ei: Domine, quis eſt? Reſpondit ei Ieſus: Ille eſt cui intinctum panem porrexero. Et cùm

intinxiſſet panem, dedit Iudæ Simoni Scariothis. Poſt panem, tunc introiuit in illum Satanas.] Expreſſus eſt traditor, nudatæ ſunt latebræ tenebrarum, bonum eſt quod accepit, ſed malo ſuo accepit, quia malè bonum, malus accepit. Hinc enim docetur, quàm diligenter nobis cauendum ſit, ſic malè accipere bonum. Multum quippe intereſt, non quid accipiat, ſed quis accipiat: nec quale ſit quod datur, ſed qualis ſit ipſe, cui datur. Intrauit ergo poſt hunc panem Satanas in Domini traditorem, vt ſibi iam traditum plenius poſſideret, in quem prius intrauerat vt deciperet. Auxit enim peccatum traditionis præſumptio ſacramenti, cùm hominis ingrati intraſſet panis in ventrem, hoſtis in mentem: fortaſſis per panis intinctionem, illius ſignificans fictionem, qui fictus ad cœnam venit amicus, & falſus ad magiſtrum diſcipulus.

Quod facis, fac citius.] Non præcepti facinus, ſed prædixit Iudæ malum, nobis bonũ. Quid enim Iudæ peius? & quid nobis melius, quam traditus Chriſtus ab illo? citius †, hoc eſt, plus parati ad paſſionem, quàm irati ad vindictam. Non enim tam ad perniciem perfidi ſæuiendo dixit, quàm ad ſalutem fidelium feſtinando, *quod facis fac citius.* Non quia in tua poteſtate eſt quem tradas, ſed quia hoc vult, qui omnia poteſt.

†al. vtilis.

Hoc autem nemo ſciuit diſcumbentium ad quid dixerit ei. Quidã enim putabãt quia loculos habebat Iudas, quia dixiſſet ei Ieſus, Eme ea quæ opus ſunt nobis ad diem feſtum, aut vt egenis aliquid daret.] Habebat ergo & Dominus loculos, & à fidelibus oblata conſeruans, & ſuorum neceſſitatibus & aliis indigentibus tribuebat. Tunc primum Eccleſiaſticæ pecuniæ forma eſt inſtituta, vbi intellegeremus, quod præcepit, non cogitandum eſſe de craſtino, non ad hoc fuiſſe præceptum, vt nihil pecuniæ ſeruaretur à ſanctis, ſed ne Deo pro iſta ſeruiatur, & propter inopiæ timorem iuſtitia deſeratur.

Matth. 6.

Cùm autem accepiſſet ille buccellam, exiit continuo, erat autem nox.] Erat autem ipſe nox, qui exiit, & filius tenebrarum, & opera faciens tenebrarum. Exiuit ergo ad ſuæ perditionis miniſterium, & ad noſtræ ſalutis conſideratione͂, ſed ſuæ negationis intentione. Hinc impletur quod Pſalmiſta ait: *Dies diei eructat Verbum*, id eſt, Chriſtus diſcipulis promebat Verbum ſalutis. *Et nox nocti indicat ſcientiam*, id eſt, Iudas Iudæis proditoris malitiam oſtendit. Nunc maiore intentione verba Domini conſideranda ſunt, quæ ipſa nocte ante traditionem coram diſcipulis ſingulariter loquebatur. Profundiſ-

Pſal. 18.

A ſima ſunt in myſteriis. Ideo vbi multum laboraturus eſt diſputator, non remiſſus eſſe debet auditor. Altiùs conſideranda ſunt Altiſsimi dicta, qui occultat vt quæramus, & manifeſtat vt inueniamus. Ipſe eſt, qui claudit, & aperit: claudit vt quæramus, aperit vt inueniamus, vt inquiſitor fructum accipiat ſudoris ſui, & largitor laudem & gratias bonitatis ſuæ habeat.

Dixit Ieſus: Nunc clarificatus eſt filius hominis, & Deus clarificatus eſt in eo.] Hic aliquid magnum ſignificat in hac clarificatione. Exiuit Iudas, & clarificatus eſt Ieſus. Exiit
B filius perditionis, & clarificatus eſt filius hominis. Exeunte itaque immundo omnes mundi remanſerunt, & cum ſuo mundatore manſerunt. Tale aliquid erit, cum victus à Chriſto tranſiet hic mundus, & nemo in populo Chriſti remanebit immundus: cum zizaniis à tritico ſeparatis iuſti fulgebunt ſicut ſol in regno Patris ſui. De hac clarificatione futura Sanctorum locuturus, verbo præteriti temporis eſt vſus; quia quod futurum in Sanctis eſt, hoc in prædeſtinatione
C Dei factum eſſe dicitur. *Nunc clarificatus eſt filius hominis.* Tamquam diceret: Ecce in illa mea clarificatione quid erit, vbi malorum nullus erit. Hîc autem non eſt dictum, Nunc ſignificata eſt clarificatio filij hominis. Sed dictum eſt, *Nunc clarificatus eſt filius hominis.* Quemadmodum non eſt dictum, Petra ſignificabat Chriſtum, ſed, *Petra erat Chriſtus.* Cùm autem dixiſſet, *Nunc clarificatus eſt filius hominis*, adiunxit: *Et Deus clarificatus eſt in eo.* Ipſa enim eſt clarificatio filij hominis, vt Deus clarificetur in eo. Non
D enim ipſe in ſeipſo, ſed Deus in illo clarificatur. Tunc illum Deus in ſe clarificat. Denique tamquam iſta exponens, adiungit & dicit. *Si Deus clarificatus eſt in eo, & Deus clarificauit eum in ſemetipſo.* Hoc eſt, ſi Deus clarificatus eſt in eo qui non venit facere voluntatem ſuam, ſed voluntatem eius, qui miſit eum.

Et Deus clarificauit eum in ſemetipſo.] Vt natura humana, in qua eſt filius hominis, quæ
E à verbo æterno ſuſcepta eſt, etiam immortali æternitate donetur.

Et continuo, inquit, clarificauit eum.] Reſurrectione ſcilicet ſua, non ſicut noſtra in fine ſæculi, ſed continuo futurum, hac adteſtatione prædicens.

Filioli, adhuc modicum vobiſcum ſum.] Cum autem prædixit de clarificatione futuri regni ſui, & de clarificatione reſurrectionis ſuæ quæ mox futura erat, ne putarent ergo quod ſic eum clarificaturus eſſet Deus, vt non eis coniungeretur vlterius ea conuer-

ſatione qua in terra erat cum eis. *Adhuc*, inquit, *modicum vobiſcum ſum*, tamquam diceret: Continuo quidem reſurrectione clarificabor. Non tamen continuo aſcenſurus in cælum, ſed adhuc modicum vobiſcum ſum: ſignificans quadraginta dies quibus erat cum diſcipulis, tẽporibus opportunis apparens illis. Poteſt tamen intellegi, quod paruum tempus illius tantummodo noctis, vſque ad paſſionis horam, cum diſcipulis ſe eſſe. Eſt & alia diuina præſentia, ſenſibus ignota mortalibus, de qua item dicit: *Ecce ego vobiſcum ſum, vſque ad conſummationem ſæculi*. Hoc certè non eſt, *adhuc modicum vobiſcum ſum*, ſed eſt modicum vobiſcum, vel ante paſſionis horam, vel poſt reſurrectionem vſque ad aſcenſionis gloriã. Quid eſt, quod poſt reſurrectionem alio loco dixit diſcipulis ſuis: *Hæc ſunt verba quæ locutus ſum vobis, cùm adhuc eſſem vobiſcum*; niſi cum adhuc eſſem in carne mortali, in qua eſtis & vos? Tunc enim cùm hæc diceret, in eadem carne ſuſcitata erat, ſed cum illis in eadem mortalitate iam non erat.

Quæritis me, & ſicut dixi Iudæis, quò ego vado vos non poteſtis venire, & dico vobis modo.] Hoc eſt, modo non poteſtis. Iudæis autem cùm hæc diceret, non addidit modo. Iſti itaque non poterant venire tunc, quò ille ibat, ſed poterant poſtea. Ideoque docens eos quomodo idonei eſſe poſſent pergere, quo ille antecedebat.

Mandatum, inquit, *nouum do vobis, vt diligatis inuicem.*] Hi ſunt greſſus, quibus ſequẽdus eſt Chriſtus, hoc mandatum charitatis. Innouat quippe audiẽtem, vel potius obediẽtem, non omnes, ſed iſta dilectio, quam Dominus vt à carnali dilectione diſtingueret, addidit.

Sicut dilexi vos.] Dilectio iſta non innouat, vt ſimus homines noui, ſed hæredes teſtamenti noui. Hæc dilectio, populum nouum colligit Chriſto. Hæc & antiquos patres innouabat, vt eſſent in Chriſtum credentes, qui venturus erat redimere eos. Audiant enim atque cuſtodiant: *Mandatum nouum do vobis, vt vos in inuicem diligatis*. Omnes, qui volunt fratres eſſe vnici filij Dei, qui ſeipſum in hac dilectione tradidit pro nobis. Nam & in hoc mandato illud mandatum eſt quod prius ponitur: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & tota mente tua:* ſed bene intellegentibus, vtrumque inuenitur in ſingulis. Nam & qui diligit Deum, non eum poteſt cohibere præcipiẽtem, vt non diligat proximum: & qui ſancte atque ſpiritaliter diligit proximum, quid in eo diligit niſi Dominum? ipſe eſt dilectio, ab omni mundana dilectione diſcreta, qua diſtinguendo addidit Dominus: *ſicut dilexi vos*. Cùm Dominus Ieſus ſanctam dilectionem qua ſe in inuicem diligerent, diſcipulis commendaret.

Dicit ei Simon Petrus: Domine quò vadis?] Sic vtique hoc dixit magiſtro diſcipulus, & Domino ſeruus, tamquam ſequi paratus. Propterea quippe Dominus, qui eius animum vidit, quare hoc interrogauerit, ſic ei reſpondit.

Quo ego vado, non potes me modo ſequi.] Tãquam diceret, Propter quod interrogas non potes modo. Non ait, non potes; ſed *non potes modo*, dilationem intulit, non ſpem tulit, & eandem ſpem quam non tulit, ſed potius dedit, ſequenti voce firmauit, addendo atque dicendo.

Sequeris autem poſtea. Reſpondit Petrus; Quare te non poſſum ſequi modo? animam meam pro te ponam.] Quid in animo eius eſſe cupiditatis videbat, quid verò non videbat? Voluntatem ſuam iactabat infirmus, ſed intendebat valetudinem medicus. Iſte promittebat, ille prænoſcebat: qui neſciebat audebat, & qui præſciebat docebat.

Reſpõdit Ieſus: Animam tuam pro me pones?] Quod promittis, modo non potes. Prius eſt anima pro te ponenda, vt poſsis poſtea animam tuam pro me ponere. Quid tantum præſumis? quid de te ſentis? quid eſſe te credis? audi quid ſis.

Amen amen dico tibi, non cantabit gallus, donec me ter neges.] Ecce quomodo cito apparebis qui magna loqueris, & te paruulum neſcis. Qui mihi promittis mortem tuam, ter negabis vitam tuam. Nam timendo mortem carnis tuæ, mortem dabis animæ tuæ. Quanta enim eſt vita confiteri Chriſtum, tanta mors eſt negare Chriſtum. Hic admonere oportet, ne quis de ſuis viribus confidat, dum ad vnius ancillæ vocem tanta titubat columna, nec de ſuis deſperare peccatis. Nam Petrus mortuus eſt negando, reuixit plorando. Mortuus, quia ſuperbè ipſe præſumpſit, reuixit autem humiliter plorando, quia benignè reſpexit eum pietas Saluatoris. Sequitur enim.

Cap. XXXIV.

Non turbetur cor veſtrum, *ait Diſcipulis*. Ego ſum via, veritas, & vita. Qui videt me, videt & Patrem. Ego in Patre, & pater in me. Quodcunque petieritis in nomine meo, hoc faciam.

Non turbetur cor veſtrum. Creditis in Deum? & in me credite.*] Ne mortem tanquam

homines timerent, & ideo turbarentur, A conſolatur etiam eos Deum ſe eſſe conteſtans. Conſequens eſt enim, vt ſi in Deum creditis, & in me credere debeatis: quod non eſſet conſequens, ſi Chriſtus non eſſet Deus.

In domo patris mei manſiones multæ ſunt.] Quia merita eorum diuerſa ſunt, ideo in domo patris manſiones multæ ſunt. Nullus eorum alienabitur ab illa domo, vbi manſionem pro ſuo quiſque accepturus eſt merito. Ideo non turbetur cor veſtrum. Nam vnus denarius omnibus in vinea laborantibus datur, B id eſt, omnibus in Eccleſia per fidem laborantibus vita datur æterna. Sed multæ manſiones, diuerſas meritorum in vna vita æterna ſignificant dignitates, eritque omnia in omnibus, quia Deus charitas eſt. Sic enim quiſque etiam ipſe habet, cum amat in altero quod ipſe non habet, quia regnat in omnibus vnitas charitatis. Sequitur.

Si quo minus dixiſſem vobis, quia vado parare vobis locum.] Si alicubi in domo patris manſiones multæ eſſent, dixiſſem vtique C vobis. Sed modo vado parare vobis locũ. Dum pro nobis mortuus eſt & reſurrexit, immo & aſcendit in cælos, hæc omnia pro nobis fecit, vt nobis pararet locum in regno patris ſui.

Et ſi abiero & præparauero vobis locum, iterum veniam ad vos.] Si abiero per carnis abſentiam, veniam per diuinitatis præſẽtiam, in qua vobiſcum ero vſque in finem. Vel etiam ſi abiero aſcendendo ad cælos, veniã iterum iudicare viuos ac mortuos. Quod Angeli adteſtati ſunt dicentes: *Hic Ieſus qui aſſumptus eſt a vobis, ſic veniet, quemadmodum* D *vidiſtis eum euntem in cælum.* Sequitur.

Et accipiam vos ad meipſum: vt vbi ſum ego, & vos ſitis.] Hoc eſt, quod in ſequentibus dixit: *Volo pater vt vbi ego ſum, & iſti ſint mecum.*

Et quò ego vado ſcitis, & viam ſcitis.] Quò vado, id eſt, ad patrem, ſcitis: & viam, qua venitur ad patrem, ſcitis.

Dicit ei Thomas: Domine neſcimus quò vadis, E *& quomodo poſſumus viam ſcire?*] Videbatur ei neſcire, quod Chriſtus conuicit eum ſcire, dum ait.

Ego ſum via, & veritas, & vita.] Quæ dixiſſet, Si me ſcitis, & viam ſcitis: & ego ſum ad quẽ itur, id eſt, veritas. Et ego ſum vita, in qua ſtatis †. Si me ſcitis & viam ſcitis, & quò ibo ſcitis, & vbi manſuri † eritis ſcitis. Qui ad patrem vadunt, per me vadunt. Et qui ad patrem veniunt, ad me veniunt, quia ego & pater vnum ſumus: & in me manẽt, quia hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te ſolum verum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum. Vnde ſecutus eſt dicens.

†al. ſtatur. †al. manſeritis.

Nemo venit ad patrem niſi per me.] Exponẽs quid ſit quod ait: *Ego ſum via,* ſtatim ſubiungens.

Si cognouiſſetis me, vtique & patrem meum cognouiſſetis.] Quia ego ſum veritas, in vero patre.

Et amodo cognoſcetis eum & vidiſtis eum.] Si me ſpiritaliter cognoſcitis, & vidiſtis quia ego & pater vnum ſumus, vnum natura, non vnus perſona.

Dicit ei Philippus.] Hoc non intellegens.

Domine oſtende nobis patrem, & ſufficit nobis.] Quaſi aliquid melius eſſet pater quàm filius, in cuius eſt viſione ſufficiens beatitudo. quam vocem diſcipuli redarguit magiſter dicens.

Tanto tempore vobiſcum ſum, & non cognouiſtis me.] Eſſe in patre, & patrem in me.

Philippe, qui videt me videt & patrem.] Qui me intellegit, vtique & patrem meum intellegit. Sed ideo magiſter diſcipulum arguebat, quoniam cor poſtulantis videbat. Tanquam enim melior pater eſſet quàm filius, ita Philippus patrem noſſe cupiebat Et ideo nec filium ſciebat, quo melius aliquid eſſe credebat. Ad hunc ſenſum corrigendum dictum eſt, *Qui videt me, videt & patrem.*

Quomodo tu dicis, oſtende nobis patrem.] Video quomodo à te dictum: non alterum quæris videre ſimilem, ſed illum putas eſſe meliorem.

Non credis quia ego in patre, & pater in me eſt?] Cur inſeparabiles ſeparatim deſideras noſſe? Deinde non ad ſolum Philippum ſed ad eos pluraliter loquitur.

Verba quæ ego loquor vobis, à meipſo non loquor. Pater autem in me manens ipſe facit opera. Quid eſt, *à meipſo non loquor*, niſi à meipſo nõ ſum, qui loquor? Ei quippe tribuit quod facit, de quo eſt ipſe qui facit. Pater enim Deus, non eſt de aliquo: filius autem Deus eſt quidem patri æqualis, ſed de patre Deo Ideo ille Deus, ſed non de Deo: & lumen ſed non de lumine. Iſte vero Deus de Deo lumen de lumine. Denique adiungit, & ait

Nõ creditis quia ego in patre & pater in me eſt alioquin propter opera ipſa credite.) Antea ſoli Philippum arguebat, nunc autem non ib eum ſolum fuiſſe qui eſſet arguendus, oſtẽditur. Propter opera ipſa, inquit, credite quia ego in patre & pater in me eſt. Neque enim ſi ſeparati eſſemus, inſeparabiliter operari vlla ratione poſſemus. Sed quid eſt quod ſequitur?

Alter

Amen amen dico vobis: qui credit in me, opera quæ ego facio & ipſe faciet, & maiora horum faciet, quia ego ad patrem vado.] Non ſe extollat ſeruus ſuper Dominum, nec diſcipulus ſuper magiſtrum. Maiora quàm ipſe facit dixit eos eſſe facturos: ſed ſine illo, vt in ſequentibus dixit, quid potuerũt facere? Sed quæ ſunt tandẽ iſta maiora? An forte quod ægros ipſis tranſeuntibus etiam eorum vmbra ſanabat. Maius eſt enim vt ſanet vmbra, quàm fimbria: illud per ſe, hoc per ipſos ſed vtrumque in ſe. Vel maiora ſunt Apoſtolorum opera in omnium gentium ſalute, quàm Chriſti tantummodo in ſalute Iudæorum, & hoc in pauciſſimis. Tamen vtrumque & ille fecit, & ſalutem aliquorũ in Iudæa, & ſalutem gentium per Apoſtolos, ſed & alios quoque prædicatores. Vnde ſubiunxit, & ait: *Qui credit in me, opera quæ ego facio & ipſe faciet.* Non quo maior ſit magiſtro diſcipulus, vel Domino ſeruus, vel adoptatus vnigenito, vel homo Deo: ſed quod per illos dignaretur eadem maiora facere. Vnde maiora facere potuiſſent, mox oſtẽdit dicens: *Qui credit in me, opera quæ ego facio & ipſe faciet, & maiora horum faciet.* Continuo ſecutus adiunxit: *quia ego ad patrem vado.*

Et quodcunque petieritis in nomine meo, hoc faciam] Qui dixit *faciet*, poſt ait *faciam*. Tanquam diceret. Non vobis hoc impoſsibile videatur, non enim poterit eſſe maior me, qui credit in me. Ideo maiora non per ſe faciet, ſed per me, quia in me credit, nec eſt defectio poteſtatis, ſed miſeratio pietatis. Diues ergo qui ab eo receſsit triſtis non recipiens verba ſalutis. Apoſtolis igitur prædicantibus, multi diuites pauperiem voluntate ſecuti ſunt. Ita quod ab illo audiens vnus non fecit, fecerunt multi, cùm loqueretur per diſcipulos magiſter bonus. Ecce maiora fecit prædicatus à credentibus, quàm locutus audientibus: ſed hoc per prædicatores. Nunquid omnes qui credunt in eum prædicatores ſunt? tamen dicit, qui credunt in eum, opera facere maiora. In hoc opere fidei facimus opera Chriſti, quia & ipſum credere in Chriſtum opus eſt Chriſti, Chriſtus hoc operatur in nobis, non vtique ſine nobis. Prius ergo facio præueniens gratiam, deinde & ipſe faciet ſubſequens gratiã, quia ego facio vt fiat. Quæ opera? niſi vt ex impio iuſtus fiat, fortaſsis maius eſt, opera ſalutis noſtræ nos per ipſum facere, quàm verba ſalutis prædicare, quod ipſe fecit, ſine nobis, dum hæc dixit. Sequitur. *Quia ego ad patrem vado, & quodcumque petieritis in nomine meo, hoc faciam.* In his verbis, magnam ſpem promiſit orantibus. Sic ergo perrexit ad patrem, vt non relinqueret indigentes, ſed exaudiret petentes: tamen non omnia petentes, ſed quæ ad ſalutem pertinent petentum. Ideo dixit.

Si quid petieritis me in nomine meo, hoc faciam.] Quid eſt in nomine meo, niſi in nomine Saluatoris? Si petieritis quæ ad ſalutem pertinent vobis, in nomine meo petieritis. Quando enim nos delectant mala, & non delectat bona, rogare potius debemus Deum vt nos delectent bona, quam vt cõcedantur mala vt delectent mala. Qui ergo credit in eum, quodcumque petierit in nomine quod prodeſt illis qui credunt in eum, hoc facit: quoniam hoc ſicut Saluator facit. Si autẽ qui in eum credit aliquid per ignorantiam contra ſalutem ſuam petit, non in nomine Saluatoris petit, quia Saluator ei non erit, ſi quod ei ſalutem impedit fecerit. Nouit enim Saluator melius, quid nobis prodeſt, quàm noſmetipſi. Ideo petendum eſt vt fiat voluntas eius in nobis. Continuo ſubiecit.

Vt glorificetur pater in filio.] Nullo modo igitur ſine patre filius facit, nec filius ſine patre. Facit ergo pater in filio, vt filius glorificetur in patre: & facit filius in patre, vt pater glorificetur in filio, quoniam vnum ſunt pater & filius. Sequitur.

CAP. XXXV.

Diligentibus ſe diſcipulis mandataque ſeruantibus Paraclitum a patre mittendum promittit, manſurumque cum eis in æternum, ſeque pacem dare eis, pacémque relinquere pollicetur.

SI diligitis me mandata mea ſeruate, & ego rogabo patrem, & alium paraclitum dabit vobis.] Quid eſt quod dicit, quod diligentibus Deum & ſeruantibus mandata eius Spiritus paraclitus daretur, dum Deus diligi & mãdata eius ſeruari non poſſunt, niſi per Spiritum ſanctum? Quid eſt aliud, niſi vt qui per Spiritum ſanctum diligit Deum, meretur, diligendo vt plus habeat, & plus habendo plus diligat? Paraclitus quippe conſolator interpretatur, & Spiritus ſanctus recte paraclitus vocatur, quia corda fidelium ne inter huius ſæculi aduerſa deficiant, cæleſtis vitæ deſideriis ſubleuat ac reficit. Habebant itaque diſcipuli Spiritum ſanctum, ſed occulta quadam inſpiratione per quem Dominum diligebant, ſed nondũ habebãt,

ſicut Dominus promittebat. Habebant ſiquidem occultè, quem poſtea quadam manifeſtatione habituri erant: id eſt, dum in igneis linguis venit, & ſedit ſuper eos, & linguis loquebantur magnificantes Deum. *Rogabo patrem meum, & alium paraclitum dabit vobis*, oſtendens ſeipſum eſſe paraclitum. Habebant autem & prius paraclitum, ipſū videlicet Dominum ſecum in carne commorantem, cum& miraculorum dulcedinē & ope pręedicationis, ne propter infidelium perſecutionem ſcandalizari poſſent, erigi & confortari ſolebant. Rogabo, dixit propter humanitatem, qui dat cum patre per diuinitatem.

Vt maneat vobiſcum in æternum.] In æternum namque manet cum ſanctis, quos & in hac vita ſemper inuiſibiliter intus inluſtrabat, & in futuro ad contemplādam perpetuo ſpeciem ſuæ maieſtatis introducit.

Spiritum veritatis quem mundus non poteſt accipere, quia non videt eum, nec ſcit eum.] Mundū autem appellat homines mūdi huius amori deditos. Mundus ergo eum accipere non poteſt, id eſt, mundiales homines, quia non habent inuiſibiles charitatis oculos, quibus ſolummodo Spiritus ſanctus videri poteſt & ſciri, & ſciendo intellegi.

Vos autem cognoſcetis eum, qui apud vos manebit & in vobis erit.] Erit, vt maneat in æternum. Dominum namque Saluatorem, & infideles ante paſſionem in carne viderunt. Sed quia filius Dei eſſet, quia paraclitus à Deo miſſus in mundum, non niſi fideles ſcire potuerunt. Spiritum autem ſanctum neque oculis videre infideles, neque animo valebant cognoſcere: quia non indutus humanitate, diſcipulis apparuit, ſed ita ad eos venire, ita apud eos maluit manere, vt in ipſis eorum cordibus gratiſſimā ſibi ſedem conſecraret. Hoc eſt enim quod ait: *Vos autem cognoſcetis eum, quia apud vos manebit, & in vobis erit.* Qui autem inuiſibiliter in hac vita manet cum electis, viſibiliter vtique eis gratiam ſuæ cognitionis exhibet.

Non relinquam vos orphanos, veniam ad vos.] Videbatur infidelibus, quia moriens in cruce Dominus, diſcipulos relinqueret orphanos. Sed non reliquit eos orphanos, quibus & præbuit ſeipſum viuum poſt paſsionem ſuam multis argumentis, per dies quadraginta. Et poſt dies decem aſſumptionis ſuæ Spiritus ſancti illis de cœlo charismata donauit, vbi ipſum Chriſtum ad eos veniſſe nullus fidelium ambigit, qui inſeparabilem ſanctæ Trinitatis naturam virtute & operatione eſſe cognouit.

A *Adhuc modicum, & me iam mundus non videt, vos autem videtis me.*] Modicum erat vſque ad tempus explendæ paſsionis, ex quo illum reprobi videre non valebant. Soli etenim iuſti, qui morte illius erant contriſtati, gaudium reſurrectionis eius videre meruerunt.

Quia ego viuo, & vos viuetis.] Quid eſt, *quia ego viuo, & vos viuetis*? Cur de præſenti ſe dixit viuere, illos autem de futuro eſſe victuros, niſi quia vitam etiam carnis vtique reſurgentis, qualis in ipſo præcedebat, B & illis eſt pollicitus ſecuturam? Et quia ipſius mox futura fuerat reſurrectio, præſentis poſuit temporis verbum, propter ſignificandam celeritatem. Illorum autem quoniam in ſæculi differtur finem, non ait viuitis, ſed *viuetis*. Duas ergo reſurrectiones, ſuam ſcilicet mox futuram, & noſtram in ſæculi fine ſecuturam, duobus verbis, præſentis temporis & futuri, eleganter breuiterque promiſit.

In illo die, inquit, *vos cognoſcetis, quia ego ſum in patre meo, & vos in me, & ego in vobis.*] C In quo die, niſi de quo ait: *Et vos viuetis*? Nouerant Apoſtoli tunc eſſe Chriſtum in patre per vnitatem indiuiduæ diuinitatis, nouerant ſe eſſe in Chriſto, per ſuſceptionem fidei & ſacramentorum eius. Nouerāt veraciter, verè tunc eſſe Chriſtum in patre & in ſe eſſe Chriſtum per dilectionem & obſeruantiam mandatorum eius. Nouit & hoc ſancta Dei eccleſia, ſed longe melius & plenius in illa die qua dixit: *Et vos viuetis*. In qua veraciter viuere incipiunt, hoc eſt, in die reſurrectionis, quando eò perfe- D ctiùs cuncta quæ ſcienda ſunt ſciunt, quò ipſum ſcientiæ fontem viciniùs ſine fine conſpiciunt. Vt autem omnibus huius promiſsionem beatitudinis promitteret, non ſolummodo Apoſtolis, mox ſubiunxit.

Qui habet mandata mea & ſeruat ea, ille eſt qui me diligit. Qui autem diligit me, diligetur à patre meo, & ego diligam eum, & manifeſtabo ei meipſum.] Vbi omni intentione conſiderandum eſt, quia Chriſtum verè diligere eſt eius mandata ſeruare. Non ipſam dilectio- E nem labiis profiteri, ſed mandata Chriſti quæ diſcendo habemus, operando ſeruare. *Qui habet*, inquit, *mandata mea, & ſeruat ea, ille eſt qui me diligit*, qui habet in memoria, & ſeruat in vita. Qui habet in ſermonibus, & ſeruat in moribus: qui habet audiendo, & ſeruat faciendo: aut qui habet faciendo, & ſeruat perſeuerando: ipſe eſt, inquit, qui diligit me. Notandum, quia cum præſentis temporis verbo diceret: *Qui autem diligit me*, adiecit de futuro: *diligetur à patre meo, & ego*

diligam eum, & manifeſtabo ei meipſum. Diligit namque etiam nunc dilectores ſuos cũ patre filius, ſed nunc diligit ad hoc vt rectè viuant ex fide, quæ per dilectionem operatur. Tunc ad hoc diligit, vt perueniant ad viſionem veritatis, quam per fidem guſtauerant. Non autem fruſtra addidit: *& manifeſtabo ei meipſum.* Si verò ſecũdum humanitatẽ cunctis in iudicio ſe manifeſtabit, ſolis verò iuſtis & ſanctis diuinitatis gloriam, in qua æqualis eſt patri & Spiritui ſancto, ad beatitudinem æternam percipiendam manifeſtaturus ſe erit.

B *Dicit ei Iudas, non ille Scariothis: Domine, quid factum eſt, quia nobis manifeſtaturus es teipſum, & non huic mundo?*] Interrogauit diſcendo cauſſam veritatis. Iſte eſt Iuda, cuius Epiſtola legitur in Eccleſiis Chriſti, non ille proditor. Ideo aliter interrogauit iſte, aliter ille proditor, dum ait: *Numquid ego ſum?* ille ſimulator acceſſit ad menſam magiſtri, iſte veritatis inquiſitor, interrogauit Dominum. Cui reſpondit Ieſus.

Si quis diligit me, ſermones meos ſeruabit.] Probatio ergo dilectionis, exhibitio eſt operis. C Hinc in Epiſtola ſua iſdem Ioannes dicit: *Qui dicit, quia diligo Deum, & mandata eius non cuſtodit, mendax eſt.* Vere enim diligimus Deum, ſi mandata eius obſeruamus, & à noſtris noſ ad mandata illius voluntatibus coarctamus.

Et pater meus diliget eum.] Quia opera quæ pater facit, hæc & ſimiliter filius facit: & qui diligit filium, diligit & patrem: & qui diligitur a filio, diligitur a patre.

Et ad eum veniemus: & manſionem apud eũ faciemus.] D Qui enim vere diligit Deum, nec tentationis tempore recedit ab amore Dei, ad hunc veniunt pater & filius ſpiritali acceſſione, & manſionem apud eum habent. Ille enim vere amat, cui videlicet mentem delectatio praua ex conſenſu ſuo non ſuperat. Nam tanto quiſque à ſuperno amore diſiungitur, quanto inferius delectatur. Dilectio ſanctos diſcernit à mundo, quæ facit vnanimes habitare in domo. In qua domo facit pater & filius manſionem, qui donant & ipſam dilectionem, quibus donent in fine etiam ſuam manifeſtationem. De qua manifeſtatione diſcipulus interrogauit, & audiuit ad hanc manifeſtationem, per dilectionem veniendum eſſe.

Qui non diligit me, ſermones meos non ſeruat.] Hi ſunt qui Patrem & Spiritum ſanctum numquam vident, filium autem nõ vt beatificentur, ſed vt iudicentur, ad modicum videt, nec ipſum in forma Dei, vbi eſt cum patre & Spiritu ſancto pariter inuiſibilis: A ſed in forma hominis, vbi eſſe mundo voluit patiendo contemptibilis, iudicando terribilis.

Et ſermonem quem audiſtis, non eſt meus; ſed eius qui miſit me patris.] Quid eſt quod prius plurali numero ſermones dixit, nunc autem ſingulari ſermonem? Fortaſſis vt prædicationis ibi ſermones monſtraret, hic verò ſeipſum, qui eſt Verbum patris. Et ideo dixit non ſuum, quia à ſeipſo non eſt, ſed à patre: ſicut nec ſua eſt imago, ſed patris, nec ſuus filius, ſed patris. Rectè igitur auctori tribuit quicquid facit æqualis, à quo habet hoc ipſum, quod illi eſt indifferẽter ęqualis.

Hæc locutus ſum vobis apud vos manens.] Illa manſio, de qua ſuperiùs dixit, ſpiritalis eſt, quæ ſolis ſanctis datur. Hæc verò de qua nunc dicit, corporalis eſt. De ſua præſentia corporali tãtummodo dixit, quam vtrique & iuſti & impij videre potuerunt. Illa in æternum beatificat liberatos, hæc in tempore viſitat liberandos. *Hæc*, inquit, *locutus ſum vobis, apud vos manens.* Vtique præſentia corporali vna cũ illis viſibiliter loquebatur.

Paraclitus autem Spiritus ſanctus, quem mittet pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia, quæcunq. dixero vobis.] Multa dixit audientibus infidelibus, quæ in eorum cordibus locum non inuenerũt, quia Spiritus ſanctus intus eos nõ docebat. Multa dicit quotidie per ſanctos prædicatores, quæ audientes interiùs non recipiũt, quia Spiritus ſanctus non ſuggerit eis interius, quæ audierunt exterius. De quo recte promittitur: *Ipſe vos docebit omnia*, quia niſi iſdem Spiritus cordi adſit audientis, ocioſus eſt ſermo Doctoris. Nemo enim docẽti homini tribuat, quod ex ore docentis intellegit; quia niſi intus ſit qui doceat, Doctoris lingua exterius in vacuum laborat. Aliter itaq. prædicantem Chriſtum audierunt Iudæi, aliter Apoſtoli. Illi ad iudicium, iſti ad ſalutem. Quia hos ſpiritus in animo docuit, quod foris audierunt in aure.

Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis.] In pace relinquo vos, in pace veniam ad E vos. Hic relinquo, illic do. Sequentibus relinquo, peruenietibus do. Pacem relinquit nobis in hoc ſæculo, pacem ſuam dabit nobis in futuro ſæculo. Pacem relinquit nobis vt nos in inuicem diligamus, pacem ſuam dabit nobis, vbi nunquam in inuicem diſſentire poſſimus. Quid eſt quod dicit, *Pacem meam do vobis*, & non dixit, pacem meam relinquo vobis? fortaſsis quia aliter nunc, aliter tunc pax erit. Hic vero bella cum vitiis habemus, ideo non addidit meã: illic vero in æterna pace, æterna erit tran-

quillitas & concordia: & talis pax, qualem ille habuit cum ſeipſo, qui nullum habuit in ſeipſo peccatum.

Non quomodo mundus dat, ego do vobis.] Id eſt, non quomodo in mundo homines ſæpè ſibi in ſua malicia concordant, ſed quomodo qui ſibi in ſanctitate concordant, & in Chriſti ſe charitate coniungunt.

Non turbetur cor veſtrum neque formidet. Audiſtis quia dixi vobis: Vado & venio ad vos.] Hinc turbari & formidare poterat cor illorum, quod ibat ab eis, quamuis venturus eſſet ad eos: ne forſan gregem lupus hoc interuallo inuaderet, paſtore abſente. Sed à quibus homo abſcedebat, Deus non relinquebat. Et idem ipſe Chriſtus, & homo & Deus. Ergo ibat per id quod homo erat, & manebat per id quod Deus erat. Ibat per id quod in vno loco erat; & manebat per id quod vbique Deus erat. Igitur Deus qui nullo continetur loco, diſcedit ab eorum cordibus, qui eum relinquunt moribus, non pedibus: & veniet ad illos qui conuertuntur ad eum non facie, ſed fide, & accedunt ad eum non carne, ſed charitate.

Si diligeretis me, gauderetis vtique, quia ego ad patrem vado, quia pater maior me eſt.] Tanquam ſi diceret. Gaudere debetis, quia porto mecum conſecrandam fragilitatem veſtram. Per quod igitur filius non eſt æqualis patri, per hoc erat iturus ad patrem, in quo venturus eſt viuos iudicaturus & mortuos. Per illud verò quod eſt æqualis patri, numquam receſſit à patre, ſed cum illo eſt, vbique totus, pari diuinitate, quam nullus continet locus. Agnoſcamus geminam ſubſtantiam Chriſti, diuinam ſcilicet quà æqualis eſt patri: humanam quà maior eſt pater. Vtrumque autem ſimul, non duo, ſed vnus Chriſtus; ne ſit quaternitas, ſed Trinitas Deus. Sicut enim vnus eſt homo, anima rationalis & caro, ſic vnus eſt Chriſtus Deus & homo, ac per hoc Chriſtus eſt Deus, anima rationalis & caro: Chriſtum in his omnibus, Chriſtum in ſingulis confitemur. Quid eſt ergo per quem factus eſt mundus? Chriſtus Ieſus, ſed in forma Dei. Quis eſt ſub Pôtio Pilato crucifixus? Chriſtus Ieſus, ſed in forma ſerui. Item de ſingulis quibus homo conſtat. Quis non eſt derelictus in inferno? Chriſtus Ieſus, ſed in anima ſola. Quis reſurrecturus triduo iacuit in ſepulchro? Chriſtus Ieſus, ſed in carne ſola. Dicitur ergo & in his ſingulis Chriſtus, verum hæc omnia non duo, vel tres, ſed vnus eſt Chriſtus. Ideo ergo dixit: *Si diligeretis me, gauderetis vtique, quia vado ad patrem*, quoniam naturæ humanæ gratulan-

A dum eſt, eò quòd ſic aſſumpta eſt à verbo vnigenito, vt immortalis conſtitueretur in cælo, atq; ita fieret terra ſublimis, vt incorruptibilis puluis ſederet in dextera patris. Hoc enim modo ſe iturum dixit ad patrẽ. Non profectò ad illum ibat, qui cum illo erat, ſed hoc erat ire ad eũ, recedere à nobis mortale, atque immortale facere quod mortale ſuſcepit ex nobis, & ad dexteram conſtituere patris, & leuare in cælum, per quod fuit in terra pro nobis. Deinde ipſe Dominus Ieſus ſubiunxit:

B *Et nunc dixi vobis, priuſquam fiat, vt cum factum fuerit, credatis.*] Illud vtique dicit *cum factum fuerit*, quod eum poſt mortem viſuri erant viuentem, & ad patrem aſcendentem. quo viſo, illud fuerant credituri, quod ipſe eſſet Chriſtus filius Dei, qui potuit hoc facere, cùm prædixiſſet & prædicaret antequam faceret. Poterant enim dubitare, ſi filius Dei eſſet, cùm eum viderunt moriturum. Sed cùm viderunt eum ſurrexiſſe, credebant in quo antea dubitabant, & confirmata eſt fides in cordibus eorum, quam il-

C lis prædixerat, qui & ore promiſit quod facturus erat, & opere compleuit, quod ante prædixit. Deinde quod dicit.

Iam non multa loquor vobiſcum, venit enim princeps mundi huius.] Quis, niſi Diabolus?

Et in me non habet quicquam.] Nullum ſcilicet omnino peccatum. Hic enim oſtendit Diabolum principem eſſe peccatorum hominum, non creaturarũ Dei. Et quotienſcunq; mundi figura in mala ſignificatione ponitur, nõ oſtendit niſi mundi iſtius amatores, & non Dei. Abſit enim vt credamus principem eſſe cæli & terræ, & creaturarũ

D omnium, quæ generaliter mundi appellantur. Totus itaque mundus ſeruit ſuo creatori, non deceptori: redemptori, non interemptori. Et regitur diſpenſatione diuina, nõ inimici verſutia ſubuertitur, præter homines partis illius, qui propria voluntate, non neceſſitate aliqua ſe ſubiiciũt Diabolo. Vnde & Apoſtolus ait: *Non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem*, id eſt, aduer-

E ſus homines, *ſed aduerſus poteſtates & rectores tenebrarum harum*, id eſt, peccatorum, qui in tenebris manent iniquitatis. Quos rectores, Angelos eſſe deſertores deſignat. Sed ſunt qui per gratiam Dei non propriis meritis inde eruũtur, de quibus ait Apoſtolus. *Fuiſtis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino, vt filij lucis ambulate.* Sed gratias Deo qui eruit nos, ſicut idem dicit Apoſtolus, *de poteſtate tenebrarum, & tranſtulit in regnum claritatis filij ſui.* In quo princeps huius mundi, hoc eſt, tenebrarum harum

non habebat quicquam: quia neque cum peccato Deus venerat, nec eius carnem de peccati propagine Virgo pepererat. Et tanquam ei diceretur: Cur ergo morieris, ſi non habes peccatum, cui debebatur mortis ſupplicium? continuò ſubiecit.

Sed vt cognoſcat mundus, quia diligo patrem, & ſicut mandatum dedit mihi pater, ſic facio. Surgite, eamus hinc.] Diſcumbens enim diſcumbentibus loquebatur. Eamus autem dixit, quò, niſi ad illum locum, vnde fuerat tradendus? Eſt igitur morti traditus, qui nullum habebat meritum mortis: habebat vt moreretur mandatum patris. Sequitur enim.

Cap. XXXVI.

Se ipſum vitem, Patrem verò agricolam dicens, diſcipuloſque palmites; ac ſine ſe nihil eos facere poſſe teſtatur. Et multis locutionum modis alteram eis dilectionem inculcat, cuius merito poſſent quodcumque petierint impetrare.

Ego *ſum vitis vera, & vos palmites.*] Hanc ſimilitudinem dicit per hoc quod eſt caput Eccleſiæ, noſque membra eius. Cùm eſſet in forma Dei æqualis patri, factus eſt in forma ſerui mediator Dei & hominum homo Chriſtus Ieſus. Vnius quippe naturæ ſunt vitis & palmites, propter quod cùm eſſet Deus, cuius naturæ non ſumus, factus eſt homo vt in illo eſſet vitis, humana natura, vnde nos homines palmites illius eſſe poſſemus. Sicut enim ouis, agnus, leo, petra, lapis angularis per ſimilitudinem dicitur Chriſtus; ita & vitis per ſimilitudinem dictus eſt. Sed quid eſt hoc quod dixit, *vera*, niſi quia eſt & vitis falſa, de qua in Propheta legitur: *Quomodo conuerſa es in amaritudinem vitis alienæ?* Quæ dum facere vuas expectata eſt, fecit labruſcas. Vel ita: *Ego ſum vitis vera*, id eſt ſapientia, innocentia, iuſtitia vera. *Ego ſum vitis vera.*

1.Tim. 2.

Hier. 2. Eſai. 5.

Pater meus agricola eſt.] Secundum hoc ergo vitis Chriſtus, ſecundum quod ait, *pater maior me eſt.* Secundũ id verò quod ait, *ego & pater vnum ſumus*, & ipſe agricola eſt; nec talis, quales ſunt qui extrinſecus operando exhibent miniſterium, ſed talis, vt det etiam intrinſecus incrementum. Nam neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat; ſed qui incrementum dat Deus. Et vtique Deus eſt Chriſtus, quia Deus erat Verbum, & Verbum caro factum eſt. Factum eſt quod non erat, manſit quod erat.

1.Cor. 3.

Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum pater.] Hoc eſt quod alio loco ait: *Iam ſecuris ad radicem arborum poſita eſt, omnis enim arbor non ferens fructum, excidetur & in ignem mittetur.*

Matt. 3.

Eum vero palmitem qui fert fructum, purgabit eum vt fructum plus afferat.] Fert fructum, quia mundatus eſt, & vt plus ferat purgabitur. Et hoc non à ſe, ſed à Deo, qui mundat corda noſtra vt fructum ferre poſſint, & purgat ſpiritu charitatis, vt plus fructificare valeant.

Iam vos mundi eſtis, propter verbum quod locutus ſum vobis.] Hîc ſe oſtendit agricolam eſſe, dum dixit, *Mundi eſtis propter ſermonem, quem locutus ſum vobis.* Quare non ait, mundi eſtis propter baptiſmũ quo abluti eſtis; ſed ait, *propter verbum quod locutus ſum vobis*, niſi quia & aquam verbum mundat? Detrahe verbum, & quid eſt aqua niſi aqua? Accedit verbum ad elementum, & fit ſacramentum. Vnde iſta tanta virtus aquæ, vt corpus tingat & cor abluat, niſi faciẽte verbo? non quia ſolum dicitur, ſed quia creditur. Nã tria in baptiſmo viſibilia ſunt, id eſt, corpus, aqua & ſacerdos: tria inuiſibilia, anima, fides & ſpiritus Dei, qui hæc omnia operatur, vt fiat ſpiritaliter filius Dei renatus ex aqua & ſpiritu qui fuit carnaliter filius peccati natus ex traduce primorum parentum carne. *Ego ſum vitis vera & vos palmites.*

Manete in me, & ego in vobis.] Nõ eo modo illis in ipſo manendum eſt, ſicut ipſe in illis. Vtrumque enim prodeſt non ipſi, ſed illis. Ita ſunt quippe in vite palmites, vt viti non conferant, ſed inde accipiant vnde viuant & fructificare poſſint. Ita verò vitis eſt in palmitibus, vt vitale alimentum ſubminiſtret eis, non ſumat ab eis. Ac per hoc vtrumque prodeſt credentibus in Chriſtũ, manere in Chriſto & Chriſtum in illis. Vnde ſecutus eſt, & ait:

Sicut palmes non poteſt ferre fructum à ſemetipſo niſi mãſerit in vite, ſic nec vos niſi in me mãſeritis.] Qui enim à ſemetipſo ſe fructum exiſtimat ferre, in vite non eſt. Qui in vite non eſt, in Chriſto non eſt. Qui in Chriſto non eſt, Chriſtianus non eſt. Omnis enim fructus boni operis ab illa radice procedit, qui nos ſua gratia liberauit, & ſuo auxilio prouehit, vt fructũ plus afferre valeamus.

Ego ſum vitis vera & vos palmites. Qui manſerit in me & ego in eo, hic fert fructum multum, quia ſine me nihil poteſtis facere.] Nõ dixit, paruum aliquid boni poteſtis ſine me facere, ſed omninò nihil. Siue enim paruum bonum, ſiue multum, ſine illo fieri nõ poteſt. Quamuis enim Chriſtus vitis nõ eſſet, niſi homo eſſet, tamen iſtam gratiam palmitibus non præberet, niſi etiam Deus eſſet.

Si quis in me, inquit, *non manſerit, mittetur foras ſicut palmes, & areſcet & colliget eum, & in*

ignem mittent & ardet.] Ligna itaque vitis A tantò ſunt contemptibiliora ſi in vite non manſerint, quantò glorioſiora ſi manſerint. Vnum è duobus palmiti congruit, aut vitis, aut ignis. Si in vite non eſt, in igne erit. Vt ergo in igne non ſit, maneat in vite.

Si manſeritis in me, inquit, *& verba mea in vobis manſerint, quodcunque volueritis petetis, & fiet vobis.*] Manendo quippe in Chriſto, quid velle poſſunt, niſi quod cōuenit Chriſto? quid velle poſſunt manendo in Saluatore, niſi quod alienum nō eſt à ſalute? Nec enim petere volunt, niſi quod expedit ad B ſalutem. Manentes autem in eo cùm verba eius in nobis manent, quodcunque voluerimus petamus, & fiet nobis. Quia ſi petimus & non fit, non hoc petimus quod habet manſio in eo, nec quod habent verba eius quæ manent in nobis: ſed quod habet cupiditas & infirmitas carnis, quæ non eſt in eo, & in qua non manent verba eius. Tūc enim dicenda ſunt verba eius in nobis manere, quando facimus quæ præcepit, & diligimus quæ promiſit. Magis magiſque Saluator gratiam qua ſaluamur diſcipulis lo- C quendo commendans.

In hoc, inquit, *clarificatus eſt pater meus, vt fructum plurimum afferatis, & efficiamini mei diſcipuli.*] Si enim hæc gloria eſt patris vt fructum plurimum afferamus, & ſimus diſcipuli Chriſti, non hoc noſtræ gloriæ tribuamus, tāquam hoc ex nobis ipſis habeamus. Eius eſt enim hæc gratia, & ideo hoc non noſtra, ſed eius eſt gloria, à quo efficimur, vt ſimus diſcipuli Chriſti, niſi ab illo cuius miſericordia præuenit nos, vt velle D ſubſequatur & poſſe, quæ ad id pertinent, vt perpetualiter maneamus in vite.

Sicut dilexit me pater, & ego dilexi vos, manete in dilectione mea.] Ecce vnde ſunt nobis opera bona. Nam vnde eſſent, niſi quia fides per dilectionem operatur? Vnde autem diligimus, niſi prius diligeremur? Et vnde illa dilectio Dei in nobis eſſet, niſi prius nos ſua præueniret gratia? in qua nos dilexit cùm eſſemus in peccatis, & conuiuificauit nos Chriſto. Quod autem ait: *Sicut dilexit me pa-* E *ter, & ego dilexi vos,* non æqualitatem naturæ oſtendit noſtræ & ſuæ, ſicut eſt patris & ipſius; ſed gratiam, qua eſt mediator Dei &
1. Tim. 2. hominum, homo Chriſtus Ieſus. Mediatorem ſe oſtendit cùm dixit: *Me pater diligit, & ego vos.* Nam pater vtique diligit & nos, ſed in ipſo, quia in hoc clarificatur pater, vt fructum afferamus in vite, hoc eſt, in filio, & efficiamur eius diſcipuli. *Manete*, inquit, *in dilectione mea.* Quomodo manebimus? audi quid ſequatur.

Si præcepta mea, inquit, *ſeruaueritis, manebitis in dilectione mea.*] In hoc enim apparebit, quod in dilectione mea manebitis, ſi præcepta ſeruabitis. Nemo ſe fallat dicendo quod eum diligat, ſi eius præcepta non ſeruat. Nam in tantum eum diligimus, in quantum eius præcepta ſeruamus. In quantum autem minus ſeruamus, tantum minus diligimus. Quid eſt quod dixit, *Manete in dilectione mea*, niſi manete in gratia mea? Et quid eſt: *Si præcepta mea ſeruabitis, manebitis in dilectione mea*, niſi ex hoc ſcietis quod in dilectione mea, qua vos diligo, manebitis, ſi mea præcepta ſeruabitis. Sed quid eſt illud quod adiungit?

Sicut & ego præcepta patris mei ſeruaui, & maneo in eius dilectione.] Quæ ſunt præcepta patris, niſi quæ ante dixit: *Et ſicut mandatum dedit mihi pater, ſic facio?* Quod Apoſtolus exponens ait: *Chriſtus factus eſt obediens patri vſque ad mortem, mortem autem crucis. Propter* Philip. 2. *quod & Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen.* Sequitur. *Et maneo in eius dilectione.* De hac dilectione dixit, qua diligit eum pater. Sed nunquid & hic gratia intellegenda eſt, qua pater diligit filium? ſicut gratia eſt, qua nos diligit filius, cùm ſimus filij gratia, non natura: vnigenitus autem natura, non gratia. Manet ergo filius in dilectione qua eum dilexit pater, & ideo ſeruauit præcepta eius. Nam dicendo, *Sicut dilexit me pater, & ego dilexi vos*, gratiam mediatoris oſtendit. Mediator autem Dei & hominum, non in quantum Deus eſt, ſed inquantum homo eſt Chriſtus Ieſus. Deus enim erat Verbum, vnigenitus, gignenti coæternus. Sed vt mediator daretur nobis, per ineffabilem gratiam, Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis.

Hæc locutus ſum vobis, vt gaudium meum in vobis ſit, & gaudiū veſtrum impleatur,] Quod eſt, *Gaudium meum in vobis ſit*, niſi Verbum meum in vobis impleatur? quid eſt gaudium Chriſti in nobis niſi ſalus noſtra, propter quam factus eſt homo? Et quod eſt gaudium noſtrum, quod dicit implendum, niſi eius habere conſortium, ſicut in conſequentibus dicit: *Volo pater vt vbi ego ſum, & iſti ſint mecum?* Gaudium igitur eius de ſalute noſtra, quod in illo ſēper fuit, cū præſciuit & prædeſtinauit nos, cœpit eſſe in nobis quando vocauit nos. Et hoc gaudium, merito noſtrum dicimus, quo & nos beati futuri ſumus. Si illius verò gaudium ſemper perfectum eſt, nec minui poteſt, nec habet quo creſcat. Hoc vero gaudium noſtrum inchoatur in fide renaſcentium, implebitur in præmio reſurgentium.

Hoc eſt præceptum meum, vt diligatis in inuicē, A *ſicut dilexi vos.*] Nam in ſuperioribus dixit, dum de dilectione præcepit: *Mandatū nouū do vobis*, modo dixit: *Præceptū meum.* Nouū dixit, ne in vetuſtate noſtra perſeueremus. Hic dictum eſt, *meum*, ne contemnendum putemus. Repetitio verò huius mandati eſt, quia ſine charitate nullum præceptum Deo eſt acceptabile, de qua & Apoſtolus Rom. 13. ait: *Plenitudo legis eſt charitas.* Vbi ergo charitas eſt, quid eſt quod poſſit deeſſe? Vbi autem non eſt, quid eſt quod poſſit prodeſſe? Nemo diligit qui non credit, nemo deſperat qui diligit. B Et hæc tria ſunt, ſpes, fides 1. Cor. 13. & charitas, in quibus Chriſtiana religio conſiſtit. Sed maius his charitas, quia non præterit, ſed permanet. Hic incipit, ſed illuc perficietur vbi permanet. Hoc ergo præceptum Domini teneamus, vt nos inuicem diligamus, & ſic quicquid aliud præcepit faciemus. Quoniam quicquid eſt aliud, habemus. Huius dilectionis in ſeipſo exemplum oſtendit, & ideo ſubiunxit: *Vt diligatis inuicem, ſicut ego dilexi vos.* Vt quid enim nos dilexit Chriſtus, niſi vt poſſimus C regnare cum Chriſto? Ad hoc nos diligere debemus, vt habeamus Deum, & maneamus in Deo. Et ſic qui ſe diligunt, Deum diligunt. Et hæc eſt dilectio qua fit Deus omnia in omnibus. Sequitur:

Maiorem hac dilectionem nemo habet quàm vt animam ſuā ponat quis pro amicis ſuis.] Quid eſt, quod Dominus noſter Ieſus Chriſtus totiens charitatis præcepta iterauit, niſi quia omne præceptum & omne opus bonum in ſola charitate ſolidatur? Præcepta D ergo Dominica, & multa ſunt & vnum. Multa ſunt per diuerſitatem operis, vnum in radice dilectionis. Hanc itaque charitatem veraciter habet, qui & amicum diligit in Deo, & inimicum diligit propter Deum. Ideo ſubiunxit: *Sicut ego dilexi vos*, id eſt, ad hoc amate, ad quod amaui vos. Vnde & in cruce poſitus orauit pro inimicis ſuis dicens: *Pater, ignoſce illis.* Maiorem hac dilectionem nemo habet, quàm vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis. In hoc Chriſti dilectio ſupereminet in nos, quia E venit, vt animam ſuam poneret pro inimicis ſuis; ad hoc tamen, vt ex inimicis faceret amicos. Sed non omnium eſt martyrium, tamen omnium beneficium eſt in fratres. Qui verò ſubſtantiam ſuam fratri in neceſſitate poſito non tribuit, quomodo animam ſuam in perſecutione daturus eſt pro fratre ſuo? Virtus vero huius charitatis eſt, in pace ſua diſtribuere pro Chriſti amore, vt poſſit in perturbatione ſeipſum tradere pro nomine eius.

Vos amici mei eſtis, ſi feceritis ea quæ ego præcipio vobis.] Magna eſt dignitas amicū eſſe Dei. Sed videndum eſt, quibus gradibus ad hanc celſitudinem perueniatur. Subiungit: *Si feceritis ea, quæ ego præcipio vobis.* Ac ſi apertè dicat: Gaudetis de culmine, penſate quibus laboribus venitur ad culmen. Magna eſt miſericordia largitoris noſtri, ſerui non fuimus digni, & amici vocamur. Ideo † ſubiungit: † al. vnde.

Iam non dico vos ſeruos, quia ſeruus neſcit quid faciat Dominus eius.] Aliud eſt ſeruitium timoris, aliud amoris. Quæ genera ipſa veritas in hoc eodem Euangelio exprimit, dicens: *Seruus non manet in domo in æternum, filius autem manet.* Filius verò ſeruit patri propter amorem, ſeruus autem propter timorem. De quo ſeruitio modo Dominus dixit: *Iam non dico vos ſeruos, ſed amicos*, quia filij non ſerui, ideo & amici; quia ſeruus neſcit quid faciat Dominus. Neſcit enim voluntatem Domini ſui, qui per timoris amaritudinem ſeruit Domino ſuo, & non per charitatis dulcedinem, quaſi patri ſeruiat.

Vos autem dixi amicos, quia omnia quæcunque audiui à patre meo, nota feci vobis.] Quæ ſunt omnia quæ audiuit à patre ſuo, quæ nota fieri voluit ſeruis ſuis, vt eos perficeret amicos ſuos; niſi gaudia internæ charitatis, niſi illa feſta ſupernæ patriæ, quæ noſtris cottidie mētibus per aſpirationem ſui amoris imprimit? Sed hæc cognitio, quę nunc ex parte proficit, in illa plenitudine ſcientiæ perficietur, de qua Apoſtolus ait: 1. Cor. 13. *Cùm autem venerit quod perfectum eſt, euacuabitur quod ex parte eſt.* Hoc enim Dominus diſcipulis ſe feciſſe dixit, quod eum facturum eſſe ſciebat.

Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos.] Hæc eſt ineffabilis gratia quæ præuenit nos, vt ſimus amici ex ſeruis. Ideoque nobis non ſubrepat ſuperbia, quaſi pro noſtris meritis aliquid acceperimus, dum filij iræ fuimus. Nunc autem filij Dei per gratiam effecti ſumus, ſine qua nihil poſſumus facere, vt paulo ante ipſa Veritas ait: *Sine me nihil poteſtis facere.*

Et poſui vos vt eatis, & fructum afferatis.] Poſui ad gratiam, plantaui vt eatis volendo, fructus afferatis operando. Eatis enim volendo dixi, quia velle aliquid facere, iam mente ire eſt. Qualem verò fructum afferre debeant, ſubdendo manifeſtat.

Et fructus veſter maneat, vt quodcunque petieritis patrem in nomine meo, det vobis.] Nomen filij, Ieſus eſt, Ieſus autem ſaluator

vel etiam ſalutaris dicitur. Ille ergo in nomine ſaluatoris petit, qui illud petit, quod ad veram ſalutem pertinet. Nam ſi id quod non expediat petimus, non in nomē Ieſu petimus.

Cap. XXXVII.

Eandem dilectionem inſtantiùs commēdans, contemnendum dicit odium mundi. Prædicens quoque qualia pro eius nomine ſint paſſuri, & arguendum mundum à Paraclito de peccato, & de iuſtitia, & de iudicio manifeſtat.

HAEc mando vobis, vt diligatis inuicem.] Merito itaq. magiſter bonus dilectionem diſcipulis ſic ſæpè commendat, tanquam ſola præcipienda ſit, ſine qua non poſſunt prodeſſe cætera bona, & quæ non poteſt haberi ſine cæteris bonis, quibus homo efficitur bonus. In hac autem dilectione, patienter debemus pro Domino mundi odia ſuſtinere. Neceſſe eſt enim vt nos oderit, quos cernit nolle amare quod diligit. Sed non parum nos de ipſo Dominus conſolatur. Qui cùm dixiſſet, *Hæc mando vobis vt diligatis inuicem*, adiecit atque ait:

Si mundus vos odit, ſcitote quia me priorem vobis odio habuit.] Non eſt diſcipulus ſuper magiſtrum, adhæreant capiti membra; vt quod caput patiebatur prius, membra pati non recuſent.

Si de mundo eſſetis, mundus quod ſuum erat diligeret.] Aliter enim mundus intelligitur in ſanctis, aliter in peccatoribus. Aliter qui diligunt Deum, atque aliter qui diligunt hoc ſeculum. Nam mundi huius nomine, ſæpè Eccleſia deſignatur, ſicuti eſt illud: *Deus erat in Chriſto, mundum reconcilians ſibi.* (2. Cor. 5.) Itemque illud: *Non enim venit filius hominis vt iudicet mundum, ſed vt ſaluetur mundus per ipſum.* Totus mundus Eccleſia eſt, & totus mundus odit Eccleſiam. Mundus igitur odit malum, inimicus reconciliatum, damnatus ſaluatum, inquinatus mundatum. Sed iſte mundus, quem Deus in Chriſto reconciliat ſibi, & qui per Chriſtum ſaluatur, & cui per Chriſtum peccatum omne per corpus donatur, de mundo electus eſt. Denique cum dixiſſet, *Si de mundo eſſetis, mundus quod ſuum erat diligeret*, continuò ſubiecit:

Quia verò de mundo non eſſetis, ſed ego elegi vos de mūdo, propterea odit vos mundus.] Erāt itaque de mundo, ſed per gratiam electi ſunt de mundo, vt non eſſent in mundo, in quo nati ſunt de peccati radice: ſed in quo renati ſunt per gratiam, vt non eſſent in mundo, ſed electi de mundo. *Elegi vos de mundo*, dixit, ne quis in ſuis glorietur meritis; ſed qui gloriatur, in Domino glorietur.

Mementote ſermonis mei quem ego dixi vobis, Non eſt ſeruus maior Domino ſuo: Si me perſecuti ſunt, & vos perſequentur. Si ſermonem meum ſeruauerunt, & veſtrum ſeruabunt.] Perfectus magiſter, reuocat diſcipulos ad exemplum, quod in ſe oſtendebat, vt in prioribus legimus. Nunc autem exhortatur eos, quatenus habeant in memoria ſermonem magiſtri. *Non eſt ſeruus maior Domino ſuo.* Hic ſeruum ſignificat, qui ſanctum habet timorem, & permanet in ſeculum ſeculi, & in quo eſt initium ſapientiæ, & intellectus bonus omnibus facientibus eum. (Pſalm. 110.) Ibi in ſuperioribus illum demonſtrat ſeruum, de quo & dudum ait: *Seruus non manet in domo in æternum.* Seruus ille eſt, qui pertinet ad timorem, quem foras mittit charitas, & non permanet in domo in æternum.

Sed hæc omnia facient vobis propter nomen meum, quia neſciunt eum qui miſit me.] Quæ omnia facient, niſi quæ prædixit, *Odio habebunt vos* ſcilicet, & perſequentur, ſermonemque contemnent veſtrum. Adiunxit, *Propter nomen meum.* Quid eſt aliud dicere, quàm me in vobis odio habebunt, me in vobis perſequentur, & ſermonem veſtrum quia meus eſt, ideo nō ſeruabunt? Sed hæc omnia facient propter nomen meum, non veſtrum, ſed meum. Tantò igitur miſeriores ſunt qui propter hoc nomē iſta faciūt, quantò beatiores, qui propter hoc nomen iſta patiuntur, ſicut ipſe alio loco dicit: *Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam,* (Matth. 5.) hoc eſt, propter nomen meum. Sequitur:

Si non veniſſem & locutus fuiſſem eis, peccatum non haberent: nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo.] Iudæos oſtendit expreſſiùs, ex quibus promiſſus eſt antea per Prophetas. Iudæi ergo perſecuti ſunt Chriſtum. Quod euidentiſſimè indicat Euangelium. Iudæis locutus eſt, non aliis gentibus. In eis ergo voluit intellegi mundum qui odit Chriſtum, & diſcipulos eius. Quid eſt ergo, *Si non veniſſem, peccatum non haberent*? Nunquid ſine peccato erant Iudæi, antequam Chriſtus ad eos in carne veniſſet? Quis hoc vel ſtultiſſimus dixerit? ſed magnum quoddam peccatum, non omne peccatum, quaſi ſub generali nomine vult intellegi. Hoc eſt enim peccatum quo tenentur cuncta peccata, quod vnuſquiſque ſi non habeat, dimittuntur ei cuncta peccata. Hoc eſt autem, quia non crediderunt

in Chriſtum, qui propterea venit vt crederetur in eum. Hoc peccatum ſi non veniſſet, non vtique haberent. Aduentus quippe eius, quantum credentibus ſalutaris, tantum non credentibus exitiabilis factus eſt. Nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo. De quo peccato, niſi quod non crediderunt in Chriſtum filium Dei, qui ei ante promiſſus eſt, & multis in lege figurationibus demonſtratus, & quaſi hæc omnia inania eſſent, ita contempſerunt, & non crediderunt in Chriſtum, quia venit
Galat. 4. in plenitudine temporis factus ſub lege, vt eos qui ſub lege erant redimeret.

Qui me odit, & patrem meum odit.] Sicut qui diligit filium, diligit & patrem, quia vna dilectio eſt patris & filij, ſicut vna natura: ita & qui filium odit, odit & patrem.

Si opera non feciſſem in eis quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.] Suprà dixerat: *Qui me odit, & patrem meũ odit.* Vtique enim qui odit veritatem, neceſſe eſt oderit à quo & veritas nata eſt. Nunc dicit: *Si opera non feciſſem in eis quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent*, peccatum illud ſcilicet magnum, de quo & ſuperius ait: *Si non veniſſem & locutus fuiſſem eis, peccatũ non haberent*, hoc eſt, peccatum, quod in eum loquentẽ & operantem non crediderunt. Quod dixit, nemo alius fecit in eis, tanquam ſi aliqui miracula ſanctorum non feciſſent antè in populo Dei. Aut ſicut Helias vel Heliſæus mortuos non ſuſcitarent. Nemo tamen, tanta fecit miracula, vel tanta ſalutis inſignia humanæ fecit, ſicut Chriſtus fecit in conſpectu illorum. Quæ cuncta facile intellegit qui Euangelium legit. Ideò opus non eſt illa enumerare quæ Euangelium narrat, & totus mundus clamat. Nimirum illa ſunt opera, quæ in eorum valetudine tanta ſalutis auctor oſtendit, quanta illis antea nemo donauit. Hæc enim illi viderunt, & hoc eis exprobrans adiungit, & dixit:

Nunc autem & viderunt, & oderunt & me & patrem meum.] Quo ſenſu hoc intellegendum ſit, paulò ante expoſuimus.

Sed vt impleatur ſermo qui in lege eorum ſcriptus eſt:
Psalm. 24. *Quia odio habuerunt me gratis.*] Eorũ legem dicit non ab ipſis inuentã, ſed ipſis datam. Gratis videlicet odit, qui nullum ex odio conceſſum quærit, vel ad commodum tendit. Hi verò de quibus hoc dixit, pro beneficiis reddiderunt mala; & propter nimiam cordis malitiam oderunt diligentem eos, & benefacientem illis.

Cum autem venerit Paraclitus, quem ego mit- A *tam vobis à patre, Spiritum veritatis qui à patre procedit.*] Ex multis ſancti Euangelij locis inuenimus, quia diſcipuli ante aduentũ ſancti Spiritus minus capaces erant ad indulgendum arcana diuinæ ſublimitatis, minus fortes ad tolleranda aduerſa humanæ prauitatis. Sed eis adueniente Spiritu, cum augmento diuinæ agnitionis, data eſt etiã conſtantia vincendi humanas perſecutionis tentamenta. Vnde eos Spiritus ſancti aduentu promiſit roborandos eſſe, vel ad fiduciam prædicationis, vel ad conſtantiã paſſionis: ſicut in ipſo principe Apoſtolo- B rum factum eſſe cognouimus, qui prius ad vnius ancillæ vocem Chriſtũ timuit confiteri, quem poſtea palam & in omnibus cæteris conſtantiùs ſancto Spiritu roboratus, multis Iudæorum milibus prædicauit; ita vt ad eius prædicationem tria milia virorũ legimus crediſſe & baptizatos eſſe, & non poſt multum temporis etiam quinque milia crediſſe. Vnde & ipſe Chriſtus, vt audiuimus, promiſit eis, dicens: *Cum autem venerit Spiritus paraclitus quem ego mit-* Act. 2. & 4.
C *tam vobis à patre Spiritum veritatis.* Vtrunque dixit, *ſpiritum paraclitum*, hoc eſt ſpiritum conſolationis, *& ſpiritum veritatis*, vt & fiduciam habuiſſent prædicationis in Spiritu veritatis, & conſolationem gratiæ in eodem Spiritu. Quod verò ait: *Qui à patre procedit*, ſtatim ſubiunxit, *quem ego mittam.* Significat enim quòd æqualiter idem Spiritus ſanctus à patre & filio procedit, & æqualiter à patre & filio mittitur; ſed propter diſtinctionem perſonarum, hìc dicitur à patre procedere, & à filio mitti, & in
D eadem diſtinctione perſonarum vnam eſſe operationem ac voluntatem ſuam cum patris voluntate denunciat. Venit etiam & ſua ſponte, qua æqualis eſt patri & filio, vt cognoſcatur vnam eſſe voluntatem atque operationem ſanctæ Trinitatis.

Ille, inquit, teſtimonium perhibebit de me, & vos teſtimonium perhibebitis.] Quia quo ſpiritu intùs docente perceperunt, hæc abiecto timore priſtino, foris loquendo & aliis miniſtrando protulerũt. Ipſe namque ſpi-
E ritus corda eorum & ad ſcientiam veritatis inluſtrauit, & ad docenda quæ noſſent culmine veritatis erexit. *Cum autem venerit paraclitus, ille teſtimonium perhibebit de me.* Tanquam diceret: Odio me habuerunt & occiderunt videntes, ſed tale de me Paraclitus teſtimonium perhibebit, vt eos faciat in me credere non videntes. *Et vos, inquit, teſtimonium perhibetis, quia ab initio mecum eſtis*, perhibebit Spiritus ſanctus, perhibebitis & vos.

Quia ab initio mecum eſtis.] Poteſtis prædicare quod noſtis, quod vt modo non faciatis, illius ſpiritus plenitudo nondum adeſt vobis.

Hæc locutus ſum vobis, vt non ſcandalizemini. Vbique ſynagogis facient vos.] Curauit namque pius magiſter, futura diſcipulis prauorum bella prædicare, quo minus eos venientia poſſint turbare. Solent enim leuius fieri aduerſa quæ præſciuntur, quàm quæ ſubito ex deſperato ſuperueniunt, ſicut in ſeculari literatura legitur; Sæpè repentini caſus perturbationes, fortiſſimos quoſque in bello milites fatigare.

B

Sed venit hora, vt omnis qui interficit vos, arbitretur obſequium ſe præſtare Deo.] Arbitrabantur autem obſequium ſe Deo præſtare Iudæi in eo quod miniſtros noui Teſtamenti odiis inſequebantur & morte. Sed ſicut illis teſtimoniũ perhibet Apoſtolus, æmulationem Dei habent; ſed non ſecundum ſcientiam. (Rom. 10.) Arbitrantur ergo legis æmulatione obſequium ſe præſtare Deo, dum preconibus gratiæ neces inferunt; ſed fruſtra per legem, quæ per famulum data eſt, defendunt. Qui gratiam quam ipſe filius affert accipere renuunt, in caſſum ſe Deo patri placere æſtimant; qui Dei filium contemnere, immo etiam perſequi ac blaſphemare laborant. Duo dixit illis eſſe ventura à Iudæis, id eſt, vt extra ſynagogam eos facerent, & vt eos interficerent. Quæ etiam ad cumulum damnationis illius populi pertinebant, & ad ſalutem gentium profutura fuiſſent, ſicut Paulus in Actibus Apoſtolorum illis Iudæis dixit: (Actor. 13.) *Quia magnos vos verbo Dei feciſtis, ecce conuertimur ad gentes*: Sic enim præcepit nobis Dominus: (Eſaiæ 49.) *Ecce dedi te in lucem gentium, vt ſis ſalus mea vſque ad extremum terræ.* Sequitur:

C

D

Et hæc facient quia nõ nouerũt patrẽ neque me.] Quia enim filius in patre eſt & pater eſt in filio, & qui videt filium, videt & patrem: patet profecto, quia quicũque filij credulitatem obſtinata mente reiiciunt, nec patrem noſſe probantur.

Sed hæc locutus ſum vobis, vt cùm venerit hora eorum reminiſcamini, quia ego dixi vobis.] Magna conſolatio eſt diſcipulorum, reminiſci antè prædicta eſſe à magiſtro quæ paſſuri eſſent, & eundem ſe ſcire habere adiutorem & remuneratorem, pro cuius nomine talia paſſuros ſe eſſe prædictum eſt illis.

E

Hæc ab initio vobis non dixi, quia vobiſcum eram.] Quæ ſunt quæ ab initio illis non dixit? etiam de Spiritu ſancto quem miſſurus erat illis à patre, & de conſolatione & confortatione eiuſdem ſpiritus, quo conſolandi & roborandi fuiſſent, vt omnia mundi aduerſa vel Iudęorum ſcandala & perſecutiones, libero animo formidare non debuiſſent. Hæc ab initio non dixi, quia vobiſcum eram, quia mea præſentia conſolabatur vos, & nunc vadens ad patrem, neceſſarium habetis Spiritum ſanctum qui vos conſoletur & confirmet in omni tribulatione & paſſione quam paſſuri eritis.

Et * *nunc vado ad eum qui me miſit, & nemo,* inquit, *ex vobis interrogat me, quò vadis?*] Significat ſic ſe iturum ad eum qui miſit illũ, vt nullus interrogaret, quod palàm fieri viſu corporis cernerent. Nam ſuperius interrogauerãt eum quò eſſet iturus, dum ad paſſionem properauit, & reſpondit eo ſe iturum, quò ipſi tunc venire non poterãt. Nunc verò ita ſe promiſit iturum, vt nullus quò vadis, interroget, nubes enim ſuſcepit eum quando aſcendit ab eis, & euntem in cœlum non verbis quæſierunt, ſed oculis viderunt. (* al. At)

Sed quia hæc locutus ſum vobis, inquit, *triſtitia impleuit cor veſtrum.*] Videbat vtique quid illa ſua verba in eorum cordibus agerent. Spiritalem quippe nondum habentes interius conſolationem, quam per Spiritum ſanctum fuerant habituri, id quod exterius in Chriſto videbant, amittere metuebant.

Sed ego veritatem dico vobis, expedit vobis vt ego vadam.] Expedit vt forma ſerui, veſtris ſubtrahatur aſpectibus quatenus amor diuinitatis, aptius veſtris infigatur mentibus. Expedit vt notam vobis formã cœlo inferam, quatenus per hoc maiore deſiderio illuc ſuſpiretis.

Si autem non abiero, paraclitus non veniet ad vos: ſi autem abiero, mittam eum ad vos.] Nõ quia non poterat ipſe in terra poſitus dare ſpiritũ diſcipulis, hæc loquitur, cùm aperte legatur, quia poſt reſurrectionem apparens eis, inſufflauit & dixit eis: *Accipite Spiritum ſanctum*: ſed quia ipſo in terra poſito, & corporaliter conuerſante cum eis, non valebant ad illum erigere mentem, ad ſitienda munera gratiæ cœleſtis. Aſcendentè autem illo ad cœlos, & illi pariter omne deſiderium ſuum in illo transferebãt. Ideo capaces Spiritus ſancti iam facti erant, non vltrà de morte eius contriſtati, ſed de promiſſionis eius munere læti. Patet autem, nec laborioſa expoſitione indiget, cur eundem Spiritum paraclitum, id eſt, conſolatorem cognominauerit. Quia nimirum corda diſcipulorum, quæ receſſus ipſius

mœſta reddidiſſet, huius conſolaretur & recrearet aduentus. Non quod antea Spiritus ſanctus non eſſet in cordibus diſcipulorum, vel etiam in antiquorũ Sanctorum: ſed manifeſta plenitudine ante ſic non fuit datus, quomodo poſt aſcenſionem die decima in centum viginti nomina tranſmiſſus legitur. Sed in nullo opere cuiuſlibet perſonæ, Patris, vel Filij, vel ſancti Spiritus totius ſanctę Trinitatis operatio defuit. Sed oportebat ita inſinuari Trinitatem, vt quamuis nulla eſſet diuerſitas ſubſtantiæ, ſingillatim tamen commendaretur diſtinctio perſonarum.

Cum autem venerit ille, arguet mundum.] Quid eſt quod dixit, *Cum venerit ille arguet mundum*? Nunquid non Chriſtus dum eſſet in mundo, non arguit mundum de his omnibus quæ ſequuntur? ſed Chriſtus ſolam Iudæorum gentem arguit, Spiritus verò ſanctus in diſcipulis eius toto orbe diffuſis, non vnam gentem intellegitur arguiſſe, ſed mundum. In quo arguit? in eo, quia per Spiritum ſanctum charitas diffuſa eſt in cordibus eorum, quæ foras mittit timorem, vt non metuerent mundum, id eſt, amatores mundi arguere.

De peccato, & de iuſtitia, & de iudicio.] Quã ſententiam ipſe Chriſtus expoſuit dicens: *De peccato quid, quia nõ credunt in me.*] Peccatum incredulitatis quaſi ſpeciale poſuit, quia ſicut fides origo virtutum, ita ſolidamentum eſt vitiorum in incredulitate perſiſtere, Domino terribiliter adteſtante, qui ait. *Qui autem non credit, iam iudicatus eſt*, quia non credit in nomine vnigeniti filij Dei. Iudicatus dixit, id eſt damnatus.

De iuſtitia verò, quia ad patrem vado, & iam non videbitis me.] Iuſtitia diſcipulorũ Chriſti erat, quod Dominum, quem verum hominem cernebant, verum quoque Dei filium eſſe crediderunt: & quem ſibi corporaliter ablatum nouerant, certo ſemper amore colebant. Iuſtitia cæterorum fidelium, id eſt, eorum qui Dominum in carne non viderunt, hæc eſt, quòd eum quem corporali intuitu nunquam viderunt, Deũ & hominem verum corde credunt ac diligunt. De qua profectò iuſtitia fidei arguuntur infideles, cur ipſi videlicet cùm ſimiliter verbum vitæ audirent, noluerunt credere ad iuſtitiam. Neque enim nequitia malorum ex ſua ſolùm prauitate, verumetiam ex comparatione rectorum quàm ſit damnanda denunciat. Arguit ergo mundum, id eſt, infideles, Spiritus ſanctus de peccato, quia non crediderunt in Chriſtũ. Arguit de iuſtitia credentium, quia exem-

A plum eorum ſequi noluerunt, qui hunc ad patrem aſcendiſſe, neque vltrà corporaliter in terris cõuerſaturum eſſe ſciebat; nec tamen ab eius dilectione poterant vlla ratione ſeparari. Hoc eſt enim quod ait: *Quia ad patrem vado, & iam non videbitis me. Non videbitis me*, poſtquam aſcendero, qualem nunc videre ſoletis, carne mortali & comprehenſibili circundatum: ſed in maieſtate ad iudicium venientem, & peracto iudicio, in maiore gloria cum ſanctis apparentem. Sequitur:

B *De iudicio autem, quia princeps huius mundi iudicatus eſt.*] Principem mundi diabolum dicit, qui primatum in cordibus infidelium tenuit, quos hic mundi nomine voluit intellegi: qui ordine peruerſo, mundum potius quàm mundi creatorem diligunt, qui iudicatus eſt à Domino qui ait: *Videbam ſatanam ſicut fulgur cadentem de cœlo.* Iudicatus eſt ab eo, cùm & ipſe Dæmonia eiiceret, & diſcipulis daret poteſtatem calcandi ſupra omnem virtutem inimici. Arguitur itaque mundus de iudicio, quo diabolus eſt Lucæ 10.

C iudicatus, quando homines, ne Dei voluntati reſiſtere præſumant, exemplo damnati propter ſuperbiam terrentur Archangeli. Credant itaque homines in Chriſtum, ne arguantur de peccato infidelitatis ſuæ, quo peccata omnia tenentur. Tranſeant in numerum fidelium, ne arguantur de iuſtitia eorum, quos iuſtificatos non imitantur. Caueant futurum iudicium, ne cum mundi principe iudicentur, quem iudicatum imitantur. Etenim ne ſibi exiſtimet parci ſuperbia dura mortalium, de ſuperborum ſupplicio terrenda eſt Angelorum. Sequitur:

D *Adhuc multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modo. Cùm autem venerit Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.*] Certum eſt autem quòd veniente deſuper ſpiritu, Apoſtoli maiorem multo ſcientiam veritatis, quàm carnales eatenus potuere, conſecuti ſunt. Maiore deſiderio certandi pro veritate ſuccenſi ſunt. Non tamen putandum eſt, in hac vita quempiam omnem veritatem poſſe comprehendere. Vnde &

E ipſe beatus Paulus Apoſtolus, qui ad tertium cœlum raptus eſt, & ibi audiuit arcana verba quæ non licet homini loqui, ait: *Ex parte*, inquit, *cognoſcimus, & ex parte prophetamus.* Cùm autem venerit quod perfectum eſt, euacuabitur quod ex parte eſt. Intellegẽdum eſt ergo quod ait de ſpiritu, *docebit vos omnem veritatem*, quaſi diceret: Diffundet in veſtris cordibus charitatem, quæ vos omnem veritatem faciet amare: 2. Cor. 12. 1. Cor. 13.

cuius magiſterio intus edocti, proficiatis de virtute in virtutem, dignique efficiamini peruenire ad vitam, in qua vobis æterna claritas ſummæ veritatis & veræ ſublimitatis, id eſt, contemplatio veſtri conditoris appareat. Sequitur:

Nemo enim loquetur à ſemetipſo, ſed quæcunque audiet loquetur.] Non enim loquitur ſpiritus à ſemetipſo, fortaſſis, quia non eſt à ſemetipſo, ſed à patre. Nam filius natus eſt à patre, & Spiritus ſanctus procedit à patre. Non enim loquitur à ſemetipſo, id eſt, ſine patris & filij communione †. Non enim diuiſus eſt Spiritus ſanctus à patre & filio, ſed vnum opus eſt Patris & Filij & Spiritus ſancti. Sed quæcunque audiet loquetur. Audiet videlicet per vnitatem ſubſtantiæ, & proprietatem ſcientiæ. Non loquitur à ſemetipſo, quia non eſt à ſemetipſo. Pater quippe ſolus de alio loco non eſt, filius à patre genitus & Spiritus ſanctus à patre procedit. Ab ipſo enim audiet Spiritus ſanctus à quo procedit, quia non eſt à ſeipſo, ſed ab illo à quo procedit. Ab illo igitur audientia, quod nihil aliud quàm ſcientia. Quod verò adiunxit:

† *al. commotione.*

Et quæ ventura ſunt adnunciabit vobis.] Conſtat enim nonnullos ſanctorum in Spiritu ſancto futura prædixiſſe, ſed tamen altiùs ſunt hæc verba Domini conſideranda, quæ omnibus ſanctis communia eſſe poſſunt. Igitur ſpiritus aduenięs, quæ ventura ſunt adnunciauit, cùm gaudia nobis patriæ cœleſtis ad memoriam reducit, cùm feſta illa ſupernæ ciuitatis per donum nobis ſuæ aſpirationis innotuit. Ventura nobis adnunciat, cum nos à dilectione præſentium abſtrahens promiſſum in cœlis regnum noſtris cordibus deſideriis inflammat.

Ille me clarificabit quia de meo accipiet, & adnunciabit vobis.] Spiritus clarificauit Chriſtum, quia per eum tanta charitas in cordibus diſcipulorum accenſa eſt, vt abiecto timore carnali effectum reſurrectionis eius conſtanter prædicarent, qui paulò antè tempore paſſionis pauidi fugerant. Vnde ſcriptum eſt: *Et repleti ſunt omnes Spiritu ſancto, & loquebantur verbum Dei cum fiducia.* Spiritus clarificauit Chriſtum, cùm impleti gratia ſpiritali doctores ſancti tot & tanta miracula in homine Chriſti fecerunt, quibus orbem totum ad fidem Chriſti conuerterent, tot ac tanta pro Chriſti nomine paſſionum certamina pertulerunt. Clarificat, dum charitatem in cordibus noſtris diffundit, & æternæ patriæ amorem inſpirat. Quia de meo accipiet, & denunciabit vobis, id eſt, de meo patre. De patre

Actor. 2.

A accepit Spiritus ſanctus, quia de patre procedit, de quo & filius natus eſt. Qui verò de nullo natus ſit, de nullo procedit, pater eſt ſolus.

Omnia quæcunque habet pater mea ſunt, propterea dixi, quia de meo accipiet, & adnuntiabit vobis.] De his dixit, quæ ad ipſam patris diuinitatem pertinent, in quibus ille eſt æqualis patri, in quibus eſt & Spiritus ſanctus æqualis patri & filio, quia vna ſubſtantia, vna natura, vna maieſtas, vna gloria, vna æternitas, Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, & eſt vnus Deus omnipotens, B inuiſibilis, incomprehenſibilis omni creaturæ, Pater & Filius & Spiritus ſanctus. Sequitur:

Cap. XXXVIII.

Modicum ſe ab eis videndum dicit. Et iterum modicum, & non videndum. De quo quærentibus diſcipulis, ſimilitudinem mulieris poſt partum præ gaudio triſtitiæ non reminiſcentis inducit. Et quos à Patre amari ſignificat, corroborat relicturus dicens: In mundo preſſuC ram habebitis, ſed confidite, ego vici mundum.

Modicum & non videbitis me, iterum modicum & videbitis me, quia vado ad patrē.] Notandum autem quia tota lectionis huius Euangelicæ ſeries illis cōuenit, qui eam præſentes audierunt à Domino. Prius autem illis etiam & nobis, qui poſt paſſionem & reſurrectionem Dominicā ad fidem venimus, aptiſſimè congruit. Quod autem D ait: *Modicum, & non videbitis me, iterum modicum, & videbitis me, quia vado ad patrem*; ad illos ſpecialiter pertinet, qui eius diſcipulatui prædicantis in carne adhærere, & poſt triſtitiam paſſionis viſa reſurrectione & aſcenſione eius lætificari meruerūt. Modicum etiam fuit ab illa hora illius noctis qua traditus eſt, in horam paſſionis ſuæ, quod eum diſcipuli carnaliter videbant. Et iterum modicum fuit, quod clauſus in ſepulchro tertia die reſurrecturus iacuit, & E illorum aſpectibus videri non potuit. Hoc eſt quod ait, *Modicum & non videbitis me.* Quod verò ait, *Iterum modicum, & videbitis me*, ſignificat tempus poſt reſurrectionem, qua cum diſcipulis conuerſatus eſt, & illis multimoda oſtenſione apparuit, vſque dum aſcendit in cœlum illis videntibus, vt in Euangelio Lucę & Actibus Apoſtolorum legitur. Et hoc eſt quod ait, *Quia vado ad patrem.* Ac ſi patenter dicat: Quia poſt modicum à veſtris aſpectibus in monumenti,

Actor. 1.

numenti clauſtra abſcondor, & iterum poſt A modicum deſtructo mortis imperio vobis intuendus apparebo. Quia tempus eſt vt expleta diſpenſatione aſſumptæ mortalitatis, cum reſurrectionis triumpho iam reuertar ad patrem. Hæc verò verba Domini, vt dixi, illis ſpeciatim, qui eius reſurrectionem videre potuerunt, conueniunt, quæ Apoſtoli tunc temporis non potuerunt intellegere. Et hanc illorum ignorantiam pius magiſter intellegens, ſubſequenter ſecundum animi illorum dubitationem reſpõdit, quaſi expoſiturus quid eſſet quod B dixit: *Modicum & non videbitis me, & iterum modicum & videbitis me.*

Amen amen dico vobis, quia plorabitis & flebitis vos, mundus autem gaudebit, vos autem contriſtabimini, ſed triſtitia veſtra vertetur in gaudium.] Et ipſorum, & totius Eccleſiæ ſtatus congruit. Plorabant quippe & flebant amatores Chriſti, cùm illum comprehendi, ab hoſtibus ligari, ad concilium duci, damnari, crucifigi, mori & ſepeliri viderent. Gaudebant multi amatores, quos propter infimas cogitationes, mundum vocat Dominus, cum morte turpiſſima condemnarent C illum, qui grauis erat eis etiam ad videndum. Contriſtabantur diſcipuli poſito in morte Domino, ſed agnita eius reſurrectione, triſtitia illorum verſa in gaudium, viſa aſcenſionis potentia, iam maiore gaudio ſubleuati, laudabant & benedicebant Dominum, vt Lucas Euangeliſta teſtatur. Actor. 2. Sed & cunctis fidelibus hic Domini ſermo conuenit, qui per lachrymas preſſuraſque præſentes, ad gaudia æterna peruenire cõ- D tendunt. Qui ſeminant in lachrymis, in Pſalm. 125. gaudio metẽt, euntes ibant & flebãt, quatenus in æterna beatitudine laboris ſui mercedem recipiãt. Mundus autẽ, id eſt, mundi amatores gaudebant, qui ad æterna gaudia ſe præparare per lachrymas & afflictiones deſpiciũt. Vos autẽ contriſtabimini per labores & preſſuras. Sed triſtitia veſtra vertetur in æternę beatitudinis lætitiã. Sequitur:

Mulier cùm parit triſtitiã habet, quia venit hora eius.] Mulierem dicit ſanctam Eccleſiam, propter fœcunditatem bonorum operum, E & quia ſpiritales Deo filios gignere nunquam deſinit. Hæc mulier cùm parit triſtitiam habet, quia venit hora eius.

Cum autem pepererit puerum, iam non meminit preſſuræ propter gaudium, quia natus eſt homo in mundum.] Quia nimirum ſancta Eccleſia, quam diu in mundo ſpiritalium virtutum profectibus inſiſtit, nunquam mundi tentationibus exerceri deſiſtit. At cum deuicto laborum certamine ad palmam peruenerit, iam non meminit preſſuræ præcedentis, propter gaudium perceptæ retributionis. Non ſunt enim condignæ paſſiones huius temporis ad ſuperuenturam gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Rom. 8. *Non meminit*, inquit, *preſſuræ propter gaudium, quia natus eſt homo in mundum.* Sicut enim mulier nato in hunc mundum homine lætatur, ita Eccleſia nato in vitam futuram fidelium populo, digna exultatione repletur. Pro qua eius natiuitate multum laborans & gemens in præſenti, quaſi parturiens dolet. Nec nouum debet cuiquam videri ſi natus dicitur, qui ex hac vita migrauerit. Quomodo enim conſuetè naſci dicitur, cùm quis de vtero matris procedens hanc in lucem ingreditur, ita etiam rectiſſimè poteſt natus appellari, qui ſolutus à vinculis carnis ad lucem ſublimatur æternã. Vnde mos obtinuit Eccleſiaſticus, vt dies beatorum Martyrũ ſiue Confeſſorũ Chriſti, quibus de ſeculo trãſierunt, natales vocitem⁹, eorũque ſolennia non funebria, ſed natalia dicantur. Sequitur: Dominus exponẽs ipſe paradigma quod de muliere propoſuit:

Et vos igitur nunc quidem triſtitiam habetis, iterum autem videbo vos, & gaudebit cor veſtrum, & gaudium veſtrum nemo tollet à vobis.] Quod de ipſis quidem diſcipulis facile intellegetur, quia triſtitiam habuerunt paſſo ac ſepulto Domino; ſed peracta reſurrectionis gloria, gauiſi ſunt viſo Domino, & gaudium eorum nemo tollet ab eis. Licet preſſuras ac preſecutiones paſſi eſſent in hoc mundo, ſemper in ſpe gaudebant futuræ retributionis, pro eo quod digni eſſent pro nomine Ieſu contumelias pati. Actor. 5. *Iterum autem videbo vos, & gaudebit cor veſtrum, & gaudium veſtrum nemo tollet à vobis.* Videt itaque electos poſt triſtitiam Dominus, cùm eorum patientiam damnato impugnatore remunerat. Videbo vos, id eſt, cùm aſſumpſero vos ad meipſum, vt vbi ego ſum & vos ſitis, & in illa viſione perpetuæ gloriæ gaudebit cor veſtrum, & gaudium veſtrum nemo tollet à vobis: quia ibi nullus aduerſarius, nullus perſecutor, nemo qui triſtitiam ingerat animis veſtris, dum videtur Deus deorum in Sion, *& cùm apparuerit Chriſtus, tunc & vos apparebitis*, vt Pſalm. 83. Apoſtolus ait, *cum illo in gloria.* Sequitur. Coloſſ. 3.

Et illa die me non rogabitis quicquam.] Hoc enim verbum, quod eſt rogare, non ſolũ petere, ſed etiam interrogare ſignificat, ſicut & in Græco habet, vnde hoc Euãgeliũ tranſlatũ eſt. Significat vero quod ait Dominus, illud tẽpus quod gaudiũ veſtrũ nemo tollet à nobis. Vbi iã nihil rogem⁹, nihil

interrogemus: quia nihil deſiderandum remanebit, nihil quærendum latebit.

Vſq. modo non petiſtis quicquā in nomine meo.] Duobus modis intelligi poteſt, vel quia nō in nomine meo petiſtis, quod nomen non ſicut cognoſcendum eſt cognouiſtis: Vel non petiſtis quicquam, quoniam in comparatione rei quam petere debuiſtis, pro nihilo habendum eſt quod petiſtis, quia qui petit quod ad ſempiternam ſalutem & gaudium æternum non pertinet, nihil petere videtur ad comparationem illius petitionis, quam petere debuit. *Vſque modo non petiſtis quicquam in nomine meo.* Vel ita intellegendum eſt, Non petierunt eatenus in nomine Saluatoris, quia dum ipſius Saluatoris inuiſibilem præſentiam contemplarentur, minus ad inuiſibilia ſalutis dona mentis intuitum erexerant. Qui vero contra rationem ſalutis ſuæ petit, non petit in nomine Ieſu. Hinc & Dominus ſequenter ait:

Petite & accipietis, vt gaudium veſtrum ſit plenum.] Significans quid ſit nobis petendum, id eſt, vt plenum ſit gaudium noſtrū. Vnde ait, *Et accipietis.* Si illa petimus, quæ ad plenitudinem laborum pertineant & gaudiorum, accipiemus. Plenum ergo gaudium, beatitudinem perpetuæ pacis appellat. Ait itaque: *Petite & accipietis, vt gaudium veſtrum ſit plenum.* Ac ſi patenter dicat: Non fluxa ſeculi gaudia, quæ & mœrore ſemper mixta, & dolore finienda ſunt; ſed illud ſingulare gaudium à patre petite, cuius plenitudo, nullo cuiuslibet inquietudinis adtactu minuatur, æternitas nullo vnquam termino diſſoluatur. Si ergo talia petendo perſtiteritis, talia petendo proculdubio quæ petitis accipietis, ſi mores menti concordant petentis. Parum enim vtilitatis affert bene orando ſuperna quærere, qui non deſiſtit peruerſè viuēdo infimis implicari.

Hæc in prouerbiis locutus ſū vobis. Venit hora cùm iā nō in prouerbiis loquar vobis, ſed palam de patre annunciabo vobis.] Nàm adhuc paruuli fuerant, nec dum intelligere potuerant, quomodo pater eſſet in filio, & filius in patre, & cætera, quæ ad profunda myſteriorū diuinitatis pertinebant, nec dum ſcire potuerunt. Ideo in prouerbiis quaſi in ænigmate loqui illis videbatur Dominus, ſed promittit ille horam in qua palam illis de patre loqueretur. Illam nimirū horam ſignificabat, qua eis peracta ſua paſſione ac reſurrectione, Spiritus ſancti erat gratiam daturus. Tunc etenim ſpiritaliter intus inſtructi, ſpiritali delectatione ſuccenſi, quò

A perfectius omnia quæ de agnitione diuinitatis mortalibus erant capienda ceperunt, eò ardentiùs ſola quæ ad eius viſionem promerendam iuuarēt, petere ac deſiderare curauerunt.

Illa die in nomine meo petetis.] Id eſt, quæ ad ſalutem tantummodo animarum veſtrarum, & quæ ad gaudia æterna pertinere videantur, petere incipietis. Et maximè vt intellegatis quid ſit quod dixi, *Ego & pater vnum ſumus*, vel quomodo pater ſit in me, & ego in patre. Tunc in eius nomine B petūt qui petūt, quia in ſolo eius nomine non aliud, quàm res ipſa eſt, quæ hoc nomine vocatur, intellegunt. Hi poſſunt vtcunque cogitare Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, in quantum homo eſt, pro nobis interpellare patrem, in quantum Deus eſt, nos exaudire cum patre. Quod eum ſignificaſſe arbitror, vbi ait:

Et non dico vobis, quia ego rogabo patrē de vobis.] Poteſt enim non inconuenienter accipi quod ait: *Et non dico vobis, quia ego rogabo patrem de vobis*, quia non de præſenti C *rogo*, ſed de futuro poſuit *rogabo*. Quod ſanctis ad internam pacem receptis, non opus ſit iam aliquid rogare illis, quia nimium tanta beatitudine donandi ſint, quæ amplior eſſe non poſſit.

Ipſe enim pater amat vos quia vos me amatis, & credidiſtis quia à Deo exiui.] Nō ita intellegendum eſt quod dixit: *Quia vos me amatis*, quaſi priores illi amarēt Chriſtū: ſed ita potius, quia pater illos gratuito amore prçuenit, atque ad amandum credendumque filium, amando ſuſtulerit. Et quia ipſi agnitam filij dilectionem ac fidem pio & ſolli- D cito corde ſeruauerint, maioribus eos donis paternæ dilectionis eſſe remuneratos, vna cū Filio & Spiritu ſancto amare, quos amore dignos iudicat. Quod verò adiunxit: *quia vos me amatis*, eadem ratione ſentiēdum eſt. Quapropter quicunque filium rectè amat, hunc cum Patre & Spiritu ſancto amet: quia quorum inſeparabilis eſt natura diuinitatis, horum vna eadēque ſunt dona virtutis, hoc eſt, quod amatis, & creditis * quia à Deo exiui.

* al. credidiſtis.

E *Exiui à patre, & veni in mundum, iterum relinquo mundum, & vado ad patrē.*] Exiuit à patre & venit in mundum, quia viſibilis mundo apparuit in humanitate, qui erat inuiſibilis apud patrem in diuinitate. Exiuit à patre, quia non in forma qua æqualis eſt patri, ſed in aſſumpta creatura minor apparuit. Et venit in mundum, quia in ea forma ſerui quam accepit, etiam mūdi huius amatoribus ſe vidēdum præbuit. Iterum reli-

quit mundum & rediit ad patrem, quia ab A aſpectu amatorum mundi quod viderant abſtulit, & ſe amatoribus ſuis æqualem patri eſſe credendum docuit. Reliquit mundum, & rediit ad patrem; quia humanitatem quam induit, per aſcenſionem ad inuiſibilia paternæ maieſtatis adduxit. Hæc quidem verba Domini myſtica, & ſicut ipſe teſtatur, in Prouerbiis ſunt dicta. Sed diſcipuli quibus dicebantur, adeo carnales adhuc erant, vt eorum profunditatem minimè caperent: & non ſolum arcana dictorum, ſed nec ipſam ignorantiam ſuam intellegerent, putantes ſimpliciter & dilucidè B prolata, quæ non intellegentibus prouerbia erant, & continuò reſponderunt:

Ecce nunc palam loqueris, & prouerbium nullum dicis.] Palam igitur eum loqui æſtimabant, cuius myſteria dictorum nec dum comprehendere valebant. Quod autem adiungunt:

Nunc ſcimus quia ſcis omnia, & nō opus eſt tibi vt quis te interroget. In hoc credimus quia à Deo exiſti.] Apertè oſtendunt, quia loquens ad eos Dominus, de his maximè diſputabat C quæ illos delectabat audire, & quæ illi interrogare volebant. Hæc ipſe præueniens eos, vltrò proferebat, vndè merito illum ſcire omnia quaſi Deum, & quaſi Dei filium, à Deo veniſſe credunt, & confitentur. Apertum namque diuinitatis indicium eſt, cogitationum noſſe ſecreta.

Ecce venit hora, & iam venit, vt diſpergamini vnuſquiſque in propria.] Venit itaque hora paſſionis meæ, qua ſolus torcular calcare habeo, & nemo ſaltem ex vobis mecum D remanebit, ſed diſpergemini in propria, id eſt, veſtræ infidelitatis timore. Quaſi diceret: Ita perturbabimini, vt etiam quomodo vos modo credere putatis, omninò relinquatis. Venerunt enim ad tātam deſperationem, & ſuę fidei obliuionem, vt nec quid ante crederent recordati ſunt. Ecce quomodo eum reliquerant deſerendo etiam ipſam fidem, quia in eum crediderant. In ea verò preſſura, quam poſt eius glorificationē accepto Spiritu ſancto pertulerunt, non eum reliquerunt: & quamuis E fugerent de ciuitate in ciuitatem, ad ipſum refugeretur. Dato quippe illis Spiritu ſancto, factum eſt in eis, quod nunc dictum eſt eis.

Confidite, ego vici mundum.] Confiderunt & vicerunt. In quo, niſi in illo? Non enim viciſſet mundum, ſi membra eius vinceret mundus. Vnde ait Apoſtolus: *Gratias Deo qui dat nobis victoriam*, continuoque ſubiecit: *Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum*, qui

1. Cor. 15.

dixerat ſuis: *Confidite quia ego vici mundum.* Sermonem ita concludit:

Hæc locutus ſum vobis, vt in me pacem habeatis.] Non tantum ad hæc verba reſpicit quæ hic in ſancto conuiuio locutus eſt eis, ſed ad omnia quæ ab initio diſcipulatus eorum, vel loquebatur, vel in præſentia illorū agebat: hæc omnia ad hoc pertinent, vt pacem habeamus in illo, licèt preſſuras & perſecutiones patiamur in mundo, in magna ſpe conſolationis concludit hęc verba: *Sed confidite, ego vici mundum.* Non enim caput in ſe ſolummodo, ſed etiam in membris ſuis vicit mundum. Ideo non timēdæ ſunt perſecutiones huius mundi. Et hæc omnia ſunt agenda, vt pacem habeamus in illo. Hanc enim cauſam cōmendauit ſermonis ſui, vt in illo pacē haberent, propter quam Chriſtiani ſumus. Hæc enim pax finē temporis non habebit, & omnis piæ noſtræ intentionis actioniſque finis, ipſa erit. Propter hanc ſacramentis eius imbuimur, propter hanc mirabilibus eius operibus & ſermonibus erudimur. Propter hanc ſpiritum eius pignus accepimus, propter hanc in eū credimus & ſperamus; vt eius amore quantum ipſe donat efficiamur digni. Per hanc pacem in preſſuris omnibus conſolamur, per hanc & preſſuris omnibus liberamur. Propter hanc omnem tribulationem fortiter ſuſtinemus, vt in hac ſine vlla tribulatione regnemus. Sequitur.

LIBER SEPTIMVS.

CAP. XXXIX.

Ad patrem de clarificatione ſua loquens, diſcipulos prolixa & multimoda proſequutione commendat, paſſione protinus imminente.

SVbleuatis Ieſus oculis in cœlum dixit: Pater venit hora, clarifica filiū tuum.*] Potuit ſilenter hæc eadem verba orationis patri filius dicere, ſed oratio filij doctrina eſt diſcipulorum, nec non & eorum, qui illorum exempla ſequi voluiſſent, vel eorum ſcripta legere. Dixit: *Venit hora.* Hora itaque paſſionis appropinquat. Clarifica filium tuum, id eſt, reſurrectionis gloriam præcedat humilitas paſſionis, & ſubſequatur cito reſurrectionis clarificatio. Sequitur:

Vt filius tuus clarificet te.] Clarificatio patris æterna eſt, quæ nec augeri nec mi-

nui poteſt. Sed hæc clarificatio ad notitiam Dei patris pertinet, vt reſurrectionis gloria in filio peracta, innoteſceret Deus pater in toto orbe, qui ante in Iudæis tantummodo notus erat. *Clarifica filiū tuū, vt filius tuus clarificet te.* Quaſi dixiſſet: Reſuſcita me, vt innoteſcas in toto orbe per me. Sequitur:

Sicut dediſti ei poteſtatem omnis carnis.] Id eſt, omnis hominis, à parte totum, caro pro homine. Hæc ait, vt oſtenderet magis ac magis quomodo clarificaturus eſſet patrem. Sicut ergo dediſti ei poteſtatem, inquit, omnis carnis, ita te clarificet filius; id eſt, notum te faciat omni carni, quam dediſti ei. Sic enim dediſti.

B

Vt omne quod dediſti det eis vitam æternam. Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te ſolū verum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum.] Ordo verborum eſt, Vt te & quem miſiſti Chriſtum Ieſum cognoſcant ſolum Deum verum. Plena cognitio Dei Patris & Filij & Spiritus ſancti, plena eſt & perfecta vita æterna. Perfecta vita æterna, ſumma beatitudo eſt. Summa beatitudo non eſt, niſi in vita æterna. Ideo dixit, *Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum ſolum & verum Deum.*

C

Ego te clarificaui ſuper terram, opus conſummaui quod dediſti mihi vt faciam.] Quid eſt quòd præterito tempore poſuit, *clarificaui & conſummaui*, & ſtatim ſubiunxit futuri temporis verbum *faciam*, niſi quod omnia Deo ſunt præſentia, & in diuina prædeſtinatione, futura quaſi tranſacta eſſe credenda ſunt? Quod enim futurum fuit vt fieret, hoc quaſi tranſactum fuit. *Ego te clarificaui*, quaſi dixiſſet, ego te clarificabo prædicationis gloria, quam in diſcipulis ſuis toto mundo efficit; dum opus conſummabo paſſionis meæ & reſurrectionis, quod dediſti mihi vt faciam.

D

Sed nunc verò clarifica me tu pater.] Dicendo enim, *te clarificaui ſuper terram*, ſe autem à patre apud eundem patrem poſtulat clarificandum, modum profectò vtriuſque clarificationis oſtendit. Ipſe quippe patrem clarificauit ſuper terrā, eum gentibus prædicando. Pater verò ipſum apud ſemetipſum, ad ſuam dexteram collocando. Subiunxit:

E

Claritate quam habui apud te, priuſquam mundus fieret.] Ordo verborum eſt, *quam habui apud te, priuſquam mundus eſſet.* In hoc valet quod ait: *Et nunc clarifica me*, hoc eſt, ſicut tunc, ita & nunc: ſicut tunc prædeſtinatione, ita & nunc perfectione, fac in mundo quod apud te fuerat ante mundum. Fac in ſuo tempore, quod ante omnia tempora

A ſtatuiſti. Conuenit nos intelligere in hoc loco prædeſtinationem claritatis humanæ, quæ in illo? Naturæ ex mortali immortalem apud patrem futuræ, & hoc iam prædeſtinando factum fuiſſe antequam mundus eſſet. Quod in mundo etiam ſuo tempore fieret. Sicut enim de nobis dixit hîc videns prædeſtinationem filij Apoſtolus: Epheſ. 1. *Sicut elegit nos in ipſo ante mūdi conſtitutionem.* Nec formidare debemus prædeſtinatum dicere filium Dei ſecundum humanitatem, qui in tempore ſuo venit in mundum, ante tamen omnia tempora prædeſtinatum eſſe. Illud autem prædeſtinatum fuit quod nondum erat vt fieret, quod Deus voluit vt eſſet. De qua prædeſtinatione ait Apoſtolus in principio Epiſtolæ ad Romanos: *Qui factus eſt ei ex ſemine Dauid ſecundum carnem, qui prædeſtinatus eſt filius Dei in virtute.* Secundum hanc prædeſtinationem etiam clarificatus eſt antequā mundus eſſet, vt & claritas eius eſſet ex reſurrectione mortuorum apud patrem, ad cuius dexterā ſedet.

Manifeſtaui nomen tuum hominibus, quos dediſti mihi de mūdo.] Quod ergo facturus erat per doctores ſanctos in toto orbe poſt gloriam reſurrectionis & aſcenſionis ſuæ, & poſt Spiritus ſancti dona quæ in diſcipulos delata ſunt, hoc quaſi factum eſſe dixit. Tale eſt hoc, quale & illud quod paulo ante dixit: *Ego te clarificaui ſuper terram*, pro tempore futuro & illic & hic præteritum ponēs tempus, ſicut qui ſciret prædeſtinatum eſſe vt id fieret, & ideò feciſſe ſe dicēs, quod erat ſine vlla dubitatione facturus. Sequitur.

Tui erant, & mihi eos dediſti, & ſermonem tuum ſeruauerunt. Nunc cognouerunt quia omnia quæ dediſti mihi abs te ſunt, quia verba quæ dediſti mihi dedi eis, & ipſi acceperunt & cognouerunt verè quia à te exiui, & crediderūt quia tu me miſiſti.] Quanquam & hæc omnia de omnibus futuris fidelibus dici potuerint re † imperfecta, cum adhuc eſſet futura; tamen & hæc ſpecialiter de diſcipulis dici poſſunt. † al. ſpe perfecta. Ad quos tunc præſentialiter loquebatur, quia illud quod ſequitur: *Cum eſſem cum eis, ego ſeruabam eos in nomine tuo, quos dediſti mihi cuſtodiui, & nemo ex his periit, niſi filius perditionis.* Iudam ſignificans qui tradidit eum, qui vnus fuit de duodecim. Magis huic ſenſui conuenit, vt Apoſtolis ſpecialiter hæc loqueretur. Deinde ſubiungit: *Nunc autem ad te venio*, cum manifeſtum eſt eū de corporali ſua dixiſſe præſentia, *Cum eſſem cum eis ego ſeruabam eos*, veluti iam cum eis ea præſentia non eſſet. Eo modo enim ſignificare voluit aſcenſionē mox futuram, de qua dicit; *Nunc autem ad te venio.* Iturus vtique

ad dexteram patris, vnde venturus eſt ad viuos & mortuos iudicandos, Præſentia, inquit, corporali ſecundum fidei regulam, ſanamque doctrinam. Nam præſentia ſpiritali cum eis erat ſemper, & cum tota Eccleſia ſua in hoc mundo vſque in conſummationem ſeculi. Quod verò ait, vt ad ſuperiora redeamus, *manifeſtaui nomẽ tuum hominibus quos dediſti mihi*: non illud nomẽ quod Deus es, ſed illũ nomen quod pater meus es. Quod nomen manifeſtari non poteſt, ſine illius filij manifeſtatione. Nam verò illud nomen quod Deus eſt, nulli naturæ rationabili incognitum omnimodis eſſe putauit. Hæc eſt enim veræ vis diuinitatis, vt creaturæ rationali, non omninò incognitus poſſit abſcondi, exceptis paucis in quibus natura rationalis nimiũ deprauata eſt. Propemodum omnes gentes Deum eſſe fatentur; licet diuerſis erroribus verum Deum agnoſcere impediantur. Quod verò in Pſalmis legitur: *Notus in Iudæa tantum Deus*, quia legitimo cultu tantummodo Deum verum cognouerunt & coluerunt. In hoc verò quod pater eſt Chriſti, per quẽ tollit peccata, ignotum fuit antequam veniſſet Chriſtus in mundum, niſi tantùm quibus Deus per ſpiritum prophetiæ reuelauit hoc myſterium magnum & abſconditum, quod poſt aduentum eius in mundum prædicatum eſt gentibus. Creditum eſt in hoc mundo, aſſumptum eſt in gloria. Quod verò addidit: *Quos dediſti mihi*, hoc eſt, quod paulo ante dixit: *Nemo poteſt venire ad me, niſi pater qui miſit me adtraxerit eum. Quos dediſti mihi de mundo*, hoc eſt, quibus per regenerationem hoc præſtitit, non quibus natura per natiuitatem contulit. Quid eſt quod ſequitur: *Tui erant, & mihi eos dediſti*? in humanitate hanc poteſtatem ſe accepiſſe à patre dicit, vt eos haberet quos pater elegit, & prædeſtinauit ante conſtitutionem mundi. Non ſolum Pater, ſed & Filius & Spiritus ſanctus, vt ſit vnum opus ſanctæ Trinitatis inſeparabilis, & omni modo æqualis. Pereat hæc cognitio carnalis à mundo. Sibi à patre dicit filius datos eſſe homines, quibus alio loco dicit: *Ego vos de mundo elegi.* Quos de mundo Dei filius elegit cum patre, idem ipſe homo filius de mũdo eos accepit à patre. Sequitur:

Pſalm. 75.

Et ſermonem tuum ſeruauerunt, nunc cognouerunt quia omnia quæ dediſti mihi abs te ſunt. Id eſt, cognouerunt quæ abs te ſunt. Simul enim pater dedit omnia cùm genuit qui haberet omnia, ſicut in prioribus huius Euangelij ipſe Dominus dicit: *Sicut enim pater habet vitam in ſemetipſo, ſic dedit & filio vitam habere in ſemetipſo*, id eſt, genuit filiũ vitam habentẽ in ſemetipſo, quia verba quæ dediſti mihi dedi eis, & ipſi acceperunt, id eſt intellexerunt atque tenuerunt. Tunc enim verbum accipitur, quãdo mente percipitur, & tenetur ne obliuione pereat. *Et cognouerunt*, inquit, *verè quia à te exiui, & crediderunt quia tu me miſiſti.* Et hic ſubaudiendum eſt, verè. Quod enim dixit, *cognouerũt* verè, exponere voluit adiungendo: *& crediderunt.* Hoc itaque crediderũt verè, quod cognouerunt verè. Id enim eſt, *à te exiui*, quod eſt, *tu me miſiſti.* Sed tamen adhuc nõ erant diſcipuli tales, quales eos dicit futuros eſſe verbis præteriti temporis vſus: quaſi iam eſſent pronuntians quales futuri eſſent, accepto ſcilicet Spiritu ſancto, qui eos ſicut promiſſum eſt doceret omnia, & induceret eos in omnem veritatẽ. Dedit eis verba, ſicut dixit, quæ dedit ei pater. Sed quando illa non foris in auribus, ſed intus in cordibus ſpiritaliter acceperũt, tunc verè acceperunt, quia tunc verè cognouerũt. Verè autem cognouerunt, quia verè crediderunt. Sed hæc verba quæ dicit filius ſibi dediſſe, ſi ad diuinitatis vnitatem intellegitur pertinere, eo modo dedit verba Pater Filio, quo genuit Verbum coæternum ſibi. Si verò ad humanitatẽ reſpicit, quis intellegit quomodo dediſſet, vel quomodò accepiſſet Deus homo factus ex virgine, quãdo etiam ipſam quæ de virgine facta eſt, generationem quis enarrabit? Sequitur:

Ego pro eis rogo, non pro mundo rogo, ſed pro his quos dediſti mihi.] Hæc enim dixit inter alia dum oraret pro eis, quos dedit ei pater. Mundum vult modo intellegi, qui viuunt ſecundum concupiſcentiam mundi, & non ſunt in ea ſorte gratiæ, vt ab illo eligantur ex mundo. Non itaque pro mundo, ſed pro eis quos pater dedit, rogare ſe dicit. Per hoc enim quod eos illi pater iam dedit, factum eſt; vt non pertineant ad eũ mundum, pro quo non rogat. Deinde ſubiungit:

Quia tui ſunt.] Neque enim quia pater eos filio dedit, amiſit ipſe quos dedit, cùm adhuc filius ſequatur ac dicat:

Et mea omnia tua ſunt, & tua mea.] Vbi ſatis apparet, quomodo vnigeniti filij ſint omnia quæ ſunt patris, per hoc vtique, quod etiam ipſe Deus eſt, & de patre, patri natus æqualis. Hoc enim dictum eſt de ſancta & rationabili creatura quã elegit Deus, & quæ ſubdita eſt patri & filio, & æqualiter eſt patris & filij. Hæc ergo cùm ſit Dei patris, non ſimul eſſet & filij, niſi patri filius eſſet æqualis. Nec fas eſt vt ſancti de

quibus hæc locutus eſt, cuiuſquam ſint, niſi eius à quo creati & ſanctificati ſunt. Ergo cùm & patris & filij ſunt, æquales eſſe demonſtrant, quorum æqualiter ſunt.

Et clarificatus ſum, inquit, *in eis.*] Nunc ſuam clarificationem tanquã facta ſit dicit, cum adhuc eſſet futura. *Clarificatus ſum in eis*, id eſt, per eorum prædicationem clarificatus ſum in toto mundo. Et quia prædeſtinatum eſt vt fieret, certum voluit eſſe quod futurum erat. Ideò præteriti temporis verbo vſus eſt.

Et iam, inquit, *non ſum in mundo, & hi in mundo ſunt.*] Significat horam in qua tranſiturus erat ex hoc mundo, & verbo præſentis temporis vſus eſt pro futuro, quia citò erat futurum, quaſi factum eſſet dixit. Quod autem ait: *Et hi ſunt in mundo*, ſignificat enim eos ad quos loquebatur tardius tranſire ex hoc mundo, dum illo abeunte ex hoc mundo neceſſe eſſet vt illi remanerent, per quos prædicaretur nomen eius ſanctum in mundo. Præuidenſque quid eos mouere poſſet qui audirent hæc quæ legerent, adiecit:

Nunc autem ad te venio.] Aſcenſionis gloriã deſignat, per quã eleuatus eſt homo ſuper altitudinem cœlorum, & omnium Angelicarum poteſtatum dignitates, ita vt in dextera Dei patris collocaretur: commendatque eos patri, quos corporali abſentia relicturus eſt dicens:

Pater sãcte ſerua eos in nomine tuo, quos dediſti mihi.] Nempe ſicut homo Deum rogat pro diſcipulis ſuis quos accepit à Deo. Attende quid ſequitur:

Vt ſint, inquit, *vnum, ſicut & nos.*] Non ait, Vt nobiſcum ſint vnũ, aut vt ſimus vnum ipſi & nos, ſicut vnum ſumus nos; ſed ait, *Vt ſint vnum ſicut & nos*, ipſi vtiq. in natura ſua ſint vnum, ſicut & nos in noſtra vnum ſumus. Quod proculdubio non diceret, niſi ſecundũ hoc diceret, quod filius æqualis eſt patri, ſicut in alio loco dicit: *Ego & pater vnum ſumus*, non ſecundum id quod homo eſt. Nam ſecundum hoc dixit: *Pater maior me eſt.* Sed quoniam vna eademque perſona eſt Deus & homo, intellegimus hominem in eo quod rogat. Intellegimus autem Deum, in eo quod vnum ſunt, & ipſe & ille, quem rogat. Sequitur:

Cùm eſſem cum eis, ego ſeruabam eos in nomine tuo.] Me, inquit, veniente ad te ſerua eos in nomine tuo, in quo eos quando cum eis eram & ipſe ſeruabam. In nomine patris ſeruabat diſcipulos ſuos filius hominis in humana præſentia conſtitutus, ſed etiam pater in nomine filij ſeruabat quos in nomine filij petentes exaudiebat. His quippe idem filius dixerat: *Amen amen dico vobis, ſi quid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis.* Simul enim nos cuſtodiunt Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, qui eſt vnus verus beatus Deus. Intellegamus, cùm ita loquitur ſicut hic locutus eſt, perſonas eum diſtinguere, non ſeparare naturam, licet ablata ab eis corporali præſentia filij. Sed nunquã ſpiritalis cuſtodia deerat, de qua dicit: *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus, vſque ad conſummationem ſeculi.*

Quos dediſti mihi cuſtodiui, & nemo ex his periit, niſi filius perditionis, vt ſcriptura impleatur.] Filius perditionis dictus traditor Chriſti, de quo in Pſalmo centeſimo octauo maxime prophetatur.

Nunc autẽ ad te venio, & hæc loquor in mundo, vt habeant gaudium meum impletum in ſemetipſis.] Ecce in mũdo loqui ſe dicit, qui pau lo ante dixerat: *Iam non ſum in mũdo.* Ergo & qui non natura ibat, hic adhuc erat, & quia fuerat habiturus, hic quodãmodo iam non erat. Quid ſit autem hoc gaudium de quo ait: *Vt habeant gaudium meum impletum in ſemetipſis*, iam ſuperiùs expreſſum eſt, *Vt ſint vnum ſicut & nos.* Hoc gaudiũ ſuum, id eſt, à ſe in eos conlatum, in eis dicit implẽdum, propter quod locutum ſe dixit in mundo. Hæc eſt pax illa & beatitudo in futuro ſeculo, propter quam conſequendam temperanter & iuſtè, & piè viuendum eſt in hoc ſeculo. Loquens adhuc Dominus ad patrem, & orans pro diſcipulis ſuis:

Ego dedi eis ſermonem tuum.] In prioribus expoſitum eſt.

Et mundus eos odio habuit.] Significat paſſiones, quas in mundo habituri erant à perſecutoribus quos hîc mundi nomine demonſtrat, deinde cauſam ſubiiciens, cur eos oderit mundus.

Quia non ſunt, inquit, *de mundo ſicut & ego non ſum de mundo.*] Sed aliter illi, aliter ego. Illi regeneratione, ego generatione. Illi eguerunt ſecunda natiuitate, quia in peccatis nati ſunt: ego quia ſine peccato natus ſum, non egui regeneratione. Donatũ eſt ergo eis, vt de mundo non eſſent; ego vero nunquam fui de mundo, quia nunquam in peccato. Ipſe autem de mundo nunquam fuit, quia etiam ſecũdum formam ſerui, de Spiritu ſancto natus eſt, de quo illi renati. Si ergo illi ideo non de mundo quia renati ſunt de Spiritu ſancto, proptèrea ille nunquam de mundo, qui natus eſt de Spiritu ſancto.

Non rogo, inquit, *vt tollas eos de mũdo, ſed vt ſerues eos ex malo.*] Adhuc enim neceſſarium

fuit, quamuis iam non eſſent de mũdo, eſſe A tamen in mundo; vt impleretur quod di-Pſalm. 18. ctum eſt: *In omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.*

Sanctifica eos in veritate.] Sic enim ſeruantur ex malo, quod ſuperius orauit vt fieret de malo perfidiæ, in quo cecidit Iudas proditor. Sanctificantur itaque in veritate, hæredes teſtamenti noui, cuius veritatis vmbræ fuerunt ſanctificationes veteris teſtamenti, & cum ſanctificantur in veritate, vtique ſanctificantur in Chriſto qui veraciter dixit: *Ego ſum via, & veritas, & vita. Veritas* B *liberabit vos.* Paulo ante exponẽs Ieſus quid dixerit, *Si vos filius*, inquit, *liberabit, verè liberi eritis.* Vt oſtenderet hoc ſe prius dixiſſe veritatem, quod poſtmodum filium. Quid ergo aliud & hoc dixit: *Sanctifica eos in veritate*, niſi ſanctifica eos in me? Denique ſequitur, & hoc apertius inſinuare nõ deſinit.

Sermo etiam tuus, inquit, *veritas eſt.*] Quid aliud dixit, quàm ego veritas ſum? Sanctificat itaque pater in veritate, id eſt, in verbo ſuo, in vnigenito ſuo, ſuos hæredes, eiuſque cohæredes. Sed nunc adhuc de Apo- C ſtolis loquitur, nam ſecutus adiungit.

Sicut me miſiſti in mundum, & ego miſi eos in mundum.] Quos miſit, niſi Apoſtolos ſuos? Nam & ipſum nomen Apoſtolorum quod Græcũ eſt, nihil niſi miſſos ſignificat in Latino. Miſit ergo Dominus filium ſuũ abſque peccato conceptum & natum. Miſit ergo filius diſcipulos ſuos quos ipſe ſanctificauit, vel per baptiſmi ſacramentum, vel per ſanguinis ſui redemptionem, vt prædicarent mundo ſanctificationem & ablutionem remiſſionemque peccatorum ſuo- D rum. Vnde & ſubiecit.

Et pro eis ego ſanctifico meipſum.] Id eſt, in eo, quia non veni facere voluntatem meã, ſed volũtatem eius qui miſit me patris. Sãctificatio fidelium eſt obedientia filij, qui obediens patri vſque ad mortem, mortem Philip. 2. autem crucis. Propter quod & Deus exaltauit illum. Quod vero ait.

Vt ſint & ipſi ſanctificati in veritate.] Hoc eſt, in meipſo, ſicut & ego ſanctificatus ſum E in verbo Dei; vt & ipſi ſint in veritate, quæ eſt verbũ Dei ſanctificati. Nam ſuſceptio humanitatis ſanctificata eſt in vnitate perſonæ verbi Dei, & quia ille caput & omnium ſanctorum, & illi membra, & membra quoque per capitis ſanctificationem ſint ſancta in ea veritate, qua caput eſt ſanctificatum. Ideo & in ſequentibus non pro his tantum ſe rogare dixit, qui tunc corporali præſentia cum eo erant, ſed etiam pro omnibus fidelibus, qui per eorum verbum crediturí erant per eos. Igitur ſubiecit, & ait.

Non pro his rogo tantum.] Id eſt, pro diſcipulis, qui cum illo tunc erant.

Sed & pro eis qui credituri ſunt per verbum eorũ in me.] Vbi omnes ſuos intellegi voluit, non ſolũ eos qui tunc erãt in carne, ſed etiã qui futuri erant. Quotquot enim poſtea crediderunt in eum, per verbum Apoſtolorum ſine dubio crediderunt, & donec veniat credituri ſunt. Ipſis enim dixerat: *Et vos teſtimonium perhibetis, quia ab initio mecum eſtis, & per vos Euangelium miniſtratum eſt.* Et antequam ſcriberetur, & vtique quiſquis in Chriſtum credit, per Euangelium credit. Non itaque hi tantum intellegendi ſunt, quos ait in ſe credituros per verbum eorum, & nos longè poſt nati per verbum eorum credidimus in Chriſtum: quoniam ipſi qui cum ipſo tunc fuerunt, quod ab illo acceperunt, cæteris prædicauerunt. Itaque per verbum eorum factum eſt vt etiam nos crederemus, immò & omnes vſque in finem mundi, vbicunque Eccleſia Chriſti erit, per verba Apoſtolicæ prædicationis credituri erunt. Sequitur.

Vt omnes vnum ſint.] Vnum in charitate, vnum in fide, vnum in pace; quia in vnum regnum futuri ſunt. Licet in eo regno mãſiones diuerſæ ſint, propter merita ſanctorum diuerſa: tamen quicunque in eo regno erit, beatus erit, & ſufficiet ſibi quod habuerit, in eo gaudet quod poſſidet.

Sicut & tu pater in me, & ego in te.] Hoc eſt, quod paulo ante dixit: *Ego in patre, & pater in me.* Nam totus pater in filio eſt, & totus filius in patre: & qui filium habet, habet & patrem: & qui patrem habet, habet & filium. Vnde ſubiecit.

Vt & ipſi in nobis vnũ ſint.] Id eſt, vna charitate nos diligant, & vna fide nos credant, & in vna ſpe in nobis confidãt, vt ſit vnitas corporis in capite, & ſit vnus Deus omnia in omnibus. Qui enim orat pro nobis, mortuus eſt pro nobis, & viuit pro nobis, vt nos viuamus in illo. Poteſt & ita intellegi, vt in nobis vnum ſint, id eſt, in charitate vnũ ſint nobis templum. Vnde dicitur: Quia factus Pſal. 75. eſt in pace locus eius, & habitatio eius in Sion, quæ nos ſumus.

Et mundus credat, quia tu me miſiſti.] Duobus modis, vt diximus, mundus intellegitur: aliter in peccatoribus, aliter in ſanctis. Hic nominat mundum eos qui credituri erant, vel qui tunc credebant Chriſtum filium Dei eſſe, ad ſalutem humani generis miſſum eſſe à patre in mundum.

Sed & ego claritatem quam dediſti mihi dedi

eis.] Quæ eſt iſta clarificatio, niſi illa de qua paulo ante dixit, *Clarificaui nomen tuum*? Iſta clarificatio, cognitio eſt nominis omnipotentis patris in filio. Hanc claritatem dedit filius fidelibus ſuis, id eſt, hanc prædicationem vt prædicarent eum patri eſſe æqualem in diuinitate, & patre eſſe minorem in forma ſerui, in qua factus eſt filius hominis, vt nos eſſemus filij Dei. In qua natiuitate vnum debemus eſſe, de qua & ſubdidit.

A

Vt ſint vnum, ſicut & nos vnum ſumus.] Illi in ſua natura vnum in charitate, nos in noſtra vnum ſumus in vnitate ſubſtantiæ & gloriæ.

B

Ego in eis, & tu in me.] Ego in eis, ſicut caput in membris, & tu in me, ſicut pater in filio.

Vt ſint conſummati in vnum.] Id eſt, perfecti, quod perficiet qui nos voluit vnum eſſe in ſe & per ſe.

Vt cognoſcat mundus quia tu me miſiſti, & dilexiſti eos ſicut & me dilexiſti.] Dilexiſti eos, vt eſſent quod non erant. Dilexiſti me, vt eſſem quod ſemper fui. Dilexiſti me ſicut vnicum, illos itaque ſicut adoptiuos. Dilexiſti eos, vt per me in te eſſent. Dilexiſti me, vt per te in te eſſem. Sequitur.

C

Pater, quos dediſti mihi, volo vt vbi ſum ego, & illi ſint mecum.] Nunc per fidem, tunc ergo fiet per ſpeciem. Cum Chriſtus apparuerit vita noſtra, tunc & nos cum illo apparebimus in gloria. Tunc apparebimus quod tunc erimus, quia tunc apparebit antequam eſſemus quod tunc erimus.

Vt videant claritatem eam quam dediſti mihi.] Fortaſſis ergo de illa claritate dicit, in qua ſedet ad dexteram Dei patris. Continuò ſubiungit.

D

Quia dilexiſti me ante conſtitutionem mundi.] In illo enim dilexit & nos ante conſtitutionem mundi, & tunc prædeſtinauit quod in fine facturus eſt mundi.

Pater iuſte, mundus te non cognouit.] Quia iuſtus es, ideo te non cognouit. Mundus vero quia damnandus eſt per iuſtitiam, te nō cognouit. Ille vero quia ſaluandus erat per miſericordiam, te cognouit. Mundus verò quem per Chriſtum reconciliauit ſibi, non merito, ſed gratia cognouit. Quid eſt enim eum cognoſcere, niſi vita æterna, quam mundo damnato vtique non dedit, reconciliato dedit? & vt cognoſceret, non ei merito, ſed gratia ſubueniſti. Denique ſequitur.

E

Ego autem te cognoui.] Ipſe fons gratiæ eſt Deus natura, homo autem de Spiritu ſancto & Virgine, ineffabili gratia in vnitatem perſonæ filij Dei aſſumptus eſt. Per illum cognouerunt hi, & omnes per eos credituri.

Quia tu me miſiſti.] Quia tu me miſiſti, ideo cognouerunt. Igitur per gratiam cognouerunt.

Et notum feci eis, inquit, nomen tuum, & notum faciam.] Notum feci per fidem, notū faciam per ſpeciem. Notum feci in ſæculo peregrinantibus, notum faciam in cælo regnantibus.

Vt dilectio, qua dilexiſti me in ipſis ſit, & ego in ipſis.] Quomodo autem dilectio, qua dilexit pater filium, eſt & in nobis? niſi quia membra eius ſumus, & in illo diligimur, cùm ille diligitur totus, id eſt, caput & corpus? Ideo ſubiunxit: *Et ego in ipſis*, tanquam diceret, *quoniam ego ſum & in ipſis.* Terminato magno prolixoque ſermone, quem poſt Cænam Dominus de fundendo pro nobis ſanguine proximus paſſioni ad diſcipulos habuit, qui cum illo tunc erant; adiuncta oratione, quam direxit ad patrem pro ſuis, deinceps eius paſſionem Ioannes Euangeliſta ſic orſus eſt.

Cap. XL.

Traditionis ac paſſionis eius per ordinem geſta narrantur.

Hæc cùm dixiſſet Ieſus, egreſſus eſt cum diſcipulis ſuis trans torrentem Cedron.] Genitiuus pluralis in Græco quod poteſt Latinè Cedron dici. Tunc adpropinquauit tempus, de quo in Pſal. legitur: *De torrente in via bibit.* In via huius vitæ de torrente paſſionis bibit: *propterea exaltauit caput*; quod Apoſtolus ita expoſuit: *Chriſtus obediens patri vſque ad mortem, mortem autem crucis. Pro quod & Deus exaltauit illum.* Pſalm. 10 Philip. 2

Vbi erat hortus, in quem introiuit ipſe & diſcipuli eius.] Bene in horto miſeriæ noſtræ comprehenſus eſt, vt nos in hortum beatitudinis ſuæ induceret. Igitur in horto delitiarum id eſt, in paradiſo, primus humani generis peccauit, & inde eiectus eſt in hanc vallem lachrymarum. Ideo Chriſtus ſecundus Adam ſe in horto comprehendi voluit, vt peccatum quod in horto Paradiſi (nam Paradiſus hortus delitiarum interpretatur) primus homo commiſit, deleretur.

Sciebat autem & Iudas qui tradebat eum locum, quia frequenter Ieſus conuenerat illuc cum diſcipulis.] Hoc quod narrat ingreſſum Dominum cum diſcipulis ſuis in hortum, non continuo factum eſt, cum eius illa finita eſſet oratio, de cuius verbis ait: *Hæc cum di-*

xiſſet Ieſus, ſed alia quædam ſunt interpoſita, quæ ab ipſo prætermiſſa, apud alios Euãgeliſtas leguntur: ſicut apud hunc inueniuntur multa, quæ illi ſimul in ſua narratione tacuerunt. Ad hoc vero valet quod dictum eſt: *Hæc cum dixiſſet Ieſus*, vt non eum ante opinemur venire in hortum, quàm illa verba finiret & illam orationem, quæ leguntur in prioribus poſt cænam ſanctam eum dixiſſe vel oraſſe. *Sciebat autem*, inquit, *& Iudas qui tradebat eum locum.* Ordo verborum eſt, ſciebat locum qui tradebat eum, *quia frequenter*, inquit, *Ieſus conuenerat illuc cum diſcipulis ſuis.* Ibi ergo lupus, ouina pelle contectus, & inter oues alto patris familias conſilio toleratus, didicit vbi ad tempus exiguum diſpergeret gregem, inſidiis appetendo paſtorem.

Iudas ergo, inquit, *cùm accepiſſet cohortem, & à principibus & Phariſæis miniſtros, venit illuc cum laternis & facibus & armis.*] Cohors non Iudæorum, ſed militum fuit. A præſide itaque intellegatur accepta, tanquã ad tenendum reum, ſeruato ordine legitimæ poteſtatis, vt nullus tenentibus auderet obſiſtere. Ideo tanta manus inimicorum congregata eſt, vt nullus adprehendentibus vel contradicere, vel defendere Ieſum auderet. Ita quippe eius abſcondebatur poteſtas, obtendebatur infirmitas, vt hæc inimicis neceſſaria viderentur aduerſus eum, in quem non valuiſſent: niſi quia ipſe voluiſſet, bene vtens bonus malis, & faciens bona de malis. Ieſus autem ſicut Euangeliſta ſecutus adiungit.

Sciens omnia quæ ventura erant ſuper eum.] Sciebat, & voluit vt comprehenderetur, quia ad hoc venit in mundum vt hoc fieret quod voluit, & tunc impleretur quando voluit.

Proceſſit & dixit eis, Quem quæritis?] Proceſſit, paratus ad paſſionem, & interrogans quem quærerent, non quaſi ignarus eorum voluntatis, ſed vt ſcirent ipſum eſſe quem quærerent.

Reſponderunt: Ieſum Nazarenum.] Ieſus Nazarenus dicebatur, quia in Nazareth nutritus eſt, vt impleretur prophetia: *Quoniam Nazareus vocabitur.*

Dicit eis: Ego ſum.] Non abſcondit ſe, ſed oſtendit; quia qui voluntate ſua venit in mundum, voluntate ſua poſuit animam ſuam pro mundo.

Stabat autem & Iudas qui tradebat eum cum ipſis. Vt ergo dixit eis: Ego ſum, abierunt retrorſum, & ceciderunt in terram.] Vbi nunc militum cohors, & miniſtri principum ac Phariſæorum? Vbi terror & munimen armorum? Nempe vna vox dicentis: *Ego ſum*, tantam turbam odiis ferocem, armiſque terribilem, ſine vllo telo percuſsit, repulit, ſtrauit. Deus enim latebat in carne, & ſempiternus dies ita membris occultabatur humanis, vt laternis & facibus quæreretur occidendus à tenebris: *Ego ſum* dicit, & impios deiecit. Quid iudicaturus faciet, qui iudicandus hoc fecit? Quid regnaturus poterit, qui moriturus hoc potuit? & nunc vbique per Euangelium, *ego ſum*, dicit Chriſtus, & à Iudæis expectatur Antichriſtus, vt retro redeant, & in terram cadant. Quare qui venerunt ad comprehendendum non tenuerunt, quem ſi noluiſſet ille qui ait, *ego ſum*, non tenerent. Illi quærebant eum adprehendere, ille quærebat eos & viuificare, propter quod venit ad nos. Oſtendit quærentibus poteſtatem, quia habuit in poteſtate animam ſuam ponere, quam poſuit hora paſsionis, oſtendit quod noſtræ redemptionis impleretur myſterium.

Iterum ergo eos interrogauit. Quem quæritis?] Si quæritis, quare non adprehenditis? niſi quia in veſtra non eſt poteſtate adprehendere, ſed in eius qui venit vt adprehendatur.

Illi autem dixerunt: Ieſum Nazarenum. Reſpondit Ieſus: Dixi vobis quia ego ſum. Si ergo me quæritis, ſinite hos abire, vt adimpleretur ſermo quem dixit: Quia quos dediſti mihi, non perdidi ex eis quenquam.] *Si me quæritis*, inquit, *ſinite hos abire*: Inimicos videt, & hoc faciunt quod iubet, ſinunt hos abire, quos non vult perire. Numquid autem non erant poſtea morituri? Cur ergo ſi tunc morerentur perderet eos, niſi quia nondum in eum ſic credebant, quomodo credunt quicumque non pereunt.

Simon ergo Petrus habens gladium eduxit eũ, & percuſſit principis ſeruum, & abſcidit eius auriculam dexteram. Erat autem nomen ſeruo Malchus.] Solus hic Euangeliſta etiam nomen ſerui huius expreſsit, ſicut Lucas ſolus quod eius auriculam Dominus tetigerit, & ſanauerit eum. Malchus autem interpretatur regnaturus. Quid ergo auris pro Domino amputata, & à Domino ſanata ſignificat, niſi auditum amputata vetuſtate renouatum, vt ſit in nouitate ſpiritus, & non in vetuſtate literæ? Quod cui præſtitum fuerit à Chriſto, quis dubitet regnaturum eſſe cum Chriſto? Seruus dictus eſt propter ſeruitutem legalem, ſanus autem dicitur, propter Euangelicam libertatem. Factum tamen Petri Dominus improbauit, & progredi vltra prohibuit, dicens:

Mitte gladium in vaginam, calicem quem de-

dit mihi pater non bibam illum?] Non bibam illum, interrogatiuè vel increpatiuè legendum eſt, quaſi dixiſſet, Non bibam illum calicem quem pater mihi dedit bibere? Quare reſiſtere vis voluntati omnipotentis patris, immo & ſalutis tuæ calici? In ſuo quippe facto ille diſcipulus magiſtrum defendere voluit. Neſcimus adhuc diſpenſationem paternæ voluntatis, quid ex hoc fieri venturum voluiſſet. Quod autem à patre ſibi dicit datum calicem paſſionis, profectò illud eſt quod ait Apoſtolus:

Rom. 8.

Si Deus pro nobis, quis contra nos? qui filio proprio nō pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit eum. Verùm auctor calicis huius eſt, etiam ipſe qui bibit. Vnde idem Apoſtolus item dicit:

Epheſ. 5.

Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis, oblationem & hoſtiam Deo in odorem ſuauitatis.

Cohors ergo, & tribunus, & miniſtri Iudæorum comprehenderunt Ieſum, & ligauerunt eum.] Comprehenderunt, ad quem non acceſſerunt, nec audierunt:

Pſal. 35.

Accedite ad eum, & illuminamini. Nunc autem quando eum illo modo comprehenderunt, tunc ab eo longiùs receſſerunt, & ligauerunt eum, à quo ſolui potius velle debuerunt. Poſteaquam perſecutores tradente Iuda comprehenſum Dominum ligauerunt, qui nos dilexit, & tradidit ſemetipſum pro nobis omnibus, & cui pater non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit eum.

Adduxerunt eum ad Annam primum.] Nec enim Ioannes iſtam tacet cauſam, quare hoc ita factum ſit, dicens:

Erat enim, inquit, *ſocer Caiphæ, qui erat Pōtifex anni illius. Erat autem Caiphas qui conſilium dedit Iudæis; quia expedit vnum hominem mori pro populo.*] Ductus eſt ad Annam primum, & poſtea ad Caiphan, vt cognatio ſanguinis & ſceleris eos faceret conſortes. Moyſes Deo iubente præceperat, vt pontifices patribus ſuccederent, vt generationis in ſacerdotibus ſeries conſeruaretur. Refert Ioſephus, iſtum Caiphan vnius tantum anni ab Herode pretio redemiſſe ſacerdotium. Non ergo mirum ſi iniquus pontifex iniquè iudicauerit. Sæpè qui per auaritiam ad ſacerdotium accedit, per iniuſtitiam verſatur in eo, & ſceleratum initium funeſto fine conſumitur.

Sequebatur autem, inquit, *Ieſum Simon Petrus, & alius diſcipulus.*] Quiſnam ſit iſte diſcipulus, non temerè adfirmādum eſt, quia tacetur. Solet autem ſe idem Ioannes ita ſignificare, & addere: *quem diligebat Ieſus.* Fortaſsis ergo & hic ipſe eſt, quia iuxta crucem Ieſu ſtabat, cui ille matris commendauit cuſtodiam. Dicit Matthæus de Petrō:

Mat. 22.

Petrus ſequebatur eum à longe. A longe ſequebatur, quia erat eum negaturus, vt videret finem, vel amore magiſtri, vel humana curioſitate ſcire cupiens, quid pontifex iudicaret, an flagellis cæſum dimitteret.

Diſcipulus autem ille, inquit, *erat notus Pontifici, & introiit cum Ieſu in atrium pontificis. Petrus autem ſtabat ad oſtium foris.*] Foris autem ſtabat, quia negaturus erat Dominum: nec erat in Chriſto, qui Chriſtum confiteri non fuit auſus.

Exiit ergo diſcipulus alius qui erat notus pontifici, & dixit oſtiariæ, & introduxit Petrum. Dixit ergo Petro ancilla oſtiaria: numquid & tu ex diſcipulis es hominis iſtius? Dicit ille: Nō ſum.] Hic agnoſcitur quàm verum ſit, quod ipſa veritas paulò antè dixit: *quia ſine me nihil poteſtis facere.* Ecce columna firmiſsima, ad vnius auræ impulſum tota contremuit. Vbi eſt illa promittentis audacia, & de ſe plurimum præſumentis? Vbi ſunt verba illa quādo ait: *Quare non poſſum ſequi te modo? animam meam pro te ponam*, hoc non eſt ſequi magiſtrū, ſed ſe negare diſcipulū eſſe. Sicne pro Domino anima ponitur, vt hoc ne fiat, vox ancillæ formidetur? Sanè in hoc conſiderandum eſt, quam periculoſum ſit Chriſtiano ſe Chriſtianum eſſe negare. Non enim Petrus in hoc loco dixit ſe Chriſtum negare, ſed diſcipulum Chriſti: tamen ipſe Chriſtus ante prædixit. *Ter me negaturus es.* Qui enim diſcipulum ſe Chriſti negauit, eſſe Chriſtianum negauit. Similiter qui ſe Chriſtianum negat eſſe propter aliquem timorem, etiam Chriſtum negat.

Stabant autem ſerui & miniſtri ad prunas, quia frigus erat, & calefaciebant ſe.] Frigus erat infidelitatis in cordibus illorum, in tantum etiam vt ille Princeps Apoſtolorum in eo frigore torpeſceret, quia nec dum calore ſancti Spiritus inflammatus fuit, in quo nō ſolum ipſe iterum poſt acceptum ſancti Spiritus donum non timuit Chriſtum coram imperatore & populo Romano confiteri; ſed etiam pueri imberbes & puellæ, ſancti Spiritus calore inflammatæ, Chriſtum publicè vſque ad mortem confitebantur, & pro eo mori non metuebant, quē clauiger cæli confiteri ad vnius ancillæ vocem formidauit.

Pontifex autem interrogauit Ieſum de diſcipulis eius, & de doctrina eius.] Non cognoſcendæ veritatis amore interrogauit, ſed vt cauſam inueniret, qua etiam eum accuſare potuiſſet, & tradere Romano præſidi ad damnandum.

Reſpondit Ieſus: Ego palam locutus ſum mun-

do, ego ſemper docui in Synagoga & in templo, quò omnes Iudæi conueniunt, & in occulto locutus ſum nihil.] Quid eſt quod palam ſe dicit loqui, & in oculos nihil loqui? dum in alio loco Apoſtolis dicit, dũ per parabolas turbis loquitur: *Vobis datum eſt noſſe myſterium regni Dei, cæteris autem in parabolis:* intellegendum eſt, ita eum dixiſſe, *palam locutus ſum mundo.* Ac ſi dixiſſet: Multi me loquentem audierunt, ipſum autem palam, quodammodo erat palam. Quod amodo autem nõ erat palam. Palam quippe erat, quia multi eum audiebant: & rurſus non erat palam, quia non intellegebant. Et quod ſeorſum diſcipulis loquebatur, non in occulto vtique loquebatur. Quis nanque in occulto loquitur, qui corã tot hominibus loquitur? cum ſcriptum ſit: *In ore duorum vel trium teſtium ſtabit omne verbum.* Præſertim ſi hoc loquitur paucis quod per eos vellet innoteſcere & multis, ergo & hoc ipſum quod ab eo dici videbatur occultè; quomodo non dicebatur in occulto? quia non ita dicebatur, vt ab eis quibus dictum fuerat taceretur, ſed ita potius, vt vſquequaque prædicaretur.

Quid me interrogas? interroga eos qui audierunt, quid locutus ſum ipſis: Ecce hi ſciunt, quæ dixerim ego.] Quaſi dixiſſet, *Quid me interrogas?* à quo veritatem audire non deſideras, ſed quem dãnare cupis? Interroga magis eos, de quorum dictis non habeas inuidiam. Ita temperauit Dominus reſponſionem ſuam, vt nec veritatem taceret, nec ſe defendere videretur.

Hæc autem cùm dixiſſet, vnus aſſiſtens miniſtrorum dedit alapam Ieſu dicens: Sic reſpondes Pontifici?] Hic impletur quod prophetatum eſt de eo. *Dedi maxillam meam percutientibus.* Percuſſit eum quaſi reum reſponſionis, ſed ille iniuſtè percuſſus, manſuetè reſpondit.

Si malè locutus ſum, teſtimonium perhibe de malo.] Omnis itaque qui contra veritatem loquitur, malè loquitur. Si autem veritatẽ nõ dixi, da teſtimonium contra me, in quo mendacium dixiſſem. *Si autem benè*, id eſt, verè, *quid me cædis?* Quid iſta reſponſione verius, manſuetius, iuſtius? Si cogitemus quis acceperit alapam, nonne vellemus eum qui percuſſit à cæleſti igne conſumi? aut terra dehiſcente ſorberi? aut correptum dæmonio volutari? Quid enim horum per potẽtiam iubere non potuiſſet, per quem factus eſt mundus? niſi patiẽtiam nos docere maluiſſet, à quo vincitur mundus. Fortè aliquis hic dicit, quare alteram maxillam percutienti non daret ſecundum præceptum ſuum? Non ſolum itaque alteram dedit maxillam percutienti, ſed etiam totum corpus ſuum ad crucifigendum tradidit, & magis vult præcepta ſua Dominus in cordis tranquillitate ſeruare, quàm in corporis oſtentatione demonſtrare.

Et miſit eum Annas ligatum ad Caipham pontificem.] Hi duo Annas & Caiphas principes fuerunt ſacerdotum, & per vices annuas ſacerdotium miniſtrabant, & erat tũc annus Caiphæ cùm paſſus eſt Chriſtus. Et credendum eſt, ſecũdum voluntatem Caiphæ factum eſſe, vt priùs duceretur ad Annam, vt minoris culpæ videretur, ſi alterius quoque conſacerdotis ſui damnaretur ſententia. Sed cùm dixiſſet Euangeliſta, quod eum ligatum miſit Annas ad Caipham, reuerſus eſt ad locum narrationis vbi reliquerat Petrum, vt explicaret, quod in domo Annæ de trina eius negatione contigerat.

Erat autem, inquit, *Simon Petrus ſtans & calefaciens ſe.*] Hoc recapitulat, quod ante etiam dixerat. Deinde quæ ſecuta ſunt iungit.

Dixerunt ergo ei: Numquid & tu ex diſcipulis eius es? Negauit, & dixit: Non ſum.] Iam ſemel negauerat ad ancillæ vocem: Ecce iterum eodem timore perterritus negauit. Deinde, vt tertia quoque negatio perficeretur, & verbum Domini prædicentis impleretur.

Dicit vnus ex ſeruis Pontificis, cognatus eius cuius abſcidit Petrus auriculam: Nonne ego te vidi in horto cum illo? Iterum ſicut antea negauit Petrus, & ſtatim gallus cantauit.] Ecce medici eſt completa prædictio, ægroti conuicta præſumptio. Non enim factum eſt quod iſte dixerat: *Animam meam pro te ponam*, ſed factum eſt quod ille prædixerat: *ter me negabis.* Sed hæc trina negatio timoris trina cõfeſſione amoris diluitur. Nec dum fuit amor in eo qui foras mitteret timorem: ſed adhuc timor ſeruilis valuit in corde eius, ſed nec dum reſpexit eum qui hæc prædixit ei. Sed & hoc magna Dei diſpenſatione geſtum eſſe credere debemus, quatenus ille cui oues ſuas ad patrem rediens Chriſtus commendaturus erat, per ſuam diſceret fragilitatem aliis miſereri, & fratrum culpas ignoſcere, dum ſuũ recordaretur peccatum, & aliorum compati poſſet fragilitati, qui ſui caſus ignarus non eſſet. Peracta itaque trina hac negatione Petri, reuerſus eſt Euangeliſta ad ordinem narrationis ſuę, vbi eam reliquerat.

Adducunt ergo, inquit, *Ieſum ad Caipham in prætorium.*] Ad Caipham quippe, ab Anna

collega & ſocero eius dixerat miſſum. Sed A ſi ad Caipham, cur in prætorium? Quod nihil aliud vult intellegi, quàm vbi præſes Pilatus habitabat, & aut damnationis cauſa Chriſti Caiphas perrexit in prætorium ad Pilatum, aut Pilatus in domo Caiphæ prætorium habebat: & tanta fuit amplitudo, vt vtroſque capere potuiſſet, & ſeorſum habitantem Dominum ſuum, ſeorſum iudicem ferret. Ecce quanta eſt ſollicitudo ſacerdotum, in malum tota nocte vigilarunt, vt homicidium facerent.

Erat autem mane, & ipſi] Id eſt, qui ducebant Ieſum. B

Non introierunt in prætorium.] Hoc eſt in eam partem domus, quam Pilatus tenebat, ſi ipſa erat domus Caiphæ. Cur autem non introierunt in prætorium? exponens cauſam:

Vt non contaminarentur, inquit, *ſed manducarent Paſcha.*] Dies enim agi cœperant azymorum, quibus diebus, contaminatio illis erat in alienum habitaculum intrare. O impia & ſtulta cæcitas! vt habitaculo videlicet contaminarentur alieno, & non contami- C narentur proprio ſcelere? Alienigenæ iudicis domo contaminari timebant, & fratris innocentis ſanguine non timebãt? Sciẽdum eſt quid ſit inter Paſcha & dies azymorum. Paſcha dicebatur propriè dies illa, qua agnus ad veſperam quarta decima luna occidebatur. Septem verò dies ſequentes, dies azymorum dicebantur. Dies azymorum fuerunt, in quibus nihil fermentati in domibus illorum debuit inueniri, ſed tamen dies Paſchalis inuenitur inter dies azymorum nominari, vt in alio Euangelio D

Matth. 26. legitur: *Prima autem die azymorum acceſſerunt ad Ieſum diſcipuli dicentes: Vbi vis paremus tibi Paſcha manducare?*

Exiuit ergo Pilatus ad eos foras, & dixit: Quã accuſationem affertis aduerſus hominem hunc? Et reſponderunt, & dixerunt ei: Si non eſſet hic malefactor, non tibi tradidiſſemus eum.] Hũc enim habebant morem Iudæi, vt quem morte dignum diiudicarent, vinctum eum præſidi traderẽt. Interrogentur atque reſpondeant E ab immundis ſpiritibus liberati, languidi ſanati, leproſi mundati, ſurdi audientes, muti loquentes, cæci videntes, mortui reſurgentes, vtrum ſit malefactor Ieſus? Sed iſta dicebant de quibus per Prophetam ipſe prædixerat.:

Pſal. 37. *Retribuebant mihi mala pro bonis.*

Dixit ergo eis Pilatus: Accipite eum vos, & ſecundum legem veſtram iudicate eum.] Iuſtior fuit illis iudex gentilis, quaſi diceret: Legem habetis, & ſecundum legem veſtram iudicate eum, vos meliùs noſtis quid de talibus veſtra lex iudicet, ſecundum quod iuſtum ſciatis iudicate.

Dixerunt ergo ei Iudæi: Nobis non licet interficere quenquam.] Quid eſt, quod loquitur inſana crudelitas? an non interficiebãt quem interficiendum offerebant? an non forte interficiebant dum clamabant, Crucifige, crucifige? Quid eſt quod dixerunt, *Nobis nõ licet interficere quenquam*, dum lex mandat homicidas, adulteros, & talium reos ſcelerum occidere vel lapidare? niſi forte hoc ideo dixiſſent, propter ſanctitatem diei feſti, vt non liceret eis ſecundum legem in die feſto occidere hominem, ob cuius diei feſti venerationem, etiam prætorium iudicis intrare noluerunt. Quomodo, ȏ Iudæi, ô falſi Iſraëlitæ, non occidiſtis eum quem adprehendiſtis? quem duxiſtis? quem præſidi tradidiſtis? quem crucifigi popoſciſtis? Audite quod contra vos etiam Propheta clamat: *Filij hominum, dentes eorum arma & ſagittæ, & lingua eorum machæra acuta.* Ecce quibus armis, quibus ſagittis, qua machæra iuſtum interfeciſtis. Deinde ſequitur. Pſal. 56

Hoc autem dixerunt vt ſermo Ieſu impleretur quem dixit, ſignificãs qua eſſet morte moriturus.] Itaque intellegendum eſt Dominum hic ſignificare non mortem crucis, ſed illam mortem qua Iudæi eum gentibus tradebãt ad occidendum, hoc eſt Romanis. Nam Pilatus Romanus ciuis fuit, licet genere Pontius, eumque Iudæam Romani præſidem miſerant. Vt ergo iſte ſermo Ieſu impleretur, id eſt, vt eum ſibi traditum Gentes interficerent, quod Ieſus futurum eſſe prædixerat, hoc impletum eſt, dùm Iudæi eum Gentibus tradiderunt occidendum, minore tamen ſcelere quàm Iudæi, qui ſe iſto modo ab eius interfectione velut alienos facere voluerunt. Non vt eorum innocentia, ſed vt dementia monſtraretur.

Introiuit iterum in prætorium Pilatus, & vocauit Ieſum, & dixit ei: Tu es rex Iudæorum?] In his verbis oſtendit Pilatus hoc Iudæos obieciſſe ei criminis, vt diceret ſe Regem eſſe Iudæorum.

Reſpondit Ieſus: A temetipſo hoc dicis, an alij tibi dixerunt de me?] Sciebat vtique Dominus & quod ipſe interrogabat, & quid ille reſponſurus fuit: & tamen dici voluit, non propter ſe qui omnia ſciebat, ſed propter nos, vt ſcriberetur quod nos ſcire voluit.

Reſpondit Pilatus: Numquid ego Iudæus ſum? Gens tua & Pontifices tradiderunt te mihi. Quid feciſti?] Abſtulit à ſe ſuſpicionem, qua poſſet putari à ſemetipſo dixiſſe quod Ieſum regem dixerat eſſe Iudæorũ, id ſe à Iudæis

accepiſſe

accepiſſe demonſtrans, dicendo: *quid feciſti?* ſatis oſtendit illum ei pro crimine obiectum. Tanquam diceret, Si regem te negas, quid feciſti vt tradereris mihi? Quaſi mirum non eſſet, ſi puniendus iudici traderetur, qui ſe diceret regem eſſe. Si autem hoc non diceret, quærendum ab illo eſſet quid aliud fortè feciſſet, vnde tradi iudici dignus eſſet.

Reſpondit Ieſus: Regnum meum non eſt de hoc mundo. Si ex hoc mundo eſſet regnum meum, miniſtri mei vtique decertarent, vt non traderer Iudæis. Nunc autem meum regnum non eſt hinc.] Hoc eſt quod bonus magiſter ſcire nos voluit, ſed prius nobis demonſtranda fuerat vana hominum de regno eius opinio, ſiue Gentium, ſiue Iudæorum, à quibus id Pilatus audierat. Quaſi propterea fuiſſet morte plectendus, quod inlicitum affectauerit regnum, vel quoniam ſolent regnaturis inuidere regnantes. Poterat autem Dominus quod ait: *regnum meum non eſt de mundo hoc*, ad primam interrogationem Præſidis reſpondere, vbi dixit: *Tu es rex Iudæorum?* ſed eum viciſſim interrogat vtrum hoc à ſemetipſo diceret, an audiſſet ab aliis. Illo reſpondente, oſtendere voluit hoc ſibi apud illum fuiſſe à Iudæis, velut crimen obiectũ, patefaciens nobis cogitationes hominum, quas ipſe nouerat, quoniam vanæ ſunt. Quod verò ait: *Regnum meum non eſt de hoc mundo*, id eſt, in hoc mundo. Psal. 93. Audite omnes reges terræ, non venit Chriſtus regnum tollere, ſed dare: non minuere, ſed augere: Regem ſe non contradixit, ſed carnaliter in hoc mundo ſe regnare non dixit. Quod eſt eius regnum, niſi credentes in eum? 1. Cor. 15. Quos tradet regnum Deo patri in fine ſæculi, id eſt, adducet ad Deum patrem, vt ſine fine regnent cum illo. Sed vt hoc probaret, vt regnum eius de hoc mundo non eſſet, adiecit: Si de hoc mundo eſſet regnum meum, miniſtri mei decertarent, vt non traderer Iudæis. Non ait: Nunc autem regnum meum non eſt hic, ſed non eſt hinc. Hic eſt enim regnum eius, vſque in finem ſæculi, ſed in ſanctis ſuis de quibus Luc. 17. dixit in alio Euangelio: *Regnum Dei intra vos eſt.* Nam regnum eius ſancta Eccleſia eſt. Vnde & ad Mariam Virginem Angelus ait: *Et regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis*, ſpiritale regnum quo in ſanctis regnat, demonſtrare volens, nõ carnale, quod ſæpe impij habent in hoc mundo. De regno quippe ſuo dicit paulò ante: *De mundo non eſtis, ſed ego vos de mundo elegi.*

Dixit ei itaque Pilatus: Ergo rex es tu? Reſpondit Ieſus: Tu dicis, quia rex ſum ego.] A Non quia ſe regem timuit confiteri, ſed tu dicis ait. Sic reſpondit, vt verum diceret, & ſermo eius calumniæ non pateret. Dictum eſt, *Tu dicis*, carnalis carnaliter dicis, deinde ſubiungit.

Ego in hoc natus ſum, & ad hoc veni in mundum, vt teſtimonium perhibeam veritati.] Non eſt producenda huius pronominis ſyllaba, quo ait: *Ad hoc natus ſum*, tanquam dixerit, in hanc rem natus ſum, vel ad hoc natus ſum, ſicut ait: *Ad hoc veni in mundum.* B In Græco namque Euangelio nihil eſt huius locutionis ambiguum. Vnde manifeſtũ eſt, eum temporalem natiuitatem ſuam hîc commemoraſſe, quia incarnatus venit in mundum: non illam ſine initio qua Deus erat, per quam pater condidit mundum. In hoc ergo ſe dixit natum, id eſt, propter hoc natum, & ad hoc veniſſe in mundum, vtique naſcendo de Virgine, vt teſtimonium perhibeat veritati. Sed quia non omnium eſt fides, adiunxit atque ait.

Omnis qui eſt ex veritate, audit vocem meã.] C Audit vtique interioribus auribus, id eſt, obaudit meæ voci, quod tantundem valeret, quaſi diceret, credit mihi. Cùm itaque Chriſtus teſtimonium perhibet veritati, profecto teſtimonium perhibet ſibi. Eius quippe vox eſt, *Ego ſum veritas*. Hic commẽdat gratiam, per quam vocati ſumus. Ait itaque: *Omnis qui eſt ex veritate, audit vocem meam:* Non ideo ex eſt veritate, quia eius audit vocem. Sed ideo audit, quia ex veritate eſt: quia hoc illi donum ex veritate conlatum eſt, quod quid eſt aliud, quàm donante D Chriſto credere?

Dicit ei Pilatus: Quid eſt veritas?] Nec expectauit audire quid reſponderet ei Ieſus, quia forte dignus non fuit audire.

Sed cum hoc dixiſſet, iterum exiit ad Iudæos, & dixit eis: Nullam inuenio in eo cauſam. Eſt autem conſuetudo vobis vt vnum dimittam vobis in Paſcha, vultis ergo dimittam vobis regem Iudæorum?] Credo cùm dixiſſet Pilatus, *quid eſt veritas?* in mentem illi veniſſe continuo cõ- E ſuetudinem Iudæorum, qua ſolebat eis dimitti vnum in Paſcha. Et ideò non expectauit vt reſponderet ei Ieſus, quid eſſet veritas, ne mora fieret cùm recoluiſſet morẽ, quo poſſit eis per Paſcha dimitti. Hæc verò conſuetudo dimittendi, fortaſſis propter Paſcha apud Iudæos remanſit, ob memoriam liberationis illorum ex Ægypto, qua in Paſcha liberati ſunt à ſeruitute. Sed hoc audientes:

Clamauerunt rurſum omnes dicentes: Non hunc, ſed Barrabam. Erat autem Barrabas latro.] Bar-

rabas iſte filius magiſtri eorum intepretatur, id eſt, diaboli, qui magiſter fuit, vel huic latroni in ſcelere ſuo, vel Iudæis in impietate perfidiæ ſuæ. Non reprehendimus, ô Iudæi, quòd per Paſcha liberatis nocentem, ſed quod occiditis innocẽtem. Quod tamen niſi fieret, verum Paſcha non fieret: ſed vmbra veritatis à Iudæis errantibus tenebatur, vt mirabili diſpenſatione diuinæ ſapientiæ, per homines fallaces, eiuſdem vmbræ veritas impleretur, quia vt verum Paſcha fieret, Chriſtus velut ouis immolabatur.

A

Tunc adprehendit Pilatus Ieſum, & flagellauit.] Hoc Pilatus non ob aliud feciſſe credendus eſt, niſi vt eius iniuriis Iudæi ſatiati, ſufficere ſibi exiſtimarent, & vſque ad eius mortem ſæuire deſiſterent. Ad hoc pertinet quod idem pręſes cohortem ſuam permiſit facere quæ ſequuntur.

B

Et milites plectentes coronam de ſpinis, impoſuerunt capiti eius, & veſte purpurea circundederunt eum, & veniebant ad eum & dicebant: Aue rex Iudæorum, & dabant ei palmas.] Sic implebantur quæ de ſe prædixerat Chriſtus. Sic martyres informabantur ad omnia, quæ perſecutoribus libuiſſet facere, perferenda. Sic pauliſper occultata tremendaque potentia commendabatur, prius imitanda patientia. Sic regnum, quod de hoc mundo non erat, ſuperbum mundum, non atrocitate pugnandi, ſed patiendi humilitate vincebat. Sed illud granum multiplicandum ſeminabatur horribili contumelia, vt mirabili pullularet in gloria.

C

Exiit ergo Ieſus foras portans ſpineam coronã, & purpureum veſtimentum, & dicit eis: Ecce homo.] Hinc apparet, non ignorante Pilato, hæc à militibus facta, ſiue iuſſerit ea, ſiue permiſerit; illa ſcilicet cauſſa, quam ſuprà diximus. Vt hæc eius ludibria inimici libẽtiſſimè viderent, & vlterius ſanguinem non ſitirent. Egreditur ad eos Ieſus portans ſpineam coronam & purpureum veſtimentum, non clarus imperio, ſed plenus opprobrio, & dicitur eis: *Ecce homo.* Si regi inuidetis, iam parcite, quia deiectum videtis. Flagellatus eſt, ſpinis coronatus eſt, ludibrioſa veſte amictus eſt, amaris conuitiis inſuſus eſt, alapis cæſus eſt, feruet ignominia, frigeſcat inuidia. Sed non frigeſcit, inardeſcit potius, & increſcit.

D

Cùm enim vidiſſent eum Pontifices & miniſtri, clamabant dicentes: Crucifige, crucifige. Dicit eis Pilatus: Accipite eum vos & crucifigite, ego enim non inuenio in eo cauſſam. Reſponderunt ei Iudæi: Nos legem habemus, & ſecundum legem debet mori, quia filium Dei ſe fecit.] Ecce altera maior inuidia, parua quippe illa videbatur, velut affectatæ inclito auſu regiæ poteſtatis. Et tamen venturum ſibi Ieſus mendaciter vſurpauit, ſed vtrumque verum eſt. Et vnigenitus eſt Dei filius, & rex ab eo conſtitutus ſuper Sion montem ſanctum eius. Et vtrumque non demonſtraret, niſi quantò erat potentior, tantò mallet eſſe patientior.

E

Cùm ergo audiſſet Pilatus hoc verbum, magis timuit, & ingreſſus prætorium iterum, dicit ad Ieſum: Vnde es tu? Ieſus autem reſponſum non dedit ei.] Hoc ſilentium Domini noſtri Ieſu Chriſti non ſemel factum conlatis omnium Euangeliſtarum narrationibus reperitur, & apud Principes Sacerdotum, & apud Herodem. Tamen propter illa, quibus noluit reſpondere, ad hoc data eſt de agno ſimilitudo, vt ſuo ſilentio non reus, ſed innocens haberetur.

Reſpondit Ieſus: Non haberes aduerſum me poteſtatem vllam, niſi tibi eſſet datum deſuper. Propterea qui tradidit me tibi, maius peccatũ habet.] Ecce reſpondit, & tamen non vbique reſpondit. Non ſicut reus ſiue doloſus, ſed ſicut agnus, hoc eſt, ſicut ſimplex atque innocens, non aperuit os ſuum. Proinde vbi non reſpondebat, ſicut ouis ſilebat: vbi reſpondebat, ſicut paſtor docebat. Diſcamus ergo quod dixit, quod & per Apoſtolum docuit, quia non eſt poteſtas niſi à Deo, & quia plus peccat qui poteſtati innocentem occidendum liuore tradit, quam poteſtas ipſa, ſi eum cum timore alterius maioris poteſtatis occidit. Talem quippe Deus Pilato dederat poteſtatem, vt eſſet etiam ſub Cæſaris poteſtate. Quapropter, *non haberes*, inquit, *aduerſum me poteſtatem vllam*, id eſt, quantulamcumque habes, *niſi* hoc ipſum quicquid eſt, *tibi eſſet datum deſuper.* Sed quoniam ſcio quantum ſit, (non enim tantum eſt, vt tibi omni modo liberum ſit,) *propterea qui tradidit me tibi, maius peccatum habet.* Ille quippe me tuæ poteſtati tradidit inuidendo, tu verò eandem poteſtatem in me exerciturus es metuendo, nec timendo quidem, præſertim innocentem homo hominem debet occidere. Sed tamen id zelando facere multo magis malum eſt, quã timendo. Et ideo non ait verax magiſter: Qui me tibi tradidit, ipſe habet peccatum, tanquam ille non haberet: ſed ait, *maius habet peccatum*, vt etiam ſe habere intellegeret. Neque enim propterea illud nullum eſt, quia hoc maius eſt.

Exinde quærebat Pilatus dimittere eũ.] Quid eſt hoc, quod dictũ eſt, *exinde*? quaſi antea nõ quęrebat? Lege ſuperiora, & inuenies ...

dudum eum quærere dimittere Ieſum. Exinde itaque intellegẽdum eſt propter hoc, id eſt, ex hac cauſſa, ne haberet peccatum occidendo innocentem ſibi traditũ. Quamuis minus peccans quam Iudæi, qui illum ei tradiderant occidendum. Exinde ergo, id eſt, ideo, ne hoc peccatum faceret, non nunc primò, ſed ab initio quærebat eum dimittere.

Iudæi autem clamabant, dicentes: Si hunc dimittis, non es amicus Cæſaris: Omnis enim qui ſe regem facit, contradicit Cæſari.] Maiorem timorem ſe ingerere putauerunt Pilato, terrendo de Cæſare, vt occiderent Chriſtum B quàm ſuperius vbi dixerant: *Nos legem habemus, & ſecundum legem debet mori, quia filium Dei ſe fecit.* Eorum quippe legem ille non timuit vt occideret, ſed magis filium Dei timuit ne occideret. Nunc verò non ſic potuit contemnere Cæſarem, autorem poteſtatis ſuæ, quemadmodum legem gentis alienæ.

Adhuc Pilatus cùm audiſſet hos ſermones, adduxit foras Ieſum, & ſedit pro tribunali in loco qui dicitur lithoſtratus, Hebraicè autem gabatha. Erat autem paraſceue Paſchæ hora quaſi ſexta.] C Qua hora ſit Dominus crucifixus, propter Euangeliſtæ alterius teſtimonium: *Erat autem hora tertia, & crucifixerunt eum,* quoniam magna diſceptatio ſolet oboriri, cùm ad ipſum locum vbi crucifixus narratur, ventum fuerit, vt potuerimus, ſi Dominus voluerit, differemus. Cum ergo pro tribunali ſediſſet Pilatus.

Dicit Iudæis: Ecce rex veſter. Illi autem clamabant: Tolle, tolle, crucifige eum. Dicit eis Pilatus: Regem veſtrum crucifigam?] Adhuc terrorem, quem de Cæſare ingeſſerant, ſuperare D conatur, de ignominia eorum volens eos frangere, dicendo: *Regem veſtrum crucifigam?* Quod † de ignominia Chriſti mitigare non potuit, ſed timore mox vincitur. †al. Quos.

Reſponderunt autem Pontifices: Non habemus regem niſi Cæſarem. Tunc ergo tradidit eis illum, vt crucifigeretur.] Apertiſſimè quippe contra Cæſarem venire videretur, ſi regem E ſe non habere niſi Cæſarem profitentibus alium regem vellet intellegere, dimittendo impunitum quem propter hoc auſus ei tradiderant occidendum. Tradidit ergo illum eis vt crucifigeretur. Sed nũquid aliud & ante cupiebat, cum dicebat? Accipite eũ vos, & crucifigite, vel etiã ſuperius: *Accipite eum vos, & ſecundum legem veſtram iudicate eum?* Cur autem illi tantopere noluerunt, dicentes: *Nobis non licet interficere quenquam?* & omni modo inſtantes vt non ab eis, ſed

A à Præſide occideretur. Et ideo eum occidendum accipere recuſantes, ſi nec † eum accipiunt occidendum; aut ſi hoc non fit, cur dictum eſt: *Tunc ergo tradidit eis illum vt crucifigeretur?* An aliquid intereſt? planè intereſt, non eſt enim dictum: Tunc ergo tradidit eis illum vt crucifigerent eum, ſed *vt crucifigeretur*, id eſt, vt iudicio & poteſtate Præſidis crucifigeretur. Sed ideo illis traditum dixit Euangeliſta, vt eos crimine implicatos, à quo alieni eſſe conabantur, oſtẽderet. Non enim Pilatus hoc faceret, niſi vt id quod eos cupere cernebat impleret. Quod ergo ſequitur. †al. nunc.

Suſceperunt autem Ieſum, & eduxerunt.] poteſt ad milites iam referri apparitoris præſidis. Nam poſtea euidentius dicitur: *Milites ergo cùm crucifixiſſent eum,* quamuis Euangeliſta etiamſi totum Iudæis tribuit, meritò facit. Ipſi enim ſuſceperunt quod auidiſſimè flagitauerunt, & ipſi fecerunt quicquid vt fieret extorſerunt; iudicante atque damnante Pilato pro tribunali Dominum Ieſum Chriſtum, hora quaſi ſexta ſuſceperũt eum & eduxerunt.

Et baiulans ſibi crucem, exiuit in eum qui dicitur Caluariæ locum, Hebraicè Golgotha, vbi eum crucifixerunt.] Quid eſt ergo quod Mat. Euangeliſta ait? *Erat autem hora tertia, & crucifixerunt eum,* niſi quia hora tertia crucifixus eſt Dominus linguis Iudæorum, hora ſexta manibus militum? Vt intellegamus horã quintam iam fuiſſe tranſactam, & aliquid de ſexta cœptum, quando ſedit pro tribunali Pilatus; quæ dicta eſt à Ioanne hora quaſi ſexta. Et cum duceretur, vt in ligno cum duobus latronibus configeretur, & iuxta crucem eius gererentur quæ geſta narrantur, hora ſexta integra compleretur. Ex qua hora vſque ad nonam ſole obſcurato tenebras factas, trium Euangeliſtarum, Matthæi, Marci & Lucæ conteſtatur autoritas. Sed quoniam Iudæi facinus interfecti Chriſti à ſe in Romanos, id eſt, Pilatum & eius milites transferre conati ſunt, propterea Marcus ſubpreſſa ea hora, qua Chriſtus à militibus crucifixus eſt, quæ agi ſexta iam cœperat, tertiam potius horam recordatus expreſſit. Qua hora intelleguntur apud Pilatum clamare potuiſſe: *Crucifige crucifige,* vt non illi tantũ reperiãtur crucifixiſſe Ieſum, id eſt, milites qui eum ligno ſexta hora ſuſpenderunt: verum etiam Iudæi, qui vt crucifigeretur, hora tertia clamauerunt. Baiulans ergo ſibi crucem, exiuit in eum qui dicitur Caluariæ locum, Hebraicè autem Golgotha, vbi eum crucifixerunt. Mat. 15.

Et cum eo duos hinc & hinc, medium autem

Ieſum.] Iſti duo latrones erant ſicut aliorum Euãgeliſtarum narratione didicimus, cum quibus crucifixus eſt Chriſtus, & inter quos crucifixus eſt Chriſtus, de quo præmiſſa dixerat Prophetia: Et inter iniquos deputatus eſt.

Scripſit autem & titulum Pilatus, & poſuit ſuper crucem. Erat autem ſcriptum: Ieſus Nazarenus rex Iudæorum. Hunc ergo titulum multi legerunt Iudæorum, quia prope ciuitatem erat locus, vbi eſt crucifixus Ieſus. Et erat ſcriptum Hebraicè, Græcè, & Latinè.] Hæ quippe tres linguæ ibi præ cæteris eminebant. Hebræa, propter Iudæos in lege gloriantes. Græca, propter gentium ſapientes. Latina, propter Romanos, multis ac penè omnibus iam tunc gentibus imperantes.

Dicebant ergo Pilato Pontifices Iudæorum: Noli ſcribere, Rex Iudæorum: ſed quia dixit ipſe, Rex ſum Iudæorum. Reſpõdit Pilatus: Quod ſcripſi ſcripſi.] O ineffabilem vim diuinæ operationis, etiam in cordibus ignorantium! Nonne occulta vox quædam, Pilato intus quodam, ſi dici poteſt, clamore ſilentio perſonabat, quod tanto ante in Pſalmorum literis prophetatum eſt, *Ne corrumpas tituli inſcriptionem.* Numquid enim propterea nõ erit verum, quia Ieſus ait: *Rex ſum Iudæorum?* Si corrumpi non poteſt quod Pilatus ſcripſit, corrumpi poteſt quod veritas dixit? Sed Iudæorum tantum rex eſt Chriſtus, an & gentium? immò & gentium. Cum enim dixiſſet in Prophetia: *Ego autem conſtitutus ſum rex ab eo, ſuper Sion montem ſanctum eius, prædicans præceptum Domini.* Ne propter Sion montem, ſolis Iudæis eum regem diceret conſtitutum, continuo ſubiecit: *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te. Poſtula à me, & dabo tibi gentes, & cætera.* Cur ergo magnum volumus intellegi in hoc titulo ſacramentum, in quo ſcriptum erat Rex Iudæorum, ſi rex eſt Chriſtus & Gentium; quia ſcilicet oleaſter factus eſt particeps pinguedinis oliuæ, non olea particeps facta amaritudinis oleaſtri? Nam in eo quod de Chriſto veraciter ſcriptus eſt titulus, *Rex Iudæorum*: qui ſunt intellegendi Iudæi, niſi ſemen Abrahæ, filij repromiſſionis, qui ſunt etiam filij Dei? Quo-
Rom. 9. niam *non qui filij carnis*, ait Apoſtolus, *hi filij Dei, ſed qui filij promiſſionis, deputantur in ſe-*
Rom. 2. *mine.* Et gentes erant quibus dicebat: *Si autem vos Chriſti, ergo Abrahæ ſemen eſtis, ſecundum promiſſionem hæredes.* Rex ergo Iudæorum Chriſtus, ſed Iudæorum circunciſione cordis ſpiritu, non litera: quorum laus non ex hominibus, ſed ex Deo eſt, pertinentium ad Hieruſalem liberam matrem noſtram, æternam in cælis, Saram ſpiritalem, ancillam & filios eius de domo libertatis eiicientem. Ideo enim Pilatus quod ſcripſit ſcripſit, quia Dominus Ieſus quod dixit dixit.

Milites ergo cùm crucifixiſſent eum, acceperunt veſtimenta eius, & fecerunt quatuor partes, vnicuique militi partem, & tunicam.] Vnde apparet, quatuor fuiſſe milites, qui in eo crucifigendo præſidi paruerunt. Manifeſtè quippe ait: *Milites ergo cum crucifixiſſent eum, acceperunt veſtimenta eius, & fecerunt quatuor partes, vnicuique militi partem, & tunicam,* ſubaudiendum eſt, acceperunt, vt iſte ſit ſenſus: acceperunt veſtimenta eius, & fecerunt quatuor partes, vnicuique militi partem, acceperunt & tunicam. Et ſic locutus eſt, vt de cæteris veſtimentis nullam ſortem miſſam eſſe videamus, ſed de tunica quam ſimul cum cæteris acceperunt, ſed non ſimul diuiſerunt. De hac enim ſequitur exponens.

Erat autem tunica inconſutilis, deſuper contexta per totum.] Cur autem de illa ſortem miſerint narrans:

Dixerunt ergo ad inuicem, inquit, *Non ſcindamus eam, ſed ſortiamur de illa cuius ſit.*] Apparet itaque in aliis veſtibus æquales eos habuiſſe partes, vt ſortiri neceſſe non fuerit: in illa verò vna, non eos habere potuiſſe ſingulas partes. Quærat forte aliquis, quid ſignificet in tot partes veſtimentorum facta diuiſio, & de tunica illa ſortitio. Quadripertita veſtis Domini noſtri Ieſu Chriſti, quadripertitam eius figurauit Eccleſiam, toto ſcilicet qui quatuor partibus conſtat terrarum orbe diffuſam, & omnibus eiſdem partibus æqualiter, id eſt, concorditer di-
ſtributam. Propter quod alibi dicitur: miſ- Marci 13
ſurum ſe Angelos ſuos, vt colligant electos ſuos à quatuor ventis: quod quid eſt niſi à quatuor partibus mundi, Oriente, Occidẽte, Aquilone, & Meridie? Tunica verò illa ſortita, omnium partium ſignificat vnitatem, quæ charitatis vinculo continetur. De
charitate autem locuturus Apoſtolus, *Su-* 1. Cor. 12
pereminentiorem, inquit, *viam demonſtro.* Et alio loco ait: *Cognoſcere etiam ſupereminentem ſcientiæ charitatem Chriſti.* Itemque alibi:
Super omnia autem hæc charitatem, quæ eſt vin- Epheſ. 3
culum perfectionis. Si ergo charitas & ſupereminentiorem habet viam, & ſupereminet ſcientiæ, & ſuper omnia præcepta eſt; merito veſtis qua ſignificatur, deſuper contexta perhibetur. Inconſutilis autẽ, ne aliquando diſſuatur, & ad vnum peruenit, quia in vnum omnes colligit, ſicut in Apoſtolis cum eſſet, etiam ipſe numerus

duodenarius, id eſt, quadripertitus in terros, & omnes eſſent interrogati, ſolus Petrus reſpondit: *Tu es Chriſtus filius Dei viui,* & ei dicitur: *Tibi dabo claues regni cælorum.* (Matth. 6.) Tanquam ligandi & ſoluendi ſolus acciperet poteſtatem, cum & illud vnus pro omnibus dixerit, hoc cum omnibus tanquam perſonam gerens ipſius vnitatis acceperit: ideo vnus pro omnibus, quia vnitas eſt in omnibus. Vnde & hic cùm dixiſſet, *deſuper contexta*, addidit *per totum*. Quod ſi referamus ad id quod ſignificat, nemo eſt eius expers, qui pertinere inueniatur ad totum, à quo toto, ſicut Græca indicat lingua, Catholica vocatur Eccleſia. In ſorte autem quid, niſi Dei gratia commendata eſt? Sic quippe in vno ad omnes peruenit, cùm ſors omnibus placuit, quia & Dei gratia in vnitate ad omnes peruenit, & cũ ſors mittitur, non perſonæ cuiuſque vel meritis, ſed occulto Dei iudicio ceditur. Nec ideo iſta non aliquid boni ſignificaſſe quis dixerit, quia per malos facta ſunt; non ſcilicet per eos qui Chriſtum ſecuti, ſed qui ſunt perſecuti. Quid enim de ipſa cruce dicturi ſumus? quæ certe ſimiliter ab inimicis atq. impiis Chriſto facta & impacta eſt, & tamen ea ſignificari rectè intellegitur, quod ait Apoſtolus: *Quæ eſt latitudo, & lõgitudo, & altitudo, & profundum.* (Ephes. 3.) Lata eſt quippe in tranſuerſo ligno, quo extenduntur pendentis manus, & ſignificat opera bona in latitudine charitatis. Longa eſt à tranſuerſo ligno vſque ad terram, vbi deorſum & pedes figũtur, & ſignificat perſeuerantiam in longitudine tẽporis, vſque ad finem. Alta eſt, in cacumine, quod à tranſuerſo ligno ſurſum rurſus extenditur, & ſignificat ſupernum finem, quo cuncta opera referuntur. Quoniam cuncta quæ latitudine ac longitudine benè ac perſeueranter fiunt, propter altitudinem diuinorum facienda ſunt præmiorum. Profunda eſt in ea parte qua in terra figitur. Ibi quippe occulta eſt, nec videri poteſt, ſed cuncta eius apparentia & eminentia indè conſurgunt: ſicut bona noſtra de profunditate gratiæ Dei, quæ comprehendi ac diiudicari non poteſt, vniuerſa procedũt. Sed & ſi crux Chriſti hoc ſolum ſignificet, quod ait Apoſtolus: *Qui autem ſunt Ieſu Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt cum paſſionibus & concupiſcentiis.* (Gal. 5.) Quã magnum bonũ eſt, nec tamen hoc facit niſi concupiſcens aduerſus carnem ſpiritus bonus, cum illam crucem Chriſti fecerit inimicus, id eſt, ſpiritus malus. Poſtremo quid eſt quod omnes nouerunt ſignum crucis Chriſti, niſi crux Chriſti? Quod ſignum, niſi adhibeatur ſiue fron-

A tibus credentium, ſiue ipſi aquæ ex qua regenerantur, ſiue oleo quo chariſmate vnguntur, ſiue ſacrificio quo aluntur, nihil eorum ritè perficitur. Quomodo ergo per id quod mali faciunt, nihil boni ſignificatur, quando per crucem Chriſti quam fecerunt mali, in celebratione ſacramentorum eius, bonum nobis omne ſignatur? Crucifixo Domino, poſtquam diuiſio veſtimentorũ eius etiam miſſa ſorte completa eſt. Quæ deinde narret Ioannes Euangeliſta, videamus. Et milites quidem hæc fecerunt.

B *Stabant autem iuxta crucem Ieſu mater eius, & ſoror matris eius Maria Cleophæ & Maria Magdalenæ. Cum vidiſſet ergo Ieſus matrem & diſcipulum ſtantem quem diligebat, dicit matri ſuæ: Mulier, en filius tuus. Deinde dicit diſcipulo: Ecce mater tua. Et ex illa hora accepit eam diſcipulus in ſua.*] Hæc nimirum eſt illa hora, de qua Ieſus aquam conuerſurus in vinum dixerat matri: *Quid mihi & tibi eſt mulier?* nondum venit hora mea. Hanc itaque horam prædixerat, quæ tunc nondum venerat, in qua deberet agnoſci à matre moriturus, de qua fuerat mortaliter natus. Tunc C ergo diuina facturus, non diuinitatis, ſed infirmitatis matrem, velut incognitam refellebat. Nunc autem humana iam patiens, ex qua fuerat factus homo, affectu cõmendabat humano. Tunc enim qui Mariã creauerat innoteſcebat virtute; nunc verò quem Maria pepererat, pendebat in cruce. Mortalis igitur inſinuatur locutus, facit quod faciendum admonet, & exemplo ſuo ſuos inſtruxit præceptor bonus, vt à filiis piis impendatur cura parentibus, tanquam D lignum illud vbi erant fixa membra morientis, etiam cathedra fuerit magiſtri docentis. Ex illa hora accepit eam diſcipulus in ſua, de ſemetipſo, dicens. Sic quippe commemorare ſe ſolet, quod eũ diligebat Ieſus. qui vtique omnes, ſed ipſum præ cæteris & familiarius diligebat; ita vt in conuiuio ſuper pectus ſuum diſcumbere faceret: Credo vt iſtius Euangelij, quod per eum fuerat prædicaturus, diuinam excellentiam hoc modo altius commendaret.

E *Poſtea ſciens Ieſus quia omnia conſummata ſunt, vt conſummaretur Scriptura, dicit: Sitio. Vas ergo poſitum erat aceto plenum. Illi autem ſpongiam plenam aceto hyſopo circumponentes obtulerũt ori eius. Cum ergo accepiſſet Ieſus acetum, dixit: Conſummatum eſt. Et inclinato capite tradidit ſpiritum.*] Quis poteſt quæ facit ita diſponere, quomodo diſpoſuit homo iſte qui paſſus eſt? Sed homo mediator Dei & hominũ, homo de quo prędictũ legitur. *Et homo eſt, & quis agnoſcit eum?* Quoniã omnes per

quos hæc fiebant videbant hominem, ſed non cognoſcebant Deum. Homo namque apparebat, qui Deus latebat. Patiebatur hæc omnia qui apparebat, & idem ipſe diſponebat hæc omnia qui latebat. Vidit ergo quoniam conſummata ſunt omnia quæ oportebat vt fierent, antequam acciperet acetũ & traderet ſpiritum: atque vt hoc etiam conſummaretur quod ait ſcriptura, *Et in ſiti mea potauerunt me aceto. Sitio*, inquit. Tanquam diceret. Hoc minus feciſtis, date quod eſtis. Iudæi quippe ipſi erant acetum, degenerantes à vino Patriarcharum & Prophetarum, tanquam de pleno vaſe de iniquitate mundi huius impleti, cor habentes velut ſpongiam cauernoſis quodammodo atque tortuoſis latibulis fraudulentum. Hyſopum autem cui circumpoſuerunt ſpongiam aceto plenam, quoniam herba humilis & pectus purgat, ipſius Chriſti humilitatem congruenter accipimus, quam circundederunt & ſe circumueniſſe putauerunt. Vnde illud in Pſalmo: *Aſperges me hyſopo, & mundabor.* Chriſti namque humilitate mundamur, quia niſi humiliaſſet ſemetipſum, factus obediens patri vſque ad mortem crucis, vtique ſanguis eius in peccatorum remiſſionem, hoc eſt, in noſtram mundationem non fuiſſet effuſus. Nec moueat quomodo ſpongiam ori eius potuerint admouere, qui in cruce fuerat exaltatus à terra. Sicut enim apud alios Euangeliſtas legitur, quod hic prætermiſit, in arundine eſt factum, vt ſpongia talis potius ad crucis ſublimia leuaretur. Per arundinem verò Scriptura ſignificabatur, quæ implebatur hoc facto. Sicut enim lingua dicitur vel Græca vel Latina, vel alia quælibet, ſonum ſignificans qui lingua promitur: ſic arundo dici poteſt, litera quæ arundine ſcribitur: ſed ſignificantiùs ſonos vocis humanæ, vſitatiſſimè dicimus lingua. Scriptura verò arundinem dici quo minus eſt vſitatum, eo magis eſt myſticè figuratum. Cum ergo accepiſſet Ieſus acetum dixit: *Conſummatum eſt.* Quid, niſi quod Propheta tanto ante † tempore prædixerat? Deinde quia nihil remanſerat, quod antequam moreretur fieri adhuc oportebat, tanquam ille qui poteſtatem habebat ponendi animam ſuam & iterum ſumendi eam, peractis omnibus, quæ vt peragerentur expectabat, inclinato capite tradidit ſpiritum. Quis ita dormit quando voluerit, ſicut Ieſus mortuus eſt quando voluit? Quis ita veſtem deponit quando voluerit, ſicut ſe carne exuit quando voluit? Quis ita cùm voluerit obiit, quomodo cùm voluit obiit? Quanta ſperanda vel timenda poteſtas eſt iudicantis, ſi apparuit tanta morientis? Poſteaquam Dominus Ieſus peractis omnibus quæ ante ſuam mortem peragi oportere præſciebat, quando voluit tradidit ſpiritum. Quæ deinde ſecuta ſint, Euangeliſta narrante videamus.

Pſalm. 68. Pſalm. 40. † al. paulo ante.

Iudæi ergo, inquit, *quoniam paraſceue erat, vt non remanerent in cruce corpora ſabbato*, (erat enim magnus dies ille ſabbati,) *rogauerunt Pilatũ vt frangerentur eorum crura, & tollerentur.*] Non crura tollerentur, ſed hi quibus ideo frangebantur vt morerentur, & auferrentur ex ligno: ne pendentes in crucibus, magnum diem feſtum ſui diuturni cruciatus horrore fœdarent.

Venerunt ergo milites, & primi quidem fregerunt crura, & alterius qui crucifixus erat cum eo. Ad Ieſum autem cum veniſſent, vt viderunt eum iam mortuum, non fregerunt eius crura. Sed vnus militum lancea latus eius aperuit, & continuo exiuit ſanguis & aqua.] Vigilanti verbo Euangeliſta vſus eſt, non vt diceret: Latus eius percuſſit, aut vulnerauit, aut quid aliud. Sed aperuit, vt illic quodammodo vitæ oſtium panderetur, vnde ſacramenta Eccleſiæ manauerunt, ſine quibus ad vitam quæ vera vita eſt, non intratur. Ille ſanguis in remiſſionem fuſus eſt peccatorum, aqua illa ſalutare temperauit poculum, hæc & lauacrum præſtat & potum. Hoc prænuntiabat quod Noë in latere arcæ oſtium facere iuſſus eſt, Gen. 6. quà intrarant animalia quæ non erant diluuio peritura, quibus præfigurabatur Eccleſia. Propter hoc prima mulier facta eſt de Gen. 2. viri latere dormientis, & appellata eſt vita materque viuorum. Magnum quippe ſignificauit bonum, ante magnum præuaricationis malum in habitu iacentis ac dormientis. Et hic ſecundus Adam inclinato capite in cruce dormiuit, vt inde formaretur ei coniunx, quæ de latere dormientis effluxit. O mors, vnde mortui reuiuiſcunt!

Exod. 12.

Facta enim ſunt hæc, inquit, *vt ſcriptura impleretur: Os non comminuetis ex eo. Et iterum alia ſcriptura dicit: Videbunt in quem transfixerunt.*] Duo teſtimonia de ſcripturis reddidit ſingulis rebus, quas factas narrauit. Nam quia dixerat: *Ad Ieſum autem cùm veniſſent, non fregerunt eius crura*, ad hoc pertinet teſtimonium: *Os non comminuetis ex eo*, quod præceptum eſt eis, qui celebrare Paſcha iuſſi ſunt, ouis immolatione in veteri lege, quæ dominicæ paſſionis vmbra præceſſerat. Vnde Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus. De qua & Eſaias Propheta prædixerat, *ouis ad immolãdum ductus eſt.* Itẽ ſubiunxerat,

dicens: *Sed vnus militum lancea latus eius aperuit.* Ad hoc pertinet alterum teſtimoniũ, *Videbunt in quem compunxerunt*, vbi promiſſus eſt Chriſtus, in ea qua crucifixus eſt carne, venturus.

Poſt hæc autem rogauit Pilatum Ioſeph ab Arimathia eo quod eſſet diſcipulus Ieſu, occultus autem propter metum Iudæorum, vt tolleret corpus Ieſu. Et permiſit Pilatus.] Venit ergo & tulit corpus Ieſu.

Venit autem & Nicodemus, qui venerat ad Ieſum nocte primum, ferens mixturam myrrhæ & aloes, quaſi libras centum.] Non ita diſtinguendum eſt, vt dicamus primum, *Ferens mixturam myrrhæ*; ſed hoc quod dictum eſt primum, ad ſuperiorem ſenſum pertineat, *Venerat enim Nicodemus ad Ieſum nocte primum.* Quod idem Ioãnes narrauit in prioribus Euangelij ſui partibus. Hinc ergo intellegẽdum eſt, ad Ieſum non tunc ſolum, ſed tunc primũ veniſſe Nicodemum: ventitaſſe autem poſtea, vt fieret audiendo diſcipulus, quod modo certè in reuelatione corporis beatiſſimi Stephani ferè omnibus gentibus declaratur.

Erat autem in loco vbi crucifixus eſt hortus, & in horto monumentum nouum, in quo nondum quiſquam poſitus fuerat. Sicut in Mariæ virginis vtero nemo ante illum, nemo poſt illum conceptus eſt, ita in hoc monumento nemo ante illum, nemo poſt illum ſepultus eſt.

Ibi ergo propter paraſceuem Iudæorum, quia iuxta erat monumentum, poſuerunt Ieſum.] Acceleratam vult intellegi ſepulturam ne aduesperaſceret, quando iam propter paraſceuem, quam cœnam puram Iudæi, Latinè vſitatiùs præparationem apud nos vocant, facere tale aliquid non licebat.

Cap. XLI.

Reſurrectionis ſimiliter manifeſtatio declaratur, qua Maria Magdalene Petro & Ioanni nuntiat ſublatum corpus de monumento. Quibus occurrentibus ac reuerſis, ipſa poſt Angelicam viſionem viſum à ſe Dominum æſtimans hortolanum, proprio mox ab eo reuocatur ex nomine. Quem cognitum iubetur protinus diſcipulis nuntiare.

Vna autem ſabbati, Maria Magdalenæ venit mane, cum adhuc tenebræ eſſent, ad monumentum, & vidit lapidem ſublatum à monumento.*] Vna ſabbati, quem iam diem Dominicam propter Domini reſurrectionem mos Chriſtianus appellat, quẽ Matthæus ſolus in Euangeliſtis primam ſabbati nominauit.

A *Cucurrit ergo, & venit ad Simonem Petrum, & ad alium diſcipulum quem amabat Ieſus, & dicit eis: Tulerunt Dominum de monumento, & neſcio vbi poſuerunt eum.*] Amore nimio turbata, dum quem quæſiuit non inuenit, cucurrit diſcipulis nuntiare, vt aut ſecũ quærerent, aut ſecum dolerent ablatum Dominum: quem Dominum nominare non metuit, dum corpus illius tantummodo quæreret in ſepulchro.

Exiit ergo Petrus & ille alius diſcipulus, & venerunt ad monumentum. Currebant autem duo ſimul, & ille alius diſcipulus præcucurrit citius

B *Petro, & venit prior ad monumentum.*] Aduertenda hic & commandenda eſt recapitulatio, quomodo reditum eſt ad id quod fuerat prætermiſſum, & tanquam ſi hoc ſequeretur adiũctum eſt. Cum enim iam dixiſſet: *Venerunt ad monumentum*, regreſſus eſt vt narraret quomodo venerunt, atque ait: *Currebant autem duo ſimul, &c.* Vbi oſtendit quòd præcurrens ad monumentum prior venerit ille alius diſcipulus, quem ſeipſum ſignificat; ſed tãquam de alio more ſanctæ

C ſcripturæ cuncta narrat.

Et cùm ſe inclinaſſet, inquit, *vidit poſita linteamina, non tamen introiit.*] Quod verò Maria Magdalenæ venit ad monumentũ cùm adhuc tenebræ eſſent, iuxta hiſtoriam notatur hora: iuxta intellectum verò myſticum, requirentis ſignatur intellegentia. Maria enim auctorem omnium, quem carne viderat mortuum, quærebat in monumento, & quia nunc minimè inuenit, furatum credidit. Adhuc ergo erant tenebræ cùm venit ad monumentum. Cucurrit ci-

D tius, diſcipulis nunciauit, ſed illi præ cæteris cucurrerunt, qui præ cæteris amauerũt, videlicet Petrus & Ioannes. Currebant autem duo ſimul, ſed Ioannes præcucurrit citius Petro, & venit prior ad monumentum, & ingredi non præſumpſit, venit verò poſterior & intrauit. Iſte verò curſus duorum diſcipulorũ magnum habet myſteriũ. Quid enim per Ioannem, qui prior venit ad monumentum, & non intrauit, niſi Synagoga ſignificatur? Quid per Pe-

E trum, niſi Eccleſia ex gentibus congregata demonſtratur, quæ poſterius vocata, & prior intrauit? Cucurrerunt enim pariter Gentilitas, & Synagoga per huius ſæculi ſucceſſiones: ſed non pari intellegentia veniebant. Venit Synagoga prior ad monumentum, ſed minimè intrauit, quia legis quidem mandata percepit, prophetias de incarnatione ac paſſione Dominica audiuit, ſed credere in mortuum noluit. Vidit enim Ioannes poſita linteamina: non

tamen introiuit, quia videlicet ſynagoga A & ſcripturæ ſacræ ſacramenta cognouit. Et tamen ad fidem paſſionis Dominicæ credendo intrare diſtulit: quem diu longe lateque prophetauit, præſentem vidit & renuit: hominem eſſe deſpexit, Deum carne mortalem factum credere noluit. Quid ergo eſt, niſi quia & citius cucurrit, & tamen ante monumentum vacua ſtetit?

Venit autem Simon Petrus ſubſequens eum, & introiuit in monumentum.] Quia ſecuta poſterior Eccleſia Gentium mediatorem Dei & hominum, hominem Chriſtum Ieſum, & cognouit carne mortuum, & B viuentem credidit Deum.

Vidit linteamina poſita, & ſudarium quod fuerat ſuper caput eius non cum linteaminibus poſitum, ſed ſeparatim inuolutum in vno † loco.] Quid eſt quod ſudarium capitis Domini cum linteaminibus non inuenitur in monumento, niſi quia adteſtante Paulo: *Caput Chriſti Deus eſt*, & diuinitatis incomprehenſibilia ſacramenta, ab infirmitatis noſtræ cognitione diſiuncta ſunt, eiúſque potentia creaturæ tranſcendit naturam. Et notandum quòd non ſolum ſeparatim, ſed etiam inuolutum inueniri dicitur. Linteum quippe quod inuoluitur, eius nec initium nec finis aſpicitur. Rectè ergo ſudarium capitis inuolutum inuentum eſt, quia celſitudo diuinitatis nec cœpit eſſe, nec deſinit. Benè autem additur, *in vno loco*, quia in ſciſſura mentium Deus non eſt. Deus quippe in vnitate eſt, & illi eius habere gratiam merentur, qui ſe ab inuicem per ſectarum ſcandala non diuidunt. Poteſt quippe per ſudarium paſſio Chriſti Domini noſtri deſignari, cuius paſſionis ſacramenta infidelibus ſunt inuoluta: quia quē videbant carne mortalem, Deum eſſe immortalem non credebant. Sudarium ergo, quod ſuper caput eius fuerat, ſeorſum inuenitur, quia ipſa paſſio Redēptoris noſtri longe à noſtra paſſione diſiuncta eſt; quoniam ipſe ſine culpa pertulit, quod nos cum culpa toleramus. Ipſe ſponte morti ſuccumbere voluit, ad quam nos venimus inuiti. Sequitur:

† al. in vnū locum.

Tunc ergo introiuit & ille diſcipulus, qui venerat prior ad monumentum.] Poſtquam introiuit Petrus ingreſſus eſt & Ioannes. Poſterior intrauit, qui prior venerat. Notum eſt quòd in fine mundi, ad redemptoris fidem etiam Iudæa colligitur, Paulo atteſtante, qui ait: *Donec plenitudo gentium intraret, & ſic omnis Iſraël ſaluus fieret.*

Rom. 11.

Et vidit & credidit.] Quid ergo vidit, & quid credidit? vidit linteamina poſita, & credidit quod mulier dixerat, de monumento Dominum fuiſſe ſublatum. Adhuc enim tenebræ erant in monumento, id eſt, in mentibus illorum. Ideò ſequitur & dixit:

Nondum enim ſciebant ſcripturam, quia oportuit eum à mortuis reſurgere. Abierunt ergo iterum diſcipuli ad ſemetipſos.] Id eſt, vbi habitabant, & vnde ad monumentum cucurrerant.

Maria autem ſtabat ad monumentum foris plorans.] Hæc Maria poſtquam venit ad monumentum, ibique corpus Dominicum non inuenit, ſublatum credidit, atque diſcipulis nunciauit: qui venientes viderunt, atque ita eſſe vt mulier dixerat crediderūt, & de his protinus ſcriptum eſt: *Abierunt ergo diſcipuli ad ſemetipſos.* Ac deinde ſubiungitur: *Maria autem ſtabat ad monumentum foris plorans.* Qua in re penſandum eſt; huius mulieris mētem quanta vis amoris accenderat? quæ à monumento Domini, etiam diſcipulis recedentibus non recedebat: exquirebat quē non inuenerat, flebat inquirendo, & amoris ſui igne ſuccenſa, eius quē C ablatum credidit ardebat deſiderio: & oculi qui Dominum quæſierant & non inuenerant, lacrymis iam exundabant amplius dolentis, quòd fuerat ablatus de monumento, quàm quòd fuerat occiſus in ligno: quoniam magiſtri tanti, cuius ei vita ſubtracta fuerat, nec memoria remanebat. Vnde contigit, vt eum ſola tunc videret, quæ remāſit vt quæreret. Quia nimirum virtus boni operis perſeuerantia eſt, vt voce Veritatis dicitur: *Qui autem perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit.* Iſta itaque quæ ſic D amabat, quæ ſe ad monumentum quod perſpexerat iterū inclinat, videamus quo fructu vis amoris in ea ingeminat opus inquiſitionis. Sequitur:

Matth. 1

Vidit duos Angelos in albis ſedentes, vnum ad caput, & vnum ad pedes, vbi poſitum fuerat corpus Ieſu.] Quid eſt quod in hoc loco Dominici corporis, duo Angeli videtur, vnus ad caput, atque alius ad pedes ſedens: niſi quod Latina lingua, Angelus nuntius dicitur, & ille ex paſſione ſua nuntiandus E erat, qui & Deus eſt ante ſecula, & homo in fine ſeculorum? Quaſi ad caput ſedet Angelus, cùm per Apoſtolum dicatur, quia, *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Et quaſi ad pedes ſedet Angelus cùm dicitur: *Et Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis.* Poſſumus autem per duos Angelos, duo teſtamenta cognoſcere, vnum prius, & aliud ſequens. Qui videlicet Angeli, per locum

Dominici corporis ſibimetipſi ſunt cõiun-A cti; quia nimirum vtraque teſtamẽta, dum pari ſenſu incarnatum & mortuum, ac reſurrexiſſe Dominum nuntiant, quaſi teſtamentum prius ad caput, & teſtamentum poſterius ad pedes ſedet. Requirunt Mariam Angeli dicentes:

Mulier quid ploras? dicit eis: Quia tulerunt Dominum meum à monumento, & neſcio vbi poſuerũt eum.] Ipſa namque ſacra eloquia, quæ in nobis lachrymas amoris excitant, propter bonitatem ſaluatoris noſtri, & memoriam mortis illius quam paſſus eſt pro noB ſtro amore, eaſdem lachrymas conſolantur, dum nobis Redemptoris noſtri ſpeciem promittũt. Angeli interrogauerunt, *Quid ploras?* Quaſi dixiſſent, Non eſt opus mortuum plorare, quem viuentem credere debes. At illa ait: *Tulerunt Dominum meũ, & neſcio vbi poſuerunt eum.* Dominum ſuum vocans, Domini ſui corpus exanime, à parte totum ſignificans: ſicut omnes confitemur Ieſum Chriſtum filium Dei vnicum Dominum noſtrum, quod vtique ſimul eſt & verbum & anima & caro. Crucifixum C tamen & ſepultum, cùm ſola eius ſepulta ſit caro. *Et neſcio*, inquit, *vbi poſuerunt eum.* Hæc erat cauſſa maior doloris, quòd neſciebat quò iret ad cõſolandum dolorem; ſed propè erat hora, qua triſtitia eius verteretur in gaudium. Vnde ſequitur:

Hæc cùm dixiſſet, reuerſa eſt retrorſum, & vidit Ieſum ſtantẽ, & neſciebat quia Ieſus eſſet.] Notãdum quòd Maria, quæ adhuc de Domini reſurrectione dubitabat, retrorſum conuerſa eſt vt videret Ieſum: quia videliD cet per eandem dubitationem ſuam, quaſi terga in Domini faciem miſerat, quem reſurrexiſſe minimè credebat. Sed quia amabat & dubitabat, videbat & non cognoſcebat, eumque illi & amor oſtenderat, & dubietas abſcondebat. Cuius adhuc ignorantia exprimitur cùm infertur: *Et neſciebat quia Ieſus eſſet, qui dicit ei:*

Mulier quid ploras? quem quæris?] Interrogatur doloris cauſa, vt augeatur deſideriũ, quatenus cùm nominaret quem quæreret, in amore eius ardentiùs æſtuaret.

Illa exiſtimans quia hortulanus eſſet, dicit ei: E *Domine ſi tu ſuſtuliſti eum dicito mihi vbi poſuiſti eum, & ego eum tollam.*] Forſitan nec errando hæc mulier errauit, quæ Ieſum hortulanum credidit. An non ei ſpiritaliter hortulanus erat, qui in eius pectore per amoris ſui ſemina, virtutum virentia plantabat ſata? Sed quid eſt quod viſo eo quem hortulanum credidit, cui necdum dixerat quem quærebat, ait ei: *Domine ſi tu ſuſtuliſti eum dicito mihi?* Nemo calumnietur mulierem, quòd hortulanum dixerit Dominum, & Ieſum magiſtrum. Ibi enim rogabat, hic noſcebat *. Ibi honorabat hominem à quo beneficium poſtulabat, hic recolebat doctorem à quo diſcernere humana & diuina diſcebat. Appellabat Dominum, cuius ancilla non erat, vt perueniret ad Dominum cuius erat. Aliter ergo Dominum dixit: *ſuſtulerunt Dominum meum.* Aliter autem: *Domine ſi tu ſuſtuliſti illum*, ibi ex veritate, hic ex honore. Quærebat itaque & non dicebat, quæ cum dixit: *Domine, ſi tu ſuſtuliſti eum.* Hoc habet vis amoris, hoc agere ſolet in animo, vt quem ipſe ſemper cogitat, nullũ alium credat ignorare. Rectè & hęc mulier quem quærit non dicit, & tamen dicit: *Si tu ſuſtuliſti eum*, quia alteri non putat incognitum, quem ſic ipſa continuò plangit deſiderio.

* al. agnoſcebat.

Dicit ei Ieſus: Maria.] Poſtquã eam communi vocabulo appellauit ex ſexu, & agnitus non eſt, vocat ex nomine. Ac ſi apertè dicat: Recognoſce eum à quo recognoſceris. Perfecto quoque viro dicitur, Noui te ex nomine; quia homo, commune omnium noſtrum vocabulum eſt, Moyſes vero proprium, cui rectè dicitur, quia ex nomine ſcitur. Ac ſi ei apertè Dominus dicat, Non te generaliter vt cæteros, ſed ſpecialiter ſcio. Maria ergo quæ vocatur ex nomine, recognoſcit auctorem. Atque eum protinus Rabboni, id eſt, magiſtrum vocat, quia & ipſe erat qui quærebatur exteriùs, & ipſe eam interiùs vt quæreret docebat. Iam verò ab Euãgeliſta non ſubditur, quid mulier fecerit, ſed ex eo innuitur quod audiuit cui dicitur:

Noli me tangere: nondum enim aſcendi ad patrem meum.] In his namque verbis oſtenditur, quod Maria amplecti voluit eius veſtigia quem recognouit. Sed ei magiſter dicit: *Noli me tangere*, non quia poſt reſurrectionem Dominus tactum renuit feminarum, cùm de duabus ad ſepulchrum eius ſcriptum ſit: *Acceſſerunt & tenuerunt pedes eius.* Sed cur tangi non debeat, ratio quoque additur, cùm ſubinfertur: *Nondum enim aſcendi ad patrem meum.* In corde etenim noſtro tunc Ieſus aſcendit ad patrem, cùm æqualis creditur patri. Nam quiſquis eum æqualem patri non credit, adhuc in eius pectore ad patrem Dominus non aſcendit. Ille ergo Ieſum veraciter tangit, qui patri filium coæternum credit.

Vade autem ad fratres meos, & dic eis: Aſcendo ad patrem meum & ad patrem veſtrum, ad Deum meum & Deum veſtrum.] Cùm meum

dicat & veſtrum, cur non communiter dicit noſtrum? Sed diſtinctè loquẽs, indicat, quia eundem patrem & Deum ſimiliter habet ipſe quem nos. *Aſcendo ad patrem meum*, videlicet per naturam, *& patrem veſtrum* per gratiam: *ad Deum meum*, quia deſcendi, *ad Deum veſtrũ*, quia aſcendetis. Quia enim & ego homo, Deus mihi eſt: quia vos ab errore liberati eſtis, Deus eſt vobis. Diſtinctè ergo mihi pater & Deus eſt, quia quem ante ſecula Deum genuit, hominem in fine ſeculorum me creauit.

A

Venit Maria Magdalenæ adnuncians diſcipulis, quia vidi Dominum. Et hæc dixit mihi.] Ecce humani generis culpa ibi abſcinditur vnde proceſſit. Quia enim in paradiſo mulier viro propinauit mortem, à ſepulchro mulier viris adnuntiauit vitam: & dicta ſui viuificatoris narrat, quæ mortiferi ſerpentis verba narrauerat. Ac ſi humano generi non verbis Dominus, ſed rebus dicat: de qua manu vobis inlatus eſt potus mortis, de ipſa ſuſcipite poculum vitæ. Hæc de expoſitione lectionis Euangelicæ ſuccinctè tranſcurrimus. Nunc opitulante eodem de quo loquimur Domino, & reſurrectionis gloriam, & pietatis viſcera conſideremus. Citius enim à morte voluit reſurgere, ne noſtra diu anima in infidelitatis morte remaneret.

B

Cap. XLII.

Cùm fores eſſent clauſæ, veniens ad diſcipulos pacem infert, manibus lateréque monſtrato. quibus etiam per inſufflationem ſignificat Spiritum ſanctum. Item poſt dies octo Thomas inſpectu vel tactu lateris ac manuum in fidem confirmatur, audiens, Beati qui non viderunt & crediderunt.

C

CVm ſerò factum eſſet vna ſabbatorum, & fores eſſent clauſæ, vbi erant diſcipuli congregati propter metum Iudæorum, venit Ieſus & ſtetit in medio eorum.] Quid mirum ſi clauſis ianuis poſt reſurrectionem ſuam in æternum iam victurus intrauit, qui moriturus veniens non aperto vtero virginis exiuit? Sed quia ad illud corpus quod videri poterat fides intuentium dubitabat, oſtendit eis protinus manus ac latus. Palpandam carnem præbuit, quam clauſis ianuis introduxit. Clauus enim manus fixerat, lancea latus aperuerat. Vbi ad dubitantium corda ſananda, vulnerum ſunt ſeruata veſtigia. Qua in re duo mira, & iuxta humanam rationem ſibi valde contraria oſtendit, dum poſt reſurrectionem corpus ſuum & incorruptibile, & tamen palpabile demonſtrauit. Nam & corrumpi neceſſe eſt quod palpatur, & palpari non poteſt quod non corrumpitur. Sed miro modo atque inæſtimabili Redemptor noſter & incorruptibile poſt reſurrectionem & palpabile corpus exhibuit, vt monſtrando incorruptibile inuitaret ad præmium, præbendo palpabile formaret ad fidem. Et incorruptibilem ſe ergo & palpabilem demonſtrauit, vt profecto eſſe poſt reſurrectionem oſtenderet corpus ſuum & eiuſdem naturæ & alterius gloriæ.

D

Dicit eis: Pax vobis.] Pacem offerebat qui propter pacem venit, & quibus ante dixit: *Pacem meam relinquo vobis, pacem meam do vobis*, modo dicit: *Pax vobis*. Quam pacem in naſcente Chriſto Angeli prædicauerunt mundo, & iterum ſecundo ait: *Pax vobis*, vt monſtraret pacificata eſſe quæ in cœlis ſunt, & quæ in terris ſunt, per ſanguinem ſuum. Luc. 2.

Dicit eis: Pax vobis.] Iteratio, confirmatio eſt.

Sicut miſit me pater, & ego mitto vos.] Pater filium miſit, qui hunc pro redemptione generis humani incarnari conſtituit, quem videlicet in mundo venire ad paſſionem voluit; ſed tamen amauit filium, quem ad paſſionem miſit. Electos verò Apoſtolos Dominus non ad mundi gaudia, ſed ſicut ipſe miſſus eſt, ad paſſiones in mundum mittit. Quia ergo & filius amatur à patre, & tamen ad paſſionem mittitur; ita & diſcipuli amantur à Domino, qui tamen ad paſſionem mittuntur in mundum. Itaque dicitur: *Sicut miſit me pater, & ego mitto vos*, id eſt, ea charitate vos diligo, cùm inter ſcandala perſecutorum mitto, qua me charitate pater diligit, quem venire ad tolerandas paſſiones fecit.

E

Hoc cùm dixiſſet, inſufflauit & dicit eis: Accipite Spiritum ſanctum.] Quærendum nobis eſt, quid eſt quod Spiritum ſanctum Dominus noſter & ſemel dedit in terra conſiſtens, & ſemel cœlo præſidens. Neq; enim alio in loco datus Spiritus ſanctus apertè monſtratur, niſi nunc cum per inſufflationem percipitur, & poſtmodum cum de cœlo veniens, in linguis varijs demonſtratur. Cur ergo prius in terra diſcipulis datur, poſtmodum de cœlo mittitur, niſi quod duo ſunt præcepta charitatis, dilectio videlicet Dei, & proximi. In terra datur ſpiritus, vt diligatur proximus. E cœlo datur ſpiritus, vt diligatur Deus. Sicut ergo vna eſt charitas & duo præcepta, ita vnus ſpiritus & duo data. Prius à conſiſtente Do-

mino, in terra, poſtmodum è cœlo; quia in proximi amore diſcitur, qualiter perueniri debeat ad amorem Dei. Hoc cùm dixiſſet, inſufflauit & dicit eis: *Accipite Spiritum ſanctum*, inſufflando ſignificauit Spiritum ſanctum non patris ſolius eſſe ſpiritum, ſed & ſuum.

Quorum remiſeritis, inquit, *peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta ſunt.*] Ecce charitas, quæ per Spiritum ſanctum diffunditur in cordibus noſtris, participum ſuorum peccata dimittit, eorum autem qui non ſunt eius participes, tenet. Ideo poſteaquam dixit: *Accipite Spiritum ſanctum*, hoc continuò de peccatorum remiſſione, ac detentione ſubiecit. Sciendum verò eſt, quod hi qui primo Spiritum ſanctum habuerunt, vt & ipſi innocenter viuerent, & in prædicatione quibuſdam prodeſſent: idcirco hunc poſt reſurrectionem Domini patenter acceperunt, vt prodeſſe non paucis, ſed pluribus poſſent.

Thomas autem vnus ex duodecim, qui dicitur Didymus, non erat cum eis quando venit Ieſus.] Iſte vnus diſcipulus defuit, reuerſus quod geſtum eſt audiuit, audita credere renuit. Venit iterum Dominus, & non credenti diſcipulo latus palpãdum præbuit. Manus oſtendit, & oſtenſa ſuorum vulnerum cicatrice, infidelitatis illius vulnus ſanauit. Quid, fratres chariſſimi, quid inter hæc animaduertitis? nunquid caſu geſtum creditis, vt electus ille diſcipulus tunc deeſſet? Poſt hæc venit vt audiret, audiens dubitaret, dubitans palparet, palpans crederet. Non hoc caſu, ſed diuina diſpenſatione geſtum eſt. Egit namque miro modo ſuperna clementia, vt diſcipulus dubitans, dum in magiſtro ſuo vulnera palparet carnis, in nobis vulnera ſanaret infidelitatis. Plus enim nobis Thomæ infidelitas ad fidem, quàm fides credẽtium diſcipulorum profuit: quia dum ille ad fidem palpando reducitur, noſtra mens omni dubitatione poſtpoſita, in fide ſolidatur. Sic quippe diſcipulum poſt reſurrectionem ſuam dubitare permiſit, nec tamen in dubitatione deſeruit: ſicut ante natiuitatem ſuam habere Mariam ſponſum voluit, qui tamen ad eius nuptias non peruenit. Nam ita factus eſt diſcipulus dubitãs & palpans, teſtis veræ reſurrectionis; ſicut ſponſus matris fuerat cuſtos integerrimæ virginitatis. Palpauit autem, & exclamauit:

Dominus meus & Deus meus. Dicit ei Ieſus: Quia vidiſti me, credidiſti.] Cùm Paulus Apoſtolus dicat: *Eſt enim fides ſperandarũ ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium*: Profecto liquet, quia fides illarum rerum argumentum eſt, quæ apparere non poſſunt. Quæ etenim apparent, iam fidem non habent, ſed agnitionem. Dum ergo vidit Thomas, dum palpauit, cur ei dicitur: *Quia vidiſti me credidiſti?* Sed aliud vidit, aliud credidit. A mortali quippe homine diuinitas videri non potuit. Hominem igitur vidit, & Deum confeſſus eſt, dicens: *Deus meus & Dominus meus.* Videndo ergo credidit, qui conſiderando hominem, verum hunc Deum quem videre non poterat, exclamauit. Lætificat valdè quod ſequitur:

Hebr. 11

Beati qui non viderunt & crediderunt.] In qua nimirum ſententia nos ſpecialiter ſignati ſumus, qui eum quem carne non vidimus, mente retinemus. Nos ſignati ſumus, ſed ſi fidem noſtram operibus ſequimur. Ille etenim verè credit, qui exercet operando quod credit. Ait: *Beati qui me non viderunt & crediderunt*, præteriti temporis vſus eſt verbo; tanquam ille qui id quod erat futurum, in ſua nouerat prædeſtinatione iam factum, ſed his verbis propriè gentium, vt diximus, fides ſignatur.

Multa quidem & alia ſigna fecit Ieſus in conſpectu diſcipulorum ſuorum.] Significat Euangeliſta, plurima feciſſe Ieſum ſigna & miracula ſalutis & prædicationis, quæ non ſcripta eſſent propter multitudinem illarum rerum, quæ geſtæ fuerunt ab eo. Sequitur autem:

Hæc autem ſcripta ſunt vt credatis, quia Ieſus eſt Chriſtus filius Dei; & vt credentes vitam habeatis in nomine eius.] Quid dicunt qui aſſerunt Ieſum Chriſtum filium Dei non eſſe; dum iſte Euãgeliſta Deo dilectus, & à Deo electus *, dixit hanc ſibi eſſe occaſionem ſcribendi hoc Euangelium, vt crederetur quia Ieſus eſt Chriſtus filius Dei? Ille qui ab Angelo nunciatus eſt, & nomen illi impoſitum eſt Ieſus, dum venit ad virginem dixit: *Paries filium, & vocabis nomen eius Ieſum.* Hic autem Ieſus qui natus eſt ex virgine Maria, filius eſt Dei, ſicut iſte Euangeliſta teſtatur, & vt omnes in hac fide vitam poſſint habere ſempiternã in nomine eius. Quid de illis æſtimãdum eſt, qui eum non credunt filium Dei eſſe verum, ſed adoptiuum, niſi forte vt numquam habeant vitam æternam. Dicunt itaque aſſumptionem & adoptionem vnum eſſe, & Ieſum Chriſtum ſecundum quod homo eſt, propter aſſumptionem humanitatis, neceſſariè adoptiuum eſſe: non intellegentes quanta eſt hæc abſurditas, quæ ſequitur eos. Nam ſi adoptiuus eſt propter aſſumptionem, igitur filij perſona adoptiuus eſt,

* al. doctus.

quia filius aſſumpſit hominem, & eſt tunc nepos Deo patri. Quod quàm impium ſit, nullum æſtimo fidelium ignorare. Tantummodo credamus Ieſum eſſe filium Dei verum in vtraque natura. Et ſicut filius Dei verè eſt filius hominis, ita filius hominis verè eſt filius Dei. Sed hæc aliâs plenius. Nũc verò quæ ſequuntur videamus. Sed hoc capitulum velut libri huius indicat finem, tamẽ narratur hic deinde quemadmodum ſe manifeſtauerit Dominus ad mare Tiberiadis, & in captura piſcium commendauerit Eccleſiæ ſacramentum, qualis futura eſt vltima reſurrectio mortuorum. Ideo quaſi ab alio incipit principio, quia vita fidelium ab alio tunc incipit principio, vbi nihil huius perturbationis futurum erit, quas hic patimur in hac vita. Vnde & ita incipit qualiter hæc manifeſtatio eſſet acta. Dicit enim:

Cap. XLIII.

Manifeſtat ſe iterum ad mare Tiberiadis VII. *diſcipulis in captura piſcium centum quinquaginta trium, cùm reſurrexiſſet à mortuis.*

Manifeſtauit ſe iterum ad mare Tiberiadis, manifeſtauit autem ſic. Erant ſimul Petrus & Thomas qui dicitur Didymus, & Nathanahel qui erat à Cana Galileæ, & filij Zebedæi, & alij ex diſcipulis eius duò. Dicit eis Simon Petrus: Vado piſcari. Dicunt ei: Venimus & nos tecum. Exierunt & aſcenderunt in nauem, & illa nocte nihil ceperunt.] Quæri enim poteſt, cur Petrus, qui piſcator ante conuerſionem fuit, poſt conuerſionem ad piſcationem rediit? Et cùm Veritas dicat: *Nemo mittens manum ſuam in aratrum, & aſpiciens retro, aptus eſt regno Dei.* Cur repetit quod reliquit? ſed ſi virtus diſcretionis intenditur, citius videtur; quia nimirum negocium quod ante conuerſionem ſine peccato extitit, hoc etiam poſt conuerſionem culpa repetere non fuit. Nam piſcatorem Petrũ, Matthæum verò telonarium ſcimus, & poſt conuerſionem ſuam, ad piſcationem Petrus rediit. Matthæus verò ad telonei negotium non rediit, quia & aliud eſt victum per piſcationem quærere, aliud telonei lucris exercitia augere. Sunt enim pleraque negocia, quæ ſine peccatis exhiberi aut vix, aut nullatenus poſſunt. Quæ ergo ad peccatum implicant, ad hæc neceſſe eſt vt poſt conuerſionem animus non recurrat. Quæri poteſt: Cur diſcipulis in mari laborantibus poſt reſurrectionem ſuam Dominus in litore ſtetit? Qui ante reſurrectionem ſuam coram diſcipulis ſuis in fluctibus maris ambulauit? Cuius rei ratio feſtinè cognoſcitur, ſi ipſa quæ tunc inerat cauſa penſetur. Quid enim mare, niſi præſens ſæculum ſignificat? quod ſe cauſarum tumultu & vndis vitæ corruptibilis inlidit. Quid per ſoliditatem litoris, niſi illa perpetuitas quietis æternæ figuratur? Quia igitur diſcipuli adhuc fluctibus mortalis vitæ inerant, in mari laborabant. Quia autẽ Redemptor noſter iam corruptionem carnis exceſſerat, poſt reſurrectionem ſuam in litore ſtabat. Ac ſi ipſum reſurrectionis ſuæ myſterium rebus diſcipulis loqueretur dicens: Iam vobis in mari non appareo, quia vobiſcum in perturbationũ fluctibus non ſum. Facta eſt autem diſcipulis piſcationis magna difficultas, vt magiſtro veniente fieret admirationis magna ſublimitas, qui protinus dixit:

Lucæ 9.

Mittite in dexterã nauigij rete, & inuenietis.] Bis in ſancto Euangelio legitur, quia Dominus iuſſit vt ad piſcandum retia mitterentur, ante paſſionem videlicet, & poſt reſurrectionem. Sed priuſquàm Redẽptor noſter pateretur & reſurgeret, mitti quidem rete ad piſcandum iubet, ſed vtrum in dextram, an in ſiniſtram mitti debuiſſet non iubet. Poſt reſurrectionem vero diſcipulis apparẽs, mitti rete in dexteram nauigij iubet. In illa piſcatione tanti capti ſunt, vt retia rumperentur. In iſta autem & multi capti ſunt, & retia rupta non ſunt. Quis verò neſciat bonos in dextera, & malos in ſiniſtra figurari? Illa ergo piſcatio, in qua ſpecialiter in quam partem mitti rete debeat non iubetur, præſentem Eccleſiam deſignauit, quæ bonos ſimul ac malos colligit, nec elegit quos trahat; quia & quos eligere poſſit ignorat. Hæc autem piſcatio poſt Domini reſurrectionem facta, in ſolam dexteram miſſa eſt; quia ad videndam claritatis eius gloriam ſola electorum Eccleſia pertinget, quæ de ſiniſtro opere nil habebit. In illa piſcatione præ multitudine piſcium rete rumpitur, quia nunc ad confeſſionem fidei, etiam cum electis reprobi tanti intrant, qui ipſam quoque Eccleſiam hæreſibus ſcindant. In iſta vero piſcatione & multi piſces & magni capiuntur, & rete non rumpitur, quia ſancta electorum Eccleſia in continua autoris ſui pace requieſcens nullis iam diſſenſionibus dilaniatur. Captis autem tam magnis piſcibus,

Aſcendit Simon Petrus, & traxit rete in terram.] Iam credo quòd veſtra charitas aduertat, quid eſt quod Petrus rete ad terram trahit. Ipſi quippe ſancta Eccleſia eſt commiſſa

miſſa, ipſi ſpecialiter dicitur: *Simon Ioannis amas me? Paſce oues meas.* Quod ergo poſtmodum aperitur in voce, hoc ſignatur in opere. Quia igitur prædicator Eccleſiæ nos à mundi huius fluctibus ſeparat, nimirũ neceſſe eſt vt rete plenum piſcibus Petrus ad terram ducat. Ipſe enim piſces ad ſoliditatem litoris pertrahit, quia ſanctæ prædicationis voce ſtabilitatẽ æternę patriæ fidelibus oſtẽdit. Hoc egit verbis, hoc Epiſtolis, hoc agit cotidie miraculorũ ſignis. Quoties per eum ad amorem quietis æternæ cõuertimur, quoties æternarum rerum tumultibus ſeparamur, quid aliud quàm niſi intra rete fidei piſces ad littus trahimur? Sed cũ rete piſcibus magnis plenũ dicitur, additur & quantis, ſcilicet centum quinquaginta tribus. A magno myſterio iſte numerus non vacat, ſed intentos vos tanti myſterij profunditas expectat. Neque etenim quantitatis ſummam ſolerter Euangeliſta exprimeret, niſi hanc ſacramento plenam eſſe iudicaſſet. Scitis namq; quòd in Teſtamento veteri omnis operatio per Decalogi mãdata præcipitur, in nouo autẽ eiſdem operationis virtus, per ſeptiformẽ gratiam ſanctiSpiritus, multiplicatis fidelibus datur, quem Propheta denũtians dicit: *Spiritus ſapientiæ & intellectus, ſpiritus conſilij & fortitudinis, ſpiritus ſcientiæ & pietatis, & replebit eum ſpiritus timoris Domini.* Sed ille in hoc ſpiritu operationem percipit, qui fidẽ Trinitatis agnoſcit, vt & patrem, & filium, & eundem Spiritum ſanctum vnius virtutis credat, vnius ſubſtantiæ eſſe fateatur. Quia igitur ſeptem quę ſuperius diximus, per nouum Teſtamentum latius data ſunt, decem verò per vetus pręcepta; omnis noſtra virtus & operatio per decem & ſeptẽ poteſt plena comprehẽdi. Ducamus ergo per trigonum decem & ſeptem, & veniunt quinquaginta & vnum. Qui profectò numerus à magno myſterio non vacat, quia in Teſtamento veteri legimus; quòd annus quinquageſimus iubileus vocari iuſſus eſt, in quo videlicet cunctus populus ab omni operẽ requieſceret. Sed vera requies in vnitate eſt. Diuidi quippe vnum non poteſt. Vbi enim ſciſſura diuiſionis eſt, vera requies nõ eſt. Ducamus ergo per trigonũ quinquaginta & vnum, & fiunt centũ quinquaginta tria. Quia igitur & omnis operatio noſtra & virtus, in fide Trinitatis exhibita ad requiem tendit, ſeptẽ & decem ter ducimus, vt ad quinquaginta & vnum venire debeamus. Et vera noſtra requies tunc eſt, cùm ipſam iam claritatem Trinitatis agnoſcimus, quam in vnitate diuinitatis eſſe,

Eſai. 11.

Leuit. 25.

A certum tenemus. Quinquaginta & vnum ter ducimus, & electorum ſummam in ſuperna patria, quaſi centum quinquaginta trium piſcium numerum tenemus. Poſt reſurrectionem verò Domini miſſum rete, dignum fuit vt tot piſces caperet, & quod ſolũmodo electos quos ciues ſupernæ patriæ deſignarent. Eſt quoque alia ſupputatio huius ſeptenarij numeri. Nam ſi ab vnò omnes numeros computes vſque ad decẽ & ſeptem hoc modo: vnum, duo tres fiunt: adde tres; fiunt ſex: his adiunge quatuor, B fiunt decem: his quinque, & habebis quindecim: & ſic creſcentibus numeris & multiplicatis vſque ad decem ſeptem, fit omnium numerorum ſumma iſtorum, qui multiplicantur ab vno vſque ad decem & ſeptem, centum quinquaginta tria. Quæ cõputatio ſuperiori ſignificationi, id eſt, legis in denario, ſatis congruenter conuenit. Sed plura poſſunt inde conſiderari admiratione digna, quæ huius temporis anguſtia prohibet nos omnia dicere. Sed quid eſt, quod Redemptor noſter piſcem aſſum C poſt reſurrectionem manducauit? & in alio Euangelio dicitur, cum piſce aſſo fauum mellis? in iſto verò panem cum piſce? Quid enim piſcis aſſus ſignificat, niſi Chriſtum paſſum? quid fauus mellis, niſi diuinitatis dulcedinem? Piſcis eſt, quia ipſe latere dignatus in aquis generis humani, capi voluit laqueo mortis noſtræ, & quaſi tribulatione aſſatus eſt tempore paſſionis ſuæ. Sed qui piſcis aſſus fieri dignatus eſt in paſſione, fauus mellis nobis extitit in reſurrectione. An qui in piſce aſſo figurari D voluit tribulationem paſſionis ſuæ, in fauo mellis vtramque naturam exprimere voluit perſonæ ſuæ? Fauum quippe mel in cera eſt. Mel verò in cera, eſt diuinitas in humanitate. Quod ab hac quoque lectione non diſcrepat. Nam comedit piſcem & panem. Qui enim aſſari vt piſcis potuit ex humanitate, pane nos reficit ex diuinitate, qui ait: *Ego ſum panis viuus qui de cælo deſcendi.* Aſſum ergo piſcem comedit & panem, vt ipſo ſuo cibo nobis oſtenderet, quia & paſſionem ex noſtra humanitate pertulit, E & refectionem noſtram ex ſua diuinitate procurauit. Notandum quoque quod vltimum conuiuium Dominus cum ſeptem diſcipulis habuiſſe deſcribitur. Petrus nanque & Thomas, Nathanael & filij Zebedæi, & alij ex diſcipulis eius duo in eo fuiſſe memorantur. Cur cum ſeptem diſcipulis vltimum conuiuium celebrat, niſi quia eos tantummodo qui ſeptiformi gratia ſancti Spiritus pleni ſunt, futuros ſecũ

in æterna refectione denuntiat? Septem A quoque diebus omne hoc tempus euoluitur, & ſæpè ſeptenario numero perfectio deſignatur. Illi ergo vltimo conuiuio de præſentia veritatis epulatur, qui nunc perfectionis ſtudio terrena tranſcēdunt: quos mundi huius amor non alligat, quibus etſi vtcunq; per tentamenta obſtrepit, cœpta tamen eorum deſideria non retundit. De hoc extremo conuiuio aliàs per Ioannem dicitur: *Beati qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati ſunt.* Idcirco enim non ad prãdium, ſed ad cœnam vocatos narrat, quia nimirum in fine diei conuiuium, cœna eſt. Qui B ergo finito præſentis vitæ tempore, ad refectionem ſupernæ contemplationis veniunt, non ad Agni prandium, ſed ad cœnam vocantur. Quæ videlicet cœna hoc vltimo conuiuio exprimitur, cui ſeptem diſcipuli adeſſe memorantur, quia illos, vt diximus, tunc interna refectio reparat, qui pleni nunc ſeptiformi gratia in amore Spiritus anhelant. In eo quod tertiò Dominus poſt reſurrectionē manifeſtauit ſe diſcipulis ſuis, beati Ioannis Euangeliſtæ E- C uangelium terminatur.

Apoc. 19.

Dicit ei Ieſus: Venite, prandete. Et nemo audebat diſcumbentium interrogare eum: Tu quis es? ſcientes quia Dominus eſt.] Senſus ergo hic eſt: Tanta erat euidentia veritatis, quia Ieſus illis diſcipulis apparebat, vt eorum non ſolùm negare, ſed ne dubitare quidē vllus auderet: quoniam ſi quiſquam dubitaret, vtique interrogare deberet. Sic ergo dictum eſt: *Nemo audebat interrogare, Tu quis es?* Ac ſi diceretur: nemo audebat dubitare quòd ipſe eſſet. D

Et venit Ieſus, & accepit panem, & dedit eis, & piſcem ſimiliter.] Ecce dictum eſt etiā quid prandere̅t, de cuius ſignificatione in ſuperiorib diximus. Superius quoq; narratū eſt, quòd diſcipuli quādo deſcenderunt in terram, viderunt prunas poſitas & piſcē ſuperpoſitum, & panem. Vbi non eſt intelligendum etiam panem fuiſſe ſuperpoſitū prunis, ſed tantùm ſubaudiendum viderunt. Quod verbum ſi repetamus eo loco, vbi ſubaudiendum eſt, ita totum dici poteſt, viderunt prunas poſitas, & piſcem ſu- E perpoſitū, viderunt & panem. Vel ita potius, Viderunt prunas poſitas, & piſcem ſuperpoſitum viderunt, & panem. Iubente etiam Domino attulerunt & de piſcibus quos ipſi ceperāt. Quod eos feciſſe quamuis à narrante non ſit expreſſum, tamen Dominum iuſſiſſe non tacitum eſt. Ait enim: *Afferte de piſcibus quos adprehendiſtis nunc.* Et vtique iubēte illo, eos non feciſſe quis credat? Hinc ergo fecit prandiū Dominus illis ſeptem diſcipulis ſuis. De piſce ſcilicet, quem prunis ſuperpoſitum viderant, huic adiungens ex illis quos ceperāt, & de pane quem nihilominus eos vidiſſe narratum eſt. Piſcis aſſus, vt diximus, Chriſtus eſt paſſus. Ipſe eſt & panis qui de cœlo deſcendit. Hoc corroborauit Eccleſiam, ad participandum beatitudinem ſempiternam. Quæ etiam in his ſeptem diſcipulis ſignificata eſt, quæ cum Chriſto in æterna beatitudine poſt labores huius ſæculi regnatura erit. Hinc enim Eccleſia, qualis in ſolis bonis futura eſt, ſignificatur per capturam CLIII. piſcium, & in eis qui hæc credunt, ſperant, diligunt, participatio tantæ beatitudinis per hoc prandium.

Hoc iam tertio, inquit, *manifeſtatus eſt Ieſus diſcipulis ſuis, cùm ſurrexiſſet a mortuis.*] Quod non ad ipſas demonſtrationes, ſed dies referre debemus, id eſt, primo die cùm reſurrexit, & poſt dies octo quando diſcipulus Thomas vidit & credidit, & hodie quando hoc de piſcibus fecit. Poſt quot autē dies id fecerit, hic dictum non eſt. Nam ipſe primo die non ſemel viſus eſt, ſicut Euangeliſtarū omnium teſtimonia conlata demonſtrant. Sed ſicut dictum eſt, ſecundum dies numerādæ ſunt manifeſtationes eius, vt iſta ſit tertia. Prima quippe habenda eſt eadem vna propter vnum diem, quotienſcunque ſe & quibuſcunque in illo quo reſurrexit oſtendit. Secunda poſt dies octo, & hæc tertia, & deinde quotiens voluit, vſq; ad diem quadrageſimum, quo aſcendit in cœlum: quamuis non ſcripta ſint omnia, ſicut iſte idem Ioānes teſtatur, multa eum feciſſe quæ non ſunt ſcripta. Conlatis Euangeliorū teſtimoniis, decies Dominus viſus eſt ab hominibus, à die prima reſurrectionis ſuæ, vſque ad diem quadrageſimum aſcenſionis ſuæ. Primo quidem Mariæ Magdalenæ flenti ad monumentū. Deinde eidem Mariæ & alteri eiuſdē nominis feminæ regredietibus à monumēto nuntiare diſcipulis, quæ ibi viderāt, occurrens apparuit. Tertio Simoni Petro, licet hoc non legatur vbi eſſet factum, tamen factum eſſe ex Euāgelio Lucæ inuenimus, vbi ait diſcipulos dixiſſe: *quia verè ſurrexerit Dominus, & apparuit Simoni.* Quarto, Cleophæ & ſocio eius, cum quibus ipſe gradiens in Emaus, inibi in panis fractione cognitus eſt, qui mox reuerſi Hieroſolymam, inuenerunt diſcipulos loquentes, quia ſurrexit Dominus verè, & apparuit Simoni. Nam plenè alibi quando Simoni apparuerit non legitur. Quinto,

Apparuit eis in eodem loco ianuis clauſis, vbi nō erat Thomas. Sexto, poſt dies octo, quando erat cum eis & Thomas, cui manus & latus Dominus palpandum oſtendit. Septimo piſcantibus ad mare Tiberiadis, & conuiuantibus cum eis, vbi & Petrū an ſe diligeret tertiò interrogauit. Octauo, in monte Galilææ illis vndecim apparuit, ſicut cōſtituit eis ante paſſionē ſuam, & mulieribus præcepit eis dicere vt irent in Galilæam, vbi eum viſuri eſſent. Nono, regredientibus illis vndecim apparuit, die quo aſcendit in cælum, ſicut Marcus refert. Decimo, viderunt eum ipſa die, non iam in terra poſitum, ſed eleuatum in aëra, cælóſque penetrantem dicentibus ſibi Angelis: *Sic veniet quemadmodū vidiſtis eum euntem in cælum.* Quid verò actum ſit vel dictum in illo conuiuio Domini noſtri Ieſu Chriſti nouiſſimo cum diſcipulis ſuis, conſequēter expoſuit Euangeliſta, dicens: Act. 1.

Cap. XLIV. & XLV.

Vſque tertiò dicit Petro, Amas me? *quia ter eum negauerat; & paſcendas oues æquè tertiò commendans, extenſione manuum ſignificat ei, quòd crucis morte foret martyrio coronandus.*

Dicit Simoni Petro Ieſus: Simon Ioannis diligis me plus his? *&c. Vſque* clarificaturus eſſet Deum.

D*icit Simoni Petro Ieſus: Simon Ioannis diligis me plus his? Dicit ei, Etiam Domine, tu ſcis quia amo te.*] Virtutem nobis perfectæ dilectionis præſens Domini noſtri interrogatio oſtēdit. Perfecta enim dilectio eſt, qua Dominum ex toto corde, tota anima, tota virtute; proximum autem tanquam noſipſos diligere iubemur, & neutra harū dilectio ſine altera valet eſſe perfecta, quia nec Deus verè ſine proximo, nec ſine Deo verè poteſt proximus amari. Vnde Dominus totiens interrogato Petro an ſe diligeret, & illo reſpondēte, quod eum ipſo teſte diligeret, adiungebat per ſingula ita concludens: *Paſce oues meas,* ſiue paſce agnos meos. Ac ſi apertè diceret: Hæc ſola & vera eſt probatio integri in Dominum amoris, ſi erga fratres ſtudueris curam ſolliciti exercere laboris. Nam quicunque fratri opus pietatis quod valet impendere neglegit, minus iuſto ſe conditorem diligere oſtēdit, cuius mandata in ſuſtentanda proximi neceſſitate contemnit. Quę profectò charitas, quoniā ſine diuinę gratiæ inſpiratione minimè poſſit haberi, tacitè quodāmodo Dominus inſinuat; qui Petrum de illa interrogās, Simonem eum Ioannis, quem nunquam aliàs, cognominat. *Simon,* inquit, *Ioannis diligis me plus his?* vbi quāuis & ſimpliciter mentio facta terreni parētis eius poſſit intellegi, non tamē ab re eſt, ſi quid nomine Ioannis donum ſupernæ generationis myſticè indicatū velit accipere De quo Ioānes Apoſtolus admonendo teſtatur: *Chariſſimi diligamus inuicem, quoniā charitas ex Deo eſt, & omnis qui diligit ex Deo natus eſt, & cognoſcit Deum.* Simō nanque obediens, Ioannes dicitur Dei gratia, & propterea rectè primus Apoſtolorū cū de amore ſuo requiritur, Simō Ioannis, id eſt obediens Dei gratia vocatur: vt liquidò cunctis oſtēdatur, hoc quo maiore præ cæteris obedientia Domini iuſſis obſequitur, quo ardentiori illū charitate amplectitur, nō humani meriti, ſed muneris eſſe diuini. Vnde & Apoſtolus Paulus eadē gratia cōfortatus aiebat, *quia charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctū qui datus eſt nobis.* Qui ergo cęteris flagrātius Dominum amare probatur, filius Ioānis cognominatur, quia nimirū virtus eiuſdem amoris non niſi per gratiā Spiritus percipitur. Qui tamen ipſe notandum quàm cautè & circunſpectè teſtimoniū ſuo reddit amori, cùm Domino ſciſcitāti an ſe plus aliis diligeret, non auſus eſt reſpondere. *Tu ſcis quia amo te plus his,* ſed temperata ac ſimplici voce, *Etiam,* inquit, *Domine, tu ſcis quia amo te.* Quod eſt apertè dicere: Scio quidē quia ipſe te, vt tu melius noſti, integro corde diligo. Quā verè te alij diligant, mihi quidem ignotū, ſed tibi ſunt omnia nota. Cuius cautela reſpōſionis noſtræ profectò eſt inſtitutio locutionis, ſimul & cognitionis; vt videlicet eius exemplo diſcamus minus de noſtræ cōſcientiæ puritate præſumere. Minus temerè de fraternæ conſcientiæ occultis iudicare, in dubiis maximè rebus, quod qua intētione vel neceſſitate gerantur inſpicere nequimus, quæ ab illis agi cōſpicimus. Siquidē & ipſe Petrus idcirco ſe in hac Dominica interrogatione cautiùs reſpōdēdo cohibebat, quia meminit ſe pridē imminēte eius paſſione plus ſibi conſtātiæ tribuiſſe quā haberet, ſpōdendo videlicet ſe eſſe paratū & in carcerē & in mortē ire cū illo, qui necdū erat idoneus inſtante periculo ſaltē confiteri quia noſſet illū, vel quia fuiſſet aliquando cum illo. Inſtructus ergo periculo priore cautiùs loqui cū Domino, quem bene didicerat humanæ conſciētiæ conſtantiā ſtatim melius noſſe, quā ipſa ſe conſcientia vllatenus noſſe ſufficeret; de fraterni quidē cordis occultis nihil 1. Ioan. 4. Rom. 5.

A prorſus audet definire. De ſui autem amoris integritate non ſuimet ſolius, ſed & ipſius qui interrogabat Domini teſtimonium pandit, etiam inquiens, *Domine, tu ſcis quia amo te.* O quàm felix & pura conſcientia, quæ conditori ſuo, cuius nuda oculis & aperta nouit omnia, dicere non metuit. *Domine tu ſcis quia amo te.* Quàm caſta ac ſancta anima; quæ & ſuam cognitionem Domino patere non dubitat, & ſe nil aliud quàm ea quæ Dominus adprobat cogitare nõ ignorat. Prouida autem pietate Dominus tertiò Petrum an ſe diligat interrogat; B vt ipſa trina confeſſione vincula quæ illũ ter negando ligauerant abſoluat; & quotiens territus eius paſſione, qua illum noſſe negauerat, totiẽs eius reſurrectione recreatus, quod illum toto amet corde teſtatur. Prouida diſpenſatione tertiò confitenti amorem, tertiò æquè paſcendas ſuas oues commendat, quia decebat vt quotiens in paſtoris fide titubauerat, totiẽs cum renouata fide paſtoris, membra quoque eius paſtoris iubeatur curare. Quod enim hîc C dicit ei: *Paſce oues meas*, hoc eſt, vtique quod ei ante paſſionem apertiùs dixerat: *Ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua: & tu aliquando conuerſus, confirma fratres tuos.* (Lucæ 22.) Paſcere ergo oues Chriſti, eſt credentes in Chriſtum ne à fide deficiant cõfirmare, & vt in fide magis magiſque proficiant, inſtanter operam dare, ſæcularibus quoque ſubſidiis eos quantum valeat adiuuare, cogitantes ſuperfluè de caducis corrigere, mœrentes conſolari, omnes magna pietatis cura ad perpetuæ vitæ perducere paſcua. Sed hoc paſtoris eſt fixo corde tenẽ- D dum, vt eos quibus præeſt, non quaſi ſuos proprios, ſed vt Domini ſui gregẽ tractare meminerit. Iuxta illud quod Petro dicitur: *Si diligis me, paſce oues meas.* Meas, inquit, non tuas, meas tibi oues cõmendatas ſcito, & has quaſi meas rege: ſi me perfectè amas, recole vt meam videlicet in eis gloriam, meum dominium, mea lucra, non tua propria quęras. Veri autem paſtoris, & cui ſincera eſt cura de ouibus, euidens ac ſpeciale indicium eſt, cùm quiſque non ſolùm commodis omnibus vitæ temporalis E carere; ſed ipſam quoque vitam pro grege Chriſti ponere, in promptu habet. Vnde nunc ipſe poſtquam paſcendas ſuas oues Petro, hoc eſt plebes docendas, gubernãdaſque commiſit, ſubſequenter addit, dicens:

Amen amen dico tibi, Cùm eſſes iunior, cingebas te, & ambulabas vbi volebas: Cùm autem ſenueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet quò non vis.] In extenſione etenim manuum, poſitionem membrorum eius, qua cruci erat aptandus inſinuat. In cinctione alterius, impoſitionem vinculorum, quibus à perſecutore erat arcendus exprimit. In ductu quò nollet, ipſam mortis ac paſſionis acerbitatem indicat, quam corporalis eius infirmitas horrebat. Cuius animi firmitas ſpiritalis, etiam aduerſa pro Domino lætabatur cuncta ſufferre. Non enim voluntatem ſuam, ſed voluntatem quærebat eius, qui miſit eum, Chriſti. Præmiſſa igitur Dominus ouium ſuarum paſtione, ſubiungit mox, eidem primo paſtori inſinuans etiam paſſionis ſuæ triumphum, *Extendes*, inquiens, *manus tuas, & alius te cinget, & ducet quò non vis.* ac ſi patenter dicat: Quanta me charitate diligas hinc liquido probabis, cùm pro paruulorum meorum vita vſque ad mortem certando perueneris, & vt illi in corpore poſſint pariter & mente ſaluari, ipſe tormenta corporis omnia, quæ aduerſarium infligere libet, forti mentis conſtantia tolerabis. Quod ipſe quoque Euangeliſta ſubſequenter inſinuans ait:

Hoc autem dixit, ſignificans qua morte clarificaturus eſſet Deum.] Clarificauit quippe Petrus morte ſua Deum, quando hoc indicio cunctis, quantum Deus eſſet colendus amanduſque demonſtrauit, dum ipſe data optione mallet crucis ſubire tormentum, quàm cæleſtis verbi prædicatione ceſſare.

Cap. XLVI.

Dicit Dominus Petro, Sequere me, *vſque vbi dicitur*: & ſcimus quia verum eſt teſtimonium eius.

In Natali ſancti Ioannis.

D*Ixit Ieſus Petro: Sequere me. Conuerſus autem Petrus, vidit illum diſcipulum quem diligebat Ieſus ſequentem, qui & recubuit in cœna ſuper pectus eius.*] Commendat enim nobis beatiſſimus Euangeliſta & Apoſtolus Ioannes priuilegium amoris præcipui, quo cæteris amplius meruit honorari à Domino. Commendat teſtimonium Euangelicæ deſcriptionis, quod veritate diuina ſubnixum, nullus fidelium dubitare permittitur. Commendat placidam ſuæ carnis abſolutionem, quam Domino ſpecialiter ſe viſitante percepit. Poſtquam enim Dominus Ieſus ſignificauit Petro, qua morte clarificaturus eſſet Deum, protinus adiungit: *Sequere me.* Ac ſi apertè dicat: quia ipſe prius pro tua re-

demptione crucis ſupplicium ſubire non A timui? quid tu pro mei confeſſione nominis crucem pati formides? Qui eo glorioſiore martyrij palma glorificaberis, quo in hac promerẽda magiſtri iter ſequeris. Iam verò ab Euangeliſta non ſubditur, quid poſt hæc dicta Dominus & diſcipuli fecerint; ſed ex eo tamen innuitur, quod ſubiungit: *Conuerſus Petrus, vidit illum diſcipulum quem diligebat Ieſus ſequentem.* Patet namque quia dixiſſet Petro: *Sequere me*, id eſt, crucem patiendo me imitare, ſurrexit de loco conuiuij, & abire iam cœpit. Secutus eſt B autem Petrus etiam inceſſu pedum, cupiens implere quod audiuit: *Sequere me.* Secutus & ille diſcipulus quem diligebat Ieſus: Neque enim arcendum ſe à conſectatu Chriſti putabat, qui non minore ſe gratia dilectionis à Chriſto complexum nouerat. Neque incredibile eſt, ideò vtrumque diſcipulum corporali greſſu veſtigia Domini ſecutum, quia necdum intellexerunt quid ſignificauerit, in eo quod Petrũ ſe ſequi præcepit. Notum autem noui veſtræ fraternitati, quis ſit ille diſcipulus C quem diligebat Ieſus; Ioannes videlicet ipſe, qui hoc ſcripſit Euangelium, atque ideò ſuam perſonam maluit indiciis rerum accedentium, quàm proprio deſignare vocabulo. Diligebat autem eum Ieſus, non exceptis cæteris ſingulariter ſolùm, ſed præ cæteris quos diligebat familiarius vnum, quem ſpecialis prærogatiua caſtitatis ampliori dilectione fecerat dignum. Omnes quippe ſe diligere probat, quibus antè paſſionem loquitur: *Sicut dilexit me pater, & ego dilexi vos, manete in dilectione mea.* D Sed hunc præ omnibus diligit, qui virgo electus ab ipſo, virgo in æuum permanſit. Tradunt namque hiſtoriæ, quòd eum de nuptiis volentem nubere vocauerit, & propterea quẽ à carnali voluptate retraxerat, potiore ſui amoris dulcedine donauit. Denique huic moriturus in cruce matrem commendauit ſuam, vt virginem virgo ſeruaret: & ipſo poſt mortem & reſurrectionem cælos aſcendente, non deeſſet eius genitrici filius, cuius caſta vita eius caſtis tueretur obſequiis. Ponit & aliud ſuæ E perſonæ beatus Ioannes indicium ſubiungens: Qui & recubuit in cœna ſuper pectus eius, & dixit:

Domine, quis eſt qui tradet te?] Hoc quomodo geſtum ſit, ſuperiora huius Euangelij loca plenius oſtendunt. Quia videlicet in cœna, quam vltimã ante paſſionem cũ diſcipulis Saluator habuit, in qua eorum pedes lauit, eiſque corporis & ſanguinis ſui tradidit myſteria celebranda; diſcipulus ille, quem diligebat, ſuper pectus eius recubuerit, & cùm dixiſſet eis: *Amen amen dico vobis, quia vnus ex vobis tradet me*, reſpõderit ille diſcipulus innuente Petro, vt interrogaret, & dixerit ei: *Domine quis eſt?* ait Dominus: *Ille eſt*, inquit, *cui ego intinctum panem porrexero.* Quod autem diſcipulus ille ſuper pectus Magiſtri recubuit, non præſentis ſolum modo dilectionis, ſed & futuri erat ſignũ myſterij. Figurabatur etenim iam tunc Euangelium, quod idem diſcipulus erat ſcripturus, vberius atque altius cæteris ſacræ ſcripturæ paginis arcana diuinæ maieſtatis eſſe comprehenſurum. Quia enim in pectore Ieſu ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi, meritò ſuper pectus eius recubat, quẽ maiore cæteris ſapientiæ ſingularis munere donat. Cæteros quippè Euãgeliſtas nouimus plura de miraculis noſtri Saluatoris, pauciora de diuinitate locutos. Ioannes autem perpauca de humanis ſcribens actibus, potius ſe exponendis diuinæ naturæ indidit arcanis; patenter inſinuans, quanta de pectore Ieſu fluenta doctrinæ cæleſtis, quæ nobis ructaret, hauſerit. Sequitur:

Hunc ergo cùm vidiſſet Petrus, dicit Ieſu: Domine, hic autem quid?] Quia ſe beatus Petrus audierat, per paſſionem crucis clarificaturum eſſe Deum, voluit etiam de fratre & condiſcipulo cognoſcere, qua eſſet ipſe morte perpetuam tranſiturus ad vitam.

Dicit ei Ieſus: Sic eum volo manere donec venio, quid ad te? tu me ſequere.] Non, inquit, eum per paſſionem martyrij volo conſummari, ſed abſque violentia perſecutoris diem expectare nouiſſimum, quando ipſe veniens eum in æterna beatitudinis manſione recipiam, & quid hoc ad te? tu tantum crucis patibulum ſubeundo, mea te veſtigia ſequi debere memẽto. Et quidem hanc Domini reſponſionem, fratres tunc temporis ita tractabant, quaſi Ioannes nũquam eſſet moriturus. Quod non ita eſſe intellegendum, ipſe Ioannes admonere curauit, qui cùm præmiſiſſet, exiſſe ſermonem iſtũ inter fratres, quia diſcipulus ille non moritur, ſolerter adiecit, atque ait:

Et non dixit ei Ieſus, non moritur, ſed ſic eum volo manere donec venio, quid ad te?] Non ergo putandum, quia diſcipulus ille non ſit mortuus in carne, quia nec Dominus hoc de illo futurum prædixit. Et Pſalmiſta ait: *Quis eſt homo qui viuit, & non videbit mortem?* Pſal. 88. Sed ita potius intellegendum, quod cæteris Chriſti diſcipulis per paſſionem conſummatis, ipſe in pace Eccleſiæ aduentum

ſupernæ vocationis expectauerit, & hoc A eſſe quod ait Ieſus: *Sic eum volo manere donec venio*, non quia nõ & ipſe multos antea labores pro Domino preſſuráſque malorum tolerauerit, ſed quia vltimum in pace ſenium finierit; vtpote Eccleſiis Chriſti per Aſiam, quam regebat, iam longè latéque fundatis. Nam & in Actibus Apoſtolorũ, Act. 5. cum cæteris Apoſtolis flagellatus inuenitur, qui ibant gaudentes à conſpectu concilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati: & à Domitiano Cæſare in feruentis olei dolium miſſus in B Eccleſiaſtica narratur hiſtoria, ex quo tamen diuina ſe protegente gratia, tam intactus exierit, quàm fuerat à corruptione concupiſcentiæ carnalis extraneus. Nec multo poſt ab eodem principe, propter inſuperabilem Euangelizandi conſtantiam, in Pathmos inſulam exilio relegatur, vbi humano licet deſtitutus ſolatio, diuinæ tamen viſionis & allocutionis meruit crebra conſolatione releuari. Denique ibidem Apocalypſin quam ei Dominus de ſtatu Eccleſiæ præſenti, vel futuro reuelauit, ma- C nu ſua conſcripſit. Vnde conſtat promiſſionem ſic manendi, donec veniret Dominus, non eò pertinere, quòd ſine labore certaminis victurus in mundo: ſed illò potius, quod ſine dolore paſſionis tranſiturus eſſet de mundo. Sicut enim in Patrum literis inuenimus: Cùm longo confectus ſenio, ſciret imminere diem receſſus ſui, conuocatis diſcipulis ſuis per monita exhortationum ac Miſſarum celebrationem, vltimum eis vale fecit. Deinde deſcendens in defoſſum ſepulturæ ſuæ locum, facta o- D ratione, appoſitus eſt ad patres ſuos tam liber à dolore mortis, quàm à corruptione carnis inuenitur alienus. Atque ita cõpleta eſt veridica illa Saluatoris ſententia, quia ſic eum voluerit manere, donec ipſe veniret. Poſſumus autem myſticè in his, quæ Petro & Ioanni à Domino prædicta, atque in eis ſunt geſta, duas Eccleſiæ vitas, quibus in præſenti exercetur, actiuam ſcilicet & contemplatiuam deſignatas accipere, quarum actiua communis populo Dei via viuendi eſt. Ad contemplatiuam E verò, perpauci, & hoc ſublimiores quique poſt perfectionem piæ actionis aſcendunt. In eo etenim quod ait Petro Dominus: *Extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet quò non vis*. Perfectionem exprimit actiuæ conuerſationis, quæ tentationum ſolet igne probari. Vnde alibi de ea dicit apertiùs: *Beati qui perſecutionẽ patiuntur propter iuſtitiã*, cui rectè ſubiungit dicẽs: *Sequere me*.

Quia nimirum iuxta eiuſdem Petri vocẽ: *Chriſtus paſſus eſt pro nobis, relinquens nobis exẽplum, vt ſequamur veſtigia eius*. Quod autem dicit de Ioanne, *Sic eum volo manere donec venio*, ſtatum contemplatiuæ virtutis inſinuat, quæ non per mortem finienda vt actiua, ſed poſt mortem eſt perfectiùs Domino veniente complenda. Actiuus namque labor cum morte deficit, mercedem poſt mortem accepturus æternam. Speculatiua autem felicitas, quæ hîc inchoatur, illic ſine fine perficitur, quando & ſupernorum ciuium, & ipſius Domini præſentia, non per ſpeculum & in ænigmate ſicut nunc, ſed facie ad faciem videbitur. Sequitur:

Hic eſt diſcipulus ille qui teſtimonium perhibet de his, & ſcripſit hæc, & ſcimus quia verum eſt teſtimonium eius.] Iam manifeſtè beatus Ioannes ſuam perſonam deſignat ex officio, quam deſignare vitat ex vocabulo. Non autem prætereunter intuẽdum quod dicitur: *Qui teſtimonium perhibet de his, & ſcripſit hæc*. Perhibuit quippe teſtimonium verba Dei prædicando, perhibuit ſcribendo, perhibuit denuo eadem quæ ſcripſerat docendo; perhibet etiam nunc Euangelium quod deſcripſit in Eccleſiis legendum pandendo. Siquidem à tempore Dominicæ paſſionis, reſurrectionis & aſcenſionis in cælum, vſque ad vltima Domitiani Principis tempora, per annos circiter LX. & quinque, abſque vllo ſcribendi adminiculo verbum Dei prædicabat. At vbi à Domitiano, qui ſecundus poſt Neronem Chriſtianorum perſecutor extitit, in exilium miſſus eſt; inrumpentes in Eccleſiam hæretici, quaſi in deſtituta à paſtore ouilia lupi, Marcion, Cherintus, Hebion, cæterique Antichriſti, qui Chriſtum fuiſſe ante Mariam negabant, ſimplicitatem fidei Euangelicæ peruerſa maculauere doctrina. Sed dum ipſe poſt occiſionem Domitiani permittente pio Principe Nerua rediret Epheſum; compulſus eſt ab omnibus penè tunc Aſiæ Epiſcopis, & multarum Eccleſiarum legationibus, de coæterna patri diuinitate Chriſti altiùs facere ſermonem, eò quòd in trium Euangeliſtarum ſcriptis, Matthæi videlicet, Marci, & Lucæ, de humanitate eius, ac de his, quæ per hominem geſſit, ſufficiens ſibi viderentur habere teſtimonium. Quod ille ſe non aliter facturũ reſpondit, niſi indicto ieiunio omnes in commune Dominum precarentur, vt illo digna ſcribere poſſet. Et hoc ita patrato, inſtructus reuelatione, ac ſancti Spiritus gratia ebriatus, omnes

hæreticorum tenebras, patefacta ſubito A veritatis luce diſpulit: *In principio*, inquiens, *erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Similemque initiis totũ ſui[redacted]rſum faciens, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum ſicut verum hominem, verè ex homine temporaliter factum, ita etiam verum Deum, verè ex Deo patre æternaliter natum, verè cum Patre & cum Spiritu ſancto ſemper exiſtentem, clariſſima aſſertione perdocuit: immò omnia diuinæ veritatis & veræ diuinitatis, quantum alteri mortalium nulli licuit arcana reſerauit. Et hoc virgini priuilegium rectè reſeruabatur, & ad ſcrutanda verbi incorruptibilis ſacramenta, incorrupto ipſe non ſolum corde, ſed & corpore procederet. De cuius dictorum veritate, quàm ſit nemini ambigendum; ipſe quoquecurauit oſtendere. Qui cùm dixiſſet: *Hic eſt diſcipulus ille, qui teſtimonium perhibet de his, & ſcripſit hæc*, continuo ſubiecit & ait: *& ſcimus quia verum eſt teſtimonium eius.* Quia ergo & nos cum cæteris fidelibus, ſcimus quia verum eſt teſtimonium eius, curemus per omnia vt recta fide intellegendo, recta operatione exercendo quæ docuit, ad dona perueniamus ſempiterna, quæ promiſit, per Dominum noſtrum.

FINIS.

Cæſar Baronius Cardinalis Tom. IX. *Annal. Eccleſ. ad annum* DCCLXXVIII.

SED & quod præſtat cæteris, eidem Carolo Magno debemus ingens opus illud ab Alcuino ſiue Albino elaboratum, quo totius diuinæ Scripturæ tam veteris quàm noui Teſtamenti vulgata editio emendata eſt *. Acciderat enim, vt ipſa multiplicium Librariorum exſcribentium vitio, mendis obſita iam vileſceret. Quod periniquo animo ferens Carolus, vt quàm emendatiſſima ederetur, in priſtinamque vendicaretur integritatem atque ſplendorem, ſtudio propenſiori curauit. Cuius rei fidem facit eius in Capitularibus intextum elogium iſtis verbis. *Volumus, & ita Miſſis noſtris mandauimus & præcepimus, vt in Eccleſiis Libri Canonici veraces habeantur; ſicut iam in alio Capitulari ſæpè mandauimus.* Hæc ipſe, qui vt quod omnes refugerent, ob nimiam difficultatem, omninò perficeretur, opus delegauit Albino vt abſolueret. Qui in idipſum viribus totis inuigilans, vniuerſam diuinam Scripturam è vetuſtioribus ac verioribus fontibus deſcriptam recognitam, & emendatam, eidem Carolo Magno obtulit: ad cuius calcem hos, quos hîc deſcriptos leges verſus appoſuit, per Epigrammata diuerſa diſtinctos. Extat eiuſmodi vetus Bibliorum Codex, Alcuini labor, in Vallicellana noſtra Bibliotheca, vbi velut ingens theſaurus aſſeruatur; vtpote quod viri eruditi, qui in emendatione Vulgatæ iterum noſtro tempore laborarunt, eo vt antiquiori ſunt vſi, cui & plurimum detulerunt. Porro primum Albini Epigramma ſic ſe habet.

** Teſtatur hoc ipſe Albinus ſuprà, Epiſt. ad Cãdidã & Giſlam, pag. 589.*

Cap. lib. 6. c. 227.

NOmine Pandectē proprio vocitare memento
Hoc Corpus ſacrum, Lector, in ore tuo.
Quod nunc à multis conſtat Bibliotheca dicta,
Nomine non proprio, vt lingua Pelaſga docet.
*In hoc * dicta Dei conduntur myſtica ſummi,* (* Inque hoc Pſal. 118.)
De quibus egregius Vates in ore canit.
Eſt mihi lex Domini dulcis ſuper omnia mella,
Carior atque auri millia multa ſuper.
Strenuus hanc Domini famulus cuſtodiet arcem,
Cui merces cœli perpes in arce manet.
Codicis illius quot ſint in corpore ſancto,
Depictæ formis litterulæ variis:
Mercedes habeat Chriſto donante, per æuum
Tot Carolus Rex, qui ſcribere iuſſit eum. B
Spiritus hanc cœli Sanctus dictauit ab arce,
In qua vera fides fulget, & alma ſalus.

Aliud.

HÆc diuina Dei placeat Scriptura, precamur,
Senſibus atque oculis, Lector honeſte, tuis.

Aliud.

PRo me quiſque legas verſus, orare memento;
Alcuin dicor ego. Tu ſine fine vale.

Aliud.

MAgni magna Deo portãtes munera templo,
Quas laudauit ouans ore pio populus.
Paruula ſed viduæ Dominus duo nũmula præfert
Nobilium donis famine veridico. C
Non ego parua tuis, Rector, munuſcula gazis
Infero, perſona ſit mea parua licet,
Munera ſed Domini cæleſtibus inclyta Regnis
Porto tibi plenis, optime Rex, manibus:
Nempe nouæ ac veteris pariter pia famina legis
*In hoc * clauduntur corpore quippe ſacro.* (* In quo hoc)

Hæc ego porto libens ad ſacra ſacraria Templi,
Quod tua mens nouiter condidit alma Deo.
Laudibus vt præſto Chriſti ſit ſemper in illo
Iſte Liber reſonans verba ſuperna Dei.

A

Aliud.

N*Auta rudis pelagi ſæuis ereptus ab vndis*
In portum veniens pectora læta tenet.
Sic ſcriptor feſſus calamum ſub calce laboris
Deponens habeat pectora læta ſatis.
Ille Deo dicat grates pro ſoſpite vita,
Próque laboris agat fructibus & requie.

Aliud.

P*Erge libelle ſacer cunctis præclarior Odis,*
Proſper pacificè nunc mi[redacted]
Et pete præclari præclara Palatia Regis,
Vt maneas Chriſti ſemper in æde ſacra.
Atque Dei famulis pacis fer munera cunctis,
Dextera quos Domini protegat, atque regat.
Quos colo corde, fide, ſancto quoq; ſemper amore,
Cum lacrymis optans vt vigeant, valeant.

Huc vſque Alcuini Verſus ex dicto Codice, cuius cùm ob nimiam vetuſtatem pagina eſſet exeſa, conſumpta, & characteres obliterati, deſcribi vix potuerunt.

FINIS.

BEATI PATRIS ALBINI FLACCI

ALCHVVINI,

KAROLI MAGNI MAGISTRI,

Operum Pars ſecunda:

COMPLECTENS EA, QVÆ CVM AD ORTHODOXÆ FIDEI DOCTRINAM, TVM AD ECCLESIÆ Ceremonias, ac Virtutes pertinentia, ſcripſit.

ELENCHVS LIBRORVM, SEV TRACTATVVM, in hac ſecunda Parte contentorum.

Qui nunc primum ex MSS. Codd. editi ſunt, aſteriſco; recogniti verò & aucti, crucicula notantur.

DE fide ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis, Libri III. pag. 702.
De ſancta Trinitate, Quæſtiones XXVIII. pag. 760.
Quid ſit inter æternum & ſempiternum; & immortale & perpetuum; & ſæculum, & æuum, & tempus, Epiſtola. pag. 765.
† De Animæ ratione ad Eulaliam Virginem, Libellus. pag. 769.
* Contra Felicem Vrgelitanum Epiſcopum, Libri VII. pag. 781.
* Ad Elipantum Toletanum Epiſcopum, Epiſtola. 901.
* Elipanti ad Albinum Epiſtola. 910.
* Contra Epiſtolam Elipanti, Libri II. 925.
* De Incarnatione Chriſti, & de duabus in eo naturis, ac de veritate vnius perſonæ, aduerſus eundem Elipantum, Libri II. 960.
* Elipanti ad Felicem nuper conuerſum, Epiſtola. 991.
* Confeſſio fidei Felicis Orgelitanæ Sedis Epiſcopi. 998.
* Albini Epiſtola de eadem re. 1004.
† De diuinis Officiis Liber. 1007.
De ratione Septuageſimæ, Sexageſimæ, & Quinquageſimæ, Epiſtola ad Karolum Magnum. 1141.
De eadem re, Karoli Magni ad Albinum Epiſtola. 1147.
De Baptiſmi Ceremoniis, Epiſtolæ II. 1150. 1151.
De Confeſſione peccatorum, Epiſtola. 1161.
Sacramentorum Liber. 1167.
De Silentio, in quo miſſum eſt incarnatum Verbum, Homilia. 1195.
In Natiuitate beatæ Mariæ Virginis, Homilia. 1197.
In feſto omnium Sanctorum, Homilia. 1205.
* Vita Antichriſti, ad Karolum Magnum. 1209.
† De Virtutibus & Vitiis ad VVidonem Comitem, Liber. 1215.
* De Septem Artibus, Liber incompletus. 1245.
Grammatica. 1255.
† Rhetorica. 1319.
† Dialectica. 1355.
Diſputatio Pippini Regalis & nobiliſſimi iuuenis cum Albino Scholaſtico. 1385.

MAG. ALBINI FLACCI

ALCHVVINI,

DE FIDE SANCTAE ET INDIVDVÆ TRINITATIS,

LIBRI TRES,

AD GLORIOSVM IMPERATOREM CAROLVM Magnum, Deoque deuotum.

EPISTOLA.

DOMINO GLORIOSO CAROLO IMPERATORI auguſtiſsimo atque Chriſtianiſsimo, humilis Leuita Alchuinus, in Domino Deo præſentis proſperitatis ac perpetuæ beatitudinis ſalutem.

DVM dignitas Imperialis à Deo ordinata, ad nihil aliud exaltata eſſe videtur, niſi populo præeſſe & prodeſſe: proindè detur à Deo electis poteſtas & ſapientia. Poteſtas, vt ſuperbos opprimat, & defendat ab improbis humiles. Sapientia, vt regat & doceat pia ſollicitudine ſubiectos. His duobus, ſancte Imperator, muneribus diuinam veſtram incomparabiliter ſubtilitatē, eiuſdem nominis & numinis anteceſſoribus gratia ſuperexaltauit, & honorauit, terrorē potentię veſtræ ſuper omnes vndique gētes immittens, vt voluntaria ſubiectione ad vos veniant, quos prioribus bellicus labor temporibus ſibi ſubdere non potuit. Quid igitur? quid agendū eſt veſtræ Deo deuotiſſimæ ſollicitudini, tempore ſerenitatis & pacis: quo militaris laboris cingulo ſoluto, totus pacifica quiete populus concurrere feſtinat ad veſtræ iuſſionis edictū, intentuſque ante thronum gratię veſtræ conſiſtens? Quid, cui perſonæ, veſtra Auctoritas præcipere velit, niſi etiam omni dignitati iuſta decernere, rata præcipere, ſancta admonere, vt quiſque lætus cum perpetuæ ſalutis præcepto domum redeat? Ne vero meæ in Domino deuotionis ſtudium ocio torpens, veſtro in prædicatione Catholicæ fidei deeſſet adiutorio, direxi ſanctiſſimæ Auctoritati veſtræ de Fide ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis ſub ſpecie manualis Libelli ſermonem, vt diuinæ laus & fides ſapientiæ ſapientiſſimi hominum probaretur iudicio. Nec videlicet alio quolibet veſtræ Imperialis Maieſtatis munere digniorem exiſtimabam ſapientiam: nec alium quemlibet tam excellenti dono in accipiendo æquè dignum putabam, dū Principem populi Chriſtiani cuncta ſcire & prædicare, quæ Deo placeant,

neceſſe eſſe, notiſſimum eſt. Neque enim quemquam magis decet, vel meliora noſſe, vel plura, quàm Imperatorem, cuius doctrina omnibus prodeſſe debet ſubiectis. Non quò, Imperator inuicte & ſapientiſſime, ac refulgens Rector, aliquid ſcientiæ veſtræ fidei Catholicæ incognitum eſſe, vel minus exploratum, cogitarem: ſed, vt mei nominis, quo à quibuſdam Magiſter (licet non meritò) vocor, officium oſtenderem: necnon, vt conuincerem eos, qui minus, vtile exiſtimabant, veſtram nobiliſſimam intentionem Dialecticæ diſciplinæ diſcere velle rationes, quas pater Auguſtinus in Libris de ſancta Trinitate apprimè neceſſarias eſſe putauit, dum profundiſſimas de ſancta Trinitate quæſtiones, non niſi Categoriarum ſubtilitate explanari poſſe probauit. Quod etiam in ante nominato eiuſdem Patris Opuſculo pius & deuotus inquiſitor facilè inueniet, ſi Philoſophiæ cognitionem in diſcendo habere non negligit. Hæc omnia deuota mentis acie conſiderans, tempore celeberrimi Conuentus, quo ſacerdotes Dei & populi prædicatores Chriſtiani in vnum Imperiali præcepto conueniunt: non ignaua (vt reor) opum pondera in ratione Catholicæ fidei, veſtræ excellentiſſimæ auctoritati attuli: ſi Dominus, qui voluntatem dicendi dederat, ſpiritu gratiæ cor (vt de eius confido miſericordia) in agnitione veritatis illuminauit. Nec aliquid mea inuenire valuit deuotio, quid liberiùs afferret, nec quid regalem beneuolentiam gratius accepiſſe putarem. Quid exinde efficere ſit ratum, veſtræ probationis expectat iudicium, ſi dignè meus iſte labor in ſacerdotales procedere valeat aures. Ergo veſtræ dignitatis dextera dante ad legendum, nemo iuſtè mea dicta ſpernere poterit: quia probantis auctoritas pluris æſtimatur, quàm ſcribentis deuotio. Multa eſt omnibus fidelibus in veſtra pietate gloriandi facultas: dum clementiæ veſtræ ſollicitudo ſacerdotalem, vt decet, habet in prædicatione verbi Dei vigorem, & perfectam in Catholica fide ſcientiam, & ſanctiſſimam pro hominum ſalute deuotionem. Quapropter vniuerſorum precibus fidelium optandum eſt, vt in omnem gloriam veſtrum extendatur imperium; vt ſcilicet Catholica fides, quæ humanum genus ſola viuificat, ſola ſanctificat, veraciter in vna confeſſione cunctorum cordibus *infigatur*: quatenus ſummi Regis donante pietate, eadem ſanctæ pacis & perfectæ caritatis, omnes vbique regat & cuſtodiat vnitas. Nec aliud omnipotenti Deo munus amabilius eſſe probatur, quàm in Catholica fide diuinæ concordiæ caritas, vt omnes vnum ſint in Chriſto, qui pro omnibus mortuus eſt: per quem cuncti credentes in eum efficiantur filij æternæ beatitudinis.

O Rex auguſto clariſſime dignus honore,
Et Dux, & Doctor, & decus Imperij.
Te Pater, atque Patris proles, te Spiritus almus
Protegat, exaltet, ſaluet, honoret, amet.
Quem tua per populos, terras, per regna, per vrbes,
Mens pia permandet ſemper amare Deum.

CAPITVLA LIBRI PRIMI.

I. Qvod ad veram beatitudinem niſi per fidem Catholicam peruenire nemo poterit.
II. Quæ ſit vera & Catholica fides: quodque fides ad ſalutem conſequendam omnibus neceſſaria ſit.
III. De Trinitate vnitatis, & vnitate Trinitatis.
IV. Quod quædam de Deo ſubſtantialiter, quædam relatiuè dicantur.
V. Quòd Spiritus ſanctus relatiuè dicitur ad Patrem & Filium, ſed non eodem modo, quo inter ſe Pater & Filius.
VI. Quod Spiritus ſanctus communis eſt Patris & Filij Spiritus.
VII. Quod non de Patre & Filio illud de illo dici poßit.
VIII. Quod neceſſario diſcernendum ſit quid de Deo ſubſtantialiter, vel quid relatiuè dicatur.
IX. Quod non ſit maius aliquid Pater & Filius & Spiritus ſanctus ſimul dicti, quàm vna quælibet perſona ex eis.
X. Quod nil ſecundum accidens de Deo dicatur.
XI. Quod non ſit diuerſum in ſubſtantia, Patrem & Filium dicere.
XII. Quæ ſint propria vnicuique perſonæ in ſancta Trinitate.
XIII. Quod quædam opera ſanctæ Trinitatis quibuſdam perſonis propriè conueniant.
XIV. Quod ſancta Trinitas non ſit ſeparabilis in natura, nec in perſonis dicenda.
XV. Quid ſit inter ingenitum & Patrem, & quod Filius ſolus ſit genitus, Spiritus ſanctus nec ingenitus, nec genitus.
XVI. Quomodo intelligendæ ſint locutiones prædicamentorum de Deo.

CAPITVLA LIBRI SECVNDI.

I. Qvod Deus omniũ ſit cauſa quæ ſunt vt ſunt.
II. Quod Deus ſuper omnia ſit.
III. Quod melius ſit de Deo æqualia dicere quam ſimilia.
IV. De immenſitate omnipotentiæ Dei.
V. Quare dicatur in cœlo magis habitare quàm in terra.
VI. Quamuis humano more ſcriptura de Deo loquatur, nil tamen commutationis in Deo eſſe.
VII. Quod Deus vbique ſit totus poteſtate naturali.
VIII. Quod Deus aliter in ſanctis ſit, aliter peccatoribus præſit.
IX. De diuerſitate eorum quæ ſunt.
X. Quod quædam mirabilis facta eſt coniunctio creatoris ad creaturam.
XI. Vtrum anima Chriſti plenam habeat diuinitatis ſuæ cognitionem.
XII. Si anima Chriſti plenam habet diuinitatis cognitionem, quomodo dicitur in Euangelio, filium neſcire diem Iudicij.
XIII. Quod vnum opus ſit Patris & Filij.
XIV. Omnia per Chriſtum facta eſſe, ipſum vero natum non factum.
XV. De eo quod ſicut pater eſt vita, ita & filius eſt vita.
XVI. Quod ſubſtantia diuinitatis omnimodo inuiſibilis ſit, & incomprehenſibilis in ſua natura creaturis.
XVII. Quod illæ viſiones, quæ in veteri teſtamento patribus apparuiſſe leguntur, maximè per Angelicas adminiſtrationes fierent.
XVIII. Non de ſolo patre intelligendum eſt vbi dicitur, qui facit mirabilia magna ſolus.
XIX. De vnitate Spiritus ſancti cum Patre & Filio.
XX. Nihil itaque temporale in eo debemus intelligere de Spiritu ſancto dum dicitur, donum Dei.
XXI. Cur idem Spiritus ſanctus bis à Domino Chriſto datus ſit.
XXII. Quamuis diuerſa ſint Dei dona in ſanctis, ab vno eodemque Spiritu ſingulis ſingula dantur.

CAPITVLA LIBRI TERTII.

I. De gratia Dei, qua Deus homo factus eſt.
II. Ad commendationem eiuſdem gratiæ beatus Euangeliſta Chriſtum ait plenum gratia & veritate.
III. Quomodo non ſit Chriſtus Filius Spiritus ſancti, dum in ſymbolo dicitur de Spiritu ſancto conceptus, & ex Maria Virgine natus.
IV. Quomodo intelligenda ſit miſſio Filij à Patre.
V. Quomodo miſſio ſancti Spiritus ſit intelligenda.
VI. Cur ſolus Pater miſſus non legatur.
VII. Quare Filius nunc æqualis, nunc minor Patre dicatur.
VIII. Quare nuſquam Spiritus ſanctus Patre minor legatur.
IX. Quod aliter intelligendum ſit, Verbum caro factum, atque aliter verbum Dei in quolibet Sanctorum.
X. Quod nec Pater, nec Spiritus ſanctus, ſed ſolus Filius incarnatus ſit.
XI. De eo quod Verbum Dei ſuæ carnis conceptione conceptum ſit in vtero virginis.
XII. De mediatore Dei & hominum homine Ieſu Chriſto.
XIII. De eo quod in Chriſto ſit naturarum diſtantia non perſonæ, & in ſancta Trinitate perſonarum, non naturæ.
XIV. De Maria Virgine, & incarnatione verbi Dei.
XV. Quid cuique naturæ in Chriſto conueniat.
XVI. Quod diuinitas hominem quem aſſumpſit nuſquam dimiſit.
XVII. De Baptiſmo Chriſti, & quod omnia quæ gerebantur in Chriſto, noſtræ ſalutis cauſa geſta ſunt.

XVIII. *Quod Deus Pater, quædam opera facit per ſilium ſibi coæternum in forma Dei, quædam per eundem Filium in forma ſerui filium hominis.*
XIX. *De nouiſſimis ſeculi temporibus.*
XX. *De reſurrectione corporum in nouiſſimo die.*
XXI. *De iuſtorum præmio & pœna peccatorum.*
XXII. *De æterna beatitudine Sanctorum.*

LIBER PRIMVS.

CAP. I.

Quod ad veram beatitudinem niſi per fidem Catholicam peruenire nemo poterit.

IN nomine Sanctæ Trinitatis. Quamuis enim in huius exilij ærumnoſam cæcitatem pro originalis peccati iuſtiſſima pœna, gaudio beatæ fœlicitatis deiecti ſimus, non tamẽ ita inde præſciſi atque abrupti ſumus, vt non etiam in iſtis mutabilibus & temporalibus, æternitatem, veritatem, beatitudinem quærere vel deſiderare ignoremus. Quod ex eo perſpicuum eſt, quod nec mori, nec falli, nec miſeri eſſe voluntatem habemus. Vnde ex hoc naturali inſtinctu beatos eſſe velle commune eſt hominibus. Licet diuerſo modo in animis ſingulorũ beatitudinis appetitus fiat. Quidam vero beatum æſtimabant eſſe regno potiri terreno, alij diuitiis abundare, alij honoribus exaltari. Quidam vero laudibus celebres eſſe gaudent. Alij voluptatibus inhiant carnalibus, ſed nequaquam in huius vitæ volubilitate vera inueniri poterit beatitudo. Quocirca tota ſanctarum ſeries ſcripturarum nos à terrenis ad cæleſtia erigi adhortatur, vbi vera & ſempiterna eſt beatitudo. Ad quam niſi per fidem Catholicæ pacis, cooperante charitate Dei & proximi, neminem peruenire poſſe certiſſimum eſt.

CAP. II.

Quæ ſit vera & Catholica fides: quodque fides ad ſalutem conſequendam omnibus neceſſaria ſit.

DEnique ad veram beatitudinem peruenire volentibus, primo omnium fides neceſſaria eſt, ſicut Apoſtolica docet auctoritas, dicens, *Sine fide impoſſibile eſt Deo placere.* Conſtat ergo neminem ad veram peruenire poſſe beatitudinem, niſi Deo placeat, & Deo neminem placere poſ-

A ſe, niſi per fidem. Fides namque bonorum omnium fundamentum. Fides eſt humanæ ſalutis initium, ſine hac nemo ad filiorum Dei poteſt conſortium peruenire, quia ſine ipſa nec in hoc ſæculo quiſquam iuſtificationis conſequitur gratiam, nec in futuro vitam poſſidebit æternam. Et ſi quis hic non ambulauerit per fidem: non perueniet ad ſpeciem beatæ viſionis Domini noſtri Ieſu Chriſti. Proindè omnis anima rationalis ætate congrua diſcat fidem Catholicam. Maximè populi prædicatores B Chriſtiani, & Eccleſiarum Dei Doctores, vt poſſint veritati contradicentibus reſiſtere; & Catholicam amantibus pacem prodeſſe: Quomodo docebit quis quod non didicit, vel qualiter paſtor eſſe poterit, ſi pane vitæ gregem ſibi commiſſum paſcere ignorat? Nec erubeſcat neſciens diſcere quod ignorat. Nec ſciens tardus ſit docere quod nouit. Sciat vterque ſe ſuo Domino acceptæ pecuniæ rationem redditurum. Tunc deſiderabilem fidelis ſeruus audiet vocem Domini dicentis. Euge ſerue C bone & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtituam, intra in gaudium Domini Dei tui.

CAP. III.

De Vnitate Trinitatis & Trinitate Vnitatis †.

† al. *Qui ſit verus Deus, Pater, & Filius & Spiritus ſanctus; & tamen diſtinctæ inter ſe perſonæ diuinæ, coæternæ, & coeſſentiales.*

OMnis itaque ſcriptura veteris ac noui teſtamenti diuinitus inſpirata, ſi catholice intelligitur, hoc inſinuat, quod Pater & Filius & Spiritus ſanctus vnus ſit Deus D eiuſdem ſubſtantiæ, vniuſque eſſentiæ atque inſeparabilis in diuinitate vnitatis. Ideoque non ſunt tres dij, ſed vnus Deus Pater & Filius & Spiritus ſanctus, quamuis Pater Filium genuerit. Et ideò Filius non ſit qui Pater eſt. Filiuſque à Patre ſit genitus, & ideo Pater non ſit qui Filius eſt. Spiritus ſanctus nec Pater ſit nec Filius, ſed tantum Patris & Filij Spiritus. Patri & Fi- E lio etiam ipſe coæqualis, & ad Trinitatis pertinens vnitatem. Et hæc Trinitas vnus eſt Deus. Ex quo omnia, Beato Paulo Apoſtolo atteſtante vbi ait, quoniam ex ipſo, & per ipſum & in ipſo ſunt omnia, ipſi gloria in ſecula ſeculorum. Teneamus igitur firmiſsime Patrem & Filium & Spiritum ſanctum vnum eſſe naturaliter Dominum. Neque tamen ipſum Patrem eſſe qui Filius eſt, nec Filiũ ipſum eſſe qui Pater eſt. Nec Spiritum ſanctum ipſum eſſe qui Pater aut Filius eſt. Vna eſt enim Patris & Filij & Spi-

ritus ſancti eſſentia. In qua nomen aliud A Pater, aliud Filius, aliud Spiritus ſanctus. Quamuis perſonaliter ſit alius Pater, alius Filius, alius Spiritus ſanctus. Quod nobis maximè in ipſo Sanctarum ſcripturarum demonſtratur initio. Vbi Deus dicit, Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram. Cum enim ſingulari numero dixit (Imaginem) oſtendit vnam naturam eſſe ad cuius imaginem homo fieret; cum verò dicit pluraliter (noſtram) oſtendit Dominum ad cuius imaginem homo fiebat, non vnam eſſe perſonam. Si enim illa vna eſſentia Patris & Filij & Spiritus B ſancti vna eſſet perſona, non diceretur ad imaginem noſtram, ſed ad imaginem meã; nec dixiſſet (faciamus) ſed faciam. Si verò in illis tribus perſonis tres eſſent intelligendæ vel credendæ ſubſtantiæ, non diceretur ad imaginem noſtram, ſed ad imagines noſtras. Sed ad vnam imaginem vnius Dei homo factus dicitur, vt vna ſanctæ Trinitatis eſſentialiter diuinitas intimetur. Hãc quoque Trinitatem perſonarum, atque vnitatem naturæ, Propheta Iſaias re- C uelatam ſibi non tacuit, cum ſe dicit Seraphim vidiſſe clamantia Sanctus, Sanctus, Sãctus, Dominus Deus Sabaoth. Vbi prorſus in eo quod dicitur tertio, Sanctus, perſonarum Trinitatem; In eo vero quod ſemel dicitur; Dominus Deus Sabaoth, diuinæ naturæ cognoſcimus vnitatem. Planè abſque omni dubitatione credendum eſt, Patrem & Filiũ & Spiritum ſanctum, vnũ eſſe Dominum, omnipotentem, æternum, incommutabilẽ. Et ſingulus horum Deus; & ſimul omnes, vnus Deus, & ſingulus D quiſque horum plena & perfecta & æterna ſubſtantia. Quia quicquid eſt Pater quo Deus eſt, quo ſubſtantia eſt, quo æternitas eſt, hoc Filius, hoc Spiritus ſanctus eſt. Ita etiam & Filius eo quo Deus eſt, quo ſubſtantia eſt, quo æternitas eſt, hoc Spiritus ſanctus eſt. Et quicquid Spiritus ſanctus eſt, eo quo Deus eſt, quo ſubſtantia eſt, quo æternitas eſt, hoc Pater eſt & Filius, vna in tribus diuinitas, vna eſſentia, vna omnipotentia. Et quicquid ſubſtantia- E liter de Deo dici poteſt: ſi forte de ſolo patre interrogatus fueris, quid ſit Pater? Reſponde Deus. Interrogatus de Filio, Reſponde Deus. Interrogatus de Spiritu ſancto, Reſponde Deus. Si interrogatus fueris ſimul de Patre & Filio, & Spiritu ſancto, non Deos, ſed Deum reſponde vnum, omnipotentem, incommutabilem.

Eſaiæ 6.

Cap. IV.

Quod quædam de Deo ſubſtantialiter, quædam relatiuè dicuntur.

Sciendum eſt quod quædã de Deo ſubſtantialiter dicũtur, vt eſt Deus magnus, omnipotens, quicquid ad ſe dicitur idem ſubſtantiam diuinitatis ſignificans. Quædam itaque relatiuè dicuntur, vt Pater ad Filium, & Filius ad Patrẽ, & Spiritus ſanctus relatiuè ad Patrem & Filium. Ad ſe autem ſiue Pater, ſiue Filius, ſiue Spiritus ſanctus Deus dicitur. Itaque Pater eo quo Deus eſt, hoc ipſo ſubſtantia eſt, quia eiuſdem ſubſtantiæ Filius, proculdubio & Filius Deus & Spiritus ſanctus Deus. At vero Deus eo quo Pater eſt relatiuè dicitur, quia non ſubſtantiæ nomen eſt, ſed refertur ad Filium. Non ſic dicimus Filium Patrem eſſe, quomodo dicimus Filiũ Deum eſſe, nec ita dicimus Patrem Filium eſſe, ſicut dicimus Deum eſſe, quia Deus ſubſtantialiter dicitur, Pater & Filius & Spiritus ſanctus relatiuè dicuntur.

Cap. V.

Quod Spiritus ſanctus relatiuè dicitur ad Patrem & Filium: ſed non eodem modo quo inter ſe Pater & Filius.

Prorſus & Spiritus ſanctus relatiuè dicitur ad Patrem, & Filium, ſed non eodem modo, quo inter ſe Pater & Filius. Sicut enim relatiuè Pater & Filius dicuntur, ita & Spiritus ſanctus ad Patrem & Filium quodammodo relatiuè dicitur: quia Patris & Filij Spiritus eſt. Sed ipſa relatio Spiritus ſancti non ita reciproca ratione conuerti poterit, ſicut Pater & Filius. Nam Pater Filij Pater dicitur, & Filius Patris Filius dicitur. Spiritus verò ſanctus vniformiter dicitur ad Patrem & Filium, quia Patris & Filij Spiritus eſt. Dicimus enim Spiritum ſanctum Spiritum Patris: ſed non viciſſim dicimus Patrem Spiritus ſancti, ne Filius eius intelligatur Spiritus ſanctus. Itẽ dicimus Spiritum ſanctum, Spiritum Filij: ſed non dicimus Filium Spiritus ſancti, ne Pater eius intelligatur Spiritus ſanctus. Dicitur & idem Spiritus donum Dei, quia Deus donator doni ſui eſt. In quibus nominibus circumferri poteſt viciſſim relationis regula, vt ſi dicamus donator doni, & donum donatoris. Quia in his vocabulis potuit inueniri vſitata huic Categoriæ quæ dicitur Ad aliquid, circumlatio.

Cap VI.

Quod Spiritus ſanctus communis eſt Patris & Filij Spiritus.

ERgo hoc donum Dei, id eſt, Spiritus ſanctus, qui de Patre & Filio æqualiter procedit, ineffabilis quædam patris filiique communio eſt. Et ideò fortaſsè ſic appellatur, quia Patri & Filio poteſt eadem appellatio conuenire. Nam hoc ipſe propriè dicitur, quod illi communiter dicuntur, Quia & Pater Spiritus, & Filius Spiritus, & Pater ſanctus, & Filius ſanctus, rectè dicitur. Ergo vt nominibus iunctis quæ ſeparatim vtrique perſonæ conueniunt vtriuſque communio propriè ſignificetur, vocatur Spiritus ſanctus qui eſt tertia in ſancta Trinitate perſona, Patri & Filio per omnia æqualis, coæternus & conſubſtantialis. Et hæc Trinitas vnus eſt Deus, ſolus bonus, magnus, æternus, omnipotens. Ipſe ſibi vnitas, Deitas, magnitudo, bonitas, omnipotentia, & quicquid ad ſe ſubſtantialiter dicitur. Non ita in relatiuis vocabulis intelligendum eſt vel dicendum. Quia dici non poteſt, Pater ſibi Pater, vel Filius ſibi Filius, vel Spiritus ſanctus ſibi Spiritus ſanctus. Sed hæc relatiua vocabula ad aliam proculdubio perſonam referri debent.

Cap. VII.

*Quid de Patre & Filio *ſecundum ſubſtantiam, vel ſecundum relationem dici debeat?*

* al. *Quod non de Patre & Filio, illud de illo, dici poſſunt.*

QVicquid ergo ad ſe dicuntur Pater & Filius, non dicitur alter ſine altero. Id eſt, Quicquid dicuntur, quod ſubſtantiam eorum oſtendat, ambo ſimul dicuntur. Si hæc ita ſunt, iam ergo nec Pater eſt Deus ſine Filio, nec Filius Deus ſine Patre, id eſt, non ita dicitur Pater Deus quaſi Filius non ſit Deus. Nec Filius ita dicitur Deus quaſi Pater non ſit Deus. Sed ambo ſimul Deus, etiam & vnus Deus. Quocirca quicquid ſecundum ſubſtantiam vel æternitatem de eis dici poteſt, ambo ſimul ſunt, quamuis de Filio dicatur Deus, de Deo lumen de lumine, ambo ſimul Deus, ambo ſimul lumen: ſed non Pater Deus de Deo, nec lumen de lumine, ſed Filius Deus de Deo, & lumen de lumine. Ambo tamen ſimul & ſemper ſimul vnus Deus & vnum lumen. Sic etiam & de aliis appellationibus, quæ ſecundum ſubſtantiam dicuntur, id eſt, A quod ſimul ambo ſunt dici debet, vt omnipotens, magnus, bonus, æternus &c. quæ ad ſe dicuntur. Quòd ſi ita eſt, hoc ſolum de eis dici non poteſt, illud de illo, quod ſimul ambo ſunt, ſicut Verbum de Verbo dici non poteſt, quia non ſimul ambo Verbum, ſed ſolus filius. Nec imago de imagine, quia non ſimul ambo imago, ſed ſolus Filius imago: nec Filius de Filio, quia non ſimul ambo Filius, nec Pater de Patre, quia non ſimul ambo Pater, ſed Pater & Filius ſimul Deus. In quo perfectè intelligitur B quod non præceſſit genitor illud quod genuit. Et quod ipſe in Euangelio ait, *Ego & Pater vnum ſumus*: vnum ſumus enim, id eſt, quod ille, hoc & ego ſecundum eſſentiam, non ſecundum relatiuum. Quod dicimus lumen de lumine, non duo lumina intelligenda ſunt, vel ſeparatio luminis, ſed ita intelligendum eſt, quòd filius effulgentia æterna luminis eſt æterni, ſicut imago ſempiternæ ſubſtantiæ ſempiterna eſt imago.

C Cap. VIII.

Quòd neceſſariò diſcernendum ſit, quid de Deo ſubſtantialiter vel quid relatiue dicatur.

EXempli gratia, ſi quæris quid ſit Abraham iuxta ſubſtantiam? reſpondetur, Homo. Si quæris de Abrahã cur pater ſit? relatiuè reſpondetur quia filiũ habet Iſaac. Si quæris de Iſaac cur ſit filius? relatiuè reſpondetur quia patrem habet. Omnis verò relatio ad aliud aliquid refertur. Et hæc regula relationis in perſonis ſanctæ Trinita- D tis intelligenda eſt. Si ergo interrogatus fueris de Deo cur dicatur pater? relatiuè reſponde quia filium habet. Ita etiam & de filio relatiuè reſpõde, ideò eſſe filium quia habeat patrem. Si ergo dictum de Deo tibi fuerit quomodo pater hoc eſt quod filius, aut filius hoc eſt quod pater? Reſponde, ſecundum ſubſtantiam hoc eſt filius quod pater, & pater quod filius, quia vnus eſt Deus, & vna ſubſtantia pater & filius. Ad E ſe enim Deus ſubſtantialiter dicitur, ad patrem filius, vel filius ad patrem relatiuè dicitur. Iuxta perſonæ proprietatem non eſt pater qui filius, nec filius qui pater. Iuxta ſubſtantiæ vnitatem, hoc eſt pater quod filius, id eſt, vnus Deus omnipotẽs. Quicquid ergo ad ſeipſum dicitur Deus, & de ſingulis perſonis dicitur, Patre & Filio & Spiritu ſancto: & ſimul de ipſa Trinitate, non pluraliter, ſed ſingulariter dicendum eſt. Quoniam quippe non aliud eſt Deo

eſſe, & aliud magnum eſſe, vel aliud eſſe & aliud bonũ eſſe, ſed hoc idem illi eſt & eſſe, & magnum eſſe, & eſſe & bonum eſſe. Propterea ſicut non dicimus tres deos, nec tres eſſentias: ſic non dicimus tres magnitudines, nec tres bonitates. Sed vnum Deum, vnam eſſentiam, & vnam magnitudinem, & vnam bonitatem.

Cap. IX.

Quod non ſit maius aliquid Pater & filius & Spiritus ſanctus ſimul dicti, quam vnaquælibet perſona ex eis.

ABſque omni ſcilicet dubitatione credi neceſſarium eſt, quod Pater plenus & perfectus eſt Deus, Filius plenus & perfectus eſt Deus, Spiritus ſanctus plenus & perfectus eſt Deus. Non tamen tres dij, Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus. Sed vnus Deus plenus & perfectus. Nec aliquid maius tres ſimul dicti Pater & Filius & Spiritus ſanctus, quàm vnuſquiſlibet vel Pater vel Filius vel Spiritus ſanctus. Quia eadem magnitudo eſt in vnaquaque perſona ſemel dicta, quæ eſt in tribus perſonis ſimul nominatis. Non ita dicimus in hominibus fieri poſſe, Abraham plenus homo, Iſaac plenus homo, Iacob plenus homo, & hi omnes ſunt vnius ſubſtantiæ quantum ad humanam pertinet naturam: non tamen hi tres ſunt vnus homo, ſed tres omnimodo homines. Et aliquid maius in tribus cognoſcitur, quàm in quolibet vno eorum. Item Abraham vnus homo, non tamen tres perſonæ in eo, ſicut in vno Deo tres ſunt perſonæ plenæ & perfectæ, ſed vna perſona in Abraham, ſicut in vno ſolet homine eſſe.

Cap. X.

Quod nihil ſecundum accidens in Deo dicatur.

IN Deo autem nihil quidem ſecundum accidens dicitur, quia nihil in eo mutabile eſt. Nec tamen omne quod de Deo dicitur, ſecundum ſubſtantiam dicitur, vt in ſuperioribus diximus. Quamuis enim dicatur Pater ad Filium, & Filius ad Patrem ſecundum Adaliquid, non eſt tamen accidens Patri patrem eſſe, vel Filio filium eſſe, quia & ille ſemper Pater, & ille ſemper Filius. Quia æternitas & incommutabilitas negat accidentis alicuius in Deo inſtabilitatem. Quia omne accidens ſecundum tempus vel eſſe vel non eſſe poteſt, vel potuit vel etiam poterit. Quia Pater nunquã non Pater, & Filius nunquam non Filius, nec cœpit vnquam Pater eſſe Pater, nec Filius eſſe Filius. Quod ſi aliquando cœpiſſet Pater Pater eſſe, vel Filius Filius eſſe, vel deſineret eſſe quod erat, ſecundũ accidẽs diceretur Pater vel filius. Si verò quod dicitur Pater ad ſeipſum diceretur non ad Filium, & quod dicitur Filius ad ſeipſum diceretur non ad Patrem, ſecundum ſubſtantiam diceretur: ſed Pater non dicitur Pater, niſi ex eo quod eſt ei Filius; & Filius non dicitur Filius, niſi ex eo quòd habet Patrem. Non ſecundum ſubſtantiam, vt dictum eſt in prioribus, quia non quiſque eorum ad ſeipſum, ſed ad inuicem atque alterutrum iſta dicuntur: neque ſecundum accidens, quia & quod dicitur Pater, & quod dicitur Filius, æternum atque incommutabile eſt eis.

Cap. XI.

Quod non ſit diuerſum in ſubſtantia Patrem vel Filium dici. † † al. dicere.

QVamuis alius ſit Pater, & alius Filius; non eſt tamen diuerſa ſubſtantia Patris, & Filij. Quia hoc, non ſecundũ ſubſtantiam dicitur, ſed ſecundum relatiuũ*, quod tamen relatiuum non eſt accidens, quia non eſt mutabile. Cum itaque tantus, ſolus eſt Pater, vel ſolus Filius, vel ſolus Spiritus ſanctus; quantus eſt ſimul, Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus: nullo modo triplex dicendus eſt Deus, quia non eſt, quo creſcat illa perfectio ſummæ Trinitatis. Perfectus autem ſiue Pater, ſiue Filius, ſiue Spiritus ſanctus, & perfectus Deus Pater, & Filius & Spiritus ſanctus. Ideò Trinitas potiùs, quàm triplex dicenda eſt.

* al. relationem.

Cap. XII.

Quæ ſint propria vnicuique perſonæ in ſancta Trinitate.

HAbent itaque ſingulæ in ſancta Trinitate perſonæ aliquid proprium, quo inſeparabili ęqualitate aliquam in ſe oſtendant proprietatem. Pater ſolus Pater, & Filius ſolus Filius, & Spiritus ſanctus ſolus Spiritus ſanctus. Et Pater hoc habet proprium, quod ex omnibus quæ ſunt, ſolus eſt, qui ab alio non eſt: ac per hoc ſolus eſt in paternitatis perſona, non in Deitatis eſſentia. Vnigenitus verò Filius Dei hoc habet proprium, quod ex ſolo, id eſt,

Patre conſubſtantialiter, & coeſſentialiter, ſolus genitus eſt; & in hoc eſt perſonæ ſuæ proprietas: Spiritus ſanctus itaque hoc habet propriũ, quod ex Patre, & Filio æqualiter procedit; & eſt amborum Spiritus, eiuſdemque ſubſtantiæ & æternitatis cum Patre & Filio. Sed hæc tria, verè etiam tria ſunt, ineffabiliterque tria, & eſſentialiter tria, habentia proprietates ſuas. Et hæc tria vnum, & verè vnum; & hoc vnum tres, ſed non tres Patres, nec tres Filij, nec tres Spiritus ſancti, ſed tres perſonæ, vnus Pater, vnus Filius, vnus Spiritus ſanctus. Et hi tres, id eſt, Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, vnum ſunt in natura, omnipotentia, & æternitate. Sed hoc etiam atque etiam firmiter tenendum eſt, nihil in ſancta Trinitate, ad ſe dictum, plurali numero eſſe dicendum; quia ſimplex illa ſummæ diuinitatis natura ſingulari numero deſignari debet, non plurali. Ac ideò nec tres Deos, nec tres omnipotentes, nec tres bonos, nec tres magnos, nec tres eſſentias in Deo dicere fas eſt. Cum enim perſonaliter alius ſit Pater, alius Filius, alius Spiritus ſanctus; his tamen vnum eſt naturæ nomen, quod dicitur, Deus vel ſubſtantia, vel eſſentia, vel omnipotentia, vel alia multa, quæ ſubſtantialiter, non relatiuè de Deo dicuntur.

Cap. XIII.

Quod quædam opera Sanctæ Trinitatis quibuſdam perſonis propriè conueniunt.

INdubitanter ſiquidem credere debemus ipſam ſanctam Trinitatem eſſe inſeparabilis ſubſtantiæ, atque eſſentiæ; inſeparabiliterque operari, quicquid à ſingulis perſonis legimus operatum eſſe. Quamuis certiſſimum ſit Patrem eſſe ſolum qui dixit, Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi complacui. Et Filium eſſe ſolum ſuper quem illa vox Patris ſonuit, quando in Iordane ſecundum hominem baptizatus eſt. Idem vnigenitus Deus, qui carnem ſolus accepit, & Spiritum ſanctum Patris & Filij ſolum eſſe, qui in ſpecie columbæ ſuper eundem baptizatũ aſcendentẽ de aqua deſcendit: & quinquageſimo die poſt reſurrectionem Chriſti fideles in vno loco poſitos, in linguarũ ignearum viſione adueniens, repleuit. Illam tamen veriſſimè vocem, qua ſolus locutus eſt Deus Pater; & illam carnem, qua ſolus homo factus eſt, & illam columbam in cuius ſpecie Spiritus ſanctus ſuper Chriſtum deſcendit; illaſque linguas igneas, in quarum viſione

Matth. 3.d

Actor. 2.

A fideles vno loco conſtitutos repleuit; opera eſſe totius ſanctæ Trinitatis. Id eſt, vnius Dei, qui fecit in cœlis & in terra viſibilia, & inuiſibilia, veriſſimè credendum eſt.

Cap. XV.

Quod ſancta Trinitas non ſit ſeparabilis in natura, nec in perſonis dicenda.

DEus ergo per immenſitatẽ naturæ ſuæ totã creaturam ſuã & implet, & continet; ac per hoc, totum quicquid eſt implet B Pater, totũ Filius, totum Spiritus ſanctus. Quapropter & Filius & Spiritus ſanctus naturaliter vnus eſt Deus. Inſeparabilis igitur naturę vnitas nõ poteſt ſeparabiles habere perſonas. Hæc verò ſummæ Trinitatis atque indiuiduæ vnitatis natura, quæ ſola eſt vbique tota, ſicut vbique inſeparabilem habet vnitatem naturę vel operis, ſic ſeparationem non poteſt recipere perſonarum. Nominantur quidem illæ perſonæ aliquando ſingulæ, ſed ita ſe volunt ipſa C Deus Trinitas inſeparabilem oſtendere in perſonis, vt nullum ibi nomen ſit in qualibet perſona, quod ad aliam ſecundum relationis regulã non referretur, ſicut Pater ad Filium, vel filius ad Patrem, vel Spiritus ſanctus ad Patrem & Filium veriſſimè refertur. Ea verò nomina, quæ ſubſtantiã vel potentiam, vel eſſentiam Dei ſignificant, vel quicquid propriè ad ſe dicitur Deus, omnibus perſonis æqualiter conueniunt, vt Deus magnus, bonus, æternus, omnipotens, & omnia quæ naturaliter de D Deo dicuntur. Non eſt igitur aliquod naturæ nomen, quod ſic Patri conuenire poſſit, vt aut Filio aut Spiritui ſancto conuenire nequeat. Dicitur enim Pater naturaliter Deus, ſed naturaliter eſt Deus & Filius, naturaliter eſt Deus & Spiritus ſanctus. Nec tamen tres dij, ſed vnus naturaliter Deus, Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus. Idcirco inſeparabilis eſt ſancta Trinitas in perſonis ſenſu intelligenda, quamuis in voce ſeparabilia habeat nomina, quia pluralem E numerum in naturæ nominibus nullatenus recipit. In hoc oſtenditur perſonas nõ poſſe diuidi in ſancta Trinitate, quia cuiuſlibet perſonæ nomen ſemper ad alteram reſpicit perſonã. Si Patrẽ dicis Filium oſtendis, ſi Filium nominas Patrem prædicas. Si Spiritum ſanctum appellas, alicuius eſſe Spiritum neceſſe eſt intelligas, id eſt Patris, & Filij. Et hoc regulariter tenere debemus, quod omnia naturæ nomina vel eſſentiæ, ſicut in vna perſona ſingulariter,

[illegible] in tribus ſemper ſingulari numero, dici debere. Si quis verò minus in talibus exercitatus myſteriis ſummæ Trinitatis, votis agat apud Deum, vt intelligat, quæ Dei ſunt, non mecum conqueretur quod ea ſcripſi, quæ in ſanctorum dictis Doctorum legebam.

Capvt XV.

Quid ſit inter Ingenitum, & Patrem, & quod Filius ſolus ſit genitus, Spiritus ſanctus nec ingenitus, nec genitus.

Sciendum eſt quod non per omnia idem eſt Patrem dicere, & ingenitũ; quia etſi Filium non genuiſſet, nihil prohiberet eum dici ingenitum. Quia dum dicitur Ingenitus, non quid ſit, ſed quid non ſit ille, de quo dicis ingenitus, ſignificatur. Pater itaque ſecundum affirmationem, Ingenitus ſecundum negationem dicitur. Negatur itaque genitum eſſe eum, de quo hic dicitur; Nec tamen aliquid eum genuiſſe ſignificatur dum dicitur Ingenitus. Patrẽ itaque dum dicimus, ſignificamus Filium eum genuiſſe, quia Filius propriè ideo genitus dicitur, quia Patrem habet, qui eum genuit. Sed non inter Patrẽ & Filiũ diuiſio vel ſciſſio, quia alter in altero eſt: ſicut in Euangelio legimus ipſum Dominũ dicentem; *Ego in Patre, & Pater in me.* Vnus, ab
Ioan. 14. vno, genitus, perfectus à perfecto, plenitudo diuinitatis in vtroq;. Nil differẽs alter ab altero, quia vita à viuẽte eſt, Filius à Patre. Sicut ipſe ait, Sicut Pater habet vitam in ſemetipſo: ſic dedit & Filio vitam habere in ſemetipſo. Id eſt, talem genuit Filium qui vitam haberet in ſemetipſo. Spiritus ſiquidem Sanctus nec ingenitus, nec genitus alicubi dicitur. Ne ſi ingenitus diceretur ſicut Pater, duo Patres in ſancta Trinitate intelligerentur: aut ſi genitus diceretur, ſicut Filius, duo itidem Filij in eadem æſtimarentur eſſe ſancta Trinitate; ſed tantummodo procedere de Patre & Filio, ſalua fide dicendus eſt. Qui tamen non de Patre procedit in filium; & de Filio procedit ad ſanctificandam creaturam, ſicut quidam malè intelligentes credẽdum eſſe putabant: ſed ſimul de vtroque procedit, quia Pater talem genuit Filium, vt quẽadmodum de ſe, ita de illo quoque procedat Spiritus ſanctus.

Capvt XVI.

Quomodo intelligendæ ſint locutiones prædicamentorum de Deo.

Decem ſunt genera humanæ locutionis, quibus homines ſuos ſenſus ſo-
A lent inter ſe cõferre, nõ de illis dico, quas Grammatici partes orationis vocant; ſed de illis, quas Philoſophi Græcè categorias, Latinè prædicamenta appellare ſolent. Quæ quidem ab eis ſic nominantur, Subſtantia, Quantitas, Qualitas, Adaliquid, quod genus locutionis Relatiuum dicitur. Item, habitus, ſitus, tempus, locus, facere, pati. Hæ ſunt igitur cauſæ locutionis noſtræ. Aut enim de ſubſtantia cuiuſlibet rei loquimur, vel de quantitate, id eſt magnitudine. Aut etiam de qualita-
B te. In quo genere locutionis bonos dicimus, qui boni ſunt. Aut verò Adaliquid, id eſt, dum perſonæ quælibet inter ſe conferuntur, vt dominus non dicitur, niſi ſeruus intelligatur; nec iterum ſeruus niſi reſpiciat ad dominum. Item de habitu animi, vel corporis; aut de ſitu, in quo conſideratur ſtare, ſedere, iacere. De loco, & tempore, id eſt, quid in quo loco, vel tempore fiat. Item, Quis quid faciat, vel quid patiatur, ſæpè loquela noſtra oſtendit His ergo omnibus modis ſolet ſancta Scriptu-
C ra de Deo loqui, ſed aliter propriè, aliter tranſlatiuè, aliter relatiuè. Propriè Deus dicitur ſubſtantia vna ſumma, & ineffabilis, quæ ſemper idem eſt quod eſt, qua nihil accidens, vel recidens ineſſe poterit, quæ ſemper eſt quod eſt, quia ſemper immutabilis. Item Deus magnus dicitur, non alia magnitudine, niſi quia ipſe magnus eſt, & immenſus. Ea igitur magnitudine magnus eſt, quia ipſe eſt eadem magnitudo; & ea bonitate bonus eſt, qua ipſe eſt. Nec Deo aliud eſt eſſe, aliud magnum eſ-
D ſe, aliud bonum eſſe, ſed eo quo eſt, magnus eſt, & bonus eſt. Ideo nec tres ſubſtantias, nec tres magnos, nec tres bonos de Deo dicere fas eſt. Quod autem facere dicitur, de Deo veriſſimè dicitur, per quem omnia facta ſunt quę ſunt, Domino dicente, Pater meus vſque modo operatur, & ego operor, hæc propriè in prædicamentis ſupra nominatis de Deo dicuntur. Si tamẽ de illo propriè aliquid dici ore hominis poteſt. Relatiuè itaque de Deo dicitur Pater & Filius, & Spiritus ſanctus, ſicut ſuprà
E abundanter docuimus. Situs verò, & habitus, & loca, & tempora, & pati non propriè, ſed tranſlatiuè per ſimilitudines dicuntur in Deo. Nam & ſedere ſuper Cherubin dicitur quod ad ſitum, & abyſſum tanquam veſtimentum amictus, quod ad habitum; Et, Anni tui non deficient, quod ad tempus. Et, Si aſcendero in cœlum; tu ibi es, quod ad locum pertinet. Dicitur & de Deo, Pœnitet me hominem feciſſe, vel

etiã, Laboraui ſuſtinẽs: Neq; enim aliquid Deus patitur; quantum ad Dei ſubſtantiã pertinet: quia Deus eſt, quia incõmutabilis, & impaſſibilis ſubſtãtia eſt. Dũ aliæ omnes ſubſtantiæ capiunt accidentias quibus in eis fiat vel magna, vel quæcunque mutatio. Deo autem eiuſmodi aliquid accidere non poteſt, & ideò ſola eſt incommutabilis ſubſtantia vel eſſentia, quæ Deus eſt. Cui profectò ipſum eſſe, vnde eſſentia nominata eſt, maximè ac veriſſimè cõpetit. Cui ſoli illud optimè congruit nomen, quò Græci dicunt ὤν, Latini, Eſt, ſicut Apoſtolus ait, nõ eſt in illo, eſt & non, ſed eſt in illo eſt. Iam verò ſublimitas huius tam arduæ diſputationis, reſpirare aliquantulum dictantem admonet, vt liberiori ſenſu, ea quæ deinde dicenda ſunt ingrediatur * explanetve.

* al. ingrediamur explanare.

LIBER SECVNDVS.

PROLOGVS.

OMnis itaque ſanctorum auctoritas librorum hoc nobiſcum agit, vt rectè de Deo credamus, eúmque tota animi intẽtione amemus. Sed mentis humanæ viſio inualida eſt, ad aſpiciendam maieſtatis excellentiſſimam lucem, niſi iuſtitia fidei, & dilectionis, diuina donante gratia, illuſtretur ſplendore. Quapropter diuina votis omnibus poſtulanda eſt gratia, vt mundetur oculus cordis ad videndum quàm propriè Trinitas ſit vnus, & ſolus & verus Deus, & quàm rectè Pater, & Filius & Spiritus ſanctus, vnius, eiuſdemque ſubſtantiæ vel eſſentiæ dicatur, credatur, intelligatur. Ad huius ſacratiſſimæ beatitudinis viſionem nemo niſi per fidem, mundato corde attingere poterit: Dicente ipſa veritate, *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.* Hæc verò viſio non carnalibus æſtimanda eſt oculis cerni poſſe, ſed puræ mentis intuitu conſideranda eſt, ſecundum quod ſancti Spiritus gratia noſtræ mentis aciem illuſtrare dignabitur.

Matth. 5. & 18.

CAPVT I.

Quod Deus omnium ſit cauſa quæ ſunt vt ſint.

EOrum igitur quæ ſunt, vel fuerunt, vel futura ſunt, cauſa eſt Deus, & horum dator & creator. Et non eſt dicendum, hæc A eſſe ipſum, quibus vt eſſent, dedit. Nec alicui creaturæ partem ſuæ ſubſtantiæ dedit, & cùm ipſe ſit immutabilis, mutabilia ſine ſui mutabilitate creauit. Ideò in illo hymno laudabili, quem peracta cœna myſtica coràm diſcipulis ſuis in laudem Patris, Dei Filius decantauit, non dixit de fidelibus ſuis, vt vnum ſint nobiſcum, ſed vt vnum ſint in nobis, quia diuerſa ſubſtãtia eſt creatoris, & creaturæ. Nec etiam dixit, ego & ipſi vnum, quamuis per id, quod Eccleſiæ caput eſt, & corpus eius Eccleſia, B poſſit dicere: Ego & ipſi, non vnum, ſed vnus, quia caput, & corpus vnus eſt Chriſtus: ſed diuinitatem ſuam conſubſtantialem Patri oſtendens, dum ait: Vt ſint vnum, ſicut & nos vnum ſumus. Vult ergo eſſe ſuos vnum, ſed in ipſo; quia in ſeipſis non poſſunt; diſſociati per diuerſas voluntates. Cùm enim ſit ſancta Trinitas vnus, & ſolus Deus; in ſubſtantia ſolus, in perſonis tria quædam. Cùm multa voluit eſſe, non illud eſſe, ea voluit eſſe, quod ille ipſe eſt; dum ea quæ voluit eſſe, originem C habent. Illi ſiquidem ſine origine eſt eſſe.

CAPVT II.

Quod Deus ſuper omnia ſit.

DEum ſuprà omnem exiſtentiam, ſuprà omnem vitam, ſuprà omnem intelligentiam credimus eſſe. Et ille eſt ſumma exiſtentia, ſumma intelligentia, ſumma vita, à quo omnis vita, omnis intelligentia, & omnis exiſtentia. Dei enim idem ip- D ſum eſt, & potentia, & ſubſtantia, & diuinitas, & hæc omnia vnum, & hoc vnum ſimplex.

CAPVT III.

Quod melius ſit de Deo æqualia dicere quàm ſimilia.

DE Dei filio Doctor egregius beatus Paulus Apoſtolus dicit, Cùm eſſet in forma Dei, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo. Proindè meliùs eſſe E videtur æqualitatem de diuinis dicere perſonis, quàm ſimilitudinem, quamque vtrumq; inueniatur: quia vna quælibet ſubſtantia, ſecundum quod ſubſtantia eſt, non eſt alia vt ſit ſimilis ad aliam. Nec enim in S. Trinitate ſubſtantia ſubſtantiæ ſimilis eſt, ſed vna, & ipſa eadem ſubſtãtia eſt Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Nec ſunt tres ſubſtãtiæ ſimiles, ſed vna, trium æqualiter. Nec Pater Filio prior, nec Filius Patre po-

ſterio

terioris, ſicut Arriani voluerunt. Nã Abraham & Iſaac, licet vnius ſint ſubſtantiæ ſecundum humanitatem, tamen Abraham prior eſt tẽpore & Iſaac poſterior. Quamuis hi ſint ſimilis ſubſtantiæ: tamen illa ſimilitudo ſubſtantiæ in filio Iſaac poſterior eſt tempore: quod impium eſt in Deo credere aliquid prius eſſe vel poſterius. Quia non ex tempore Deus cœpit eſſe Pater, ſed ſicut ſemper Deus, ita ſemper Pater, ſemper habens Filium, quem ſimul genuit ex ſua æqualem ſibi natura. Addunt quoque Dialectici quod omne ſimile receptibile poſſit eſſe diſſimilitudinis, ſicut duo homines quamuis ſimilis ſint ſubſtantiæ; diſſimiles tamen poſſunt eſſe moribus: Ideò non poſſunt rectè per omnia æquales dici, & ſunt duæ ſubſtantiæ in eis diuiſæ, vnuſquiſque in ſua ſubſtantia, plenus homo. In Patre verò & Filio & Spiritu ſancto, non eſt ſimilis ſubſtantia ſubſtantiæ, ſed vna æqualis per omnia, & ideò ὁμοούσιος, id eſt vnius ſubſtantiæ, non ὁμοιούσιον, id eſt, ſimilis ſubſtantiæ, ſicut hæretici voluerunt.

Cap. IV.

De immenſitate omnipotentiæ Dei.

QVicquid in natura creaturarũ eſt creatura eſt Dei, cuius omnipotentia ea gubernat, regit, & implet quæ creauit. Nec ideo Deum omnia implere dicimus, vt eũ contineant, ſed vt ipſa potiùs contineantur ab eo. Nec particulatim Deus implet omnia, nec vllatenus ita putandum eſt in omnibus eſſe Deũ, vt vnaquæque res per magnitudinem poſitionis ſuæ capiat eum, id eſt, maxima maius; minima minus: dum ſit potiùs ipſe totus in omnibus, ſiue omnia in ipſo, cuius omnipotẽtia omnia concludit. Nec euadendi potentiam eius, quis aditum inuenire poterit. Qui enim eum non habet placatum, nequaquam euadet iratum. Immenſitas diuinæ magnitudinis iſta eſt, vt intelligamus eum intra omnia, ſed non incluſum; extra omnia, ſed non excluſum, & ideò interiorẽ vt omnia contineat. Ideo exteriorem, vt incircumſcriptæ magnitudinis ſuæ immenſitate, omnia concludat. Per id ergò quòd exterior eſt, oſtẽditur eſſe creator, per id verò, quod interior, gubernare omnia demonſtratur. Ac ne ea, quæ creata ſunt, ſine Deo eſſent, Deus intra omnia eſt. Verum ne extrà Deũ eſſent, Deus exterior eſt, vt omnia concludantur ab eo, non locali magnitudine, ſed potẽtiali præſentia, quia vbique præſens eſt, & omnia illi præſentia, quamuis quidã hoc intelligant, quidam verò non intelligant. Nam cæco ſol abſens eſt, quamuis ſit in ſole, & ſoli præſens, ſed de talibus de Deo dictis, nihil humana mẽs, localis, vel temporalis mutabilitatis, fingere vel cogitare debet.

Cap. V.

Quare Deus dicatur magis in cœlo habitare quàm in terra.

QVòd verò in Dominica oratione dicitur; Pater noſter, qui es in cœlis; vel quod in Pſalmis legitur. *Ad te leuaui oculos meos, qui habitas in cœlis*: non corporaliter intelligẽdum eſt, ſed ſpiritaliter, quia nõ ſpacio locorum continetur Deus. Sunt enim cœli excellentiſſima quidem mundi corpora, quæ non poſſunt eſſe niſi in loco, ſed in cœlis tanquã in ſuperioribus mundi partibus locus Dei eſſe creditur. Melioris meriti ſunt aues, quarũ vita eſt Deo vicinior. Non autem ſcriptum eſt, Propè eſt Dominus excelſis hominibus, aut eis qui in montibus habitant; ſed ſcriptum eſt, Propè eſt Dominus obtritis corde; quod magis pertinet ad humilitatem. Sed quemadmodum terra appellatus eſt peccator, cum ei dictũ eſt: *Terra es, & in terram ibis*, ſic cœlũ iuſtus è contrario dici poteſt. Iuſtis enim dicitur; *Templum Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos*. Quapropter ſi in templo ſuo habitat Deus, quia ſancti templum eius ſunt, rectè dicitur, qui es in cœlis, id eſt in ſanctis; & accõmodatiſſima iſta ſimilitudo eſt, vt ſpiritaliter tantum intereſſe videatur inter iuſtos & peccatores, quantum corporaliter inter cœlum & terrã. Cuius rei ſignificandæ gratia cùm ad orationem ſtamus, ad orientem conuertimus nos, vnde cœlum ſurgit, & lumen oritur, non tanquam ibi habitet Deus, quaſi cæteras mundi partes deſeruerit, qui vbique præſens eſt, non locorum ſpaciis, ſed maieſtatis potentia: ſed vt admoneatur animus, ad naturam excellentiorem ſe conuertere, id eſt, ad Deum, qui eſt lumen verum, illuminans omnem hominem, venientem in hunc mundum, cùm homo ipſum corpus ſuum, quod terrenum eſt, ad corpus excellentius, id eſt, ad corpus celeſte conuertit. Nam ſi cœlum iſtud corporeum, quod oculis videmus, intellexerimus eſſe habitationem Dei, tranſitura eſt habitatio Dei: Quia cœlum & terra tranſibit. Deinde antequam faceret Deus cœlum & terram, vbi habitabat? Sed dicit aliquis,

Matth. 6. Pſalm. 122. Pſalm. 50. Geneſ 3. 1. Cor. 3.

& antequam faceret Deus ſanctos, vbi habitabat? cui reſpondendum eſt. In ſe habitabat, apud ſe habitabat, & apud ſe eſt Deus,
Matth. 24. & in ſe manet. Sed ideò dicitur in cœlis habitare, quia maior cognitio eſt in cœlis illius ſummæ maieſtatis, & eſſentiæ, in angelis, vel in ſanctis animabus ſanctorũ: quàm in terra habitantibus ſanctis, propter grauitatem carnalis habitationis, quæ vix permittit animam ad purum veritatis lumen
Sap. 9. auolare: ſicut dicitur, *Corpus quod corrumpitur aggrauat animam, & deprimit terrena inhabitatio ſenſum multa cogitantem.* Cum igitur exuta erit anima hac mortali habitatione, & ſereno reddetur perpetuo: tunc videbit
1. Cor. 13. facie ad faciem, quod nunc per ſpeculum in ænigmate conſiderat.

Cap. VI.

Quamuis humano more ſcriptura de Deo loquatur, nihil tamen commutationis in Deo eſſe.

SAcræ ſcripturæ ad cognoſcẽdum Deũ, nobis diuinitus per ſanctos doctores adminiſtratæ, à terreno, & humano ſenſu ad diuinum, & cœleſtem nos erigentes: vſque ad ea verba deſcenderunt, quibus humana vtitur conſuetudo. Ita etiam vt commotiones humanæ mentis, & paſſiones, vel affectiones Deo adſcriberent, ſicut zelare, iraſci, pœnituiſſe, aliquid ex tempore velle vel nolle Deum. Quæ ſunt humanæ mentis inſtabilitates, non diuinæ ſerenitatis immutationes: quæ ſemper idem eſt. Quòd ergò Deum iraſci dicitur, non eſt perturbatæ mentis motio, quia Dei ira non eſt paſſibilis ſicut hominis. Iraſcitur itaque Deus ſine aliqua ſuæ ſimplicis naturæ paſſibilitate, vel perturbatione, aut etiam im-
Sap. 12. mutatione. De eo nãque dicitur: *Tu autem Domine virtutũ, cum tranquillitate iudicas:* quod autem tranquillum eſt, non eſt perturba-
Pſalm. 118. tum. Sic etiam & humani corporis membra Deo aſcribunt; ſicut, *Manus tuæ fecerunt me*: Et iterum, Ambulabo inter eos; Et ite-
Pſalm. 33. rum: Oculi Domini ſuper iuſtos, & aures eius in preces eorum. Dum omnimodo nihil tale, vel corporale de Deo mens humana putare debet. Tam clemẽter Deus humanæ conſuluit infirmitati, vt quia eum ſicut eſt non poſſumus agnoſcere, noſtræ locutionis more ſeipſum nobis inſinuari, vel & quatenus ad ſua per noſtra nos traheret, & dum condeſcendit per pietatem noſtræ infirmitati: aſcendamus nos per intelligentiæ puritatem ad illum, ſecundum ſuæ donum gratiæ.

Cap. VII.

Quod Deus vbique ſit totus, poteſtate naturali.

HOc maximè intelligere debemus, ſanctæ Trinitatis vnam eandemque naturam ita totum implere, vt non ſit aliquid vbi non ſit. Sicut acutiſſimè quendã Chriſtianum, philoſopho interrogante, vbi eſt Deus, reſpõdiſſe fertur: Dic tu prius ô Philoſophe, vbi non ſit. Tota itaque diuinitas vbique tota eſt, & nullo continetur loco, quia non eſt localis Deus, tota ſcilicet in ſpiritalibus & corporalibus ſingulis, & tota ſimul in omnibus creaturis. Nec adhuc de gratia loquimur, qua ſe gratuito munere miſericordiæ ſuæ, ſaluãdis hominibus præbet, ſed de natura, qua Deus omnia, quæ fecit, & implet, & continet, ſecundum quam dicit: *Cœlum, & terram ego impleo.* Et ſecundum quam ipſi Deo beatus Dauid dicit: *Quo ibo à Spiritu tuo: & à facie tua quò fugiam?* Et de Chriſto, qui eſt ſapientia Dei dicitur: *Attingit a fine vſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuauiter.* De Spiritu quoque ſancto ſcriptura ſancta ſic loquitur. Quia Spiritus Domini repleuit orbem terrarum. Trinitas itaque quæ eſt Deus vnus, verus, & bonus, æternus, incommutabilis, vbique tota eſt, ſecundum immenſitatem, atque omnipotentiam naturalem; quamuis non inhabitet in omnibus, ſecundum gratiæ largitatem.

Cap. VIII.

Quod Deus aliter in Sanctis ſit, aliter peccatoribus præſit.

DEus ergo bonis natura propinquat, & gratia; natura qua eos facit homines; Gratia, qua eoſdem peccatores iuſtificat. Natura; qua facit vt viuãt, Gratia, qua facit vt ſobriè viuant. Natura, qua eos facit in hoc mundo paruo tempore manere; Gratia, qua eos facit in cœlo ſine fine regnare. In malis verò eſt, ſola Dei immenſitas, atque omnipotentia naturalis: qua eos facit eſſe, viuere, atque ſentire, rationales eſſe: liberum quoque habere voluntatis arbitrium, ſed liberum, non liberatum. Liberum enim arbitrium manet, etiam nunc in hominibus per naturam, quod in quibus voluerit Deus dignatur liberare per gratiam, ne malam habeant voluntatem. Ex quo enim primus homo liberò arbitrio venundatus eſt ſub peccato, ideò

hala cœpit eſſe libertas hominis, quia ipſi libero arbitrio, ablata eſt bonitas voluntatis, quam exinde nemo à ſeipſo habere potuit, niſi gratia diuinæ miſericordiæ adiutus habuiſſet, ſine cuius adiutorio liberum arbitrium nec conuerti poteſt ad Deum, nec proficere in Deo; Vtrunque credere debemus, & gratiam Dei, & liberum arbitrium hominis. Si ergo non eſt Dei gratia, quomodo ſaluatur mundus; & ſi non eſt liberum arbitrium quomodo iudicabitur mundus?

Cap. IX.

De diuerſitate eorum quæ ſunt.

OMne quod eſt, aut ſemper fuit, & non eſſe cœpit; aut non ſemper fuit, & eſſe cœpit: Quod itaque non cœpit eſſe, ſed ſemper fuit, ſolus Deus eſt, Pater, & Filius, & ſpiritus Sanctus; quod verò eſſe cœpit omnis eſt creatura. Ideò in rerum naturis hæc duo tantū ſunt, id eſt, creator, & creatura. Sed quod ſemper fuit, & ſemper eſt; aut ingenitum eſt, aut genitum; aut nec ingenitum, nec genitū. Et ſunt hæc tria æternaliter tria. Quod ingenitum eſt, Pater eſt ſolus, quia à nullo eſſe habet quod eſt niſi à ſeipſo. Quod genitum eſt, Filius eſt, cui à Patre eſt eſſe quod eſt. Quod verò nec ingenitum eſt nec genitū, Spiritus ſanctus eſt, cui eſt eſſe à Patre, & Filio procedere. Et hæc tria Trinitas eſt vera, conſubſtantialis, & coæterna. Quia igitur aliud eſt genuiſſe quam natum eſſe, aliud eſt procedere quam genuiſſe vel natum eſſe: manifeſtum eſt, quoniā alius eſt Pater, alius Filius, alius Spiritus ſanctus. Trinitas itaque ad perſonas Patris, & Filij, & Spiritus ſancti refertur: Vnitas ad naturam æternæ Deitatis pertinet. Porro plurima in eis, quæ facta ſunt, & ex tempore cœperunt, diſtantia inuenitur eſſe. Nam quædam ex eis ſunt Spiritalia, quædam corporalia, quædam inuiſibilia, quædam verò viſibilia. Quiddam itaque in eis factum dicitur, & non natū, vt cœlu, & terra, & multa in creaturis: Quiddam verò factum dicitur, & natum, ſed inſenſibiliter, vt arbores, & herbæ de terra; Quiddam eſt factum, natumque ſenſibiliter, vt homines & animalia; aliquid etiam factum eſt, & natum, & renatum, vt homo factus à Deo, natus à parentibus. Renatus gratia Dei, miniſterio baptiſmatis; quæ regeneratio in ſolo homine inuenitur, ſed non in omni. Quiddam verò in his quæ facta ſunt, rationale eſt, & mortale, vt idem homo: ſed hoc in ſolo homine, & in omni reperitur. Quiddā verò rationale tantùm eſt, non mortale, vt angelus, & hoc ſimiliter in ſola angelica natura inuenitur, & in omni. Sed ex his, id eſt, angelis; quidā ſunt æternaliter miſeri, quidam æternaliter beati, ſicut etiam de hominibus. Quidam ſunt pœnales propter merita malitiæ. Quidam verò cum angelis qui ſuū ſeruauerūt principatum, beati æternaliter erunt per gratiā Dei. Sed hæ diuerſitates creaturarum, & commutabilitates, ab vno ſolo, & incommutabili Deo creatæ ſunt, qui omnia quæ ſunt in cœlo, & in terra abſque vlla dubitatione ſicut voluit fecit. Hoc quoque ſciendum eſt quod omnis ſubſtantia quæ Deus non eſt, creatura eſt, & quæ creatura non eſt, Deus eſt.

Cap. X.

Quod quædam mirabilis facta eſt coniunctio creatoris ad creatorem.

INter hanc ſcilicet creaturarū mirabilem & ſpecioſam veritatem, ex quo pulcherrima vniuerſitas formatarū conſtat rerum; de qua dicitur; Et erant omnia valde bona. (Geneſ. 1.) Bona verò quia à bono cōdita ſunt creatore, ſed non ſic bona ſicut creator, qui ſolus eſt ſummum, & incōmutabile bonum. Homo ſolus ad imaginem & ſimilitudinē conditoris creatus eſſe legitur; & feliciſſimus horti qui paradiſus dicitur, habitator conſtitutus, vniuſque tantūmodo fructus epulis prohibitus, quatenus tam facilis obſeruatione mandati, cœleſtem mereretur beatitudinem: ſed inuidia ruentis angeli, de beatitudine ſua, huius mandati tranſgreſſor effectus eſt; atque in huius exilij, ſicut cōminatus eſt ei Creator, ærumnoſam (Geneſ. 2.) deiectus eſt miſeriam, & pœnali mortis conditione mulctatus eſt. Sed mitiſſimus creator, nolens facturam imaginis ſuę æternaliter perire: miſit Filium ſuum Vnigenitum Deum per quem creauit hominem, vt per eūdem redimeretur per quem creatus eſt. Qui carnem ex virgine aſſumēs, ita humanæ naturæ adunatus eſt, vt idem eſſet homo qui Deus, & Deus, qui homo. Quia talis erat illa ſuſceptio, quæ Deum hominem faceret, & hominem Deum: nec vlla eſt in hac duarum coniunctione naturarū, id eſt, diuinitatis, atq. humanitatis perſonalis ſeparatio. Ergo quia forma Dei accepit formā ſerui, vtrunque Deus, & vtrumq. homo, ſed vtrunque Deus propter accipientem Deū, vtrunque autem homo propter acceptum

hominem. Non tamen illa ſuſceptione alterum eorum in alterum conuerſum, atque mutatum eſt. Nec diuinitas quippè in creaturā mutata eſt, vt deſiſteret eſſe diuinitas. Nec creatura in diuinitatem, vt deſiſteret eſſe creatura. Vnū tamen horum miraculis claruit; aliud ſuccubuit iniuriis; ſed nullatenus alius fuit, qui miraculis claruit, alius qui iniuriis fatigatus eſt. Sed vnus atque idem in forma Dei conſubſtantialis Patri, in forma ſerui conſubſtantialis matri, anima & carne, homo plenus.

Cap. XI.

Vtrum anima Chriſti plenam habeat diuinitatis ſuæ cognitionem.

Confidenter planè, & indubitanter dicimus de ſanctis Angelis, atque hominibus ſanctis, quorum quamuis quiſlibet per adoptionis gratiam nuncupatiuè Deus dicatur: nulla tamen ratione Deus angelorum vel Deus ſanctorum naturaliter dici poſſe, ſicut de Chriſto dicitur: Et adorent eum omnes Angeli Dei; Et, Omnia ſubiecisti ſub pedibus eius. In eo quod ait; omnia ſubiecit, nihil dimiſit non ſubiectum ei. Quamuis quiſlibet ſanctus diuinæ habitatione gratiæ præcipuus eſſet; nullus tamen eorum in vnam cum diuinitate perſonam electus eſt; niſi Chriſtus Deus, & homo. Anima quippè, & caro Chriſti, cum Verbo vnus eſt Chriſtus, & vnus Filius. Perquàm vero durum eſt, & à ſanitate fidei penitus alienum, vt dicamus animam Chriſti non plenam ſuæ Deitatis habere notitiā, cum qua naturaliter vnam creditur habere perſonam. Vnde Ioannes Baptiſta Chriſto ſingulariter, ac ſine menſura datam Spiritus largitatēm dixit, non enim ad menſurā dat Deus Spiritum. Hominibus ad menſurā dat. Vnicò Filio ad menſurā non dedit, quia omnis plenitudo diuinitatis in eō habitat. Ipſe eſt enim qui dat Sanctis, ipſe eſt qui accepit; & quia potens eſt ad menſurā dare, ideo non debuit ad menſuram accipere. In forma enim Dei manens Spiritum dat, formam ſerui accipiens Spiritum accepit: ipſum enim quem ad menſuram dat, totum accepit. Ad menſuram quippè dat multis filiis, ſed non ad menſuram accepit, qui vnicus eſt Filius, quia ſic eſt naturaliter homo verus, vt idem ſit naturaliter etiam Deus verus. In Chriſto autem ſecundum Catholicæ fidei veritatem, in vnitate perſonæ ſimul & deitatem fatemur, & animam rationalem, & carnem. In quo tamen Deitas Spiritum accipere non potuit, quia ſecundum Deitatem Pater & Filius, & Spiritus ſanctus vnus eſt Deus. Non ergo potuit Spiritum ſanctum Diuinitas Filij accipere, cùm ipſe Spiritus ſanctus ſic procedit à Filio, ſicut procedit à Patre; & ſic detur à Filio, ſicut datur à Patre. Reſtat itaque vt anima Chriſti Spiritum acceperit, quem tamen non ad menſuram accepit, quia totum accepit. Vbi enim mēſura dicitur non eſſe: plenitudo perfectionis, & perfectio plenitudinis inuenitur. Per quam etiam plenitudinem diuinæ cognitionis habere manifeſtum eſt. In quantum enim cuilibet ſanctorum Spiritus datur, in tantum cognitio diuinitatis accipitur ab eo. Nō enim æſtimandum eſt animæ Chriſti in aliquo plenam diuinitatis deeſſe notitiam. Cuius vna eſt perſona cum Verbo, quam ſic Sapientia ſuſcepit, vt cum ipſa diuinitate ſua vna ſit in trinitate perſona, id eſt, Chriſtus crucifixus, quem Dei virtutem Deique ſapientiam Paulus Apoſtolus prædicat.

Pſam. 96. Heb. 1. & 2. Pſalm. 8. Matth. 3. c Ioan. 3.

Cap. XII.

Si anima Chriſti plenam habet diuinitatis cognitionem, Quomodo dicitur in Euangelio, Filium neſcire diem Iudicij?

In Scripturis ſanctis genus eſt locutionis, quod apud Grammaticos Metonymia dicitur, id eſt, dum per efficientem deſignatur id quod efficitur. Hoc enim genere locutionis Deus neſcire dicitur, quia neſcientes facit, etiam & ſcire Deus dicitur, quia ſcientes facit, ſicut ſcriptum eſt; *Tentat vos Dominus Deus veſter vt ſciat ſi diligatis eum.* Non enim ſic intelligendum eſt quaſi Deus neſciat ſi diligant eum, de quibus hoc dicitur. Sed vt illi ipſi ſciant quantum in Domini dilectione profecerint; quod niſi tentationibus quæ accidunt non plenè ab hominibus cognoſcitur. Et ipſum tentat, pro eo poſitū eſt quòd tentari ſinat. Sic & cum dicitur neſcire Deum, aut pro eo dicitur quod non approbat, ſicut impiis dicturus eſt: *Neſcio vos.* Aut pro eo quod vtiliter neſcientes facit, ſiue etiam pro eo, quod non eſt tempus ſciēdi, ſicut in Euangelio dicitur, De die & hora nemo ſcit, neque Angeli in cœlo, neque Filius niſi Pater. Hoc enim genere locutionis neſcire dicitur Filius, quia neſcientes fecit quod vtile illis fuit neſcire, id eſt, quod non ita ſciebat vt eos ſcire feciſſet. Quia vtilius illis fuit diem iudicij neſcire quàm ſcire, vt ſemper parati eſſent & vigilantes, dum qua hora dies Domini quaſi fur veniret, paratos inueniret eos.

CAP. XIII.

Quod vnum opus ſit Patris & Filij.

OPeratur enim Pater per filium, per quē fecit omnia, & ſemper operatur: ſicut
Ioan. 1. dictum eſt: *Omnia per ipſum facta ſunt*; Item
Ioan. 5. c. *Pater meus vſque modo operatur, & ego operor.* Non diuerſitatem operis deſignans, quia vnum opus eſt Patris, & Filij: ſed perſonarum proprietatem oſtendens. Ipſa itaque operatio Dei, id eſt, ſanctæ Trinitatis, voluntas eſt Dei, & voluntas Dei ſimplex eſt, & ſemper in requie beatitudinis. Nec aliud eſt Deo operari, aliud velle, ſed idem eſt illi velle, & operari, quia voluntas Dei effectiua eſt potentia. Nec Deo aliud eſt eſſe, aliud velle, ſed vnum atque idem. Et hoc totum ſimplex, totum Vnitas, totum Trinitas, totum ὁμοούσιον; quia eſſe quod ſubſtantiale eſt, vnum eſt in Patre, & Filio, & Spiritu ſancto; & horum vna actio eſt, ſicut vna voluntas. Fuerũt enim omnia ab æterno Deo. Operatione autem, id eſt, virtute Dei, qui eſt Filius, apparuerunt omnia, & facta ſunt: ſicut voluit & quando voluit, & quomodo voluit, qui fecit omnia: ſed non ille factus, per quem facta ſunt omnia. Natus eſt ergo Filius Dei, ex æterno æternus, de Deo Deus, de lumine lumen, ſicut ſæpiſſimè diximus, & ſemper dicemus.

CAP. XIV.

Omnia per Chriſtum facta eſſe, ipſum vero natum, non factum.

Geneſ. 1. IN principio fecit Deus cœlum & terram; id eſt, In Chriſto fecit Deus, qui eſt Filius Dei, qui eſt verbum Dei, qui eſt virtus, & ſapientia, Dei ſicut dicitur in Pſalmo:
Pſalm. 103. *Omnia in ſapientia feciſti*, ſed ipſe idem Filius ante omnia ſemper eſt, & ſemper Deus, & ſemper in Deo; Idcirco ὁμοούσιον; Pater & Filius. In eo verò quod Filius dicitur & eſt, genitus eſt, non factus. Quamuis Apo-
1. Cor. 1. ſtolus dixiſſet: *Qui factus eſt ſapientia nobis à Deo noſtro*, non quod factus ſit in ſubſtantia ſua vt eſſet, ſed effectus eſt vt Dominus eſſet omnium quæ facta ſunt dum fuerunt quibus Dominus eſſet. Creaturas ergo fecit Deus per Filium, ſed nō filium fecit per quem fecit omnia. Sed genuit de ſubſtātia ſua æqualem ſibi. Natus eſt ergo Chriſtus, non factus. Vbicunque ergo dicitur quoniam factus eſt, poſt primam generationē dicitur, quæ ex æterno eſt, & vna eſt, & ſan-

A cta, & ineffabilis. Legitur in Actibus Apo- Actor. 2.
ſtolorum; *Certiſſimè igitur ſciat domus Iſrael, quia hunc Chriſtum Deus fecit, quem vos ſuſpendiſtis in cruce*; Et Apoſtolus, *Qui factus eſt ex* Galat. 4.
muliere; Et Euangeliſtà: *Verbum caro factum* Ioan. 1.
eſt. Iſta omnia non in eius exiſtentiam, vel ſubſtantiam, ſed in actus, & in miniſtrationem eius potentię atque virtutis dicuntur.
Quod Apoſtolus ait Chriſtum Dei virtu- 1. Cor. 1. c. d
tem, & Dei ſapientiam, non ita intelligendum eſt, quod Pater non dici poſſit virtus, vel ſapientia: ſicut dici non poteſt Filius,
B vel verbum, quia hæc relatiua ſunt nomina, ſicut ſuperius dictũ eſt. Illa verò, id eſt, virtus & ſapientia, ſubſtantialia ſunt. Ideò Pater, virtus & ſapientia, & Filius virtus & ſapientia, & Spiritus ſanctus virtus & ſapientia. Non tamen tres virtutes, nec tres ſapientiæ, ſed vna virtus, & vna ſapientia, Pater & Filius, & Spiritus ſanctus, ſicut vna ſubſtantia, & vna omnipotētia, & alia, quæ de ſubſtantia diuinitatis dicuntur. Et ita intelligatur Filius ſapiētia Patris, quomodo dicitur lumē Patris, id eſt, vt quem-
C admodum lumen de lumine, & vtrunque vnum lumen, ſic intelligatur ſapientia de ſapientia, & vtrunque vna ſapientia. Quia in illa ſimplicitate diuinæ naturæ non eſt aliud ſapere quàm eſſe, nec aliud eſſe quàm poſſe, nec aliud poſſe quàm viuere. Eadem ibi ſapientia quæ eſſentia, eadem potentia quæ & eſſentia. Eadem vita quæ & eſſentia, & hæc omnia vnum, & vnus Deus.

CAP. XV.

D *De eo quod ſicut Pater eſt vita, ita & Filius eſt vita.*

SIcut Pater viuificat, ſic & Filius quos Ioan 5. d
vult viuificat: non tamen alios vel ali- Rom. 4. c
ter Pater, & alios vel aliter Filius: ſed eoſdem quos Pater viuificat, viuificat & Filius ſimiliter. Nec Spiritus ſanctus ab hac viuificatione ſecernendus eſt, quia vnum opus 1. Cor. 15.
eſt Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, ſicut vna ſubſtantia, atque eſſentia. Sicut enim
E Pater viuens vita eſt, ita & Filius vita. Manet ergo Pater vita, manet Filius vita. Pater vita in ſemetipſo, non ab alio, Filius vita in ſemetipſo, ſed à Patre, qui eum talē genuit vt vitam haberet in ſemetipſo. Dictũ quippè eſt; ſicut ipſe Filius ait, *Sicut Pater habet* Ioan. 5. c.
vitā in ſemetipſo, ſic dedit & Filio vitā habere in ſemetipſo, id eſt, genuit Filiũ, vitā in ſemetipſo habentē. Hoc ſolũ intereſt, quod Pater vita eſt non naſcendo, Filius eſt naſcendo; Pater de nullo Patre, Filius de Deo Patre;

A propter Filiũ Pater eſt, Filius verò & quod Filius eſt, propter Patrem eſt, & quod eſt à Patre eſt. Et à vita, vita eſt, Pater qui eſt vita in ſemetipſo; genuit Filium qui eſſet vita in ſemetipſo. Ideò & ipſe Filius, ait, *Sicut viuit Pater, & ego viuo propter Patrem.* (Ioan. 6.) Non ita dictum eſt quaſi in ſeipſo Filius propriam non haberet vitam, ſed participatione paternæ vitæ vitam haberet. Sicut oculus carnalis participatione lucis alterius lumẽ accipit quod nõ habet in ſeipſo, niſi aliunde mutaſſet. Sed iam iamque talis à Patre B genitus eſt Filius, qui in ſeipſo viueret, ſicut Pater non eſt indigens vita, ſic Filius non indigeret alterius vita. Eſt Pater vita, eſt Filius vita; Vtrumque tamen vna vita, nõ duæ, quia vnus Deus, non duo dij. In hac vero vita, viuit mundus, & viuet quamdiu obedierit huic vitæ. Vndè & Petrus ait: *Tu Verba vitæ æternæ habes*: (Ioan. 6.) Id eſt, qui tibi obedierit vitam æternam habet. Et ipſe Dominus, *Amen amen dico vobis.* (Ioan. 7.) Quia venit hora & nunc eſt, quando mortui audiẽt vocem Filij Dei, & qui audierint viuent. Quid eſt enim audient, niſi obaudient, id eſt, obe- C dient? Quantũ enim pertinet ad auris auditum, non omnes qui audient viuent. Multi enim audiunt, & non credunt, vel non faciunt, quæ credunt; audiendo & non credendo non obediunt; non obediendo non viuent. Itaque hi qui audient, nihil eſt aliud, quàm quod obediunt: qui ergo obedient, viuent.

Cap. XVI.

Quod ſubſtantia diuinitatis omnimodo inuiſibilis ſit, & incomprehenſibilis in ſua natura creaturis. D

SIcut igitur immutabilis eſt omnino Deus; ita & inuiſibilis eſt, & in natura magnitudinis ſuæ. Quamuis multoties legatur, quod apparuerit Deus cuilibet in veteri teſtamento Patrum: ſed apparuit quibus voluerat, per ſubiectam creaturam, in qua voluerat ſpecie, & quomodo voluit. Sed nullatenus à quolibet viſus eſt ſubſtantia diuinitatis ſuæ, quæ omnino inuiſibilis & incommutabilis eſt. Quod beatiſſimus & magnus Propheta Moyſes intelligens ait Deo, cum quo vt amicus ad amicum facie ad faciem locutus eſſe dicitur: *Si inueni gratiam ante te, oſtende mihi temetipſum.* (Exod. 33.) Si itaque eius naturam ſubſtantiáque conſpiceret, nullatenus diceret: Oſtende mihi temetipſum. Ipſi ergo apparuit Deus in ea ſpecie, qua voluerat, non autem ipſe apparuit illi in natura propria, quam Moyſes videre cupiebat. Manifeſtè nouerat vtique quod corporaliter videbat quodcunque videbat; & veram viſionem Dei ſpiritualiter requirebat. Locutio quippe illa quæ fiebat in vocibus ſic modificabatur tanquam eſſet amici loquentis ad amicum. Confirmat verò Euangeliſta, Dei eſſe naturam omnimodo inuiſibilem, vbi ait: *Deum nemo vidit vnquam*; (I) quia plenitudinem diuinitatis, quæ in Deo eſt, nemo oculis vidit, nemo mente comprehendit. Nec etiã angelicæ naturæ cõprehenſibilis eſt Deus. Quia verè incomprehenſibilis dicitur; ſed ſecundum menſuram donationis Dei, ita Deum, vel Angeli vel animæ ſanctorum intelligunt. Proindè quamuis vſque ad æqualitatem angelicam humana poſt reſurrectionem natura proficiat, & ad contemplandum Deum glorificata conſurgat: videre tamen eius eſſentiam plenè non valet, ſed vnicuique ſanctorum ad ſuæ ſufficientiam beatitudinis manifeſtabitur gloria eius.

Cap. XVII.

Quod illæ viſiones, quæ in veteri teſtamento patribus apparuiſſe leguntur, maxime per angelicas adminiſtrationes fierent.

QVod verò omnia, quæ Patribus viſa ſunt congruis temporibus, vel locis, ſecundum Dei diſpenſationem per angelicas eſſe adminiſtrationes: apertiſſimè eximius mundi doctor, qui in tertium raptus cœlum, audiuit quædam arcana myſteriorum Dei verba, oſtendit, vbi ait: *Nonne omnes ſunt adminiſtratorij Spiritus ad miniſtrationem miſſi, propter eos qui hæreditatem capiunt ſalutis?* Volens intelligi, illa omnia non ſolum per angelos facta, ſed etiã propter nos facta, quæ in veteribus legunt figurationibus; & paulo pòſt. Si enim ſermo per angelos dictus, factus eſt firmus: Omnia quæ data ſunt, vel dicta populo priori, per angelos miniſtrata eſſe oſtendit: noſtræ vero ſalutis originem, & plenitudinem per ipſum Dei Filium: mox in ſequentibus eiuſ- E dem epiſtolæ verbis miniſtratam eſſe demonſtrauit. Et beatus Stephanus protomartyr angelum Moyſi locutum eſſe in flamma ignis aſſeruit in diſputatione quã habuit contra lapidatores ſuos; dum in ea dem viſione dicitur Dominum apparuiſſe Moyſi; apparuerunt verò angeli, & locuti sũt in perſona illius qui eos direxerat. Sed quæri poteſt cur ſcriptura non dicat; Apparuit angelus, vel locutus eſt angelus cuilibet Patrum? Quamuis quidem præ-

(o verba referat Iudicis; non ſcribitur in geſtis, Præco dixit vel fecit: Sed, Iudex dixit vel fecit. Quapropter probabili ratione videri poteſt, patribus noſtris ante incarnationem Chriſti ſub perſona Domini apparuiſſe, vel locutos eſſe Angelos. Nec illos etiam in ſua apparuiſſe ſubſtantia credendum eſt, ſed in ſubiecta creatura. Quæ ab illis, tempore opportuno aſſumpta eſt, ad miniſtrationem officij ſui. Sicut anima hominis inuiſibilis eſt, ita etiam Angelicam carnalibus oculis naturam inuiſibilem eſſe certiſſimum eſt.

CAP. XVIII.

Non de ſolo Patre intelligendum eſſe, vbi dicitur, qui facit mirabilia magna ſolus.

VBicunque in ſcriptura ſancta legitur; *Solus Deus*, nõ de vnaqualibet perſona in ſancta Trinitate intelligendum eſt, ſed de tota ſancta Trinitate quæ æqualiter operatur omnia, quæcunq. operanda eſſe iudicat.
Pſalm. 135. Vnde quod in Pſalmis dicitur, *Qui facit mirabilia magna ſolus, qui facit luminaria ſolus*: Non de ſolo patre ſicut aduerſarij volunt intelligitur dictum, ſed de tota ſancta Trinitate, quæ eſt vnus, ſolus Deus. Similiter de patre ſolo non eſt intelligendum quod
1. Tim. 6. Apoſtolus ait. *Beatus, & ſolus potens, rex regum & Dominus dominantium, qui ſolus habet immortalitatem, & lucem habitat inacceſſibilem, quem nemo hominum vidit, nec videre poteſt.* In quibus verbis, nec Pater propriè nominatus eſt, nec Filius, nec Spiritus ſanctus, ſed abſolutè, Beatus & ſolus potẽs, rex regum, & Dominus dominantium, quod eſt vnus, ſolus, beatus, potẽs, inuiſibilis, verus, Deus ipſa Trinitas, quæ æqualiter beata eſt, æqualiter potens, immo omnipotens, etiam & vni potens, quia vna potentia eſt totius ſanctæ Trinitatis. Neque enim quia ipſe Filius alibi loquens voce ſapientiæ, (ipſe eſt enim
Eccl 24. ſapientia Dei,) ait, *Gyrum cœli circuiui ſola*, ſeparauit à ſe Patrem: Quanto magis ergo non eſt neceſſe, vt tantummodo de Patre præter Filium, vel Spiritum ſanctum, intelligatur quod dictum eſt, Solus habet immortalitatem, & lucem habitat inacceſſibilem?

CAP. XIX.

De Vnitate Spiritus ſancti cum Patre & Filio.

SPiritus itaque ſanctus, ſicut Pater, & Filius, plenus eſt Deus, & perfectus; immò
A vnus Deus, cum Patre, & Filio, atque vna Rom. 9. 8. b. c.
ſubſtantia, ſicut ſupra memorauimus: quoniam ipſe eſt Spiritus ſanctus, qui in ſcripturis dicitur Spiritus Dei, vel Spiritus Chriſti, ſiue Spiritus patris, ſiue Spiritus paracletus, etiam & Spiritus veritatis: nec nõn eſt Spiritus vitæ qui à patre & Filio æqualiter adoratur; quia æqualiter eſt Deus, totus patris, & totus Filij Spiritus, quia vnus naturaliter Spiritus eſt, & patris, & Filij: proinde totus de patre procedit, & totus de Filio. Ioan. 14. b. 15. d. 19. 1. Cor. 2. c.
Totus in patre manet, & totus in Filio, quia
B ſic manet vt procedat, ſic procedit vt maneat. Vnde naturaliter hanc habet cum patre, & Filio vnitatis plenitudinem, & plenitudinis vnitatem, vt totum patrem habeat, totumque Filium, ipſeque totus habeatur à patre, totus habeatur à Filio, qui etiam à patre, & Filio æqualiter datur, immò, & à ſeipſo datur. Sicut Filius de eo dicit: *Spiritus vbi vult ſpirat.* Ioan. 8. Ipſe in Prophetis locutus eſt per ipſũ Apoſtoli ſine timore ſecularium poteſtatum teſtimonium proferebant de Chriſto, quia ipſe loquebatur in illis, ſicut Act. 2. 4. 6. 18.
ipſe Dominus ait: *Non enim vos eſtis, qui lo-* Matth. 8. c.
C *quimini, ſed Spiritus Patris veſtri qui loquitur in vobis.* In ipſo enim habent omnes fideles remiſsionem peccatorum, ſiue in baptiſmo, ſiue etiam in pœnitentia. Ipſe charitas Dei dicitur, quamuis pater, & Filius ſit charitas. Sicut enim Filius Sapientia Dei dicitur, quamuis ſit pater, & Spiritus ſanctus ſapientia. Ipſe paracletus, id eſt, conſolator dicitur, quia reuera dum dona ſacramentorum diſtribuit, conſolationem animæ præbet, per quam diffunditur in cordibus no-
D ſtris Dei charitas, per quam nos tota inhabitat Trinitas. Rom. 5. Quocirca rectiſsimè Spiritus ſanctus cum ſit Deus, vocatur etiam donum Dei; quod donum propriè, quid niſi charitas intelligitur? quæ perducit ad Deũ, & ſine qua quælibet alia virtus operis boni non perducit ad Deum.

CAP. XX.

E *Nihil itaque temporale in eo debemus intelligere de Spiritu ſancto dum dicitur donum Dei.*

HOc verò donum Dei, quod eſt Spiritus ſanctus, coæternum eſt, & conſubſtantiale donatori: quia donum donabile fieri poterit, quamuis non ſit cui donetur. Quod donum, id eſt, Spiritus ſanctus, non ex tempore, ſed ab æternitate procedit: ſed quia ſic procedebat vt eſſet donabile, iam donum erat, & antequam eſſet cui daretur.

Aliter enim intelligitur cùm dicitur donum, aliter cùm dicitur donatum. Nam donum poteſt eſſe, & antequam detur: Donatum autem niſi cuilibet datum fuerit, nullo modo dici poteſt. Et hoc itaque donum Dei occultum fuit ab æterno in Patre & Filio; manifeſtatum opportuno tempore, dum eſſent quibus manifeſtari deberet. Et hoc donum, id eſt, Spiritus ſanctus in eadẽ vnitate ſubſtantiæ, & æqualitate cum Patre & Filio conſiſtit. Siue enim ſit vnitas amborum, ſiue ſanctitas, ſiue charitas, ſiue ideo vnitas quia charitas, & ideo charitas quia ſanctitas: nequaquam minor eſt in aliquo illis ex quibus procedit. Et hæc eſt ſumma charitas, qua genitus à gignente diligatur, genitoremque ſuum diligat, & ideò non ampliùs quàm tria ſunt. Vnus diligens eum qui de illo eſt, & vnus diligens eum à quo eſt, & ipſa dilectio de qua dicitur, quia Deus charitas eſt. Et hæc ſumma & ineffabilis Trinitas non vnius Dei dici debet, ſed vnus Deus.

Cap. XXI.

Cur idem Spiritus ſanctus bis à Deo Chriſto datus ſit.

ABſque dubitatione ideo Spiritus ſanctus bis datus eſt, vt commendarentur duo præcepta charitatis. Duo ſunt enim præcepta, ſed vna eſt charitas, ſic etiã vnus Spiritus, & duo data. Nec alia charitas diligit proximum, quàm illa quæ diligit Deum. In terra datur Spiritus vt diligatur proximus. De cœlo datur vt diligatur Deus. Quãuis ſit aliud Deus, aliud proximus, tamẽ vna charitate diligendus eſt Deus, & proximus. Deum plus ſeipſo proximũ vt ſeipſum amator amet. In terra Chriſtus dedit Spiritum, ſed de cœlo eſt quod dedit. Ille enim dedit qui de cœlo deſcendit. Hic inuenit cui daret, ſed inde attulit quid daret. Sed iſta charitas non tenetur niſi in vnitate Eccleſiæ Chriſti, nec illam habent qui ſe diuidunt ab vnitate Catholicæ pacis.

Cap. XXII.

Quamuis diuerſa ſint Dei dona in Sanctis, ab vno eodemque Spiritu ſingulis ſingula dantur.

DOna Sancti ſpiritus membris eccleſiæ ſigillatim diuiduntur, & ſingulis ſingula dona tribuuntur. In Chriſto ſiquidem ſolo omnis plenitudo donorum, quia om-

A nis plenitudo diuinitatis in eo habitat. Vnde plenus gratiæ & veritatis ab Euangeliſta prædicatur. In Spiritu ſancto omnis gratia donorum conſiſtit. Ipſe enim prout vult gratias donorum largitur, aliis dans ſermonem ſapientiæ, aliis ſcientiæ, aliis fidem, atque vnicuique in virtute ſancti Spiritus gratia tribuitur ſecundum voluntatem largitoris, & in omnibus idem Spiritus habetur. Sicut in Prophetis vnus atque idem locutus eſt Spiritus. Ipſe etiam ineffabilia docet, quæ proferre humanus ſermo non poteſt.

B Ipſe enim dicitur ab Apoſtolo gemitibus inenarrabilibus poſtulare pro nobis: poſtulare plane dicitur quia nos poſtulantes facit ineffabili cordis gemitu. Sed non nunc, vt quondam dona ſancti Spiritus ſũt in hominibus. Nam paucis in populo Iſrael dona emicuerunt ſancti Spiritus per quælibet ſigna, vel Prophetias. Nunc autem in omni credẽtium multitudine Spiritus ſancti gratia diffunditur, ſecundum voluntatem diſtribuentis Spiritus. Et hoc eſt, quod in Euangelio dicitur: *Nondum enim erat Spiritus datus, quia Ieſus nondum fuerat glorificatus.*

C Sicut enim vnius corporis membra diuerſa habent officia; quæ tamen omnia vna operatur anima, & regit, diſtribuens vnicuique membro quid faciat: oculo vt videat, manui vt operetur, pedi vt ambulet, auri vt audiat: ſic ſunt etiam diuerſa dona fidelibus tanquam membris, ad menſuram cuique propriam diſtributa. Quamuis enim, & in omni fidelium multitudine diuerſæ ſint donorum gratiæ: vnum tamen corpus eſt Eccleſiæ, per vnum Spiritum, vna charitatis compage conglutinatum, atque conne-

D xum. Qui Spiritus meæ humilitatis ſpiritui inſpirare dignetur quid deinceps dicendum ſit de ineffabili Chriſti Domini noſtri Ieſu Chriſti Natiuitate, de quo Propheta ait: *Generationem eius quis enarrabit?* quod ab alio incipiendum eſſe exordio melius arbitror.

E

LIBER TERTIVS.

Prologvs.

DVas enim creaturas rationales condidit creator vnam cœleſtem, alteram terreſtrem. Et vtramque liberi arbitrij poteſtate nobilitauit, vt voluntarie in dilectione Dei, & diuinæ potentiæ laude, perpetualiter atque

beatè permaneret: ſed quia prior, id eſt, A Angelica, non tamen tota, propria delectãdo potentia, ab amore ſummi boni recedens, in ſeipſam delapſa ſui homicida facta eſt, ærumnoſam atque pœnalem impietatis ſuæ æternitatem experta. Proinde inuidia contra hominem inardeſcens, ne cœleſtẽ beatitudinis ſedem poſſideret, incitauit eum ad peccandum, efficiens eum ſuæ ſocium miſeriæ, quaſi quoddam ſolatium ſibi eſſet cum plurimis pœnas pati: Vel etiam vt iniuria creatori inureretur, ſi creatura ad imaginem ſuam condita, perdito dignitatis B ſuæ nomine & numine, ſuæ ſubderetur impietati. Quod pius conditor non paſſus, miſeratus hominem, reformare eum volens ad priſtinæ dignitatis nobilitatem: miſit vnicum Filium ſuum hominem ſuſcipere, vt idem qui Deus erat ex Deo, eſſet homo ex homine: & immortalis haberet aliquid vnde mori potuiſſet. Aſſumpſit itaque Dei Filius ex mortalitate noſtra, vnde ſalua ſua immortalitate, mortalis eſſet, & diabolum hominis victorem magis vinceret iuſtitia quàm potentia. Vt oſtenderet C vtrumque: & perpetuam æquitatis ſuæ iuſtitiam, & æternæ bonitatis miſericordiam. Iuſtitiam, in Angelo homicida ſuiipſius, atque hominis. In homine verò ab eodem perdito, miſericordiam, quem gratuito magnæ pietatis ſuæ munere redimere voluit. Quod in ſequentibus diuina nobis donante gratia dicturi ſumus.

Cap. I.

De gratia Dei, qua Deus homo factus eſt. D

IN hoc etiam euidenter commendatur quod Spiritus ſanctus ſit donum Dei, ſicut ſuprà oſtendimus, dum dicitur in Symbolo catholicæ fidei, quod Chriſtus de Spiritu ſancto conceptus, & ex Maria Virgine ſit natus. Cum aliter de illo, aliter de illa natus ſit; non de illo ſicut de Patre; de illa vero ſicut de matre. Quid tamen hîc ſancti Spiritus mentio facta eſt? Niſi quod ma- E gna Dei gratia commendatur. Quid enim natura humana in homine Chriſto meruit, vt in vnitate perſonæ vnici Filij Dei, ſingulariter eſſet aſſumpta? quæ bona voluntas? cuius boni propoſiti ſtudium? quæ bona opera præceſſerunt quibus mereretur iſta homo, vna fieri perſona cum Deo? Immo & homo ipſe, Deus nempe ipſe ex quo eſſe homo cœpit. Non aliud cœpit eſſe, quàm Dei Filius, & hoc vnicus, vnigenitus, & proprius, & propter Dei verbum quod caro factum eſt, vtique Deus; vt quemadmodum eſt vna perſona quilibet homo, anima ſcilicet rationalis, & caro: Ita ſit Chriſtus, vna perſona, verbum, & caro. Vnde naturæ humanæ tanta gloria nullis præcedentibus meritis? ſine dubitatione gratuito munere: Niſi quia magna hîc, & ſola Dei gratia fideliter, & ſobriè conſiderantibus euidenter oſtenditur, vt intelligant homines, per eãdem gratiam ſe iuſtificari poſſe à peccatis, per quam factum eſt vt homo Chriſtu nullum poſſit habere peccatum. Sic ſanctã virginem matrem ſcilicet Filij Dei, angelus ſalutauit quando ei futurum nunciauit partum: *Aue* (inquit) *gratia plena*; Et paulo poſt. *Inueniſti* (ait) *gratiam apud Deum*. Et hæc quidem gratia plena, & inueniſſe apud Deum gratiam dicitur, vt Domini ſui, immò Domini omnium, ſalua virginitate, mater eſſet. Luc. 1.

Cap. II.

Ad commendationem eiuſdem gratiæ, beatus Euangeliſta Chriſtum ait plenum gratia & veritate.

DE ipſo autem Domino, Ioannes Euangeliſta cum dixiſſet. *Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis*; adiunxit, *Vidimus*, inquit, *gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à Patre, plenum gratiæ, & veritatis.* Quod ait, Verbum caro factum eſt, hoc eſt, plenum gratiæ; Quod (ait) gloriam quaſi vnigeniti à Patre, hoc eſt, plenum veritatis. Veritas quippe ipſa vnigenitus eſt Dei Filius: non gratia, ſed natura. Gratia ſuſcepit hominẽ, tanta vnitate perſonæ, vt idem ipſe eſſet etiã Filius hominis, qui Dei Filius vnicus, vnigenitus. In ipſo vno Deo, & homine, plena gratia humanitatis, plenaque diuinitatis veritas agnoſcitur; hæc plenitudo diuinitatis in ſeipſa plenitudinem habet gratiæ, qua eſt tota humanitas in diuinitate ſua, & plenitudo gratiæ plenitudinem in ſe habet veritatis, qua eſt tota diuinitas in humanitate ſua. Ita vt plenitudo veritatis, plenitudinem in ſe habeat gratiæ, & plenitudo gratiæ plenitudinem in ſe habeat veritatis: vt ſicut à diuinitate plenitudo humanitatis ſuſcepta eſt, ita in humanitate eius plenitudo ſit diuinitatis, Apoſtolo teſtante, qui ait: *In quo habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter.* Ioan. 1. Coloſſ. 2.

Cap III.

Quomodo non ſit Chriſtus Filius Spiritus ſancti, dum in Symbolo dicitur, de Spiritu ſancto, & ex Maria Virgine natus.

ILlud verò mouere poterit, quomodo dictum ſit Chriſtum de Spiritu ſancto natum, & Maria Virgine, cum Filius nullo modo ſit Spiritus ſancti? An ideo dicitur de Spiritu ſancto natus, quia fecit eum de Virgine naſci? B Quia hoc opus mirabile totum dono Dei factum eſt, & donum Dei propriè Spiritus ſanctus dicitur. Neque enim quia mundum iſtum fecit Deus, dici eum fas eſt, Dei Filium; haut enim eum natum de Deo, ſed factum, vel creatum, vel conditum, vel inſtitutum ab illo, vel ſi quid huiuſmodi rectè poſſumus dicere. Nec igitur concedendum eſt, quicquid de aliqua re naſcatur continuo eiuſdem rei filium nuncupandum, vt de multis exemplis hoc proferam. C Certè qui naſcuntur ex aqua, & Spiritu ſancto, neque Filios eos rectè quiſquam dixerit aquæ, vel Spiritus ſancti. Sed plane dicuntur Filij Dei, Patris, & matris Eccleſiæ. Sic ergo de Spiritu ſancto natus eſt Filius Dei Patris, & non Spiritus ſancti. Si enim Filius Spiritus ſancti diceretur Chriſtus ſecundum humanitatem, duo Patres eſſent in ſancta Trinitate. Et Deus homo factus, duos habuiſſet patres; Vnum diuinitatis, alterum humanitatis: Sed quis hoc dicere audebit?

Cap. IV.

Quomodo intelligenda ſit miſſio Filij à Patre.

D QVærendum eſt quomodo intelligatur miſſio Filij? pater enim ſolus nuſquam legitur miſſus, de filio quidem ita ſcribit Apoſtolus: *Cum autem venit plenitudo temporis, miſit Deus Filium ſuum, factum ex muliere, factum ſub lege, vt eos qui ſub lege erant redimeret.* (Gal. 4.) E Cùm autem ait, Miſit Deus Filiũ ſuum factum ex muliere, ſatis oſtendit, eo ipſo miſſum Filium, quo factus eſt ex muliere. Quod ergo de Deo natus eſt: Dei Filius in hoc mundo erat; ſicut Euangeliſta ait: (Ioan. 1.) *In mundo erat, & mũdus per ipſum factus eſt;* quod autem de Maria Virgine natus eſt, in hunc mundum miſſus aduenit. Nam & ipſe Dominus ait: (Ioan. 1.) *Ego à Patre exiui, & veni in hunc mundum;* hoc eſt mitti. Quid igitur eſt, quod A de illo idem ipſe Euangeliſta dicit. In mundo erat, & mundus per eum factus eſt, & mundus eum non cognouit; deindè ſubiungit. In ſua propria venit. Illuc vtique miſſus eſt quo venit. At ſi in hunc mundum miſſus eſt, illuc eſt miſſus vbi erat. In mundo erat, & in mundum miſſus eſt. Quam miſſionem tamen opus eſſe ſanctæ Trinitatis nulli Catholico dubitandum eſt.

Cap. V.

Quomodo miſſio ſancti Spiritus ſit intelligenda?

SIcut enim à Patre Spiritus ſanctus mittitur, ita & à Filio, vtrumque enim in Euangelio legitur. Ipſo Domino dicente: *Dum autem venerit Spiritus paracletus, quem pater mittet in nomine meo.* Et illud de ſeipſo: *Cum autem venerit Spiritus paracletus, quem ego mittam in nomine patris mei;* ſed iſta miſſio per quaſdam viſibiles ad horam facta eſt creaturas. Facta eſt enim quædam creaturæ ſpecies ex tempore, in qua viſibiliter oſtenderetur Spiritus ſanctus, ſiue cum ſuper ipſum Dominum baptizatum corporali ſpecie columba deſcendit; vel etiam corporali ſpecie in linguis igneis viſus eſt ſuper Apoſtolos deſcendiſſe. Hæc operatio viſibiliter expreſſa, & oculis oblata mortalibus, miſſio ſancti Spiritus dicta eſt, non vt appareret eius ipſa ſubſtantia, qua & ipſe inuiſibilis, & incommutabilis eſt, ſicut Pater & Filius; ſed vt exterioribus viſis hominum corda commonerentur temporali manifeſtatione venientis, ad occultam æternitatem, ſemper præſentis, conuertere.

Cap. VI.

Cur ſolus Pater miſſus non legatur.

IDeo Pater miſſus non legitur; quia incarnatus non creditur. Congruenter dictus eſt miſſus ille, qui in carne apparuit. Forma igitur illa ſuſcepti hominis, Filij perſona eſt, non etiam patris. Quapropter Pater inuiſibilis vna cum Filio ſecum inuiſibili, eundem Filium viſibilem faciendo, miſiſſe eum dictus eſt. Ita vero accepta forma ſerui, vt maneret incommutabilis forma Dei. Quod vero in Filio apparuit carnalibus oculis, ab inuiſibili ſancta Trinitate factum eſt.

CAP. VII.

Quare Filius nunc æqualis, nunc minor Patre dicatur.

EX vna ſententia Apoſtoli, duæ in Filio Dei naturæ intelliguntur: Vna in qua eſt per omnia æqualis patri: Altera in qua minor eſt patre, vbi ait, *Qui cum eſſet in forma Dei, non rapinam arbitratus eſt eſſe æqualis Deo, ſed ſemetipſum exinaniuit formā ſerui ſuſcipiens.* (Phil. 2.) Proindè quædam ita dicuntur in ſcripturis ſanctis, vt minor Filius intelligatur, ſicut ipſe ait, *Pater maior me eſt.* (Ioan. 14.) quædam verò ita dicuntur vt æqualis patri oſtendatur, ſicut ibidem ipſe ait, *Ego & pater vnum ſumus*; *Vnum*, propter ſubſtantiæ vnitatem; *ſumus*, propter perſonarum proprietatem. Quod diligentiſſime † prudens lector conſiderare debet, quid pro qua dicatur forma: (†al. prudentiſſimè. Ioan. 10.) Cum tamen in forma ſerui, & in forma Dei, idem ipſe ſit Filius, vnus, vnigenitus Dei Patris; In forma Dei æqualis patri; in forma ſerui minor patre. Quapropter non immeritò ſcriptura vtrumque dicit, & æqualem Patri Filium, & patrem maiorē filio. Illud enim propter formam Dei: hoc autem propter formam ſerui, ſine vlla perſonæ diſcretione intelligitur. In forma Dei; *In principio erat Verbum*; (Ioan. 1.) In forma ſerui, *Verbum caro factum eſt*, id eſt, Deus homo factus eſt. In illa ex æterno æqualis; in iſta ex tempore minor. In forma qua æqualis eſt Patri, fecit hominem: in forma qua minor eſt patre, factus eſt homo. Proinde in Catholica fide ſine vlla dubitatione confirmatum eſt, hominem illum quem ſuſcepit ſapientia Dei ex virginali vtero, nihil minus habuiſſe quàm cæteri homines, quantum pertinet ad integritatem humanæ naturæ in qua homo creatus eſt, & nihil omnino ex eo quod deceptor homini inuexit. Quantum autem ad excellentiam perſonæ, longe aliud eſt, quàm cæteri homines, quia idem homo, vna perſona, cum Dei Verbo factus eſt.

CAP. VIII.

Quare nuſquam Spiritus ſanctus Patre minor legatur.

IDeo autem nuſquam ſcriptum eſt quod Deus Pater maior ſit Spiritu ſancto, vel Spiritus ſanctus minor Deo Patre, quia nō eſt ita à Spiritu ſancto columba, in qua apparuit aſſumpta; (Mat. 3. Actor. 2) vel ille ignis in quo deſ-

A cendit ſuper Apoſtolos in vnam perſonam diuinitatis ſuæ, ſicut aſſumpta eſt à Filio Dei ex Virgine Maria humanitas in vnam ſuę deitatis perſonam. Neque enim columbam beatificauit Spiritus, vel illum flatum, vel illum ignem, ſibique & perſonæ ſuæ in vnitatem habitumque coniunxit in æternum, ſed apparuerunt iſta ſicut opportune apparere debuerunt. Creatura ſeruiente creatori, & ad nutum eius qui incommutabiliter in ſeipſo permanet ad eum ſignificandum, & demonſtrandum, ſicut ſignificari & demonſtrari mortalibus oportebat,
B mutata atque conuerſa. Quamuis Spiritus ſanctus apparuiſſet in ſpecie columbæ, vel ignis, non poſſumus tamen dicere Spiritum ſanctum, Deum & columbam, aut Deum & ignem, ſicut dicimus Filium Deū & hominem. Propter has igitur corporales formas in quibus apparuit, Spiritus ſanctus miſſus dicitur. Non propter eas minor patre dici poteſt, ſicut Filius propter formam ſerui, quia illa forma ſerui inhæſit illi ad vnitatem perſonæ perpetualiter. Illæ verò
C ſpecies corporales, id eſt, columba & ignis, ad demonſtrandum quod opus fuit ad tempus, apparuerunt & eſſe poſtea deſtiterunt.

CAP. IX.

Quod aliter intelligendum ſit Verbum caro factum, atque aliter verbum Dei in quolibet Sanctorum.

MVltis modis dicit Dei-loquus Paulus, (Heb. 1.) Deum locutum eſſe patribus in Prophetis, nouiſſimis itaque diebus locutum
D nobis eſſe in Filio ſuo. Et vt certiſſime intelligeretur de quo Filio dixiſſet, mox ſubiunxit dicens: *Quem conſtituit hæredem vniuerſorum, per quem fecit & ſecula.* Per illum vero, per quem omnia creauit, id eſt, Chriſtum Dei Filium, locutus eſt nouiſſimis ſeculi temporibus, ſanctis ſuis, quamuis Deū locutum eſſe in Prophetis legatorum. Sicut dicitur principium loquendi Domino
E in Oſee: (Oſe. 1.) vel etiam, verbum Domini factum ad quemlibet Prophetam, ſicut legitur: *Verbum Domini factum eſt ad Iſaiam Prophetam.* (Iſai. 1.) Non igitur ita Chriſtus verbum Dei habuit in ſe, ſicut alij ſancti; Sed ipſe eſt verbum Dei. Aliud eſt enim verbum in carne, aliud eſt verbum caro factum. Aliud eſt Deus in homine, aliud eſt Deus homo. Ideò Dei Filius non ſolùm ſecundum veram diuinitatem quam habet de natura Dei Patris, ſed etiam ſecundum carnem, quam veram na-

turaliter habet de corpore beatæ genitricis, Deus verus, & creditur & prædicatur ab omnibus catholicis quoniam æterna diuinitas Filij cum plena humanitate ſua, & eadem plena humanitas Filij cum æterna diuinitate ſua, vna eſt in ſancta Trinitate perſona, & hæc non adoptiua, ſed propria & perfecta, & ipſe totus in diuinitate atque humanitate ſua vnigenitus & verus Dei Filius, idē cum Patre & Spiritu ſancto, vnus eſt Deus verus, non nuncupatiuus, ſicut Hiſpanica hæreſis impia temeritate affirmare præſumpſit, aſſerens Dei Filium in diuina natura Deum eſſe verum & in humana nuncupatiuum; ſimiliter & in diuina natura proprium Filium Dei, & in humana adoptiuum, diuidens vnam perſonam Filij Dei cum Neſtorio in duas perſonas, id eſt, veri Filij Dei, & adoptiui, cum certiſſimum conſtet in illam perſonam quam habuit æternaliter de patre genitus, Dei Filium humanam aſſumpſiſſe naturam, quam nemo Catholicus fide confirmatus adoptiuam eſſe auſus eſt dicere. Deus Dei Filius humanam aſſumpſit naturam, non perſonam, in æternam ſuſcipiens perſonam diuinitatis, temporalem humanitatis ſubſtantiam. Homo tráſiuit in Deum, non verſibilitate naturæ, ſed propter diuinæ vnitatem perſonæ. Ideo non ſunt duo Chriſti, nec duo Filij, ſed vnus Chriſtus, & vnus Filius, Deus homo.

Cap. X.

Quod nec Pater nec Spiritus ſanctus, ſed ſolus Filius incarnatus ſit.

QVanquam vna ſit natura ſanctæ Trinitatis, non tamen tota Trinitas incarnata eſt: ſed ſola Filij perſona humanam miſericorditer ſuſcepit naturam. Nec tamen ita Dei Filius incarnatus eſt, vt vna eſſet in eo natura diuinitatis, & carnis. Neque enim in Chriſto hoc deitas potuit eſſe quod caro, aut caro quod deitas: quia vtraque natura, id eſt, diuinitatis & humanitatis, in ſua permanſit proprietate. Propterea vtique humanam naturam, id eſt, carnem, rationabilemque animam non à tota Trinitate, ſed à ſolo Filio confitemur ſuſceptam; in vnitatem quippe perſonæ, non in vnitatem naturæ. Vtique perſona Filij non eſt eadem quæ Patris eſt, aut Spiritus ſancti. Vnitas ergo perſonæ manente duntaxat vtriuſque proprietate ſubſtantiæ. Sicut in Chriſto perſonam non fecit duplicem: ſic humanæ naturæ ſuſceptionem non fecit, ſanctæ Trinitati communem. Ad perſonam quippe Dei verbi tantummodo acceptio illa ſeruilis formæ pertinet: ſed nihil diuinæ plenitudinis abſtulit: nihil dominationis ademit in Chriſto humanitatis ſuſceptio. Hinc eſt quod in vno eodemque Chriſto & humanæ naturæ veritas claruit, & diuinæ naturæ incommutabilitas permanſit æterna. Hoc tamen ſciendum eſt, quod hanc ſeruilem formam, quam ſolus Dei Filius accepit, tota Trinitas fecit. Quã tamen certum eſt à tota ſancta Trinitate factam ad ſolam Filij Dei pertinere perſonam. Non enim Pater carnem aſſumpſit, neque Spiritus ſanctus, ſed Filius tantum, vt qui erat in diuinitate Dei Patris Filius, ipſe fieret in homine matris virginis filius, ne filij nomen in alteram tranſiret perſonam, qui non eſſet natiuitate Filius. Dei ergo Filius, hominis factus eſt Filius: natus ſecundum veritatem naturæ ex homine hominis Filius in vtraque natura, non appellatione tantum, vel adoptione, ſed veritate Dei Filius.

Cap. XI.

De eo, quod Verbum Dei ſuæ carnis conceptione conceptum ſit in Vtero Virginis.

SOlus itaque ſicut diximus Filius Dei accepit carnem, vt poſſit corporeis oculis videri, & corporeis manibus contrectari. Solus humanam naturam ſic accepit, vt ſuam faceret; & per illam, diuinitatis quoque ſuæ notitiam miſericorditer hominibus infunderet. Nec tamen vllatenus credi debet carnem Chriſti ſine diuinitate conceptam, in vtero virginis, priuſquam ſuſciperetur à verbo, ſed ipſum verbum Deum, ſuæ carnis acceptione, conceptum, ipſamque carnem verbi Dei incarnatione conceptam, eandemque carnem humanæ naturæ veram habere Dei Filium, qua de virgine Verbum Deus natus eſt. Non ergo ad beatam virginem locali motu Verbi diuinitas venit, ſed ineffabili potentiæ ſuę manifeſtatione, & vterum matris gignendus impleuit. Nec dimiſit patrem cum venit ad virginem, vbique totus, vbique perfectus: nec plenitudo diuinitatis partiri poteſt, ſed totus Filius in patre, totus filius in vtero virginis. Totus Filius ex vtero eiuſdem beatæ Virginis carnem aſſumens; in qua crucifixus eſt, & ſepultus, in qua reſurrexit & in cœlum aſcendit, & in dextera Dei ſedet. In qua etiam venturus eſt iudicare viuos & mortuos. Et in qua videbunt eum omnes

tribu-

Tribus terræ. Non in ea humilitate qua iudicatur: ſed in ea claritate qua iudicaturus eſt vniuerſum mundum.

Cap. XII.

De mediatore Dei & hominum, homine Ieſu Chriſto.

NVllus planè veram pacem cum Deo habere poterit, niſi per mediatorem Dominum Chriſtum, qui eſt in duabus naturis, verus Deus, veruſque homo, vnus Chriſtus, Idem ſacerdos, & ſacrificium, veniens ad nos, offerre pro nobis quod ſumpſit ex nobis, vt auferet à nobis quod inuenit in nobis, id eſt, peccata. Sicut enim diabolus mediator eſt ad mortem, qui ſuperbus ſuperbientem hominem perduxit ad mortem: ita Chriſtus mediator ad vitam, humilis, hominem obedientem reduxit ad vitam. Quia ſicut ille elatus cecidit, & deiecit conſentientem: ſic iſte humiliatus, ſurrexit & erexit credentem. Idcirco autem mediator, quia idem Deus, atque homo verus, habens cum Patre eandem diuinitatis naturam, & humanitatis eandem cum matre ſubſtantiam. Habens ex nobis vſque ad mortem iniquitatis noſtræ pœnam, habens incommutabilem de Deo Patre iuſtitiam. Propter noſtram iniquitatem temporaliter mortuus, propter iuſtitiam ſuam, & ipſe ſemper viuus, qui crucifixus eſt ex infirmitate noſtra, ſed viuit ex virtute ſua. (1.Cor.13.)

Cap. XIII.

De eo, quod in Chriſto ſit naturarum diſtantia non perſonæ, & in ſancta Trinitate perſonarum non naturæ.

NEque Dei Filius, Deus æternus ex patre, Deum deſeruit patrem, quamuis homo factus eſſet ex matre: Sed idem, qui gerebat, quæ hominis ſunt in terris, idem ipſe gerebat in cœlis, quæ Dei ſunt. Sicut ipſe ait in Euangelio. *Nemo aſcendit in cœlum, niſi qui deſcendit de cœlo, Filius hominis, qui eſt in cœlo.* (Ioan.3.) Hæc loquebatur in terra filius hominis, ſed idem ipſe filius hominis erat in cœlo. Quamuis in vnius corpuſculi videretur latuiſſe anguſtia: tamen omnium creaturarum regebat latitudinem. Nec alius eſt per quem omnia creata ſunt, qui creatus eſt homo idem ipſe creator, & creatura. Creator in diuinitate, creatura in humanitate. Non alius, ſed aliud, quia non vna natura in eo, ſed vna eſt omnimodis perſona. Non ita in ſancta Trinitate dicendum eſt vel intelligendum. Non enim fas eſt dicere de Patre & Filio, & Spiritu ſancto, aliud, quia vna horum eſt natura: ſed alius, quia perſonarum diſtantia eſt in eis. In Chriſto itaque non eſt perſonarum diſtantia, ſed naturarum. Ideo alius non debet dici, ſed aliud de eo. Quocirca omnimodis vnus eſt atque idem mortalis, & immortalis, paſsibilis, & impaſsibilis. Ideo Dominũ gloriæ dixit Apoſtolus crucifixũ, (1.Cor.2.) quamuis ſola humanitas paſsionibus ſubiaceret. Crucifixus eſt ergo Dei Filius, ſed ſecundũ carnem. Sicut in alio loco idem ait Apoſtolus. *Nos autem prædicamus Chriſtum crucifixum, Iudæis quidem ſcandalum, gentibus autem ſtultitiam.* (1.Cor.1.) Ipſis autem vocatis Iudæis & Græcis Chriſtum Dei veritatem, & Dei ſapientiam.

Cap. XIV.

De Maria Virgine, & incarnatione Verbi Dei.

BEatus Euangeliſta vt proprietatem vnius perſonæ in Chriſto oſtenderet, ait: *Verbum caro factum eſt.* (Ioan.1.) Verbum quod erat apud Deum antequam mundus eſſet, per quod mundus factus eſt. Verbum quod non amiſit æternitatem ſuam, quamuis in tempore ex virginali vtero carnem aſſumendo homo fieri voluiſſet. Quod verbum per omnipotentiam ſuam voluit hunc hominem, quem aſſumpſit, hoc fieri ex tẽpore, quod ipſe ſemper fuit ſine tempore, id eſt, proprius Filius Dei, vt non poſsint dici duo Filij Dei, alius ante tempora genitus, & alius natus ex tempore, ſed vnus Dei Filius proprius & perfectus Dominus noſter Ieſus Chriſtus. Quem beata Virgo Maria, ſalua integritate ſui corporis, Deum edidit & hominem, quæ fuit lana mundiſsima, & virginitate clariſsima, & incomparabilis vniuerſis, quæ erant ſub cœlo virginibus, eratque talis ac tanta vt ſola digna fieret diuinitatem in ſe recipere Filij Dei. Sicut enim conchilij ſanguinem lana ſuſcipit vt purpura ex eadem lana, imperiali maieſtati tantummodo digna fiat, qua nullus alius induitur, niſi auguſta præditus dignitate: ita Spiritus ſanctus ſuperueniens in beatã virginem, virtus Altiſsimi obumbrauit eam, vt lana fieret diuinitate purpurata ſolummodo æterno Imperatori indui digniſsima. Et ſic facta eſt beatiſsima virgo Maria Θεοτόκος, ſicut & Χριστοτόκος.

Nam & ante eam, fuerunt aliæ in populo Χριστοτόκοι, id eſt, Chriſtorum genitrices, non tamen virgines, nec Spiritu ſancto, & virtute altiſſimi obumbratæ, vt dignè Deum generare inuenirentur. Hæc autem & Χριστοτόκος, & ſola Θεοτόκος, & ſola virgo ex Spiritu ſancto & virtute altiſſimi concipiens, ac ſic glorificata vt Deum Dei Filium coæternũ & cõſubſtantialem patri generaret. Virgo ante partum, virgo in partu, virgo poſt patum: dignum enim erat vt Deo naſcente, meritum creſceret caſtitatis, ne per eius aduentum violarentur integra, qui venerat ſanare corrupta. Nec regnator cœli virginalis vteri dedignatus eſt anguſtias intrare; qui omnium creaturarum implet latitudinem, cui Angelorum militia nato decantare venerat: *Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.*

Cap. XV.

Quid cuique naturæ in Chriſto conueniat.

Firmiſſimè credere debemus, ſub vnius perſonæ proprietate, duarum eſſe in Chriſto naturarum inſignia. Non vt diuiſionem faciamus vnius Chriſti, ſed vt in vno Dei Filio, & vno Chriſto, duas diſtinguamus ſubſtantias. Vnam, quæ initium habuit ex virginali vtero, alteram quæ ſine initio coæterna eſt Deo Patri. Vnam, quæ
Luc. 2. ætate proficiebat & ſapientia, alteram, quæ æterna eſt Dei virtus & Dei ſapientia; vt de plurimis pauca dicamus. Vnam, quæ dormiebat in naue & excitata eſt à diſcipulis; alteram quæ imperabat ventis & fluctibus.
Ioan. 1. Vnã, qua plorat amicum mortuum, alteram, qua voce ſola vocat eum de ſepulchro & reſuſcitat ad vitam. Vnam, qua triſtatur
Mat. 26. vſque ad mortem, aliam qua liberat Sanctos à triſtitia, & dat eis gaudium vitæ per-
Act. 1. petuæ. Vnam, qua videntibus Apoſtolis aſcendit in cœlos, & ſedet ad dexteram Patris, alteram qua de ſinu patris numquam abſceſſit, ſed ſemper cum patre & in patre fuit, & eſſe non deſinit. Salua igitur proprietate vtriuſque naturæ, & in vnam coëunte perſonam, ſuſcepta eſt à maieſtate humilitas, & à virtute infirmitas, ab æternitate mortalitas, & ad perficiendum opus ſalutis humanæ, natura incommutabilis naturæ eſt vnita paſſibili, vt mediator Dei, & hominum homo Chriſtus Ieſus, & mori poſſit ex vno, & mori non poſſit ex altero. Propter vnius perſonæ identitatem, communis Deo & homini dicitur, vel gloria vel contumelia: proinde ſic in vno Chriſto communia naturæ vtriuſque inueniuntur officia, vt cum non diuidatur in virtutibus atque in infirmitatibus Chriſtus: tamen in opere aliquid vtrique naturæ non ſit commune. Quicquid tamen geſtum eſt in Chriſto, vnus hoc gerebat Chriſtus, non duo Chriſti. In operibus proprietas diſcernitur naturarum. In poteſtate vnitas perſonæ intelligitur.

Cap. XVI.

Quod diuinitas hominem quem aſſumpſit, numquam dimiſit.

In nulla ſiquidem proprietate operum, quæ naturas diſtinguit in Chriſto, diuinitas deſeruit humanitatem: nec in ipſa etiam paſſione. Quod vt facilius intelligi poſſit, exemplis fides roboranda eſt. Verbi gratia ſi ſecuris ictu arborem verberaueris, & ſplendorem in ea ſimul percuſſeris ſolis, arbori quidem vulnus infligis, ſolem vero, cuius & ſplendorem ſimul percutis, & calorem, impaſſibilem derelinquis. Quod ſi arborem ictu ſecuris percuſſam, ſol non deſerit, quanto magis ſanctum ſuum Dei Filius quod eſt Verbum, in paſſione non deſeruit. Quamuis ipſa diuinitas impaſſibilis ſemper in ſua permaneat natura. Sicut Moyſi duce populi Dei vidente, rubus flammam habuit, ſic vere paſſa eſt humanitas Chriſti. Et ſicut vere non incenſus eſt, ſic vere non paſſa eſt diuinitas. Non tamen alicubi diuinitas humanitatem, ex quo in vnitatem ſuæ perſonæ aſſumpta eſt, deſeruit: Verum etiam de eodem matris vtero, idem Deus, homo factus exiuit, & in cruce idem Deus homo factus pependit. Et in ſepulchro idem Deus homo factus iacuit, ſed in ſepulchro ſecundum ſolam carnem idem Deus homo iacuit; & in infernum ſecundum ſolam animam deſcendit. Quicquid enim in Chriſto factum eſſe legitur, ab vno Chriſto, & ab vno Dei Filio geſtum eſſe, nullus Catholicus dubitare debet. Hæc vero omnia perſonaliter totus Chriſtus dignatus eſt agere. Ipſe quippe ſuas paſſiones inuenitur operatus, qui nihil habuit quod pateretur inuitus. Ipſe etiam & opus, & auctor operis. Iam verò, cum Chriſtus vno, eodemq; tempore & in ſepulchro iacuit, & in infernum deſcendit, quis nõ inſeparabile naturæ vtriuſque opus videat? & quis in ipſo vno atque inſeparabili opere, propria carnis, & animæ, ac diuinitatis non

euidenter agnoſcat? Vt enim ſecundum carnem in ſepulchro iaceret, totus Chriſtus fecit, ſed ſepulturæ capax ſola caro naturaliter fuit. In infernum quoque vt ſecundum animam Chriſtus deſcenderet, naturæ vtriuſque, id eſt, diuinæ atque humanæ vnum fuit opus; ſed ſolius animæ naturalis fuit ille deſcenſus; ſicut eodem tempore, totus in cœlo, & in terra, non ceſſabat Chriſtus operari: at ſolius diuinitatis fuit, & loco non contineri, & quæ ad gubernationem vniuerſitatis pertinebant, cum patre naturaliter, & æqualiter operari. Inde eſt quod in omnibus illis operibus paſsionis, & mortis, auctoritas Apoſtolica, quod totus in ſe operatus eſt Chriſtus ſic vni perſonæ operantis aſsignat, vt quid cuius naturæ ſit, indubitanter oſtendat. Nam & beatus Paulus de vno eodemque Chriſto dicit: *Et ſi crucifixus eſt ex infirmitate, ſed viuit ex virtute Dei.* Et beatus Petrus, propheticum ſic protulit de Pſalmis eloquium, vt Chriſti animam quã in infernum nouerat deſcendiſſe, ipſam diceret in inferno non derelictam: qua de inferis ad carnem die tertio reuertente, idem Deus ſecundum carnem, qua in ſepulchro iacuit, de ſepulchro ſurrexit. Et quadrageſimo poſt reſurrectionem die idem Deus, homo factus, in cœlum aſcendens in dextera Dei ſedet, inde in fine ſeculi, ad iudicandum viuos, mortuoſque venturus.

2. Cor. 13. Act. 2. Pſal. 15.

Cap. XVII.

De Baptiſmo Chriſti, & quod omnia quæ gerebantur in Chriſto noſtræ ſalutis cauſa geſta ſunt.

Dicit Euangeliſta Chriſtum beato reſpondiſſe Baptiſtæ, dum ad eius venit baptiſmum: *Sine modo, ſic enim decet nos omnem implere iuſtitiam*, quid aliud, quod ait omnem iuſtitiam implere, niſi quod in ſeipſo totius vitæ noſtræ ordinem oſtendere voluit, vt ipſe alio demonſtrat in loco dicens: Qui ſequitur me non ambulat in tenebris, ſed habebit lumen vitæ? Baptizatus eſt ergo Chriſtus, non vt eius vlla dilueretur iniquitas, qui omnino nullam habuit; ſed vt eius magna commendaretur humilitas; ita quippe in eo, baptiſma quod ablueret, ſicut mors, nihil quod puniret, inuenit: qui ſolus itaque ſic naſci potuit, vt ei non opus eſſet renaſci: non enim renaſcebantur qui baptizabantur baptiſmate Ioannis, à quo, & ipſe baptizatus eſt. Quapropter baptiſma Chriſti non fuit in aqua tantum ſicut Ioannis, ſed in Spiritu ſancto, in remiſſionem peccatorum, ipſo alibi dicente, Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei; vt de Spiritu ſancto regenerati, qui in Chriſtum credunt, habeant omnium remiſſionem peccatorum; de quo Spiritus Chriſtus generatus, regeneratione non eguit, qui Spiritus ſanctus, eo baptizato, in ſpecie columbæ deſcendiſſe ſuper eum viſus eſt. Nec credendum eſt tunc dona eum ſancti Spiritus primò ſuſcepiſſe, qui à prima conceptione Spiritu ſancto plenus ſemper extitit: ſed vt ſanctæ, & indiuiduæ Trinitatis in baptiſmate demonſtraretur myſterium, Filius Dei baptizatur in homine. Spiritus Dei deſcendit in columba. Pater Deus, adeſt in voce, ſine cuius inuocatione, id eſt, ſanctæ Trinitatis, nullum baptiſma prodeſſe poterit. Ideo Dei Filius primus ipſe, ſuo in baptiſmate totam perſonaliter oſtendere voluit adeſſe Trinitatem, qui ſacramentorum ſuorum diſpenſatoribus erat præcepturus, docere omnes gentes, & baptizare eas in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Quicquid igitur geſtum eſt in cruce Chriſti, in ſepultura, in reſurrectione tertia die, in aſcenſione in cœlum, & ſede ad dexteram Dei Patris, ita geſtum eſt, vt his rebus non myſticè tantum dictis, ſed etiam geſtis, configuraretur vita Chriſtiana quæ hîc geritur. Nam propter eius crucem dictum eſt: *Qui autem Chriſti Ieſu ſunt, carnem ſuam crucifixerunt cum paſsionibus, & concupiſcentiis.* Propter ſepulturam: *Conſepulti enim eſtis Chriſto per baptiſma in mortem.* Propter reſurrectionem, *Vt quemadmodum Chriſtus ſurrexit a mortuis in gloriam patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus.* Propter aſcenſionem in cœlum, ſedemque ad dexteram patris: *Si autem conſurrexiſtis cum Chriſto, quæ ſurſum ſunt quærite, vbi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens: quæ ſurſum ſunt ſapite, non quæ ſuper terram: mortui enim eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo.*

Math. 3. Ioan. 8. Ioan. 3. Gal. 5. Rom. 6. Coloſſ. 3.

Cap. XVIII.

Quod Deus Pater quædam opera facit per Filium ſibi coæternum in forma Dei, quædam per eundem Filium in forma ſerui, Filium hominis.

Ipſe enim Dominus de poteſtate quam habet ex æterno cũ patre, & de poteſtate

quam accepit ex tempore in forma ſerui ſic ait; *Sicut enim Pater habet vitam in ſemetipſo, ſic dedit & Filio vitam habere in ſemetipſo, & poteſtatem dedit ei iudicium facere, quia Filius hominis eſt.* Genuit itaque Deus Pater Filium vitam & poteſtatem in ſemetipſo habentem. Dedit enim poteſtatem eodem Filio iudicium facere, qui in forma ſerui factus eſt homo. Deus Pater per duas in Chriſto operatur naturas, per vnam quæ ei communis eſt cum Deo Patre, ex eo quo Deus eſt, per alteram, qua ex virgine Maria homo factus eſt. Per has duas naturas in vno Filio Dei Deus Pater, duas facit reſurrectiones humani generis, id eſt, animarum, & corporum. Habent enim & animæ mortem ſuam in impietate atque peccatis, ſecundum quam mortem mortui ſunt: de quibus idem Dominus ait: *Sine mortuos ſepelire mortuos ſuos:* vt ſcilicet in anima mortui, in corpore mortuos ſepelirent. Mors eſt videlicet animæ quando Deus deſerit eam ob peccatorum magnitudinem. Corporis mors eſt quando ab anima deſeritur. Ab his duobus mortis generibus reſuſcitatos duas dicimus reſurrectiones habere. Nunc autem animarum in eccleſia per Filium Dei, verbum Dei, fit reſurrectio, quando per gratiam Dei viuificatæ reſurgent à morte iniquitatis. Et hæc eſt prima reſurrectio, quam habent: in ſecunda, quæ eſt corporum, feliciter reſurgent in vitam æternam. Filius vero hominis accepit poteſtatem iudicium facere, quod iudicium in fine erit ſeculi, & ibi non erit reſurrectio animarum, ſed corporum. Ideo ipſe Dominus has duas deſignat, in eodem loco reſurrectiones animarum, vbi ait, *Amen, amen dico vobis quia venit hora, & nunc eſt quando mortui audient vocem Filij Dei.* Corporum verò: *Veniet hora in qua omnes, qui in monumentis ſunt, audient vocem eius.* Hora autem nunc eſt vt reſurgant mortui, hora erit in fine ſeculi vt reſurgant mortui; ſed reſurgunt nunc in mente, tunc in carne: reſurgunt nunc in mente per verbum Dei Filium Dei, reſurgent tunc in carne per verbum Dei, carnem factum, filium hominis Animas ergo nunc ſuſcitat Deus per verbum, Filium Dei, vt viuant in Chriſto: corpora ſuſcitat Deus in fine ſeculi, per eundem Filium hominis vt æternaliter viuant cum Chriſto. Neque enim ad iudicium viuorum & mortuorum Pater ipſe venturus eſt: nec tamen recedit à Filio Pater; quomodo ergo non ipſe venturus eſt? quia non ipſe indutus eſt forma ſerui, nec videbitur in iudicio. Videbunt namque impij in quem compunxerunt. Forma illa erit iudex, quæ ſtetit ſub iudice: illa iudicabit, quæ iudicata eſt. Iudicata eſt enim iniquè, iudicabit iuſtè: talis apparebit iudex qualis videri poſſit & ab eis quos damnaturus eſt. Forma ergo ſerui videbitur; occulta erit forma Dei, quæ iuſtis videre ſolummodo promittitur ad æternum beatitudinis præmium.

Luc. 9. — Ioan. 5. — Ibidem. — Zach. 2.

Cap. XIX.

De nouiſſimis ſeculi temporibus.

QVædam videlicet ſigna, quæ ipſe Dominus in Euangelio ante finem mundi futura eſſe prædixit, tranſacta leguntur; quædam vero imminentia quotidie ſentiuntur; Quædam itaque nec dum acta ſunt, ſed futura eſſe certiſſimè creduntur, id eſt, fides Iſraelitici populi, de qua Apoſtolus ait: *Cùm intrauerit plenitudo gentiũ, tunc omnis Iſrael ſaluus fiet*, & regnum Antichriſti & crudelitas eius in ſanctos: hæc enim erit nouiſſima perſecutio nouiſſimo imminente iudicio, quam ſancta Eccleſia toto terrarum orbe patietur, vniuerſa ſcilicet ciuitas Chriſti, ab vniuerſa diaboli ciuitate. Quanta erit vtraque ſuper terram, cuius perſecutionis auctorem eſſe eundem Antichriſtum non dubium eſt, quem Apoſtolus filium nominauit perditionis atque refugam, vtique à Domino Deo; qui extolletur ſupra omne quod dicitur Deus, aut coletur ita, vt in templo Dei ſedeat, oſtendens ſe tanquam ſit Deus. Eccleſia equidem ſancta, dicitur Deus. Colitur itaque rectè tantummodo ſancta Trinitas Deus: cuius honorem impiiſsimus ille refuga ſibi vendicare præſumet. Alios adulationibus, alios terroribus, alios ſignis illicitans, vt ſe colant pro Deo, cuius perſecutionem trium ſemis annorum ſpacio, excandeſcere ſuper terram in Apocalypſin prædictum eſt; Sed ne tam immanis, & crudelis perſecutio improuiſa veniens, omnes minus paratos inuoluat, Heliam & Enoch maximos Prophetas venturos eſſe Eccleſiæ habet fides: per quorum doctrinam, populus Iſraeliticus conuertetur ad fidem. Qui, cum ipſi primo tres ſemis annos prædicauerint, in ipſa eadem perſecutione cum aliis fidelibus Chriſti, glorioſo coronabuntur martyrio: percuſſo autem illo perditionis filio, & impiiſsimo totius iniquitatis magiſtro, ab ipſo Domino ſicut Apoſtolus ait: *Quem Dominus Ieſus interficiet ſpiritu oris ſui, & deſtruet*

Rom. 11. — 2 Theſſ. 2. Epheſ. 5. — Apoc. 11. & 13.

1. Theſſ. 1. *illuſtratione aduentus ſui.* Non continuo dies A iudicij ſecuturus eſſe credendus eſt, vt adimpleatur quod ipſe Dominus in Euangelio ait: *De die autem illo & hora nemo nouit, neque angeli, neque filius, niſi Pater ſolus*: quomodo hæc Domini verba intelligenda ſint, loco opportuno ſuperius expoſuimus. Mat. 24.

Cap. XX.

De reſurrectione corporum in nouiſſimo die.

IPſe Dominus noſter Ieſus Chriſtus in reſurrectione carnis ſuæ, quam die tertio ſuſcitauit de ſepulchro, nobis noſtræ carnis veram oſtendit reſurrectionem, quam B videlicet abſque omni dubitatione firmiſſime credere debemus; vt in ea carne, qua hic quiſque viuebat, in hac præſenti vita, in eadem reſurgere debeat. Nec alicui incredibile debet eſſe potentiam diuinam, corpora noſtra de cuiuſcunque conditionis corruptione reſuſcitare poſſe. Abſit hoc a fide noſtra dubitare, vt reſuſcitanda corpora vitæque reddenda, non poſſint C omnipotentia creatoris omnia reuocari, quæ vel beſtia, vel ignis abſumpſit, vel in puluerem cineremque collapſa, vel in humorem reſoluta, vel in auras ſunt exalata. Abſit vt ſinus vllus ſecretus, qui naturæ ita recipiat aliquid ſub tractum ſenſibus noſtris, vt omnium Creatoris (Phil. 3. c.) aut cognitionem lateat, aut effugiat poteſtatem. Reſurgent equidem ſanctorum corpora ad gloriam, ſine vllo vitio, ſine vlla deformitate; in quibus tanta felicitas erit quanta & felicitas. Quamuis enim aliquid deformitatis habeant corpora D eorum in hac præſenti vita; vel maius vel minus habentia, quàm humanæ naturæ deceat pulchritudini: nihil tale habebunt in illa perpetuæ felicitatis perfectione: in ea ſcilicet menſura & dignitate, qua vel futura erant, ſi ante perfectæ ætatis decorem moriuntur, ſiue etiam habuerunt ante vergentis ad infirmitatem ætatis annos, membrorum omnium pulchritudine E congruo decore ſeruata, ita vt nihil incongruum habebunt in vlla corporis parte, quia ſpiritale erit corpus non carnale. Quãuis caro ſit non Spiritus, non tamen carnalibus ſubiacet vitiis, de quibus Apoſtolus ait, (1. Cor. 15.) *Quia caro & ſanguis regnum Dei non poſſidebunt.* Procul erit ab eis omnis infirmitas, omnis deformitas, omnis tarditas, omnis corruptio, omnis egeſtas, omnis indigentia, & ſi quid aliud ſummi regis non decet regnum, in quo reſurrectionis & promiſſionis filij æquales erunt Angelis Dei. Matt. 22. c. Ergo quicquid de corporibus viuis, vel poſt mortem de cadaueribus periit, humanoſque effugit viſus, ſimul cum eo quod in ſepulchris remanſit, in ſpiritalis corporis nouitatem, ex animalis corporis vetuſtate mutatum, reſurget incorruptione atque immortalitate veſtitum. Reſurgent & impij vnuſquiſque cum ſua carne, vt cum diabolo & Angelis eius puniantur. Vtrum ſane ipſi cum vitiis, & deformitatibus eorum corporum reſurgant, quæcunque in eis vitioſa & deformia membra geſtauerunt, inquirendo laborare quid opus eſt? Neque enim fatigare nos debet incerta eorum habitudo, vel pulchritudo, quorum erit certa & ſempiterna damnatio. Hoc certiſſimè ſciendum eſt, quia nemo niſi per indebitam miſericordiam Dei liberabitur: & nemo niſi per debitum iudicium damnabitur. Tunc ſancti ſcient plenius, quid boni eis contulerit gratia: vel quid eſſent conſecuti ſi diuina eos gratuito munere non elegiſſet miſericordia, & quàm verum ſit quod in Pſalmo canitur: *Miſericordiam & iudicium cantabo tibi Domine.* Pſalm. 100.

Cap. XXI.

De iuſtorum præmio, & pœna peccatorum.

DE igne diei Iudicij Apoſtolus ait: *Vnuſcuiuſque opus quale ſit, ignis declarabit.* 1. Cor. 3. De igne purgatorio hoc eum dixiſſe non eſt dubitandum, quem ignem aliter impij ſentient, aliter ſancti, aliter iuſti. Impij ſi quidem de illius ignis cruciatu ad perpetuas ignium flammas detrudentur. Sancti vero, qui ſine omni peccatorum macula in corporibus ſuis reſurgent, qui ſupra fundamentum quod eſt Chriſtus aurum, argentum & lapides pretioſos ædificauerunt, tanta facilitate illum peruolent ignem, quanta integritate fidei, & dilectionis Chriſti in hac vita cuſtodierunt præcepta, eritque illis ille ignis diei iudicij, ſicut tribus pueris caminus Babyloniæ fornacis fuerat, qui abſque omni flammarum læſione in Domini laudes omnium pulchritudinem creaturarum conuocabunt. Sunt ergo quidam iuſti minutis quibuſdam peccatis obnoxij, quia ædificauerunt ſupra fundamentum quod eſt Chriſtus, fœnum, ligna, ſtipulas quæ illius ignis ardore purgantur, à quibus mũdati, æternæ

fœlicitatis digni efficientur gloria. Illoque transitorio igne, & toto extremi diei iudicio completo, diuidentur duæ congregationes ſanctorum & impiorum; vna Chriſti, altera diaboli, vna bonorum, altera malorum: vtraque Angelorum & hominum. Iſtis voluntas, illis facultas non poterit vlla eſſe peccandi, nec vlla conditio moriendi, iſtis in æterna vita verè feliciterque viuentibus, illis infeliciter in æternis tormentis ſine moriendi poteſtate durantibus. Quoniam vtique extremi iudicij ventilabrum diſcernit frumentum à paleis, vnuſquiſque ſecundum modum meritorum aut damnabitur, aut coronabitur. Quidam videlicet iuxta peccatorum qualitatem mitius torquentur, qui minore ſcelerum pondere grauantur. Sunt etiam & ſanctorum merita diuerſa; quorum quiſque ſecundum meritorum magnitudinem æternæ recipiet præmia beatitudinis. Quod ipſe Dominus in Euangelio ſignificabat dicens: *In domo Patris mei manſiones multæ ſunt*, ſed nemo in illis alicuius lætitiæ, vel beatitudinis ſentiet detrimentum, quia vnicuique ſufficiet quod accipiet, quia Chriſtus erit omnia in omnibus.

Ioan. 4. Coloſſ. 3.

Cap. XXII.

De æterna beatitudine Sanctorum.

Quid verò acturi ſint ſancti in illa requie ſummæ beatitudinis, Pſalmiſta expoſuit dicens: *Beati qui habitant in domo tua Domine, in ſeculum ſeculi laudabunt te.* Et expreſſius ipſe Dominus in Euangelio demonſtrauit: *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.* Hæc abſque omni perturbatione beata Dei pax, quæ exuperat omnem ſenſum, in qua videbitur Deus Deorum in Sion, id eſt, in ſpeculo perpetuæ quietis. Omnia quippe membra & viſcera incorruptibilis corporis, quæ nunc videmus per vſus neceſſitatis diſtributa habere miniſteria, proficient laudibus Dei, quia nulla erit illis tunc neceſſitas laborandi, nulla cuiuſlibet indigentiæ moleſtia, ſed plena certaque ſecuritas & ſempiterna felicitas & indeficiens lætitia. Quam ineffabilis erit felicitas illa vbi nullum erit malum, vbi nullum deerit bonum! vacabitur Dei laudibus qui erit omne bonum in omnibus. Vnus amor omnibus, vna concordia cunctis, verus honor, qui nulli negabitur digno, nulli deferetur indigno. Nec ad eum perueniet vllus indignus, vbi nullus permittitur eſſe niſi dignus, vbi pax, vbi nihil aduerſum à ſeipſo quiſque nec ab aliquo patietur, præmium virtutis erit ipſe qui virtutem dedit. Et qui ſeipſum, quo melius & maius nihil poſſit eſſe, promiſit, qui erit beata ſacietas omnibus; quod Propheta Spiritu inſpiratus ſancto præuidit optando inquiens: *Satiabor dum manifeſtabitur gloria tua.* Tunc erit ipſe Deus ſanctorum ſacietas, beatorum iucunditas, & omnia quæcunque ab eis honeſtè deſiderari poſſunt, & vita, & ſalus, & virtus, & copia, & gloria, & honor, & pax æterna, beatitudo, & beata æternitas. Ipſe erit perfectio deſideriorum noſtrorum, qui ſine fine videbitur, ſine faſtidio amabitur, ſine fatigatione laudabitur. Tunc tantum erit vera immortalitas, vbi nullus mori poteſt, prima conditio hominis fuit, poſſe non mori, reſtat in illa felicitate illud tertium, non poſſe mori. Tunc plene erit liberum arbitrium, quod primo homini fuit ſic datum poſſe non peccare: ſed illud beatius erit, quando tale erit, non poſſe peccare. Tunc ſabbatiſmus æternæ quietis dies omnibus ſanctis erit; ibi videbitur qui amabitur, & qui amabitur laudabitur. Nunc ergo qui nobis huius ſermonis initium & cauſa fuit, ſit etiam perfectio, & finis, pro cuius amore legentes flagitamus pro nobis apud eius intercedere miſericordiam, vt cum eis, eo miſerante, mereamur ad illud peruenire regnum, cuius nullus eſt finis. Amen.

Pſal. 83. Matth. 5. Pſal. 16.

INVOCATIO AD SS. TRINITATEM, & fidei Symbolum eiuſdem.

Adeſto lumen verum, Pater omnipotens Deus.
Adeſto lumē de lumine, Verbū & Filius Dei Deus omnipotens.
Adeſto ſancte Spiritus, Patris & Filij concordia, Deus omnipotens.
Adeſto Deus vnus omnipotens, Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus.
Doce fidē, excita ſpem, infunde charitatē.
Velle mihi adiacet, ſed hoc non à me, ſed à te.
Mundum, & terras linquere, & cœlum petere.
Sed imbecilla pluma eſt, velle ſine ſubſidio tuo.
Da fidei pennas, vt volem ſurſum ad te.
Hanc fidem in te, per te, de te confiteor.
Te vnum in ſubſtantia, Trinitatem in perſonis confiteor.
Te ſemper idem eſſe, viuere, & intelligere

confiteor.

Et tres vnum, & vnum tres confiteor.

Pater & Filius & Spiritus ſanctus. O beata Trinitas.

Deus Dominus paracletus, O beata Trinitas.

Charitas, gratia, communicatio, O beata Trinitas.

Charitas Deus eſt, gratia Chriſtus, communicatio Spiritus ſanctus, O beata Trinitas.

Genitor, genitus, regenerans, O beata Trinitas.

Verum lumen, verum lumen ex lumine, vera illuminatio, O beata Trinitas.

Inuiſibilis inuiſibiliter, viſibilis inuiſibiliter, inuiſibilis viſibiliter, O beata Trinitas.

Fons, flumen, irrigatio, O beata Trinitas.

Ab vno omnia, per vnum omnia, in vno omnia, O beata Trinitas.

A quo, per quem, in quo omnia, O beata Trinitas.

Viuens vita, vita à viuente, viuificator viuentium, O beata Trinitas.

Vnus à ſe, vnus ab vno, vnus ab ambobus, O beata Trinitas.

ὢν à ſe, ὢν ab altero, ὢν ab vtroque, O beata Trinitas.

Omne autem ὢν ſemper in tribus, & omne ὢν æqualiter in ſingulis, O beata Trinitas.

Verax Pater, veritas Filius, veritas Spiritus, O beata Trinitas.

Vna igitur Pater, λόγος, Paracletuſque ſubſtantia eſt, O beata Trinitas.

Vna eſſentia, vna virtus, vna bonitas, O beata Trinitas.

Deus beatitudo, in quo, & à quo, & per quem beata ſunt quæcunque beata ſunt omnia, O Beata Trinitas.

Deus vera & ſumma vita, in quo, & à quo, & per quem viuunt quæcunque verè, ſummeque viuunt omnia, O beata Trinitas.

Deus bonum & pulchrum in quo, & à quo, & per quem bona & pulchra ſunt, quæcunque bona & pulchra ſunt omnia, O beata Trinitas.

Deus cui nos fides excitat, ſpes erigit, charitas iungit, O beata Trinitas.

Deus qui petere iubes, & inuenire facis, & pulſantibus aperis, O beata Trinitas.

Deus ſupra quem nihil, extra quem nihil, ſine quo nihil. O beata Trinitas.

Deus ſub quo totum, in quo totum, cum quo totum, O beata Trinitas.

Te inuocamus, te adoramus, te laudamus, O beata Trinitas.

A Exaudi, exaudi, exaudi, O beata Trinitas.

Spes noſtra, ſalus noſtra, honor noſter, O beata Trinitas.

Auge in nobis fidem, auge ſpem, auge charitatem, O beata Trinitas.

Libera nos, ſalua nos, iuſtifica nos, O beata Trinitas.

Miſerere Domine, quia miſericordia tua liberauit nos, O beata Trinitas.

Miſerere Domine, quia miſericordia tua credimus in te, O beata Trinitas.

Miſerere Domine, quia miſericordia tua B cognouimus te, O beata Trinitas.

Miſerere Domine, quia miſericordia tua ſperamus in te, O beata Trinitas.

Miſerere Domine, quia miſericordia tua amamus te, O beata Trinitas.

Te adoramus cuncti vnum Deum Patrem, & Filium, ſanctumque Spiritum, O beata Trinitas.

Da peccatis veniam, præſta æternam vitam, dona pacem, & gloriam, O beata Trinitas.

O beata, & benedicta, & glorioſa Trinitas, C Pater & Filius, & Spiritus ſanctus.

O beata, benedicta, glorioſa vnitas, Pater, Filius, Spiritus ſanctus.

O vera, ſumma, ſempiterna Trinitas, Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus.

O vera, ſumma, ſempiterna Vnitas, Pater, Filius, Spiritus ſanctus.

Miſerere nobis, miſerere nobis, miſerere nobis, O beata Trinitas.

Tibi laus, tibi gloria, tibi gratiarum actio in ſecula ſempiterna, O beata Trinitas.

CRedimus ſanctiſſimam Trinitatem, id D eſt, Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum, vnum Deum omnipotentem, vnius ſubſtantiæ, vnius eſſentiæ, vnius poteſtatis, creatorem omnium creaturarũ. A quo omnia, per quem omnia, in quo omnia. Patrem à ſeipſo, non ab alio: Filium à Patre genitum. Deum verum, de Deo vero, lumen verum de lumine vero: non tamen duo lumina; ſed vnum lumen. Spiritum ſanctum à Patre & Filio æqualiter procedentem; conſubſtantialem, coæternum E Patri, & Filio. Pater plenus Deus in ſe, Filius plenus Deus à Patre genitus; Spiritus ſanctus plenus Deus à Patre & Filio procedens. Non tamen tres deos dicimus, ſed vnum Deum omnipotentem, æternum, inuiſibilem, incommutabilem, qui totus vbique eſt, totus vbique præſens: non per partes diuiſus, ſed totus in omnibus non localiter, ſed potentialiter. Qui ſine commutatione ſui, mutabilia creauit, &

A gubernat ſemper manens quod eſt. Cui nihil accidens eſſe poterit, quia ſimplici diuinitatis naturæ nil addi, vel minui poteſt, quia ſemper eſt quod eſt, cui proprium eſt, cui ſemp ternum eſt, cui idem eſt, eſſe, viuere, & intelligere. Et hæc tria vnus Deus, & vnus Deus hæc tria; Idem Deus & Dominus vera & ſempiterna Trinitas in perſonis, vera & ſempiterna vnitas in ſubſtantia, quia vna eſt ſubſtantia Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus. Hæc verò ſancta Trinitas, nil maius eſt in tribus perſonis ſimul nominatis: quam in vna qualibet perſona ſemel dicta, quia vnaquæque perſona plena eſt ſubſtantia in ſe. B Non tamen tres ſubſtantiæ, ſed vnus Deus, vna ſubſtantia, vna potentia, vna eſſentia, vna æternitas, vna magnitudo, vna bonitas Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus. Nec aliud eſt Pater in natura, quàm filius, vel Spiritus ſanctus. Nec aliud Filius, & Spiritus ſanctus, quàm Pater in natura, quibus eſt vna natura. Sed alius eſt Pater in perſona, alius Filius in perſona, alius Spiritus ſanctus in perſona. In patre æternitas, in Filio æqualitas; C in Spiritu ſancto æternitatis æqualitatiſque connexio. Vnum omnes in ſubſtantia, & eſſentia, omnipotentia, & deitate. Sicut enim eadem ſancta Trinitas inſeparabilis eſt in ſubſtantia, ita inſeparabilis eſt in operibus, quamuis quædã opera Dei quibuſdam perſonis ſpecialiter conueniant. Sicut patri vox illa, quæ de cœlo ſonuit ſuper Chriſtum baptizatum, & ad Filij perſonam, humanitatis tantummodo pertinet ſuſceptio; & Spiritus ſancti perſonæ propriè congruit illa columba, in cuius ſpecie idem Spiritus ſanctus deſcendit ſuper eundem Filium Dei ſecundum hominem baptizatum. Tamen abſque omni dubitatione illam vocem, & illam columbam, & Chriſti humanitatem tota ſancta Trinitas operata eſt, cuius opera inſeparabilia ſunt. Credimus eundẽ Filiũ Dei, verbum Dei æternaliter natum de Patre, conſubſtantialem Patri per omnia, temporaliter natum de Spiritu ſancto & Maria ſemper Virgine, duas habentem natiuitates, vnam ex patre æternam, alteram ex matre temporalem, qui etiam Filius Dei ſuæ carnis conceptione conceptus eſt, & ſuæ carnis natiuitate natus eſt. Deum vero confitemur conceptum; & Deum verum natum, eundem verum Deum & verum hominem. Vnum Chriſtum, vnum Filium Dei vnigenitum, proprium, & perfectum in duabus naturis, in vnius perſonæ ſingularitate. Impaſſibilem & paſſibilem, mortalem atque immortalem, crucifixum in infirmitate noſtra, eumdemque ſemper viuentem in virtute ſua. Qui mortuus eſt carnis ſuæ morte, & ſepultus, atque ab inferis, damnato & ſpoliato principe totius iniquitatis, rediens, tertia die reſurrexit, atque cum triumpho gloriæ videntibus diſcipulis cœlum aſcendit, ſedens in dextera Patris, id eſt, maieſtate diuinitatis. Inde iam venturus iudicare viuos, & mortuos, quem impij videbunt iudicantem in ea forma qua crucifixus eſt. Non in ea humilitate, qua iniuſtè iudicatus eſt: ſed in ea claritate, qua iuſtè iudicaturus eſt mundum. Cuius viſio æterna erit omnium ſanctorum beatitudo & gloria. Gratia, & pax à Deo Patre & Filio eius Ieſu Chriſto Domino noſtro ſic iſta confitenti in omnia ſecula ſeculorum.

MAGISTRI ALBINI FLACCI ALCHVVINI, DE TRINITATE AD FREDEGISVM QVÆSTIONES XXVIII.

DESIDERATISSIMO FILIO FREDEGISO ALBINVS SALVTEM.

PLacuit prudentiæ veſtræ, fili chariſſime, aliquas proponere mihi ad ſoluendas de ſanctiſſima Trinitate Quæſtiones, quibus fortaſſis veſtræ aures ſapientiæ inquietari putamus. Nec vllatenus eruditionem veſtram, & in Catholica fide puritatem minus aliquid in talibus intellexiſſe reor, dum maximè diuina operante gratia ab ineunte virilis robore ſenſus tecum hoc egi vt robuſtus prædicator & inſuperabilis do-

ctor in fide ſanctiſsimæ Trinitatis eſſe videreris. Cui non deeſſe, iuxta Apoſtolicam prophetiam, contradictores olim prioribus & nunc noſtris probatum habemus temporibus: ſed ſatis benignè ſuſcipio, quicunque eſt, de huiuſmodi rebus interrogantis deuotionem, at magis laudo hanc prædicantis inſtantiam, quia parum prodeſt diſcendi deuotio, ſine docendi ſtudio, iuxta ſententiam Salomonis: Theſaurus inuiſus & ſapientia abſcondita, quæ vtilitas in vtriſque? Quocirca tota debet eſſe cura bene intelligenti in docendo, ne fruſtra laboret in diſcendo: quia ſicut in Propheta legitur: Qui multos erudiunt, ſicut firmamentum in perpetua fulgebunt claritate.

INTER. I. QVomodo Deus verè ſit Vnitas, & vere Trinitas? RESP. Vnitas in ſubſtantia, Trinitas in perſonis.

A

INTER. II. Quid ſit propriũ vnius cuiuſque perſonæ in ſancta Trinitate? RESP. Proprium eſt Patris, quod ſolus eſt Pater; & quod ab alio non eſt niſi à ſe. Proprium eſt Filij, quod à Patre genitus eſt, ſolus à ſolo coæternus, & conſubſtantialis genitori. Proprium eſt Spiritus ſancti quod non ingenitus, nec genitus eſt, ſed à Patre, & Filio æqualiter procedens.

INTER. III. Quare Spiritus ſanctus non debet ingenitus vel genitus dici? RESP. Quia ſi ingenitus diceretur ſicut Pater, duo Patres: ſi genitus duo filij æſtimari poſſint in ſancta Trinitate.

B

INTER. IIII. Vtrum ſolus Pater, aut ſolus Filius, aut ſolus Spiritus ſanctus per ſe plenus Deus & perfectus dici debeat? RESP. Vtique, Pater per ſe eſt plenus Deus, ſimiliter & Filius plenus Deus ſi ſolus nominetur, & Spiritus ſanctus plenus Deus creditur.

INTER. V. Si vnaquæq. perſona per ſe plenus Deus dici poteſt, quare non tres deos dicimus Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum? RESP. Quia vna ſubſtantia eſt Pater & Filius, & Spiritus ſanctus, non tres ſubſtantiæ. Proinde vnitas ſubſtantiæ tres deos prohibet dicere vel credere.

C

INTER. VI. Dũ tres perſonas dicimus Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum, quare non tres deos, nec tres omnipotentes, nec tres magnos, nec tres bonos dicere fas eſt? RESP. Quia Deus & omnipotens, & magnus, & bonus, & æternus, ſubſtantialia nomina ſunt, & ad ſe dicuntur. Ideò nõ licet ea plurali numero dicere, ſed ſingulari, & omne nomen quod ſubſtãtiam Dei, vel eſſentiam ſignificat, ſemper ſingulari numero proferendum eſt. Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, relatiua ſunt nomina, & ideo tres perſonæ rectè dicuntur.

D

INTER. VII. Quomodo relatiua? RESP. Secundum dialecticam relatiua nomina ſunt quæ ad aliud aliquid referuntur, ſicut dominus ad ſeruum, & ſeruus ad dominum; Pater ad Filium, & Filius ad Patrem. Prorſus cum dico Pater, Filium ſignifico, quia non eſt Pater, niſi Filius ſit, cui ſit Pater: Item non eſt Filius, niſi ſit Pater, cui ſit Filius.

INTER. VIII. Vtrum Spiritus ſanctus relatiuè vel ſubſtantialiter dicatur. RESP. Vtique relatiuè, quia ſpiritus alicuius ſpiritus eſt, ſed non ſicut Pater, & Filius, relationis regula tenetur in eo.

INTER. IX. Quare æqualem non habet relationis regulam Spiritus ſanctus, ſicut Pater, & Filius? RESP. Quia circumferri poteſt Patris, & Filij nomen ad inuicem, vt ſi dicamus, Pater Filij Pater, & Filius Patris Filius; non ita duplex relationis circumuerſio in nomine Sancti ſpiritus inueniri poteſt.

INTER. X. Qua neceſſitate accidit vt ita non circumferri poſſit Spiritus ſancti relatio? RESP. Rectè dicere poſſum, Spiritũ ſanctum Patris & Filij Spiritum, ſed conuerſo ordine non poſſumus dicere Patrem Spiritus ſancti, ſicut dicimus Patrem Filij, ne duo Filij in ſancta Trinitate æſtimarentur. Item non poſſumus dicere Filium Spiritus ſancti, ſicut dicimus Filium Patris, ne duo Patres in ſancta Trinitate intelligantur. Dicimus itaque Spiritum ſanctum Patris & Filij, ſine reciprocatione conuerſionis nominum relatiuorum.

INTER. XI. Vtrum inſeparabilia ſint opera ſanctæ Trinitatis? RESP. Vtique quicquid Deus operatur, totum ſancta Trinitas inſeparabiliter hæc eadem operatur opera; quia vna eſt ſanctæ Trinitatis operatio, ſicut vna eſt ſubſtantia, eſſentia, & voluntas.

INTER. XII. Vtrum ſancta Trinitas in perſonis ſeparabilis vel inſeparabilis dicenda ſit, dum alius eſt Pater, alius Filius, alius Spiritus ſanctus? RESP. Verè alius eſt Pater, quàm Filius in perſona, ſicut Filius alius eſt in perſona, quàm Pater, & Spiritus ſanctus alius eſt in perſona quàm Pater & Filius. Non tamen aliud ille, vel ille, in

natura, vel in deitate, aut in eſſentia. Nec enim patrem potes dicere, niſi Filium intelligas; nec Filium dicere niſi Patrem intelligas; nec Spiritum ſanctum niſi intelligas, cuius Spiritus ſit. Quocirca omnimodo inſeparabilis eſt ſancta Trinitas ſicut in operibus, ſic etiam in perſonis dicenda.

A

INTER. XIII. An ad ſolam Patris perſonam pertineat vbi dicitur: *Qui facit mirabilia magna ſolus*; Et Apoſtolus, *Qui ſolus habet immortalitatem*? RESP. Nullatenus ad ſolam Patris perſonam pertinet dum dicitur, ſolus Deus ſiue in nouo ſiue in veteri Teſtamento, & quod Deus ſolus, ſiue hoc ſiue illud habeat, vel faciat. Sed ad totam ſanctam Trinitatē, quæ eſt vnus Deus omnipotens, omnia faciens, quæ ſunt in cœlo & in terra.

Pſalm. 71.
1. Tim. 6.

B

INTER. XIIII. Quomodo B. Ioan. Euangeliſta dicit, Deum nemo vidit vnquam, & ipſe Dominus in alio ait loco, Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt, & Apoſtolus inuiſibilem Deum dicit? RESP. Videri enim poteſt Deus, id eſt, intelligi, ſecundum ſuæ donum gratiæ, ſiue ab angelis, ſiue ab animabus ſanctorum: plenam verò diuinitatis naturam, nec angelus quiſlibet, nec ſanctorum aliquis perfectè intelligere poterit. Ideò incomprehenſibilis dicitur Deus.

Ioan. 1.
Matth. 5.
1. Tim. 1.

C

INTER. XV. Cum ſanctis ſummum promittitur præmium æterna Dei viſio, æqualiter-ne videbunt vel intelligent? RESP. Nullatenus æqualiter omnes, vel angeli vel animæ ſanctorum Deum, nec nunc vident, vel poſt reſurrectionem videbunt, ſed ſecundum donatoris diſpenſationem, & meritorū qualitatem. Vnuſquiſque tamen ſufficientem in eius viſione ſuis meritis habebit beatitudinem. Nec plus quæret quàm habet, nec ſe minus habere quàm volet, dolebit.

D

INTER. XVI. An aliquid diſtet in Deo eſſe, viuere, intelligere, poſſe? RESP. Nullatenus aliud eſt in Deo eſſe, aliud viuere, vel aliud intelligere, vel aliud poſſe; quia Deus eo ipſo, quo eſt, viuit. Et eo quo viuit, intelligit; & eo quo intelligit, poteſt; & eo quod poteſt, eſt; quia ſimplex deitatis natura vnum habet, eſt, viuit, intelligit, & omnia poteſt. Non ita in nobis dum aliud eſt in noſtra natura viuere, aliud intelligere, aliud poſſe. In Deo verò hæc omnia vnum, atque idem ſunt.

E

INTER. XVII. Vtrum de Dei Filio ſicut dicitur lumē de lumine, Deus de Deo, poteſt dici, omnipotens de omnipotente, bonus de bono, magnus de magno, & cætera talia? RESP. Regulariter vtique tenere debemus quod omnia naturæ nomina, quæ æqualiter de Filio dici poſſunt, ſicut de Patre omnia poſſunt dici, ſic de illo. Ideò ſicut dicitur Deus de Deo; Lumen de lumine. Ita dicendum eſt omnipotens de omnipotente, bonus de bono, magnus de magno, ſed non ita in relatiuis.

INTER. XVIII. Sed quomodo in relatiuis nominibus dicendū eſt? RESP. Non poſſumus dicere verbum de verbo, quia relatiuum nomen eſt verbum, quod ſolus eſt Filius; ſicut dicimus, Deum de Deo, quod non eſt ſolus Filius. Nec imaginem de imagine, quia ſolus eſt Filius imago: ſicut dicimus, Lumen de lumine, quod non eſt ſolus Filius, quia ſubſtantiale nomen eſt lumen.

INTER. XIX. Nunquid aliud lumen Pater & aliud Filius? RESP. Nequaquam aliud, ſed vnum lumen eſt Pater & Filius, ſicut vna ſubſtantia. Ideò rectè dicitur lumen de lumine, ſicut Deus de Deo. Sicut vnus Deus eſt pater, & Filius; ita vnum lumen eſt.

INTER. XX. Legimus Apoſtolum dicentem: Chriſtum Dei eſſe virtutem, & Dei ſapientiam; hic intelligimus in Dei nomine, Patrem, & in Chriſti nomine, Filium, ſicut ſemper. Nunquid Pater non habet in ſe ſapientiam vel virtutem niſi in Filio quem Apoſtolus ſapientiam Dei & virtutem Dei nominauit? RESP. Plurimi ita Arrianam deſtruūt impietatem, dicentes impium eſſe, credere vnquam Deum Patrem eſſe ſine ſua ſapientia, aut ſine ſua virtute. Sed melius eſt intelligere Patrem eſſe ſapientiam, & virtutem, ſicut Filium ſapientiam, & virtutem; non tamen tres virtutes, nec tres ſapientias, quia ſapientia ſubſtantiale nomen eſt, ſicut virtus. Nec aliud eſt in Deo eſſe, aliud ſapere, aliud poſſe, ſed vnum eſt Deo eſſe, ſapere, poſſe.

INTER. XXI. Vtrum ad ſolam Sancti Spiritus perſonam pertineat, dum Apoſtolus dicit: *Deus charitas eſt*, qui dilectio Patris & Filij eſſe legitur? RESP. Nullatenus ita Spiritus ſanctus charitas intelligitur, quaſi non ſit Pater, & Filius charitas. Sicut Spiritus ſanctus eſt charitas, ita & Pater eſt charitas, non tamen tres charitates, ſed vna charitas. Sed quia Spiritus ſanctus donū Dei propriè dicitur: & nullū Dei donū charitate maius eſt: immo ſine eo nullum donum ad perpetuā hominem deducere poterit beatitudinem: proinde Spiritus ſanctus propriè dicitur charitas. 1. Ioan. 4.

INTER. XXII. Nunquid impij dona A Dei habent? RESP. Habent per eum, qui Actor. 17. illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, in quo ſumus, mouemur, & viuimus; bona ſunt enim dona Dei, eis qui bene vtuntur illis. Ideo charitas ſingulare eſt in ſanctis donum, in qua filij Dei diſcernuntur à filiis impietatis.

INTER. XXIII. Quare ſi Deus totus vbique eſt, in cœlo dicitur magis habitare quàm in terra? RESP. Quia maior cognitio eſt in ſanctis angelis, animabuſque ſanctorum, diuinitatis, cum ſint apud B Deum, in cœlis, quàm in terris. Sicut enim in hoc mortali corpore quidam magis intelligunt diuinam ſubſtantiam, quidam minus, ita & in cœlo magis dicitur Deus eſſe, quàm in terra, quia plenius eiuſdem ſubſtantia intelligitur ab habitatoribus cœli quàm terræ incolis.

INTER. XXIV. Si vna ſubſtantia eſt Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, quare ſolus Filius incarnatus dicitur? RESP. Quia alia eſt perſona Filij, alia Patris, alia Spiritus Sancti. Et ſola ſiquidem perſo- C na Filij incarnata eſt: operante tamen eandem incarnationem tota ſancta Trinitate, cuius opera ſunt inſeparabilia.

INTER. XXV. Dum in Symbolo catholico cantari ſolet Dei Filium de Spiritu ſancto, & Maria Virgine incarnatum; quare non dicitur Filius Spiritus ſancti, ſicut dicitur beatæ Virginis? RESP. Non ſic de illo, ſicut & de illa natus eſt Filius Dei. De illa ſiquidem, id eſt, ſancta Virgine, natus eſt Filius Dei, ſicut de matre; non de illo, id eſt, Spiritu ſancto; ſicut de Patre; ne duo Patres dicerentur in ſancta Trinitate.

INTER. XXVI. Si vna natura eſt Patris, & Filij, & Filius incarnatus plenus eſt Deus, & perfectus, quomodo non Pater incarnatus eſt? RESP. Filius plenus eſt Deus, & perfectus; qui ſolus incarnatus eſt, & homo factus eſt. Nam ignis vna eſt ſubſtantia, ſed aliud in igne facit calor, aliud lux: lux illuminat, calor calefacit. Vna tamen ignis natura vtrumque facit, & calorem & lucem.

INTER. XXVII. Vtrum diuinitas cum carne concepta ſit nata, paſſa, & cætera quæ humanitatis propria eſſe noſcuntur? RESP. Vtique diuinitas ſuæ carnis conceptione concepta eſt, & natiuitate nata, ſenſitque participatione humani affectus mortem quam ſponte ſuſceperat; non naturæ ſuæ potentiam perdens, per quam cuncta viuificat. Ipſe auctor, & opus auctoris. Idem auctor, quia ſi ſponte natus eſt, ſponte paſſus eſt. Idem opus, quia vtrumque vnus licet non alio cogente, ſolus tamen ipſe perpetitur, ſalua diuinitatis impaſſibilitate.

INTER. XXVIII. Ex qua natura dixit, *Poteſtatem habeo ponendi animam meam?* Ioan. 10. RESP. Omnium quæ in Chriſto geſta ſunt operum auctoritas ex diuinitate eſt: tamen carni conuenit dicere; Poteſtatem habeo ponendi animam meam, non diuinitati. Diuinitas non dimiſit animam, poſtquàm aſſumpſit eam in vtero Virginis. Caro dimiſit, dum emiſit in cruce ſpiritum Chriſtus.

MAGISTRI ALBINI FLACCI ALCHVVINI, EPISTOLA.

Quid ſit inter æternum, & ſempiternum; & immortale, & perpetuum; & ſæculum, & æuum, & tempus.

Domino DAVID *Rectori optimo, Victori maximo, Flaccus Albinus optatus.*

DE quorumdam nominum proprietate, reuertens à vobis Candidus noſter, quæſtiones nobis propoſuit; de quibus, vt ex tempore diligentiùs perſcrutaretur, interim tacere diſpoſui. Sed ille veſtræ A voluntatis nimius exactor, & importunus inquiſitor, moras me facere non ſinebat. Quapropter paucas earumdem nominum rationes, repentino & inocculto notaui ſermone; veſtrû de his quæ dicta ſunt, ſicut & de meis omnibus dictis vel ſcri-

ptis ſpectans iudicium. Nam obediens deuotio laudanda eſt, ſi auctoritate iubentis probatur. Hæc ergo eſt interrogatio quæ nobis ab eodem oblata eſt, ſcilicet; Quid ſit diſcriminis inter *Æternum* & *Sempiternum*; *Perpetuum* & *Immortale*; *Seculũ*, *Æuum*, & *Tempus*. Primum enim ſciendũ eſt, quòd idem ſignificare videtur *Æternum*, & *Sempiternum*; & ſimplex eſſe nomen *Æternum*; *Sempiternum* verò cõpoſitum ex aduerbio *Semper*, & nomine *Æternum*. Ideo, omne æternum poteſt dici & ſempiternum; & conuerſo ordine, omne ſempiternũ, etiam æternum. *Perpetuum* verò videtur eſſe, ex eo quod eſt *perpes*; & ſignificare quod nullo dirimitur interuallo, ſed ſemper eodem modo perſtat quo eſt. Inter *Æternum* autem, & *Immortale*, hoc diſtare videtur, quod omne æternum, immortale; non tamen omne immortale, æternum rectè dicitur. Inter *Æuum* & *Seculum* ita diſcerni poteſt; quòd *Æuum*, quiddam æternum poteſt intelligi; *Seculum* verò temporale aliquid. Sed modo videamus horum diſtantiam nominum. Immortalis enim illa dicitur natura, quæ mori nõ poteſt, non tamen ſemper immutabilis; id eſt quæ mutari non poſſit: ſicut anima humana, quæ immortalis creata eſt, ſed immutabilis proculdubio non eſt, quia de peiore in melius, vel de meliori in peius, & de peiore in peius, vel de meliore in melius mutari poteſt;
Pſalm. 83. ſicut dictum eſt: *Ibunt ſancti de virtute in virtutem*. Solus Deus verè immortalis & immutabilis, quia ſolus verè & propriè æternus, & quod ſemper eſt; de quo Apo-
1. Tim. 6. ſtolus: *Qui ſolus habet immortalitatem*: immortalẽ poſuit pro immutabili; quia quod mutabile eſt, quodammodo moritur eo quod eſt, dũ aliud aliquid incipit eſſe quod non erat. Sed abuſiuè ſæpè *Æternum* legitur dictum, quod tempori vel mutabilitati obnoxium eſt, nec ſemper eiuſdem modi eſt; & ideò *Æternũ* non rectè dicitur. quod enim mutatur, non manet; idque, vt ſuprà diximus, inter *Immortale* & *Æternum* eſt diſcriminis: Omne æternum, immortale eſt; & non omne immortale, ſatis ſubtiliter, etiam æternum dicitur: quia etſi aliquid ſemper viuat, tamen mutabilitatem patitur, non propriè æternum appellatur; quia nõ ſemper pro huiuſmodi eſt, quamuis immortale, quia ſemper viuit, rectè dici poſſit. Vocatur tamen æternum, interdum etiam quod immortale eſt: æternum enim cùm propriè dicitur, neque quicquã præteritum habet, nec futurum; ſed quicquid eſt ſemper eſt, quod ſolus eſt Deus; & ideò ſolus Deus æternus eſt, ſecundũ proprietatem æternitatis. Quæ verò de æterno diximus, hoc idẽ licet intelligi de ſempiterno. Sed quid eſt quod Apoſtolus dicit, *Ante tempora æterna*? ſi enim *tempora*, quomodo *æterna*; cùm tempora non ſunt niſi in creaturis? niſi fortè *ante omnia tempora* intelligi voluit. *Æterna* autem maluit dicere, quàm *omnia*; fortaſsè, ideò quia tempus non cœpit ex tempore: æterna enim tempora æuum ſignificant. Inter *Æuum* autem & *Tempus* hoc diſtat, quod illud ſtabile eſt, tempus autem mutabile. *Seculum* verò dicuntur primò creatæ rerum ſpecies, & in diuerſas temporum mutabilitates diſtinctæ; videturque *Seculum* & *Tempora* ſimul cœpiſſe. Sed multis locis, *Seculum* etiam in ſancta Scriptura legitur pro
Sempiterno; vt dicitur, *Quoniam in ſeculum* Pſalm. 117. & 117.
miſericordia eius: in ſeculum, ſcilicet, *in perpetuum*, dicit quoniam miſericordia ipſius æterna & indeficiens eſt. *Seculum*, eſt etiam Mundi ordo decurrens, qui ad futura tendens præterita deſerit; & ideò, *Secula* dicta
eſſe putatur, quia in ſe iugiter reſoluũtur* tempora. *ſ. reuoluuntur.* Sed differentia eſt, dum dicitur, *à ſeculo*; & dum dicitur, *in ſeculum ſeculi*. Adã namque à ſeculo fuit; id eſt, in principio ſeculi: cæteri verò Patres Noe, Abraham in ſeculo, ſed non à ſeculo fuerunt: ſicut omnes humani generis ſeries in ſeculo fuerunt, vel ſunt, vel futuræ ſunt: *in ſeculum* vero *ſeculi*, futurum eſt ſeculum quod poſt hoc erit ſeculum, quod & *in ſecula ſeculorum* dicitur. Nam quibuſdam in locis, *in ſeculum ſeculi*, æternitatem Domini abſolutè ſignificat; quoniam ille & etiam ante ſeculum, & in ſeculo, & poſt iſtud ſeculum miſericors eſſe monſtratur. Et ideo di-
citur de eo, *Miſericordia autem Domini à ſe-* Pſalm. 10
culo & vſque in ſeculum ſuper timentes eum: Item, *in ſeculum ſeculi*, propter duo Teſtamenta ſæpè legitur poſitum; quia hoc nouum Teſtamentum prioris ſeculi ſeculum eſt; ſicut & futurum iſtius præſentis erit. Inuenitur quoque *Seculum*, pro cuiuſlibet temporis fine poni. Nam in Lege Domini
dicitur, *Sit tibi ſeruus in ſeculum*, id eſt, vſ- Exod.
que in Iubileum annum. Sed ſciendum eſt, quod *Æternum* tribus modis in ſancta Scriptura legi ſolet. Primò, quod verè & propriè æternum dicitur, omni immutabilitate carens, ſicut ſolus Deus eſt. Alter verò modus eſt, cùm ea res æterna dicitur, quæ ipſa quidẽ per ſe æterna non eſt, ſed quod ſignificat æternum eſt; veluti eſt hoc quod
Abrahæ dicitur, *Dabo tibi & ſemini tuo ter-* Geneſ.
ram hãc in poſſeſſionem æternam; cùm nec ipſa terra,

A terra, nec eius habitatores æterni eſſe potuiſſent: ſed terra viuentium, quæ per hãc terram ſignificatur, æterna eſt; & habitatores illius æterni, de quibus dicitur; Matth. 5. *Beati mites, quoniam ipſi poſsidebunt terram.* Tertius modus eſt, quando ea res æterna appellatur, cui finis non conſtituitur; aut ita ſit, vt deinceps non ſit facienda, quantum ad curam, vel & poteſtatem facientis; aut dicentis pertinet, eo genere locutionis quo quidam Poëta dicit;

Seruiet æternum, qui paruo neſciet vti.

Non enim poteſt ęternũ ſeruire, cuius ipſa B vita æterna eſſe nõ poteſt. Sed magis quædam differentia eſt inter eſſentiã omnipotentis Dei, & voluentia humanæ vitæ tempora. Legimus enim tria tẽpora eſſe; id eſt, præteritũ, præſens, & futurũ; ſed ita vt pene nihil nobis pręſens ſit, ſed omnia præterita vel futura. Verbi enim cùm dixi priorẽ ſyllabã, poſterior futura fuit; & dum poſteriorem dico pręteriit prior: C Deo verò nihil præteritum & futurũ, ſed omnia præſentia ſunt, qui ſeruo ſuo Moyſi ait: Exod. 3. *Ego ſum qui ſum*: Et, *Dices filiis Iſrael, Qui eſt miſit me ad vos.* Sed ſi ſubtilius quærere incipias, etiam ipſę duæ ſyllabæ, dum dixi, *Deus æternus*, æternæ non ſunt: ſed illud quod iſtæ ſyllabæ ſignificant, omnimodè æternũ eſt. Verba enim quibus loquimur, nihil aliud ſunt niſi ſigna rerum earũ, quas mẽte concipimus, quib. ad cognitionẽ aliorũ venire volumus: quæ verba numquã rectè proferuntur, niſi veritatem ſignificent. Veritas enim omni homini naturalis eſt in tantũ, vt nullus vnquã pro veritate falſum audire velit, eo modo vt ipſe verum putet quod falſum eſt; niſi ipſe nimium varius ſit, & ab omni veritate auerſus. Sed quia ad finẽ cartulæ properat ſeries, videtur ratũ aliquid de ipſo fine dicere. Eſt enim locus, vbi, *finis*, quod ſine fine eſt ſignificat; vt in Euan. *Cùm dilexiſſet eos qui erant in mundo, in finẽ dilexit eos*, id eſt, in æternum dilexit eos. Ioan. 13. Eſt etiã vbi perfectionẽ ſignificat, vt, *Finis enim Legis eſt Chriſtus*, id eſt, perfectio Legis. Rom. 10. Et quoq. vbi ipſum ſignificat Chriſtũ, vt in quibuſdã Pſalmorũ titulis, *In finẽ David*, id eſt in Chriſtũ. Pſalm. 51. & al. ſæpius. Aliquãdo etiam finis ſignificat finẽ cuiuſlibet rei vel temporis; vt in Daniele, *In fine autem dierum illorũ*. Daniel. 12. Nec mihi multitudo verborũ & cartulæ lõgitudo obiicienda eſt; quia longitudo tẽporis, vel magis illud quod tẽpus non habet, plurima poſcit verba, quib. demonſtretur quod vix demõſtrari poſſit. Sed calamus in fõte caritatis tinctus, dulce habet cũ eo loqui, cui omnia bona dulcia ſũt; cui Deus æternã cõcedere dignetur dulcedinẽ.

MAGISTRI

ALBINI FLACCI ALCHVVINI,

AD EVLALIAM VIRGINEM, DE ANIMÆ RATIONE LIBER.

CHARISSIMAE IN CHRISTI CHARITATE *ſorori Eulaliæ virgini Albinus in Domino Salutem.*

SAnctæ ſollicitudini veſtræ & D laudibili in Deo ſtudio, placuit deprecari de ratione Animæ aliquid noſtram ſcribere deuotione; propter quaſdã inquiſitiones, vt ais, anno trãſacto inter vos vẽtilatas. Quod libenter feciſſẽ, ſi me tanto flagrari ingenio noſſem, vt tã arduas rationes dignè exponere poſſe confiderẽ. Sed ex parte indignũ eſſe videtur dicere meipsũ me neſcire. Quid ſum ego niſi anima & caro? Caro quid ſit omnibꝰ notũ eſt, qui ſe ſciũt homines eſſe: E animæ vero rationẽ vix paucorũ eſt; pleniter noſſe. Nec aliquid magis homini in hac mortalitate viuẽti neceſſariũ eſt noſſe, quã Deũ, & animã. Quantum enim quiſq. Deũ agnoſcit, in tantũ diligit, qui minùs agnoſcit, minus diligit: ergò naturale eſt omni homini Deum amare. Si naturale eſt omni homini bonũ amare; naturale eſt etiã Deũ amare, quia Deus ſummũ bonũ eſt; ſine quo bono, nil boni quiſquã habere poterit. Ille eſt indeficiẽs bonũ; plena pulchritudo, totius felicitatis abundãtia. Amor verò huius boni, non niſi in anima eſſe poterit, & hoc animæ excellens bonũ eſt; illud amare bonũ, in quo ſolo, & à quo, & per quẽ quicquid boni eſt, in vlla creatura bonũ eſt. Et hęc ſola anima nobilis eſt ſi illũ amat, à quo eſt, quod eſt, qui illã talem creauit, vt in ſe, ſuiipſius imaginẽ, & ſimilitudinem haberet impreſſam; & digna Dei eſſet habitatione, ſecundum modum, quem quælibet creatura in ſe creatorem habere poſſit, ſic ordinata, vt id quod ſibi excellentius eſt, id eſt, Deus, tota amaret intentione: & id quod ſibi inferius eſt, id eſt carnem, toto regeret ſtudio. Proinde igitur quia melior pars eſt hominis anima, decet eam dominam eſſe, & quaſi de ſede regalis

culminis imperare, quid, per quę, vel quando vel vbi, vel quomodo faciat membra & conſiderare diligenter quid cuique membro imperet faciendum. Quid cuique conſentiat in deſiderio ſuæ naturæ, & hæc omnia rationabili mentis intuitu oportet eam diſcernere, ne quid indecens fiat in officio ſuæ carnis alicubi.

Triplex eſt enim animæ vt Philoſophi volunt natura: eſt in ea quædam pars concupiſcibilis, alia rationalis, tertia iraſcibilis. Duas enim habent harũ partes nobiſcum beſtiæ, & animalia communes, id eſt concupiſcentiã, & irã. Homo ſolus inter mortales ratione viget, conſilio valet, intelligẽtia antecellit. Sed his duobus, id eſt, concupiſcentiæ & iræ, ratio, quæ mentis propria eſt, imperare debet. Cuius excellentiores virtutes, quatuor eſſe manifeſtũ eſt, id eſt, prudentia, qua agẽda vel non agenda diſcernit: & iuſtitia, qua Deus colitur, & amatur, & rectè viuitur inter conſocias animas; temperantia quæ concupiſcentiã, vel iram gubernat, ne definitos honeſtatis terminos tranſgrediantur: fortitudo qua aduerſa huius vitæ quæcunque contingant, conſtanti animo tolleret.

Et hæc quatuor ſi charitate perfecta in anima fiunt, efficiunt eam Deo proximam. Quia nihil eſt optimum hominis, cui hærere beatiſſimum ſit, niſi Deus, cui hærere certè non valemus, niſi dilectione. Proinde hæ quatuor virtutes vno charitatis diademate ornantur. Quæ eſt vera ſapientia niſi Deum intelligere amandum? quæ eſt iuſtitia niſi eum colere à quo eſt, & quicquid habet boni, ab eo habet? quid temperãtia, niſi integrum ſe præbeat in perfectione vitæ ei quem amat? quid fortitudo, niſi pro amore Dei fortiter omnia tolerare aduerſa? Si enim Deus eſt ſummum hominis bonum, quod negari nõ poteſt, ſequitur quoniam ſummum bonum appetere eſt bene viuere, vt nihil ſit aliud bene viuere, quàm toto cordè, tota anima, tota mẽte diligere Deum à quo exiſtit. Ita tandem ordinatè viuit, qui ſeipſũ conſiderat quid ſit, & quo feſtinet, ſi affectus animi, vel carnales motus, prouida gubernat ratione. Si enim vel concupiſcentia, vel ira rationem vincit, & dominatur quælibet illorum in anima; ordo peruerſus præcipitabit conſentientem in peius, & tenebit ſoliũ rationis, ira ſi immoderata erit, vel concupiſcentia ineffrenata; ex his tribus quaſi radicibus ſi corruptæ erunt, omnes pene pullulant peſtes. Concupiſcẽtia data eſt homini ad concupiſcenda quæ ſunt vtilia, & quæ ſibi ad ſalutem proficiant ſempiternam. Si verò cor-

A rumpitur, naſcitur ex ea gaſtrimargia, fornicatio, & phylargiria. Ira data eſt ad vitia cohibenda, ne impiis (id eſt peccatis) homo ſeruiat dominis, quia iuxta Domini vocem, *Qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati*; ex qua corrupta, procedit triſtitia, & accidia.

Ratio data eſt, vt diximus, omnem hominis vitã regere, & gubernare, ex qua ſi corrumpitur oritur ſuperbia, & cenodoxia. Ex his quaſi arboribus, plurimi vitiorũ ramuſculi in perniciem animæ ſuccreſcunt, de quibus in huius epiſtolę anguſtia diſputare longum eſt, & non nimis neceſſarium.

B Eſt quoque anima, imagine, & ſimilitudine ſui cõditoris in principali ſui parte (quæ mens dicitur) excellenter nobilitata. Quæ imago tandem in ea clara, & pulchra eſt, ſi toto, Deo conditori deſiderio vincta eſt. Quamuis verò vilis & deformis à Deo recedens efficiatur: tamẽ ſi ratione viget, vel intellectu ſentit, manet in ea quædã naturę dignitas ſuæ. Vnde de tali anima, à ſui conditoris recedente dilectione, diuina dicit ſcriptura (Pſalm. 38): *Quanquam in imagine Dei ambulet*

C *homo, tamen vane conturbatur; theſaurizat, & ignorat cui congregat ea.* Nec hanc vanitatem auferre poſſe oſtendit ab ea imaginem Dei, quanquam ſcilicet magna ſit natura anima humana, tamen vitiari poteſt quia ſumma non eſt; tamen quia ſummæ naturæ imago eſt, id eſt, diuinæ; magna eſt natura, & nobilis. Nobilis à conditore creata, ſed ignobilis vitio proprio facta, id eſt, dũ à Dei declinat ſeruitio, ſua volẽs vti poteſtate, quod eſt primum malum omni rationali creaturæ. Ita tandem ordinate viuit anima, ſi eum

D diligit, qui ſuprà ſe eſt, id eſt, Deum; & prudenter ea regat, quæ regere debet, id eſt, carnales ſenſus. Ergo quatuor quidẽ animæ diligenda ſunt, id eſt, quòd ſuprà ſe eſt, & id quod iuxta ſe eſt. De duabus horum, pręceptum in ſacris legitur literis; id eſt, de dilectione Dei & proximi. De ſua vero dilectione, & carnis ſuæ, non *ſunt præcepta* ſtatuta. Quia duobus prioribus hæc duo ineſſe dinoſcũtur. Quia qui Deum vel proximum perfectè diligit, ſeipſum negligere

E non poterit. Quia hæc eſt animæ ſumma beatitudo, eum diligere à quo eſt, & ſocias ſuæ beatitudinis diligere animas, & illis prodeſſe, vel carnis officio, vel mentis beneficio, vt bona illis optet, & quantum valeat faciat. Habet igitur anima in ſua natura, vt diximus, imaginem ſanctæ Trinitatis in eo quod intelligentiam, voluntatem, & memoriã habet. Vna eſt enim anima, quæ mens dicitur, vna vita, & vna ſubſtantia: quæ hæc tria habet in ſe: ſed hæc tria non ſunt tres vitæ; ſed vna vita, nec tres men-

tes; ſed vna mens. Conſequenter vtique, nec tres ſubſtantiæ ſunt, ſed vna ſubſtantia. Quod vero anima vel mẽs, vel vita, vel ſubſtãtia dicitur, ad ſeipſum dicitur. Quod vero memoria, vel intelligentia, vel voluntas dicitur, ad aliquid relatiuè dicitur. Proinde hęc tria eo ſunt vnum, quo vna vita, vna mens, vna eſt ſubſtantia. Et quicquid aliud ad ſeipſa ſingula dicũtur, etiam ſimul non pluraliter; ſed ſingulariter dicuntur. Eo vero tria, quoad ſe inuicem referuntur. Nam memoria alicuius eſt memoria. Et intelligentia alicuius eſt intelligentia. Et voluntas alicuius eſt voluntas. Et hæc ad ſe inuicem referuntur. Sed in his tribus vnitas quædam eſt. Intelligo me intelligere, velle & meminiſſe, & volo me intelligere & meminiſſe, & velle: & memini me intelligere, & velle, & meminiſſe. Et ſic in ſingulis ſingula capiuntur. Sed de his alias.

Nunc autem conſideremus miram velocitatem animæ in formandis rebus, quæ percipit per carnales ſenſus à quibus quaſi per quoſdã nuncios quicquid rerum ſenſibilium cognitarum, vel incognitarum percipit, mox in ſeipſa earum ineffabili celeritate format figuras: informataſque in ſuæ theſauro memoriæ recondit. Sicut enim qui Romam vidit, Romam enim fingit in animo ſuo, & format qualis ſit. Et dũ nomen audierit, vel rememorat Romæ; ſtatim recurrit animus illius ad memoriã, vbi conditam habet formam illius, & ibi recognoſcit vbi recondidit illam. Et adhuc mirabilius eſt quod incognitarum rerum; ſi lectæ vel auditæ erunt in auribus animæ, ſtatim format figurã ignotæ rei. Sicut forte Ieruſalem quiſquam noſtram habet in anima ſua formatam qualis ſit: quamuis longe aliter ſit quam ſibi anima fingit dum videtur. Similiter de homine ſicut forte de Abraham, fingit enim homo in anima ſua qualis eſſet Abrahã. Ex eo quod alios homines vidit; ſic ſibi fingit membra omnia, ſicut in aliis vel in ſeipſo cognoſcit. Muros & domos & plateas non fingit in eo ſicut in Ieruſalem facit, quicquid in aliis ciuitatibus vidit ſibi cognitis hoc fingit in Ieruſalem eſſe poſſe: ex notis enim ſpeciebus fingit ignota. Nec enim in ciuitate Ieruſalem fingit hominis membra, ſed ædificia, ciuitatibus conſueta. Sic de omni re facit animus hominis, ex cognitis fingit incognita, habẽs has omnes ſpecies in ſe. Quãuis eo puncto quo vult de quolibet vna cogitare cogitet, non quod anima exeat de ſede ſua ad cognoſcendum aliquid, ſed in ſeipſa manet. Et in ſeipſa illam formam recognoſcit quam pridem mira velocitate formauit. Inde eſt quod anima ſi quidlibet repente obliuiſcitur, & iterum rememorat. Non enim tunc temporis quo obliuiſcitur aliquid, inueniet loculum in quo id quod quærit reconditum habet, quod iterũ rememorat ſiue curando ſiue nõ curando. Ex qua velocitate animæ quò in ſe ſic omnia fingit audita vel viſa, aut ſenſa, aut odorata, aut guſtata, iterumque inuenta recognoſcit, mira Dei potentia & naturæ efficacia vtcunque cognoſci poterit. Dum de Ieruſalem cogito, non eo momento de Roma poſſum cogitare, vel cum de qualibet vna re cogito, nõ poſſum eo momẽto de pluribus cogitare, ſed hoc vnum mihi tunc præſens eſt in anima quod tunc cogito, donec vel citius vel tardius hæc cogitatio recedat, & alia ſuperueniat. Nam Dei omnipotentis naturæ, & ineffabili cognitione omnia ſimul ſunt præſentia, & ſemper præſentia, & nunquam recedentia. Et hoc eſt quod dicitur, quod Deus vbique totus eſt, quia omnia quæ ſunt, vel quæ fuerunt, vel quæ futura ſunt, ſimul omnia, non ſemel, ſed ſemper præſentia habet. Nec etiam aliquis poteſt ſatis admirari, quòd ſenſus ille viuus atque cœleſtis, qui mens, vel animus nũcupatur, tantæ mobilitatis eſt, vt ne tum quidem cum ſopitus eſt conquieſcat. Tantæ celeritatis, vt vno tẽporis puncto cœlum colluſtret, ſi velit, maria peruolet, terras & vrbes peragret. Omnia denique quæ libuerit, quamuis longe lateque ſubmota ſint, in conſpectu ſibi ipſe cogitando conſtituat. Et miratur aliquis ſi diuina mens Dei vniuerſas mundi partes ſimul, & ſemper præſentes habeat, quæ omnia regit vbique pręſens, vbique tota. Cum tanta ſit vis, ac poteſtas mentis humanæ intra mortale corpus incluſæ, vt ne ſeptis quidem grauis huius, ac pigri corporis, quo illigata eſt, coërceri vllo modo poſſit, quo minus liberam cogitandi facultatem quietis impatiens, habeat. Sciendum eſt certiſſimè animam ſi in ea nobilitate permanſiſſet qua condita eſt à creatore, omnimodis immortalem eſſe, ſicut ſanctorum animæ ſunt, ſed dum libero arbitrio, ſpiritu inſtigante maligno, deprauata eſt, partim mortalis ex immortali facta eſt, ſed nõ tota. Sicut corporis vita, anima eſt, ita animæ vita Deus eſt. Dum anima deſerit corpus, moritur corpus, & mortuum recte dicitur; quia inſenſibile eſt: eſt tamen corpus, corruptio quædã ex carnis natura, quam-

uis non viuificetur ab anima. Animæ vero mors eſt, dum eam Deus deſerit dono ſuæ gratię, ob magnitudinẽ ſcelerum, moritur meliore ſui parte. Duabus verò dignitatibus à creatore anima in ſua natura glorificata eſt, id eſt, æternitate, & beatitudine. Beatitudo ſcilicet animæ eſt, Deũ habere in ſe, quomodo habere, id eſt, iuſtũ eſſe, quia Deus iuſtus eſt; & miſericordem eſſe, quia Deus miſericors eſt; & bonũ eſſe, quia Deus bonus eſt; & ſanctum eſſe, quia Deus ſanctus eſt; & charitatẽ habere, quia,

1. Ioan. 4.

Deus charitas eſt. Qui plurimũ hæc in ſe habet, maiorem in ſe ſimilitudinẽ Dei habet, & imaginẽ. Quicunque vero hæc in anima non habet, & alia his ſimilia, quæ Apoſtolus,

Galat. 5.

fructus nominauit ſpiritus, Dei habitatione indignus efficietur, & erit ſemiuiuus:

Luc. 6.

ſicut latrones hominẽ deſcendentẽ ab Ieruſalem in Iericho, ſpoliauerunt, vulnerauerunt, & ſemiuiuũ reliquerunt. Semiuiua erit anima, ſi propter vitia, & iniquitates, beatitudinem viſionis, & habitationis Dei perdiderit; ad quam autem creata eſt æternitatem, perdere non poteſt. Mutabitur enim propter peccata ſua beatitudo in miſeriam; & hoc erit ſi concupiſcentia, vel ira, plus dominabitur in homine quàm ratio, in qua ſola præcellit animantibus. Ideo de tali dictum eſt in Pſalmo: *Et homo cùm in honore eſſet non intellexit, comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.*

Pſalm. 48.

Sicut enim loquela pręcellit in carne cęteris animantibus, ita & anima ratione ſola nobilior eſt eis, quę omnes carnales cõcupiſcẽtias, & animi motus quaſi domina, & regina de ſublimi æquitatis ſede regere, & temperare debet. Hoc modo anima definiri poteſt iuxta ſuæ proprietatẽ naturæ. Anima ſeu animus eſt Spiritus intellectualis, rationalis, ſemper in motu, ſẽper viuens, bonæ malæque voluntatis capax. Secundum benignitatem creatoris libero arbitrio nobilitatus, ſua volũtate vitiatus, Dei gratia liberatus. Ad regendum carnis motus creatus, inuiſibilis, incorporalis, ſine pondere, ſine colore, circumſcriptus, in ſingulis ſuæ carnis membris totus. In quo eſt imago conditoris, ſpiritaliter primitiua creatione impreſſa ſicut ſuperius oſtendimus. Quamuis ſit miſera dum à conditore in ſeipſam delabitur; tamẽ æternitatem, imaginemque dignitatis ſuæ perdere non poterit. Non habens in ſe poteſtatem exeundi de carne, & redeundi iterum in eam, ſed eius arbitrio, qui fecit eam, carnique immiſit. Exiet enim quãuis nolens præſentandus iudicio Dei; Deoque iudicante locum intrabit ſuis meritis condignum ſpectare vltimi diei iudicium, vt accipiat carnem in qua in hoc ſeculo viuebat. Qui Spiritus modo curis angitur, modo corporis doloribus condolet, modo lætitia hilareſcit, modo cognita recogitat, modo incognita ſcire quærit. Alia vult, alia non vult. In quo eſt amor naturaliter, qui amor intellectu diſcernendus eſt & ratione ab illicitis delectationibus, vt ea amet, quæ amanda ſunt. Atque ſecundum officium operis ſui variis nuncupatur nominibus: anima eſt, dum viuificat: dum contemplatur, ſpiritus eſt; dum ſentit ſenſus eſt; dum ſapit animus eſt; dum intelligit mens eſt, dum diſcernit ratio eſt; dum conſentit voluntas eſt; dum recordatur memoria eſt. Non tamen hæc ita diuidentur in ſubſtantia, ſicut in nominibus, quia hæc omnia, vna eſt anima. Inter Spiritum & animam eiuſmodi poteſt differentia eſſe: quod omnis anima ſpiritus eſt, non tamen omnis ſpiritus anima. Sed & beatus Apoſtolus Paulus mirabiliter diſcernit inter ſpiritum, & mentem dicens:

1. Cor.

Pſallam ſpiritu, pſallam & mente. Spiritu pſallit, qui rerum ſignificationes non intelligens, ore profert; pſallit mente, qui eaſdem ſignificationes mentis efficacia intelligit. Nam ſpiritus Nabuchodonoſor regis informatus erat vt videret futura, ſed non erat mens illuminata, vt intelligeret, quæ videbat. Acceſſit Propheta, diuino illuminatus ſpiritu, qui vtrumque & intellexit, quæ Rex videbat, & expoſuit quid ſignificarent.

Daniel.

Hoc itaque abſque dubitatione ſciendum eſt quod animæ pulchritudo virtus eſt, & eius deformitas vitium. Si enim vel Deum, vel ſeipſum, vel ſpiritale aliquid conſiderare geſtit, auertit ſe à ſenſibus carnis, ne fiant ei impedimenta ſpiritalia rimanti. Sæpè etiam intantum affectata erit qualibet cogitatione, vt quamuis apertos habeat oculos; quæ præſto ſunt non videat; nec ſonantem vocem intelligat, nec tangentem corpus ſentiat. Regit enim corpus per quinque ſenſus, quæ horum nihil eſt. Dum de ea cogitamus, nihil corporeum cogitare debemus. Sicut enim Deus omnem corpoream creaturam naturæ dignitate præcellit. Quæ etiam per lucem, & aërem, quæ ſunt excellentiora mundi corpora, corpus adminiſtrat ſuum. Omnium rerum ſpecies lux animæ annunciat, quas ipſa in ſe acceptas ſpecificat, ſpecificataſque recondit, & cum afflictiones aliquæ corpori eueniunt, offenditur

anima; dum temperamentũ faciendi quod vult deerit, & hæc offenſio dolor vocatur. Si autem intãtum fraudatur membrorum miniſtratione, vt non habeat quid operetur in eis: recedit, quaſi indignata habitationi ſuæ. Quid ſit anima nil meliùs occurrit dicere, quàm Spiritus vitæ, ſed non eius vitæ quæ in pecoribus eſt, ſine rationali mente. Sed vita nunc minor quam angelorum, & futura quidem angelorum, ſi ex præcepto ſui creatoris hîc vixerit. Origo vero animarum vnde ſit, ſolius Dei cognitioni relinquendum eſt. Quammulta exinde Philoſophi vana finxerunt, & plurimas Chriſtiani doctores opiniones inde poſuerunt, & nihil pene certum reliquerunt. Ergo & beatus Auguſtinus de origine animæ beato Hieronymo ſcripſit, & miſit volens ſcire quid affirmaret tãtus doctor de origine animæ. Si ille liber vobiſcũ inueniatur, lege & intellige quid ille acutiſſimus rerum naturalium inquiſitor de origine dixerit animę. Quatuor quaſdã in ea diſputatione poſuit opiniones vt arbitror, cui beatus Hieronymus vna breuiſſima, ſed acutiſſima reſpõdit epiſtola, quem libellum in patria legimus, ſed hic nobiſcũ non reperitur. Nec etiam epiſtola reſponſionis ad eum. Fecit quoque idem doctor, vt in libris retractationum eius legitur, alia de ratione animæ opuſcula, id eſt, de quantitate animæ librum vnum, de immortalitate animæ, lib. 1. de duabus animabus librum vnum; de immortalitate animæ, & eius origine libros quatuor, qui necdum inuẽti ſunt à nobis. Si fortè in armario imperiali inueniantur, quærite, legite, & communione charitatis nobis dirigite, ad legendos. In hoc enim omnes conſentiunt Catholici Scriptores, quod anima à Deo ſit condita; nec partem eam eſſe Dei naturæ, quia ſi ex Dei eſſet natura adſumpta, peccare non poſſet: nec eam corpus eſſe palpabile vel viſibile; nec mori eam poſſe ita vt non ſit; nec a reatu primæ præuaricationis liberari poſſe, niſi per gratiã, & myſterium mediatoris Dei, & hominum Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui plenam humanitatis noſtræ naturam, abſque omni peccato in ſuę diuinitatis aſſumpſit perſonam, quia totus homo peccauit, & totus homo liberandus erat, ſecũdum diſpenſationem æternæ pietatis in Deo. Totus homo aſſumẽdus erat, id eſt, anima & caro, cuius anima, id eſt, redemptoris noſtri, tantæ ſanctitatis, & iuſtificationis eſt, vt omnes in ſe credentiũ animę, per eum sãctificari, & iuſtificari poſſint, & caro tantæ munditiæ, &

A libertatis à peccato, vt omnium in ſe confidentium carnes, diuina in ea operante gratia, purgari, & liberari poſſint. Quia sãguis, qui de eadem carne, lãcea militis vulnerata, fluxerat, pretiũ eſt ſalutis humanæ, per cuius effuſionem extincta eſt flammea illa paradiſi cuſtodia, & via fidelibus aperta eſt ad lignum vitæ, quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum viuentium. Cuius ligni ſapientiſſimus Salomon dum de laude ſapientiæ multa dixiſſet, recordatus eſt ita dicens: *Beatus homo qui inuenit ſapientiam, & qui affluit prudentia.* Et paulò poſt: *Viæ eius* B *viæ pulchræ, & omnes ſemitæ eius pacificæ. Lignum vitæ eſt his, qui apprehenderint eam, & qui tenuerit eã beatus.* Humanæ verò animæ pulchritudo eſt, & decus, ſapientiæ ſtudiũ, non illa quę in terrenis ſolet occupari negotiis, ſed illa magis, qua Deus colitur, & amatur. Cui teipſam ſtudeas, virgo nobiliſſima, tota mentis intentione mãcipare, quia in hac eſt vita omni trãquilitate beatiſſima. In hac eſt illius ſummæ Trinitatis imago feliciter perfecta. Hic eſt theſaurus deſiderabilis, C qui requieſcit in ore prudentis, & abundat in corde ſapientis. Hæc in Vergiliacis non inuenietur mendaciis, ſed in Euangelica affluenter reperietur veritate. De vera ſcilicet ſapientia dicitur: *Omnis ſapientia à Domino Deo eſt.* Quicquid enim rectè per ſapientiam intelligitur & amatur, Dei donũ eſt. Proinde omnis, qui ſecundum Deũ ſapiens eſt, beatus eſt. Vnde in Iob dicitur: *Sapientia hominis eſt pietas, recedere autem à malo ſcientia.* Vno verò nomine pietatis, cultum totius diuinæ religionis deſignare volens. D Quid beatius eſt animæ, quàm ſummũ diligere bonũ, quod Deus eſt? Quid felicius, quàm ſe dignũ æterna præparare beatitudine, dum immortalẽ ſe eſſe veriſſimè nouit? Nec æſtimes tibi tantũ ſufficere, noſſe quid facere debeas, niſi etiã opere impleas, quæ noſti. Quamplurimi ſe ſapientes æſtimant, & viam ſe veritatis noſſe gloriantur, ſed nequaquam verè ſunt ſapientes, qui nõ habent fortitudinẽ animi ad proficiendum opere quod ſapiũt. Ergo vera eſt ſapienti , E noſſe quæ debeas, & nota perficere. Proinde nullam quatuor animæ virtutũ, de quibus ſupra diximus, perfectè habet anima, ſi totas non habet, quia hæc omnia ad vnum charitatis intendunt præceptũ. Quæ ſola in Catholicæ fidei veritate, dignam efficiet animam habitatione ſanctæ Trinitatis, ad cuius imaginẽ conditã eſſe ſuperius oſtendimus. De cuius ratione & natura, ſicut flagitaſti, hæc pauca perſtrinxim⁹: prout epiſtolaris anguſtia cõceſſit. Mirumq. quodãmo-

Pſalm. 1.
Prouer. 3.
Eccleſ. 1.
Iob. 28.

do à ſcholaſticis videri poterit, quomodo te plus mihi cognitã eſſe putare voluiſſes, quã tibi ipſi. Vnde viuis vel ratione viges, niſi in animæ ſubſtantia; dum te perraro oculis vidi meis, per quos animę naturã tuę cernere non potui. Quãuis iuxta commune præceptum Domini diligã; nec non pro optima tuorum fama ſtudiorum, quæ aliis narrantibus de te ſæpius audiui, in quibus velim te ſemper proficere, & Deo placere, vt digna efficiaris animæ rationem, & naturam noſſe, & quod nunc in ænigmate vides, perfecta ſcientia, in futura perſpicias beatitudine. Proinde opto te, filia chariſſima, æternæ patriæ felicitatem, quam tuã deſiderare optime noui ſapientiam, integra proſequi voluntate. Nec te ab eius deſiderio vlla huius ſæculi auertat ambitio; nec cuiuſlibet temporalis rei delectatio; pauci ſunt huius vitæ dies, & meritorum retributio nullo terminatur fine. Vera eſt ſcilicet ſapientia, verãm toto corde diligere vitam; & totis viribus intendere, vt ad eam peruenire mereatur, qui eam diligere, verbis ſeueriſſimè profiteri videatur, quia non eſt in ſermone tantummodo regnum Dei, ſed in virtute ſancti Spiritus, & Sanctorum perfecta meritorum claritate.

Elegiacum carmen.

Qui mare, qui terrã, cœlum qui condidit altũ;
Qui regit imperio cuncta creata ſuo;
Iuſſerat hic hominem rebus dominare ſub aſtris,
Qui ſenſu ſolus, & ratione viget:
Qui valet inter enim viuentia, noſcere mundi,
Iamque creatorem mentis in arce ſuum.
Factus ab æterno, felixque æternus vt eſſet
Mira quidem magni, ſolus imago Dei;
Nobilis exinde eſt animæ natura ſagacis,
Atque potens ſenſu, cernere cuncta ſuo:
Quæ mare, quæ terras, cœlum quæ peruolat altum,
Quamuis ſit carnis carcere clauſa ſuæ:
Corporis vtque oculus, viſus ad ſydera tendit,
Vno ſtet quamuis carnis in arce loco
Immortale decus, huius lux aurea vitæ,
In ſe digna Deum ſemper habere ſuum.
Si bona, ſi ſapiens, Chriſti ſi ſe ornat amore,
Vt felix valeat, viuere in arce poli.
Et poſt huius enim vitæ per ſecla labores,
Cœleſti in regno cernere ſemper eum.
Lux æterna Deus, cui laus & gloria merces,
Si benè ſi dignè vixerit, ipſa Deo.
Sit modo ſancta, piis meritis ſit caſta, pudica,
Floreat in ſtudiis ſemper vbique ſacris.
Se regat atque ſuæ carnis viuaciter actus,
Vt regina potens, legibus æthereis.
In ſe nil cupiat praui, nil optet iniqui,
Nil cuiquam noceat, optet, agat, vel amet.
Ne maculis ſibimet fuſcet data tempora vitæ,
A *Sit pia, ſeruire, ſancta, quiens Deo.*
Moribus egregiis, in ſe iam viuat honeſtè,
Vt placeat Sponſo ſic moderata pio.
Spiritus eſt anima, in membris iam totus vbique
Quippe ſuis viuax factus amare Deum.
Atque creatorem laudet, ſine fine benignum
Qui ſe conceſſit ſcire patenter eum.
Et cultu prudens, illum venerarier almo,
Eſt quod ſola ſalus gloria vita animæ:
Scilicet æthereis quapropter ſe actibus ornet,
Ante oculos Domini, nocte dieque ſui,
Omnia qui cernit, cordis ſecreta ſuperno
B *Lumine, quem nullum velle latere poteſt.*
Quocirca incubuit magnum nos, namque neceſſe
Vt pia pertractet mens bene, digna Deo.
Quatenus inſpiciat tantum tractare ſuperna,
Iam plenum ſancto pectus amore Dei.
Hæc vera eſt animæ, vere ſuper omnia noſtræ
Gloria, nobilitas, atque beata quies.
In hoc te ſtudio nunc exercere memento
Femina, quod placeas inclyta ſponſa Deo.

Aliud Carmen Adonicum.

Te homo laudet
Alme creator
C *Pectore, mente,*
Pacis amore:
Non modo parua
Pars quia mundi eſt.
Sed tibi ſancte
Solus imago
Magna creator
Mentis in arce
Pectore puro
Dum pie viuit.
O Deus & lux,
Laus tua ſemper
Pectora & ora
D *Compleat; vt te*
Semper amemus
Sanctus vbique.
Hæc pia verba
Virgo fidelis
Ore caueto,
Vt tua mitis
Tempora Chriſtus
Tota gubernet.
Te cui caſtum
E *Corpore, mente,*
Dirige templum
Dulcis amica,
Et ſine ſemper
Fine valeto.
Qui tibi ſolus
Sit rogo ſemper
Lux, amor, atque
Forma ſalutis,
Vita perennis,
Gloria perpes.

Hoc carmen tibi cecini ſenario numero nobile, qui numerus perfectiſſimus eſt in partibus ſuis, te optans eſſe perfectam in ſenſibus tuis. Cuius numeri rationem, ſicut & aliorum, ſapientiſſimus Imperator tuæ perfacile oſtendere poteſt ſagacitati, cuius mentis miranda eſt nobilitas. Dum inter tantas palacij curas, & regni occupationes, Philoſophorum pleniter arcana curauit ſcire myſteria, quod vix otio torpens alius quis modo cognoſcere ſtudet. Nec tibi à nobis neceſſe eſt cauſas quærere rerum, vel rationes Phyſicæ occultas ſcientiæ; dum illius clariſſima quotidie vteris ſapientia, ac venerandam intueris faciem. Nec tibi longo laborioſoque itinere de Æthiopia, Hieroſolyma viſitanda eſt, vt videas Salomonem de rerum diſputantem naturis. Ecce iuxta te eſt, quem per tantas terrarũ difficultates regina quæſiuit Auſtri. Sed cum eadẽ celebri laude tibi dicendum eſt: Beati viri tui, & beati ſerui, hi qui ſtant coram te ſemper, & audiũt ſapientiam tuã. Sit Dominus Deus tuus benedictus, cui complacuiſti, & poſuit te ſuper thronum populi ſui, eo quod dixerit Dominus populum ſuum in ſempiternum. O filiæ Hieruſalem cernite Salomonem noſtrum in diademate fulgentem ſapientiæ, imitamini mores illius nobiliſſimos, auerſamini vitia, colite virtutes. Magna vobis incumbit, ſi diſsimulare non vultis, optimè viuendi neceſsitas, dum apud eum quotidie verſamini, in quo totius honeſtatis habetis exemplar, quatenus per præſentes illius ſacratiſsimos mores, ad eius cum eodem perue-A nire mereamini præſentiam; de quo ipſa cecinit ſapientia: *Ferculum ſibi fecit rex Salomon de lignis Libani; columnas eius fecit argenteas, reclinatorium aureum, aſcenſum purpureum, media charitate conſtrauit propter filias Hieruſalem.* Cant. 3.

Litania, ſiue precatio ad Chriſtum.

Miſerere Domine, miſerere Chriſte.
Tu miſericordia mea, miſerere mihi.
Miſerere Domine, miſerere Chriſte, vt credam in te.
B Miſerere Domine, miſerere Chriſte, vt cognoſcam te.
Miſerere Domine, miſerere Chriſte, vt diligam te.
Miſerere Domine, miſerere Chriſte, vt ſperem in te.
Miſerere Domine, miſerere Chriſte, vt anima mea viuat in te.
Miſerere Domine, miſerere Chriſte, vt caro mea exultet in te.
Miſerere Domine, miſerere Chriſte, vt vita mea proficiat in te.
Miſerere Domine, Deus pater gloria mea, vita mea.
C Miſererere Chriſte Saluator, ſalus mea, fortitudo mea.
Miſerere Spiritus paracletus, conſolatio mea, illuminatio mea.
Miſerere Domine, Deus, Trinitas, & Vnitas.
Te laudo, te adoro, te confiteor.
Pax mea, ſpes mea, laus mea, lux mea.
Pulchritudo mea, beatitudo mea.
Tibi laus, tibi gloria, tibi gratiarum actio
Semper vbique in ſæcula ſempiterna.

MAGISTRI ALBINI FLACCI ALCHVVINI, CONTRA FELICEM VRGELITANVM Epiſcopum,

LIBRI SEPTEM,

Hactenus malè ſub nomine Paulini Aquileienſis Epiſcopi editi.

Scripsi Epiſtolam pridem Felici Epiſcopo charitatis calamo, non contentionis ſtimulo, fraternæ ſalutis deſiderio, nõ mordacis reprehenſionis ſtilo, cupiens eum corrigere in Chriſti dilectione, quem in cuiuſdam nominis nouitate de Chriſto, ac Catholicæ pacis vnitate receſdere notum habetur. Sed vt agnoſco, non eo charitatis officio vel humilitatis obſequio meæ litterulas diligentiæ recepit, quo me ſcribere, qui meam pietatis intuitu legerit Epiſtolam, agnoſcere poterit. Nam idem præfatus Felix mox libellum, nõ epi-

ſtolari breuitate ſuccinctum, ſed ſermonum ſerie prolixum nobis dirigere ſtuduit. In cuius principio de confeſſione veræ fidei quædam ex ſanctorum Patrum Catholicis ſenſibus ab eodem bene prolata legebam. ſex mox in ſequentibus multipliciter priſtini erroris aſſertionem confirmare nitebatur; nec ſolum antiqua non deſtruere, ſed etiam noua quædam addere peiora prioribus adgreſſus eſt. ſicut enim fabulæ ferunt Hydram vna ſecta ceruice centenis pullulaſſe capitibus: ſic ex vno ſerpentini capitis errore multiplex prauæ doctrinæ ſeges inhorruit. Nec ſibi ſufficiebat tantũmodo Chriſtum, qui de virgine natus eſt, negare proprium eſſe Filium Dei, ſed etiã hunc eundem. Non conſentit verum eſſe Deum, ſed nouo & inaudito ſanctæ Dei Eccleſiæ nomine nuncupatiuum Deum nominare illum non timet, diuidẽs Chriſtum in duos filios, vnum vocans proprium, alterum adoptiuum: & in duos deos, vnum verum Deum, alterum nuncupatiuum Deum. Atque ad confirmationem huius erroris multa collegit prauo ſenſu teſtimonia, quæ ad veræ fidei agnitionem Spiritu ſancto dictante à doctoribus noui vel veteris teſtamenti prolata ſunt. Speraui, iuxta ſententiam ſapientiſſimi Salomonis, dare ei occaſionem ſapientiæ per litteras precatorias; qui ait, Da occaſionem ſapienti & ſapientior erit. Item, poſt pauca: Argue ſapientem & ſapientior erit: ſed, vt vereor, magis huius ſententiæ ſequentia illius ſenſui aptari poſſunt: Argue (inquit) ſtultum, & oderit te. Illud quoque non iniuſte de tali præſumptore dici poteſt, magis expedit, vrſæ captis catulis occurrere, quam fatuo confidenti in ſtultitia ſua. Et item: ſi contuderis ſtultum in pila, quaſi typſanas feriente deſuper pilo non auferetur ab illo ſtultitia eius. Sultitia magna eſt hominem in ſua ſolius confidere ſententia, & Sanctorum Patrum vel totius Eccleſiæ Catholicos ſpernere ſenſus. Nonne hæc omnibus hæreticis cauſa fuit perditionis, quod ſuæ magis voluerũt amatores eſſe ſentẽtiæ quã veritatis? Hoc ſolum ſi ſapienti animo vel humili intelligentia conſiderare voluiſſet, præfatum virum Felicem ab errore reuocare debuiſſet: Quod tota Eccleſia Chriſti ab initio Apoſtolicæ prædicationis hoc nomen adoptionis in Chriſto vel nuncupatiuæ diuinitatis numquam habuerit, nũquam prædicauit. Quæ nomina nec in Euangeliis, nec in Apoſtolorum Epiſtolis, immo nec in propheticis totius veteris teſtamenti ſcriptis alicubi inueniuntur, ſed

A nec in alicuius Sanctorum Patrum & Doctorum Eccleſiaſticorum libris, nec in ſymbolo Apoſtolico vel Niceni concilij, vel etiam in alicuius ſynodi adfirmatione, aut in aliqua Catholicæ fidei auctoritate. Et mirum eſt cur non timeant tales doctores noua inferre & incognita antiquis temporibus, dum egregius Doctor Gentium, omnes nouitates vocum, & inuentas nouiter ſectas omnino firmiter prohibeat à quoquam Catholico recipi: In tãtum vt etiam Angelis & omni homini anathema indi-

B xiſſe non dubitaret, ſi aliter prædicaſſet, quàm ab illo prædicatum eſſet. Inuenitur vero in eius prædicatione Chriſtum, qui traditus eſt à Deo Patre, ad paſſionem pro nobis, proprium filium Dei dici, & nuſquam adoptiuum: & illum qui de patre natus eſt ſuper omnia Deum benedictum, & nuſquam inter omnia nuncupatiuum Deum. Nunquid non aliter prædicat quam tantus Apoſtolus Chriſto in ſe loquente prædicauit, qui Chriſtum Deum & hominem, quem ille Dei filium proprium nomi-

C nauit, adoptiuum aſſerit? Vel qui Deum benedictum de Spiritu ſancto & beata Maria virgine conceptum & natum nuncupatiuũ Deum adfirmat? Quod qui prædicat ſciat ſe certiſſimè Apoſtolico anathemati ſubiacere. Quiſquis huius Apoſtolicæ auctoritatis cenſuram non metuit, non dormiens, ſed omnino mortuus æſtimandus eſt. Tamen qui quatriduanum vocauit de monumento ad vitam, potens eſt ſuſcitare & illum: ipſe enim ait, qui cerdit in me, etiam ſi mortuus fuerit, viuet: Et omnis qui viuit, & credit in me, nõ morietur in æternũ. Quis

D eſt qui viuit, niſi ille de quo Apoſtolus ait, qui viuit in fide filius Dei eſt? Duo ſunt quippe quæ in errore hominum difficillimè tolerantur, præſumptio priuſquam veritas pateat: & cum iam patuerit, præſumptæ defenſio falſitatis. Et his duobus cœnoſis riuulis omnis hæreticorum prauitas emanauit: A quibus vitiis nimis inimicis inuẽtioni veritatis, & Catholicæ fidei indagationi ſiue conſiderationi ſanctarum Scri-

E pturarum, ſi me (vt precor & ſpero) Deus defenderit atque munierit ſcuto bonæ voluntatis ſuæ, & gratia miſericordiæ ſuæ adiuuauerit, non ero ſegnis cum quærentibus quærere veritatis ſoliditatem, & cum defendentibus defendere catholicæ fidei ſanctitatem. Nec trepidus ero ad proferendam ſententiam meam, in qua magis amabo inſpici à rectis, quàm timebo morderi à peruerſis. Nullus enim reprehenſor formidandus eſt amator veritatis. Etenim aut

inimicus reprehenſurus eſt, aut amicus. Si ergo inimicus inſultat, ferendus eſt: Amicus autem ſi errat, docendus eſt: ſi docet quæ recta ſunt, audiendus. Gratanter enim ſuſcipit oculum columbinum pulcherrima & modeſtiſsima charitas: dentem autem caninum vel euitat cautiſsima humilitas, vel retundit ſolidiſsima veritas. Sed tempus eſt vt diſcutiamus ſermones præfati viri, & ſententias ſanctæ Scripturæ, quas ad ſui ſenſus nititur trahere teſtimonium, aliter ſanctos doctores intellexiſſe oſtendamus. In principio itaque libelli ſui vnitatem ſanctæ Eccleſiæ optimè expoſuit, ſed vtinam in conſequentibus eandem ſeruaret concordiam, quam in principio tantis laudib. exaltare ſtuduit. Sed, vt video, gladium melle litum abſcondit, vt facilius decipiat incautius legentes libelli ſeriem.

Dicit itaque: *Credimus & confitemur ſanctam Eccleſiam Catholicam toto in orbe diffuſam per Apoſtolorum prædicationem in Chriſto Domino velut ſolida petra fundatam, extra quam nullum ſaluum fieri poſſe credimus, nullumque ſaluum niſi eum qui intra terminos fidei eius, & in concordia charitatis vſque in debitum finem inconcuſſè permanſerit: Vnam videlicet, non diuiſam, ſimplicem, non ſciſſam: ſed in Catholicis, non in hæreticis; in fidelibus charitate connexis, non in ſchiſmaticis.*

Elegantiſſimè enim præcipuam ſanctæ Dei Eccleſiæ vnitatem toto orbe diffuſam adſerit, ſed minus ſeipſum ſuoſque ſequaces conſiderat, qui in vno terrarum angulo quædam ſanctæ Eccleſiæ (cuius latitudinem laudat) inaudita nomina de Chriſto Deo cum paucis ſuis ſequacibus ſuſurrat. Igitur ſi ſancta Dei Eccleſia in toto orbe eſt diffuſa, Ergo nequaquam in illis eſt, quia illi non ſunt in toto orbe: ſi vero in illis eſt, etiam tunc in toto orbe non eſt. Quia illi contraria toto orbi fingunt nomina de humanitate Chriſti Dei noſtri qui eſt caput Eccleſiæ. Porro nos intra terminos Apoſtolicæ doctrinæ & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ firmiter ſtamus. Illorum probatiſſimam ſequentes auctoritatem, & ſanctiſsimis inhærentes doctrinis, nihil noui inferentes, nullaque recipientes, niſi quæ in illorum catholicis inueniuntur ſcriptis. Et quis cenſendus eſt hæreticus? An illi qui ſanctorum Patrum & totius Eccleſiæ ab initio naſcentis fidei catholicos ſequitur ſenſus: Aut ille qui in vltimo tempore mundi noua quædam nomina inaudita priſcis temporibus fingit de Chriſti Domini humanitate vel diuinitate illius, qui ex virgine natus eſt? Legimus namque Orientales

A ſynodos quæ à ſanctis patribus congregatæ ſunt, temporibus diuerſis contra varios hæreſiarchas.

Et nullum inuenimus vſquam dicere vel adfirmare adoptiuum filium, vel nuncupatiuum Deum Chriſtum eſſe ſimul: & occidentales ſynodos perſpeximus, nec in illis tale aliquid inuenimus: ſed nec in aliqua earum, quæ in Hiſpania, vel Gallia, vel iſtis partibus promulgatæ ſunt, hæc nomina, quæ nuper noua temeritas protulit, comperimus. Sed vbique per omnes ſynodos & libellos ſanctorum doctorum ſemper vnū B filium Dei proprium legimus, & vnum Deum verum in duabus naturis prædicari: Et vnum Chriſtum, non duos Chriſtos: nec duos deos, vnum verum, alterum nuncupatiuum: nec duos filios, vnum propriū, alterum adoptiuum: ſed ſemper vnum filium proprium Dei Patris, eundemque Deum verum, ſicut in ſequentibus Euangelicis vel Apoſtolicis doctrinis ſiue Sanctorum Patrum teſtimoniis (diuina opitulante gratia) probare curabimus. Non C enim, veluti vos dicitis, transferimus lapides (id eſt) catholicos ſenſus de ſtabilitate Dei Eccleſiæ, ſed illum eligimus lapidem qui præciſus de monte ſine manibus impleuit orbem terrarum: ſuper hunc ædificamus, & angularem ponimus in ſublimitate ſtructuræ noſtræ (quem veſtra temeritas cum Iudæis reprobat) poteſtati illius derogantes, nolentes cadere ſuper illum, vt confringat duritiam cordis veſtri: ſed expectatis donec cadat ſuper vos in iudicio, & conterat audaciam veſtram. Dixiſtis veritatis D voce, Neceſſe eſt vt ſcandala veniant, & tacuiſtis ſequentia illius ſententiæ, væ tamen homini per quem ſcandala veniunt. Timeat ſibi vnuſquiſque ne per ſe ſcandala diſſenſionis & ſchiſmatici erroris oriatur. In quiete & pace temporibus noſtris ſancta Dei requieſcebat Eccleſia, donec vos eam turbaſtis, & in lunæ modum iuxta veſtram ſententiam decreſcere illam feciſtis. Noſtra vero vnanimitas quantum valet, & Dei nos E adiuuat gratia, laborat vt creſcat, & proficiat ad perfectum diem, de qua in ſequentibus addidiſtis, dum lunaris plenitudine ſplendoris comparationem feciſſetis ita dicentes: Sancta Eccleſia, ſi quando ei (diuina gratia largiente) pax atque quies conlata fuerit, in toto orbe terrarum cunctis in vrbibus ſeu locis fidelium per vnitatem fidei, per concordiam charitatis, quia deeſt qui tentet, vt ita apparet, vt nimium cæcus & manu palpans iudicet, qui eum vbique præſentem non cernit, dicitis, quia deeſt qui

tentet. Videte ergo rogo voſmetipſos, ne A forte ſitis tentatores illius, ſcindentes tunicam Chriſti, quam milites in paſſione illius non auſi ſunt diuidere. Et bene ſubiunxiſtis: vt nimium cœcus & manu palpans iudicetur, qui eam vbique præſentem non cernit. Videtur enim à veſtra cæcitate illam eſſe abſentem. Et ſi vbique eſt, agite precibus apud Deum & humilitate apud homines, vt & vobiſcum fiat, quæ in toto mundo, licet ſparſim, fulget & proficit: ne ſitis extorres illius luminis, & alieni à claritate plenitudinis perpetuæ lucis. Nolite ſuperbire, B & in paucis vobis illius eſſe regnum putare, de quo dictum eſt, Et dominabitur à mari vſq. ad mare, & à flumine vſque ad terminos orbis terræ. Et paulo poſt: Et adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes ſeruient ei. De eo certiſſime prophetatum eſt, cui veſtra præſumptio diuinitatis potentiam ſubtrahere nititur, de cuius diuina humanitate & humana diuinitate eo ipſo donante in ſequentibus plenius dicturi ſumus. Iuxta diſputationis & veſtri ſermonis ſequentia dicitis: *Aliquando vero Eccleſia in exiguis eſt, ſed non in vno angulo* C *terrarum excluſa, ſed neque in vna prouincia aut gente vel regno, ſed toto in orbe terrarum diffuſa.* Nunquid non vos in vno angulo terrarum, & in vna eſtis gente? Quare non intelligitis iuxta veſtram ſententiam in vobis non eſſe Eccleſiam Chriſti, qui in vno angulo eſtis terrarum, & vna gente? Aut ſi in vobis eſt, proferendum eſt vobis in qua alia gente ſit vel populo vel regno, vel qui ſint qui vobiſcum conſentiant in adoptionis vel nuncupationis nomine de Chriſto. Aut D ſi non poteſtis in toto orbe ſocios veſtræ ſententiæ inuenire, cognoſcite vos veſtro iudicio hæreticos: Et placeat vobis magis cum plurimis ſaluari, quàm cum paucis perire. Animaduertite (Iacobo Apoſtolo dicẽte) vnde veſtræ ſapientiæ ſit origo. Ait enim: Quod ſi zelum amarum habetis, & contentiones in cordibus veſtris, nolite gloriari, & mendaces eſſe aduerſus veritatem. Non eſt iſta ſapientia deſurſum deſcendẽs, ſed terrena, animalis, diabolica. V- E bi eſt zelus & contentio, ibi conſtantia & & omne opus prauum. Quæ autem deſurſum eſt ſapientia, primum quidem pudica eſt, deinde pacifica, modeſta, ſuaſibilis, bonis conſentiens. Videtiſne quod veſtra ſapientia nõ eſt pacifica, non eſt ſuaſibilis, nõ bonis conſentiens. Et ideo omnino intelligite eam à Deo non eſſe datam, ſed quadam aſtutia diabolicæ fraudis inuentam. Dicitis nos verum non dixiſſe quod totus

mundus nobiſcum, id eſt vniuerſalis Eccleſia Chriſti conſentiat, niſi vos ſoli. Probate (ſi poteſtis) verum eſſe quod dicitis: Oſtendite nobis vel vnam gentem vel vnam vrbem, vel ſanctam Romanam Eccleſiam (quæ eſt caput Eccleſiarum) vel Conſtantinopolitanam vel Hieroſolymitanam ipſius Domini præſentia dedicatam, aut Antiochenam, in quam primum ſanctum Chriſtianitatis nomen eſſe legitur, aut Alexandrinam vel vllam Eccleſiam in tota Italia vel Germania, vel etiam Gallia, aut Aquitania, immo aut Britannia, quæ vobis conſentiat in hac veſtra adſertione, vt verum probetis aliquos vos habere ſocios ſententiæ veſtræ: & ſi non poteſtis hoc facere, credite vos ſanctæ Dei Eccleſiæ contraria ſentire, & cauete vobis Apoſtolicæ auctoritatis gladium, & ſancta vniuerſalis Eccleſiæ anathema formidate, niſi corrigatis ſententiam veſtram, & ad vnitatem Apoſtolicæ doctrinæ conuertamini. Propoſuiſtis etiam exemplum duorum litigantium quis ex illis æquius ſe defenderet, an qui cauſam mouebat prior, aut qui ſe à perſecutione alterius defendere niſus ſit. Bene propoſuiſtis, ſed non veraciter intellexiſtis quis moueret hoc ſcandalum, quomodo inter noſtras veſtraſque partes verſatur. Nunquid non tota Eccleſia Chriſti damnatis Eutychetis & Neſtorij hæreſibus vbique in pace Catholica, & in vnitate fidei Apoſtolicæ nullo turbante, multo quieſcebat tempore, donec hęc noua, & antiquis temporibus inaudita ſecta per veſtram inſolentiam ſubito exarſerit? Ac per hoc iuſtius videtur alium † hęreticum cenſeri, qui nouas audet introducere ſectas, quam illum qui paternis traditionibus enutritus & edoctus in propugnaculis ſuę ciuitatis viriliter ſtans ſe ſuoſque conciues fortiter defendere nititur, habens armaturam de qua in Cantico Canticorum ipſa decãtat ſponſa, Sicut turris Dauid collum tuum, quæ ædificata eſt cum propugnaculis, mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium. Quis eſt Dauid rex Hieroſolymitanus, niſi Chriſtus Dominus noſter rex fortis & verus, qui de virga quæ de radice Ieſſe exiit, vt flos aſcendit, cuius ciuitas eſt ſancta & vniuerſalis eccleſia, quæ partim cum illo regnat coronata in cælis; partim pro illo laborat peregrinata in terris, donec coronetur & perueniat in patriam. Huius ciuitatis propugnacula ſanctæ ſunt ſcripturæ, & præcedentiũ patrum exempla, quibus munita eſt contra omnes aduerſitates: & eſt hæc armatura fortium, id eſt ſanctorum Doctorum qui

† *ſ.* illum

his armis, contra omnes hæreticas prauitates victores extiterunt. His nos pro virium noſtrarum portione, diuina auxiliante gratia, armati, omnes nouitates, & inauditas quæſtiones ſtamus viriliter defendentes, Apoſtolicas traditiones & fidem quam ab illorum ebibimus vberibus. Quod vero quendam beatum Abbatem, & diſcipulum eius Hitherium Epiſcopum dicitis, huic veſtræ ſectæ primum contraire, laudamus eos in eo quod veritatem defendere conati ſunt. Sed ſi verum eſt quod dixiſtis eos duas naturas Chriſti in vnum confundere, ſicut vinum & aquam, hoc nullatenus conſentimus: ſed in eo ſi verum eſt valde eos eſſe reprehēſibiles iudicamus. Catholica enim fides habet, quam nos defendimus, prædicamus & amamus, in Chriſto duas naturas eſſe proprias & perfectas, diuinam, (ſcilicet) qua ex Deo Patre ante omnia tempora cōſubſtantialiter natus eſt: humanam vero qua in plenitudine temporum ex virgine idem ipſe filius Dei carnem adſumpſit, & factus eſt verus homo qui eſt verus filius Dei totus in ſuo, vt beatus Leo Papa ait, & totus in noſtro, idem in vtroque, non alter in ſuo, & alter in noſtro. Quia enim verbum cum carne, ita eſt ineffabili modo vnitum, vt ipſum Verbum de quo beatus Ioannes Euangeliſta dicit. In principio erat Verbum & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum, carnem dicamus factum (ſicut idem ipſe Euangeliſta dicit) & Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis, id eſt nobiſcum: licet illud Verbum non ſit mutatum in carnem, & caro illa dicatur Deus, licet non ſit in deitatis naturam mutata: & eſt vnus filius Deus, & vnus Deus Dominus Ieſus Chriſtus. Ob hanc vnitatem dicitur filius hominis deſcendiſſe de cœlo, & Dominus gloriæ crucifixus, & ſic impaſſibiliter Verbum Dei paſſum eſt, & filius hominis mirabiliter deſcendit de cælo, & illius manus qui creauit cœlum & terram clauis in cruce confixa eſt: Et illius ſanguis, per quem omnia creata ſunt, fuſus eſt pro omnium ſalute, Apoſtolo teſtante, qui ait, Et ſanguis filij Dei redemit nos. Quæ omnia magis fide venerari, quam ratione diſcutere debemus: Quia vbi ratio deficit, ibi fides eſt neceſſaria. Contra naturam eſt quod virga multis arida diebus floruit in tabernaculo. Contra naturam eſt vt virgo abſque virili coniunctione filium generaret: ſed conditor naturarum nihil ſibi impoſſibile condidit: vnde non potuiſſet de qualicunque natura quodcumque voluiſſet efficere. Potuit-ne de carne virginis proprium ſibi procreare filium an non potuit? Si non potuit, non eſt omnipotens: ſi vero potuit & noluit, vos habetis dare rationem quare noluiſſet: Et ſi hoc poteritis enarrare, ergo voluntas Dei altiſſimi comprehenſibilis eſt humano animo: & falſum eſt quod Apoſtolus ait, incomprehenſibilem eſſe Deum. Nunquid non maior eſt dignitas in proprio filio quàm in adoptiuo? Nos vero voluit in ſecundo gradu habere filios adoptiuos per eũ qui in primo gradu ex virgine de Spiritu ſancto concipiente ſibi factus eſt filius proprius. Quid potuit ex Deo naſci niſi verus Deus? Nam Spiritus eſt Deus, & omnis Catholica Eccleſia cantat, credit & prædicat poſt confeſſionem paternæ maieſtatis de filio vnico & vnigenito huiuſmodi verba in ſymbolo: Credimus & in Ieſum Chriſtum filium Dei vnigenitum, natum ex patre ante omnia ſecula, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero: natum, non factum, conſubſtantialem patri per quem omnia facta ſunt: Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlo, & incarnatus eſt de Spiritu ſancto & Maria virgine, & homo factus eſt: crucifixus autem pro nobis ſub Pontio Pilato, paſſus & ſepultus, & reſurrexit tertia die, & aſcendit in cælum, & ſedet ad dexteram Patris, & iterum venturus eſt cum gloria iudicare viuos & mortuos, cuius regni non erit finis. Reuocate ad voſmetipſos oculos cordis veſtri, & intelligite huius ſolidiſſimi ſymboli conſequentiam, de vno vnigenito filio Dei ſemper dicit, & de duabus naturis in vno filio Dei, eundemque dicit natum de Patre, Deum de Deo: eundem dicit natum de Spiritu ſancto & Maria virgine, paſſum & ſepultum, & reſurgentem die tertia. Quid eſt quod eum diuidis in duos filios, vnum de Spiritu ſancto & Maria virgine natum quem adoptiuum adſeris: alterum de Deo Patre, quem verũ dicis? Certum namque eſt Dominum Ieſum Chriſtum ſecundum Catholicam fidem & præconia ſcripturarum duas habere natiuitates, vnam de patre ſine tempore, alteram de matre ſine virili coniunctione, & harum duarum natiuitatum proprias habere naturas, Dei ſcilicet qua de Patre natus, & hominis qua eſt de matre progenitus: vnus idemq; Deus, vnus idēque homo, vnus idemque filius Ieſus Chriſtus. Gemina enim natiuitas geminam vni Chriſto dedit naturam. Qui Deus eſt de patre, item Deus homo eſt de matre. Has itaque naturas, quas ex vtroque habet parēte, Apoſtolus duas nominat formas dicens de ipſo

Qui cùm in forma Dei eſſet non rapinam
arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſe-
met ipſum exinaniuit formā ſerui accipiēs.
Cernis in vna Chriſti perſona vtriuſq. for-
mæ, vtriuſque naturæ myſterium contine-
ri: Idem paſſibilis & impaſſibilis, idem mor-
talis & immortalis: non alter & alter, ſed idē
& vnus in duab. naturis. Sicut vnus eſt ho-
mo mortalis & immortalis, mortalis carne,
immortalis anima. ſed vnus eſt homo &
non alter: ſic vnus eſt Chriſtus in diuinita-
te & in humanitate, non alter & alter: &
iuxta Euangeliſtam, ſi Deus eſt Verbum, &
Verbum caro factum eſt, vtique caro Deus
eſt propter Verbum, & Verbum homo pro-
pter carnem: Et eſt Deus & homo Ieſus
Chriſtus Dei Patris vnus filius vnigenitus
in vna perſona, ſicut ſæpe diximus & ſem-
per dicemus. De his duabus formis & bea-
tus Auguſtinus in libro primo de ſancta
Trinitate ita diſſeruit dicens: Semetipſum
exinaniuit formam ſerui accipiens. Neque
enim ſic accepit formam ſerui vt amitteret
formam Dei in qua erat æqualis patri. Sic
ergo accepta eſt forma ſerui, vt non amit-
teretur forma Dei, cum in forma ſerui, &
in forma Dei, idem ipſe ſit filius virginis &
Dei patris. Et poſt pauca: Proinde in forma
Dei fecit hominem, in forma ſerui factus eſt
homo. Nam ſi Pater tantum ſine filio feciſ-
ſet hominem, non ſcriptum eſſet, Faciamus
hominem ad imaginem & ſimilitudinem
noſtram. Ergo quia forma Dei accepit for-
mam ſerui, vtrumque Deus, vtrumque ho-
mo: ſed vtrumque Deus propter accipien-
tem Deum: vtrumque autem homo, prop-
ter acceptum hominem. Nos nō ſequimur
nec Neſtorianam diuiſionem, qui propter
duas naturas duas perſonas in Chriſto in-
ſerere voluit. Nec Eutychetis confuſio-
nem, qui propter vnam perſonam vnam
naturam in Chriſto inſerere voluit. Am-
bo à Catholica fide deuiantes, impietate
pares, quia fidem rectam non tenuerunt,
ſed errore impares, quia iſte confundit, ille
diuidit. Sed vt horum impios & deteſtabi-
les Catholico ſenſu refutemus errores,
vtriuſque naturæ proprietatem, & vnius
perſonæ tractemus arcanū. Vnus eſt Chri-
ſtus, idem Deus, idemque homo habens in
vocabulis & geſtis vnū quod humanitati,
aliud quod propriè diuinæ conueniat na-
turæ, licet vtrumque ſimul ad vnam eius
perſonam pertineat, ad vnamque filij pro-
prietatem, & ad vnam deitatis dignitatem.
Igitur ſicut Neſtoriana impietas in duas
Chriſtum diuidit perſonas, propter duas
naturas quas ipſa veritas quæ Chriſtus eſt,

A palam in ſe oſtendit ipſe dum ait: Ego &
pater vnum ſumus, propter diuinitatis ſub-
ſtantiam: Et iterum: Pater maior me eſt,
propter humanitatis naturam: Ita & veſtra
indocta temeritas in duos eum diuidit fi-
lios, vnum proprium, alterum adoptiuum.
Si vero Chriſtus eſt proprius filius Dei pa-
tris & adoptiuus: Ergo eſt alter & alter. Si-
militer ſi in diuinitate Deus verus eſt, & in
humanitate Deus nuncupatiuus alter eſt, &
nullatenus ſic ſentientes poteſtis vobis eui-
tare impietatem Neſtorianæ doctrinæ: Quia
quem ille in duas perſonas diuidit propter
B duas naturas, hunc vos diuiditis in duos fi-
lios, & in duos deos per adoptionis nomen
& nuncupationis. Intelligite quandoqui-
dem hunc errorem veſtrum, & humiliami-
ni ſub manu omnipotentis Dei, & diſcite
veritatis doctrinam, ne ſitis magiſtri erro-
ris: ne dum Eutychetis foueā declinare, &
impermixtionem duarum naturarum ca-
uere videamini, in Neſtorij barathrum in-
conuenienter diuidendo decidatis, licet
voce diſsimili, tamen confeſsione pari:
C Quem enim fecit ille in perſonis alterum
& alterum, hunc vos facitis & in filiis duo-
bus, & in diuinitatis diuerſitate alterum &
alterum: quia nullatenus in vnam perſo-
nam coniungere poteſtis, illum qui ait in
Rubo Moyſi famulo ſuo, Ego ſum Deus A-
braham, & Deus Iſaac, & Deus Iacob: Et il-
lum qui ait, Deum Pharaonis te conſtitui
Vnde & beatus Gregorius in quadam ho-
melia in Ezechielem Prophetam, in Chri
ſto omnino naturalem teſtatur diuinita
tem eſſe, non nuncupatiuam. Ait [illegible] di
D de Dei vocabulo tractaret, Ecce conſtitu
te Deum Pharaonis: In ſcriptura ſacra ali
quando Deus nuncupatiue, aliquando ve
ro Deus eſſentialiter dicitur. Nuncupatiu
enim dicitur, ſicut nunc ad Moyſem dict
eſt, Ecce conſtitui te Deum Pharaonis. ſicu
iterum Moyſes ait, ſi quis homo hoc vel il
lud fecerit, adplica illum ad deos, *videlicet*
ad ſacerdotes: & ſicut Pſalmiſta ait, Deu
ſtetit in ſynagoga deorum, in medio autē
E Deus diſcernit. Eſſentialiter autem Deus di
citur, ſicut ipſe ad Moyſem dicit: Ego ſum
Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Ia
cob. Vnde Paulus Apoſtolus volens De
nomen nuncupatiuum ab eſſentiali diſcer
nere, ait: Quorū patres ex quibus Chriſtu
ſecundum carnem, qui eſt benedictus ſupe
omnia Deus in ſecula. Nuncupatiuus enim
Deus inter omnia, eſſentialis autem ſupe
omnia. Vt ergo oſtenderet Chriſtum natu
raliter Deum, non hunc Deum tantumme
do, ſed Deum ſuper omnia eſſe memoraui

qui

quia & iuſtus quilibet Deus eſt, ſed inter omnia, quia nuncupatiuus Deus eſt: Chriſtus autem Deus ſuper omnia, qui naturaliter Deus eſt. Igitur non æqua proprietate ſunt filij Iacob Patriarchæ, Iudas qui ſibi in proprium filium genitus eſt: & Ephraim quem quidem ipſe Patriarcha adoptauit ſibi in filium. Et licet de vtriſque nepotibus regalis proſapia orta eſſet; tamen Chriſtus magis voluit de eius nepotibus naſci qui proprius filius fuit, quam de illius quem Patriarcha ſibi adoptauit in filium. Quod vero dicitis Chriſtum duos habere patres, Deum omnipotentem, & Dauid Regem, & non poſſe proprium filium duos habere patres: quis eſt hominum qui eo modo non habeat poſt proprium patrem & alium patrē? quod Dauid fuit pater Chriſti, non ſolum vnum, ſed plures etiā ſicut ipſa beata virgo omnipotens potuit habere patres, de quorum genealogia orta eſt à patre ſe generante vſque ad Dauid, vel etiam vſque ad ipſum Adam: licet quodam ſpecialis regiæ dignitatis priuilegio, propter Chriſtum filia Dauid dici debeat, ſicut & ipſe Ioſeph Dauid filius dicitur, ad quem Angelus ait: Ioſeph fili Dauid noli timere accipere Mariam coniugem tuam: Quia ex Dauid ſemine ſanctiſſima virgo Maria orta eſt, de qua ſibi Chriſtus carnem adſumpſit. Iam, ſecundū quod vobis placet, honorabilior eſt in Chriſto paternitas Dauid, quam paternitas Dei patris. Et quid vultis de Ioſeph ipſo dicere, de quo Euangeliſta ait: Et erat pater eius & mater mirantes de his quæ dicebantur de eo. Et ipſa mater Domini noſtri Ieſu Chriſti: Fili quid feciſti nobis ſic? Ego & pater tuus dolentes quærebamus te. Cui & ipſe filius reſpondit: Quid eſt quod quærebatis me? Neſciebatis quod in his quæ patris mei ſunt oportet me eſſe? vt oſtenderet patrem ſuum eſſe Deum, magis quàm Ioſeph. Tamen, vt Sanctus Auguſtinus ait, magis Chriſtus eſt filius Ioſeph, quàm ſi eum adoptaret aliunde, quia de vxore ſua natus eſt. Ideoque velim reſpondeatis, an magis ſic Ieſus Chriſtus ex virgine natus eſt Dei patris aut ipſius Ioſeph filius? Nullatenus audetis (vt reor) paternitatē Ioſeph præferre paternitati Dei patris in Chriſto Ieſu, ne aperta vos inuoluatis blaſphemia: Dum vbi in ſanctis Euangeliis ille ipſe Deus Chriſtus ſibi patrem Deum omnipotentem nominare ſoleat. Quod ſæpius legentes quique inuenire poſſunt quam vt exemplis indigeat. Et ipſe quoque pater filium ſuum eum nominaret, ſicut in ſancto baptiſmo legitur: vbi ait Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. Similiter & in monte ſancto audientibus Apoſtolis qui cū eo erāt. Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipſum audite. Ergo diuiſionem non fecit vox paterna inter filium & filium, quia quem proprium ſibi genuit ex æternitate, proprium quoque ſibi voluit habere ex matre. De hac quoque teſtificatione paternæ vocis & beatus Beda presbyter in expoſitione Cantici Canticorum huiuſmodi mentionem fecit: Dilectus meus candidus & rubicundus, electus ex milibus: Candidus quia ſine peccato: Rubicundus, quia ſuo ſanguine nos redemit. Electus ex milibus, quia ex omni genere humano vnus mediator Dei & hominum, per quem mundus reconciliatur, adſumptus eſt à Deo. Solus mortalium à Deo de cælo dignus fuit audire: Hic eſt filius meus dilectus in quo mihi complacui. Quis eſt tam contentioſus, & tam perfidus, qui teſtimonio Dei patris non credat de filio ſuo? Quod teſtimonium præfatus doctor dicit ſuper illum veniſſe qui mortalis fuit: vbi locum habet veſtra contentio eum negare filium Dei eſſe proprium, quem ſuo teſtimonio ſummus pater ſuum eſſe proprium, etiam & dilectum teſtatus eſt. Neſcio qua cæcitate ſeducti eſtis, quaſi non poſſit eſſe proprius filius Dei qui ex virgine natus eſt? Et quomodo ſancta Dei Eccleſia beatam virginem genitricem Dei appellare ſolet, niſi quia ille ipſe qui natus eſt ex eius carne, proprius eſt filius Dei: & qui natus eſt ex ſubſtantia Dei patris proprius eſt filius virginis? Vt in vtraque generatione ſit proprietas non adoptio: veritas non appellatio. Sicuti in libro Eccleſiaſticorum dogmatum legitur, vbi poſt Catholicam ſanctæ Trinitatis confeſſionem de Filij proprietate in vtraque natura congruenter Apoſtolicis traditionibus inſertum legitur: Non pater carnem adſumpſit, neque Spiritus ſanctus, ſed filius tantum: vt qui erat diuinitate Dei filius ipſe fieret in homine hominis filius: ne filij nomen ad alterum tranſiret, qui non erat natiuitate filius. Dei ergo filius hominis factus eſt filius: natus ſecundum veritatem naturæ ex Deo Dei filius, vt ſecundum veritatem naturæ ex homine hominis filius; vt veritas geniti non adoptione, non appellatione, ſed in vtraque natiuitate filij nomen naſcendo haberet: & eſſet verus Deus, & verus homo, vnus filius. Non ergo duos Chriſtos, neque duos filios, ſed Deum & hominem vnum filium. Quem propterea & vni-

genitum dicimus manentem in duabus ſubſtantiis, ſicut creaturæ veritas contulit, non confuſis naturis, neque immixtis, ſicut Timothiani volunt, ſed ſocietate vnitis. Deus ergo hominem adſumpſit, homo in Deum tranſiuit, non naturæ verſibilitate, ſed Dei dignatione, vt nec Deus mutaretur in humanam ſubſtantiam, adſumendo hominem; nec homo in diuinam licet glorificatus in Deum. Nam ſi neceſſe eſt adoptiuum eſſe Chriſtum Dei patris, propter quod ex ſubſtantia ſua natus non eſt ſecundum carnem, quomodo non eſt adoptiuus filius virginis ille qui natus eſt ex Deo, quia de eiuſdem virginis ſubſtantia creatus non eſt? Ergo ſi neceſſe eſt hominem ex virgine natum, virginiſque filium adoptiuè eſſe filium Dei: ipſo modo neceſſarium eſt Deum Dei filium adoptiuè eſſe filium virginis, quia alia ſubſtantia eſt Dei patris de qua eſſentialiter natus eſt Dei filius: Alia virginis de qua corporaliter natus eſt Chriſtus. Aut ſi hoc non audetis dicere (quia Chriſtianum nomen habetis) vt beata virgo non ſit proprie Dei genitrix, ſed per adoptionem: Æquum eſt vt non audeatis adfirmare filium virginis adoptiuum eſſe Dei patris filium. Quid igitur reſtat niſi vt vtriuſque parẽtis verus & perfectus in duabus ſubſtantiis Ieſus Chriſtus ſit filius totus Dei patris proprius, totus virginis matris proprius, vt ſit vnus Chriſtus, vnus filius, & vnus Deus? Audiamus quid beatus Auguſtinus in Epiſtola ad Hilarium & Proſperum de hac mirabili & ſpeciali Chriſti natiuitate dicat: Reſpondeatur (inquit ille) homo vt à verbo coæterno in vnitatem perſonæ adſumptus filius Dei vnigenitus eſſet, vnde hoc meruit natura humana vt ad hanc ineffabilem excellentiam perueniret? Nonne faciente ac ſuſcipiente verbo ipſe homo ex quo eſſe cœpit, filius Dei vnicus eſſe cœpit? Nonne filium Dei vnicum femina illa gratia plena concepit? Nonne de Spiritu ſancto & virgine Maria Dei filius vnicus natus eſt, non carnis libidine, ſed ſingulari Dei munere? Quid ergo ambiguitatis habet tanti patris teſtimonium? Ecce eum qui de virgine natus eſt vnigenitum & vnicum Dei filium non dubitauit nominare & credere. Numquid vnus filius vnius patris poteſt vtrumque & vnicus eſſe & adoptiuus? vel de quolibet ſanctorum legitur niſi de Chriſto ſolo, qui natus eſt ex virgine, vnigenitum Dei filium dici? Et ſi parum crediA tis teſtimoniis ſanctorum patrum, credite ipſi Dei filio de ſe teſtimonium proferenti. Ait enim in Euangelio: Sic enim dilexit Deus mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret. Quis autem datus eſt pro mũdi ſalute? ille vtique qui torcular calcauit ſolus, & ſanguinis effuſione rubicunda habuit veſtimenta, quem vos per omnia ſimilem eſſe nobis abſque lege peccati contenditis, ſicut in libelli veſtri ſerie oſtenditur, vt ipſa verba ponamus quæ vos in eodem poſuiſtis, dicentes, Non in gloria deitatis in qua per omnia ſimilis eſt patri, diſſi- B milis vero omni creaturæ, ſed in ſola humanitate, in qua per omnia ſimilis factus eſt nobis, excepta lege peccati; ſimilis vtique in natura, cui tamen nullus ſimilis extat vel æqualis in gloria. In hoc autem illum adoptiuum credimus apud patrem, in quo ſecundum carnem filius eſt Dauid, non tamen in hoc quod Dominus exiſtit. In multis eum dicimus ſimilem, & nos in plurioribus diſſimilem: ſimilis in natura vt dicitis, ſed diſſimilis in gloria: diſſimilis C eſt nobis, ſi nobiſcum eſt adoptiuus filius & nuncupatiuus Deus. Videte ne vobiſmetipſis contraria dicatis, quem adſeritis in natura nobis per omnia ſimilem, hunc eundem dicitis diſſimilem in gloria. In hoc enim diſſimilem illum nobis dicimus, quia non ſolummodo purus homo natus eſt, ſicut nos, ſed etiam Deus homo: ſimilis in eo quod Apoſtolus ait, quia pueri communicauerunt carni & ſanguini: & ipſe ſimiliter participauit his idem, vt per D mortem deſtrueret eũ qui habebat mortis imperium. Diſsimilis vero in eo quod eandem mortem non miſera neceſsitate, ſed miſericordi voluntate ſuſcepit, ipſo teſtante, Poteſtatem habeo ponendi animam meam, & poteſtatem habeo ſumendi eam. Nam nos neceſsitate morimur non voluntate: ſicut Apoſtolus ait. In hoc enim ingemiſcimus quod ſuperueſtiri volumus, vt abſorbeatur hoc mortale à vita. Et in hoc diſsimilis, quod caro illius quam de virgine ſumpſit, caro eſt filij Dei propter v- E nionem verbi, quod caro factum eſt: De cuius ſupereminenti gloria & incorporabili omnibus ſanctis, illius vtique qui ex virgine factus eſt, verus ſit vnigenitus Dei filius. Præfatus pater Auguſtinus in libro quẽ de prȩſentia Dei ad Dardanum ſcripſit mirabiliter & ſublimiter diſſeruit, ita dicẽs Quid ergo eſt? hoc ne intereſſe arbitramur inter caput & mẽbra cætera, quod in quolibet quamuis præcipuo membro: velu

in aliquo magno Propheta aut Apoſtolo quamuis diuinitas habitet, non tamen vt in capite quod eſt Chriſtus omnis plenitudo diuinitatis. Nam & in noſtro corpore ineſt ſenſus ſingulis membris, ſed non tantus quantus in capite, vbi prorſus omnis quinquepertitus eſt. Ibi enim & viſus eſt, & auditus, & olfactus, & guſtus, & tactus: In cæteris autem ſolus eſt tactus. An etiã præter hoc quod velut in tẽplo, in illo corpore habitat omnis plenitudo diuinitatis, eſt aliud quod interſit inter illud caput & cuiuſlibet membri excellentiam? eſt plane quod ſingulari quadam ſuſceptione hominis illius vna facta eſt perſona cum verbo. De nullo enim ſanctorum dici potuit, aut poteſt, aut poterit, Verbum caro factum. Nullus ſanctorum qualibet præſtantia gratiæ vnigeniti nomen accepit, vt quod eſt ipſum Dei verbum ante ſæcula, hoc ſimul cum adſumpto homine diceretur. Singularis eſt illa ſuſceptio, nec cum hominibus aliquibus ſanctis quantalibet ſapientia & ſanctitate præſtantibus vllo modo poteſt eſſe communis, vbi diuinæ gratiæ ſatis perſpicuum clarumque documentum eſt. Quis enim tam ſit ſacrilegus vt audeat adfirmare aliquam poſſe animam per meritum liberi arbitrij, vt alter ſit Chriſtus, efficere? Vt enim ad perſonam verbi vnigeniti pertineret, quo pacto per liberum arbitrium cõmuniter omnibus & naturaliter datum vna ſola anima meruiſſet, niſi hoc ſingularis gratia præſtitiſſet quam fas eſt prædicare, de qua nefas eſt iudicare velle? De hac etiam excellentia illius hominis qui de virgine natus eſt, idem pater in Epiſtola præfata ad Hilarium & Proſperum ſubliliter enarrat, vbi abundanter diſputat contra aduerſarios qui ſeipſos æquales eſſe contendunt in gratia Chriſto propter communionem naturæ, ponens primo verba aduerſariorum hoc modo. Reſpondeat, inquit, homo Deo (ſi audet) & dicat, cur non & ego? Et ſi audierit, ô homo tu quis es, qui reſpondeas Deo? Nec ſic cohibeat, ſed augeat impudentiam & dicat: Quomodo audio, tu quis es ô homo, cum ſim quod audio, id eſt, homo quod & ille de quo ago, cur non ſim quod ille? At enim gratia ille talis & tantus eſt: cur diuerſa eſt gratia vbi natura communis eſt? Certe non eſt perſonarum acceptio apud Deum. Quis non dico Chriſtianus, ſed inſanus hæc dicat? Appareat itaque nobis in noſtro capite ipſe fons gratiæ, vnde ſecundum vniuſcuiuſque menſuram ſuper cuncta

A eius membra diffundit. Ea gratia fit ab initio fidei ſuæ homo quicunque Chriſtianus, qua gratia homo ille ab initio factus eſt Chriſtus. De ipſo Spiritu eſt hic renatus de quo eſt ille natus. Aliter vt ſanctus Auguſtinus vult intelligi plenitudo fontis manat, aliter riuuli menſura currit de fonte, quod beatus Baptiſta teſtatur: Non enim (inquit) ad menſuram dat Deus ſpiritum. Pater enim diligit filium, & omnia dedit in manu eius. De riuulorum menſura Apoſtolus teſtatur: Vnicuique noſtrum data eſt gratia ſecundum menſuram donationis

B Chriſti. Et quia paulo ante feciſtis mentionem Dauid, velim dicatis de quo interrogaſſet ipſa veritas Iudæos vbi ait: Cuius filius eſt Chriſtus? Dixerunt: Dauid. Ipſe autem propoſuit illis quæſtionem quomodo dictum ſit, Dixit Dominus Domino meo; ſede à dextris meis. Si filius eſt Dauid, quomodo eſt Dominus eius? Cui autem naturæ dictum eſt, ſede à dextris meis, diuinæ an humanæ? humanæ ſcilicet, vt in ſymbolo cantatur, Qui aſcendit in cœlos & ſedet à dextris Dei. Vnde & Marcus Euangeliſta

C in fine Euangelij ſui ait: Et Dominus quidem Deus poſtquam locutus eſt aſſumptus eſt in cœlum & ſedit à dextris Dei. Naturæ cui dictum eſt: Terra es & in terram ibis, huic dictum eſt, ſede à dextris meis. Hoc dixit Chriſtus vt beatus Hieronymus expoſuit in tractatu huius Pſalmi ad Phariſæos, qui ſimplicem filium Dauid confitebantur Chriſtum. Si filius eſt Dauid, quomodo vocat filium ſuum Dominum? Et paulo poſt, idem ipſe: Videte ergo quid

D dicit: Dixit Dominus Domino meo. Num hic cui præcipitur vt ſedeat, Deus non ſedet, adſumptio corporis ſedet? Huic ergo præcipitur vt ſedeat, quia homo eſt qui adſumptus eſt: De quo & Apoſtolus ait, & eſt Dominus omnium: Et ſi eſt Dominus omnium, vtique & Dominus eſt Dauid, de cuius ſemine natus eſt carnaliter. Hoc ideo tam ſubtiliter interrogauit ipſe Deus Chriſtus, vt intelligeretur eundem eſſe Dominum Dauid & qui

E filius eſt. Et ſi hoc parum videatur infidelitati veſtræ tanti patris teſtimonio Dominum eſſe qui natus eſt de ſemine Dauid, (vt te quoque, ô Felix huius nouitatis adſertor, ſpecialiter Angelicæ vocis adſertione adloquar) audi etiam loquentem ad paſtores de Dei ortu Angelum Dei: Natus eſt, inquit) vobis hodie Saluator, qui eſt Chriſtus Dominus in ciuitate Dauid: ne ſolum vtique Chriſtum hominẽ intelligeres, & Dei tibi & Saluatoris nomen adiecit:

ſcilicet vt quem Saluatorem eſſe cognoſceres, Deum nequaquam eſſe dubitares: & cum ſaluandi virtus non niſi diuinæ competeret poteſtati, diuinæ eam potentiæ eſſe non ambigeres, in quo potentiam ſaluandi eſſe didiciſſes. Sed & hoc incredulitati tuæ parum fortaſſe videatur, quia eum Angelus Domini potius Saluatorem quam Deum aut Dei filium nominaret, cum vtique impiiſſime Deum neges quem Saluatorem eſſe fatearis: Quem beatus doctor gentium Saluatorem ſæpius nominare non dubitauit, dicens ad Titum: Apparuit enim gratia Dei Saluatoris noſtri. Audi quoque Archangelum Gabrielem Mariæ virgini prædicantem: Spiritus, inquit, ſanctus ſuperueniet in te, & virtus altiſſimi obumbrabit tibi, ideo & quod naſcetur in te ſanctum, vocabitur filius Dei. Vides quemadmodum natiuitatem Dei indicaturus diuinitatis opera præmiſerit: Spiritus enim ſanctus (inquit) veniet in te, & virtus altiſſimi obumbrabit tibi. Pulcherrime loquens Angelus excellentia verborum maieſtatem diuini operis explicauit. Quid enim tanti apparatus opus erat in natiuitate vnius infantuli (vt tu vis) adoptiui? Pater obumbrauit, Spiritus ſanctus imprægnauit, filius incarnatus eſt, dum omnis cæleſtis terrenaque creatura ſolo iubētis verbo facta eſt: vt habetur in Pſalmo: Ipſe dixit & facta ſunt, ipſe mandauit & creata ſunt. Cur parum fuit iuſſio dicentis, ſicut in cæteris omnibus creaturis ad vnius hominis procreationem, ſi tantummodo purus homo natus eſt, & non Deus vel etiam Dei filius verus? Sed illa vtique omnia opera Angelicarum poteſtatum vel omnium creaturarum facta ſunt per iuſſionem Dei: Natiuitas autem Dei filij agenda non erat, niſi per aduentum & operationem ſanctæ Trinitatis: quia & concipi Deus ab homine niſi ſe donante, & naſci niſi ſe inlabente non poterat. Et ideo Archangelus ſuperuenturam virgini maieſtatem ſacram indicabat: videlicet vt quia agi tanta res per humanum officium non valebat, ipſius adfuturam diceret maieſtatem in conceptu, qui erat futurus in partu. Et quia Deus ſuperuenit in conceptione, ideo futurus erat Deus in parturitione. Et quid de Deo niſi Deus naſci potuit? Spiritus eſt Deus vt Apoſtolus ait. De quo Spiritu (vt in ſymbolo cantitamus) ex Maria virgine natus eſt filius Dei. Addidit quoque quærenti virgini Archangelus, Ideoque quod ex te naſcetur ſanctum vocabitur filius Dei. Hoc eſt dicere, non ignora-

A res hunc tantæ rei apparatum, hoc tāti myſterij ſacramentum: Ideo in te veniet maieſtas Dei, quia ex te naſcetur filius Dei. Quid hic vltra ambigi, aut quid amplius dici poteſt? Deum dixit ſuperuenturum, Dei filium naſciturum. Tu quære nunc ſi placet, quomodo aut Dei filius ſit, quomodo aut Dei filius non ſit qui natus eſt, vel ſi Dei filius ſit quomodo Deus non ſit? Si vero nec Archāgelorū credis teſtimonio, crede ſaltem ipſius Dei patris qui ait vbi transfiguratus eſt Chriſtus in monte ſancto ſicut prædiximus, Hic eſt filius meus in quo mihi bene B complacui, ipſum audite. Quam viſionem præcepit Apoſtolis tacere donec filius hominis à mortuis reſurgeret; ne dum gloria prædicaretur maieſtatis, crucis myſterium impediretur. Cur enim ſi de diuina natura Dei filij dixiſſet, hic eſt filius meus dilectus, taceri præcipitur, dum toties Chriſtus ſe oſtendit palam, & prædicauit Dei eſſe filium, veluti vbi ait, Ego & pater vnum ſumus: Item, qui videt me videt & patrem: Item, omnia quæ pater facit, hæc & filius C ſimiliter facit: & multa talia, vbi ſe in diuina ſubſtantia omnino patri æqualem, & patris eſſe filium non tacuit. Sed hæc vox paterna ad hoc in baptiſmo ſuper filium hominis facta eſt, vt agnoſceretur & crederetur verus eſſe filius Dei homo, qui ex ſubſtantia beatæ virginis creatus eſt. Sed forte meæ paruitatis ſenſus tibi non ſufficit, vt de Chriſto, qui de virgine natus eſt, hæc teſtimonia patris prolata ſint. Audi etiam quomodo patres noſtri viri vere Catholici reſponderent anteceſſoribus tuis, qui D Chriſtum nec Dei filium, nec Deum verum voluerunt credere, vt eadem verba ponamus, quæ leguntur in libro beati Caſſiani: Vel ſic diuino (inquit) credas teſtimonio à ſignis cœleſtibus quæ ſuper baptiſmum Chriſti apparuerunt. Hæc ſunt verba fidei catholicæ. Quid ergo Apoſtolus Thomas tetigit, cum ad palpandum Deum acceſſiſſet? Chriſtum vtique abſque dubio: Quid autem exclamauit? Dominus (in- E quit) meus & Deus meus. Nunc ſi potes & Chriſtum à Deo ſepara, immuta dictum hoc ſi vales: da Dialecticam diſputationem, da prudentiam mundialem, & ſtultam illam verboſa calliditate ſapientiam: verte omnes tete in facies, & contrahe quicquid ſiue animis, ſiue arte vales, quidlibet dicas, quidlibet facias, exire hinc nuſquam vales, niſi hoc quod Apoſtolus tetigit, Deum fatearis. Et quidem ſi quomodo poſſis, immutare forſan hiſtoriæ Euāgelicæ prædicationem velis, vt ne

corpus Domini Thomas Apoſtolus contigiſſe, necChriſtum Dominum Deum dixiſſe legeret. Sed immutari quod in Euangelio Dei ſcriptum eſt, nequaquã poteſt. Cœlum enim & terra tranſibunt, verba vero Dei non præteribunt. Ecce enim etiam nũc tibi ille qui tunc teſtatus eſt Thomas Apoſtolus, clamat: Deus eſt Ieſus quem tetigi, Deus cuius membra palpaui, non ego incorporalia tenui, nec intractabilia tentaui. Non Spiritum manu contigi, de eo tantum credat dixiſſe, Deus eſt. Spiritus iuxta Domini mei dictum carnem & oſſa nõ habet: Ego corpus Domini mei tetigi: Ego carnẽ & oſſa palpaui: ego digitos meos in locum vulnerum miſi, & de ChriſtoDomino meo quem palpaueram proclamaui, Dominus meus & Deus meus. Non enim noui inter Chriſtum & Deum facere diſtantiam, inſerere ſacrilegas opiniones inter Ieſum & Deum nolo. Deuellere à ſeipſo Dominum meum neſcio, fac eſſe à me quiſquis diuerſa ſentis, quiſquis diuerſa loqueris: Ego aliud Chriſtum quam Deum eſſe non noui: hoc cum coapoſtolis meis tenui, hoc Eccleſiis tradidi, hoc gentibus prædicaui, hoc etiam tibi clamo, Chriſtus Deus eſt, Chriſtus Deus eſt. Aliud mens ſana non ſentit, aliud fides ſana non loquitur, diuelli à ſe diuinitas non poteſt: Et cum vtique quicquid eſt Chriſtus, Deus ſit; inueniri in Deo aliud non poteſt quam Deus. Quid ais tu nunc, Hæretice? ſufficiunt ne hæc teſtimonia fidei etiam ſummæ infidelitati, an adhuc aliquid addendum eſt? Et quid vel poſt Prophetas, vel poſt Apoſtolos addi poteſt? Niſi forte, vt Iudæi quondam expoſtulabant ſignum ſibi de cælo, etiam tu tibi dari poſtules. Sed petenti tibi hoc aliud quod reſponſum tunc illis eſt, neceſſe eſt reſponderi, Generatio praua & adultera ſignũ quærit, & ſignum non dabitur ei, niſi ſignum Ionæ Prophetæ: & verè ſufficere tibi ſignũ hoc, vel cum Iudæis crucifigentibus poterat, vt Dominum Deum non etiam hac re ſola edoctus crederes, quem etiam illi qui perſecuti fuerant, crediderunt. Sed tamen quia cœleſtis ſigni fecimus mentionem, oſtendam tibi de cælo ſignum, & quidem tale, cui nec dæmones vnquam contradixerunt, dum ipſa veritatis neceſſitate cogente, licet Ieſum corporeum eſſe cernerent, Deum tamen, quod erat, eſſe clamabant. Quid ergo ait Euangeliſta de Domino Ieſu Chriſto? Baptizatus (inquit) confeſtim aſcendit de aqua, & ecce aperti ſunt ei cæli, & vidit Spiritum deſcendentem ſicut columbam venientem ſuper ſe, & ec-

A ce vox de cælis dicens, Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacui. Quid ad hæc nunc Hæretice ais? dictum diſplicet an perſona dicentis? nec interpretatione certe indiget intelligentia allocutionis, nec commendatione verborum dignitas alloquentis. Deus pater eſt qui dixit, euidens eſt quod dictum eſt. Numquid tam impudentem aut ſacrilegam vocem proferre poteris, vt dicas de vnigenito Dei filio, nec Deo patri eſſe credendum? Hic eſt ergo (inquit) filius meus dilectus in quo mihi

B complacui. Sed tentabis forſitan dicere, vt eſt dementia, de verbo hoc, non de Chriſto dictum fuiſſe: Dic mihi ergo quis erat qui baptizabatur, verbum an Chriſtus? Quis baptizatus eſſet in Iordane, caro an Spiritus? Negare vtique nõ potes Chriſtũ fuiſſe. Homo ergo ille ex homine ac Deo natus Spiritu ſancto in virgine deſcendente, & virtute altiſſimi obumbrante conceptus, ac ſic hominis & Dei filius. Ille vtique (vt negare non potes) baptizatus eſt. Si ergo ille baptizatus eſt, ille & nominatus:

C quia ille vtique nominatus qui baptizatus eſt: Hic eſt (inquit) filius meus dilectus, in quo mihi complacui. Numquid dici ſignificantius aut expreſſius quicquam poteſt? Chriſtus baptizatus eſt, Chriſtus de aqua aſcendit, Chriſto baptizato cæli aperti ſunt. Deſcendit ſuper Chriſtum corporali ſpecie Spiritus ſanctus, Chriſtum pater appellauit. Hoc ſi de Chriſto dictum negare auſus es, ſupereſt vt nec baptizatum Chriſtum fuiſſe, nec Spiritum deſcendiſſe, nec patrem locutum fuiſſe contendas. Sed vrget tamen & premit te ipſa veritas, vt etiam ſi confiteri eam nolis, tamen negare

D non poſſis. Quid enim ait Euangeliſta? baptizatus autem confeſtim aſcendit de aqua, qui baptizatus eſt, Chriſtus vtique: Et ecce (inquit) aperti ſunt cæli: Cui ſcilicet niſi illi qui baptizatus eſt, Chriſto vtique. Et vidit Spiritum Dei deſcendentem ſicut columbam veniẽtem ſuper ſe. Quis vidit? Chriſtus, ſcilicet, vel Ioãnes. Super quem deſcẽdit? ſuper Chriſtum vtique. Et vox facta eſt

E de cœlo dicens. De quo? de Chriſto, ſcilicet, quid enim ſequitur? Hic eſt filius meus dilectus in quo mihi complacui, vt omnia illa propter quem facta eſſent, oſtenderentur, vox conſecuta eſt dicens: Hic eſt filius meus dilectus in quo mihi cõplacui. Hoc eſt dicere, hic eſt propter quem cuncta hæc facta ſunt: Hic eſt enim filius meus: propter hunc cœli aperti ſunt: propter hũc Spiritus meus venit: propter hunc vox mea facta eſt, hic eſt filius meus. Dicẽs ergo, hic eſt

filius meus, quem deſignabat? Illum vtique quem columba tangebat: Quem ergo colũba tetigit? Chriſtum, ſcilicet, ergo Chriſtus filius eſt Dei. Impleta eſt (vt reor) ſpõſio mea. Vides ergo Hæretice profectò ſignum tibi de cœlo datum, & quidem non vnũ, ſed & multa & ſingularia. Habes enim vnum in apertione cœli: aliud in Spiritus deſcenſione: tertium in patris voce. Quæ vtique omnia Chriſtum Deum eſſe declarant. Quia eum & reſeratio cœlorũ Deum indicat, & deſcenſio ſuper eum ſancti Spiritus Deum adprobat, & allocutio Patris Deum eſſe confirmat. Neque enim vel cœlum niſi Domini ſui honori patuiſſet, vel Spiritus ſpecie corporali niſi ſuper Dei filium deſcendiſſet, nec Pater filium niſi verè filium declaraſſet. præſertim cum his diuinæ natiuitatis ſignificationibus, quæ non ſolum veritatem piæ fidei confirmarẽt, ſed etiam prauitatem impiæ opinionis excluderent. Ineffabili enim diuini dicti magnificentia, cum expreſſe ac ſignificanter dixiſſet pater, Hic eſt filius meus, addidit etiam illud quod conſecutum eſt, dilectus, ſcilicet, & in quo mihi complacui. Vtique ſicut eum per Prophetiam Deum fortem & Deũ magnum iam prædicauerat: Ita hic dicens, Filius meus dilectus in quo complacui, ſuper proprij filij ſui nomen, etiam dilecti & complaciti ſibi nomen filij adiecit: vt proprietatem diuinæ, ſcilicet, naturæ nominum ſignificaret adiectio: & id ad honorem filij Dei peculiariter pertineret, quod nulli omnino homini contigiſſet. Itaque ſicut illa propria ac peculiaria in perſona Domini noſtri Ieſu Chriſti fuerunt quod cœli aperti ſunt, quod eum Deus pater cũctis videntibus per aduentantem atque teſtantem columbam quaſi manu quodammodo ſua tetigit, & quaſi digito indicante monſtrauit dicens: Hic eſt filius meus: ita illud quoque proprium ei ac ſingulare, quod peculiariter dilectus & peculiariter patri complacitus nominatur, vt peculiarem vtique naturæ ſignificationem peculiaria addimenta monſtrarent, & proprietatem vnigeniti filij etiam cognominũ proprietas confirmaret, quam iam honor ſignorum præcedentium comprobaſſet. Sed iam libelli iſtius finis ſit. Neque enim hoc dictum Dei patris, aut augeri humanis ſermonibus, aut exæquari poteſt nobis. De Domino noſtro Ieſu Chriſto filio ſuo ſatis per ſe ipſum pater idoneus teſtis eſt dicens: Hic eſt filius meus. Tu ſi contradicendum his Dei patris vocibus putas, illi à te neceſſe eſt contradici, qui eũ euidẽtiſſima declaratione A filium ſuum eſſe ab omni mundo voluit agnoſci.

LIBER SECVNDVS.

NON debet mihi lector imputare ſermonis mei confuſã quodammodo diſputationem & inordinatam, quia non recto tramite currentis, ſed circuloſo loquacitatis rotatu diſputantis veſtigia ſequi neceſſarium habeo. Et prout ordo B proponentis exierit, ſermo reſpondentis ſubſequatur. Nec nimirum ſi diuerſo tramite curram in ſermone, qui vario ſenſu etiam & ſibimet ipſi aliquantis in locis diſſimili pergit per latiſſimos ſanctæ ſcripturę campos, non Catholicæ fidei quærens veritatem, ſed ſuo errori licet valde ſibi contraria nititur teſtimonia: omnium Hæreticorum ſequens conſuetudinem, qui diuini eloquij ſententias ad ſui probationem erroris prauo ſenſu interpretari nituntur.

Dicis itaque quod nouus homo nouum C nomen habere debeat.

Dic Rogo quis hoc nouum nomen Spiritus veſtris inſonuit auribus? Forte Deus tecum loquebatur in turbine veluti cum Iob ſeruo ſuo, vel etiam in Pyreneis collibus in tonitruo & voce tubæ, ſicut cum Moyſe famulo ſuo in Sina monte ſermocinatus eſt: vel Dominum cũ Iſaia Propheta vidiſti in ſolio ſedentem, & miſſus eſt Seraphim cum ardente calculo labia tua mundare, vt inaudita à ſeculis nomina mũ- D do proferre valuiſſes: vel cum Apoſtolo raptus fuiſti ad tertium cœlum, & ibi audiſti ineffabilia verba, vel cum beato Euangeliſta vidiſti & legiſti librum ſigillatum ſeptem ſigillis, quem nemo potuit aperire, niſi Leo de tribu Iuda: Cuius poteſtati infeliciter Felix derogare non metuis. Profer tamen nobis quid tecum loqueretur Deus vel in turbine, vel in Pyreneis collibus: vel illa ineffabilia verba, quæ audiſti dic nobis: vel de ſigillato libro oſtende nobis teſti- E monia noui nominis quod nouo homini indidiſti. Credo quod alius Spiritus tibi locutus eſt, Chriſtum eſſe adoptiuum. Alius Iſaiæ Prophetæ inſpirauit dicenti: Et vocabitur nomen eius Emmanuel: vel etiã quod alibi ait: Et vocabitur nomen eius admirabilis, conſiliarius, Deus fortis, princeps pacis, pater futuri ſeculi. Et alius Spiritus tibi dictauit Chriſtum nuncupatiuum eſſe Deum. Alius alteri Prophetæ dicenti: Si adfigit homo Deum ſuum, quia vos adfi-

getis me. nunquid nõ hæc vox Chriſti potuit eſſe quãdo ductus eſt ad crucem quaſi dixiſſet: Cur quæſo redemptorem veſtrum non agnoſcitis? Cur Deum indutũ pro vobis carne neſcitis? Saluatori veſtro necem paratis: auctorem vitæ ad mortem ducitis: Deus veſter ſum quem ſuſpenditis: Deus veſter quem crucifigitis. Quis rogo, hic error, aut quæ inſania eſt? ſi adfigit homo Deum ſuum, quia vos adfigitis me. vides quomodo vox hæc ipſarũ quodammodo quæ acta ſunt rerum vox fit. Nunquid expreſſius quicquam aut manifeſtius quæris? Vides quomodo teſtimonia ſacra natum in carne Dominũ Ieſum Chriſtum ab ipſis quodammodo incunabulis, vſque ad crucem quam pertulit, proſecuta ſunt: Cum vtique illum quem Eſaias Dominum in carne naſci prædicauit, hic Deũ in cruce videat adfigi. Et ideò à Propheta & illic vbi natus eſt, Deus dicitur, & illic vbi crucifixus eſt, Deus euidentiſſimè nominatur. Certiſſimè alius Angelus tibi dormienti in ſomnis apparuit, alius Ioſeph viro Mariæ: Et aliud tibi nomen demonſtrauit, aliud illi: vel alius non Gabriel, ſed ignotus quilibet nuntius tibi vigilanti adſtetit ſuſurrans in aurẽ: Hunc, inquit, puerum qui natus eſt de virgine adoptiuũ vocare memento, ſed alius beatiſſimæ virgini adſtetit, & iam nõ quiſlibet, ſed Gabriel Archangelus clara voce pronuncians: Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus Altiſſimi obũbrabit tibi: Ideoque & quod ex te naſcetur ſanctum filius Dei vocabitur. Si igitur ipſe Gabriel qui dicitur fortitudo Dei te orantem in templo inueniſſet, non nouem menſium, ſed perpetua taciturnitate incredulum damnaſſet os tuum: Quia quẽ ille à Deo miſſus & diuinæ conſcius voluntatis parere virginem prædixit Ieſum, id eſt, Saluatorem & magnum, & filium Altiſſimi, & ſanctum, & regnaturum in æternum oſtendit, hunc tu paruum & adoptiuum & ſeruum conditionalem teſtari non times? Primum ergo illud à te requiro, Dominum Ieſum Chriſtum qui ex Maria virgine natus eſt, hominis tantum filium, an etiam Dei filium dicas? ſed hoc ſuperfluum eſt à te quærere, quod perſpicuum eſt te ſentire. Et multis verbis licet inaniter confirmare hominis eſſe tantum filium qui ex virgine natus eſt, & non Dei niſi per adoptionem. Nos autẽ, id eſt, Catholicorum omnium fides: nos (inquam) omnes vtrumque & credimus & intelligimus, & ſcimus & confitemur, quod & hominis eſt filius qui ex homine natus eſt,

A & Dei filius qui ex Spiritu ſancto conceptus eſt. Tu ergo vel vtrumque (id eſt Dei filium atque & hominis, an tantum hominis eſſe adſeris? ſi tantum hominis, reclamãt tibi Apoſtoli, reclamant Prophetæ, reclamat denique ipſe, per quẽ facta eſt conceptio, Spiritus ſanctus. Obruitur impudentiſſimum os tuum cunctis diuinorum apicum teſtimoniis. Obruitur ſacris voluminibus, ſanctis teſtibus, obruitur denique ipſo Dei Euãgelio quaſi diuina manu multis in locis maximè paterna voce de cœlis, & ipſius teſtimonio de quo nunc nobis

B ſermo eſt. Dãnat & ipſe Archangelus vocem incredulam in te, qui virtute ſui ſermonis clauſit in Zacharia os incredulum: Multo magis & in te qui nec Dei patris teſtimonio de filio ſuo teſtantis, nec Apoſtolicis doctrinis, nec Propheticis præſagiis, nec Angelicis affatibus conſentire vis. ſed poſt hæc veritatis teſtimonia nouum nomen Dei filio cum paucis Hiſpaniæ non dico doctoribus, ſed veritatis deſertoribus imponere præſumis. Conuertimini

C quandoque ad vnitatis Catholicæ concordiam, & dum adhuc lumen habetis currite; ne vos tenebræ adprehendant: vt ſitis per illum adoptione filiorum digni qui eſt verus filius Dei, qui in plenitudine diuinitatis natus eſt perfectus Deus, perfectus homo: totus Deus, totus homo: totus filius Dei, & totus filius hominis. Et nomẽ quod Angelus concipienti virgini prædixit, id eſt, filium Dei firmiſſimè tenete, credite & prædicate. Dei enim filius Ieſus Chriſtus eſt, qui & de diuinitate genitus, & de diuinitate cõceptus eſt. Si autem Dei filius, er-

D go indubitanter Deus: ſi vero Deus, vtique omni veritate plenus: quia gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt. Omnis ergo in eo gratia, omnis veritas, omnis virtus, omnis potentia, omnis diuinitas, omnis denique diuinitatis ac maieſtatis ipſius plenitudo. Cum eo atque in eo ſemper fuit, ſiue in cœlo, ſiue in terra, ſiue in vtero, ſiue in ortu. Nihil vnquam Deo de Deo defuit. ſemper enim cum Deo deitas;

F ſemper in filio proprietas: Idem in hominis exiguitate, qui in Dei maieſtate. Et ideo bene Apoſtolus Chriſti gratiam nominãs, Dei gratiam nominauit, quia Chriſtus totum erat quod Deus. Omnis in ipſa ſtatim hominis conceptione Dei virtus, omnis diuinitas, omnis diuinitatis venerat plenitudo. Inde enim illi omnis diuinitatis perfectio, vnde & origo. Neque enim vnquã ille homo ſine Deo fuerat, qui vtique hoc ipſum quod erat, eſſe à Deo cœperat. hoc

ipſum itaque primum velis nolis, negare non potes, quod Dominus Ieſus Chriſtus filius Dei ſit, Archangelo vtique clamante, Quod ex te naſcetur ſanctum vocabitur filius Dei. Hoc autẽ poſito, ſcito te quicquid de Chriſto legeris, de Dei filio legere: Quicquid de Domino aut Ieſu legeris, ad Dei filiũ pertinere. Omnia enim hæc illius nomina Dei filium demonſtrant: Et ideo tu in his omnibus quæcumque audieris nomen diuinitatis agnoſces. Omnia hæc eius vocabula filium Dei clamant, cum in omnibus videas te Dei filium intelligere debere, argumentare ſi placet quomodo Deũ valeas à Dei filio ſeparare: Nec enim toties per omnes paginas ſanctorũ Euangeliorum Dei filius nominaretur, ſi propriè non eſſet Dei filius, qui ex virgine ſecundum carnem natus eſt. Quod enim tibi ſufficit, ſi Euangeliorum teſtimonia ſufficiunt? Vel cuius teſtimonio credis, ſi ipſius patris teſtimonio incredulus es? Legitur quoque in tui libelli textu, in illa (ſcilicet) in qua iuxta carnis materiam, vniuerſi fideles eius mẽbra ipſius ſunt, non in illa, hoc eſt in diuinitate eius, in qua non membra habet, ſed templum. Quomodo poteſt eſſe vt Deus Chriſtus membra non habeat & templũ habeat? nunquid non templum Dei eſt corpus quod ex virgine ſumpſit? Vt Euangeliſta ait: Hoc autem dicebat de templo corporis ſui. Et ſi corpus habet, habet vtique & membra Apoſtolo atteſtante: Vos autem eſtis corpus Chriſti, & membra de membro. Scimus enim diuinã naturam per partes non eſſe diuiſam ſicut corpus in membra diuiditur: tamen quia dixiſti eandem naturam templum habere, ſi templum habet, id eſt corpus, habet vtique & membra, quia templum ſine membris eſſe non poteſt. Nam eadem natura diuinitatis quæ ante incarnationem membra non habuit, eadem dum homo facta eſt membra habuit, in quibus cruci adfigitur, quæ etiam & poſt reſurrectionem ſe habere teſtatur, cum dicit Apoſtolis: Palpate & videte quia ſpiritus carnem & oſſa non habet, ſicut me videtis habere. Oſtendens eis membra & latus, vt veritatẽ corporis demonſtraret poſt reſurrectionem in membris humanis. Non enim minoratio fuit diuinitatis in adſumptione humanitatis: ſed humanitatis exaltatio in participatione diuinitatis: ſicut ſæpe dictus doctor beatus Auguſtinus in libro de baptiſmo paruulorum ait. Per vnitatẽ vero perſonæ, quia vtraque ſubſtantia vnus Chriſtus eſt, & filius Dei ambulabat in terra, &

A idem ipſe filius hominis manebat in cœlo. fit ergo incredibiliorum fides ex incredibilioribus creditis. Si enim diuina ſubſtantia longe diſtantior atque incõparabili diuerſitate ſublimior potuit propter nos ita ſuſcipere humanam ſubſtantiam, vt vna perſona fieret: ac ſic filius hominis, qui erat in terra per carnis infirmitatem, idem ipſe eſſet in cœlo per participatam carni diuinitatem: Oppoſuiſti etiam & nos dixiſſe inter alia, Quid poſt tale tonitruum dubitatis fingentes natiuitati illius nouum adoptionis nomen quod in tota veteris noui-
B que Teſtamenti ſerie non inuenitur de Chriſto? Ad quam, ais, obiectionem & ego vobis reſpondeo.

Rectè nouus homo nouum nomen habere poteſt.

Dicam & ego mirum quod hoc nouum nomen vobis tantũmodo in vltimo Chriſtianitatis tempore innotuit de Chriſto dici debere: ſi tamen hoc nomen adoptionis ita nouum eſt, vt antea non eſſet in mundo, niſi cum Chriſto naſcente veniſſet.
C Nunquid nõ filia Pharaonis Moyſen adoptauit ſibi in filium? ſimiliter & Iacob Patriarcha adoptauit ſibi in filios Ephraim & Manaſſe nepotes ſuos: Prophetæ illud de Chriſto non prædixerunt: Nec lex in figurationibus ſacrificiorum habuit: Euangeliſtæ non ſcripſerunt: Apoſtoli non prædicauerunt: ſucceſſores illorum omnes ignorauerunt: niſi vos ſoli: Spiritus quoque ſanctus per os Iſaiæ Prophetæ prædixit ſex nomina de ipſo: Et vocabitur, inquit, nomen eius Admirabilis, Conſilia-
D rius, Deus fortis, Pater futuri ſeculi, Princeps pacis. Vnde & beatus Hieronymus in expoſitione huius Prophetiæ dixit: Licet ex eo quod ſupra dixerat, Emmanuel, id eſt, nobiſcum Deus, Deum illum eſſe monſtraretur: Tamen nunc Deum factum illius principatum ſuper humerum eius, vel quod crucem ſuam ipſe portauerat: vel per humerum oſtendens *fortitudinem* brachij. Sed & beatus Caſſianus contra *hæreticas* prauitates eiuſdẽ Prophetiæ
E ita expoſuit ſenſum: præuidens abſque dubio diuinus Spiritus hanc blaſphemãtium hæreticorum peruerſitatẽ, his omni mundo Deum qui naſcebatur rerum ipſarum vocabulis demõſtrauit. vt etiam ſi blaſphemare hæreticus quæreret, blaſphemiæ tamen locum penitus inuenire non poſſet. Filius (inquit) natus eſt nobis, paruulus datus eſt nobis: Cuius principatus ſuper humerum eius: Et vocabitur nomẽ eius Admirabilis, Conſiliarius, Deus fortis, Pater

futuri ſeculi, princeps pacis. Paruulum hunc qui natus eſt, & principem pacis eſſe docuit, & futuri ſeculi patrem, & Deum fortem. Quis eſt ergo tergiuerſandi locus? ſeparari paruulus hic qui natus eſt à Deo, qui in eo natus eſt, non poteſt. Hunc enim, quem natum dixit, patrem futuri ſeculi nominauit, Deum fortem eſſe prædixit. De quo & in ſuperioribus idem Propheta ait: Ecce virgo concipiet & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel. Euangeliſta Matthæus hoc exponens ait, quod interpretatur nobiſcum Deus. Nam & Angelus Gabriel à Deo miſſus ad virginem dixit: Ecce enim concipies & paries filium, & vocabis nomen eius Ieſum: hic enim erit magnus, & filius Altiſſimi vocabitur. De quo nomine & Apoſtolus ait: Et dedit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen, vt in nomine Ieſu omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtrium & infernorũ: & omnis lingua confiteatur quia Ieſus eſt Chriſtus in gloria Dei patris. De quo ſanctus Proclus Conſtãtinopolitanus Epiſcopus, in Epiſtola ad Armenios ait: Si alter eſt Chriſtus præter Deum verum, neceſſe eſt vt purus homo ſit Chriſtus. Et quomodo eum vltra naturæ meritum cœleſtium venerantur exercitus, eique qui minor eſt genu flectunt? Quæ eſt hæc gloria patris in qua eſt Chriſtus, ſi non eſt verus filius Dei patris, ſed adoptiuus ſicut omnes nos? Et ſi ita eſt, non eſt nomen illius ſuper omne nomen, ſed inter omnia nomina, id eſt adoptiuus: quia adoptiuus commune eſt nomẽ omnium ſanctorum. De nomine autem Ieſu legitur in Actibus Apoſtolorum: Et baptizati ſunt in nomine Ieſu. Vtique nomen illud quod eſt Ieſus, ab Angelo virgini prænunciatum eſt, vt ille qui ex ea naſceretur, vocãdus eſſet Ieſus. Si Ieſus non eſſet Deus, quomodo baptizati ſunt in nomine Ieſu? De quo etiam nomine beatus Caſſianus pater ita ait in diſputatione eadẽ, in qua ſupra, Nũquid cauſari aliquid quaſi de ambiguitate nominũ potes, vt dicas aliud eſſe Chriſtum, aliud Deum, vt Saluatorem à maieſtate nominis ſui diſtrahas, & Deum à diuinitate ſecernas? Ecce hic vas Dei ex Deo loquitur, & apparuiſſe ex Maria gratiam Dei euidentiſſima prædicatione teſtatur. Ac ne forte non ex Maria Deum apparuiſſe diceres, ſcilicet, vt Deum eſſe natum ex Maria Deum crederes, quem Saluatorem natum negare non poſſes, expectantes (inquit beatus Apoſtolus) ſpem & aduentum gloriæ magni Dei & Saluato-

A ris noſtri Ieſu Chriſti. Vidit profecto ille diuinæ ſapientiæ doctor ad inſidioſas calliditates diabolicæ captionis ſimplicẽ tantummodo non ſufficere doctrinam, niſi ſanctã fidei prædicationẽ munimine cautionis armaſſet. Et ideo cũ ſuperius nomen Dei ſaluatoris poſuiſſet, hic addidit Ieſu Chriſti. Licet ne ad ſignificandum Dominum Ieſum Chriſtum ſufficere tibi forſitan nomen ſolum nõ crederes Saluatoris, & non eundem Ieſum Chriſtũ Deum eſſe intelligeres quem Saluatorem Deum eſſe B cognouiſſes. Quid ergo ait? Expectantes, inquit, beatam ſpem, & aduentum gloriæ magni Dei, & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti. Nihil hic de nominibus Domini noſtri deeſt: Et Deum hoc eſt Saluatorem & Ieſum Chriſtum vides: ſed omnia hæc videns, omnia eſſe in Deo perſpicis. audiſti enim Deum, ſed Saluatorem: audiſti Deum, ſed Ieſum: audiſti Deum eſſe, ſed Chriſtũ. Separari hoc appellationis diuerſitate non valet, quod diuinitas vnitate coniunxit. Sed licet, quicquid de his requiſieris idem inuenies: ſaluator Deus eſt, C Ieſus Deus eſt, Chriſtus Deus eſt. Omne hoc quod audis, plurale eſt nuncupatione, ſed vnum eſt poteſtate: Quia cum & Saluator Deus ſit, & Ieſus Deus, & Chriſtus Deus, intelligere apertum eſt quod omnia hæc diſtinguntur appellatione, ſed maieſtate iunguntur. Et cum euidentiſſimè audias quod vnus in ſingulis nuncupatur Deus, intelligere vtique apertè potes, quod eſt in omnibus vnus Deus. Quid dubitatis D (ô noui doctores) Deum dicere verum & proprium filium Dei, qui natus eſt ex virgine: dum fixa ratione Catholicæ fidei conſtat eundem eſſe Deum, quem & Ieſum, eundem eſſe Deum, quem & Chriſtum; eundẽ eſſe Deum qui paſſus eſt pro mundi ſalute? At ſi mundi doctoribus cæteris vobis non libet credere, veſtris ſaltem doctiſſimis viris credite. Cecinit Iuuencus Presbyter, & doctiſſimus Hiſpaniæ Scholaſticus in carmine Euangelico, hoc modo:

Nam tua concipient cœleſti viſcera iuſſu
E *Natum, quẽ regnare Deus per ſingula cuncta,*
Et propriam credi ſobolem gaudetque iubetq.
Hunc vbi ſub lucem dederis, ſit nomine Ieſus.

Floruit vir iſte temporibus Conſtantini Principis. Videtis quidem iſta, necdum iſta adoptionis vel nuncupationis hæreſis in Hiſpania fuit. Aut iſtum qui apud vos doctiſſimus extat magiſter, hæreticum iudicate, qui dicit hunc Deum eſſe & proprium filium Dei, qui ex virgine natus eſt. Aut

ſi illum recipere vultis, veſtrã ſententiam damnate, vel magis corrigite ex eius ſenſu cõſentanea qui profert teſtimonia ſanctis patribus, qui diuerſis mundi temporibus ſingula floruerunt loca. Sed & clariſſimus Hiſpaniæ doctor beatus Iſiodorus nobiſcum videtur cõſentire, non vobiſcum, qui ea nomina de Chriſto vbique in ſuis litteris, quantum ad nos ſua dicta venerunt, poſuit, quæ nos credimus & cõfitemur ſiue propria ſint, ſeu ſignificatiua: nec vſquam illum inueni Chriſtum adoptiuum filium, vel Deum nuncupatiuũ nominare. Numquid igitur vos doctiores illo eſtis, vel in ſcripturis diuinis vel in ſecularibus diſciplinis, vt vobis tã paucis & tam ſero erumpentibus credere debeat mundus: Dicit Origenes de diuinitate carnis Chriſti in Homelia quinta, & in Iſaiam Prophetam: Quis exurgere facit de oriente iuſtũ? vocauit eum ad pedes ſuos. Pater vocauit eũ filium: immo (vt vere dicamus) Deus hominem vocauit iuſtum, vel iuſtitiã, ad pedes ſuos, id eſt, incarnationẽ filij ſui. Ideo & adorent ſcabellum pedũ eius, quia ſanctus eſt. Caro autem Domini honorẽ deitatis adſumpſit. In libro etiam quarto de incarnatione Chriſti, quem mãdante Leone Papa, Caſſianus contra Neſtorium edidit, habemus ita ſcriptum: Qui crediderit quoniam Ieſus eſt filius Dei, Deus in illo manet, & charitas Dei in eo perfecta eſt: illum vero prædicat credere, illum plenum diuina adſerit charitate, qui Ieſum filium Dei credit. Filium autem Dei, verbum Dei eſſe teſtatur: Ac per hoc vnum atque idem penitus vult intelligi vnigenitum verbum Dei, & Ieſum Chriſtum filium Dei. Nonne huius charitatis plenitudinem euacuat, qui non crediderit Ieſum filiũ Dei eſſe verum, qua tantus Apoſtolus & Euangeliſta ait: illum qui crediderit & cognouerit filium Dei verum eſſe qui venit in hũc mundum: De quo & egregius prædicator ait, Fidelis ſermo eſt, & omni acceptione dignus, quia Ieſus Chriſtus venit in hunc mundum peccatores ſaluos facere. De quo & in Epiſtola ad Hebræos ait: Tãto melior Angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hæreditauit. Argumentum vero excellentiæ ex nominis proprietate induxit: in hoc enim quod dixit, tanto melior Angelis effectus, dubium non eſt de homine adſumpto dici, qui tãto melior ab Angelis eſt, quanto præſtantior filius proprius à miniſtro ſeruiente. Proprietas itaque filij in hæreditate paterna præfertur miniſtrantium ſubiectioni. Item beatus Auguſtinus in libro contra Maximinum hæreticũ: Vis, inquit, plenius ſcire, quamuis Chriſtus ſecundum carnẽ vere ex homine homo natus ſit, tamen propter ineffabilem ſacramenti vnitatem, qua vnitus cum Deo homo eſt, nullam penitus inter Chriſtum & verbum eſſe diſtantiam; audi dominicum Euangelium, immo potius audi ipſum de ſe dicentem Deum: Hæc eſt, (inquit) vita æterna, vt cognoſcant te ſolum verum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum. Superius audiſti verbum Dei ad ſanandos homines miſſum eſſe, hic autem audis eum qui miſſus ſit Ieſum Chriſtum eſſe. Separa hoc ſi potes, cum videas tantam vnitatem Chriſti & verbi eſſe, vt non vnitum cum Chriſto verbum, ſed etiam propter vnitatem ipſam Chriſtus iam verbum eſſe dicatur. De quo iterum teſtimonio veritatis idẽ pater Auguſtinus in Homelia quadam Euangelicæ expoſitionis ita ait: Ordo autem verborum eſt, vt cognoſcant te & quem miſiſti Ieſum Chriſtũ ſolum verũ Deum. Nam ſicut in libris quos de ſancta Trinitate fecit, teſtatus eſt. Hæc miſſio filij Dei, incarnatio illius eſt. Si igitur incarnatio, illius miſſio eſt, & ille qui miſſus eſt Ieſus Chriſtus, verus eſt Deus, nihil relinquetur dubitationis quin ſit verus Deus Ieſus Chriſtus, & verus filius Dei qui miſſus eſt, id eſt, incarnatus de Spiritu ſancto & Maria virgine. Dic mihi (ô nouæ ſectæ inductor) Ieſum cum ex virgine naſceretur, quid velis hominẽ fuiſſe an Deũ: Si Deũ tantũ: ſoluiſti vtique Ieſum, qui hominem vnitũ fuiſſe denegas. Si autem hominem ſolum ſoluis, vtique nihilominus, qui ſolum tantummodo vt facias hominem natum eſſe blaſphemes. Fides ergo hæc tantum Catholica eſt: hæc tantum vera eſt, vt Dominum Ieſum Chriſtum ſicut Deum ita & hominem; & ſicut hominem ita & Deum credere non dubitemus. Omnis enim qui ſoluit Ieſum, ex Deo non eſt: ſoluere autem, hoc eſt, quod vnitum eſt in Ieſu velle diſrumpere: & quod indiuiduũ eſt ſeparare. Quid autem in Ieſu vnitum & indiuiduum eſt? homo vtique & Deus, vt ſit vnus filius & Deus homo, & vnus filius hominis qui de virgine natus eſt: non non vt alter adoptiuus ſit filius, alter proprius: vel alter nuncupatiuus Deus, & alter verus Deus. Sequitur in præfato Felicis libello.

Quid hoc nomen elicis? Quid præſtantius, quid honorificentius, quid-ve ſanctius humanæ naturæ à Deo conferri poteſt, quam hoc donum per quod eadem

creatura poſt præuaricationem hominis à
Deo reconciliata cognoſcitur, hoc de no-
mine adoptionis dicit, & verũ dicit, quod
nobis maxima eſt dignitas adoptiuos Dei
filios nominari, ſed per illum qui verus eſt
filius Dei. In nobis itaque hoc nomen ho-
norabile eſt valde, ſed in Chriſto vile. Quia
maior dignitas eſt verum eſſe filium Dei,
quam adoptiuum. De cuius adoptionis ra-
tione in alio libello contra eundem Feli-
cem plenius diximus. Reſpondẽtes quidẽ
Epiſtolæ illius quam de hac eadem edidit,
rata ibi ſanctorum patrum plurima haben-
tur teſtimonia. Ex quibus manifeſtiſſimè
poterit intelligere qui legit, & pietatis in-
tuitu conſiderat, Chriſtũ Deum verũ eſſe
filium Dei in vtraq. natura: Nos vero per
eum adoptiuos cuius gratia ſaluati ſumus,
qui ſemper & vbique in Euang. ſiue ab An-
gelis, ſiue ab Apoſtolis ſiue ab aliis ſanctis,
aliquando etiã & à dæmonibus, nec non
& Centurione homine pagano verus filius
Dei nominatur. Quem enim alium vidit
ille Centurio in cruce pendentem, niſi quẽ
mori cernebat. & hunc eſſe verum filium
Dei confeſſus eſt? Vos vero Eccleſiæ filij
(licet nomine tenus) cum Iudæis obiicitis
Chriſto quod dixiſſet ſe eſſe filium Dei, nec
& non & nunc in ſede paternæ maieſtatis
regnantem, & in throno cœleſtis gloriæ
ſedentem, quem adorat omnis multitudo
Angelorum, & milia milium miniſtrãt ei:
cuius poteſtas poteſtas eſt æterna, & re-
gni eius non erit finis, veſtris adhuc blaſ-
phemiis filium proprium & verum Deum
negare non metuitis. Nam & ob hoc etiam
anteceſſores veſtri Iudæi Chriſtum lapida-
re voluerũt, quia dixit, Multa bona opera
oſtendi vobis ex patre meo, propter quod
eorum opus me vultis lapidare? Quibus
reſpondentibus: De opere bono non lapi-
damus te, ſed de blaſphemia, quia tu ipſe
homo cum ſis facis te ipſum Deum. Item-
que de paralytico cui ipſe ait: Dimittun-
tur tibi fili peccata tua, inuidentes Iudæi
dixerũt inter ſe, Quis poteſt peccata dimit-
tere niſi ſolus Deus? Quibus Chriſtus non
ſolum voce, ſed etiam facto ſe oſtendens
Deum eſſe, qui & filius hominis eſt, ait il-
lis: Quid eſt facilius dicere, Dimittuntur
tibi peccata, an dicere, ſurge & ambula?
Vt ſciatis autem quia filius hominis pote-
ſtatem habet in terra dimittendi peccata.
Tunc ait paralytico: Surge & ambula. &
ſtatim ſanus factus eſt homo. ſumus itaque
(vt ait, vel magis vt Apoſtolus ait), os ex
oſſibus, & caro de carne eius: non ſicut
prima mater Eua carnaliter ædificata eſt de
A coſta viri, ſed ſpecialiter ſanguine Chriſti
qui de latere eius effuſus eſt. Redempti ſi-
quidem magno pretio filij Dei nõ cuiuſli-
bet adoptiui. Quapropter & Apoſtolus
ait: Myſterium hoc magnum eſt: myſte-
rium nominauit quod factum geſtum eſt
in Adã & Eua, quia ſpiritaliter hoc in no-
bis actum eſt. Ideo factus eſt ille verus fi-
lius Dei, cuius ſanguis pro nobis effuſus
eſt, vt nos poſſimus eſſe adoptiui per illũ.
Proponis quoque huiuſmodi argumẽtum
dicens: Quod ſi idem Redemptor no-
ſter in carne ſua, quam ex vtero virginis
B ab ipſo videlicet conceptu, ſuſcepit, ado-
ptiuus apud patrem non eſt, ſed verus &
proprius filius, Quid ſupereſt niſi vt ea-
dẽm caro eius non de maſſa humani ge-
neris, neque de carne matris ſit creata &
facta, ſed de ſubſtantia patris, ſicut & diui-
nitatis eius generata. Proponam & ego
argumentum tibi: ſi ille homo quem
adſumpſit filius Dei adoptiuus eſt, ado-
ptiuus eſt ille qui eum adſumpſit, quia vna
perſona eſt in homine & in Deo. Et eſt om-
C nino vnus filius, non duo filij. Vnus au-
tem filius quomodo poteſt eſſe proprius &
adoptiuus vnius patris? ſi adoptiuus eſt,
proprius eſſe non poterit: ſi proprius, ado-
ptiuus eſſe non poterit eiuſdẽ patris. Duos
autem eſſe filios, vnum proprium & alte-
rum adoptiuũ, nefandiſſimum eſt crede-
re de Chriſto. Adſumpſit namque ſibi Dei
filius carnem ex virgine, & non amiſit pro-
prietatem quam habuit in filij nomine. Sed
quamquam duas habuiſſet poſt natiuitatẽ
ex virgine naturas: tamen vnam proprie-
D tatem in filij perſona firmiter tenuit. Ac-
ceſſit humanitas in vnitatem perſonæ filij
Dei: & manſit eadem proprietas in dua-
bus naturis in filij nomine, quæ ante fuit in
vna ſubſtãtia. In adſumptione namq. car-
nis à Deo, perſona perit hominis non na-
tura, in nobis eſt perſona adoptionis, non
in filio Dei: Quia ſingulariter ille vnus
homo ex Deo conceptus & in Deum ad-
ſumptus habet proprietatem filius Dei eſ-
ſe, quod omnes ſancti habẽt per odoptio-
E nem gratiæ Dei, qui habitu inuentus vt ho-
mo, ſed diuinitate vt Deus. Nec in illa ad-
ſumptione alius eſt Deus, alius homo, vel
alius filius Dei, & alius filius virginis: ſed
idem eſt filius Dei, qui & filius virginis: &
idem filius virginis qui & filius Dei: vt ſit
vnus filius etiam proprius & perfectus in
duabus naturis Dei & hominis. De quo
etiam Chriſti habitu beatus Auguſtinus
ait: Sic aſſumptus eſt homo, vt proficeret
in melius, & ab eo formaretur ineffabiliter

excellentius atque coniunctius quam veſtis ab homine cum induitur. Hoc ergo nomine habitus ſatis ſignificauit Apoſtolus, quemadmodum dixerit in ſimilitudine hominum factus: quia non transfiguratione in hominem, ſed habitu factus eſt, cum indutus eſt homine, quem ſibi coaptans quodammodo atque conformãs immortalitati æternitatique ſociaret. Non ſatis autẽ intelligo quid pertineat ad corpus Chriſti, quod pro nobis pependit in cruce, quod ais Apoſtolum dicere: Hoc (inquit) ſcientes quia vetus homo noſter ſimul crucifixus eſt, vt deſtruatur corpus peccati, vt vltra non ſeruiamus peccato. Chriſtus namque numquam vetus homo fuit, numquam corpus peccati habuit, ſed ab initio conceptionis Deus verus, & verus filius Dei, abſque omni peccato conceptus eſt & natus. Nos vero omnes veteres homines fuimus in peccatis Adam: ſed in nouos gratia baptiſmi per Chriſtum Ieſum conuerſi & adoptati & prædeſtinati in filios adoptionis. Quam prædeſtinationẽ adſeris Chriſtum æqualiter nobiſcum habere, non adtendens Apoſtolum teſtãtem, aliter Chriſtum eſſe prædeſtinatum, aliter & nos. Illum dicit prædeſtinatum eſſe filium Dei, ſicut ait, qui prædeſtinatus eſt filius Dei in virtute. In qua virtute, niſi diuinitatis? Nos vero prædeſtinatos eſſe per illum in adoptionem filiorũ: dicit nos per illum, non ille per nos, prædeſtinationem habemus. Ponis quoque argumentum de ſententia eiuſdẽ prædicatoris egregij, vbi ait: Scire debemus quod omnis viri caput eſt Chriſtus, caput autem mulieris vir: caput autem Chriſti Deus: Et dicis neceſſe eſſe membra adoptiua adoptiuũ habere caput. Si igitur Chriſtus qui eſt caput omniũ noſtrũ adoptiuus eſt propter membra adoptiua quod nos ſumus, nonne vides ea ratione poſſe dici Deum patrem eſſe adoptiuum qui caput eſt Chriſti? nam caput in corpore membrum eſt. Et qui caput eſt capitis, quomodo propter adoptionem capitis, quod Chriſtus eſt, nõ erit & illud principale caput adoptiuum? Quod quam impium & abſurdum ſit, nemo ſanũ ſapiens non intelligit. Ergo hæc ſententia Apoſtolicæ auctoritatis non carnaliter, ſed ſpiritaliter intelligenda eſt: aliter caro ex carne naſcitur, aliter Spiritus ex Spiritu. Sicut ipſa Veritas in Euangelio dicit: Quod natum eſt carne caro eſt: Quod natum eſt ex Spiritu Spiritus eſt: quia Deus Spiritus eſt, ex Deo donatus eſt. Spiritalis natiuitas nos facit membra

A eſſe Chriſti: non carnalis, donec ipſa creatura corporis noſtri liberata à ſeruitute corruptionis renouetur in adſumptione filiorum Dei, & inimica deſtruatur mors; & induatur hoc mortale immortalitate, & ſit Deus omnia in omnibus. Poſt hæc etiã præfatus Felix non plano pede, ſed claudicante egreſſu per campos ſcripturæ ſanctæ currit multa proponens teſtimonia, quæ ſuis partibus non conueniunt: vt ſermonem feciſſet longiorẽ vſque dum perueniſſet ad Iordanicas vndas, vt Chriſto baptizato nomen impoſuiſſet adoptionis. B Nec adhuc paterna voce de cœlis territus tacere nouit, quæ etiam vox baptizato Chriſto teſtimonium audiente beato Baptiſta Ioanne perhibuit huiuſmodi, clamans: Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. De quo teſtimonio ſupra plenius diximus. Nunc tantum in hoc loco interrogare libet, ſi hæc vox paterna ad vnam Chriſti perſonam pertineret: Si ad vnam: ergo illa vna perſona, ad quam hæc vox facta eſt, tota eſt: filius Dei dilectus licet in duabus naturis. Si ad diui- C nitatem tantum, ergo diuinitas baptizata eſt ibi, & non humanitas: quia ſuper baptizatum hæc vox facta eſt: homo ſi quidem, qui baptizatus eſt, Dei filius à Deo patre prædicatur, ſuper quem & Spiritus ſanctus in ſpecie columbæ deſcendit. Quatenus paterna vox & ſancti Spiritus deſcenſio eundem eſſe Dei filiũ demonſtraret qui baptizatus eſt. De qua etiam & ipſe Baptiſta eo inſpirante qui ſe miſit ad ba- D ptizandum, paternæ voci conſon[illegible] tulit teſtimonium dicens: Et ego vidi & teſtimonium perhibui, quia hic eſt filius Dei. Quid adhuc (ô doctor mirabilis) adoptionis nomen Chriſto imponis? quem inſuper lauacro indiguiſſe baptiſmatis & ſecunda generatione, ſicut nos peccatores iam nati per generationem carnalem in filios iræ, vt apertè ex tuis verbis intelligi poteſt: ais enim inter cætera: Quoniam ſicut in prima generatione ex qua ſecundum carnem naſcimur, nullus homo eſſe poteſt, qui aliunde originem trahat, niſi E de primo illo Adam, qui ex terra virgine creatus eſt: ita in hac ſecunda generatione ſpiritali, in qua renaſcimur ex aqua & Spiritu ſancto, nemo gratiam adoptionis conſequi valet, præter illum qui eam * in eam in Chriſto ex carne virginis creatum & natum qui eſt ſecundus Adam accepit has geminas generationes: primam videlicet, quæ ſecundum carnem eſt; ſecundam vero ſpiritalem, quæ per adoptionem fit

idem Redemptor noſter ſecundum hominem complexus in ſemetipſo continet: primam videlicet quam ſuſcepit ex virgine naſcendo: ſecundam vero quam initiauit in lauacro à mortuis reſurgendo. Et hoc adfirmare niteris in genealogiis quæ in Euangelio leguntur, vna ſecundum Matthæum, altera ſecundum Lucam. Quę omnia ſicut à te poſita ſunt faſtidium magis quam profectum generant legentibus, donec ad vltimum peruenires in huiuſmodi ſententiam. Si quis vero (ais) hanc ſpiritalem generationem quæ per adoptionem fit à Chriſto, ſecundum hominem abdicare vult; prius neceſſe eſt vt illam quæ ſecundum carnem eſt, ab eo funditus abſcindat. Nam ſi in iſta, quæ ſpiritalis eſt, nobiſcum non communicat, proculdubio neque in illa quæ carnalis eſt.

Videat qui legit has præfati doctoris ſententias: Primo partium orationis quodammodo inconſonantiam, & ſenſuum obſcuritatem inuoluit ſententiæ ne luceat intelligentia. Quid autem vult intelligi in eo quod ait: Initiauit à mortuis reſurgendo? A quibus mortuis reſurrexit Chriſtus in baptiſmo? Numquid peccata habuit, vt à morte peccatorum reſurgeret? veluti nos in peccatis nati propter primorum præuaricationem parentum, nec ab his liberati niſi in Chriſto Ieſu per ſecundam generationem, in qua filij iræ efficiuntur filij Dei. Quin potius Chriſtus Ieſus abſque omni peccato conceptus & natus venit ad baptiſmum exemplum humilitatis oſtendere, & aquas ſuo ſanctificare baptiſmo: non vt ſanctificaretur in aquis, qui nihil habuit in ſe peccati à quo mundari debuiſſet per baptiſmum. Ideo & ipſe beatus Baptiſta venienti ad ſe Dei filio ait: Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me? quaſi dixiſſet: in me eſt quod per te purgari debet: in te non eſt, quod per me purgari debeat. Sed hoc ſciendum eſt quod in baptiſmate Ioānis in quo Chriſtus baptizatus eſt non fuit regeneratio, ſed quædam præcurſoria ſignificatio baptiſmatis Chriſti: ideo & in Actibus Apoſtolorum legimus beatum Paulum Apoſtolum eos rebaptizare, qui baptizati ſunt baptiſmo Ioannis. Nec quiſquam in baptiſmate Ioannis adoptionem filiorum Dei potuit accipere. Quanto magis nec Chriſtus adoptatus fuit in filium Deo patri, in eo baptiſmo in quo nullus potuit adoptionis gratiam accipere? quia nemo in eo baptiſmo remiſſionem pec-

A catorum conſequi valuit; ſed tantum baptizati ſunt in pœnitentiam vt crederent in eum, ſicut idem præfatus Apoſtolus ait, qui venturus eſt, id eſt, in Ieſum: Nota lector quod dicit credere in Ieſum. Nullatenus ſi Deus & Dei filius non eſſet Ieſus qui ex virgine natus eſt, tantus diceret Apoſtolus, vt in Ieſum credere deberent: quia tantummodo fides Catholica habet credendum eſſe in patrem & in filium, & in Spiritum ſanctum: hoc eſt in ſanctam Trinitatem. Cæterum in aliis B Catholicæ fidei profeſſionibus in propoſitionem apponere nolunt doctores Eccleſiaſtici, ſed tantummodo dicere. Credimus ſanctam Eccleſiam & remiſſionem peccatorum, & Reſurrectionem mortuorum, & cætera quæ in ſymbolo ſancto continentur. De diſcretione vero baptiſmatis Chriſti, & baptiſmatis Ioannis beatus Auguſtinus in libro Enchiridion ita ait: Illud tamen vnum peccatum quod tam magnum in loco & habitu tantæ felicitatis admiſſū eſt, vt in vno homine originaliter, & vt ita dicam radicaliter to- C tum genus humanum damnaretur, niſi per vnum mediatorem Dei & hominum hominem Chriſtum Ieſum, qui ſolus potuit ita naſci, vt ei non opus eſſet renaſci: non enim renaſcebantur qui baptizabantur baptiſmate Ioannis à quo & ipſe Ioannes baptizatus eſt: ſed quodam præcurſorio illius miniſterio, qui dicebat: Parate viam Domino: vbi vnum quo ſolo renaſci poterant parabantur. Huius enim D baptiſmum eſt, non in aqua tantum ſicut fuit Ioannis, verum etiam in Spiritu ſancto: vt de illo Spiritu regeneretur quiſquis in Chriſtum credit, de quo Chriſtus genitus regeneratione non eguit. Et poſt pauca in eodem libro: In aqua ergo baptizari voluit à Ioanne, non vt eius iniquitas vlla dilueretur, ſed vt magna commendaretur humilitas. Ita quippe nihil in eo baptiſmū quod ablueret, ſicut mors nihil quod puniret inuenit: vt diabolus veritate iuſtitiæ, non violentia poteſtatis oppreſſus & victus, quoniam ipſum ſine vllo peccati E merito iniquiſſimè occiderat, per ipſū iuſtiſſimè amitteret quod peccati merito detinebat. Vtrumque enim ab illo, id eſt, baptiſmum & mors, certa diſpēſationis cauſa non miſerāda neceſſitate, ſed miſerāte potius voluntate ſuſceptū eſt: vt vnus peccatū tolleret mundi, ſicut vnus peccatū miſit in mundū, hoc eſt, vniuerſū genus humanū: Apoſtolo atteſtāte, ſicut enim in Adā omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes

viuificabuntur. Quam aperta eſt hæc blaſphemia, vt dicat Chriſtum ſecunda indiguiſſe generatione? Et quem ſæpius ſine peccato adfirmat eſſe: nunc ſubito quaſi peccatorem regeneratione indiguiſſe contendit. Et qui Deum paulo ante aſſeruit, & ex vtero virginali natum eſſe: nunc ſubito quaſi hominem purum lauacri emundatione purgandum eſſe pronuntiat, & ad ſimilitudinem noſtram adoptari in filium Dei, qui fuit filius Dei conceptus & natus. Atque has duas generationes in Chriſto duabus genealogiis Chriſti quæ in Euangelio leguntur cõfirmare adgreditur: vnã per quam deſcendit, alteram per quam aſcendit Chriſtus: quaſi peccator eſſet in deſcenſione, & expiatus in aſcẽſione adoptionis. Attende lector nouum Euangelicæ hiſtoriæ interpretem. Duas genealogias Chriſti cum Euãgeliſtis memorat. Secundum Matthæum Chriſtum deſcendiſſe non ſolum per iuſtos, ſed etiam per fœminas peccatrices, & indiguiſſe eũ baptiſmo in illa generatione quæ ſecundum Matthæum habetur. Et per Lucam poſt Baptiſmum aſcendiſſe, & per adoptionis gratiam filium Dei eſſe factum. Et ne quis me falſum fingere de eo æſtimet, audiat noui eiuſdem interpretis verba. Matthæus (inquit) in exordio Euangelij ſeriem generationis quæ ſecũdum carnem ad Chriſtum deſcendit, à Dauid ſeu Abraham incipiens vſque Ioſeph ſponſum Mariæ per reges & cæteros de tribu Iuda ſibimet ſuccedentes dinumerando perducit: In qua generatione carnis quatuor fœminæ introducuntur. Tres videlicet ex gentibus. Quarta verò illa in qua Dauid peccauit: vt liquide pateſceret, quod idem Redemptor noſter non ſolum ex Iudæis, ſed & de gentibus: neque de iuſtis, ſed etiam & de peccatoribus veram carnem ex virgine ſuſcepit. Lucas vero ſeriem generationis quæ per adoptionem eſt, non per genealogiam carnis, quemadmodum Matthæus, ſed à baptiſmo in quo baptizatus eſt Chriſtus à Iordane, ab ipſo Chriſto incipiens non per tribum Iuda vt prior, ſed per tribum Sacerdotalem texens: neque deorſum deſcendendo ſicut ille, ſed ſurſum verſus: non per Salomonem ex Berſabee genitum, ſed per Nathan in Dauid recopulans vſque in Adam perduxit ad Deum, caput videlicet replicans ad caput. Nec mihi hoc loco opus eſt ad reſpondendum verba exaggerare, dum veritas Euangelij oſtendit de Spiritu ſancto ex Maria virgine natum eſſe Chriſtum, non quaſi peccatorem, ſed vere

A filium Dei, immo & Deũ. Nonne dubitanti Ioſeph viro Mariæ Angelus apparuit in ſomnis dicens: Noli timere filij Dauid, accipere Mariam coniugem tuam. Quod enim ex ea natum eſt de Spiritu ſancto eſt. Pariet autẽ filium, & vocabis nomen eius Ieſum. Hoc autem totum factum eſt, vt adimpleretur quod dictum eſt per Prophetam: Pariet filium, & vocabis nomen eius Emmanuel. Et ne ignorantia eſſet nominis adiunxit Euangeliſta, quod interpretatur nobiſcum Deus, qui in Matthæo Emmanuel dicitur, in Luca filius Altiſſimi vo-
B catur. Et ne dubium eſſet quis eſſet Altiſſimus, adiunxit ſtatim, & ſanctum quod ex te naſcetur filius Dei vocabitur. Illam ergo genealogiam, quæ ſecundum Lucam eſt, Felix per adoptionem adſerit aſcendere, quaſi omnes ſint adoptiui qui in ea numerantur, quod longè aliter eſſe agnoſcit, qui ſacras ſanctæ Scripturæ legit hiſtorias. Addit quoque atrociſſimum erroris ſui venenũ. Si quis verò (inquit) hanc ſpiritalem generationem, quæ per adoptionem
C fit à Chriſto, ſecundum hominem abdicare vult, prius neceſſe eſt, vt illam, quæ ſecundum carnem eſt, ab eo funditus abſcindat. Audite, audite legentes & intelligentes quam aperta eſt hæc blaſphemia: aut duas vult habere Chriſtum, ſecundum quod homo eſt, generationes, aut etiam nullam: quaſi neceſſe ſit, vt poſt carnalem habeat etiam & ſpiritalem in adoptione, vt æqualiter de eo dictum intelligatur, ſicut & de nobis ipſa Veritas ait: Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non poteſt in-
D troire in regnum Dei. Nullatenus quippe ſicut ſuperius oſtẽdimus in baptiſmo Ioannis regeneratio fuit alicuius, ſed demonſtratio maioris myſterij. Neque Chriſto aſcendẽte de aqua ibi eius vnctio fuit, id eſt, ſanctificatio Spiritu ſancto deſcendente ſuper eum, ſed demonſtratio quis eſſet, & figuratio noſtræ vnctionis & adoptionis qua in baptiſmo ſanctificamur in filios Dei, ſicut beatus Beda Presbyter oſtendit in expoſitione prædicationis beati Petri prin-
E cipis Apoſtolorum, qua Cornelium cum aliis plurimis inſtruit ad fidem. Vnctus eſt ergo (inquit) Ieſus non oleo inuiſibili, ſed dono gratiæ, quod viſibili ſignificatur vnguento, quo baptizatos vnguit Eccleſia; nec tamen tunc vnctus Spiritu ſancto, quando ſuper eum velut columba Spiritus deſcendit. Tunc enim corpus ſuum, id eſt Eccleſiam ſuam præfigurare dignatus eſt, in qua præcipuè baptizati accipiunt Spiritum ſanctum. Sed iſta myſtica & inuiſibili

vnctione tūc intellegēdus eſt vnctus, quando verbum Dei caro factū eſt: id eſt quando humana natura ſine vllis præcedētibus bonorum operum meritis Deo verbo eſt in vtero virginis copulata, ita vt cum illo fieret vna perſona. Ob hoc eum confitemur natum de Spiritu ſancto & Maria virgine. De genealogiis vero Chriſti ita potius intelligendum arbitramur: quodque per Matthæum narratur noſtrorum ſignificet ſuſceptionem peccatorum à Domino Chriſto, propter quæ in crucis patibulo ſuſpenſus eſt. In generationibus autem Lucæ quæ aſcendunt ad Deum abolitionem peccatorum noſtrorum ſignificari per eundem qui crucifixus eſt pro peccatis noſtris. Ideo eas ille deſcendens enarrat; iſte aſcendens: quia deſcendit Chriſtus ad liberandos nos, aſcendit autem ad iuſtificandos nos: deſcendit vt moreretur pro nobis, aſcendit vt viuamus in illo. Quod enim ait Apoſtolus: Miſit Deus filiū ſuum in ſimilitudine carnis peccati, ſuſceptio eſt peccatorum. Quod autem ait: vt de peccato damnaret peccatum in carne, expiatio eſt peccatorum. Ideo Matthæus ab ipſo Dauid per Salomonem deſcendit, in cuius matre ille peccauit: Lucas vero ad ipſum Dauid per Nathan aſcendit, per quem Prophetam Deus peccatū illius expiauit. Deſcendit per regale genus, & aſcendit per Sacerdotale qui pro nobis Sacerdos eſt & hoſtia factus: quia vtrumque eſt, Rex & Sacerdos & Dominus propitiator. Firmiſſime namque tenendum eſt carnem Chriſti vtroque genere propagatam, regali ſcilicet & Sacerdotali, in quibus perſonis apud illum populū Hebræorum etiā myſtica vnctio figurabatur, id eſt, chariſma vnde Chriſti nomen elucet tāto ante euidentiſſima ſignificatione prænunciatū. Sed nos libera voce clamamus cum tota Eccleſia Chriſti, Chriſtū nec peccatū habuiſſe quod expiaretur, nec ſecunda indiguiſſe generatione qui Deus verus & verus Dei filius de Spiritu ſancto conceptus eſt & natus. Nam ſi Chriſtus ſecunda indiguit generatione, vtique peccator fuit: & ſi peccator fuit, quid eſt quod ipſe Dominus ait: Venit princeps mundi huius, & in me nō habet quicquam. Si quicquam in eo non habuit princeps mūdi huius, id eſt, diabolus, cur eguit renaſci? Nos vero non filij Dei naſcimur, ſed renaſcimur. Ille mox Dei filius conceptus eſt & natus: & ideo adoptione non eguit, vt filius Dei eſſet, qui filius Dei natus eſt. Si igitur per adoptionem filius Dei factus eſt qui de virgine natus eſt: ergo nec beata virgo Dei genitrix erat, ſed tantummodo hominis; qui poſt natiuitatem adoptatus eſt in filium Dei. Quod impium credere, quanto magis & dicere? Sed huius diſputationis hic finis ſit, vt liberius ab alio principio incipiat ſermo de his quæ dicenda ſunt. Nam quoddam refrigerium legenti finis libelli præſtat, ſicut nauigāti portus, maximè cum fragoſis locis diuerſæ diſputationis laborat eloquium reſpondentis.

LIBER TERTIVS.

NOVA proponentis argumentatio, nouum libelli poſcit exordium: ne confuſa ſermonis ſeries legēti faſtidium faciat, & minus intelligatur quid cui parti conueniat; ſi non competentibus locis ab alio principio orationis incipiat textus. Sæpè dictus igitur Sophiſta ſubitò à baptiſmate Chriſti recurrit ad natiuitatem: & quem adoptatum in filium Dei ſecunda generatione vult intelligi, eundem Dauid regis magis eſſe filium, quam Dei patris teſtatur. Et vt eiuſdem verba ponamus. Ait ergo: Certe enim idem Redemptor noſter in forma humanitatis (vt ſacra eloquia teſtantur) filius Dauid eſt & filius Dei. Quod vtrumque verum eſt: Quod tamen non abſurdè quærendum eſt, quomodo in eum vtrumque conueniat. Neque enim fieri poteſt vt vnus filius naturaliter duos patres habere poſſit: vnum tamen per naturam, alium autem per adoptionem prorſus poteſt. Huius duplicis paternitatis Dei, ſcilicet & patris, & Dauid regis in Chriſto Ieſu in ſuperioribus ſecundum opportunitatem proculdubio diſputationis reſponſum habes: niſi fortè hoc addendum eſſe videatur, quod nuſquam in ſcripturis ſanctis inuenies ſcriptum Dauid de Chriſto dixiſſe, Tu es filius meus dilectus: Quomodo Deum patrem legimus ſuper Chriſto vocē emittere dicendo: Tu es filius meus dilectus, in quo mihi bene cōplacui. Sed illum quem paterna vox filium ſuum dilectum teſtata eſt, hunc eundem Dauid Prophetico Spiritu Dominum ſuum dixiſſe legitur. Igitur iuxta humanam conſuetudinem Dauid inter auos vel proauos Chriſti numerandus eſt, magis quam prius pater dicendus ſit. Nam ſi Deus pater proprius non eſt Chriſti pater: ergo nullū habet proprium patrem: quia beata virgo

ex nullius viri ſemine concepit,ſed de Spiritu ſancto impraegnata eſt. Si Dei patris teſtimonio credendum æſtimes , crede Chriſtum eſſe Dei filium. Vel ſi Prophetico ipſius Dauid teſtimonio credere rectũ arbitreris , crede eundem qui filius dicitur Dauid Dominum eſſe illius. Dicis itaque quod vnus homo duos patres naturales non poſſit habere, vnum vero poſſit naturalem habere , & alterum adoptiuum. Dicam & ego quod nullus pater vnum filium poteſt habere, vtrumque & naturalem ſibi & adoptiuum: Quia ille vnus filius non poteſt diuidi vt ſit vnus patris & naturalis & adoptiuus : vel quædam pars filij ſit adoptiua , & altera naturalis in filij dignitate: velut ſi vna manus ſit adoptiua,& altera propria : vel anima ſit adoptiua, & caro in proprietate filij. Quamuis enim anima non ſit ex patris ſemine ſicut eſt caro, tamen vnus eſt filius patris anima & carne totus vel adoptiuus vel proprius , prout conditio nominis vel naturæ ſibi adulerit. Poteſt vero in vna perſona eſſe paſſibilis & impaſſibilis , mortalis & immortalis : veluti homo immortalis eſt anima , mortalis carne, ſic etiam & Chriſtus impaſſibilis diuinitate , paſſibilis carne : tamẽ totus vnus idemque eſt Deus,& homo vnus eſt Chriſtus in forma Dei, & vnus Chriſtus in forma ſerui,& vnus Chriſtus æqualis patri, & vnus eſt Chriſtus minor patre, idem Deus idẽ homo,vnus filius Dei patris totus proprius , & virginis matris totus proprius. Quod beatus Leo Papa Romanus in Epiſtola ad Flauianũ perſpicuè teſtatur : Cum ergo (inquit) vnus ſit Dominus Ieſus Chriſtus , & veræ deitatis veræque humanitatis in ipſo vna prorſus eademque perſona ſit, Exaltationem tamen qua illum (ſicut doctor gentium dicit) exaltauit & donauit illi nomen, quod omne nomen excellit , ad eandem intelligimus pertinere formã quæ ditanda erat tantæ glorificationis augmento. In forma quippe Dei æqualis erat filius patri , & inter genitorem atque vnigenitum nulla erat eſſentiæ diſcretio, nulla in maieſtate diuerſitas : nec per incarnationis myſterium aliquid deceſſerat ex verbo quod ei patris ex munere redderetur : forma autem per quam impaſſibilis Deitas ſacramentum magnæ pietatis impleuit , humana humilitas eſt,quæ in gloriam diuinæ poteſtatis euecta eſt : in tantam vnitatem ab ipſo conceptu virginis deitate & humanitate conſerta, vt nec ſine homine diuina , nec ſine Deo ageretur humana. Nullatenus ergo te, ô Felix, humana ratione inueſtigare natiuitatem verbi Dei, qua caro factum eſt, poſſe putes: non enim humana poſſibilitate omnipotẽtiam diuinitatis metiri debes. ipſe qui lex eſt naturarum nulla lege alterius naturæ ſubiacet: nec infirmis humanæ coniecturæ ratiunculis qui incomprehenſibilis eſt, comprehendi poterit. Quapropter vnigeniti Dei natiuitatem , vel diuinam vel etiam humanam deſine ad noſtram mortalitatis impoſſibilitatem redigere : neque ei qui extra conceptum humanæ originis natus eſt, humanis diffinitiunculis præiudicare tentis , quomodo naſci potuiſſet, vel quomodo eſſet proprius filius Dei, dum natus eſſet , ſi Deo omnia poſſibilia cognoſcas, & hoc ei poſſibile eſſet , ſcito vt proprium filium ex virgine creatum habere valuiſſe. Dicis, quid potuit ex ancilla naſci niſi ſeruus? Hoc & anteceſſor tuus Pelagius, licet aliis verbis tamen eodem ſenſu olim dicebat, adſerens Chriſtum ſolitarium eſſe hominem : Ex quo fonte & Neſtorius ſuam condidit hæreſim, qua duas perſonas in Chriſto voluit intelligi. Expone igitur quomodo apes animalia viua de floribus, rebus ſcilicet inſenſatis, naſcantur, vel mirabilem illarum naturam , reique publicæ ordinatiſſimam diſpoſitionẽ in earum adminiſtratione ediſſere. Dices forſitam quia talis à creatore natura illis condita eſt. Cogita & intellige qui hæc miracula in minimis creare potuit , quæ ab homine nec intellegi nec enarrari poſſunt , quod potuit ex virginali vtero liberum ſibi creare filiũ. Conſidera cœli altitudinem , terr[illegible]tatem , aquarum profunditatem, omnium viuentium diuerſitatem: ediſſere ſi valeas harum omnium rerum rationes , & ſi h[illegible] impoſſibile te profitearis, quid te præſumptuosè ingeris ineffabili miraculo natiuitatis Chriſti , qualiter vel Deus homo fieri potuiſſet, vel homo Deus , vel Dei filius hominis filius? Nam huius natiuitatis , vel etiam vnitatis in Deo & homine maius eſt ſacramẽtum quam omnium creaturarum conditio. Concede igitur Deum aliquid poſſe , quod humana non valeat infirmitas comprehendere; nec noſtra ratiocinatione legem ponamus maieſtati æternæ quid poſſit, dum omnia poteſt qui omnipotens eſt. Nec enim hac ſola natiuitate Chriſti defectiua eſt potentia illius qui omnipotens eſt,vt non poſſet illum hominem,qui ex virgine natus eſt, ſibi proprium vel naturalem filium creare. Intellige tãdem aliquando ad quem finem vel ad quantam blaſphemiam hæc tua adſertio perueniat;

aut Dei patris Christum confitere propriũ eſſe filium & verum, iuxta omnipotentiam ſuæ ineffabilis voluntatis: aut ſi hæc fieri non poſſe contenderis, impotentem ſuæ voluntatis fateris Deum: quod impiiſſimum eſt credere vel dicere. Ergo ex hac conſideratione meliori teipſum indue fide, tuamque cognoſcens infirmitatem Deum confitere omnia poſſe facere quæ vult, & te cuncta non poſſe intelligere quæ vult creator vt fiant. Plurimi enim ſanctorum profeſſi ſunt non intellexiſſe, nec enarrare potuiſſe hanc mirabilem generationem Chriſti, ex quibus Iſaias dum infirmitates, opprobria, flagella & ſputa quæ Chriſtus pro noſtra paſſus eſt ſalute prædixiſſet, hoc quoque adiecit: Generationem eius quis enarrabit? Beatus quoque Baptiſta Ioannes ſe indignum teſtatus eſt ſoluere corrigiam calciamenti eius. Quod beatus Gregorius in Homeliis ſuis ita expoſuit: Sed huius, inquit, incarnationis myſterium humanus oculus penetrare non ſufficit: inueſtigari enim nullatenus poteſt quomodo corporatur verbum: quomodo ſummus & viuificator Spiritus intra vterum matris animatur: quomodo is qui initium non habet exiſtit & concipitur. Corrigia ergo calceamẽti eſt ligatura myſterij. Ioannes itaque corrigiam calciamenti ſoluere non valet, quia incarnationis myſterium nec ipſe inueſtigare ſufficit, qui hanc per Prophetiæ ſpiritum agnouit. Quid eſt ergo dicere, non ſum dignus ſoluere corrigiam calceamenti eius, niſi aperte & humiliter ſuam ignorantiam confiteri? ac ſi patenter dicat: Quid mirum ſi mihi ille prælatus eſt, quem poſt me quidem natum conſidero, ſed natiuitatis myſteriũ non adprehendo? Hieronymus quoque doctor omni Eccleſiæ Chriſti honorabilis in expoſitione nonageſimi octaui Pſalmi, hanc generationem Chriſti ſe omnino ignorare non erubuit profiteri: Videte, inquit, quam rem audeam loqui: Ego ita adeo ſcabellum, quod quondam fuit ſicut thronum: Et ſi enim noueramus Chriſtum ſecundum carnem, habuerat fortè ſcabellum ante mortem, ante reſurrectionem, quando manducabat, quando bibebat, quando noſtros patiebatur affectus. Poſtquam vero reſurrexit, & ad cœlos victor aſcendit, ego non intelligo alium ſedentem, & alium ſcabellũ, ſed totum in Chriſto thronus eſt. Quærit & dicit: Quare vel quare quomodo ſit neſcio, & tamen credo quod ſit. Mirarer ſi ignorẽ diuinitatis myſterium, cum meipſum neſciam? Interrogas me quomodo, quod ſit, & diuinitas & incarnatio vnus ſit, cum ego neſciam quomodo viuam Deum intellegiſſe credidiſſe eſt: Deum noſſe honorare eſt, ſufficit mihi ſcire quod ſcriptum eſt: ſufficit mihi ſcire quod credo: plus autem nec volo nec cupio. Si enim ſcire voluero, & hoc incipio perdere quod credo: fideles dicimur non rationales. Denique dicitur & à Domino, credis quod ego poſſum hoc facere? Et dicitur ad mulierem, Fides tua te ſaluum fecit. Non ratio, non inquiſitio, non quare, vel quare factum ſit credidit, quia fieret & factum eſt. Simili modo & præfatus pater Gregorius in Homelia Paſchali præſumptioſam inquiſitionem natiuitatis Chriſti his verbis compeſcuit. Qui igitur (ait) paſchalis gaudij ſolemnitatem celebrare deſiderat, agnũ nec aqua coquat, nec crudũ comedat: vt neque per humanam ſapientiam profunditatẽ incarnationis illius penetrare appetat: neque in eum tanquam in hominem purum credat: ſed aſſas igne carnes comedat, vt diſpenſari omnia per ſancti Spiritus potentiam ſciat. Et paulo poſt: Et quod remãſerit igni comburetis. Quod ex agno remanet, igni comburimus, quando hoc quod de incarnationis eius myſterio intelligere & penetrare non poſſumus, poteſtati ſancti Spiritus humiliter reſeruamus: vt non ſuperbe quis audeat, vel contemnere vel denuntiare quod non intelligit, ſed hoc igni traditũ cum ſancto Spiritu reſeruat. His & huiuſmodi teſtimoniis ſanctorum patrũ, humana humilitas ſe ipſam coërceat intra terminum moduli ſui ſaluatoriſque noſtri, mirabilem natiuitatem humanis ratiunculis deſinat æſtimare, nec plus ſapere quærat quam oportet ſapere. Audiatque ſapientiſſimi Salomonis conſilium dicentis: Altiora ne quæſieris, & profundiora ne ſcruteris. opponat quoque ſibimet aliam eiuſdem ſententiam qua terruit præſumptuoſam humanæ infirmitatis temeritatem. Qui multum (ait) mel comedit, non eſt ei bonum: & qui ſcrutator eſt maieſtatis, opprimitur à gloria. Si noſtræ originis patiẽter neſcimus natiuitatẽ, quomodo anima in vtero matris tenerrimã noſtræ carnis ſubſtantiam viuificet: quanto magis Dei omnipotentis humanæque naturæ ineffabilem coniunctionem nos nullo modo comprehendere poſſe vel intelligere fatendũ eſt? Deus autẽ quomodo voluit, & quãdo voluit, & ex qua voluit, aduenit in mundũ, nec tẽpus ei, nec perſona, nec conſuetudo hominum, nec exempla rerum præiudicarũt, quin minus eſſet quod

voluit. Nam obſiſtere ei lex non potuit creaturarum, qui eſt creator ipſe cunctorum: vt poſſet quod voluit promptum illi ſemper fuit, quia poteſtas adfuit voluntati. O homo tu quis es qui reſpondeas Deo? nunquid legẽ impones illi qui eſt lex vniuerſitatis? quia omnis creatura voluntati illius ſubiecta eſt. Sed dicis vt in tuis legitur litteris, quia nullo modo credendum eſt vt omnipotens Deus pater qui Spiritus eſt, de ſemetipſo carnem generet. Dic rogo ſi ſcias te animam habere an non? nullatenus tanta eſt ignorantia in te, vt neſcias te animam habere: ſcis etiam patrem te habuiſſe carnalem, ex cuius carne anima quæ in te eſt, non eſt procreata nec generata, vt Catholica fides habet. Et quomodo poteſt fieri, vt tu ipſe totus ſis tui patris proprius filius & verus, ex cuius carne tua anima non eſt generata? At ſi teipſum conſentias proprium eſſe filium patris tui cum anima & carne, quamuis caro ſola de ſubſtantia patris & matris procreata ſit: Ergo multo magis perpende oculis cordis, vt intelligas Dei patris Ieſum Chriſtum in vtraque ſubſtantia proprium filium & verum fieri poſſe. An illius potentia in hoc impotens eſt, vt hoc non poſſit perficere in filio ſuo, quod in cunctis hominibus facit fieri? Aut tuus pater potentior eſt Deo in hac parte, & potuit te proprium filium habere ex anima & corpore, licet anima aliunde ſit corpori immiſſa? Si vero nullus proprius filius & verus poterit eſſe niſi ex ſubſtantia patris totus natus ſit, ergo in omni humano nullus pater habet proprium filiũ & verum, niſi tantum carne ſola. Vides ne in quantam ſtultitiã iſte tuus ſenſus deuoluitur, & quam contraria omni rationi & omni humano generi adferis? Tu igitur ipſius vtens exemplo & teipſum conſiderans, proprietatem filij, quam in te adferis, cognoſce in filio Dei fieri poſſe: Et qui te ipſum diuidere non vis propter animam & carnem in duos filios, proprium ſcilicet & adoptiuum: ea ratione nec Chriſtum diuidere tentes in duos filios propter perfectæ diuinitatis & perfectæ humanitatis naturam: quia vnus eſt mediator noſter Ieſus Chriſtus. Sequitur in textu libelli tui. Igitur (inquis) ſi adoptionis nomen in Chriſto Domino ſecundum carnem claro apertoque ſermone in vtroque teſtamento (vt vos contenditis) reperire nequimus; cætera tamẽ omnia quæ adoptionis verbo conueniunt in diuinis libris perſpicuè atque manifeſtè multis modis reperiuntur. Nam quid quæſo eſt cuilibet filio adoptio, niſi

A electio, niſi gratia, niſi voluntas, niſi adſumptio, niſi ſuſceptio, niſi placitum ſeu applicatio? Quæ vniuerſa nullo modo proprio ac vero filio conuenire queunt. Si quis vero in Chriſti humanitatẽ adoptionis gratiam negare vult, ſimul cuncta quæ dictas cum eadem adoptione in eo negare ſtudeat. Quid horum rogo quæ propoſuiſti in proprio filio fieri nõ poteſt? nunquid non Dauid rex maiore gratia elegit Salomonem proprium filium ſuum ſucceſſorem ſibi regni, quàm alios filios proprios B quos habuit? Ecce maior gratia patris, maior voluntas, maiorque electio in eo fuit, quam in aliis filiis ſuis, licet & illi proprij eſſẽt filij. Sed nec omnis adſumptio poteſt eſſe adoptio. Adſumpſit enim Dei filius carnem ex vtero virginali, in vnitatem ſuæ perſonæ, non in carnem mutatus, ſed vt eſſet proprius filius Dei in duabus ſubſtantiis, Dei ſcilicet & hominis, veluti ante fuit in vna natura proprius Dei filius nihil amittens quod erat, quãuis adſumpſiſſet quod non erat, non diuiſionẽ faciens in perſonæ proprietate, nec cõmixtionem in naturarũ C coniunctione. Si autẽ propter adſumptionem vel ſuſceptionem Chriſtus adoptiuus eſt filius qui ex virgine natus eſt, cuius perſonæ in ſancta Trinitate adoptiuus eſſe dicẽdus eſt? vtique omnino filij perſonæ ipſe adſumpſit hominem vel ſuſcepit. Quod ſi ita eſt, nepos eſt patris ſecundum humanitatem Chriſtus, qui à Deo filii adſumptus eſt homo, vel vt tu vis adoptatus. Non ergo omnis adſumpti adoptio eſt. Legitur in Euangelio de Chriſto, quod adſumpſit eum D diabolus & ſtatuit ſuper pinnaculum templi. In qua adſumptione diaboli nulla poteſt eſſet adoptio, ſed praua tentatio. Placitum vero quis neſcit in multis rebus eſſe poſſe, nec in adoptione ſola? Similiter & adplicatio. Nam ſæpius legitur in hiſtoriis: Et applicuit dux ille vel ille caſtra ad hanc vel ad illam ciuitatem. Si applicatio eſt adoptio, ergo adoptauit ciuitatem ſibi in filium quam magis venit debellare. Ecce & hic cæca ſtultitia tua & E indocta temeritas apparet, qua non intelligis quàm aduerſa & contraria omni rationi ponis & confirmas, addere etiam vt propter nomen ſerui ſit quoque adoptiuus, non intelligens apud priorem populum, qui dura legis ſeruitute ſubiectus eſt, propter magnum humilitatis ſacramentum, diſpenſationemque veræ humanitatis ſeruum à Prophetis nominari Chriſtum. Aliquibus in locis legimus inter filios ſi quidem gratiæ, id eſt, in nouo

populo filius vbique nominatur. Quæ vo- A cabula in Iſaia Propheta manifeſte quodam in loco diſtinguntur, vbi ait: Paruulus natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis. qui fuit paruulus vel ſeruus apud ſynagogam in vmbra ſeruientem, apud Chriſtianos in luce libertatis viuentes filius eſt. Quam diſcretionem filij & ſerui ipſe quoque Dominus in Euangelio deſignare videtur, vbi ait: Seruus nõ manet in domo in æternum, filius autem manet in æternum. Moxque ſubiungit dicẽ: Si filius vos liberauerit, vere liberi eritis. B Qui apud infideles filius eſt fabri & ſeruus: apud fideles filius eſt Dei, & Deus verus. Neſcio qua fronte ſacerdotem Chriſti (ô noue doctor) te confitearis eſſe, dum Chriſtum Deum denegas. Iudæi claudebant aures corporis ne Apoſtolum Paulum prædicantem audirent Chriſtum Deum eſſe: Tu claudis oculos cordis ne intelligas eumdem Deum eſſe. De quo ipſe egregius prędicator ait: Nos autem prædicamus Chriſtum crucifixum Domini virtutem & Domini ſapientiam. Et quidem ſapientia & virtus Dei, Domino vtique. C Nos ergo prædicamus Chriſtum crucifixum (inquit) Iudæis quidem ſcandalum, gentibus autem ſtultitiam. Crux enim Domini, quæ ſtultitia gentibus, & Iudæis ſcandalum fuit, tibi vtrumque eſt. Neque enim aut ſtultitia vlla maior eſt, quàm non credere veritati: aut maius ſcandalum, quàm audire quod verum eſt, nolle. Stultitia viſa eſt gentibus Dominum crucifigi, & Iudæis Dei filium mori, ſcandalum fuit. Par forte videri potuiſſet & impietas tua cum Iudæis, niſi quod in hoc maius eſt crimen tuum, quod illi eum negabant Deum eſſe, in D quo adhuc paſſio oſtendebat hominem: Tu eum denegas Deum, quem iam reſurrectio probauit Deum. Ac per hoc illi eum perſequebantur in terra, tu eum perſequeris & in cœlo, nolens illum Deum prædicare regnantem in cœlo, cuius miniſterio fungeris in Eccleſia. Poſt horum itaque enumerationem nominum, quibus Chriſtum niteris confirmare adoptiuum eſſe, addis & hoc: Quiſquis vnum quodlibet denegare E decreuerit, quia vnum abſque aliud ſtare nequit: quin potius quicumque ille eſt rationis veritate conuictus, velit nolit negaturus eſt eum verum hominem. Nos vero verum hominem eſſe Chriſtum, & veram carnem de virgine adſumpſiſſe, veraciter & fiducialiter confitemur. Sed & hoc quod ais: Qui vnum horum denegare contendit, quod cætera ſtare non poſſint, nullatenus verus eſt: ſcilicet quod propter adſumptionem neceſſario ſit adoptiuus Dei patris filius homo de virgine natus, ſicut ſuperius probauimus, & ſi hoc vnum eſſe non poteſt omnino ſecundum tuam ſententiam: & alias omnia abiicienda ſunt, quia hoc vnum ſine dubio ſtare non poteſt quod propter adſumptionem carnis ſit adoptiuus Chriſtus Dei Patris filius. Dicis quod nomen adoptionis, electæ creaturæ ſit, & non reprobæ: & hoc quam verum ſit, ſciẽs quiſque intelligit. Poſſunt enim & mali adoptiuos habere filios, ſicut & boni: Et hoc nomen commune eſt bonis & malis, quia in vtriſque inuenietur. Nam qui legit hiſtorias ſeculares, inueniet & in paganis hanc conſuetudinem adoptionis eſſe. Nec neceſſe eſt ſemper vbique eſſe adoptionem, vbi gratia eſt. Dicitur in conſpectu cuſtodis carceris Ioſeph inuenire gratiam: Non tamen intelligendum eſt eum ſibi adoptaſſe in filium; ſed & in multis locis aliter inueniet gratiam nominari, nec ſemper ad adoptionem pertinentem; ſicut & electionem & adſumptionem, & cætera nomina quæ contentioſe congregaſti, vt adfirmares neceſſario propter hæc nomina Chriſtum eſſe adoptiuum. Quod omnino verum nõ eſſe intellegit, qui diligenter ſacras ſiue ſeculares legit litteras. Dicis & vere dicis: Chriſtus veritas eſt, Iuſtitia eſt, æquitas eſt, pietas eſt, miſericordia eſt; Non vult de ſe credere vel prædicare quam id quod eſt. Si veritas eſt Chriſtus, nullum vtique figmentum eſt in eo: Et ſi nullum figmentum eſt in eo, vtique verus eſt filius, & adoptiuus dici nõ poteſt: quia videlicet adoptio quædam eſt voluntatis ſignificatio, non natiuitatis veritas. Vult enim habere in nomine qui adoptat ſibi filium ex quolibet alieno, illum quem non habet propriũ in natura. Iuxta Pſalmiſtã vero, veritas de terra orta eſt: verus vtique filius Dei, qui de terra noſtræ naturæ, id eſt de virginali carne ortus eſt, & natus verus Deus, & verus homo. Hoc igitur quod eſt, id eſt veritas, de eo credimus. Decuit itaque & vere decuit, vt in Dei filio proprietatis eſſet nobilitas, veritas, & dignitas, non adoptionis communio cum cæteris, vel nuncupationis fragilitas inter cæteros: quia nullum figmentum appellationis in Chriſto, qui eſt veritas, & in quo omnis eſt plenitudo diuinitatis. Fieri potuit Apoſtolo adteſtante qui ait: Dei enim filius Ieſus Chriſtus qui in vobis per nos prædicatus eſt, per me & non ſed eſt in illo fuit. Quotquot enim promiſſiones Dei ſunt in illo eſt. Hæc eſt namque ſumma diſputationis noſtræ. Nam ego dico, & non ſolus ego,

ſed & tota vnanimitas Catholicæ Eccleſiæ A pia credulitate teſtatur Deum eſſe Chriſtum & filium Dei verum, immo verum Deum qui natus eſt de Spiritu ſancto & Maria virgine. Tu dicis eumdem eſſe adoptiuum filium & nuncupatiuum Deum. Hoc ergo à te audire deſidero, ſi illum qui crucifixus eſt, & mortuus eſt, & die tertio reſurrexit, Deum adorare volunt, ſi adorandum eum eſſe dicis, vtique conſequenter Deum eſſe quem adoraueris vt fatearis neceſſe eſt: ne te teſtimonium illud damnet diuinum; quod diabolus territus receſſit à B Chriſto, audiens ab eo, Vade retro Satanas: ſcriptum eſt: Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies. Si autem non adorandum Deum æſtimes, qui crucifixus eſt: Ergo culpandæ ſunt Angelicæ poteſtates, quæ eumdem in throno paternæ maieſtatis ſedentem adorare probantur, Apoſtolo adteſtante qui ait: Cum introducit primogenitum in orbem terræ dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei. Hoc vero de ſuſcepto homine dictum eſſe Ioannes tractator eiuſdem Epiſtolæ adfirmat in homeliis C quas in eandem Epiſtolam vbi hæc legitur ſententia compoſuit. Quotiens enim (inquit) magna quædam & altiora dicturus eſt, præſtruit illa primum, & facit illa ſuſceptibilia. Superius enim dixerat quia non per Prophetas nobis locutus eſt, ſed per illum, quia filius melior eſt Angelis. Quod ex ipſo argumentatus eſt nomine. Hic autem iam ex alia re vult argumenta deducere: ex qua iſta? ex adoratione videlicet. Nam tanto eum meliorem demonſtrat, quanto Dominum ſeruis con- D ſtat eſſe meliorem. Quomodo ſi quis in quandam domum introducat aliquem, & confeſtim omnes illius domus principes iubeat, vt omnes illum proni ſimul adorẽt: ita & Chriſtum ſecundum carnem iuſſit à cunctis Angelis adorari dicens: Et adorent eum omnes Angeli Dei. Et in ſequenti alterius homeliæ loco eundem replicat ſenſum dicens: Reuera magnum & mirabile & ſtupore plenum eſt, carnem noſtram ſurſum ſedere & adorari ab Angelis & Archãgelis, & Cherubim & Seraphim. Hoc ſæpius in mente verſans exceſſum patior, & maiora de genere humano imaginor: maiora quippe video & clara exordia multam Deo feſtinationem pro natura noſtra. Diſce igitur ab Angelis feliciter Chriſtum credere Deum, & adorare: ne cum diabolo infeliciter dubitare incipias, vel quod peius eſt eum negare: In quo ille dubitabat, ille dixit, ſi filius Dei es: tu dicis, filius Dei non eſt, quod ille interrogauit dubitanter, tu negas inſtanter. Nemo adhuc inuentus eſt præter huius ſectę auctores qui impietatem diabolicam fuerint ſupergreſſi, quod ille in Domino confeſſus eſt eſſe poſſe, vos non creditis eſſe potuiſſe. At ſi ille validiſſimis ſacræ ſcripturæ teſtimoniis repulſus diſcederet à Chriſto: tamen manſit in eo vſque ad ipſam crucem omnis ſuſpitio diuinitatis eius, nec tunc quidem opinari eum filium Dei deſiit, poſtquam tantum in eo perſecutoribus ſuis licere cognouit. Sed callidus vtique hoſtis inter ipſas quoque corporeas paſſiones omnimodo peruenire ad Dei agnitionem etiam in ipſo mortis articulo tẽtauit, dicens per eos qui crucifixerant: Si filius Dei eſt deſcendat nunc de cruce, & credimus ei: ſcilicet, vt motus contumeliis verborum Dominus desereret ſacramentum ſalutis humanæ, dum iraſceretur ob iniuriam; ſed magna Dei Saluatoris noſtri patientia triumphi diſpenſationem & redemptionis noſtræ myſterium ad reſurrectionis gloriam reſeruauit. Maiori ſiquidẽ miraculo mortuus de ſepulchro reſurrexit ad vitam, quam viuus deſcendiſſet de cruce. Sequitur quoque in Epiſtola tua, ſicut ea (inquis) quæ de illo celſa, atque glorioſa ſunt credimus & conlaudamus, ita humilitatem eius & omnia indigna, quæ propter nos miſericorditer ſuſcipere voluit, diſpicere nullo modo debemus. Dicis itaque illum qui nos creauit cum non eſſemus, hæc indigna omnia pati pro nobis. Scimus quis ille eſt qui nos creauit proprius filius Dei. Quomodo poteſt vtrumque eſſe verum, ille qui condidit hæc indigna paſſus eſſet pro nobis: ſi ille qui creauit eſt proprius filius Dei: & ille qui paſſus eſt, adoptiuus ſit. Nullatenus diuidere poteris, ſicut ipſa conſequentia ſermonis tui teſtatur, creatorem ab eo qui hæc paſſus eſt pro nobis. At ſi vnus eſt in perſona, vnus eſt etiam in proprietate filij: quia proprij filij & adoptiui ſicut ſæpe dictum eſt duæ ſunt perſonæ. Deus igitur & homo qui aſſumptus eſt vna perſona, & neceſſe eſt vnam eſſe proprietatem E in vna perſona, vt tota perſona proprius ſi filius, vel tota adoptiuus. Vna perſona te cogit, vnam confiteri proprietatem filij in duabus naturis ponis. Itaque verba Epiſtolæ noſtrę, vbi poſt conuenientem ſermonis noſtri exhortationem diximus: O quantis ſanctorum Patrum exemplis hanc fidem probare poſſimus, quod Chriſtus Ieſus verus eſt Dei patris filius, & mox à cõceptione virginalis vteri verus cõceptus eſt Deus verus & natus Deus, & ad hæc reſpondit

Hæ ſũt ſentẽtiæ credulitatis veſtræ de geminis in Chriſto naturis, quas ita in ſingularitatem perſonę confunditis, vt interDeũ & hominem, inter verbum & carnem, inter creatorem & creaturam, inter ſuſcipientem & ſuſceptum nullam eſſe differentiam adſtruatis. Quod dicis geminas nos naturas in ſingularitatem vnius perſonæ confundere: ex parte quidem verum dicis, ex parte vero ſolito tuo more falſo calumniaris: Nos namque duas naturas in vna Chriſti perſona, non (vt tu dicis) cum Eutyce confuſas, ſed cum Eccleſia Catholica ſic ineffabiliter coniunctas credimus & confitemur, vt manente vtriuſque naturæ proprietate, & vt ita dicam ſalua integritate ambarum, & diuina humanis, & humana diuinis communicent: eſſetque in hac ſancta & mirabili coniunctione non deitatis conuerſio, ſed humanitatis exaltatio: id eſt, non Deus conuerſus in hominem, ſed homo glorificatus in Deum: nec diuina natura amiſiſſet eſſe quod erat, id eſt Deus, ſed humana natura inciperet eſſe quod non erat: ſicque (vt ſæpe diximus, & ſemper dicemus) vnus ſit Chriſtus ex duabus naturis mirabiliter & ineffabiliter vnitas totus vnus & verus filius Dei. Ac per hoc in duabus naturis vnus verus Deus & nominatur & vere eſt: quia videlicet & Deus omnipotens numquam de ſe aliquid vult dici quod non ſit: hoc enim à fide Catholica omnino alienum eſt: ſed ita (vt diximus) Dei filius hominem adſumpſit, vt nihil amiſiſſet quod habuit, & cum ſuſceptione hominis fuit verus filius Dei, ſicut ſemper eſt: nec etiam minorata eſt diuinitas propter hominem, nec mutata in hominem, ſicut nec homo à natura humanitatis receſſit vt non eſſet homo, ſed natura humanitatis proprietatem naturæ ſeruauit, & ſubſtantia diuinitatis proprietatem diuinitatis non amiſit. Tamen homo Deus eſt Chriſtus, & Deus homo factus, vt ſit verum quod beatus Euangeliſta ait, Verbum caro factũ eſt: in verbi nomine Deum deſignans, & in carnis nomine hominem demonſtrans, de quo beatus Hieronymus contra Iouinianum ait: Verbum caro factum eſt, vt nos de carne tranſiremus in verbum: nec verbum deſiit eſſe quod fuerat, nec homo perdidit eſſe quod natus eſt. Gloria aucta eſt, non mutata eſt natura. Et beatus Auguſtinus in libro Enchiridion. De quo mediatore (inquit) longum eſt, vt quanta dignum eſt, tanta dicantur. Quamuis ab homine dici digna non poſſint. Quis enim hoc ſolum congruentibus explicet verbis quod verbum caro factum eſt, vt habitaret in nobis, vt crederemus in Dei patris omnipotentis vnicum filium natum de Spiritu ſancto & Maria virgine? Itaque verbum caro factum eſt, ad diuinitatem quidem carne ſuſcepta, ſed non in carnem diuinitate mutata. Carnem porro hic debemus hominem accipere à parte totum ſignificante locutione (ſicut dictum eſt) quoniam non ex operibus legis iuſtificabitur omnis caro (id eſt) omnis homo. Nam nihil naturæ humanæ in illa ſuſceptione fas eſt dicere defuiſſe, ſed naturæ ab omni peccati nexu omnimodo liberæ, non qualis de vtroque ſexu naſcitur per concupiſcentiam carnis, cum obligatione delicti, cuius reatus regeneratione diluitur: ſed qualem de virgine naſci oportebat, quem fides matris non libido conceperat. Illi igitur homini qui ex virgine natus eſt ſingulari munere præ cæteris ſanctis datum eſt, vt ſtatim ex quo in vtero virginis incepit homo fieri, eſſet & Deus. Vnde & eadem glorioſa ſemper virgo Maria non ſolum hominis, ſed & Dei genitrix recte credenda eſt & confitenda. Inter alia quoque teſtimonia quæ congregas de ſancta ſcriptura tu ſæpe dicte Felix, ponis Euangelicam ſententiam & Apoſtolicam, quibus maxime tota malæ credulitatis tuæ deſtruitur impietas, vbi ipſe Saluator oculis eleuatus ad patrem ait: Vt cognoſcant te ſolum verum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum. Atque iterum de Epiſtola beati Ioãnis Euangeliſtæ vbi ait: Et adſumpſit nos, & dedit nobis ſenſum, vt cognoſcamus verum Deum, & ſimus in vero filio eius Ieſu Chriſto: hic eſt verus Deus & vita æterna. Si igitur Deus (ſecundum quod Angelus prædixit beatæ Mariæ virgini) nomen eſt humanitatis adſumptæ à Dei filio, & Chriſtus propter regiam dignitatem, vere omnino, (iuxta teſtimonium eiuſdem Euangeliſtæ) ſiue in Euangelio ipſa veritate dicente: ſiue in Epiſtola ſua idem ipſe qui dicitur Ieſus Chriſtus verus eſt Deus, & verus filius Dei. Aut ergo hæc nomina tollẽda ſunt ab humanitate filij Dei: aut ſi hæc nomina illius qui natus eſt ex virgine, ergo & ille homo qui natus ex virgine, & his nominibus vocatur, verus eſt Deus & verus filius Dei. Sed quia de hac ipſa quæſtione plura videntur eſſe dicenda, præſentis libelli hic terminum ponere curauimus, vt ea quæ ſequuntur ſequentis libelli diſputationi ſeruentur.

LIBER QVARTVS.

SEQVITVR in libello præfati doctoris peſſimum & à ſæculo inauditæ blaſphemiæ argumẽtum,quo omnino Chriſti Dei impiiſſima temeritate contradicit diuinitati, quod multis ſanctorum Patrum teſtimoniis diſtruendum eſſe neceſſarium videtur. Quapropter lectorem obſecro ne me longiorem in hac ſerie diſputationis reprehendat.Simplici ſermone apud auditores pios fides vera proferri poteſt:ſed impietatis aſſertio plurima teſtimoniorum auctoritate diluenda : quatenus ſi noſtræ paruitatis ſenſus contemptibiles habeat, ſaltem multimoda Catholicorum doctorum auctoritate vincatur,vtque Dei Chriſti donante & miſerante clementia corrigatur.Ponit itaque huiuſmodi verba:Secũdo autem modo ait:Nuncupatiue Deus dicitur, ſicut ſuperius dictum eſt de ſanctis prædicatoribus, de quibus Saluator Iudæis ait. Si enim illos dixit deos ad quos Dei ſermo factus, qui tamen non natura vt Deus, ſed per Dei gratiam ab eo qui verus eſt Deus, deificati dij ſunt ſub illo vocati : in hoc quippe ordine Dei filius Dominus & redemptor noſter iuxta humanitatem , ſicut in natura,ita & in nomine quamuis excellentius cunctis electus, veriſſime tamen cum illis communicat , ſicut & in cætera omnia (id eſt) in prædeſtinatione , in electione, in gratia,in ſuſceptione , in adſumptione nominis ſerui , atque applicatione, ſeu cætera his ſimilia ,vt idem qui eſſentialiter cum patre & Spiritu ſancto in vnitate deitatis verus eſt Deus,ipſe in forma humanitatis cum electis ſuis per adoptionis gratiam deificatus fieret,& nuncupatiue Deus. Quem paulo ante Euangelico teſtimonio, & ipſius Euangeliſtæ teſtificatione dixiſti verum Deum : quomodo nunc dicis nuncupatiuum Deum,aut auctoritate Euangelicæ etiam & ipſius veritatis teſtificationi quam poſuiſti,vbi ait: Hæc eſt enim vita æterna vt cognoſcant te ſolum verum Deũ, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum. Et quod idem Euangeliſta ait:Vt cognoſcamus verum Deum, & ſimus in vero filio eius Ieſu Chriſto. Conſentire habes vel tuam ſententiam confirmare aliud maiore quolibet teſtimonio, quam ipſius veritatis vel tanti Apoſtoli, & Euangeliſtæ qui ſuper pectus A Domini recubuit. Vel ſi hoc non auſus es facere , immo quia non potes, reſtat vt tuã ſententiam damnans radas de corde tuo hoc nomen in Chriſto nuncupatiuæ deitatis quod homo finxit,non Deus: quod humana inuentio,non diuina auctoritas compoſuit. Dicat beatus Apoſtolus quid inde ſentiat,vel de quo dixiſſet illud, quod & tu poſuiſti, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula. Dicit itaque Chriſto in ſe loquente: Optabam ego ipſe anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis,qui ſunt cognati mei ſecundum carnem,qui ſunt Iſraelitę, B quorum adoptio eſt filiorum & gloria , & teſtamentum & legiſlatio & obſequium & promiſſio, quorum patres ex quibus Chriſtus ſecundum carnem qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula. Intellige conſequentiam ſermonis Apoſtolici,de Iſraelitis teſtatur,quaſi ſe excuſare volens,quod non propter inuidiam legem illorum non ſeruaret: ſed dum veritatem intellexiſſet , veritati obedire mallet.Dicit illorum promiſſiones,id eſt,Iſraelitarum,quorum Patriar- C chæ patres erant, ex quibus, id eſt, Patriarchis Chriſtus ſecundum carnem natus eſt, quem etiam ſuper omnia Deum benedictum in ſæcula nominare non dubitauit: Deum inquam nominauit benedictum illum qui natus eſt carnaliter ex Patrum progenie,non nuncupatiuum. De qua ſententia beatus Proclus Conſtantinopolitanus Epiſcopus in Epiſtola ad Armenios ita ait: Apoſtolus dixit eum Chriſtum vt oſtendat quia ſecundum veritatem Deus factus eſt homo. Dixit eum qui eſt,vt eum ſine initio eſſe declaret. Dixit eum ſuper omnia, vt D totius creaturæ Dominum prædicet. Dixit eum benedictum, vt adoremus eum tanquam omnipotentem humiliter , nec vt conſeruum calumniis appetamus. Item Cyrillus Epiſcopus Alexandrinus de vnitate perſonæ & proprietate in duabus naturis filij Dei. Vnus igitur eſt (inquit) & ante incarnationem Deus , & qui in humanitate manſit , in quo erat & eſt & erit. Non diſcernendo igitur vnum Dominum Ieſum Chriſtum in hominem ſeorſum,& ſeorſum E in Deum, ſed vnum eumdemque Ieſum Chriſtum eſſe dicimus,non ignorantes differentias naturarum,ſed eas inconfuſas inter ſe ſeruantes . Et poſt pauca: Chriſtum, inquit, Deum vnum & Dominum confitemur , non tam hominem cum verbo coadorantes, ne diuiſionis quædam ſpecies inducatur , ſed vnum etiam & eumdem adorantes ; quia non eſt alienum à verbo corpus ſuum, cum quo ipſe etiam adſedet pa-

tri. Nec hoc ita dicimus quaſi duobus filiis adſedentibus,ſed vno cum carne per vnitatem : quia ſi talem copulationem factam per ſubſtantiam, aut quaſi impoſſibilem, aut quaſi parum decorã noluerimus accipere, in id incidimus vt duos filios eſſe dicamus. Nec enim diſcernere & dicere hominem ſeparatum fuiſſe ſola filij appellatione honoratum : & rurſus verbum quod eſt ex Deo & nomine & veritate filius Dei, ſed diſcernere in duos filios non debemus vnum Dominum Ieſum Chriſtum. Item beatus Hilarius in libro nono fidei Catholicæ. Hæc itaque humanæ beatitudinis fides vera eſt, Deum & hominem prædicare verbum & carnem confiteri. Neque Deum neſcire quod & homo ſit, neque carnem ignorare quod verbum ſit. Conſentanea quoque Euangelicis teſtimoniis Apoſtoliciſque doctrinis & ſanctorum Patrum ſenſibus, beatus Caſſianus profert in illo libro quem contra Hæreticæ prauitatis ſectam ſcripſit. Teſtamentum (inquit) vetus concinuit nouo Dauid, Ioanni concedat. Et paulo poſt, Quem verum hominem dicit Dauid, quia mater Sion dicit homo, & homo natus in ea: Eundem verum Deum credit, & prædicat, quia ipſe fundauit eam altiſſimus, quem verum hominem nouit. Ioannes audiens eum dicentem: Quæritis me occidere hominem, qui veritatem locutus ſum vobis: eundem verum Deum monſtrat dicens: Hic eſt verus Deus, & vita æterna. Verum hominem Chriſtum recognoſcit, quia Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis: eundemq; verũ Deum oſtendit: Quia in principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Et paulò poſt idem Caſſianus in libro tertio de ſacramento paſſionis Chriſti, & de vnitate filij Dei diſſerens ait: Itaque ſic in ſe totum hominem verus Deus & ſummus accepit, & ſic plenitudo diuinitatis veritate diuinæ humanæque ſubſtantiæ inconfuſibiliter permanente ſemetipſum pleno coniunxit homini, vt vnitate deinceps in æternum manente perſonæ, nec homo Chriſtus à ſua diuinitate, nec idem Deus Chriſtus à ſua poſſit humanitate diſtingi. vnus tamen atque idem Chriſtus & ex veritate paſſionis humanæ, quæ noſtra fuerant redderet: & ex veritate impaſſibilis, diuinæ quæ ſua fuerant tribuiſſet. Et ſic vtriuſque naturæ inconfuſa veritas perdurauit, vt nec homo à Deo diuelli, nec Deus à ſuſcepto poſſit homine ſeparari. De qua etiam vnitate clariſſimus doctor beatus Auguſtinus in lib. primo de ſancta

A Trinitate cap. tertiodecimo inter alia multa Catholicæ fidei cõuenientia ita ait: Niſi tamen idem ipſe eſſet filius hominis propter formam ſerui quam accepit, qui eſt filius Dei propter Dei formam in qua eſt, non diceret Apoſtolus Paulus de principibus huius ſæculi: Si enim cognouiſſent, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent. Ex forma enim ſerui crucifixus eſt, & tamen Dominus gloriæ crucifixus eſt. Talis enim illa ſuſceptio, quæ Deum hominem faceret & hominem Deum. Item in eodem libro,

B cap. 7. Neque enim ſic accepit formam ſerui, vt amitteret formam Dei, in qua erat æqualis patri. Si ergo ita accepta eſt forma ſerui, vt non amitteretur forma Dei, cum & in forma ſerui & in forma Dei idem ipſe ſit filius vnigenitus Dei patris: illum quem veſtra temeritas adfirmat adoptiuum, hunc beatus Auguſtinus non dubitauit vnigenitum nominare. Vbi vnigenitus eſt, ibi locum non habet adoptiuus. Nec ſecundum veſtram adſertionem vnigenitus eſt tantum in diuina natura, & primogenitus in

C humana: quia beata virgo alterum non genuit, niſi verum & hunc vnigenitum Dei patris & ſuum. Item primogenitus in humanitate, vt ait Euangeliſta, donec peperit filium ſuum primogenitum. In diuina vero natiuitate, ſicut ait Apoſtolus, primogenitus omnis creaturæ. Et ipſe eſt ante omnes, & omnia in illo conſtant. Secundum formam ſerui ipſe eſt caput corporis Eccleſiæ. De ſententia vero doctoris gentium quam beatum Auguſtinum ſupra expo-

D ſuiſſe diximus, Si enim cognouiſſent, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent: Egregius doctor Cyrillus in Epiſtola ſecunda ad Succeſſum ait: Non ſolum Dominum gloriæ, ſed & Deum ſuper omnia benedictum in ſæcula. Beatiſſimus Paulus adfirmat proprium verbi corpus adfixum in ligno. Petrus quoque Rauennenſis Epiſcopus de hac ſancta fide quod Ieſus qui ex virgine natus eſt verus ſit Deus, in ſuo ſermone confirmat: ait enim inter alia Catholicæ fidei teſtimonia. Concipies (inquit An-

E gelus) in vtero & paries filium, & vocabis nomen eius Ieſum, quod Hebraice Ieſus, Grece σώτηρ, Latine Saluator interpretatur. Merito igitur virginis ſalua ſunt omnia quę genuit Saluatorem. Et vocabis nomen eius Ieſum, quia in hoc nomine deitatis adoratur tota maieſtas. Omnes qui commorantur in cœlis, vniuerſi qui habitant in terris, cuncti qui in profundo tenentur inferni, huic proſternunt nomini, hoc adorant. Audi Apoſtolum dicentem: Vt in no-

mine Ieſu omne genu flectatur cœleſtium, A terreſtrium & infernorum. Hoc nomen eſt quod dedit cæcis viſum, auditum ſurdis, claudis curſum, ſermonem mutis, vitam mortuis, totamque diaboli poteſtatem de obſeſſis corporibus virtus eius nominis effugauit. Et ſi nomen tantum eſt, quanta poteſtas? Sed quis eſt iſte qui vocatur hoc nomine? dicat Angelus: Et filius (inquit) Altiſſimi vocabitur. Videtis quia quod concepit virgo non terreno germine, ſed cœleſti conceptu virgo peperit, ſed Deus ſuſcepit filium. Ergo qui de hac natiuitate humano B modo diſputat, ad omnem tendit tanti genitoris iniuriam. Intellige ô indocta temeritas, quid poſt tantorum patrum teſtimonia relinqui poſſit nuncupationis in Chriſto vel adoptionis. Dicit ipſa Veritas, quod Deus coniunxit homo non ſeparet. Deus coniunxit ſeipſum humanæ naturæ, vt eſſet vnus Deus in duabus naturis, & vnus filius Dei: quis eſt qui poſſit ſeparare quod Ieſus adunauit, vel diuidere quod Deus coniunxit? Nam ſi duas perſonas in vno Chriſto propter apertam blaſphemiam timeas fateri, C tamen omnia quæ duabus perſonis ineſſe neceſſe eſt in tua confeſſione confirmare non metuis. Nonne duo ſunt qui verus eſt Deus, & qui nuncupatiuus Deus? nonne etiam & duo ſunt, qui adoptiuus eſt filius, & ille qui verus eſt filius? Alia quippe eſt perſona veri Dei, alia nuncupatiui: Et alia eſt perſona veri filij Dei, altera adoptiui filij. Omnis itaque qui Euangelicam legit hiſtoriam, intelligere poteſt quod Ieſus & Chriſtus nomina ſunt humanitatis in filio Dei. Et ſi Ieſus Chriſtus qui natus eſt ex D virgine, non eſt verus Deus, quomodo vniuerſalis Eccleſia per totum mundum communi conſuetudine etiam & vos (vt reor) in omnibus orationibus quæ in Miſſarum ſolemniis decantantur dicere ſolet, per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum qui tecum viuit & regnat Deus in vnitate Spiritus ſancti per omnia ſæcula ſeculorum. Sed & ipſe ait Apoſtolis ſuis qui paſſus eſt & reſurrexit: Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra. E Cui data poteſtas niſi illi qui de virgine natus eſt? nam ſicut paulo ante dixiſti: Dei filius ex Deo ſubſtantialiter natus, eſſentialiter habuit omnem poteſtatem cum patre & Spiritu ſancto: ſed hæc poteſtas data eſt filio virginis. Et ſi omnem poteſtatem habet, quomodo poteſt eſſe vt non ſit omnimodis verus Deus, & verus filius Dei? Moyſes fuit Deus nuncupatiuus, tamen non data eſt ei omnis poteſtas. Ideo ſecundo percuſſit petram ad eliciendam aquam. Quicquid vero miraculorum Chriſtus geſſit in mũdo dum viſibili præſentia conuerſatus eſt inter homines, propria virtute fecit vt potens & verus Deus. Nunquid aliquis ſanctorum per ſe potuit aliquid facere abſque eo qui ait: ſine me nihil poteſtis facere? Dic ergo tu vnde in nomine Ieſu tantas virtutes fecerint Apoſtoli, ſi ipſe Ieſus non habuit propriam poteſtatem, ſed nuncupatiuam. Dic quoque, rogo, qui cõtradicis diuinitati Ieſu, & non vis in eo poteſtatem eſſe propriam, ſed munus alterius, quomodo & nomen eius tantam poteſtatem habuit, qua ipſe cuius hoc nomen eſt, vt tu blaſphemas, eguit? Quomodo in nomine eius dæmones eiecti, debiles curati, mortui ſuſcitati ſunt? Petrus enim Apoſtolus claudo illi qui ſedebat ad ſpecioſam portam templi, In nomine (inquit) Ieſu Chriſti ſurge & ambula. Et iterum in ciuitate Ioppe ad eum qui ab annis octo paralyticus iacebat in lecto: Ænea ſanet te (inquit) Ieſus Chriſtus, ſurge & ſterne tibi. Paulus quoque ad Spiritum Pithonis: Præcipio (inquit) tibi in nomine Ieſu Chriſti, exi ab ea. Et exiit ab ea dæmonium. Quam lõge ergo hæc imbecillitas à Domino fuerit hinc intellige, quando nec illi imbecilles fuerunt, qui talia per nomen eius facere potuerunt, quod ille per nomen ſuum potenter fecit. Si quidem nemini Apoſtolorum poſt Dei Reſurrectionem vel dæmones vel infirmitates obſtitiſſe agnouimus, numquid in ſe ipſo infirmus fuit, cuius fides etiam per alios ſuper vniuerſa regnauit? Quid eſt autem quod ipſe cuius poteſtati derogas diſcipulis ſuis ait: In nomine meo dæmonia eiicite? Numquid ad poteſtatem exercendam nomine alterius eguit, qui ipſum nomen ſuum poteſtatem eſſe fecit? Sed quid adhuc addicitur: Ecce (inquit) dedi vobis poteſtatem calcandi ſuper ſerpentes & ſcorpiones, & ſuper omnem virtutem inimici. Quem tu nuncupatiuum Deum dicis, Apoſtolus ſcribens ad Titum, magnum Deum nominare non dubitauit: Apparuit enim (inquit) gratia Dei Saluatoris noſtri omnibus hominibus erudiẽs nos, vt abnegantes impietatem & ſæcularia deſideria ſobriè & iuſtè & piè viuamus in hoc ſæculo, expectantes beatam ſpem & aduentum gloriæ magni Dei Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti. Cuius ſententiæ ſenſum beatus Hieronymus in tractatu eiuſdem Epiſtolæ ita expoſuit: Vbi eſt (inquit) Arrius ſerpẽs, vbi Eunomius coluber? magnus Deus Ieſus Chriſtus Saluator dicitur, non primogenitus omnis creaturæ, non verbum Dei & ſapientia,

ſapientia, quæ ſunt appellationes diuinæ generationis: ſed Ieſus & Chriſtus, quæ vocabula adſumpti hominis ſunt. Neque vero alium Ieſum Chriſtum, alium verbum dicimus, vt noua hæreſis calumniatur, ſed eundem & ante ſæcula, & ante mundum & poſt Mariam, immo ex Maria magnum Deum appellamus Saluatorem noſtrum Ieſum Chriſtum, qui dedit ſemetipſum pro nobis. Quis eſt vero qui iudicaturus eſt mũdum, homo tantum ſolitarius vel Deus filius hominis? Nequaquam ita aduerſarius es veritati vt audeas cõtradicere ipſius Veritatis teſtimonio quæ ait: Cum ſederit filius hominis in ſede maieſtatis. Itemque Apoſtolus Paulus eundem qui iudicaturus eſt mundum Deum omnino adfirmauit, dicens ad Romanos: Alioquin quomodo iudicabit Deus hunc mundum: niſi forte quia Apoſtolus in alia Epiſtola nos manifeſtandos ante tribunal Chriſti, in alia, ante tribunal Dei. Ama vitam, ama ſalutem tuam: Ama eum per quem redemptus es, metue eum à quo iudicandus es. Velis enim nolis manifeſtandus ante tribunal Chriſti es, & ſepoſita impietatis blaſphemia ac verborum infidelium cantilena, ſi aliud putas tribunal Dei eſſe, quam Chriſti: venias ante tribunal Chriſti, & inuenies vtroque documento inexplicabili ipſum tribunal Dei eſſe quod Chriſti, totamque in vno filio Ieſu Chriſto diuinitatis potentiam & patris Dei maieſtatem. Idem quoque præfatus gentium prædicator vbi carnis diſpenſationem, & veram diuinitatis celſitudinem Chriſto ineſſe ſcribens ad Corinthios oſtẽdit: Si noueramus (ait) Chriſtum ſecundum carnem, ſed nunc iam non nouimus: in his ſcilicet pauciſſimis verbis magnum Chriſti incarnationis myſterium demonſtrans. Quæ verba beatus Caſſianus Catholico exponens ſenſu: Aſcendit ergo (inquit) quodammodo quaſi in altiorem gradum doctrinæ Apoſtolicæ prædicatio, & licet ſenſus ibi in vtroque conueniat, ſacramentum tamen perfectæ fidei ſententia expreſſiore confirmat. Dicens: Et ſi cognouimus ſecundum carnem Chriſtum, ſed nunc iam non nouimus: videlicet quia prius eum & hominem ſcimus & Deum cunctandum Deum. Ceſſante infirmitate carnis nihil in eo iam nouimus, niſi virtutem diuinitatis, quia totum in Deo virtus eſt maieſtatis diuinæ, vbi eſſe deſiit infirmitas imbecillitatis humanæ. Omne ergo penitus hoc teſtimonium myſterium & ſumptæ carnis & perfectæ diuinitatis expoſuit. Dicẽs enim, & ſi cognouimus Chriſtum ſecundum carnem, ſacramentum nati in carne Dei locutus eſt. Adiiciẽs autem, nunc non iam nouimus, vim depoſitæ infirmitatis licuit. Ac per hoc cognitio illius carnis ad ſignificationem pertinet hominis: ignoratio autem ad honorem diuinitatis. Hoc eſt enim dicere; cognouimus Chriſtum ſecundum carnem quamdiu quod ſecundum carnem cognoſceretur fuit. Nunc iam non nouimus poſtquam eſſe diuiſit. Natura enim carnis in ſpiritalem eſt tranſlata ſubſtantiam, & illud quod fuerit quondam hominis factum eſt totum Dei. Et ideo iam non nouimus Chriſtum ſecundum carnem, quia abſorpta per diuinam maieſtatẽ infirmitate corporea, nihil ſacro reſedet corpori, ex quo imbecillitas in eo carnis poſſit agnoſci. Ac per hoc quicquid fuerat prius ſubſtantiæ duplicis, factum eſt virtutis vnius. Cum vtique non ſit dubium Chriſtum qui crucifixus eſt ex infirmitate noſtra, totum viuere ex maieſtate diuina. Et paulo poſt. Bene ergo Apoſtolus miſſum ſe ſicut à Deo patre, ita & à Deo filio prædicans confeſſionem ſtatim dominicæ incarnationis adiunxit dicens: Qui ſuſcitauit eum à mortuis, verum ſcilicet incarnati Dei corpus ſuſcitatum à mortuis docens: iuxta illud, Et ſi cognouimus Chriſtum ſecundum carnem, bene addens: ſed nunc iam non nouimus: hoc enim ſe in eo noſſe dicit ſecundum carnem, quod ſit à mortuis ſuſcitatus: in eo vero ſe eum iam non noſſe ſecundum carnem, quod ceſſante carnis fragilitate in ſola eum nouerit Dei eſſe virtute. Audi igitur quid idem Apoſtolus de Chriſto dicit, vtrum illum hominem vel etiam Deum voluiſſe intelligi: An experimentum (inquit) quæritis illius qui in me loquitur Chriſtus? Quo loco volo vt ediſſeras mihi (ô Felix) hunc quem loqui Apoſtolus intra ſe dicit, homo ſit an Deus: ſi homo, quomodo in corde eius corpus loqui poterat alterius? ſi Deus, ergo non homo Chriſtus, ſed Deus: Quia cum locutus in Apoſtolo Chriſtus ſit, & loqui in eo non potuerit niſi Deus: ergo locutus eſt in eo Chriſtus Deus. Vides itaque nihil eſſe hic iam quod contra hæc dici queat. Nec diſiunctionem aut diuiſionem aliquam inter Chriſtũ fieri & Deum poſſe, quia totus in Chriſto Deus, & totus in Deo Chriſtus. Nulla hic recipi ſeparatio poteſt, nulla diſciſſio; vna tantum eſt ſimplex, vna tantum ſana confeſſio adorare, amare, colere Chriſtum Deum. Concordat quoque beatus Hiero-

nymus præſcriptorum ſenſibus Patrum, quod homo aſſumptus à verbo Dei in diuinitatis glorificatus ſit potentia atque indiuiſa maieſtate Deus vnus adoretur in Chriſto. Hunc eundem ſenſum in lib. tertio commentariorum Hieremiæ Prophetæ expreſſius ponens, vbi ait: Si maledictus eſt homo qui confidit in homine, ergo maledicti erunt qui Ieſum tantum hominem confitentur. Quod ſi nobis oppoſitum fuerit, quod & nos credamus in eum qui dicit: Nunc autem quæritis me interficere, hominem qui veritatem vobis locutus ſum quam audiui à Deo: hoc Abraham non fecit, vos facitis opera veſtri Patris: Reſpondebimus illud Apoſtolicum: Et ſi Chriſtum aliquando iuxta carnem cognouimus, ſed nunc iam non nouimus. Denique idem Apoſtolus in principio Epiſtolæ ſuæ ſcribit ad Galathas. Paulus Apoſtolus non ab hominibus neque per hominem, ſed per Ieſum Chriſtum & Deum patrem qui ſuſcitauit eum à mortuis, & qui mecum ſunt omnes fratres. Si enim mors abſorpta eſt in victoria, quare nō carnis humilitas quæ propter humanam ſalutem adſumpta eſt in diuinitatis tranſierit maieſtatem, vt faceret vtrumque vnum? Non hic beatus Hieronymus confuſionem duarum deſignat naturarum, ſed vnitatem potētiæ vt credamus vnam potentiam diuinitatis in Chriſto Domino Deo noſtro, ne dicatur dualitas maieſtatis in Chriſto in quo eſt vnitas indiuiduæ perſonæ. Item idem qui ſupra & vnde ſupra: Per hæc quoque diſcimus Deum ſolū noſſe cogitationes hominū. Si autē de Saluatore dicitur: Vidēs Ieſus cogitationes eorū, nulluſque poteſt videre cogitationes niſi ſolus Deus: ergo & Chriſtus Deus qui ſcrutatur corda, & reddet vnicuique ſecundum opera ſua. Idem quoque lib. tertio in Amos Prophetam. Tunc quoque primogenitus populus Dei Iſrael quia in vnigenitū & vere filium Dei miſerit manū, æterno luctui traditus eſt, & nouiſſima eius ſiue qui cum eo erant, amaritudine ſunt repleti. Idem quoque in Zachariā lib. prim. Nec mirum, ait, ſi Chriſtus dicatur omnipotens, cui tradita eſt omnis poteſtas in cęlo & in terra. Et qui dicit, Omnia quæ patris ſunt mea ſunt. Quomodo Catholicus æſtimari poteſt qui & tantorū doctorum teſtimoniis non credit, nec Apoſtolica ad credulitatem mouetur auctoritate, nec diuinæ per Euangelicas paginas conſentit veritati? Igitur tota ſacra ſcriptura huius fidei Catholicæ fulgore quaſi ſtellis lucentibus in cœlo clareſcit, nec vlla in

A illis diuinitatis nuncupatio ſiue veritatis potentia Chriſto adſcribitur, ſed omnia propria virtute ſanitatum beneficia, vel ſignorum miracula quæcumque geſſit eum efficere teſtantur. Neque enim dubium eſt quin ipſe propria poteſtate omnia fecerit quæ de eo mira leguntur: vehementerque cauendum eſt ne aliquid in Chriſto fallaci imitatione putemus actum, ſed omnia quęcunque vel in nominibus, vel in operibus leguntur de illo, cuncta ſolida veritate acta vel dicta credamus, quia in veritate nulla figmenti obumbratio inueniri poterit. B Sed qui verus ſemper erit Deus in Deo patre, verus eſt in homine & Deus. Et qui verus eſt hominis filius, idem ipſe verus eſt & Dei filius: idemque homo Deus propter Deum, & idem Deus homo propter hominem, vt in homine quocunque anima & corpus. Hæc ergo vnitas & veritas in Chriſto nequaquam poſt virginis partū cœpta, ſed in ipſo virginis vtero coniuncta atque vnita eſt. Diligenter etenim præcauere debemus vt Chriſtum non modo C vnum poſt baptiſmum vel Reſurrectionem, ſed ſemper vnum ex quo conceptus eſt in vtero virginali confiteamur: quia intoleranda blaſphemia eſt vt etiam ſi nunc eum vnum iam eſſe quis concedat, aliquando tamen non vnum, ſed duos fuiſſe contendat. Sic enim iſte Felix cum ſuis ſequacibus in ſequenti litterarum ſuarum ſerie etiam ſentire videtur. Si enim, ait, vt vos vultis, homo adſumptus à filio Dei, mox à conceptione virginalis vteri verus conceptus eſt Deus, verus & natus Deus, quo- D modo ipſe filius Dei ex voce formæ ſeruilis prophetiam veteris teſtamenti de ſemetipſo teſtimonium perhibet, quod ex vtero matris ſeruus ſit formatus ipſo dicente per Iſaiam Prophetam: Et nunc hæc dicit Dominus, formans me ex vtero ſeruum ſibi vt reducam Iacob ad eum, & Iſrael cōgregabitur. Conſidera lector diligenter quod ille velit de Chriſto intelligi, qui nobis improperat velle eundem qui ex vtero virginali tanquam ſponſus proceſſit de E thalamo ſuo Deum verum eſſe & natum. Dicit enim ſi (vt vos vultis) perſpicuum eſt eum nolle quod nobis obiicit velle: atque ſuam ſententiam prophetico adfirmare nititur teſtimonio, vt magis ſeruus ſit ex vtero formatus quam Deus, quem omnis Catholica Eccleſia ipſo ſacræ conceptionis initio Deum verum confitetur, ac prædicat: vt pote quia de Spiritu ſancto & Maria virgine conceptum & natum Euangelico teſtimonio certum habet. Quid

enim de Deo niſi Deus naſci debuit? Iſte A etiam Felix hunc conditionalem ſeruum ſæpius ſolet affirmare,non intelligẽs quod diuinæ diſpenſationis Sacramento ſeruus nominaretur: ſcilicet non conditione (vt ſuperius diximus) debitæ ſeruitutis, ſed implendæ paternæ voluntatis in ſalute humana voluntaria obedientia. Nam in Chriſto quicquid geſtum eſt, totum voluntatis fuit,non neceſſitatis,qui Apoſtolo teſtante, humiliauit ſemetipſum factus obediens patri vſque ad mortem, mortem autem crucis. Alia eſt namque voluntaria B humilitas,alia ſeruilis neceſſitas. Quædam enim de Chriſto per proprietatem naturæ dicuntur,vt eſt via, veritas,& vita: quædam per ſignificationem rerum per illum gerẽdarum à Prophetis de eo prædicata ſunt. Quo genere locutionis ſeruum nominari à Prophetis Chriſtum credendum eſt: de quo enim Propheta hoc teſtimonium protulit, in eo ſtatim ſubiunctum eſt: Dedi te in lucem gentium vt ſis ſalus mea vſque ad extremum terræ. Et ne iſte honor tãtæ lucis paruus videatur [iudicetur] C in eo adiunxit: Reges videbunt, & conſurgent principes, & adorabunt propter Dominum, quia fidelis eſt, & ſanctum Iſrael, qui elegit te. Quomodo autem ſi ſeruus eſt, adoratur à regibus & principibus? De quo & paulo ante idem Propheta ait ex eiuſdem perſona quem ſeruum prophetice nominauit, Poſuit me (inquit) ſicut ſagittam. Chriſtus autem vt beatus Hieronymus ait: De multis ſagittis, & filij plurimis, vna ſagitta electa, & filius vnigenitus eſt, cui & paterna vox mox reſpondit: Seruus meus eſt ô Iſrael, quia in te glorificabor. D Seruus quia cùm in forma Dei eſſet formã ſerui eſt dignatus adſumere. Et Iſrael, quia natus de ſemine Iudæorum. quodque de nullo alio ſeruorum intelligi poteſt, iungitur, quia in te glorificabor. Dicit enim ipſe in Euangelio: Pater glorifica nomen tuum: qui in Pſalmo loquitur ad filium, Exurge gloria mea: exurge Pſalterium & Cithara, id eſt omnium virtutum chorus.. Hæc itaque præfatus Pater Hieronymus Chri- E ſtum à conditionali noſtræ neceſſitatis ſeruitio ſeparans ait: Ex quo intelligitur non communi humanæ conditionis more Chriſtum ſeruum nominari, ſed altiori myſterio debere intelligi. Si ergo ſeruus eſt Chriſtus, quomodo tantos fecit liberos Apoſtolo teſtante qui ait: Non ſumus ancillæ filij ſed liberæ, qua libertate Chriſtus nos liberauit. Et ipſa veritas in Euangelio: Si filius vos liberauerit, vere liberi eritis. Nam ſi

omnes ſancti liberi ſunt, ſecũdum veritatis (quæ Chriſtus eſt) vocem, quomodo ille ſolus remanſit ſeruus, qui omnes in ſe credentes liberos facit. De quibus & alibi ait: iam non dicam vos ſeruos, ſed amicos: Et in eodem Euangelio: Seruus (inquit) non manet in domo in æternum, filius autem manet. Dominus autem, vt ait ſanctus Auguſtinus, in forma ſerui non ſeruus: ſed in forma ſerui Dominus fuit. Quod vero in ipſa ſacratiſſima incarnationis Chriſti origine Deus verus conceptus ſit, multorum Catholicorum teſtimoniis Patrum adfirmari poteſt, quorum pauca hic ſubiicere curauimus: quia res de qua agitur tam clara eſt & nota, vt non multis indigeat teſtibus, cuius tot ſunt teſtes quot fideles. Dicit ergo beatus Auguſtinus in lib. ſæpe nominato Enchyridion, Numquid antea fuit homo,& hoc ei ſingulare beneficium præſtitum eſt, quo ſingulariter promeretur Deum? nempe ex quo homo eſſe cœpit, non aliud cœpit eſſe quam Dei filius, & hoc vnicus & propter Deum verbum, quod illo ſuſcepto caro factum eſt, vtique Deus; quemadmodum eſt vna perſona quilibet homo, anima (ſcilicet) rationalis & caro; ita ſit Chriſtus vna perſona verbum & homo. Item Fulgẽtius in lib. Catholicæ fidei: Firmiſſime (inquit) tene, & nullatenus dubites non carnem Chriſti ſine diuinitate conceptam in vtero virginis, priuſquam ſuſciperetur à verbo, ſed ipſum verbum Dei ſuę carnis ſuſceptione conceptum ipſamque carnem verbi Dei incarnatione conceptã. Nec mirandum eſt ſi hæreticus Chriſtum qui ex virgine natus eſt Deum nuncupatiuum aſſerere audeat, qui eundem ſeruum omnimodis Propheticis teſtimoniis non Catholico ſenſu intellectis adſtruit, nobiſque pro culpa obiicit velle eum qui ex virgine natus eſt, verum Deũ prædicare. Hinc enim totius erroris ſui videtur origo proceſſiſſe, vt ex ſeruo quodam adoptiuũ filiũ facere non potuiſſet, vel Deum nuncupatiuum. Tria quippe adfirmat in Chriſto, id eſt, quod ſeruus ſit conditionalis, quod filius adoptiuus, & Deus nuncupatiuus. Tria quoque è contrario negat. Hoc eſt, Quod verus Deus naſceretur ex virgine, vel idem qui natus eſt verus ſit filius Dei, & quod nullatenus fieri poſſit vt baptiſmi regeneratione non egeat, qui ſeruus ſit natus. Sed iam tempus eſt vt teſtium nube opprimatur, qui caligine impij erroris obumbratur.

Hilarius virtutum omnium atque ornamentorum, & ſicut vita ita & eloquen-

tia inſignis, in libro fidei ſecundo: Vnus (inquit) vnigenitus Deus in corpuſculi humani forma ſanctæ virginis vtero inſertus adhæreſcit qui omnia continet,& intra quem cuncta ſunt,humani partus lege profertur. Item in eodem libro Angelus teſtis eſt, Deus nobiſcum eſt ille qui naſcitur. Item ipſe in lib. nono: Natus igitur vnigenitus Deus ex homine homo,& ſecundum plenitudinem tẽporum in ſemetipſo prouecturus eſt Deum hominem. Hunc per omnia Euangelici ſermonis modum tenuit, vt ſe Dei filium credere doceret, & hominis filium prędicare admoneret,locutus eſt gerens homo vniuerſa quæ Dei ſunt : loquens deinde & gerens Deus vniuerſa quæ hominis ſunt. Idẽ quoq; in prooemio expoſitionis Euãgelij ſecundum Matthæum. Erat namque primum neceſſarium nobis, vt vnus Deus noſtri cauſa homo natus cognoſceretur. Theophilus quoque Epiſcopus Alexandrinus in Epiſtola Paſchali huiuſmodi de Chriſti natiuitate protulit teſtimonium: Vnus filius patris noſtrique mediator, nec æqualitatem eius amiſit, nec à noſtro conſortio ſeparatus eſt inuiſibilis Deus, & viſibilis Deus: inuiſibilis homo, & viſibilis homo, in forma ſerui abſconditus, & Dominus gloriæ confeſſione credentiũ comprobatus. Neque enim priuauit eum pater naturæ ſuæ nomine, poſtquam pro nobis homo pauper effectus eſt: nec in Iordane fluuio baptizatum altero appellauit vocabulo, ſed filium vnigenitum: Tu es (inquit) filius meus dilectus in quo mihi bene complacui. Ambroſius eximius Dei ſacerdos in lib. qui eſt ad virgines ita memorat: Glorioſa virginitas, & præclara fœcunditas Dominus mundi naſcitur, & nullus eſt gemitus parietis, quia fas erat vt Deo naſcente meritũ creſceret caſtitatis. Hieronymus Catholicæ fidei doctor clariſſimus in lib. ad Euſtochiũ virginẽ: Dei (inquit) filius pro noſtra ſalute hominis factus eſt filius. Decem menſibus in vtero vt naſcatur expectat, & ille cuius pugillo mũdus includitur præſepis cõtinetur anguſtiis. Item ipſius in commentario Iſaiæ: Dominus enim virtutum qui eſt rex gloriæ ipſe deſcendit in vterum virginalem, & ingreſſus eſt & egreſſus Orientalem portam. Item Auguſtinus cuius ſupra ſæpius mentionem fecimus: Vt autem, inquit, homines naſcerentur ex Deo, primum ex omnibus natus eſt Deus: Chriſtus enim Deus & Chriſtus natus ex homine, non quæſiuit niſi matrem in terra qui iam patrem habebat in cælo. Natus ex Deo per quem facti ſumus, natus ex

A Virgine per quem reformaremur. Item eiuſdem in Epiſtola ad Voluſianũ: Et ipſe Moyſes & cæteri Prophetæ veraciſſime Dominum Chriſtum prophetauerunt, & ei gloriam magnam dederunt: hunc non tanquam patrem ſibi, nec in eadem miraculorum potentia ſuperiorem, ſed plene Dominum Deum omnium, & hominem propter hominem factum venturum pronunciauerunt. Item Gregorius Naziãzenus: Cum ergo, inquit, proceſſiſſet ex virgine Deus in ea quam adſumpſerat humana natura, vnũ

B è duobus ſibi inuicem contrariis exiſtens carne ac ſpiritu, aliud in Deum aſſumitur, aliud deitatis gratiam præſtat. Item beatus Cyrillus contra Neſtorium: Neque enim, inquit, primo natus eſt homo communis de ſancta Virgine, & tunc demum inhabitauit in eo Verbum: ſed in ipſa vulua vteroque virginali ſe cum carne coniunxit, & ſuſtinuit generationem carnalem carnis ſuæ. Petrus quoque Rauennenſis Epiſcopus in eadem Epiſtola, vnde paulo ante poſuimus exemplum: Verbum, inquit, caro factũ

C eſt, vt homo carne promoueretur in gloriam Dei, non vt Deus in carnis verteretur iniuriam: ſicut dicit Apoſtolus; Qui ſe iungit Domino, vnus ſpiritus eſt. Et quomodo non quando ſe iungit Deus homini vnus eſt Deus. Et poſt pauca: Hæretice deſine iudicare iudicem tuum, ſed adora in cælis Deum, quem Deum magus adorauit in terris. Item B. Beda Presbyter in expoſitione Apoſtolicæ exhortationis ad Epiſcopos Epheſiorum, vbi ait, In quos vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam

D Dei quam adquiſiuit ſanguine ſuo; non dubitauit, inquit, ſanguinem Dei dicere propter vnionem perſonæ in duabus naturis eiuſdem Ieſu Chriſti, propter quã & dictus eſt filius hominis qui eſt in cælo. Ceſſet ergo Neſtorius filium hominis à filio Dei ſeparare, & duos ſibi facere Chriſtos. Dicamus & nos: Ceſſet itaque Felix Chriſtum in duos filios vel in duos deos diuidere, ne Neſtorianę fiat infidelitatis particeps. Quia

E quod Neſtorius in numero perſonarum, hoc Felix in numero filiorum facere videtur. Vnum adoptiuum & alium proprium faciens, filium Dei per vnam diuinitatem maieſtatis in duas diuidat poteſtates, vnam propriam, alteram nuncupatiuã: Nonne quæſo hi omnes quaſi prophetico olim Spiritu ad confutandas blaſphemias tuas hæc dixerunt? Tu enim Dominum noſtrum Saluatorem fateris Chriſtum eſſe: Deum vero negas. Nec hoc ſolo contẽtus es, niſi etiam & ſeruum eum adfirmares

eſſe conditionalem. Illi vero omnes quos prænominauimus, & alij his multo pluriores Catholici Viri Chriſtum Dominum Deum verum prædicauerunt. Illi beatam Virginem Mariam Dei Genitricem adfirmant: Tu vero non tantum hominis quem Chriſtum nominas, ſed ſerui cuiuſdam genitricem impia nouitate credere & prædicare videris. Inſuper & auctoritatem noſtræ fidei poſcis à nobis, quî credi poſſit verum Deum eſſe hominem qui ex vtero virginali natus eſt. Dicis enim qua auctoritate, idem homo dominicus ex vtero matris verus Deus conceptus, & verus Deus natus à nobis prædicatur, cum ſit natura verus homo, & per omnia ſubditus Deo. Si auctoritatem quæris quare Deum verum prædicemus, quia natus eſt ex virgine, habes in ſuperioribus multorum Patrum, quos poſuimus, non contemnendam auctoritatem. Tamen ſi illorum auctoritati credere renuis, vel ipſius ſancti Spiritus per quē & de quo illa mirabilis filij Dei conceptio in vtero virginali facta eſt: Crede cuius aduentum quærenti virgini quomodo fieri poſſint quæ ab Angelo dicta ſunt ei, idem Archangelus Gabriel à Deo miſſus eidem virgini prænunciauit. Nūquid aliud potuit Angelus nuntiare niſi quod illi à Deo omnipotente mandatum erat? Quid dicit Angelus? Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus altiſſimi obumbrabit tibi: ideoque quod naſcetur ex te ſanctum vocabitur filius Dei. Dum ante ab Angelo dictum eſt: Erit enim magnus, & filius altiſſimi vocabitur, modo dicit filius Dei, vt quem antea altiſſimum dixerat, modo Deum oſtenderet. De Ioanne dicitur ab eodem Angelo: magnus erit coram Deo. Hic enim dicitur magnus ad diſtinctionem illius, & filius altiſſimi, vt intelligeres aliter Ioannem magnū dici, aliter Ieſum qui prænunciatus eſt ab Angelo. Ille homo magnus, hic magnus Deus, idem ergo filius altiſſimi qui in vtero virginali conceptus & natus eſt, idem homo in tempore creatus ex matre qui Deus eſt ante tempora natus ex patre. Si igitur idem homo qui Deus, & idem Deus qui homo, deſinat omnis hæretica prauitas vel hominem hunc purum credere, vel ſeruum prædicare conditionalem, vel in duos diuidere filios, quem Angelica adnunciatio vnum eſſe Dei filium prædixit, vt in tractatu præfati Bedæ presbyteri legitur, quem in Lucæ ſcripſit Euangelium: Homo, inquit, adſumptus in Deum clarificatus ea claritate qua verbum Dei habuit priuſquam mūdus eſſet apud patrem, hoc eſt, vt idem filij

A nomen eādem Chriſti perſonam homo Deus plenus gratia & veritate ſortiretur. Item in eodem tractatu: Ideoque & quod naſcetur ex te ſanctum vocabitur filius Dei; ad diſtinctionem noſtræ ſanctitatis Ieſus ſingulariter ſanctus naſciturus aſſeritur. Nos quippe etſi ſancti efficiamur, non tamen naſcimur. Ille autem ſolus veraciter ſanctus eſt, qui vt ipſam conceptionem naturæ corruptibilis vinceret, ex commixtione carnalis copulæ conceptus non eſt. Sanctum, inquit, vocabitur filius Dei. Quid

B hic dicis, Neſtoriane, qui beatam Mariam negans Dei eſſe genitricem, apertam niteris impugnare veritatem. Ecce Deum dixit ſuperuenturum, Dei filium naſciturum: Quomodo ergo ait, Dei filius Deus non eſt? aut quæ Deum edidit quomodo θεότοκος, id eſt, Dei genitrix non eſſe poteſt? His & huiuſmodi teſtimoniorum auctoritatibus ſuffulti nihil aliud de Chriſto credimus vel prædicamus, niſi illa quæ ſanctiſſimi Eccleſiarum Dei doctores nobis tradiderunt, omneſque nouitates vobiſcum execrantes & contradicentes omni do-

C ctrinæ quæcumque hanc fidem de Chriſto Ieſu à ſanctis Patribus promulgatam ſubuertere nititur, nec nobis laudem quærentes, ſed Catholicam fidem defendētes parati ſatisfacere, quantum nobis diuina donauerit gratia, omni poſcenti nos rationem fidei credentes ſanctorum Patrum teſtimoniis, & Euangelicæ auctoritati ſenſus noſtros ſubiicientes, prædicātes verum Deum conceptum eſſe & natum Chriſtum Dei filium: dicente ſancta Synodo Chalcidonē-

D ſe, Sequamur Patrum noſtrorum ſentētias, vnum & eundem confitentes Dominum Ieſum Chriſtum conuenienter edocentes perfectum eundem diuinitate & perfectum eundem incarnatum Deum: vt ipſa veritas in Euāngelio vtrumque ſe dicit, & filium Dei & filium hominis: ait enim cæco: Tu credis in filium Dei: & interroganti quis eſſet? reſpondit, & vidiſti eum, & qui loquitur tecum ipſe eſt. Item vbi ait: Cum venerit filius hominis in maieſtate ſua, naturas

E in Chriſto duas confitemur, & duas operationes: vnam tamen diuinitatem non duas. Sicut enim cum dicimus: homo vidit, non tamen totus homo vidit, ſed oculi tantummodo: ſic cum dicimus, Deus paſſus eſt, ſed carne ſola. Alia enim ſunt opera in humano corpore, capitis, alia pedum: Nam vnumquodque membrum habet & opus ſuum ſpeciale, ſed vnum eſt corpus & vnus homo in quo operantur caput & pedes anima regente & viuificante. Aliter

enim ſentit liuorem corpus, aliter animus verbum durum, tamen vnus eſt homo: ſic eſt vnus Deus qui paſſus eſt & non paſſus, paſſus eſt in humanitate, & non paſſus in diuinitate. Vnde & vnus filius Dei in vna perſona & duabus naturis digne pieq. confitendus eſt. Sine Deo verbo ſegregato carnis natura nō eſt concepta in virginali vtero, ſed ineffabiliter Dei verbum vnitum eſt carni, vt vere & inconfuſe perfectus fieret homo: vnde eum hominem ſimul & Deum confitemur habentem in ſeipſo vtrumque, & naturam verbi qua Deus eſt, & naturā carnis qua idem Deus homo eſt. Totus & perfectus Deus in homine, & perfectus homo in Deo: vnus Deus & vnus homo, etiā & vnus Chriſtus. Qui contra huius fidei veritatem venire tentauerit, nullatenus catholicus, ſed ſchiſmaticus æſtimandus eſt.

LIBER QVINTVS.

MVltis ſiquidem prætermiſſis quæ in libello tuo leguntur, quibus niteris adfirmare Dominū noſtrum Ieſum Chriſtū Deum verum non eſſe, ad quæ quantū nobis diuina donauerat gratia reſpondebamus: tādem illo peruenimus vbi deſtruis quod ædificaſti, & confiteris quæ negaſti. Iam neſcio vtrum ſubdola ſimulatione prioribus tuis ſermonibus melius crederetur, quibus multimoda argumentatione veritatem impugnare probabis, aut cum diabolo timore perterritus nolens Chriſtum Dei filium eſſe confiteris, cuius teſtimonium vbique ipſa veritas recipere renuit obmuteſcere eū præcipiens: quia tali laudatore ipſe Dei filius dedignatus eſt prædicari. Dicis enim eundem eſſe filium Dei qui eſt & filius hominis: & filium hominis qui eſt filius Dei, vt ex tuis verbis cognoſci poterat. Qui illum (inquis) ſibi ex vtero matris, ſcilicet, ab ipſo conceptu in ſingularitate ſuæ perſonæ ita vniuit atque conſeruit vt Dei filius eſſet hominis filius, non mutabilitate naturæ, ſed dignatione: ſimiliter & hominis filius eſſet Dei filius non verſibilitate ſubſtātiæ, ſed in Dei filio eſſet verus filius. Nec mirandum eſt, ſi ab aliis in Catholica profeſſione diſſentire probaris dum tibi ipſi per vices diſcordare videris. In hac enim ſententia tua Catholicus ęſtimari potuiſſes, ſi prius te ipſum in prauitate tui erroris nō oſtenderes. Dicis itaque vt in Dei filio vero

A eſſet filius, ſi eſt in vero Dei filio filius qui eſt Chriſtus. Igitur & verus eſt filius, quia in vero nihil poteſt aliud eſſe niſi veritas. Et nullum habet locum adoptio in natiuitate veritatis. vnus eſt ergo Dei filius Chriſtus, Deus & homo verus & perfectus, vt ſæpe dictum eſt. Adiungis, quoque non duo dij, quod contra temetipſum pugnare manifeſtum eſt. Nam ſi duo Dij non ſunt, ergo non eſt in eo Deus verus, & Deus nuncupatiuus, ſed eſt vnus Deus verus, quia Deus veritas eſt, & non eſt ſimulatio in eo, ſed totius fons veritatis. B Sequitur & altera in libello tuo ſententia prioribus tuis verbis non conueniēs. Ipſum, inquit, credimus verum & proprium Dei filium ac verum Deū qui ſecundum formam Dei bis genitus eſt, primo videlicet de patre ſine carne abſque matre: ſecundo vero ex matre cum carne ſine patre. Illum verum Deum ex vtroque parente ineffabiliter genitum credimus, cui pater per Dauid loquitur, Ex vtero ante luciferum genui te. Paulo ante dixiſti Chriſtum duos habere patres, Dauid ſcilicet naturalem & C Deum patrem ex adoptione. Hic vero horum oblitus verborum, ais: ſecundo vero ex matre ſine patre. Quod vtrumque verum eſſe non poterit vt duos habeat & nullum habeat Chriſtus ſecundum quod homo eſt patrem. Si ergo ſecundum tuam ſententiam verus Dei filius bis genitus eſt, & eſt verus Dei filius in vtraque natiuitate, paterna, ſcilicet, & materna, quomodo poteſt fieri vt non ſint duo filij ex matre nati: vnus quem tu aſſeris catholica voce verum eſſe filium Dei: alter quem tua peruerſitas verum nō eſſe filium Dei adfirmat? Verum D & non verum nullatenus vnū eſſe poteſt. Sic etiam verus filius & nō verus filius nullatenus vnus eſſe poterit filius, nec Deus verus & Deus nuncupatiuus vnus eſſe poterit: Quia aliud eſt omnimodis veritas diuinitatis, & aliud nuncupatio nuda deitatis, vt ſupra oſtēdimus in Moyſe & cæteris ſanctis, ſed vtrumque in vna perſona nullatenus eſſe poterit: quia alia eſt veritatis digni tas, alia nuncupationis largitas. Quicūque vero hāc ſimulationē nuncupatiuæ vel ap- E pellatiuæ diuinitatis, ſcilicet, in humanitate Chriſti adfirmare nititur, nullatenus Neſtorianæ impietatis foueam euadere poterit. Vt autē hanc dualitatem perſonæ in Chriſto vitare te velle videaris, ponis exēpli gratia hominem ex anima & corpore vnum eſſe filium parentum ſuorum. Et licet ais ex Deo Deus, & homo ex homine in ſingularitate perſonæ, vnus atque idem ſit Chriſtus Dei, ſicut quicūque homo ex anima &

nihilo creata & carne ex vtroque parente formata vnus eſt vtriſque parentibus patris ſui, videlicet & matris filius. Hoc itaque exemplum ſi bene intelligeretur à te, atque ſi teipſum ſagaciter cōſiderares, omnem erroris perfidiam deſtruere in te potuiſſet, tuamque intelligentiam reuocare ad agnitionem veritatis valeret. Ex hac certè radice totius infidelitatis tuæ, ſpinæ vt videtur ſui creuerunt quod tuo ſenſu impoſſibile videtur, filium aliter poſſe eſſe proprium, niſi ex natura parentum totus naſcatur; non intelligens teipſum eſſe filium proprium patris matriſque tuæ, licet nobilior natura quæ in te eſt, anima ſcilicet ex illorum natura non eſſet generata: ſed ex nihilo vt aſſeris creata. Quæ eſt hæc ab omni ratione auerſa tuæ mentis cæcitas, qui in Dei patris vnico & proprio filio eſſe non poſſe contendis, quod in teipſo eſſe nullatenus negare poteris? Si igitur ex anima & carne totus eſt proprius filius & verus parentum tuorū: quare non multo magis credis Deum omnipotentem verum & proprium filium ex virgine natum in duabus ſubſtantiis Deum hominem habere potuiſſe? Nunquid impotens eſt Deus in ſe perficere, quod potens eſt in vniuſcuiuſque hominis natiuitate efficere? Aut ergo temetipsū diuide in duos filios, proprium ex carne & adoptiuum ex anima parentibus tuis: vt ſi hoc abſurdum tibi fortè videatur, concede Deo patri ea lege vel etiam potentiore proprium & vere filium ex virgine natum habere potuiſſe, qua te vis tuorum parētum proprium eſſe filium: quamuis nullatenus adæquare poſſis illam ineffabilem Dei & hominis in vna perſona natiuitatem, & conuenientiam, humanæ conditionis conſuetudini. Aut te ergo naturalem nega filium eſſe ex animæ ſubſtantia parentum tuorum: aut Deo concede proprium ex virginali vtero habere filium: maximè quia talis vnitas eſt in Deo & homine, vt ſit vna perſona Dei hominiſq. licet hominis ſit propriè quod mortalis fuit, & diuinitatis quod ſemper fuit. Et ſicut teipſum mortalem & immortalem eſſe non denegas: ita & Chriſtus diuinitate quidem immortalis, carne ſola mortalis erat: Quæ tamen eius caro deificta morte (iuxta veram & Catholicam fidem) nunc etiam ad dexterā patris collocata, & in diuinitatis potentiam glorificata immutabiliter regnat in cœlis.

De his iam ſuperius me ſcio vberius diſputaſſe, tamen propter ſententiæ huius opportunitatem, hic aliquid reſpōdiſſe in

A præſenti loco melius æſtimaui: quia dum aduerſarius ea repetit quæ ante poſuit, neceſſarium eſt vt repetitio quoque meæ reſponſionis occurrat, ne fortè repetat non habere quod contra eum dicatur. Igitur per latiſſimos ſanctæ ſcripturæ cāpos quaſi pœnitēs, aliqua à ſe ſuperius bene prolata decurrens, quærit ſententias ſacræ ſcripturæ, quibus priſtini erroris ſectam adfirmare valeat; ſed dum non poterit inuenire quod quærit, prauitatis ſuæ ſenſu ſanctæ ſcripturæ ſententias interpretari non

B deſiſtit: vt ex tribus Apoſtoli auctoritate ſententiis intelligi poteſt. Ponit enim de mirabili & ab ipſa veritate laudata profeſſione beati Petri principis Apoſtolorum huiuſmodi ſenſum, veluti ex ſuis verbis videri poteſt. Singulariter namque beatus Petrus Apoſtolus in eo ſimul duas naturas in vna perſona Deo ſibi reuelante confeſſus ait: Tu es Chriſtus filius Dei viui. In eo eo enim quod ait: Tu es Chriſtus ad humanitatem eius pertinet, in qua iunctus eſt: ad id quod addidit, filius Dei viui, ad diuinitatem ipſius, in qua eſſentialiter verus filius

C Dei eſt, conuenit. Item eiuſdem beati Petri principis Apoſtolorū de Actibus Apoſtolorum profert verba; vbi Cornelio & his qui cum eo erant verbum Dei prædicauit: Qui rurſus, inquit, de huius humanitate ſigillatim, ſicut in Actibus Apoſtolorum legitur, idem Apoſtolus Cornelio & ſociis eius inter cætera: Euangelizans, ait, Ieſum à Nazareth, quomodo vnxit eum Deus Spiritu ſancto, & virtute. Hic pertranſiuit bene faciendo, & ſanando om-

D nes oppreſſos à diabolo, quoniam Deus erat cum illo: non dicit, Deus erat ipſe, ſed Deus erat cum illo. Nam ſi ſecundum veram profeſſionem Deus verus eſſet homo ille ſuſceptus à verbo, nequaquam tantus Apoſtolus auderet dicere, Deus erat cum illo; ſed potius Deus erat ipſe. Tertiam quoque ſententiam beati Pauli prædicatoris egregij ponit vbi ait, quoniā Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi: non ait; Deus erat Chriſtus, ſed Deus erat in

E Chriſto, non quod Chriſtus homo videlicet aſſumptus, Deus non ſit, ſed quia non natura, ſed gratia atque nuncupatione ſit Deus. Videte, videte lectores nouum ſanctæ ſcripturæ interpretem, qui nititur Deum diſiungere ab homine aſſumpto, & ex vno Deo Redemptore noſtro duos efficere Deos, vnum verum, alterum nuncupatiuum: & Chriſtum quem tota Eccleſia Deum colit & adorat, non ſolùm illa quæ in terris in ſpe laborat, ſed

& illa quæ in cœlis iure gaudet, iſte nouus interpres hominem vult ſolitarium, iuxta Neſtorianam vel Pelagianam prauitatem, credi. Quod ſi verum eſt vt ſimulatio tantum ſit nuncupatiua nominis in Chriſto, non veritas diuinitatis, quomodo eſt verus Redemptor humani generis ſi eſt imaginatio poteſtatis in capite, vnde eſt veritas ſalutis in corpore? Igitur vna his tribus ſententiis reſponſio poterit eſſe quæ vna prauitate interpretantes ſunt ab illo. Nam ſi Chriſtus idcirco non eſt Deus, quia dicit, Deus erat in Chriſto, idem Deus erat cum illo, quomodo intelligendus eſt Dei filius Deus, qui ait: Ego in patre, & pater in me. Si igitur non eſt Deus quia pater in filio eſt: nec pater ipſe Deus eſt, quia dicitur filius in patre: Idem enim eſt quod ait: Ego in patre & pater in me: ac ſi dixiſſet pater in filio & filius in patre, at ſi verum eſt Deum eſſe filium & Deum eſſe patrem, tametſi ipſa veritas diceret: Ego in patre, & pater in me: Ergo & Chriſtus eſt Deus: Tametſi Apoſtolus dixiſſet, Deus erat in Chriſto. Itaque ſi ſecundum illius Felicis profeſſionem Chriſtus non eſt, quia Apoſtolus ait, Deus erat in Chriſto, omnino duo ſunt Deus & pax, & quarta introducitur perſona: quod auertat ab omni corde Chriſtianorũ, ille de quo nobis eſt ſermo qui eſt Deus vnus verus & ſummus Ieſus Chriſtus Dominus noſter. Sed quamuis habeamus abundanter probatiſſimos ſanctorum patrum ſenſus qui aliter has intellexerunt ſententias, pauca tamen proferamus ex multis. De confeſſione itaque beati Petri principis Apoſtolorum ab ipſa veritate valde excellenter laudata, illud reſpondemus quod Caſſianus anteceſſor iſtius Felicis Neſtorio reſpondit: Reſpondit enim, inquit, primus Apoſtolorum Petrus, vnus vtique pro omnibus: Idem enim vnius habuit reſponſio quod habet omniũ fides. Sed primum decuit reſpondere vt idem eſſet ordo reſponſionis, qui erat honoris, & ipſe antecederet confeſſionẽ qui antecedebat ætate. Quid ergo ait? Tu es, inquit, filius Dei viui: ſimplici interrogatione ad confutandum te mihi hæretice, vti neceſſe eſt, dic mihi quæſo, quis ille fuerit, cui Petrus iſta reſpondit? Negare non potes Chriſtum fuiſſe: Interrogo ergo Chriſtum quem vocas hominem an Deum? hominem abſque dubio: hinc enim omnis eſt tua hæreſis, quia negas Chriſtũ filium Dei, ideo etiam Mariam Chriſtotocon eſſe, nõ Theotocon dicis, quia Chriſti genitrix ſit, non Dei. Quid ergo ad hæc

A reſpondit Petrus? Tu es, inquit, Chriſtus filius Dei viui: Chriſtum hunc quem tu hominis tantum filium eſſe adſeris, ille teſtatur filium Dei. Cui vis credamus tibi an Petro? Opinor non es tam impudens, vt prępónere te audeas primo Apoſtolorum. Tamen quid eſt quod tu non audeas, aut quemadmodum Apoſtolum non deſpicies, qui Deum negare non metuiſti? Tu es ergo, inquit, Chriſtus filius Dei viui. Nunquid hoc ambigui aut obſcuri aliquid in ſe habet? ſimplex tantum eſt & aperta confeſſio, Chriſtum Dei filium prædicat. Et
B paulò poſt, videamus quemadmodũ confeſſionem eius is quem confeſſus eſt adprobarit: quia plus multo eſt, quam quod Apoſtolus dixit, ſi dictum illius Deus ipſe laudauit. Dicenti ergo Apoſtolo: Tu es Chriſtus filius Dei viui, quid à Domino ſaluatore reſponſum eſt? Beatus es, inquit, Simon Barjona, quia caro & ſanguis non reuelauit tibi, ſed pater meus qui in cœlis eſt. Si diſplicet tibi Apoſtoli teſtimonio vti, Dei vtere. Laudando enim, Deus, quod
C dictum eſt, auctoritatem tuam Apoſtolico dicto addidit: Ita vt etiam ſi dictum illud Apoſtoli ore prodiit ſuum eſſe, hoc tamen Deus fecerit qui probauit. Beatus es, inquit, Simon Barjona, quia caro & ſanguis non reuelauit tibi, ſed Spiritus patris mei qui in cœlis eſt. Ergo in Apoſtoli dicto & Spiritus ſancti & præſentis filij & Dei patris teſtimonium vides. Quid ergo amplius, aut quid ſimile requiris? filius hominis laudauit, pater interfuit, ſpiritus reuelauit. Apoſtoli ergo dictum to-
D tius diuinitatis eſt teſtimonium, quia illius neceſſe eſt hoc dictum, neceſſe eſt auctoritatem habeat, quo auctore proceſſit. Beatus ergo, inquit, es Simon Barjona, quia caro & ſanguis non reuelauit tibi, ſed ſpiritus patris mei qui in cœlis eſt. Ergo ſi Petro non reuelauerũt iſta, & inſpirauerunt, iam intelligis qui inſpirauerit tibi. Si illum Spiritus Dei docuit, qui Chriſtum Dei filium eſſet confeſſus eſt, vides quod tu ſpiritu dæmonis doctus ſis, qui negare
E potuiſti. Beatus quoque Beda Presbyter in tractatu Actuum Apoſtolorum de eo quod dicitur, Deus erat cum illo, ita exponit: Deus inquit, erat cum illo, id eſt, pater cum filio. Melius eſt enim ſic intelligere quam diuinitatem filij cum homine, quem adſumpſit, cohabitantem ſignificari, ne Chriſti perſonam geminare, & in Neſtorianum dogma cadere videamur. De eo vero quod Apoſtolus ait: Deus erat in Chriſto: Victor Epiſcopus Capuæ in libro

ſponſorũ capitulo vigeſimo quarto: Deus, inquit, erat in Chriſto, vtique pater in filio, quia in ipſo complacuit omnem plenitudinem habitare diuinitatis. In aliis quoque ſanctis & Apoſtolis vel Patriarchis ſiue Prophetis gratia fuit: In Chriſto autem tota diuinitas habitauit, id eſt, tota iam plenitudo diuinitatis corporaliter. Idem quoque Victor Epiſcopus ex opere Cyrilli in libro ad Auguſtas cuius initiũ eſt: Qui diuinum prædicant & cæleſte myſterium. In quo, ait, habitat omnis plenitudo diuina corporaliter, id eſt, ſubſtantialiter, non per participationem neque per gratiam quæ tribuitur adoptiuis, ſed corporaliter, id eſt, ſubſtantialiter: ſicut in homine dicitur habitare eius ſpiritus, cum non ſit alius ipſe homo & ſpiritus eius. Idem quoque Doctor Caſſianus, qui & ſuprà, de inſeparabili diuinitatis humanitatiſque operatione, & mira communione rerum geſtarum in Chriſto pro beatiſſima Catholicæ fidei veritate ita diſſeruit. Confitentes enim, inquit, vtramque ſubſtantiam carnis ac verbi vnum eundemque hominem ſemper inſeparabilem ab initio ipſius conceptionis pia fidei credulitate ſuſcipimus, & ex tempore ſuſceptæ carnis ſic omnia dicimus quæ erant Dei tranſiſſe in hominem, vt omnia quæ erant hominis in Deum venirent, & hac intelligentia Verbum factũ ſit caro: non vt conuerſatione aut mutablilitate aliqua cœperit eſſe quod nõ erat, ſed vt potentia diuinæ diſpenſationis Verbum patris nunquam à patre diſcedens homo propriè fieri dignaretur incarnatus: Et non hominem cum Deo ita natum eſſe dicam, vt ſeorſum quæ Dei ſunt, ſoli Deo dem: & ſeorſum quæ ſunt hominis ſoli homini reputem: & de vno filio Dei non vnum, ſed facere incipiam duos Chriſtos: quod à nobis iam ipſe Dominus & Deus Chriſtus auertat: ſed ſic alterutrũ vnus ſit verbum & caro, vt manente in ſua perfectione naturaliter vtraque ſubſtantia ſine ſui præiudicio & humanitati diuina communicent, & diuinitati humana participent: nec alter Deus alter homo, ſed idem ipſe Deus qui & homo: & viciſſim homo qui & Deus Ieſus Chriſtus vnus Deus. Sed his atque huiuſmodi ô Felix, firmiſſimis ſanctorum patrum teſtimoniis ſuperatus ad alia erroris tui latibula confugere non deſiiſti, atque exinde ſerpentini oris venena ſibilãs, quæris quomodo teipſũ perdere poſſis: Quia vnde bene prolata rectè intelligentes filii adquiſitionis ſaluantur, inde filij perditionis damantur, dum bene prolata in ſanctis

A ſcripturis male interpretari non metuũt. Proponit itaque ſententiam de Epiſtola Euangeliſtæ, vbi ait: Aduocatum habemus apud patrem, Ieſum Chriſtum iuſtum: & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, quam ita à te intelligendam aſſeris: Aduocatus (inquis) idem eſt, qui & mediator, qui propter culpas delinquentiũ apud patrem intercedit, quod non de Deo vero, ſed de homine aſſumpto ſentiendum eſt. Quare autem non intelligis quod Euãgeliſta eundem propitiatorem dicit, quem aduocatum, dum ait: Aduocatum habemus apud B patrem Ieſum Chriſtum iuſtum. Et ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris in eo, quod aduocatum eum nominauit. Hominem deſignat: Quod vero propitiatorem Deum demonſtrat, ſed quomodo ſit aduocatus qui Deus eſt, ſanctorum patrum teſtimoniis intellige. Auguſtinus enim, cuius ſæpius mentionem facimus de hac interpellatione in libro contra Arium ait: Solet planè Ariani ex interpellationis cauſa mouere calumniam dicentes, quod qui C interpellatur interpellante ſit maior: quibus reſpondendum eſt Deum obliuionem non pati, vt pro illis commoneatur ſemper quos ipſe elegit: ſed in hoc interpellat eum, dum ſemper patri hominẽ quem ſuſcepit, quaſi noſtrum pignus oſtendit, & offert vt verus Pontifex & æternus. Sed & huic ſenſui illius quomodo B. Bæda Preſbyter in expoſitione eiuſdem Apoſtolicæ ſententiæ conueniat, audi: Vnigenito enim, ait, filio pro homine interpellare eſt, D apud coæternum patrem ſeipſum demonſtrare, eique pro humana natura rogaſſe, eſt eandem naturam in diuinitatis ſuæ celſitudinẽ ſuſcepiſſe. Interpellat igitur pro nobis Dominus non voce, ſed miſeratione. Sciendum eſt verè, quod nequaquam modo Chriſti ad dexteram ſedentis interpellatio apud patrem talis intelligi debet, qualis hominis ſolet eſſe, dum quis apud iudicem ſupplicibus verbis interpellat pro eo: ſed patris Deo patri humanitatis in Dei filio diſpenſatio, interpellatio eſt pro humano genere. Nam & de Spiritu ſancto legitur: Ipſe ſpiritus poſtulat pro nobis E gemitibus inenarrabilibus: nõ enim Spiritus ſanctus ingemiſcit, ſed tropica locutione Apoſtolus vſus ſignificat quod Spiritus ſanctus nos ingemiſcere facit. Ita dicitur & illum poſtulare pro ſanctis, quia poſtulare facit ſanctos: ſic etiam & id, quod de Chriſto dicitur, quod ſit aduocatus altiori myſtico intelligendum eſt, quàm humana interpellandi conſuetudo inter homines ſo-

let obſeruari. Deinde igitur ad Euange-
lium recurrēs huiuſmodi proponis ſentē-
tiam: Ais enim, Nuſquam enim in Euan-
gelio Dei filius pro nobis, ſed tantum fi-
lius hominis traditus legitur. Oblitus ſci-
licet quod ipſe Dei filius de ſua traditione
dixiſſet: Sic enim dilexit Deus mundum, vt
filium ſuum vnigenitum daret. Vnigeni-
tus itaque filius Dei eſt filius qui datus eſt
pro mundi ſalute. Quid vero eſt datus, niſi
traditus? Quod Apoſtolus quoque con-
firmat dicēs: Qui proprio filio ſuo non pe-
percit, ſed pro nobis omnibus tradidit il-
lum. Item de eodem Dei filio idem Apo-
ſtolus ait, Qui tradidit ſemetipſū pro no-
bis. Quem etiam B. Petrus Iudæis prædi-
cans filium Dei non dubitauit teſtificari di-
cens: Deus patrum noſtrorum glorificauit
filium ſuum Ieſum, quem vos quidem tra-
didiſtis, & negaſtis ante faciem Pilati iudi-
cante illo dimitti: vos autem ſanctum &
iuſtum negaſtis, & petiſtis virum homici-
dam dari vobis. Auctorem vero vitæ in-
terfeciſtis, quem Deus ſuſcitauit à mortuis
tertia die. Quid in his verbis Apoſtolicæ
auctoritatis dubitationis eſſe poterit? Filiū
Dei teſtificabatur qui traditus eſt, & qui
mortuus eſt, immo & reſuſcitatus. Addi-
dit quoque auctorem vitæ. Quis eſt ergo
auctor vitæ, niſi filius Dei? qui pro ſalute
mundi vel à Deo patre, vel à ſeipſo tradi-
tus dicitur, ſed & ab ipſo traditore ſuo Iu-
da Iſcariote, necnon & à Iudæis traditus
eſſe legitur. Tradidit (inquit B. Petrus) ſe-
ipſum iudicanti ſe iniuſtè, licet aliter à Deo
patre, aliter à Iuda traditore, & aliter à ſe-
ipſo, aliter à Iudæis traderetur: à Deo pa-
tre propter ſalutem humani generis: à tra-
ditore, vt ſuæ auaritiæ impleret cupidita-
tem: à ſeipſo vt paternæ voluntatis imple-
ret effectū: à Iudæis vt ſuæ perfidiæ oſten-
deret nequitiam. Nullatenus ergo diuidi
poterit filius hominis à filio Dei, vel ſepa-
rari à filio hominis filius Dei, quia vnus eſt
filius Dei, Deus & homo qui traditus eſt
propter delicta noſtra in mortem. Quod
B. Caſſianus in libro vnde ſuperius teſti-
monia poſuimus, veraciter oſtendit: Nec
in tempore (inquit) admodum hominem
quis à Deo in paſſione poſſit, vel Deum ab
homine ſecernere? Si enim ad tempus re-
ſpicis, inuenies ſemper filium hominis cum
Dei filio, ita ſcilicet vnitum & indiuiduum
ſibi Chriſtum filium hominis ac Dei filiū
quantū ad vocē ſcripturæ pertinet: vt nec
homo ſeparari à Deo tempore, nec ab ho-
mine Deus omnino valeat paſſione. Hoc
etiam ſymbolo Catholicæ fidei cōfitemur

A manifeſtè, quod Ieſus Chriſtus Dei filius
vnigenitus, natus de Spiritu ſancto & Ma-
ria virgine, paſſus ſit pro humana ſalute.
Nequaquam ergo dubitare vllus Catholi-
cus debet quin Dei filius traditus eſſet pro
mundi ſalute. Qui enim negat Dei filium
traditum eſſe ad paſſionem, nullatenus
Catholicus eſſe poterit, ſed à Catholicæ
fidei profeſſione in hac obſtinatione per-
manendo alienus cenſendus eſt. Deinde
vadis quærendo quid de humanitate Chri-
ſti, vel quid de diuinitate ſpecialiter in ſan-
B ctis ſcripturis dicatur: Tandemque illuc
perueniſti, vbi de die vltimi examinis idem
Dominus loquitur: cuius diei cognitionē
Chriſto, in quantum homo eſt, denegare
laboras, vt ex tuis verbis agnoſci poteſt.
Ipſe eſt enim, inquis, qui ſecundum præ-
ſcientiam deitatis diem iudicij per Prophe-
tam prædixit: Dies enim vltionis in corde
meo, annus redemptionis meæ venit. Ipſe
nihilominus eſt propter humanitatis na-
turam qui in Euangelio ſecundū Marcum
proteſtatur: De diē aute illa & hora nemo
ſcit, neque Angeli cœlorū, neque filius, niſi
C pater ſolus. Hanc vero ſententiam quam
Marcus Euāgeliſta filiū diem iudicij igno-
raſſe dixit, longè aliter ſancti Patres intel-
lexerunt, quam tu aſſeris intelligendam.
Beatus quippe Hieronymus in Commen-
tario Matthæi, ſimul & Beda Presbyter in
tractatu Marci Euangeliſtæ, huius ſenten-
tiæ intelligentiam ita expoſuerunt; Cauſa
igitur, inquiunt, reddenda eſt cur ignora-
re dicitur: Apoſtolus ſcripſit de ſaluatore,
In quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ &
D ſcientiæ abſconditi. Sunt ergo omnes the-
ſauri in Chriſto ſapientiæ & ſcientiæ abſ-
conditi. Quare abſconditi? poſt reſurre-
ctionem interrogatus ab Apoſtolis de die
iudicij, manifeſtius reſpondet: Non eſt
veſtrum ſcire tempora & momenta quæ
pater poſuit in ſua poteſtate. Quando di-
cit, Non eſt veſtrum, oſtendit quod ipſe
ſciat, ſed non expediat noſſe Apoſtolis, vt
ſemper incerti de aduentu iudicis, ſic quo-
tidie viuant quaſi die alia iudicandi ſint. Si
E ignorat diem iudicij, quomodo verum eſt
quod ante dixit: Omnia tradita ſunt mihi
à patre meo: ſi diei vltimi cognitio non eſt
ei tradita, nullatenus omnia tradita ſunt
illi à Patre. Sanctus quoque Auguſtinus in
libro de ſancta Trinitate capitulo 12. horū
Chriſti verborum ſenſum per tropum,
qui apud Grammaticos metonymia dici-
tur, explanat. De die vero & hora nemo
ſcit, neque Angeli in cœlo, neque filius,
niſi pater. Hoc enim neſcit quod neſcien-

tes facit: Id eſt, quod non ita ſciebat, vt tunc diſcipulis indicaret. Sicut dictum eſt ad Abraham: Nunc cognoui quod times Deum: Id eſt, nunc feci, vt cognoſceres: quia & ipſe ſibi in illa tentatione probatus innotuit. Dic, rogo, quomodo fieri poſſit, vt iudex omnium diem iudicij neſciat? Et qui merita ſingulorum diiudicaturus eſt, tempus eiuſdem examinis ignoret? De cuius iudiciaria poteſtate multo ante in Pſalmis prædicitur: Deus noſter tunc, dicit Propheta, manifeſtius veniet: Deus noſter tunc non ſilebit. Ignis in conſpectu eius ardebit, & in circuitu eius tempeſtas valida: Aduocauit cœlum deſurſum, & terram diſcernere populum ſuum. Et ne ignorares de quo hoc dixiſſet, paulo antè idem Propheta præmiſit: Deus Deorum Dominus locutus eſt. Quis eſt ille Deus qui eſt Deorum, idem Sanctorum? Dominus vero omnino Chriſtus qui iudicaturus eſt viuos ac mortuos. Huius locum Prophetiæ beatus Caſſiodorus ita declarat: Ne quis, ait, incarnationem Chriſti mediocri crederet æſtimatione poſcendam, potentia ipſius ante prędicitur, vt totius incredulitatis prauitas auferatur. Dij dicũtur qui bonis conuerſationibus gratiã ſupernæ maieſtatis accipiunt, ſicut in alio Pſalmo ait: Ego dixi, Dij eſtis, & filij Excelſi omnes. Ita ergo filij dicuntur ſicut & Dij, quod vtrumque gratia præſtat, non natura. Deus autem Deorum eſt Chriſtus: Et paulò poſt: Deus enim Chriſtianorum ipſe eſt Deus Deorum, qui & manifeſtè veniet & non ſilebit. Silet enim modo cum mundus iſte peragitur, cum blaſphemias & ſacrilegas voces ſententiæ ſuæ ſeueritate non damnat, ſed ad conuerſionis medicinam ſuſtinet peccatores. Tunc autem nõ ſilebit, quando ſceleratis dicturus eſt. Ite in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & angelis eius. Hanc vocem metuat qui modo nuncupatiuum & non verũ Deum audet blaſphemare Chriſtum, qui iudicaturus eſt mundũ. Nuncupatio non eſt in veritate poteſtatis, ſed in nominis tantummodo dignitate, qui vocabit cœlũ & terram ad iudicium, non ſolùm nomen habet deitatis, ſed etiam poteſtatem diuinitatis. Et ne fortè contradicas filium hominis eſſe qui habet poteſtatem iudicandi, audi quid idem ipſe de ſua poteſtate diceret. Ait enim: Cum venerit filius hominis in maieſtate ſua, & omnes Angeli cum eo, tunc ſedebit in ſede maieſtatis ſuæ. Filium hominis teſtatur in ſua maieſtate, & non in aliena ſeſſurum & iudicaturum, & regnũ

A ſui patris ſanctis daturum. Et alibi: Pater non iudicat quemquam, ſed omne iudiciũ dedit filio, vt omnes honorificent filium, ſicut honorificant patrem. Et paulò poſt: Sicut pater habet vitã in ſemetipſo, ſic dedit & filio vitam habere in ſemetipſo, & poteſtatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis eſt. Et ne vlla cuilibet dubitatio remanſiſſet quis ſit qui in iudicio omnibus videbitur, idẽ beatus Ioannes Euangeliſta Propheticum in eo teſtimonium implendum eſſe prædixit. Ait enim: Hoc totum factum eſt, vt impleretur, quod dictum eſt: Os non comminuetis ex eo: Et

B iterum alia ſcriptura dicit: Videbũt in quẽ transfixerunt. Vulnera itaque veri corporis verum filium hominis oſtendent, qui iudicaturus eſt mundũ: forma illa erit iudex qua ſtetit ante iudicem. Talis apparebit iudex qualis videri poſſit, & ab eis quos coronaturus erit, & ab eis quos damnaturus. Hoc ipſum quippe Chriſto aſcendente Angeli Apoſtolis prædixerunt: Sic, inquiunt, veniet, quemadmodum vidiſtis

C eum euntem in cœlum, id eſt, in eadem forma carnis atque ſubſtantia veniet iudicandus. Hunc eundem filium hominis qui iudicaturus eſt mundum Apoſtolus Deum non dubitauit nominare. Ait enim: Alioquin quomodo Deus iudicabit hunc mundum? & alibi: Expectantes beatam ſpem & aduentum gloriæ magni Dei. In ſequentibus quoque ponens verba ipſius veritatis quibus cuidam diuiti ſe bonum magiſtrum nominanti reſpondit, nemo bonus niſi ſolus Deus. Valde inconuenienter

D quantum ad intelligentię pertinet rationẽ, verba ô Felix coniungis: Ipſe enim, ais, qui eſſentialiter cum Patre & Spiritu ſancto ſolus eſt, bonus eſt Deus, ipſe in hominem licet ſit bonus, non tamen naturaliter à ſemetipſo ſit bonus. Quomodo ſtare poteſt quod dicis ipſe eſt bonus, & ipſe naturaliter non eſt bonus in ſemetipſo? Super ſe bonus eſt cum patre & Spiritu ſancto vtique, & ipſe bonus eſt in homine aſſumpto non aliena bonitate, ſed naturali. quia ipſe,

E & ipſe vnam ſignificauerit perſonam, & non eſt alter in patre, alter in homine. Mirandum verò eſt quomodo magiſter velis fieri fidei Catholicæ, dum verborum per quæ fides dicitur rationem ignores. Corde enim creditur ad iuſtitiã, ore autem confeſſio fit ad ſalutem. Rectè itaque in corde credita conuenientibus veræ fidei verbis proferri debent: Sed quædam mihi ſuſpicio ex antecedentibus fidei tuæ profeſſionibus, in his naſcitur verbis te quidẽ velle

aſſerere Dei filium qui hominẽ aſſumpſit A naturaliter bonũ eſſe, hominẽ vero quem aſſumpſit naturali bonitate bonum non eſſe. Sed iſte tuus ſenſus multis ſanctæ ſcripturæ teſtimoniis deſtruitur.

Primo cum legitur in Geneſi, Deum omnia bona condidiſſe. Et cum per ſingulos dies dicit Scriptura, Vidit Deus quod bonum eſſet, & dum omnia ſicut Deo placuit creata ſunt, dictum eſt, & erant omnia valde bona: quomodo ille homo ſolus quem ipſe Dei filius, per quem facta ſunt omnia, ſibi in vnitatem perſonæ in B vtero virginali adſumpſit, non erat naturaliter bonus? Quid in illa mirabili de Spiritu ſancto & virginali conceptione & natiuitate peccati fuit, vt bonus naturaliter non eſſet qui natus eſt, & Dei filio in vnitatem perſonæ in ipſo exordio incarnationis adiunctus. Omnis quidem rationalis creatura aut bona eſt, aut mala. Legitur enim in ſcripturis ſanctis Angelus bonus, & Angelus malus: ſimiliter & bonus homo, & malus homo ipſa Veritate adteſtante: Bonus homo de bono theſauro C cordis ſui (etſi omnia quæ Deus creauit erant valde bona) profert bona: Et malus homo de malo theſauro cordis ſui profert mala. Sed omnia quæ bona ſunt naturaliter bona ſunt, Dei gratia agente: quæ vero mala ſunt, ex proprio vitio mala efficiuntur. Quomodo ergo Chriſtus naturaliter non eſt bonus, per quem omnes quicumque boni ſunt efficiuntur boni? Sicut enim prope eſt filius Dei, per quem omnes ſancti filij Dei facti ſunt: ita natura- D liter bonus eſt, ſine quo nullus naturaliter poterit eſſe bonus. Huius verò reſponſionis Chriſti verba beatus Hieronymus Presbyter longè aliter quàm tu adſeris intelligi voluit, vt in preſcripto eius Commentario, vnde paulò ante poſuimus teſtimonia, legitur. Quid me, inquit, interrogas de bono? vnus eſt bonus Deus: Quia magiſtrum vocauerunt bonum, & non Domini vel Dei filius confeſſus erat. Dicis quemuis ſanctum hominem comparatione Dei non eſſe bonum, de quo dicitur: Confitemini Domino quoniam bonus. Ne E quis autem putet in eo quod bonus Dominus dicitur excludi à bonitate filium Dei: legimus in alio loco: Paſtor bonus ponit animam ſuam pro ouibus ſuis. Et in Propheta: Spiritum bonum, terramque bonam. Non igitur Dominus ſe bonum negat, ſed eſſe Deum ſignificat. Non ſe magiſtrum bonum non eſſe, ſed magiſtrum abſque Deo nullum bonum eſſe teſtatur.

Addis quoque, vbi de duabus in Chriſto naturis diſputas, impaſſibilis in ſuo, paſſibilis in alieno. Quid dicis alienum eſſe Dei filio in illa ſuſceptione humanitatis, quæ in tantam & iam mirabilem cum Dei filio adſumpta eſt vnitatem, vt vnus eſſet, non duo?

Idem in diuinitatis gloria qui & in humanitatis infirmitate, idem filius Dei qui & filius hominis, & idem filius hominis qui & filius Dei. Quid enim in hac coniunctione alienum potuit eſſe, dum omnes actus vtrarũque in Chriſto naturarũ vnus propriæ eſſe perſonæ certum habetur, ſicut beatus Leo Papa ait: Salua naturarum proprietate, quæ Dei ſunt tranſierunt in hominem, & omnia quæ hominis ſunt tranſierunt in Deum: vt nec ſine homine agerent diuina, nec ſine Deo agerentur humana. Hoc enim Catholica fides tradit, hoc exigit vt in Redemptore noſtro duas nouerim conueniſſe naturas; & manentibus proprietatibus ſuis tantam factam vnitatem vtriuſque ſubſtantiæ, vt ab illo tempore quo ſicut humani generis cauſa poſcebat, in beatæ Virginis vtero verbum caro factum eſt; nec Deum illum ſine hoc quod homo eſt, nec hominem ſine hoc liceat cogitare quod Deus. Oſtẽdit quidem ſub diſtinctis actionibus veritatem ſuam vtraque natura, ſed neutra ſe ab alterius coniunctione diſiungit, nihil vbi adinuicem alienum vacat. Nec enim diuinitas animæ triſtanti ante paſſionem defuit, nec carnem ſuam in paſſione deſeruit. Tota eſt in maieſtate humilitas, tota in humilitate maieſtas. Idcirco eiuſdem eſt contumelia cuius eſt gloria. Ipſe eſt in infirmitate qui & in virtute: Idem mortis capax, & idem victor eſt mortis. Suſcepit ergo totum hominem Deus, & ita ſe illi atque illum ſibi miſericordiæ & poteſtatis rationem conſeruit, vt vtraque alteri natura ineſſet, & neutra in alteram, à ſua proprietate tranſiret. Atque ita in carne propria paſſus eſt impaſſibilis Deus, vt veram paſſionem quia voluit in vera carne ſentiret, & in diuinitate prorſus impaſſibiliter permaneret, nec alius ſemetipſum morti dignatus ſit tradere, quam ille qui ſic potuit moriens de morte vincere, vt mortẽ non poſſit in morte ſentire. Sed hoc certiſſimum ſcire debemus, quod quicquid vexationis & paſſionis furor intulit impiorum, non de neceſſitate toleratum, ſed de voluntate ſuſceptum eſt, veluti etiam omnia quæ infirmitatis ſunt humanæ voluntate ſuſtinuit, non neceſſitate: vt famem, ſitim

tim, laſſitudinem, ſomnum, irriſiones, crucem, atque ipſam mortem. Ita & ille qui propria voluntate mortuus eſt, propria quoque poteſtate ſurrexit: veluti ante prædixit: Poteſtatem habeo, inquit, ponendi animam meam, & poteſtatem habeo iterum ſumendi eam. Sed ne longior libelli ſeries legendi faſtidium generet, hic ſit huius ſermonis finis, vt ab alio liberius oratio ſumat exordium.

LIBER SEXTVS.

SVBLIMITAS Apoſtolicæ auctoritatis terrere debuiſſet iſtos adoptionis vel nuncupationis in Chriſto adſertores, vt tacerent, quia omnes nouitates vocum cunctis Catholicæ fidei filiis ſub anathematis terrore interdixit. Sed obſtinata mens nullis terroribus emollita à ſuæ peruerſitatis pertinacia compeſcitur. Nec eorum damnationis exemplo ſemetipſa corrigere curat, qui anteactis temporibus nouas ſectas Apoſtolicíſque traditionibus contrarias introducere tentarũt. Ita enim nec iſti, qui huius nouitatis introductiones fidei Catholicæ inſerere conantur, ſe pia humilitatis cõſideratione in ouile vniuerſalis Eccleſiæ per Apoſtolicæ fidei vnitatem reuocare ſtudent. Et non ſolùm male prolata ſalubriore ſenſu emendare non conſentiunt: verum etiam peioribus ſe denuo implicare erroribus contendunt: vnde & iſte Felix infeliciore audacia, cum cæteris ſuæ peruerſitatis ſequacibus Chriſto iniicere tentat debitam ſeruitutem, & conditionale ſeruitium, & neceſſariam ſubiectionem: dum omnes Euangelicæ paginæ & Apoſtolicæ ſcripturæ Chriſtum veraciter Dominum Deum atque Dei filium apertiſſimè teſtentur. Nec alicui ſanctorum tanta fuit latitudo ſapientiæ, vel tam grandis eloquentiæ copia, vt laudem & gloriam Chriſti Dei digne potuiſſet enarrare. Superat enim omnem ſenſum rationalis creaturę, huius myſterij magnitudo, quo Dei filius in vnitatem perſonæ humanitatis naturam adſumere dignatus eſt; & inter homines homo Deus conuerſari qui in cœlis adoratur ab Angelis: quem infelix iſtorum temeritas debitorem ſeruitutis vel conditionalem ſeruum nominare non metuit, & infima quæque nomina Redemptori noſtro Chriſto Deo vero & Regi regum Dominoque dominantium imponere præſumit. Quod ergo Chriſtum debitæ ſeruitutis neceſſitate conſtrictum eſſe contendis, dic, oro, in quo fuit Chriſtus Ieſus debitor. Nunquid peccata habuit, vt propter peccatorum remiſſionẽ debitor eſſet? nam in orationẽ Dominica debita pro peccatis ponuntur. Sicut ſolemus ex pręcepto ipſius Veritatis cotidie decãtare: Et dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Vnde & mox huius petitionis recapitulatio ſubiecta eſt, vt intelligeretur de quibus dixiſſet debitis. Ait enim ipſe Dominus in ſequentibus: Si dimiſeritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis pater veſter cœleſtis delicta veſtra. Et vbi vnus Euãgeliſta dicit, debita noſtra, ibi alius pro debitis peccata ponit. Si debitor eſt qui & peccator, vt Euangelica veritas oſtẽdit, nunquid & Chriſtus peccator fuit, vt debitor dici debeat. Niſi fortè alio ſenſu debitorem velis intelligere anteacti videlicet cuiuſlibet beneficij remuneratorem. Quid vero hoc ad Chriſtum pertinet? Nunquid primum fuit homo? & poſteà ſingulari beneficio in Dei filiũ electus eſſe credendus eſt, vt huius tanti beneficij debitor ſit dicendus? Nonne in ipſo conceptu Deus verus, & verus Dei filius conceptus eſt, & in vnam perſonam duarum naturarum facta eſt cõiunctio in ipſo vtero virginali, in tanta perſonæ vnitate: vt hic totus qui ex virgine natus eſt indubitanter dici & credi debeat vnus verus filius Dei. Alibi quoque in Euangelio de debitore dicitur: Duo debitores fuerunt fœneratori vno. Quid hic debitores intelligendi ſunt, niſi cuiuſlibet pacti neceſſitate in ius fœneratoris obligati, quorũ nihil de Chriſto pia credulitas permittit dici? Quod vero ais cõditionalem eſſe ſeruũ: quæ Catholicæ aures hanc tantam blaſphemiam patienter ſufferunt, vt Chriſtus Dei filius vili conditione & dura neceſſitate ſeruus ſit Dei patris? Quid ergo dicis de Adam? Vtrũ nam libera dignitate vel ſeruili conditione creatus ſit? Si conditionalis ſeruus formatus eſt, quomodo eſt imago Dei? vel vbi liberũ illius arbitriũ fuit? aut quid peccandò perdidit? Si vero liber, quomodo nõ multo magis Chriſtum, in quo diuinitas omnis corporaliter habitabat, libera dignitate, non cõditionali ſeruitio ex regię nobilitatis Virgine natum eſſe credendũ eſt? De quo beatus Auguſtinus in Epiſtola ad Conſentiũ: Adſumpſit (inquit) formã ſerui non Domini mutando naturam: impertiendo Dominicam gratiam, non ſeruilem

iniuriam retinendo. Si enim humana nobilitas alicuius momẽti vel dignitatis æſtimanda eſt; quis nobilior ipſo Dauid rege? ex cuius ſemine quaſi de regalis excellentiæ nobilitate, non ſeruilis conditionis ignobilitate Chriſtus naſci voluit in mundo. Si ad Deitatis gloriã reſpicis, quis Dei filio, qui in duabus naturis vnus atque idẽ fuit, æquari poteſt? Cui nullus ſanctorum nobilitate vel libertate, vel poteſtatis priuilegio ſimilis eſſe potuit, vel poterit. Illud vero quod ais illũ propter ignobilitatem beatæ Virginis, quæ ſe ancillam Dei humili voce proteſtatur ſeruum eſſe conditionalem: Si ſanctiſſima Virgo Maria iuxta veſtram temeritatem conditionalis eſt ancilla; ergo nobilior eſt Sarrã ſecundum Apoſtolicam auctoritatẽ, de qua ipſe Doctor gentium ait: Scriptum eſt, quoniam Abraham duos filios habuit, vnum de ancilla, & vnum de libera. Sed qui de ancilla, ſecundum carnẽ natus eſt, qui autẽ de libera per repromiſſionẽ. Et poſt pauca: Sed quid dicit ſcriptura? Eiice ancillam & filiũ eius: nõ enim hæres erit filius ancillæ cum filio liberæ. Fortè & apud te nobilior eſt Iſaac quam Chriſtus qui Apoſtolico teſtimonio de libera natus eſt, & Chriſtus vt tu aſſeris de ancilla, & omnes adoptiui filij Dei qui ſunt, nobiliores ſunt Chriſto: de quibus ipſa Veritas ait: Iam non dicam vos ſeruos, ſed amicos: De quibus & prędicator gentium ait: Miſit Deus ſpiritum filij ſui in corda noſtra clamantẽ, Abba pater. Itaque iam nõ eſt ſeruus, ſed filius. Quod ſi filius, & hæres per Deum. Dicis, quid potuit de ancilla naſci niſi ſeruus? vbi eſt intelligentia tua, non conſiderans multa animantiũ genera de terra eſſe creata, & plurimas piſcium diuerſitates ex aquis? Quomodo ergo viua creatura ex inſenſibili, id eſt, terræ vel aquæ natura creari poterit? vel quomodo de puluere arbores, & de arboribus flores fructuſque naſcuntur? Quare non tantum puluis de puluere naſcitur, ſicut dicis, quod nil potuiſſet de ancilla naſci niſi ſeruus, vt interim beatam virginem ancillam nominari non negemus: tamen concede omnipotentiæ diuinæ vt de ancilla creare potuiſſet quicquid placuiſſet ſuæ ineffabili voluntati: niſi forte reſiſtere velis Deo, dicere nolo vt aliquid aliud fiat de ancilla niſi ſeruus tantum: ſed reuera Chriſtus ſolus vt Propheta de eo præcecinit, inter mortuos liber eſt inuẽtus. De qua eius glorioſa libertate beatus Caſſiodorus in octogeſimi ſeptimi Pſalmi expoſitione ita dicit; Solus enim inter mortuos liber fuit,

A qui ipſa quoque mortis clauſtra confregit: ipſius enim tantum mors libera, quia & voluntaria fuit, qui poteſtatem habebat ponendi animam ſuam, & iterum ſumendi eam. Sed cum ille eſſet inter mortuos liber, æſtimatus eſt tamen à dementibus, ſicut vulnerati dormientes. Verè autem dictus eſt Dominus liber, qui humanum genus liberare dignatus eſt; quem tu fortè per hoc ſeruum eſſe cõditionalem calumniaris, quia humanum genus beneuola ſuæ obedientiæ ſubiectione liberum fecit. Sed longè aliter beatus Gregorius in libro Mo-

B ralium vigeſimo tertio de hac eadem liberatione, vnde loquimur, ſentire probatur. Mediator (inquit) Dei & hominum Ieſus in eo miſeretur hominis, quo formam hominis ſumpſit: qua miſericordia redempto homine dicit patri, libera eum vt non deſcendat in corruptionem. Sicut iam ſupra diximus, dicere eius eſt, libera eum hominem, naturam hominis aſſumẽdo liberam demonſtrare. Ex ea quippe carne quam ſumpſit, etiam hanc oſtendit liberã quam

C redemit. Quæ redempta (videlicet, caro) nos ſumus, qui cognitione noſtri reatus adſtringimur, ſed mediatoris tanti æquitate liberamur, ſicut ipſe ait; Si vos filius liberauerit, vere liberi eritis. Nimium ergo ingratus videris liberatori humani generis, qui toties illum non ſolum abſolute ſeruum appellari dicis, ſed etiam conditionalem ſeruum teſtaris: dum conditio durã demonſtrat neceſſitatem, non voluntariæ munus obediẽtiæ. Sed & inter cætera quo te vagus ſermonis tui perduxit textus, etiã

D ad hoc perueniſti, vt diceres duo genera ſeruitutis eſſe in creaturis, voluntarium quidem & conditionale, quia inquis, omnis creatura voluntate ſeu neceſſitate per conditionem Deo ſeruit. Plane omnibus patet inferius eſſe genus conditionalis ſeruitij quã voluntarij, ſub quo inferiori gradu impia temeritate Chriſtum computare non times, ſicut ex tuis verbis iam antea oſtendimus. In quo etiam gradu conditionalis ſeruitij, & ipſum diabolum poſuiſti

E dicens: Nempe diabolus ſeruus Domini per conditionem in ſacro eloquio dicitur: Vides-ne quo te tua perduxit blaſphemia, vt vno ſeruitutis genere Chriſtũ & diabolum cõputares? nec ipſum Chriſtũ conſentires voluntaria obediẽtia Deo patri deſeruire in diebus carnis ſuæ, ſed conditionali neceſſitate ſicut diabolũ? numquid nõ omne Chriſtianorũ ſeruitium in religione ſãctitatis volũtariũ Deo debet eſſe magis quã neceſſariũ? In tantum vt volũtas bona pro

opere cōputetur, quamuis aliqua neceſſi-
tas operandi impediat facultatem. Addis
adhuc de conditionali ſeruitio Chriſti hæc
verba: Nūquid (ais) qui verus eſt Deus fie-
ri poteſt, vt conditione ſeruus Dei ſit, ſicut
Chriſtus Dominus in forma ſerui, qui mul-
tis modis multiſque documentis, non tan-
tum propter obedientiam, vt plerique vo-
lunt, ſed etiam & per naturam ſeruus pa-
tris & filius ancillæ eius veriſſimè edoce-
tur? Quod quam abſurdum ſit, & quam
ineptum hoc de Deo, Dei filio, ac Deo
vero credere piorum ignorat nemo. Inter
pleroſque quos dicis Chriſtum putare per
obedientiā ſeruire Deo, vnus quidem eſt
beatus Paulus Apoſtolus doctor gentium
qui ait: Chriſtus obediens patri vſque ad
mortem, mortem autem crucis, propter
quod & Deus exaltauit illum, & dedit ei
nomē quod eſt ſuper omne nomē. Seruus
conditionalis non eſt ſuper omne nomen,
ſed inferius filiorum nomine, filij quippe
nomen omnibus ſanctis Dei dignatione
communiter donatum eſt. Quod eſt ergo
illud excellentius cæteris nominibus no-
men, quod Chriſto à Deo Patre Apoſtolo
teſte datum eſſe dicitur, propter obedien-
tiæ mirabile ſacramentum? Illud ſcilicet
quod idem ipſe ſubiungit dicendo: Vt in
nomine Ieſu omne genu flectatur cœleſtiū,
terreſtrium & infernorū, & omnis lingua
confiteatur, quia Dominus Ieſus Chriſtus
in gloria eſt Dei patris. Si iam Dominus eſt
Ieſus, & in gloria eſt Dei patris, id eſt, in
diuinitatis maieſtate, ergo conditionalis
ſeruitij iugo ſubiectus non eſt: ſed (ſicut
beatus Petrus Princeps Apoſtolorum ait)
perfectus eſt, in cœlum ſubiectis ſibi Ange-
lis & poteſtatibus, & virtutibus. Quod &
idem Pſalmiſta prædixit multo ante futu-
rum: Minuiſti (inquit) eum paulominus,
gloria & honore coronaſti eum, & conſti-
tuiſti eū ſuper opera manuum tuarū. Om-
nia ſubieciſti ſub pedibus eius. O glorioſa
obedientia, & omni laude digniſſima, quæ
in tantā diuinæ poteſtatis magnitudinem
ſublimata eſt, vt ſuper omnia opera Dei
conſtitueretur. Item in alio loco Apoſto-
lus: Qui tradidit ſemetipſum pro nobis
oblationem & hoſtiam. In hoc quod ait:
Tradidit ſemetipſum, voluntariè ſe tra-
dentis, non cōditionaliter ſeruientis oſten-
dit affectum. Dicit & ipſe Dauid ſub per-
ſona ſanctorum: Voluntariè ſacrificabo ti-
bi. Si ſanctorum ſacrificia, quæ Deo ſolent
offerri, voluntaria fuiſſe manifeſtum eſt,
quomodo hoc ſolum ſacrificium, in quo
totius mundi redemptio eſt, per neceſſi-

A tatem fuiſſe calumniaris, & non per vo-
luntatem ſponte ſeipſum offerentis: ſicut
idem Propheta in alio loco ait. In capite li-
bri ſcriptum eſt de me, vt facerem volun-
tatem tuam, Deus meus volui, & legem
tuam in medio cordis mei. Volui, inquit,
non ſicut tu ſoles dicere, debui, (debita
enim ais) ſeruitute Deo patri ſubiectus
eſſe. Quod quidē debitū & conditionale
ſeruitium, ab Eccleſiaſticæ fidei veritate
omnino alienum eſſe dignoſcitur. Catho-
lica namque veritas in vno eodēque Chri-
ſto credit, & confitetur ſecundum veram
ſubſtantiam carnis, omnes eiuſdem carnis
quas ſuſcepit infirmitates voluntarias ha-
bere Chriſtum cum voluiſſet. Volūtariam
namque & veram famem cum eſuriens ad
ficulneam veniret: voluntariam & veram
laſſitudinem cum fatigatus ab itinere, ſu-
per puteum ſederet: voluntarium & verū
vulnus, cum militis lancea percuteretur in
latere: voluntariam & veram mortem,
cum inclinato capite ſpiritum emiſiſſet in
cruce: voluntariam & veram ſepulturam,
C cum eum depoſitum de ligno Ioſeph, &
Nicodemus ponerent in ſepulchro. Has
enim carnis omnes infirmitates volunta-
rias quidem, ſed veras Chriſtus habuit, quia
carnis humanæ naturam, non in fantaſia,
ſed in veritate ſuſcepit: quas paſsiones pro-
pterea in carne voluntarias habuit, vt in
veritate carnis diuina potentia, quæ nec
pati potuit aliquando, nec mori, infirmita-
tem mortemque deuinceret, & carnem
ſuam in vitam virtutemque perpetuam
ſuſcitaret: quem tu æternæ ſubiectionis
D ſeruitio oprimere niteris. Dicis enim: Vel
in qua forma erit in æternum patri ſubdi-
tus, ſi inter diuinitatem eius & humanita-
tem nulla differentia, nullaque inæquali-
tas fore credatur? Dicimus itaque in Deo
Chriſto duas eſſe naturas proprias: vnam
deitatis, alteram humanitatis: ſed veram
in eo diuinitatis gloriam credimus, nec
nuncupatio ſola diuinitatis à te nuper in-
troducta in humana natura à diuinitatis
natura ſegregata, in duos Deos fidei no-
E ſtræ diuideret profeſsionem, ſed vnum
cōfitemur Deum ſub proprietate duarum
naturarum, qui iudicaturus eſt mundum
forma qua videri poterit ab omnibus quā
conditionaliter tu adſeris Deo patri ſubie-
ctam eſſe: aliter intelligens illius formæ
ſubiectionem; aliter ſancti Patres, qui al-
tiori ſenſu ſancto Spiritu inſpirāte diuina
myſteria conſiderare valuerunt. Sed bea-
ti Hilarij clariſsimi doctoris tantummo-
do ſenſus ſufficiat ponere, qui vndecimum

Catholicæ fidei libellum maximè de huius A ſubiectionis diſputatione conſummauit. Primum, inquit, te communem ſenſum interrogo, vtrum nunc ſubiectionem ita intelligendam putemus, tanquam ſeruitutem dominatui, aut infirmitatem virtuti, aut honori inhonorationem, contrariis qualitatibus ſubditis, vt filius ſecundũ hæc Deo patri ſit diſſidentis naturæ diuerſitate abiectus. Nihil itaque nunc aliud ſubiectionis ſignificatio, quam myſterij demonſtratio eſt. Et in ſequentibus. Non alia itaque ſubiectionis cauſa eſt, quam vt B omnia in omnibus Deus ſit, nulla ex parte terreni in eo corporis reſidente natura, vt ante in ſe duo continens, nunc Deus tantum ſit, non abiecto corpore, ſed ex ſubiectione tranſlato, neque per defectionem abolito, ſed ex clarificatione mutato. Adquirens ſibi eo potius hominẽ quam Deum per hominem amittens: ſubiectus vero ob id non vt non ſit, ſed vt omnia in omnibus Deus ſit. Item paulo poſt de clarificatione ipſius Domini, qua ſe in Euangelio teſtificatur clarificãdum eſſe, vbi ait. Nunc glorificatus eſt filius hominis: Glorificauit C eum, inquit, in ſe Deus, vt quia iam regnat in gloria, quæ ex Dei gloria eſt, ipſe exinde in Dei gloriam tranſeat; in ſe enim Deus eum glorificauit, id eſt, in ea natura qua Deus eſt; quod eſt vt ſit Deus omnia in omnibus.

Item paulò poſt: Et in eo quidem, ait, quanta furoris hæretici ſtultitia eſt, deſperare id de Deo quod humanis ſuis pedibus blandiatur: & quod † hominem Deus potens ſit, id in ſeipſo efficiendo infirmus ſit. D Nec ſermo iſtud, nec ſenſus rationis capax loquetur vt naturali quadam neceſſitate ad conſulendum nobis obnoxius Deus ſibi nihil adferre beatitudinis poſſit. Non quod profectu egeat, qui imperturbatæ naturæ virtutiſque ſit, ſed quia per diſpenſationem & ſacramentum magnæ pietatis, qui Deus eſt, & magnus eſt, impotens ſibi ſit. Hoc eſt totum præſtare quod Deus eſt, cum nobis non ambigue indulturus ſit, id quoque nos eſſe, quod non ſumus. Vitæ E enim humanæ atque mortis finis eſt reſurrectio, & certiſſimum militiæ ſtipendium eſt incorrupta æternitas, non ad pœnæ perſeuerantiam manens, ſed ad perpetuæ gloriæ fructum iucunditatemque non deſinens. Cum igitur hæc noſtra terrenorum corporum origo in habitu naturæ potioris excedat, & cõformis gloriæ Dominici corporis fiat Deus in forma ſerui, perpetuus licet, iam glorificatus in corpore ſit, ſecundum quod in forma ſerui ſit, tamẽ conformis Deo non erit: vt qui nobis formã glorificati corporis ſui tribuit, ipſe corpori ſuo nihil vltra poſſit quam nobis ac ſibi ſit, in commune præſtare. Hæc itaque teſtimonia ſancti patris Hilarij de ſubiectione filij, quãtum debitam æternamque adſeris*, vel etiam de clarificatione corporis in diuinitatis gloriam eiuſdem Domini noſtri Ieſu Chriſti, quod ex virgine adſumpſit, dicta ſufficiant. Nunc operæpretium eſt aliqua ex ſanctorum doctorum libellis teſtimonia proferre, quæ tu etiam contrario ſenſu flectere ad tuæ partis confirmationem niteris. Quæ omnino tibi eſſe aduerſaria, & tui erroris ſectę valde contraria intelligentur. Inſuper & quædam calliditatis tuæ nequitia ſubtrahis, quæ tuam hæreſim damnare videntur: quædam vero conſueta tibi verſutia immutare non times, vt in libris beati Hilarij feciſſe videris: vbi ille prę cipuus doctor & Catholicus ait: Poteſtas dignitatis non amittitur, tu omnino peruerſiſſimè dicis, adoptatur: vbi beatus Hilarius ait, adoratur. Carnis equidem à Magis humilitas adorata eſt, & myſticis munerum ſpeciebus honorata, nõ adoptata: Quod perſpicuè ex antecedẽtibus verbis eiuſdẽ doctoris intelligi poteſt, vbi ait quod tu ipſe poſuiſti in pãnis adhuc Deus adoratur. Idem ipſe qui in cunabulis iacuit ab Angelis Chriſtus Dominus prędicatur, & à Magis Deus adoratur, non à patre adoptatur in filium. In quo loco certiſſimè de Magorum adoratione idem pater *Hilarius* diſputat, non de paterna adoptione, quam tu prauiſſimè huic loco inſerere conaris. Sed & cum teſtimonium de diſputatione beati Auguſtini poſuiſſes, quã habuit cum Feliciano ~~Ariano~~ Epiſcopo, ſubdola calliditate quædam in media ſententia tacuiſti, quæ tuæ parti videntur contraire, vbi ait: Filiorum nãque adoptiui alij, naturales alij ſunt: hi qui geniti ab initio filij ſunt ac proprij. Illi primo alieni, poſt filiũ cum per adoptionem in familiam videntur adſciſci. Cætera verò quæ poſuiſti in eodẽ loco ex ſenſu hæretici, idem beatus Auguſtinus dixit nõ ex ſuo, cum quo diſputationem de fide Catholica habuit, licet tu non intellexiſſes, ex cuius perſona dixiſſet quod poſuit: ſic enim ait. Quid igitur dicis, ex ſubſtantia patris credo naſci filium nequiuiſſe: ne ingenitum patrem filij generatione videamur diuidere: & reliqua quæ ibi poſita ſunt, quę certiſſimè illius hæretici ſenſui conueniunt, non ſancti Auguſtini. Sicut & illud ſolita tibi prauitate immutaſti, vbi

† Fortè deeſt in, aut quid aliud.

libro; impaſſibilis in ſuo, paſſibilis in noſtro; tu pones impaſſibilis in ſuo; paſſus in alieno, quaſi corpus ſuum quod ſibi proprium fecit filius Dei alienum eſſet à ſe. Quod itaque nomẽ alieni omnino contra te ipſum ponis? vtrumque enim nõ poteſt eſſe: caro Chriſti aliena, & adoptiua filio Dei: quia dum adoptatur in filium, nullatenus alienus erit ei qui ſe adoptauit in filiũ; ſed in filij dignitatem adſumptus ceſſabit alienus eſſe. Chriſti vero humanitas numquam aliena fuit nec anima, nec corpore diuinitatis ſuæ; ab initio conceptionis & natiuitatis in proprietatem vnius perſonæ adſumptà, vt verus & proprius in duabus ſubſtantiis eſſet Dei filius. Et quare tacuiſti, quod in eodem libro de clarificatione corporis Chriſti, & de vnitate diuinitatis legitur, vbi ipſe præfatus doctor ait: Itaque glorificata caro maieſtate, dum maieſtas humilis docetur in carne? Sed vtrumque non de duobus Chriſtis, vt putas, ſed de vno atque eodem ipſo quem poſt partũ virginis Deum & hominem nouimus, nos certum eſt prædicare. Et paulò poſt; Vnus autem atque idem Chriſtus eſt, qui & iniurias totus pertulit, & actus in profundum non merſit. Ex hoc pacto in mediatore Dei & hominum iniuria adſumpti corporis affectam fatemur deitatem, ſicut maieſtate diuinitatis glorificatam nouimus carnem. Sed hæc omnia quę paſſus eſt pro humana ſalute mundi Saluator, non vt tu vis debita neceſſitate, ſed libera voluntate paſſum, idem pater in eodem libro teſtatur, dicens inter cætera: Senſit igitur (inquit) mortem diuinitas Chriſti participatione humani affectus quem ſponte ſuſceperat: non naturę ſuæ potentiam perdidit, per quam cuncta viuificat. Sic in ſepulchro carnem ſuam commoriendo non deſeruit: ſicut in vtero virginis connaſcendo formauit. Et ſic in vtroque & naſci, & mori non coactus ab altero, ſed ſponte voluit, vt hoc eum conſtet pertuliſſe quod fecit. Nec ideo nõ patientem quia ipſe faciebat; nec ideo non facientem quia non alius tolerabat. Hanc quoque mirabilem & ineffabilem in filio Dei vnitatem naturarum in perſona & poteſtate mẽs humana credat, non requirat, vt in eodem libro legitur. Ait enim idem doctor: Sicut enim ſine exemplo mater genuit auctorem ſuum, ſic ineffabiliter pater credendus eſt genuiſſe coæternum: de matre natus eſt qui tamen ante fuit, de patre qui aliquãdo non defuit. Hoc fides credat, intelligentia non requirat, ne aut non inuentum putet incredibile, aut repertum

A non credat ſingulare. Si mater genuit auctorem ſuum, & de matre natus eſt qui de patre fuit: quomodo tu auſu temerario ſoles negare Deum eſſe verum qui ex virgine natus eſt? Aut quomodo non terret te quod ſequitur, vt quia hoc ratione non inueſtigatur, hoc fides credat, intelligentia non requirat? Singulare enim eſt hoc, & ſine exẽplo myſterium. Dicis quoque humanitatẽ filij Dei extrinſecus factam quaſi alienam, vel magis ipſum filium Dei extrinſecus factũ, ſicut te ſcribente legimus.

B Hæc ſunt (ais) ſententiæ præfati egregiique doctoris Auguſtini, non de humanitate filij Dei in qua extrinſecus factus eſt, nõ de ſubſtãtia Patris ſubſiſtens, ſed ex carne matris & natus eſt. Quomodo filius Dei eſt ſi extrinſecus factus eſt? filius Dei æternaliter natus eſt de patre quẽ hic dicis extrinſecus factũ. Si de humanitate eius hoc tibi placet intelligi, ergo eundẽ dicis nobiſcum filiũ Dei qui ex virgine natus eſt. Tamen ſãctus Cyrillus nullatenus de homine Chriſto hoc cõſentit, ſcilicet quod extrinſecus factus ſit quaſi alienus, velut indu- C mentum quoddam diuinitatis, ſed omnino in duabus naturis proprium eſſe & perfectum filium Dei adfirmans, dicit in illo libello quem contra Theodoretum ſcripſit: Non hominem adſumptum dicimus à Deo verbo, & copulatum ei ſecundum habitum extrinſecus adinuentum, ſed potius hominem eum factũ eſſe decernimus. Item eiuſdem vnde ſupra: Sed licet (inquit) nominemur templa Deum inhabitantem habentia per ſpiritum, attamen alterum D nouimus modum ſacramenti ſecundum Chriſtum. Vnitam enim Deo verbo ſecundum veritatem carnem aſſerimus cum anima vtique rationali. Item in eodem: Quid igitur diuidũt ſubſiſtentias poſt vnitatem, & particulariter ponunt vtrumque, hoc eſt hominem & Deum, ſubintelligentes copulationem, in eis quæ ſecundum ſolam dignitatem eſt, duos modis omnibus ſtatuunt filios: cum ſcriptura diuinitus inſpiratata vnum dicit filium atque Dominum. Quocirca poſt ineffabilem vnita- E tem ſi Deum nomines, Emmanuel incarnatum & Deum factum intelligimus ex Deo patre Verbum, ſiue hominem dicas, nihilominus in menſuris humanis participatum diſpenſatiue cognoſcimus: factum vero dicimus palpabilem qui impalpabilis eſt, viſibilẽ qui inuiſibilis eſt: non enim fuit extraneũ ei vnitũ ipſum corpus quod etiã dicimus eſſe palpabile & viſibile. Item poſt aliqua: Non ſine voluntate, ſed

ſpōte vnigenitus factus eſt homo, & non (ſicut ais tu) adſumpſit hominē per habitudinem ei copulationem donans, & filiationis gratia coronans ſicut nos. Et poſt pauca: Vnita vero ſemel diuidere non eſt cautum, neque in filios partiri duos, vnum Chriſtum & filiū & Dominum. Nunquid tu non ſolum contra huius ſancti Patris dicta, verum etiam contra vniuerſalem & Apoſtolicam ſanctæ Dei Eccleſiæ conſuetudinē diuidis Chriſtum in duos Deos, nuncupatiuū ſcilicet & verum: & in duos filios, adoptiuum & proprium, accumulās ſuper caput tuū terribile anathema, quod in eodem præfati patris libro legitur: Si quis præſumit dicere Deiferum hominem Chriſtum, & non potius Deum eſſe verè, ſicut filium vnum, & naturam ſecundum quod factum eſt caro verbum, & communicauit proximè nobis, ſanguine & carne, anathema ſit. Et in ſequentibus: Ait enim & ipſe Chriſtus de ſanctis Prophetis, ſiue de ſanctis qui prius fuerunt: Si illos dixit Deos ad quos ſermo Dei factus eſt, quem pater ſanctificauit & miſit in mundum, vos dicitis quia blaſphemas, quia dixit, filius Dei ſum, ſed non ſicut in nobis inhabitat Deus, ſicut & in Chriſto: Deus enim erat naturaliter apparens ſecundum nos, vnuſque & ſolus filius, & quando factus eſt caro. Qui igitur præſumūt dicere Deiferum hominem eum, & non potius inhumanatum Deum, neceſſario ſubcumbunt anathematiſmo propoſito. Item ille ipſe qui ſupra Epiſtola ad monachos directa: Cum enim (inquit) probatur quia Deus ſecundū naturam eſt, qui ex ſancta virgine natus eſt; nullum eos ſegnem intelligere ac loqui, quia Dei genitrix ſit dicēda. Et iterum: Veruntamen, inquit, vnus Dominus Ieſus Chriſtus, vnuſque & verus filius Deus ſimul & homo, & non homo Deus factus ſub æqualitate horum qui per gratiam, ſed Deus potius verus in humana forma apparens propter nos. Et in ſequentibus eiuſdem Epiſtolæ: Age, age monſtremus ex ipſis oſtendentes fidem ſacris litteris, quia Deus ſecundum naturam eſt, & ad vnitatem copulauit, dico propriā carnem, quo viuere probato Dei genitrix dicitur à nobis, & ſatis merito ſancta virgo. Item in eadem: Quomodo ergo proprius Dei filius nominatus eſt Chriſtus, qui etiam traditus eſt à Deo patre, cauſa omnium ſalutis & vitæ? Traditus eſt enim propter peccata noſtra, & ipſe iniquitates multorum portauit in corpore ſuo, in ligno ſecundum Prophetæ vocem: Palā ergo eſt quia vnita res adſumpta neceſſariè proprium filium declarauit Dei, qui ex ſancta virgine eſt. Corpus enim erat non alterius cuiuſpiam ſecundum nos, ſed magis proprium ex patre exiſtentis verbi natum ex ea. Vnde tibi (ô Felix) poſt tanta etiam clariſſima ſanctorum patrum teſtimonia tam inimica ſubrepſit temeritas, vt Chriſtum negare audeas proprium Dei filium vel verum Dominum eſſe, vel in proprio corpore paſſiones noſtræ ſalutis cauſa ſubiiſſe? Nonne cautius tibi eſſet intra murum Catholicæ fidei teipſum retinere, quam per deuia infidelitatis errare? Quid de ouibus æſtimandum eſt, dum ipſe paſtor errare probatur? Et qui ductor debuit eſſe ad ſalutem, doctor factus eſt ad perditionem. De talibus enim cauendis ipſa Veritas in Euāgelio ait; Si oculus tuus dexter ſcandalizat te, erue eum, & proiice abs te, expedit tibi vt vnum pereat membrorum tuorum, quam totum corpus tuum mittatur in gehennam. Nam & Arnonius vir acris ingenij in conflictu, quem cum Serapione habuit de nobilitate ſanctæ Mariæ genitricis Dei, & de incomparabili omnibus feminis ſanctitate, & de ipſius filij Dei, qui ex ea natus eſt diuinitate, conſentanea ſanctis patribus quorū dicta abundāter poſuimus, profert teſtimonia, dicens: Dum in vnigenito (inquit) duas naturas cōfitemur, duaſque ſubſtantias, obiicitur quod alterum dicamus Dei filium, alterum filium hominis. Nos autem auctoritate Apoſtoli dicimus, Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi. Si enim mundum recōciliauit, ita vt credentes in ſe filios Dei faceret homines vtique natura ſeruos, non Dei filios, actu etiam reos, & per præuaricationem primi hominis inimico generis humani obnoxios: tamen per ſuam gratiam hos Deo filios fecit, quomodo ipſe nō eſt filius Dei adunatus cum verbo, quod caro factū legitur. Et poſt pauca: Per ſuam ergo omnipotentiam cum voluit hunc hominem adſumpſit hoc facere, adsūpto ex tēpore, quod ipſe ſemper fuit ſine tempore, vt nō poſſint dici duo filij Dei, alius ante tempora, & alius natus ex tempore: ſed vnus Dei filius Dominus Ieſus Chriſtus. Inde eſt quod dictum eſt ab Apoſtolo; Si cognouimus Dominum Ieſum ſecundum carnem, ſed nunc iam nō nouimus: quaſi qui dicat: & ſi cognouimus lanā priuſquā admixtione ſanguinis conchylij fieret purpura: ſed nunc iam non cognouimus lanā, ſed purpurā qua inter omnes homines nullus vti poſſit, niſi auguſta fuerit præditus dignita-

te. Impingitur hoc loco: ergo vilis lana fuit: A prius Ieſus, & Dealitas ſuperueniens fecit eũ purpuram. Non ita dicimus: ſed antequam Spiritus ſanctus veniret ſuper Mariã, & virtus altiſſimi obumbraret, & hoc conciperet quod ſanctum vocaretur filius Dei; ante hoc, inquam, ipſe verus Mariæ, quamuis mundus eſſet à peccato, & ſanctus, tamen vilitate humanitatis erat vt lana optima, & incomparabilis vniuerſis quæ erant ſub cœlo virginibus. Eratque talis ac tanta quæ ſanctis decenter in ſe Dealitatem filij Dei, ſicut conchylij ſanguinem ſuſcipe- B ret, & ipſa lana eſſe ceſſaret; ſed vera purpura per ſanguinem fieret memoratum. Non enim lana vilis, ſed pretioſa huius eſt ſanguinis capax. Quod ſi ſanguis hic lanã tanta maieſtate ſublimauit per ſuam admixtionem, vt nulli hac liceat vti, niſi huic qui regia fuerit præditus dignitate: quanto magis quando Spiritus ſanctus venit in Mariam, & virtus altiſſimi obumbrauit eam? Hoc quod natum ex ea de ſemine Dauid ſecundum carnem ſanctum fecit filium Dei, vt ſic eſſet Maria Chriſtotocos ſicut C *Theotocos*, quia ante Mariam fuerunt aliæ Chriſtotocæ, ſed non virgines, nec Spiritu ſancto & virtute altiſſimi obumbratæ. Hæc autem & Chriſtotocos & ſola Theotocos, & ſola virgo, & Spiritu ſancto, & virtute altiſſimi concipiens. Quid enim ratione humanæ conſuetudinis inueſtigandum eſt, quod diuinæ poteſtatis miraculo factum eſſe probatur? Virgo concepit, virgo peperit, virgo permanſit. Paterna maieſtate obumbrante, Spiritu ſancto vterum D imprægnante Deum concepit, & Dei filium peperit. Archangelus verbum auribus infudit, Deus ſe membris immiſcuit humanis: fides accepit ~~quem~~ caſtitas genuit, maledictio antiqua noua benedictione deleta eſt. Nam Euæ dictum eſt, In dolore paries & triſtitia, & ad virum erit cõuerſio tua, & ipſe dominabitur tui. Tribus his malis multata eſt prima mater humani generis, dolore, triſtitia, ſeruitute. Tribus è contrario clariſſimis bonis beata virgo Ma- E ria honorata eſt, id eſt, Salutationis Angelicæ, benedictionis diuinæ, & plenitudinis gratiæ. Nam primus homo de terra virgine ſanctæ Trinitatis conſilio formatus eſt dicente Domino: Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram: ſecundus vero Adam, id eſt, Chriſtus de terra virginalis vteri operatione eiuſdem ſanctæ Trinitatis creatus eſt, non ſolum homo per omnia verus, ſed etiam Deus per omnia perfectus, & ad reſoluendum conditionis noſtræ debitum natura inuiolabilis naturæ eſt vnita paſſibili, vt quod noſtris remediis congruebat, vnus atque idem mediator Dei & hominum homo Chriſtus Ieſus & mori poſſit ex vno, & mori non poſſit ex altero. In integra ergo veri hominis perfectaque natura verus natus eſt Deus, totus in ſuis, totus in noſtris. Noſtra autem dicimus quæ in nobis ab initio creator cõdidit atque reparanda ſuſcepit. Nam illa quæ deceptor intulit, & homo deceptus admiſit, nullum habuerunt in Saluatore veſtigium. Adſumpſit formam ſerui ſine ſorde peccati, humana augens, diuina non minuens, vnus idemque eſt in duarum coniunctione naturarum Dei filius, non adoptionis gratia, ſed proprietatis perſona. Vnus vnigenitus & primogenitus, non alter vnigenitus, & alter primogenitus. Vnde vnigenitum filium Dei crucifixũ & ſepultum omnes etiam in ſymbolo confitemur ſecundum illud Apoſtoli teſtimonium: Si enim cognouiſſent, numquam Dominum gloriæ maieſtatis crucifixiſſent Ergo & Dominus gloriæ & Deus virtutum habuit in ſe ipſo vnde crucifigi potuit & mori. Non alter crucifixus eſt pro mundi ſalute, alter qui vita eſt omnium viuentium, ſed vnus idemque non adoptione diuiſus, ſed proprietate coniunctus, verbum caro factum eſt, vt homo caro promoueretur in gloriam Dei, non vt Deus in carnis verteretur iniuriam, ſicut dicit Apoſtolus: Qui ſe iungit Domino, vnus ſpiritus eſt. Et quomodo quando ſe iunxit Deus homini vnus Deus non eſt? Dicit enim ſanctus Auguſtinus in quadam homelia de natali Domini: Filius ſuſcepit carnem, & non deſeruit patrem, nec ſe diuiſit à patre. Suſcepit, inquam, filius carnem, an proprietatẽ? Sed tamen & pater & Spiritus ſanctus non defuit in maieſtate, diuinitate, æqualitate, in carne ſola filij proprietas. Qua fronte adoptionem in carne Chriſti creditis, in qua etiam tantus doctor, & tam probabilis vniuerſis vbique fidelibus procul dubio proprietatem filij adſeruit; & proprietas, & adoptio vnum eſſe non poterit? Quæcunque vero in virginis partu & natiuitate Chriſti geſta eſſe Euangelica narrat hiſtoria, omnia diuinæ potentiæ miraculis, & inïnueſtigabili humanis mentibus diſpenſatione geſta eſſe procul dubio credenda ſunt. Nam virgo clauſis viſceribus concepit, & peperit, & qui natus eſt ex ea Dei eſt filius verus & perfectus, vnus ex vnius carne. Et qui Deus ex Deo idem homo ex homine procedens tanquam ſponſus de

thalamo, geminæ gigas ſubſtantiæ, totus proprius Dei patris filius, & totus proprius virginis matris filius, inſeparabilis in perſonæ vnitate vel filij proprietate vnus, & in poteſtate habens in ſe vnde æternaliter viueret, & vnde temporaliter moreretur. Cuius potentia condidit nos, dum nō fuimus: cuius bonitas redemit nos dum perditi fuimus: cuius laus ſalus eſt noſtra: dicente eo ipſo per Prophetam: Sacrificiū laudis honorificabit me: illic iter eſt quo oſtendam illi ſalutare Dei. Hunc verſiculum qui fideliter legat veraciter intelligat omni homini melius eſſe laudare bonitatem illius, quam diſcutere potentiam eius: humiliter obedire præceptis illius, quam pertinaciter ſcrutari myſteria illius: & amabiliter venerari illum, quam præſumptuoſe ratiocinari de illo. In cuius comparatione dicēte Propheta: Omnes gentes ſunt quaſi ſitulæ ſtilla, qui magnus & metuendus eſt ſuper omnes qui in circuitu eius ſunt. Si autem Angelicis ordinibus & ſpiritibus iuſtorum magnus eſt & metuendus, quid nos luteas habitantes domos de fide illius, magnitudine vel potentia iudicare vel diſcernere præſumimus? Dum voluit, fecit mundum: & ſicut voluit, venit in mundum. Qui dicente Euangeliſta: In mundo erat, & mundus per ipſum factus eſt, & mundus eum non cognouit: In propria venit, & ſui eum nō receperūt: quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri: Qui aliis tradidit poteſtatem filios Dei eſſe, quomodo poteſt fieri vt poteſtatem non haberet ſe ipſum filium Dei proprium facere? vel quomodo quamuis in duabus naturis, diuinitatis ſcilicet & humanitatis, proprius potuit eſſe filius hominis, & non potuit totus in duabus naturis proprius eſſe filius Dei? Ergo ſi ille qui natus eſt ex virgine, totus eſt proprius virginis filius: æquum eſt vt credamus eundem eſſe Dei patris proprium filium. Naturarum enim cōditori nulla natura reſiſtit, vt ex ea facere non poſſit quod velit, qui omnia ex nihilo creare potuit dum voluit. Ex creatis igitur multo magis perficere poterat, quicquid illius omnipotentiæ placuit. Humana quippe ratio inueſtigare non poterit, quomodo qui fecit omnia factus eſt inter omnia. De quo multa dici poſſunt & eſt in aliquo talis ſanctitas vitæ, & ſancti Spiritus gratia, vt aliquid de eo digne dicere valeat. Sed hic paululum reſpiremus, quatenus tuis ſermonibus, quos tu vel in ſanctæ Eccleſiæ aduerſitatem, vel etiam in noſtri no-
A minis ſuggillationem multiplicare ſtudes, acutiore ſtylo gratia diuina nos adiuuante reſpondere valeamus.

LIBER SEPTIMVS.

LEGITVR beatum Hieronymū fortiſſimum contra hæreticas prauitates Eccleſiæ Chriſti Athletam dixiſſe: omni ſtudio ſe intendere, vt hoſtes Chriſti il-
B lius eſſent & hoſtes. Quod etiam pro ſumma laude non ſolum ille, verum etiam omnes Catholicæ fidei defenſores ſibi à Deo datum munus reputabant. Vnde & ego tātillus Eccleſiæ Chriſti vernaculus improperia mei nominis patienter ſuffero, quia meæ paruitatis modulo multum eſt delectabile, & gaudium plenum communes habere hoſtes cū Domino meo Ieſu Chriſto, quem diligere ſumma eſt ſapientia, & laudare perfecta eſt beatitudo, noſſe vero
C vita æterna: ſicut econtrario non amaſſe profundiſſima eſt ſtultitia; eius autem gloriæ aliquid ſubtrahere velle vltima eſt miſeria: & illum ignorare mortis eſt perpetuæ periculum. Obiicis ergo me dixiſſe, & verum fateor, obiicis quod Ieſus Chriſtus verus ſit Deus, & verus Dei filius, quia hoc iam dixi, & adhuc dicam. Non ſolum ego, verum etiam omnis ſancta Dei Eccleſia cum Apoſtolis & omnibus Catholicis doctoribus in tota orthodoxæ fidei celebratione dicit, credit, & prædicat fiducialiter. Nec tibi ſufficit ſemel dicere hu-
D iuſcemodi verba. Si enim, inquis, idem redemptor noſter in forma ſerui, vt vos vultis, verus ~~eſt filius~~ Dei: hoc ipſum quid iterum atque iterum repetis, vt perſpicue te hoc nolle intelligatur, quod nos velle reprehendis? Si ergo ille homo, qui ex diuina ſācti Spiritus operatione, & glorioſa beatæ virginis caſtitate conceptus eſt & natus, non eſt verus, vt tu adſeris filius Dei, nec verus Deus: quid ſupereſt niſi vt illa beata virgo nequaquam ſit vera Dei genitrix,
E ſed nuncupatiua: quia ſi ille qui ex ea natus eſt, nūcupatiuus eſt Deus, etiam & illa quæ genuit nuncupatiua eſt non vera Dei genitrix. Et hoc quam impium ſit dicere, totius mundi latitudine, in qua Chriſtus regnat & colitur, manifeſtiſsime comprobatur. Nam & hoc ipſum beato Cyrillo Alexandrino Epiſcopo ab hæreticis obiiciebatur, ſcilicet beatam virginem non eſſe Dei

genitricem, ſed appellari: ſicuti & vos mo- A do ſoletis dicere Ieſum Chriſtum non eſſe verum Dominum & filium Dei, ſed appellari quaſi nuncupatiuum. Ita quidam Neſtorianus contra Catholicam fidem diſputans dixit: qui ante ſæcula eſt, Deus eſt, ſed templum ſibi in vtero virginali fingens erat cum concepto & formato: qua gratia & ſanctam illam virginem Dei genitricem appellamus: Non tanquam Deum generat, ſed tanquam hominem vnitum Deo qui finxit eum. Quid autem aliud eſt quod & tu dicis Dei verbum habitaſſe in homine, B adſumpto quaſi in templo quodam, non ſicut Euangeliſta ait: Verbum caro factum eſt. Secundum, inquis, Domini mandatum geſtabat diuinitatem, & habitator eſt templi ſui: ſed longe aliud eſt Deum habitaſſe in ſanctis: aliud vero ipſum Deum hominem factum, atque ex duabus ſubſtantiis vnam perſonam Deum & hominem eſſe. Non enim, vt ait beatus Cyrillus, ſicut viri ſanctificati & verbo coniuncti communem carnem Chriſti percipimus, aut ſicut diuinam poſſidentis habitationem, ſed vt vere C viuificatricem, & ipſius verbi propriam factam vitæ naturaliter & Deus exiſtat. Et alibi: Sed nec illud dicimus quod Dei verbum velut in homine communi qui de ſancta virgine natus eſt, habitarit; ne Deum homo Chriſtus habitatorem poſſidere credatur. Quamuis enim verbum habitaret in nobis, & dictum ſit, in Chriſto habitare omnem plenitudinem deitatis corporaliter: tamen intelligimus eum quod caro factus eſt, non ſicut in ſanctis habitare dicitur: nec talem in ipſo habitationem factam diffinire tentamus: ſed vnius iuxta naturam, nec in car- D ne mutatus talem ſibi fecit habitationem qualem anima hominis habere creditur in proprio corpore. Vnius igitur eſt Chriſtus filius Dominus noſter, non velut coniunctione qualibet, & vnitate dignitatis & auctoritate hominis habentis ad Deũ, quem tu ſoles coniunctum Deo ſiue adoptatum vocitare, diuinitatem quoque geſtare. Et neſcio quo inſolito verbo vſus, diuinitatem liniare dicis. Liniare enim vulgo dici- E tur de pingendis vel ſculpendis imaginibus, vel cuiuſque operis figuris exprimendis. Sed hoc quid ad filij Dei diuinitatem vel humanitatem pertineat non intelligo. Quod vero vt prædiximus geſtare eum diuinitatem dicis, audi quid pro hoc mercedis accipias à ſanctis & Catholicis viris, qui contra hanc hæreſim tuam multa diſputare ſolebant. Si quis, inquiunt, præſumit dicere Deiforum hominem Chriſtum, & non potius Deum vere eſſe, ſicut filium vnum naturæ, ſecũdum quod factum eſt verbum caro, & communicauit proxime nobis ſanguine & carne, anathema ſit. Hæc enim eſt hic in præſenti merces laboris tui. Qualis autem futura ſit ab eodem ipſo, quem in tantum humiliare niteris, vt omnem ei veritatem filietatis & poteſtatem deitatis adimere coneris, tu ipſe probabis, quando ante tribunal eius iudicandus adſtabis. Subiungunt quoque præfati patres de eadem re dicentes, non ſicut in nobis inhabitat Deus, ſic & in Chriſto. Deus enim erat ipſe naturaliter apparens ſecundum nos vnuſque & ſolus filius, & quando factus eſt caro. Quid igitur præſumunt dicere Deiforum hominem eum eſſe, & non potius inhumanatum Deum, neceſſario ſubcumbunt anathemati. Miror vero quare introducere nouum nuncupationis in Chriſto nomen non timeas, cum hoc ipſum anteceſſores tui hæretici vſurpantes ab Eccleſiæ fuiſſent communione diuiſi. Ait namque idem beatus Cyrillus: Caueamus ergo de Chriſto dicere propter adſumentem veneror adſumptum; & propter inuiſibilem adoro viſibilem. Horrendum vero ſuper hoc etiam illud adiicitis: qui ſuſceptus eſt cum eo qui ſuſcepit connuncupatur Deus. Qui enim hæc dicit, diuidit duos Chriſtos eum qui vnus eſt. Hominem ſeorſum in partem, & Deum ſimiliter in partem conſtituens. Euidenter enim diuidit vnitatem. Non ergo alter cum altero coadoratur aut connuncupatur Deus? Sed vnus intelligitur Chriſtus Ieſus filius Dei vnigenitus vna ſeruitute cum propria carne venerandus: vbi enim eſt nuda nuncupatio, ibi ſolidæ veritatis denegatio eſt. Sed reuera incarnatum dicimus vnigenitum filium Dei ſecreto illo myſterio quod ipſe ſolus nouit. Noſtrum namque eſt credere, illius noſſe. Quod tu omnino oblitus conaris illud ratione inueſtigare, quod fide venerari debuiſſes: credere enim tuum eſſet, quod Deus Dei verbum totum ſuſcipiens quod hominis eſt, verus homo factus ſit, & adſumpta humanitas totum accipiens quod Dei eſt, aliud quàm Deus eſſe non poſſit. Mihi quoque obiicis non recte intellexiſſe de qua natura beatus Gregorius dixiſſet cum ait: Aliud eſt homines natos gratiam adoptionis accipere, aliud vnum ſingulariter per diuinitatis potentiam Deum ex ipſo conceptu prodiſſe, & gratias agis, quod tu eandem ſententiam melius intellexiſſes, eamque de diuinitate non de humanitate dictam eſſe adfirmas. Sed quis ſit qui per

potentiam diuinitatis Deus conceptus ſit agnoſce. Nam de diuina filij Dei diuinitate dici quomodo poteſt quod conceptu prodiſſet? Deus enim filium ſuum vnigenitum genuit; non ex alterius conceptu cuiuſlibet, atque eundem virgo ſacra de Spiritu ſancto concepit, de qua ipſe filius Dei quaſi ſponſus de thalamo proceſſit. Aut quæ natura per potentiam Dei facta eſt quod eſt? An illa per quam omnia facta ſunt: aut illa quæ nouiſſimis temporibus ex virgine facta concipitur? Expoſitorem te alienorum dictorum iactitas, cum vix vnquam tua recte proferre potueris. Me quoque arguis, qui vbi recte arguendus ſum emendari non refugio, ſed potius deſidero & multum opto: ſed ſunt plerique qui dum alios reprehendere cupiunt, omnino magis ſuã imperitiam oſtendunt, quæ forte occulta fuiſſet ſi tacuiſſent: Sicut ſcriptũ eſt: Stultus ſi tacuerit, ſapiens reputabitur. Grandis eſt enim ſtultitia velle te proferre teſtimonium quod per omnia contra temetipſum eſſe manifeſtum eſt. Tribus namque modis teſtimonia in tuis ſcriptis inueniuntur prolata, quorum quædam nec tibi nocere nec fauere videntur, nec omnino ad rem præſentis diſputationis pertinent. Quod certiſſimæ ignorantiæ indicium eſt. Quædam vero ſic à te ponuntur, vt tamen nobiſcum agant, & tibi repugnare aperta veritate probantur. Quod vt prædiximus ſtultitiæ non minimæ res eſt, te arma aduerſario miniſtrare. Quædam autem ita protuliſti, vt tamen niſi corrumperes, te nullo modo adiuuare viderentur. Quod omnino maliuolæ conſcientiæ vitium eſſe dignoſcitur, quorum primo, vt diximus, te ignorantem, in altero indoctum, in tertio vero maliuolum oſtendiſti. Mirandum ergo eſt, vel magis dolendum, cur audeas ſanctorum Patrum lucidiſſima teſtimonia corrumpere, immutare & in alium transferre ſenſum quam illi qui ſcripſerunt, poſuerunt, ſicut paulo ante te feciſſe probauimus, & in multis tuarum litterarum locis inueniri poteſt. De ſancto namque Athanaſio teſtimonium poſuiſti, quod tuam ſectam maxime deſtruit: & dum forte intelligeres quædam in eius teſtimoniis verba tuis ſenſibus contraria eſſe, omiſiſti in medio quæ ait, ne contra te ipſum dicere videreris. Ponamus itaque plenam illius ſententiam, vt agnoſcatur quanta malitia abſtuliſti, quod firmiſſime contra te eſſe poſitum intelligitur. Quomodo autem (inquit) ambigere audent, qui dicuntur Chriſtiani, ſi qui ex Maria proceſſit Deus, filius quidem natura & ſubſtã-

A tia Dei eſt: ſecundum carnem autem ex ſemine Dauid eſt, ex carne autem ſanctæ Mariæ. Hoc autẽ quod ſequitur tacuiſti, quod tuæ firmiſsimè contradicit ſectæ. Quid autem putas (ait) temerarij facti ſunt, vt dicerent Chriſtum, qui carne paſſus eſt & crucifixus, non eſſe Dominum Saluatorem & Deũ & filium Patris? Aut quomodo Chriſtum volunt nominari qui dicunt in hominem factum ſumentem ex Maria corpus, ſed alterum eſſe Chriſtum, & alterum Dei verbum quod ante Mariam, & ante ſecula B filius exiſtebat patris? Aut quomodo eſſe Chriſtiani poſſunt, qui dicunt alium eſſe filium, alium Dei verbum? Hæc tacuiſti, & ſequentia eiuſdem ſentẽtiæ adſumpſiſti tibi in auxilium, quæ & ipſa valide tibi eſſe contraria intelliguntur. Ponis eiuſdem patris Athanaſij verba dicentis, non per adoptionem hæc facta ſunt? Abſit. Sicut quidam exiſtimauerunt, ſed ſicut eſt veritas homine facto Saluatore totius humani generis ſalus facta eſt. Si enim adoptione erat in corpore verbum ſecundum illos, quod C autem adoptione dicitur fãtaſia eſt, reperitur & putatiuè ſalus. Videſne quam fortiſsimo ariete falſitatis tuę murum iſte probatiſsimum Catholicæ fidei miles deſtruit? Ait autem itaque, quid autem putas temerarij facti ſunt vt dicerent Chriſtum qui carne paſſus eſt & crucifixus non eſſe Dominum Saluatorem & Deum & filium patris? Ecce perſpicue temerarios eos eſſe reputat, qui negant Dominum & Saluatorem & Deum & filium patris eſſe illum qui cruD cifixus eſt. Nec illos Chriſtianos æſtimat qui huic fidei contradicunt. Et veriſsime adfirmat omnia quæ in Chriſto geſta ſunt ſine adoptione facta eſſe, qui adoptionem dicit fantaſiam eſſe & nõ veritatem. Quam vero impium eſt alicui qui ſe Chriſtianum nominat credere per fantaſiam Chriſtum eſſe filium Dei? In Chriſti itaque humanitate, iſte veraciſsimus doctor fidei Catholicæ hæc facta eſſe dixit, quia nihil in æterna generatione verbi Dei factum eſſe fas eſt dicere vel credere, qui omnino æternaliter E genitus eſt ex patre, non tẽporaliter factus. Quale vſque teſtimonium contra te ipſum veracius & fortius inuenire potuiſti, quam quod iſte ſanctiſsimus & veraciſsimus Eccleſiaſticæ fidei doctor adſtruit, qui omnia quæ in Chriſti conceptione, natiuitate, paſſione, & reſurrectione per veritatem firmiſsime, & non per adoptionem, quia adoptionem fantaſiam dicit, facta adfirmet. Ponis quoque verba ſancti Auguſtini de homelia contra Ioannem vbi ait: Pater di-

ligit filium quomodo pater filium, non quomodo dominus ſeruum; quomodo vnicum, non quomodo adoptiuum. Sed his verbis ſancti Auguſtini tui ſenſus verba addidiſti dicens: Et hoc ſi de vtraque natura ſimiliter dictum fuiſſe putet, doceat prius ſi valet quomodo filius Dei in forma ſerui ſeruus patris non fit. Sicut in diuinitate non ſeruus, ſed filius, neque adoptiuus filius, ſed proprius veraciter creditur, & prædicatur. Nos autem Dei patris ſanctiſſima voce edocti dicimus, in vtraque natura vere vnum Filium Dei eſſe Ieſum Chriſtum, eundemque Deo patri totum dilectum, non (vt tu reris) ex parte vt filium, ex parte vero vt ſeruum, quod omnino ridiculoſum eſt dici: ſed totum dicimus quaſi proprium & vnicum diligi à patre filium. Super quem (rogo) vox facta eſt in baptiſmo, vel in monte ſancto: Hic eſt filius meus dilectus? an ſuper diuinitatem tantũ, & non ſuper humanitatem? Quod impium eſt credere, & prçſumptuoſum eſt dicere patrem non diligere filium in ſuſcepta humanitatis natura: qui ſic vnitus eſſe conſtat ex duabus ſubſtantiis, vt ſit vnus vnigenitus, non duo filij, vnus vnigenitus & alter adoptiuus. Ideo enim in Euangelio dictum eſt: (quo tu teſtimonio ſæpius vteris) Et vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à patre, plenum gratiæ & veritatis. Et dicis gratiam ad humanitatem pertinere, veritatem vero ad diuinitatem. Tamen idem Euangeliſta vnum, vnigenitum eum nominauit, in quo eſt ſecundum intelligentiam tuam gratia & veritas: id eſt duarum naturarum, (vt nos confitemur & credimus) mirabilis adunatio in vnam perſonam, & in vnam filij Dei dilectionem. Alteram quoque Euangelicam ſententiam poſuiſti, cum expoſitione beati Auguſtini dicens: Et dilexiſti (inquit) eos, ſicut & me dilexiſti. In filio quippe nos pater diligit, quia in ipſo nos elegit ante conſtitutionem mundi. Qui enim diligit vnigenitum, profecto diligit & membra eius quæ adoptauit in eum & per eum. Et tacuiſti ſequentia eiuſdem expoſitionis vbi ait idem doctor: Nec ideo pares ſumus vnigenito filio per quem creati & recreati ſumus, quia dictum eſt, Dilexiſti eos ſicut & me dilexiſti. Vnigenitum dicit per quem creati ſumus & recreati: vnum vnigenitum, non duos vnigenitos, creatorem & recreatorem. Si eſt vnigenitus, non poteſt eſſe adoptiuus: quod nihil aliud eſt dicere, quam dilexiſti eos quoniam & me dilexiſti, non enim membra non diligeret, qui diligit filium. Aut

A alia cauſa eſt, diligendi membra eius niſi quia diligit eum. Sed diligit filium ſecundum diuinitatem, quia illum æqualem ſibi genuit. Diligit eum etiam ſecundũ id quod homo eſt, quia ipſum vnigenitum verbum caro factum eſt, & propter verbum eſt ei cara verbi caro. Nos autem diligit quoniam ſumus eius membra: propter hoc nos dilexit antequam eſſemus. Quapropter incõprehenſibilis eſt dilectio qua diligit Deus, neque mutabilis. Aliquid vero ſingularius intelligendum eſt in dilectione filij ſui, quã noſtri ſenſus paupertas intelligere poſſit.

B Vnde & idem præfatus doctor in alio loco eiuſdem operis: quandam proprietatem dilectionis in filium Dei ſecundum quod homo factus eſt, eſſe deſignauit. Ait itaque idem: Hunc enim Deus pater ſignauit. Signare quid eſt, niſi proprium aliquid ponere? Hoc eſt enim ſignare, imponere aliquid quo non confundatur cum cæteris. Signare eſt ſignum ei ponere. Cuicumque rei ponis ſignum, ideo ponis ſignum ne confuſa cum aliis à te non poſſit agnoſci. Pater ergo ſi-

C gnauit eum, proprium illi quiddam dedit, ne cæteris cõparetur hominibus. Ideo ergo illi dictum eſt: Vnxit te Deus, Deus tuus oleo exultationis præ participib. tuis Ergo ſignare quid, eſt exceptum habere (hoc eſt) præ participibus tuis. Itaque nolite (inquit) me cõtemnere, quia filius hominis ſum, & quærite à me cibum non qui perit, ſed qui permanet in vitam æternam.

Ponis quoque ſententiam de libris beati Ambroſij, quos de fide Chriſtiana compo-

D ſuit: Emergunt (inquit) alij qui carnem Domini dicant, & diuinitatem vnius naturæ. quæ tantum ſacrilegium inferna vomuerunt? Hoc neſcio quare dixiſti. Quis Catholicus vnam naturam diuinitatis & carnis eſſe credit? Sed quare tacuiſti eiuſdem ſententię initium vbi idem doctor ait: De nullo Prophetarum dictum eſt, quia verbum caro factum eſt: nullus Prophetarum abſtulit peccata mundi. De nullo alio dictum eſt, hic eſt filius meus dilectus in

E quo mihi bene complacui. De nullo Prophetarum legimus, quod ſit Dominus maieſtatis, quod de Chriſto Apoſtolus dixit, quem Iudæi crucifixerunt. Vnde & idem doctor in eodem opere de diuiſione inter Chriſtum, Moyſem & Heliam, qui in monte cum eo apparuerunt, verba ponens ita ait: Petrus in monte Moyſem & Heliam vidit cum filio Dei: nec errauit in natura, nec errauit in gloria. Denique quid facere deberet, non illos, ſed Chriſtum interrogauit. Nam & ſi tribus parabat obſequium,

vnius tamen expectabat imperium : ſed quoniam vel tabernaculorum numero deferendum tribus ſimpliciter æſtimauit. Emendatur Dei patris auctoritate dicentis: Hic eſt filius meus dilectus, ipſum audite, id eſt: quid conſeruos tuos cum Domino tuo ſocias? Hic eſt filius meus. Non Moyſes filius, ſed hic filius: ſenſit emendationem Apoſtolus: Procidit in faciem conſternatus patri ſuo ce. & filij claritate: ſed eleuatus à filio, qui iacentes erigere conſueuit vnum vidit, ſolum vidit Dei filiũ. Receſſerunt enim ſeruuli, vt ſolus Dominus, qui ſolus deſignabatur filius, videretur. Igitur dum plurima ſanctorum Patrum teſtimonia percurrendo producis in medium, in quibus nihil tuis partibus fauere veraciter inuenitur, ſed nonnulla etiam palam tibi contraria eſſe, vt probauimus manifeſtiſſime, quæ certiſſime veritatem Catholicæ fidei adfirmare intelliguntur, repente peruenisti ad Zachariam Prophetam, cui Ieſus ſacerdos in ſordidis veſtimentis oſtenſus eſt ab Angelo. Quam viſionem vel Prophetiam beatum Hieronymum aliter exponere adſeris, aliter nos in tractatu eius in eundem Prophetam ſcriptum legimus.

Dicis enim eundem ſacræ hiſtoriæ Interpretem hæc reponere verba: Et Ieſus erat indutus veſtimentis ſordidis, vtique ex tranſgreſſione de carne peccati ſordidus quam induere dignatus eſt: vnde & pannis inuolutus & ſciſſuras humani generis, dum in ſe illa ſuſcepit, inſpicitur: donec radio crucis, innocentiæ tunica texeretur. Nonne (inquit) hic titio extractus ab igne eſt? Titio extractus ab igne ſemi vſtulatus, nõ percombuſtus eſſe oſtenditur. Corpus enim illud humani generis quod ex protoplaſtorum tranſgreſſione & criminum flamma fuerat aduſtum, hoc induit Dominus, & quaſi titionem ſemi vſtulatũ à gehennæ incendio liberauit. In quo vero libro, vel in quo opere hæc dixiſſet, beatus Hieronymus nos non inuenimus. Igitur in tractatu eiuſdem Prophetæ, quem ille doctor egregius vel ex Hebraica veritate, vel ex Catholica ſanctorum Patrum interpretatione compoſuit, vt diximus, nullatenus iſte ſenſus inuenitur. Dicis vtique ex tranſgreſſione de carne peccati ſordidam, quam induere dignatus eſt. Ieſus vero æternus ſacerdos ſecũdum ordinem Melchiſedech non habuit carnem peccatricem, quia nulla tranſgreſſio in carne illius fuit, ſed ſimilitudo carnis peccati: nec vlla aduſtura peccati in corpore illius apparuit, ſed vt lana illa, & munda abſque omni tinctura peccati, & gemma lucidiſſima omnique mundo pretioſior ſanctiſsimum corpus Chriſti abſque omni ſorde tranſgreſsionis perlucidum fulſerat. Huius vero viſionis intelligentiam in tractatu præfati operis idem doctor eximius dupliciter explanauit. Iuxta Hebraicam opinionem de Ieſu filio Ioſedech ſacerdote magno ita intelligi debere adſeruit, vt ſordida veſtimenta habuiſſet idem ſacerdos Dei propter alienigenam quam duxit vxorem, vel propter peccata populi, vel ob ſqualorem captiuitatis, vnde nuper erutus eſt quaſi torris ſemivſtulatus: Atque ideo Satanam ſtare à dextris eius, quia veram accuſationem habuit contra eum. Nam diabolus numquam à dextris noſtri Ieſu ſtetit: quia numquam veram accuſationem inuenit in illo: ſed in omni tentatione victus, quaſi fugax latro, & timidus bellator receſsit ab eo. Vel quomodo conuenit de Deo Ieſu vt dicat ei Angelus: Ecce abſtuli à te iniquitatem tuam, qui nullam habuit iniquitatem, nec vllus Angelus fortior illo fuit, vt eum mundare à peccato debuiſſet: dum Ieſus noſter magni conſilij Angelus miſſus ſit à paterna ſede totius mundi purgare peccata?

Ponit quoque non confirmando, ſed oſtendendo idem præfatus doctor quorũdam opiniones, quomodo hæc de Chriſto intelligi velint: & de torre eruto dicit quod Ieſus in Babylonia igne conſumptum, id eſt, peccatorum nigredine non vſtulatum, nec flamma huius ſæculi adtactum, id eſt, nulla flamma vitiorum vel ſaltem adtactũ, ſed ab omni peccatorum ſorde immunem, ſicut aurum igne probatum ſplendeſcere, ſed melius huius Prophetiæ ſententia de Chriſto aiunt intelligi poſſe, vbi dictum eſt: Audi Ieſus ſacerdos magne, tu & Amici tui qui habitant coram te, quia viri portendentes ſunt: Ecce enim ego adducam ſeruum meum Orientem, quia ecce lapis quem dedi coram Ieſu ſeptem oculi ſunt Ieſu & amicis eius, qui ſunt viri portendentes, id eſt, Prophetis & ſacerdotio Iudæorũ promiſſus eſt, ille de quo ſcriptum eſt: Ecce vir oriens nomen eius. Et in Euangelio: In quibus viſitauit nos oriens ex alto: & lapis angularis qui ſine manibus de monte præciſus contriuit vniuerſa mundi regna, ſuper quem lapidem ſeptem oculi ſunt, id eſt, ſeptem dona ſancti Spiritus quæ in Iſaia leguntur ſuper florem requieſcere, qui de virga radicis Ieſſe germinauit. Ex cuius perſona in Cantico Canticorum dicitur legitur: Ego flos campi, & lilium conuallium.

De

De quo etiam lapide mox ſubiungitur. Cælabo ſculpturā eius, dicit Dominus exercituum, & auferam iniquitatem terræ illius in die vna. Iſtum verò lapidem qui dictus eſt coram Ieſu clauis crucis, & lancea militis, faciam vulnerari, & in illius paſſione auferam iniquitatem terræ illius in die vna: de qua ſcriptum eſt: Hæc eſt dies quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea. Idcirco plenius huius Prophetiæ ſenſum expoſuimus, vt intelligatur quam longe aliter beatus Hieronymus in tractatu huius Prophetiæ, huius viſionis ſenſum vel intelligentiam expoſuiſſet.

Ponis quoque ſermones beati Ambroſ. ſed perturbās vnius pronominis adiectione ſenſum illius ſentētiæ. Ait enim doctor ille egregius: Contra autem ſancto Patriarchæ Dauid ſecundum gloriam ſuam Dominus eſt: ſecundum corporalis ſucceſſionis ſeriem filius eſt, non deficiens à ſe, ſed noſtræ ius ſibi adoptionis adquirens. Tu vero immutaſti ſermones, vbi ille ait, ſucceſſionis, tu poſuiſti, ſuſceptionis: & vbi ait, noſtræ ius ſibi adoptionis adquirens, quod omni ſenſu caret, hanc eandem ſententiam bis poſuiſti, in libello tuo; gaudens (vt reor) in adoptionis nomine: *quod omnino de nobis in hoc loco poſitum eſt, non de Chriſto qui noſtræ adoptionis ius, id eſt, poteſtatē adquirere dicitur.* Et neſcio vtrum mala voluntate, more tibi conſueto immutaſti ſermones illius, vel etiam imperitia. Si mala voluntate ſanctorum Patrum puriſsimos ſenſus immutare tentas, cur non times ſcripturam dicentem: Os quod mentitur occidit animā? Si vero imperitia: miror cur non erubeſcas inſipientiam tuam: quia dum ſapiens vis videri, ſtultus appares. Nam iuxta Salomonem ſapiens potuiſſes putari, ſi tacuiſſes. Adſumis etiam & beatiſsimi Leonis Papæ teſtimonium tuæ ſectæ in adiutoriū, *quod perſpicuè tuis ſenſibus valde contrarium eſſe dignoſcitur*, vbi ait: Qui enim verus eſt Deus, verus eſt homo, & nullum eſt in hac vnitate mendacium, dum in inuicem ſunt, & humilitas hominis, & altitudo deitatis. Tu itaque hanc vnitatem diuidis in duos filios, vnum proprium, & alterum adoptiuum. Nam altitudo diuinitatis ad humilitatem deſcendit humanitatis, & humilitas humanitatis ad altitudinē aſcēdit diuinitatis, non verſibilitate naturæ, ſed dignatione honoris. Item ponis teſtimonium de libro beati Auguſtini, quem Enchyridion ipſe nominauit: de quo etiam libro olim in quadam Epiſtola tua multum peruerſe maculaſti eiuſdem ſancti patris verba, immittens ea quæ numquam ille dixit. Sic & in iſto teſtimonio dicis quæ ille nullatenus dixit, nec aliquo rationali ſenſu conueniunt. Vbi enim ille ait: quia homo ille nullis præcedentibus meritis in ipſo exordio naturæ ſuæ quo eſſe cœpit Deo verbo copularetur in tantam perſonæ vnitatem, vt idem ipſe eſſet Dei filius, qui filius hominis: & filius hominis qui filius Dei, tu dicis quia nullis præcedentibus maris. Quid autem vis ſignificare per mares, niſi forte maritos? Quod autem omnino ſecundum regulas Latinæ eloquentiæ ſtare non poteſt, ſi ad mares pertinere voluiſti, maribus, debuiſſes dicere, non maris, ſed ſingularis tuæ peritiæ eloquentia talibus ſolet vti verbis, quæ nec regulis recte loquendi vllo modo conueniunt, nec ſenſu Catholicæ fidei adſtipulantur. Timuiſti forte dicere abſque vllis præcedentibus meritis: Quia mox in ſequentibus eruditionis tuæ ſēſibus inuenitur te dixiſſe: Quæ ille (inquis) de humanitate filij Dei, in qua natus homo per adoptionis gratiam meruit eſſe quod eſt, & accipere quod habet. Tu dicis cum anteceſſoribus tuis Pelagio & Neſtorio Chriſtum meruiſſe vt eſſet quod eſt: cum ſanctus Auguſtinus & omnes Catholici doctores nullis præcedētibus meritis in ipſo humanitatis Chriſti exordio eundem Deum eſſe conceptum & natum teſtantur. Et quomodo tu diuerſos filios eſſe in Chriſto propter duas naturas adſeris, dum iſte ſanctiſsimus doctor in hoc teſtimonio, quem tu ipſe poſuiſti, eundem dicit eſſe Dei filium, quem filius hominis, & filium hominis, quem filius Dei? Si idem eſt filius hominis, qui filius Dei, vna eſt prorſus veritas, & vnum nomen filij in Chriſto: quia vnitas perſonæ dualitatem filiationis reſpuit in Chriſto, nec adoptio locum inuenit, vbi proprietas præceſsit; nec diuinitas humanis tenetur præiudiciis, cum omnia ſecundum propriā voluntatis potentiam operatur quæ vult in cælo & in terra, qui ait: Pater meus vſque modo operatur, & ego operor. Quid vero præſumptioſa mente, & ſtulta temeritate altiora te rimari non metuis? & te mediū inter diuinitatem & humanitatem Dei filij immittere tentas, humanaque ratiocinatione diuinæ bonitatis ineffabile Sacramentum ſcrutari niteris? Nec tuæ ſententiæ modum imponere noſti, qui nec te ipſum diſcernere poteris: vel quomodo anima tua tenerrimis in materno vtero tuæ coagulationis primordiis immitteretur,

exprimere ſufficis. Sine te enim Dei filius fecit quod voluit: ſciebat namque Dei ſapientia ſine ſui imminutione ſe infundere humanæ naturæ, & ineffabili vnitate fieri ex tempore filius hominis, qui ſemper fuit ante omnia tempora filius Dei, per quem facta ſunt tempora. Sed tu carnali cogitatione plenus potentiam Dei proprium poſſe habere filium non putas, niſi tale aliquid patiatur, qualia ſubſtantia patitur carnis quando gignit carnem. Hoc enim inſipientiæ quorumdam incredibile videtur, dum omnia recte ſapientibus Deo poſſibilia eſſe creduntur, ipſa veritate dicente, Hoc autem apud homines impoſſibile eſt: apud Deum autem omnia poſſibilia ſunt. Et hoc ergo poſſibile Deo eſſe dinoſcitur, vt proprium ex virgine filium habere potuiſſet. Fecit enim idem filius Dei ſibi tempus in quo fieret homo, adſumpſit de matre vnde mori potuiſſet qui immortalis manſit in æternũ: vnus tamen atque idem immortalis, impaſſibilis & paſsibilis, non alter & alter: & qui eſt vita viuificans ſpontanea voluntate dũ voluit moritur: Sicut in lib. Exodi Dominus locutus eſt per Moyſen: Et videbitis vitam veſtram pendentem in ligno, & non credetis vitæ veſtræ.

Deum autem Chriſtum eſſe vitam ipſius teſtimonio in Euangelio dicentis, diſce: Ego ſum via, veritas & vita. Vnde & actibus Apoſtolorum beatus Petrus populo prædicans ait: Vos autem virum homicidam petiſtis dimitti vobis, auctorem vero vitæ peremiſtis. De quo & beatus Cyprianus ait: Iudicatur iudicaturus & Dei ſermo ad victimam tacens ducitur. Gregorius quoque Naziãzenus: Indiguimus (ait) Deum incarnatum & mortificatum, vt nos viuamus: Res enim vetus erat, vt homo moreretur: Quod ne ſemper auderet in homine, res noua facta eſt vt Deus moreretur, ſed quia carne mortuus eſt non diuinitate.

Nec vero vllatenus confundimus naturas in Chriſto, ſicut tu adſeris nos feciſſe: ſed ſalua vtriuſque naturæ proprietate, diuinæ ſcilicet & humanæ, vnum confitemur Deum Dei filium Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum in duabus naturis, vna vero perſona & vna filij dignitate. Sicut enim anima compatitur corporis doloribus, quamuis anima immortalis permaneat: tamen corpus ſine animæ compaſsione non patitur: quia anima & corpus vnus eſt homo, & communes ſunt animæ & corporis vel dolentis vel lætãtis affectus: quia vnus homo eſt, qui ſimul dolet vel gaudet. Ita

A Dei filius ſua propria carne paſſus eſt, non alter in corpore paſsibilis, & alter in diuinitate impaſsibilis, ſed vnus in vtroque.

Nec iterum Chriſtum diuidimus in duos filios, vel duos deos, vel duas cum Neſtorio perſonas. Qui licet duas palam non dixiſſet perſonas, tamen omnia quæ duabus ineſſe neceſſe eſt perſonis, in ſua profeſsione fatetur. Simili modo & tu, licet fugias verba duarum perſonarum, tamen omnia quæ neceſſe eſt duabus ineſſe perſonis te in tuis litteris inuenimus profiteri. Quis enim neſciat apud vnum patrem al- B teram eſſe perſonam adoptiui filij, alteram proprij filij? Nec enim vllus pater iuxta humanæ conſuetudinis rationem poterat proprium filium ſibi adoptare quaſi alienum: aut quem adoptat ſibi in filium, poterit ſibi proprium facere quem paternitas alterius ſibi fecit alienum, quia adoptio ex alieno quolibet efficitur.

Proprius vero filius in veritate proprietatis permanet. Vnus eſt Deus pater, & vnum habet filium Dominum noſtrum Ie- C ſum Chriſtum. In vtraque autem ſubſtantia & diuinitatis & humanitatis, vnus atque idem eſt Dei filius Dominus noſter Ieſus Chriſtus, vt Deus verus: ita etiam homo verus atteſtante Apoſtolo atque dicente: Ex quibus Chriſtus ſecundum carnem qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula. Et alibi: Vnus enim Deus vnus eſt mediator Dei & hominum homo Chriſtus Ieſus.

Vnum ergo atque eundem Dominum D noſtrum Ieſum Chriſtum cum ex aliis, tamen ex his Apoſtolicis ſententiis, & Deum verum & hominem comprobamus, qui cum æqualem impaſsibilitatem & immortalitatem cum patre poſsideat, propter noſtram tamen ſalutem paſsibilem ſuſcepit hominis naturam, impaſsibilis diuinitatis maieſtatem non amittens: nec vt permutaretur in humanitatem diuinitas, ſed vt diuinitati ſeruaretur humanitas. Secundum igitur huius hominis veritatem Dei filius ad redemptionem noſtram natus ex E virgine eſt, & Spiritu ſancto: Sic enim ad Mariam in Euangelio Angelus loquitur: Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus altiſsimi obumbrabit tibi: & propterea quod naſcetur ex te ſanctum vocabitur filius Dei, ſi quis vero hanc veræ fidei profeſsionem contemnat, vel minus Catholicam reputet, legat ſancti Auguſtini verba quæ de explanatione Catholici ſymboli compoſuit, & inueniet meillius certiſſime vti ſenſibus, qui vbique puriſſimus in

Catholica fide & veraciſſimus doctor eſſe A comprobatur. Tribus enim modis, vt idem ſanctus Auguſtinus ait, ſcriptura ſacra de Chriſto loquitur, primus cū ſecundū ſummam illam diuinitatem patri æqualem, atque coæternum ante adſumptionē carnis vocat. Alter modus eſt cū adſumpta carne iam idem Deus qui homo, & idem homo qui Deus ſecundum quandam ſuæ excellentiæ humanitatem, qua non cæteris coæquatur hominibus, ſed eſt mediator & caput Eccleſiæ, & legitur & intelligitur. Tertius modus eſt, cum quodammodo totus B Chriſtus in plenitudine Eccleſiæ, id eſt, caput & corpus, ſecūdum plenitudinem perfecti cuiuſdā viri, in quo viro effecti ſumus membra, & credentibus prædicatur, & prudentibus agnoſcibilis offertur. De ſecundo autem modo in præſenti diſputatione maxime verſatur intentio, in quo Deum verum & verum hominem eundem Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum publica voce, Catholica pace omnium ſanctorum doctorum probatiſſimis teſtimoniis roborati profitemur: non ex parte Deum verum, ex C parte Deum nuncupatiuum, ſicut tua ſolet indocta nouitas adfirmare, dicendo: *Deus eſt Chriſtus* ſecundum diuinitatem, & *Dei filius* verus: ſecūdum humanitatem autem Deus eſt nuncupatiuus & adoptiuus filius: quaſi ex parte diuinitatis ſit veritas, in parte vero humanitatis nuncupatio, & non pura veritas. Audi ergo quomodo beatus Auguſtinus tuæ partitioni in diſputatione contra Maximinū hæreticum habita, reſpondeat. Ait enim: Porro Chriſtus vna perſona eſt geminæ ſubſtantiæ, quia & Deus etiam homo eſt. Nec tamen Deus D pars eius perſonæ dici poteſt: Alioquin filius Dei Deus antequam ſuſciperet formā ſerui non erat totus, & creuit cum homo diuinitati eius acceſſit, quod in vna perſona abſurdiſſime diceretur: quia pars rei vllius eſſe non poteſt Deus. Concordat quoque beatus Cyrillus, (cuius & tu teſtimoniis vti ſæpius ſoles) huic ſanctiſſimo patri ſub anathematis vinculo conſtringens eos, qui qualem venerationem Dei filio Ieſu Chriſto fauere audent, vnam quaſi veram Dei E Verbo, alteram vero quaſi ſub nomine nūcupationis homini adſumpto. Ait ergo: Si quis adſumptum hominem quo adorari oportere Deo verbo, & conglorificari tanquam alterum in altero, & non potius vna adoratione honorat Emmanuel, & vnam ei glorificationem appellet, ſecundū quod caro factus eſt, anathema ſit. Syllaba enim co ſuperdaiecta hoc cogit intelligi, quod quaſi alter in altero. Et infra; Si quis igitur quo adorare dicit vt hominem ſeorſum altero præter eum exiſtente Deo verbo, & non ſecundum veram vnitatem adunans vnum Chriſtum & filium Dominumque vna adoratione glorificat, virtuti anathematis iuſte ſubditur. Et item: Si enim eſt & idem Deus ſimul & homo adoratur potius tanquam vnus adoratione vna, & non quo adoratur, nec quo appellatur Deus, vt non homo ſimpliciter communis, & ſecundum nos Emmanuel eſſe credatur diuina gloria participatus per gratiam: ſed confitemur magis Deum in carne propter nos vere hominem factum, non tranſitu naturæ per mutationem & conuerſionem, ſed vnitatis diſpenſationem. In præfato quoque lib. contra Maximinū beatus Auguſtinus veriſsime teſtatur, filium Dei hominem factum: & vere iuxta Apoſtolicam vocem exaltatum ſupra omne nomen quod eſt in cœlo aut in terra. Hoc ergo (inquit) illi donatum eſt, aut homini ſecundum quem factus eſt obediens vſque ad mortem crucis, quod iam habebat ipſe Dei filius Deus de Deo natus æqualis. Si ergo hoc ei donatum eſt in carnis diſpenſatione, quod iam ante habebat in diuinitatis natura: reſtat vt idem ipſe verus filius Dei natus ex virgine credatur & cōfiteatur. Deum ergo dicis eſſe, ſed non verum filium, qui eſſe non negas, ſed adoptiuum, & non verum. Quæ autem eſt iſta noua filietatis introductio in Chriſto? Deum illum dicis eſſe & non verum: quis eſt talis nuncupationis fructus, vbi detrimentum eſt veritatis? Et quomodo in Chriſto eſt omnis veritas, ſi hoc ſolum, quod maxime fatendum eſt ſecundū veſtram opinionem verum non eſſe, credendum eſt? Tu autem certiſsimam veritatem ita es refutare conatus, vt diceres Deū ideo eſſe dictum Chriſtum, quia Deo coniunctus eſt & applicatus, non quod vere ſit Deus vel filius Dei, ſed propter eum, vt dicere ſoles à quo adſumptus eſt, alterum ſine dubio æſtimans adſumentem, adſumptum alterum. Quia ſi adſumens verus eſt Deus, & adſumptus non verus Deus, nec verus filius, neceſſario intelligi datur, quod duas in vnum Chriſtum tentas introducere, ſed falſa profeſsione perſonas: nam duo ſunt omnino verus & non verus. Quod ſi beata virgo verum non genuit Deum filium Dei, quomodo ab omnibus recte credentibus in vniuerſali totius orbis Eccleſia Dei genitrix veneratur & creditur? vel ſi eam Dei genitricem negare non audes, ne te publicum hoſtem Eccleſiæ palam

aperteque demonſtres, neceſſario duos illã genuiſſe deos, vnum verum fateri cogeris. Aut ſi hoc tibi ſicut & nobis abſurdum eſſe videatur, fatere nobiſcum Deum illum verum veraciter dici & eſſe, non nũcupatiuè fingi & nuncupari quod non eſt. Incongruum eſt enim, & valde ineptum Deum aliquid quod non ſit dici, ſicut & negare quod eſt impium & deteſtabile eſſe dignoſcitur. Poſt teſtimonia igitur ſanctorum Patrum, quæ multa quidem, & quædam etiam vere poſuiſti, ſed omnimodis Catholicis non hæreticis fauentia, præſules quoque Hiſpaniarum inducis, quos tu Orthodoxos dicis, in his quæ poſuiſti orationibus indubitanter hæretici eſſe dignoſcuntur. Niſi forte & eorum dicta, ſicut & in cæteris ſolebas, deprauares; ſcilicet vt quod illi bene dixerunt tu in adiumẽtũ erroris tui mutare, & alterum pro altero mittere auſus ſis. Adſerunt enim quidam ex illis patribus, vbi tu dixiſti vel adoptionem, vel adoptiui hominis, eos dixiſſe pro adſumptionem, & pro adoptiui adſumpti: & in hoc quoq; tua maliuola arguitur pertinacia. Si enim in tua ſententia, quaſi in veritate confideres, nequaquam ea quæ ab aliis bene dicta ſunt in prauum ſenſum mutares. Veritas enim vbicumque eſt ſemetipſam defendit, ſed ſiue mutata, ſiue vt ab eis ſunt dicta hæc eadem teſtimonia à te ſint poſita, nõ magnopere curãdum eſt. Nos enim Romana plus auctoritate quam Hiſpana veritate adſertionis & fidei noſtræ fulciti deſideramus, licet nec illa reprobemus, in his tamen quæ Catholicè dicuntur, vnuſquiſque in hoc ſe refutandum ſciat, in quo ab vniuerſali diſſentit Eccleſia. Romana igitur Eccleſia quæ à Catholicis & recte credentibus ſequenda eſſe probatur, ſe per verum filium Dei & in Miſſarum ſolenniis, & in cæteris quoque omnibus ſcriptis ſuis vel in Epiſtolis fateri ſolet eum, qui pro noſtra ſalute homo fieri dignatus eſt, & crucis ſubire tormentum. In Miſſa namque humanæ natiuitatis eiuſdem Domini noſtri ita cãtare ſolemus: Pręſta, vt vnigenitum tuum, quem redemptorem læti ſuſcepimus, venientem quoque iudicem ſecuri videamus, illum qui nos ſuo ſanguine redemit, & ſuper ſuum aduẽtum iudicaturus eſt mundum, vnigenitũ filium Dei confitemur: quod de humanitate illius ſine dubio dictum eſt. Item in die natalis Domini. Concede quæſumus omnipotens Deus, vt nos vnigeniti tui noua per carnem natiuitas liberet. Et alibi: Deus qui vnigeniti tui pretioſo ſanguine. Item quarta feria ante Paſcha: Præſta quæſumus omnipotẽs

A Deus, vt per vnigeniti tui paſſionem liberemur. Et in alia oratione: Largire omnipotẽs Deus, vt per temporalem filij tui mortem, quam myſteria veneranda teſtantur. Et hoc ſæpius, quam vt exemplis egeat, inuenitur: ſcilicet, quod ipſe qui pro nobis paſſus eſt mortẽ vnicus & ver⁹ dicitur filius Dei, ſicut vere eſt. Tales ergo auctores magis ſequendos elegimus, in quibus & fides rectior, & veritas apparet manifeſtior. Quod igitur obnixe poſtulaſti impletum à nobis arbitror. Ais namque: Si quis nos à noſtra pro-
B feſſione declinare vult, proferat æquè idoneos teſtes qui adfirment quod ex vtero matris verus Deus ſit conceptus, & verus ſit filius Dei. Omnes namque Pontifices ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, vt prædiximus, talibus vti ſolebant rationibus, vt Ieſum Chriſtum Saluatorem noſtrum filium Dei vnigenitum indubitanter fateantur.

Non autem eſt mirandum, ſi longe à veritatis via errent, qui ipſam veritatem inconuenienter & inepte quærere in ſuis orationibus dinoſcuntur: vel quomodo
C veritatem dignoſcere poſſe putandus eſt, qui eandem veritatem ſuis dictis & ſcriptis oppugnat. Sed & illud quod tibi oſtendi poſtulas quomodo verus Deus conceptus eſt & natus, hoc toto præſentis operis textu tecum egimus, quod ille vnigenitus filius Dei verbum patris caro factum eſt. Nã ſi verus filius Dei non eſt, qui conceptus eſt, & natus ex virgine Maria, nec verum eſt quod Ioannes ait: Quod verbum caro factũ eſt. Quid enim ſignificat in hoc quod ait verbum caro factum eſt, niſi filius Dei
D humana carne ſuſcepta homo factus eſt? Quod ſi verus Deus & verus filius Dei cõceptus non eſt, nec verus filius Dei ex virgine natus eſt. Quod ſi ita eſt, ergo purus homo & ſine deitate natus eſt: Quod quam Catholicæ fidei contrarium ſit omnis recte credens intelligit. Secundum Catholicam ergo fidem verus filius Dei cõceptus & natus eſt ex virgine, idem ipſe qui ante omnia ſæcula natus eſt ex patre: quia natura hu-
E manitatis adſumpta non aliũ fecit eſſe eum qui ex virgine natus eſt, quàm eum qui ex patre ante tempora genitus eſt: ſed eundẽ ipſum hoc factum eſſe quod ante nõ fuit, patenter oſtendit. Sed quia longum eſt cuncta tuæ prauitatis argumenta diſcutere, de hoc tibi reſpondere in præſenti ſufficiat, quod filium Dei hominem factum verum Deum per hoc maxime negare coneris, quia pro ſe legitur oraſſe ſicut & pro nobis. Quod vbi legiſſes prorſus ignoro, ſcilicet filium Dei pro ſe, ſicut pro no-

bis oraſſe. Nam quid ſibi præſtare ipſe non potuit, cui omnia dedit pater in manus? Vel cuius peccati veniam à Deo poſtulare putandus eſt, qui peccatum non fecit, nec dolus inuentus eſt in ore eius? Nos namque qui Deum indeſinenter orare iubemur, habemus ſine dubio quod nobis ab eo dimittatur. Chriſtus vero quid ſibi dimitti poſtularet, qui vnquam nihil fecit, quod ei dimitti potuiſſet. Pro nobis ergo orare credendus eſt, ſcilicet pro ſuo corpore quod Eccleſia eſt, quam adhuc in fragilitate carnis poſitam frequenter peccare non ignorat. Quod ipſum & hodie quoque facit Apoſtolo teſte, qui ait; Qui etiam interpellat pro nobis. Igitur (vt prædiximus) eo modo pro nobis orare dicitur, quod illam carnem, quam pro nobis adſumpſit, in qua & paſſus eſt, Deo patri oſtēdit: hæc eſt enim eius pro nobis interpellatio, ſcilicet paſſiones quas pro nobis innocens ſuſcepit, monſtrando quodam modo Deum patrem vt noſtri miſereatur ammonere: Non quod ille fons ſapientiæ & ſcientiæ plenitudo aliquid ignorare poſſit: ſed quia hoc quod ſemper ſcit & deſiderat, per carnis ex nobis adſumptæ naturam præſtat: quod præſtandum & nobis profuturum eſſe cognoſcit: id eſt in ſe credentes, & in ſe ſperantes, & amantes cognoſcere facit. Hoc ipſum namque & præceſſor tuus Neſtorius ſolebat dicere, videlicet quod Chriſtus pro ſe & pro genere corporis ſui ſacrificium obtuliſſet. Quod enim tu oraſſe eum pro ſe dicis, hoc ille idem volens intelligi obtuliſſe dixit ſe pro ſe & genere. Contra quam blaſphemiam quid beatus Cyrillus oppoſuiſſet audi: ait enim, Si quis dicit, quia pro ſe obtulit Chriſtus oblationem, & non magis pro nobis ſolis, anathema ſit. & alibi: Obtulit enim corpus proprium nō pro ſe, ſed pro nobis. Nam qua pro ſe oblatione vel ſacrificio indigeat, qui ab omni peccato liber vt Deus exiſtit? Qui autem dicit, quia ſemetipſum tam pro ſe, quam pro nobis obtulerit, nullatenus impietatis crimen effugiet. Idem quoque ipſe Cyrillus: Aiunt (inquit) hæretici non pro nobis ſolum, ſed etiam pro ſe obtuliſſe Chriſtum ſemetipſum: quod à recta & immaculata fide alienum. Quod ergo oraſſe dicitur, & in oratione pernoctaſſe, & tanta inſtantia ſupplicaſſe, vt ſudor eius ſicut guttæ ſanguinis decurreret ſuper terram, totum hoc ideo factum eſſe intelligendum eſt, vt veritatem adſumptæ humanitatis oſtenderet, quæ lachrymas & ſudorem poſſit habere, & vt deprecationibus noſtris acceſſibilem monſtraret patris auditum, vt quæ nos in tentationibus non inertia dormitantes tabeſcere, ſed potius in orationis inſtantia vigilanter exerceri curemus. Hoc namque ſignificat quod quando oraſſe legitur, hoc ſæpius noctibus feciſſe dicitur, ſcilicet noctis tenebris tentationum indicans tempeſtates. Sed & hoc maxime ſua innuit oratione, quod innocente ſuo ſudore terra lauanda fuiſſet, quæ per illius ſudorem noxium polluta fuit, cui dicitur: In ſudore vultus tui veſceris panem tuum.

Nam illa natura de Adam primo homine propagata numquam ſuum panem quo ad æternam vitam nutriret, guſtaſſet, ſi non eandem naturam filius Dei panis viuus, paniſque Angelorum adſumere dignaretur. Sed & hoc quod Euangeliſta ait: Sudorem eius quaſi guttas ſanguinis eſſe defluentes in terram, hoc ſignificare videtur quod illud primum homicidium Chriſti fuiſſet ſanguine mundandum, de quo dicitur: Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra.

Ille namque ſanguis Chriſti magis ad Deum patrem clamat, qui pro omnium noſtra ſalute in terram effuſus eſt: vel quando pro nobis ipſe Dominus noſter orabat, vel quando pro nobis in cruce pendens vulnera percutientis militis ſuſtinuit. Sed de his iſta ſufficiant. Sententia vero Iacobi Apoſtoli, quam pro adoptionis nomine poſitam ad exemplum protuliſti, longe aliter à ſanctis patribus quàm à te eſt interpretata, exponi ſolet, ſicut & illa quam de Salomone poſuiſti: Negando (inquis) nomen adoptionis in Chriſti carne, vt puto vnum verbum in quantos offenſionis laqueos ſeſe dilatet: vt eſt illud in Salomone: Qui in vno peccauerit, multa bona perdet.

Et in Iacobo Apoſtolo: Si quis totam legem ſeruauerit, offendat autem in vno, factus eſt omnium reus. Sed quis neſciat de temetipſo hæc conuenienter teſtimonia proferenda?

Nam quid aliud feciſti, quam in illo vno peccaſti, vbi multa bona perdidiſti? Vnum enim eſt illud maximum & primum mandatum, caritas, quæ ſola vera in Eccleſia Catholica eſſe cognoſcitur. Qui ergo te ipſum extra Eccleſiam Catholicam eſſe feciſti, quid aliud feciſti quam in illo caritatis mandato peccaſti? In quo qui peccauerit, & ſi totam legem ſeruauerit, factus eſt om-

nium reus. Non ergo de adoptione in A Chriſto negata, ſed de vnitate caritatis ſciſſa dictum eſt, quod qui in vno offendit, factus eſt omnium reus. Si enim (inquit Apoſtolus) habeam omnem fidem, caritatem autem non habeam, nihil mihi prodeſt, & cætera quæ ibi de laude caritatis dicta ſunt. In huius itaque te caritatis gremium citius peruenire ſatage, extra quod cætera omnia & ſi bene facta videantur, nihil prodeſſe poſſunt, nec omnino benefacta dici debent quæ ſine caritatis perfectione aguntur. Sufficiat ergo tibi, quod huc vſque peccaſti: non tibi videatur minoris eſſe pericu- B li, quod vnitatem Catholicæ Eccleſiæ diuidendo ſciſma facias, & membra Chriſti praue docẽdo à ſuo corpore ſepares, quam ſi temetipſum occidendo homicidium facias. Quin potius maioris eſſe damnũ manifeſtum eſt tantos ſeducendo perimere, quam vnum ſolum perire. Reuertere ergo tandem aliquando in temetipſum pœnitendo quod egiſti, qui tantum effuſus es extra te diſcutiendo quæ non debuiſti: ſufficiat tibi (ſicut & frequenter ammonui, & adhuc ammonere non ceſſo) quod ſancta Dei & vniuerſalis Eccleſia de Chriſto credere & docere ſemper ab initio ſolebat, & vſque in finem ſæculi vbicumque Catholica Dei Eccleſia eſt docere non ceſſabit, implente dicto noſtro Ieſu Chriſto quod promiſit ſe videlicet vſque in finem ſeculi cum ſuis fidelibus eſſe manſurum. Sufficiat, inquam, tibi credere Chriſtum filium Dei verum eſſe Deum, & verum filium Dei † † † †. Et de Sacramẽto incarnationis eiuſdem Dei noſtri plus inueſtigare ne labores, quam quod in Euãgeliis legiſti, & in Apoſtolorum dogmatibus ſcriptum inueniſti. Quicquid ergo his cõcordat, firmum tene & veraciter crede. Quod vero his contrarium & inconueniens videris, quaſi mortiferi veneni peſtem fuge. Chriſtum Regem omnium ſæculorum lauda & adora, conditionalis ſeruitij nomen de corde tuo ſimul & ore vt auferas enitere. Nam quod pro te ſeruus dici vel eſſe voluit, voluntariæ eſt munus obedientiæ non † † nec pœna conditionis. Ad hoc namque, vt ait beatus Auguſtinus in expoſitione Pſalmi quinquageſimi ſexti, homo factus eſt, quia miſericors non vt conditionis neceſſitate naſceretur, ſed vt nos conditione neceſſitatis liberaret. Et paulo poſt addit: Angelica creatura ſeruit Chriſto ad obſequendum, moniti fuerunt Angeli, ad ſeruitium mitti potuerunt, non coadiutorum, ſicut ſcriptum eſt, Angeli miniſtrabant ei, non tanquam miniſtrantes indigenti, ſed tanquam ſubiecti omnipotenti. Si igitur omnis Angelica creatura ſubiecta eſt quaſi C Deum adorat, & ipſi omne genu flectitur, cœleſtium, terreſtrium & infernorum, quid tu ſcilicet omnibus manes?......

Adora ergo eum nobiſcum, regem cælorum Dominum omnium verum filium Dei patris, verum Deum Saluatorem noſtrum, cui honor æternus, virtus indeficiens, laus perpetua in ſæcula ſæculorum. Amen.

MAGISTRI
ALBINI FLACCI ALCHVVINI,
EPISTOLÆ ET LIBELLI,

ADVERSVS ELIPANTVM TOLETANVM, ET FELICEM VRGELITANVM EPISCOPOS.

Ex MS. Codice Eccleſiæ S. Mariæ Remenſis.

EPISTOLA ALBINI MAGISTRI, AD ELIPANTVM TOLETANVM EPISCOPVM,

Cohortatoria in Catholica fide.

Venerabili & in Chriſti charitate amabili patri A *Elipanto Epiſcopo, Eccleſiaſticæ pacis filius Albinus Leuita ſalutem.*

PERFECTIO fraternæ charitatis in gremium pacificę vnitatis multos colligere amicos gaudet, & quoddam arbitratur eſſe diſpendium ſibi ipſi, ſi non ſeipſum latiùs commendare ſtudet ad viros famoſi B nominis & laudatæ pietatis, vt ſit vnanimitas ſpiritalis veræ dilectionis, licet quædã ſeparatio corporalis viſionis. Hæc mea diligentiùs conſiderans paruitas, meipſum ſacroſanctis veſtræ beatitudinis orationibus multis precibus, vir venerãde, diligentiùs commendare ſtudui. Opus veſtra ſanctiſſima dilectione auxiliante proficere ad ſalutem animæ meæ, vt & veſtra merces ex noſtro augeatur profectu, & mea diligen- C tia bonæ voluntatis vobis aliquid conferat in charitatis officio: quatenus Domino Deo noſtro Ieſu Chriſto veſtræ humilitatis in dilectione fraterna communicatio placeat, & noſtræ paruitatis in ſalute multorum acceptabilis ſit deuotio. Conſequitur enim veſtram dilectionem magna remunęratio apud Deum, & plurima inter homines laudatio, ſi fraterni conſilij in Eccleſiaſtica pace non dedignemini recipere D profectum. Igitur ab ipſo Deo Dei filio prædicata eſt in duobus minutis pauperrimæ viduæ ſanctiſſima deuotio. Non ego duo minuta in templum Romano periturum incendio defero, ſed duo magna præcepta charitatis in templum Dei viui, animam, ſcilicet Sacerdotali dignitate prærogatiuam offero. Nec fas eſt vtilitatem offerentis ſpernere, ſed magnitudinem muneris conſiderare. Tu enim es, ſanctiſſime Præſul, ciuitas ſuper montem poſita, quæ nullatenus abſcondi poteſt, cuius murus nequaquam debet inſidioſis cuniculis cuiuſlibet perfidiæ alicubi perforari: ſed firmiſſimo Catholicæ fidei munimine, ex omni parte circumdari, vt inexpugnabilis vndique ad ſalutem totius populi, qui in te gaudet & ad tui oris imperium reſpicit, permaneat. Nec mihi eſt, Pater optime, tecum in hac paruitatis meæ cartula diſceptatio ſublimis, ſed ſupplicatio humilis, obnixè deprecans, vt Apoſtolicam doctrinam in Catholica vnitate & pace, tota mentis intentione conſequi ſtudeas, & populo tibi commiſſo ſis ſignifer ad ſempiternæ beatitudinis proſperitatē. Nec noua quælibet nomina permittas Paternis inſeri traditionibus: ſed quicquid Euangelica auctoritas, & Apoſtolica dignitas, & Paterna ſanctitas, & Catholica vnitas tibi ſuadeat de Chriſto dicere, vel Chriſtũ nominare, hoc placeat ſanctitati tuæ amare, prędicare, & credere: nec nouum adoptionis nomen in Chriſto, & ab initio Apoſtolicæ prædicationis mundo inauditum, permittas ſonari, vel legi, vel prædicari Chriſtianis auribus. Legimus enim in Epiſtolis beati Felicis, viro, ſcilicet, regioſæ vitæ præcipuo & ſanctitate ſpectabili, ſi Catholicam fidem & Eccleſiaſticam vnitatem, ſine qua nullus Deo placere poteſt, amare & prædicare velit. Dicit itaque propter adſumptionem Chriſtum eſſe adoptiuum, minus conſiderans, non omnem adſumptionem adoptionem eſſe, licet omnis adoptio quędam ſit adſumptio. Legitur in Euangelio

Petrum Apoſtolum Chriſtũ adſumpſiſſe, & increpaſſe, nec fas eſt ideo eum putare ſibi in filium adoptaſſe, quia adſumpſiſſe eum dicitur. Item in Euangelio ſcriptum eſt, *Et aſſumpſit eũ Diabolus in ſanctã ciuitatẽ.* Vides, chariſſime & ſanctiſſime Pater, quàm longè eſt adſumptio in hoc loco ab adoptione. Et ſi neceſſe eſt propter adſumptionem adoptiuum eſſe Chriſtũ, cui perſonæ eſt ſanctæ Trinitatis adoptiuus? Vtique filij: quia filij perſona adſumpſit hominem in vtero virginali, & adunauit ſibi in vnam perſonam, vt eſſet vnus filius Dei: & ſi adoptiuus eſt, itaque filio eſt adoptiuus, qui hominem aſſumpſit: & eſt nepos Patris, & eſt quaternitas magis quàm Trinitas in Deo omnipotenti, quia omnimodis adoptiuus filius & proprius filius nullatenus vnus eſſe poſſunt, vt multorũ librorum lectio probat. Adſumpſit igitur Dei filius formam ſerui, non minuens formam Dei; ita vt vnus eſſet filius Dei in duabus naturis, ſalua vtriuſque naturæ proprietate in vnitate perſonæ. Ita vt in duabus naturis vnus ſit filius, vnus Chriſtus, vnus etiã & Deus. In ſancta videlicet Trinitate alius eſt in perſona Pater, alius Filius, alius Spiritus ſanctus. Non aliud in natura vel ſubſtantia, vel gloria, vel eſſentia, vel æternitate. In Chriſto verò aliud eſt in diuinitate, aliud in humanitate; non alius vel alius, ſed vnus idẽque verus Deus, verus homo, vna perſona, vnus Dei filius, vnus Chriſtus. Quod multis teſtimoniis probari poteſt. Sed ſuperfluũ eſt teſtimonio æterni Patris aliquid addere. Qui voce diuina dixit in Baptiſmo Chriſti, vel in monte vbi transfiguratus eſt Chriſtus, *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Similiter inuenimus in præfati Patris Epiſtolis, Chriſtum qui ex virgine natus eſt, verum non eſſe Deum, ſed nuncupatiuum. Quod omnino Catholica reſpuit fides. Quia ſicut vnus eſſe non poteſt filius proprius & filius adoptiuus: ita nequaquam vnus eſſe poteſt verus Deus & nuncupatiuus Deus. Eſt-ne verus Deus, qui iudicaturus eſt mundum? & quis eſt qui iudicaturus eſt mundum? verè omnino qui ex virgine natus eſt, ipſa Veritate adteſtante, *Pater enim non iudicat quemquam, ſed omne iudicium dedit filio, vt omnes honorificent filium, ſicut honorificant Patrẽ.* Et paulò poſt, *Sicut Pater habet vitam in ſemetipſo, ſic & filio dedit habere vitam in ſemetipſo, & poteſtatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis eſt.* Item B. Paulus Apoſtolus dicit, *Omnes nos oportet ſtare ante tribunal Chriſti.* Et in alio

A loco, *Omnes enim ſtamus ante tribunal Dei.* Velim credas, ſanctiſſime Pater, vt quẽ eum nunc verum Deum negat, & iam tunc eorum Deum eum cognoſcat & probet iudicatus. Veritatis probatio erit poteſtatis manifeſtatio. Quando non eſt verus Deus, de quo legimus in Euangelio; *Cum autem venerit filius hominis in maieſtate ſua, & omnes Angeli cum eo: tunc ſedebit in ſede Maieſtatis ſuæ, & congregabuntur ante eum omnes gentes?* De quo multo ante prædictum eſt, *Et adorent eum omnes Angeli Dei.* Si Deus non eſt verus, cur adoratur ab Angelis? & ſi filius

B Dei non eſt verus, cur ſedet in dextera Dei Patris? Hunc ergo Chriſtum & Pſalmiſta Deum eſſe teſtificatur. *Aſcendit Deus in iubilatione, & Dominus in voce tubæ.* Item, *Deus noſter manifeſtius veniet, Deus noſter non ſilebit: ignis in conſpectu eius ardebit, & in circuitu eius tempeſtas valida. Aduocauit cœlum deſurſum & terram diſcernere populum ſuum.* De quo etiã idem Pſalmiſta paulò ante ait, vt diſcerneret eum ab aliis qui diiudicantur, *Deus Deorum Dominus locutus eſt & vocauit terram. A*

C *Solis ortu & occaſu, ex Sion ſpecies decoris eius.* De cuius prædicatione Propheta ait: *De Sion exibit lex, & verbum Domini de Hieruſalem.* Dicit quoque idẽ vir venerabilis Felix quòd ſit per omnia æqualis nobis, *niſi* tantummodo quod ſine peccato natus eſt. Quædam inæqualitas eſt in morte illius, & in noſtra: mors autem illius omnes nos redemit à morte æterna: nullius autem noſtrum mors vel ſeipſum abſque eo liberare poterit. Item quædam inæqualitas eſt, quod ille eſt verus Deus, & verus homo:

D nos tantum homines ſumus in peccatis nati, eiuſque gratia ſaluati, nõ ex meritis noſtris, ſed ex illius miſeratione. In multis enim nobis ſimilis eſt, ſed in pluribus diſſimilis. Vnde & in Pſalmis dicitur de eo: *Speciosus forma præ filiis hominum, diffuſa eſt gratia in labiis tuis.* Refert quoque eum baptiſmo indiguiſſe, volens vt videtur eum in baptiſmo adoptari in filiũ, ſicut & nos. Quanta infidelitas ſit hoc cuilibet Chriſtiano credere, nullus ſanum ſapiens ignorat.

E Dominus itaque noſter Ieſus Chriſtus ſolus ſic potuit naſci, vt ſecunda regeneratione non indiguiſſet, ideò in baptiſmo Ioannis certa diſpenſationis miſeratione baptizari voluit, quia in Ioannis Baptiſmo non fuit regeneratio, ſed quædam præcurſoria ſignificatio baptiſmi Chriſti, in quo ſolo Baptiſmo per Spiritum ſanctum vera eſt remiſſio peccatorum credentibus, vt in eo Spiritu renaſcamur, in quo ille natus eſt ex virgine Maria. In aqua enim vo-

luit baptizari à Ioanne, non vt eius vlla diluerctur iniquitas, ſed vt magna illius commendaretur humilitas. Ita quippe nil in eo baptiſmũ quod ablueret, ſicut mors nihil quod puniret inuenit: vt diabolus veritate iuſtitiæ vinceretur, non violentia poteſtatis opprimeretur. Vtrumque enim & baptiſmum & mors non miſeranda neceſſitate, ſed miſerante potius voluntate ſuſceptum eſt, & multa alia inueniuntur in eius ſcriptis Catholicorum Patrum ſenſibus non conuenientia, quæ dicere vel exponere Epiſtolaris anguſtia me modo prohibet, ignorans quoque quando vel qualiter ſanctitas veſtra & bona voluntas, quam habetis in Chriſto hęc noſtræ paruitatis dicta recipere velit. Tantum obſecro in ea charitate, qua Chriſtus nos dilexit, vt benignè hos meos digneris perlegere apices, & quod fraterna me cogebat charitas veſtræ dirigere excellentiæ, veſtra ſanctiſſima humilitas recipere non dedignetur. Audiens verò ſæpius bonam famam religioſæ vitæ de vobis, ideò inſtinctus amore fraternæ dilectionis me ipſum in tuam caritatem fideliumque tuorum Deo ſeruientium in illis partibus commendare curaui, etiã & illud deprecari vt cautiùs agas de ſalute animæ tuę, tuorũque ſubditorũ. Licet præfatus famulus Dei Felix laudabili vita viuat coram hominibus, tamen vt videtur in multis Catholicæ fidei profeſſione non omnino pleniter Patrum ſequitur ſententiam, & noli confidere de ſpecie bonitatis illius. Maledictus enim homo qui confidit in homine. Sed magis ſpem tuam pone in omnipotenti Deo, & deprecare illum die noctuque, ne ſit inanis labor tuus in conſpectu illius, & vt fidem firmam omnique Eccleſiæ Chriſti probatam teneas. Videtur enim condignum vt communi omnium conſeruorum tuorũ prece te totum conuertas ad Dominũ, & depreceris clementiam illius: quatenus in fide recta confirmet corda veſtra, vt nullo errore decipiaris, nec vllus ad te pertinens vagabundus à veritatis via deuiet. Erit enim tibi maxima merces apud Deum omnipotentem, ſi errantes correxeris, ſi veritati cõſentieris, ſi humiliter legeris ſanctarum ſcripturarũ ſeries, magis deſiderans veraciter veritati obedire, quàm pertinaciter tuam vel cuiuſlibet alterius firmare ſententiam. Parata eſt enim miſericordia omnipotẽtis Dei tuas recipere preces, ſi amore veritatis cognoſcendæ effuderis eas. Potuiſſem itaque multis teſtimoniis ſanctarum ſcripturarũ & Catholicorum doctorum ſcriptis pro-

A bare Ieſum Chriſtum Dominum noſtrũ, qui ex virgine natus eſt, Deũ eſſe verum & filium Dei proprium. Sed ſapienti pauca ſufficere ſciens, & magis ſenſuum veritati arbitrans te intendere, quàm ſermonum multiplicatione gaudere, credo Domini noſtri Ieſu Chriſti miſericordiſſima pietas faciet te veritatem intelligere, ſi humiliter eam quærere inſiſtis. Quia omnis qui ſe humiliat exaltabitur, & humilitatis paſſibus ad cœleſtis regni altitudinem peruenitur. Vna debet eſſe Eccleſia Chriſti toto B orbe diffuſa in fide & caritate. Vnũ è duobus. Aut in toto mundo eſt Eccleſia Chriſti ſupra petram fundata, vt credimus & confitemur: aut etiam in Felice & ſuis paucis ſectatoribus, quod omnino indignum eſt Chriſto Deo noſtro, vt plures non habeat in ouili ſuo quàm illos paucos, qui in montanis latitant cum Felice. Tu verò vir Deo electe & dilecte, te ipſum cum tuis conſociis vniuerſali Eccleſiæ Chriſti coniunge, vt ſis membrum honorabile illius capitis, qui pro te ſuum ſanguinem funde- C re non dedignauit, recogitans quantum erit gaudium in cœlis ſuper vno peccatore pœnitentiam agente. Non dico te peccatorem, ſed prædicatorem: confeſſorem Chriſti, non auerſorem fidei: lucernam ſuper cãdelabrum poſitã, vt luceat omnibus qui in domo Dei ſunt. Etiam & in hoc tuæ ſanctiſſimæ voluntati obnixius ſuadere ratum putaui, vt eundem virum venerabilem Felicem tuis ſanctis precibus & ſuauiſſimis ſuggeſtionibus conuertere ad Ca- D tholicæ fidei vnitatem & veritatem nitaris. Fidelis eſt enim Deus, pius eſt miſericors, qui nullatenus obliuiſcatur eius multa bona, & religioſam vitam, & labores, qua die noctuque indefeſſa voluntate deſudat, quanta ſit tibi coram Deo & ſanctis eius gloria & remuneratio. Intende & diligentiùs conſidera in ſalute fratris tui, etiã & tanti viri, & tam præclaræ dignitatis, & ſãctitatis famulo Chriſti. Memor eſto ſem- E per illius Apoſtoli dictum, qui ait, *Nouitates vocum deuita.* Ecce qualis nouitas eſt, Chriſtũ qui ex virgine natus eſt adoptiuũ filium vel nuncupatiuum Deum prædicare & nominare, & apertiſſimis Apoſtolicæ auctoritatis teſtimoniis nõ credere, ſed magis auerſari, qui ait: *Qui proprio filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum.* Potuit-ne dicere Apoſtolus, qui adoptiuo filio ſuo non pepercit, ſi voluiſſet nos illũ credere adoptiuum, qui traditus eſt pro ſalute noſtra? Item ipſa Veritas in Euangelio ait, *Sic enim dilexit Deus mundum, vt*

ſilium ſuum Vnigenitũ daret, de quo & paulò ante ait: *Sicut enim Moyſes exaltauit ſerpentem in eremo, ita exaltari oportet filium hominis.* Et quid eſt quod idem Apoſtolus in alio loco ait, *Quorum patres ex quibus Chriſtus, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſecula?* An & hic nō potuit dicere, qui eſt nuncupatiuus in ſæcula? Non enim in Chriſto, ſicut in quolibet homine, generatio eſt. Homo enim quilibet filius iræ naſcitur, ſed poſt in baptiſmo gratia ſancti Spiritus in filiũ adoptatur Dei. Sed ſtatim in ipſo cōceptu cōceptus eſt filius Dei, & natus ſecundum temporis opportunitatem verus filius Dei. Similiter & non eſt in Chriſto diuinitatis maieſtas, ſicut in quolibet homine, Epiſcopalis dignitas v. g. Non enim Apoſtolus Petrus Apoſtolus eſt natus, ſed poſtea à Deo electus. Sicut quilibet Epiſcopus non eſt Epiſcopus natus, ſed poſt natiuitatis opportunũ tempus electus in Epiſcopatũ & ordinatus. Sed ſtatim in ipſo conceptu & natiuitate Deus verus natus eſt Chriſtus, & proprius filius Dei, non adoptiuus filius, nec nuncupatiuus Deus. Firmiter abſque omni dubitatione credendũ eſt & prædicandum eundem eſſe qui natus eſt ex Virgine, Deum verum in duabus naturis, & verum filium Dei; ita vt vnus ſit Chriſtus, & vnus Deus, & vnus Dei filius, & vnus Rex, & vnus totius mundi Saluator, diuinitate conſubſtantialem Patri, humanitate conſubſtantialem Matri, vt ſit idem verus Deus & verus homo in vnitate perſonæ. Nam & ipſe tempore paſſionis ſuæ adiuratus à Pontifice, filium ſe Dei eſſe confeſſus eſt. Et multa talia habemus teſtimonia in ſancto Euangelio, quæ vbique eum filium Dei eſſe teſtantur. Percurre omnes paginas Euangelicæ auctoritatis, & Epiſtolares ſententias Apoſtolicæ dignitatis, vel omnium ſanctarum ſcripturarum ſeries, & quicquid in illis inuenias hoc fideliter prædica, in his ſufficiat, & gaudeat tuæ ſanctitatis ſenſus, vt dignam Catholicæ fidei & prædicationis in æterna beatitudine mercedem merearis recipere. Obſecro te humiliter per ſanguinem Redemptionis noſtrę, & per terribile vltimi diei iudicium, quatenus huius chartulę ſenſus & ſyllabas, ſi in tuæ Beatitudinis manus perueniant, digneris dirigere per ſanctos Chriſti Sacerdotes & ſublimia Eccleſiæ lumina, quæ ſunt in partibus Hiſpaniæ. In hoc enim cognoſcitur ſi amorem habeas veritatis & vniuerſalis Eccleſiæ coniunctionem, ſi hæc qualiacũque ſunt charitatis fraternæ ſcripta fideliter conſeruorum tuorum au-

A ribus aperire deſideras, & illos in vnitate Catholicæ pacis confirmare. Dicam iterum, & cum omni humilitate dicam, ſæpiuſque repetens, euigilemus viri fratres, ad tubam totius mundi. Ecce clamat vas electionis, Prædicator gentium, ſecretarius cœlorũ contra omnes nouitates vocũ, dicēs: *Sed licet aut Angelus de cœlo euangelizet vobis præter quod euāgelizauimus vobis, anathema ſit, ſicut prædiximus, & nunc iterũ dico; ſi quis vobis euāgelizauerit præter id quod accepiſtis, anathema ſit.* Ecce quanta fiducia prædica-

B toris mundi eſt in ſua prędicatione, vt non ſolum hominibus anathema indixit, ſi aliter prædicaſſent quàm ipſe prædicauerat, ſed Angelis quoque anathema minauit, ſi noui aliquid immiſiſſent in prædicatione Apoſtolicę authoritatis: quam prædicationem Euangelicæ veritatis non ſe ab hominibus, ſed ab ipſo Domino noſtro Ieſu Chriſto didiciſſe teſtatur, vbi ait: *Neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici: Sed per reuelationem Ieſu Chriſti.* Aliter prædicat qui Chriſtum adoptiuum nominat filium Dei, quem ille proprium filium Dei no-

C minauit. Aliter prædicat qui Chriſtum Ieſum Deum nũcupatiuum nominat, quem ille Deum ſuper omnia benedictum nominauit. Et qui aliter prædicat, timeat Apoſtolicæ authoritatis anathema, non ſolum Apoſtoli, ſed etiam Dei Chriſti, quem in ſe locutum eſſe teſtatur, vbi ait: *An experimentum eius quæritis, qui in me loquitur Chriſtus?* Quomodo quiſlibet temeraria præſumptione Dominum noſtrũ Ieſum Chriſtum adoptiuum Dei filium nominare audet,

D quem tantus prædicator, vt diximus, proprium Dei filium nominauit, vbi ait: *Qui proprio filio ſuo non pepercit?* Vel qua audacia eundem Dominum & Deum noſtrum quis præſumit nominare nuncupatiuũ Deum, quem idem Apoſtolus benedictum ſuper omnia Deum, vel etiam magnum Deum non dubitauit clara voce confiteri & nominare? Ait itaque ad Titum, *Expectantes beatam ſpem, & aduentum gloriæ magni Dei & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti, qui dedit ſemetip-*

E *ſum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate.* Magnum vtique Deum eum nominauit, qui vẽturus eſt iudicare viuos & mortuos, non Deunculum quendam qualem noua quorumdam fingit pręſumptio. Si quis dubitet de quo dixiſſet Apoſtolus, legat Tractatum Beati Hyeronymi, quem in hanc fecit Epiſtolam. Conſiderandum eſt diligentiùs, & omnis pietatis intellectu percipiendum quod ille mirabilis Euangeliſta ait, *Verbum caro factum eſt*, id eſt, Deus ho-

A mo factus eſt. Ex carnis itaque nomine totum hominem ſignificans, vt in eo loco intelligitur, *Videbit omnis caro ſalutare Dei*, id eſt omnis homo, non vt diuinitatis natura verteretur in humanitatem, ſed ſalua maieſtate diuina aſſumpta eſt humanitas. Non diminuta eſt diuinitas, ſed honorificata humanitas manente proprietate naturæ humanæ, vt idem ipſe qui ex Deo Patre æternaliter natus eſt, ex matre virgine temporaliter natus eſſet: vt ſit verum quod tantus Euangeliſta ait, *Verbum caro factum eſt.* Si Deus homo factus eſt, B vtique homo Deus factus eſt, propter vnitatem perſonæ, vt ſit ex omniparte Veritas in Chriſto, Ieſu Domino noſtro. Si igitur homo, qui aſſumptus eſt à verbo Dei, Deus eſt nuncupatiuus, quia alia natura eſt humanitatis, alia diuinitatis, conſequens videtur vt Deus qui hominem aſſumpſit homo ſit nuncupatiuus, & non poteſt ſtare quod Euangeliſta ait, *Verbum caro factum eſt*. Similiter intelligendum eſt verſa vice de adoptione, ſi ideò ille homo, qui aſſumptus eſt, C adoptiuus eſt filius Deo, quia alia natura eſt humanitatis, alia diuinitatis. Sequitur illa neceſſaria conuerſio, vt Deus, qui ex virgine natus eſt, ſit adoptiuus Deus, & non ſit beata Virgo ſecundum Neſtorianam impietatem vera genitrix Dei, ſed per quandã ſi fieri poſſit adoptionem matrem Dei. Quod quàm nefandum ſit, & quàm impium, & ab omni veritate alienum, quiſquis piè de Chriſto ſentit agnoſcit. Has verò nouitates vocum chariſſimi & clariſſimæ dignitatis D viri omnino abiicite, & conſentanea Euangelicis paginis & Apoſtolicis traditionibus credite, & prædicate: intelligentes alia nomina in Chriſto Deo propria eſſe, alia ſignificatiua; & diſcernite quid cui rei conueniat. Propria nomina ſunt in Chriſto, Vnigenitus, Primogenitus, Deus Dei filius, & vnus Ieſus Chriſtus. Significatiua nomina ſunt propter quaſdã actiones quæ completa ſunt in illo, leo, lapis, ouis, vitulus, vermis, & talia plurima, quæ E ratione diſcernenda ſunt. Dicit præfatus venerabilis Felix, Hiſpaniæ doctores Chriſtum adoptiuũ ſolitos eſſe nominare, ſed illos doctores nos non legimus, neque ad nos illorum ſcripta peruenerunt: & ſi dixerint, fortè ſimplex ignorantia eos defendit à mucrone anathematis, non pertinax erroris defenſio excommunicationis percutit gladio. Maior quoque auctoritas doctorum totius mũdi debet eſſe, quam paucorum in Hiſpania. Igitur Beatus Iſidorus, cui nihil Hiſpania clariùs habuit, multa nomina ponit de Deo Chriſto in Etymologiis, vel aliis ſcripturis ſuis, ſed in nullo loco inuenimus eum adoptiuum vel nuncupatiuum Deum Dei filium Chriſtum nominaſſe, ſed ſemper vniuerſalis ſanctæ Dei Eccleſiæ in Catholica fide eum conſentire inuenimus. Si veſtra verò pietas & bona voluntas, quam habetis in Chriſti caritate, hanc Epiſtolam perlegere curauerit, & vobis placuerit communicatio ſanctæ fidei nobiſcum, & vt ſermonem ſæpius faciamus inter nos familiarem, plura vobis de ratione orthodoxæ fidei & Eccleſiaſtica pace, & ſancta vnitate, miſerante Deo Chriſto vero Deo & proprio filio Dei, dirigere curauerimus. Hæc interim pauca ex charitatis fonte dictauimus, optantes vos vbique in omni ſanctitate & vnitate pacifica proficere coram Deo & hominibus. Vos vero communiter obſecro in calce huius Epiſtolæ, ſacratiſſima lumina Hiſpaniæ, vt memoriam noſtri in ſacroſanctis veſtris orationibus habere dignemini. Vox vero ſanctiſſimi Patres, quos Deus rectores populi ſui conſtituit, per dona ſancti Spiritus in omni ſapientia Catholicæ pacis, & in charitate Chriſti Dei proficere optamus, dilectiſſimi Patres, fratres & filij in Chriſto Domino noſtro valete in perpetuum. Qui legat, feliciter legat, & veraciter intelligat, & fideliter credat quæ dicta ſunt, quatenus æternaliter regnare mereatur, cum eo de quo nobis ſermo eſt, Saluatore noſtro Deo vero, & viuo Domino noſtro Ieſu Chriſto.

EPISTOLA ELIPANTI AD ALBINVM.

Reſponſiones continens prioris Epiſtolæ.

REVERENTISSIMO fratri Albino Diacono nõ Chriſti miniſtro, ſed Antiphraſi beato, fœtidiſſimi diſcipulo, tempore glorioſi Principis in finibus Auſtriæ exorto, nouo Arrio, ſanctorum venerabiliũ Patrum, Ambroſij, Auguſtini, Iſidori, Hieronymi doctrinis cõtrario, ſi conuerterit ab errore viæ ſuæ, à Domino æternam ſalutem: & ſi noluerit, æternã damnationem. Epiſtolam tuam à rectæ fidei tramite deuiam, nitore ſulfureo horrificam, ſuperſtitioſo ſermone ſcriptam, exeunte Iulio, accepimus relegentem. Vidimus, inquam,

vidimus, quia non ſpiritus ille, qui ſuper capita Diſcipulorum poſt aſcenſionem Domini † vt loquerentur magnalia Dei, per te locutus eſt: ſed ille qui dixit, *Ero ſpiritus mendax*, more Prophetarum eius. Ipſe tamen Dei filius, qui aufert ſtillas pluuiæ, & effundit imbres ad inſtar gurgitum: qui fortes, ſcilicet ad præmium vocat, & eorumvice debiles ad certamina roborat; qui illos ſuſcipiendo remunerat, & iſtis laborum vires, quibus ſubſiſtere valeant, ſubminiſtrat, det in ore meo verbũ veritatis, & bene ſonantem, & reſponſum inædiæ meæ mulceat, auditum Eccleſiæ Catholicæ in Chriſti nomine conſtitutæ. Quod verò aſſeris nullam carnis adoptionem in filio Dei ſecundum formam ſerui de glorioſa Dei virgine ſuſcepiſſe, non vera perſequeris, ſed mendacio plenus eſſe oſtenderis, ſicut & Magiſter tuus Antiphraſius beatus Antichriſti diſcipulus, carnis immunditia fœtidus, & ab altario Dei extraneus, pſeudo Chriſti & pſeudo Propheta. De illo enim dicit doctor egregius Beatus Gregorius: Perdidit authoritatem docendi cuius ſermo opere deſtruitur. Tu verò, chariſſime frater, vide ne, quod abſit, de te ſit ſcriptum, *De radice colubri egreſſus eſt regulus, & de foramine aſpidis egreſſus eſt baziliſcus*, id eſt, Albinus nigredine teterrimus. Vide ne fortaſſe nõ ſis particeps Leuitę Stephano, qui ſe dicit cœlos apertos videre, & Ieſum ſtantẽ à dextris Dei Patris: ſed cum Nicolao, cuius facta idem Dei filius ſe odiſſe teſtatur. Et iterum, vide ne nõ ſis ſimilis Leuitæ Vincentio, ſed ſimilis Datiano, qui eundem Leuitam cõſecrauit martyrio. Et iterum, vide ne tu ſis ſimilis Rufino, qui beatum Felicem Martyrem ferinis actibus cultor idololatriæ extitit, ſicut & tu perſequeris aliũ Felicem Confeſſorem, quem nouimus ab ineunte ætate caritate ſummum, pudicum, & moribus ornatum; quem tu perſequeris in montibus, & in ſpeluncis, & in cauernis terræ latitantem. Vide ne tu ſis, de quo Propheta dicit: *Fatuus fatua loquitur, & cor eius vana intelliget.* Et iterum: *Docuerunt linguam ſuam loqui mendacium, vt inique agerẽt, laborauerunt.* Et Apoſtolus, *Animalis homo nõ percipit quæ ſunt ſpiritus Dei.* Pſalmiſta quoque ait, *Deſtrue inimicum & defenſorem.* Inimicus & defenſor eſſe dignoſceris, quia dum Deitatem filij Dei vindicare oſtenderis ante ſecula ex Patre geniti, humanitatem eius de vtero virginis ſuſceptam in fine temporis negare videris, oblitus ſententiam Domini, qua hæſitantibus Diſcipulis dicit: *O ſtulti & tar-*

† *f. deeſt deſcendit, vel quid ſimile.*

A *di corde ad credendum in omnibus quæ ſcripta ſunt in lege & Prophetis! Nonne ſic oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam?* Et Apoſtolus, *O ſtulti Galathæ, quis vos faſcinauit veritati non obedire?* Quod dicis in ſcripto tuo, quia ipſe ſolus cum paucis in ea credulitate, quam omnis Hiſpania retinet, memento Dominum dixiſſe, *Lata & ſpatioſa via eſt quæ ducit ad mortem, & multi ſunt qui intrant per eam. Quam arcta & anguſta via eſt quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt qui inueniunt eam?* Memento Dominũ dixiſſe, quod Lazarus pauper vlceribus plenus iacebat

B ad ianuam diuitis, cupiens ſaturari de micis quæ cadebant de diuitis menſa, & nemo illi dabat; ſed canes veniebant, & lingebant vlcera eius. Cõtigit autem vt vterque vno die moreretur. Lazarus deportatus eſt ab Angelis in ſinu Abrahæ. Diues verò ſepultus eſt in inferno, quærens de digito Lazari guttam, qui non dederat micam. Vide ne tu ſis ex illis, qui viginti milia ſeruorum habere dignoſceris, & ideo diuitiis inflatus ſapientia tua, qua nõ eſt deſurſum deſcendens, ſed terrena, ani-

C malis, diabolica. Memento Dominum dixiſſe, *Vbi fuerint duo vel tres in nomine meo congregati, & ego in medio eorum*, ſicut eſt Felix confeſſor, & ſocij eius. Memento quid ſcriptura dicat, *Nonne Deus pauperes elegit in mundo, diuites in fide, & hæredes regni?* Memento quod Pſalmiſta dicat, *Diuites eguerunt, & eſurierunt: inquirentes autem Dominũ non deficient omni bono* Et iterum: *Diuitiæ ſi fluant, nolite cor apponere.* Et iterum, *Theſau-*

D *rizat, & ignorat cur congreget ea.* Sed & illud huic operi connectendũ eſſe putaui, quod Deus pater ſeruo ſuo Dauid locutus eſt dicens: *Cùm dormieris cum Patribus tuis, ſuſcitabo de lumbis tuis qui ſedeat ſuper thronum Iſraël. Ego ero ei in Patrem, & ipſe erit illi in filium.* Et iterum, *De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem meam.* Et iterum, *Radix Ieſſe qui ſtat in ſignum populorum, ipſum gentes deprecabuntur, & erit ſepulchrum eius glorioſum.* Ecce

E ipſe filius Dei ſecundum formam ſerui, quam aſſumpſit ex virgine, in qua minor eſt Patre, & non eſt genere, ſed adoptione, adoptiuus Dei primogenitus in multis fratribus ſecundum Apoſtolum. Quare non dicatur adoptiuus, qui ita totus eſt in noſtris, ſicut totus eſt in ſuis, præter delictum? Ecce Ioachim, cuius filia glorioſa Dei virgo Maria eſſe dignoſcitur, adoptiua eſſe creditur. Quare nõ dicatur adoptiuus Dominus Ieſus Chriſtus de eadem generatus? Memento Dominum dixiſſe Diſcipulis ſuis: *Qui vos audit me audit, & qui vos ſpernit me*

me ſpernit. De his etenim ſanctis doctoribus, quorum nonnulla teſtimonia protulimus, Propheta dicit, *Liga teſtimonium, ſigna legem in Diſcipulis meis.* His prædictis ſi non recipis tantorum venerabilium ſanctorum Patrum teſtimonium, da mihi teſtimonium Beati Athanaſij, Hilarij, Ambroſij, Auguſtini, Iſidori, quod nulla adoptio carnis nec vera humanitas in filio Dei fuerit, conſentiam erroribus tuis? Nam ſicut Magiſter tuus fœtidus & horribilis maculauit Libanam, ita tu regnum regnorum Auſtriam. Sed deſine incaſſum pandere labia, quæ contra Dei myſterium latrant. Vide ne tu ſis quod abſit Beemoth ille, cui montes in alimento deferunt herbas, & cum quo dormis in ſecreto calami, in locis humectibus. Vide ne tu ſis alter Arrius, qui Conſtantinum Imperatorem per Beatum Sylueſtrum Chriſtianum factum, per Arrium & mulierem factum hæreticum, de quo Beatus Iſidorus dicit, Heu proh dolor! principio bono, fine malo. Cuius prauitas non ſolum Gothiam, ſed Libyam, & Orientem, & Occidentem vſque ad tempora diuæ memoriæ Recaredi Regis ſuo maculauit veneno. Vide ne tu ſis alter Nabuzardan Princeps coquorum, qui deſtruxit muros Hieruſalem. Vide ne tu ipſum facias de glorioſo Principe Carolo, ſicut Arrius fecit de Conſtantino, & lugeat ſe in ſæcula ſæculorum. Erant & alia multa tibi ſcribenda, ſed oppreſſione gentis afflicti, non poſſumus tibi reſcribere cuncta. Tu tamen ſi nolueris audire Moyſen, audies Pharaonem. Ipſe tamen Moyſes dixit, *Prophetam ſuſcitauit Dominus Deus de fratribus veſtris, ipſum audietis tanquam me.* Ecce Moyſes adoptiuus filius Dei, dicit ſibi ſimilem eſſe carne, non genere ſed adoptione, & tu negas Dei filium de ſtirpe Abraham, Ieſſe, & glorioſam Dei virginem de Ioachim de adoptiuo filio adoptiuam filiam genitam carnem non ſuſcepiſſe, vt eſſet adoptiuus filius? Sic enim nefandum Presbyterum de doctrina nefandi beati audiui auribus meis dicentem: Chriſtus Ieſus in maternis viſceribus carnem adſumens, non de maternis viſceribus trahens, ſed carnem ſibi nouam efficiens.

Incipiunt teſtimonia ſanctorum venerabilium Patrum de adoptione in filio Dei ſecundum humanitatem, & non ſecundum diuinitatem. Hi ſunt de quibus Dominus Ieſus Chriſtus locutus eſt dicens: *Vos eſtis lux mundi, & vos eſtis ſal* A *terræ, quæcunque alligaueritis ſuper terram ligata erunt, & quæ ſolueritis ſoluta erunt.* Beatus Ambroſius in ſuis dogmatibus dicit, Noſtro vſu adoptiuus filius, & verus filius. Beatus Hieronymus iterum dicit, Hic filius hominis per Dei filium in Dei filio eſſe promeretur, nec adoptio à natura ſeparatur, ſed natura cum adoptione coniungitur. Iterum in expoſito Apocalypſ. Gemma alba adoptio eſt in filium Dei. Beatus quoque Auguſtinus ſecundum Diuinitatem dicit, Dei filius ante ſæcula ex Patre genitus non eſt B adoptione, ſed genere, neque gratia, ſed natura ſecundum humanitatem dicitur homo adoptatus, cuius gloriam quæſiuit qui eſt ab illo vnicus natus. Beatus quoque Leo Papa in ſuis dogmatibus dicit: Totus in ſuis, totus in noſtris, & ſecundum diuinitatem coruſcauit miraculis, & ſecundum humanitatem carnis ſubiacuit iniuriis. Ecce ſi ita eſt totus in ſuis, proculdubio totus eſt & in noſtris; præter peccatum quod non fecit. Ipſe C Dominus & redemptor ſecundum diuinitatem dicit, *Ego & pater vnum ſumus*, ſecundum humanitatem dicit, *Pater maior me eſt.* Beatus quoque Iſidorus iubar Eccleſiæ, ſydus Heſperiæ, doctor Hiſpaniæ, in libro Etymologiarum dicit; Vnigenitus autem vocatur ſecundum diuinitatis excellentiam, quia ſine fratribus. Primogenitus autem ſecundum ſuſceptionem hominis, in qua per adoptionem gratiæ fratres habere dignatus eſt, quibus eſſet primogenitus. Et poſt aliqua dicit: Poſtquam venit plenitudo temporis propter D ſalutem noſtram, formam ſerui accepit, & factus eſt hominis filius. Inde quædam de illo in ſcripturis ſecũdum formam Dei, quædam ſecundum formam ſerui ſequuntur. Quorum (exempli gratia) duo quædam commemorantur, vt ſingula ad ſingula referantur. Secundum formam Dei de ſeipſo dixit, *Ego & Pater vnum ſumus*, ſecundum formam ſerui, *Pater maior me eſt.* Homines autem minus intelligentes quid E pro quid dicatur, ea quæ propter formam ſerui dicta ſunt volunt transferre ad formam Dei: & rurſus ea quæ dicta ſunt vt ad ſe inuicem perſonæ referantur, volunt nomina eſſe naturæ atque ſubſtantiæ, & faciunt errorem in fide. Sic autem Dei filio coniuncta eſt humana natura, vt ex duabus ſubſtantiis fieret vna perſona. Solus enim homo pertulit crucem, ſed propter vnitatem perſonæ & Deus dicitur pertuliſſe. Hinc eſt quod ſcribitur:

Si enim cognouiſſent, numquam Dominum gloriæ crucifixiſſent. Filium ergo Dei crucifixum fatemur, non ex virtute diuinitatis, ſed ex infirmitate humanitatis: non ex ſuæ naturæ permanſione, ſed ex noſtra ſuſceptione. Nam & Propheta dicit, *Miſerere Domine plebi tuæ, ſuper quam inuocatum eſt nomen tuum, & Iſraël quem coæquaſti primogenito tuo.* Æqualitas iſta non eſt in diuinitate, ſed in ſola humanitate, & in carnis adoptione, quam accepit de Virgine, ipſe vnus idemque Deus & homo in duabus naturis & vna perſona ſalua diuinitate exitium ſuſtulit mortis. Ipſe ſecundum deitatem ſuam dicit, *Poteſtatem habeo ponendi animam, & poteſtatem habeo iterum ſumendi eam.* Ipſe ſecundum humanitatem dicit, *Pater mi, in manus tuas commendo ſpiritum meum.* Ipſe Deus Dei filius ſecundum humanitatem dicit, *Deus Deus meus, quare me dereliquiſti?* Et, *Tranſeat à me calix iſte, non ſicut ego volo, ſed ſicut tu vis.* De ipſo Dei filio vox Patris de cœlo diſcipulis illapſa eſt, dicens: *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipſum audite.* De ipſo iterum vox Patris. *Ecce intelliget ſeruus meus, &c.* Et iterum, *Ecce ſeruus meus, ſuſcipiam eum: electus meus, complacuit ſibi in illo anima mea. Dedi ſpiritum meum ſuper eum*, illum videlicet ſeptiformem gratia plenum, de quo Propheta dicit, *Spiritum ſapientiæ & virtutis, ſpiritum conſilij & fortitudinis, ſpiritum ſcientiæ & pietatis. Et repleuit eum ſpiritus timoris Domini.* Ecce Deus Pater complacet in filio, complacet in ſeruo, & diſplicere poterit in adoptiuo? De ipſo Dei filio Pſalmiſta dicit, *Aſcendit in altum, captiuam duxit captiuitatem.* Ecce captiuus dicitur eſſe, & quare non dicatur carne adoptiuus? Ad ipſum Dei filium vox Patris dicit, *Pete à me, & dabo tibi gentes, hæreditatem tuam; & poſſeſſionem tuam, terminos terræ. Reges eos in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringes eos.* Et de ipſo vox Patris dicit, *Ecce ego ante te ibo, & glorioſos terræ humiliabo.* Et iterum, *Ecce ego ante te ambulabo, & montes planos faciam, & feras ferreas confringam, & dabo tibi theſauros occultos, vt ſcias, quoniam Dominus Deus tuus ego ſum.* Ecce cui dicit Pater, *Deus tuus ego ſum*, non ei, id eſt, Verbo qui antè ſecula ex Patre genitus, ſed illi qui in fine temporis de Maria Virgine homo factus eſt, dicit: de quo Apoſtolus ait: *Factus de muliere, factus ſub lege, vt eos qui ſub lege erant redimeret.*

A Ipſe Deus Dei filius ſecundum diuinitatem, in qua ipſe & Pater vnum ſunt, dicit: *Gloriam meam alteri non dabo.* Petere & dare non eſt æquale: dare domini, petere ſerui. De quo Beatus Iſidorus dicit, In forma ſerui ſeruus, in forma Domini Dominus ſerui. Nam & Apoſtolus dicit, *Qui cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinaniuit formam ſerui accipiens. Humiliauit ſe vſque ad mortem, mortem autem crucis.* De ipſo in Euangelio dicitur, *Fili Dauid, miſerere mei.* Et iterum, *Dabit tibi* B *Dominus Deus ſedem Dauid Patris ſui.* Ecce ſi ſecundum humanitatem filius eſt Dauid, ſine dubio de adoptiuo & ſeruo Dei Patris, & ipſius filij & Spiritus ſancti adoptiuus ſecundum humanitatem, & ſeruus eſſe creditur. Adoptiuum dicimus in ſola forma ſeruitutis humanæ, non in gloria vel ſubſtantia diuinæ naturæ. Proximus ille Deo eſt, qui ſcit ratione tacere. Tu verò frater Albine, vide ſimilis ſis Leuitis illis, quos in vetere teſtamento C memorat dicens: *Qui offerentes ignem alienum, diuina vltione percuſſi interierunt.* Sicut & tu intromittis doctrinam diabolicam, deſuem illum Antiphraſium beatum exortum. Eloquia tua exterius videntur eſſe melliflua, & interius abſinthio & felle amariora. Opera iuſtificas, & credulitate condemnas. Oleum tum miſcatum non impinguet caput noſtrum.

Iterum teſtimonia ſanctorum Patrum venerabilium Toleto deſeruientium in Miſſarum oraculis edita ſic dicunt. In D Miſſa de Cœna Domini, Qui per adoptiui hominis paſſionem, dum ſuo non indulget corpori, noſtro demum, id eſt iterum non pepercit. Item in Miſſa de tertia Feria Paſchæ, Reſpice Domine tuorum fidelium multitudinem, quam per adoptionis gratiam filio tuo facere dignatus es cohæredem. Item in Miſſa de quinta Feria Paſchæ, Præceſſit quidem in adoptione donum, ſed adhuc reſtat in conuerſatione iudicium. Item ibi, Dignum E & iuſtum eſt, ſalutare nobis atque conueniens gratias agere, laudes impendere, intelligere munera vota deferre tibi omnipotens Pater, & Ieſu Chriſto filio tuo Domino noſtro, qui pietati tuæ per adoptiui hominis paſſionem quaſi quaſdam in præſentis populi acquiſitione manubias, cùm non exierit e cœlo, exhibuerit è triumpho. Item in Miſſa de Aſcenſione Domini, Hodie

Saluator noſter per adoptionem carnis ſedem repetiit deitatis, hodie hominem ſuum intulit Patri, quem obtulit paſſioni: hunc exaltans in cœlis quem humiliauerat in infernis, his viſurus gloriam, qui viderat ſepulturam. Item in Miſſa ſancti Sperati, Ingeniti Patris vnigenite, filius Dei Spiritui ſancto coæternus, & conſubſtantialis; qui ab arce ſedis æthereæ huius mundi infima petens adoptiui hominis non horruiſti veſtimentum ſumere carnis, & ad liberationem fidelium non es dedignatus in forma ſerui ſalua diuinitate in ſtatera appendere crucis, & perferre exitium ſuſtulit mortis. Item in Miſſa defunctorum, Domine Ieſu Chriſte, qui vera es vita credentium, tibi pro defunctis fidelibus ſacrificium iſtud offerimus: obſecrantes vt regenerationis fonte purgatos, & tentationibus mundi exemptos, beatorum numero digneris inſerere, & quos feciſti adoptionis participes iubeas hæreditatis tuæ eſſe conſortes. Nam & ipſi canimus in vigilia Paſchæ Beato Iſidoro dicente, Induit carnem, ſed non exuit maieſtatem: noſtram ſubſtantiam expetens, ſed propriam non relinquens. Epiſtola Leonis ad Leonem Auguſtũ; Quod in vna Domini Ieſu Chriſti perſona gemina ſit Deitatis & humanitatis adſerenda natura. Quicumque ergo illi ſunt ita obcæcati, & à lumine veritatis alieni, vt verbo Dei à tempore incarnationis humanæ carnis denegent veritatem, oſtendant in quo ſibi Chriſtianum nomen vſurpent, & cum Euangelio veritatis qua ratione concordent, ſi Beatæ Virginis partu aut caro ſine Deitate, aut Deitas eſt orta ſine carne. Sicut enim negari non poteſt, Euangeliſta dicente, Quod *Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis*. ita negari non poteſt Beato Paulo Apoſtolo prædicante, quod *Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi.* Quæ autem reconciliatio poteſt eſſe, qua humano generi repropiciaretur Deus, niſi omniũ cauſa mediator Dei & hominum carnẽ ſuſciperet? Qua vero ratione veritatem mediatoris impleret, niſi qui in forma Dei æqualis eſt Patri, in forma ſerui particeps eſſet & noſtri? vt mortis vinculum vnius præuaricatione contractum, vnius morte, qui ſolus morti nil debuit, ſolueretur? Effuſio enim pro miniſtris ſanguinis Chriſti tam fuit diues ad pretium, vt ſi vniuerſitas captiuorum in Redemptorem ſuum crederet, nulla diaboli vincula remanerent: quoniam ſicut Apoſtolus ait, *Vbi abundauit peccatum, ſuperabundauit gratia:* Et cùm ſub peccati præiudicio nati poteſtatem acceperint ad iuſtitiam renaſcendi, validius factum eſt donum libertatis condebito ſeruitutis. Quam itaque ſibi in huius ſacramenti præſidio ſpem relinquunt, qui in Saluatore noſtro negant humani corporis veritatem? Dicant quo ſacrificio reconciliati, dicant quo ſanguine ſint redempti, quia & Apoſtolus ait, *Qui tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam Deo in odorem ſuauitatis.* Aut quod vnquam ſacrificium ſacratius fuit, quàm quod verus æternus Pontifex altari crucis per immolationem ſuæ carnis impoſuit? Quamuis enim multorum ſanctorum in conſpectu Domini pretioſa mors fuerit, nullius tamen inſontis occiſio redemptio fuerit mundi. Acceperunt iuſti, non dederunt coronas: & de fortitudine fidelium exempla ſunt patientiæ, non dona iuſtitiæ. Singulares quippe in ſingulis mortes fuerunt, nec alterius quiſquam debiti ſui finem præbuit, cùm inter alios hominum vnus ſolus Dominus noſter Ieſus Chriſtus, qui verè erat Agnus immaculatus, extiterit, in quo omnes crucifixi, omnes mortui, omnes ſepulti, omnes ſunt etiam ſuſcitati? De quibus ipſe dicebat: *Cùm exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipſum.* Fides etenim vera iuſtificans impios, & creans iuſtos, ad humanitatis ſuæ tracta participium, in illo acquirit ſalutem, in eo ſolo homo ſe inuenit innocentem, liberum habens per gratiam Dei, de eius potentia gloriari. Qui contra hoſtem humani generis in carnis noſtræ humilitate congreſſus, his victoriam ſuam tribuit, in quorum corpore triumphauit. Licèt ergo in vno Domino noſtro Ieſu Chriſto vero Deo atque hominis filio verbi & carnis vna perſona ſit, quæ inſeparabiliter atque indiuiſè omnes habeat actiones, intelligendæ tamen ſunt ipſorum operum qualitates; & ſynceræ fidei contemplatione cernendum eſt, ad quæ proueatur humilitas carnis, & ad quę inclinetur altitudo Deitatis: quid ſit quod caro ſine Verbo non agit, & quid ſit quod Verbum ſine carne non efficit. Sine enim Verbi potentia nec conciperet virgo, nec pareret: & ſine veritate carnis obuoluta pannis infantia non iaceret. Sine Verbi potentia non adorarent Magi puerum ſtella indice declaratum, & ſine veritate carnis non iuberetur transferri in Ægyptum puer, & ab Herodis perſecu-

tione ſubduci. Sine Verbi potentia non diceret vox Patris miſſa de cœlo: *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipſum audite*: ſine veritate carnis non proteſtaretur Ioannes: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi.* Sine Verbi potentia non fieret redintegratio debilium, & viuificatio mortuorum; & ſine veritate carnis nec cibus ieiuno, nec ſomnus eſſet neceſſarius fatigato. Poſtremò ſine Verbi potentia non ſe Dominus Patri profiteretur æqualem, & ſine veritate carnis non idem diceret Patrem ſe eſſe maiorem: B cùm Catholica fides vtrumque ſuſcipiat, vtrumque defendat, quæ ſecundum confeſſionem Beati Petri Apoſtoli, vnum Chriſtum Dei viui filium & hominem credit & Verbum. Quamuis itaque ab illo initio, quo in vtero Virginis Verbum caro factum eſt, nihil vnquam inter vtramque formam aliquid diuiſionis extiterit, & per omnia incrementa corporea vnius perſonæ fuerint totius temporis actiones, ea ipſa namque alibi tamen quæ inſeparabiliter facta ſunt, nulla commixtione confundimus, ſed qui cuius formæ ſit ex horum qualitate ſentimus. C Dicant ergo iſti hypocritæ, qui cæcis mentibus lumen nolunt recipere veritatis, in qua forma crucis ligno Dominus maieſtatis Chriſtus affixus ſit, quis iacuit in ſepulchro, & reuoluto monumenti lapide quæ tertio die caro ſurrexit, & in qua poſt reſurrectionem ſuam non credentes quoſdam Diſcipulos arguebat, & hæſitationem cunctantium confutabat; cùm diceret, D *Palpate & videte, quoniam ſpiritus carnem & oſſa non habet, ſicut me videtis habere*, Et Apoſtolo Thomæ, *Infer manum tuam in latus meum, & vide manus meas, & pedes: & noli eſſe incredulus, ſed fidelis*: Quantaque manifeſtatione corporis ſui iam hæreticorum mendacia deſtruebat, & viſa Eccleſia Chriſti imbuenda doctrinis hoc non ſibi dubitaret credendum, quod Apoſtoli ſuſceperant prædicandum? E Ac ſi in tanta luce veritatis tenebras ſuas heretica obduratio non relinquit, oſtendant vnde ſibi ſpem vitæ polliceantur æternæ, ad quam niſi per mediatorem Dei & hominum, hominem Chriſtum Ieſum non poteſt perueniri. Sicut enim ait Beatus Petrus Apoſtolus, *Non eſt aliud nomen datum hominibus ſub cœlo, in quo oporteat nos ſaluos fieri.* Nec eſt redemptio captiuitatis humanæ in ſanguine eius, qui dedit ſemetipſum redemptionem pro hominibus. Et ſicut præ-

A dicat Beatus Apoſtolus Paulus, *Cùm in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinaniuit formam ſerui accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo. Humiliauit ſemetipſum, factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen; vt in nomine Ieſu omne genu flectatur: cœleſtium, terreſtrium, & infernorum; & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Ieſus Chriſtus in gloria eſt Dei Patris.* B Cùm ergo vnus ſit Dominus Ieſus Chriſtus, & veræ Deitatis veræque humanitatis in ipſo vna prorſus eademque perſona ſit: exaltatione tamen qua illum ſicut doctor gentium dicit, exaltauit Deus, & donauit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen, excellit eadem, intelligimus pertinere formam, quæ ditanda erat tantæ glorificationis augmento. In forma quippe Dei æqualis erat filius Patris, & inter genitorem atque vnigenitum nulla erat in eſſentia diſcretio, nulla in maieſtate C diuerſitas, nec per incarnationis miniſterium aliquid deceſſerat Verbo quod Dei Patris munere redderetur. Forma autem ſerui, per quam impaſſibilis deitas ſacramentum magnæ pietatis impleuit, humana humilitas eſt, quæ in gloria diuinæ poteſtatis euecta eſt, in tantam vnitatem ab ipſo conceptu, virginis Deitate & vnitate confectam, vt nec ſine homine diuina, nec ſine Deo agerentur humana. Propter quod ſicut Dominus Maieſtatis dicitur crucifixus, ita quia ex ſempiternitate æqualis eſt Deo dicitur exaltatus: quia inſeparabiliter manente vnitate perſonæ, vnus atque idem eſt & totus hominis filius propter carnem, & totus Dei filius propter vnam cum Patre Deitatem. Quicquid enim in corpore accepit Ieſus ſecundum hominem accepit, cuique non habuit conferentem. E Omnia quæ habet Pater etiam filius habet, & quæ in forma ſerui à Patre accepit, eandem formam Dei etiam ipſe donauit. Secundum formam enim Dei ipſe & Pater vnum ſunt: ſecundum formam autem ſerui non venit facere voluntatem ſuam, ſed voluntatem eius qui miſit eum. Secundum formam Dei ſicut Pater habet vitam in ſemetipſo: ſecundum formam ſerui triſtis eſt anima eius vſque ad mortem. Et idem ipſe eſt, ſicut Apoſtolus prædicat, & diues & pauper. Diues quoniam Euangeliſta dicente,

In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deũ. Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil. Pauper vero, quia propter nos Verbum caro factum, & habitauit in nobis. Quæ autem eſt eius exinanitio, quæve paupertas, niſi formæ ſeruilis acceptio, per quam Verbi maieſtate velut redemptionis humanæ diſpenſatio impleta eſt? Nam quia captiuitatis noſtræ reſolui originalia vincula non poterant, niſi exiſteret homo noſtri generis, noſtræque naturæ, qui peccati præiudicio non teneretur, & qui immaculato sãguine ſuo Chirographum lethale dilueret, ſicut ab B initio erat diuinitus præordinatum: ita eſt in plenitudine præfiniti temporis factum, vt multis modis ſignificata promiſſio in diu expectatum veniret effectum: nec poſſet eſſe ambiguum quod continuis teſtificationibus ſemper fuerat nunciatum. In magno autem ſacrilegio ſe verſari hæreticorum manifeſtat impietas, cùm ſub ſpecie Deitatis honorandæ, humanæ carnis in Chriſto negant veritatem, & religioſè exiſtimant credendum, ſi dicatur in Saluatore noſtro verum non eſſe quod ſaluat. Cùm ita ſecundum promiſſionem omnia ſæcula percurrentem, mundus ſit reconciliatus in Chriſto, vt ſi non Verbum dignaretur caro fieri, nulla poſſet & caro ſaluari. Omne enim ſacramentum fidei Chriſtianæ magno vt hæretici volunt decoloratur obſcuro, ſi lux veritatis ſub mẽdacio putatur latuiſſe fantaſmatis. Non ergo quiſquam ſibi erubeſcendum exiſtimet Chriſtianus de noſtri in Chriſto corporis veritate, quia omnes Apoſtoli Apoſtolorumque diſcipuli & præclari Eccleſiarum quique doctores, qui ad martyrij coronam vel confeſſionis meruerunt gloriam peruenire, in huius fidei lumine ſplenduerunt, conſonis vbique ſententiis D intonantes, quod in Domino Ieſu Chriſto Deitatis & carnis vna ſit confitenda perſona. Qua autem rationis ſimilitudine, qua diuinorum voluminũ portione hæretica impietas ſe exiſtimat adiuuari, quæ veritatem negat corporis Chriſti? Cum hanc non lex teſtificari, non Prophetia præcinere, non Euangelia docere, non ipſe deſtiterit Chriſtus oſtendere: quærãt per omnem ſeriem ſcripturarum, quo tenebras ſuas fugiant, non quo verum lumen obſcurent, & per omnia ſæcula ita veritatem inuenient coruſcantem, vt magnum hoc & mirabile ſacramentum ab initio videant creditum, quod eſt in fine completum. De quo

A cum ſanctarum litterarum nulla pars ſileat, ſufficit quædam conſona veritatis ſigna patuiſſe, quibus diligentia fidei in ſplendidiſſimam latitudinem diligatur, & ſyncera intelligentiæ luce proſpiciat quod in filio Dei, qui ſe inceſſabiliter filium hominis, & hominem profitetur, non ſit Chriſtianis erubeſcendum, ſed conſtantiſſimè gloriãdum. Vt autem pietas tua cum venerabilium Patrum prædicationibus nos concordare cognoſcat, aliquantas erroris ſententias huic credidi ſubiiciendas eſſe ſermoni, in quibus ſi dignaueris recenſitis non aliud nos prædicare reperies, quod ſancti Patres nos in toto orbe docuerunt, nequaquam ab illis niſi ſolos impios hæreticos diſcrepare. Sed & illud huic operi inſerendum putaui, quod Scriptura dicat, *Reuelabunt cœli iniquitatem eius, & terra conſurget aduerſus eum.* Qui ſunt iſti cœli, niſi illi, qui cum Chriſto ad iudicium venturi ſunt: de quibus eſt Ambroſius, Auguſtinus, Hieronymus, & cæteri; quos tu, Albine, refutas, & hæreticos iudicas? De quibus Pſalmiſta ait, *Cœli enarrant gloriam Dei.* Item Beatus Auguſtinus in Epiſtola ſua ad Euodium directa, vbi de Trinitate & columba, vel de adoptione filij Dei C diſſeruit, poſt plura ſuperius edita ſic dicit: Sicut Pater in voce qua ſonuit: *Tu es filius meus*, & filius in homine adoptiuus, quem ſuſcepit ex Virgine, & Spiritus ſanctus in columbæ ſpecie corporali. Item poſt aliqua, Atque ita & filius Dei ſimul cum homine adoptiuus dicitur, & filius hominis adoptiuus ſimul cum Verbo dicitur. Item poſt aliqua: Vnde filius Dei incommutabilis eſt atque coæternus Patri, ſed in Verbo ſolo: & paſſus eſt filius Dei, ſed in homine adoptiuo ſolo: & ſepultus eſt filius Dei, ſed in carne adoptiua ſola. Proinde quę de filio Dei verba dicuntur, videndum eſt ſecundum quid dicantur. Non enim homine aſſumpto vel adoptiuo perſonarum numerus auctus eſt, ſed eadem Trinitas manſit. Nam ſicut in homine quolibet præter vnum illum qui ſingulariter ſuſceptus eſt, anima & corpus vna perſona eſt: ita in Chriſto Verbum & homo adoptiuus vna perſona eſt. Item poſt aliqua, Ita Chriſtus Dei filius Dominus gloriæ, & ſi quid huiuſmodi ſecundũ Verbum dicitur, & tamen recte dicitur Dominus gloriæ crucifixus: cùm hoc eum ſecundum carnẽ adoptiuam paſſum eſſe, non ſecundum illud quod Dominus gloriæ eſt. Et poſt pauca, Spiritus ſanctus dicitur corporali ſpecie tanquam columba deſcendiſſe &

manſiſſe ſuper eum. Sic enim & Petra A Chriſtus, quia ſignificabat Chriſtum adoptiuum. Item poſt aliqua: Hæc tibi de duabus quæſtionibus tuis, hoc eſt de Trinitate & columba, in qua Spiritus ſanctus non ſua natura & ſignificatiua ſpecie demonſtratus eſt, ſicut & filius Dei non ſua natiuitate de Patre dicit; *Ego ex vtero ante Luciferum genui te*, ſed in homine B adoptiuo ex vtero Virginis natus à Iudæis crucifixus eſt. His ſæpè dictis cum Epiſtolam tuam iterum atque iterum ſacrilegam, lethali veneno corruptam, atque ignorantiæ caligine tenebroſam relegiſſem, reperi ibidem quod nos Dominum Dei filium ex virgine natum negaremus nequaquam eſſe eſſentialiter Deum, de quo ipſe Dei filius: *Ego & Pater vnum ſumus.* Reminiſcere debes quid C ſcriptura dicat, *Teſtis falſus non erit impunitus.* Et illud, *Maledictus homo qui in corde ſuo fabricat malum, & de his labiis ſuis ficte loquitur pacifica: Sed Deus qui videt omnia reddet illi ſecundum opera ſua.* Ego quidem non Deum Dei filium ante ſæcula ex Patre genitum, per quem facta ſunt viſibilia & inuiſibilia, ſpiritalia atque corporea, quem credo adoptione non eſſe, ſed genere; neque gratia, ſed natura Deum eſſe negaui. D Sed iuxta Beati Iſidori ſententiam, qui dicit quia ſunt nonnulli, qui de filio Dei praua ſentiunt, & quod de illo ſecundum humanitatem dictum eſt, transferunt ad diuinitatem; & quod de diuinitate, mutant ad humanitatem. Noſter tamen Iulianus dicit, Homo dominicus & humanatus Deus. Multa quidem adhuc erant huic operi inſerenda, ſed ſermo diuinus nos prohibet, dicens: *Linguam tuam adhærere faciam palato tuo, & eris mutus*, ne quaſi vir obiurgans, quia domus exaſperans eſt. Idcirco væ tibi Auſtria, væ tibi Alexandria, quæ nouum Arrium, id eſt Albinum genuiſti tempore glorioſi Principis, ad euertendam & obſcurandam fidem Catholicam. Ad vltimum, audi beatum Cyprianum cuidam hæretico ſcribenti ita dicentem: Habes tu litteras meas, & ego tuas, vtræque recitabuntur in conſpectu Domini. Memento iterum Euangeliſtam dixiſſe, *Multi ex diſcipulis eius abierunt retro.* Et vbi abierunt? Reſpondeat tibi beatus Gregorius dicens, Poſt Satanam. Et iterum cuidam, cum Domino diceret: *Magiſter, ſequar te quocunque ieris*; Ille reſpondit: *Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos: filius autem hominis non habet in te vbi caput reclinet*, & ſicut & in te, ſi iſta tibi parua non ſufficiunt, nec multa proderunt.

Proximus ille Deo eſt, qui ſcit ratione tacere.

Quod duro ſermone tibi interdum ſcripſimus, Domino iubente per Moyſen hoc fecimus, qui dicit: *Non coques hædum in lacte matris ſuæ.*

Suggerendum eſt iterum glorioſo Principi, vt miteſcat indignatio eius ſeruo ſuo Felici, & non requirat Dominus ſanguinem eius de manu illius. Nam pro certo ſciat, quia ſi prædicationem illius ſpreuerit, & Albini confirmauerit, cum Conſtantino Imperatore habebit partem, quod Deus non permittat. Quem beatus Iſidorus deflet dicens: Heu prô dolor! principio bono, fine malo.

MAGISTRI
ALBINI FLACCI ALCHVVINI
LIBELLI DVO,

Contra Epiſtolam ſibi ab Elipanto Toletano Epiſcopo directam.

Quibus euacuat prauas illius aſſertiones.

DOMINIS IN CHRISTI CHARITATE VENERABIlibus atque dilectiſſimis Laidrado Epiſcopo Lugdunenſi, & Nefridio Epiſcopo Narbonenſi, & Benedicto Abbati, ſimulque ſanctiſſimis nobiſque valde honorabilibus Gothiæ Prouinciæ partibus Epiſcopis, Abbatibus, & fratribus, humillimus ſanctæ Eccleſiæ filius Albinus ſalutem.

SCIO *me debitorem eſſe in officio ſanctæ charitatis omnibus piæ Matris Eccleſiæ filiis, in prædicando vel defendendo Catholicæ fidei veritatem, quod opto tam efficaciter diuina donante gratia perficere, vel eam quam libenter huic piiſsimo labori meam ſuccumbere deuotionem fateor. Maxime tamen veſtræ ſanctiſsimæ dilectioni in hac gratia meũ ſudare ingenium ſecundũm largitoris indeficiens donum ratum arbitror; ne vicina peſtis Hiſpanici erroris aliquorum inter vos mentes maculare valeat. Quæ terra, vt in veteribus legitur hiſtoriis, tyrannorum ferax fuerat, qui Romanum ſæpiſsimè imperium lacerare ſolebăt. At nunc multo peius ſacratiſsimas Chriſtiani imperij aures quibuſdam ſchiſmaticæ peruerſitatis nouitatibus fatigare aggreditur, veluti veſtra inuiolabilis fides & celeberrima ſanctitas optime nouit, qui per diuinæ ſuffragia pietatis hanc nebuloſam impietatis ſectam clara veritatis luce pridem diſcutere ſtuduiſtis, etiam & Deo Chriſto donante cœptum prædicationis opus multa ex parte perfeciſtis. Ad cuius piiſsimæ prædicationis venerabile opus, mandante glorioſo Principe & deuotiſsimo in omni bonitate Carolo Rege, vos iterum ituros eſſe audiuimus. Quapropter paucorum arripui laborem dierum in ſolatium ſanctiſsimi itineris veſtri, quatenus haberetis in manibus cuiuſdam Epiſtolæ meo nomini directæ ab Elipanto Toletano Epiſcopo pias & perneceſſarias Reſponſiones, ne forte aliquorum ex eiuſdem Epiſtolæ lectione mentes maculentur, quia eaſdem audiuimus litteras in aliorum priùs peruenire manus, quàm nobis cui miſſæ ſunt redditæ eſſent. Et hæc cauſa fuit, cur mihi præfatus Pater ſuæ incredulitatis Cartulam dirigere voluiſſet. Nam ego aliquibus nobis narrantibus noſtræ Societatis fratribus eundem Elipantum ſicut dignitate, ita etiam perfidiæ malo primum eſſe partibus in illis agnoui. Quapropter ſi quidem pacifica charitate direxi ei exhortatorias litteras, deſiderans conſulere ſenectuti illius, & in viam Catholicæ veritatis fraternã dilectione & humili admonitione reuocare virum longæua grauem ætate, & religioſæ vitæ multo tempore famoſum. Sed ille, dum accepiſſet meæ deuotionis litterulas, mox iracundiæ flammis incanduit, totamque animi ſui intentionem colligens in iram, nec eo pietatis intuitu apices aſpexit meos, quo me Chri-*

ſtum teſtor illi dirigere ſcio; ſed mox in maledictionis verba proſiluit, totumque ſe armauit in ſuæ ſectæ defenſionem, nobiſque litteris demandare curauit, quid ſentiret, quid ſuos diſcipulos credere doceret, me falſarium clamans atque per vices hæreticum, per vices ſubuerſorem nec non & perſecutorem Chriſtianorum reputans: nullumque propemodum maledictionis genus vel perfidiæ dimiſit, quod noſtro non inureret nomini. Oſtendens ſeipſum quid eſſet, & quàm impatienter toleraret ſi aliquis impietatis ſuæ errori contraire tentaret, multa colligens teſtimonia ex ſanctarum ſerie ſcripturarum, multaſque Catholicorum ſententias Doctorum deduxit in medium, quæ pene omnia prauiſſima interpretatione maculare non timuit. Quibus illius veſaniæ litterulis breui ſermone duobus Libellis reſpondere curaui, euacuans veraciſſimis ſanctorum Patrum ſenſibus omnes illius adſertiones atque interpretationes prauiſſimas. Illis quoque duobus Libellis alios duos adiunxi plano ſermone Catholicæ fidei de Chriſto Deo veritatem teſtantes, atque ſanctorum Patrum teſtimoniis abundantiſſimè confirmantes. Quorum lectione pietatem veſtram congaudere arbitror. Quia totum illud opus veſtro gaudebam dicare nomini, vobiſque primo omnium direxi probandum atque corrigendum, iudicio veſtræ authoritatis atque ſanctitatis tantummodo contentus, nec in publicas aures eaſdem meę deuotionis litterulas procedere velim, niſi priùs veſtrę authoritatis cenſura examinentur, & fraternę congregationis lectione confirmentur. Satis mihi æſtimans illorum iudicio examinari, quorum dilectione ſingulariter me laborare elegi. Nec maledictionibus illius maledictiones oppoſui, quaſi meas vindicans iniurias, ſed vt veritatis teſtificatio ſe offerebat, quibuſdam in locis durioribus reſpondi verbis, quibuſdam iterum in locis ſuaues admiſcui admonitiones, ne illius infeſtiſſimam animam vel meorum amaritudo verborum exaſperaret, vel iterum mellis dulcedo ſæuam faſtidiret mentem. Nec pro eius tantummodo vt dixi laboraui ſalute, quem timeo forſantius vel morte præreptum eſſe propter decrepitam in eo ſenectutem, vel ob diſſenſiones populorum; in eius non poſſe peruenire meas præſentiam ſyllabas, ſed magis in adiutorium piiſsimæ prædicationis veſtræ, atque ſolatium virorum vel fœminarum morantibus vicinis Hiſpaniæ partibus. Improperans & mihi idem præfatus Pater diuitiarum multitudinem, ſeruorum vſque ad xx. millia numeroſitatem. Ignorans quo animo quis habeat ſæculum. Aliud eſt habere ſæculum, aliud eſt haberi à ſæculo. Eſt qui habet diuitias & non habet, eſt qui non habet & habet. Hominem vero ad meum numquam comparaui ſeruitium, ſed magis deuota charitate omnibus Chriſti Dei mei famulis ſeruire deſiderans, ad cuius ſeruitij facultatem, diuina vt credo iubente diſpenſatione, ad glorioſum & omni honore nominandum huius regni Principem & Regem Carolum vocatus adueni, ſicut mihi quidam ſanctiſſimus vir Prophetiæque Spiritu præditus Dei eſſe voluntatem in mea prædixerat patria, etiam & vt vir Venerabilis totuſque Deo deditus meus mihi mandatum dederat Magiſter, vt ſi alicubi nouas audirem oriri ſectas, & Apoſtolicis contrarias doctrinis, mox totum me in Catholicæ defenſione fidei dediſſem. Quod quamuis ob imperitiam paruitatis meę minus idoneus faciam, tamen promptiſſima mente quantum me diuina adiuuerit gratia huic perneceſſario Operi me mancipare ſtudeo cum melioribus meis optimiſque Eccleſiæ Chriſti Doctoribus, quorum bona abundantia per diuerſas Chriſti Eccleſias in hoc præſenti reperitur regno. Nec eo mihi magis tacendum eſt, quamuis meliores mihi habeat Eccleſia Dei Doctores, atque fidei Catholicæ defenſores. Vnuſquiſque pro ſe rationē redditurus erit, & qui plus laborat, plus mercedis accipiet. Idcirco ſanctiſſimi Patres, & dilectiſſimi*

fratres, ſedula intentione atque indeficienti ſudore in prædicatione verbi Dei, & veritatis teſtificatione, ſecundum gratiam vobis à Deo datam deuotiſſimè laborate. Exhibentes voſmetipſos in conuerſatione religioſa omnibus exemplum in officio pietatis omnibus Patres, in fraternæ dilectionis admonitione omnibus fratres, in adminiſtratione veræ humilitatis omnibus filios. Omnia omnibus facti, vt omnium ſalus & profectus in æterna beatitudine donante multiplici vos mercede dignos efficiat. Incolumem & proficientem in prædicatione verbi Dei diuina veſtram ſanctitatem gratia cuſtodiat, ſanctiſſimi fratres.

ADVERSVS ELIPANTVM TOTET. EPISC.

LIBER PRIMVS.

PARATVM cor meum Deus, paratum cor meum. Paratum diuina inſpirante gratia, ad proferendam veritatis doctrinam. Paratum ad reſiſtendum falſitatis erroribus. Paratum Domine Ieſu te amare, laudare, & prædicare. Paratum te verum Deum, verumque Dei filium intelligere, cum beato Euangeliſta, qui de ſacratiſſima tui pectoris plenitudine Catholicæ veritatis hauriens fidem ait: *Hæc autem ſcripta ſunt, vt credatis quia Ieſus eſt Chriſtus filius Dei.* Moxque huius fidei perpetuam oſtendens mercedem, ſubiunxit: *Et vt credentes vitam æternam habeatis in nomine eius.* Eundem Euangelica autoritate Dei filium prædicans, quem Gabriel Archangelus antequam conciperetur, beatæ Virgini Ieſum filiumque Altiſſimi vocitandum eſſe prædixerat, nulli dubium eſt quin ad humanam pertinere naturam nomen Ieſu, in quo nomine beato Doctore gentium adteſtante, *Omne genu flectitur, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum: & omnis lingua confitetur, quia Dominus Ieſus in gloria eſt Dei Patris.* Cuius quoque nominis poteſtatem beatus Petrus Princeps Apoſtolorum in ſanitate claudi, qui ad Specioſam templi portam iacebat, oſtendit dum ait: *In nomine Ieſu Nazareni ſurge & ambula.* Qui confeſtim ſanatus exiliens & ambulans laudabat Deum. Addidit quoque idem Beatus Apoſtolus huius nominis excellentiam, dum à Iudæis prohibiti ſunt Apoſtoli in eo nomine prædicare, dicens: *Nec enim eſt aliud nomen ſub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos ſaluos fieri.* Hæc eadem Deo miſerante mihi eſt cauſa con-

A tra te ſcribendi, & tuas deſtruendi infidelitates, ô Pater Elipante, quæ fuit beato Ioanni Euangeliſtæ ſanctum cauſa ſcribendi Euangelium, vt ſanctarum ſcripturarum authoritate & Catholicæ fidei veritate oſtendam, Ieſum Chriſtum verum eſſe filium Dei, non ſolum in ea natura quæ æternaliter ex Deo Patre genita eſt, verum etiam & ex ea quæ temporaliter ex Matre Virgine facta eſt, ne vnus Ieſus filius Dei Chriſtus diuidatur in duos filios, proprium, atque adoptiuum: quæ

B diuiſio duarum abſque dubitatione perſonarum eſſe intelligitur. Sicut poſſibile eſſe Deo non eſt negandum, vt filius hominis dum voluit, perfectus & proprius fieret: ſic non eſt Deo contradicendum, vt humanam naturam, quam in dignitatem ſuæ perſonæ adumpſit, in proprietatem filij Dei exaltare potuiſſet, vt eſſet eadem perſona cum adſumpto homine in proprietate filij, quæ fuit ante omnia ſæcula in ſubſtantia deitatis. Ergo in omni ſerie ſanctarum ſcripturarum numquam nomen adoptionis Chriſto impo-

C ni legitur, ſed nos per eum adoptionis accepiſſe gratiam teſtantur. De qua adoptione in nos facta præfatus Euangeliſta ait, *In propria venit, & ſui eum non receperunt: quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri.* Non eſt hæc poteſtas adoptionis à quolibet adoptiuo in ſanctos conlata, ſed ab eo quem quaſi vnigenitum, plenum gratia & veritate mox in ſequenti ſententia idem teſtatur Euangeliſta. Et paulo poſt, *De plenitudine eius nos omnes accepimus, & gratiam*

D *pro gratia*, Et Apoſtolus, *In quo habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter.* Si adoptio eſt in Chriſto, non eſt omnis plenitudo nobilitatis eo; in quia adoptio de quadã extranea perſona adſumi ſolet in filij nomen, nec quiſquam Apoſtolorum, qui ſunt lumina & doctores totius mundi, Ieſu nomine adoptionem addere voluit; nempe inter adoptiuos & proprios filios. Beatus Auguſtinus in diſputatione quam habuit cum Fe-

liciano quodam Arrianæ ſectæ defenſore diſcreuit, ita, dicens. Filiorum namque adoptiui alij ſunt, naturales alij. Hi quia geniti ab initio filij ſemper ac proprii ſunt. Illi primò alieni, poſt filij, cùm per adoptionē in familiam videntur adſciſci; quando homo Chriſtus ex Virgine natus alienus fuit Deo Patre, vt ex alieno quodam per adoptionem adſciſceretur in filij nomen. Nonne in ipſo conceptu operante ſancto Spiritu ex beata Virgine Deus verus, & Dei filius verus conceptus eſt, & tempore opportuno natus? At ſi numquam alienus, numquam igitur adoptiuus: Quia vt beatus Auguſtinus ait, ex alieno quodam adoptiuus ſolet effici. Reſtat ergo vt ſtatim fieret Chriſtus proprius filius Dei ab ipſo conceptu, quia numquam alienus fuit. Nunquam verò alienus, quia numquam vetus homo fuit: licet in errore veſtro contra fidem Catholicam dicatur, Chriſtus homo vetus. Nam beatus Hieronymus ait in tractatu Epiſtolæ ad Epheſios: Quid enim in homine, qui à Saluatore noſtro aſſumptus eſt, non nouum fuit? Conceptus, natiuitas, partus, infātia, doctrina, vita, virtutes, & ad extremum crux & paſſio, ſpolians in ea principatus & contrarias fortitudines oſtentui habens. Reſurrectio quoque & Aſcenſio in cœlum. Hic ergo verè reatus eſt in iuſtitia & ſanctitate veritatis, quia Deus verus Dei verè filius fuit, & tota in illo religio atque iuſtitia Dei veritate completa eſt. Videtis quàm fiducialiter iſte præcipuus in Eccleſia Dei doctor Chriſtum prædicauit, ſemper nouum hominem verumque Deum vereque Dei filium creatum eſſe, atque in eo omnem iuſtitiam in Dei veritate completam eſſe adfirmat. Hæc vna ſententia ſi fiducialiter legatur, & veraciter intelligatur, peſſimas veſtri erroris euacuat adſertiones: dum vos dicitis Chriſtum veterem hominem, nuncupatiuum Deum, adoptiuum filium. Iſte verò nobiliſſimus doctor Saluatorem noſtrum nouum hominem, verum Deum, & verè Dei filium, abſque vlla dubietate creatum teſtatur. Ecce quidam feruor teſtificandę veritatis me rapuit ab ordine Reſponſionis. Sed incipiamus à me ſententias tui diſcutere Libelli, & intelligant qui legant piæ exhortationis caritatiſque calamo, ô Pater Elipante, conſcriptos ad tuam reuerentiam apices vel impię maledictionis, quos venenoſo ore procaciter meo nomini dirigere ſtuduiſti, vel ex quo Spiritu in prima fronte tuarum litterarum ſtatim verba diriſſimæ maledictionis proferre voluiſſes. Ego prorſus ſim-

A plici caritate meæ deuotionis preceſ tuæ direxi Reuerentiæ, deſiderans ſenectutem tuam per Chriſtum ſaluari, & ad Catholicæ pacis concordiam reuocari, ſine qua nihil, nec ipſa martyrij gloria, Deo acceptabile eſſe beatus Paulus Apoſtolus proteſtatur. Tu econtra in verba nefandæ inuectionis proſiluiſti, iuxta Salomonis veridicam ſententiam, *In ore ſtulti arma & gladius*. Item, *Argue ſtultum, & oderit te*. Vnde maledictionem benedictioni meæ oppoſuiſti, quid in corde haberes, quis te totum Spiritus poſ-
B ſideret oſtendens. Sed Dominus qui illuminat cæcos, & ſanat contritos corde, illuminet tenebras ignorantiæ tuæ, & ſanet infidelitatis vulnera in corde tuo, teque paſtorem efficiat populi ſui, prudētem, pium, pacificum, & Catholicum.

Quid eſt, vir frater, quod tanta hæreticorum nomina meæ impoſuiſti perſonæ, quorum imagines & poteſtates in ciuitate ſua Dominus Deus olim ad nihilum redegit? non memorans quid de tuis ſimilibus Pſalmiſta caneret, dicens; *Venenum aſpidum*
C *ſub labiis eorum: quorum os maledictione, & amaritudine plenum eſt*. Et ipſa Veritas in Euangelio Iudæis improperans pro benefactis ſuis maledicta eorum, ait: *Progenies viperarum, quomodo poteſtis bona loqui, cùm ſitis mali? ex abundantia enim cordis os loquitur*. Et iterum: *Bonus homo de bono theſauro cordis ſui profert bona, & malus homo de malo theſauro cordis ſui profert mala*. Simile eſt, maledictio vtique ex mali cordis theſauro proceſſit. Omnino mala eſt maledictio, prohibente eam Apoſtolo. *Nolite*, ait, *maledicere*. Igitur qui maledicit, ex mali cordis theſauro maledictio-
D nem profert. Si me errare ęſtimares, nonne Apoſtolico præcepto me corrigere debuiſſes in Spiritu manſuetudinis, conſiderans te ipſum, ne & tu tenteris? *Alter alterius onera portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti*. Facile eſt enim ex verbis beati Iacobi Apoſtoli, vnde ſit ſapientia tua agnoſcere; vbi de māſuetudine veræ ſapientiæ, & de amaritudine impiæ æmulationis diſputauit. Ait enim, *quod ſi zelum amarum habetis, & conten-*
E *tiones in cordibus veſtris, nolite gloriari, & mendaces eſſe aduerſus veritatem*. Non eſt iſta ſapientia deſurſum deſcendens, ſed terrena, animalis, diabolica. Vbi enim zelus & contentio, ibi inconſtātia & omne opus prauū. Quæ autem deſurſum eſt ſapientia, primum quidem pudica eſt, deinde pacifica, modeſta, ſuadibilis, bonis cōſentiens, plena miſericordia, & fructibus bonis. Ego ramū oliuæ columbino ore ferens, vulnus tui cordis mederi optans. Tu è diuerſo ſerpen-

tina lingua mortiferum euomuiſti venenum, promptior ad maledicendum, quàm ad benedicendum. Ego cum Nicolao, cui me comparaſti, nuptiales tædas non extinguo. Sed cum beato Stephano Protomartyre mentis intuitu video Ieſum ſtantem à dextris Dei, pro ſui nominis nobilitate certantibus auxiliari. Ego cum impio Datiano præclari martyris Vincentij non ſum perſecutor, ſed hæreticæ prauitatis pro virium mearum portione, adiuuante Deo, deuotus extirpator. Ego cum Ruffino beatum Felicem martyrem non feci: ſed Felicem olim veſtri erroris complicem, Deo miſerante Catholicum effeci: perſequens in eo illius impiam dubitationem, qui tentando Dei filium dixerat: *Si filius Dei es, dic vt lapides iſti panes fiant.* Et iterum per Iudæos ipſo in cruce pendente clamauit, *Si filius Dei eſt, deſcendat nunc de cruce, & credimus ei.* Numquid non peior eſt veſtra incredulitas, quàm diabolica dubietas? Ille explorare volens ſi filius Dei eſſet, quem eſurire, ſitire, & laſſeſcere cernebat. Vos regnantem in cœlis verum Dei filium negare non timetis, vincentes veſtra incredulitate diabolicam infidelitatem. Illum vero Felicem, quem tu caritate ſummum, pudicum, moribuſque ornatum adſeris, nos habemus in caſtris Chriſti: atque vtinam & tu cum tuis ſequacibus illius exemplo edoctus, ad veræ fidei cognitionem peruenias, ipſo præſtante quem nos prædicamus verum Deum & proprium Dei filium. Dicis, Fatuus fatua loquitur. Numquid fatua loquitur qui veritatem prædicat? & non ille magis fatuus eſt, qui eſt falſitatis adſertor?

Ponis quoque ſententiam Apoſtoli, *Animalis homo non percipit ea quæ ſunt Spiritus Dei*, volens me animalem intelligere, & te ſpiritalem. Videat qui legat litteras noſtras, cui noſtrum hæc ſententia magis conueniat, an mihi qui Euangelicis Apoſtoliciſque, nec non & paternis roboratus teſtimoniis Chriſtum prædico verum Deum & verum Dei filium; aut forte tibi, qui Hiſpanico errore deprauatus contra fidem Catholicam canina rabie latrare nō times, renuens in Chriſto veram filietatis nobilitatem, ſed extraneam nomine tenus tantum in illo eſſe generoſitatem adfirmans, qui adiuratus à Pontifice Iudæorum per nomen ſummi Dei an filius Dei eſſet, reſpondit: *Planè ego ſum.* Qui & cæco inluminato interroganti, quis eſſet filius Dei, & crederet in eum, dixit: *Et vidiſti eum, & qui loquitur tecum ipſe eſt.* Quid ille iam inluminatus vidit? abſque dubitatione humanita-

A tis naturam, non diuinitatis ſubſtantiam, quæ carnalibus videri oculis non poteſt. Duo dixit ei Dominus. *Et vidiſti eum, & qui loquitur tecum.* Quæ propriè ad humanam intelliguntur pertinere naturam, & tamen quæ videri potuit & audiri loquens eandem naturam filium Dei eſſe fatebatur. Dicis quoque ex verſiculo Pſalmigraphi me defenſorem & inimicum eſſe. Forte nolens verum de me protuliſti teſtimonium. Fateor ſiquidem me defenſorem eſſe fidei Catholicæ, & inimicum eſſe inimicorum B Chriſti, qui honorem diuinitatis & nobilitatem dignitatis illi adimere contendunt. Quem paganus Centurio mori cernens, territus elementorum mutatione, verum Dei filium confeſſus eſt dicens; *Verè Dei filius erat homo iſte.* Immò diabolicæ poteſtates, ſicut in Euangelio legitur, de obſeſſis clamantes corporibus, Chriſtum Dei filium confeſſæ ſunt. Nec hoc dico, quod illorum teſtimonio indigeam; habens teſtes totiùs Scripturæ ſanctæ paginas, ſed ad cōfuſionem infidelitatis veſtræ illorum vobis C præfero fidem, qui ſoli ita peruerſi eſtis in fide, vt diabolica vobis digne præferatur confeſſio. Quod verò me adſeris humanitatem veram in Chriſto negare, omnino falſum eſt; nec in omni litterarum mearum ſerie me hoc dicere vel crediſſe probare poteris. Sed in eo abſque vlla dubietate vel ſcrupulo duas confiteor naturas perfectas & integras, diuinitatis ſcilicet atque humanitatis in vna perſona, & in vno filij Dei nomine: ſicut in Epiſtola quam caritatis D officio & ſalutis tuæ deſiderio Catholico calamo Reuerentiæ veſtræ exarare curauimus, perſpicuè intelligere poteſtis, ſi ſobrio ſenſu mea ad vos & pro vobis pietatis verba legere & intelligere vultis. Certiſſime me ſcitote duas naturas, ſicut ſuperiùs dixi, & vnam perſonam confiteri in Chriſto. Firmiter namque abſque omni dubitatione credēdum eſt & prædicandum, eumdem eſſe qui natus eſt ex Virgine, Deum verum in duabus naturis, & verum filium E Dei: ita vt vnus ſit Chriſtus, & vnus Deus, & vnus Dei filius, & vnus Rex, & vnus totius mundi Saluator. Diuinitate conſubſtantialis Patri, humanitate conſubſtantialis matri, vt ſit idem verus Deus & verus homo in vnitate perſonæ: quem vos ſine dubio cum Neſtorio in duos diuiditis filios, & in duas perſonas, per proprietatem, & adoptionem. Non igitur idem magiſter veſter Neſtorius inuenitur duas perſonas palam in Chriſto profiteri, quantum ad nos litteræ illius peruenire potuerunt: ſed om-

nia quæ duabus neceſſe eſt ineſſe perſonis, proferre de Chriſto reperitur, adoptionem ſicut & vos humanitati adſcribens, & diuinitati proprietatem filij deſignans. Tu vero, frater Elipante, homo animalis animalium more generationem filij Dei intelligens, minus te ipſum conſiderans, an totus anima & corpore ſis proprius filius Patris tui & matris tuæ, dum certum eſt ſolam carnem ex coniunctione parentum tuorum procreatam eſſe? Animæ vero creaturam ex nihilo Dei potentia cōditam, & coagulationem carnis in vtero matris coniunctam viuificatrice potentia, vt viuum naſceretur animal rationale atque mortale, & quod in omni homine fieri poſſe cernis, in Dei filio fieri operante ſancto Spiritu confiteri dubitas, vt Deus omnipotens, qui omnia facit quæ vult in cœlo & in terra, hoc ſolum te nolente non potuiſſet, vt filius ſibi proprius ex virginali vtero naſceretur? Aut te ipſum nega proprium filium parentibus tuis niſi ſola carne, aut ſi hoc tibi abſurdum videatur, confitearis neceſſe eſt in filio Dei hanc proprietatem fieri poſſe: licet alterius natura ſit æterna diuinitas, alterius ex tempore facta humanitas: quā in te ipſo fore, immò & in omni homine negare non vis. Me igitur recordari iubes Dominum dixiſſe, *Lata & ſpatioſa via eſt quæ ducit ad mortem, & multi ſunt qui intrant per eā.* Quam arcta & anguſta via eſt, quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt qui inueniunt eam! Recordare & tu Prophetam dixiſſe: *Paſcentur agni in latitudine.* Et Pſalmiſtam de potentia eius, de quo nobis ſermo eſt, multo ante præcecinisse: *Et dominabitur à mari vſque ad mare, & à fluminibus vſque ad terminos orbis terræ.* Ipſumque cum triumpho gloriæ aſcendentem in cœlos mandatum dediſſe Apoſtolis ſuis, vt docerent omnes gentes, dicens: *Ite, docete omnes gentes.* Olim in Iudæa natus tantummodo Deus, nunc verò omnibus gentibus vox vna eſt Chriſtus. Quē vos intra Pyrineos ſaltus non regnaſſe, ſed captiuum latitaſſe æſtimatis.

Aliud quoque de Euangelio profers teſtimonium, vbi ipſa Veritas de communione caritatis ſanctorum ait, *Vbi ſunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum.* Et credis hoc de Felice tantum ſuiſque complicibus dictum eſſe? Qualis olim idem Felix fuit, dum veſtri erroris catenis vobiſcum colligatus fuit. Nunc vero Deo miſerante rationabili diſputatione conuictus, & abſolutus ab errore veſtro, & in Catholicæ pacis vnanimitatem reductus. Et quem vos habuiſtis quaſi ſcutum perfidiæ

A veſtræ, nunc Eccleſia eum habet ſagittam potentem & acutam cum carbonibus deſolatoriis. Vos verò, in quib. refrigeſcit caritas cōgregamini in nomine adoptiui filij, in nomine captiui ſerui, in nomine nuncupatiui Dei. Nos cōgregamur in nomine vnigeniti filij Dei Saluatoris mūdi, in nomine Chriſti Domini, quem Angelus paſtoribus natum prædicauit, dicens. *Natus eſt vobis hodie Saluator, qui eſt Chriſtus Dominus in Ciuitate Dauid.* Vos flectite genua in nomine adoptiui. Nos flectimus genua cum Angelis

B & Archangelis, cum omni militia cœleſti, in nomine Ieſu, de quo dictum eſt, *Et adorent eum omnes Angeli Dei.* Perueniſti tandem ad promiſſionem Dei quæ dicta eſt ad Dauid. *Cum dormieris,* inquit Deus, *cum Patribus tuis, ſuſcitabo de lumbis tuis qui ſedeat ſuper thronū Iſrael. Ego ero ei in Patrem, & ipſe mihi erit erit in filium.* O Pater Elipante, vbi perdidiſti oculos tuos? quare poſuiſti teſtimonium contra te fortiſſimum? Forte propter ſacerdotij dignitatem, cum Caipha ignorans veritatem protuliſti. Paterna promiſſio eſt, &

C Paterna teſtificatio, ſicut tu ipſe dixiſti. *Ero ei in Patrem, & ipſe erit mihi in filium.* Nihil his verbis adoptionis in Paterna reperitur promiſſione. Multum eſt inter *ero*, & *vocor*. Verum per ſe eſt abſque vlla imaginatione; adoptiuus dicitur non à veritate, ſed ab imaginatione volentis animi. Multum intereſt inter veſtra mendacia, & Dei promiſſa. Ipſe dixit, *erit mihi filius*, vos dicitis, nuncupatur tantum, ſed non eſt propriè. Prophetiam quoque Iſaiæ de Chriſto in medium deduxiſti, vbi ait, *Radix Ieſſe qui ſtat in ſignum populorum, ipſum gentes deprecabuntur, & erit ſepulchrū eius glorioſum.* Quibus populis ſtatin

D ſignū, & quæ gentes eū deprecabuntur, ſi in ſola Hiſpania perpauci inuſitatores eū Catholice deprecātur? Qui certiſſime nullius accipit preces, niſi in caritate Catholicæ pacis proferantur, ſed & ſepulchrum eius quem vos ignobile dicitis, glorioſum eſſe Propheta prædixit. Si ſepulchrum glorioſum eſt, quanto magis glorioſus eſt, qui in ſepulchro dormiuit, ex cuius perſona Propheta olim cecinit, *Ego dormiui & ſomnum*

E *cepi, & reſurrexi*? Adiungis namque Patrum Catholicam ſententiam, Totus in ſuis, & totus in noſtris, addens ex tuo ſenſu quare non dicatur adoptiuus, qui ita totus eſt in noſtris, ſicut totus eſt in ſuis, præter delictum. Vtinam melius intellexiſſes ſanctorum verba doctorum. Totus in noſtris, id eſt, totus filius hominis; & totus in ſuis, id eſt, totus filius Dei, in vtraque plenus & perfectus. Tu verò particulariter vis eum eſſe filium

lium Dei partim verè, & partim nominatiuè. Hoc velim reſpōdeas mihi ſi totus eſt in vtraque natura Chriſtus verè & propriè beatiſſimæ Virginis filius, aut ſi verè Deum genuit S. Virgo Maria, ſicut omnes Catholici Dei eam genitricē credunt & cōfitentur, & vtrum æternus Dei filius verè ſit B. Virginis filius aut adoptiuè. Si adoptiuè dicis, nequaquā verè fuit Dei genitrix ſanctiſſima Virgo Maria. Si verò Catholico ore verè eam Dei genitricem cōfiteri vis, quid reſtat niſi vt ea veritate totus ſit in duab. naturis Chriſtus verè Dei filius, qua B eſt in duabus naturis verè beatiſsimæ Virginis filius? At ſi humanitas eius adoptiua eſt Deo Patri, conſequēs eſſe videtur vt diuinitas adoptiua ſit Matri Virgini. Quod quàm impiū ſit dicere, nullus fideliū ignorat. Flagitas me teſtes dare quod nulla ſit adoptio in carne Chriſti, quod tempore opportuno, ſancto Spiritu Catholicos pectori noſtro inſpirante ſenſus, facturus ſum, abundantérque in aliis litterulis noſtris quas contra errorem veſtrum edidi, me feciſſe intelligit qui noſtras paginolas C legere non contemnit. De eo verò quod poſtulas teſtimonium tibi dari quòd non ſit vera humanitas in Chriſto: huius rei tibi teſtimonia non dabo quia Catholicus ſum, in Catholica natus & nutritus Eccleſia: ſed dabo tibi teſtes litterarum mearum ſeries, ſi legere digneris, veram diuinitatem & veram humanitatē confitentes in Chriſto Deo. Et miror cur mihi obiicere velis, quod numquam me dicere legiſti. Hortaris me Arrium non eſſe qui multorum ſua peruerſitate maculauit corda, vt D rectè non crederent. Ego, gloria Deo Ieſu, nunquam in barathrū Arrij delapſus ſum, ſed tu vel Arrius eſſe probaberis, vel tuam damnare ſententiam cogēris; qui aſſeris filium Dei vnicum, vnigenitum, vniúſque proculdubiò perſonæ, adoptiuum eſſe. Numquid non tu in eadem perſona adoptionem eſſe affirmas, quam Arrius olim deteſtabili impietate adoptiuam eſſe adſeruit? Aut ſi hanc blaſphemiam declinare niteris, mox incidis in laqueū Neſtorij, in E duas Chriſtum diuidens perſonas, vnam propriam, & alteram adoptiuam. Nam Neſtorius palam duas non nominauit perſonas in Chriſto, omnia tamen quæ duabus ineſſe perſonis neceſſe eſt prauo ſenſu, id eſt, proprietatem & adoptionem filij affirmauit in Chriſto. In eius verò ſine dubio litteris adoptionis nomen de Chriſto inuenitur. Verba verò ſunt eiuſdem Neſtorij poſt obſcuros ſenſus & caliginoſas

A ſentētias & impias infidelitates huiuſmodi de humanitate Chriſti. Ait enim, Vnde & multi ſecundum B. Paulum dicimur filij, ſed ſolus pręcipuū habens hoc quod..... verbi copulationē adoptionē participans.

Videte, viri fratres, videte periculum veſtrum, & tandem aliquando reſipiſcite ab errore infidelitatis, deuitantes doctrinam dualitatis de Redēptore noſtro. Aut ſi ex Catholica ſanctorum Patrum prædicatione non vultis, vel ex Neſtorij impia incredulitate & iuſta damnatione veſtra corrigite ſententiam, eandem adoptionem in humanitate Chriſti affirmantis, ſicut in illius verbis audire poteſtis, quam veſtra pertinax ignorantia affirmare nititur. Diſperdat enim Dominus, dicit Propheta, Magiſtrum & Diſcipulum docentem talia. Sed & Angelus Domini vibrat gladium vindictæ ſuper caput veſtrum, vt diuidat vos, ſi vos diuiditis Chriſtum in proprium filium & adoptiuum, partemque veſtri ponat cum hypocritis, vbi erit fletus & ſtridor dentium. Et tu, Venerande Pater Elipante, caueto ne iuniores ætati tuæ inſultent, & dicant cum Daniele, *Inueterate dierum malorum, nunc venerunt peccata tua quæ operabaris priùs, ſubuertens vias innocentium, non rectè prædicans de Saluatore mundi.* Octogenarium te audiuimus eſſe in Epiſtola quam præfato Felici direxiſti. Audi Chriſtum clamantem tibi, Adhuc modicum lumen in te eſt, curre dum lucem habeas, ne tenebræ te comprehendant: quia qui ambulat in tenebris, neſcit quò vadit. Dū lucem habeas crede in lucem, vt filius ſis lucis. Quicquid in Epiſtola tua de tenebroſo cordis tui ſenſu produxiſti, totum ex maledictionis vel falſitatis felle deriuatum eſſe dignoſcitur. Sed forte ignorās veritatē, falſitatem protuliſti. Diſce priùs, & poſtea doce, ne magiſter efficiaris erroris. Melior eſt humilitas diſcendi quàm temeritas docendi. Noli in ſciētia tua extolli. Sciētia inflat, charitas ædificat. Et qui ſe exaltat humiliabitur, & qui ſe humiliat exaltabitur.

Admones me non pio, vt videtur, animo; ſed ſeuera inuectionis caſtigatione, glorioſum Regē Carolū non corrumpere. Non ego illum corrūpere veni in Franciam, qui corrumpi non poteſt, ſed adiuuare in fide Catholica, in qua ille ab ineunte ætate nutritus fuit, & optimè à Chriſtianiſſimis parentibus & magiſtris Catholicis edoctus. Impoſſibile eſt enim vt corrumpatur à quoquam, quia Catholicus eſt in fide, Rex in poteſtate, Pontifex in prædicatione, Iudex in æquitate, Philoſophus

in liberalibus ſtudiis, inclytus in moribus, & omni honeſtate præcipuus. Antequam ego eodem ſapiẽtiſſimo Rege Carolo iubente veniſſem in Franciã, hæc eadem veſtri erroris ſecta, eodem glorioſo Principe præſidẽte, præſente Felice, quem multum laudare ſoles, veſtræ partis tunc temporis defenſore, ventilata eſt in celeberrimo loco qui dicitur Raiginis-Burg, & Synodali authoritate Sacerdotum Chriſti, qui ex diuerſis Chriſtiani imperij partibus cõuenerant, æterno anathemate damnata: immò & à beatæ memoriæ Adriano Papa, qui tũc temporis S. Romanæ Eccleſiæ Apoſtolica authoritate rexerat Sedẽ, funditus exterminata: donec idem Felix infeliciter ad veſtras refugiens partes ſopitos infidelitatis cineres vobis exhortãtibus reſuſcitare intendit. Cui ego in has adueniẽs partes charitatis calamo Epiſtolam exhortatoriã vt ſe Catholicæ iungeret vnitati dirigere curaui. Cui ille non epiſtolari breuitate, ſed Libelli prolixitate reſpõdere niſus eſt, atq; in eo omnes perfidiæ veſtræ foueas maximè aperuit, aſſerens Chriſtũ & veterẽ hominem eſſe, & nuncupatiuum Deum, & adoptiuum filium, & ſecunda indiguiſſe regeneratione, & alia plurima Eccleſiaſticæ doctrinæ inconuenientia. Cui Libello eius ſeptem noſtræ deuotionis Libellis reſpõdimus*, omnes veſtræ prauitatis euacuans doctrinas.

* *Vel hinc apparet ſeptem Libros præcedentes contra Felicem, Alchuuini eſſe, & non Paulini Aquileienſis.*

Qui etiã noſtræ deuotionis ſermones lecti ſunt & probati in præſentia Domni Regis & Sacerdotũ Chriſti. Sed & idem Felix anno præfati glorioſi Principis triceſimo ſecundo aduocatus voluntariè veniens ad Aquis Palatium, ibique in præſentia Domni Regis & Optimatũ illius ſiue Sacerdotum Dei rationabiliter auditus, & veraciter conuictus, atq; Deo dans gloriã, verámq; confeſſus fidem, in pacẽ Catholicæ vnanimitatis reuerſus eſt cum ſuis diſcipulis, qui ibi tunc temporis erant præſentes. Cuius te cum tuis diſcipulis, venerande Pater, humilitatem ſectari ſuadeo; Adgrega te ipſum cum ouibus tibi cõmiſſis in ouile Chriſtianæ charitatis, per eum qui ait: *Ego ſum oſtium, per me ſi quis intrauerit, ſaluabitur, & ingredietur & egredietur.* Præuidendum eſt tibi cauta ſollicitudine, ne ſis ex eorũ numero, de quibus ipſa Veritas in eodem ſubiunxit loco: *Omnes*, inquiens, *quotquot venerunt, fures ſunt & latrones*; Qui venerunt, ait, non qui miſſi ſunt. Et Apoſtolus, *Quomodo prædicabunt, niſi mittantur?* Quis te, ô Pater Elipante, miſit prædicare adoptionẽ in Chriſto Dei filio? Ergo ſi nullo mittente per te veniſti, & prædicaſti, fur & latro cõuinceris eſſe. Fur non venit niſi vt furetur, mactet & perdat. Caueant diſcipuli tui ne per te occidantur & pereant. Melius eſt illis oculum eruere ſibi dextrum, quàm integro corpore mitti in gehennã ignis. Cœcus ſi cœcum ducit, cadunt ambo in foueã. Audi etiam B. Apoſtolum inter Moyſem & Chriſtum diſcernentẽ, quos tu ſimiles aſſeris, vbi excellentiã maieſtatis Chriſti protulit famulo tuo Moyſi. Moyſes autem, inquit, tamquã famulus fidelis fuit in tota domo ſua, Chriſtus autem tamquam filius in domo ſua: Moyſen famulum nominans, & Chriſtum filium. Quantum eſt inter famulum Patris familias & filium, tantum eſt inter Moyſen & Chriſtum. Numquam enim de Moyſe idem Apoſtolus, ſed de Chriſto inquit, *excelſior cœlis factus*: quem in principio quoq; eiuſdẽ Epiſtolæ Angelis præferre non dubitauit. *Tantò enim melior*, ait, *Angelis effectus, quantò differentius præ illis nomen hæreditauit. Cui enim dixit Angelorum aliquando, filius meus es tu, ego hodie genui te?* Et rurſum, *Ego ero illi in Patrẽ, & ipſe erit mihi in filium. & cùm iterum introducit primogenitũ in orbem terræ, dicit: Et adorent eũ omnes Angeli Dei.* De eo enim dicit, *filius meus es tu.* de quo in ſequẽti verſiculo addidit, ſicut tu ipſe paulò antè protuliſti, *Pete à me, & dabo tibi gentes hæreditatẽ tuam.* Illi dicit, *filius meus es tu*, cui ait, *pete à me, & dabo tibi gentes.* Sed & B. Gregorius Doctor eximius, & omnibus Chriſti Eccleſiis acceptabilis, inter Sanctorũ & Chriſti diuinitatẽ diſcernens, in Homelia quadam ſuper Ezechielis Prophetæ primam partem ita ait, dum de nuncupatiua Sanctorũ poteſtate & propria Chriſti diuinitate diſputauit: Vnde, inquit, Paulus Apoſtolus volens nuncupatiuũ Dei nomen ab eſſentiali diſcernere, de Redẽptore noſtro locutus eſt, dicens: *Quorum Patres, & ex quibus Chriſtus ſecundũ carnem, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula.* Qui enim nuncupatiuè dicitur Deus, inter omnia eſt. qui verò eſſentialiter Deus, ſuper omnia eſt. Vt ergo oſtenderet Chriſtum naturaliter Deum, non hunc Deum tantummodo, ſed Deũ ſuper omnia eſſe memorauit. quia & electus quiſq; ſicut præmiſimus, vel in exẽplo iuſtitiæ prærogando poſitus dici Deus poteſt, ſed inter omnia quoniã nũcupatiuè Deus. Chriſtus autem Deus ſuper omnia, quia naturaliter Deus. Vnde naturaliter Deum non dubitauit affirmare, quem doctor gentium ex ſanctorum ſemine Patrũ ſecundum carnem procreatum eſſe teſtabatur. Dum tuæ peruerſitati defecerunt in

Prophetis Dei teſtimonia, errore tuo conuenientia finxiſti tibi nouum quendã Prophetã dixiſſe: Miſerere Domine plebi tuæ, ſuper quam inuocatum eſt nomen tuum, & Iſraël quē coæquaſti primogenito tuo. Addidiſti quoq; huic ſentētię talem interpretationē. Æqualitas, inquis, iſta non eſt in diuinitate, ſed in ſola humanitate, & in carne adoptiua, quam accepit de Virgine. Ecce falſitas in nomine Prophetæ, ecce peruerſitas in interpretatione ſentētiæ, & non fruſtra oportebat nouum doctorem nouum ſibi inuenire Prophetã: ſicut Hieroboam Rex à veri Dei cultu recedēs nouos ſibi finxit Deos, vt perditus ſubiectum ſibi perderet populũ. De quo multò antè prædictum eſt in Cantico Deuteronomij, *Dereliquit Deum factorē ſuum, & receſſit à Deo ſalutari ſuo.* Sic tu à vero Deo & proprio filio Dei recedens, nuncupatiuum Deum & adoptiuum filium Redemptorē tibi fingis, quem nõ nouerunt Patres noſtri. Tu verò Deum qui te liberauit dereliquiſti, & oblitus es Dei Redemptoris tui. In libro Ieſu filij Sirac hæc præfata ſentētia legitur, quē librum B. Hieronymus atq; Iſidorus inter apocryphas, id eſt, dubias ſcripturas, deputatum eſſe abſque dubitatione teſtãtur. Qui etiam Liber non tempore Prophetarum ſed Sacerdotũ, ſub Simone Pontifice magno regnante Ptolomæo Euergete cõſcriptus eſt: nec tantum Prophetias, quantùm Morales diſciplinas & laudes Sapientiæ proferre videtur, & melius intelligi poteſt primogenitus iſte, de quo hic dicit, Populus Dei de Ægypto eductus, de quo Dominus ad Pharaonem Moyſi famulo ſuo mandatum dedit, dicens: *Hæc dicit Dominus filius primogenitus meus Iſraël. Dixit tibi, Dimitte filium meum primogenitũ, vt ſeruiat mihi, & noluiſti dimittere eum: ecce ego interficiam filium tuum primogenitũ.* Cui adæquatum eſſe populum duarum tribuum non multò antè de captiuitate Babylonię Dei miſericordia deductum, iſte vir qui hæc huius orationis verba compoſuit voluit vt arbitror intelligi, nec aliquid de Chriſto, vt tu nouo ſenſu adſeris his verbis prophetaſſe putatur.

Deinde more tuo vagãdo vadis quærere teſtimonia per latitudinem S. Scripturæ, quid diuinitati Chriſti & quid humanitati conueniat. Quaſi aliquis noſtrùm negare videatur veram in Chriſto humanitatem, verámque diuinitatē. Et primo ponis Dei filium ſecundum diuinitatem dicere, *Poteſtatem habeo ponendi animã meam, & poteſtatē habeo iterum ſumendi eam*, minus attendens quid B. Auguſtinus de hac ſententia intellexiſſet, qui ſic hæc verba Domini in Homeliis Euãgelicis interpretari voluit: Quis ponit, inquit, animam, & iterum ſumit animam Chriſtus, ex eo quod Verbum, an ex eo quod anima humana ipſa ſe ponit, & iterum ipſa ſe ſumit? an ex eo quod caro eſt animã ponit, & iterum ſumit? Tria poſui, omnia pertractemus, & hoc eligamus quod conueniat regulę veritatis. Si enim dixerimus, quia Verbum Dei poſuit animã ſuam, & iterum ſumpſit eam; metuendum eſt ne ſubintret praua cogitatio, & dicatur nobis: Ergo anima illa ſeparata eſt à Verbo, & aliquando Verbum illud ex quo ſuſcepit illam animã fuit ſine anima. Video enim fuiſſe ſine anima humana Verbũ, ſed cùm in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Ex quo autem Verbum caro factum eſt vt habitaret in nobis, & ſuſceptus eſt à Verbo homo, id eſt totus homo, anima & caro; quid fecit paſſio, quid fecit mors, niſi corpus ab anima ſeparauit, animam verò à Verbo non ſeparauit? Si enim mortuus eſt Dominus, immo quia mortuus Dominus. Mortuus eſt enim pro nobis in cruce, ſine dubio caro ipſius expirauit animã, ad tempus exiguum anima deſeruit carnē, & redeunte anima reſurrexit. A Verbo autem animam ſeparatam eſſe non dico. Omnes enim homines quãdo moriuntur ponunt animã, ſed non omnes pro Chriſto ponũt, & nemo habet poteſtatē ſumere quod poſuerit. Chriſtus autem & pro nobis poſuit, & quando voluit poſuit, & quando voluit ſumpſit. Ponere ergo animam mori eſt. Sic Petrus Domino dixit, *Animã meam propter te ponam*, id eſt, pro te moriar carne, & paulo poſt, quomodo Chriſtus animã poſuit? non enim caro Chriſtus. Ita plane caro Chriſtus, & anima Chriſtus, & Verbũ Chriſtus: nec tamen tria hæc tres Chriſti, ſed vnus Chriſtus, & vnus vnigenitus Deus & homo. Nónne tibi, ô nouus ſanctarũ interpres Scripturarũ, praua ſubintrauit cogitatio, quod anima Chriſti ſeparata eſſet à Verbo? dum dicis ſecundũ diuinitatē hæc eadē verba Dominũ prætuliſſe, quod valde metuendũ eſſe tibi iſte præcipuus doctor rationabili pietate ammonuit. Simili quoque peruerſitate diuidere vis Chriſtũ in ea voce, quã Pater in mõte ſancto diſcipulis audientib. protulit dicens; *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacuit: ipſum audite.* quaſi hoc de diuinitate tantummodò dictum ſit, & non magis de humanitate. Si ergo de diuinitate tantummodo hoc prolatum eſſe æſtimas, diuidere vis Chri-

ſtum,& naturam diuinitatis tantummodo eſſe filiũ. quod quam peruerſum ſit nullus ignorat Catholicus. Super vnum filium facta eſt hæc vox Patris de cœlo,& de illo vno filio dicitur: *Hic eſt filius meus dilectus.* Quicquid in Chriſto eſt, & filij nomẽ habet, ipſius Patris teſtimonio, *filius meus dilectus* dicitur, non vt tu aſſeris adoptiuus. Tria verò in voce paterna audita sũt, *filius* & *meus* & *dilectus* dicitur. Et adhuc addidit, *in quo mihi bene cõplacuit.* Vox Patris de cœlo clamat, *meus*: tu de terra clamas, non tuus. Quæ tibi ſalus ſperãda eſt ſi Dei teſtimõnio non credis? Nec tibi adhuc hic locus ſeparationis datur, de vno filio dixit, vnũ oſtendit, quaſi dixiſſet; nec alium quæras, nec hunc non eſſe credas. Aut ſi fortè tibi dubitatio ſit, ſi de humana Chriſti natura hæc dicta ſint, lege B. Gregorij præfati Patris in Homeliis Ezechielis de hac paterna voce ſenſus, qui poſt plurima humanitatis Chriſti ſacramenta & Propheticæ viſionis myſteria, huius paternæ vocis excellentiã ſubinfert dicens; Vox, inquit, ſuper firmamentum facta eſt, quæ ſuper baptizatum Dominũ de cœlo ſonuit, dicens: *Tu es filius meus dilectus, in te complacui*: vel ſicut per Euangeliſtã alium dicitur: *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacuit*, & poſt pauca: In ſolo autẽ ſibi vnigenito Domino Deo noſtro Ieſu Chriſto complacuit, quia hunc inter homines hominẽ creaſſe eum nõ pœnituit, in quo peccatum nullũ omnimodo inuenit, ſicut de illo per Pſalmiſtã dicitur: *Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum: Tu es ſacerdos in æternum ſecundũ ordinem Melchiſedech.* In ſolo ergo ſibi Redẽptore noſtro complacet Pater, quia in ſolo non inuenit culpam. Item in eadem Homelia: Cùm vox, inquit, ſuper firmamentum ſit, ſtant animalia, & ſubmittunt alas ſuas, quia Sancti quique cum ipſum quoq; vnigenitum flagellatũ in hoc mundo conſpiciunt, deponunt ſi quid de ſuis meritis præſumunt. Certiſſimè hanc vocem ſuper baptizatum Dominũ emiſſam eſſe iſte eximius doctor intellexit. Procul dubio humanitas baptizari potuit, non diuinitas: eúmque qui ſine peccato venit, & flagella pro noſtris ſuſtinuit peccatis, vnigenitum nominare nõ timuit. Si vnigenitus eſt, nequaquã adoptiuus eſt. Scimus B. Iſidorum dicere de Chriſto: Vnigenitus in diuinitate, primogenitus in humanitate: non tamẽ legimus eum cõtradicere quod primogenitus quoq; eſſet in diuinitate, & vnigenitus in humanitate, ne ipſe aliquid contra ſcripturas ſanctas affirmare videretur.

A Vtrumq; Dominus noſter Ieſus Chriſtus in vtraq; natura fuit, & vnigenitus, & primogenitus. Vnigenitus in diuinitate, quia ſolus genitus ex ingenito Patre. Item in eadẽ natura primogenitus, ſicut Apoſtolus ait, *primogenitus omnis creaturæ.* Item ex matre Virgine primogenitus, atque vnigenitus. Primogenitus, quia beata Virgo nullum ante eum habuit filium. Vnigenitus, quia nullum poſt eum genuit filiũ. Idemq; qui ex Virgine natus eſt, vnigenitus eſt Dei Patris filius, vt in Euangelio ipſe Dominus de B ſe ipſo dixit: *Sic enim dilexit Deus mundũ, vt filium ſuum vnigenitum daret.* Qui datus eſt ad paſſionẽ, vnigenitus dicitur, ſicut olim Propheta Zacharias prædixit, *Aſpicient ad me, quem confixerunt: & plangent eum planctum quaſi ſuper vnigenitum, & dolebunt eum vt doleri ſolent in morte primogeniti.* Quem Propheta atque Euangeliſta vnigenitũ nominauerunt, hunc Apoſtolus doctor gentiũ proprium filium abſq; dubitatione nominare voluit dicens: *Qui proprio filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis tradidit eum.* Omnib. C datus & traditus vnum ſignificat. Vnigenitus datus eſt pro mundi ſalute, & *proprius* filius traditus ad mortem. Idem vnigenitus qui & proprius, idem paſſibilis & impaſſibilis, idem Deus & homo, vnus filius & vnus Chriſtus in vna perſona. Dic, dic auditor ſermonũ Dei, qui cum Balaam oculos habes apertos, & non vides; cor rationabile, & non intelligis; quæ ſit perſona Dei filij æternaliter ex Deo Patre nati, an propria vel adoptiua. Non æſtimo ita te à fide auerſum eſſe, vt audeas dicere adoptiuam D eſſe perſonam æternæ natiuitatis filij Dei vnigeniti, ne te totus mũdus damnet cum Arrio. Certiſſimè ſcito, & veriſſimè crede, quod in illam perſonã omnino quam habuit ante ſæcula aſſumpſit naturam humanam Dei filius, vt eſſet totus vna perſona & propria & perfecta in filij dignitate, nihil adoptionis habens in diuinitate vel humanitate, vnus filius vnius Patris. Non poteſt proprius eſſe & adoptiuus. Aut totus eſt proprius, aut totus eſt adoptiuus. Aut duos filios Chriſtũ eſſe neceſſe eſt E fatearis in duabus perſonis, proprietatis, & adoptionis, ſecundum Neſtorij impietatẽ: aut ſi Chriſtum vnum conſentis, propriũ filium eſſe in vna perſona cum Catholicis, neceſſe eſt tibi totum proprium confiteri filium Dei in vna perſona ſummæ veritatis, quia omnis veritas in eo eſt, & nihil imaginationis, ſicut in filiis adoptionis ſolet eſſe. Naturæ noſtræ aſſumpſit veritatem, non adoptionis noſtræ perſonã: non

mutans naturam humanitatis noſtræ in naturā diuinitatis ſuæ, ſed mutauit perſonam adoptionis noſtræ in perſonam proprietatis ſuæ: ſua non minuens, ſed noſtra augens, permanſit quod erat, dum aſſumpſit quod non erat. Si propter aſſumptionem adoptiuam putatis humanitatem, vt audiuimus à Felice, dum in defenſione veſtræ infidelitatis perſtitit: ergo adoptiuus eſt illius perſonæ qui humanitatem aſſumpſit, & eſt nepos Patris per adoptionem filij: quod quam nefandū ſit æſtimare, nemo veſtrûm reor ignorat. Sed ne prolixitas ſermonis mei faſtidiū generet legenti, hic huius libelli faciamus finem, & reſumptis per Dei gratiam viribus, ab alio exordio quæ dicenda ſunt liberiùs incipiamus.

ADVERSVS ELIPANTVM TOLET. EPISC.

LIBER SECVNDVS.

Olim itaque in Populo Dei fuerunt ſancti Prophetæ, in quibus & per quos Spiritus Dei loquebatur. Fuerunt & Pſeudoprophetæ, qui arreptitio ſpiritu falſa vaticinauerunt, quorum ſimilitudinem gerunt modo nouarum Magiſtri ſectarum, qui ſpeciem pietatis induunt, ſed virtutem eius abnegant, ſcindētes deſuper contextam Chriſti tunicam, nec crucifigentium Dei filium more militum, norunt ſortem fidei mittere ſuper eam cuius ſit, ſed impia temeritate ſacram Chriſti corporis vnitatem ſchiſmatici erroris vngulis diſcindere contendunt, atque in eo quod auctorem vitæ in duas, proprietatis videlicet atque adoptionis, perſonas diuidere volunt, ſe ipſos à Catholica pace, ſine qua nihil Deo placitū eſſe poterit, diſrumpere nituntur: non intelligentes nec quæ legunt, nec quæ leguntur. Quibus melius eſſet iuxta B. Petri Principis Apoſtolorū vocē, viam veritatis non agnoſcere, quàm poſt agnitionem retrorſum conuerti. Melius eſſet Iudæ proditori nunquam Apoſtolicū nomen habuiſſe, quàm Dei filium impiis Iudæorum manibus vendidiſſe. Sic prauis doctoribus ſatius eſſet nunquā honoris nomen vel ſedem doctoris poſſidere in Eccleſia, quàm prauæ fidei dogmatibus ſeipſos cū populo ſibi ſubiecto perdidiſſe. Patet itaque noſtras vel illorum legētibus litterulas, qui noſtrûm Catholicos ſanctorûm Patrum in Scripturis diuinis ſequitur A ſenſus, vel quis à tramite Catholicæ fidei ſanctarum ſententias Scripturarum auertere præſumat. Videamus ſiquidem iſte nouus Interpres qualiter Propheticos de Chriſto ſermones interpretetur. Dum multa cucurrit quærendo, ſubitò offendit in verſiculum Pſalmi LXVII. in quo Propheta gloriam Aſcenſionis Domini noſtri Ieſu Chriſti decantans dicit, *Aſcendens in altum captiuam duxit captiuitatem.* Adiungit quoque ex ſuo ſenſu. Ecce captiuus dicitur eſſe, & quare non dicatur carne adoptiuus? Cuius verſiculi ſenſum lōgè aliter SS. Patres interpretati ſunt. B. Auguſtinus ita hūc B verſum expoſuit; Quid eſt, inquit, quod dicit, *captiuaſti captiuitatem*, niſi quia captiui qui ſub diabolo tenebātur abſoluti ſunt ab eo? Item B. Hieronymus: Aſcendiſti, inquit, in cœlos, captiuaſti nos qui captiui tenebamur à Diabolo. Qui quondam in Sinai deſcendēs legem populo diſtribuit, ipſe nunc in ſancto, id eſt, in aſſumpto homine, de quo Angelus ad Mariam, *quod naſcetur ex te ſanctum vocabitur filius Dei*, eos qui in captiuitate Diaboli tenebātur abſoluit, ac poſt ſe tamquam captiuos deductos æternæ vitæ reſtituit. Caſſiodorus dicit. Ieſus enim Dominus Deus noſter crucifixus C deſcendit ad inferos, & liberatas à captiuitate Diaboli animas perduxit ad cœlos. Quē tu peruerſa mente, frater Elipante, captiuum audes nominare, hunc Pſalmiſta ex ſui ipſius perſonæ verbis liberum eſſe teſtatur, vbi ait: *Factus ſum ſicut homo ſine adiutorio inter mortuos liber.* iterumque in alio Pſalmo, *Deus vltionum Dominus, Deus vltionum liberè egit.* Et ipſe Dominus in Euangelio, *ſi filius vos*, ait, *liberauerit, tunc verè liberi eritis.* Quæ eſt libertas noſtra, ſi liberator noſter captiuus eſſe putatur? Ille ſiquidem peſſima captiuitate captiuus eſt, qui credit Chriſtum captiuū eſſe, in cuius D veſtimentis ſcriptum videbat Apoſtolus, *Rex Regum, & Dominus Dominantium.* nec ipſe Adam protoplaſtus captiuus creatus eſt, ſed liber & ingenuus, vt pote ad imaginem & ſimilitudinem Dei: nec ante captiuus credendus eſt, quàm à Diabolo deceptus eſſe legatur. Et quomodo Chriſtus captiuus dici poteſt, dū ille ipſe in Euangelio ait, *Venit Princeps huius mundi, & in me nō habet quicquam?* Si in Chriſto quicquā inuenire nō potuit antiquus hoſtis quod ſuum eſſet, vnde eum captiuum tenere potuit? Sed ille magis ſuperatus & ligatus eſt à Chriſto, qui & fortitudinē ſuam quę ipſum vicerat in Euangelica parabola oſtendens, ait: *Cum fortis armatus cuſtodit atriū ſuū, in pace*

ſunt ea quæ poſſidet. *Si autem fortior illo ſuperueniens vicerit eum, vniuerſa eius arma aufert, in quibus confidebat, & ſpolia eius diſtribuit.* Chriſtus verò victor cum gloria triumphi cœlos aſcendens ſanctorum animas longo exilio captiuas & à paradiſi gaudiis extraneas ſua fortitudine captiuauit, & in cœleſtis regni gaudia ſecum aduexit.

Alium quoque Pſalmigraphi propoſuiſti verſiculum, quem huiuſmodi perſtruxiſti verbis, dicens, Ad ipſum, inquis, Dei filium vox Patris dicit, *Pete à me, & dabo tibi gentes hæreditatē tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ*: & poſt pauca ſubiungis, Non eſt idē petere, & dare: petere eſt ſerui, dare domini. Nonne oblitus es in hoc loco adoptionis nomen, dum plane eum confiteris Dei filium, ad quem hæc vox Paterna facta eſt, *Pete & dabo tibi gentes*? vtique ſecundum tuam ſententiam, qui petit ipſe eſt Dei filius. Hic nolens in viam veritatis peruenisti, de qua ſtatim errabundus diuertiſti, & ſalebroſo tramite mox in tui erroris foueam iterum corruiſti, arreptitioque ſpiritu duas Iſaiæ Prophetæ ſententias de Chriſto interpretari cœpiſti, quas Catholici tractatores omninò de eo vaticinatas eſſe renuunt, quibus talia verba antepoſuiſti, De ipſo, inquis, vox Patris dicit, *Ecce ego ante te ibo, & glorioſos terræ humiliabo.* Et iterum, *Ecce ego ante te ambulabo, & mōtes planos faciam, & ſeras ferreas confringam, & dabo tibi theſauros occultos; vt ſcias quoniam Dominus Deus tuus ego ſum.* Subiūgis quoque his verbis tuam interpretationem: Ecce, inquis, cui dicit Pater, *Deus tuus ego ſum*, non ei, id eſt Verbo qui ante ſæcula ex Patre genitus, ſed illi qui in finem temporis de Maria Virgine homo factus eſt, dicit: Quomodo in hiſce tuis verbis duas nō intelligis in Chriſto perſonas te adfirmare, dum dicis ei & illi? quaſi alius ſit qui ex Deo Patre genitus eſt, & alius qui ex Virgine Matre factus eſt, dum Euangeliſta dicit: *Verbum caro factum eſt.* Illa verò verba Iſaiæ Prophetæ, quæ tu æſtimas de Chriſto eſſe vaticinata, de Cyro Rege Perſarum prædicta ſunt, qui populum Dei de Babylonica captiuitate in patriam remiſit, non de Chriſto vt tu reris. Quod ex circunſtātibus eiuſdem Prophetæ verbis facillimè intelligi poteſt, vbi ait, *Accinxi te, & non cognouiſti me.* Quod de Chriſto abſq; dubio dici non poteſt. Hieronymo quoque teſte probari valet, quod omnimodis hæc Prophetia ad Chriſtum non pertinet. Dicit enim, Scio in hoc capitulo non ſolùm Latinorum, ſed & Græcorum plurimos vehementer errare æſtimantium ſcriptum eſſe de Domino Chriſto, dum Κυρίῳ Dominum ſonat, non Cyro. Atque iterum poſt pauca, *Accinxi te & non cognouiſti me. Tu autem non cognouiſti me*, id eſt, ſimulachra coluiſti, non Deum. *Accinxi te fortitudine*, id eſt, multarum gentium feci te eſſe victorem, & non cognouiſti auxiliatorem tuum. In quo loco ſatis mirari nequeo, quæ ſtultitia ſit legentium, vt hæc ad Chriſtum referant, per quem mundus reconciliatus eſt Deo. Si doctiſſimo Græcarum Latinarumq; litterarum, imò & Hebraicarum Magiſtro Hieronymo miranda ſtultitia videbatur, hæc de Chriſto interpretari; quomodo tu ipſe tuam non intelligis ſtultitiā, qui ab illius Catholico ſenſu multum diſcrepare probaris? Aliam quoque eiuſdem Prophetę ſubſecutus poſuiſti ſententiam, quam ex tuo proſcribens ſenſu, dixiſti: Ipſe quoque Deus Dei filius ſecundum diuinitatem, in qua ipſe & Pater vnum ſunt, dicit: *Gloriā meam alteri non dabo.* Alterum volens, vt video, intelligi qui hæc dicit, & alterum de quo hæc dicta ſunt: id eſt, de humanitate Chriſti. Nequaquā hāc ſententiā poneres, niſi eam ita tibi placuiſſet intelligi. Erras, frater Elipante, erras, & malè erras in huius ſententiæ interpretatione: in qua etiam & Arrius aliquando errauit, intelligens duas eſſe perſonas, id eſt, eius qui hæc verba dixit, & illius ad quē dicta ſunt; quaſi Deus Pater de filio dixiſſet: *Gloriam meam alteri non dabo*, voluit ex eo verbo quod dixit, *alteri*, filium minorē Patre intelligere. Tu verò dum huius foueam impietatis tranſilire contendiſti, in voraginem Neſtorij incauto pede corruiſti, putans filium Dei hæc verba ex Diuinitatis ſubſtantia prædicere de humanitatis natura quam ſuſcepit ex beata Virgine. Sed ſanctus Hieronymus nobiliſſimus in Eccleſia Chriſti doctor, vtrique veſtrum Catholica interpretatione huius ſententiæ vehementer reſiſtit. Sic enim in tractatu eiuſdem Prophetæ, per quem hæc verba noſtris inſonuerunt auribus intelligenda æſtimauit. *Ego Dominus*, inquit, *hoc eſt nomen meum, gloriam meam alteri non dabo.* Nō excludit, inquit, filium, cui dicenti in Euangelio, *Pater glorifica me, gloria quam apud te habui priuſquam mundus eſſet*, ipſe reſpondit. *Et glorificaui & glorificabo.* Neque enim dixit, gloriam meam nulli dabo: quod ſi dixiſſet, excluſiſſet filium: ſed, *gloriam meam alteri non dabo*, propter te cui dedi, cui daturus ſum. His verò verbis Arriani ſenſus impietatem damnauit, & in ſequentibus mox validiſſimo malleo veſtri erroris

capur contriuit. Vt autem, inquit, ſciamus per hanc ſententiam non excludi filium, ſed idola, ſequentia verba teſtantur, *& laudem meam ſculptilibus*: pro quo LXX. *nec virtutes meas ſimulachris*. Cùm enim Chriſtus Dei virtus ſit, Deique ſapientia omnes in ſe virtutes continet Patris. Erubeſce Sidõ, dixit mare. Erubeſce, frater Elipante, dicant filij Catholicæ eruditionis. Aut melius ſanctarum ſcripturarum ſentẽtias expone, aut pone digitum ſuper os tuum: quia ſtultus ſi tacuerit, ſapiens æſtimari poterit. Noli ad confuſionem nominis tui foras terminum Hiſpaniæ litteras dirigere tuas in aures Eccleſiarum Chriſti, niſi fortè Felicis quondam veſtri, nunc autem noſtri exemplo edoctus, pœnitentiam priſtini erroris agens, Catholicis litteris ſyllabas infidelitatis veſtræ delere velis, vt te ſancta Dei Eccleſia maternæ pietatis gremio ſuſcipiat, habeatque filium chariſſimum in concordia charitatis, quem habuit hoſtem atrociſſimum in dogmate peruerſitatis. Dixiſti,

Proximus ille Deo eſt, qui ſcit ratione tacere, teipſum ex hac ſententia tua caſtiga, vt taceas: quoniam melius eſt tacere quàm noxia loqui, quia multorum reus eſt ſanguinis, qui multos à via veritatis auertit.

Igitur non ſolum ſanctæ ſcripturæ inuiolabile ſacramentum praua interpretatione maculare niteris, verum etiam ſanctorum Patrum multis in locis Catholicos ſenſus deprauatos, & ad tui erroris trahere ſuffragium; in tantamque ignorantiæ caliginem errabundus deuolueris, vt ea qua tuis ſine dubio ſenſibus contraria ſunt, tuis etiam partibus adiuuare æſtimaris: atque quocũque in loco cœca mentis ignorantia adoptionis nomen inuenire potuit, ad Chriſtum peruerſæ interpretationis calamo referre conaris, veluti in duobus ſanctorum Patrum ſublimiumque doctorum teſtimoniis, id eſt, beati Ambroſij, & ſancti Auguſtini verbis. Oſtendi poteſt quàm impiè, & ab eorum intelligentia longiſſimè interpretaris quod illi Catholico ſtilo in ſuis litteris nobis exaratum reliquerunt. Ait enim beatus Ambroſius, Ipſo vſu noſtro eſt adoptiuus, & proprius filius. Quod tua indoctiſſima temeritas de Chriſto dictũ eſſe æſtimare videtur, quod longe alio ſenſu circumſtantia lectionis legentibus, & benè intelligentibus dictum eſſe probat. De differentia inter filios ſecundum humanam conſuetudinem hoc doctor ille mirabilis tantummodo dicere intelligitur, nec aliquid ibi de incompara- A bili & ineffabili humanitatis Chriſti natiuitate proferens: ſed vt Arrij impiam deſtrueret doctrinam, hæc loco competenti ſuarum ſerie litterarum inſeruit verba. Quod vero de quadã Homilia ſancti Auguſtini doctoris per omnia Catholici & acutiſſimi ſenſus, & acerrimi contra hæreticas prauitates bellatoris poſuiſti, dicens, Secundum humanitatem dicit, homo adoptatus, cuius gloriam quæſiuit, qui eſt ab illo vnicus natus. Quæ verba de duabus Chriſti naturis, quaſi ille ſit adoptatus, & vnicus natus, eum dixiſſe impia interpretatione arbitraris: quod omnino falſum eſſe ex antecedentium eiuſdem loci B intellectu verborum probari poteſt. Inter multa verò ſacræ exhortationis verba, quæ de ſermone dicẽtis Domini, Qui à ſemetipſo loquitur, gloriam propriam quærit, beatus Auguſtinus compoſuit, hæc piæ admonitionis verba ſubiunxit. Quid tu homo, inquit, facere debes; qui quando aliquid boni facis, gloriam tuam quæris: quando autem aliquid mali facis, Deo calumniam meditaris? Attende tibi, creatura es, agnoſce creatorem: ſeruus es, ne contemnas Dominum: adoptatus es, ſed non tuis meritis. Quære gloriam eius à C quo habes hanc gratiam homo adoptatus, cuius gloriam quæſiuit, qui eſt ab illo vnicus natus. Perſpicuè, ſicut textus ſermonum eius oſtendit, homo adoptatus de quolibet homine dicit, de ſuis bonis operibus gloriãte, & de ſuis malis Deum accuſante; non de Chriſto, qui nulla mala fecit, nec Deum accuſare, ſed potius laudare & glorificare in hoc loco legitur, vbi ait: Qui autem quęrit gloriam eius qui miſit illum, hic verax eſt, & iniuſtitia in illo non eſt. De Chriſto verò abſque vlla dubitatione iſte præfatus Doctor dixit, Cuius gloriam quæſiuit qui eſt ab eo vnicus natus? Quod D optimè noſtris fauet partibus, non veſtræ infidelitati, qui Deum Chriſtum nobis per adoptionem adæquare contenditis. Qui eſt vnicus natus nullatenus adoptiuus eſſe poterit. Chriſtus verò vtrumque & Dei Patris & beatæ Virginis Mariæ vnicus, & vnus vnigenitus Dei filius rectè creditur & prædicatur, ſicut in Epiſtola beati Leonis Papæ legitur quam ad Leonem Auguſtum contra Eutichianę prauitatis doctrinam Catholico & luculento ſermone ſcriptam direxerat. Quam Epiſtolam tuis litteris propemodum totam quaſi lumen caliginoſo loco inferre voluiſti. Atque vtinã ita te credere oſtenderes, ſicut in illius beatiſſimi Doctoris litteris te legere agno-

uimus; Dicit enim ille doctor eximius inter alia in eadem Epiſtola, quæ de duarum in Chriſto proprietate naturarum mirabili eloquentia & laudabili paritate fidei protulit. Licet ergo in vno Domino Ieſu Chriſto vero Dei atque hominis filio Verbi & carnis vna perſona ſit, quæ inſeparabiliter atque indiuiſe communes habeat actiones; nonne vnum eundemq; verum Dei filium, & verum hominis filium contra tui erroris impietatem his verbis iſte Catholicus doctor, quem tu ipſe in medium deduxiſti, adfirmat? Et poſt pauca iterum: Cum Catholica, inquit, fides vtrumque ſuſcipiat, vtrumque defendat, quæ ſecundum confeſſionem beati Petri Apoſtoli vnum Chriſtum Dei viui filium & hominem credit & Verbum. Conſidera te ipſum, & ex his verbis tuos ſenſus corrige, & noli Chriſtum in duos diuidere filios, vnum adoptiuum, & alterum proprium: ſed cum beato Petro Principe Apoſtolorum, ſecundũ ſenſum iſtius ſanctiſſimi Patris, vnum Chriſtum crede & vnum Dei viui filium, Verbum & hominẽ, prædica.

Item inter cætera Catholicæ fidei hortamẽta hoc quoque adiunxit, Forma autem ſerui, per quam impaſſibilis Deitas ſacramentum magnæ pietatis impleuit, humana humilitas eſt, quæ in gloriam diuinæ poteſtatis euecta eſt, in tanta vnitate ab ipſo conceptu virginis Deitate & vnitate conſerta, vt nec ſine homine diuina, nec ſine Deo ageretur humana. Hęc prorſus verba te non intellexiſſe, vel vera non crediſſe, abſque dubitatione in tuis litteris reperiri eſt. Nunquid non humanam humilitatem in diuinam eſſe poteſtatem teſtatur euectam, quam tu captiuam nominare non horruiſti? Et paulo poſt, Inſeparabiliter, inquit, manente vnitate perſonæ, vnus atque idem eſt & totus hominis filius propter carnem, & totus Dei filius propter vnam cum Patre Deitatem. Nihil enim hoc loco formidauit oſtendere beatus Leo doctor Catholicus, Chriſtum totum Dei filium eſſe, & totum filium hominis; quem tu ſeparare non metuis, adfirmans partem eius eſſe in dignitate proprij filij, partem in adoptione, quæ ſolet ab extranea fieri perſona. Quod incongruũ valde eſt de Chriſto credere, vt vmquam extraneus eſſet Deo Patri, & inde adoptaretur in filium. Hanc verò talem tui erroris partitionem vel diuiſionem de Diuinitate & humanitate Redemporis noſtri certiſſimè vniuerſalis ſancta Dei Eccleſia vbique reſpuit & damnat, prædicans fiducialiter cum B. Leone doctore egregio, Chriſtum totum Dei filium, & totum hominis filium; totumque proprium filium, totumque perfectum Deum. Iterum atque iterum erubeſce, Elipante, & tandem aliquandò tuos agnoſce errores, qui neoteorum teſtimoniis credis, quos in ſuffragium tuæ ſectæ aduocare voluiſti. Perſpicuum procul dubio eſt, te non intelligere quæ legis, atque ideo non credere ſicut debes. Sed quamuis tenebroſa caligo, vbi occidit ſol viſibilis atque inuiſibilis, veſtras obtineat mentes; tamen adhuc ſancta Dei Eccleſia habet Catholicæ eruditionis filios, per quos veritatis lux diuina opitulante gratia clariſſimè fulgeat, quos expaueſcent tabernacula Æthiopum & tabernacula terræ Madian. Qui in luce ſagittarũ Dei ibũt, fulgurantis haſtæ vibramine parati ferire aduerſarios fidei Catholicæ. Ipſi ſunt LX. fortes ex fortiſſimis Iſrael, qui ambiunt lectulum veri Salomonis, omnes tenentes gladium verbi Dei, & ad bella promptiſſimi: vniuſcuiuſque enſis ſuper femur ſuum propter timores nocturnos. Ad hos ſponſus de cœleſti thalamo clamat, *Capite nobis vulpes puſillos, qui demoliuntur vineas. Nam vinea noſtra floruit.* Per hos obſtructum erit os omnium loquentium iniqua. Hi vrius vocis & fidei concordia clamant cum Propheta, *Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum. Perſequar inimicos meos, & comprehendam illos, & non conuertar donec deficiant. Confringam illos, nec poterunt ſtare. Muta efficiuntur labia doloſa quæ loquũtur aduerſus iuſtum iniquitatem & ſuperbiam.* Miraris vehemẽter quomodo de Dauid adoptiuo naſci potuiſſet Chriſtus, & adoptiuus non eſſe, & non miraris quomodo de Dauid peccatore naſci potuiſſet Chriſtus ſine peccato? ea poteſtate qua potuit ſine peccato concipi & naſci, ea diuinæ voluntatis virtute Spiritu ſancto operante potuit de adoptiuo ſine adoptione concipi & naſci. Sicut enim de debili patre vel cuiuſlibet membri priuato integritate poteſt integra membrorũ perfectione filius naſci, ita Chriſtus ex integritate naturæ humanę factus eſt verus homo & verus filius Dei, nil vetuſtatis vel vitij habens; trahens pulchritudinem naturæ, nõ vitiorum deformitatem. Quod creauit in homine, hoc accepit, non quod homo addidit ex Diabolicæ ſuggeſtionis deceptione. Quomodo de herbis virentibus flores diuerſi coloris naſcuntur, ſicut de ſpinis roſæ, & de calamo viridi candidiſſimus lilij flos: ſic fructus omnium arborũ

aliud proferunt in fructu, aliud in radice oſtendunt. Totus mundus miraculis eſt plenus eius qui facit mirabilia magna ſolus, & adhuc incredula mens dubitat ſi proprium ſibi filium procreare potuiſſet ex virginali vtero, cuius virtus omnipotẽs, cuius voluntas omnis bonitas. Qui etiam poteſt ex aqua & ſpiritu de filiis diaboli ſibi ipſi efficere filios adoptiuos, multo magis potuit ex vtero virginali ſuæ ſanctiſſimę Paternitati ineffabilis potentia bonitatis proprium procreare filium, vt eſſet Deus & homo in vna perſona. Illa ſiquidem tota propria, non adoptiua.

Dum tuæ infidelitati, ô venerande frater, ex aliis Eccleſiarum Chriſti doctoribus teſtes defecerunt, ſubito Toletanos, vt ais, venerabiles Patres protuliſti, & illorum in Miſſarum ſolemniis orationes in auxilium tuæ ſectæ adſumpſiſti. Dicis in Cœna Domini huiuſmodi haberi orationem in eorum ſacramentis, *Qui per adoptiui hominis paſſionem, dum ſuo non indulget corpori noſtro demum, id eſt iterum, non pepercit.* Cuius petitionis verba ſibi omnino non cohærent, & videtur a quibuſdam corruptoribus pro, *adſumpti hominis*, *adoptiui* poſitum eſſe; quodq; ſequitur, *noſtro demum, id eſt, iterum, non pepercit*, ſenſu videlicet caret, nec ſatis lucet quid his verbis ſignificari voluit, qui hæc verba ad deprecandum Deum compoſuit. Aliam ponis orationem. *Reſpice Domine*, inquis, *fidelium tuorum multitudinem, quam per adoptionis gratiam filio tuo facere dignatus es cohæredem.* Et hic perſpicuè adoptionis nomen ad multitudinem fidelium, quam filio ſuo per adoptionem gratiæ Deus fecit cohęredem, non ad Chriſti filij Dei perſonam pertinet. Similiter quod ais in alia oratione, *præceſſit in adoptione donum, ſed adhuc reſtat in conuerſatione iudicium*, & hic omnino adoptio ad fideles pertinet, qui iudicandi ſunt; non ad eum qui iudicaturus eſt. In præfatione verò vbi dicis, *Et Ieſu Chriſto filio tuo Domino noſtro, qui pietati tuæ per adoptiui hominis paſſionem*, & forte ibi in antiquioribus exemplariis, *adſumpti hominis*, poſitum fuit; ſed corruptum poſtea. Quid eſt verò quod ſequitur, *cum non exierit e cœlo, exhibuerit è triumpho?* obſcurè dictum eſt, ſi tamen ſenſus in his verbis dignus inueniri poterit. Item in eo vbi ais, *Hodie Saluator noſter poſt adoptionem carnis ſedem repetiit Deitatis*, melius multo conuenit hic dici *adſumptionem carnis*, quàm *adoptionem*, quia filius Dei aſſumpſit carnem, non adoptauit. Et quod ſequitur, *hunc exaltauit in cœlis quem humiliauerat in infernis*, quæ eſt

A humiliatio Chriſti apud inferos? nunquid non fortem alligauerat, & ſpolia eius diſtribuerat, & potenter captiuam captiuauit captiuitatem, & ſecum in triumpho gloriæ reuexit in cœlos? Videtur enim hoc magis eſſe glorificatio quàm humiliatio, dum Chriſtus in victoria exaltatus eſt, & diabolus in miſeria damnatus. Quod ais, in Miſſa S. Sperati Martyris, *adoptiui*, inquit, *hominis non horruiſti veſtimentum ſumere carnis*, inconueniens dictio eſt, *adoptiui hominis veſtimentum carnis.* Tamen melius

B intelligi poteſt, *quod Chriſtus noſtræ adoptionis veſtimentum adſumeret*, id eſt carnem noſtram, non quod ille adoptiuum veſtimentum habuiſſet; in tantum enim nobis placet adoptionis nomen, vt vbicumque illud inueniatis ſcriptum ſine omni reuerẽtia vel conſideratione, ad Redemptorem noſtrum referre contenditis, non intelligentes quæ legitis; inſuper & veſtros Patres & progenitores in Chriſto, quos ad veſtra vſque tempora Eccleſia Dei recepit, hæreticos efficere ſtudetis. Quod quàm

C impium ſit & inhoneſtum, nemo pene doctus vel indoctus ignorat, quorum plurima ad nos peruenerunt ſcripta Catholica fide veneranda, & ſummis doctoribus ſanctæ Dei Eccleſiæ conuenientia.

Quieſcite, viri fratres, quieſcite, & nolite veſtri blaſphemiam erroris patribus imputare veſtris. Illi ſua habuerunt tempora, nobiſque præclara ſui ſudoris in ſancta conuerſatione reliquerũt veſtigia, quos laudamus, amamus. Sed tales quales nos in ſcriptis ſuis eos agnouimus, non quales

D vos refertis eos eſſe. Beati itaque Iſidori clariſſimi Doctoris non ſolum Hiſpaniæ, verum etiam cunctarum Latinæ eloquentiæ Eccleſiarum perplurima legebamus opuſcula, & in magna habemus veneratione; in quibus nuſquam de Redemptoris noſtri humanitate adoptionis nomen exaratum inuenimus. Sed & Iuueci Presbyteri atque optimi Scolaſtici, quem beatus Hieronymus laudat, Carmina Euangelicæ Hiſtoriæ proſpeximus, qui in quodam verſu Chriſtum proprium filium Dei Catho-

E lico ore non formidauit appellare. Ait enim,

Non tua concipient cœleſti viſcera iuſſu
Natū, quem regnare Deus per ſæcula cuncta,
Et propriam credi ſobolem gaudetq; iubetque,
Hunc vbi ſub legem dederis, ſit nomine Ieſus.

Iuliani quoque Pomerij prognoſtica ex Sanctorum floribus collecta Patrum conſiderauimus, nec ibi aliquid huius veſtræ inuenimus ſectæ depictum. Venerabilium-

que Patrum in Toleto Synodales ad nos peruenerunt Sanctiones, in quorum litteris nihil noui, vel antiquis contrarium Patribus; ſed omnia Catholico ſtylo perſcripta agnouimus. Ideo magis æſtimandum eſt iuniores quoslibet huius nouæ infidelitatis catenis conligatos, ad perditionem ſui ipſorum dicta ſanctorum corrumpere Doctorum, & ſuorum peſſima pertinacia maculare nomen parentũ, cui audaciæ nil ſceleſtius vel atrocius eſſe poterit. Et hoc ex eo veri eſſe ſimile videtur, quia probatiſſimorum in Chriſti Eccleſia Doctorum & omnibus acceptabilium Catholicas ſententias, vel peruerſo interpretari ſenſu, vel perfida vos immutare temeritate agnouimus, veluti in aliquibus probauimus locis, dum ad nos per Felicem olim veſtrũ, nunc autem noſtrum commilitonem pluriores veſtri erroris peruenerunt litterulæ. Sed ſciendum eſt vobis quod longè aliter beatus Gregorius venerabilis & probatiſſimus in fide Catholicæ doctor orationes in celebratione & oraculis Miſſarum ad deprecãdum Dei nobis clementiã plurimis cõpoſuit in locis, atq; eum per cuius adoptionẽ veſtri ſacerdotes ſuas preces offerunt Deo, ſemper vnigenitum ſancto ac ſingulari nomine perpetuaque veneratione appellare nõ dubitauit. Ait enim in Miſſa ad Palmas in oratione quadam: *Da quæſumus omnipotens Deus, vt qui in tot aduerſis ex noſtra infirmitate deficimus, intercedente vnigeniti filij tui paſſione reſpiremus.* Item quarta feria eiuſdẽ Hebdomadis, *Præſta quæſumus omnipotens Deus, vt qui noſtris exceſſibus inceſſanter adfligimur, per vnigeniti tui paſſionem liberemur.* Item in Aſcenſione Domini, *Concede quæſumus omnipotens Deus, vt qui hodierna die vnigenitum tuum Redemptorem noſtrum ad cœlos aſcendere credimus.* Item ad eleuationem ſanctæ Crucis, *Deus qui vnigeniti tui pretioſo ſanguine viuificatæ crucis vexillum ſanctificare voluiſti, eũdem*, id eſt, Ieſum Chriſtum filium Dei, qui paſſus eſt, & mũdum proprio redemit ſanguine, amabili & ſpeciali nomine vnigenitum appellans; quatenus in eius ſingulari dilectione, qui ſolus vnicus & vnigenitus Dei Patris eſt filius, ad ſe clamantibus miſereatur Deus omnipotens. Sed de his hæc ſufficiant. Quæ ſequuntur in litterarum tuarum ſalebroſo eloquio videamus.

Igitur ſicut paulo ante probauimus nouos te repente introduxiſſe Prophetas, ita nouas ſiquidem ex nominibus ſanctorum Patrum fingis tibi Epiſtolas, quatenus ex earum ſententiis tuum potuiſſes affirmare errorem. Nec hoc mirum, dum ipſe

A ſatanas transfigurat ſe in Angelum lucis, ſi Pſeudodoctores transfigurent ſua dicta quaſi probabilium ſcripta Doctorum. Nã falſidico fingis flamine quaſdam Epiſtolas beatum Hieronymum vel ſanctum Auguſtinum ſcripſiſſe, in quibus crebrius adoptionis immiſſum nomẽ perſpeximus, quaſi illi ſanctiſſimi & probatiſſimi Doctores ea de ſæpe dicta adoptione dixerint, quæ numquam dixerunt, nec vſquam in eorum reperiuntur ſcriptis, nec illorum piam & venerabilem redolent eloquen- B tiam; ſed veſtræ imperitiæ litteris & ſyllabis magis adſimilari quærunt, immo nec illarum exemplaria Epiſtolarum alicubi in Catholicis inueniuntur ſcrineis. Tam magna & tam prolixa ſancti Hieronymi vel etiam beati Auguſtini Opuſcula legebamus, Epiſtolaſque pene inumerabiles: in quibus nuſquam eorum quemlibet Chriſtum inuenimus adoptiuum nominaſſe, nec Deum nuncupatiuum; ſed ſemper abſque vlla dubitatione verum Deum, verumque Dei filium Chriſtũ appellaſſe & prædicaſ- C ſe. quod loco opportuno, opitulante Deo, demonſtrabimus.

Ponamus tamen aliquas ex illis falſidicis Epiſtolis ſententias, quas vos in veſtro libello nobis direxiſtis, vt lector agnoſcat quàm inconueniẽter partes orationis poſitæ ſint in eis, & quàm impio ſenſu praua compoſitio verborum redoleat. Et primò eam ſententiam deducamus in medium, quam tu prauo more beati Hieronymi adſeris eſſe, putaſti, vel magis nos putare voluiſti eum dicere; Filius, inquit, hominis D per Dei filium in Dei filio eſſe promeretur, nec adoptio à natura ſeparatur, ſed natura cum adoptione cõiungitur. Quid eſt, quod ais, adoptio cum natura cõiungitur? Conſidera & intellige ſi adoptio nobis naturalis ſit. Quid facit baptiſmi ſacramentum, & ſancti Spiritus gratia, ſi nos cum adoptione naſcimur ex parentibꝰ noſtris? quare beatus Dauid ait de legitimis natus parentibus, *Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis peperit me mater mea.* Nunquid non tres prioribus verbis videris fin- E gere filios, vnum filium hominis, & duos filios Dei: dum dicis, *Hic filius hominis per filium Dei in filio Dei eſſe promeretur?* Verbum quoque *promeretur* præſentis temporis poſuiſti, quaſi nunc filius hominis meritis ſuis per filium Dei in filio Dei eſſe promeretur: quod procul dubio ſancta & Catholica fides fortiſſimè contradicit, vt vllis meritis præcedentibus meruiſſet homo aſſumptus à Verbo Dei, vt filius Dei eſſet, ſi-

cut ſolius tantummodo beati Auguſtini teſtimonio probandum eſſe ſatis æſtimo. Ait enim poſt alia Catholicæ fidei dogmata in libello qui dicitur Enchiridion. Quid enim, inquit, natura humana in homine Chriſto meruit, vt in vnitatem perſonæ vnici filij Dei ſingulariter eſſet aſſumpta? quæ bona voluntas, cuius boni propoſiti ſtudium, quæ bona opera præceſſerunt, quibus mereretur iſte homo vna fieri perſona cum Deo? Nunquid antea fuit homo, & hoc ei ſingulare beneficium præſtitum eſt, vt ſingulariter promereretur Deum? B nempè ex quo homo eſſe cœpit, non aliud cœpit eſſe quàm Dei filius, & hoc vnicus. Quid hic reſtat dubietatis, an Chriſtus in vtraque natura vnus & vnicus ſit filius Dei? Sicut enim diuinæ naturæ iſte præcipuus Doctor vnici filij nomen adpoſuit, ita etiam humanæ, dum ait, Nempe ex quo homo cœpit eſſe, nõ aliud eſſe cœpit quàm Dei filius, & hoc vnicus. Et poſt pauca ſubinfert de Chriſto, Homo, inquit, nullis præcedentibus meritis in ipſo exordio naturæ ſuæ, quo eſſe cœpit, Verbo Dei C copularetur in tantam perſonę vnitatem, vt idem ipſe eſſet Dei filius qui filius hominis, & filius hominis qui filius Dei. Hoc ſæpius tuæ inculco charitati, vt ex his verbis huius doctiſſimi Patris te admoneam, quod idem ipſe qui totus proprius eſt beatæ Virginis filius, totus etiam ſit Dei Patris filius. Hoc etiam ex reciprocatione horum verborum facillimè fideliter legenti & veraciter intelligenti patet, dum iſte ſanctus Doctor adfirmat eundem eſſe filium Dei qui filius eſt homi- D nis, & filium hominis qui filius eſt Dei.

Perſpiciamus etiam & ea verba, quæ tu ſolita calliditate Auguſtini ſcribis eſſe in quadam Epiſtola ad Euodium, referens eum dixiſſe: Sicut Pater in voce qua ſonuit, *Tu es filius meus*, & filius in homine adoptiuo quem ſuſcepit ex Virgine, & Spiritus ſanctus in columbæ ſpecie corporali. Hæc quidem verba neſcio quis falſator furtim vnica * manu rapuit de ſermonibus S. Auguſtini, & ſuperaddidit quod ille nũquã dixit, in homine adoptiuo. Inuenimus eũ E aliter hunc eundem protuliſſe ſenſum, vbi de ſingularum operatione perſonarum diſputauit: Singulorum autem, inquit, opera dicũtur, quæ ad vnam quamque eorum manifeſtantur pertinere perſonam, ſicut natus ex Virgine non niſi filius Dei, & vox de nube, *Tu es filius meus dilectus*, ad ſolius perſonam pertinet Patris, & ſpecie corporali ſicut columba ſolus apparuit Spiri-

A tus ſanctus. Tamen & illam carnem ſolius Filij, & illam vocem ſolius Patris, & illam ſpeciem columbę ſolius Spiritus ſancti ſancta Trinitas operata eſt. Hæc ſunt Catholica verba, hæc præfatus protulit Pater, de adoptione carnis Chriſti nil adiungens, quam veſtra temeritas prauiſſimè illius inſeruit dictis. Ita abſque dubio in aliis ſententiis, quas ex eadem mendoſa Epiſtola ſub nomine eiuſdem Patris poſuiſtis, inuenimus ex veſtræ falſitatis more nomẽ adoptionis additum eſſe, quod nullo modo ille pius Doctor poſuit: ſicut in eo loco vbi legebamus ab eo dictum, *eum*, Hoc eum, inquit, ſecundum carnem paſſum eſſe. Vos vero ſecundum prauitatis veſtræ conſuetudinem addidiſtis, *carnem adoptiuam*. Item in alio loco dicitis eum dixiſſe, Incommutabilis eſt atque coæternus Patri, ſed in verbo ſolo; & paſſus eſt filius Dei, ſed in homine adoptiuo ſolo; & ſepultus eſt filius Dei, ſed in carne adoptiua ſola: reperimus eum in quadam Homilia dixiſſe vbi de naturarum in Chriſto proprietate diſſeruit, & de eo quod vnus filius Dei eſſet, id eſt, Chriſtus, Incommutabilis eſt, inquit, filius Dei, ſed in verbo ſolo; paſſus eſt filius Dei, ſed in homine adſumpto, & ſepultus eſt filius Dei, ſed in carne ſola. Item in alia Euangelicæ prædicationis Homilia: Sicut enim vnus eſt homo in anima rationali & caro, ſic vnus eſt Chriſtus Deus & homo, ac pro hoc Chriſtus eſt, Deus, anima rationalis & caro. Chriſtum in omnibus, Chriſtum in ſingulis confitemur. Quis eſt ergo per quem factus eſt mundus? Chriſtus Ieſus, ſed in forma Dei. Quis eſt ſub Pontio Pilato crucifixus? Chriſtus Ieſus, ſed in forma ſerui. Item cuius ſupra: Quis non eſt derelictus in inferno? Chriſtus Ieſus, ſed in anima ſola. Quis reſurrecturus triduo iacuit in ſepulchro? Chriſtus Ieſus, ſed in carne ſola. Dicitur ergo in his ſingulis Chriſtus. Verum hæc omnia non duo vel tres, ſed vnus eſt Chriſtus. Ergo dixit, *Ideo ſi diligeretis me, gauderetis vtique, quia vado ad Patrem.* Item vbi ille ſignificationes, quæ veteri in lege prælatæ erant, de Chriſto proferebat: Inter alia, inquit, Chriſtus erat petra, quia petra Chriſtum ſignificabat, neque hic neque in ſuperioribus locis aliquid adoptionis ſuperaddidit, quam infidelitas fingentium contraria Apoſtolicæ fidei ſuperaddere ſtuduit.

Aliam quoque quam huc vſque ſtudui* *f.* diſtuli. euentilare ſententiã ponis prauiſſimo calamo deſcriptam, de eadem vt aſſeris Epiſtola prolatam, Atque ita, inquis, & filius

Dei ſimul cum homine adoptiuus dicitur, A
& filius hominis adoptiuus ſimul cũ Ver-
bo dicitur. In cæteris incredula mens tua,
& impia ęſtimatio de humanitate tantum-
modo errauit Chriſti; nũc verò de impie-
tate ad impietatem perueniſti atrociſſimã,
affirmans filiũ Dei cum homine eſſe ado-
ptiuum. Statimque peruerſa viciſſitudine
eundem replicans ſenſum, dixiſti, Et filius
hominis ſimul cum Verbo adoptiuus di-
citur. Quid nequius, quid impius dici vel
excogitari poteſt, quàm vt filius Dei, id
eſt, Verbum Dei, cum homine accepto B
dicatur adoptiuus? Senſiſti forſitã te diui-
dere Chriſtum cum Neſtorio in duas per-
ſonas, vnam proprij filij, alteram adopti-
ui. Hunc volens vitare laqueum, incidiſti
in ergaſtulum Arrianæ peruerſitatis. Hæc
verba numquam ſancti Auguſtini fuerũt,
nec etiam illius Catholici Doctoris vel diſ-
cipuli. Hæc olim Arriana manus toxico
calamo, & nigri fellis atramento perſcri-
pſit, pro quibus impia morte cum Iuda
traditore damnatus periit, æternoque a-
nathemate perculſus, ac ſatanæ cum om- C
nibus complicibus ſuis traditus, vt ſenti-
ret in tormentis Diaboli quod nollet con-
fiteri in Eccleſiis Chriſti. Rade frater hæc
verba de corde tuo, harumque, vbicum-
que inueniatur, litterarum cartulam mox
edacibus ignium flammis immitte: quia
ſatius eſt multo has impij dogmatis exuri
ſyllabas, quàm animam tuam perpetuis
ardere tormentis. Crede mihi quamuis o-
uium veſtimentis induaris, quamuis ſacer-
dotali honore infulatus procedas ad po-
pulum, quamuis barbam quotidie raſeris; D
ſi hanc non immutaueris ſententiam, no-
lens volens numeraberis cum hircis, & de-
putaberis cum paſtoribus qui vidẽtur hœ-
dos paſcere in tabernaculis Cedar, qui ſta-
turi ſunt in ſiniſtris. Rade, rade citius, pius
Pater, hanc ſententiam de arcano tui cor-
dis cubili, ne Dominus tuus, qui te conſti-
tuit tritici dare menſuram familiæ ſuæ, in-
ueniat eam in tabulis tui cordis perſcrip-
tam, & dicat tibi, Has non agnoſco litte-
ras, has reprobo ſyllabas, hæc verba non
docuerunt illi, quibus ego dixi, *Ite, docete* E
omnes gentes. Forte occupatio Paſtoralis
curæ, & adflictio impiæ gentis te diligen-
tius quid ſcriberes conſiderare impediuit,
ſed iunioribus tuis male credulus, quod il-
li ſcripſerunt vel tuæ ſuaſerunt ſenectuti,
verum putaſti: quod abſque omni dubita-
tione falſum, hæreticumque eſſe proba-
tur.

Sed nunc charitatem has meæ deuotio-
nis legentium litterulas ſupplex deprecor,
quod mihi non imputet notam impatien-
tiæ, quia quibuſdam in locis durioribus
pio Patri reſpondi verbis. Cauſa cauſæ reſ-
põdit, & veritas falſitati obuiauit: magiſq;
conſiderandũ eſt legentibus, quid dictum
ſit, quàm quis dixerit. Nec quiſlibet in tali-
bus ſuo nomine quæſtionibus laudẽ appe-
tere debet, ſed Chriſto vero Deo & vero
filio Dei laudem & gloriam toto cordis
intellectu, & pacifico oris officio quærere.
Sed modo in portum optatæ quietis per-
uenientes, pauxillum vela deponamus,
debitam corpori quietem indulgeamus,
vt Aurora ſequentis diei adueniente, cum
noua luce nouum tertij Libelli faciamus
exordium.

EIVSDEM ALBINI LIBELLI DVO,

De Incarnatione Chriſti, & de duabus in eo naturis, ac de veritate vnius perſonæ.

LIBER I. QVI ET III. ADVERSVS ELIPANTVM.

DVM Spiritu ſancto gubernante orationis noſtræ nauigium de fragoſis diſputationum locis ad portum liberæ locutionis perueniret, & roſea cœleſti lumine Aurora *oculis refulget noſtris*, & florigeris riparum *collibus diuerſi* coloris nobis prata apparent; eamus per pulcherrimas ſanctorum Patrum poſſeſſiones flores colligere, ad componendam capiti noſtro, id eſt, Chriſto Ieſu, Eccleſiaſticæ veritatis coronam. Et primo omnium per amœniſſimas Iordanici ruris ripas humili corde, aure intenta, ceruice inclinata, ſanctiſſima Saluatoris noſtri oſculantes veſtigia, pedetentim procedamus audire paternæ vocis teſtimonium de Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui puriſſimi aluei vndulis à B. Præcurſore Ioãne baptizatus eſt. Refert ſiquidẽ Lucas vnus de bis binis animalibus olim præordinatis Redẽptoris noſtri ſcribere miracula, quod omni populo baptizato, & ipſo Ieſu baptizato, aſcendenteque de aqua, & orante, Spiritus ſanctus in ſpecie columbæ deſcendit ſuper eum, & vox æterni Patris ad eum de cœlo facta: *Tu es filius meus dilectus, in te complacuit mihi.* Et ne fortè dubium eſſet inter tantos, qui ibi tunc temporis fuerunt præſentes, ſuper quem hæc vox facta fuiſſet, dicat ipſe bea-

beatiſſimus Baptiſta, quid vidiſſet, quid audiſſet, qui vidit Ieſum venientem ad ſe, & ait. *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi: hic eſt quem dixi vobis, Poſt me venit vir.* Agnum dixit, virum dixit, & de eo teſtimonium perhibuit: *quia vidi Spiritum Dei deſcendentem ſuper eum.* Addidit quoque vnde ſciret quis eſſet, de quo teſtimonium perhibuit, *Et ego neſciebam eum, ſed qui miſit me baptizare in aqua, ille mihi dixit, Super quem videris Spiritum deſcendentem, & manentem ſuper eum, hic eſt qui baptizat in Spiritu ſancto: & ego vidi, & teſtimonium perhibui quia hic eſt filius Dei.* Ecce teſtimonium Patris de eo qui baptizatus eſt. *Tu es filius meus dilectus, in te mihi complacuit.* Ecce teſtimonium beati Ioannis. *Et ego vidi, & teſtimonium perhibui, quia hic eſt filius Dei.* Quem agnum Dei, quem virum nominauit, hunc ex inſpiratione mittentis ſe ad baptizandum ſine dubio filium Dei prædicauit. His in collibus Iordanici fluminis auditis, ſequamur licet à longe veſtigia beatorum Apoſtolorum, qui cum Chriſto ſanctiſſimi cacumina montis aſcenderunt, & ſpectemus quid reuertentes renuntient nobis, quid viderint, vel quid audierint. Sed illis deſcendentibus data ſunt eis præcepta celare viſa, & audita, donec filius hominis à mortuis reſurgeret. Tanta fuit gloria viſionis & maieſtas vocis Paternæ, vt non liceret mundo hæc prædicare, donec gloria reſurrectionis peracta eſſet. Ecce modò Chriſtus omni diſpenſatione ſalutis noſtræ peracta ſedet à dextris Dei. Dicant Apoſtoli libera voce & publica prædicatione, quid audierint vel quid viderint. *Vidimus,* ſanctus inquit Ioannes vnus de filiis tonitrui, *gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à Patre, plenum gratia & veritate;* Vnam ſiquidem ſignificans perſonam, in qua eſt omnis plenitudo veritatis & gratiæ, ſuper quam hæc vox Paternæ teſtificationis adlata eſt. Conſideremus quoque quid idem beatus Euangeliſta recubus pectoris Chriſti, in Epiſtola ſua de eadem ſentiret voce, qui poſt alia multa veritatis teſtimonia, quæ de Chriſto protulit, *Si teſtimonium,* inquit, *hominum accepimus, teſtimonium Dei maius eſt,* quoniam hoc eſt teſtimonium Dei quod maius eſt, quia teſtificatus eſt de filio ſuo, *Qui credit in filio Dei, habet teſtimonium Dei in ſe.* Magnum eſt teſtimonium Præcurſoris, qui miſſus eſt vt teſtimonium perhiberet de lumine, vt omnes crederent per illum. Ait enim viſo Spiritu ſancto deſcendente in baptizatum Ieſum, & audita voce Paternæ maieſtatis, *Et ego vidi, & teſtimonium perhibui, quia hic eſt filius Dei.* Sed multo maius eſt Dei teſtimonium, quod teſtificatus eſt de filio ſuo, cùm de cœlo illum alloquens ait: *Tu es filius meus dilectus, in te complacuit mihi.* Audiamus etiam quomodo idem Euangeliſta terruit non credentes veritatem in filio Dei, qui huiuſmodi ſubinfert verba formidinis, Qui non credit in filio Dei, mendacem facit Deum, quoniam non credit in teſtimonio quod teſtificatus eſt Deus de filio ſuo. Quid impius, quid ſceleſtius, quid omni malitia peius, quàm non credere teſtimonio Dei; renuens verum Dei filium eſſe de quo Paterna vox ait, *Tu es filius meus dilectus?* Quod beatus Euangeliſta iterum iterúmque inculcans replicat, *Scimus,* inquiens, *quoniam filius Dei venit, & dedit nobis ſenſum, vt cognoſcamus verum Deum, & ſimus in vero filio eius Ieſu Chriſto.* Quid enim apertius his verbis? quid dulcius, quid aduerſus omnes hæreſes fortius potuit dici? Chriſtus eſt verus filius Dei, & omnis veritas in eo eſt; ſicut ipſe in Euangelio ait, *Ego ſum veritas & vita.* De veritate Chriſti Dei noſtri ſæpius qui ſuprà teſtatur. Ait enim in præfata Epiſtola quodam loco, *Et Spiritus eſt qui teſtificatur quòniam Chriſtus eſt veritas.* Item, *Quicumq; confeſſus fuerit quoniam Ieſus eſt filius Dei, Deus in eo manet, & ipſe in Deo.* Quem ergo Spiritus ſanctus veritatem prædicat, Baptiſta filium Dei verum agnouit, Euangeliſta multoties veritatē appellat; vt credamus firmitérque teneamus omnem veritatem eſſe in Chriſto Ieſu. Taceant blaſphemi qui hunc verum Deum vel verum Dei filium denegant, pereátque memoria eorum de terra, qui ſcribētes ſcripſerunt iniquitatem, & ſubuertant à via veritatis corda innocentium; non metuentes terribile Dei iudicium, quod futurum eſt ſuper eos qui veritati reſiſtunt: credunt autem mendacio. Audiuimus modò quid præcipuus Euangeliſta, filius ſiquidem tonitrui, intellexerit de hac Paternæ teſtificationis voce: interrogemus quoque beatum Petrum coapoſtolum eius, cui naturæ hæc vox Patris maximè conueniat. Dixit itaq; in Epiſtola ſanctiſſima, poſt multa quæ de ſalutis noſtræ diſpenſatione, & Saluatoris gloria cōſcripſerat, *Non enim doctas,* inquiens, *fabulas ſecuti notam fecimus vobis Domini noſtri Ieſu Chriſti virtutē, ſed ſpeculatores facti illius magnitudinis. Accipiens enim à Deo Patre*

honorem & gloriam, voce delapſa ad eum huiuſmodi à magnifica gloria, Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: & hanc vocem nos audiuimus de cœlo allatam, cùm eſſemus cum ipſo in monte ſancto, & habemus firmiorē Propheticum ſermonem. Quis eſt ergo, ô fratres, ille Propheticus ſermo, qui ex hoc teſtimonio Dei ſanctæ auctoritatis firmamentum accepit, niſi illud quod in Pſalmo legitur, vt ſancti tractatores intellexerunt: *Filius meus es tu, ego hodie genui te?* Quod etiam teſtimonium Propheticum Paulus Apoſtolica auctoritate Iudæis prædicans, de Chriſti humanitate prophetatum eſſe teſtatus eſt: *Et nos vobis*, ait, *adnuntiamus eam quæ ad Patres noſtros repromiſſio facta eſt; quoniam hanc Deus adimpleuit filiis noſtris, reſuſcitans Ieſum, ſicut & in Pſalmo II. ſcriptum eſt, Filius meus es tu, ego hodie genui te.* In ea enim natura reſuſcitatus eſt Saluator noſter, quæ de Virgine aſſumpta eſt. Et vt certiùs ſciamus de qua natura vox Paterna inſonuiſſet: *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*, præmiſit antè B. Petrus Apoſtolus: *Accipiens enim à Deo Patre honorem & gloriam.* Abſque dubio humana natura accepit honorem & gloriam, quam habuit æternaliter diuinitas filij Dei cum Deo Patre & Spiritu ſancto; multis teſtimoniis de ſanctarum auctoritate ſcripturarum probari poterit Ieſum Chriſtū verum Dei eſſe filium, qui ex beata Virgine Maria factus eſt homo. Sed cui hæc teſtimonia altiſſimi Dei Patris non ſufficiunt, neſcio quid ei ſufficere valeat. Super eam ſiquidem naturam, quæ ante oculos Apoſtolorum transfigurata eſt, hæc vox facta eſt, vt ſcirent audientes quæ diſtinctio eſſet inter illum & Moyſen Heliámque, qui cum eo apparuerunt in monte, vel quem credere mundóque prædicare debuiſſent. Nulla igitur imaginatio nec in filij nomine, nec in ſalutis noſtræ diſpenſatione in Chriſto fuit; ſed tota veritas & diuinæ poteſtatis plenitudo, tota noſtræ ſalutis perfectio atque conſummatio. Imaginatio quædam in filiis ſolet eſſe adoptiuis, non veritatis integritas; quod impium eſt in Chriſto credere. Sed omnis veritas in eo & veritatis plenitudo credenda eſt. Quæ eſt perſona filij Dei? & quid ſignificandum dum dicimus tertiam in Trinitate perſonam filij Dei, niſi vnigenitum, vnicum, propriū & verum filium Dei demonſtramus? In huius excellentiam proprietatemque perſonæ adſumpta eſt natura humanitatis noſtræ ex beata Virgine, vt eſſet cum Deo Dei filio in propria perſona vnigeniti, vnici, proprij & veri filij Dei, & cum adſumente in eo qui adſumptus eſt, eſſent hæc omnia. Si quicquam horum deeſt in humanitate Chriſti, non eſt integra filij Dei perſona in eo qui vnigenitus eſt, verus, & proprius, & perfectus filius Dei in ſua perſona. In huius verò perſonæ proprietatem exaltata eſt, vt diximus, humana natura, vt eſſet vnus, vnigenitus, idem, proprius, & verus filius Dei, nihil adoptionis habens vel diuiſionis in perſonæ dignitate. Ea natura cui dictum eſt, *Terra es, & in terram ibis*, & quæ in vna concordia pro peccatis Protoplaſti cum Diabolo facta eſt in vnam perſonam, cum Dei filio coniuncta eſt proprio, non adoptiuo: & quæ Diabolo propter peccatum ſubiecta eſt, ſuper Angelos propter triumphum Chriſti exaltata eſt, & audiuit à Deo Patre, *Sede à dextris meis.* Quicquid enim in illa mirabili & ineffabili coniunctione diuinitatis humanitatiſq; in Saluatore noſtro geſtum eſt, cuncta ſolida & perfecta veritate peracta ſunt; vt liberatio noſtra vera ſit, ſicut ipſe in Euangelio ait, *Si veritas liberauerit vos, verè liberi eritis.* Cùm omnis veritas ſit in Chriſto, quomodo non eſt verus Deus aut verus filius Dei? Nonne omnis ſancta Dei Eccleſia in ſymbolo Catholico decantare ſolet, vnigenitum Dei filium paſſum, & ſepultum, & tertia die reſurrexiſſe, dum hæc in forma ſerui facta ſunt, non in æternæ diuinitatis gloria, quæ impoſſibilis eſt, & immortalis per omnia? Sed tanta eſt vnitas perſonæ, vt Dominus gloriæ crucifixus dicatur, & vnigenitus datus ad paſſionem, ſicut præfatus Euangeliſta ait: *Sic enim dilexit Deus mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret.* Quem enim Ioannes vnigenitum dicit, hunc beatus Paulus Apoſtolus proprium filium nominauit, vbi ait: *Qui proprio filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit eum.* Quem datum ad paſſionem dixit Euangeliſta, hunc Apoſtolus traditum eſſe pro nobis oſtendit. Sed vnus eſt filius Dei Ieſus Chriſtus, vniuſque abſque dubitatione perſonæ. Et ſciendum eſt quod vnitas in partes diuidi non poteſt. Si diuiditur, vnitas non erit. Nequaquam enim vnus diuidi poteſt, nullaque vmquam rationis poſſibilitate perſonalis vnio recepit ſectionem. Ergo ſi filius Dei proprius eſt in diuinitate, & adoptiuus in humanitate, duo ſunt: ſiquidem & vnitatis in eo inſeparabile myſterium diuiditur duali numero, quod omnino fieri non poteſt: quia ſic contemperata eſt

diuinitas humanitati, & humanitas diuinitati coniuncta, quatenus nec naturarum confuſio, nec naturarum ſeparatio in perſona vnius filij Dei fieret; ſed ſalua proprietate vtriuſque ſubſtantiæ, diuinæ ſcilicet atque humanæ in vna Dei hominiſq; perſona, nec Deus vnquam ſine homine, nec homo credatur eſſe ſine Deo. Et hæc mirabilis atque inæſtimabilis coniunctio in Dei filio mox in ipſo conceptu Virginalis vteri, Spiritu ſancto operante, facta eſt; atq; de thalamo cœleſtis puerperij giganteo curſu magnificus proceſſit, velut Sol oriens, filius Dei, de quo plura dici poſſũt, ſi tamen ab humano ore de tanta maieſtate aliquid dignum effari poterit. Superat enim omnem ſenſum pax Chriſti, in qua cœleſtia terreſtriáque pacificata ſunt, & in vnam reuocata concordiam. Tanta excellentia humanæ facta eſt naturę in Chriſto, vt in vnam perpetuæ diuinitatis perſonam eleuata ſit: & totum quicquid in illo magnæ pietatis ſacramento geſtum eſt, proculdubio hoc vnus idémque Deus Dei filius fecit. Quamuis ipſe quibuſdam verbis diuinam oſtendit excellẽtiam, quibuſdam verò humanam demonſtret fragilitatem; vnus eſt tamen qui loquitur, & vnus eſt qui vtrumq; certiſſimis in ſe ſignis declarat, diuinitatis ſcilicet potentiã, humanitatiſque infirmitatẽ. Sicut, exempli gratia, vnus eſt homo qui oculis inter album nigrúmve diſcernit colorem, & qui animo iuſtitiã ſeparat ab iniquitate: vna eſt tamẽ perſona & vnus homo, in quo eſt ſpiritalis intelligentia & carnalis conſideratio. Nónne in vno corpore quinquepartitos habemus ſenſus, quorum ſinguli ſuos proprios habent actus? Oculus namq; videt, auris audit; nec oculus audit, nec auris videt. Tamẽ in vno corpore ſunt auditus & viſus, & vnus eſt homo in quo hæc temporibus & locis agũtur opportunis. Ita ſiquidem Deus & homo vna eſt perſona, vnus eſt Chriſtus, & vnus filius Dei, in quo diuinitas miraculis claruit, & caro iniuriis ſuccubuit: verus atque vnigenitus, immò & vnicus in vtroq; Dei filius. Qui etiam per omnem vbique S. Euangelij textum ſibi Deum Patrem ſpeciali nomine appellare conſueuit: quod ſæpius inuenitur quàm exemplis opus ſit demonſtrari. Nec vnquã communi nomine nobiſcum Patrem ſibi appellauit, quia omnimodis aliter ſibi Deũ Patrem eſſe ſciebat, aliter nobis: veluti in familiari ſermone & toto myſteriis pleniſſimo legitur, quem habuit ea nocte qua traditus eſt, ſecretã allocutione ad diſcipu- A los ſuos: in quo etiam ſibi Patrem priuato pronomine, id eſt, *meum*, ſæpius appellauit. Quamuis in quodam loco dixiſſet, *Pater maior me eſt*, nihilominus ſpecialiter poſuit, *Pater meus*, non diſcernens in nomine filij inter eam naturam, quam æternaliter ex Patre habuit, & eam quam temporaliter ex matre Virgine ſumpſit: ſéque ipſum ea vnitatis regula vniformiter filium nominauit, vt in ſacra quam eleuatis manibus oratione Deo Patri direxit, dicens: *Pater, clarifica filium tuum, vt filius tuus clarificet* B *te.* Meus, & tuus, pronomina ſunt ex vtraque parte ſingularia, quibus multoties inter ſacratiſſima verba vti voluit, vt oſtenderet propriam familiaritatẽ inter Patrem & Filium, ne nuda tantummodò nuncupatione Patrem ſibi deſignaret, vel ſe adoptiua cõmunione nobis æqualem demonſtraret. Ideo Mariæ Magdalenę poſt reſurrectionem apparens, mandatum dedit dicens: *Noli me tangere, nondum aſcendi ad Patrem meum; ſed vade, dic fratribus meis, Aſcendo ad Patrem meum, & ad Patrem veſtrum.* C Si æqualiter voluit nobis intelligi & ſibi Patrem Deum, quare non dixit, aſcendo ad Patrem noſtrum, ſed ſpeciali pronomine de ſe dixit, *Patrem meum*, & generali ad diſcipulos, *Patrem veſtrum*? quæ alia diſcretio ibi poteſt eſſe, niſi vt ſibi ſit Pater per naturam, nobis per gratiam?

Sed his ita prælibatis, conſideremus Propheticas Apoſtolicáſque ſententias, quid de Ieſu Chriſto Deo vero & Dei filio vero ſentiant. Quamuis ſuperfluum iuſtè videri valeat ſuper Paternæ veritatis teſtimo- D nia, quæ paulò antè poſuimus, vel ipſius Dei filij verba, quæ modò dicebamus, alios accitare teſtes: tamen vt os impium & cor incredulum Propheticis Apoſtolicíſque, necnon & venerabilium Patrum obturetur teſtimoniis, qui per diuerſas mũdi partes in Catholicæ fidei floruerunt prædicatione, vt tandem aliquando lingua iniquitatis diſcat prudenter tacere, quæ nunquã didicit ſapienter loqui; primò omnium adducatur Iſaias in mediũ, cuius labia Seraphin cœleſtis calculo altaris permunda- E uit. Quid itaque mundatis labiis, quid ore propemodum plus Euãgelico quàm Prophetico, de humana Chriſti natiuitate noſtris inſonet auribus, audiamus: *Quieſcite*, inquit, *ab homine, cuius ſpiritus in naribus, quia ipſe excelſus reputabitur.* Admonet populum, quieſcat à ſanguine Chriſti, tametſi vt homo ſpiret, excelſus tamẽ reputabitur. Vnde excelſus niſi quia magnus, & filius Altiſſimi vocabitur, ſicut Archãgelus B. Virgini

prænuntiauit? Et vt certius intelligeretur A
de qua dixiſſet natura, *Filius Altiſsimi vocabitur*, ſubſecutus Angelus, *Et quod*, inquit, *ex te naſcetur Sanctū vocabitur filius Dei*. Neutrali nomine dixit Sanctum, id eſt, ſanctū corpus, quod ex te naſcetur, vocabitur filius Dei. Cuius natiuitatis excellentiam antè nominatus Propheta oſtendit, vbi ait: *Ecce Virgo*, inquit, *concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel*, quo nomine Euangeliſta Matthæus dignam adpoſuit interpretationem, dicens: *quod interpretatur, Nobiſcum Deus*. Cui rurſum idem B
Propheta ſub ſenarij numeri perfectione plura addidit nomina, vbi ait: *Paruulus natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis*. Et ne dubium cuilibet foret, de quo dixiſſet, adiunxit: *& factus eſt Principatus ſuper humerum eius*, vtique Saluatorem ſignificans noſtrū, qui properans ad paſſionis locum, S. Crucis vexillum ſuo portare humero dignatus eſt. Cui paruulo mox diſtinctim hæc proprietatis nomina impoſuit, *Et vocabitur*, inquit, *nomen eius admirabilis Conſiliarius, Deus fortis, Princeps pacis, Pater futuri ſæculi*, C
nil adoptionis vel nuncupationis his addens nominibus. Sed planè quem paruulum natum & filium nobis datum prædixit, hunc eundē Deum non ſolum Deum, ſed & fortem Deum appellauit. Item poſt plurima diuinæ laudis inſignia, eundem quem Redemptorem ſciebat venturum, Dominum exercituum, & Deum omnis terræ vocari prædixit; vbi huic quæ quondam in viduitatis mœrore ſedebat, plurima conſolationis verba proferebat, ſubiungens: *Quia*, inquit, *dominabitur tui, qui* D
fecit te, Dominus exercituum nomen eius: & Redemptor tuus ſanctus Iſraël Deus omnis terræ vocabitur. Quibus etiam nominib. conſona Pſalmiſta concinuit voce, *Quis eſt iſte*, decantans, *Rex gloriæ? Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio*. Et adhuc addidit, ſicut antè prædiximus, *Dominus virtutum ipſe eſt Rex gloriæ*. Et alibi, *Gloria & honore coronaſti eum, & conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum. Omnia ſubieciſti ſub pedibus eius*. Quo exemplo dum Apoſtolus vti voluit, adiecit: *In eo enim quod dixit, Om-* E
nia ſubiecisti ſub pedibus eius, nihil dimiſit non ei ſubiectum. Nunquid alicui adoptiuo filio vel nuncupatiuo Deo omnia ſubiecta eſſe credendum eſt, & non magis illi ſoli qui vnigenitus eſt, & proprius Dei filius in duarum coniunctione naturarum? De quo præfatus Pſalmiſta laudabili peracto ſalutis noſtræ triumpho, ait, *Aſcendit Deus in iubilatione, & Dominus in voce tubæ. Deus aſcendit*, dixit, &, *Dominus veniet*. Quo verſiculo paria aſcendente Chriſto Angelica vox Apoſtolicis inſonuit auribus, dicens: *Viri Galilæi, quid hîc ſtatis aſpicientes in cœlum? hic Ieſus qui aſſumptus eſt à vobis, ſic veniet quemadmodum vidiſtis eum euntem in cœlum*. Cuius aduentus manifeſtationem terrorémque Pſalmigraphus oſtendit, *Deus manifeſtus*, dicens, *veniet, Deus noſter non ſilebit*. Deus eſt ergo ipſe, qui & filius hominis, ante cuius Maieſtatis thronum congregabuntur omnes gentes, & diſcernet eas ſicut paſtor gregem, ſtatuens oues à dextris, hœdos autem à ſiniſtris. Et vt eum magis die illa Regem timeamus, quàm ſeruum deſpiciamus, ait ipſe: *Tunc dicet Rex his qui à dextris eius ſunt*, & cætera quæ ſequuntur in diſcretione duorum agminū, iuſtorum ſcilicet atq; impiorum. Cuius iudicij vltimam diſcretionem hac ipſe terminauit ſententia, dicens: *Tunc ibunt hi*, id eſt, impij, *in ſupplicium æternum: iuſti autem in vitam æternam*. De quo etiam iudicio & ipſe Doctor gentium dixit, *Omnes oportet nos ſtare ante tribunal Chriſti*. Quod tribunal Chriſti in alio loco nominauit tribunal Dei, oſtendens Chriſtum eſſe Deum etiam & magnum Deum, vbi ait: *Expectantes beatam ſpem & aduentum magni Dei & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti*. De quo & Ioannes Euangeliſta ait: *Hic verus eſt Deus, & vita æterna*. Nec nuda ibi nuncupatio locum inuenit, vbi eſt veritas virtutis diuinæ, quam veritatem diuinæ virtutis in filio hominis eſſe, in ſanitate paralytici ipſe Chriſtus oſtendit, vbi Iudæis cogitantibus inter ſe, *Quis poteſt peccata dimittere niſi ſolus Deus?* reſpondit, *Vt ſciatis quia filius hominis poteſtatem habet in terra dimittendi peccata*. Tunc ait paralytico: *Surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam*. Et vocem iubentis mox ſanitas paralytici conſecuta eſt. Ac ne fortè quis dubitare queat, an ille qui paſſus eſt diuinitatis habeat gloriam, legat in Daniele illius excellentiſſimæ ſacramentum viſionis, vbi vidit filium hominis ad antiquum perductum eſſe dierum. *Aſpiciebam*, inquit, *in viſione noctis, & ecce cum nubibus cœli quaſi filius hominis veniebat, & vſque ad antiquum dierum peruenit, & in conſpectu eius obtulerunt eum, & dedit ei poteſtatem, & honorem, & regnum; & omnes populi, tribus, & linguæ ipſi ſeruient. Poteſtas eius poteſtas æterna, quæ non auferetur; & regnum eius, quod non corrumpetur*. Cui beatus Ioannes Euangeliſta in reuelationibus ſuis valde æqualia ſe vidiſſe de Chriſto, qui occiſus eſt, teſta-

tur: *Et vidi*, inquit, *& ecce in medio throni quatuor animalia, & in medio ſeniorum agnum ſtantem tanquam occiſum, habentem cornua ſeptem, & oculos ſeptem qui ſunt ſeptem ſpiritus Dei miſſi in omnem terram.* Et poſt pauca quatuor animalia, & viginti quatuor Seniores cantare memorat, *Dignus es Domine Deus accipere librum & ſoluere ſignacula eius, quoniam occiſus es, & redemiſti nos Deo in ſanguine tuo.* Cui victoriæ omnis cœlorum exercitus adteſtatur, dicens: *Dignus eſt agnus qui occiſus eſt accipere gloriam, & honorem, & diuinitatem, & fortitudinem, & poteſtatem.* Ecce agnus occiſus, habens cornua ſeptem, id eſt, totius mundi regna: habens oculos ſeptem, id eſt, dona ſeptiformis Spiritus, quæ Iſaias nominatim ſuper florem, qui de virga radicis Ieſſe aſcendit, requieſcere prædixit. Ecce Dominus Deus occiſus dicitur, qui nos redemit ſanguine ſuo, & fecit ſibi regnum & ſacerdotes in æternum. Hæc omnia ſecundum humanitatis naturam Dei filium, qui occiſus eſt, omnes Angelicæ poteſtates accepiſſe teſtantur. Nonne ille ipſe, id eſt, Chriſtus, adfirmabat poſt reſurrectionis gloriam, hanc huius Propheticæ vel Apoſtolicæ viſionis veritatem, dum ſuis dicebat diſcipulis, *Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra*? Heu! proh dolor! infelix anima, quæ his omnibus incredula eſt teſtibus, & non ſeipſam corrigit, vt credat tam præclaræ authoritatis teſtimoniis.

At vos, viri fratres, expergiſcimini tandem aliquando, & lachrymis pœnitentiæ lauate de cordibus veſtris litteras, quas nigro infidelitatis felle ſcripſiſtis in eis, ſi vobis placeat manſionẽ habere in domo Patris illius, cui data eſt omnis poteſtas cœleſtium, terreſtrium, & infernorum. Huc vſque in longinquam regionem, recedentes à domo paternæ pietatis, porcos pauiſtis ſub ſpiritu, qui alligauit vos in alis ſuis: ſed ſurgite, ſurgite de priſtinæ infidelitatis ſtercore, recordantes benigniſſimam pij Patris clementiam, ad quem reuertentes humili voce dicite: *Pater, peccauimus in cœlo & coram te*: vt digni habeamini Catholicæ fidei ſtolam indui. *In maliuolam animam*, dicit Scriptura, *ſapientia Dei non intrabit.* Nolite contentioſi eſſe, veſtram amantes ſententiam. Habete humilitatem diſcendi, & deſiderium Eccleſiaſticæ veritatis, certiſſimè ſcientes quod ſine huius communione Eccleſiæ, quæ in terra peregrinatur, illa quæ cum Chriſto regnat in cœlis nunquã vos recipiet in pacem perpetuæ beatitudinis. Quia ille ſæpe nominatus Pater vir dignitate venerabilis Elipantus, vtinam & fide Catholica honorabilis, teſtes quoque ali[illegible] flagitabat: Quæramus ſuccincto ſermone teſtimonia de ſanctorum opuſculis Patrum, pauca ex plurimis, quorũ ille nomina in ſuis litterulis poſuit, adſerẽs ſe ex eorum dictis noſtro crediſſe errori, & mirũ quare quolibet * errori ſe crediſſe velit dicere. Tamen ex illorũ ſacratiſſimis litteris probabo me non erraſſe, illúmque corrigere me velle oſtendã. B. Athanaſij, Hilarij, Ambroſij, Auguſtini, Iſidori teſtimonia popoſcit. Addam quoq; & alios ad ſupplementũ veritatis teſtes idoneos. Hieronymum ſiquidem caſtiſſimæ fidei, Hebraicarum, Græcarum, necnon & Latinarum doctiſſimum magiſtrum litterarum. Gregorium quoq; Apoſtolicæ ſedis Pontificem per omnia puriſſimæ fidei virum, necnon & Cyrillum fortiſſimum Neſtorianæ ſectæ deſtructorem, etiam & Fulgentianum luculẽtiſſimi ſermonis & probatæ fidei Doctorem. Vt i eorum omnium ſacratiſſimis victus dogmatibus ſe olim agnoſcat errare.

* cuilibet

Hilarius namque non paruæ in Eccleſia Chriſti authoritatis Doctor, Arrianæque perfidiæ fortiſſimus debellator, in libris quos pro cauſa Apoſtolicæ fidei Catholico ſtilo exarauit, valde probabilia de Chriſto protulit teſtimonia, de quibus pauca prælibare ratum cenſeo. In libro VIII. Catholicæ fidei inter cætera ſic ait: Sic non poteſt aliud quid diuerſum eſſe Chriſtus quàm Deus eſt, Deus igitur Chriſtus eſt. Et rurſum, Si per naturã Dei Chriſtus tibi Dominus eſt, habebis Spiritũ ſanctum: ſi verò per adoptiuũ nomẽ hic Dominus eſt Spiritu ſancto carens, ſpiritu erroris animaris. Item ex libro nono, Homo itaque Chriſtus Ieſus vnigenitus Deus per carnem & verbum, vt hominis filius, ita & Dei filius. Hominem Chriſtum Ieſum iſte probatiſſimus Doctor vnigenitũ Deum denuntiat: Sicut hominis eſt filius, ait, ita eſt & Dei filius. Si proprius eſt hominis filius Saluator noſter, proprius eſt ſiquidem & Dei filius ſecundum huius ſanctiſſimi Patris fidem. Item in libro X. Apoſtolica ſiquidem fides non patitur Ieſum Chriſtum, vt Ieſus non ipſe ſit Chriſtus, nec filium hominis diſcernit à Dei filio. Nunquid non filium hominis diſcernit à filio Dei ille, qui filium hominis adoptiuum prædicat, & filium Dei verè filium? In libro XII. In ſe enim eum Deus glorificauit, id eſt, in ea natura qua Deus eſt, vt ſit Deus omnia in

omnibus. De humana dicit natura, quæ glorificata eſt, ita vt ſit Deus omnia in omnibus.

Item fortiſſimus contra hæreticas prauitates bellator beatus Ambroſius Mediolanenſis Epiſcopus, perſpicuè Chriſtum ſecundum id quod homo eſt proprium Dei filium adfirmat eſſe, ſicut legitur in expoſitione quam fecit in Euangelium Lucæ. Illum, inquit, id eſt, Chriſtum veraciter proprium Dei filium confiteri, & eum eſſe quem ſecundum humanitatem vox Paterna intonuit, etiam de eo verſu qui in Pſalmo ſecundo legitur, *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Nec ideo quidem, inquit, datur tibi facultas refellendi in ore tuo, quaſi ſecundum diuinam tantummodò ante ſecula generationem hoc dictum fuiſſet, licet poſſet & de illa non inconuenienter intimatum videri. Verumtamen ex præcedentibus & ſubſequentibus circumſtantiis de ſecunda, quam temporaliter pro nobis ſuſcipere non abhorruit, natiuitate prædictum hoc rectius intelligi non inhibetur. Nam, *Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo ſuper Sion montem ſanctum eius*, &, *poſtula à me, & dabo tibi gentes*, ad magnum pietatis ſacramentum, quod per diſpenſationem carnis apparuit in mundo, perſpicuè aduertitur proculdubio pertinere. Quis eſt, inquit Ambroſius, ille proprius Dei filius, niſi cui voce paterna dictum eſt, *Filius meus es tu, ego hodie genui te*? In libro autem de Incarnatione Chriſti VI. quia Chriſtus verus Dei filius ſit, ſic ait: Aduerſus, inquit, omnes hæreſes generalis iſta fides eſt; quia Chriſtus eſt Dei filius, & ſempiternus ex Patre, & hodiernus ex Virgine. Et paulò pòſt: Cùm Dominus ſemper eſſet æternus, Incarnationis ſacramenta ſuſcepit, non diuiſus, ſed vnus; quia vtrumque vnus, & vnus in vtroque, hoc eſt vel diuinitate vel corpore.

Habemus quoque Athanaſij teſtimonium, non tale quale infidelitas quærit veſtra, ſed quale Catholicæ conuenit fidei: ſicut in Epiſtola, quam ad Epictetum Eccleſiaſtica penna depinxit, exaratum legimus; poſt plurima, quæ de Incarnatione Chriſti elegantiſſimè expreſſit; hoc quoque ſubinfert, Non quidem per adoptionem, inquit, hæc facta ſunt, abſit, ſicut quidam exiſtimauerunt: ſed ſicut eſt veritas, homine facto Saluatore, totius hominis ſalus facta eſt. Si enim adoptione erat in corpore Verbum ſecundum illos, quod autem adoptione dicitur, fantaſia

A eſt, repet *putatiue ſalus. Quid melius, quid verius potuit dici, quàm illud quod iſte nobiliſſimus Doctor dixit, non per adoptionem hæc eſſe facta quæ de Chriſti geguntur diſpenſatione; ſed in veritate omnia hæc peracta? Iſta ſiquidem verba illius ad humanitatem pertinere demonſtrantur dicta. Per id quod, ait, facta ſunt, non quidem diuinitas facta eſt, ſed humanitas quam non per adoptionem iſte pius Pater factam eſſe adfirmat. Idem ipſe in Libello fidei ſuæ quem dialogiſtico ſermone con-

B tra hæreticas prauitates exarandum eſſe optimum cenſuit, poſt multa ſacræ doctrinæ eloquia hæc loco opportuno ſubinfert: Incarnatus eſt, inquit, vnigenitus ſecreto illo myſterio quod ipſe nouit. Noſtrum namque eſt credere, illius noſſe. Ac ſic ipſe Deus Verbum totum ſuſcipiens quod eſt hominis homo fit, & adſumptus homo totum accipiendo quod Dei eſt, aliud quàm Deus eſſe non potuit. Si ergo homo totum ſuſcepit quod Dei eſt, hoc ſiquidem ſuſcepit vt Deus eſſet verus, &

C filius Dei verus, vnigenitus, vnicus, & proprius: hoc totum in Dei filio fuit ante omnia ſæcula, hoc filio hominis, quem plenitudine temporis ex virginali vtero adſumpſit, in ipſo conceptionis initio proprium fuit, vt vnicus, vnigenitus, verus, & proprius filius Dei eſſet.

Quæramus etiam quid acutiſſimus, & in Catholica fide veraciſſimus Doctor B. Auguſtinus dicat, quatenus ſi antedictorum credere vobis non placeat Doctorũ teſtimoniis, vel illius credite quem vos

D ſingularius veſtræ opitulari ſectæ falſo opinatis. Si eruditus quiſlibet, & rectè intelligens lector, multiplices litterarũ ſuarum codices perluſtret, veriſſimè eum inueniet nobis conſentanea ſcribere, credere, & prædicare de Chriſto, non vobis. Sed de plurimis exempli gratia pauca perſtringamus ex illius dictis teſtimonia, ne magna multitudo verborum faſtidioſi lectoris animum magis oneret quàm ædificet; & non tangamus illud quod paulò antè de Enchiridion poſuimus, ſed ad alia in-

E genij ſui munimenta tranſeamus. Nam in primo & ſecundo Prædeſtinationum libro, de proprietate quæ in Chriſto eſt aperto ſermone profatur: Non me faciente, inquit, ac ſuſcipiente Verbo, ipſe homo, ex quo eſſe cœpit filius Dei vnicus eſſe cœpit. Nonne filium Dei vnicum femina illa gratia plena concepit? nonne de Spiritu ſancto & Virgine Maria Dei filius vnicus natus eſt? Item in ſecundo eiuſdẽ

Operis libro, Fidelis, inquam, qui in eo A veram naturam credit & confitetur, humanam, id eſt, noſtram, quam ſingulariter ſuſcipiente Domino verbo, in vnicum Dei filium ſublimatum eſt, ita vt qui ſuſcipit & quod ſuſcepit vna eſſet in Trinitate perſona; beatus Auguſtinus veredicus, probabiliſque veritatis teſtis vnicum dicit Dei filium, qui vnigenitus de vtero quaſi ſponſus de thalamo proceſſit in regionem noſtrã. Vnicus namque vel vnigenitus proprietatis nomen eſt, non communionis cum adoptiuis. In tractatu videlicet nonageſimi noni Pſalmi habes ita, *Scitote quoniã* B *Dominus ipſe eſt Deus*. Quis neſcit, inquit, quoniam Dominus ipſe eſt Deus? Dominus ille non vobis vileſcat: crucifixiſtis, flagellaſtis, ſputis inliniſtis, ſpinis coronaſtis, &c. cuſtodes ad ſepulchrum poſuiſtis. Ipſe eſt Deus. *Scitote Dominus quoniam ipſe eſt Deus*. Igitur & in Pſalmo CIX. humanam naturam in Redemptore noſtro, quæ longa parentum linea de ſemine Dauid orta eſt, eandem eſſe & Dominum Dauid & filium Dauid manifeſtè probat, ex eo verſiculo quem ipſe Saluator Iudæis propoſuit in quæſtionem, quomodo potuiſſet filius Dauid eſſe, & dominus Dauid, dicens: *Dixit Dominus Domino meo; ſede a dextris meis*. Si filius, quomodo Dominus? Quod beatus Auguſtinus in expoſitione eiuſdem Pſalmi ita differuit. Nouimus, inquit, Chriſtum ſedere ad dexteram Patris. Poſt reſurrectionem à mortuis, & in cœlis Aſcenſionem factum eſt. Iam nec vidimus, ſed credimus, in libris legimus, prædicatum audiuimus, fide retinemus. D Vnde & eo ipſo quod erat filius Dauid, Chriſtus, factus eſt Dominus Dauid. Illud enim quod natum eſt ex ſemine Dauid, ita honoratum eſt vt eſſet & Dominus Dauid. Quod iterum iterumque replicat, ne forte cui dubitatio foret de qua dictum ſit natura: *Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis*. Adiunxit ergo & hæc verba, Eo ipſo, inquit, quod carnem accepit Chriſtus, quod in carne mortuus eſt, quod in eadem carne reſurrexit, quod in eadem aſcendit in cœlum, & ſedet ad dexteram Patris; & E in eadem ipſa carne ſic honorata, ſic clarificata, ſic in cœleſtem habitum commutata, & filius eſt Dauid, & Dominus eſt Dauid. Quem ſenſum Apoſtolica etiam authoritate curauit dilucidare. Secundum hanc, inquit, diſpenſationem tranſitus Chriſti, etiam & illud ab Apoſtolo dicitur, *Propter quod eum exaltauit à mortuis, & donauit illi nomen quod eſt ſuper omne nomẽ, vt in nomine Ieſu omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum*. Donauit, inquit, ei nomen, id eſt, ſuper omne nomen, Chriſto vtique ſecundum hominem, Chriſto ſecundum carnem mortuo, reſurgenti, aſcendenti donauit nomen, quod eſt ſuper omne nomen; vt in nomine Ieſu omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum. Vbi erit Dauid, vt non ei ſit Dominus? In cœlo ſit, in terra ſit, in inferno ſit: Dominus eius erit, qui eſt Dominus cœleſtium, terreſtrium, & infernorũ. Gaudeat ergo nobiſcum Dauid, filij ſui natiuitate honoratus, dominatu liberatus: & gaudens dicat, vt à gaudentibus audiatur: *Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis*. Vnde eſt friuoloſa nuncupatio diuinitatis, vbi tam alta eſt dominatio poteſtatis? vnde eſt æqualis nobiſcum adoptio in filio Dauid, vbi eſt tam excellens ſupra omnes cœleſtes virtutes dominatus? Hæc dico quia memini me ſcriptum legiſſe inter alias huius nouę ſectæ ineptias, Chriſtũ in diuina tantummodo natura Dominum C eſſe Dauid, non ex humana qua de ſemine Dauid ſumpſit originem. Ac ideo longiori textu ſermones in hoc loco poſui S. Auguſtini. Ita idem in Pſalmo LII. Cum in forma ſerui appareret in terra, dixerunt qui eum crucifixerũt, Non eſt Deus. Quia filius Dei erat, vtique Deus erat, proprius filius Dei & verus; ſed illi corrupti ſunt, & abominabiles facti ſunt, qui dixerunt: Non eſt Deus, occidamus eum. Ecce proprium & verum Dei filium, qui crucifixus eſt à Iudæis, fatetur ſicut ſemper fateri dignoſcitur. Itẽ de vnitate poteſtatis in Dei filio B. Leo Papa expreſſius in quadã homilia Theophaniæ die legẽda protulit ſcienter, inquiens: Diuinã humanamq; naturam in vnitate venerantes, quia quod erat in ſubſtãtiis propriũ, non erat in poteſtate diuerſum. Sed trãſeamus modo ad præfati Patris pulcherrimum opus Homiliarũ. Siquidem Euangelium beati Ioannis Euangeliſtæ perſpicientes, quid in eis ſentiat de Chriſto dicit de teſtimonio Ioannis Baptiſtæ inter alia. Nullo modo autem poſſunt dicere ſe habere charitatem, qui diuidunt Trinitatem. Hæc dicta ſunt, ſequentia videamus. Perhibuit Ioannes teſtimonium, quia vidit. quale teſtimonium perhibuit? quia ipſe eſt filius Dei. Oportebat ergo vt ille baptizaret qui eſt filius Dei vnicus, non adoptatus. Adoptati filij miniſtri ſunt vnici. Vnicus habet poteſtatem, adoptati miniſterium. His verbis oſtendit perſpicuè Chriſtum vnicum eſſe filium,

nos verò adoptatos. quam verò vnitatem filij qui diuidere volunt, nequaquã charitatem habere videntur, ſicut iſte præfatus Magiſter teſtatur. Sed in eo quod Chriſtũ diuidit in proprium & adoptiuum filium, ſeipſum diuidit ab vnitate Catholicæ pacis. Item vbi Ioannes de Chriſto ait: *Oportet & illum creſcere, me autem minui*, dixit: Qui accipit teſtimonium eius, ſignauit quia Deus verax eſt. Subſecutus, ait: *Non enim ad menſuram dat Deus Spiritum.* De quo idem qui ſupra in eodem Sermone. Audi, inquit, Apoſtolum dicentem, *ſecundum menſuram donationis Chriſti.* Hominibus ad menſuram dat, vnico filio non dat ad mẽſuram. Et de eo quod hic ait, *ſignauit quia Deus verax eſt*: item & de eo quod alio in loco ipſa Veritas ait, *hunc enim Pater ſignauit Deus*, talem coaptauit interpretationem dicens: Iſte, inquit, filius hominis, & filius Dei eſt, iſte homo etiam Deus eſt. Et paulò pòſt: Ideo hunc enim Deus Pater ſignauit. Signare quid eſt, niſi proprium aliquid, quo non confundatur cum cæteris? Signare eſt ſignum ponere. Cuicumque rei ponis ſignum, ideo ponis ſignum ne confuſa cum aliis à te non poſſit agnoſci. Pater ergo eum ſignauit. Quid eſt, ſignauit? proprium quiddam illi dedit, ne cæteris compararetur hominibus. Ideo dictum eſt, *Vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ participibus tuis.* Excellentius aliquid B. quidem Auguſtinus cum Propheta intellexit in vnctione Chriſti, quàm iſti noui diuinarum ſcrutatores rerum obſcuro infidelitatis corde intelligere queunt; vt pote eodem inſpiratus ſpiritu in veritatis teſtificatione, quo Chriſtus vnctus eſt in vtero Virginali. Præ participibus quippe vnctus eſt Saluator noſter, quia omnes nos prius peccatores homines exiſtimus, & poſtmodum per vnctionem ſancti Spiritus ſanctificamur. Ipſe autem exiſtens Deus ante ſæcula, per ſanctum Spiritum in vtero Virginis homo conceptus eſt in fine ſæculorum. Ibi ab eodem Spiritu vnctus eſt, vbi conceptus; nec ante conceptus, & poſt modũ vnctus eſt. Sed hoc ipſum de Spiritu ſancto, & carne Virginis. Concipi à Spiritu ſancto, vngi fuit. Abundãtius enim eum omnibus ſanctis vnctum eſſe oleo lætitiæ, id eſt Spiritu ſancto, intellexit quoque Apoſtolus. Vnctus eſt Moyſes ſicut cæteri Sancti in adoptiuum filium. Vnctus eſt Chriſtus in vtero Virginali in proprium filium Dei. His verbis & beatus Petrus conſentit Princeps Apoſtolorũ dicens; *Vnxit eum Deus Spiri-*

A *tu ſancto & virtute.* Item ibi in eodem, *Deus Patrum noſtrorum glorificauit filium ſuũ Ieſum, quem vos quidem tradidiſtis, & negaſtis ante faciem Pilati iudicante illo dimitti.* Filium ſuum dicit, non adoptiuum, ſed familiari pronomine ſuum, id eſt proprium, qui traditus eſt à Iudæis. Quid verò de eo dicit beatus Auguſtinus, cui in cruce pendenti à Iudæis inſultatum eſt? Conſideremus an eundem verum Dei filium credat, cui illi dixerunt, *Filius Dei es, deſcendas nunc de cruce.* Quare ergo, inquit, non oſtendit B inſultantibus, quia ipſe erat filius Dei, vt ſi ſe permiſerit in cruce leuari, ſaltem cùm illi dixerunt, *Si filius Dei eſt, deſcendat de cruce,* tunc deſcenderet, & oſtenderet eis verum ſe eſſe filium Dei, quem illi auſi ſunt irridere? Noluit. Quare noluit? Nunquid quia non potuit? Potuit plane. Quid eſt enim amplius de cruce deſcendere, an de ſepulchro reſurgere?

His omnibus ſupradictis Patribus beatus Iſidorus, lumen Hiſpaniæ, in vnitate perſonæ & proprietate naturarum C Redẽptoris noſtri conſentire agnoſcitur. Homo, inquit, Chriſtus Ieſus, quamuis aliud ſit ex Patre, aliud ex Virgine; non tamen alius ex Patre, alius ex Virgine: ſed ipſe æternus ex Patre, ipſe temporalis ex Matre. Et paulò pòſt, Manens vnus de vtroque, & in vtraque natura, nec naturarum copulatione confuſus, nec naturarum diſtinctione geminatus. Quare vos contra optimi Doctoris veſtri confeſſionem geminatis Chriſtum in verum & non verum filium Dei? Sicut de vtero filius non poteſt D dici adoptiuus, ita & de optiuo non poteſt dici adoptiuus verus filius. Et ex hac reciprocatione neceſſario intelligi datur duas eſſe perſonas, proprium & adoptiuum filium. Eia, Elipãte vir ſenectute grauis, moribus nobilis, dignitate ſublimis, imple quod promiſiſti, fac vt dixiſti. Decet plane tuam annoſam prudentiam veridicam eſſe. Recole te ipſum tuis conſtrictum eſſe verbis, ſi horum tibi quos nominauimus Patrum teſtimonia proferrem de veritate in Chriſto, in noſtri non vt dicis erroris E ſectam, ſed vt nos certiſſimè ſcimus, & veriſſimè probamus, Catholicæ fidei veritatem te tranſire velle. Quos tu elegiſti teſtes, horum tibi propoſui abundanter, vt reor, conſentaneas in fide Catholica ſententias. Noli ab eorum recedere vnitate, in quorum tibi placuit authoritate. Proferamus & tibi, quamuis vt timeo ingrato auditori, adhuc & aliorum magni nominis Doctorum acceptabilem vniuerſali

Eccleſiæ in ſancta fide confeſſionem: quatenus vel erubeſcens te ſolum his omnibus eſſe contrarium, tuam corrigas ſententiam: vel, quod abſit, ſi permaneas in incredulitate, ab his omnibus Apoſtolico feriaris mucrone. Sed hoc ab alterius ſermonis exordio incipiendum eſſe ratum arbitror.

LIBER II. QVI ET IIII. ADVERSVS ELIPANTVM.

QVAMVIS diuerſo modo viri iniuſti, qui ab Eccleſiaſtica receſſerunt pace, erraſſe noſcantur; tamen ex vno ſuperbæ elationis fonte pene diuerſarum origo ſectarum ebulluit, dum quiſque illorum propriæ magis voluit eſſe defenſor ſententiæ, quàm veritatis ſectator: & vnde ſuo nomine ſatagebat gloriam adquirere, inde reprehenſibilis iuſtéque omnibus odioſus effectus eſt. Cardo enim peſſimus & origo malorum, quæ ex ſeſe cunctarum impietatum occaſiones peperit, hæc eſt, dum cœleſtium Doctorum ſapientia vitio malè intelligentium procacitate temerata non ſecundum ſui ſenſus proprietatem perpenditur, ſed in alienos ſenſus pro arbitrio & voluntate legentis ſecus quàm veritatis ratio habet deriuatur. Et hoc ex omnium hæreticorum commentis cuique ſanctas bene intelligenti ſcripturas deprehendere perfacile eſt, quod non ſolum impiorum peruerſitas ſpiritalium Doctorum Catholicas in ſcripturis ſanctis interpretationes malè intellexerunt, verùm etiam impia temeritate vel praua cæcitate diuinorum librorum ſanctiſſima verba ad ſui erroris ſimilitudinem trahere non formidauerunt, & adhuc infeliciſſimè de eo maximè errauerunt, id eſt, de Domino noſtro Ieſu Chriſto, in quo ſolo ſingulorum ſalus & vita conſiſtit, ſicut beatus Petrus princeps Apoſtolorum teſtatur, dicens: *Nec aliud nomen datum eſt ſub cœlo, in quo oporteat nos ſaluos fieri.* Quid miſerabilius eſt, quàm id quod ad ſalutem omnibus datum eſt, ad perniciem perpetuæ perditionis ſua voluntate quemlibet ſibi ipſi conuertere? Quod genus impietatis & miſeriæ ſi prouida mente vel humili indagatione, ô Pater Elipante, conſiderare curares, numquam in huius erroris foueam ab vnitate Catholicæ pacis recedens corruiſſes. Vbi latuit, vbi dormiuit hoc nomen adoptionis vel nuncupationis de Chriſto, cùm in

A Nicea ciuitate fides confirmata eſt Catholica per trecentos decem & octo Epiſcopos, omnes impias ſectas excludens, Spiritu ſancto in cordibus illorum loquente? Forte tuis temporibus hæc gloria nouæ doctrinæ ſeruata eſt, vt aliquid noui inuenires, quo tuum nomen exaltares in orbe. Ecce factum eſt; celebris eſt valde nominis tui notitia, ſed non cum charitatis laude, ſed cum execrationis deſpectu; nec cum ea benedictione, qua Salomon ait, *Nomen iuſtorum benedicetur.* Caue quod ſequitur, ne

B magis tuo nomini aptari poſſit. *Nomen autem*, inquit, *impiorum putreſcit.* Fuerunt etiam & multæ poſt huius Niceni authoritatem Concilij Synodales congregationes, per diuerſas mundi partes imperialibus Chriſtianorum Principum edictis conuocatæ, prout cauſa vel defenſio Catholicæ fidei contra hæreticas impietates flagitabat: in quibus etiam nihil tale vnquam auditum eſt, vel litteris de Chriſto mandatum inuenitur, quale veſtra nuper ſagacitas, vel magis procacitas repente auri-

C bus intulit Chriſtianis. Quæ eſt inſolita & omni ratione extranea elatio mentis tuæ, vt tibi ſoli cum tuis paucis muſſitatoribus, non Doctoribus, vniuerſalis Eccleſiæ fides non placet; & omnibus vbique vna voce clamantibus Chriſtum Deum verum & verum Dei filium, tu ſolus cum Iudæis reclamans, dicis: *Dignus eſt mori, quia filium Dei ſe fecit*: meque ſeruulum illius maledictionibus proſequeris, dum ego omnium ſanctarum doctus authoritate Scripturarũ, & Apoſtolica roboratus prædicatione,

D omnem in Chriſto confiteor & teſtificor veritatẽ, ſicut Apoſtolica doctrina toti tradidit mũdo, & vbiq; ſancta credit Eccleſia & prædicat? Tu verò ſolus his omnib. contrarius, ſolus tibi ſingulare magiſterij nomen vſurpaſti; dum ſolus ſanctũ & generale perdidiſti Catholicæ fidei ſymbolum. Fertur in ſæcularis litteraturæ Hiſtoriis profanum quendam iuuenem Dianæ incendiſſe templum, quæ magni nominis apud Epheſios habebatur; interrogatuſque quid hoc facere voluiſſet, reſpondit, Dum

E per bonum propter excellentia facta viuorum notus eſſe non potui, vel per quodlibet malitiæ genus nomen meum innoteſcere volui. Sic etiam, ſic te egiſſe cognouimus, frater Elipante, dum non haberes nec decorem eloquentiæ, nec fulgorem ſapientiæ, vel inſolita qualibet ſecta nomen tuum diuulgare curaſti; nec tibi alia ſalutis reſtat via, niſi prompta manu deleas chirographum iniquitatis, quod in ſe-

creta tui cordis ſcripſiſti paginula, & nouis Catholicæ fidei ſyllabis priſtinæ infidelitatis apices obumbrare incipias. Legitur in litteris eorum qui de lapidum natura ſcripſerunt, adamantini lapidis duritiam nullo malleorum ictu frangi, nullo ignium ardore diſſolui: ſed hæc duriſſima naturæ illius virtus ſanguine tantummodo hircino cedit. Si nullo teſtimoniorum pondere duritia cordis tui conteri valeat, molleſcat & diſſoluatur ſanguine veri Dei Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui effuſus eſt pro ſalute tua. Deus eſt verè qui te ſuo ſanguine redemit, & Dei filius verè qui de ſepulchro reſurrexit. Cæde ſuper lapidem, qui reprobatus eſt ab ædificantibus, vt confringatur obſtinatio cordis tui. Noli ſpectare quando de cœlo corruat ſuper te, & contra te. Horribile eſt enim incidere in manus omnipotentis Dei.

Ideo tam prolixi ſermonis præfationem feci, quia ſegnitiem tuam ſuſcitare voluiſſem, vt cognoſceres noſtræ voluntatis de tua ſalute effectum. Sed tempus eſt, vt noſtræ memor promiſſionis alios tibi aduocare teſtes incipiam. Gregorius ſcilicet Romanæ ſedis Epiſcopus, nobilis eloquentiæ vir, & puriſſimus in Catholica fide Doctor, multis in locis litterarum ſuarum vnigenitum verumque Dei filium Redemptorem noſtrum eſſe teſtatur. Dicit enim in I. Moralium libro de filio Dei ita, quia & ipſi adoptiuus quiſque filius ad percipiendam diuinitatem proficiat, nequaquam tamen vt Deus naturaliter eſſe accipit. Item in eodem libro, quod Chriſtus Ieſus non ſit per adoptionem filius, inter alia ſic ait: Omnes, inquiens, qui in fide Deo naſcuntur ſuperat, quia non vt cæteros adoptio, ſed natura illum diuinitatis exaltat. Hic denique abſque dubio vir ſanctus Deoque plenus hominem Chriſtum de Virgine natum, non vt cæteros Dei filios indulta adoptione, ſed per naturam illum diuinitatis in Dei filium præmonet exaltatum. Idem in libro XXVI. Redemptor ſiquidem noſter homo ſine peccato eſt, filius ſine adoptione. Sicut poteſtatis diuinæ eſt vt homo ex Virginali vtero ſine peccato naſceretur, ita diuinæ eſt virtutis vt homo ille, qui ſine peccato naſci potuit, ſingulariter ſine adoptione Dei eſſet filius. Quod in libro XVIII. idem ſanctiſſimus Pater oſtendit dicens: Aliud eſt enim natos homines gratiam adoptionis accipere, aliud vnum ſingulariter per diuinitatis potentiam Deum ex ipſo conceptu prodiſſe. Nec æquari poteſt gloria vnigeniti habita per naturam, aliis accepta per gratiam. Intellige de qua natura dixiſſet in ipſo conceptu Deum prodiſſe. Attende eo quod aduerſarij maxime ſibi opitulari [illegible]ant, quod Chriſtus aduocatus ſit pro nobis apud Patrem; clariſſimo præconio iſte Pater ſanctus patefecit quomodo ſit aduocatus, dicens in viceſimo ſecundo libro: Vnigenito enim Dei filio pro homine interpellare, eſt apud coæternum Patrem ipſum eſſe hominem demonſtrare: eique pro humana natura rogaſſe, eſt eandem naturam in diuinitatis ſuæ celſitudinem ſuſcepiſſe. Cognoſce quod nullatenus vnigenitus dici poteſt, niſi verus ſit filius. De nullo adoptiuo poteſt dici vnigenitus, quia plures ſunt quàm vnus, nec quiſquam ex adoptiuis in vnitatem perſonæ cum Dei filio adſumptus eſt. Nec ad diuinitatis gloriam exaltatus etiam, nec vnicus proprie dici poteſt, ſicut probatiſſimis paulò antè beati Auguſtini teſtimoniis Chriſtum dictum eſſe declarauimus; & ſanctis quoque Miſſarum ac orationum precibus beatum Gregorium poſuiſſe ſuperius oſtēdimus. Ergo & beatus Hieronymus in eius verſiculi interpretatione conſentit, vbi Propheta ait: *Reſpice in me, & miſerere mei: quoniam vnicus & pauper ſum ego.* Bene ſe vnicū dicit, quia vnigenitus eſt Patris in carne natus. Quia verò negat vnigenitū Dei filium pro mūdi ſalute crucifixum eſſe, ſub Pontio Pilato paſſum, & ſepultum, & tertia die reſurrexiſſe; omnino contrarius eſt Catholico vniuerſalis Eccleſiæ ſymbolo, in quo veriſſimè decātatur, hæc omnia in vnigenito Dei filio facta eſſe, ſicut beatus Fulgentius luculentus Catholicæ fidei ſcriptor in Epiſtola, quam ad Petrum Diaconem direxerat, oſtendit eſſe verum Dei filium eundem qui paſſus eſt, mortuus, atque reſurrexit. Qui poſt plurima Catholicæ fidei documenta huiuſmodi de Chriſto protulit ſententiam: Natus eſt enim, inquit, de Patre Deus Verbum, natus eſt de Matre Verbum caro factum. Vnus igitur atque idem Deus Dei filius natus ante ſæcula, & natus in ſæculo, & vtraque natiuitas vnius eſt, filius Dei; verum etiam de eodem matris vtero idem Deus homo factus die tertia reſurrexit. Item in eadē Epiſtola: Quibus, inquit, verbis explicabitur carnis illius excellentia ſingularis, cuius diuina eſt ex ipſa ſui conceptione perſona? Adtende quid dicit, Cuius eſt diuina ex ipſa ſui conceptione perſona. An aliquis audet dicere adoptionem eſſe in diuina perſona filij Dei? Totam itaque proprietatem ſuam,

quam habuit ante ſæcula, diuina ſeruauit: A perſona in ſe ipſa, licet humanitas coniungeretur diuinæ perſonæ filij Dei. Et paulò poſt: Deus vnigenitus, qui dum conciperetur veritatem carnis accepit ex Virgine, iſta cauſa eſt qua Deus factus eſt filius Virginis Mariæ, & Maria Virgo Mater facta eſt vnigeniti Dei. Vnum ſiquidem & illum vnigenitum B. Virgo genuit Deum, non duos; vnum verum Deum, & alterum nuncupatiuum, ſicut veſtra ſolet adfirmare peruerſitas. Item in eadem, quando in Iordane ſecundum carnem baptizatus eſt B vnigenitus Deus. Ecce B. Fulgẽtius illum, qui in Iordane ſecũdum carnem baptizatus eſt, ſuper quem Paterna intonuit vox, & Spiritus ſanctus in ſpecie columbæ deſcendit, vnigenitum Deum confitetur. Item qui ſupra in libro tertio, qui nuncupatur, de ſacramento Dominicæ Paſſionis: Quia Redemptor noſter, inquit, author vitæ ideo à Petro Apoſtolo perdocetur, quoniam Deus verus incunctãter, non autem nuncupatiuus credendus ſit, ita poſt plurima ſubinfert: Ex quo igitur Deus vi- C tæ author hominem in vnitatem perſonæ ſuſcepit, ex quo ille homo nomen vitæ authoris obtinuit. Quis poteſt vitæ eſſe author, niſi verus Deus? quod beatus Petrus perſpicuè teſtatur in Sermone quem habuit ad Iudæos: poſt alia excellenter prolata, hoc quoque ſubnexuit. *Vos verò*, inquit, *ſanctum & iuſtum negaſtis ante faciem Pilati, iudicante illo dimitti, & petiſtis virum homicidam donari vobis. Authorem verò vitæ interemiſtis, ſuſpendentes in ligno.* Quod olim Moyſes diuino dignus eloquio Propheti- D co prædixit Spiritu futurum, vbi ait: Videbis vitam tuam pendentem ante te, & credes vitæ tuæ.

Hoc velim certiſſimè vos cognoſcere, ô viri fratres, huius adoptionis in Chriſto adſertores, quod quicquid beatus Cyrillus Alexandrinæ Eccleſiæ Pontifex ſynodali authoritate impio reſpondit Neſtorio, vobis reſponſum eſſe abſque dubio ſciatis: quia eiuſdem erroris impietas eiſdem veritatis reſponſionibus deſtrui debet. Nihil prorſus reſtat veſtræ perfidiæ ſe- E cta ab infidelitate Neſtorij, niſi quod ille in matre Virgine errauit, vos in filio Chriſto. Ille adſeruit beatam Virginem Dei genitricem non eſſe, vos verò adfirmatis, nec Deum verum, nec Dei verè filium eſſe, qui natus eſt ex virginali vtero. Ille hominis tantùm matrem ſanctam Mariam putabat fieri, alterum agnoſcens qui ante omnia tempora ex Patre natus eſt. Alterum namque eum, qui in plenitudine temporum carnaliter ex Virgine homo factus eſt. Vos equidem non minori impietate decepti verum Dei filium vultis eſſe, qui ante ſecula natus eſt ex Patre: Illum verò, qui ex Virgine natus eſt, adoptiuum filium Dei. Addentes & adhuc huic incredulitati veſtræ aliud impietatis genus, dicentes Deum eſſe verum qui ex Deo natus eſt, & Deum nuncupatiuum hominem illum qui de Virgine factus eſt: atque ſuper hæc dualitatis nomina, id eſt, veritatis, & nuncupationis, proprietatis, adoptionis, nimia cæcitate obſcuratum habentes cor dicitis vnum Deum eſſe, & vnum filium, quem vos verum Deum & nuncupatiuum, proprium filium & adoptiuum multa ſermonum varietate ſæpius in duos Deos & in duos filios diuidatis: nomen dualitatis tantummodo in perſonis execrantes, ſed in fide propria firmiter rem dualitatis oſtendentes. Sed legite diligentius ſynodales libellos beati Cyrilli Antiſtitis, vt cognoſcatis veſtri erroris originem ex venenoſa Neſtorij ebullire voragine, ac voſmetipſos ex illius ſanctiſſimi Patris, beati ſiquidem Cyrilli, litteris corrigite; ſequentes chariſſimi veſtri quondam Felicis, nunc autem noſtri exẽplum. Qui viam veritatis cognoſcens, non erubuit erroris ſui confiteri ignorantiam, & per fidem Catholicam vnitati Eccleſiæ Chriſti ſeipſum compaginari. Ponamus tamen pauca ex illius antenominati Patris libello teſtimonia, quatenus ex illorum lectione intelligatis quid per hominem, ſerie litterarum ſuarum adſtrui velit.

Dicit itaque in ea Epiſtola, quam ad ipſum direxit Neſtorium inter cetera ſic. Ita, inquiens, Chriſtum vnum & Dominum confitemur, non tamquam hominem cum Verbo adorantes, ne diuiſionis quædam ſpecies inducatur; ſed vnum filium eundemque adorantes. Item in Synodo celeberrimæ authoritatis, quæ congregata eſt in Epheſina ciuitate contra ipſum Neſtorium, ſic de Chriſto ipſe Cyrillus teſtatur. Non hominem, ait, & Verbũ duos Chriſtos, alterum ſublimem, & alterum ſubditum; Sed Deum & hominem vnum eundemque confitemur Chriſtum. Nunquid non duos Chriſtos confitetur, vnum ſublimem, & alterum ſubiectum, qui dicit vnum Chriſtum verum Deum, & alterum nuncupatiuum; vel vnum Dominum, & alterum ſeruum? Et paulò poſt: Nuncupamur etenim nos ipſi per gratiã Dei, verumtamen non ita Deus filius, ſed natura

magis & veritate, licet caro ſit factus. Et in ſequentibus infit, Nos quidem & ſancto vncti ſumus Spiritu, adoptionis ſiquidem ditamur gratia, vocamurque etiam Dij. Noſtræ vero naturę menſuram non ignoremus. Sumus enim ex terra, & habitamus inter ſeruos. Et ille eſt non in quibus nos, ſed natura vere filius, & omnium Dominus. Attende diligentius, quomodo diſcreuit inter noſtræ adoptionis dignitatẽ, & naturalem in Chriſto filio Dei, qui ex Virgine natus eſt, veritatem: quod adhuc perſpicatius in ſequentibus mox oſtendere curauit. Quocirca, inquiens, ex duabus quidem rebus indubitanter, diuinitate & humanitate, Emmanuel eſt. Verumtamen vnus Dominus Ieſus Chriſtus, vnuſque & verè filius Deus ſimul & homo, & non homo Deus factus, ſub æqualitate horum qui per gratiam: ſed Deus potius verus. Vide lector, & intellige quam fiducialiter Chriſtũ in duab. naturis adfirmat quod ſit vnus & filius etiã & verè Deus, nõ ſecũdum gratiam ſicut nos. Attende, ſubſecutus ait: Palam ergo eſt, quia vnitatis res adſumpta neceſſario quidem proprium filium declarauit Dei, qui ex ſancta Virgine eſt. Item, vt aduerſarij deſtrueret dicta, contrario poſuit argumentum. Sed ſi eſt Chriſtus, inquit, neque filius verè, neque naturaliter Deus: ſed homo purus ſecundum nos, & diuinitatis organum. Saluati quidem ſumus non in Deo quodam modo, ſed in vno magis ſecundum nos morienteꝑ pro nobis, & virtutibus alienis reſuſcitato. Et in fine eorumdem Sermonũ, Colimus autem non purum hominem, abſit: ſed Deum potius naturaliter, non ignorantes eius gloriam, licet factus ſit.

Quid opus eſt plura excipere eiuſdem libelli teſtimonia, dum in Epheſina ciuitate ad hoc ipſum Conuentus ſacerdotum Chriſti ex diuerſis mundi partibus adunatus eſt, vt deſtrueret hanc ipſam iniquitatis ſectam, in qua vos cum Neſtorio irretitos eſſe nulla eſt dubitatio? quod certiſſimè eiuſdẽ Synodi litteras legentes agnoſcere poteſtis, ſi aliqua in vobis rationalis creaturæ particula remanſerit. Hoc ſolum vobis reſtat remedij, vt tota mentis alacritate relinquatis infidelitatem illius Neſtorij, atque veſtram, quæ proculdubio ex vnius radicis impietate proceſſit. Aut ſi hoc non placuerit, pertinaciæ veſtræ ſcitote certiſſimæ Eccleſiaſticæ authoritatis cenſura vos cum illo etiã æternaliter damnandos eſſe, qui ſerenitatem Catholicæ fidei per multas oriẽtales mundi partes ſuæ

A perfidię nebulis obumbrauit, atq; ideo iuſto iudicio ab eadẽ vniuerſali Eccleſia ſatanæ traditus in perpetuam perditionẽ. Sed vt ſciatis nos neq; cum Neſtorio neque cum veſtra infidelitate Chriſtum in duas diuidere perſonas, neque cum Eutyche Chriſtum in vnam confundere naturam; ſed verè duas naturas proprias & perfectas, & vnam perſonam ore & corde Catholico confitemur. In illo vnus, id eſt Deus & homo, eſt Chriſtus. Duas namque naturas, quæ ſunt in eo, duas formas nominauit Apoſtolus, vbi ait: *Qui cùm in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinaniuit formam ſerui ſuſcipiens.* Item vt vnam oſtenderet in Chriſto perſonam, alio loco ait: *Et ego ſi quid donaui, in perſonam Chriſti donaui.* Egit enim vtraque forma cum alterius communione, vt beatus Leo ait, quod proprium eſt Verbi, Verbo ſcilicet operante quod Verbi eſt, carne exequente quod carnis eſt. Vnum horum coruſcat miraculis, aliud ſuccumbit iniuriis. Et ſicut Verbum ab æqualitate Paternæ gloriæ non recedit, ita & naturam noſtri generis non reliquit. Vnus enim idemque eſt, quod ſæpe dicendum eſt, verè Dei filius, & verè hominis filius. Videtis ne quod beatus Leo præcipuus Catholicæ fidei Doctor verum Dei filium Chriſtum confitetur, & verum hominis filium? Vbi inueniſtis in humana eum eſſe natura adoptiuum filium, & non verum, niſi ex Neſtoriana vel veſtræ impietatis temeritate? Item ipſe Leo in eadẽ Epiſtola ad Flauianum Epiſcopum directa, de qua ſuperiores eius ſermones traximus: qui enim verus eſt, inquiens, Deus, idem verus eſt homo, & nullum eſt in hac vnitate mendacium, dum inuicem ſunt & humilitas hominis & altitudo Deitatis. Item quoque in eadem Homilia de Natale Domini ait. Quidam verò, inquiens, tanta perfidia inuoluti, vt Chriſtum Deum maiorem, & Deum minorem putauerint credendum eſſe. Nonne hæc veſtra infidelitas noua duos Deos fingit, vnum maiorem, & alium minorem, dum Chriſtum adſerit ſecundum diuinitatem verum eſſe Deum, id eſt maiorem, & ſecundum humanitatem nuncupatiuum Deum, id eſt minorem Deum? Nec ibi vera vnitas eſſe poterit perſonæ, vbi tam diuiſa eſt poteſtatis inæqualitas.

Huic quoque ſanctiſſimo Papæ Leoni Vigilius paria de duabus in Chriſto naturis & vnitate perſonæ ſentit in ſuis Opuſculis, quæ contra Neſtorij impietatem vel Euty-

Eutyches veridico ſtilo exarauit, vbi plurima namque de proprietate naturarum in Chriſto, & ſingularitate vnius perſonæ mirabiliter expoſuit. Cuius Catholicæ fidei litteras ſi pia mente legere dignemini, forte miſerante Deo in viam Eccleſiaſticæ pacis peruenietis. Dicit enim inter cætera quæ lucidè de Chriſto executus eſt: Sed Verbum, inquit, propter carnem ſuam homo ſit, & caro propter Verbum Deus ſit, & quicquid eſt proprium Verbi ſit cõmune cum Verbo: quoniam Verbum & caro vnus eſt Chriſtus & vna perſona. B Et multa alia legentes, & piè intelligentes de veritate, quæ in Chriſto eſt, ſeu de duarum naturarum proprietatibus, ſeu de ſingularitate vnius perſonæ, in eiuſdem Patris litteris inueniri poterunt. Nec non his præfatis Patribus præcipuus Rhetor Victorinus valde ſimilia ſuis innexuit diſputationibus, quæ de Tulliana ſchola ad bella proceſſit Eccleſiaſtica, tam fortis fidei defenſor factus, quàm clarus inter Rhetores habebatur. Scripſit enim in libro Catholicæ fidei 1. de Chriſto ita: Nos, inquit, dicimus eſſe nobis Patrem Deum, & C maximè qua de cauſa & iuxta quid Deus charitate prædeſtinauit nos in adoptionem per Chriſtum. Numquid & Chriſtum per adoptionem filium Deus habet? Nullus auſus eſt dicere. Et in ſequentibus: Dei igitur filius Chriſtus, filij & nos: ſed nos per adoptionem, nos per Ieſum Chriſtum, nos vt filij diſperſi. Num & Chriſtus ſic filius? Natura igitur Ieſus filius. Nos per adoptionem filij. Quod natura ſit filius, ipſe dicit ſæpe, *Pater gratias tibi ago quod me audiſti*, &, *Pater ſalua me ex iſta hora*. Horum D inquam omnium, quos enumerauimus, authoritate teſtium confidẽtes eſtote viri fratres, & voſmetipſos ex ſacratiſſimis illorum paginis corrigite, atque adunate in confeſſione Catholicæ fidei vniuerſali Eccleſiæ Chriſti, recolentes quid eximius prædicator gentium Hebraico ſcribens populo, enumerata magna ſanctorũ multitudine teſtium adiunxit: *Habentes autem tantam nubem teſtium, deponentes omne pondus & circumſtans nos peccatum, per patientiam curramus propoſitum nobis certamen*. Deponite E fratres, deponite hoc peſſimæ infidelitatis pondus, & peruerſæ doctrinæ ſarcinulas, & circunſtans cordis veſtri oſtiola incredulitatis peccatum. Reuerentes reuertimini in lucem ſerenæ veritatis & vnitatem Catholicæ pacis. Iterum iterumque rememorate, quos poſuerim vobis teſtes, & illorum magis probatiſſimis credite te-

A ſtimoniis, quàm inaniſſimis veſtræ temeritatis ratiunculis. Quæ maior poteſt eſſe blaſphemia, quàm Dei Patris teſtimonio non credere de filio ſuo, quem ſemel & ſecundo cœleſti voce ſuum eſſe, etiam & dilectum, teſtatur? Qualis impietas eſt, Euangelicæ non credere authoritati, veteris nouique Teſtamenti diuina ſpernere dicta? Qualis peruerſitas eſt, Propheticis atque Apoſtolicis contradicere paginis? Quàm nefanda & impia temeritas eſſe dignoſcitur, totius mundi Doctorum reſiſtere prædicationi? Vel quàm miſera infœlicitas eſt, qualibet peruerſitate vnitatem ſanctæ Dei Eccleſiæ ſcindere, & quemlibet hominum à compagine charitatis ſeipſum ſeparare, ſine cuius ſocietate nil Deo placere Apoſtolus teſtatur.

Ergo plurima de ſanctorum Patrum opuſculis collegi teſtimonia, & multo plura potuiſſem, ſi non nimis longum eſſet: ſciẽs quoque hæc ſufficere vel magis ſuperabũdare illi cui Deus cor aperit ad credẽdum. Illi verò qui obturato corde in ſua confidit pertinacia, nil ſufficit, quia filius gehẽnæ futurus eſt. Nouit Dominus qui ſunt eius & vias illorum agnoſcit. Scientes ſcitote quòd ignorantia veſtra vos excuſare nõ poterit, quia qui ignorat ignorabitur. Multo magis diſcite ab eo qui ait, *Diſcite à me quia mitis ſum, & humilis corde*. qui etiã ſanandis ſolebat dicere, *Fides tua te ſaluũ fecit*. Impoſſibile eſt enim ſine fide placere ad Deũ. *Omnia veſtra honeſta*, dicit Apoſtolus, *cum ordine facite*. Et in alio loco ſanctæ ſcripturæ dicitur, *Ordinate in me charitatẽ*. Ordinata charitas eſt primum credere de Deo, quæ in diuinis legũtur libris, & poſt fidem intelligẽtiæ deuotionẽ adhibere. Sed vos, vt patefactum eſt, ordine præpoſtero accedere vultis ad Deũ, præponentes humanæ cõiecturæ fribuloſas ratiũculas Catholicæ fidei ſoliditati, volẽtes prius intelligere & ſecũdo loco credere. Quod Propheta prohibuit, vbi ait, *Niſi credideritis, nõ intelligetis*, ſignificans miraculis diuinis primo fidẽ eſſe præſtandã, & poſtea intelligentiæ dona à Deo precanda. Ideò fruſtra veſtra laborat ſcientia, volẽtes prius intelligere, & poſtea credere; dũ prius eſt credere, & poſtea intelligere. Quod B. Princeps Apoſtolorum ſciens, dum interrogati Apoſtoli fuerũt ab ipſo Deo Chriſto, quid de ſeipſo ſentirent, vel ſi abire voluiſſent, ſicut cæteri qui eum reliquerunt, reſpõdit Petrus vnus pro omnibus, vel magis omnes in vno: *Domine ad quem ibimus?* inquit, *verba vitæ æternæ habes. Et nos credidimus, & cognouimus quia tu es Chri-*

ſtus filius Dei. Quæ verba Apoſtolicæ confeſſionis ita S. Auguſtinus exponens, ait: Domine, ad quē ibimus? repellis nos à te, da nobis alterum te, ad quem ibimus, verba vitæ æternæ habes. Videte quemadmodum Petrus ante Domino recreante Spiritu ſancto intellexit; vnde niſi quia credidit verba vitæ æternæ? Vitam enim æternam habes in miniſtratione corporis & ſanguinis tui, & nos credidimus & cognoſcimus, non cognouimus & credimus, & credidimus & cognoſcimus. Credidimus enim vt cognoſceremus. Nam ſi prius cognoſcere, & deinde credere velimus, nec cognoſcere nec credere valeremus. Quid credimus, & quid cognouimus? quia tu es Chriſtus filius Dei, id eſt, quia ipſa vita æterna tu es. Hac cognita Apoſtolicæ authoritatis confeſſione, hanc regulam ſequimini, hunc confeſſionis ordinem tenete; vt poſſitis ad agnitionem veritatis peruenire. Abſtinete vos à conloquio nugacitatis, nolite ſcrutari ſcrutinia, ne deficiatis in efficacia veſtra, putantes vos ſapientes eſſe, cùm inſipientes inueniamini fieri. Nolite alta ſapere, ſed humilibus conſentientes eſtote. Qui mel multum manducat, non eſt ei bonum, & qui ſcrutator eſt maieſtatis, opprimetur à gloria. Incraſſatus verò animus, & carnali conſuetudine inuolutus, niſi ſpiritu Dei illuminante purum veritatis lumen aſpicere nullatenus valet. Nihil igitur magis veſtræ obſiſtit intelligentiæ veram cognoſcere fidem de Chriſto Domino Deo noſtro, quàm carnalis conſuetudo; quia quod in hominum filiis carnali cōiunctione quærantur, fieri non poſſe intelligitis, hoc in Dei filio nequaquam fieri poſſe æſtimatis. Proculdubio omnis carnalis cogitatio à cordibus veſtris funditus repellenda eſt, ſi veritatem diuinæ humanæque generationis in Chriſto Dei filio cognoſcere vultis. Et habete fidem ſanctarum paginis Scripturarum, & nolite transgredi terminos quos ſtatuerunt Patres Eccleſiaſticæ dignitatis. Ipſi ſunt, ad quos dulciſſima promiſſio Dei Chriſti in cœlum aſcendentis dicta eſt: *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſæculi.* Ipſis idem quotidie loquitur Spiritus, qui olim locutus eſt in Prophetis, qui venturum mundo Chriſtum prędicauerunt. Iſta omnia impleta eſſe quæ Prophetæ prædixerunt in Chriſto quotidie prædicant, in eis manet vera pax & charitas per Spiritum ſanctum, ſicut ipſa Veritas teſtatur, dicens: *Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis*, id eſt, in pace relinquo vos,

A in pace inueniam vos. De his alio loco dictum eſt, *Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur.* Illi etiam ſunt electi filij Dei, qui in pace & vnitate Eccleſiaſticæ concordiæ permanent, & Chriſtum Dominum noſtrum verum Deum, verúmq; Dei filium corde credunt & ore prædicant; quia corde creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſſio fit in ſalutem. Sciendum eſt certiſſimè quod multum excedit, vt B. Leo Papa dicit, atque ſupereminet humani eloquij facultatem, diuini operis magnitudo. Et B inde oritur difficultas fandi, vnde & eſt ratio non tacēdi: quia Ieſu Chriſto filio Dei non ad diuinam eſſentiam, ſed etiam ad humanam ſpectat naturam, quod dictum eſt per Prophetam, *Generationem eius quis enarrabit?* Vtramq; enim ſubſtantiam in vnam conuenire perſonam niſi credat, ſermo non explicat: & ideo nūquam materia deficit laudis, quia nunquam ſufficit copia laudatoris. Et vt facilius vnitas perſonæ in Chriſto, duarumque proprietas naturarū à ſimplicioribus intelligi valeat fratribus, C ponamus aliquid exempli gratia more ſanctorum ſolito Doctorum ex viſibilibus, ad intelligenda inuiſibilia: quamuis nihil tantæ excellentiæ, & tam ineffabili cōiunctioni, quæ in Chriſto facta eſt, dignè cōparari, quæ ait, quod ſi calix ex auro argentóque fabricatur in miniſterium altaris ſancti, in quo ſacramenta ſalutis noſtrę ſpirituali benedictione conficiuntur; ita tamen vt aurū in ſuæ naturæ permaneat fulgore, & argentum proprio candore locis opportunis circumfingat auri fulgorem. Nónne D ſiquidē vnus eſt calix, quamuis ex duobus conficiatur metallis? immo & ad vnius miniſterij artificiali manu compoſitus officium. Quis iuſtè dicere poteſt propter auri incompatabilem pulchritudinē verum eſſe calicem? Solummodo aurum tibi fulget, & nuncupatiuum ea parte, vbi argentum circumcingit aurū, immò etiam vnus eſt idémq; calix ad vnius miniſterij dignitatem electus. Hoc exemplū accipiatur dictum propter vnitatem perſonæ & vnius diſpenſationis myſteriū, quod in Chriſto E completū eſt. Non vt quis diuinitatis ſubſtantiam, quam auro deſignaui, creatā eſſe arbitretur prorſus. Sicut in vitreo vaſculo lux intus abſconditur, & foras per vitrum refulget: ita per carnem puriſſimam diuinitatis gloria foras aſpicientibus & credentibus miraculis reſplenduit, ſicut voluit & placuit ei, qui intus latebat. Audi me obſecro patienter, Scholaſtica Hiſpanię congregatio, tibi loquentem, quæ noui ſemper aliquid audire vel prædicare deſideras,

non contentus Apoſtolicis traditionibus, A nec vniuerſalis Eccleſiæ Catholica fide; niſi tu aliquid per te inuenires, vnde tuum nomen celebrares in mundo. Dic, dic gens ſancta, populus adquiſitionis, genus Regale, quid tibi Chriſtus fecit? quid in te peccauit, vt tantum viluiſſet in corde tuo? quare ſic minorata eſt gloria eius in mente tua? Cur indigneris clarificare eum, quem Paterna vox de cœlis clarificauit? cur cõtemnis adorare eum verum Deum & verum Dei filium, quem Angeli adorant in cœlis? Nunquid non ille eſt, qui B nonaginta nouem oues reliquit in cœlis, vt te perditam requireret in terris? Nunquid non ille eſt, qui te ſub ficu vidit iacentem, antequam Philippus vocaret te, & deſcendit vt liberaret te? Quare non dicis cum Nathanaël, *Rabbi, tu es filius Dei, tu es Rex Iſraël?* Nõnne te ſemiuiuum ſpoliatum, vulneratum à latronibus, cùm deſcendiſſet ab Hieruſalem in Iericho, reperit, & miſertus tui impoſuit te iumento ſuo, & duxit in ſtabulum, & dedit pro te ſtabulario duos denarios, præ- C cipiens vt curam tui haberet? An non ille eſt, qui tuæ ſalutis cauſâ, quaſi ouis ductus eſt ad victimam, ligatus, flagellatus, conſputus, ſpinis coronatus, nouiſſimè in crucem leuatus, mortuus, ſepultus; ſed tertia die reſurgens atque triumpho gloriæ cœlos aſcendit, à dextríſque Dei Patris ſedens, iudex viuorum & mortuorum venturus? Nõnne audis eum de cœlis clamantem tibi, *Popule meus, quid feci tibi?* Nunquid eduxi te de domo ſeruitutis, & liberaui te de manibus inimicorum meorum, D omnéſque animam quærentes tuam vndis ſalutiferi fontis obrui, & protexi iter tuũ rorifera ſancti Spiritus nube, & cœleſti pane corporis mei paui te, & potaui te aqua & ſanguine, quæ feriente milite de latere meo fluxerũt? Super hæc omnia præparaui tibi manſionẽ perpetuæ beatitudinis in domo Patris mei. Tu his omnibus ingratus beneficiis meis, me ignobilẽ Paternæ maieſtatis filium blaſphemare audes, conditionalíque tecum ſeruitio me degenerare niteris. Quaſi vnum ex vobis, & vix E adoptione dignum in filij perſona æſtimas. Quid fuiſti ante quàm te mea reſpiceret pietas? priuſquàm tuam naturam in perſonam proprietatis meæ adſumerem, te glorificans, non me minuens? Nõnne te inueni in ſanguine tuo iacentem, in ſanguine, inquam, tuo inuólutum? Vmbilicus tuus non eſt præciſus, membra tua non fuerunt ſale ſalita. Nõnne duriſſimis diabolicæ ſæuitiæ vinculis te inueni ligatum, & modò me Deum verum, vel filium Dei verum confiteri deſpicis? Regem, Redemptorem, Saluatorémque tuum ſaltem me nominare reformidas: ſed adoptiuum tui per omnia ſimilem, ſeruúmque conditionalem, vel captiuitatis nomine notatum appellare vel etiam credere non dubitas. Receſſit tibi ab animo Paternæ vocis teſtificatio, *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Et ne dubitares de qua dixiſſet natura, mox ſubiungit: *Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam.* Obliuioni dediſti verſus eiuſdem Prophetæ in Pſalmo XXIII. vbi me quinquies Regem gloriæ prædicare non formidauit, adiecítque vt ſcires de quo diceret, *Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio.* Etiam & hoc addit, *Dominus virtutum ipſe eſt Rex gloriæ.* Itémque in alio Pſalmo, *Deus iudicium tuum Regi da, & iuſtitiam tuam filio Regis.* Qui etiam Propheta multoties variis allegationibus me regnare teſtatur. Inſuper vt certiſſimè ſcires de qua natura dixiſſet, ait in quodam loco, *Dominus regnauit à ligno*; ne dubitares eundem perpetualiter regnaſſe, quem in ligno ſuſpenſum eſſe vidiſti.

Sed & te, Elipante, video te immemorem eſſe beneficiorum meorum. Nunquid non ego te tuli de domo patris tui, & poſui te paſcere gregem populi mei? Oleo ſancto meo vnxi te, vt eſſes dux in domo Patris mei. Elegi te, vt eſſes fidelis ſeruus & prudens; & conſtitui te ſuper familiam meam, vt dares ei in tempore tritici menſuram, & cibaria diſpenſares ancillis meis. Tu verò ſpreuiſti, & deſpexiſti me, & ſeminaſti clancula manu perfidiæ zizaniam in medio puriſſimæ fidei tritico. Proieciſti me poſt tergum tuum, vt tibi feciſſes nomen. Deſpexiſti omne conſilium meum; Quid facies, dum venero requirere pecuniam meam, quam tibi dedi multiplicandam? Non abſconderes illam ſub puluere terræ? Tu itaque non ſolùm multiplicare illam ſegnis fuiſti, nõ dans illam nummulariis, vt cum vſura recepiſſem quod meũ eſt: ſed adulterino numiſmate ſub meo nomine ſignaſti eam, & argẽto ſeptimpliciter purgato ſcoriam immiſcere tentaſti: caupo factus perfidus, non ſeruus prudens & fidelis, ſed ſeruus nequã & infidelis: qui me non tantùm durum Dominũ, ſed ſeruum captiuum vocare ſolitus eſt. Quid ad hæc reſpõſurus eris, ô Prædicator adoptionis, & adſertor nuncupationis in Chriſto Deo Dei filio, dum hæc & alia multo plura

tibi in faciem obiiciuntur? Quare non primo omnium cogitaſti quæ vtilitas eſſet Eccleſiæ Chriſti in hac prædicatione adoptionis, vel in nominis nuncupatione? ſi neceſſaria eſſet hæc nouitas nominum Populo Chriſtiano, quare hoc Apoſtoli non prædicauerunt, nec in ſuis litteris nobis exaratum reliquerunt? Proculdubio alius Spiritus per te prædicat Chriſtum adoptiuum filium, & nuncupatiuum Deum: alius vero per Apoſtolos Chriſtum Dei virtutem & Dei ſapientiam, Deum verum & proprium Dei filium. Quorum prędicationi nos toto corde conſentimus, nil omnino eorum addentes vel minuentes ſacratiſſimæ doctrinæ, vel vniuerſali ſymbolo, vel Eccleſiaſtica cõſuetudine: ſed noſmetipſos intra terminos Paternæ traditionis, & Catholicæ fidei veritatem firmiter ſtatuentes, quicquid in illorum ſanctiſſimis legitur litteris ſine dubitatione credimus, & fiducialiter prædicamus; ſcientes certiſſimè quod laudanda ſunt myſteria Dei, nõ ratione diſcutienda: quia incõprehenſibilia ſunt iudicia eius, & ininueſtigabiles viæ eius. Quis enim cognouit ſenſum Domini, aut quis conſiliarius eius fuit? Tantum diuina voluit prouidentia, vt reſcriberetur in Euangelicæ celſitudinis authoritatem, ſanctorumque Patrum probabilibus litteris, quantum ad noſtram ſufficere ſalutem cẽſuit. Illis vtamur nominibus de Chriſto, quæ in veteri nouoq; teſtamẽto inueniuntur ſcripta. Sufficiat nobis Apoſtolicæ authoritatis doctrina, & Catholicorũ Patrũ longo tempore explorata fides. Quicquid illi de Chriſto dixerunt, dicamus & nos, immo pia credulitate teneamus, quicquid ab illis nobis ſacro dogmate traditum eſſe inueniatur. Aliter Iudæi, qui in vmbra legis errauerunt, impingentes in lapidem offenſionis, de Redemptore mundi cenſuerunt: aliter nos in luce Euangelici ſplẽdoris ambulantes intelligere debemus. Illis paruulus natus eſt, nobis filius datus eſt. Si illis ſeruus ænigmatico Prophetarum ſermone promiſſus eſt, nobis Dominus & Dei filius, ſicut ſol oriens in æternum ortus eſt diem. Illi crucifixerunt in quem nõ crediderunt. Nos glorificemus in quem credimus. Nos cantemus illi cum omni cœleſti militia, *Gloria in excelſis Deo*, quatenus eius piiſſima miſericordia nobis donet pacem & bonam volũtatem in terris. Credamus ergo eum Dei verè filium, & con-
A fiteamur eum de Virgine natum, verum Deum & verum hominem, vnum Dei filium, proprium & perfectum, verum & viuentem in ſæcula, & laudemus miſerationes eius, & veneremur potentiam eius; quia ipſe eſt Rex gloriæ, & Rex Regum, & Dominus Dominantium, & Deus Deorum, & Deus magnus, & Deus omnipotens, & verus Dei filius. Per ipſum vniuerſa creata ſunt. Per ipſum vniuerſa reſtaurata ſunt, quæ in cœlis, & quæ in terris ſunt. Ipſe hominem cùm nõ eſſet crea-
B uit, ipſe perditum reformauit. Ipſe eſt totius poteſtatis ſumma, ipſe eſt theſaurus virtutum, fons vitæ, pulchritudo pacis. Ipſe eſt flos Paradiſi, qui de virga radicis Ieſſe noſtrum aſcendit in orbem. Ipſe eſt conuiuium Angelorum, feſtiuitas Sanctorum, ſalus infirmorum. Ipſe eſt amicus verus, conſiliarius ſalutis noſtræ, diadema regni æterni. Hic eſt vita credentium, reſurrectio mortuorum, redemptio captiuorum, lux indeficiens. Ipſe eſt Angelus pacis, miniſter vitæ. Ipſe eſt æterna
C beatitudo. Ipſe eſt beata æternitas. Ipſe Verbum coæternum Deo Patri, & conſubſtantiale, per quem omnia facta ſunt. Ipſe caro factus, de Virgine natus, prænunciatus à Prophetis, à ſtella demonſtratus, à Magis adoratus, à Paſtoribus manifeſtatus, Emmanuel vocatus, & Dei filius verus declaratus. Factus ſub imperio hominum in terris, cùm ipſe ſit Imperator Angelorũ in cœlis. Ipſe primam ſtolam reddidit filiis Adæ, Paradiſum aperuit, vitæ orbem exhibuit, libertatis ianuam patefecit.
D Inſuper etiam quod Adam non habuit cœlorum regnum, omnibus credentibus oſtendit. Quod enim Paradiſi vel cœleſtis Regni patent ianuæ, victoria eſt Chriſti. Credamus ergo omnem veritatem in eo. Nam & ipſa beata Virgo Maria credendo concepit Chriſtũ, & nos credendo perueniamus ad illum. Credamus illum regnantem in cœlis, qui pro nobis natus eſt in terris; quem ſolum non violauit natiuitas prima; vt nos mundaret ſecunda. Per illum liberati ſumus à ſeruitutis iugo, per illum
E reconciliati ſumus Deo Patri, non meritorum gloriã, ſed miſerationis gratia. Ille nobis eſt mediator in vitam, qui & remunerator in gloriam. Ieſus Chriſtus verus Deus, & verus Dei filius, qui viuit & regnat cum Deo Patre & Spiritu ſancto in ſæcula ſempiterna.

VIDEBATVR mihi condignum præponere Opuſculo huic noſtro Epiſtolam, quam charitatis officio Patri Elipanto olim direxi, per veſtram ſanctam deuotionem & Deo placentem charitatem, illius litteris, quas meo nomine dirigere ſtuduit, ſubnectere habens mearum Reſponſiones ſyllabarum: vt intelligat qui legat, qua charitate illius venerandæ dignitati ſcripſerim, vel quo animo recepiſſem fraternæ dilectionis officium: ac deinde Reſponſiones Catholicas, quas ex ſanctorum Patrum dictis contra illius impiam profeſsionem collegi ſubiicere. Quod opus in quatuor Libr. terminauimus. Deinde Epiſtolam illius Elipanti ad Felicem quondam illius defenſorem ſectæ, nunc verò Deo donante Chriſtianæ fidei prædicatorem, eiuſque conuerſionis ad fidem Catholicam Epiſtolam imponere curauimus: quatenus ex his omnibus pius lector ſeipſum conſideret, & caueat diuina opitulãte gratia, ne laqueo Hiſpanici erroris teneatur. Et vt video, maximè origo huius perfidiæ de Cordua ciuitate proceſsit, ſicut in Epiſtola illius Elipanti ad Felicem præfatum directa intelligi poteſt, dum eundem Felicem adhuc ſui erroris catenis conſtrictũ eſſe arbitrabatur. Sed Deo melius aliquid de eo diſpenſante cor illius, vt lumen veritatis agnoſcens rediret in ſanctæ Matris Eccleſiæ gremium, dans gloriam Deo qui ſperantes in ſe non deſerit; ſicut in ſuis litteris quas adnectere huic noſtro Opuſculo volui propter laudem nominis Domini noſtri Ieſu Chriſti, & ſalutem legentium, manifeſtè intelligit, qui ſobrio ſenſu eaſdem litteras legere curat: quatenus ſi quis dubitet de ratione Catholicæ fidei, illius religioſi viri & magni nominis inter ſuos edoctus exemplo, ſine vlla dubitatione vniuerſalis Eccleſiæ ſequens concordiam, laudet & prædicet miſericordiam Dei omnipotentis, qui non vult mortem peccatoris, ſed vt conuertatur & viuat. Vos verò dilectiſsimi fratres, ſedula deuotione perlegite hæc omnia priuſquam in publicas procedere aurẽs harum ſeries litterarum faciatis. Ego ſiquidem in procinctu ob veſtri itineris feſtinationem hæc qualiacumque ſunt dictaui, ita vt mihi tempus relegendi vel emendandi non fuit idoneum, veſtræ charitatis contentus tantummodo lectione atque emẽdatione. Si dignum veſtræ conſiderationi videatur, fraterno oſtendite Conuentu. Sin autem, ſub gremio piiſsimæ charitatis veſtræ abſcondite, donec omni conſilio tractemus quid de hoc agendum ſit Opere. Tamen firmiter abſque vlla dubitatione ſanctorum ſequimini veſtigia Patrum, & Catholicam fidem, quam multis roboratam teſtimoniis aſpicitis, tenete & prædicate: nec tantum conſiderantes imperitæ linguæ in me tarditatem, quantum in teſtimoniis Patrum Catholicæ fidei veritatem. Sed & hoc conſiderate, an has vobis vtile videatur litterulas Hiſpaniæ fratribus dirigere, ſi fortè opportunus occurrat vobis portitor. Illud quoque vobis oneroſum non videatur, antequam de ciuitate eatis, vt iubeatis ligare & inuoluere, & in modum vnius corporis componere has quaterniones; ne fortè ſparſim raptæ diſpergantur per manus legentium, vel forſitan inuidentium nomini meo. Sed quaſi vnum codicem habete hæc omnia pariter compoſita, & ſi quolibet dirigere vultis, ſcribatur & mittatur. Hæc verò pars vobiſcum maneat, donec volente Deo reuerſuri ſitis ad nos. Etiam litteræ pro me fraternis loqui poſſunt auribus, ſi eas oſtẽdere vel in publicum procedere veſtrę placeat prudentię. Quicquid in eis veritatis aſtipulatione roboratum inuenietis, Dei donum eſt: ſi quid ſecus, quod abſit, inſpicitis, ignorantis animi cognoſcite errorẽ. In illis totius bonitatis laudate largitorẽ, in iſtis fraterno pumice corrigite ſcriptorem. Patienter enim pia charitas columbinum ſubferre debet oculum, ſicut prudenter ſerpentium euitare dentem neceſſe eſt. Querenda eſt vbique omni inſtantia conſeruorũ ſalus noſtrorum, ſiue in prędicatione pręſentium, ſiue in litterarũ exhortatione abſentium, vt nemini deſit ad nos pertinentium noſtræ deuotionis affectus in deſiderio perpetuę proſperitatis & ſalutis.

Mirabile teſtimonium Sancti Auguſtini Pſalmo LIII.

DVM lectus fuit mihi ad menſam tractatus ille, ſubito venerunt in aures hæc verba: Si in mente tibi non venit Chriſtus, dormit, excita Chriſtum, recole fidem. Tunc in te dormit Chriſtus, ſi verum illum filium Dei abnegas eſſe, ſi oblitus es paſſionis illius. Tunc in te vigilat Chriſtus, ſi meminiſti paſſionum Chriſti.

IN præſenti diſputatione ſi eueniat cauſa cum quolibet verba ſerere de adoptione & proprietate, quam dicunt in Chriſto eſſe, interrogandũ eſt, quæ ſit perſona filij Dei in æterna natiuitate, an ſit vnigenitus in illa perſona, verus & proprius filius Dei. Si inquiſitor reſpondit, certiſſimè vnigenitus eſt in illa perſona, verus & proprius filius Dei: ſtatim habes reſpondere & captare eum ex ſuis verbis. Si vnigenitus eſt in ea perſona quam æternaliter habuit, vtique in illam perſonam adſumpſit humanitatem veram, vt eſſet vnuſgenitus, proprius & verus filius Dei, & nullum locum habet adoptio in illa perſona. Non ſumus in perſona adoptionis, ille eſt ſicut fuit ante adſumptionem humanitatis totus in perſona proprietatis. Si adoptiuus eſt in humanitate, & vnigenitus in diuinitate, abſque omni dubio duas habet perſonas; noſtram ſcilicet, qui ſumus adoptiui filij Dei, & ſuam quam æternaliter habuit.

Item interrogandum eſt ſi beatiſſima Virgo genitrix Dei verè dicatur, vel ſi proprius ſit filius eiuſdem Virginis Chriſtus in diuina & humana natura. Si reſponderit inquiſitor, Eſt ea ratione proprius & totus Chriſtus in duabus naturis Dei Patris filius, quia ſicut humiliauit diuinitas ſeipſam vt eſſet vnuſquiſq; hominis, ita exaltata eſt humanitas vt eſſet verus Dei filius. Si adoptiua eſt humanitas Deo Patri, adoptiua eſt diuinitas Virgini Matri, quia alia ſubſtãtia eſt diuinitas, alia eſt humanitas: & è contrario alia humanitas, alia diuinitas. Illa, id eſt diuinitas, propter hominem homo verus & verus filius hominis: iſta propter Deum, verus Deus, & verus filius Dei.

Item ſi propter adſumptionem, ſicut ſolent illi dicere, humanitatis; adoptiuus eſt in humanitate. Illius eſt ſiquidem adoptiuus, qui adſumpſit hominem, id eſt, filij Dei. Sola namque filij perſona adſumpſit hominem, id eſt filij Dei.

EPISTOLA ELIPANTI AD FELICEM NVPER CONVERSVM.

DOMINO Felice ſciente vos reddo, quia exeunte Iulio veſtro ſcripto accepi, & exeunte Auguſto vobis itẽ ſcripſi. Sed eueniente occaſione ad iſto præſente igne conſumptum eſt, & rediens ad me pene ad quadraginta dies denuo adſumpſi laborem, & ſcripſi ad ipſo hæretico piceo Albino, quantum potui pro ſua confuſione ſcribere. Tu verò exẽpla illud, & ſic illud dirige. Modo tamen egreſſus eſt de meſe Iunio Kalendarum Nouembrium direxi vobis ſcriptum par- A uum de fratre Militane, qui recta de Deo ſentit. Nam & quatuor mihi quaterniones direxerat, quos direxi cõtra ipſo Pſeudopropheta fœtidiſſimo in beato. Certifica me qui es poſitus in Roma. Epiſtolã veſtram cœlitus quemadmodum mihi inlapſam exeunte Iulio accepi, & Deo meo vlnis extenſis immenſas gratias egi, qui me fecit tuis eloquiis conlætari inter ipſa quotidiana diſpendia mundi, quibus duramus B potius quàm viuimus. Sed Epiſtolam fœtidiſſimam de filio gehennæ ignis Albino nouo Arrio in finibus Auſtriæ tempore glorioſi Principis exorto, non Chriſti Diſcipulo, ſed illius qui dixit, *Ponam ſedem meam ab Aquilone, & ero ſimilis altiſſimo*. De quo ſcriptum eſt, *Ex nobis prodierunt, ſed non*

[illegible] *fuiſſent ex nobis, perman-* A
ſiſſent vtique nobiſcum. Contra quem prout
veſtri reſcripti [illegible] reddidi, & ſanctorum
Orthodoxorum atque Catholicorum ſen-
tẽtiis adſtipulaui. Tua verò ſanctitas viri-
liter agat, & confortetur cor tuum, remi-
niſcens quid ipſe DOminus dicat: *Beati qui
perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam, quo-
niam ipſorum eſt regnum cœlorum.* Et iterum,
*Ecce ego mitto vos ſicut oues in medio luporum.
Eſtote ergo prudentes ſicut ſerpentes, & ſimpli-
ces ſicut columbæ. Cauete ergo ab hominibus. Tra-
dent enim vos in conciliis & ſynagogis ſuis, fla-* B
*gellabunt vos, & ad Præſides & Reges ducemi-
ni propter me in teſtimonium illis & gentibus.*

Ego vero direxi Epiſtolam tuam ad
Cordoba fratribus qui de Deo rectà ſenti-
unt, & mihi multa ſcripſerunt, quæ in tuo
adiutorio debueram dirigere. Sed ad ipſo
hæreſiarcham Albini Magiſtro Antifraſio
beato direxi relegenda. Tu verò dirige
ſcriptũ illud pro tuo fidele glorioſo prin-
cipali, antequam veniat ad ipſo filio mor-
tis Albino, qui non credit carnis adop-
tionem in filio Dei, quem ſancti Patres & C
nos ipſi credimus in ſola forma ſeruitutis
humanæ, non in gloria vel ſubſtantia di-
uinæ naturæ. De illo fratre noſtro qui de-
functus eſt audiui, quod aliquid nobis mã-
darat dirigere, & ideo quæſo vt mandе-
tis ad ipſo famulo veſtro Ermedeo, vt quę-
rat de Iudæis qui habent illic vxores & fi-
lios, qui fatigium det, & nobis quantum
Deus inſpirauerit dirigat: ita tamen vt a-
lij Iudæi non ſentiant qui apud nos habi-
tant, aut ſi poſſibile eſt, vt quemlibet de
humiles veſtros nobiſcum mercaturios D
qui veniunt dirigatis, & quid egeritis de
veſtra intentione nobis certificate, & ma-
ximè per libros duos Epiſtolarum beati
Hieronymi & Opuſculorum beati Iſidori,
quos habet Ermedeo, quos direxeram
ad ipſo fratri qui defunctus eſt: vnde &
mihi demandauerat quos alios ſimiles re-
pererat. Idcirco tamen applicate ipſe Er-
medeo ad vos, & inſtruite illũ veſtris elo-
quiis, & veram fidei doctrinam, ſicut ego E
illi n[illegible]i. Me tamen cognoſcite ſenectute
iam decrepita octuageſimo ſecundo anno
à die octauo Kalend. Aug. ingreſſus fuiſ-
ſe, & orate pro nobis ſicut & nos facimus
pro vos aſſiduè, vt nos Deus in regione
viuorum pariter iungat. Sed omnibus fra-
tribus demandabimus, vt pro vos ſacrifi-
cium Deo offerant. Mereat quantociùs de
veſtro reſcripto lætus exiſtere. Iſtum præ-
ſentem vobis commendo, & Presbyterum
noſtrum Venerium, ſi datum fuerit vt per-
ueniat ad vos.

CONFESSIO FIDEI FELICIS ORGELLITANAE SEDIS EPISC.

*Quam ipſe poſt ſpretum errorem ſuum in con-
ſpectu edidit, & eis qui in ipſo errore ei du-
dum conſentientes fuerant direxit.*

IN Dei nomine Felix olim in-
dignus Epiſcopus, domnis in
Chriſto fratribus Emani Pre-
ſbytero, Ildeſindo presbyte-
ro atque Exſuperio, Gunde-
fredo, Sidonio, necnon & Ermegildo, ſeu
cæteris presbyteris, ſimiliter Vittildo Dia-
cono & Vuitirico, ſeu cæteris Clericis in
Parochia Orgellitanæ Eccleſiæ degẽtibus,
ſeu cæteris fidelibus Eccleſię in ſuperdicto
cõmiſſo commorãtibus, in Domino Deo
Patre & Ieſu Chriſto vero filio eius Do-
mino ac Redemptore noſtro, & in Spiritu
ſancto æternam ſalutem. De cætero ad a-
gnitionem veſtram reducimus, quia poſt-
quam ad præſentiã DOmini noſtri ac piiſſi-
mi glorioſiq. Caroli Regis perductus ſum,
& eius conſpectui præſentatus, licentiã ab
eo ſecundum quod & venerabilis DOmnus
Laidracus Epiſcopus nobis in Orgello
pollicitus eſt, accepimus; qualiter in eius
præſentiam in conſpectu Epiſcoporum,
quos ad ſe ordinatio glorioſi Principis
noſtri conuenire fecerat, ſententias no-
ſtras, quas ex libris Sanctorum habere
nos de adoptione carnis in filio Dei, ſeu
nuncupatione in humanitate eius crede-
bamus, præſentaremus: qualiter non in
violentia, ſed ratione veritatis noſtra ad-
ſertio rata iudicaretur, ſi ab illis per autho-
ritatem ſanctorum Patrum minimè repu-
diarentur. Quod ita factum eſt. Nam pro-
latas à nobis ſententias de ſuperdicta con-
tentione, hoc eſt de adoptione carnis at-
que nuncupatione: ita illi ex authoritate
de libris ſanctorum Patrum, id eſt, Cyril-
li Epiſcopi & B. Gregorij Papæ vrbis Ro-
mæ, ſeu beati Leonis, ſiue & aliorum ſan-
ctorum Patrum, qui nobis prius incogni-
ti erant, ſeu per authoritatem Synodi, quæ
nuper in Roma hac intentione præcipien-
te glorioſiſſimo ac piiſſimo Domino no-
ſtro Carolo aduerſus Epiſtolam meam,
quam dudum venerabili viro Albino Ab-
bati Toronenſis Eccleſiæ ſcripſeram, con-
gregata eſt. In qua Synodo præsẽte Leone
Apoſtolico, & cum eo cæteri Epiſcopi nu-
mero LVII. reſidentes, & plerique Pre-
ſbyteri ac DIaconi cum eis in domo bea-

tiſſimi Petri Apoſtoli: Per quorum omnium authoritatem iſtas iam dictas ſententias noſtras non qualibet, vt dictum eſt, violentia, ſed ratione veritatis, vt oportuit, excluſerunt. Quorum authoritate veritatis, & totius Eccleſiæ vniuerſalis conſenſu conuicti meliori intellectui eorum quàm noſtro, quã * primis ſequebatur, conuicti eſſemus, & ad vniuerſalem Eccleſiam Deo fauente ex toto corde noſtro reuerſi ſumus, non qualibet ſimulatione, ſeu velamine falſitatis, ſicut dudum, quod Deus ſcit: ſed vt dixi, vera cordis credulitate, & oris profeſſione. Quod etiam in conſpectu multorum Sacerdotum & Monachorum profeſſi ſumus, pœnitudinem gerentes de priſtino errore & ſacramento, quam pro hac intẽtione olim præuaricatus ſum: profitentes nos deinceps adoptionem carnis in filio Dei, ſiue nuncupationem in humanitate, nullo modo credere vel prædicare; ſed ſecundum quod dogmatibus ſanctorum Patrum informamur, eundem Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum in vtraque natura, deitatis videlicet & humanitatis, proprium ac verum filium profitentes, vnigenitum videlicet Patris, vnicum filium eius: ſaluas tamen vtriuſq; naturæ proprietates. Ita duntaxat vt nec diuinitas Verbi Dei in natura credatur humana conuerſa, vel humana à Verbo adſumpta inuidia mutata: ſed vtraque, id eſt, diuina atque humana, ab ipſo conceptu in vtero Virginis, ita in ſingularitate perſonæ ſibimet cõnexæ atq; cõiunctæ ſunt, vt vnicus filius Patri, & verus Deus ex ipſo vtero glorioſæ virginis abſque vlla corruptione editus prodiretur. Non ita homo adſumptus à Verbo de ſubſtantia Patris, ſicut ipſumque Verbum, à fidelibus genitus credatur, cùm ſit ex ſubſtantia matris; ſed quia vt dictum eſt, in ipſa vulua ſanctæ Virginis ab ipſo conceptu ab eo qui ſecundum diuinitatem verus & proprius Dei filius exiſtit, in ſingularitate perſonæ ſuæ ſuſceptus eſt atque conſertus, verus & proprius Dei filius, ex eadem ſancta Virgine natus eſt. Non alius Dei filius, & alius hominis filius; ſed Deus & homo vnicus Dei Patris, verus ac proprius filius: non adoptione, non appellatione, nuncupatione; ſed in vtraque natura, vt dictum eſt, vnus Dei Patris ſecundum Apoſtolum verus ac proprius filius Dei credatur.

Hæc eſt confeſſio fidei noſtræ, quam Deo iuuante à ſanctis Patribus per eorum ſcripta cognouimus, & ab vniuerſali Eccleſia poſt priſtinum errorem noſtrum acA cepimus & tenemus. Quod & vos omnes credere & confiteri per eũdem Dominum noſtrum exhortamur, nil diminuẽtes aut addentes ex ſenſu veſtro, ſed hoc quod vobis innoteſcimus cum vniuerſali Eccleſia indubitanter retinentes: & vt pro me miſero, per quem vſque nunc in Eccleſia Dei contentio verſa eſt, ex totis præcordijs veſtri Domini miſericordiam implorare non dedignetis: qualiter propter veſtram emendationem & orationem Catholicorum ſacerdotum, qui in ſimili præua- B ricatione, vt ego, nequaquam obnoxij ſunt, Domini miſericordiam, priuſquam de hoc mortali corpore egrediar, conſequi valeam. Quod per hoc me magis conſequi à Domino confido, ſi ſcandalum ſeu error in fide, qui per me in vſque nunc inter vtraſque partes durauit, per me iterum omnia correcta atque ſedata fuerint, atq; omnis Eccleſiæ membra in vnitate fidei & cõcordia charitatis velut in vnum corpus compaginata, ita vt nemo ex nobis in Eccleſia Dei vltra ſcandalum, vel quodlibet C ſchiſma intromittere audeat; ſed omnes nos cum vniuerſali Eccleſia, quæ in toto mũdo dilatata noſcitur, ſimiliter ſentientes, & ea quæ dudum orta intentio eſt, id eſt, adoptionem carnis ſeu nuncupationẽ in humanitatẽ filij Dei anathematizantes; pacem, vt dixi, & vnitatem fidei cum omnibus fidelibus Eccleſiæ, abſque vlla ſimulatione inconuulſa fide retineamus. Nec cum Neſtorij impietate concordantes, qui purum hominem Chriſtum Dominum credidit, alicubi deinceps labatur, qui di- D xit: Oportet verò & de Dei diſpenſatione quam pro noſtra ſalute in diſpenſationem Domini Chriſti Dominus Deus perfecit, ſcire, quoniam Deus Verbum hominem perfectum adſumpſit ex ſemine Abrahæ & Dauid, ſecundum pronunciationem diuinarum ſcripturarum: hoc conſtitutum natura quod erant illi, ex quorum erat & ſemine, hominem perfectum natura ex anima intellectuali & carne humana conſtantem, perfectum hominem conſtitutum ſecundum nos per naturam Spiritus E ſancti virtutem in Virginis vulua formatũ, factũ ex muliere & factum ſub lege, vt omnes nos à ſeruitutis lege redimeret, ante iam prædeſtinatã adoptionẽ accipientes, inenarrabiliter ſibimet vniens. Mortuum quidem eum ſecundum legem humanam faciens, ſuſcitans verò ex mortuis & perducens in cœlum, & conſedere faciens ad dexteram Dei: vnde perſonam * conſtitutos Principatus, & Poteſtates, & Domina-

tiones, & Virtutes, [illegible] omne quod nominatur nomen non ſ[illegible]um in hoc ſæculo, verum etiam in fut[illegible]rum, ab omni creatura accep[illegible] adoratio[illegible]em, ſicut inſeparabile[illegible] à diuina natura habens copulatione[illegible], relationẽ Dei, & intelligentiam omni creaturæ adoratione exhibentem. Et neque duos filios dicimus, neque duos dominos: quoniã vnus filius Patris ſecundũ ſubſtantiam, Deus Verbum vnigenitus filius Patris, ſicut iſte coniunctus, & particeps conſtitutis filij communicat nomine & honore. Dominus ſecundum eſſentiam Deus Verbum, cui iſte coniunctus honore communicat. Et ideo neque duos filios hos dicimus, neque duos homines: quia manifeſto conſtituto ſecundum ſubſtantiam Domino & filio inſeparabilem, tenet ad eum copulationem, qui cauſa noſtræ ſalutis adſumptus cõfertur nomine & honore Domino & filio, non ſicut vnus quiſque noſtrum ſecundum ſeipſum conſtitutus eſt filius. Vnde & multi ſecundum beatum Paulum dicimur filij, ſed ſolus præcipuum habens hoc quod ad Dei Verbi copulationem, adoptionem & dominationem participans: aufers quidem omnem ſuſpicionem dualitatis filiorum & Dominorum. Præſtato verò nobis in copulationem ad Domini Verbum bonam haberet ipſius fidem, & intelligentiam, & theoriam: pro quibus & adorationem pro relationem Dei ab omnibus cepit creatura. Vnum igitur filium dicimus & Dominum Chriſtũ, per quem omnia facta ſunt: principaliter quidem Deum Verbum intelligentes, ſubſtantialiter filium Dei & Dominum, conſpirantes autem adſumptum Nazaret quem vnxit Deus Spiritu & virtute, ſic in Verbi Dei copulationem adoptionis participantem & dominationis, qui & ſecundus Adam. Hæc eſt ſententia Neſtorij hæretici, qui purum hominẽ abſque Deo Virginis vtero genitum impiè adſtruebat. In quem hominẽ ex eadem ſancta Virgine procreatum & genitum, poſt natiuitatem eius Verbum Dei, hoc eſt diuinitatem filij Dei, deſcendiſſe & habitaſſe præ cæteris Sanctis impudenter prædicabat. Et ob hoc ſicut in Chriſto duas naturas, ita & duas perſonas in eo ſatis improbè vindicare contendebat. Nos verò eius impietatem anathematizantes, quædam teſtimonia ex libris ſanctorum Patrum, quos Eccleſia venerabiliter recipit decerpentes, huic Epiſtolæ ſubnectimus, per quæ nos ad viam veritatis poſt priſtinum errorem noſtrum reuerſi ſumus, vobis ſubter aſcriptam di- A reximus: per quas & vos de dicta intentione veritatem fidei plenius agnoſcere poteſtatis, & ad rectum tramitem fidei reuerti. Contra quas ſententias Patrum diſſentiens, aliter quàm illas nos informant credere aut docere voluerit, & adoptionem & nuncupationem in carne Saluatoris credere vel prædicare præſumpſerit, anathema ſit. A quo iaculo anathematis ipſe verus ac proprius Dei filius, de quo loquimur, tam vos quàm nos, & hic & in futuro liberare dignetur. Cui cum Pa- B tre in vnitate Spiritus ſancti ſimilis & coæqualis extat gloria, ante omnia ſæcula, & nunc, & in dies æternitatis.

Beatus denique Cyrillus in Tractatu ſuo inter alia ita dicit: Immo multum intereſt, & incomparabilibus differentiis gloriæ & eminentiæ Saluatoris noſtri munimentis, ea quæ noſtra ſunt. Nos enim famuli ſumus: ille verò naturaliter Dominus & Deus, licet factus ſit nobiſcum; & in his quæ ſunt noſtra diſpenſatiuè. Præterea & beatus Paulus Chriſtum eum nominauit, C & Deum, ita dicens: *Scitote cognoſcentes quia omnis fornicator, &c. non habet hæreditatem in regno Chriſti & Dei.* Solus autem Chriſtus etiam Deus verè, qui Emmanuel eſt. Etenim nos ipſi per gratiam Dei, verumtamen non ita Deus filius, ſed natura magis & veritate; licet caro ſit factus. Item ipſe in eodem Tractatu poſt aliqua ita dicit: Quomodo proprius Dei filius nominatus eſt Chriſtus, qui etiam traditus eſt à Deo & Patre, cauſâ omnium ſalutis & vitæ? Traditus eſt enim propter peccata no- D ſtra, & ipſe iniquitates multorum portauit in corpore ſuo, in ligno ſecundum Prophetæ vocem. Palam ergo eſt, quia vnitatis res adſumpta neceſſariè proprium filium declarauit Dei, qui ex ſancta Virgine eſt. Corpus enim erat non alterius cuiuſpiam ſecundum nos, ſed magis proprium ex Patre exiſtentis Verbi, natum ex ea. Item ipſe poſt paululum contra Neſtorium: Sicut enim in Adam omnes morimur, ſic & in Chriſto omnes viuificamur. Si enim non pateretur humanè pro nobis, neque E operaretur diuinè quę ad ſalutem ſunt noſtram. Dicitur enim prius quidem mori, vt homo: reuiuiſcere autem poſtea, eò quod ſit naturaliter Deus. Si igitur non eſt paſſus mori carne ſecundum ſcripturas, neque viuificatur Spiritu, hoc eſt non reuixit. Et ſi hoc eſt verum, vana eſt fides noſtra, adhuc ſumus in peccatis noſtris. Baptizati enim ſumus in mortem eius, ſecundum beati Pauli vocem; & remiſſio-

nem peccatorum habuimus per ſanguinem eius. Sed ſi eſt Chriſtus neque filius verè, neque naturaliter Deus, ſed homo purus ſecundum nos, & diuinitatis organum: ſaluati quidem ſumus non in Deo quodammodo, ſed in vno magis ſecundũ nos moriente pro nobis, & virtutibus alienis reſuſcitato. Quomodo ergo deſtructa eſt mors per Chriſtum? Et infrà. Colimus autem non hominem purum? abſit, ſed Deum potius naturaliter, non ignorantes eius gloriã, licet factus ſit ſecundum nos. Item B. Gregorij Papæ vrbis Romæ ſuper Moralia; *Eratque ille Vir magnus inter omnes Orientales*. Omnes, inquit, qui in hunc Orientem fide pleni conſiſtunt, rectè Orientales vocantur, ſed quia omnes homines tantummodo homines, ipſe autem Oriens Deus & homo, rectè dicitur, *Erat magnus inter omnes Orientales*, ac ſi apertè diceretur: Omnes qui in fide Deo naſcuntur ſuperat, quia non vt cæteros adoptio, ſed natura illum diuinitatis exaltat. Et rurſus alibi idem ipſe, Quia omnis homo tantummodo homo eſt, ipſe autem Deus & homo. In terra ei ſimilis non eſt, quia etſi adoptiuus quiſque filius ad percipiendam diuinitatem proficit, nequaquam tamen vt Deus naturaliter eſſet accepit. Item in libro beati Iob: Mediatori verò noſtro in legiſlatoribus ſimilis nullus eſt, quia iſti gratuitu vocati ex peccatis ad innocentiam redeunt, Redemptor autẽ noſter homo ſine peccato eſt, filius ſine adoptione, nec perpetrauit vnquam quod redarguit. Quas quidem ſententias prius non rectè intelligebamus. Item beati Athanaſij Alexandrini Epiſcopi. Si quis verò aduerſus diuinas ſcripturas docet, alium dicens filium Dei, & alium qui ex Maria Virgine hominem ſecundum gratiam adoptatum; ſicut nos quaſi eſſe duo filij, vnus ſecundum naturam qui ex Deo, & vnus ſecundũ gratiam qui ex Maria. Et ſi quis Domini noſtri carnem deſurſum dicit, & non ex Virgine Maria, aut mutatam Deitatem in carnem, & confuſum aut alienatam aut paſſibilem Domini Deitatem, aut inadorandam Domini noſtri carnem ſicut hominis, & non adorandam Domini & Dei carnem; hunc anathematizat ſancta Catholica & Apoſtolica Eccleſia. Item ſancti Gregorij Nazianzeni Epiſcopi ad Cledonium. Si quis introducit duos filios, vnum quidem qui ex Deo Patre, ſecundum verò qui ex Matre, & non vnum eundemque, & adoptione excedat gratia quæ promiſſa eſt iis qui credunt; alienum eum à noſtro

A conſortio iudicamus. Naturæ verò duæ, Deus & homo: nam & anima & corpus. Filij verò non duo neque dij, neque duo homines. Item beatus Leo Papa vrbis Romæ ita dicit: Exultet rectarum mentium fides, & verum vnumque Dei filium non ſolum ſecundum deitatem, qua à patre eſt genitus, ſed etiam ſecũdum humanitatem qua de Matre Virgine eſt natus, intelligãt. Item ipſe alibi. Adſumpta eſt de Matre Domini natura, non culpa: creata eſt forma ſerui ſine conditione ſeruili, quia no-
B uus temperatus eſt veteri, vt & veritatem ſuſciperet generis, & vitium excluderet vetuſtatis.

Filiæ in Chriſto chariſſimæ, deuotus in fide Pater Salutem.

SÆPIUS veſtræ probatiſſimæ charitati ſcriberem, ſi occaſionem mihi veſtra dilectio daret, vel verbis pacificæ ſalutationis, vel familiarum ſua-
C uitate litterarum. Tamen ea charitate inſtigãte quæ omnia ſperat, non ceſſo veſtrã officio ſyllabarum appellare dilectionem, & notæ familiaritatis dulcedinem paucis tangere apicibus; ne me quiſlibet obliuioſum notaret veſtræ bonitatis, quæ nunquam obliuiſci poterit, ſed ſemper firmo radice pectore noſtro perpetualiter permanet; aſſiduiſque orationibus veſtræ ſalutis proſperitatem Dominum deprecans, quatenus non tantum fœlicitate
D præſenti, ſed etiam æterna beatitudine te gaudere concedat. Deſiderans vt nobilitas tua in moribus fulgeat optimis, & poteſtas clareſcat in dulcedine pietatis: quod ſublimitas ametur, & laudetur dignitas. Hæc obſecro fiducia fidei noſtræ veſtris non recedat ſenſibus, quia prouerbiali ſententia ab antiquis dictũ eſſe ſcio: Charitas quę deſeri poteſt nunquam vera fuit. Hoc quoque Hieronymo proferente le-
E gebam, Amicus diu quæritur, vix inuenitur, difficile ſeruatur. Nec non, Apoſtolo teſtante, ſollicita mente conſidero, qui dixit: *Impoſſibile eſt ſine fide placere Deo.* Et iam omnis amicitia quæ inter homines cuſtodiri ſolet ſine fide, proculdubio inanis eſt, vel magis nulla. Ideo charitatis officio fides iungenda eſt, vt ſemel cœpta germanitatis concordia ſollicita vnanimitate perpetualiter nutriatur. Miſi Candidum veſtrum iubente Domino meo Dauid cum libello contra adſertores adoptionis

in Chriſto e[illegible]ata, [illegible]ciens ne forte quid noui ex prioribus p[illegible]atis radicibus ali[illegible]qua pullulaſſet. Tu v[illegible] in fide Catholica inuiolata mente per[illegible]aeas, habens ſemper reſponſiones paratas, quibus aduerſarius vinci poſſit. Et vt aliquid ludi cum tua loquar ſapientia. Solet enim quiſque maximè ſuæ artis vti exemplis. Nauta triſtia & læta tempeſtati & ſerenitati comparat, bellator de armis diſputat, Grammaticus ſuæ artis vtitur ſuffragiis. Tu verò de Grãmatica tua profer regulas naturales, oſtendens quædam propria non eiuſdem ſubſtantiæ eſſe cuius propria eſſe dicuntur. Nam propria dicimus nomina, non quæ noſtræ ſint ſubſtantiæ, ſed quæ ſpecialem noſtræ habeant ſubſtantiæ ſignificationem. Terrarum quoque poſſeſſiones proprias dicere ſolemus, quæ nobis hæreditario perueniunt iure: quæ tamen longè à nobis alterius ſunt ſubſtantiæ. Quod & Euangelico firmari poterit exemplo, dicente Euangeliſta de Dei filio: *In propria venit, & ſui eum non receperunt*: licet populus, de quo hoc dictum eſt, eiuſdem non ſit naturæ qua Deus eſt, tamen proprietatis nomine ab Euangeliſta cenſebatur propter notitiam Dei, quæ diebus antiquis huic plebi tantummodo conceſſa eſt, dicente Pſalmiſta: *Notus in Iudæa Deus, & in Iſrael magnum nomen eius.* Dum in rebus humanis tam multa proprietatis nomine appellãtur, cur in ſolo filio Dei hæc proprietas non poteſt eſſe, vt ſit proprius filius Dei, qui ex Virgine natus eſt, qui ſolus inter omnes filios Dei hoc habuit proprium, vt vna ſit perſona cum eo, quia æternaliter ex Deo Patre genitus eſt, non alter & alter, ſed vnus & vnus, licet non vnum & vnum? Quia alterius ſubſtantiæ eſt diuinitas, & alterius humanitas. Totus tamen vnus filius & proprius homo Deus propter Deũ, & Deus homo propter hominẽ in vtraque generatione proprius & perfectus filius Dei. Hanc fidem veſtra veneranda credulitas firmiter teneat, & fiducialiter prædicet. Quia noui prudentiam veſtram optimè in Dialecticis ſubtilitatibus eruditam eſſe, placuit paucas interrogationes Dialecticæ diſciplinæ huic noſtræ chartulæ iniungere, quibus euacuari poſſit adſertio adoptionis vel nuncupationis in Chriſto.

Interrogandum eſt, ſi omnis homo qui anima & corpore conſtat, proprius ſit filius patris ſui. Si dicit, proprius: Item interrogandum eſt, ſi anima ex patre ſeminata ſit ſicut caro. Si dicit, non; inferendum eſt, Quomodo proprius eſt in anima filius, ſi anima non eſt ex patre ſicut caro? Inferendum quoque eſt, quare in Chriſto non credat filio Virginis proprietatem filij, quæ in omni homine neceſſariò credenda eſt. Interrogandum eſt an maior dignitas ſit proprij filij vel adoptiui. Si dicit, proprij; inferendũ eſt, Cur Chriſtum ſecundi gradus filium eſſe credat. Interrogandum eſt, ſi vnus filius vnius patris vtrumque poſſit eſſe, proprius & adoptiuus. Si dicit, non poſſe, inferendum eſt, Nec Chriſtus vllatenus credendus, qui vna eſt certiſſimè perſona, proprius & adoptiuus Dei Patris filius. Interrogandum eſt, ſi ex proprio vel alieno filio adoptio fiat. Si dicit, ex alieno; inferendum eſt, Quando Chriſtus alienus fuit Deo Patri, vt ex alieno adoptaret in filium? Nonne in ipſo conceptu & natiuitate Deus verus & proprius filius conceptus eſt, & natus? Interrogandum eſt, ſi filius Dei verus ſit filius Virginis. Si dicit, verus & proprius; inferendum eſt, Quomodo verus, dum alterius eſt naturæ diuinitas, alterius humanitas? Interrogandum eſt, dum Dei filius iuxta Catholicam fidem verus eſt filius Virginis, quomodo filius Virginis non ſit verus filius Dei? aut ſi filius Virginis adoptiuus eſt Dei Patris, cõſequens eſſe videtur illa abſurditas, vt adoptiuus ſit Dei filius Virginis filius. Ergo ſi filius Dei verè eſt filius virginis, etiam filius Virginis verè filius eſt Dei: & non habet locum in vtralibet generatione adoptionis nomen. Interrogandum eſt, ſi nuncupatiuus Deus adorandus ſit. Si dicit, non; inferendũ eſt Quomodo Chriſtus adoretur ab Angelis in cœlis, de quo Apoſtolus ait, *Cum introducit primogenitũ in orbem terræ, adorent eum omnes Angeli Dei.* Interrogandum eſt, ſi Chriſtus æqualiter nuncupatiuus eſt Deus, ſicut & Petrus; cur Chriſtus non legitur ſe prohibuiſſe adorari Deum; & Petrus prohibuit Cornelio ſe adorare? Si dicitur, quia Petrus homo purus, Chriſtus Deus & homo; inferendum eſt, Si Deus & homo vna eſt perſona, ergo vna perſona verus eſt Deus, & non habet locum nuncupatio in vtraque. Interrogandum eſt, quid ſit medium inter verum, & non verum. Si dicit nihil, inferendum eſt: Ergo Chriſtus ſecundum quod homo eſt, aut verus Deus eſt, aut non verus. Sed valde abſurdum eſt dicere eum Deum eſſe, ſed non verum. Aut ſi hoc erubeſcit aduerſarius dicere, proferat quid ſit medium inter verum & non verum. Secundum artem Dialecticam

interrogandum eſt, ſi vna perſona poſſit eſſe homo verus & homo pictus, qui eſt non verus homo. Si dicit, non poſſe; inferendum eſt, Nec in Chriſto, qui eſt vna perſona in duabus naturis, verum eſſe poteſt, & non verum. Sed quicquid in eo eſt, verum eſt; quia ipſe totus eſt Deus, & totus verus filius Dei, & tota veritas in eo eſt, & nihil habet figmenti in ſe. Interrogandum eſt, ſi aliquid adorandum nobis ſit aut colendum, niſi verus Deus? Si dicit, non eſſe: Inferendum eſt, Quomodo adorabis filium Virginis, ſi non eſt verus Deus? Interrogandũ eſt, ſi nuncupatiuus Deus adorãdus ſit. Si dicit, non eſſe; inferẽdũ eſt, Ergo Chriſtus, qui ex Virgine natus eſt, non eſt adorãdus, quia verus Deus non eſt, & ſunt duo dij, Chriſtus Deus & Chriſtus homo; vnus adorandus, & alter non adorandus. Sed auertat Deus hunc ſenſum ab omni corde Catholico, quia totus Chriſtus vnus eſt Deus, & vna adoratione venerandus. Interrogandum eſt, ſi Deus non eſt qui filius Dauid eſt, qua poteſtate inluminaſſet cœcum qui clamauit ei, *Ieſu fili Dauid, miſerere mei.* Quis poteſt lumen dare ex eo, niſi Deus? Et ſi Deus eſt qui inluminauit cœcum, vtique Deus eſt filius Dauid. Interrogandum eſt, ſi beata Virgo vnum genuiſſet Deum, vel duos. Si dicit, vnum; iterum interrogandum eſt, verum, aut non verum. Si dicit verum, inferendum eſt, Ergo totus filius Virginis vnus eſt Deus, & verus: quia ſi verum & nuncupatiuum genuit Deum, procul dubio duos genuit Deos, vnum verum, & alterum nuncupatiuum. Item interrogandum eſt, ſi duos filios genuiſſet, aut vnum. Si dicit, vnum; inferendum eſt; proprium, aut optiuum. Si dicit, vtrumque; inferendum eſt: ergo duos filios genuit beata Virgo, vnum proprium Dei Patris, & alterum adoptiuũ; quia proprietas cum adoptione non conuenit. His ita confirmatis per interrogationes & reſponſiones, quid ſupereſt niſi vt Chriſtus Ieſus verus credatur Deus, verus & plenus & vnus credatur filius proprius, & perfectè adoretur & laudetur ab omni creatura? dicente Pſalmiſta: *Laudent eum cœli & terra, mare & omnia quæ in eis ſunt.*

MAGISTRI

ALBINI FLACCI ALCHVVINI

DE DIVINIS OFFICIIS LIBER.

Ad veteris Codicis M S. fidem recognitus, ac XII. Capitulis integris nunc primùm auctior factus.

Capitvla Libri.

I. Cvr *Natiuitas Domini celebratur.*
II. *De Circunciſione.*
III. *De Octauis Domini.*
IV. *De Kalendis Ianuarij.*
V. *De Theophania.*
VI. *De Baptiſmo Domini.*
VII. *Hypapanti Domini.*
VIII. *De Septuageſima, Sexageſima, Quinquageſima, & Quadrageſima.*
IX. *De Septuageſima.*
X. *De Sexageſima.*
XI. *De Quinquageſima.*
XII. *De Quadrageſima.*
XIII. *De ordine ieiunij quarti menſis, ſi euenerit in octaua Pentecoſtes.*
XIV. *Ordo ad pœnitentiam dandam.*
XV. *De Dominica in Palmis.*
XVI. *De Feria* IIII. *Hebdomadæ maioris.*
De Feria V. *Cœnæ Domini.* XVII.
De Feria VI. *quæ eſt Paraſceue.* XVIII.
De Sabbato Vigilia Paſchæ. XIX.
De die ſancto Paſchæ. XX.
De Sabbato quando Albas deponunt. XXI.
De Letania maiore. XXII.
De Rogationibus. XXIII.
De Aſcenſione Domini. XXIV.
De Vigilia Pentecoſte. XXV.
De Pentecoſte. XXVI.
De Dominica die. XXVII.
De Ieiuniis IV. *Temporum.* XXVIII.
De Sabbato in XII. *Lectionibus.* XXIX.
De ſancto Ioanne Baptiſta. XXX.
De nominibus IV. *Coronatorum.* XXXI.
De ſollennitate omnium Sanctorum. XXXII.
De Offertorio, Vir erat in terra. XXXIII.
De dignitate Eccleſiaſtici Ordinis. XXXIV.
De tonſura Clericorum. XXXV.
De gradibus Eccleſiaſticis. XXXVI.

Qualiter

XXXVII. Qualiter Epiſcopu[s] ... etur in Romana Eccleſia.
XXXVIII. De ſingulis veſtibus quibus Sacerdotes vel reliqui Ordines in veteri Teſtamento vtebantur.
XXXIX. Quid ſignificent veſtimenta Eccleſiæ.
XL. Breuis expoſitio Miſſæ.
XLI. De Symbolo.
XLII. De Tertiæ, Sextæ, Nonæque Horæ Officiis.
XLIII. De Veſpertinis Horis.
XLIV. De Completis.
XLV. De Vigiliis.
XLVI. De Matutinis.
XLVII. De Ordine ad viſitandum infirmum.
De hoc quòd non ſit pœnitentia neganda in extremis. XLVIII.
De communione non neganda. XLIX.
De ordine defunctorum. L.
De tertia, & ſeptima, & trigeſima die pro defunctis. LI.
De Miſſa Innocentium. LII.
De hoc, cur Magiſtri Eccleſiæ Quadrageſimæ tẽpus ante Domini paſſionẽ obſeruãdũ ſtatuerint. LIII.
Orationes ſuper pœnitentem. LIV.
De Pœnitentibus. LV.
De Symbolo Niceno. LVI.
De regula fidei. LVII.

Cur Natiuitas Domini celebratur. CAP. I.

A SACRATISSIMA huius diei natiuitas ideò dicitur, quòd in ea natus eſt Chriſtus, anno videlicet iuxta Hebraicam veritatem, à cõditione mundi ter milleſimo, nongenteſimo quinquageſimo ſecundo: ſecundum alios verò, anno quinquies milleſimo, centeſimo nonageſimonono, qui eſt annus imperij Octauiani Cæſaris Auguſti quadrageſimus ſecundus, quo compreſſis cunctarum per orbem terræ gen- B tium motibus, firmiſſimam pacem, ordinante Deo Patre, Ieſus Chriſtus ſextam mundi ætatem ſuo conſecrauit aduentu. Quocirca congruum erat, vt pax per totum orbẽ conſtituta eſſet, & homines perduelles ceſſarent à bellis & inimicitiis. Viæ quoque publicæ tunc tutæ fieri ſunt iuſſæ, quia veriſſima via debebat naſci, & vt ab omnibus potuiſſet agnoſci, homo fieri dignatus eſt. Vt enim illos alloqueretur, Verbum caro factum eſt. Sed antequã ex Virgine naſceretur, portenta & ſigna in cœlo & in terra patuerunt. Quadam namque C die cùm Cæſar Auguſtus vrbem Romam ingrederetur, hora circiter diei tertia, repentè liquido ac ſereno cœlo inſtar arcus cœleſtis orbem ſolis ambire viſus eſt: illũ nempè præſagiens, qui ipſum ſolem, mundúmque totum & feciſſet & regeret. Ea ſiquidem tempeſtate triginta millia ſeruorum dominis reddidit. Tria millia etiam, quorum domini non extabant, in crucem egit. Deinde ouans vrbẽ ingreſſus, omnia D populi Romani debita donauit, abolitis litteris. Per idem tẽpus fons olei largiſſimus de taberna meritoria per totum fluxit diem, nimirum Chriſti gratiam ſignificans ex eadem taberna, hoc eſt, larga Eccleſia, nouos populos ex gentibus proceſſuros. In multis etenim ſignis Auguſti Cæ-

A ſaris, aduentus Chriſti deſignabatur. Vnde benè Cæſar poſſeſſio principalis, Auguſtus ſolẽniter ſtans interpretatur. Quinimò Chriſtum exprimens, qui omnia ſolenniter poſſidet, omnéſque principatus potentialiter obtinet. Cyrinus præſes qui hæres interpretatur, ſignificat Petrum, cui hæreditas Eccleſiæ à Domino largita eſt. Itaque cùm exiſſet edictum à præfato Cæſare, vt deſcriberetur vniuerſus orbis, prædictus Cyrinus ad Iudæam miſſus eſt, cenſus hominum poſſeſſionéſque deſcripturus. In qua deſcriptione inuenta ſunt ciuium Romanorum quadragies ſemel centena, & ſexaginta quatuor millia coloniæ deductæ. Nam anteà idem Cæſar omnibus prohibuerat, vt nemo illum Dominum auſus fuiſſet appellare ob id, quia eo imperante naſci deberet ille veriſſimus Dominus pariter & Imperator. Conceptus namque traditur octauo Kalend. April. à quo ſupputantur dies ducenti ſeptuaginta ſex, id eſt, menſes nouem; & dies ſeptem vſque ad octauum Kalend. Ianuarias, quando creditur natus Sulpitio & Camerino coſſ. Aptiſsimum namque erat, vt eo tempore eſſet conceptus, quo mundus per ipſum factus eſt, & in quo fructus terræ ſignificantur: & in eodem natus quo creſcit longitudo diei, & noctis tenebræ diminuuntur. Sed quærendum eſt, cùm in nocte dicatur natus, cur Angelus paſtoribus euangelizabat, dicens: *Natus eſt vobis hodie Saluator*: hodie enim dixit, hoc eſt, in die noui teſtamenti, quando finem ignorantiæ tenebris dedit, & initium ſciẽtiæ lucis poſuit. Sed & hoc conueniebat, vt circa illam horam noctis naſceretur, qua à mortuis reſurrexit. Vnde Salomon: *Dum mediũ ſilentium tenerent omnia*, & reliqua. Quærendum etiam, cur hæc feſtiuitas non habet eandẽ varietatem, quam Paſcha & Pentecoſte:

ſcilicet, vt mundarentur dies ſeptimanæ, A
quas maculauit peccatum Adæ. Vnde Au-
guſt. Noſſe oportet diem natalem Domini
non in ſacramẽto celebrari, ſed tantùm ad
memoriã reuocare quòd natus ſit. Ac per
hoc nihil opus erat, niſi reuolutũ diem an-
ni, quo ipſa res facta eſt, feſta deuotione ſi-
gnari. Paſcha verò & Pentecoſte non ſolũ
quod factum eſt, ad memoriã reuocamus,
id eſt, quòd mortuus eſt ac reſurrexit, ſed
illa quæ circa eum geſta eſſe teſtantur, ad
Sacramentorum ſignificationem intelligi-
mus. Vigilię verò quę à paſtoribus hac no- B
cte cuſtodiebãtur, in quatuor diuiduntur,
ſcilicet leges quatuor, ſignificãtes primam
naturalem, ſecundam Moſaicam, tertiam
Prophetarũ, quartãm noui teſtamenti. In
qua paſtoribus, id eſt, Eccleſiaſticis docto-
ribus apparuit. Et nos cum paſtoribus vi-
gilare debemus vt mereamur illud ſuauiſ-
ſimum harmonicũ, quod hac nocte primò
cantatum eſt, audire: *Gloria in excelſis Deo*,
& reliqua. Vnde etiã S. Teleſphorus Papa
peruigiles nos malẽs fore, Miſſas celebrare
fecit, ſcilicet in recordationem natiuitatis C
Chriſti, ſeu concentus Angelici: alia verò
Miſſa, quæ ſequitur, ſignat nouam lucem
Euangelij, qua per incarnati Verbi myſte-
rium perfundimur: ſeu propter viſitatio-
nem paſtorum ad præſepe Domini, in quo
inuenerunt panem viuum, qui quotidie à
fidelibus manditur. Romani hanc noctem
ita celebrant: Pridie, id eſt, vigilia natalis
Domini hora nona canunt Miſſam ad S.
Mariam. Qua expleta, canunt veſpertina-
lem ſynaxin. Dehinc vadunt ad cibum. In
crepuſculo noctis intrat Apoſtolicus ad D
vigiliam in præfatam Eccleſiam, tamen
non cantant ibi introitum, ſed expletis vi-
giliis & matutinis, ſicut in Antiphonario
continentur, ibidem cantant primã Miſ-
ſam in nocte: qua expleta vadunt ad S. A-
naſtaſiam canere aliam Miſſam de nocte.
Dehinc pergunt ad S. Petrũ, vt ibi vigilias
celebrent, ab eo loco vbi inuenerint eos
pſallere, qui ibidem excubant: Ipſi enim
intrant ad vigilias ſolito tẽpore in proceſ-
ſu noctis, & canunt inuitatorium, & pro-
ſequuntur ordinem Antiphonarij: vndè E
etiam dupla officia in Romanorum Anti-
phonariis hac nocte deſcribuntur.

De Circunciſione. CAP. II.

HÆc circunciſio nihil aliud eſt, niſi ab-
ſciſſio in carne præputij, quod ſolis
Iudæis imperatum eſt: vndè etiam ab A-
braham ſumpſit initium, quòd ei à Domi-

A no præceptum eſt: *Circuncidetur ex vobis om-
ne maſculinum, & infans octo dierum circunci-
detur in vobis*: Vt eſſet ſignum fœderis in-
ter Deum, hominéſque fideles: Vt purga-
rentur ab omni inquinamento carnis &
ſpiritus, iuſſa eſt caro circuncidi: & quod
hodiè nobis in fide baptiſmus Chriſti, hoc
præſtabat illis circunciſio in die octaua,
qua reſurrexit à mortuis, excepto quòd
circunciſis necdum regni cœleſtis patebat
ingreſſus. Sed quæritur, cùm Dominus in
veteri teſtamento iuſſit circuncidere, & ip-
B ſe in nouo circunciſus eſt, cur denuò ceſ-
ſauerit circunciſio? ipſe non venerat le-
gem ſoluere, ſed adimplere. Neque vt diſ-
ſimilis videretur Patribus ſanctis & Pro-
phetis, ex quorũ proſapia ſecundùm car-
nem naſci dignatus eſt, idcircò voluit cir-
cuncidi, ſiue vt excuſationem auferret Iu-
dæis dicendi, Diſſimilis es patribus, ideò
nolumus credere in te: ſed quia vetera
tranſierunt, & ecce facta ſunt omnia no-
ua, oportet nos circuncidi, non carne, ſed
ſpiritu. Chriſtus enim ſicut pro nobis mor-
C tem ſuſcepit, ita circuncitionem non re-
ſpuit, vt nos in ſpiritu circuncideremur:
quoniam circunciſione cordis delectatur,
ſicuti Propheta adſtipulatur: In nouiſſimis
circuncidet Dominus corda veſtra, & non
corpora. Hæc eſt vera circunciſio cordis,
vt deponamus veterem hominem cum a-
ctibus ſuis, & induamus nouum homi-
nem, qui ſecundùm Deum creatus eſt.

De Octaua Domini. CAP. II.

D IN hac octaua die circũciſus eſt. Iſte dies
octauus omnem plenitudinem in ſe ob-
tinet, & eſt perfectus numerus. Ipſe eſt
enim dies Dominicus, & dies reſurrectio-
nis Domini. Vnde verò initium ſumpſerit,
liber Leuiticus pandit: *Dies*, inquit, *octauus
erit celeberrimus atque ſanctiſſimus*. Et Parali-
pomenon: *Porrò Marathias cum Leuitis in ci-
tharis pro octaua canebant epinicion*, quod e-
pinicion ſignificat triumphum Domini.
Et tituli Pſalmi ſexti & vndecimi, pro o-
ctauà inſcribuntur. Namque hæc octaua
E dies ad æternam pertinet requiem. Vnde à
nobis ſingulari numero accipitur, qui nul-
lo ſuccedente mutatur. Hic verò mundus
non recipit hunc octauum diem, qui eſt
ſingularis, ſed illos quos vocamus octa-
uos: eò quòd finito ſeptimo redit ſemper
ad primum. Nonnulli per hanc octauã, ad-
uentũ Domini ſecundũ putant ſignificari.
Vndè Amos propheta: *Væ concupiſcentibus
diem Domini: ipſe enim eſt dies tenebræ, & non*

lucis. Et Sophonias: *Vox diei Domini amara & dura, tribulabitur ibi fortis.* Illi verò qui ...rum diem à conſtitutione mundi arbitrantur poſt ſex millia annorum fore venturum, eo quòd ſeptimo die Dominus ab opere ſuo legitur ceſſaſſe, mille ſcilicet annos per dies ſingulos computantes, quia legitur, A conſpectu eius mille anni ſicut dies vna, non ſatis attendunt quòd Dominus in Euangelio hunc diem nec filium hominis noſſe adſtipulatur. Vndè nimis importunum, illud ſtudioſè quęrere, quod nobis diuina prouidentia noluit reuelare. Sanè illam diem magnam & ſingularem amare & ſperare debemus, quam propheta Dauid ſitiens, vnam vocabat, dicens: *Quia melior eſt dies vna in atriis tuis ſuper millia.* Hæ verò octauæ quas hodiè colimus, ideò reuerenter celebrantur, quia primis diebus concurrunt ſicuti vnus dies Dominicus ad alterum, qui eodem ritu celebratur: hodiè enim aduentum hominum ad Chriſtum celebramus, & in natiuitate eiuſdem, aduentum illius ad homines.

De kalendis Ianuarij. CAP. IV.

HÆ Kalendæ ſecundùm dementiam gentilium potius dicẽdæ ſunt cauendæ, quàm calendæ. Ea ſiquidẽ tempeſtate (quando iudices præerant filiis Iſrael, hoc eſt, ante Samſonem) fuit quidam princeps gentilium in Italia, nomine Ianus, à quo Ianuarius menſis poſteà nuncupatus eſt. Hunc verò Ianum imperiti homines, qui Deum non cognoſcebant, quaſi regem metuebant, & pro Deo illum colere cœperunt, duaſque facies illi figurauere, propter Orientem & Occidentem: necnon & quadrifrontem appellauerunt, id eſt, Ianum geminum, propter quatuor partes, ſeu elementa quatuor, atque tempora quatuor. Sed cùm hoc facerent, formabant potiùs monſtrum, quàm Deum. Vndè Numa poſt Romulum hunc eſſe primum mẽſem anni voluit, tanquàm bicipitis Dei menſem, reſpicientem ac proſpicientem tranſacti anni finem, futurique initium: & Ianuarium vocatum, eo quod ſit limes & ianua anni. Vnde imperiti homines veluti deum colentes, diem ipſum multis ſpurcitiis ſacrauerunt. Quidam mutabant ſe in ſpecies monſtruoſas, in ferarumque habitus transformabãt. Alij in fœmineo geſtu mutati, virilem vultum effœminabãt. Nec immeritò virilem fortitudinem non habent, qui in mulieris habitum tranſierunt: aliqui fanaticis auguriis profanabantur, perſtrepebant ſaltando pedibus, tripudiando plauſibus: nonnulli ita auguria obſeruabant, vt focum de domo ſua, vel aliud quodcunque beneficium, cuiquam petenti minimè tribuerent. Diabolicas etiam ſtrenas & ab aliis accipiebant, & ipſi aliis tradebant. Necnon etiam menſulas plenas ad manducandum tota nocte paratas habebant, credentes, quod Kalend. Ianuarij per totum annum præſtare poſſent. Et quia his atque aliis miſeriis mundus vniuerſus repletus erat, ſtatuit vniuerſalis Eccleſia ieiunium publicum in iſto die fieri, quatenus his calamitatibus auctor vitæ finẽ imponeret. Sed quia Domino largiente, hæc à fidelibus pro nihilo habentur, licet quantulæcunque ſimilitudines, quod abſit, adhuc lateant in feris hominibus, omni tamen conamine prohibendæ ſunt atque pellendæ: neque enim aliud quicquã noui in iſtiuſmodi Kalend. pręſumendũ eſt, niſi quod & in aliis Kalend. mẽſium, excepto quòd octauæ Dominicæ cũ eximio cultu celebrentur, vt ſuprà præfixum eſt. Sed neque illud reticendũ, quòd dum quadam die hæ ſuperſtitiones diabolicæ Romæ agerentur, quidam S. Almachius cùm diceret, Hodiè octauæ diei Dominicæ ſunt, ceſſate ab his ſuperſtitionibus idolorum & ſacrificiis pollutis, iubente Alypio vrbis præfecto, hac de cauſa interfectus eſt.

De Theophania, vel Epiphania Domini. CAP. V.

SOlennitas hæc ſacratiſſima, quę à Græcis Theophania, vel Epiphania, nuncupatur, Latinè verò apparitio ſeu oſtenſio, vel manifeſtatio interpretatur, multimoda in ſe continet myſteria. Cùm enim Chriſtus nuper ex aluo Virginis egrederetur, Magi Chaldæi in Oriente ſtellam videntes nimia claritate fulgentem ita vt ſolem luce ſuperaret, vt erant edocti in curſu áſtrorum, animaduerterunt hanc eſſe ſtellam, quam olim Balaam Madianita, cuius traditionem ſequebantur, prædixerat ita adfuturam: *Orietur ſtella ex Iacob,* & reliqua. Videbatur enim ſidus per diem. Iſtorum enim Magorum primus, Zoroaſtres rex extitit, à quo originem feruntur traxiſſe. Hi elemẽta concutiebant, turbabántque mentes hominũ. Ex iſtorum genere quondã in Ægypto reſtiterũt Moyſi, vertẽtes virgas in dracones, aquáſq; in ſanguinẽ. Hi Aſtrologi dicti, necnõ Genethliaci propter natalium cõſiderationes. Geneſes

enim dierum hominum per duodecim ſidera cæli deſcribebant. Siderum quoque curſu naſcentium mores, euentúſque pronunciabant, id eſt, quis quali ſigno fuiſſet natus, aut quem effectum haberet vitæ qui naſcebatur. Hi vulgò Mathematici appellabantur, cuius ſuperſtitionis genus conſtellationes Latinè vocabant, id eſt, notationes ſiderum, quomodo ſe haberent cū quis naſceretur. Iidem autem ſtellarum interpretes nuncupabantur, ſicut & de his legitur, qui in Euangelio natum Chriſtum annuntiauerunt. Poſteà autem ſolo nomine Mathematici. Cuius artis ſciētia vſque ad Euangelium fuit conceſſa, vt Chriſto edito nemo exinde natiuitatē alicuius de cælo interpretaretur. Vnde mox perturbati atque conterriti ex viſione ſideris, acceptis muneribus, præeunte eos ſtella ad Chriſti cunabula tertiodecimo die, quod eſt hodie, in Bethleem perueniunt. Quem tiaratis vultibus adorantes, lętata eſt ſagax curioſitas Chaldæorum, quia illum videbāt in terris editum, quem in cælis cognouerant aſtrorum facibus eſſe præſagitum. Cui etiam munera offerunt, hoc eſt, aurum, thus & myrrham. Quia à lōgè veniunt, gentium populos lucem fidei cognituros præſagiunt. Per aurum rex oſtenditur. In thure Deus dignoſcitur. Per myrram, homo paſſus atque ſepultus. Hæc dona Iuuencus Preſbyter * mirè concluſit.

* metro.

Aurum, thus, myrrham, regíque, Deóque, homínique Dona ferunt.

In hac die vnum amittimus ex his quæ in Natiuitate Domini celebramus, hoc eſt, Inuitatorium. Inſtitutor autem officiorum, inquantum potuit, actionem illius temporis, quando illa agebantur, quæ recolimus, in vſitato officio voluit ad memoriam nobis reducere, ſcilicet, quia voluit in iſto diſtinguere noſtram bonam inuitationem qua inuitantur & excitantur fideles ad Deum deprecandum, ab inuitatione Herodis, qui propterea congregauit ſcribas & principes Iudæorum, vt ſciret vbi Chriſtus naſceretur, quem cogitabat interficere, Inuitatorium præſentis officij omiſit. Pſalmus autem, *Deus noſter refugium & virtus*, præpoſtero ordine cantatur, quia priùs adoratus eſt à Magis Dominus, quàm à Ioanne baptizatus. Et fortaſſe inſtitutor iſtius officij magis voluit imitari ordinem venientium fidelium ad baptiſmum, quàm ſequi ordinem Pſalmorum. Tunc ergo benè ad memoriā reducuntur facta præterita, cùm rationes rationi conueniunt.

De Baptiſmo Domini. Cap. VI.

EXpletis Chriſti quaſi triginta annorū curriculis, venit in Iordanē ad Ioannē, vt baptizaretur ab eo, anno videlicet decimoquinto Imperij Tiberij Cęſaris, ſub Valeriano & Aſiatico Conſulibus, necnon in Iudæa quatuor Tetrarchis dominantibus; id eſt, Herode, Philippo & Lyſania, filiis Herodis maioris: ſeu Pilato præſide Romano, agentibus pontificatum Anna & Caipha. Peracti enim erant ab initio mūdi ſecundùm Hebraicam veritatē anni quater mille, nongenti, octoginta duo, adnotato, quòd decimo ſexto anno Tiberij principiū fuerit octogeſimi primi Iubilei. Iuxta ſeptuaginta interpretū verò editionem, anni ſunt quinquies mille ducenti viginti nouem. Pro tribus enim cauſis baptizatus eſt Dominus: primò, vt quia homo erat, omnem iuſtitiam legis impleret: Secundo, vt baptiſmo ſuo Ioannis baptiſmum comprobaret: Tertiò, vt Iordanis aquas ſanctificans, per deſcenſionem columbæ Spiritus ſancti in lauacro, credentium monſtraret aduentum. Poſt baptiſmum illicò ductus eſt in deſertum à Spiritu, vt tentaretur à diabolo, & cœpit ieiunare pro nobis quadraginta diebus & quadraginta noctibus. Secundùm hanc rationem cœptum eſt ieiunium à baptiſmo Domini, & ſolutum eſt decimoquinto Kalend. Martias, quando diabolus confuſus ab eo receſſit. Abhinc quoque in populos Ieſus Chriſtus ſalutarē viam annunciat, ſignis atque virtutibus vera comprobans eſſe quæ diceret. Miracula etiam, quæ in Euangelio ſcripta ſunt, inchoat facere. Vnde primum erat miraculum, quòd poſt reuelationem anni, quando vocatus eſt ad nuptias, aquas in vinum conuertit, quod eſt tertio die poſt vocationem diſcipulorum. Vinum iſtud ex aqua factū, diuina pręcepta ſeu ſcripturas ſanctas meraciſſimas, vigorem cæleſtis ſapientiæ continētes, intelligimus. Hæ nuptiæ gaudia ſalutis humanæ ſignificant: ſex hydriæ, ſex mundi ætates deſignant, per quas iuſti figuram Domini prætulerunt. Per architriclinum, fortiſſimum prædicatorem Paulum intelligimus. Fecit etiam hodie magnum miraculum, quādo de quinque panibus & duobus piſcibus pauit quinque millia hominum. Quinque millia hominum, qui quinque panibus & duobus piſcibus paſti ſunt, Eccleſię ſūt populi, qui poſt quinque ſēſus corporis, alimento legis ſpiritali à Chriſto

reficiuntur, & duplici teſtamēto quaſi gemellis piſcibus ſaturantur. Neq; hoc prætereundum eſt, quòd hæc ſecunda natiuitas Chriſti tot illuſtrata myſteriis, honoratior eſt quàm prima. Tunc tantummodò natus eſt, & angelus paſtores affatus eſt: hodie verò à Magis cum muneribus adoratus eſt: hodie cùm in Iordanicis aquis tingeretur, Filius dilectus à Patre vocatus eſt de cælo, & Spiritus ſanctus in ſpecie columbæ ſuper eum viſus eſt, necnon poſt baptiſmi ſacramentū caput draconis contritum eſt: hodie ex aqua vinum factū eſt, eidémq; cæleſti ſponſo Eccleſia iuncta eſt, inſuper & quinque hominum millia ab eo refecta ſunt, & idcircò manifeſtatio interpretatur, quia in his manifeſtare ſe hominibus dignatus eſt. Quòd autem in hac feſtiuitate nemo præſumat baptizare, S. Leo Papa in Decretalibus prohibet ita: Si quis autem Epiphaniæ feſtiuitatem, quæ in ſuo debito honore veneranda eſt, ob hoc exiſtimat habere priuilegiū baptiſmatis, ſciat illius baptiſmi aliam gratiam, aliam fuiſſe rationem, nec ad eam pertinuiſſe virtutē, qua per Spiritū ſanctum renaſcuntur. Dominus non indigēs remiſſione peccati, nec remedio renaſcendi, ſic voluit baptizari, quomodo & circuncidi. Sed tunc regenerationis potentiā ſanxit, quando de latere illius profluxerunt ſanguis redemptionis, & aqua baptiſmatis: vnde in baptizandis electis, qui ſecundum Apoſtolicam regulam & exorciſmis ſcrutandi, & ieiuniis ſanctificandi, & frequentibus prædicationibus imbuendi, duo tantùm tempora, id eſt, Paſcha & Pentecoſten, eſſe ſeruanda, excepto pro mortuis periculo, & in perſecutionis anguſtiis, & in timore naufragij. Aptiſſimum namque eſt, vt in morte crucifixi, & in reſurrectione mortui, pœnitentia baptiſmi nouam naturam condat ex vetere, vt in renaſcentibus operetur & reſurrectio & mors Chriſti, dicente Apoſtolo: *An ignoratis, quia quicunq; baptizati ſumus in Chriſto Ieſu, in morte ipſius baptizati ſumus*: Per triduanam enim ſepulturam imitatur trina demerſio, & ab aquis leuatio, reſurgentis inſtar eſt de ſepulcro.

Rom. 6.

*De Purificatione S. Mariæ.** Cap. VII.

*In MS. eſt, *Hypapanti Domini.*

DE hac feſtiuitate & aliis feſtiuitatibus ſanctæ Mariæ, in geſtis Pontificalibus legitur, quòd Sergius Papa præceperit Litanias fieri in die præſentationis Domini in templo. Ita enim ſcriptum eſt, Vt in diebus annunciationis Domini, dormitionis ac natiuitatis S. Dei genitricis Mariæ, & S. Simeonis, quod ὑπαπαντὴ dicitur Græcè, cum litaniis exeant à S. Adriano, & ad S. Mariam populus occurrat. Ipſa ergo die aurora aſcendente procedit omnis clerus ſeu populus cum litaniis & antiphonis ad Eccleſiam S. Adriani, expectantes Pontificem. Ingreſſus Pontifex in ſacrarium, induit ſe veſtibus nigris, & clerus ſimiliter. Poſt hoc accipiūt omnes ſinguli de manu Pōtificis cereos. Deinde ex iuſſu Pontificis inchoat ſchola Antiphonam, *Exurge Domine*. Pſalm. *Deus auribus noſtris*. Et egreditur Pontifex de ſacrario cum miniſtris, annuente eo ſcholæ primo, vt dicant *Gloriam*. deinceps vadit ad altare, & orat vſq; ad expletionem *Gloriæ*. Poſt orationem oſculato altari, & Diacono ſimiliter hinc inde, dicit ſchola, Verſ. *Opus quod operatus es*, abſque *Kyrie eleiſon*. Antiphona expleta, ſtans Pōtifex ante altare, dicit, *Dominus vobiſcum*, &, *Oremus*. & Diaconus dicit, *Flectamus genua*. ſi tamen infra Septuageſimā euenerit. Sequitur oratio: *Exaudi quæſumus Domine plebem tuam*. hac expleta, inchoat ſchola per vnam Antiphonā, *Adorna thalamum*. Item, *Aue gratia*. Item, *Reſpōſum accepit Simeon*. Cùm autē appropinquauerint atrio Eccleſiæ S. Mariæ, faciendæ ſunt litaniæ. His expletis ante altare, & ingreſſo Pontifice in ſacrariū, inchoat ſchola ad introitum Antiphonā, *Suſcepimus Deus*. Ipſa die non cantatur *Gloria in excelſis Deo*, ſi intra Septuageſimā euenerit. Deinceps Miſſa peragitur ordine ſuo. De hac feſtiuitate dicit & Beda ſacerdos & doctor eximius in libro de temporibus: Secundum menſem dicauit Numa Februo, id eſt, Plutoni, qui luſtrationū potēs credebatur: Luſtrariq; eo menſe ciuitatem neceſſe erat, quo ſtatuit vt ſacrificia Diis Manibus ſoluerētur. Sed hanc luſtrandi conſuetudinem benè mutauit Chriſtiana religio, cùm in menſe eodem die S. Mariæ, plebs vniuerſa cum ſacerdotibus ac miniſtris, hymnos modulando, deuota per Eccleſias pérq; congrua vrbis loca procedit, datóſq; à Pontifice cereos in manibus geſtant ardentes, & augeſcente bona conſuetudine, idipſum in cæteris quoque eiuſdē B. Matris & perpetuæ Virginis feſtiuitatibus agere didicit, non vtique in luſtrationem terreſtris imperij quinquennem, ſed in perennem cæleſtis regni memoriā, quando iuxta parabolam virginum prudentium, omnes electi lucētibus bonorū actuum lampadibus obuiam ſponſo ac regi ſuo venientes, mox cum eo ad nuptias ſupernæ ciuitatis intrabunt.

De Septuageſima, Sexageſima, Quinquageſima, & Quadrageſima, Cap. VIII.

SEptuageſima computatur ſecundùm titulationem Sacramentarij & Antifonarij, nouem hebdomadibus ante Paſcha in ſeptimam Sabbati. Populus Dei in Babylone detentus eſt captiuus ſeptuaginta annis. Quibus expletis, reuerſus eſt Hieruſalem. Septuageſimus numerus nobis ad memoriam reducit omne tempus præſentis ſæculi, quo alieni ſumus à cœleſti Hieruſalē. Ideò auctor officij noſtri Septuageſimam poſuit in officiis noſtris, vt hoc tēpore à deliciis abſtinendo, oſtenderemus in noſtra conuerſatione, qualiter per omne tempus ſeculi viuere debeant, qui poſt baptiſmum peccatis ſe alienant à cœleſti Hieruſalem. Nam quòd poſt ſeptuaginta annos populus de captiuitate reuertitur, quis non videat poſt euoluta tēpora, quæ ſeptenario dierum numero tranſcurrunt, etiam nobis, id eſt, Eccleſiæ Dei, ad illam cæleſtem Hieruſalem ex huius ſeculi peregrinatione redeundum? quapropter *Alleluia* illo tempore non cantatur apud nos, nec *Gloria in excelſis* DEO, quæ ſunt cantica cæleſtia. Dicit enim Pſalmus: *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?* Sunt qui primam hebdomadam Septuageſimæ, ſine aliquo articulo nouellæ conuerſationis ducunt, excepta mutatione *Alleluia*, & in quibuſdam locis Dalmaticarum, & intermiſſione *Gloria in excelſis* DEO. Græci proximam hebdomadam, id eſt, Sexageſimam, ſanctificant ſuo ieiunio. Clerici noſtri, auctore Teleſphoro Papa, ſequentem, id eſt, quinquageſimam, qui conſtituit ſeptem hebdomadarum ieiunium ante Paſcha. Præceptor tamē officij noſtri ampliorem mutationem requirit, quàm nos agamus, conſtitutione officij ſui. Ipſum enim ieiunium intimauit in prima oratione Miſſæ, dicens: *Vt qui iuſtè pro peccatis noſtris affligimur*: hîc enim afflictionem ſonat. In Introitu quoque dicit, *Circumdederunt me gemitus mortis, dolores inferni*. Propter hos dolores non poſſumus lætari & ſecuri eſſe, ſed præparare nos debemus ad bellum, vt Apoſtolus ait: *Omnis qui in agone contendit, ab omnibus ſe abſtinet*. Dicit enim Ambroſius: Ab omnibus quæ vitanda eadem tradit diſciplina, cùm ſciant vnum coronandum: quanto magis obſeruandum eſt, quibus omnis promiſſa eſt ſalus? Vnde autem abſtinere debeamus, qui bellaturi ſumus, docet Apoſto-

A lus, dicens: Fornicatio & omnis immunditia, aut auaritia, nec nominetur in vobis. Teleſphorus Papa nonus poſt beatum Apoſtolum in ſede Romana conſtituit, vt per ſeptem hebdomadas abſtinentiam obſeruent, quod adhuc multi faciunt. Quod tempus tunc duas ob cauſas Quinquageſimam placuit appellari, vel quia in ordine quinquageſimus numerus poſt quadrageſimum conſtat: vel quia exinde quinquaginta dies ſunt in ſanctam reſurrectionē. Poſtmodum Melchiades Papa natione Afer, B trigeſimus quartus poſt S. Petrum, cōſtituit vt nemo præſumeret in prima vel quinta feria ieiunare. In prima, propter Domini reſurrectionem: in quinta, quia in ea cœnauit Dominus cum diſcipulis ſuis, & in ea aſcendit in cælum. Tunc placuit fidelibus, vt octo hebdomadas conſecrarent ieiunio, & primam Dominicam Sexageſimam nominarent, non propter ſexagenarium dierum numerum, ſed propter vſum locutionis noſtræ, quo ſicut quadragenario quinquagenarius, ita quinquagenario C ſexagenarius, & ſexagenarius ſeptuagenario coaptatur. A Sexageſima vſq; Paſcha, octo ſunt hebdomadæ, è quibus ſingulis ſi primam & quintam feriam de abſtinentia ſubtrahas, vt Melchiades inſtituit, & ipſum diem ſanctum Paſchæ, quadraginta tantùm dies remanent abſtinentiæ, ad imitationem Domini noſtri Ieſu Chriſti. Septuageſima ideò à fidelibus fertur celebrari, vt & decimas dierum Deo reddere, & nihilominùs primam & quintam feriam, & Sabbatum poſſimus à ieiunio D relaxare. A Septuageſima namque in Paſcha, nouem ſunt hebdomadæ, quæ faciunt ſexaginta quatuor dies: ex quibus ſi de vnaquaque hebdomada tres præfatos dies ſubtraxeris, & ſacrum diem Paſchalem, triginta ſex dies in decimatione anni ieiunas. Ille autem qui ſabbatum conſtituit honorandum, non propter legalia mandata hoc fecit, ſed quia requieuit illa die Dominus in ſepulcro. Auguſtinus libro 15. de Ciuitate Dei: Non omnia, inquit, quæ geſta narrantur, aliquid etiam ſignificare putanda E ſunt, ſed propter illa quæ aliquid ſignificant, etiam illa quæ nihil ſignificant, attexuntur: Non ſolo vomere aratur, ſed vt hoc poſſit fieri, etiam aratri cætera mēbra ſunt neceſſaria. Nec ſoli nerui in citharis aptantur ad cantum, ſed vt aptari poſſint, inſunt & cætera. Item aliter; Quare dicitur Septuageſima, cùm ab ea die vſque in Paſcha non ſint plus quàm ſexagintaquatuor dies? Conſuetudo eſt ſcriptura-

rum diuinarum, vt omnis numerus, ex quo quamlibet decadem tranſierit, vt* tertii monadiis incurrat, nō deputetur idem numerus præcedenti decadi, ſed ei ad quam tendit. Lege librum Geneſis in genealogia filiorū Noë. Item aliter: Cur dicitur Septuageſima, cùm ab illa die vſque in Paſcha non ſint ſeptuaginta dies? Septuageſima tendit ad Sabbatū ante octauas Paſchæ*, baptizantur, alba veſtimenta deponunt, & tunc confirmari eos oportet ab Epiſcopo, & per impoſitionem manus accipere Spiritum ſanctum: & quia ſeptem B dona Spiritus ſancti deſcribuntur, rectè qui hunc accepturi ſunt, Septuageſimam antè celebrant. Quod enim ſeptenarius numerus per ſe, hoc idem ſignificat per denarium multiplicatus: Sexageſima tendit vſque ad medium Paſchæ, id eſt, quartam feriam hebdomadæ Paſchalis; Quinquageſima tendit ad ipſum diem Paſchæ, Quadrageſima ad diem cœnæ Domini. Computa ergo dierum numerum, qui ſunt in abſtinentia à Septuageſima vſque ad Quadrageſimam, inuenies ter ſenos, id C eſt, decemocto dies, exceptis Dominicis diebus. Quem numerum ſi per duplarem proportionem diuidas, inuenies in vna parte ſex, in altera duodecim: ſex autē ad duodecim, ſimpla: duodecim ad ſex, dupla proportio eſt. Item inter cœnam Domini & diem Paſchæ, duo ſunt dies, & inter Paſcha & medium Paſchæ, quod eſt quarta feria, duo ſunt dies, quo tendit Sexageſima; & ab ipſo die vſque Sabbatum, quo Septuageſima peruenit, ſimiliter duo ſunt, qui ſunt ſimul ſex. Quatuor enim ad D duo, duplum eſt ad ſimplum. Præcedentes ergo numeri, qui ſunt in abſtinētia, ſignificant duplam mortem noſtram, ſimpla Chriſti morte eſſe deſtructam. Nos enim in anima & corpore morti eramus obnoxij. Chriſtus autem ſua corporali morte, & animæ & corporis mortem excluſit. Iſti autem dies, quos in Domini reſurrectione cum gaudio & lætitia celebramus, ſignificant reſurrectionem, quam Chriſtus duplam ſua ſimpla contulit. Ipſe enim ſicut ſolo corpore mortuus eſt, ita ſolo corpore reſurrexit. Nos autem & in anima E primùm reſuſcitat peccata dimittendo, & in futuro etiam corpora reſuſcitaturus eſt.

*Item de Septuageſima, Cap. ix.

Qui ſacræ legis, veteris ſcilicet hiſtoriæ libros legunt, ſatis in promptu habent, Iſraeliticum populum ſæpiùs contra Deum deliquiſſe. Vnde frequenter admoniti per Prophetas, pœnitentiam agere noluerunt. quapropter ſicut legitur in libro Regum, & beati Ezechielis Prophetia, poſt multas correctiones, ſicut diximus, in impudentia illis permanentibus tradidit illos Deus in manus diripientium. Et primùm decem tribubus in captiuitatem ductis ab Aſſyriis & rege ipſorum, tribus Iuda & Beniamin, qui remanſerant in Hieruſalem, ſæpiùs à B. Hieremia & cæteris prophetis admonitæ, vt reſipiſcerent & à prauis operibus ceſſarent, ne ſimilia paterentur, veluti illi qui iam transducti in Babylonem fuerant, audire noluerunt, ſed in ſua cordis duritia & prauitate atque idololatria cæteríſque offenſionibus pertinaciter permanſerunt. Vnde regreſſus rex Aſſyriorum Nabuchodonoſor cum exercitu, regiones illorum vaſtauit, & ciuitatem Hieruſalē munitionibus circundedit, & tamdiu obſedit, quouſque deficientibus alimentis, victi omnes cederēt, & relicta ciuitate, rex Sedechias cum filiis & paucis qui ſecum remanſerant, fugeret. quem capta ciuitate, perſequens populus Aſſyriorum apprehendit, & in conſpectū regis ſui Nabuchodonoſor cum filiis & principibus populi filiorum Iudæorum, qui reſidui fuerant, adduxit: locutúſque eſt rex Nabuchodonoſor cum rege Sedechia, ſicut legitur in libro Ieremiæ, iudicia: præcepítque in conſpectu regis Sedechiæ interficere filios eius, & omnes principes Iudæorum, qui remanſerant. Oculos autem Sedechiæ iuſſit eruere, & vinctum catenis duxit in Babylonem. Nabuzardā autem principem militiæ dimiſit ad deſtruendos muros Hieruſalem. Vnde ſicut illic ſcribitur, Nabuzardan princeps Coquorum deſtruxit muros Hieruſalem. Et ita omnes ducti ſunt in captiuitatem in Babyloniam, paucis tantùm de pauperibus populi derelictis, qui erant agricolæ & vinitores. In qua captiuitate morati sūt in magna afflictione & penuria & ſeruitute per annos ſeptuaginta. Poſtea verò, miſerante diuina clementia, ſub Cyro rege Perſarum, magna illorum pars reuerſa eſt Hieruſalem, id eſt, quinquaginta ferè millia hominum. Tempore verò Darij regis, omnis plenitudo populi Iudæorū ſub duce Zorobabel, & Ieſu filio Ioſedec ſacerdote magno, & Eſdra ſcriba, reuerſi ſunt Hieruſalem, & ædificauerunt muros eius & templum, & habitauerunt in ea. Erant autem tunc Prophetæ illorum, qui ad ædificandum templum & ciuitatem, pluri-

mùm eos confortabant Aggæus & Zacharias. Hanc ergo captiuitatem Iudaici populi, quæ noſtram præfigurauit peregrinationem, annuatim recolens ſancta Eccleſia & in memoriam reducẽs celebrat Septuageſimam: vt ſicut ille populus ſeptuaginta annos, quamuis inuitus, in captiuitate & peregrinatione eſt detetus: ita nos, id eſt, Chriſtianus populus, ſeptuaginta dies noſtram peregrinationẽ & præſentis vitæ ærumnam voluntariè recolentes, ad patriam, quæ eſt ſuperna Ieruſalem, redire cum omni auiditate, bonis deditì operibus, vigiliis ſcilicet & ieiuniis & orationibus, intentè ſtudeamus. Incipit autem Septuageſima ab illo die, quo conſuetudinem Eccleſia habet canere, *Circumdederunt me*, & pertendit vſque ad Sabbatum paſchalis hebdomadæ, quando canimus, *Eduxit Dominus*. Nam tot dies, ſi computati fuerint, id eſt, ſeptuaginta, ibi inueniuntur. Septuageſimus autem numerus ad memoriam nobis reducit omnẽ tẽpus præſentis ſeculi, quo alieni ſumus à cæleſti Ieruſalem: Quia, vt ait Apoſtolus, dum ſumus in corpore, peregrinamur à Deo. Hanc peregrinationem, Spiritu ſancto præuentus, intelligebat Dauid Propheta, qui in Pſalmo dicebat: *Ne ſileas, quoniam aduena ego ſum apud te*, &c. Et iterum in alio Pſalmo: *Heu mihi quia incolatus meus prolongatus eſt*, &c. Hanc etiam peregrinationem perpendens ſancta Eccleſia prima die Septuageſimæ, anguſtiis & afflictionibus circundata clamat, *Circundederunt me gemitus*. Quæ vox afflictionem præſentis ſæculi & tribulationem apertè demonſtrat. Concordat etiam huic afflictioni oratio ipſius diei, in qua dicimus: Preces populi tui, quæſumus Domine, clementer exaudi, &c. Hortatur etiam nos ipſa die ad curſum bonæ operationis B. Apoſtolus, dicens: Sic currite, vt comprehendatis. Reſponſorium etiam benè congruit, quod ipſa die cantatur. *Adiutor*. Necnon & Tractus, *De profundis*. Nam in iſtis diebus propter humilitatem non cantamus hymnum Angelicum, ſcilicet, *Gloria in excelſis Deo*, neque *Alleluia*, quod eſt canticum lætitiæ & exultationis: Sed pro *Alleluia* cantamus humilem cantum, ſcilicet Tractum, qui à trahendo dicitur, eo quòd tractim cantetur, & ſignificat gemitum ſanctæ Matris Eccleſiæ. In Euangelio etiam, quod ipſa die legitur, inuitat nos pater familias ad operationem vineæ, vt fideliter ſcilicet laborantes, denarium remunerationis percipere mereamur. Poſt Euangelium canitur Offerenda: *Bonum eſt confiteri*, & Antiphona ad Complendam, *Illumina faciem*. Quæ omnia diligenter inſpecta, magnis myſteriorum redolent ſacramentis, & Eccleſiæ gemitus Deum inuocantis ob auxilium de tribulatione, indicant, & ad ſpiritualis intelligentiæ doctrinam ſatis inſtruunt auditorem. In his etiam diebus, vt iam diximus, intermittimus hymnum Angelicũ, & *Alleluia*, quod eſt Hebræum: & pro *Alleluia*, humiliori (id eſt, Latina) vtimur lingua, dicentes in in Pſalmis, hymnis, & canticis: *Laus tibi Domine, rex æternæ gloriæ*. Nam & in perſona eorum qui in captiuitate detinentur, dicitur in Pſalmo: *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?* Et iterum dicit ſcriptura, *Quia non eſt ſpecioſa laus in ore peccatorũ*. Ergo quicunque in his diebus Septuageſimæ ſaluberrimè inſtitutis, curſum ſuum, id eſt, vitæ huius præſentis ſtatum benè direxerit, vt depoſita omni inepta lætitia & vanitate, in ieiuniis & vigiliis & orationibus, eleemoſyniſque ac cæteris bonis operibus aſſiduè inſiſtat, & peregrinationis ſuæ aſſiduè recordatus fuerit, hic ſanctum Paſcha feliciter celebrabit: canticum etiam lætitiæ, id eſt, alleluia, quod eſt Laus Domini, ſine fine cantabit. Paſcha namque * Græcè, Latinè dicitur tranſitus: & nos ſi Paſcha ſanctum celebrare volumus, trãſitum faciamus à vitiis ad virtutes, & de terrenis ad cæleſtia, & de tranſitoriis ad ſemper manentia & æterna trãſmigrare ſtudeamus. Paſcha enim noſtrum immolatus Chriſtus &c. Finitur autem Septuageſimę obſeruatio Sabbato ante octauam Paſchæ, quando etiam, ſicut iam ſuprà diximus, Eccleſia ſancta canere ſolita eſt, *Eduxit Dominus*. Benè autem congruit myſteriis Eccleſię, quod Septuageſima Sabbato finitur. Peccatis enim noſtris exigentibus, in captiuitatem & peregrinationem deuenimus: ſed per Domini gratiam & miſerationem ad requiem, quæ per Sabbatum ſignificatur, reducimur. Sabbatum enim requies interpretatur. Cantantur etiã illo die duo alleluia, quæ geminã Sanctorum lætitiam deſignãt. Nam illud alleluia quod Sabbato canitur, ſcilicet, *Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in ſeculum miſericordia eius*, lætitiam Sanctorum deſignat, quam modo, quicunque fideliter finiuntur, in animabus accipiunt, & qua Sancti omnes, qui in cæleſti gloria ſunt, perpetuò perfruẽtur. Illa autem duo, quæ in ſequenti Sabbato, id eſt, fine Septuageſimæ canuntur, geminam Sanctorum om-

nium exultationem deſignant, quando ſicut legitur in Apocalypſi, expleto iudicio dabuntur eis ſingulis ſtolæ binæ, id eſt, immortalitas & beatitudo animarum & corporum, ſcilicet, & vt qui nunc ſingulis ſtolis animarum ſolummodo immortalitate gaudent, tunc beata & animarum & corporum immortalitate, ac perpetuæ beatitudinis gloria perfruantur: ad quam beatitudinis gloriam nos optimus Dominus ſua gratuita pietate dignetur perducere, cui eſt honor, laus, & gloria per omnia ſecula ſeculorum, amen.

B

De Sexageſima. Cap. X.

SExageſima initium ſumit ſequenti Dominica poſt Septuageſimam, & finitur quarta feria hebdomadæ Paſchalis. Nam in ſuperiori hebdomada, ſcilicet Septuageſimæ, circumdatam ſe doloribus & tribulationibus clamat Eccleſia, & ita conſtrictam afflictionibus & tribulationibus, vt vix ſpirare queat, & nullus euadendi pateat locus. Vnde dicit: *Circundederunt me*. In hoc autem, id eſt, Sexageſima, iam C quaſi reſumpta fiducia inuocat, & quaſi omnipotentis Dei clementiam implorat, dicens: *Exurge, quare obdormis Domine?* Quaſi dicat, quamuis non dormites, neque dormias, qui cuſtodis Iſrael: tamen quia non citò auxiliando ſuccurris nobis, dormire videris. Quare faciem tuam auertis? Quamuis peccata noſtra inter nos & te ſeparent, noli obliuiſci conditionis noſtræ, ſed reſpice propitius opus creationis tuæ. *Exurge, & ne repellas in finem, ſed vide* D *tribulationem noſtram.* adhæſit enim in terra venter noſter, id eſt, conſenſit impietati pulueris huius & fragilitatis ſenſus interior cordis noſtri. Et iterùm inclamat, & quaſi importunè auxilium petit dicens: *Exurge Domine, adiuua nos & libera nos*, id eſt, quatenus nos digni non ſumus liberari, libera nos propter nomen tuum, id eſt, gratis, & non ſecundum meritum noſtrū. Hoc idem namque ſonat oratio prima ipſius diei, in qua dicitur: *Domine qui conſpicis quia ex nulla noſtra actione confidimus*, id eſt, E ex nullo bono noſtro opere fiduciā habemus, ſed ſola miſeratione ſaluari ſperamus. Et in Epiſtola bonus athleta Paulus & doctor gentium nobis proponitur, cuius ſapientiam & fortitudinem imitemur. Reſponſorium: *Sciant gentes quoniam nomen tibi Dominus*, id eſt, cognoſcant qui nos tribulant & perſequuntur, qui non ſunt veri domini, nec nomen dominorum illis cō-

A petit, ſed tibi ſoli qui nos condidiſti, & ſolus iuſtè dominaris, altiſſimus ſuper omnē terram. Sequitur Tractus: *Commouiſti Domine terram tuam, & conturbaſti eam.* Terram commouiſti, dicit peccatorum conſcientiam hominum ad pœnitentiam prouocatam. Terra quippe commouetur, quando peccatoris cor ad pœnitentiam & lachrymas excitatur: poſt motam autem terram ſemen inducitur, quia poſt commota corda pœnitentium ad lachrymas, ſemen verbum Dei auidiùs ſuſcipitur, & vberiùs fructum faciens, creſcit & multiplicatur. Vnde conuenienter Euangelium ſequitur, in quo de terra petroſa & ſpinoſa, atque de bona, quæ fructum per patientiam reddit, multa narrantur. In Septuageſima increpati ſumus, quòd ocioſi ſtetimus, & ad vineam colendam inuitati ſumus: Nunc in Sexageſima ſemen verbum Dei in cordibus noſtris veluti in bonam terram iacitur, vt creſcat, & fructificet, & per patientiam fructum plurimum afferamus. Sequitur offerenda, *Perfice greſſus meos*: deprecatur Eccleſia, vt perficiantur greſſus illius, id eſt, vt à Domino dirigantur itinera eius in ſemitis viarum Dei, quia à Deo diriguntur greſſus hominis, non à ſeipſo, quòd nemo per ſe niſi à Deo adiutus, poteſt eſſe rectus, ſicut ipſe Dominus ait diſcipulis ſuis: *Sine me nihil poteſtis facere.* Et ideò quod à ſeipſa intelligit Eccleſia non poſſe perficere, à Domino totis votis petit impleri. Dicit etiam in communione, *Introibo ad altare Dei.* Iam cōfiſa ſancta mater Eccleſia de miſericordia omnipotentis Dei, præſumit & dicit: Introibo ad altare Dei, id eſt, in conſpectu ipſius apparebo, & de miſericordia ipſius glorificabor. Pertendit autem, diximus, hæc Sexageſima vſque ad Paſchalis hebdomadæ quartam feriam, quia ſexaginta dies computantur ab hodierno die, quo canimus ad introitum: *Exurge, quare obdormis Domine?* vſque ad præfatum diem, in quo canimus: *Venite benedicti patris mei.* Quod à magno myſterio non vacat. Nam ſenarius numerus perfectus eſt, & ſuis completur partibus. Eſt enim ſexta pars eius, Vnum: Secunda, Tria: tertia verò, Duo. Vnum ergo & Duo & Tria, fiunt ſex. Et nec inferiùs manet numerus, nec ſuperabundat. Quod rarò in aliis vnquam numeris reperitur. Decies autem ſeni, ſiue ſexies deni, ſexaginta fiunt. Et ideò Sexageſimus numerus, ſicut & ſenarius, perfectionem boni operis ſignat. Sex enim ſunt dies, in quibus oportet operari. Et in ſex diebus omnem curſum noſtræ bonæ

operationis perfecimus. In ſex enim diebus opera ſua perfecit Deus, & in ſexta ætate per ſeipſum viſitare dignatus eſt mũdum, & hominem lapſum à paradiſi amœnitate, & diaboli fraude deceptum, proprio cruore redimere. De hoc ſenario numero loquens beatus Auguſtinus, & de eius perfectione in quodã loco dicit, quòd non ideò ſenarius eſt perfectus, quia in eo perfecit Deus omnia opera ſua, ſed quia ſenarius numerus erat perfectus, ideò in eo Deus opera ſua perficere dignatus eſt. B Quapropter neceſſe eſt, vt in hac Sexageſima bonis operibus deditiſſimus, & cum Dei adiutorio in vigiliis, ieiuniis & orationibus, cæteriſque bonis operibus noſtram ſalutẽ operari ſtudeamus: quia qui per ſex dies bonæ operationis, præſentis vitæ curſum tranſierint, & fideliter in opere recto laborauerint, & vſque in finem in cœptis bonis operibus perſeuerauerint, ſexageſimum fructũ laboris ſui & æternæ beatitudinis præmium percipient, audiẽtes illam deſiderabilem vocem ipſius, quæ ipſa die in ſancta cantatur Eccleſia, ſcilicet: C *Venite benedicti patris mei, percipite regnum.* Quam vocem nobis audire, & quod regnum nobis percipere concedat omnipotens Deus, qui viuit & regnat per omnia ſecula ſeculorum, amen.

De Quinquageſima. Cap. XI.

QVinquageſima initium ſumit à ſequẽti hebdomada poſt Sexageſimam, quando canitur: *Eſto mihi in Deum protectorem*, & finitur die ſancto Dominico Paſ- D chæ. In Septuageſima tribulationibus & anguſtiis circundati ſumus, in Sexageſima Dominũ inuocauimus, & quaſi dormientem excitauimus. In Quinquageſima quaſi iam propinquiorem audaciùs & promptiùs inuocamus, dicentes: *Eſto mihi in Deum protectorem*: & in prima oratione Miſſæ dicimus: *Preces noſtras quæſumus Domine clemẽter exaudi, atque à peccatorum vinculis abſolutos ab omni nos aduerſitate cuſtodi.* Magnam iam hæc verba videntur habere ſecuritatem, in quibus dicimus nos ab omnibus inimicis E abſolutos & peccatis, & precamur Domini munitione nos defendi. Dicit etiam in Epiſtola beatus Paulus Apoſtolus, oſtendens nobis chariſmata meliora: *Si linguis hominum loquar & angelorum*, &c. vſque, *cymbalum tinniens.* Et quibus munitionibus in Dei protectione ſubſiſtere & muniri debeamus, in fine huius lectionis oſtendit, dicens: Nunc manent fides, ſpes, charitas, A tria hæc, Maior autem his eſt charitas. Sequitur reſponſorium: *Tu es Dominus qui facis mirabilia ſolus.* Quaſi diceret. Non eſt Dominus alius præter te Domine. Simulachra gẽtium non ſunt dij, ſed opera manuum hominum. Tu autem verè es Deus, qui ſaluas ſperantes in te. Notam feciſti in gentibus virtutem tuam, redimendo & liberando nos de manibus eorum. Et iterùm dicit in verſu: *Liberaſti in brachio tuo populum tuum.* Tractus etiam Domino nobis præcipit ſeruire, qui nos fecit, non ei cui noſmetipſi peccando viuimus. In Septuageſima terra cordis noſtri quaſi tribulationibus eſt exarata & culta: In Sexageſima ſemina verbi Dei ſuſcepimus & ſeminauimus. In Quinquageſima ſeminis & bonæ operationis fructum colligimus. Vnde in Euangelio cæcus introducitur, qui nos ſignificat, non aurum neq; diuitias quærẽs, ſed lumen, quod percipere meruit. Quod nos vt ęternum & verum accipere mereamur, attentiùs quærere debemus. Sequitur Offerenda, eundem habens tenorem, hoc eſt, in gratiarum actione manens, dicendo: *Benedictus es Domine, doce me iuſtificationes tuas.* Communio autem, ad memoriam reducit antiquum populum, qui mãna manducauit in deſerto, & non eſt fraudatus deſiderio ſuo. Hoc his verbis innuens, quòd ſi nos in bono & ſancto deſiderio manſerimus, non eo fraudabimur, ſed æterna ſatietate donabimur, quando hoc adimplebitur in nobis, quod alibi Pſalmiſta dicit, Satiabor dum manifeſtabitur gloria tua. Pertingit autem Quinquageſima ad reſurrectionis Dominicæ diem. Nam à die qua canimus, *Eſto mihi in Deum protectorem*: vſque in diem ſanctum Paſchæ, quinquaginta dies ſunt. Qui numerus pertinet ad quinque corporis ſenſus, qui ſunt videlicet, auditus, viſus, guſtus, odoratus, & tactus. Sicut enim ſenarius perfectionem operum demonſtrat, ita quinquagenarius omnia bona opera quæ perficiuntur per quinque corporis ſenſus. Quinquies enim deni, quinquaginta fiunt. Si quis ergo per quinque corporis ſenſus, id eſt, per exteriorem adminiſtrationem decem verba legis impleuerit, hic ſine dubio ad conſortiũ beatæ reſurrectionis, quæ in Paſcha celebratur, eſt peruenturus. Eſt & aliud myſterium in hoc quinquagenario numero dierum. Nam in veteri teſtamento quinquageſimus annus, iubileus & annus remiſſionis vocabatur: in quo videlicet anno vnaquæque poſſeſſio ad proprium reuerte-

batur dominum. Et vnuſquiſque dominus, quocunque modo eſſet ab ea alienatus, ad propriam gratis reuertebatur poſſeſſionem. Et nos qui propriam in primo parente immortalitatis amiſimus hæreditatem, ſi benè & iuſtè in hoc tempore vixerimus, quod ſignificatur per numerum quinquaginta dierum, poſſumus ad noſtram reuerti hæreditatem, id eſt, ſupernam Hieruſalem & ciuitatem Sanctorũ, vbi eſt vera reſurrectio & beata immortalitas, auxiliante Domino noſtro Ieſu Chriſto, in cuius reſurrectione noſtra vera eſt B reſurrectio, & peccatorũ omniũ remiſſio.

De Quadrageſima. CAP. XII.

QVadrageſima incipit à ſequenti Dominica poſt Quinquageſimam, & finitur quarta feria ante Paſcha Domini, quando canimus: *In nomine Domini omne genu.* In Quadrageſima namque iam aliqua pars pugnæ noſtræ peracta eſt. Quem namque in Quinquageſima protectorem inuocauimus, in Quadrageſima dicit quaſi C conſolando in introitu: *Inuocauit me*, &c. In Epiſtola dicit B. Paulus: *Tempore accepto exaudiui te, & in die ſalutis adiuui te.* In reſponſorio canitur in perſona iuſti viri, ſiue S. Eccleſiæ: *Angelis ſuis mandauit.* In Tractu promittitur ſcutum diuinæ protectionis. In Euãgelio proponitur nobis triumphus Dominicæ victoriæ, ſcilicet, vt eius exemplo cum diabolo pugnare, & eum ſuperare diſcamus. De hoc autem quadrageſimo numero, & de præſentis temporis obſeruatione nihil aliud nobis eſt dicere, quàm D quod beatus Gregorius in fine expoſitionis ipſius Euangelij, quod ipſa die legitur, ita proſequitur, inquiens: Sed quia diebus his lectio Euangelica congruit, nam quadraginta dierum abſtinentiam noſtri Redemptoris audiuimus, quadrageſimum tẽpus inchoamus: diſcutiẽdum nobis eſt, cur hæc ipſa abſtinentia per quadraginta dierum numerum cuſtoditur. Moyſes vt legem acciperet, ſecundò diebus quadraginta ieiunauit. Helias in deſerto quadraginta diebus abſtinuit. Ipſe autem auctor E hominum ad homines veniens, in quadraginta diebus nullum omnimodò cibum ſumpſit. Nos quoque in quantum poſſumus, annuo quadrageſimæ tempore carnem noſtram per abſtinentiam affligere conemur. Cùm ergo in abſtinentia quadragenarius numerus cuſtoditur, quid niſi quia virtus Decalogi per libros quatuor ſancti Euangelij impletur? Denarius ete-

A nim quater ductus, in quadragenarium ſurgit: quia tunc Decalogi mandata perficimus, cùm profectò quatuor libros ſancti Euangelij cuſtodimus. Ex qua re ſentiri & aliud poteſt. In hoc enim mortali corpore ex quatuor elementis ſubſiſtimus, & per voluptates eiuſdem corporis præcepta Dominicis contrahimus: præcepta autem Dominica per Decalogum ſunt accepta. qui ergo per carnis deſideria Decalogi mandata contempſimus, dignum eſt vt eandem carnẽ quaterdecies affligamus. Quamuis de hoc Quadrageſimæ tempore eſt adhuc aliud quod poſſit intelligi. A præſenti etenim die vſq; ad Paſchalis ſolennitatis gaudia ſex hebdomadę veniũt. Quarum videlicet dies quadraginta & duo ſunt: Ex quibus dum ſex dies Dominici ab abſtinentia ſubtrahuntur, non plus in abſtinentia quàm triginta & ſex dies remanent. Dum verò per trecentos & ſexaginta dies annus ducitur, nos autem per triginta & ſex dies affligimur, quaſi anni noſtri decimas damus: vt qui nobiſmetipſis per acceptum annum viximus, auctori noſtro nos in eius decimas per abſtinentiam mortificemus. Verùm, fratres chariſſimi, ſicut offerre in lege iubemini decimas rerum, ita Deo offerre contendite & decimas dierum. Vnuſquiſque quantum virtus ſuppetit, carnem maceret, eiuſque deſideria affligat, concupiſcentias turpes interficiat, & iuxta Pauli vocem, hoſtia viua fiat. Hoſtia quippe & immolatur, & viua eſt, quando & ab hac vita homo non deficit, & tamen ſe à carnalibus deſideriis occidit. Caro nos læta traxit ad culpam, afflicta reducat ad veniam. Auctor etenim mortis noſtræ, per fructum ligni vetiti vitæ præcepta tranſgreſſus eſt. Qui ergo à paradiſi gaudiis per cibum cecidimus, ad hæc, inquantum poſſumus, per abſtinentiam reſurgamus. Sed nemo ſibi eandem abſtinentiam ſolam credat ſufficere poſſe, cùm per Prophetam Dominus dicat: *Nonne hoc eſt magis ieiunium quod elegi?* Subiiciens, *Frange eſurienti panem tuum, & egenos vagoſque induc in domum tuam: Cùm videris nudum, operi eum, & carnem tuam ne deſpexeris.* Illud ergo ieiunium approbat Dominus, quod ad eius oculos manus eleemoſynarum leuat: quod cum proximi dilectione agitur, quod ex pietate conditur. Hoc ergo quod tibi ſubtrahis, alteri largire: & vnde tua caro affligitur, inde egentis proximi caro reparetur. Hinc enim per Prophetam Dominus dicit: *Cùm ieiunaretis & plangeretis, nunquid ieiunium ieiuna-*

ſtis mihi? Et cùm comediſtis & bibiſtis, nunquid non vobis comediſtis, & vobiſmetipſis bibiſtis? Sibi enim comedit & bibit, qui alimenta corporis, quæ ſunt communia dona conditoris, ſine indigentibus percipit. Et ſibi quiſque ieiunat, ſi ea quæ ſibi ad tempus ſubtrahit, non pauperibus tribuit, ſed ventri poſtmodum offerenda cuſtodit. Hinc per Iohelem dicitur: *Sanctificate ieiunium.* Ieiunium quippe ſanctificare, eſt adiunctis bonis aliis dignam Deo abſtinentiam carnis oſtendere. Ceſſet ira, ſopiantur iurgia. Incaſſum enim caro atteritur, ſi à prauis ſuis voluptatibus animus non refrenatur, cùm per Prophetam Dominus dicat, *Ecce in die ieiunij veſtri inuenitur voluntas veſtra: Ecce ad lites & contentiones ieiunatis, & percutitis pugno impiè, & omnes debitores veſtros repetitis.* Neque enim qui à debitore ſuo hoc quod dedit repetit, aliquid iniuſtum facit: ſed dignum eſt, vt quiſquis ſe in pœnitentia macerat, & hoc ſibi quod iuſtè competit, interdicat. Sic, ſic nobis pœnitentibus & afflictis à Deo dimittitur quod iniuſtè egimus, ſi pro amore illius & hoc quod nobis iuſtè competit, relaxamus.

Ordo ad pœnitentiam dandam fer. IIII. *quod eſt Caput Ieiunij.* CAP. XIII.

INprimis præmonere debet ſacerdos omnes Chriſtianos ex ſacris Scripturarum teſtimoniis, quatenus in capite ieiunij, hoc eſt, hodiè ad veram confeſſionem, verámque pœnitentiam feſtinantiùs accedant. De hac Hieronymus inquit: Vtinam tam citò conuertantur peccatores ad pœnitentiam, quàm citò Dominus præparatus eſt etiam mutare præfinitam ſententiam. Non enim temporis longitudinem requirit Deus, ſed affectu ſinceritatis plenitudo penſatur. Gregorius. Satis alienus à fide eſt qui ad agendam pœnitentiam tēpora ſenectutis expectat. Metuendum eſt enim, ne, dum ſperat miſericordiam, incidat iudicium. Itémque: Si quis te de peccato forinſeco correxit, tunc confitere interiora quæ ille neſcit. Denique admonendi ſunt, vt in cœna Domini redeant ad reconciliationem, ſicut in conſequentibus dicetur. Si verò intereſt cauſa aut itineris, aut cuiuſlibet occupationis, aut ita fortè hebes eſt, vt ei hoc ſacerdos ſuadere nequeat, iniungat ei tam quadrageſimalem, quàm annualem pœnitentiam, & reconciliet eum ſtatim. Sacerdotibus verò ſummoperè ſatagendum eſt, vt octo vitia criminalia cum eorum ſequentiis atque

A teſtimoniis Scripturarum, quibus coercēdi ſunt homines atque ad meliora prouehendi, omni ſtudio intelligant, atque doceant, ſicut hic in prima fronte annexa ſunt. Quorum vitiorum octo hæc ſunt nomina, in primis ſuperbia, gloria inanis, inuidia, ira, auaritia, triſtitia, ventris ingluuies, atque luxuria. De ſuperbia, quod eſt caput omnium vitiorum, oriuntur ſupraſcripta ſeptem vitia criminalia. Superbia dicitur quaſi ſupergrediēs mentem de eo quod non eſt. Vnde ſuperbus quaſi ex- B tra viam ambulans, de qua Scriptura: *Initium omnis peccati ſuperbia.* Et ideò initium dicitur omnis peccati, quia ipſa præceſſit in diabolo, & non ſolùm peccatum eſt ipſa, ſed etiam nullum peccatum fieri potuit, poteſt, aut poterit ſine ipſa. Porrò cupiditas atque ſuperbia intantum vnum eſt malum, vt nec ſine ſuperbia poſſit inueniri cupiditas. Non enim primus homo ederet de ligno prohibito, niſi concupiſceret: nec deſereretur à Domino, niſi priùs ipſe deſereret. De ſuperbia dicit Auguſtinus: C Vitanda nobis eſt ſuperbia, quæ & angelos nouit decipere, & homines diſſipare. Hieronymus: Vir ſuperbus non decorabitur, nec voluntatem ſuam perficiet. Ambroſius: Superbia ex angelis dæmones fecit, humilitas autē homines ſanctis angelis ſimiles reddit. De inani gloria, id eſt, vana, quæ Græcè dicitur κενοδοξία, naſcitur inobedientia, hypocriſis, contentiones, pertinaciæ, diſcordiæ, & nouitatum præſumptiones. Eſt enim vanitas inflata appetitio dignitatum, dulcis miſeris, amara D perfectis, cui ſeruiunt tumidi, ſub qua iacent elati, támque eos ardor humanæ laudis inflammat, vt laborioſa opera quæ populus admiretur, & quibus fama diffunditur, ſine labore ſuſcipiant, & libenter exerceant: vnde eſt quòd ieiunare, abſtinere, vigilare, Eccleſiam frequentare, vel pſallere, cùm hæc omnia ſine labore non faciunt, etiam cum delectatione faciunt, vt ab hominibus quibus placere, nō Deo, deſiderant, videantur: vnde Veritas, *Amen dico vobis, receperunt mercedem ſuam.* De E inuidia ſiue inuido, qui ab inuidendo alterius felicitati dicitur, naſcitur odium, ſuſurratio, detractio, exultatio in aduerſis proximi, afflictio autem in proſperis. De hac Apoſtolus comminatur, dicens: *Qui odit fratrem ſuum, homicida eſt: & qui inuidet, in tenebris eſt, & in tenebris ambulat.* Vnde nihil infelicius poteſt eſſe inuido, qui alienis torquetur bonis: inuidia enim ſeipſum mordet, pectus vrit, mentem afficit; & qui

& qui inuidet, ſimilis eſt diabolo, qui per inuidiam hominem de paradiſo eiecit. De ira longa quæ ab indignatione dicitur, à qua & iracundia, eo quòd accenſo ſanguine, in furorem compellitur, naſcuntur rixæ, tumor mentis, contumeliæ, clamor, indignatio, blaſphemiæ. De ipſa enim dicit Scriptura: *Ira in ſinu ſtulti requieſcit.* & alibi: *Ira enim viri iuſtitiam Dei non operatur.* Et in Pſalmo de quotidiana ira: *Iraſcimini, & nolite peccare.* & Apoſtolus: *Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram*, & alibi: *Illa enim ira mala eſt, quæ mentem turbat, vt rectum conſilium perdat.* De triſtitia quæ oritur ex ira, naſcitur malitia, rancor, puſillanimitas, deſperatio, torpor circa præcepta, vagatio mentis erga illicita. Et ſciendum quia inter triſtitiam & mœſtitiam hoc intereſt: Mœſtitia, cordis eſt: triſtitia, vultus: mœſtum enim vel inertem dicimus animum: triſtis enim facie, ita dignoſcitur, abiecto vultu, pallido adſpectu, turbidis oculis, turbato vultu. De hac triſtitia dicit Apoſtolus: *Quæ enim ſecundũ Deum triſtitia ſunt, pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operantur: ſeculi autem triſtitia mortem operatur.* Alibique: *Triſtitiam non des animæ tuæ.* Iſidorus: Vis nunquam eſſe triſtis? benè viue: ſecreta conſcientia triſtitiam leniter ſuſtinet. De auaritia (quæ Græcè dicitur philargyria, id eſt, amor pecuniæ, ab auiditate dicta, vnde auarus, quaſi auidus auri, qui nunquam opibus expletur) naſcitur proditio, fraus, fallacia, periurium, inquietudo, violentia, & contra miſericordiam obduratio cordis. De hac dicit Apoſtolus: *Neque auari, neque rapaces regnum Dei poſſidebunt.* Et Salomon: *Auarus non implebitur pecuniis.* Et idem: *Auaro autem nihil eſt ſceleſtius: nihilque iniquius quàm amare pecuniam.* Et iterum: *Cùm enim morietur homo, hæreditabit ſerpentes & beſtias & vermes.* Hoc verò vitium vincitur in largitione pauperũ, in viſitatione infirmorum, in tegumento nudorum, & in reddendo quod iniuſtè ablatum eſt, & in fletu ac lachrymis cum cõtritione cordis, ſicut Dominus dicit: *Si vis perfectus eſſe, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus.*

De ventris ingluuie, quæ Græcè dicitur gaſtrimargia, id eſt, horrida voracitas atq; guloſitas, quæ à gula dicitur, naſcitur inepta lætitia, ſcurrilitas, immunditia, ſtultiloquium, multiloquium hebetudo ſenſus circa intelligentiam, & eſt vitium ſpiritale. De hoc ſcriptum eſt: *Qui continet ventrem ſuum, minuit vitia: abundantia autem eſcarum, nutrit deſideria mala. Multæ eſcæ nutriunt ventrem fornicationis.* Et Apoſtolus: *Non in comeſſationibus & ebrietatibus.* Et quia primus homo vitio gulæ cecidit, neceſſe eſt vt per abſtinẽtiam reſurgamus. Læta caro traxit nos ad peccatum, afflicta reducat ad veniam. De luxuria, quæ à luxu nomen accepit, & eſt immunditia corporalis, vnde & luxurioſus, quaſi ſolutus & corruptor dicitur, naſcitur cæcitas mentis, inconſideratio, inconſtantia, præcipitatio, amor ſui, odium Dei, afflatus præſentis ſæculi, horror autem vel deſperatio futurorum. Eſt autem vitium corporale. De ipſo dicit Apoſtolus: *Fugite fornicationem.* Et idem: *Fornicatores & adulteros iudicabit Dominus.* Hieronymus: Væ illi qui tunc habuerit terminum luxuriæ, quando & vitæ. Diabolus per ſuperbiam & fornicationẽ omni hominum generi dominatur. Omnibus peccatis fornicatio maior eſt, melius mori quàm fornicari: libido in infernum hominem mergit, & ſciendum quia fornicatores, libidinoſi, Sodomitæ, adulteri, inceſtuoſi, conſtupratores, raptores, molles, maſculorum concubitores, immundi, pollutores, impudici, generaliter luxurioſi nominantur. Vnde fornicatio dicitur amor legitimo connubio ſolutus, & vaga explendæ libidinis conſectandæ licentia. De qua ſcriptum eſt: *Qui fornicatur, in carne ſua peccat: & maioris eſt criminis, quia tollit membra Chriſti, & facit membra diaboli.* Libidinoſi dicuntur, qui faciunt quod eis libet, ſunt enim cupidi voluptatis. Sodomitæ interpretantur excluſores ipſorum. Adulteri dicuntur, quia alterius torum violant, ſiue polluunt. Inceſtus dicitur, quaſi incaſtus, propter illicitam commixtionem, id eſt, quicunque cum parente propria, aut ſorore, vel vidua, ſiue nouerca, filia, vel cognata, atque Domino ſacrata, præſumpſerit fornicari. Stupratores dicuntur, virginum corruptores. Raptores à rapiendo, qui rapto ſtupro fruuntur. Vnde & inter ſtuprum, adulteriũ & inceſtum ita differt: ſtuprum in virgine, adulterium in nupta; inceſtus in parentibus. Molles ſunt effeminati, vel qui barbas non habent, ſiue qui alterius fornicationem ſuſtinent. De quibus Apoſtolus: *Neque molles regnum Dei poſſidebunt, maſculorum concubitores, comites fornicantium, immundi, polluti, coinquinati*, ſocij luxurioſis, pollutores, deformes, commaculati, vel qui propriis manibus ſe ſordidant. Impudici à podice vocantur. putorem enim fœtorem dicimus: ſiue impudicus, qui turpitudinem

flagitio infert. Sed & alia vitia, quæ licet A ex ſuperioribus oriantur, aliis tamen locis cenſentur, ſicut ſacrilegium quod Auguſtinus inter ſeptem vitia reputat. Sacrilegium eſt ſacrarũ rerum furtum, quæ poſtea in idolorum cultum cedunt. Vnde ſacrilegus dictus, ab eo quod ſacra legit, & furatur contra leges: vel ſacrilegus, ſacra loca violans. faciunt hoc Eccleſiæ prædones. Fures à furuo dicti ſunt, id eſt, à fuſco: nam noctis adeunt tempus. Vnde inter furem & latronem hoc differt: qui alienum ſubtrahit, fur eſt: qui furatur & occidit, latro eſt. à latendo enim dicitur latro. Periuri dicuntur, qui perperàm iurant, id eſt, malè. Falſidici, qui aliud fantur quã verum. Ebrius dicitur, qui ad tempus bibit: ebrioſus, qui ſemper. De quo Scriptura: *Ebrioſi regnum Dei non conſequentur.* Acedioſus ab acedia dicitur, qui anxietatem ſiue tædium cordis patitur, qui & inconſtans vel vagus dicitur. ab aliquibus enim inter octo vitia reputatur. Patricida & parricida hoc differt: patricida eſt, qui parentem occidit, parricida, qui parem aut ſocium. Fratricida, qui fratrẽ occidit. Homicidium, compoſitum ex homine & cæde, vnde & homicida. Stultiloquus eſt, qui turpia & riſum mouentia narrat. Vnde & ſtultiloquiũ nihil in ſe ſapiens habet. Scurrilitas & iocularitas, quæ conueniunt ex aliqua prudentia, riſum mouent audientibus, quibus magis conuenit lugere. Turpitudo eſt, cùm inflammantur ſenſus noſtri ad libidinem, & carnis titillationem. Anima ignita ſuccenditur, & nihil Dei timore refrenatur. Idololatra dicitur, qui D idolis ſeruit: & in Propheta idololatriam ſæpè fornicationem appellatam inuenimus: & qui plus nummum, quàm Deum diligit, ſculpturam nummi colit, & idola in eis cælata veneratur. Suſurro, de ſono locutionis appellatur, id eſt, qui libenter inutilia audit. Vnde Scriptura: *Non ſis ſuſurro.* Malefici & Venefici dicuntur, qui cauſa mortis venenum parant, & artificioſè multa mala componunt. Maledici, linguoſi, ſiue litigioſi, ſortilegi, & diuini ſiue fanatici coniectores, qui ſub nomen fictæ E religionis, per quaſdam (quas ſortes Sanctorum vocant) diuinationes & ſcientiam profitentur. Arioli ſiue Aruſpices propriè ſunt, qui circa aras idolorum nefarias preces emittunt. Augures, qui auguria & volatus atque voces auium intendunt. Auſpicia enim vltrò veniunt. Fatuus eſt, qui quod fatur non intelligit, neque quod alij dicunt, & dicitur excors. De quo in Euangelio: *Qui dixerit fatue.* genus enim conuicij eſt. Racha, inanis & vacuus, ſiue abſque cerebro. Eſt enim genus deſpectionis ſiue iræ. Vnde in Euangelio: *Qui dixerit fratri ſuo racha,* hoc eſt, prouerbium prouinciale. Ecce vitia breuiter digeſta, per quæ humanum genus à diabolo quotidie impugnatur. De cætero ſciant ſacerdotes Chriſti, quia quotieſcunq; ad pœnitentiam Chriſtiani accedunt, ieiunandum eſt prius cum eis, pro eorum erratibus, vt non dicatur eis, quod ſacerdotibus Iudæorum dictum B eſt à Domino: *Væ vobis legis periti, quia aggrauatis homines imponentes ſuper humeros eorum onera grauia, ipſi autem digito veſtro non tangitis ſarcinas eorum.* Nemo enim poteſt iacentem ſub onere ſubleuare, niſi inclinauerit ſe, & porrigat ei manum. Neque vllus medicorum vulnera infirmantium poteſt curare, niſi fœtoribus particeps fuerit. Ita quoque ſacerdos vel Pontifex curare vulnera non poteſt, niſi præſtante ſolicitudine & oratione: & quoties dederis conſilium peccanti, ſimul quoque da illi C pœnitentiam ſtatim quantum debeat ieiunare, & redimere peccata ſua, ne fortè obliuiſcaris quantum eum oporteat abſtinere. tibi enim neceſſe eſt, vt iterum ab eo exquiras peccata, quia ille forſitan erubeſcit iterum peccata ſua confiteri. Non enim omnes clerici aut vllus laicus hanc ſcripturam vſurpare aut legere debẽt, niſi ſoli illi, quibus neceſſe eſt. Hoc ſunt Epiſcopi vel presbyteri, quibus claues regni cæleſtis traditę ſunt, ſi nec iudicia iſta alius vſurpare debet. Si autem neceſſitas euenerit, & presbyter non fuerit præſens, diaconus ſuſcipiat pœnitentiam, ac det ſanctam communionem. Denique ſacerdos hac auctoritate imbutus ſiue compunctus, ſuſcipiens pœnitentem, ſi laicus eſt, dimiſſo baculo: quiſquis vero ille eſt, ſiue laicus, ſiue clericus, ſiue monachus, ſuppliciter ſe inclinet ante ſacerdotem. Tunc ſacerdos dicit hanc orationem: *Domine Deus omnipotens, propitius eſto mihi peccatori, vt condignè poſſim tibi gratias agere,* & reliqua. Deinde iubeat eum ſacerdos ſedere contra ſe, & colloqui cum eo de ſupradictis vitiis, ſiue exhortationibus diuinis, ne fortè pro verecundia aut ignauia, ſiue obliuione aliquid putridum in corde remaneat, per quod iterum diabolus eum ad vomitum peccati reducat. Conſideret etiam ſexum, ætatem, conditionem, ſtatum, perſonam, & ſecundum hoc vt ſibi viſum fuerit, ſingula quæque diiudicet, id eſt, aliquos à cibis abſtinendo, alios eleemoſynas dando,

nonnullos ſæpius flectendo genua, ſiue in cruce ſtando, aut aliquid aliud huiuſmodi quod ad animæ ſalutem pertinet. Non omnibus verò vna eadémque diſcretio ſit, vnicuique horum, hoc eſt, inter diuitem & pauperem, liberum & ſeruum, inter infantem & puerum, iuuenem & adoleſcentem, ætate ſenem, hebetem & ſtultum, ſcientem & ignarum, laicum & clericum, monachum & Epiſcopum, presbyterum & diaconum, ſubdiaconum & lectorem, in gradu, in coniugio vel ſine coniugio, inter virginem & feminam, inter canonicam & ſanctimonialem, inter debiles & infirmos, inter ſanos & ægros. De qualitate etiam peccatorum hominũ, inter continentem & incontinẽtem, vtrum voluntate vel caſu, vel in abſcondito: quali compunctione emendet, neceſſitate & voluntate, loca & tempora diſcernat. Attendat etiam ſacerdos vt ſalui ſint omnes, & non puſillanimes, quia potentes potenter tormenta patientur. Item Ieſus filius Sirach: *In iudicando eſto miſericors, pupillis vt pater, & pro viro matri illorum.* Et Iacobus: *Iudicium ſine miſericordia erit illi, qui non fecit miſericordiam.* Superexaltat autem miſericordia iudicium, vt idem conſequatur, vt S. Benedictus: Qui veram pœnitentiam faciunt, agant in ieiunio & fletu, in eleemoſynis & orationibus, & perpetrata iterum non faciant; & ſi faciant, tamen non perſeuerent in eis, quia Dominus dixit: *Malum cogitaſtis, ignoui: malum dixiſtis, ignoui: malum feciſtis, ignoui: perſeuerare in malo non ignoſco* Ergo qui perſeuerant in malo, non ignoſcet, & ſic iudica iuſtum iudicium ſecundum canones, vt alij timorẽ habeant. Neque hoc omittendum eſt, quia propter iſta peccata affligimur flagellis temporalibus: inde ſuſcitantur bella, incurſiones paganorum, captiuitates, peſtilentiæ, fames, ægritudines, mortalitates hominum atq; animalium, morbi, incommoditates, aëris ſiccitates, inundationes, pluuiarum tempeſtates, tonitrua atque fulgura noxia, inclementia frigoris, vehementia ardoris, reges iniqui, potentes ſeu iudices peſſimi, beſtiæ nocuæ, & horum ſimilia. Propter iſta etiam emendanda, promulgantur leges, decernunt iuſta, proponunt ſupplicia, vincula, torturas, flagella, exilia, amputationes membrorum, amiſſiones rerum, mortes diuerſi generis, & auferri nequeũt de mundo. Fit etiam Eccleſiaſticus vigor, correptio, excommunicatio, de Eccleſia excluſio, leges pœnitentiæ, anathematizatio: conſtituuntur iudices, inſiſtunt officia, mittuntur vltores vt hæc corrigantur, & auferri non poſſunt de Eccleſia. His verò peccatis ſemper manentibus, heu proh dolor! tam ſecuri pergimus ad tenebras exteriores, quaſi ibi nobis cubicula extruantur, deliciæ præparentur, miniſtri procurentur, theſauri congerantur, ornamenta multiplicentur, cùm Scriptura dicat: *Quodcunque poteſt manus tua facere, inſtanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec ſapientia erit apud inferos, quò tu properas.* Contra iſta omnia ſuſcipiendum eſt bellum, & acriter gerendum, ne ad damnabilia peccata perducamur. Poſt iſta omnia ſcrutata & pœnitentem corroboratũ, interrogat eum ſacerdos, dicens: *Credis in Deum Patrem & Filium & Spiritum ſanctum?* Reſpondeat pœnitens, *Credo. Credis quia iſtæ tres perſonæ, quas modò dixi, Pater & Filius & Spiritus ſanctus, vnus Deus ſit?* Reſpondeat, *Credo. Credis quia in hac ipſa carne, in qua modò es, reſurgere habes, & recipere ſiue bonum ſiue malum prout geſſeris? Credo. Vis dimittere illis qui in te peccauerunt omnia, vt & tibi Deus dimittat peccata tua, ipſo dicente: Si non dimiſeritis hominibus peccata eorum, nec Pater veſter cæleſtis dimittet vobis peccata veſtra?* Si vult dimittere, ſuſcipias eius confeſſionem, & indices ei pœnitentiam: ſi non vult, non ſuſcipias eius confeſſionem. Volens verò dimittere omnia his qui in ſe peccauerunt, confiteatur omnia peccata ſua, quæ recordari poteſt. Præcauendum eſt tamen ſacerdoti de ſupradictis vitiis, vt ei exhortationis gratia ad memoriam reducat, ne quid aduerſante diabolo, occultum remaneat. Quo facto, fixis genibus in terram, & ſuper ipſa innixus ſtans, ſuppliciter tenſis manibus, blando ac flebili vultu reſpiciens ſacerdotem, dicat his verbis: Multa quidem & innumerabilia ſunt alia peccata mea, quæ recordari nequeo, in factis, in dictis & cogitationibus, pro quibus omnibus miſera mens mea compungitur, & acri interdum pœnitentia cruciatur, ideóque conſilium, immò iudicium tuum, qui ſequeſter ac medius inter Deum & peccatorem hominem ordinatus es, ſupplex deprecor, & vt pro eiſdem peccatis meis interceſſor exiſtas, humiliter imploro. Quo perdicto totum ſe in terram proſternat, gemitus atque ſuſpiria vel lachrymas, prout Deus dederit, ab intimo cordis producat. Sacerdos verò patiatur eum aliquantiſper iacere proſtratũ, iuxta quod viderit eum diuina inſpiratione compunctum. Deinde iubeat eum ſacerdos ſurgere, & cùm ſteterit ſuper pedes ſuos, cum tremore

& humilitate præſtoletur iudicium ſacerdotis, & indicat ei ſacerdos abſtinentiam ſiue obſeruantiam, perpendens ſubtiliter perſonæ qualitatem, modum culpæ, intentionem animi, & corporis valetudinem vel imbecillitatem. Percepta autem ſententia ſacerdotis, iterum proſternet ſe ſacerdotis pedibus, eius petens per ſe orationem fieri, vt ſuggerat ei diuina viſitatio virtutem conſtanter obſeruandi quæ illi iniuncta ſunt, & ita reuerenter ſacerdotis iudicio obtemperare, ac ſi ab ipſo diuinæ maieſtatis ore opportuna ſalutis ſuæ medicamenta ſuſcepiſſet. Quapropter oportet ad pœnitentiam accedere cum omni fiducia, & ex fide credere indubitanter, pœnitentia aboleri poſſe peccata, etiamſi in vltimo vitæ ſpiritu commiſſa pœniteat, & publica lamentatione peccata prodantur, quia non vult Deus mortem peccatoris, ſed vt ſaluatus miſeratione Dei viuat: nam ſecreta ſatisfactione ſolui mortalia crimina non negamus, quotidiana verò leuiáque peccata, ſine quibus hominis vita non ducitur, Dominica oratione purgantur, quorum eſt dicere: *Dimitte nobis, ſicut & nos dimittimus.* Nam ipſa eleemoſyna eſt, veniam homini pœnitenti ignoſcere. Vnde Dominus: *Date eleemoſynam, & omnia munda ſunt vobis.* Menſuram verò temporis in agenda pœnitentia, idcirco non ſatis attentè præfigunt Canones pro vnoquoque crimine, ſed magis in arbitrio antiſtitis relinquunt, quia apud Deum non tantùm valet mēſura temporis, quàm doloris: nec abſtinentia ciborum, quàm mortificatio vitiorum. Sed & hoc ſciendum eſt, vt cùm venerint ſerui vel ancillæ ad pœnitentiam, non eos cogatis tantùm ieiunare, quantùm diuites, quia non ſunt in ſua poteſtate: ideóque medietatem pœnitentiæ eis imponite. Poſt hæc verò dicat ſacerdos ſuper eum has orationes: *Exaudi Domine preces noſtras, & tibi confitentium parce peccatis.* Alia: *Præueniat hunc famulum tuum quæſumus Domine miſericordia tua.* Alia: *Adeſto Domine ſupplicationibus noſtris, nec ſit ab hoc famulo tuo.* Alia: *Domine Deus noſter, qui offenſione noſtra non vinceris.* Alia: *Adſis quæſumus Domine huic famulo tuo.* Alia: *Da quæſumus Domine huic famulo tuo.* Alia: *Precor Domine clementiam tuæ maieſtatis*, & reliqua. Quibus dictis iubeat ſacerdos pœnitentem ſurgere de terra: ſed & ipſe ſurgat de ſedili ſuo, & ſi loco vel tempori congruit, ingreſſi Eccleſiam, & ſuper genua vel cubitos vterque innixus, decantent Pſalmos: *Domine, ne*

A *in furore tuo*, II. *Benedic anima mea Dominum*, I. *Miſerere mei Deus. Deus in nomine tuo. Quid gloriaris?* Deinde, *Kyrie eleiſon. Pater noſter. Saluum fac ſeruum tuum. Illuſtra faciem tuam. Mitte eis Domine.* Oratio. *Deus, cuius indulgentia nemo non indiget.* Miſſa. Antiph. *De neceſſitatibus.* Orat. *Deus qui iuſtificas impium.* Epiſtola: *Lauamini, mundi.* Grad. *Saluum fac ſeruum.* Euangelium: *Duo homines.* Offertor. *Miſerere mihi Domine.* Super oblat. *Huius Domine virtute myſterij.* Com. *Deus propitius.* Ad Com- B plend. *Purificent nos Domine.* Eodem die fit collecta ad ſanctam Anaſtaſiam. Antiph. *Exaudi nos Domine quoniam benigna.* Pſalmus. *Saluum me fac Deus.* Interim ponendi ſunt cineres ſuper capita, ſicut Antiphona teſtatur. Oratio. *Concede nobis Domine.* Antiphona ad proceſſionem: *Iuxta veſtibulum.* Item: *Immutemur.* Alia: *Parce Domine.* His finitis, ſequitur Litania. Dehinc ſtatio ad S. Sabinam.

SAbbatum ante Palmas, ita prætitula- C tur in Sacramentario, Sabbatum vacat. Dominus Papa eleemoſynā dat. Cogitare oportet qualiter eadem die potiſſimùm eleemoſyna tradenda ſit. Vbi notandum quòd ea quæ colimus circa paſſionē Domini & reſurrectionem atque aſcenſionem in cælum, in commemorationem illarum rerum, quæ ſuo in tempore peracta ſunt, agimus: vt illud, *Quotieſcunque feceritis*, &c. Habemus opus præcedens eleemoſynæ præſentis Sabbati, quod imitemur, & ad memoriam noſtri reducamus. Cur D enim iſto die eleemoſyna ſpecialiùs ab Apoſtolico tribuatur, cum omni tempore danda ſit, Ioannes Euāgeliſta inquit: *Ante ſex dies Paſchæ venit Ieſus in Bethaniam in domum Simonis leproſi, ibique Lazarum quatriduanum reſuſcitauit, feceruntque ei cœnam ibi. Maria ergo accepit libram vnguenti, & vnxit pedes Domini.* Indignante pro hoc Iuda proditore, Ieſus in laudem mulieris ita reſpondit: *Opus bonum operata eſt in me: Vbicunque enim prædicatum fuerit*, & reliqua. Qui enim bene viuit, pedes Domini vn- E guento vngit. Vnguentum enim illud iuſtitia fuit, ideóque libra fuit. Qui ſuperflua dat pauperibus, pedes Domini capillis ſuis tergit. Domus impleta eſt odore vnguenti, & mundus repletus eſt fama bona mulieris. Vnde Apoſtolicus vir in memoriam deuotiſſimæ mulieris, membris Chriſti hodie facit, quod ipſa fecit capiti, & ideo à ſtatione publica vacat, non tamen à celebratione Miſſæ,

quia huic negotio inſiſtit. Et quia de hac A feria officium proprium non habetur, de eiſdem feriis repetitur, id eſt, de quarta feria: Antiphona: *Liberator meus*: Lectio Zachariæ Prophetæ: *Hæc dicit Dominus: Exulta ſatis filia Hieruſalem, ecce rex tuus veniet tibi iuſtus & ſaluator, ipſe pauper & aſcendens ſuper aſinam, & ſuper pullum filium aſinæ*, & reliqua. Euangelium ſecundum Lucam: *Cùm appropinquaſſet Ieſus, & veniſſent Betphage ad montem Oliueti.*

De Dominica in Palmis. Cap. XIIII.

B HEſterna die Dominus in Bethania in domo Simonis recubuit, hoc eſt, ſexto die ante paſſionem: hodie verò, quod eſt quinto die ante Paſcha, exiens de Bethania, miſit duos diſcipulos in Hieruſalem, dicens eis: *Ite in caſtellum quod contra vos eſt, & inuenietis aſinam & pullum: ſoluite & adducite mihi, qui ſoluentes adduxerunt ad Ieſum, & impoſuerunt veſtimenta ſua, & eum deſuper ſedere fecerunt. Cum autem audiſſet turba quæ venerat ad diem feſtum, quòd Ieſus pergeret Hieruſalem, acceperunt ramos palmarum, veneruntque ei obuiam, & clamabant: Oſanna, Benedictus qui venit*, & reliqua. De hac die ſciendum eſt, quòd diuerſis vocabulis diſtinguitur, id eſt, dies Palmarum, ſiue florum, ſiue ramorum: Oſanna, Paſcha petitum, ſiue competentium, & capita lauantium. Dies Palmarum ideò celebratur, quia in eo Dominus tendens Hieroſolymam, occurrit ei turba plurima, hinc inde clamando, *Oſanna*, quod interpretatur, *Saluifica*: ſiue, *Saluos nos fac.* Eſt enim D Hebræus ſermo, qui apud illos dicitur Oſianna. In ramis Palmarū ſignificatur victoria, qua erat Dominus mortem moriendo ſuperaturus, atque per trophæum crucis de diabolo mortis principe triumphaturus. In ramis arborum intelliguntur dicta Patrum, & exempla. Turba plurima ſignificat innumerabilem Martyrum exercitum, qui corpora ſua pro Domino tradiderunt. Veſtimenta Apoſtolorum opera ſunt iuſtitiæ. Vnde in Pſalmo: *Sacerdotes tui induantur iuſtitia.* In aſello quo ſe- E debat, indicabat ſimplicia corda gentilitatis, quam præſidendo atque regendo perducebat ad viſionem pacis æternæ. Paſcha petitum, ſiue competentium dicitur: quia hodie Symbolum Competentibus tradebatur, propter confinem Dominicæ Paſchæ ſolennitatem, vt qui iam ad Dei gratiam percipiendam feſtinant, fidem quam confitentur, cognoſcant: Competentes enim, quaſi ſimul petentes, dicuntur, id eſt, gratiam Chriſti petentes. Capita lauantium ideò hunc diem appellat vulgus, quia tunc mos eſt lauari capita infantium, qui vngendi ſunt Sabbato ſancto, ne fortè obſeruatione Quadrageſimæ ſordidati ad vnctionem accederent. Quanta verò reuerentia hæc conſuetudo à deuotiſſimis viris excolitur, libuit hîc parumper inſerere. Hodie præparatur quoddam portatorium honeſtiſſimè, in quo intromittitur ſanctum Euangelium, quod intelligitur Chriſtus, & ſtatuitur in Eccleſia ante aram, vnde clerus proceſſurus eſt. Deinde adunantur palmæ & flores, atque diuerſa genera frondium, ſeu oliuarum, ſuper quæ dicitur hæc oratio à ſacerdote: *Omnipotens ſempiterne Deus, qui antequam filium tuum Dominum noſtrum pro nobis mortem perpeti ſineres.* Sequitur benedictio palmarum ſiue frondium: *Omnipotens Deus Chriſte.* His finitis, dantur à cuſtodibus palmæ; accipientéque populo ramos arborum, oliuarum, ſiue florum, inchoatur C Antiphona: *Pueri Hebræorum.* Deinde ſuſcipiunt Diaconi ſuprà ſcriptum portatorium cum Euangelio, baiulantes cum ingenti exultatione iugum Chriſti ſuaue, & onus eius leue, præcedente aqua benedicta cum candelabris atque thymiamateriis cum aliis ornamentis. Inſuper etiam laicorum ſchola cum vexillis atque fanonibus à longè præeunte. Exeunte enim clero ſeu populo ab Eccleſia, inchoatur Antiphona: *Cùm appropinquaret Dominus.* Qua finita inchoat ſchola Antiph. *Cœperunt omnes.* Item, *Cùm audiſſent.* Item, *Appropinquante.* Cùm ingreſſi fuerint ciuitatem, vel cœnobium, dicitur Reſponſoriū, *Ingrediente Domino.* Item: *Collegerunt Pontifices. Vnus autem.* His finitis, ante atrium Eccleſiæ loco competenti ſubſiſtit ſchola cum baiulis & reliquo ornatu, & clerus ſeu populus expectant in loco atrij, inchoantes Antiph. *Occurrerunt.* Reſpondet ſchola cum angelis & pueris. Hac finita, inchoantur à duobus cantoribus quidam verſ. *Iſrael es tu rex.* Reſpondet chorus adſpiciens ſeu inclinans ſe ad ſuprаſcriptum ſanctum Euangelium, *Gloria, laus, & honor tibi ſit.* Eo ordine ſequuntur alij verſus. His finitis, incipit ſchola cum baiulis Antiph. *Pueri Hebræorum.* & tunc proſternit omnis plebs hinc inde frondes ſeu flores, decantantes Antiphon. *Oſanna filio Dauid*, vſque ad altare. Et ſic intrant ad Miſſas. Miniſtri verò tenent palmas in manibus vſque ad completionem Miſſæ.

Intermittunt aliqui ſalutationem in paſſione, id eſt, *Dominus vobiſcum*: quod non legitur in ordinibus, ſed in Paraſceue tantùm, vbi reticetur officium ſacerdotale. Ideò autem hęc hebdomada maior dicitur, quia in ea maxima eſt adhibenda parſimonia, ſiue quòd maius officium recolitur in ea.

De Feria IIII. Hebdomadæ maioris CAP. XV.

FEria quarta hebdomadæ maioris, hora tertia procedit Apoſtolicus cum omni clero ſeu populo ad Eccleſiam, & dicit orationes ſolennes, ſicut in ſexta feria. His expletis, oſculato altari, egreditur. Preſbyteri verò Eccleſiarũ, tam vrbani, quàm ſuburbani, reuertuntur ad titulos ſuos, vt hoc ordine feria ſexta compleant, hoc ſcientes, vt quod Pontifex pro ſe intermittit, ibi illum commemorent. Poſteà verò hora octaua ingrędiuntur ad Miſſas more ſolito. Ideò hæ orationes hodiè celebrantur, quia in hac feria quarta conſilium fecerunt Iudæi vt occiderent Dominum. Vnde nos ad memoriam reducere debemus crudele conſilium Iudæorum, & mãſuetudinem Chriſti, vt contra omnem iniuriam armemus nos armis orationis & patientiæ, ſicut ipſe fecit, dicens: *Pater, ignoſce illis.* Sequitur manifeſta definitio, cur primum reſponſorium vnum habeat verſum: ſecundum, quinque. Primus homo Adam duas mortes paſſus eſt. In prima lectione, & primo reſponſorio mors animæ: In ſecunda & ſecundo mors corporis ſignata eſt. Caro namq; Saluatoris, pro ſalute corporis: ſanguis verò pro anima noſtra effuſus eſt: & quia omnis homo vnam habet animam, idcircò primum reſponſorium vnus ſequitur verſus. Reſpõſorium ſecundum quinque verſus habens, quinque corporis ſenſus ſignificat in Adam mortuos, quos Chriſtus moriendo & reſurgẽdo reuiuificauit, & priſtino reddidit ſtatui. Paſſio quæ legitur, oſtendit Iudæorum conſilium præualuiſſe ad tempus, & in manſuetudine Chriſtum perſeueraſſe. Quòd autem ſine ſalutatione pronunciatur, quod Dominica non agitur die, ſignificat Iudæorum prauum conuentum contra Chriſtum conſpiraſſe, & diſcipulorum ſilentium propter triſtitiam paſſionis illius, quæ feria ſexta vſque ſeruata eſt, qua die, primus homo conditus eſt & redemptus. Per tres continuos qui ſequuntur dies, id eſt, quinta, ſexta & ſeptima feria, triduanam ſepulturam Domini celebramus. Ac per hoc, vt compaginemur humilitati ſepulturæ eius, omittimus excelſa noſtra, id eſt, *Gloria patri,* & campanas, id eſt, ſigna.

De Feria V. Cœnæ Domini. CAP. XVI.

IN hac ſacra feſtiuitatę diuerſa geſta sũt, & geruntur. Surgendum eſt enim ad vigilias, hora noctis octaua, & tunc omni lumine decoratur Eccleſia. Ab hac nocte vſque in ſabbatum ſanctum, non dicitur, *Deus in adiutorium* more ſolito, neque *Gloria patri* in pſalmis, neque in reſponſoriis, ſed neque in vllo loco. Cantor verò mox inchoat Antiph. ſicut in Antiphonario continetur. Lector verò non petat benedictionem, neque à ſacerdote compleatur: ſed ex verbis lectionis iubetur finem facere, aut certè exterminationem. Lectiones primæ de Lamentationibus Ieremiæ, ſecundæ de tractatu Pſalmi: *Exaudi Deus orationẽ meam cùm deprecor.* Tertiæ de Apoſtolo: *Conuentibus vobis in vnum.* In Paraſceue verò, & in Sabbato ſancto de ſupradictis Lamentationibus, & tractatu Auguſtini in eodem Pſalmo, nouiſſimè de epiſtola Pauli, Feſtinemus ingredi in illam. Per has nouem lectiones ſeu pſalmos ac reſponſoria, qui recoluntur in his tribus noctibus, inſinuatur, quòd Dominus deſcendens ad infernum, inde tria hominũ genera rapuit, & tranſuexit ad cælos. Ad ſocietatem videlicet nouem ordinum angelorum, ſicuti eſt: *Duo in lecto, duæ molentes, duo in agro.* Accendũtur enim in hac nocte lumina vigintiquatuor, & extinguũtur per ſingulas lectiones & reſponſoria. Quæ fiunt ſeptuaginta duo illuminationes & extinctiones: Tot enim horis iacuit Dominus in ſepulchro. Lumen & cantus, gaudium & lætitiam ſignificat: Extinctio luminum, defectum ſeptuaginta duorum diſcipulorum, ſiue mœſtitiã Apoſtolorũ, quam pertulerunt per ſeptuaginta duas horas, quæ conſecratæ ſunt Chriſti ſepulturæ. Hoc enim ordine per ſingulas noctes extinguuntur. In initio primi Pſalmi, eſt cuſtos paratus cum canna in loco dexteræ partis Eccleſiæ, & mox vt primam Antiphonam audierit, extinguit primam lucernam. In fine verò ſequentis Pſalmi ex parte ſiniſtra, tutat aliam in medio* tertiam. Hoc ordine de aliis proſequitur. His omnibus extinctis, ſimili modo in matutinis per ſingulas Antiphonas extinguũtur. Dicto etiam verſu ante Euangelium, ſubtrahitur media, & reſeruatur vſque in Sab-

* triũ.

batum ſanctum. His finitis, vadunt per o- A
ratoria, pſalmos canendo cum Antiph. O-
mittitur etiam *Gloria patri*, &c. vbi gloria
recolitur ſanctæ Trinitatis. Quia vna eſt
perſona filij Dei, & filij hominis, qui pati
venerat, conformat ſe ſancta Eccleſia ca-
piti ſuo, & de glorificatione eius reticet,
vſquedùm exaltetur per triumphum vi-
ctoriæ. Quia ordo Prædicatorum tempo-
pore paſſionis ſiluit, reticetur ſonus ſigno-
rum atque campanarum. Pro hoc enim
humilior ſonus lignorum ad congregan-
dum populum aſſumitur. A pacis oſculo B
ſine ſalutatione abſtinetur, non quòd ma-
lum ſit, vbi ex charitate profertur: ſed ad
vitandam ſalutationem peſtiferam, qua-
lem Iudas proditor exercuit, vt demon-
ſtretur, quam iniuriam paſſus eſt Chriſtus
à ſuo diſcipulo, & nos vitemus eadem ra-
tione iniuriam fratribus facere. Signo e-
nim doloſo traditus eſt Dominus. Inuita-
torium non cantatur, vt ſciamus malum
conuentum vitare, qualis fuit apud Iudæ-
os de nece Chriſti. Sacerdotale officium
Deo his diebus non agitur, quia percuſſus C
eſt paſtor, qui eſt Chriſtus, & arietes gre-
gis diſſipati ſunt. Iſto die pœnitentes ad
remiſſionem peccatorum redeunt, iuxta
decreta Innocentij Papæ, qui dicit: De pœ-
nitentibus autem qui ſiue ex grauioribus
commiſſis, ſiue ex leuioribus pœnitentiam
gerunt, ſi nulla interueniat ægritudo, Fe-
ria quinta ante Paſcha eis remittendum
Rom. Eccleſiæ conſuetudo demonſtrat.
Poſt hæc egreditur pœnitens manè de lo-
co, vbi pœnitentiam geſſit, & in gremio
Eccleſiæ præſentatur, proſtrato omni cor- D
pore in terra, tunc decantantur hi Pſalmi,
Miſerere mei Deus, cum antiph. *Cor mundũ*,
deinde *Kyrie eleiſon*, & *Pater noſter*, & Capi-
tul. & Preces: *Saluum fac ſeruum tuum Domi-
ne. Conuertere Domine. Mittat tibi Dominus: Il-
luſtra faciem tuam. Domine vide humilitatem.
Exaudi me Domine, quoniam benigna eſt miſeri-
cordia tua.* Orat. *Adeſto Domine ſupplicationi-
bus noſtris, & me, qui etiam miſericordia tua
primus indigeo*, & reliq. Alia oratio: *Præſta,
quæſumus, Domine, huic famulo tuo dignum pœ-
nitentiæ fructum.* Alia: *Deus humani generis be-* E
*nigniſſime conditor, & miſericordiſſime reforma-
tor.* Alia: *Deus, ſub cuius oculo omne cor trepidat,
omnéſque conſcientiæ contremiſcunt*, & reliqua.
Poſt hoc verò admoneatur à ſacerdote, vt
quod pœnitendo diluit, iterando non re-
petat. Miſſa, vnde ſupra. Antiphona: *Ego
autem in Domino ſperaui. Omnipotens ſempiter-
ne Deus confitẽtibus huic famulo.* Epiſtola: *Quæ-
rite Dominum dum inueniri poteſt.* Grad. *De ne-
ceſſitatibus.* Euangelium: *Subleuatis Ieſus ocu-
lis in cœlum.* Offertor. *Factus eſt Dominus fir-
mament.* Secret. *Virtutum cæleſtium Deus, de
cuius gratiæ rore deſcendit.* Coll. *Illumina faci-
em tuam.* Orat. ad complend. *Concede quæſu-
mus Domine, vt perceptum noui ſacramenti my-
ſterium.* Eodem die altaria templi & parie-
tes ſiue pauimenta Eccleſiæ lauantur, &
vaſa Domino ſacrata purificantur. Quam-
uis ornatui poſſit congruere lauatio eo-
rum, tamen non deeſt aliquid myſticum.
Parietes domus vocabulum habent Ec-
cleſiæ, quia continent Eccleſiam, non ta-
men ſunt ipſi Eccleſia. Ac per hoc quia
Eccleſia conuocatio interpretatur, homi-
nes ſunt Eccleſia, non parietes domus. Qui
tamen propterea ſanctificantur ab Epiſco-
po, vt in eis inuitetur aduentus angelorũ,
& homines in ea intrantes ab omni turpi-
loquio & ſcurrilitate, & exili etiam cogi-
tatione, nouerint ſe continere, vt audiant
quod Moyſes audiuit, quando voluit vi-
dere rubum ardentem: *Solue calceamentum
de pedibus tuis: locus enim in quo ſtas, terra ſan-
cta eſt.* Calceamenta quæ ex mortuis ani-
malibus fiunt, veteris hominis peccata ſi-
gnificant: intrantes nos in loca ſancta, vbi
Dominus eſt & angeli eius, exuamus nos
his calceamentis, & ea quæ ſunt Domini
cogitemus. Pauimentum Eccleſiæ, audi-
tores magiſtrorum ſunt. Lauatio domus,
quæ nuncupatiuè Eccleſia dicitur, ſignum
eſt lauationis pedum fratrum. Lauatio pe-
dum fratrum, ſignum eſt remiſſionis pec-
catorum, ſiue quando à Domino remit-
tuntur, ſeu inuicem à nobis ipſis. Hodiè,
chriſma conficitur vel conſecratur. Vnde
Chriſtus, id eſt, vnctus, à chriſmate appel-
latur. Vnguentum iſtud Moyſes primùm
in Exodo iubẽte Domino compoſuit, quo
primi Aaron & filij eius in teſtimoniũ ſa-
cerdotij & ſanctitatis perũcti ſunt. Dein-
de quoque reges eodem chriſmate ſacra-
bantur. Vnde & Chriſti nuncupantur, vt
illud: *Nolite tangere Chriſtos meos.* Erátque
eo tempore tantùm in regibus & ſacerdo-
tibus myſtica vnctio. Sed poſtquàm Do-
minus noſter verus rex & ſacerdos æter-
nus à Deo patre cœleſti hoc myſtico eſt
delibutus vnguento, iam non ſoli Reges
& Pontifices, ſed omnis Eccleſia vnctione
chriſmatis conſecratur, pro eo quòd mem-
brum eſt æterni regis & ſacerdotis. Confi-
citur enim ex oleo mundiſſimo & optimo
balſamo. Quia genus regale & ſacerdota-
le ſumus, ideò poſt lauacrum vngimur, vt
Chriſti nomine cenſeamur. Chriſmalis e-
nim vnctio ſanctificat iam viuẽtes ex mor-

tuis. Et ideò feria quinta conficitur, quia
quinta ætate mundi ad nos Chriſtus veniſ-
ſe perhibetur, ſiue quòd ante biduum Paſ-
chæ Maria caput ac pedes Domini perun-
xit. Benedicitur oleum infirmorum, quia
paſſio Chriſti auctorem mortis deſtruxit:
gratia eius quę ſignificatur per olei vnctio-
nem, arma eius quæ ſunt peccata quotidia-
na, deſtruxit, Iacobo atteſtante: Oratio
fidei ſaluabit infirmum: & ſi in peccatis ſit,
dimittentur ei, cuius ſignum eſt olei vn-
ctio. Eadem die, hora nona ſcilicet, quan-
do dies ſunt longiores, ſeu hora quinta,
quando breuiores, excutitur ignis de la-
pide in loco foris baſilicam, & illuminatur
candela. De quo igne nouo illuminatur à
manſionario Eccleſiæ lampas vna, & ſer-
uatur vſque in Sabbatum ſanctum ad illu-
minandum cereum, qui eodem die eſt be-
nedicendus. De quo in Sabbato ſancto di-
cendum eſt. Supraſcriptam verò candelam
illuminatam ponit manſionarius in ſum-
mitate cannæ, ita vt reſpiciat Eccleſiam
quam ſunt ingreſſuri, proſequente eum
populo cum ſummo ſilentio atque incli-
natione: ipſa verò Eccleſia abſque lumine
erit. Cuſtodes autem lampades ſeptem an-
te altare ità præparatas habeant, vt abſque
vllo impedimẽto cuiuſcunque retardatio-
nis manu manſionarij, cum eadem cande-
la poſſint accendi. Deinceps verò à cuſto-
dibus omni lumine decoretur Eccleſia, &
ſicut iſto die taxauimus, ità & feria ſexta
atque Sabbato. Eo ordine, vt à manſiona-
rio feria quinta portetur, ſexta feria ab Ar-
chidiacono, Sabbato ab Epiſcopo iuniore.
In cœnobiis verò feria quinta à cuſtode
Eccleſiæ, feria ſexta à Præpoſito, Sabbato
ab Abbate. Poſt illuminationem verò Ec-
cleſiæ inchoatur ad Miſſam Antiphona:
Nos autem gloriari. Interim egredietur Pon-
tifex de ſacrario cum diaconibus Dalmati-
cis, & ſeptem cereoſtratis ante eum, ſicut
in die ſolemni, cum omni ſcilicet ornatu.
Dum tranſierit per medium ſcholæ, annu-
at illi vt dicat *Gloriam.* Antequàm verò a-
ſcendat ad altare, dat pacem priori Epiſco-
po, & priori presbytero, deinde diaconi-
bus: veniénſque ante altare inclinat ſe ad
orationem, proſtratus in terra vſque ad
verſum repetendum. Quo finito, dicitur
Kyrie eleiſon. Deinde, *Dominus vobiſcum*, &
peragitur Miſſa. Ipſo die ita cõficitur chriſ-
ma: in vltimo ad Miſſam antequàm dica-
tur, *Per quem hæc omnia Domine ſemper bona
creas*, leuatur de ampullis, quas offerunt
populi, & benedicit tam Dominus Papa,
quàm omnes presbyteri: deinde ſequitur

A exorciſmus olei. His explctis, ſequitur o-
ratio Dominica. *Libera nos quæſumus Domi-
ne. Pax Domini*, & *Agnus Dei*, & cõmunicat
Pontifex ſolus, & redit ad ſedem ſuam, &
ſequitur ad Commem. *Dominus Ieſus poſt-
quam cœnauit.* Pſalmus: *Beati immaculati*, ad
repetendum, quantum neceſsè erit. Inte-
rim communicat clerus, ſeu omnis popu-
lus. Sequitur ad Compl. oratio: Hac ex-
pleta, dicit Diaconus: *Ite, Miſſa eſt.* Cui
ſubſequuntur Veſperę, vt in Antiphonario
continetur. De eodem verò die legitur in
B ordinibus, quòd reſeruandum ſit de cor-
pore Domini ad communicandum in cra-
ſtinum. Auguſtinus ad Ianuarium: Sunt
qui quotidie Euchariſtiam volunt ſumere;
& quia in Paraſceue non cõficitur corpus
Domini, neceſsè eſt vt hi, quibus eſt vo-
luntas communicandi, habeant ſacrificiũ
ex priori die, quod tamen Romani non fa-
ciunt. In iſto enim die conſumitur agnus
typicus, cõſummatúrque modus commu-
nicationis, & illud vetus ſacramentum per
calicem, quẽ porrexit diſcipulis ſuis, Deo
C gratias agendo, quod vetera tranſitura, &
ventura noua quæ debemus expectare vſ-
que in reſurrectionem Domini. Dixit e-
nim Dominus: *Non bibam de hoc genimine
vitis, vſque in diem illum*, & reliqua. Dehinc
tranſitur ad conuiuium, ex quo cœna Do-
mini vocatur. Cœna enim Dominica dici-
tur, eo quòd ipſe Dominus cum diſcipulis
ſuis Paſcha fecerit. Hoc autem ordine fa-
ctum eſt: Circa veſperam verò cœna facta,
id eſt, parata & ad conuiuantium menſam
vſque perducta, non tranſacta, neque fi-
D nita, ſurgit Ieſus à cœna, & ponit veſti-
menta ſua: & cùm accepiſſet linteum, præ-
cinxit ſe, deinde miſit aquam in peluim:
veniénſque primùm ad Petrum, cœpit la-
uare pedes eius, & extergere linteo quo e-
rat præcinctus, & diſcipulorum. Cui dixit
Petrus: *Domine, tu mihi lauas pedes?* & Domi-
nus ait: *Quod ego facio, tu neſcis modò: ſcies au-
tem poſteà*, & reliqua, Poſtquàm autem la-
uit pedes, recubuit iterum. Non eſt hìc in-
telligendum, conſumptam cœnam atque
tranſactam: adhuc enim cœnabatur cùm
E Dominus ſurrexit, & lauit pedes eorum.
Nam poſteà recubuit, & buccellam ſuo
traditori poſtea dedit: erat enim iam nox,
vtique nondum finita cœna, hoc eſt, dum
adhuc panis in menſa eſſet. Et poſt pauca
ait diſcipulis: Si ego laui veſtros pedes. Vſ-
que, & vos ita faciatis. Aliqui enim viri re-
ligioſi ſumunt priùs parùm, & poſteà la-
uant pedes, deinde cœnant. Hoc imbuti
exemplo fideles Chriſtiani, non dedignã-

tur facere conſeruis ſuis, quod Chriſtus fecit diſcipulis. Hoc eſt, pedes omnium lauare, tam pauperum quàm peregrinorum, & aliquid de copiis ſuis tribuere: & qui hoc non valet, debitum ſibi proximis relaxet, quatenus illi remittatur in cœlo. Ipſe enim nobis quotidiè lauat pedes, qui interpellat pro nobis. Ipſum enim ſignum lauatio pauimentorum Eccleſiæ. In lauatione pedum decantantur hæ Antiphonę: *Poſtquàm ſurrexit Dominus. Si ego Dominus. Dominus Ieſus mandatum nouum. In hoc cognoſcent omnes. Diligamus nos inuicem. In diebus illis. Ante diem feſtum Paſchæ. Charitas.* His finitis, mudantur altaria iam circa noctem, & ſic permanent vſquè ad Sabbatum ſanctum. Altare Chriſtum ſignificat, qui tunc nudatus eſt à veſtimentis, hoc eſt, à diſcipulis, quando relicto eo omnes fugerunt. In hac enim nocte Chriſtus veteri legi finem dat, quæ non ſoluebat peccata, ſed puniebat: dat initium noui teſtamenti, per quod peccata abſoluuntur. Ab hac enim nocte vſque Sabbatum, nonnulli ſerui Dei imitantes Apoſtolos, ieiuni permanent: aliqui verò contenti ſunt pane tantùm & herbis, atque leguminibus ſeu ſicera.

De Feria ſexta, quæ eſt Paraſceue.
CAP. XVIII.

PAraſceue pręparatio interpretatur, quę & ſexta Sabbati dicitur. In hoc enim die præparabant Iudæi ea, quæ in Sabbato erant neceſſaria, iuxta quod de manna præceptum eſt: Sexta die colligetis duplum. & ideò in ſolennitate habetur, quia eo die Chriſtus myſterium crucis expleuit, propter quod in hunc mundum venerat, vt qui ligno percuſſi fueramus in Adam, rurſum per ligni myſterium ſanaremur. Huius enim cauſa triumphi humana poſſibilitas Chriſto per omnem mundum celebritatem annuam præbet, pro eo quòd dignatus eſt ſanguine paſſionis ſuæ redimere peccatum mundi, & per crucem morte deuicta abſoluere. Tripartita autem ratio Dominicæ paſſionis oſtenditur. Prima, vt Chriſtus pro reatu mundi redemptio daretur, & hoſtis antiquus velut hamo crucis caperetur, ſcilicet vt quos abſorbuerat, euomeret, non potentia victus, ſed iuſtitia. Secunda cauſa eſt, vt ſecutoribus hominibus vitæ magiſterium præberet: ad hoc enim aſcendit in crucem, vt nobis paſſionis & reſurrectionis præberet exemplum. Tertia cauſa eſt ſuſceptæ crucis, vt ſuperbia ſeculi & inflata ſapientia, per crucis ſtultam, vt putatur, prædicationem humi-

A liata corrueret, vt pateret, quòd ſtultum Dei eſt, quanto ſit ſapientius hominibus. Sed adhuc videndum eſt, quare Dominus tale genus mortis elegerit. Legimus enim in Euangelio, quòd Phariſæi voluerunt eum pręcipitare de monte: At ille tranſiens, per medium illorum ibat. Alibi quoque legimus, quòd Iudæi lapides tulerunt, vt iacerent in eum: ipſe verò abſcondit ſe, & exiuit de templo. Quare Dominus noluit præcipitari aut lapidari, vel in gladio trūcari? vtique cauſa noſtræ ſalutis hoc fecit. B Mors enim Chriſti, ſignum eſt noſtræ ſalutis. Noluit ergo lapidari, aut in gladio truncari, quòd videlicet nos ſemper nobiſcum lapides aut ferrum ferre nō poſſumus, quibus defēdamur. Elegit verò crucem, quę leui manus motu exprimitur, qua & contra inimici verſutias munimur. Hoc enim ſigno Crucis conſecratur corpus Dominicum, ſanctificatur fons baptiſmatis, initiantur presbyteri, & cæteri gradus Eccleſiaſtici, & omnia quæcunque ſanctificātur, hoc ſigno Dominicæ crucis cum in- C uocatione Chriſti nominis conſecrantur. Nam ipſa Crux magnum in ſe myſterium continet, cuius poſitio talis eſt, vt ſuperior pars cælos petat, inferior terræ inhæreat: fixa, infernorum ima contingat: latitudo autem eius, partes mundi appetat. Quia & Chriſtus per paſſionem crucis angelis profuit in cælo, quorum numerus qui per apoſtatā angelum imminutus fuerat, ex animabus fidelium quotidie adimpletur: & nobis qui ſumus in terra, & illis qui propter originale peccatum detinebā- D tur apud inferos: ſed & ipſis, qui in diuerſis mundi partibus habitabant. Ipſe eſt enim rex cæleſtium, terreſtrium & infernorum, vt omnis lingua cōfiteatur, quod Dominus Ieſus Chriſtus in gloria eſt Dei patris. Iacens verò crux, quatuor mundi partes appetit, Orientem videlicet & Occidentem, Aquilonem & Meridiem, quia & Chriſtus per paſſionem ſuam omnes gentes ad ſe trahit: & omnia ſibi ſubiugauit, iuxta quod ipſe ſurgens à mortuis, dicit: Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo E & in terra. Cur autem hodiè Miſſa non cantatur, ſed neque in Sabbato ſancto, donec ad vigilias noctis, ſanctus Innocentius Papa in Decretalibus dicit: Iſto biduo ſacramenta penitus non celebrari, quia percuſſus eſt paſtor, & oues eius gregis diſſipatæ ſunt, ſeu quòd Apoſtolos, quos imitari debemus, iſto biduo in triſtitia & mœrore fuiſſe, & ieiunos vſque in reſurrectionem permanſiſſe cre-

dimus. In die Paraſceue ideò non cantatur, quia ipſa die Ieſus Chriſtus ſeipſum hoſtiam obtulit Deo Patri pro nobis, & ipſa oblatio ſufficit ad ſalutem credentiũ. In ipſo autem die hora quinta deportatur lumen, vt ſuprà ab Archidiacono ſeu præpoſito, & illuminantur lampades ſeptem: Pontifex autem ſeu clerus atque populus procedunt ad Eccleſiam. Interim verò egreditur Archidiaconus cum aliis diaconibus de ſacrario, induti ſcilicet planetis fuſcis, & duo cereoſtrata ante ipſos cum cereis accenſis procedentes vſq; ad altare, cum ſilentio, & oratione completa, atque oſculato altari, vadunt ad ſedem Pontificis more ſolito: deinde annuit Archidiaconus ſubdiacono, vt legatur lectio prima. Sequitur reſpõſorium, *Domine audiui.* Iſtud reſponſorium cum IIII. verſibus ſignificat Chriſtum, qui IIII. elementa in effigie hominis aſſumpſit. Illa pendebant in cruce inter duo animalia, hoc eſt, inter duos latrones. Sequitur altera lectio, deinde more Romano ſequitur tractus, *Qui habitat.* Iſte tractus trahit nos ad longitudinem vitæ æternæ. In qua ſalutare Dei, hoc eſt Chriſtum, quem nefandiſſimi Iudæi in cruce poſitum hodie viderunt, & nos credimus viſuros facie ad faciem in æternitate ſua. Canunt hîc aliqui tractum nuperrimè compilatum: *Eripe me Domine ab homine, &c.* ſequitur abſque ſalutatione Paſſio Domini noſtri. Hac expleta, ſtatim duo diaconi nudant altare ſindone, quæ priùs fuerat ſub Euangelio poſita, in modum furantis. Aliqui verò antequàm legatur Paſſio, præparant ſindones duas ſibi inuicem parumper cohærentes, & in eo verſu vbi legitur: *Partiti ſunt veſtimenta mea ſibi,* ſcindunt hincindè ipſas ſindones deſuper altari in modum furantis, & ſecum auferunt. Quia altare Chriſtum ſignificat, & Apoſtolos veſtimenta ipſius, conuenit vt ſubtus Euangelium aliquid iaceat ob honeſtatem, quo ſublato, raditur quod ſubiectum fuit: quia dedito Chriſto inter manus iniquorum, Apoſtoli fugerunt. Per ſindonem verò poteſt intelligi Ioannes, qui perſeuerauit cum Domino vſque ad crucem, & poſteà ſe occuluit. Quòd verò ipſo die pannus ſcinditur, hoc portendere videtur, quod pictura in parietibus expreſſa, videlicet, vt ſemper recolamus Dominum pro nobis paſſum, & veſtimenta eius fuiſſe diuiſa. Tenebræ luminum ideò extinctione figurantur; quia tunc vera lux mundi occubuit, & tenebrę totum mundũ operuerunt. Notandum eſt enim, quia in

A Romana Eccleſia extinguitur totus ignis in ſexta feria, & reaccenditur: in hoc facto imitamur ignis fotus, & conſeruatus per congeſta lignorum, principalem ignem i. ſolem corporeum, qui ab humanis obtutibus ſe abſcõdit tempore paſſionis à ſexta hora vſque ad nonam, ne ſuo lumine fruerentur, qui malè gaudebant de ignominia Domini ſui: Hac cauſa extinguitur in vj. feria, vj. hora, & renouatur circa horam nonam, inter quę conuenit, vt his horis hæc recolantur, quibus tunc geſta ſunt.

B Mox ſequũtur orationes ſolennes ad Hieruſalem. Solennes dicuntur, quia ab omnibus ſolenniter debent celebrari. Fit in eis mẽtio omnium fidelium & infidelium. Nec ab re eſt, quòd pendente Domino in cruce, & Iudæis illi inſultantibus, pro ipſis orauerit. Ex hoc & nos ad memoriam reducamus, quòd quando aliquid moleſtè patimur, aut ab inimicis perſequimur, ad orationem illicò confugere debeamus. Pro periculis huius vitæ, & pro hæreticis & paganis, & per omnes alias orationes genu flectimus, vt per hunc habitum corporis, mentis humilitatem attendamus,

C excepto quando pro perfidis Iudæis oramus: illi enim genu flectebant Domino opus bonum malè operantes, quia illudendo hæc faciebant. Nos ad demonſtrãdum, quia fugere debeamus opera quę ſimulando fiunt, vitamus genu flexionem pro Iudæis. Denique Pontifex veniens ante altare, ſiue (vt in alio ordine legitur) tranſiens in dexteram partẽ Eccleſiæ infra thronum, dicit: *Oremus,* & diaconus: *Flectamus genua.* Item diaconus: *Leuate,* & Pontifex dat orationem, ſicut in Sacramentario cõ-

D tinetur. His finitis, omnes exeunt foras, Apoſtolico hoc agente, nos hora nona inchoamus. Circa veſperum verò in omnibus Eccleſiis presbyterorum ſeu Epiſcoporum, atque cœnobiorum præparatur crux ante altare, & ſuſtentatur hincindè à duobus acolytis, poſito ante eam orario, venit Pontifex ſolus, & adoratam deoſculatur crucem. Deinde presbyteri & diaconi & cæteri per ordinem, deinde populus. Pontifex verò ſedet in ſede donec omnes ſalutent. Presbyteri verò duo priores, ſa-

E lutata cruce, intrant in ſacrarium, & deferunt corpus Domini quod pridiè remanſit, ponentes illud in patena, & ſubdiaconus tenet ante ipſos calicem cum vino nõ conſecrato, & alter ſubdiaconus patenam cum ſupradicto corpore Domini, à quibus accipiunt presbyteri patenam & calicem, & ponunt ſuper altare nudatum: Pontifex

verò ſedet dum ſalutat populus crucem. A Salutante enim priùs Pontifice ſeu populo, cantatur Antiph. *Ecce lignũ crucis.* Pſalm. *Beati immaculati.* Item, *Crucem tuam adoramus, &c.* Pſalm. *Deus miſereatur.* Alia: *Dum fabricator.* Quãdo hanc crucem adoramus, omne corpus noſtrum hæreat terræ, & ipſum quem adoramus, quaſi pendentem in ea mẽte cernamus, virtutémque quam accepit ex Dei filio, ipſam adoramus. Proſternimur corpore ante crucem, mente ante Dominum: veneramur crucem, per quam redempti ſumus, & illum deprecamur, qui redemit. B Qui verò non poſſunt habere de ligno Domini, ſalua fide adorãt illam quam habent, de quibus venerationibus quæ conueniunt, per ſingulas orationes ſuperiores, B. Ioannes Chryſoſtomus inter cætera ſic dicit. Crux Eccleſiæ fundamentum, atque orbis terræ cautela. Crux annuntiatio Apoſtolorum, gloriatio martyrum, ſpes Chriſtianorum. Crux gaudium ſacerdotum, virginum caſtitas, monachorum abſtinentia. Crux imperatorum philoſophia, & regum magnificen- C tia, & deſtructio ſuperborum. Crux ægrotantium medicus, nauigantium gubernatio, atque periclitantium portus. Crux inſenſatorum ſapientia, atque libertas ſeruorum. Crux ſcandalum Iudæorum, atque perditio impiorum. Crux templorum deſtructio & repulſio idolorum. Qua ſalutata, & repoſita in loco ſuo, venit Pontifex ante altare, & dicit: *Præceptis ſalutaribus moniti. Pater noſter. Libera nos quæſumus Domine.* Cùm verò dixerint, *Amen*, ſumit de pane ſancto, & ponit in calicẽ ſilendo. D *Pax Domini* non dicit, quia non ſequuntur oſcula circunſtantium. Sanctificatur autẽ vinum non cõſecratum per ſanctificatum panem. Tunc communicant omnes cum ſilentio, & expleta ſunt vniuerſa. De hac autem communicatione vtrum debeat fieri, ſuprà relatum eſt. Denique petente hodie corpus Domini Ioſeph ſerò, & adſpicientibus mulieribus vſque ſepulto, reuertentes emerunt aromata & vnguenta, & Sabbato ſequenti propter mandatum ſiluerunt, parantéſq; aromata, manè vt vn- E gerent corpus Domini, venerunt.

Quæſtio, quare dicatur Dominus tribus diebus & tribus noctibus fuiſſe in corde terræ, cùm, ſicut Euangeliſta refert, Paraſceue hora ſexta ſit crucifixus, & circiter hora nona, inclinato capite, ſpiritum emiſerit, Sabbato in ſepulchro quieuerit, & prima Sabbati valde diluculo à mortuis ſurrexerit. Sed hoc Synecdochicôs accipiendum eſt, à parte videlicet totum. Nam ſi partem Paraſceues cum præterita nocte, qua comprehenſus eſt, accipias, itémque Sabbatum cum ſua nihilominùs nocte, & rurſus noctem Dominicam cum eodem die, quo illuceſcente ſurrexit: inuenies profectò integrum triduum & tres noctes. Sciendum etiam, quod dupla erat mors noſtra, in anima videlicet & in corpore. Chriſti verò mors ſimpla fuit, quia peccatum, quod eſt mors animæ, non admiſit, ſicut eius reſurrectio ſimpla fuit. Dominus autẽ trigintaſex horis iacuit in ſepulchro, vno videlicet die, & duabus noctibus. Duodecim verò horæ diei, ad vigintiquatuor horas duarum noctium, ſimplum ad duplum. Et duodecim quidem horæ diurnæ, ſimplæ morti noſtri Redemptoris cõueniunt: Viginti quatuor autem nocturnæ, ad duplam noſtram conſentiunt mortem. Magno igitur ſacramento vna die & duabus noctibus iacuit in ſepulchro, quia lucem ſimplæ mortis ſuæ, tenebris duplæ mortis noſtræ adiunxit. Veniens enim ad nos, qui in morte carnis preſſi eramus, vnam ſuam, id eſt, carnis mortem detulit, & duas noſtras abſoluit: ſimplam ſuam duplæ noſtræ contulit, & duplam noſtram ſubegit.

*Quæſtio cur natalitia Sanctorum in lætitia, Paraſceue verò in triſtitia celebremus, ab Elprico Monacho edita.**

** Titulus hic in MS. habetur.*

QVæſtionem à tua dilectione mihi propoſitam, eò difficiliùs aggredior elucidandam, quo hanc nec in Patrum ſcriptis expoſitam hactenùs reperi, nec magiſtrorum traditione percepi, ſed nec ab vllo quæſitam audiui. Vnde toties te rogantem diſtuli, quia nec tibi, nec quicquam aliquid dicere volui, quod non euidenti ratione, aut ſcripturarum auctoritate poſſem probare. Quid autem mihi exinde videatur, viua voce vtcunque tibi niſus ſum explanare, vt ſic me ſubducerem ab hac ſcrupuloſitate. Cùm enim dicat Salomon, Altiora te ne ſcruteris, vereor illa appetere, ad quæ tenuitas ingenioli mei non valeat aſſurgere. Modulum enim ſuum vnũquemque conſiderare prudenter nos admonet Lyricus, dicens:

Eſt quoddam prodire tenus, ſi non datur vltrà.

Cùm ergo huius rei audientiam tibi ſufficere dixiſſem, cauſatus es fragilem eſſe humanæ mentis memoriam, nec audita diù retinere, & ob hoc litteras eſſe repertas, quibus oblita per incuriam, poſſint

recuperari per diligentiam, & ideò acriùs A inſtitiſti, vt hæc tibi qualicunq; ſtylo literis mandata contraderem. Si quid ergò ineptum proceſſerit, non meæ temeritati, ſed tuæ iuſtiùs imputabitur importunitati. Quamquam haud ſcio, vtrumnàm, quod ſentio, verbis valeam explicare. Quæris igitur, cùm Sanctorum dies, quibus de hoc ſeculo migrauerunt, ſolenniter & cùm magna exultatione celebremus, adeò vt in ipſis abſtinentiæ aliquantulùm rigore laxato, paulùlùm remiſſius viuamus, cur diem paſſionis Chriſti, quo de hoc mundo B per mortem tranſiit, ſicut Euangeliũ teſtatur, in magna afflictione & carnis maceratione cordiſque contritione iubeamur celebrare, quam (vt ais) oportuerat tanto ſublimiùs, tantóque feſtiuiùs, immò alacriùs excolere, quanto conſtat Chriſtum Sanctorum omnium meritum tranſcẽdere. Quod vt autumo, rectè diceretur, iuſtéque dies illa, cunctis feſtiuitatibus ſolẽnior haberetur, ac iucundiùs celebraretur, ſi Chriſtus, vt purus homo, per temporalem mortem ad eam gloriam tranſiſſet, C quam antea nũquàm habuiſſet. Iure enim eius gloriæ congauderemus, quam eum per mortem conſecutum fuiſſe ſciremus. At verò cùm ſciamus Chriſtum Dei filium ante omnia ſecula ſemper exiſtere glorioſum, eiúſque gloriam, ſicuti nec minui, ita nec augeri poſſe, eundem tamen pro noſtra redemptione tantùm ſe humiliaſſe, vt non ſolùm noſtræ carnis morticinium dignaretur aſſumere, verùm etiam qui erat immortalis in ſua natura, mori dignaretur in noſtra, in qua morte plus humilia- D tus videtur, quàm exaltatus: & nulla ſui neceſſitate, ſed benigna & ſpontanea voluntate, nec pro ſe, vtpotè qui morti nil debuit, ſed pro nobis qui morti eramus obnoxij, ſuſtinuit: iuſtum eſt, vt hi pro quibus paſſus eſt impaſſibilis cum omni huius ſeculi tempore, tum præcipuè in die ſuæ paſſionis ei compatiantur, pro ſe dolenti condoleant, pro ſe triſtanti triſtitiæ vicem rependant, amore pro ſe morientis in hac potiſſimùm die ab omni carnis delectatione ſemetipſos commortificent. Si E enim, iuxta Apoſtolum, vno aliquo dolente membro, condolent reliqua: quanto magis ſummo patiente membro, id eſt, capite, quo regũtur omnia membra, compati debent illa quæ ab eo reguntur membra? Chriſti autem eſſe membra credentes in eum, ipſúmque caput omnium in ſe credentium, nullus ignorat fidelium: Sicut econtrà iniqui membra ſunt diaboli, inter quæ præcipuum locum tenent Iudæi perſecutores Chriſti, quos luce clariùs conſtat inuidioſè gauiſos fuiſſe in morte Chriſti: Sicut econtrà Apoſtolos, qui ſunt præcipua membra Chriſti, admirabiliter contriſtatos de iniuſta nece Chriſti. Quòd ſi nos inter membra Chriſti vel vltimos confidimus deputari, debemus cum ſublimioribus membris illius in paſſione capitis noſtri contriſtari: nè, ſi in hac die voluerimus corporali lætitiæ vacare, nõ cũ Apoſtolis Chriſtum amare, ſed cum Iudæis videamur eius morti inſultare: atque ideò quod conſequens eſt, non inter membra Chriſti, quæ nolumus imitari, ſed potius inter membra diaboli, quibus videmur collætari, mereamur (quod abſit) iure computari. Triſtemur ergò in morte Chriſti cum Apoſtolis, mereamur in reſurrectione eius gaudere cum illis. Doleamus exultantibus iniquis, vt poſtmodum gaudeamus lugentibus illis. Iudæi namque, ſicut in morte eius gauiſi, ita probantur in eius reſurrectione triſtati. Ecce, vt potui, paucis enucleaui, cur diẽ paſſionis Chriſti in afflictione carnis, & contritione ſpiritus conueniat celebrari, quamuis verba non ſuppeditauerint, quibus, quod ſentio, exprimere non valeo. Reſtat nunc, prout facundia linguæ, Domino largiente ſuffecerit, itidem breuiter expedire, cur Sanctorum dies, quibus ab hoc ſeculo trãſierunt, ſummis laudibus & magna recolamus alacritate. Vbi primò recolendum cenſeo, omnes Chriſtianos in Chriſto fratres eſſe, ipſo Domino cunctis in ſe credentibus ſic proteſtante: *Patrem nolite vobis vocare ſuper terram. Vnus eſt enim Pater veſter, omnes vos fratres eſtis.* Omnes itaque qui iam de hoc mundo receſſerunt, ſiue qui adhuc verſantur in mundo, ſiue qui futuri ſunt vſque ad finem ſeculi credentes in Chriſto fratres eſſe veraciter cõſtat, vtpotè vna baptiſmatis regeneratione in Chriſto renatos, vnius matris Eccleſiæ vberibus educatos, vnius fidei vinculo tanquam dulciſſimæ fraternitatis affinitate connexos, ad vnam eandémque cæleſtis regni hæreditatem ab eodem piiſſimo patre Deo pia adoptione vocatos. Debemus itaque omnia quæ nobis accidunt, fraterno affectu inuicem communicare, id eſt, & in aduerſis pariter contriſtari, & in proſperis communiter congratulari. Notum autem habet omnis qui verè Chriſtianus eſt; Sanctos cùm ab hac corruptibili vita decedunt, ad meliorem, id eſt, incorruptibilem, & interminalem tranſmigrare,

grare,

grare, ſcilicet de tenebris ad lucem perpetuam, de mœrore ad gaudium ſempiternum, de labore ad requiem perennem, de carcere ad libertatem, de ſeruitute ad regnum. Vnde & mos Eccleſiaſticus obtinuit, dies illos non funebres, ſed natalitios appellare. Iure enim naſci dicuntur, qui de preſſuris huius mundi tanquam de anguſtiis cuiuſdam arctiſſimi ventris ad illam ſpatioſiſſimam & lucidiſſimam cęleſtis habitationis emittuntur latitudinem. Si ergo nos eorum fratres eſſe præſumimus, quos ita glorificatos adſpicimus, dignum eſt eorum felicitati congratulemur, & eorum lætitiæ collætemur, fratrum noſtrorum gloriæ congaudeamus, eorúmque triumphis, quibus per diuinum auxilium diabolum vicerunt & ſeculum, dignis laudibus cæleſtes eorum natales debita alacritate veneremur. Nam ſi eos lugubriter aut cum mœrore tráſigamus, duplici redarguemur errore, quia videmur aut non credere eos ad gloriam tranſiſſe, & ideò quaſi mortuos lugere: aut ſi ſcimus eos felicitati donatos, & non congratulemur, gloriæ illorum inuidere conuincimur. Et cùm antiquos natalitia ſua, vel ſuorum affiniū, quibus in hanc miſeram effuſi ſunt vitam, tanta alacritate inuenimus celebraſſe, vt in his etiam omni corporeæ voluptati licenter operam darent: quanto nos ſpirituali hilaritate ſanctorū Patrum natalitia conuenit celebrare, quibus non ad miſerias naſcuntur, ſed de miſeriis ad gaudia tranſierunt ſine fine poſſidenda, non nos corporalibus illecebris reſoluentes, vt faciebant pagani, verùm canticis ſpiritualibus, hymniſq; cæleſtibus in Chriſto tripudiantes, vt Chriſtiani. Quamuis non denegemus etiam corporaliter aliquantulum remiſſiùs quàm cæteris eſſe viuendum, propter quoſdam (vt reor) hebetiores, qui nihil putant eſſe feſtiuum, niſi quod viderint corporali delectatione mellitū. Sane, quia Sanctos eoſdem ad hanc, quam diximus, felicitatem, per afflictionē non ignoramus perueniſſe temporalē, neceſſe eſt, vt ſicut æternæ eorum congaudemus lætitiæ, ſic temporali quoque illorum compatiamur anguſtiæ, quatenus per omnia eorum ſequentes veſtigia, ad eadem illis intercedentibus mereamur pertingere gaudia. Ad quod ſignandum præcedentibus eadē natalitia diebus, quas vulgò vigilias eorū appellamus, ſolito parciùs veſcentes, eadem ſolemnia debitis ieiuniorum obſequiis & maceratione carnis deuotè præuenimus, vt per pridianam purificati abſtinentiam, dignius celebremus ſequentis feſti lætitiā. Vnde & in officio Miſſæ earundem vigiliarum feſtiuiſſimum Alleluiaticum melos intermittimus, ſicut aliis ieiuniorum diebus, niſi fortè Dominica dies fuerit, quàm nullo tempore ieiunare, ſed ſemper feſtiuam eſſe Dominicæ reſurrectionis auctoritas cogit. Quod vtrumque, & præcedentem totius Eccleſiæ Sanctorum afflictioni compaſſionē, & de eorum gloria ſequentem exultationem Dominus in Euangelio ſub ſpecie mulieris parabolicè deſignat, cùm eam parturientem aſſerit triſtari: cùm autē peperit, in immenſum gratulari. Quia enim parturire dicimus, ante partum anxiari: parere autem, partum effundere: iurè mulier, per quam ſancta figuratur Eccleſia, cùm parturit, dolere dicitur, quia cùm filios ſuos, quos fide conceperit, antequàm in æternam pariat vitam, diuerſis tribulationibus ab impiis impediri conſpicit, tanquam difficultate pariendi anguſtiata, magnis doloribus ingemiſcit: cùm verò eos, quos ita parturierat, de huius mundi anguſtiis ad cæleſte peperit regnum, dici non poteſt, quantum de feliciſſimo filiorum partu tripudiat. Quod primitiua quidem Eccleſia perſecutionis tempore hiſtorialiter agebat: ſed ea quæ nunc eſt Eccleſia, à Chriſto pace iam reddita, pia æmulatione ſpiritaliter repræſentat. Præteritos igitur parturitionis eius dolores, in vigiliis Sanctorum, ieiuniis & afflictione carnis imitamur: ſequentem verò eius iam enixæ alacritatem, ipſius iocunditate feſtiuitatis æmulamur. Importunitati tuæ, dulciſſime fili, etſi non debui, vt potui tamen, ſatisfacere inſtiti, quanquam difficultate quæſtionis cogente, verboſior forſitan extiti.

De Sabbato ſancto vigil. Paſchæ.

CAP. XIX.

SAbbati Paſchalis veneratio hinc celebratur, eò quòd ipſo die Dominus in ſepulchro quieuit. Vnde Hebraicè requies, ſiue quòd eo die mundo perfecto requieuit. Hic autem dies inter mortem Chriſti & reſurrectionem medius eſt, ſignificans quandam requiem animarū ab omni labore poſt mortem, per quam fit tranſitus per reſurrectionē carnis ad illàm vitam, quam Chriſtus Dominus ſua reſurrectione præmōſtrare dignatus eſt. Et quia in tāta veneratione ab omnibus Chriſtianis excolitur, ſeu quòd vſque ad medium noctis vigiliæ extenduntur, S. Hierony-

mus ita docet: Traditio Apoſtolorum vel A Iudæorũ eſt, Chriſtum media nocte venturum in ſimilitudinem Ægyptij temporis, quando Paſcha celebratum eſt. Vnde & reor traditionem Apoſtolicam permanſiſſe, vt die vigiliarum Paſchæ ante noctis medium populos dimittere non liceat, expectantes aduentum Chriſti. Poſtquã verò illud tempus tranſierit, ſecuritate præſumpta, feſtum cunctis agere diem. Manifeſtat & hoc benedictio cerei, *Hæc nox eſt*: & in oratione in Miſſa: *Deus qui hanc ſacratiſſimam noctem*. In Romana enim Eccleſia B infra Vrbem, mane primo Sabbati venit Archidiaconus in Eccleſiam, & fundit ceram in vaſe mundo, & miſcitat in ea oleũ, inde benedicit ceram, & ex ea fundit ſimilitudinem agnorum, & ſeruat eos in loco mundo. In octauis verò Paſchæ dantur ipſi agni ab Archidiacono poſt Miſſas in Eccleſia & communionem populo, & ex eis faciunt in domibus ſuis accendi incenſum, & ad fumigandum in domibus ſuis pro quacunque eis neceſſitate euenerit. Similiter in ſuburbanis ciuitatibus de o- C leo faciunt. Agni quos Romani faciunt, agnum pro nobis factum immaculatum deſignant: omnibus enim rebus Chriſtus nobis ad memoriam frequentiùs reducendus eſt. Quibus S. Gregorius oleum inſtituit, quando myſteria Paſchalis agni reſerauit. Quòd enim à nobis cereus benedicitur, Zoſimus Papa inſtituit. Significat enim Dominum, qui præcedebat filios Iſraël in columna ignis. Cera humanitatem Chriſti deſignat. Mel quippe in cera, eſt diuinitas in humanitate. Concordat ce- D reus hic in ſignificatione cum columna ignis, qui illuminabat populum Iſrael in nocte, vt illud in ipſa benedictione. Sed iam columnæ eius pręconia nouimus. Columna illa Chriſtum ſignificabat. Illa columna præcedebat filios Iſrael: noſtra columna, id eſt, cereus præcedit Catechumenos noſtros. Lumen ipſius Chriſtum ſignificat, quo & præſens nox illuſtratur, gratia ſcilicet reſurrectionis, & Catechumeni ad baptiſmum venturi. Quòd à diacono benedicitur, morem ſequimur Ro- E manum. In eo enim Archidiaconus conficit agnos. Qui cereus per ſeptem dies Neophytorum præcedit Pontificem, qui eſt caput populi, quia columna ignis præceſſit populum vſque ad terram repromiſſionis. Ipſo die hora ſeptima procedunt omnes ad Eccleſiam, & deportatur lumen ab Epiſcopo ſiue Abbate, proſequẽte eum populo ſicut ſuprà, & illuminantur ſeptem lampades. Cereus verò qui benedicendus eſt, iam debet eſſe præparatus in medio Eccleſiæ, congregato hinc inde omni clero ſeu populo: deinde veniens Archidiaconus facit crucem in eo, & illuminat illum de nouo igne, atque completur ab eo benedictio cerei. Prima quaſi in modum legentis ita, *Exultet iam Angelica turba cælorum*, & reliqua. Secunda decantanda eſt in modum præfationis. Cereo benedicto illico illuminantur ab eodem alij cerei duo, ſtaturam hominis habentes. Cereus qui nouo igne accenditur, nouam Chriſti doctrinam ſiue gratiam in nouo Teſtamento, nouámque gratiam qua nox Dominica illuſtratur, deſignat. Duo qui illuminãtur ab eo, doctrinam Apoſtolorum deſignant, quibus dicitur, *Vos eſtis lux mundi*. Quod enim Catechumenos præcedunt ad baptiſmũ, ſignificat hoc quod columna ignis præcedebat filios Iſrael, antequam mare rubrum tranſirent. Vbi etiam figuraliter initium ſumpſit baptiſmus: Baptizauit, inquit, Moyſes, in nube & mari. Habuit ergo mare formam baptiſmi, nubes Spiritus ſancti: Manna verò, panis vitæ. Deinde baptizauit Ioannes in pœnitentia, poſt hunc Chriſtus perfectum baptizauit baptiſmũ in Spiritu ſancto & igne. Tria etenim genera ſunt baptiſmi: Primum, quo ſordes peccatorum per lauacrum abluuntur. Secundum, quo quis ſanguine ſuo per martyrium baptizatur, quo etiam Chriſtus baptizari dignatus eſt. Tertiũ lachrymarum, quibus Dauid & Niniuitæ miſericordiam conſecuti ſunt. Denique in baptiſmo ſeptem gradus ſunt, tres in deſcenſu, propter tria quibus renunciamus: tres alij in aſcenſu, propter tria quæ confitemur. Septimus verò qui quartus ſimilis filio hominis extinguens fornacem ignis. Lectiones itaque quatuor quæ ſequuntur ante baptiſmum cum canticis ſeu orationibus, ad inſtructionem Catechumenorũ atque Neophytorũ pertinent. Quod verò non pronunciantur in capite, vt aliæ lectiones, ſicuti eſt, Lectio libri Geneſis ſiue Exodi, & cæteræ per ordinẽ, hæc ratio eſt: dicit enim Apoſtolus: *Sapientibus & inſipientibus debitor ſum*. Catechumeni inſipientibus comparantur, ideò eis lectiones diſſimiliter pronunciantur, vt reducatur ad memoriã cæcitas cordis eorum, qui nondum cognoſcunt ciues cæleſtis Hieruſalem, fruſtrà eis pronunciatur auctor incognitus, quibus firmiſſima auctoritas poteſt vileſcere per ignorantiam. Antequã enim legantur lectiones, accipiunt duo notarij

ſuprà ſcriptos cereos accenſos, & tenent illos, vnus in dextro cornu altaris, alter in ſiniſtro vſque ad fontes. Deinde aſcendit Lector ad legendum, abſque pronunciatione lectionis. Lectio prima ex Libro Geneſeos ita inchoatur: *In principio creauit Deus cœlum & terram*, & reliqua. Sequitur oratio abſque ſalutatione: *Deus qui mirabiliter creaſti hominem.* Lectio ſecunda ex Libro Exodi: *Factum eſt in vigilia matutina.* Can. *Cantemus Domino.* Orat. *Deus cui miracula antiqua.* Et lectio tertia Eſaiæ Prophetæ: *Apprehendent ſeptem mulieres.* Can. *Vinea facta eſt. Oremus. Deus qui nos ad celebrandum Paſchæ ſacramentum.* Lectio quarta Eſaiæ Prophetæ: *Hæc eſt hæreditas.* Can. *Attende cælum. Oremus. Deus qui Eccleſiam tuam.* De Pſalm. XLI. Canticum: *Sicut ceruus.* Oratio: *Concede, quæſumus.* Alia oratio in eodem Pſalm. XLI. *Omnipotens ſempiterne Deus, reſpice propitius ad deuotionem populi tui.* Inter hæc duo cantica, non eſt lectio neceſſaria, quia propter conuenientiam lectionis & duorum Pſalmorum, ſine altera lectione congruè coniunguntur. Finitis lectionibus deſcendendum eſt ad baptizandum. Qua hora baptiſmus hodie debeat celebrari, ſiue Pentecoſte, vel quid ſacerdotes Neophytis prædicent, hîc parumper intimandum eſt. Primò paganus, vt Catechumenus fiat, accedens ad baptiſmũ, renunciet maligno ſpiritui, & omnibus damnoſis eius pompis: exſufflatur etiam vt fugato diabolo, Chriſto Domino paretur introitus: exorcizatur, id eſt, coniuratur malignus ſpiritus, vt exeat, & recedat, dans locum vero Domino. Catechumenus audiens ſiue adiutor, ſalem accipit, vt putrida & fluxa eius peccata, ſapientiæ ſale diuino munere mundẽtur. Deinde Symboli Apoſtolici traditur ei fides, vt vacua domus, & à priſco habitatore derelicta fide ornetur, & præparetur habitatio Domino. Fiunt ſcrutinia, vt exploretur ſæpius, an poſt renunciationẽ Satanę, ſacra verba datæ fidei radicitus corde defixerint. Tanguntur & nares, vt quandiu ſpiritum naribus trahat, in fide accepta perduret: pectus quoque eodem oleo perungitur, vt ſigno S. Crucis diabolo claudatur ingreſſus. Signantur & ſcapulæ, vt vndique muniatur. Item in pectoris vnctione ſignatur fidei firmitas, & operum bonorum perſeuerantia: deinde ſanctæ Trinitatis trina ſubmerſione baptizatur. Et rectè homo qui ad imaginem ſanctæ Trinitatis eſt conditus, per inuocationẽ ſanctæ Trinitatis ad eandem renouatur imaginẽ, & qui tertio gra-

A du peccati, id eſt, conſenſu, cecidit in mortem, tertio eleuatur de fonte, vt per gratiã ſurgat ad vitam. Deinde albis induitur veſtimentis propter gratiam regenerationis, & caſtitatẽ vitæ, & angelici ſplendoris decorẽ. Tunc ſacro chriſmate caput perungitur, & myſtico tegitur velamine, vt intelligat ſe diadema regni, & ſacerdotij dignitatem portare, iuxta Apoſtolum: *Vos eſtis genus electum, regale, ſacerdotale, offerentes voſmetipſos Deo viuo, hoſtiam ſanctam & Deo placentem.* Sic corpore & ſanguine Do-

B minico confirmatur, vt illius ſit capitis membrum, qui pro eo paſſus eſt, & reſurrexit. Nouiſſimè per impoſitionem manus à ſummo ſacerdote, ſeptiformis gratiæ Spiritum accipit, vt roboretur per Spiritum ſanctum ad prædicandum aliis, qui fuit in baptiſmo per gratiam vita donatus æterna. Hodie autem hora nona baptiſmus celebratur, ſicut in Pentecoſte, ea de cauſa, quia angelus Domini venit ad Corneliũ hora nona, annuncians ei, quòd orationes eius ac eleemoſynæ aſcenderint

C in conſpectum Domini. Qui mox miſit ad Petrum, & promeruit ſacramẽtum baptiſmi. Sed & hoc decentiſſimum eſt, vt quia hora nona auctor vitæ emiſit ſpiritum, eadem hora nona Eccleſia ſancta percipiat ſanctum baptiſma. Quod verò non liceat præter hodie & Pentecoſten generaliter baptiſmum celebrari, S. Leo Papa ſatis denegat, niſi fortè infirmitas interfuerit. Neque hoc omittendũ eſt, quòd Romani infra Quadrageſimã ſex ſcrutinia celebrant, & hodie ſeptimum. In iſto ſeptenario in-

D telliguntur ſeptem dona Spiritus ſancti in baptiſmate data. Poſt horam denique tertiam Sabbato præparantur ad Eccleſiam, qui baptizandi ſunt, ſimul cum patrinis & matrinis, & ordinantur ab Acolyto, maſculi ad dexteram, feminæ verò ad ſiniſtram, & tunc qui poſſunt, reddunt orationem Dominicã & Symbolum, ſiue patrini pro ipſis atque matrinæ eorum, qui eos ſuſcepturi ſunt. Deinde facit presbyter cum pollice in frontibus eorum ſignũ crucis, dicendo: *In nomine Patris, & Filij,*

E *& Spiritus ſancti.* Poſt hæc ponit manus ſuper capita eorum, & dicit orationem ad Catechumenum faciendum: *Omnipotens ſempiterne Deus.* Hîc iuxta ſanctum Gregorium reddunt Symbolum & orationem Dominicam, aut patrini pro ipſis. Poſt hæc ſequuntur orationes in Sabbato ſancto ad catechizandum infantem. Inde verò tangit eis nares, & aures de ſputo, & dicit ad aurem dexteram, *Ephata*, quod eſt,

adaperire: ad nares, *In odorem ſuauitatis.* A Ad ſiniſtram, *Tu autem effugare diabole, appropinquabit enim iudicium Dei.* Poſteà verò tangit ei pectus, & inter ſcapulas de oleo exorcizato crucem faciendo cum pollice, & vocato nomine eius, dicitur: *Abrenuncias Satanæ?* Reſpondet: *Abrenuncio. Et omnibus operibus eius?* Reſpondet: *Abrenuncio. Et omnibus pompis eius?* Reſpondet: *Abrenuncio.* Inde ſequitur Symbolum. Hîc ſecundum Gregorium ſequuntur lectiones & cantica.

His expletis, procedit Pontifex ad fontes benedicendos cum omni decore, proſequente eum clero ſeu populo, præcedit B etiam benedictus cereus, ſiue duo illi cerei, quos tenent notarij, ab eodem ſcilicet illuminati, & ampulla cum oleo & balſamo in magna reuerentia. Nam & illi duo cerei præcedunt vbique Pontificem vſque in octauas Paſchæ. Euntes ad fontes, canunt Litanias ter tantummodò repetendo. Quibus finitis ante fontes, & facto ſilentio, ſtante ſacerdote, ſequitur benedictio fontis: *Omnipotens ſempiterne Deus*, & C reliq. Sequitur conſecratio fontis, in modum præfationis decantanda: *Æterne Deus, qui inuiſibili potentia ſacramẽtorum tuorum.* Ad inuocationem verò Spiritus ſancti, quem ſacerdos celſa voce proclamat, id eſt, alto mentis affectu, deponitur cereus benedictus in aquam, ſiue illi qui ab eo illuminati ſunt, ad demonſtrandam ſcilicet Spiritus ſancti præſentiam, ſacerdote iam dicẽte: *Deſcendat in hanc plenitudinem fontis.* Fonte benedicto, accipit Pontifex chriſmã cũ oleo mixto in vaſe ab Archidiacono, & adD ſpergit per medium fontis in modum crucis. Tunc Põtifex adſpergit cum manu de ipſa aqua ſuper populum. Quo facto, accipit populus de ipſa aqua in vaſculis ad ſpargendum in domibus ſuis, ſiue agris, deinde tenente patrino infantem, à quo ſuſcipiendus eſt, interrogat eum ſacerdos ita: *Quis vocaris?* Reſpondet ille. Et ſequitur ſacerdos: *Credis in Deum patrem omnipotentẽ?* & reſpondet: *Credo. Et in Ieſum Chriſtum filium*, vſque, *paſſum?* Reſpondet: *Credo. Credis & in Spiritum ſanctum, ſanctam Eccleſiam?* E Reſpondet: *Credo.* Deinde baptizat eum ſacerdos ſub trina merſione tantùm, ſanctam Trinitatem ſemel inuocando, ita dicens: *Et ego te baptizo in nomine Patris*, & mergat ſemel: *& Filij*, & mergat iterùm: *& Spiritus ſancti*, & mergat tertiò. Vt autem ſurrexerit à fonte, faciat presbyter ſignum crucis de chriſmate cum pollice in vertice eius dicens, hanc orationem: *Deus omnipotẽs, pater Domini noſtri Ieſu Chriſti*, tunc ſuſcipiatur ab ipſo, à quo ſuſcipiendus eſt: poſteà veſtitur infans veſtimentis ſuis. Si verò Epiſcopus adeſt, ſtatim confirmari eum oportet chriſmate, & poſteà cõmunicare, & ſi Epiſcopus deeſt, communicetur à presbytero dicente ita: *Corpus Domini noſtri Ieſu Chriſti cuſtodiat te in vitam æternam. Amen.* Quòd enim aliqui patrini ſolent à fõte extrahere ſuos filios, non legitur in ordinibus. De hac re Apoſtolicus apud Romanos ita agit. Poſtquàm Pontifex baptizauerit, vel quibus iuſſerit ipſe, leuãt ipſos infantes in manibus, & offerunt eos vni de presbyteris. Ipſe verò facit crucẽ de chriſmate cum pollice in vertice eorũ, dicens: *Deus omnipotẽs pater Domini noſtri Ieſu Chriſti*, vt ſupra. Qua finita, ſunt parati qui eos ſuſcepturi ſũt cum linteis in manibus ſuis. Deindè accipiunt ipſos à Pontifice vel à Diaconibus, qui eos baptizauerunt. Poſtquàm verò veſtiti fuerint, deportantur ante Pontificem ad confirmandum. Quibus dat ſingulis ſtolam candidam, chriſmalẽ, & decem ſiliquas, & ſic veſtiuntur. Et poſtquàm induti fuerint, dat Põtifex ſuper eos orationem, impoſita ſcilicet manu ſuper capita eorum, cum inuocatione ſeptiformis gratiæ Spiritus ſancti. Oratio. *Omnipotens ſempiterne Deus, qui regenerare.* Hac finita, facit crucem de chriſmate cum pollice in ſingulorum frontibus, ita dicẽdo, *In nomine Patris, & Filij & Spiritus ſancti, pax tibi.* Reſpondeant omnes, *Et cum Spiritu tuo.* Hæc verba ſunt ſalutationis ad nouum hominem, qui regeneratur. Sane illud præcauẽdum eſt, vt hoc non negligatur. Quia in hoc omne baptiſmum legitimum Chriſtianitatis nomine cõfirmatur. Sed & hoc præuidendum eſt, vt nullum cibum accipiant, neque lactentur antequàm communicent. Omni autem die, vſque in octauas, ad Miſſam veniant & communicent, parẽtes verò oblationes pro ipſis faciant. Similiter & in Pentecoſte omnia fiant. De hac verò confirmatione S. Innocentius Papa non ab alio quàm ab Epiſcopo fieri licere aſſerit. Quamuis enim presbyteri ſint ſacerdotes, Pontificatus tamen apicem non habent, & ideò ſolis Pontificibus debẽtur vt conſignent, vel paracletum Spiritum tradant, ſicut lectio Apoſtolicorum Actuum demonſtrat, quæ aſſerit Petrum & Ioannẽ eſſe directos, vt baptizatis traderent Spiritum ſanctum. Presbyteris verò ſiue extra Epiſcopũ, ſiue præſente Epiſcopo, cũ baptizant, chriſmate baptizatos vngere licet, ſed quod ab Epiſcopo fuerit

Conſecratum, non tamen frontem ex eo- A dem oleo ſignare, quod ſolis debetur Epiſcopis, cùm tradunt Spiritum paracletum baptizatis. Quando infirmus venit ad baptizandum, non facies ſupra ſcriptum ordinem, ſed tantùm poſt æternam ac iuſtiſſimam pietatem, addes orationem iſtam: *Medelam tuam deprecor Domine ſancte Pater,* vſque ad *gratiam baptiſmi tui. Per.* Hac finita, dicis ſymbolum & orationem Dominicam, deinde catechizas eum his verbis: *Nec te latet Satanas,* & reliqua, & non dicas illam benedictionem maiorem ad fontes, B ſed iſtam minorem ad ſuccurrendum: *Exaudi nos omnipotens, & huius aquæ ſubſtantiam immitte,* vſque, *vitam mereatur æternam. Per,* &c. Poſtquam eum catechizaueris, benedices aquam his verbis: *Exorcizo te creatura aquæ, in nomine Patris, & Domini noſtri Ieſu Chriſti filij Dei viui, & Spiritus ſancti, ſi quod phantaſma,* vſque, *in remiſſionem omnium peccatorum, in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui venturus eſt iudicare viuos & mortuos, & ſeculum per.* Baptizas eum, & linis de chriſmate in cerebro, & dicis illi: *Baptizo te in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.* C Poſtea tangis eum de chriſmate in capite, & dicis orationem hanc: *Deus omnipotens, pater Domini noſtri Ieſu Chriſti.* Communicas & confirmas eum, vt ſuprà. Finito etiam ſupradicto baptiſmo in Sabbato ſancto, fiunt Litaniæ ex iuſſu Pontificis ante altare: primò ſeptenæ, quintenæ, & ternæ fiunt Litaniæ circa baptiſterij cõſecrationem, interceſſiones Sanctorũ pro renaſcentibus: ita enim inchoantur: Stat primicerius vnus in dextero choro, & dicit cum ipſo, *Kyrie eleiſon,* & reſpondet ſecundicerius cum ſiniſtro choro, *Kyrie elei-* D *ſon,* vſque quater. Deinde *Chriſte eleiſon,* vſque ter, id fiunt ſeptem vices repetitæ, vnde & ſeptenæ dicuntur. Hoc ordine fiunt quintenæ & ternæ. Poſt hæc, *Chriſte audi nos,* vſque ſepties, & ſic per ordinem interuallo facto. Sequuntur Litaniæ quinæ quinquies repetitæ. His finitis, pulſantur ſigna ad Miſſam publicam. Nam miniſtri ita debent eſſe præparati ante oſtium ſacrarij, vt cùm cantor dixerit: *Accendite,* abſque mora procedant vſque ad altare. E Sequuntur Litaniæ trinæ, *Kyrie eleiſon,* & reliqua, vſque, *Fili Dei, te rogamus.* Tunc egreditur Pontifex de ſacrario cum ingenti decore, & prædicta cereoſtrata ante illum cum thymiamateriis, & cùm dixerit ſchola, *Agnus Dei:* dicat cantor excelſa voce, *Accendite.* Tunc primùm illuminantur omnes cerei Neophytorum quos manibus tenent, demonſtrantes hoc, quòd per illum Agnum qui tollit peccata mundi, vnuſquiſq; lumen accipere debeat. Quod verò ab imperitis extinguuntur in conſecratione fontis, quãdo illi maiores illuminati deponũtur, nil auctoritatis eſt. Sine lumine enim ſunt vſq; ad hanc horam, qua ceteri cerei illuminãtur Eccleſiæ, ea videlicet cauſa, vt priùs accipiant impoſitionem manus Epiſcopi, & ſic eos credamus illuminari Spiritu ſancto: Atque ſicut gloria reſurrectionis illuſtrata eſt nox, in qua celebramus Miſſam, ita illuſtretur & lumine cereorum. Sequitur, *Agnus Dei.* Ea verò quæ ſequuntur, tandiu debent moroſè repeti, vt miniſtri queant procedere. Sequitur, *Chriſte audi nos, Kyrie eleiſon.* His expletis, dicit Pontifex, *Gloria in excelſis Deo.* Ex Decretalibus Innocentij Papæ diximus, Sabbato Miſſam non celebrari: quod ita eſſe comperimus ex officio, quod totam noctem illuſtrat futuram, vt in prima oratione Miſſæ: *Deus qui hanc ſacratiſſ. noctem.* Nota voce miniſtrorum ad Neophytos vſque ad Euangelium, vt illud, *Si conſurrexiſtis cum Chriſto.* Cantatur priùs *Alleluia,* quod eſt Hebræum, propter primatum huius linguæ: hinc Tractus Latinè. Quòd autem ante Euangeliũ non portatur, niſi thymiama tantùm, poſſunt intelligi aromata illa, quæ mulieres ante lucem ad vngendum Dominum detulerũt. Quòd autem poſt Euangelium non cantatur Offerenda, & cantores tempore ſacrificij ſilent, ad memoriam reducitur ſacrificium ſeu ſilentium mulierum: ipſæ enim tunc tantummodò vnguenta detulerunt. *Sanctus, Sanctus, Sanctus,* quod eſt angelorum cantus, ideò cantatur, quia angeli non tacuerunt de eius reſurrectione. Iterùm vice mulierum reticent cantores *Agnus Dei,* quia quandò interrogauit Maria hortulanum: *Domine, ſi tu ſuſtuliſti eum, dicito mihi,* magis credebat illum furto eſſe ſublatum, quàm tollere peccata mundi: ac propterea audiuit, volens eum tangere, *Noli me tangere.* Sacerdos qui eſt vicarius Chriſti, implet ſuum officium. Sequitur ad complendam oratio. Poſtquàm omnes communicauerint, dicit Diaconus: *Ite, Miſſa eſt.* Reſpondetur: *Deo gratias.* In hac nocte de veſpertinali ſynaxi apud Romanos nil agitur, neque ante Miſſam, neque poſt Miſſam, quia ſecundum Auguſtinum & alios doctores, iſtud Sabbatum non habet veſperam.

De die ſancto Paſchæ. CAP. XX. A

DIe ſancto Paſchæ, in introitu per ora Prophetarum præſentat ſe Chriſtus in Eccleſia patri ſuo, dicens: *Reſurrexi.* Oratio prima monſtrat aditum regni cæleſtis apertum nobis eſſe, per capitis noſtri reſurrectionem. Epiſtola admonet nos ſeparari à vitiis, contra quæ certauimus per quadrageſimales dies. Reſponſorium mõſtrat, quantùm lętari oporteat eos qui purgantur à vitiis. In *Alleluia* oſtenditur, in quo ſit totius cauſa lætitiæ. Euangelium B exponit perfectiùs cauſam totius lætitiæ. Eodem die ad Veſperas ad ſanctum Ioannem congregatur maturiùs vniuerſus gradus Eccleſiaſticus in Eccleſia maiore, in loco qui vocatur, Crucifixio: ibíque inchoat Schola, *Kyrie eleiſon*: & eo concentu perueniũt vſque ad altare. Poſthæc inchoatur *Alleluia* ad Pſalmum, *Dixit Dominus Domino.* Inde *Confitebor*, cum *Alleluia*: Et, *Beatus Vir*, cum *Alleluia.* Quo finito, ſequitur. *Alleluia. Paſcha noſtrum*, cum verſu, *Epulemur.* Inde melodia, inde Epiſtola ſecundum Romanos. Antiph. *Citò euntes*: Verſ. C *Ecce præcedet Vos.* Item Antiphon. *Et reſpiciens.* In hac hebdomada non ſequitur poſt Euangelium *Kyrie eleiſon*, ſed Sacerdos dicit orationem, qua finita, deſcendunt ad fontes cum Antiph. *In die reſurrectionis.* Sequitur Pſalmus: *Laudate pueri*, cum *Alleluia.* Inde *Alleluia, Dominus regnauit.* Verſ. *Parata ſedes tua.* Item Ver. *Eleuauerunt.* Inde melodia, inde Euangelium. Antiph. *Venit Maria.* Sequitur Oratio. Inde vadunt ad S. Ioannem ad fontes ſeu ad veſtem, cũ Antiph. D *Lapidem.* Sequitur Pſalmus, *In exitu*, cum *Alleluia*: Quo finito, ſequitur *Alleluia. Venite exultemus.* Ver. *Præoccupemus.* Item Verſ. *Hodie ſi Vocem.* Inde melodia, In Euangelio, Antiphona: *Ite, Nunciate.* Verſ. *Ibi eum.* Item Antiphona, *Nolite expaueſcere.* Sequitur oratio. Qua finita, pergunt ad Crucem cum Antiphona, *Vidi aquam.* Ibíque canũt iterùm Pſalmum, *In exitu Iſrael*, & *Alleluia. Venite exultemus.* vt ſuprà. Inde Euangel. Antiph. *Præcedam Vos.* & ſequitur oratio Sacerdotis. His finitis, & eulogiis acceptis, E remittitur vnuſquiſque ad titulum ſuum, vt ibidem Veſperas celebret. Ipſi enim ſuper Pſalmum tantummodò *Alleluia* dicũt, & ante Euangeliũ dicunt Reſponſorium: *Hæc dies*, ſine Verſu. Hæc oratio per totam hebdomadam ſeruatur vſque in Dominicam poſt Albas, *Alleluia*, & Antiphonis mutatis tantùm ſingulis diebus, Pſalmos verò eoſdem canunt.

*De Sabbato in Albis**. CAP. XXI.

* In MS. eſt, De Sabbato, quando albas deponunt.

HOdiè Albati, quia in Sabbato baptizati fuerunt, veſtibus albis exuuntur. Albati autem propter veſtes albas vulgò appellantur. Sicut ſeptem dies pertinent ad vetus teſtamẽtum propter Sabbatum, ita octo dies ad nouum propter octauum reſurrectionis diem. A Sabbato vſque ad Sabbatum portantur albę veſtes, quæ nobis ſpeciem præſtant, quales eſſe debeamus in nouo teſtamento, & qualia corpora recepturi in octaua die, in qua præſentari nos oportet ante Dominum cum ipſo pignore, quod accepimus in baptiſmo. Alba autem veſtimenta albatorũ, opera ſunt iuſtorum, munda & candida omni tempore. Quòd verò in Sabbato exuuntur ipſa veſtimenta, hoc ſignificat, quòd anima cuiuſcunque fidelis migrans è corpore, inueniet Sabbatum, id eſt, requiem: & veſtimenta ſua hìc dimittet, id eſt, corpus, vt recipiat illud iterùm in nouiſſima die. Octo dies Neophytorum, curſum præſentis vitæ monſtrant. Sicut enim Hebraicus ille populus, tranſito mari rubro, columna ignis ſibi præcedente noctù, per omne iter in terram repromiſſionis triumphans de hoſtibus introiit: Ità noſtri baptizati, extinctis peccatis præteritis, ducuntur quotidiè ad Eccleſiam, columna cerei illuminata præcedente eos. Vnde intelligitur, ad nullos alios vſus in quibuſlibet locis eam debere accendi, *niſi* in recordatione luminis Spiritus ſancti dũ itur ad Eccleſiam. Octo dies Neophytorum diſtinguuntur à cæteris, id eſt, octauus, *Primo concinit.* Octo officia quæ fiunt in commemorationem Neophytorũ, diſtinguuntur à cæteris ſequentibus vſque in Pentecoſten. Primum habet duas laudes, id eſt, *Alleluia, Confitemini*, & tractum, *Laudate Dominum.* Octauum duas ſimiliter, id eſt, duo *Alleluia. Hæc dies.* Et, *Laudate pueri.* Quod non fit in vllo alio Sabbato vſque in Pentecoſten. Sex media habent Reſponſorium & *Alleluia.* In memoriam itaq; primæ vitæ quam habuit Adam primò canitur *Alleluia*: & quia non fuit ſempiterna, Tractus ſequitur humiliore lingua, vt humilitas poſterioris vitæ recordetur. In recordatione verò potiſſimæ reſtaurationis, id eſt, vltimæ requiei, quæ redditur in ſeptima die, & perficitur in octauo die & octauo officio, duo *Alleluia* canuntur: primum, quia vita redditur; ſecũdum, quia ſempiterna. Similiter in Dominicis diebus duo *Alleluia* terminantur,

vſque in Pentecoſten. *Duo ſunt*, vnde anima in ſeptima die, id eſt, in requie laudet Dominum: vnum, de percepta gloria: alterum, de percipienda reſurrectione: homo autem in reſurrectione conſtabit ex corpore & anima. & quia reſurrectio Dominica præceſſit in octaua die, quod futurum eſt in reſurrectione, hoc agimus per Dominicos dies vſque in Pentecoſten, id eſt, vt mens & corpus laudet Dominum: & quia interim ſine corpore anima laudat Dominum, per ſingulos dies vnum *Alleluia* celebratur. At media ſex officia Paſchalis hebdomadæ, Reſponſorium tenent & *Alleluia*: ſicut ſeptenarius numerus requiem ſignificat, ità ſenarius opera: & in hac vita bonis operibus inſiſtendum eſt, & à Dei laude non ceſſandum. In fine verſuum Reſponſorij, *Hæc dies*, præpoſterus ordo eſt. *Benedictus qui venit*, præponitur in quinta feria verſui, *Lapidem quem reprobauerunt*, qui eſt in ordine Pſalmi prior: ſed ſexta feria cãtatur, quia inter cæteros præcipuè ſonat de paſſione Domini, quæ facta eſt ſexta feria. In illa reprobauerunt Dominum Iudæi ædificantes, in illa factus eſt in caput anguli. Quod autem ſemel agitur baptiſmus, ſignificat, quia Chriſtus ſemel pro nobis mortuus eſt. In quo baptiſmo duas pactiones fieri non dubium eſt, primum videlicet abrenunciare diabolo & pompis eius, ſecundò credere in myſteriũ ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Paruuli autem, alio profitente fidem illorum, idcircò baptizantur, quia adhuc loqui vel credere nequeunt. Qui ſi priuſquã regenerentur, tranſierint, proculdubio à regno Chriſti alieni exiſtunt. Patrini verò illorum prævidere debent, vt cùm ad intelligibilem ætatem peruenerint, fide & bonis moribus inſtruant, orationem Dominicam & ſymbolum eos inſtanter erudiant. Quod ſi neglexerint, norint ſe rationem pro eis reddituros ante Dominum, quorum ſponſores extiterint. Quanto autem tempore generaliter ab Eccleſia celebratur aduentus Spiritus ſancti ſuper Apoſtolos, tanto tempore debet obſeruari vnctio Chriſmatis apud vnumquenque, qui accipit manus impoſitionem, & non immeritò: quoniam Spiritus ſanctus in ſeptem mulieribus, hoc eſt, ſeptem virtutibus venit ad hoſpitem ſuum. Dominica poſt albas, id eſt, in octauis Paſchæ, danda eſt cera benedicta poſt Miſſam ad ſuffumigandũ ſcilicet in domibus ſuis; ſeu ponendum in agris vel vineis propter illuſiones diabolicas, ſiue contra fulgura vel tonitrua.

De Litania maiore. CAP. XXII.

ROmana conſuetudo vnum diem, ſcilicet ſeptimum Kalendas Maij, interponit, quem vocat in Litania maiore, non in ieiunio. Litania autem Græcè, Latinè deprecatio vel rogatio dicitur, indè & Rogationes. Poteſt enim ſerena mens, & aliena à voluntate mala, precari Dominum, quamuis manducet ſobriè. Eo enim tempore, id eſt, ſeptimo Kalendas Maij, ſolent inimici commouere bellum aduerſus vicina regna. Hinc reor cautè hoc eſſe prouiſum: Vel quia tunc omnia in quodã profectu ſunt. Meſſes pullulant, arborei fructus ex flore prodeunt, vineæ & oliuæ ſuis arboribus erumpunt, animalia campos tondent. Quoniã neceſſaria hæc ſunt noſtris vſibus, petendum eſt vt à Domino conſeruentur.

*De diebus Rogationum**. CAP. XXIII.

* al. *De Rogationibus.*

TRes autem dies Rogationum, qui celebrantur ante Aſcenſionem Domini, iuxta morem Gallicanæ Eccleſiæ conſtituit ſanctus Mammertus Viennenſis Epiſcopus, ob incurſionẽ ſcilicet malarum beſtiarũ, quæ tunc temporis grauiſſimè affiiciebant populũ Dei. Nam cùm exigẽtibus peccatis, Galliarum populi luporum rabie acriter interimerentur, nec huius flagelli aliquod remedium inueniretur, congregati traduntur Galliarum Epiſcopi apud Viennam præcipuam Galliæ vrbem, qui in commune ſtatuerunt, vt triduanò ieiunio miſericordiam Domini implorarent, antiquorum Patrum veſtigia ſequentes. Cúmque ad eorum preces oculus diuinæ pietatis reſpiciens, flagelli huius peſtem miſericorditer abſtuliſſet, hi dies in conſuetudinem annuæ celebritatis venerunt, vt per Galliarum prouincias ante Aſcenſionis diem celebrarentur: quæ conſuetudo apud nos vſque hodiè pro diuerſis calamitatibus deuotiſſimè recolitur.

De Aſcenſione Domini. CAP. XXIV.

AScenſionis Dominicæ ſolennitas ideò celebratur, quia eodem die poſt mundi victoriam, poſt inferni regreſſum aſcẽdere memoratur ad cœlos, ſicut ſcriptum eſt: *Aſcendit in altum, cepit captiuitatem, dedit dona hominibus*. Quæ feſtiuitas ideò per reuolutum annorum circulum celebratur, vt vnitas aſſumptæ carnis aſcendentis ad

dexteram Patris, in memoriã reuocetur: Cuius corpus ita in cœlo eſſe credimus, vt erat quando aſcendit. Quod & vox angelica proteſtatur, dicens: *Sic veniet quemadmodum vidiſtis eum euntem in cœlum*, id eſt, in eadem carnis ſpecie atque ſubſtantia: Cui profectò carni immortalitatem donauit, naturam non abſtulit. Dextera autem Patris, ad quam idem filius ſedere creditur, non eſt corporea, quod nefas eſt de Deo ſentire: ſed dextera Patris eſt beatitudo perpetua, quæ Sanctis in reſurrectione promittitur, id eſt, Eccleſiæ, quæ eſt corpus Chriſti: ſicut & ſiniſtra eius, rectè intelligitur miſeria & pœna perpetua, quæ impiis dabitur.

De Vigilia. Cap. XXV.

IN vigilia Pentecoſtes ità agitur, ſicut in Sabbato ſancto Paſchę. Antequàm enim deſcendatur ad fontes ad baptizandum, legitur lectio prima, *Tentauit Deus Abraham.* Orat. *Deus qui Abrahæ famuli.* Lectio ſecunda, *Scripſit Moyſes canticum.* Can. *Attende cælum.* Orat. *Deus qui nobis per prophetarum oracula, &c.* Lectio tertia, *Apprehendent ſeptem mulieres.* Can. *Vinea facta eſt.* Orat. *Deus qui nos ad celebrandum.* Lectio quarta, *Audi Iſraël præcepta vitæ*: *Deus incommutabilis.* Can. *Sicut ceruus.* Orat. *Concede, quæſumus omnipotens Deus, vt qui feſta Paſchalia egimus.* Finitis lectionibus, deſcendendum eſt ad fontes cum ſancto Chriſmate & cereis in magna reuerentia decantando Litaniam. His expletis, baptizandum eſt, ſicut in vigilia Paſchæ. Poſt aſcenſum verò fontis, ingrediendum eſt ad Miſſam publicam ad S. Ioannem. In primis fiunt Litaniæ * iter repetendo, & cùm dixerint, *Agnus Dei*: dicatur excelſa voce, *Accendite.* Accenſis omnibus luminibus, procedit Pontifex cum omni ornatu vſq; ad altare, & dicit: *Gloria in excelſis Deo*, & peragitur Miſſa in ordine ſuo.

*MS. ternæ petendo. fortè legendum, ternæ repetendo.

De Pentecoſte. Cap. XXVI.

INitium ſanè & cauſa feſtiuitatis Pentecoſtes, paulò latiùs repetenda eſt. Pentecoſtes enim dies hinc cepit exordium, quandò Dei vox in Sina monte deſuper intonantis audita eſt, & lex data eſt Moyſi. In nouo autem teſtamento Pentecoſtes cœpit, quandò aduentum ſancti Spiritus, quem Chriſtus promiſit, exhibuit, quem ait non eſſe venturum, niſi ipſe aſcenderet in cælum. Denique dum portã cæli Chriſtus intraſſet, decem diebus interpoſitis,

A intremuit, ſubitò, orantibus Apoſt[olis] locus: & deſcendente ſancto Spiritu [ſuper] eos, inflammati ſunt ità, vt linguis o[mnium] gentium Dei magnalia loquerentur. [Ad]uentus itaque ſancti Spiritus ſuper [Apo]ſtolos, gratia in varietate linguarum [dif]fuſa, ſolennitatem tranſmiſit in poſt[eros]; eàque de cauſa Pentecoſtes celebrat[ur] dies ipſe propriè inſignis habetur. [Con]cordat autem hęc feſtiuitas Euangelij cum feſtiuitate legis. Illic enim poſteaquàm agnus immolatus eſt, interpoſitis quinqua-

B ginta diebus, data eſt lex Moyſi ſcripta digito Dei: Hic poſtquam occiſus eſt Chriſtus, qui tanquàm ouis ad immolandum ductus eſt, celebratur verum Paſcha: & interpoſitis quinquaginta diebus, datur Spiritus ſanctus, qui eſt digitus Dei, ſuper cẽtum viginti diſcipulos Moſaicæ ætatis numero conſtitutos.

De Dominica die. Cap. XXVII.

DOminicum diem Apoſtoli ideò reli-

C gioſa ſolennitate ſanxerunt, quia in eodem Dominus & Redemptor noſter à mortuis reſurrexit: quique ideò Dominicus appellatur, vt in eo à terrenis operibus vel mundi illecebris abſtinentes, tantùm diuinis cultibus ſeruiamus, dantes ſcilicet huic diei honorem & reuerentiam propter ſpem reſurrectionis noſtræ, quam habemus in illa. Nam ſicut ipſe Dominus Ieſus Chriſtus & Saluator noſter, tertia die reſurrexit à mortuis: ita & nos reſurrecturos in nouiſſimo die ſperamus. Vnde etiam in

D Dominico die ſtantes oramus, quod eſt ſignum futuræ reſurrectionis. Apparet autem, hunc diem etiam in ſanctis Scripturis eſſe ſolennem. Ipſe eſt enim dies primus ſeculi, in ipſo formata ſunt elementa mũdi, in ipſo creati ſunt angeli, in ipſo quoque à mortuis reſurrexit Chriſtus, in ipſo de cælis ſuper Apoſtolos ſanctus deſcendit Spiritus, manna eodem in eremo primùm de cœlo datum eſt. Sic enim dicit Dominus: *Sex diebus colligetis manna, in die autem ſexta duplum colligetis.* Sexta enim dies

E eſt Paraſceue, quæ ante Sabbatũ ponitur; Sabbatum autem ſeptima dies eſt, quam ſequitur Dominicus dies, in quo primùm manna de cælo venit. Vnde colligant Iudæi, iam tunc prælatam eſſe Iudaico Sabbato ipſorum Dominicam noſtram: iam tunc indicatum, quòd gratia Dei ad eos de cælo nulla deſcenderit, ſed in ſancta Dominica noſtra, in qua primùm eandem Dominus pluit.

De Ieiuniis IV. *Temporum.* Cap. XXVIII.

QVatuor ſunt tempora anni, id eſt, ver, æſtas, autumnus, & hyems. Hæc tempora ſolent nos per delectamenta ſua reuocare ab amore charitatis. In quibus oportet nos ieiunare, etiamſi venerit infra Pentecoſten, quandò celebratur feſtiuitas ſeptiformis Spiritus, vt illud Dominicum, *Venient autem dies cùm auferetur ab eis ſponſus, & tunc ieiunabunt.* De his Auguſtinus: Quamuis ordinatio non fiat, neceſſarium tamen eſt noſtrę religioni, quatuor temporum ieiunia celebrare. De eodem ieiunio dicit Leo Papa in Homiliis: Vt ieiunium celebretur in largitione ſacrorum ordinum, Eccleſiæ primitiuę mos obtinuit, vt illud, Miniſtrantibus illis Domino & ieiunantibus, dixit Spiritus ſanctus: *Separate mihi Saulum & Barnabam in opus miniſterij*, & reliqua. Tunc ieiunantes & orantes, imponentéſque eis manus, dimiſerunt illos. Iſto die, id eſt: quarta feria, leguntur duæ Lectiones: quoniam hi qui ad ſacrum ordinem tranſeunt, debent admoneri, vt habeant notitiam Legis & Prophetarum. Quarta enim ætate Lex & Prophetæ viguerunt, & Dauid bellicoſiſſimus qui interpretatur manu fortis, in eadem ætate Goliath, id eſt, humilitas ſuperbiam proſtrauit. Contra quem Goliath, id eſt, diabolum, debent in humilitate dimicare, qui ad ſacros ordines prouehuntur. Quinta feria deeſt officium & Miſſa, ideò debet cantari de Dominica Pentecoſtes. Feria ſexta vna tantùm legitur lectio, quia Lex & Prophetia in vno Euangelio recapitulantur, quod legitur in ſexta ætate mundi.

De Sabbato in xij. Lectionibus. Cap. XXIX.

LEctiones duodecim propter duodecim lectores dicuntur, quia ab antiquis Romanis bis legebantur, hoc eſt, Græcè & Latinè, (ſex enim tantummodo ſunt) niſi fallor, duas ob cauſas: Vna, quia aderant & Græci, quibus ignota erat lingua Latina: aderant & Latini, quibus incognita erat Græca: altera cauſa propter vnanimitatem vtriuſque populi. Qui mos apud Conſtantinopolin vbique hodiè ſeruatur. Nec ab re eſt, quòd in vnoquoque ieiunio tres dies ſunt, quia vnumquodque tempus tres menſes habet, pro vnoquoque menſe ſinguli dies ieiunio conſecrantur. Et cur in Sabbato potiſſimum hæc conſecratio celebretur, Auguſtinus ſcribit ad Ianuarium

A ità: Sabbatum commendatum eſt priori populo in ocio corporaliter celebrãdum, vt figura eſſet ſanctificationis in requie Spiritus ſancti. Scriptum eſt enim: *Sanctificauit Deus diem ſeptimum.* & quia, *charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum*, commemoratur ſanctificatio in ſeptimo die. Epiſcopi verò conſecratio, qui eſt vicarius Apoſtolorum, immò & Chriſti, fit in Dominica, quia eodem die per donum Spiritus ſancti dignatus eſt illuſtrare corda Apoſtolorũ. Sabbato igitur qua-
B tuor leguntur lectiones quandò benedictio largitur, quia quatuor ſunt ordines benedicentium Dominum, vt illud Dauidis: *Domus Iſrael benedicite Dominum*, id eſt, Iſraeliticus populus: *Domus Aaron*, id eſt, prælati: *Domus Leui*, id eſt, miniſtri Dei: *Qui timetis Dominum*, de cæteris nationibus. In iſtis Lectionibus imbuuntur ordinandi ad exempla ſanctorum Patrum. Proxima lectio ordinationis de camino ignis legitur, quia non poteſt ritè homo ad conſecrationem accedere, niſi tranſeat per for-
C nacem, & ibi benedicat Deum, vt illud, *Vaſa figuli probat fornax*, & reliqua. Quapropter debent tranſire per fornacem, quod ſonat lectio quinta, vt ſic probati, accedere ad ſacrum myſterum valeant, ſicut legitur in ſexta lectione, *Scientes quòd tribulatio patientiam operatur*, & reliqua. De reſponſoriis nõ eſt neceſſe aliud dicere, quàm quòd ſingulis lectionibus reſponſoria ſingula reſpondeant. Grauitatem quam debet ſacratus ſeruare, Tractus monſtrat, nè fortè in ſuperbia elatus incidat in laqueum dia-
D boli. Tractus enim ſemper in cauſa humilitatis ponitur. Per ſingulas orationes debemus mentis humilitatem per genuflexionem oſtendere, excepto infra Pentecoſten. [* Quatuor tẽporibus annus voluitur, vnumquodque tempus tres menſes habet. Pro vnoquoque menſe ſinguli dies ieiunio conſecrantur. Per ſingulas orationes in XII. Lectionibus genu flectimus, excepto in octaua infra Pentecoſten. In ſola autem oratione de camino ignis genua non flectimus, in omnibus IIII. Tempori-
E bus. Si autem ipſa hebdomada Pentecoſtes in menſe quarto euenerit, ieiunium fiat IV. & VI. & in Sabbato. Feria IV. Ant. *Deus dum egredereris.* Oratio ſine, *Flectamus. Præſta quæſumus, vt Spiritus adueniens.* Lectio Libri Sapientiæ. *In diebus illis, dixit Salomon filiis Iſraël, Diligite iuſtitiam,* vſque, *ſcientiam habet vocis.* Fer. V. Antiph. *Emitte ſpiritum tuum. Oremus*, ſine *Flectamus. Mentes noſtras.* Lectio Actuum Apoſtolorum. *In*

** Quæ ſequuntur his incluſa notis [] nunc primùm addita ex MS. Cod.*

diebus illis, ſtans Petrus cum XII. *eleuauit vocem ſuam. Allel. Veni ſancte Spiritus.* Euangeliũ ſecundum Ioannem. *In illo tempore, dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum. Oremus. Meditabor.* Super oblatam, *Accipe quæſumus Domine munus oblatũ.* Com. *Pacem tuam.* Poſtcom. *Sancti Spiritus, Domine, corda.* Fer. VI. Antiph. *Repleatur os.* Verſ. *In te, Domine, ſperaui, non. Oremus*, ſine, *Flectamus g. Da quæſumus Eccleſiæ tuæ miſericors Deus, vt Spiritu ſancto congregata.* Lectio Actuum Apoſtolorum. *In diebus illis, Aperiens Petrus os ſuum dixit, Viri Iſraëlitæ. Allel. Spiritus Domini.* Euangelium ſecundum Matthæum. *In illo tempore, dixit Ieſus turbis Iudæorum: Si ego in ſpiritu Dei eiicio dæmones*, vſque, *neque in futuro. Oremus. Lauda anima.* Secreta. *Sacrificia Domine tuis oblata conſpectibus.* Com. *Spiritus vbi vult.* Poſtcom. *Sancti Spiritus Domine corda.* Sabbato. Antiph. *Charitas Dei.* Verſ. *Domine Deus ſalutis. Oremus*, ſine, *Flectamus. Mentibus noſtris quæſumus Domine Spiritum ſanctum benignus.* Lectio Iohelis Prophetæ. *Hæc dicit Dominus Deus, Effundam Spiritum meum.* Gr. *Protector noſter. Oremus*, ſine, *Flectamus. Illo nos quæſumus Domine igne.* Lectio Libri Leuitici. *In diebus illis locutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens: Loquere filiis Iſraël.* Gr. *Propitius. Oremus*, ſine, *Flectamus. Deus qui ad animarum medelam.* Lectio Libri Deuteronomij. *Dixit Moyſes, Audi Iſraël quæ ego præcipio tibi.* Gr. *Conuerte Domine. Oremus*, ſine, *Flectamus. Præſta quæſumus omnipotens Deus, vt ſecularibus ieiuniis eruditi.* Lectio Libri Leuitici. *In diebus illis, Dixit Dominus ad Moyſen: Si in præceptis meis ambulauer.* Gr. *Dirigatur. Oremus*, ſine, *Flectamus. Præſta quæſumus omnipotens Deus, ſic nos ab epulis carnalibus abſtinere.* Lectio Danielis Prophetæ. *In diebus illis, Angelus Domini deſcendit cum Azaria. Benedictus es.* Hanc benedictionem nulla Collecta interpoſita ſequitur, *Gloria in excelſis Deo*, ob ſollemnitatem Pentecoſtes. Deinde dicitur: *Deus qui tribus pueris.* Lectio Epiſtolæ beati Pauli Apoſtoli ad Romanos. *Fratres, iuſtificati ex fide. Allel. Paraclitus Spiritus.* Euangelium ſecundum Lucam. *In illo tempore: Surgens Ieſus de Synagoga. Oremus. Domine Deus ſalutis.* Secreta. *Vt accepta tibi ſint noſtra ieiunia.* Com. *Non vos relinquam.* Poſtcom. *Sancti Spiritus Domine corda noſtra.*] In ſola de camino ignis, non flectimus genua, quandò Nabuchodonoſor compellebat populum adorare ſtatuam, quam fecerat, vt ſeparata ſit noſtra oratio, quæ eſt ad vnum Deum ab errore Gentilium. Oratio poſt communionem ſuper populum non habetur, quia iſtud officium frequenter circa noctem Dominicam ſolet fieri, in qua minimè genuflectitur.

De Sancto Ioanne Baptiſta. CAP. XXX.

IDeò tres Miſſæ celebrantur in feſtiuitate S. Ioannis, quia tribus inſignibus triumphis excellenter refulſit. Ad hoc enim venit, vt viam Domino præpararet exemplo ſuæ conuerſationis, qui triumphus celebratur in vigilia eiuſdem. Per miniſterium baptiſmi claruit inſignis. Huius miniſterij triumphus in prima Miſſa recolitur. Nazareus permanſit ex vtero matris: hoc donum recolitur in die.

De nominibus quatuor Coronatorum.

CAP. XXXI.

QVatuor Coronatorum nomina hæc ſunt: Seuerus, Seuerianus, Victorinus, & Carpophorus. Quorum nomina, & dies natalis per incuriam neglectus, minimè reperiri poterat: ideò ſtatutum eſt, vt in eorum Eccleſia quinque cæterorum Sanctorum qui in Miſſa recitantur, natalis celebretur: id eſt, Claudij, Nicoſtrati, Simphoriani, Caſtorij atque Simplicij, vt cum iſtis eorum quoque memoria pariter fieret: poſteà vero eorum nomina reuelata ſunt. Solennitas tamen, vt ſtatuta fuerat, in aliorum Sanctorũ nomine celebris permanſit.

De ſolennitate omnium Sanctorum.

CAP. XXXII.

SCriptum eſt in geſtis Pontificalibus, quòd S. Bonifacius Papa quandam domum Romæ Pantheon nomine, quæ erat conſecrata in honore omnium dæmoniorum, eliminatis omnibus ſpurcitiis, ſacrauerit Eccleſiam in honore ſanctæ Dei Genitricis, omniumq; Sanctorum. Vndè conſtitutum eſt, vt plebs vniuerſa per totum orbem in Kalendis Nouẽbribus, ſicut in die natalis Domini, ad Eccleſiam in honore omnium Sanctorum, ad Miſſarum ſolennia conuenire ſtudeat: illud attendẽtes, vt quicquid fragilitas humana per ignorantiam aut negligentiam in ſolennitatibus Sanctorum minùs plenè peregiſſet, in hac ſancta obſeruatione ſolueretur.

De Offertorio, *Vir erat in terra.*

Cap. XXXIII.

VErba hiſtorica continẽtur in Offertorio, Verba Iob ægroti & dolentis continẽtur in Verſibus. Ægrotus, cuius anhelitus non eſt ſanus, neq; fortis, ſolet verba imperfecta ſæpius repetere Officij auctor, vt affectanter nobis ad memoriam reduceret ægrotantem Iob, repetiuit ſæpius verba more ægroti. In Offertorio nõ ſunt verba repetita, quia hiſtoricus ſcribens hiſtoriam, non ægrotabat. In verſibus prædicti Offertorij duplicantur ſiue triplicantur ac multiplicantur verba. Iob fuit mirabiliter flagellatus, & mirabiliter ac ſingulariter inter antiquos patres victoria patiẽtiæ laudatus. Ideò non abhorret à vero, ſi alio modo cõpoſita ſint verba ſua per ſuos verſus, in quibus ipſe videtur loqui, quàm cæterorum verſuum. Iob ſicut cithara percutiebatur, id eſt, cita iteratione dolor dolorem ſequebatur: vulnus, vulnus. Præſente nugigerulo, alter intrabat. Conuicto vno rege obiurgante ſe, illicò alter ſuccedebat. Multiplex fuit eius dolor, & ſecundùm multitudinem doloris anhelitus deficiens, ſæpiùs repetebant. Solet enim auctor Antiphonarij aut diſtinctione cantus aut diſtinctione ordinis, varium affectum mõſtrare Sanctorum: ſicut de Ioanne Symmyſta fecit per neumam circa intellectum verborum, ſapientiæ & intellectus in Reſponſorio, *In medio Eccleſiæ.* In quo quodammodò imitatur verbum ineffabile, de quo dicebat: *In principio erat Verbum.* Et ſicut fecit in ordine officij, quod canitur de Miſſa Innocentium: in quo ſubtrahitur, *Gloria in excelſis Deo,* & *Alleluia*, propter plorationem Rachel, quæ in figura præceſſit matris noſtræ ſanctæ Eccleſiæ: aut quia tempus erat, quo tunc ad inferni clauſtra deſcendebant paſſi, & expectabãt antiqui patres Chriſti deſcenſum.

De *dignitate Eccleſiaſtici ordinis.*

Cap. XXXIV.

DIgnitas Eccleſiaſtici ordinis, ab ipſo Aaron primo ſacerdote cauſas & originem ducit. Primus autem dicitur, quantum ad ordinationem. Nam fuerunt ante eum alij ſacerdotes, vt Melchiſedech ſacerdos Dei excelſus, qui Deo panem & vinum offerens, noui, hoc eſt, Euangelici ſacrificij modum qualitatémque ſignificauit. Abraham quoque, Iſaac & Iacob, & A multi antè, vt Abel & Noe, Deo hoſtias obtuliſſe dicuntur, ſed nullus eorum ordinatus vel conſecratus in ſacerdotium, neque ſacris & myſticis veſtibus indutus fuiſſe inuenitur, niſi Aaron, qui primus, iubente Domino, oleo ſancto inunctus & ſacerdotalibus veſtibus decoratus. Tradunt autem Hebræi, quòd ante Aaron primogeniti eſſent ſacerdotes. Denique Melchiſedech autumãt fuiſſe Sem primogenitum Noe, ſacerdotem Dei excelſi. Ex omnibus enim tribubus Iſrael elegit Deus tribum Leui, & ex hac tribu elegit Aaron B ſummum Pontificem, filios verò eius minoris gradus vel ordinis, quos presbyteros appellamus. Cæteros in eadẽ tribu generali vocabulo Leuitas nuncupant, diuerſis gradibus & miniſteriis delegatos. Quidã enim ex ipſis erant Oſtiarij, & hi erant in primo & in inferiori gradu: in ſecũdo Lectores, in tertio Exorciſtæ: in quarto Acolyti, in quinto Subdiaconi, in ſexto Diaconi, in ſeptimo Presbyteri: in ſupremo, excellẽtiori gradu Epiſcopi ſiue Põtifices conſtituti erant. Hi erant octo gradus di- C uini miniſterij, de quibus fortaſſis Ezechiel Propheta in myſtica templi viſione dicit, Et in octo gradibus aſcenſus eius. Nunc dicendum eſt de ſingulis, & quid officij haberent, breuiter intimandum.

Oſtiarij erant, qui & æditui vel ianitores vocabantur. Hi, vt in libro Paralipomenon legitur, erant ſuper exedras & theſauros domus Domini, & per gyrum morabantur in cuſtodiis ſuis, obſeruantes, vt nullus immundus templum Dei intraret.

Lectorum ordo, formam & initium à Prophetis accepit. Sunt igitur Lectores, D qui verbum Dei prædicant, quibus dicitur: *Clama, ne ceſſes: quaſi tuba exalta vocem tuam.*

Exorciſtæ erant, qui exorciſmis, id eſt, adiurationibus à Salomone compoſitis, dæmones ab energumenis effugabãt, quales leguntur in Actibus Apoſtolorũ fuiſſe ſeptem filij Sceuæ.

Acolyti erant, qui tabernaculo Dei lucernis accendendis præerant, iuxta quod in Exodo legitur: *Præcipe filiis Iſrael, vt afferant tibi oleum de arboribus oliuarum puriſſimũ,* E *piloque contuſum, &c.* Hi obſequebantur in omnibus cæteris ſuperioribus gradibus: Vnde Acolyti, id eſt, obſequẽtes vocabantur. ἀκολουθέω enim Græcè, Latinè ſequor dicitur. Nunc in Eccleſia cereoferarij dicuntur à ferendis cereis. Sed tunc dici hoc nomine non poterant, quòd nec mel, nec cera introferebatur in ſacrificio Domini.

Subdiaconi erant, quos Nathinæos vocabant, qui ſub Leuitis erant, ſubſeruientes & obſecundantes illis. Vndè & Nathinæi, id eſt, humiles, vel in humilitate ſeruientes, vocabantur. Ex iſtorum numero fuit Nathanael, qui à Domino in Euangelio ſumma laude declaratur, ipſum eſſe Dei filium & regem Iſrael confeſſus eſt.

Tres ſuperiores gradus, Leuitarum, Presbyterorum, Epiſcoporum ſiue Pontificũ. Leuitarum ordo ab ipſa tribu Leui, exordium ſumpſit & nomen. Interpretantur aſſumpti, quòd pro omnibus tribubus aſſumpti erant, & ſeruitio Domini deputati. Et quamuis cæteri quoque minoris ordinis de tribu Leui eſſent, ſpecialiter tamen hic ordo Leuitarum ſub presbyteris dicebatur, qui per ordinationem Aaron & filiorum eius conſecrabantur: excubantes ſemper in templo Dei. Ipſi geſtabant arcam, tabernaculum, & victimarum adipem ſacerdotibus offerebant.

Septimus ordo Sacerdotum vel Presbyterorum, filij ſcilicet Aaron, quibus ſacrificia & holocauſta, atque omnis templi Dei cultus cõmiſſus erat & traditus, quorum erat diſcernere inter profanum & ſanctum, inter immundum & mundum; & quicumq; ſecundum legem mundandus, vel immunditiæ adiudicandus erat, illorum iudicio mundus vel immundus diſcernebatur. Interpretatur autem Presbyter ſenior, qui eligebantur ætate pariter & morum grauitate perfecti, quia Deus in ordinandis mores magis & ſapientiam approbat, quàm ætates.

Hos ſequebatur octauus ordo Pontificum, qui & principes vocabantur ſacerdotum. Super omnes ſacerdotes, vel presbyteros vnus conſtitutus erat Pontifex, cæteris omnibus excellentior, & velut in ſumma religionis arce locatus, ad quem cæteri reſpicerent, eiúſque iudicium decretúmque ſeruarent. Sciendum autem, quia primò vnus Pontifex iubente Domino conſtitutus eſt: quo decedente, filius eius Eleazar ſacerdotium ſuſcepit, & hoc mortuo, filius eius Finees ſacerdotij ſucceſſor extitit: ſicque vſque ad tẽpora Dauid vnus poſt vnum Pontificatus hæredes extitere. Dauid ergò cùm cogitaſſet ædificare templum Domino, & diuinos cultus vellet augere, conuocata omni filiorũ Aaron progenie, & illos ſcilicet qui de Eleazar, & qui de Ithamar ſtirpe deſcenderant, diuiſit eos in partes vigintiquatuor, ac de ſingulis ſingulos Pontifices elegit. Cæteros verò qui in partibus erant ſacer-

A dotij minoris, qui nunc presbyteratus dicitur, officio presbyteratus fungi præcepit: qui Pontifices ſinguli cum ſibi ſubiectis ſacerdotibus, per octonos miniſtrarent dies, hoc eſt, à Sabbato vſque ad Sabbatum. Cúmque omnes ſacerdotali gradu eſſent æquales, vnus tamen in eis qui dignior videretur, ſpeciali reuerentia præminens ſummi ſacerdotis nomẽ haberet. Ipſe quoque rex Dauid primus delegauit, qui Pſalmos in templo Domini modulata voce cãtantes, animos populi ſublimitate & ſuauitate vocis, qua dicebantur, B oblectarent, & ad amorem diuini cultus amplius accẽderent. Hæc de octo gradibus diximus, qui veteris legis tempore obſeruantiſſimè cuſtodiebantur, quod in nouo teſtamento ſuſcepit Eccleſia tanto meliùs, quanto & veriùs: quia illis omnia in figuram contingebant. Quos, quia notiſſimi ſunt, & quid ſingulis conueniat, quidve eis in ſua ordinatione tradatur, frequentiſſimo vſu ſcitur ab omnibus, paulò inferius breuiter eos commemoraſſe ſufficiat.

C

De tonſura Clericorum. Cap. XXXV.

Clericorum autem tonſura à Nazareis fertur ſumpſiſſe exordiũ. Cùm enim quis voto ſe obligaſſet, vt per ieiunium atque aliarum rerum obſeruantiam ſe affligeret, abſtinebat ſe ab omni quod inebriare & ſtatum mentis auertere poſſet, erátque ſemper in templo, vnde & Nazareus, id eſt, ſanctus & Domino conſecratus vocabatur. Impletis autem voti ſui diebus, D veniebat ad templum Domini, & offerebat pro ſe quæ lege præcipiebantur, radebátque capillos capitis ſui & barbæ, partémque pilorum in flamma altaris cremabat, ſicque voti liber redibat ad propria. Fertur beatus Petrus primus huiuſmodi tonſuram ſibi feciſſe ad ſimilitudinem ſpineæ coronæ Domini: ſiue vt clerici à laicis non ſolum differant habitu, verùm etiam tonſura.

De gradibus Eccleſiaſticis. E
Cap. XXXVI.

Cleros igitur Græcè, Latinè ſors dicitur, vel hæreditas Domini. Qui ergò ad clericatus ordinem peruenit, Dei hæreditas eſſe debet: quia hoc debet ſemper præuidere, vt Dominum poſſideat, & ipſe à Domino poſſideatur, vt poſſit dicere cum Pſalmiſta: *Dominus pars hæreditatis meæ.* Legimus in veteri teſtamento Dominum

num

uum dixiſſe ad Moyſen: *Filiis Leui non dabis hæreditatē, ego enim ero hæreditas illorum.* Inde Clerici dicti, eo quòd de ſorte Dei & hæreditate ſint, ſi regulariter viuunt. Si autē non viuunt regulariter, ſicut maximi Clerici, qui totum laicalē habitum ſequuntur, cingentes arma, & cætera facientes, quæ ordo Canonicus prohibet, illi tales non ſunt clerici. Quid ergò ſunt? Acephali, id eſt, ſine capite religionis. Canon Græcè, Latinè regula, eo quòd recto tramite ducat hominē ad cæleſtē patriam, & indè canonicus regularis, eo quòd regulariter debeat viuere, id eſt, rectè in ſancta Eccleſia.

Oſtiarius ab oſtio Eccleſiæ dicitur, quòd ità debet præuidere, ne vllo modo paganus ingrediatur Eccleſiā, quia ſuo introitu polluit eam. Debet etiam cuſtodire ea, quæ intra Eccleſiā ſunt, vt ſalua ſint: quia illi traditæ ſunt claues, & cōmiſſa cura cuſtodiendæ Eccleſiæ.

Lector dicitur à legendo, eo quòd miniſterium legendi habeat in Eccleſia. Illi traditus eſt codex apicum diuinorum, vt diſtinctè ad intelligendū diuinas lectiones pronunciando, populo placeat.

Acolytus Græcè, Latinè Cereoferarius id eſt, cereum ferens. Illorum officium eſt, vt deportent cereos ante diaconū, quando legitur Euangelium in Eccleſia, & non ad effugandas tenebras, præſertim cùm ſol in die rutilet: ſed vt demōſtretur, quòd de tenebris infidelitatis venimus ad lucē fidei, & vt ſignum lætitiæ ſit, quatenùs ſub typo corporalis luminis, lux illa in memoria habeatur, de qua dicitur: *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientē in hunc mundū.*

Exorciſmus Græcè, Latinè dicitur ſermo adiurationis ſiue increpationis: & inde exorciſta, adiurator. Illorum officium eſt, vt ponant manus ſuper dæmoniacos, & per inuocationem nominis Dei repellant dæmones ab eis, dicentes: *Adiuro te immunde ſpiritus per Deum Patrem & Filium, & Spiritum ſanctum, vt recedas ab hoc famulo Dei.* Iſtud miniſterium, vt Canones dicunt, nemo debet vſurpare, niſi qui idem officium habent, aut diaconus, aut ſubdiaconus, aut exorciſta.

Subdiaconus, ſubminiſter, eo quòd ſub Diacono ſit, id eſt, ſub miniſtro. Illius miniſterium eſt, vt miniſtret Diacono, id eſt, deferat ei linteum, ſuper quod conſecrandum eſt corpus & ſanguis Domini. Deferat ei patenam cum oblatis, & calicem in quo vinū & aqua habeatur, quia de latere Domini proceſſit ſanguis & aqua. Peracto ſacrificio, myſteria corporis & ſan-

A guinis Domini, quæ ſuperfuerint, à Diacono colligenda vel deportanda ſuſcipit.

Diaconus Græcè, Hebraicè Leuita, Latinè aſſumptus vel miniſter interpretatur: Aſſumptus quia aſſumitur, id eſt, eligitur ad ſeruitium altaris: Miniſter, quia miniſtrat Presbytero. Ponit linteum in altare, ponit panem & calicem, quæ nec mittendi, nec auferendi habet poteſtatem Presbyter, ſi Diaconus adfuerit. Sicut presbytero officium conſecrandi competit, ità Diacono miniſtrandi.

B Presbyter Græcè, Latinè Senior dicitur, non propter ſenectutem, ſed propter dignitatem, honorem & ſapientiam, quia quicunque Presbyter eſt, ſapiens eſſe debet, vt intelligat ea quæ legit, intelligat orationes quas dicit & diurnis temporibus & nocturnis, intelligat ea quæ cantat in Miſſa. *Verè dignum & iuſtum eſt, Te igitur, Pater noſter,* & cætera, id eſt, omnia cum Symbolo. Adam vixit annis D. CCCC. XXX. Noe D. CCC. & nemo illorum appellatus eſt ſenex. Abraham verò qui ad compara-
C tionem illorum perpaucum vixit tempus, annis videlicet CLXV. appellatus eſt ſenex. Quare? Quia ſapientior illis fuit.

Sacerdos Græcè, Latinè dicitur ſacrum dans, id eſt, ſanctum ſacrificiū offerēs Deo.

Presbyteri poteſtatem habent catechizandi, baptizandi, infirmos benedicti olei vnguine perungendi. His quoque conceſſum eſt officium prædicandi in Eccleſia. Super hos ſunt Epiſcopi, ſicut loco & dignitate, ſic ſanctitatis & eruditionis ſingularitate conſpicui, quibus ſolis eſt poteſtas
D ſacrum chriſma conficere, & baptizatorū frontes ſignare, & per manus impoſitionem Spiritum ſanctum illis tribuere. Habent poteſtatem ligandi atque ſoluendi. Per ipſos quoq; publica populi abſolutio in die cœnæ Domini ſolēni more peragitur. Sciendū autem, quòd primis Eccleſiæ temporibus etiā presbyteri Epiſcopi vocabātur: ſed poſtmodū vtili ſatis prouiſione conſtitutū eſt, vt hoc nomen ſolis Pontificibus tribuatur, quorū maioris gradus excellētia creſcat, & minor ordo menſuræ
E ſuæ limitē recognoſcat: ſitq; differentia in vocabulis, ſicut præcelſior locus honoris.

Epiſcopus Græcè, Latinè dicitur Superintendēs: ἐπὶ ſuper, σκοπεῖν intendere. hinc Epiſcopus ſuperintendens. i. ſuperuidens: quia ipſe debet ſuperuidere vitā ſubiectorum ſuorū, qualiter credāt, qualiter viuāt, qualiter Dei præcepta cuſtodiāt. Antiquis tēporibus in ſingulis ciuitatibus erant turres altiſſimæ conſtructæ: vnaquæq; ciuitas

habebat ſuam turrim, in qua ſtabat ſpeculator aſſiduè, vt à longè poſſet adſpicere ſi exercitus veniret ex aliqua parte: ſi videret exercitum veniẽtem, nunciabat ſtatim Regi, & præparabantur omnes ad bellum contra hoſtem illum. Speculatoris illius ſimilitudinem gerit modò Epiſcopus: quia ſicut ille ſtabat in altitudine turris, ſic Epiſcopus & Presbyter debet conſiſtere in altitudine virtutum. Sicut enim illa turris cæteras domos excellebat, ſic Epiſcoporũ & Presbyterorum vita, debet excellere vitam ſubiectorum: & ſicut ille ſpeculator nunciabat aduentum hoſtis, vt ſe præuiderent ciues, ſic Epiſcopi & Presbyteri debent annunciare populis ſibi ſubiectis aduẽtum nequiſſimi hoſtis diaboli, vt ſe præuideant, ne eius laqueo capiantur. Speculatores animarum dedit Deus Epiſcopos & Presbyteros, iuxta quod ipſe dicit ad Ezechielem Prophetam: *Fili hominis, ſpeculatorem dedi te domui Iſraël.*

Antiſtes quaſi ante ſtãs, id eſt, ante aram. Vnde quidam Antiſtitem dicere volunt. meliùs tamen dicitur, à verbo, anteſto, anteſtas, quod ſignificat, emineo, excello: eo quòd vniuerſum populum dignitate & honore ſupereminеat.

Pontifex, quaſi pontem faciens, eo quòd pontem, id eſt, viam aliis præbere debeat verbo & exemplo, vnde homines tranſeãt ad patriam cæleſtem. Pons autem eſt tabulatum, quod fit ſuper aquas.

Qualiter Epiſcopus ordinetur in Romana Eccleſia. CAP. XXXVII.

CVm Epiſcopus ciuitatis fuerit defunctus, eligitur alius à clero ſeu populo, fitque decretum ab illis, & veniunt ad Apoſtolicum cum ſuo electo, deferentes ſecum ſuggeſtionem, hoc eſt rogatorias literas, vt eis cõſecret Epiſcopum. Tunc Pontifex iubet eum inquiri de quatuor capitulis canonicis, hoc eſt, de arſanoquita, pro ancilla Deo ſacrata, pro quadrupedibus, aut ſi coniugem habuit ex alio viro, quod Græcè dicitur δευτερογαμία. Et ſi de his inculpabilis inuẽtus fuerit, iurat Archidiacono ſuper quatuor Euangelia, deinde confirmat ſuper corpus B. Petri de his inculpabilem ſe fore. Similiter Presbyteri & Diaconi. Poſt hæc reſidente Pontifice, & adſtãte vniuerſo clero, interrogat eos, qui illũ adduxerunt, de conuerſatione ſua, ſeu quot annos in vnoquoq; gradu miniſtrauit. Deinde interrogat eum, ſitne de ipſa Eccleſia, aut de alia: Et ſi de alia eſt, interrogat, vtrũ

A habeat dimiſſoriam ab Epiſcopo ſuo. oſtenſa, recitatur in medium. Quo ſubiungit Pontifex: *Quid vobis placuit* [illegible] Reſpondeant, *Caſtitas, hoſpitalitas, be*[illegible]*tas, & omnia bona quæ Deo ſunt accept*[illegible] Pontifex, *Videte, fratres, ne aliquam p*[illegible]*ſionem feciſſet vobis: ſcimus quòd ſim*[illegible]*cum eſt, & contra Canones.* Illis reſ[illegible]dentibus, *Abſit à nobis*: introducitur electus ante Pontificem, proſtrato eo in terram. Cui Apoſtolicus, *Protegat nos Dominus.* & tunc interrogat de ſuis ordinibus, B atque inſtruit de canonica auctoritate, & dicit: *Quoniam in te bona conueniunt, abſtinebis te hodie, hodie abſtinebis, & craſtina Deo iuuante conſecraberis.* & tunc egreditur foras. Alia verò die quæ eſt Dominica, procedit Pontifex in Eccleſiam cum omni ornatu, præſtolante eum vniuerſo clero atque populo. Quia vero in Dominica ordinatur, & reliqui miniſtri in Sabbato, ſuprà ſcriptum eſt. Ingrediente Apoſtolico in ſacrarium, inchoat ſchola ad introitũ, Antiphonam in ordinatione Pontificis. Completo C introitu, nõ dicitur tum Kyrie eleiſon, ſed mox dicit Apoſtolicus orationẽ. Cantantibus egreditur Archidiaconus cum Subdiaconis & Acolytis, & induit electũ dalmatica ſeu caſula, & introducit eum. & Põtifex: Clerus vniuerſus, & plebs conſentiẽs ciuitatis cum adiacẽtiis ſuis, elegerunt ſibi illum Presbyterũ, vel Diaconum, Epiſcopum ſibi conſecrari: Oremus itaq; nos pro eodem viro, vt Deus & Dominus noſter tribuat ei cathedrã Epiſcopalem ad regendam Eccleſiã ſuam, & plebem vniuerſam. D Deinde inchoat ſchola, *Kyrie eleiſon* cum Litania, proſtrato Domno Apoſtolico in terram ante altare cum ipſo electo, & Epiſcopis ac ſacerdotibus. Finitis litaniis, ſurgunt, & benedicit eum. Illud verò, quod duo Epiſcopi tenẽt codicem Euangeliorũ ſuper caput eius, & vno fundente ſuper eũ benedictionẽ, reliqui, qui adſunt Epiſcopi, manibus ſuis ſuper caput eius tangunt, nõ reperitur in auctoritate veteri, neq; noua, ſed neq; in Romana traditione. Sed & hoc ſciendum, quia reliqui miniſtri poſt Antiphonam ad introitum, & orationem, tunc E ordinantur: Epiſcopi verò poſt reſponſorium cantatum. Quod autem aliqui poſt Euangelium conſecrant Epiſcopum, non dicit vllus ordo. Ad cõmunicandum verò Pontifex porrigit ei formatam atque ſacrã oblationem. Quam accipiens communicat ſuper altare, cætera verò reſeruat ſibi ad communicandum vſq; ad dies quadraginta. Poſtmodũ ex præcepto Apoſtolici

communicat omnem populũ. Qualis autem eſſet antiquitùs conſecratio Epiſcoporum, oſtendit Hieronymus in Epiſtola ad Euagrium: Alexãdriæ,inquiens,à Marco Euangeliſta vſq; ad Eraclidem & Dionyſium Epiſcopos,presbyteri ſemper vnũ ex ſe electum in excelſiori gradu conſtitutum vel collocatum Epiſcopum nominabant, quomodo ſi exercitus Imperatorem faciat,& Diaconi eligant de ſe quem induſtrium nouerint,& Archidiaconũ vocent. Archidiaconus eandem conſecrationem habet quàm cæteri Diaconi, ſed electione fratrũ præponitur. Item Hieronymus ſuper Epiſtolam ad Titum: Antequam ſchiſmata in religione fierent, & diceretur in populis,Ego ſum Pauli,& cætera,communi presbyterorum conſilio Eccleſia regebatur: poſtquàm verò vnuſquiſque quos baptizabat,ſuos eſſe dicebat, non Chriſti: in toto orbe decretum eſt, vt vnus de presbyteris electus ſuperponeretur cæteris, ad quem omnis cura Eccleſiæ pertineret, & ſchiſmatum ſemina tollerentur. Cur à tribus vel quatuor Epiſcopis Epiſcopus ordinetur, Gregorius Papa docet. Tales, inquit, conueniant qui vel in profectu Epiſcopi ordinati gaudeant,vel pro eius cuſtodia omnipotẽti Deo preces effundant. Quare prohibitũ ſit vni hoc facere, Innocentius Papa mõſtrat in Decretalibus cap. IX. ne vnus Epiſcopũ ordinare præſumat, ne furtiuum beneficium præſtitum videatur. Auguſtinus in libro de quãtitate anima,verſum Horatij de ſapiente protulit:

Fortis, & in ſeipſo totus teres atque rotundus.

Hinc ſequitur,& rectè: nam neque in animo bono quicquam inuenis, quod magis ſibi ex omni parte conſentiat, neq; in planis figuris quàm circulum. Superiorem capitis partem raſorio renouamus,cùm forti ſolicitudine ſuperfluas cógitationes ab animo reſecamus: in inferiori parte coronã portamus capillorum, cùm ea quæ ſecundum mundum neceſſariò gubernãda ſunt, cum ratione concorditer coæquamus.

De ſingulis veſtibus quibus ſacerdotes, vel reliqui Ordines in veteri Teſtamento vtebantur.

Cap. XXXVIII.

NVnc dicendum de ſingulis veſtibus, quibus ſacerdotes vel reliqui Ordines in veteri Teſtamento vtebantur. Erant autem octo ſpecies veſtium ſacerdotalium, id eſt,tunica linea ſtricta,tunica hyacinthina,ſuperhumerale, rationale, cidaris, balteum, lamina aurea in fronte Pontificis,& feminalia linea. His omnibus Põtifex tempore ſacrificij induebatur: ceteris verò minoris gradus ſacerdotibus ſolis quatuor licebat vti,id eſt,tunica linea ſtricta,cidari, balteo & feminalibus. Reliqua verò quatuor tantùm ſummi Pontificis erant.

Nunc de ſingulis explanemus. Tunica linea, veſtis erat interior, quam camiſiam dicimus vel ſupparum. Hæc ſtricta dicitur, quoniam adhærebat corpori, & ita erat ſtrictis manicis, vt nulla ei omninò ruga ineſſet: ſicut ſolent milites habere tunicas lineas,ſic aptas mẽbris, vt expediti ſint dirigendo iaculo, tendendo clypeũ,vibrando gladiũ,qualem & Ioab habuiſſe legitur.

Strictam ad menſuram habitus corporis ſui: pro qua nunc ſacerdotes vel clerici albas habent. Tunica tota hyacinthina exterior nullúmque alium colorem recipiens, vſque ad pedes deſcendens, ſicut & linea, vnde & vtraq; Græcè podéris.i. talaris vocabatur, habens ſimilitudinẽ malorũ granatorum aureorum, & tintinabula aurea. Erat autem ſine manicis ad colobiorum ſimilitudinem, & ideò vnde manus educerentur,aperta erat. Pro tunica hyacinthina noſtri Pontifices primò colobiis vtebãtur. Eſt autem colobium veſtis ſine manicis.

Hæ duæ veſtes,id eſt,tunica byſſina ſtricta,& tunica hyacinthina, balteo adſtrictæ erant,quod erat cinguli genus ex byſſo retorta,hyacintho,purpura ac vermiculo,opere plumari, in ſimilitudinem pellis colubri, latitudinis quatuor digitorum. Pro balteo, nunc zonarum,quas Romanas appellant,vſus receptus eſt. Superhumerale quod Hebraicè Ephod dicitur, ſic vocatũ quod humeros obnuberet: cuius cõtextus de omnibus coloribus erat magnitudinis cubitalis, id eſt,vſq; ad cingulũ pertingẽs, amplectẽs omnem locũ pectoris,&ad manus eiiciendas hinc inde apertũ: cui veſtimẽto locus vacuus dimittebatur in medio pectore,magnitudine palmi,vbi inſerebatur rationale,quod Hebraicè dicitur eſſin, & Græcè logion: habebat autem ſuperhumerale in vtroq; humero ſingulos lapides onychinos, & in ſingulis lapidibus erant ſculpta ſingula duodecim Patriarcharum nomina. Habent etiam nunc miniſtri Eccleſiæ Chriſti ſuperhumerale quod amictum vocamus, quãdo ad altare miniſtrãt. Rationale, opere polymito factũ erat iuxta texturam ſuperhumeralis,id eſt, eiſdem coloribus factum erat,quadrangulum,habens menſuram palmi in longitudinem & latitudinẽ. Erant in eo quatuor ordines lapidum,terni per ſingulos verſus diſtributi: ſculpti erant ſingulis duodecim Patriar-

charum nominibus. Erant autem catenulæ aureæ, & vncini aurei: necnon & aurei annuli, tam in quatuor ſummitatibus rationalis, quàm & in ſummitatibus ſuperhumeralis, quæ & catenulæ inſerebantur, iungebántque rationale & ſuperhumerale ſuperiùs, inferiùs verò vittis hyacinthinis ſibi nectebantur. Pro rationali nunc ſummi Pontifices, quos Archiepiſcopos dicimus, pallio vtuntur, quod à ſancta Romana ſede, Apoſtolico dante, ſuſcipiunt. Tiara erat veſtis, pileolum videlicet rotundũ, quaſi ſphęra media ſic diuiſa, vt & pars vna ponatur in capite, ita vt medij verticis medietatem excedat, habens vittas, quæ conuolutæ, ſæpiùs connectuntur, ne facilè dilabantur: & hoc quidem minorum erat ſacerdotum. Summus autem Pontifex præter pileum habebat coronam auream, triplicémq;, ſuper quam à media fronte ſurgebat quaſi calamus quidã aureus, ſimilis herbæ, quæ Hebraicè acano, Græcè autem hios, quæ apud nos Latinè cidaris. Per circulũ verò habebat flores, ſimiles flori plãtaginis, ab occipitio vſq; ad vtrumq; tempus. In fronte verò erat locus patens, vbi inſerebatur lamina aurea, quæ quatuor literis nomen Dei habebat ſcriptũ. Huiuſcemodi veſtis nõ habetur in Romana Eccleſia, vel in noſtris regionibus. Non enim moris eſt, vt pileati diuina myſteria celebrent. Apud Græcos autẽ hoc dicitur, qui pileos, id eſt, cuphias geſtãt in capite, dum aſſiſtunt altaribus. Lamina aurea in fronte Pontificis, in qua ſanctũ Domino ſiue ſanctum Domini ſculptum habebatur, ornamentum erat cæteris ſacratius indumẽtis. Sanctum autem Domino, quod ibi ſculptũ erat nomẽ ſanctũ & venerabile Dei, quod
יהוה per quatuor literas ſcribebatur, ſcilicet, Iod, He, Vau, Heth: & dicebatur, ineffabile, non quòd dici non poſſit, ſed quia nec definiri & comprehendi ſęnſu vllius creaturæ, vt dignè Deo aliquid dici poſſit. Ligabatur autem vitta hyacinthina ſuper tiaram, vt totam Põtificalis ornatus pulchritudinem Dei vocabulũ coronaret ac protegeret. Neq; hanc ornamẽti ſpeciẽ Chriſti accepit ab illis Eccleſia. Octauum, id eſt, nouiſſimum ornamẽtum feminalia linea, quibus operiebant carnẽ turpitudinis ſuæ, ab renibus vſq; ad femina ſiue (vt vſitatiùs) femora cùm ad ſacrificiũ accedebant. Huiuſmodi habitus ita notus eſt in noſtris regionibus, vt ex eo Gallia bracata cognominata ſit. Comprehenſum breuiter, quibus veſtibus ornarentur ſacerdotes & miniſtri templi Dei, Moſaicæ legis tempori-

A bus, quas ad inſtar illorũ reuelata Eu[illegible] lij gratia, ſuſcepit Eccleſia. Sunt tam[illegible] quæ apud illos non habebantur, vt [illegible] ſandalia, & ſudarium, quod ad terge[illegible] ſudorem in manu geſtari mos eſt, qu[illegible] ſitato nomine fanonem vocamus. V[illegible] quia illo tẽpore figuris omnia & ænign[illegible] tibus obũbrabantur, conuenit, vt quid i[illegible] veſtimenta myſticè ſignificauerint, quóve nomine nunc ſpecialiter in Eccleſia venerantur, non verbatim, ſed capitulatim oſtendamus. Veſtimenta illa, quæ in ſanctis
B officiis portanda erant, typus erant ſanctarum virtutum, vnde & ſancta dicebantur. Ad hæc facienda non tam diuerſæ quàm ſpecioſæ ſpecies ſumebantur, aurũ videlicet, quod eſt ſplendor ſapientię diuinæ, cui iũgebatur hyacinthus, qui eſt color aërius, cæleſte videlicet deſideriũ. Purpura apponebatur, quæ ſanguinis imitatur colorẽ, vt per duo genera martyrij nouerint ſe exercendos electi, id eſt, ſi neceſſe ſit, non dubitent mori pro Chriſto, & pacis tempore in ſeipſis appetitus occidant, mortificantes
C membra ſua cum vitiis & concupiſcentiis. Coccus bis tinctus, Dei & proximi dilectionẽ indicat efficaciter tenendã. Byſſus geminam caſtitatẽ, corporis ſcilicet & animæ ſignificat: vnde de verè vidua dicit Apoſtolus, *Vt ſit ſancta corpore & ſpiritu.* His ornamentis debet Chriſti Pontifex refulgere, his coloribus exornari. Tunica linea, & byſſina ſtricta, mortificationem carnis prætendit. Byſſum enim vel linũ, multiplici elaboratũ contuſione, & naturæ ſubtilitate deductum ac textum, in veſtem profi-
D cit. Sic nullus Chriſto ornari poterit, niſi caſtigatis & mortificatis omnibus carnis paſſionibus, vnde & bene ſtricta dicitur. Strictum enim, caſtum dicimus: ecõtrà laſciuum, diſſolutum vocamus. Tunica tota hyacinthina, quæ aërio refulgebat colore, cæleſtẽ deſignat conſeruationẽ: quæ tota erat hyacinthina, quia ſacerdos nihil debet curare terrenũ: *Nemo enim*, ait Apoſtolus, *militans Deo, implicat ſe negotiis ſecularibus, vt ei placeat, cui ſe probauit.* Balteus ſiue cingulum, quo tunica hæc cum interiore, id eſt,
E linea, cingebatur, cõtinentiã inſinuat, quæ mater eſt & cuſtos pudicitiæ, qua maximè ornari Pontifices cõdecet: hanc, qui ingratus eſt Deo, perdit, ſicut Iob de talibus dicit: *Balteũ regum diſſoluit, & præcingit fune renes eorũ.* Regum enim. i. ſanctorũ ſacerdotum balteũ, hoc eſt, pudicam continentiã diſſoluit, id eſt, diſſolui permittit, cùm de ſuis virtutibus extolli cœperint: & præcingit fune aſperæ pœnitentiæ renes eorum,

vt incipiant ſuis caſibus ingemiſcere, qui A aliorum lapſibus debuerant auxilio ſubuenire.

Superhumerale, quod Hebraicè Ephod dicitur, obedientiam mandatorum Dei ſignificat, quo induebatur ſacerdos, vt meminerit præcepta Dei ſtrenuè quaſi onus humeris impoſitũ debere portare. Quod verò nomina Patriarcharum inter ſacrificia & in humeris, ſicut & in pectore portabat, monetur per hoc ſacerdos, vt priorum Patrum fidem & exempla ſequatur, vt fidelium, qui ſunt filij Apoſtolorum, in B ſuis orationibus meminerit, & vt ipſis eadem exempla ſequenda proponat.

Rationale, quod erat in fronte Pontificis, deſignat, quia paſtor ſapientia & doctrina debet præditus eſſe. Nam & ideò rationale iudicij dicitur, quia debet rector Eccleſiæ ſubtili ſemper examinatione bona maláque diſcernere, & quid vel quibus, quando & qualiter cõueniat, ſtudioſè cogitare. Hoc enim quod dicitur, *Pones in rationale iudicij doctrinam & veritatem*, vt videlicet habeat ſcientiam Scripturarum, quo C poſſit alios docere, & contradicentes arguere. Quadrangulum erat, propter quatuor Euangeliorũ doctrinam duplex, propter ſcientiæ & operis firmitatem: Menſura palmi, quod eſt digitorum extenſio, deſignat diſcretionem in perſeuerantia bonorum operum.

Quatuor ordines lapidum, qui erant in rationali, nominibus Patriarcharũ inſculpti, quatuor exprimunt principales virtutes, prudentiam, temperantiam, fortitudinem, iuſtitiam. Terni in vnoquoq; lapides, D fidem ſanctæ Trinitatis, ſiue fidem, ſpem & charitatem demonſtrant. Quæ omnia in pectore Pontificis neceſſariò eſſe debere, huius ornamenti, id eſt, rationalis ſpecie præmonetur. Tiara, quæ & cidaris & mitra vocatur, & contegebat & ornabat caput Põtificis, admonet eum omnes ſenſus capitis Deo conſecrare debere, ne vel oculi pateant ad videndum vanitatem, vel cæteri ſenſus, qui in capite vigent, iniquitati conſentiant, & per illos intromiſſa delectatio inceſtet animi ſanctitatem. Lamina E aurea, diuinæ maieſtatis atque potentię figura eſt, quæ in fronte Pontificis deportabatur, quia illa ineffabilis deitatis potentia cunctis quæ creauit, ſupereminet: & idcircò, quaſi cuncta ſanctificans, eximiam ſibi ſedem in fronte, hoc eſt, in mẽtis principalitate conſtituit.

Quatuor litteræ in lamina ſcriptæ, quatuor ſunt cornua crucis, totum mundum complectentis. cruci enim Chriſti in omni creatura apex conceditur, qua omnium fidelium frontes ſignantur.

Quòd lamina ſemper in fronte Pontificis eſſe videbatur, oſtendit, quia dignitatem, quam prætendit in habitu, exercere ſemper debet in opere, vt Domini placitum ſemper habere, & ſubditorum vota Domino idoneus ſit ſemper offerre. Feminalia, quibus pudenda loca corporis tegebantur, continentiam à concubitu deſignant, quæ magnoperè omnibus gradibus obſeruanda præcipitur. Vnde dicitur, ad velandam turpitudinem. Turpe eſt enim, ſacerdotem nota laſciuæ ætatis infamari, quem conuenit velut in arce caſtimoniæ, ab omnibus ſuſpici & venerari.

Quòd verò feminalia ipſi ſibi imponat, cætera Moyſes deſignat, vnumq; ſe à carnali cõcupiſcentia refrenare debere. Deinde virtutibus ſibi ſubditos, quaſi Moyſen miniſtrum templi, veſtibus exornare.

Quid ſignificent veſtimenta Eccleſiæ.
Cap. XXXIX.

Sandaliæ dicuntur ſoleæ. Eſt autem genus calceamenti, quo induuntur miniſtri Eccleſiæ, ſubterius quidem ſolea muniens pedes à terra, ſuperiùs verò nil operimenti habens, patet: quo iuſſi ſunt Apoſtoli à Domino indui. Significat autem, miniſtrum verbi Dei non debere terrenis incumbere, ſed potiùs cæleſtibus inhiare, & prædicationem ſuam nulli occultare.

Poſt ſandalias in Eccleſiæ veſtimentis, ſequitur ſuperhumerale, quod fit ex lino puriſſimo. Per linum quod ex terra ſumitur, & per multos labores ad candorem ducitur: deſignatur corpus humanum, quod ex terra conſtat. Sicut ergo linum per multos labores ad candorem perducitur, ita corpus humanum multis calamitatibus attritum, candidum & purum eſſe debet ab omni ſorde peccatorum.

Poſteà ſequitur podéris, quæ vulgò alba dicitur. Significat autem perſeuerantiã in bona actione. Hinc Ioſeph inter fratres ſuos, talarẽ tunicam habuiſſe deſcribitur. Tunica vſque ad talum, eſt opus bonum vſque ad conſummationem; in talo enim finis eſt corporis. Ille ergo bene inchoat, qui rectitudinem boni operis vſque ad finem debitæ perducit actionis. Qui enim perſeuerauerit vſq; in finẽ, hic ſaluus erit.

Deinde ſequitur zona, quæ cingulũ dicitur, qua reſtringitur podéris, ne laxè per pedes diffluat. per quã deſignatur diſcretio

omnium virtutum: virtutes enim ſine diſcretione, non virtutes, ſed vitia ſunt: nam virtutes in quodam meditullio ſunt conſtitutæ.

Sequitur orariũ. Orarium. i. ſtola, dicitur eò quòd oratoribus, id eſt, prædicatoribus concedatur. Admonet illum, qui illo induitur, vt memor ſit, ſub iugo Chriſti, quod leue & ſuaue eſt, eſſe ſe conſtitutum.

Dalmatica quæ ſequitur, ob hoc dicitur, eo quòd in Dalmatia ſit reperta. Vſus autem Dalmaticarum à B. Siluestro Papa inſtitutus eſt: nam anteà colobiis vtebantur. Colobium verò eſt veſtis ſine manicis. Significat autem in eo quod eſt ſine manicis, vnumquemq; fidelẽ exercitatũ eſſe debere ad bona opera exercenda. Cùm ergò nuditas brachiorum culparetur, vt diximus, à B. Siluestro Dalmaticarum repertus eſt vſus. Eſt autem veſtimẽtum in modum crucis monens, indutorem ſuum crucifixum eſſe debere mundo, iuxta Apoſtolum, *Mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo.* Habet etiam in ſiniſtra parte ſui fimbrias. Per ſiniſtram partem præſens vita figuratur, quæ diuerſis curis abundat: quæ curæ ſignificãtur per fimbrias ſiniſtræ partis: per dexteram quæ fimbriis caret, futura vita exprimitur, in qua nullæ curæ ſolicitant animas Sanctorum. Inconſutilis etiam eſt, quia in Eccleſia vel in corde vniuſcuiuſque fidelis; nulla debet eſſe ſciſſura, ſed indiſciſſa fidei integritas. Siniſtrũ latus habet fimbrias, quia actualis vita ſolicita eſt, & turbatur erga plurima: At dexterum latus non habet, quia contemplatiua vita nihil in ſe habet ſiniſtrum. Largitas brachiorum, largitatem & hilaritatem datoris ſignificat. Diaconus qui non eſt indutus Dalmatica, Caſula circumcinctus legit, vt expeditè poſſit miniſtrare; vel quia ipſius eſt ire ad comitatum propter inſtantes neceſſitates.

Mappula quæ in ſiniſtra parte geſtatur, qua pituitam oculorum & narium detergimus, præſentem vitam deſignat, in qua ſuperfluos humores patimur. Caſula quæ ſuper omnia indumẽta ponitur, ſignificat charitatem, quæ alias virtutes excellit. De qua Apoſtolus, commemoratis quibuſdã virtutibus, ait: *Maior autem horũ eſt charitas.*

Pallium Archiepiſcoporum ſuper omnia indumenta eſt, vt lamina in fronte Põtificis. Pallium nihil eſt aliud, niſi diſcretio inter Archiepiſcopum & eius Suffraganeos. Pallium ſignificat torquem, quem ſolebant legitimè certantes accipere. Hoc etiam erat lamina illa, vt dixi, quam ſum-

A mus Pontifex circa tempora ferebat, in qua ſcriptum erat nomen Dei Tetragrammaton, id eſt, quatuor literarum, Iod, He, Vau, & Heth. Eſt autem interpretatio Iod principium, He iſte, Vau vita, & Heth paſſio, id eſt, Iſte eſt principium paſſionis vitę. Paſſi igitur ſunt multi ante Chriſtum, ſed nemo eorum per ſuam paſſionem hominibus vitam attulit: Chriſtus verò, cuius ſanguis in cruce fuſus eſt pro totius mundi redemptione, humano generi attulit vitam. Secundùm alium doctorem,

B Iod principium, He iſte, Vau & Heth vita interpretatur: Quod ità poteſt coniungi, Iſte eſt principium & vita Chriſtus. Vocabatur autem hoc nomen ſanctum Domini, vt eſt: *Fecerunt laminam*, id eſt, ſacrauerunt, *ſcripſeruntque in ea ſanctũ Domini*, quod interpretatur ineffabile, non quòd non fari, ſed quod diffiniri, vt eſt, minimè poſſit. Stephanus natione Romanus ex patre Iobio, vt legitur in geſtis Pontificalibus, conſtituit ſacerdotibus, Leuitiſque veſtes ſacras in vſu quotidiano non vti niſi in Ec-

C cleſia. Hinc Hieronymus in libro 14 ſuper Ezechielem. Porrò religio alterum habitũ habet in miniſterio, alterum in vſu vitaq; communi. Sudario ſolemus tergere pituitam oculorum & narium, atque ſuperfluam ſaliuam decurrentem per labia: ſignificat ſtudium mundanæ cogitationis. in manu ſiniſtra portatur, vt oſtendatur in temporali vita tædium nos pati ſuperflui humoris. Varietas ſandaliorum, varietatem ſignificat miniſteriorum. Epiſcopi & ſacerdotis penè vnum officiũ eſt: At quia

D nomine & honore diſcernuntur, etiam & varietate ſandaliorum, vt viſibus noſtris error auferatur. Epiſcopus habet ligaturam in ſuis ſandaliis, quam non habet Presbyter. Epiſcopi eſt huc illucque diſcurrere per parochiam: ne fortè cadant ſandalia de pedibus, ligata ſunt. Presbyter qui domi hoſtias immolat, ſublimiùs incedit. Diaconus quia diſſimilis eſt Epiſcopo in ſuo officio, non eſt neceſſe vt habeat diſſimilia ſandalia: & ipſe ligaturam habet, quia ſuum eſt ire ad comitatum.

E Subdiaconus qui in adiutorio Diaconi eſt, & penè in eodem officio, neceſsè eſt vt habeat diſſimilia ſandalia, ne fortè Diaconus æſtimetur. Sandalia ſignificant, quia prædicator neque cæleſtia debet abſcondere, neque terrenis inhiare.

Signorum vſus, à veteri teſtamento ſumptus eſt. In libro Numerorum dixit Dominus Moſi: *Fac tibi duas tubas argenteas ductiles, quibus conuocare poſſis mul-*

[...]udinem. Officium Miſſæ addidit Cæle- A ſtinus Papa, & conſtituit vt Pſalmi cl. ante ſacrificium pſallerentur antiphonatim ex omnibus, quod anteà non fiebat, niſi tantùm Epiſtola Pauli recitabatur, & ſanctum Euangelium,& ſic Miſſa celebrabatur. Quod nos ità intelligimus, quia ex omnibus Pſalmis excerperet Antiphonas, quæ pſallerentur in officio Miſſæ:nam anteà inchoabatur Miſſa à lectione. Qui mos adhuc retinetur in vigilia Paſchæ & Pentecoſtes. Procedens Pontifex in perſona Chriſti, ducit ſecum Prophetas,id eſt,dia- B conos,qui annunciant ex Euangelio futuram vitam: & ſapientes, id eſt, ſubdiaconos qui ſciunt vaſa Domini diſponere, & quid primò ferendum ſit, quid poſteriùs: & ſcribas, id eſt, acolytos, qui accendunt corda fidelium ex ſcriptura. Procedit in thuribulo thymiama, quod ſignificat corpus plenum odore bono. Poſtquàm præſentatus eſt Eccleſiæ, inclinatus ſtat in exemplum humilitatis Chriſti, in qua factus eſt obediens Patri vſque ad mortem. In ipſa eleuatione dat pacem miniſtris,qui C dextra læuáq; ſunt. Ipſe eſt pax noſtra, per quam reconciliamur Deo. Eandem pacem offert cantoribus qui retrò ſtant: vt illud, *Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis.* Præſentibus dat,abſentibus relinquit: hoc eſt quod ſolemus dicere,innuit Epiſcopus cantori,qui mutat laudem de veteri in nouam,& incipit Trinitatem ſanctam laudare, & dicit, *Gloria patri*, &c. Diaconi quaſi chorus Apoſtolorum,ſtant cum eo humiliati, & dicunt: Domine, doce nos orare. Inde viciſſim duo Diaconi altrinſecus va- D dunt oſculari latera altaris. Quo oſculato, demonſtratur pax, quam eis commendauit Dominus,dicens: *In quamcunque domum intraueritis,dicite, Pax huic domui.* Altare corda electorum ſignificat. Deinde in memoriam paſſionis Chriſti, dicunt cãtores verſum de Pſalterio. Pſalterium inferiùs percutitur, ſuperiùs reboat: & paſſio Chriſti ab inferiori parte habet percuſſuram,à ſuperiori dulcedinem reſurrectionis. Hinc oſculatur Euangelium, in quo duo populi ad pacem redeunt. Deindè trãſit ad dex- E teram altaris. Liquet omnibus,quòd ſemper Chriſtus egit dexteram vitã poſtquàm reſurrexit. Diaconi poſteà ſtant in ordine, vt illud: *Si quis vult poſt me venire*, &c. Epiſcopo aſcendẽte ad ſedẽ, cereoſtrata mutantur de locis ſuis in ordinem vnius lineæ vſque ad altare. Per cereoſtrata, ſignificantur dona gratiarum, per quæ illuminatur Eccleſia. Vnius lineæ poſitio, vnitas eſt Spiritus ſancti in ſingulis donis. Poteſt & ſimpliciter intelligi diſpoſitio cereorum expeditus curſus circa altare miniſtrandi. Teleſphorus natione Græcus ex Anachorita,conſtituit,vt hymnus diceretur angelicus ante ſacrificium. Symmachus poſt Teleſphorum quadrageſimus quintus,cõſtituit vt omni die Dominico, & natalitiis martyrum idem hymnus cantaretur.

Ad Orientem oramus, vt admoneatur animus ad naturam excellentiorem ſe cõuertere, id eſt, ad Deum. Poſt laborem & opus miniſterij Pontifex aſcendit ſedem, in memoriam aſcenſionis Dominicæ, & ſedent cum eo quibus promiſit: *Sedebitis ſuper ſedes duodecim.* Per eos qui ſedent demonſtrantur membra Chriſti in pace quieſcentia: Per eos qui ſtant, in certamine poſita. Cantor ſine aliqua neceſſitate tenet tabulas propter illud: *Laudent nomen Domini in choro*, & reliqua. Hæc iubilatio, quam Sequentiam vocant, illud tempus ſignificat, quando non erat neceſſaria locutio verborum, ſed ſola cogitatione mẽs menti monſtrabit,quod retinet in ſe. Anaſtaſius Papa inſtituit, vt quotieſcunque Euangelium legitur, ſacerdotes non ſederent, ſed circunſtarent. Diaconus portat Euangelium in ſiniſtro brachio, per quod ſignificatur temporalis vita vbi prædicari Euangeliũ neceſſe eſt. Duo cerei qui portantur ante Euangelium, Legem & Prophetas, deſignant præceſſiſſe aduentum Chriſti: Thuribulum, opinionem virtutum de Chriſto procedentem. Cantores more Leuitarum,qui omnia neceſſaria tabernaculi prouidebant, quærunt aquam ad fontem, & ſeruant eam coopertam, vſque ad tempus ſacrificij, & ſic eam mundam offerunt. Sixtus Papa conſtituit adiectionem illam primæuo Hymno, id eſt, *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, &c. Auguſtinus in lib. de Ciuitate Dei VIII. Sacrificium ergò viſibile, inuiſibilis ſacrificij ſacramentum, id eſt, ſacrum ſignum eſt. Ab his perſonis dantur oſcula mutuò in Eccleſia, quæ nullius titillationem libidinoſæ ſuggeſtionis cogunt excitare. Sorgius Papa conſtituit, vt tempore confractionis Dominici corporis, Agnus Dei, à clero & populo decantetur. Triforme eſt corpus Chriſti, eorum ſcilicet qui guſtauerunt mortem, & morituri ſunt. Primum ſcilicet ſanctum & immaculatum, quod ſumptum eſt ex Maria. Alterum, quod ambulat in terra. Tertium quod iacet in ſepulchris. Per particulam oblatæ miſſæ in calicem, oſtenditur corpus Chriſti, quod iam ſurrexit à

mortuis. Per comeſtam à ſacerdote vel populo, ambulans adhuc ſuper terram. Per relictam in altari vſq; ad finem Miſſæ, iacens in ſepulchris vſque ad finem ſeculi.

* al. *Breuis expoſitio Miſſæ.*

*De celebratione Miſſæ, & eius ſignificatione**.

CAP. XL.

Celebratio Miſſæ, in commemorationem paſſionis Chriſti peragitur. Sic enim ipſe præcepit Apoſtolis, tradens eis corpus & ſanguinem ſuum: *Hoc facite in meam commemorationem*, hoc eſt, in memoriam paſſionis meæ. Tanquàm diceret, Quod pro veſtra ſalute paſſus ſum, ad memoriam reuocate, & pro veſtra veſtrorúmque ſalute eadem proferre curate. Hanc Petrus Apoſtolus primus omnium Antiochiæ dicitur celebraſſe. In qua tres tãtummodo orationes in initio fidei proferebantur, incipientes ab eo loco, vbi dicitur: *Hanc igitur oblationem*. Miſſa autem dicitur, quaſi trãſmiſſa, vel quaſi tranſmiſſio, eo quòd populus fidelis de ſuis meritis non præſumens, preces & oblationes quas Deo omnipotenti offerre deſiderat, per miniſterium & orationem ſacerdotis ad Deum tranſmittat, quem mediatorem inter ſe & illum eſſe cognoſcit, confidens per eius orationem atque interceſſionem à malis omnibus liberari, atque creatori ſuo reconciliari, & in omnibus corroborari. Vel Miſſa, vt Iſidorus dicit, dicta eſt ab emittendo. Tempore enim quo ſacerdos incipit cõſecrare corpus Dominicum, dicendum eſt à Diacono poſt Euangelium: Si quis catechumenus eſt, procedat foras. Et quia tunc emittuntur catechumeni ab Eccleſia, qui non debent intereſſe ſacris myſteriis, eo quòd nondùm ſunt perfecti. Siue alio modo poteſt dici Miſſa, eo quòd nos mittat ad Deum. Ideò autem non ab Apoſtolica vel Euangelica lectione, quod maius eſſe conſtat, eadem Miſſa inchoatur, ſed potiùs canendo & pſallendo, quatenus dulcedo ſuauitatis corda audientiũ prius demulceat, & ſic poſt modulationem ſuauis cantilenæ in ſpiritualibus rebus populus per compunctionem mentis intentus, ſalutifera Euangelij verba ardenti affectu ſuſcipiat. Quòd autem populus Dominico die, ſiue ſolennitatum, ad Eccleſiam confluit, ad imitationem Iſraelitici populi creditur fieri, qui temporibus ſtatutis ad templum Domini confluebat, & ſex diebus operans, ſeptimo ab omni opere ſeruili requieſcere iubebatur, non tamen à meditatione legis. Sic enim ait A-

A poſtolus: *Moyſes habet in ſingulis ciui[...] qui eum per ſingula Sabbata prædicent in [...]gogis.* Vnde & canticum Moyſis per [...] Sabbatum in Eccleſia recitare mos [...]ſiaſticus conſueuit. Et quod illi facie[...] Sabbato, qui primus apud illos in [...] hebdomadis habebatur, quoniã in ip[...]quieuit Deus ab operibus ſuis: nos pr[...] reuerentiam Dominicę reſurrection[...] Dominica agere curamus. Neceſsè [...]nim vt populus Dei eo die, quo Do[...] reſurrexit, à ruralibus vacans operib[...] B ſtruatur, quomodò per totam hebd[...]dam ſpiritaliter Deo viuere debeat: & qui per totam hebdomadam curam corporis morituri indeſinenter egit, eo die curam animæ in perpetuum victuræ agere curet. Primò omnium dicitur Antiphona ad introitum. Antiphona ex Grçco interpretatur vox reciproca in Latinum duobus alternatim pſallentibus ordine commutato, ſiue de vno ad vnum. Quod genus pſallẽdi Græci inueniſſe traduntur: quæ ideò ad introitum dicitur, quia per hanc introi- C mus ad officium diuinum, ſicut per introitum oſtij ad ſecreta domus. Deinde imponitur: *Gloria Patri & Filio & Spiritui ſancto.* Quæ verba ad diuiſionem Pſalmorum, qui prius indifferenter canebantur, B. Hieronymus, Damaſo Papa petente, compoſuit. Sed cùm nequaquàm id ſufficeret, prædicto Apoſtolico iterum ſuggerente addidit adhuc: *Sicut erat in principio*, &c. Et hoc ad nutum Diaconi ait cantor, ſicut & *Kyrie eleiſon*, quia ad hoc in miniſterium admittitur, vt officium integrè peragi poſ- D ſit. Quoniam Presbyter ſine Diacono nomen habet, officium non habet. Induit Diaconus Dalmaticam in ſimilitudinem crucis, vt qui miniſter verbi Chriſti, paſſionem illius ad memoriam reuocans, ſicut Chriſtus crucifixus eſt pro ſalute mundi, ita & miniſter verbi ipſius ſemetipſum vitiis & concupiſcẽtiis crucifigere non obliuiſcatur, pro amore Redemptoris. Quod eadem veſtis candiditatem habet, oſtendit miniſtrum Chriſti candorem caſtitatis mẽte ſimul & corpore habere debere, qui au- E ctoritatem Euangelium prędicandi [...] Eccleſia retinet. Habet & coccineas virgulas, ſanguinem Chriſti pro ſalute mundi effuſum declarantes. Præcedentibus ad altare miniſtris, in medio eorum propter debitum honorem Euangelium Chriſti defertur, tanquam perſona præpotentis, præcedentibus ac ſequentibus miniſtris conſtipata, cum procedit in publicum. Cerei quoque Euangelium præcedentes, demõ-

gratia Euangelij mundum, qui erat A in tenebris peccatorum, illuminatum. Quòd autem eadem proceſſio Euangelij ab Auſtrali parte fit in plagam Septentrionalem, declarat Dominum Ieſum Chriſtum, qui verbum ſalutis mundo intulit, à parte meridiana ortum eſſe. Nam Hieruſalem in qua Dominus Ieſus Chriſtus primò verbum ſalutis annunciauit, in Meridie habet Bethleem, à quo loco ipſe Saluator venit, ſicut ſcriptum eſt: *Deus ab Auſtro veniet.* Cantore incipiente *Kyrie eleiſon*, collocantur cerei in ordine à parte B Auſtrali in Septentrionem ab Acolyto, oſtendente hoc facto, quòd miſertus ſit Dominus omnipotens mundo, in Meridie & Septentrione. Ideo autem *Kyrie eleiſon*, & Latini Græcè, & Græci Latinè proferunt, quia & illorum quædam Græca honeſtiùs quàm Latina, & quædã Latina meliùs quã Græca ſonant, & vt vnum eius populum nos eſſe oſtendamus, vnúmque Deum vtrunq; populum credere, *Kyrie*, Domine, *eleiſon*, miſerere, *Chriſte eleiſon*, id eſt, qui es vnctus non oleo viſibili, ſed plenitudine C diuinitatis, miſerere. Nam chriſma dicitur vnctio. Incipit deinde Sacerdos: *Gloria in excelſis Deo*, Hymnum in natiuitate Saluatoris ab Angelis decantatum: ſed à B. Hilario Pictauienſi poſteà actum & conſummatum, & hoc ipſum ad imitationem Angelorum, vt oſtendamus nos eundem Dominum colere in terris, quem & Angeli venerantur in cælis. Poſtea dicit Sacerdos: *Dominus vobiſcum*, ſalutans populum & orans, vt Dominus ſit cum eis, ſicut dignatus eſt dicere per Prophetam: D *Inhabitabo in illis*, & reliqua: & quod Saluator dixit diſcipulis ſuis, & in illis, omnibus fidelibus: *Ecce ego vobiſcum ſum.* Qui ſalutationis ſermo non humano arbitrio compoſitus, ſed ex diuinæ ſcripturæ auctoritate probatur ſumptus, vbi frequenter & ſingulariter & pluraliter poſitus legitur ſingulariter, ſicut Angelus ad B. Mariam: *Aue gratia plena Dominus tecum*: & ſicut ad Gedeonem ſimiliter Angelus ſalutando dixit: *Dominus tecum virorum fortiſſime*: Pluraliter, ſicut in libro Ruth legitur Booz ſa- E lutando dixiſſe meſſoribus ſuis: *Dominus vobiſcum*: & ſicut in Paralipomenon Propheta à Deo miſſus, inuenitur ſalutaſſe Aza Regem Iuda cum exercitu ſuo victores de prælio reuertentes: *Dominus vobiſcũ, quia fuiſtis cum Domino.* Eccleſia ergò tam ſalubri ſalutatione ſacerdotis accepta, & ipſa reſalutãdo orat, & orando reſalutat: poſtulãs, vt ſicut ille optauit Dominũ eſſe cum ipſis,

ita ſit & cum ipſo, dicens: *Et cum ſpiritu tuo*, id eſt, cum anima tua ſit omnipotens Deus, vt dignè pro noſtra ſalute eum exores: & non dicit, *Tecum*, ſed, *cum ſpiritu tuo*, vt officium ſubſecuturum ſpiritaliter totum fieri intelligatur. Et benè Dominus cum ſpiritu hominis eſſe optatur, quia in ſpiritu & mente rationali creatus eſt homo ad imaginem & ſimilitudinem Dei, & ibi eſt capax diuinæ gratiæ & illuminationis. Sed & illa ſalutatio Epiſcopalis ad populum, qua dicitur, *Pax vobiſcum*, ſiue *Pax vobis*, ſimiliter non humano ſenſu inuenta, ſed de ſcripturæ ſanctę auctoritate ſumpta eſt. Nam & in veteri teſtamento inuenitur dixiſſe Angelus Danieli Prophetæ: *Noli timere, vir deſideriorum: pax tibi, confortare, & eſto robuſtus.* Et in nouo, id eſt, in Euangelio, penè ſemper ita legitur Dominus Apoſtolos ſalutaſſe dicendo: *Pax vobis*, & eiſdem Apoſtolis eandem ſalutationis formam commendauit, dicens: *In quãcunque ciuitatem aut domum intraueritis, ſalutate eam, dicentes: Pax huic domui.* Meritò ergò & Apoſtolorum ſucceſſores, id eſt, Eccleſiarum præſules, hac ſalutatione vtuntur, domum Dei ſalutantes, vbi omnes oportet filios eſſe pacis, vt ſalutatio pacis ſuper eos requieſcens, & ſalutantibus & ſalutatis poſſit eſſe fructuoſa. Deindè dicit, *Oremus*, inuitans ſecum populum, vt ſimul orent. Quapropter acliuis debet eſſe populus, vſquequò ſacerdos incipiat dicere: *Per omnia ſecula ſeculorum.* Sequitur Collecta, quæ dicta eſt à collectione, eo quòd ex auctoritate diuinarum Scripturarũ ſint collecta quæ in Eccleſia leguntur, ſicut eſt illa de tribus pueris: vel quod ex multis ſermonibus vna colligatur oratio, ſiue à collectione vel ſocietate dicitur populi, qui tunc in vnum concurrens colligitur. Ideò autem in omnibus Collectis interponitur, *Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum*, &c. vt omne quod datur à Patre, intelligamus per Filium eius nos accipere, cuius hæreditas ſumus. Per ipſum ergò hoſtiam laudis atque orationis offerimus, qui per mortem ipſius reconciliati ſumus, cùm inimici eſſemus. Dicens verò ſacerdos. *Qui tecum viuit & regnat*, admonet populum, vt credat filium Dei viuere & regnare ſemper ſine initio, & ſine termino, & vnam poteſtatem habere æqualiter cum Patre & Spiritu ſancto, atque vnam ſubſtantiam. *Amen* verò cõfirmatio eſt orationis à populo. Interpretatur enim, verè, ſiue fideliter, tanquàm reſpondens populus dicat: verè ita fideliter credimus ſicut dicis, filium vi-

delicet Dei ante omnia ſecula, & in præſēti & in futuro regnare cum Patre & Spiritu ſancto, & regnum ac poteſtatem eius nullo fine concludi. Deinde ſequitur lectio Apoſtolica ante Euangelium, non cauſa dignitatis, ſed ad morem Apoſtolorum, qui ante Dominum ibant, ſicut narrat Euangelium, quos mittebat Dominus ante ſe binos & binos. Epiſtola autem dicitur ſupermiſſa, eo quòd ſuper vetus Teſtamentum & Euangelium miſſa ſit, non cauſa dignitatis, ſed vt quiſque qui Euangelium fuerit ingreſſus, ibi inueniat medicinam ſalutis. Incipiente autem Subdiacono Apoſtolicam lectionem, verſo ordine cerei transferuntur ab Oriente in Occidētem, vt demonſtretur, per vocem & per prædicationem Apoſtolorum totum mūdum gratia fidei illuminatum, non ſolùm à Meridie in Septentrionem, ſed etiam ab Oriente in Occidentem. Nomine enim Orientis & Occidentis, omnia climata mundi comprehenduntur, & quòd tot diebus Sol ſua præſentia ea illuſtret, ſicut ibi: *Venient ab Oriente & Occidente.* Poſtmodùm cantatur Reſponſorium, dictum, quòd à capite repetatur. Deinde cantatur *Alleluia*, quòd ex Hebræo in Latinum interpretatum ſonat, *Laudate Deum.* nam *Alleluia* dicitur, Laudate: Ia, nomen Dei eſt, vnum ex decem nominibus quibus vocatur Deus apud Hebræos. *Alleluia* autem, primùm in nouo teſtamento additum eſt, dicente Ioanne: *Audiui vocem in cælo dicentium, Alleluia.* & quia hac voce angelos in cælo Deum laudare cognouimus, huiuſmodi voce laudationis creditum eſt Deum delectari. Hoc quoque ideò canimus, vt eundem Deum nos colere in terra oſtendamus, qui etiam colitur ab angelis in cælo, & hoc ante lectionem Euangelicam à cantore interponitur, vt laudetur ab omnibus, cuius gratia ſaluantur omnes, quaſi dicat: Quia verba Euangelij ſalutem conferentia mox audituri eſtis, laudate Dominum, cuius beneficio hanc gratiam percipere meruiſtis. Defertur Euangelium ad analogium, præcedentibus cereis: vt oſtēdatur, gratia ipſius mundum illuminatum. Verba Euangelij Leuita pronunciaturus, contra Septentrionem faciem vertit: vt oſtendat verbum Dei & annunciationem Spiritus ſancti contra eum dirigi, qui ſemper Spiritui ſancto contrarius exiſtit, & in nullo ei communicat. Quos enim Spiritus ſanctus, qui eſt Deus, ad fidem colligere deſiderat, diabolus diſpergere ab vnitate Eccleſiæ, & integritate fidei laborat. Sicut

A enim per Auſtrum, qui ventus eſt ca[...] & leniter flat, Spiritus ſanctus deſign[...] qui corda quæ tangit, ad amorem dil[...] nis inflammat: ita & per Aquilonem [...] durus & frigidus eſt, diabolus intellig[...] qui eos quos poſſidet, ab amore chari[...] tis atque dilectionis, torpentes & frigi[...] reddit. Quòd enim per Aquilonem [...] bolus deſignetur, oſtendit Propheta [...] cens: *O Lucifer, qui dicebas in corde tuo* [...] *debo in lateribus Aquilonis*, & reliqua. Crucem in fronte ponit Diaconus, adnunciaturus B verba vitæ, vt oſtendat ſe diſcipulum illius eſſe, qui crucem pro totius mūdi ſalute ſuſtinuit. Deinde in pectore, vt omnis vana & immunda cogitatio ab eius corde pellatur. Salutat & populum, dicēs: *Dominus vobiſcum*, quatenus corda illorum à mundanis cogitationibus Dominus emundet, & ad ſuſcipienda verba ſalutifera aperire dignetur. Ad cuius ſalutationē populus crucem in frontibus ponit, vt à malis cogitationibus corda ſua emundet, vt ad intelligenda verba ſalutis pura permaneant. Dicit Diaconus: *Sequentia ſancti* C *Euangelij ſecundum Matthæum*, eo quòd poſt præcedentia, Euangelij ſequantur illa. Vndè quando initium alicuius Euangeliſtæ legitur, non dicit Sequentia, ſed Initium. Idcircò autem ſecundùm Matthæum, aut Marcum, aut Lucam, vel Ioannem, vt ſciatur, ſecundum quem Euangeliſtam lectio illa legatur. Poteſt & ita intelligi, quòd dicit Sequentia, vt ea quæ ſequuntur poſt ſalutationem, in illa lectione ſecundùm illum Euangeliſtam contineantur. Hinc ſequitur Euangelium, quod de Græco in Latinum, ſonat bonum nuncium. D Et quod eſt melius nuncium, quàm iſtud, *Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cælorum*; quæ in Euangelio dicuntur de incarnatione filij Dei, & de eius miraculis, prædicatione, & reſurrectione, atque aſcenſione, de gloria quoque electorum, & damnatione reproborum. Perlecto Euangelio, iterùm ſe ſigno Crucis populus munire feſtinat, vt quod ex diuinis eloquiis ad ſalutem percepit, ſignatum ſigillo Crucis, atque munitum, permaneat, ne à mentibus eorum diabolica fraude euacuari E valeat. Poſt recitatum Euangelium iterùm Sacerdos populum ſalutat, orans in in cordibus eorum verba ſalutis, quæ perceperunt à Domino confirmari, & inuitat illum ſecum, pariter ad Orationem, dicēs: Oremus. Sed licet apud nos tunc Collecta inter Euangelium & offerendam non dicatur, apud Græcos tamen dicitur. Ita au-

.n poteſt intelligi ſecundum quod apud nos ſit, vt omnis populus oblationi inſiſtere iubeatur, dum oblaturi intentionem ſuam offerunt, quatenus illorum oblatio accepta ſit Domino. Sequitur deindè Offerenda, quæ indè hoc nomen accepit, quòd tunc populus ſua munera offerat. Sequuntur Verſus, à vertendo dicti, quòd in offerenda reuertantur, dum repetitur offerenda. Suſcipit interim Sacerdos à populo oblata, vt ipſe qui eſt inter Deum & ipſum populum mediator, preces eorum & vota Dòmino offerat. In qua oblatione aqua miſcetur vino. Per vinum ſignificatur Chriſtus, per aquam autem populus: & ſi vinum offertur ſine aqua, videtur ſignificare, quòd paſſio Chriſti nihil profuerit generi humano: Si autem aqua ſine vino, videtur ſignificare ſaluari potuiſſe populum ſine Chriſti paſſione. Vtrumque ergò miſcetur ſimul, vt intelligatur, paſſione Chriſti mundum ſaluatum, & ſine ea mundum non potuiſſe ſaluari. Quòd autem ſacerdote oblationem ſuſcipiēte, clerus Deo laudes interim perſoluit, ad imitationem populi Iſrael ſumptum eſt, qui oblationes & vota cum laude modulationis Deo offerre conſueuerat. Poſt oblationem ponitur incenſum ſuper altare, dicēte ſacerdote: *Dirigatur oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo*, &c. Hoc eſt dicere, Sicut incenſum gratum eſt & acceptum in conſpectu populi, ita fiat oratio mea acceptabilis in conſpectu tuo. Quibus expletis, conuertit ſe ſacerdos ad populū, poſcens vt iungant preces ſuas precibus eius, & mereatur exaudiri pro ſalute illorum. Hoc autem dicendum eſt à ſacerdote cum ſilentio: *Orate pro me fratres, Vt meum pariter & Veſtrum ſacrificium acceptum ſit Domino.* Adclinans ergò ſe populus, orare debet ita: *Sit Dominus in corde tuo & in ore tuo, & ſuſcipiat ſacrificium ſibi acceptum de ore tuo, & de manibus tuis pro noſtra omniumque ſalute, Amen.* Vel hoc dicant omnes: *Exaudiat te Dominus in die tribulationis, protegat te nomen Dei Iacob.* vſque, *pingue fiat.* Corporale cui ſuperponitur corpus Dominicum, non aliud quàm lineum eſſe oportet, quoniam Ioſeph linteum mundum legitur emiſſe, vbi corpus Dominicum inuoluit, Nam & linum, purum germen eſt terræ: & Dominus purum & verum corpus habuit, non ſimulatum. Et ſicut linum per multos ſudores peruenit ad candorē, ita Ieſus Chriſtus multis affectus paſſionibus, migrauit ab hoc ſeculo, & ad candorem reſurrectionis, atque immortalitatis perductus eſt. Ita

A ergo, qui corpus Chriſti in ſe recipere deſiderat, per multos bonorum operum labores, & per caſtitatem mentis & corporis debet ſe reddere mundum & candidum. Quod ita plicari debet, vt nec initium, nec finis appareat, ſicut etiam ſudarium in ſepulchro Domini inuentum eſt. Sudarium eſt ligamentum capitis. Per caput diuinitas deſignatur, quia caput Chriſti Deus. Inuolutio autem hoc ſignificat, quia Chriſtus, qui in humanitate habuit initium naſcendo, & finem moriendo, in

B diuinitate neutrum horum, ſed ſemper eſſe habuit. Dicit ſacerdos collectā ſuper oblata, & in eius fine, *Per omnia ſecula ſeculorum*, vt ſupra. Hucuſque præfatio, id eſt, prælocutio, & allocutio populi, hinc ſequitur exhortatio: *Sursùm corda.* Hortatur enim ſacerdos populum, tamquàm dicat: Iam Apoſtolicis & Euangelicis præceptis ſufficienter inſtructi & confirmati, corda veſtra à terrenis curis ſurſum ad Dominū dirigite, vt ſacrificium, quod Deo offerendum mihi obtuliſtis, dignè offerre valeam.

C Reſpondet populus: *Habemus ad Dominum*, quaſi dicat, corda noſtra, vt præcipis, erecta habemus ad Dominum, vt ſuſcipere dignetur votum noſtrum. Hortatur iterùm: *Gratias agamus Domino Deo noſtro*, ſimul ego & vos. ſubaudis, de omnibus bonis ab illo præſtitis. Reſpondet populus & affirmat, dicens: *Dignum & iuſtum eſt*, vt illi gratias agamus, Domino Deo noſtro. Hanc exhortationem, quæ ſequitur, Gelaſius compoſuiſſe dicitur. Affirmat ſacerdos populi vocem, & conuertit ſe ad

D Deum patrem, dicens: *Vere dignum & iuſtum eſt*, id eſt, ſicut populus tuus reſpondet tibi gratias agere, dignum, iuſtum, & æquum idipſum eſt: *Salutare*, id eſt, ſalute plenum, quoniam ad noſtram corporis & animæ ſalutem pertinet, ſi dignè illum laudemus. Poſt confeſſionem populi, dignum eſſe & iuſtum vt Deo gratiæ rependantur, intermiſſo populo cui loquebatur, iam conuertit ſe ſacerdos ad Deum patrē, & tanquàm ad preſentem incipit loqui, dicens: *Nos tibi gratias agere*, & hoc non ad

E horam, ſed *ſemper*, id eſt, omni tempore, & in proſperis & in aduerſis, *Vbique*, id eſt, omni loco. *Domine ſancte*, qui dominaris omnium quæ in cælis ſunt, & quæ in terra, & qui omnia ſancta tua benedictione ſanctificas vt ſancta ſint. *Pater* Græcè, Latinè dicitur genitor. Deus enim ineffabiliter genuit filium ante omnia ſecula: *Omnipotens* dicitur Deus, quia omnia poteſt, quæ illum decent. Mentiri non poteſt, quia

veritas eſt: mori non poteſt, quia immortalis, immò vita eſt. Mutari non poteſt, quia immutabilis eſt. Omnipotens enim dicitur faciendo quod vult, non patiendo quod non vult. Æternus eſt Deus, quia nec initium habuit, nec terminum habebit, quia nec cœpit nec deſinit. Gratiæ autem quas debemus offerre, per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum offerendæ ſunt, qui eſt mediator inter Deum & nos, & qui eſt Pontifex Pontificũ. Chriſtus Græcè, Latinè dicitur vnctus. Vnctus eſt Dei filius ſecundum humanitatem, non oleo viſibili, quo vngebantur reges & ſacerdotes, verum regem & ſacerdotem præfigurantes, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, ſed plenitudine diuinitatis & dono gratiæ, quòd viſibili ſignatur vnguento, quo baptizatos iungit Eccleſia. Chriſtus tamen non tunc eſt vnctus Spiritu ſancto, quando ſuper eum baptizatum ſicut colũba deſcendit. Tunc enim corpus ſuum, id eſt, Eccleſiam præfigurare dignatus eſt, in qua baptizati accipiunt Spiritum ſanctum. Sed myſtica vnctione tunc vnctus eſt, quando veniente * ad Mariam Virginem vterus repletus eſt Spiritu ſancto, hoc eſt, quando humana natura ſine vllis præcedentibus bonorum operum meritis, Deo vero in vtero virginis eſt ita vnita, vt cum illo vna fieret perſona: vnde & ob hoc cõfitemur illum natum de Spiritu ſancto ex Maria Virgine. Vnctione autem olei deſignatur plenitudo Spiritus ſancti, quoniam ſicut oleo optimo corpus perfuſum recreat illud, atque recreans iocundius reddit: ſic & gratia Spiritus ſancti, cor quod repleuerit, in amore & dilectione Dei perfectè reparans, omnem timoris mœſtitiam, quam pro peccatis primò contraxerat, ab ore repellit, & in charitatis perfectione confirmans, de ſpe vitæ æternæ exultationis gaudium ſubminiſtrat. *Per quem* Chriſtum *maieſtatem tuam laudant Angeli*, quia per illum ſunt creati, & non ſolùm angeli per illum laudant Deum patrem, verùm etiam illæ virtutes cælorum, quæ ſuper alias dominationem & poteſtatem habent. Hi ergò tam beati & ſublimes ſpiritus per Chriſtum maieſtatẽ Dei laudant, ſicut ad eos congratulando dicitur in Pſalmo: *Laudate Dominum omnes virtutes eius.* Adorant quoque eandem diuinam maieſtatem, ſicut in hymno confeſſionis Eſdrę ad ipſum Dominum dicitur: *Exercitus cæli te adorant.* Tremunt etiam, ſicut per figuram de eis in libro Iob dicitur: *Columnæ cæli contremiſcunt, & pauent ad nutum eius.* Qui tamen tremor

A ne eis pœnalis ſit, non timoris eſt, ſ[illegible] mirationis. Cùm igitur in cæleſtibus [illegible] ſit deuotio laudantium, veneratio ad[illegible] tium, tremor admirantium, con[illegible] hoc homo cui dictum eſt: *Quid ſuper[illegible] ra & cinis?* audiat Apoſtolum mone[illegible] *Cum metu & timore, & tremore veſtra[illegible] rum ſalutem operamini.* Cæli quoque q[illegible] Chriſtum facti ſunt, tunc laudant [illegible] patrem, quando nos prouocant ad [illegible] dem eius. Cælorum quoque virtu[illegible] Seraphim concelebrant, id eſt, in [illegible] B mune celebrant concordi deuotio[illegible] & communi gaudio laudant. Nam c[illegible] tas eſt conuentus populi in laude: & celebrata dicimus, in celebri, id eſt, frequentiſſimo conuentu acta. Ideò autem dicitur, quia maieſtatem *ſocia*, id eſt, iuncta *exultatione concelebrant*, quoniam ſine intermiſſione laudantes, viciſſim de illo & de ſe in illo lætantur. Hunc ergo omnium creatorem & rectorem laudant & concelebrant cæli, ſicut eum laudant ſol & luna, ſtellæ & lumen. Vnde in Pſalmo C dicitur: *Laudate eum ſol & luna*: vſque, *aquæ quæ ſuper cælos ſunt.* In hymno quoque triũ puerorum, Dei ad laudem elementa omnia prouocantur: non quòd elementa muta habeant ſenſum laudãdi, ſed quòd cuncta bene cogitata, laudem pariant, & impletur cor conſideratione creaturę ad eructandum hymnum creatori. Et quia longũ fuit in iſta gratiarum actione totos angelorum ordines, qui in ſcripturis nouem inueniuntur, ponere, ſigillatim poſt cælos ponuntur virtutes, quo nomine omnes D cæleſtes ſpiritus generaliter appellari ſolent, vt in Pſalmo: *Dominus virtutum ipſe eſt rex gloriæ.* Et iterùm: *Verbo Domini cæli firmati ſunt, & Spiritu oris eius omnis virtus eorum.* Ad vltimum ponuntur Seraphim, qui eſt ſummus ordo angelicorum Spirituum, & verè beata, quæ ex ſingulari propinquitate creatoris ſui incomparabili ardent amore. Vnde & ardentes vel incendentes interpretantur. Sciendum autem, quòd Cherubim & Seraphim per M litteram prolata, iuxta proprietatem linguæ E Hebrææ, maſculini ſunt generis & plurales numeri tantùm. Si autem per N. litteram dicantur, ſicut in Pſalmis & hymnis, & in præſenti gratiarum actione ponitur, Græca declinatione in neutrale genus mutantur. Velut cùm dicimus lucida ſidera, ſpecioſa nemora, iucunda littora, ſic & beata Seraphin neutro genere, & plurali numero accipiamus. Vt autem ad ſolum Patrem dirigatur oratio, cùm totius ſan-

ctæ

ctæ Trinitatis,ſicut vna eſt diuinitas,ita æqualis honor & glorificatio, id Apoſtoli ſancto per eos ordinante Spiritu ſanxerũt, vt qui multorũ deorum errores vnius Dei prædicatione nitebantur euellere,ſubTrinitatis ſacramento vni perſonæ in ſacrificiorum ritu eſſe ſupplicandũ decernerent: ne qui vnum Deum prædicabant,in pluralitem diuinitatis numerum inciſiſſe argueretur,& quia Pater & Filius & Spiritus ſanctus, vnius Deitatis, vnius naturæ, vnius ſubſtãtiæ,vnius deniq; poteſtatis exiſtunt, vna ex eis perſona propter vnitatis myſterium retinẽdum in ſacrificio inuocaretur. Nec alia debuit, niſi quæ prima eſt, in qua duæ cæteræ naturaliter manentes exiſtunt. *Cum quibus & noſtras voces*, & reliqua. Voces angelorũ ſunt in laude conditoris,ipſa admiratio intimæ cõtemplationis. Quales ergo oportet eſſe voces noſtras, quas in cõſpectu Dei cum Angelicis laudibus deprecamur admitti,id eſt,intromitti? vtique tales voces non ſunt in ſono oris, ſed in deſiderio cordis. Voces enim apud ſecretiſſimas aures Dei nõ faciunt verba noſtra, ſed deſideria:& quia ſuperna ciuitas ex Angelis & hominibus conſtat, meritò ſancta Eccleſia, quæ illis ſocianda eſt in cælo, & & cum illis in Dei laudibus permanſura, iam nunc ipſis vocibus Deum laudant in terris, quibus eum ſancti Angeli laudãt in cælis. Et hoc non ſuperba præſumptione, ſed ſupplici confeſſione,id eſt,humili laude: ſic deſiderans maieſtatem Dei credere & confiteri in mundo,ſicut ab Angelis videtur & laudatur in cælo. hæc enim confeſſio non eſt peccati,ſed laudis & gratiarũ actionis. Vna igitur confeſſione,id eſt,laude & gratiarũ actione iam nunc homines cum Angelis ſociantur,laudantes de cæleſtibus & terreſtribus, tanquam eum qui fecit cælum & terram, & dicentes, *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth, pleni ſunt*, & reliqua. Iſtæ ſunt voces Angelorũ laudantiũ in cælis. Hunc hymnum gloriæ Dei,&Eſaias ſe audiſſe teſtatur,& Ioannes in Apocalypſi. Ergo nõ humano arbitrio, ſed vtriuſq; ſcripturæ auctoritate coniuncta, dicimus ter *Sanctus*, & ſemel *Dominus*, vt oſtendamus omnipotentem Deum, & Trinitatem in perſonis habere, & vnitatẽ in ſubſtantia. Sabaoth autem vnum eſt ex decem nominibus Dei apud Hebræos, & interpretatur,Exercituum,ſiue Virtutum, vel Militiarum. Dominus autem Sabaoth, Dominus omnipotens dicitur,quia omnis exercitus & militiæ virtutéſque Angelorũ illi ſeruiunt. Angelicos autem ſpiritus, recte militiam dicimus, quia decertare eos contra aëreas poteſtates non ignoramus. Quæ tamen certamina non labore,ſed imperio peragunt,quia quod agendum contra immundos ſpiritus appetunt, ex adiutorio cuncta regentis poſſunt. Gloria, id eſt, diuinitate eius pleni ſunt cæli & terra, & omnia implet,iuxta quod ipſe dicit: *Cælum & terram ego impleo*. Adiunguntur autem huic hymno Angelorum, ſumpta ex Euangelio verba turbarum laudantium Deum & regem noſtrum venientem Hieroſolymam, atq; dicentium: *Oſanna in excelſis*, & reliqua. Ita enim ex ſcriptura Prophetica & Euangelica cõpletur plena laudatio, cùm poſt laudem & gloriam ſanctæ Trinitatis adiungitur etiam gratiarũ actio de aduentu Saluatoris, qui vnus ex ipſa Trinitate pro ſalute noſtra homo factus eſt,& eandem ſalutem moriendo & reſurgendo perfecit. Vnde meritò illi gratias agentes,dicimus: *Oſanna*, id eſt, ſalus in excelſis. Vnde in Pſalmo, *Domini eſt ſalus*. Rectè quoque ſubiungitur: *Benedictus qui venit in nomine Domini*, iuxta quod ipſe ait in Euangelio: *Ego veni in nomine Patris mei*. Aſſumunt autem laudis verſiculum turbæ de Pſalmo CXVII. quem de Domino eſſe cantatum manifeſtum eſt. quod enim dicunt, *Oſanna*, hoc eſt quod ibi dicitur, *O Domine ſaluum me fac, ô Domine proſperare*. & ſtatim eiſdem verbis ſubiungitur, *Benedictus qui venit in nomine Domini*. Quod verò ſubiungitur *Oſanna*, id eſt, ſalus ſiue ſaluifica in excelſis, apertè docet aduentũ Domini in carne, non ſolùm humani generis in terra, ſed & Angelorum in cælis eſſe ſalutem: quia dum nos redempti ad ſuperna perducimur, eorum numerus, qui cadente Satana erat imminutus, impletur. Rectè igitur, *Oſanna in excelſis*, in eius laude canitur, cui tota incarnationis diſpenſatio pro implenda gloria patriæ cæleſtis apparuit. Hucuſque præfatio & exhortatio,hinc obſecratio ſequitur.

Poſt has laudes & gratiarũ actiones pro tanta gratia redemptionis noſtræ, quæ in illo diuino myſterio agitur & commendatur, facto totius Eccleſiæ ſilentio, in quo ceſſante omni ſtrepitu verborum, ſola ad Deum dirigitur intentio, & deuotio cordium,ſociatis ſibi omnium votis & deſideriis,incipit ſacerdos orationẽ fundere,qua ipſum myſteriũ Dominici corporis & ſanguinis conſecratur. Sic enim oportet vt in illa hora tam ſacræ & diuinæ actionis tota per Dei gratiam à terrenis cogitationibus mente ſeparata & Eccleſia cum ſacerdote,

& ſacerdos cum Eccleſia ſpiritali deſiderio intret in ſanctuarium Dei æternum & ſupernum: & quoniam ſpiritus eſt Deus, & eos qui adorant eum, in ſpiritu & veritate oportet adorare, ſic eundē Patrem Deum deprecetur: *Te igitur clementiſſime Pater*, & reliqua. Idcirco, vt ferunt, conſuetudo venit in Eccleſia, vt tacitè iſta obſecratio atque conſecratio à ſacerdote cantetur, ne verba tam ſacra, & ad tantum myſterium pertinentia, vileſcerent, dum penè omnes per vſum ea retinētes, per vicos & plateas aliiſque in locis, vbi non conueniret, ea decantarent. Inde fertur, quòd antequàm hæc conſuetudo inoleuiſſet, cùm paſtores ea decantarent in agro, diuinitùs ſunt percuſſi. Dicit ergo ſacerdos: *Supplices rogamus & petimus*, & hoc per Ieſum Chriſtum, per quem omnis ſupplicatio & petitio noſtra dirigi debet ad Deum, tanquam per verum mediatorem & æternum ſacerdotem, qui ſedet ad dexteram Patris, & interpellat pro nobis. Quid autem roget & petat, oſtendit: videlicet, vt ea quæ offeruntur dona, munera, ſancta ſacrificia, accepta, id eſt, placita habeat, & benedicat. Sacerdotum enim eſt offerre, & maieſtatem Dei inuocare: Dei autem, dignanter ſuſcipere, & ea quæ offeruntur, benedicere. Dicit ergo, *Vti accepta habeas, & benedicas*, ac ſi ſuppliciter dicat: Petimus, vt hæc ſpiritu tuo ſanctifices, atque ore benedicas, vt quod noſtræ humilitatis geritur miniſterio, tuæ virtutis impleatur effectu. Quod autem ſubiungit, hæc dona, hæc munera, hæc ſancta ſacrificia, non aliud atque aliud dicitur, ſed res vna pro ſui magnitudine diuerſa appellatione laudatur. Quæ enim diuinis offeruntur altaribus, & munera appellantur, ſicut Dominus, *Si offers munus tuum*: & dona vel ſacrificia, ſicut Apoſtolus de Pontifice, vt offerat dona & ſacrificia pro peccatis: ſed, vt dictum eſt, ſermonum repetitio, tanti ſacramenti eſt commēdatio, & piæ deuotionis excitatio. Quia hæc ſunt verè ſancta & illibata, id eſt inuiolata, & incontaminata ſacrificia, quæ in miniſterio Dominici corporis offeruntur, vel illibata dicuntur, id eſt non præguſtata, ſed integra adhuc manentia. Libarè enim, ſub vno ſenſu dicitur fundere. Vnde legimus, quòd Dauid libauit aquam Domino ſibi oblatam, id eſt, fudit. Sub alio ſenſu dicitur libare, guſtare: vnde & prælibata res dicitur prægustata. Reddidit autem cauſam ſacerdos, pro qua illa offerat ſacrificia, & dicit ſe in primis, id eſt, principaliter pro Eccleſia Catholica, id eſt, vni-

A uerſali. Sic enim dignum fuit, vt inci[...] ſancta oblatio, videlicet pro Eccleſi[...] toto orbe diffuſa, quæ eſt vnico ſang[...] Domini redēpta: quam pacificare d[...]ris, vt pacem habeat ab hæreticis & p[...]nis: adunare, quæ diſperſa eſt per pag[...] & hæreticorum dogmata. Idipſum a[...] videtur eſſe adunare, quod pacificare[...] ipſum cuſtodire, quod & regere. Paci[...]do namq; adunat, cùm omnium fide[...] corda in ſua pace coniungit, cum o[...] fidelium mentes vnius efficit volun[...]

B diffuſa charitate per Spiritū ſanctum [...]ſtodiendo regit, cum inter omnia per[...] clementer eam gubernat & regit. Q[...] verò poſt generalem Eccleſię commemorationem adiungitur, *Vna cum famulo tuo Papa noſtro*, ipſius Eccleſiaſtici corporis vnitas fortius commendatur: quia religionis cultum ſic Dominus inſtituit, vt in beatiſſimo Petro Apoſtolorum ſummo principaliter collocaret, atque ab ipſo quaſi quodam capite dona ſua vellet in corpus omne manare. Vnde conſtat, ab vniuerſi orbis com-

C munione ſeparatos eſſe, ſicut B. Pelagius docet, qui qualibet diſſenſione inter ſacra myſteria Apoſtolici Pontificis memoriam ſecundum conſuetudinē non frequētant. Papa autem ſecundū quoſdam dicitur Admirabilis vel Coronatus, ſed quod melius eſt, Pater Patrum, id eſt, Epiſcoporum. Sequitur, *& Antistite noſtro.* Sicut enim vniuerſalis Eccleſiæ commemoratio propter vnitatem ſocietatis & pacis coniūgitur cōmemorationi Apoſtolici Pontificis, ita dignum & religioſum eſt, vt ſingulę Eccleſię

D commemorationem ſuorum ſubiungant Antiſtitum, probantes ſe per illam orationem ſeruare cum eis vnitatem ſpiritus in vinculo pacis. Orthodoxi, id eſt, rectæ gloriæ dicuntur, eo quòd nullo errore deprauati, rectæ fidei confeſſione Deum glorificent. Idem ergo ſunt Catholicæ & Apoſtolicæ fidei cultores. Catholicæ, id eſt, vniuerſalis, quam vniuerſa vbiq; ſeruat Eccleſia: eiuſdémq; Apoſtolicæ, quam in toto mundo doctrina Apoſtolorū fundauit. Additur, *Per Chriſtum Dominum noſtrum*:

E quia aliter nec oratio Eccleſiæ, nec oblatio Deo offerri poteſt, niſi per vnū mediatorem Dei & hominum, quod ipſe in Euangelio commendat, dicens: *Quicquid petieritis in nomine meo, hoc faciam.* Quam petitionis formam in omni oratione ſua cuſtodit Eccleſia. Cùm dicitur, *Memento, Domine, famulorū, famularumq; tuarū* & ſic deinde ſubiungitur, *& omniū circumſtantium*, manifeſtū eſt, quòd quaſi quidam locus ſit, vbi aliquibus

ſpecialiter nominatis, etiam cæterorum qui aſſiſtunt in Eccleſia, commemoratio adiungatur. In quo loco liberum eſt ſacerdoti, quos deſiderauerit, peculiariter nominare, & nominatim Deo commendare: aut certè illud ab antiquis eſt obſeruatum, vt ibi offerentium nomina recitarentur. Prius ergo oblationes ſunt cõmendandæ, ac tunc eorum nomina quorum ſunt edicenda, vt inter ſacra myſteria nominẽtur, non inter alia quæ præmittimus. *Quorum tibi fides cognita eſt, & nota deuotio*: id eſt, quàm rectè credant, & quàm deuotè diligant, tu ſolus vides in conſcientiis eorum, qui tibi offerunt. in quibus verbis fideliter conſiderãdum eſt, quòd tota Eccleſia Deo offerat illud ſacrificiũ laudis, quia de omni multitudine circunſtantium dicitur, qui tibi offerunt. Quod enim adimpletur propriè miniſterio ſacerdotũ, hoc generaliter agitur fide & deuotione cunctorum. Sacrificium dicitur laudis, quia in laude illius offertur. Non enim noſtra illi damus, ſed ſua reddimus. Pro ſe ſuiſq; omnibus, id eſt, ad ſe, vel genere, vel familiaritate, vel qualibet alia cõditione ſub eiuſdem fidei profeſſione pertinentibus, tam viuentibus quàm defunctis. Et hoc qua ſpe faciãt, ſubiungitur: quia non pro aliquo terreno appetitu, non pro temporali lucro, ſed ſolũmodo pro redemptione animarum ſuarũ, quia in ipſo habemus redemptionem per ſanguinem eius, remiſſionem peccatorũ. Pro ſpe ſalutis, id eſt, pro vita æterna, quæ eſt vera ſalus. Spe enim ſalui facti ſumus. Nec ſolùm pro ſalute æterna, ſed etiã pro temporali incolumitate, id eſt, corporali ſanitate. Incolumitas enim dicitur, ſanitatis integritas. Vtraq; autem ſanitas ab illo eſt, & animæ ſcilicet, & corporis, de quo in Pſalmo canitur: *Domini eſt ſalus*. Reddunt vota, id eſt, ſacrificia, vel vota fidei & piæ deuotionis. *Communicantes*, &c. vſque, *& omnium Sanctorum*. Se qui offert, & omnes circunſtantes qui ſimul offerunt, dicit communicare: & memoriam venerantes beatæ Dei Genitricis, & omnium Sanctorum: quia vt ſacrificium Deo poſſit eſſe acceptum, non alibi hoc offerunt, niſi in communione & ſocietate Sanctorum, & in eorum memoriæ veneratione tanquam in vero templo Dei, quia in his voluit omnipotens Deus Eccleſiæ ſuæ conſtare fundamentum. Ideò ſumus communicantes memoriæ eorum, tanquam filij patrum & ſectatores præcedẽtium. Communicantes, id eſt, participantes fidei illorum, quia eandem fidem habemus, quam

A & illi habuerunt. *Memoriam venerantes*, id eſt, cum pietate & humilitate veſtigia eorum ſequentes. In hac autem commemoratione Sanctorũ, beata Dei Genitrix primùm ponitur, per quam & illi & nos meruimus auctorem vitæ ſuſcipere: & iungitur commemoratio ſanctorum Apoſtolorum & Martyrum, non ſolùm eorum qui hîc nominatim exprimuntur, ſed & omnium quorum nec numerum, nec nomina ſcire poſſumus, & tamen per fidem ſi in his præcipuis piè adhæremus, etiã illis in B horum cõmunione copulati ſumus. *Quorum meritis*, &c. Propter merita namq; & interceſſionem iuſtorum Dominus miſeretur, vt in omnibus ſiue proſperis ſiue aduerſis protectionis eius muniamur auxilio. *Per Chriſtum Dominum noſtrum*. Sic & Moyſes pro populo peccante intercedens, patrum facit memoriã. Ezechiæ auxilium petenti dicitur: *Ciuitatem hanc protegam propter me, & propter Dauid ſeruum meum*. Nec dubitandum eſt, fidelium petitiones à ſpiritibus iuſtorum ſciri: quia qui intus Dei claritatem vident, non eſt credendum, quia fit C aliquid foris quod ignorent. Poſtulat ergo Eccleſia ſuffragia Martyrum, nec tamen ſacrificat Martyribus, ſed vni Deo & Martyrum & noſtro. Ad quod ſacrificiũ ſicut homines Dei, qui mundum in eius confeſſione vicerunt, ſuo loco nominantur, non tamen inuocantur à ſacerdote, quia Dei ſacerdos eſt, non illorum. Ipſum verò ſacrificium corpus eſt Chriſti, quod non offertur ipſis, quia hoc non ſunt & ipſi. *Hanc igitur oblationem ſeruitutis noſtræ*. Quia dignum eſt vt ſeruus ſuo ſeruiat Domino. *Sed & cunctæ familiæ tuæ*, & reliqua. Et in D his verbis vnitas Eccleſiæ oſtẽditur, quando in illa oblatione cõmunis ſeruitus exhibetur Deo, tam à ſacerdotibus, quàm à cuncta familia domus Dei. Oratur itaque Deus, vt hanc oblationem, quam illi ſoli debita ſeruitute defert Eccleſia, placatus accipiat, & ſic dies noſtros, quibus inter diuerſa pericula viuimus, in ſua pace diſponat, finitóque huius mortalitatis curſu, ab æterna damnatione ereptos, in electorum ſuorum grege annumerare dignetur. Hæc E quidem, id eſt, exhortationem, obſecrationem, & conſecrationem, principaliter Gelaſius compoſuit. Sed beatus Gregorius addidit hunc Verſiculum, *atque ab æterna damnatione ereptos*: vſque, *Per Chriſtum Dominum noſtrum*. Hucuſq; obſecratio: hinc ſequitur conſecratio, ita incipiens: *Quam oblationem*, &c. Oratur Deus, vt oblationem ſuis altaribus impoſitam, & tantis precibus

commendatam, ipſe per virtutem Spiritus ſancti ita perfectam Euchariſtiam accipiat, vt in omnibus ſit *Benedicta*, *aſcripta*, id eſt, in numerum placitorum ſibi recepta ſit, *& rata*, id eſt, immobili firmitate perpetua: ſit quoque *rationabilis*, vt quamuis de ſimplicibus terræ frugibus ſumpta, benedictionis potentia efficiatur corpus & ſanguis filij Dei, vt per hunc cibum & potum impleatur in nobis quod ipſe promiſit. *Sicut miſit me viuens Pater, & ego viuo propter Patrem.* &, *Qui manducat me, & ipſe viuet propter me.* Hoc corpus, hic ſanguis non in ſpicis, ſed in ſacramẽtis colligitur: & conſecratione myſticus fit nobis, non naſcitur. Et ille quidem panis, & illud vinum per ſe irrationabile eſt: ſed orat ſacerdos, vt ille rationabiliter tractatus, & ab omnipotenti Deo conſecratus, rationabilis fiat, tranſeundo in corpus filij eius, nobis, id eſt, ad ſalutem noſtram. Hoc autem, quod ſequitur, *Qui pridie quàm pateretur*, vſque, *in memoriam facietis*: Apoſtoli in vſu habuerunt poſt aſcenſionem Domini. Vnde ergo Eccleſia iugem ſui memoriam Redemptoris celebret, ipſe Dominus Apoſtolis, & Apoſtoli generaliter omni Eccleſiæ tradiderunt in his verbis, ſine quibus nulla lingua, nulla regio, nulla ciuitas, id eſt, nulla pars Eccleſiæ poteſt conſecrare hoc ſacramẽtum, quod Apoſtolus manifeſtat, dicens: *Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis, quoniam Dominus Ieſus qua nocte tradebatur, accepit panem*, & reliqua. Chriſti ergo virtute & verbis iſte panis & calix ab initio conſecratus eſt, & ſemper conſecratur, & conſecrabitur. Ipſe enim loquens per ſacerdotes ſua verba, cæleſti benedictione ſanctum corpus & ſanguinẽ ſuum perficit. Quod autem ait, *Sumite ex hoc omnes*: commendatio eſt vnitatis, vt per hoc myſterium Chriſto participãtes, vnum ſimus omnes in illo, ſicut Apoſtolus ait: *Vnus panis, vnum corpus multi ſumus.* Tanta eſt autem Eccleſiæ vnitas in Chriſto, vt vnus vbiq; ſit panis corporis Chriſti: & vnus calix ſanguinis eius: *Accipiens*, inquit, *hunc præclarum calicem.* Ideò dicit, hunc accepit, quòd calix, quem ſacerdos Catholicus ſacrificat, non eſt alius niſi ipſe quem Dominus Apoſtolis tradidit. Quia ſicut diuinitas Verbi Dei vna eſt, quæ totum implet mundũ: ita licet multis locis & innumerabilibus diebus illud corpus conſecretur, non ſunt tamẽ multa corpora Chriſti, neque multi calices, ſed vnũ corpus Chriſti, & vnus ſanguis cum eo, quod ſumpſit in vtero Virginis, & quod dedit Apoſtolis.

A Diuinitas enim Verbi replet illud quod vbique eſt, & cõiungit, ac facit, vt ſicut illa vna eſt, ita coniungatur corpori Chriſti, & vnum corpus eius ſit in veritate. Vnde animaduertendum eſt, quia ſiue plus, ſiue minus quis inde percipiat, omnes æqualiter corpus Chriſti integerrimè ſumunt, & generaliter omnes, & ſpecialiter vnuſquiſque. Ideò autem ſanguis Chriſti nouum Teſtamentum eſt, quia noua dilectio, qua vſque ad mortem in nouiſſimis ſeculorũ temporibus nos dilexit. Et ideò ſanguis ille noui
B & æterni Teſtamenti eſt, quia quos à vetuſtate innouat, ad hæreditatẽ æternam perducit. Myſteriũ fidei eſt, quia credere debemus, quod ibi ſalus noſtra cõſiſtat. Prouidens enim nobis dedit hoc ſacramentũ ſalutis, vt quia nos quotidie peccamus, & ille iam mori non poteſt, per iſtud ſacramentũ corporis ſui remiſſionẽ conſequamur. Quotidie enim ipſe comeditur & bibitur in veritate, & integer viuúſq; & immaculatus manet. Myſteriũ eſt, quod aliud videtur, & aliud intelligitur. Quod vide-
C tur, ſpeciem habet corporalẽ: quod intelligitur, fructũ habet ſpiritualẽ. Sed cum myſterium ſit, vnde corpus & ſanguis Chriſti dicitur? conſulens omnipotẽs Deus infirmitati noſtræ, qui non habemus vſum comedere carnem crudã, & ſanguinẽ bibere, facit vt in priſtina remaneãt forma illa duo munera, & eſt in veritate corpus Chriſti & ſanguis, ſicut ipſe dicit. Sciendũ verò quòd eundem calicem Dominici ſanguinis, niſi mixtũ aqua offerre non licet, quia vinum fuit in redẽptionis noſtræ myſterio, cùm
D ait: *Non bibam amodo de hoc genimine vitis*, & reliqua: & de latere eius aqua cum ſanguine, vinũ de vera carnis eius vite cum aqua expreſſum oſtendit. Hæc enim ſunt ſacramenta Eccleſiæ, ſine quibus ad vitam non intratur. Illius ergo panis & calicis oblatio, mortis Chriſti eſt cõmemoratio, quæ non tam verbis quàm myſteriis peragitur, per quæ noſtris mẽtibus mors illa precioſa arctiùs cõmendatur. Propterea autẽ iturus ad paſſionem, & per reſurrectionis atque aſcenſionis gloriam diſceſſurus è mundo,
E hoc ſacramentum vltimum diſcipulis tradidit, vt memoriam tantæ charitatis altiùs eorum mentibus infigeret. Vndè & memores ſumus, &c. Idem eſt, quod dicit: *Hoc facite in meam cõmemorationẽ.* Quid digniùs & ſalubriùs fieri poteſt, quàm vt hæc myſteria frequentando, memor ſit Eccleſia beatę paſſionis, quæ totius mundi peccata deleuit? & quia non ſolùm mortuus eſt pro nobis propter delicta noſtra,

ſed etiam reſurrexit propter iuſtificationem noſtram, ac ſic mortem noſtram moriendo deſtruxit, & vitam reſurgendo reparauit: memores ſumus reſurrectionis quoque eius, per quam ſpoliauit infernum; & quandò aſſumptus eſt in cælum, & viam nobis aſcendendi patefecit, ſimus memores etiam glorioſæ Aſcenſionis. Ideò enim precium redemptionis noſtræ vel ſacramento Dominici corporis & ſanguinis celebramus, vt ſemper illud feliciter meditemur, quod ait Apoſtolus: *Empti enim eſtis precio magno.* Memores igitur horum tam ſacerdos, quàm plebs fidelis offert præclaræ & præcellenti, & glorioſæ maieſtati Dei non de ſuo, ſed de eius donis, ac datis verè hoſtiam puram, hoſtiam ſanctam, hoſtiam immaculatam: quæ trina repetitio, tanti myſterij eſt laudatio. Quam verò hoſtiam offert Eccleſia? nonne quam à Deo accepit, id eſt, panem ſanctum vitæ æternæ, & calicem ſalutis perpetuæ? In hoc pane vita æterna eſt, ſicut ipſe panis viuus de ſeipſo ait, *Ego ſum panis viuus. Qui manducat hunc panem viuet in æternum.* & quod iſte panis ſit corporis ſui, exponit: *Et panis quem ego dabo, caro mea eſt, pro mundi vita:* & calix ſalutis perpetuę, quia ſanguis ille effuſus eſt pro multis in remiſſionem peccatorum. Supra quæ propicio ac ſereno, id eſt, placabili vultu reſpicere digneris, & reliqua. Non quòd vultus Dei aliquandò mutetur: ſed tunc ſuper nos ſerenat & illuminat vultum ſuum, quandò declarat ſuper nos miſericordiam ſuam. Oratur itaque Deus, vt placabilis ſereno vultu, id eſt, declarata pietatis ſuæ præſentia, reſpiciat Eccleſiæ ſuæ munera: & accepta, id eſt, beneplacita habeat, ſicut munera iuſti pueri ſui Abel, cuius fides & iuſtitia & oblationis acceptio, & in lege commendatur, & in Euangelio, & in Epiſtolis Apoſtolorum, qui non ætate, ſed puritate & ſimplicitate puer dicitur: & ſicut ſacrificium, inquit, Patriarchæ noſtri Abrahæ, quod ſacrificauit in oblatione vnigeniti ſui Iſaac, offerēs eum in holocauſtum, qui eſt patriarcha non tantùm Iſraeliticæ plebis ſecundùm carnem, ſed etiam noſter ſecundum fidem. Adiungitur adhuc, Et quod tibi obtulit ſūmus ſacerdos tuus Melchiſedech, qui interpretatur rex iuſtitiæ, cuius ſacerdotium & ſacrificium tantum magnificatur, vt de eo dicat Apoſtolus, *Aſſimilatur per omnia Dei filio, manens ſacerdos in æternum.* Quod verò ſubiungitur, ſanctum ſacrificium, immaculatam hoſtiam, ad complendam petitionem ſubiunctū eſt. Hoc autem totum oratur Deus, quia in antiquis ſacrificio Abel, quod de primogenitis ouium, & ſacrificio Caini, quod erat ex terræ fructibus prælatum eſt, noui teſtamenti fides præfigurabatur, quę ex innocentiæ gratia Dominum laudans, veteris Teſtamēti terrenis operibus antepònitur, & immolatione vnici & dilecti filij Abrahæ, immolatio eius præfigurabatur de quo dicit Pater: *Hic eſt filius meus dilectus in quo mihi cōplacui.* Et Apoſtolus: *Qui vnico filio ſuo non pepercit*, & cætera. Sacrificium quoque Melchiſedech tam vera erat ſignificatio ſacrificij Chriſti, vt inde prædictum ſit, *Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech. Supplices te rogamus omnipotens Deus, iube hæc perferri*: & reliqua. Hæc verba tam profunda quis comprehēdere ſufficiat? quis inde dignè aliqua loquatur? magis veneranda ſunt, quàm diſcutienda. Beatus tamen Gregorius idoneus tanti ſacramenti interpres, quodam loco de eis tanquàm de re ineffabili penè ineffabiliter loquens: Quis, inquit, fidelium habere dubium poſſit, in ipſa immolationis hora ad ſacerdotis vocem cælos aperiri? in illo Ieſu Chriſti myſterio angelorum choros adeſſe? ſummis ima ſociari? terrena cæleſtibus iungi? vnum quiddam ex viſibilibus atque inuiſibilibus fieri? Idē quoque alibi: Vno, inquit, eodem tempore ac momento, & in excelſis rapitur miniſteriū angelorum conſociādum corpori Chriſti, & ante oculos ſacerdotis in altari videtur. Beatus quoque Auguſtinus de eodem ſublimi altari in conſpectu diuinæ maieſtatis [illegible]: Eſt quoddam altare Dei inuiſibile, ad quod non accedit, qui ad iſtud ſecurus accedit. Illic inuenit vitā ſuam, qui iſto decernit cauſam ſuam. Hęc ex Patrum verbis poſita ſunt, ne quis carnaliter æſtimet in cælis eſſe altare corporeum: ſed potius intelligamus ſublime altare Dei, rationale & intelligibile eſſe in electa & rationali creatura, angelica ſcilicet & humana, quæ in ſanctis angelis, ex quo condita eſt, in contemplatione Dei ſublimata, & ſibi inuicem per Chriſtum vnita, verum & ſublime altare Dei exiſtit, ex quo accipit ſempiternum ſacrificium laudis & hoſtiam iubilationis; ad cuius vnitatem adiungitur nunc per fidem, & in futuro per diuinæ contemplationis ſpeciem omnis multitudo electorum. Fit ergo & in iſta oblatione aliquid ineffabile, vt per angelica miniſteria tanquam de ſublimi altari diuinæ maieſtati offeratur, cùm adſtantibus miniſtris cæleſtibus

Chriſtus, vt oblata conſecret, adeſſe cre- A
dendus eſt. Vnde beatus Ambroſius: Non
dubites, inquit, aſſiſtere angelum quando
Chriſtus aſſiſtit, Chriſtus immolatur. Per
hæc myſteria corda fidelium omni bene-
dictione cæleſti replet & gratia, tribuens
corporibus caſtimoniam, mentibus fidem,
cogitationibus puritatem. *Memento etiam
Domine famulorum famularumque tuarum*, &
reliqua. Orat pia mater Eccleſia etiam pro
defunctis ſuis, & eos ſacræ oblationis in-
terceſſione commendat, certiſſimè cre-
dens quia ſanguis ille precioſus, qui pro B
multis effuſus eſt in remiſſionem peccato-
rum, non ſolùm ad ſalutem viuentium, ſed
etiam ad ſalutem valeat defunctorum. Præ-
cedunt enim fideles de corpore exeuntes
ad Deum, ſed non præceduntur ab Eccle-
ſia qui præcedunt cum ſigno fidei, quia a-
qua & Spiritu ſancto renati, quia Chriſti
cruce ſignati: dormiunt autem, tamquam
verè in reſurrectione ſuſcitandi, in ſomno
pacis, quia ab vnitate Chriſti, & Eccleſiæ,
nec per hæreſes, nec per mortalia crimina
ſeparati ſunt, in quibus & ſi aliquando C
fuerint, tamen per pœnitentiam ſanati,
& per orationem Eccleſiæ cui dictum eſt,
Quodcunque ſolueris, erit ſolutum, reconcilia-
ti & redemptionis myſterio ſociati, vtique
in pace obierunt, miſerante illo, qui non
vult mortem peccatoris, & reliqua. Neque
enim piorum animæ defunctorum ſeparā-
tur ab Eccleſia: alioquin non ad altare fie-
ret eorum memoria in conſecratione cor-
poris Chriſti. Poſt illa ergo verba, quibus
dicitur, *In ſomno pacis*, vſus fuit antiquo-
rum, ſicut etiam vſque hodie Romana a- D
git Eccleſia, vt ſtatim recitarentur ex di-
ptychis, id eſt, tabulis, nomina defuncto-
rum: atque ita poſt lectionem nominum,
ſubiungerentur verba ſequentia, *Ipſis*, vi-
delicet quorum nomina memorantur, *&
cæteris omnibus in Chriſto quieſcentibus indul-
geas locum refrigerij*, vbi non ſentitur ar-
dor pœnarum: *& lucis*, de qua Pſalmi-
ſta, *Placeam coram Deo*, & cætera: *& pacis*,
in qua Sanctorum animæ requieſcunt, vt
eſt: *Illi autem ſunt in pace. Nobis quoque pec-
catoribus famulis tuis*, & reliqua. Licet om- E
ni tempore peccatores nos eſſe ex corde
cognoſcere debeamus, tunc quàm maxi-
mè confitendum eſt, cùm illo ſacro my-
ſterio celebratur remiſſionis gratia & in-
dulgentia peccatorum, & cum humilita-
te & contritione cordis dicendum Deo.
Nobis quoque peccatoribus, non de vllis no-
ſtris meritis, ſed de multitudine miſera-
tionum ſuarum ſperantibus, partem ali-
quam & ſocietatem donare dignetur cum
ſuis ſanctis Apoſtolis, & Martyribus, &
omnibus Sanctis, vt pro modulo noſtro
quibus nunc ſociamur per communio-
nem fidei, quorum memoriam venera-
mur, in quorum communione & vnita-
te hæc myſteria agimus, cum ipſis ſocie-
tatem beatitudinis æternæ in futuro acci-
piamus. *Intra quorum conſortium, vt Dei
nos pietas introducat petimus*, vt non noſtri
meriti æſtimator, ſed veniæ largitor, vt
quia Sanctorum ſocietati per meritum
non poſſumus, per indulgentiam con-
iungamur. In fine autem orationis, per
quem hæc omnia nobis ſperanda & ob-
tinenda ſint, ſubiungitur, & ſtatim con-
cluſio totius conſecrationis ſequitur, di-
cendo: *Per quem hæc omnia, Domine, ſem-
per bona creas*, & cetera: vſque, *Amen*. Per
Chriſtum Deus Pater hæc omnia non ſo-
lùm in exordio creauit condendo, ſed e-
tiam ſemper creat propagando & repa-
rando: bona, quia omnia à Deo creata
valdè bona. Creata & ſuis conſpectibus
oblata ſanctificat, vt quæ erant ſimplex
creatura, fiant ſacramenta. Viuificat, vt
ſint myſteria vitæ. Benedicítque omni be-
nedictione cæleſti & gratia accumulat.
Præſtat nobis per eundem ſecum ſancti-
ficantem qui nobis de corpore ac ſan-
guine ſuo tam ſalubrem dedit refectio-
nem per ipſum tanquam verum media-
torem Dei & hominum, cum ipſo tan-
quam coæquali, in ipſo tanquam verè
conſubſtantiali, omnis honor & gloria
eſt Deo Patri in vnitate Spiritus ſancti,
qui ex Patre Filióque procedens, vnita-
tem Deitatis poſſidet cum Patre & Filio.
Inſinuatur itaque nobis in Patre aucto-
ritas, in Filio natiuitas, in Spiritu ſancto
Patris Filíique communitas, in tribus æ-
qualitas. *Per omnia ſecula ſeculorum*. Ita di-
cuntur ſecula ſeculorum, tanquam ſecu-
la in ſapientia Dei firma ſtabilitate ma-
nentia, iſtorum, quæ cum tempore tranſ-
eunt, efficientia ſecula ſeculorum. Aut
certè ſimpliciter accipienda ſunt ſecula
ſeculorum, velut conſequentia præce-
dentium, vt continuata ſibi connexio-
ne copulentur, quæ dicuntur ſecula ſe-
culorum, donec præſens, quod ex di-
uerſis temporum ſeculis contexitur, per-
ueniat ad finem, & ſuccedat futurum ſe-
culum, quod non habet finem, vbi Deus
videbitur & laudabitur ſine fine. *Amen*
autem, quod ab omni Eccleſia reſpon-
detur, interpretatur verum. Hoc ergo
ad tanti myſterij conſummationem, ſi-

cut & in omni legitima oratione, reſpondent fideles, & quaſi ſubſcribunt reſpondendo. Adiungit autem adhuc ſacerdos, & dicit: *Oremus*, & orat Eccleſia cum ſacerdote, non voce, ſed corde. Silentium eſt, & clamat pectus ad Deum in auribus Dei. *Præceptis ſalutaribus moniti.* Hoc enim præceptum nobis eſt ſalutare, id eſt, ad ſalutem noſtram proficiens, quo nos vnigenitus filius per lauacrum regenerationis & ſpiritum adoptionis Dei filios effectos, dicere monuit, & non humana, ſed diuina ſua inſtitutione, vt Deo audeamus dicere, *Pater noſter*, informauit, dicens: *Sic vos orabitis, Pater noſter, qui es in cælis*, &c. Diuina ergo inſtitutione informati, non præſumptionis temeritate, ſed obedientiæ pietate præſumimus dicere Deo Patri, *Pater noſter, qui es in cælis*, & cætera. Hæc autem obſecratio, oratio Dominica vocatur, quia eam Dominus docuit, & à Domino oratio Dominica. Diſcipuli rogauerunt Dominum, vt eos doceret qualiter orare deberent, quibus Dominus dixit: *Non neceſſe eſt, vt multum loquamini in oratione, quia omnipotens ſcit quid opus ſit antequam petatis eum.* Tunc dixit illis: *Cum oratis, dicite: Pater noſter.* Pater dicitur à patrando, id eſt, perficiendo. Qui ergo patrem inuocat Deum, talem ſe debet præparare, vt filius eius dignus ſit vocari. Quòd ſi iniuſte eum vocat patrem, pro ipſa inuocatione iniuſta iudicium recipiet. Sicut enim filius imitatur bonum patrem, vt Iſaac imitatus eſt Abraham, & Iacob Iſaac; ſic nos qui Deum patrem vocamus, vt boni filij ſanctitatem illius imitari debemus, vt ſimus ſancti & immaculati, iuxta quod ipſe dicit: *Sancti eſtote, quia ego ſanctus ſum Dominus Deus veſter.* Primùm fuit omnipotens pater Iudæorum, iuxta quod ipſe dicit per Prophetam, *Filius meus primogenitus Iſraël.* &, *Filios enutriui & exaltaui, ipſi autem ſpreuerunt me.* Sed quid factum eſt? Deſiit pater eorum eſſe propter infidelitatem: noſter autem propter ſuam miſericordiam factus eſt pater per fidem & dilectionem, cui ſupplicamus quotidiè dicentes, *Pater noſter.* Pater duobus modis dicitur omnipotens, vel quia patrauit nos, id eſt, creauit, & compegit in vtero matrum noſtrarum ex carne & anima, ex ſemine viri & feminæ, cùm non eſſemus: vel quia fecit nos renaſci ex aqua & Spiritu ſancto, cùm perditi eſſemus. Prima natiuitas fecit nos filios præuaricationis: ſecunda reconciliationis dimittendo nobis omnia peccata, & originalia &

A actualia. Talis eſt Deus Pater noſter. *Qui es in cælis.* Pſalmiſta dicit Deo, *Si aſcendero in cælum, tu illic es: ſi deſcendero in infernum, ades*: etiam ſi potuiſſet fieri, vt haberem pennas & volarem in extremas partes maris, illic te inuenirem. Et Dominus per Prophetam: *Cælum & terram ego impleo.* Altior namque eſt cælo, profundior abyſſo, latior terra, longior mari. Et ſi vbique per plenitudinem diuinitatis ſuæ, & non per extenſionem, quare ſpecialiter ſe dicit in cælis? quia per cælos intelliguntur angeli,

B & homines iuſti, in quibus maximè Deus inhabitat, iuxta quod ſcriptum eſt: *Anima iuſti, ſedes eſt ſapientiæ. Pater noſter, qui es in cælis*, id eſt, qui habitas in angelis, quorum habitaculum ſunt cæli, & homines iuſti. *Sanctificetur nomen tuum.* Nomen Dei per ſe ſanctum eſt. Et quare nos dicimus, *Sanctificetur nomen tuum*? Quãdo renati ſumus ex aqua & Spiritu ſancto tempore baptiſmatis in nomine Dei omnipotentis ſumus ſanctificati, dicente presbytero, *Baptizo te in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti*: ideò precamur, vt illa ſanctitas quæ facta

C eſt in nobis tunc in baptiſmate per inuocationem Dei, illa permaneat in nobis in æternum, vt non polluamus eam, ſed ſemper ſimus ſancti, vt ſicut tunc ſancti effecti ſumus, ita in perpetuo ſancti maneamus. Vel aliter, *Sanctificetur nomen tuum*, intelligatur à nobis quantæ ſanctitatis ſit nomen tuum, id eſt, ſanctum habeatur in omnibus operibus noſtris, vt dum tuã ſanctitatẽ recolimus, peccare timeamus. Vel aliter, eſt modò aliquis Chriſtianus bonus, facit bona opera: videt hoc aliquis paganus aut Iudæus, & dicit, *Benedictus Deus qui talẽ*

D *ſeruum habet*: nomen Dei ſanctificatur, id eſt, laudatur per illum bonum Chriſtianũ. Econtrà malus, videt eum paganus mala operari, & dicit, Certè ecce malus Chriſtianus, nos ſumus meliores: nomen blaſphematur per illum, iuxta quod Paulus dicit: *Nomen Dei per vos blaſphematur in gentibus.* Nos autem precamur, vt ſanctificetur nomen Dei, id eſt, laudetur & glorificetur in opere noſtro. Quicquid boni agimus, ad eius laudem refertur, quicquid mali ad eius contumeliam. *Adueniat regnum tuum.*

E Deus omnipotens ſemper regnat in cælo & in terra, & nos neſcimus modò qualiter regnat, idcircò precamur, vt adueniat regnum illius. Quid eſt iſtud regnum Dei? Æterna beatitudo, de qua dicturus eſt electis: *Venite benedicti Patris mei*, &c. Hoc regnum precamur vt adueniat, dies iudicij valde debet eſſe præparatus. Vel aliter.

Deus omnipotēs regnat in electis ſuis per ſpem, fidem, & charitatem, & per cætera bona. Econtra diabolus regnat per luxuriam, per ebrietatem, odium, & cætera mala: idcircò precamur Dominum, vt ipſe regnet in nobis per iuſtitiam, non diabolus per peccatum. *Fiat voluntas tua ſicut in cælo, & in terra.* Sicut in cælo, id eſt, in angelis, qui nunquam peccauerunt, eſt voluntas tua bona, & illorum officium acceptabile habes: ſic fiat voluntas tua bona in hominibus in terra, vt illorum ſeruitium placeat tibi. Vel aliter: Per cælum intelligitur Dominus Ieſus Chriſtus: per terram ſancta Eccleſia. Scimus quia ſicut vir à muliere, ſic cælum eſt à terra. Ab ipſo accipit omnem vbertatem: Sic & ſancta Eccleſia quicquid boni habet, à viro ſuo Chriſto percipit, iuxta quod ſcriptum eſt: *Omne datum optimum, & omne donum perfectum, deſurſum eſt. Fiat voluntas.* Ad Deum patrem dicitur: Sicut eſt voluntas tua in cælo, id eſt, in Chriſto, ita fiat in terra, id eſt, in Eccleſia, quæ eſt corpus eius. Vel, ſicut eſt voluntas tua in cælo, id eſt, in hominibus iuſtis, ita fiat in terra, id eſt, in peccatoribus, vt ipſi valeant tibi placere per pœnitentiam. Vel, fiat voluntas tua ſicut in cælo, hoc eſt, in mentibus noſtris; ita fiat in terra, hoc eſt, in corporibus. *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie.* Pan Græcè, Latinè totum vel omne: & ab eo quod eſt pan, deriuatur panis: & ideò per panem intelligere poſſumus omnia neceſſaria tam in cibo, quā in potu, & veſtimento, omníque ſubſidio corporali. Panis quotidianus dicitur, quòd quotidiè nobis eſt neceſſarius. *Panem noſtrum quotidianum*, id eſt, omnia quæ nobis ſunt neceſſaria tam ad victum, quàm ad veſtimentum, *tribue nobis hodie*, id eſt, omni tempore vitæ noſtræ. Vel aliter: Panem hîc poſſumus intelligere corpus & ſanguinem Domini, de quo ipſe dicit alibi: *Niſi quis manducauerit*, & reliqua. Precamur námque vt det nobis carnem & ſanguinem ſuum ad ſumendum, vt per illud quod viſibiliter ſumimus, illud quod non videmus in nobis ſuſcipere poſſimus, id eſt, Deum omnipotentem, iuxta quod ipſe dicit: *Qui manducat carnem meam, & bibit ſanguinem meum, ipſe in me manet, & ego in eo.* Illud quod dicitur *hodie*, non poſſumus generaliter referre ad corpus & ſanguinē Domini, quia ſunt tales, qui non poſſunt quotidiè communicare, aut aliqua diſcordia contra proximum commaculati, aut nocturnali coinquinati pollutione: homines ſunt, non poſſunt eſſe ſemper parati. Econtrà ſunt tales, qui quotidiè poſſunt communicare: illis euenit quod Dominus dixit Zachæo, *Hodie in domo tua oportet me manere.* At ille ſuſcepit eum gaudens in domum ſuam, quia illi tales cum gaudio debent corpus & ſanguinem Domini ſumere. Illi verò, qui quotidie non poſſunt communicare, poſſunt dicere cum Centurione: *Domine, non ſum dignus, vt intres ſub tectum meum* hodie: intrabis aliā die. Sunt etiam tales, qui nolunt à ſua iniquitate recedere, abſtinent ſe à corpore & ſanguine Domini cauſa humilitatis. Talibus prædicans beatus Auguſtinus dixit: Placet, fratres, mihi humilitas veſtra, quòd timetis accedere ad corpus & ſanguinem Domini: ſed melius eſſet, vt ab iniquitatibus veſtris recederetis, & mundi effecti per pœnitētiam, corpus & ſanguinem Domini ſumeretis. Quamdiù non acceditis, non mihi placet. Dicamus aliter: *Panem noſtrum quotidianum.* Per panem poſſumus accipere diuina eloquia, ſcientiam legis & Prophetarum, Pſalmorum & Euangelij. *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie*, id eſt, in omni tempore vitæ noſtræ refice nos doctrina ſanctarum ſcripturarū, quod ſicut corporeo cibo reficitur corpus, ſic ſpirituali cibo reficitur anima ad amorem & agnitionem illius. *Et dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.* Debita hîc intelligūtur peccata. Duobus modis ſumus debitores Dei: aut faciēdo ea quæ ipſe prohibuit fieri, aut non faciendo quæ iuſſit fieri. Ipſe dicit in Euāgelio: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, tota anima, tota virtute, & proximum tuum ſicut teipſum.* Non diligimus Deum neque proximum ſicut ipſe præcipit: debitores ſumus, id eſt, peccatores. Ipſe dicit, *Honora patrem tuum & matrem tuam, vt ſis longæuus ſuper terrā.* Non facimus hoc, debitores ſumus, id eſt, peccatores. Hæc ſunt quæ Dominus præcipit fieri. *Non occides, non adulterabis, non furtum facies, non periurabis.* Nos facimus talia quæ Dominus prohibuit fieri: Debitores ſumus, id eſt, peccamus, qui tanta flagitia contra præcepta Dei committimus. Neceſſarium eſt ergo, vt, ſi volumus ea nobis à Domino dimitti, dimittamus ex corde fratri in nobis peccanti, aut mala operanti, contra quem etiam dupliciter ſumus peccatores, aut faciendo quæ Dominus prohibuit fieri, videlicet ſi flagellauerimus eum iniuſtè, aut ſi ſua abſtulerimus: aut non faciendo ea, quæ Dominus mandauit fieri, id eſt,

ſi non dilexerimus eum, & illud quod in nos committit, non dimiſerimus. Si ergo indulſerimus ei, tunc veraciter dicere poterimus Deo, *Dimitte nobis debita noſtra.* Et eſt ſenſus: O Deus omnipotens, ſicut nos dimittimus his, qui in nobis peccauerunt, ita dimitte. Si autē nos nō dimittimus eis, nec ille dimittet nobis peccata, quæ contra illius præcepta geſſimus, quia ipſe dixit: *Si vos non dimiſeritis, nec pater veſter dimittet vobis peccata veſtra. Et ne nos inducas in tentationem.* Vna eſt tentatio quæ pertinet ad probationem, de qua dicit Moyſes ad populum Iſraeliticum: *Tentat*, id eſt, probat, *vos Dominus Deus veſter, vt ſciat ſi diligitis eum.* Et Pſalmiſta: *Proba me Domine, & tenta me.* Hac tentatione tentauit Deus Abraham, & inuentus eſt fidelis. Altera eſt quæ pertinet ad deceptionem & perditionem, de qua Iacobus Apoſtolus: *Deus neminem tentat*, ad hoc ſcilicet, vt perdat. Hac tentatione tentat diabolus, vt decipiat & perdat, & nos de hac tentatione precamur, vt non dimittat nos tentari, ſuprà quàm noſtra fragilitas poſſit ſufficere. In tentationem enim Deus inducere dicitur, quando à tentatione non liberat. Tale eſt, quod de Pharaone legimus: *Indurauit Dominus cor Pharaonis*, quod nihil eſt aliud, niſi, non emolliuit cor eius quod induratum erat.

Sed libera nos à malo, id eſt, à diabolo & pœnis inferni, & ab omni aduerſitate huius ſeculi. *Amen*, ſignaculum eſt iſtius orationis, ſicut ſigillum confirmatio eſt alicuius codiculi. Quaſi dicat Deo ille qui hanc orationem decantat: Certè verum eſt quod hactenus dixi. Si ergo dimiſero peccanti in me, tunc dimittes ea quæ contra præceptum tuum egi: Si non dimiſero, nec tu dimittes mihi. Septem ſunt petitiones in hac oratione. Tres priores pertinent ad animam, & vitam æternam: Quatuor poſteriores, ad corpus & præſens tempus. Sanctificatio nominis Dei & regnum, & voluntas eius bona, in electis in futura vita perficietur. Panis autem & remiſſio peccatorum, & non induci in tentationem, & liberatio à Diabolo, & ab omni aduerſitate huius ſeculi, in præſenti ſunt nobis neceſſaria, quia in futura vita non erit vlla fames, ſed ſatietas æterna electorum de contemplatione Dei omnipotentis. In hac autem panis neceſſarius eſt, & remiſſio, quia hîc peccamus, & hîc neceſſe eſt, vt liberemur à diaboli tentatione, & huius ſeculi tribulatione. Poſt orationem verò Dominicam ad completionem tanti myſterij tota ad Deum fundit preces Eccleſia, & ſe-

A quitur in concluſione eiuſdem ſacerdos, & dicit: *Libera nos, quæſumus Domine*, & reliqua. Mala præterita, peccata tranſacta, intelliguntur, quorum ſi actio iam ceſſauit in nobis, tamen reatus manet, niſi Dei indulgentia deleatur. Mala verò præſentia, quotidiana peccata intelliguntur in animo, & accedentes ſæpè diuerſi languores, & afflictiones in corpore, & extrinſecus irruentes innumeræ calamitates, quæ quoties patimur, eius debemus implorare auxilium, qui ſolus ſua pietate & animas
B creat & corpora. Futura mala, quæcunque nobis accidere poſſunt, ſiue per tentationes diaboli, ſiue per miſerias ſeculi. Orat ergo Eccleſia, vt quod in fine orationis dictum eſt, libera nos à malo: ita nobis per Dei miſericordiam præſtetur, vt liberemur ab omnibus malis, quæ nobis vel in præterito acciderunt, vel in præſenti accidunt, vel in futuro accidere poſſe formidantur. Sequitur: *& intercedente pro nobis*: &c. vſque, *ſecuri.* Præcepit Dominus populo Iſrael, cùm teneretur Babylonica ſer-
C uitute, vt orarent pro pace ipſius ciuitatis, quòd in pace, inquit, eius erit pax veſtra, & Apoſtolus hortatur fieri orationes pro omnibus hominibus, pro regibus, & his qui in ſublimitate ſunt, vt quietam & tranquillam vitam agamus. Iuxta hāc formam populus fidelium in huius ſeculi peregrinatione, tamquam in Babylone captiuus, & ſupernę patrię inſpirans, orat etiam pro pace temporali: ne impediatur à ſpirituali, vt remotis per Dei pietatem omnibus aduerſitatibus, quietam & tranquillam vitā
D agat Eccleſia. Hoc autem pauciſſimis, ſed eminentiſſimis Sanctis nominatis exorat, *Vt intercedente* in primis *Dei genitrice*, per quā nobis ſalus exorta eſt, *& beatis Apoſtolis Petro & Paulo, atque Andrea* impetrare mereamur. In qua poſtulatione non ceterorum Sanctorū prætermittitur, ſed in iſtorum commemoratione omnia ſuffragia expetuntur. Quia ita omnes ſibi in Deo vniti ſunt, ita vnum deſiderant & rogant pro ſalute hominum, vt in vno omnes habeantur pariter, & in vno omnes pariter
E negligantur. Quòd autem dicit, *Da propitius pacem in diebus noſtris.* Iuxta exemplum Ezechiæ, qui cùm audiſſet à Propheta mala venturæ captiuitatis, reſpondit: Fiat pax & veritas in diebus meis, futura Dei iudicio reſeruans, de præſenti, quod ad ſuam & ad populi ſalutem pertinebat, deprecans. Ita & Eccleſia deprecatur pacem in diebus noſtris, quod & poſt nos alij, & poſt ipſos alij, vſque ad finem ſeculi ſimi-

liter orabunt. Cur autem ipſam pacem poſtulet, ſubiungit, ſcilicet: vt ope, id eſt, auxilio & protectione miſericordiæ Dei adiuti, quantum ad interiorem religionis deuotionem pertinet, ſimus ſemper à peccato liberi, quantùm ad exteriorem pacē, ſimus & ab omni perturbatione ſecuri. Sequitur, quod & in omnibus Eccleſiaſticis orationibus ſubiungi ſolet, *Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum*, & reliqua. Vt ſuprà iam diximus. Hac oratione expleta, commiſcens ſacerdos Dominicam oblationem, vt calix Domini totam plenitudinem contineat ſacramenti, tanquàm per eiuſdem myſterij copulationem imprecatur Eccleſiæ pacem, dicens; *Pax Domini ſit ſemper vobiſcum.* Cui tantum bonum etiam Eccleſia imprecatur, reſpondens illi: *Et cum ſpiritu tuo.* Pax Domini, ipſa eſt pax Chriſti, quæ finem non habet, & eſt omnis piæ actionis perfectio. Vera autem pax vnitatem facit, quomodò qui adhæret Domino, vnus ſpiritus eſt. Imprecata igitur pace, incipiens à ſacerdote, dat ſibi mutuò omnis Eccleſia oſculum pacis, vt omnibus vera pace vnitis fiat in eis locus Dei, ſicut dicitur, *Deus in loco ſancto ſuo, Deus qui inhabitare facit vnanimes in domo.* Et hoc ex traditione Apoſtolorum ſeruat Eccleſia, cui frequenter ab eis dicitur, *Salutate inuicem in oſculo ſancto*, id eſt, pacifico, vero, columbino, non ficto, non ſubdolo, quali vtuntur qui loquuntur pacem cum proximo ſuo, mala autem ſunt in cordibus illorum. Illi ergo oſculo ſancto ſalutant inuicem, qui non diligunt verbo nec lingua, ſed opere & veritate. Inter hęc cantatur ab omnibus, & cantando oratur, dicentibus: *Agnus Dei qui tollis peccata mundi*, & reliqua. Nullus enim tollit peccata, niſi ille ſolus cui nullum bonum hominis impoſſibile eſt, nullum malum inſanabile. Quomodo autem peccata mundi tollat, Ioannes in Apocalypſi demonſtrat, *Qui dilexit nos*, inquiens, *& lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo*, quando ipſum ſanguinem dedit pro nobis in cruce, vel quando quiſque noſtrum in myſterio ſacræ paſſionis illius, baptiſmi aquis ablutus eſt, verum etiam quotidiè tollit peccata mundi, lauátque nos à peccatis noſtris quotidianis in ſanguine ſuo, cùm eiuſdem beatæ paſſionis ad altare memoria replicatur. Poſt hæc ſumpta Euchariſtia, id eſt, bona gratia, (gratia enim Dei pro omnibus guſtauit mortem) & celebrata gratiarum actione, reſpondetur ab omnibus, *Amen.* Hæc enim clara vox ſanguinis Chriſti, quam ſanguis iſte exprimit ex ore fidelium eodem ſanguine redemptorum. Finitis omnibus, adſtanti & obſeruanti populo abſolutio datur, inclamante Diacono: *Ite, Miſſa eſt.* Miſſa ergò nihil aliud intelligitur, quàm dimiſſio, id eſt, abſolutio, quam celebratis omnibus, tunc Diaconus eſſe pronunciat, cùm populus à ſolenni obſeruatione dimittitur. Vndè & Miſſam catechumenorum canones dicũt, quoniam poſt Euangelij lectionem incipiunt celebrari ſacra myſteria, quibus nullum niſi baptizatum intereſſe licet: tunc enim clamante Diacono, iidem catechumeni mittebantur foras. Miſſa ergo catechumenorum fiebat ante actionem ſacramentorum, Miſſa fidelium poſt confectionem & participationem eorundem ſacramentorum. Vel Miſſa eſt, id eſt, directa, ſiue Miſſa eſt, id eſt, perfecta eſt pro nobis oblatio & oratio.

De Symbolo, CAP. XLI.

Capitulum ſequentis nunc primùm ex M ... reſtitutum.

SYmbolum Græcè, Latinè conlatio, ſiue ſignum, vel indicium. Indicium, quia ibi indicatur fides ſanctæ Trinitatis, qualiter debeatur credi Pater ingenitus, Filius genitus, Spiritus ſanctus ab vtróque procedens. Signum, quia quicunque hæc verba profert, oſtendit ſe ad Deum, vel ad numerum credentium pertinere. Conlatio dicitur conferentia vel conductio verborum in vnum facta. Beatus Auguſtinus, & Maiores noſtri tradunt, quia poſtquàm Apoſtoli acceperunt Spiritum ſanctum, profecturi in omnem terram dixerunt bonum eſſe, quia vnum Deum credebant, vnam fidem prædicarent. Duodecim Apoſtoli fuerunt, duodecim verba compoſuerunt; & denunciauerunt non ea ſcripta habere in membranulis, ſed in tabulis cordis retinere: quia corde creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem. *Credo in Deum.* Aliud, credo Deo, aliud Deum, & aliud in Deum. Credo Deo omnia ineſſe, credo Deum vera dicere, credo in Deum. i. credendo illum diligo. *Patrem omnipotentem.* Pater relatiuum nomen eſt à filio. Pater dicitur, eo quod habeat filium. Non enim poteſt dici pater, niſi habeat filium, neque filium, niſi habeat patrem. *Omnipotentem.* Omnipotens dicitur eò quod omnia poteſt. Et quare dicitur omnipotens, cùm omnia non poſſit? Mentiri non poteſt, quia immutabilis eſt. Sed ſciendum quia quicquid illum decet, poteſt. *In Ieſum Chriſtum filium eius*, ſubaudi,

credo. Ieſus nomen eſt humanitatis aſ- A ſumptæ à Verbo. Angelus impoſuit & hoc nomen, quando ad Mariam Virginem venit, dicens: *Ecce concipies, & paries filium*, vſque, *ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum*. Ieſus Hebraicè, Græcè Soter, Latinè Saluator dicitur. Chriſtus Græcè, Hebraicè Meſſias, Latinè vnctus. Non fuit autem vnctus oleo viſibili, ſicut Patriarchæ & Prophetæ, qui antiquis temporibus oleo vngebantur. De quibus ipſe Dominus dicit, *Nolite tangere Chriſtos meos*, &c. Sed o- B leo inuiſibili, id eſt, plenitudine Spiritus ſancti. Vnde Pſalmiſta, *Vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ participibus tuis. Vnicum.* Vnicus dicitur, quia vnicus eſt Deo patri. Et vnicus eſt Deo patri, quia nec habuit pater filium ante illum, nec poſt, neque mater ſimiliter. *Dominũ noſtrum.* Dominus noſter eſt, quia dominatur noſtri in omnibus creaturis viſibilibus & inuiſibilibus. *Qui conceptus eſt de Spiritu ſancto*, id eſt opere & miniſterio Spiritus ſancti. Et ſi conceptus eſt à Spiritu, quare non dicitur filius C Spiritus ſancti? Sed ſciendũ quia non omne quod ab aliquo naſcitur, eius filius appellatur. Verbi gratia. Naſcitur capillus ex capite, ſed non dicitur filius capitis. Similiter naſcitur vnguis ex manu, ſed non dicitur filius manus. *Natus ex Maria Virgine*, ſecundum carnem, quia beata Maria Virgo fuit ante partum, & in partu, & poſt partum. Beatus Auguſtinus dicit ibi vnam comparationem. Eſt ſpeculum in aliqua domo, intrat aliquis in illam, vmbra eius apparens in ſpeculo quando ingreditur D & egreditur, non frangit illud ſpeculum. Similiter in Domino, in eundo & redeundo vterus virginalis integer permanſit. *Paſſus ſub Pontio Pilato*, ſecundum humanitatem, quia lapidatus eſt, virgis cæſus eſt, ſputus eſt, & irriſus, multiſque verberibus afflictus, ſed diuinitas illius impaſſibilis manſit. Demus indè comparationem. Incidit quis arborem in qua radius ſolis ſtat: arbor inciditur, tamen radius ſolis nihil mali patitur. Sic Dominus Ieſus ſecundum humanitatem paſ- E ſus eſt, ſecundum diuinitatem impaſſibilis manſit. Pontius Pilatus proprium nomen eſt Pilati. In Iudæa erat Princeps * ſub Tiberio Imperatore. Qui Pontius dictus eſt vel à Ponto regione, vel à Ponto Inſula in qua natus eſt, vel à familia vt quibuſdam placet. *Crucifixus*, id eſt, cruci affixus cum clauis. Multi dicunt quòd nullam iniuriam ibi ſuſtinuerit Dominus. Si-

* Præſes.

cut enim quilibet homo XXXIII. & ſemis annos habens iniuriam ſuſtineret ſi crucifigeretur: ita filius Dei pœnam ſuſtinuit, quia ſi non feciſſet, vera paſſio non eſſet. *Mortuus*, ſecundum carnem. Vnde in Euãgelio dicitur, *Inclinato capite emiſit ſpiritum.* Vnde & Dominus nonâ emiſit ſpiritum, quia ſexta hora fuerat crucifixus. Et recto ordine factum eſt, vt qua hora homo de paradiſo eiectus eſt, eadem illic reſtitueretur. *Et ſepultus.* Sepultus à Ioſeph & à Nichodemo, ſicut legimus, quia in ſepulchro nouo ſepeliuit eum, quod exciderat in petra. *Deſcendit ad inferna*, in anima ſola. Quare? vt electos, qui ibi detinebantur iniuſtè propter originale peccatum liberaret, & ad cælos reduceret. Vnde dicitur per Prophetam, *Ero mors tua ô mors.* Momordit Dominus infernum, quia indè partem abſtulit, & partem reliquit. *Tertia die reſurrexit.* Sexta enim feria crucifixus eſt, Sabbato quieuit in ſepulchro, die Dominico reſurrexit à mortuis ſicut prædixerat. Vnde dicit ad Patrem, *exſurgam diluculo. Aſcendit ad cælos*, quadrageſimo die reſurrectionis ſuę. Nam per XL. dies conuerſatus eſt cum diſcipulis ſuis, & manducauit cum illis, ſicut legimus, partem piſcis aſſi, & fauum mellis. Bibit etiam cum illis, ſicut Petrus dixit, *nobis qui manducauimus & bibimus cum illo poſtquam reſurrexit à mortuis.* Quare mãducauit cum illis poſt reſurrectionem? non vt cibo corporali indigeret, ſed vt demonſtraret verum corpus ſe ſumpſiſſe de ſepulcro, non factitium. Cibus autem ille ita deficiebat à virtute diuinitatis illius, vt poſtmodũ nõ eſſet, ſicut verbi gratia gutta aquæ deficit à nimio calore ignis. *Sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis.* Sedet, quia habitat in magnitudine paternę maieſtatis feliciter. *Inde*, id eſt de cœlis, *Venturus iudicare viuos & mortuos.* Viuos, qui tunc viui reperientur, quia iſte mundus plenus erit hominibus. Mortuos, qui corpore mortui erunt. Vel viuos, iuſtos: mortuos, peccatores. *Credo in Spiritum ſanctum.* Sanctum dicit ad diſtinctionem maligni, in quem nullus debet credere. *Sanctam Eccleſiam Catholicam*, ſubaudis credo. Eccleſia Græcè, Latinè congregatio fidelium. Hoc diſtat inter congregationem & conuocationem, quia conuocatio fit de fidelibus, congregatio verò non ſolùm, ſed etiam de infidelibus, & de animalibus, & de lapidibus. Katholos Græcè, vniuerſalis Latinè, quia ſancta Eccleſia per vniuerſum mundum dilatata eſt. *Sanctorum communionem*, id eſt, ſocietatem, quia vnum Deum credunt, v-

no baptiſmate ſunt renati, vno Spiritu ſancto confirmati, & ad vnam vitam æternam tranſire merebuntur. *Remiſſionem peccatorum* credo eſſe in Eccleſia, primùm per baptiſmum, deinde per martyrium, demũ per eleemoſynam, poſtmodum per orationem, & cetera bona opera. *Carnis reſurrectionem* credo, quia in hac carne, in qua nunc ſumus, in die reſurgemus. Sed quid reſtat? *Vita æterna*, id eſt, vita ſine termino. Hoc diſtat inter æternum, & perpetuum, & temporale. Hoc ęternum, quod non habuit initium, nec finem habebit, vt Deus. Perpetuum, quod initium, ſed finem non habebit; vt ſunt homines, & Angeli. Qui homines, licet moriantur in corpore, in anima immortales erunt. Temporale eſt, quod vtrumque habet, & initium, & finem; vt ſunt animalia, & beſtiæ.

De Tertiæ, Sextæ, Nonæque Horæ Officiis. Cap. XLII.

HOram Tertiam, Sextam, & Nonam Daniel & tres pueri ſupplicationibus deuouerunt; ſcilicet vt ab ortu diei in tempus precationis tres horæ porrectæ Trinitatis nobis reuerentiã declararent: pariter à Tertia, Sexta, vſque inde ad Nonam per lucis interualla ratis dimenſionibus terminata, Trinitas ter diei rogata coleretur. Illud etiam occurrit ad probationem venerabilis Trinitatis, quòd Spiritus ſanctus hora tertia, hoc eſt ſuo loco & numero & tempore deſcendit ad terras impleturus gratiam quam Chriſtus promiſit. Nam & ſexta hora Chriſtus paſſus in nonam patibuli cruciamenta porrexit. Tali enim ſacramẽto legitimis ad precem temporibus per ternas horas Trinitatis perfectio aut laudatur celebritatibus, aut precibus impetratur. Licet etſi computetur diurna cęlebritas per quaternarium vſque in Veſpertinum officium: hoc eſt, quaterni ſignificantur numeri, quia mundus quadrifariè diuiſus in Trinitate ſaluatur. Si quidem & in nocte ſtationes, & vigiliæ militares in quatuor partes diuiſæ ternis horarum ſpatiis ſecernuntur: vt & in ipſis nocturnis mundialibuſque officiis Trinitatis myſterium veneretur.

De Veſpertinis Horis. Cap. XLIII.

VEſpertinum diurni finis officium & alternæ lucis occaſus eſt. Cuius ex veteri Teſtamẽto ſolennis eſt celebratio. Denique hoc tempore veterum ſacrificia offerri adolerique altario aromata & thura mos erat. Teſtis eſt Hymnidicus ille regio ac ſacerdotali perfunctus officio, dicens: *Dirigatur oratio mea, ſicut incenſum in conſpectu tuo: deuotio manuũ mearum ſacrificium veſpertinum.* In nouo quoque Teſtamẽto eodem tempore Dominus & Saluator noſter cœnantibus Apoſtolis myſterium ſui corporis & ſanguinis in initio tradidit: vt tempus illud ſacrificij veſperum ſeculi oſtenderet. Scilicet proinde in honore ac memoria tantorum ſacramentorum his temporibus adeſſe nos decet Dei conſpectibus, & perſonare in eius cultibus, orationum noſtrarum illi ſacrificium offerẽtes, atque in eius laudibus pariter exultantes. Veſperum autem vocatum eſt, à ſidere quod Veſper vocatur, & decedente ſole exoritur. De quo Propheta dicit: *Et veſperum ſuper filios hominum producere facit.*

De Completiis. Cap. XLIIII.

DE Completis autem celebrandis, id etiam in Patrum inuenitur exemplis, Dauid Propheta dicente: *Si aſcendero in lectum ſtrati mei, ſi dedero ſomnum oculis, & palpebris dormitationem, aut requiem temporibus meis: donec inueniam locum Domino, tabernaculum Deo Iacob.* Quis non ſtupeat tantam in Dei amore animi deuotionem, vt ſomnum ſibi, ſine quo vtique corpora humana deficiunt, penitus interdixerit, donec locum ad templum Domino fabricandũ in pectore ſuo Rex & Propheta reperiret? Quæ res fortiter nos debet ammonere, vt ſi ipſe locus omnes eſſe volumus, & tabernaculum eius aut templum cupimus haberi ſancti Spiritus, inquantum poſſumus exempla Sanctorum imitemur, ne de nobis dicatur quod legitur: *Dormierunt ſomnum ſuum, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus ſuis.*

De Vigiliis. Cap. XLV.

ANtiqua vigiliarum deuotio familiare bonum omnibus Sanctis fuit. Sic Iſaias denique Propheta exclamat ad Dominum, dicens: *De nocte vigilat Spiritus meus ad te Deus, quia lux præcepta tua ſunt ſuper terram.* Item Dauid: *Media nocte ſurgebam ad confitendum tibi, ſuper iudicia iuſtificationis tuæ.* Hoc namque tempore vaſtator Angelus tranſiens, primogenita Ægyptiorum percuſſit. Vnde nos vigilare oportet, ne periculo Ægyptiorum admiſceamur. Iiſdem etiam horis venturum ſe eſſe Dominus

minus in Euangelio Saluator aſtruxit. Vnde & ad vigilandum auditores ſuos excitans, dicit: *Beati ſunt ſerui illi, quos cum venerit Dominus inuenerit vigilantes. Et ſi veſpertina*, inquit, *hora venerit, & ſi media nocte, & ſi galli cantu, & inueniat illos vigilantes, beati ſunt. Itaque & vos eſtote parati, quia neſcitis qua hora filius hominis venturus eſt.* Siquidem nec verbis ſolùm docuit vigilias, ſed etiam confirmauit exemplis. Nam teſtatur Euangelium, quia erat Ieſus pernoctans in orationibus Dei. Paulus & Silas in cuſtodia publica circa medium noctis orantes hymnum cunctis audientibus dixiſſe vincti memorantur. Vbi repente terræmotu facto, & concuſſis carceris fundamentis, & ianuis apertis, omnium vincula ſunt ſoluta. Vnde oportet his horis pſallendi orandíque frequentiam nos habere in ſanctis officiis, finemque noſtrum, vel ſi aduenerit, ſub tali actu expectare ſecuriùs.

De Matutinis. CAP. XLVI.

DE Matutinarum antiquitate & auctoritate teſtis eſt idem Dauid Propheta, dicens: *In matutinis meditabor in te, quia fuiſti adiutor meus.* Et alibi: *Præuenerunt oculi mei ad te diluculo, vt meditarer eloquia tua.* Caſſianus autem dicit matutinæ ſolennitatis officium nouo adhuc tempore inſtitutum eſſe primitus in Bethleem Monaſterio, vbi Dominus noſter Ieſus Chriſtus pro redemptione humanæ ſalutis ex Virgine naſci dignatus eſt; ſicque ex illo per vniuerſum mundum eiuſdem celebrationis inoluit conſuetudo. Diluculo autem proinde oratur, vt reſurrectio Chriſti celebretur. Matutina enim luce Dominus & Saluator noſter ab inferis reſurrexit, quando cœpit oriri fidelibus lux, quæ moriente Chriſto occiderat peccatoribus. Siquidem & eodem tempore cunctis ſpes * futuræ reſurrectionis creditur, cùm iuſti & omnes ab hac temporali morte, quaſi à ſopore ſomni reſurgentes euigilabunt.

* ſpecies.

De ordine ad viſitandum infirmum ſeu vngendum, ex Niceno Concilio.

CAP. XLVII.

IAcobus Apoſtolus dixit: *Infirmatur quis in vobis? Inducat presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, vngentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei ſaluabit infirmum: & ſi in peccatis ſit, remittentur ei.* Quod non eſt dubium de fidelibus ægrotantibus accipi vel intelligi debere, qui ſancto oleo perungi poſſunt, quod ab Epiſcopo confectum eſt, non ſolùm ſacerdotibus, ſed omnibus vti Chriſtianis in ſua aut ſuorum neceſſitate ad vngendum. Nam idcirco presbyteris conceſſum eſt, quia Epiſcopi occupationibus aliis impediti, ad omnes languidos ire non poſſunt. Cæterùm ſi Epiſcopus poteſt aut dignum ducit infirmum viſitandum & benedicendum, & tangendum chriſmate, ſine cunctatione poteſt, cuius eſt ipſum chriſma conficere. Nam pœnitentibus iſtud fundi non poteſt, quia genus eſt ſacramenti. Quibus autem reliqua ſacramenta negantur, quomodo vnum genus putatur eſſe concedendum? Hac auctoritate promulgata, quotieſcunque fidelis infirmatur, ingrediuntur fratres ad ægrotum cum aqua benedicta, & cum cereis ſiue incenſo ante oleum ſanctum, & peragunt omnia, ſicut in Sacramentorum libro continetur.

De hoc quod non ſit pœnitentia neganda in extremis, ex decreto Leonis Papæ.

CAP. XLVIII.

ITa ergo talium neceſſitati auxiliandum eſt, vt nec ratio illis pœnitentiæ, nec cõmunionis gratia denegetur. Si etiam iam amiſſo vocis officio per indicia integri ſenſus quærere comprobentur. Quod ſi ita ægritudine fuerint aggrauati, vt quod paulò antè poſcebant, ſub præſentia ſignificare non poſſint, teſtimonia eis fidelium prodeſſe debebunt, ſimul tamen & pœnitentiæ & recõciliationis beneficium conſequantur.

De communione non neganda.* CAP. XLIX.

* antea erat, *De his qui in extremis ſunt.*

DE his qui in exitum veniunt, etiam nunc lex antiqua regulariſque ſeruabitur, ita vt ſi quis egreditur de corpore, vltimo & neceſſario viatico minimè priuetur. Quòd ſi deſperatus & conſecutus communionem, oblationiſque factus particeps, iterùm conualuerit, ſit inter eos qui communicationem orationis tantummodò conſequuntur. Generaliter autem omni in exitu poſito, & poſcenti ſibi communionis gratiam tribui, Epiſcopus probabiliter ex oblatione dare debebit. Horum verò cauſa qui ſine communione ſunt defuncti, Dei iudicio reſeruanda eſt, in cuius manu fuit, vt talium obitus à communionis remedio differretur.

Nos quibus viuentibus non communica- A uimus, mortuis communicare non poſſumus.

* In MS. Ex decreto Cæleſtini Papæ de eadem re.

*Quomodo moriturus olim prouidebatur**.

VEra ergo ad Dominum conuerſio in vltimis poſitorum, mente potiùs eſt æſtimanda, quàm tempore: propter hoc Domino taliter aſſerente: *Cùm conuerſus ingemuerit, tunc ſaluus eris.* Cùm ergo Dominus ſit cordis inſpector, quouis tempore non eſt deneganda pœnitentia po- B ſtulanti, cùm illi ſe obliget iudici, cui occulta omnia nouerint reuelari. Poſt iſtas ſacratiſſimas definitiones, quando aliquis Chriſtianus articulum mortis perſenſerit imminere, primitus renouet cōfeſſionem ſuam cum puritate ac omni fiducia, deinde diſtribuat omnia quę poſſidet, poſt hæc dimittat omnibus, qui in ſe peccauerunt, & reconcilietur. Tunc poſtulet Miſſas & oblationes ſeu communionem ſanctam. Qua percepta, etiam ſi ipſo die comedit, mutet habitum in cilicio & cinere ſeu vi- C liori indumento. Et tunc ingrediantur fratres cum omni grauitate, vel cæteri fideles cum aqua benedicta & cruce, & cum cereis ſeu incenſo, dicentes, *Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon*, ter repetendo. Poſt hæc dicat ſacerdos: *Ad vitam æternam reſuſcitet eum Dominus, & miſertus ſit noſtri.* Tunc canendi ſunt ſeptem Pſalmi pœnitentiales cum Litaniis, prout tempus permiſerit. Interim verò legantur paſſiones Dominicæ ante eum, ſeu aliæ Scripturæ ſacræ. His finitis, ſequitur Antiphona, *An-* D *tequàm naſcerer.* Pſalmus: *Domini eſt terra*, cum repetitione, & dicitur ter *Kyrie eleiſon*, vt ſuprà: Deinde ſacerdos: *In ſinu Abrahæ collocet eum Dominus, & miſereatur noſtri.* Sequuntur orationes ad commendandam animam.

* In eod. MS. De ordine defunctorum.

*De exequiis mortuorum, & eorum commemoratione**. Cap. L.

DE his ita Auguſtinus in libro de cura agenda pro mortuis, & in libro Ciui- E tatis Dei. Qui facit, inquit, exequias mortuorum, ob amorem illius facit, qui promiſit corpora reſurrectura: neque enim contemnenda ſunt & abiicienda corpora defunctorum, maximè fidelium, quibus tanquam organis & vaſis ad omnia opera bona vſus eſt Spiritus ſanctus. Vnde & antiquorum fidelium funera officioſa pietate curata ſunt, & exequiæ celebratæ, ac ſepulturæ prouiſæ. Ipſique cùm viuerent, de ſepeliendis ſeu transferendis ſuis corporibus filiis mandauerunt, & Tobias ſepeliendis mortuis Deum promeruiſſe commendatur. Ipſe Dominus die tertia reſurrecturus, glorioſæ mulieris bonum opus prædicit prædicandum, & Ioſeph qui eum ſepeliuit, mirè collaudatur. Ac ideò pro noſtris defunctis certare debemus, quatenus poſſint participes fieri eorum, quos Chriſtus à clauſtris reuocauit inferni. Simili etiam modo celebramus officia pro ipſis, quomodo celebrantur in illis diebus, quando Chriſtus deſcendit ad inferna, in quibus & creditur mortuus. Denique in aliquibus locis generaliter pro omnibus defunctis omni tempore, exceptis Pentecoſtes, & feſtis diebus, oratur in officio Veſpertinali, in aliquibus quotidie pro eis Miſſa celebratur. In Kalendis etiam ſeu diebus anniuerſariis per nouem Pſalmos, & Reſponſoria, ſeu Lectiones, ſimili modo officia perſoluuntur: & ideò iuxta Auguſtinum, non prætermittendæ ſupplicationes pro ſpiritibus mortuorum, quas faciendas pro omnibus Chriſtianis fidelibus, etiam tacitis nominibus eorum, ſub generali commemoratione ſuſcepit Eccleſia, vt quibus iſta deſunt, parentes, aut filij, aut qualeſcumque cognati, vel amici, ab vna eis exhibeatur matre communi. Si autem deeſſent iſtæ ſupplicationes, quæ fiunt recta & pia fide pro mortuis, puto quòd nihil prodeſſet ſpiritibus eorum, ſi quamlibet locis ſanctis exanima corpora ponerentur. Quapropter ritè celebrantur illi tres dies generaliter ab omnibus infra trigeſimam, qui vocantur, tertius, ſeptimus, atque triceſimus. De tertio enim die ſeu ſeptimo ita habetur in libro Numerorum: *Qui tetigerit cadauer hominis, & propter hoc fuerit immundus, ſeptem diebus adſpergatur aqua luſtrationis, die tertia & ſeptima, & ſic mundabitur.* Immunditia hæc pro tactu cadaueris, animam pollutam ſignificat operibus mortuis: & quia neglexit cultum Dei, in cogitatione, in vita, & in intellectu humiliter confitendo, offerimus ſacrificium Deo tertia die, quatenus ab his peccatis purgetur. In expiatione verò diei tertij commendati defuncti, poſſumus ad memoriam reducere tertiam diem reſurrectionis Domini, in qua deuotiùs eſt generaliter ſupplicandum. De ſeptimo verò die habemus auctoritatem in libro Geneſeos: mortuo etenim Iacob in Ægypto, & tranſlato

à Ioſeph trans Iordanem cum comitatu A maximo, celebrauerunt ibidem exequias cum planctu magno, & fecerunt ſeptem dies. & alibi: *Luctus mortui ſeptem dierum, fatui autem omnes dies vitæ eius*. Quòd autem apud aliquos nonus dies celebratur, & vocabatur Nouendialis, Auguſtinus in libro Quæſtionum redarguit, maximè cum nullus ſanctorum hoc feciſſe probatur, cùm ſit conſuetudo Gentilium. Sanè ſeptimus dies in Scripturis auctoritatem habet, quia ſeptenarius numerus propter Sabbati ſacramentum præcipuè quietis indicium B eſt. Vndè meritò mortuis tanquam quieſcentibus exhibetur. De triceſima die ſcriptum eſt in libro Numerorum, *Omnis autem multitudo videns occubuiſſe Aaron, fleuit ſuper eo triginta diebus, & Moyſen fleuerunt filij Iſrael in campeſtribus Moab triginta diebus.* Dauid & filij Iſrael ieiunauerunt pro Saul, & planxerunt eum planctu maximo. Et in libro Sapientiæ de tertio, ſeptimo, atque trigeſimo die: *Fili in mortuum produc lachrymas.* & poſt pauca: *Propter delaturam autem amarè fer luctum illius.* & iterùm: *Fac luctum* C *ſecundùm meritum eius vno die, vel duobus propter detractionem.* Vbi primò dixit, propter delaturam vno die fieri luctum, & poſtea propter detractionem vno vel duobus, tres dies introduxit in luctum. Quapropter & nos pro valdè chariſſimis ieiunare ſeu eleemoſynas facere, atque interiùs pro eorum reatibus flere debemus, vt quod illi in vita debuerunt facere, & non fecerunt, ſaltem nos pro illis cum Dei auxilio adimpleamus. Interea dicunt aliqui, vtrùm pro omnibus Chriſtianis licitum D ſit Miſſas celebrare? Hinc Auguſtinus: Neque negandum eſt, defunctorum animas pietate ſuorum viuentium releuari, cùm pro illis ſacrificium mediatori offertur, vel eleemoſynæ in Eccleſia fiunt. Sed eis hæc proſunt, qui cùm viuerent, hæc ſibi vt poſteà prodeſſe poſſent, meruerunt. Eſt enim quidam viuendi modus, nec tam bonus, vt non requirat iſta poſt mortem: nec tam malus, vt ei non proſint iſta poſt mortem. Eſt verò talis in bono, vt hæc non requirat: & eſt rurſus talis in malo, vt nec his E valeat, cùm ab hac vita tranſierit, adiuuari. Quapropter oportet pro omnibus regeneratis iſta facere, vt nullus eorum prætermittatur, ad quos hæc beneficia poſſint & debeant peruenire. Præſertim cùm quidam ab hoſtibus captus, vinculiſque ferreis mancipatus, à quodam ſeruo Dei, ſcilicet germano ſuo vt putabatur mortuus, celebratis pro eo quotidiè Miſſis more mortuorum, ſæpiſſimè vincula ſoluerentur, à quibus poſteà abſolutus eſt. Sed & hoc notandum, quia quòd Miſſæ mortuorum abſque *Gloria* & *Alleluia*, ſeu pacis oſculo celebrantur, quod eſt indicium lætitiæ, ad imitationem agitur officiorum, quæ aguntur in morte Domini. Poteſt hoc addiſci in Homilia Origenis quinta libri Leuitici, vbi dicit: Sacrificium pro peccato non fit in oleo. dicit enim, Non ſuperponit ei oleum, cùm iam pro peccato eſt. Quod ergo pro peccato eſt, nec oleum lætitiæ, nec thus ſuauitatis imponitur; ac ideò abſque *Gloria* & *Alleluia* celebratur, quia ſine oleo & thure Romani in veſpertinis ſeu vigiliis atque matutinis defunctorum tres tantummodò Pſalmos recitant, ſcilicet ob ſepulturam triduanam Domini: At hi qui per nouennarium numerum, ſicuti eſt in Kalendarum diebus ſeu animaduerſariorum, recolunt, figurant illa officia nocturnalia, quæ in paſſione Domini ritè celebrantur. Anniuerſaria dies ideò repetitur defunctis, quoniam neſcimus qualiter eorum cauſa habeatur in alia vita.

De tertia, ſeptima, & triceſima die pro defunctis.

Cap. LI.

Tertia dies ſpecialiter pro animæ abſolutione celebratur, quia videlicet triplicis eſt naturæ, iraſcibilis, concupiſcibilis, & rationalis: & quia ingenio viget, intellectu, & memoria. Propter hoc igitur ſacrificium die tertia peragitur, vt ſi quid temulentum ex carnis cohabitatione contraxit, obliteretur, & ſanctæ Trinitatis ſimilitudo reparetur. Dies ſeptimus nihilominus officiis deputatur eiſdem, vt anima ſuo corpori reconcilietur: ſeptenarius namque numerus ex ternario conſtat, & quaternario, & ternarius animæ tribuitur, quaternarius corpori deputatur, propter quatuor notiſſimos, quibus conſtat, humores. Eſt ergo quaſi quædam rixa corporis & animæ, quæ carne illiciente, eámque ſuis illecebris attrahente, peccauit. Vt ergo anima ſuo corpori pacificetur, holocauſtum ſeptima die peragitur. Ad hoc fortè pertinet, quod in libro Eccleſiaſtici dicitur: *Luctus mortui, ſeptem dies: luctus autem fatui, omnes dies eius vitæ*. Hæc de tertia & ſeptima die, auctoritatiuè quidem breuiter diximus. Cæterum de trigeſima die in Dialogorum libris legimus, beatum Gregorium

præcepiſſe diebus triginta continuis pro quodam monacho nomine Iuſto, ſibique neceſſario medico, quem ipſe ob ſcelus rei peculiaris damnauerat, Miſſas & orationes percelebrari. Quibus expletis, diuina manifeſtatum eſt reuelatione, communionem Sanctorúmque ſocietatem recepiſſe. Hæc ergo ſalutifera inoleuit conſuetudo, vt trigeſima dies defunctorum deuotis frequententur officiis. Poſſumus etiam & hic auctoritatis aliquid adhibere, nam Aaron primum ſacerdotum triginta diebus legitur fleuiſſe populus. Sunt qui dicunt hoc agi pro perfectione tricenarij numeri: nam Dominus triginta annorum ætate baptizatus eſt. Et Dauid triginta annorum, regni ſuſcepit gubernaculum. Primum etiam hominem, in triginta annorum ætate creatum Doctores aſſerunt, & noſtra corpora in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti, credimus & ſperamus reſurrectura: multáque extant alia huius rei myſteria. Celebratur ergo dies triceſima, vt in anima incorruptionis renouetur iuuentus, & corpus quod in humilitate ſepultum fuerat, reſurgat in gloria, configuratum corpori claritatis Chriſti.

De Miſſa Innocentium. CAP. LII.

Sequentia VI. Capita nunc etiam adiecta ſunt ex MS. Cod.

DE Miſſa Innocentium particulariter in Antiphonario ſic: Gloria in excelſis Deo non cantatur, nec Alleluia, ſed quaſi in triſtitia deducitur dies ille. Compoſitor officij præſentis Innocẽtium. Voluerunt & planxerunt. Sicut ſeparat nos ab actu malorum Iudæorum in Cæna Domini, ſiue in Paraſceue, ſeu in Sabbato ſancto, omittendo oſcula ſiue cetera conſueta: ſic coniungit in præſenti feſtiuitate dolori deuotarum feminarum. Cauſa earum triſtitiæ omittimus Gloria in excelſis Deo, & Alleluia.

De hoc cur Magiſtri Eccleſiæ Quadrageſimæ tempus ante Domini paſſionem obſeruandum ſtatuerunt. CAP. LIII.

COngrua autem ratione Magiſtri Eccleſiæ Quadrageſimæ tempus ante Domini paſſionem obſeruandum eſſe ſtatuerunt: vt intellegamus, quia præſentis vitæ afflictio immortalitatem futuram parit. Ad quam rem confirmandum ipſe Dominus, qui quadraginta diebus ante paſſionem ieiunauit, quadraginta etiam poſt reſurrectionem cum diſcipulis conuerſatus eſt. Vtrumq; tempus quadraginta dierum numero complens, vt oſtenderet in præſenti vita tempus eſſe afflictionis, & in futura gaudij. Cum enim quadraginta diebus ante paſſionem ieiunaret, quaſi clamabat: *Niſi pœnitentiam egeritis, moriemini in peccatis veſtris.* Et Petrus: *Abſtinete vos à carnalibus deſideriis, quæ militant aduerſus animam.* Cùm verò poſt reſurrectionem cum diſcipulis conuerſaretur, eorum corda lætificans, quaſi illud gaudium ineffabile promittebat, de quo alibi ait: *Iterum videbo vos, & gaudebit cor veſtrum, & gaudium veſtrum nemo tollet à vobis.* Et iterum: *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſeculi.* Ieiunauit autem non ſolùm quadraginta diebus, ſed etiam noctibus; vt ſi proſpera blandiantur, quæ ſignificantur per dies, ſiue aduerſa terreant, quæ ſignificantur per noctes, immobilis perſeueret animus Chriſtianus, ſicut faciebat ille qui dicebat: *Per arma iuſtitiæ à dextris & à ſiniſtris, per gloriam & ignobilitatem, per infamiam & bonam famam. Vt ſeductores & veraces, ſicut qui ignoti & cogniti.*

Orationes ſuper pœnitentem. CAP. LIIII.

EXaudi, Domine, preces noſtras, & confitentium tibi parce peccatis; vt quos conſcientiæ reatus accuſat, indulgentia tuæ miſerationis abſoluat. Per Dominum.

Alia.

Præueniat hunc famulum tuum, quæſumus Domine, miſericordia tua; & omnes iniquitates eius celeri indulgentia deleantur.

Alia.

Adeſto, Domine, ſupplicationibus noſtris, nec ſit ab hoc famulo tuo clementiæ tuæ longinqua miſeratio: ſana vulnera, eiúſque remitte peccata, vt nullis à te iniquitatibus ſeparatus, tibi ſemper Domine valeat adhærere. Per Dominum.

Alia.

Domine Deus noſter, qui offenſione noſtra non vinceris, ſed ſatisfactione placaris: reſpice quæſumus ad hunc famulum tuum, qui ſe tibi peccaſſe grauiter confitetur: tuum eſt abſolutionem criminum dare, & veniam præſtare peccantibus, qui dixiſti pœnitentiam te malle peccatorum quàm mortem. Concede ergo Domine hoc, vt & tibi pœnitentiæ excubias celebret, & correctis actibus ſuis conferri ſibi à te ſempiterna gaudia gratuletur. Per Dominum.

Precor Domine clementiam tuæ maieſtatis ac nominis, vt huic famulo tuo peccata & facinora ſua confitenti veniam dare, & præteritorum criminum culpas relaxare digneris, qui humeris tuis ouem perditam reduxiſti ad caulas, qui publicani precibus vel confeſſione placatus es: tu etiam Domine & huic famulo tuo placare, tu eius precibus benignus adſiſte, vt in confeſſione flebili permanens, clementiam celeriter exoret, & ſanctis ac ſacris altaribus reſtitutus ſpei rurſus æternæ & cæleſti gloriæ reformetur. Per Dominum.

Alia.

Omnipotens ſempiterne Deus, confitenti tibi huic famulo tuo pro tua pietate peccata relaxa: vt non plus ei noceat conſcientiæ reatus ad pœnam, quam indulgentia tuæ pietatis ad veniam. Per Dominum.

Alia.

Omnipotens & miſericors Deus, qui peccatorum indulgentiam in confeſſione celeri poſtulaſti, ſuccurre lapſis, miſerere confeſſis: vt quos delictorum catena conſtringit, magnitudo pietatis abſoluat. Per Dominum.

De Pœnitentibus. CAP. LV.

Pœnitentibus exemplum Iob primus exhibuit, quando poſt funera vel flagella adhuc in ſua redargutione etiam in cilicio & cinere lamēta pœnitudinis ſumpſit, dicens: *Idcirco ago pœnitentiam in fauilla & cinere.* Poſt hunc nobis Dauid pœnitentiæ magiſterium præbuit, quando graui vulnere lapſus, dum audiſſet à Propheta peccatum ſuum, confeſtim pœnituit, & culpam ſuam pœnitentiæ confeſſione ſanauit. Sic Niniuitæ & alij multi peccata ſua confeſſi ſunt, & pœnitentiam egerunt. Diſplicuerant ſibi quales fuerant, & quales per Deum facti ſunt illi placuerunt. Eſt autem pœnitentia medicamentum vulneris, ſpes ſalutis, per quam peccatores ſaluantur, per quam Deus ad miſericordiam prouocatur: quæ non tempore penſatur, ſed profunditate luctus & lacrymarum. Pœnitentia autem non menſium ac temporum curſu penſatur, ſed pœna qua anima cruciatur, & mortificatur caro. Hi verò qui pœnitentiam gerunt, proinde capillos & barbam nutriunt, vnde monſtrent abundantiam criminum, quibus caput peccatoris grauatur.

A Capilli enim pro vitiis accipiuntur. *Vir enim ſi comam nutriat*, vt ait Apoſtolus, *ignominia eſt illi.* Ipſam enim ignominiam ſuſcipiunt pœnitentes pro merito peccatorum. Quòd verò in cilicio proſternuntur, per cilicium quippe recordatio eſt peccatorum, propter hœdos ad ſiniſtram futuros. Inde ergo confitentes in cilicio proſternuntur, tanquam dicentes: *Et peccatum meum contra me eſt ſemper.* Quòd cinere aſperguntur, vel vt ſint memores quia cinis & puluis ſunt, vel quia puluere B facti ſunt, id eſt, impij facti ſunt. Vnde & illi præuaricatores primi homines recedentes à Deo, maliſque factis offendentes Creatorem, in puluerem vnde facti ſunt redierunt. Bene ergo in cilicio & cinere pœnitens deplorat peccatum, quia in cilicio aſperitas & compunctio peccatorum; in cinere autem puluis oſtenditur mortuorum. Et idcircò in vtróque pœnitentiam agimus, vt in compunctione cilicij agnoſcamus vitia quæ per culpam commiſimus; & per fauillam C cineris perpendamus mortis ſententiam, ad quam peccando peruenimus. Pœnitentiæ autem remedium Eccleſia Catholica in ſpe indulgentiæ fidenter alligat exercendos homines, & poſt vnum baptiſmi ſacramentum, quòd ſingulari traditione commendatum ſollicitè prohibet iterandum, medicinali remedio pœnitentiæ ſubrogat adiumentum, cuius remedium agere ſe cuncti agnoſcere debent pro quotidianis humanæ fragilitatis exceſſibus, ſine quibus in hac vita eſſe non D poſſumus, honore duntaxat & dignitate ſeruata, itaut Sacerdotibus & Leuitis Deo tantùm teſte fiat. A ceteris verò adteſtante coram Deo ſollenniter ſacerdote, vt hoc tegat fructuoſa confeſſio, quod temerarius appetitus, aut ignorantiæ nota contraxiſſe neglegentius videtur: vt ſicut in baptiſmo omnes iniquitates remitti, vel per martyrium nulli peccatum credimus imputari, ita pœnitentia compunctionis fructuoſa fateamur deleri peccata. Lacrymæ enim pœnitentium apud E Deum pro baptiſmate reputantur. Vnde & quamlibet ſint magna delicta, quamuis grauia; non eſt tamen in illis Dei miſericordia deſperanda. In actione enim pœnitudinis, vt ſuprà dictum eſt, non tam conſideranda eſt menſura temporis, quàm doloris. Cor enim contritum & humiliatum Deus non ſpernit. Verumtamen quanto in peccando fuit ad malum abruptæ mentis intentione deuotio,

tanto debet eſſe in pœnitendo afflictio. Duplicem habere debet fletum in pœnitentia omnis peccator, ſiue quia per neglegentiam bonum non fecit, ſeu quia malum per audaciam perpetrauit. Ille autem verè pœnitentiam agit, qui nec pœnitere perpetrata neglegit, nec adhuc pœnitenda committit. Qui verò lacrymas indeſinenter fundit, & tamen peccare non deſinit, hic lamentum habet, ſed mundationem non habet. Si qui autem per gratiam Dei ad pœnitentiam conuertuntur, perturbari non debent ſi rurſus poſt emendationem relicta vitia corde pulſentur; dum non poſſunt bonæ conuerſationi nocere, ſi talis cogitatio non erumpat in conſenſu vel in opere. Ferre enim ſine perfectione vitiorum cogitationes non eſt ad damnationem, ſed ad probationem. Nec eſt occaſio ſubeundi diſcriminis, ſed potius agendæ virtutis. Nam & ſi quis circa finem ſuum per pœnitentiam deſinat eſſe malus, non ideò debet deſperare quia in termino eſt vltimæ vitæ: quoniam Deus non reſpicit quales antea fuimus, ſed quales circa finem exiſtemus. Ex fine enim ſuo vnumquemque aut iuſtificat, aut condemnat, ſicut ſcriptum eſt: *Ipſe iudicat extrema terræ.* Et alibi: *Vniuerſorum finem ipſe conſiderat.* Proinde non dubitamus circa finem iuſtificari hominem per pœnitentiam & compunctionem. Sed quia rarò hoc fieri ſolet, metuendum eſt ne dum ad finem differtur conuerſio, incerta occupet mors antequàm ſubueniat pœnitentia. Pro qua re etſi bona eſt ad extremum conuerſio, melior tamen eſt quæ longè ante finem agitur, vt ab hac vita ſecuriùs tranſeatur.

De Symbolo Nicæno. CAP. LVI.

SYmbolum autem, quod tempore ſacrificij populo prædicatur, CCCXVIII. ſanctorum Patrum conlatione apud Synodũ Nicænam eſt editum. Cuius veræ fidei regula tantis doctrinę myſteriis præcellit, vt de omni parte fidei loquatur, nullâque penè ſit hæreſis, cui per ſingula verba vel ſententias non reſpondeat. Omnes enim erroris, impietatum, perfidieique blaſphemias calcat, & ob hoc vniuerſis Eccleſiis pari confeſſione à populo proclamatur.

De Regula fidei. CAP. LVII.

HÆc eſt poſt Apoſtolorum Symbolum certiſſima fides, qua Doctores noſtri

A tradiderunt, vt profiteamur Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum vnius eſſentiæ, eiuſdemque poteſtatis & ſempiternitatis. Vnum Deum inuiſibilem, itaut in ſingulis perſonarum proprietate ſeruata, nec ſubſtantialiter Trinitas diuidi, nec perſonaliter debeat omnino confundi. Patrem quoque confiteri ingenitum, filium genitum, Spiritum ſanctum nec genitum, nec ingenitum; ſed ex Patre & Filio procedentem. Filium à Patre naſcendo procedere, Spiritum verò ſanctum procedendo non naſci. B Ipſum verò filium ex Virgine ſine peccato hominem ſuſcepiſſe, vt quem ſola bonitate creauerat, ſponte lapſum miſericorditer repararet. Quem veraciter crucifixum, & tertia die reſurrexiſſe, & cum eadem ipſa carne glorificata aſcendiſſe in cælum, in qua ad iudicium viuorum & mortuorum expectatur venturus. Et quòd diuinam humanamque ſubſtantiam in vtroque perfectus vna Chriſtus perſona geſtauerit. Quia nec geminauit vtriuſque ſubſtantiæ integritas perſonam, nec confundit geminam vnitas perſonæ ſubſtantiam. Altero quippe C neutrum excluſit, quia vtrunque vnius intemeratio iure ſeruauit, quod noui & veteris Teſtamenti ſalubris commendat auctoritas: illa per Prophetiam, iſta per hiſtoriam veraciter perſolutam. Et quod neque de Deo, neque de creatura ſeculi ſit cum paganis aut cum hæreticis aliquid ſentiendum in his, quibus à veritate diſſentiunt: ſed quod in vtroque Teſtamento diuina proteſtantur eloquia, hoc tantummodo ſentiendum. Quod ſiue hominem, ſiue vniuerſa nulla neceſſitate Deus creauerit: nullam eſſe omnino viſibilem, D inuiſibilemque ſubſtantiam, niſi aut quæ Deus ſit, aut à bono Deo bona creata ſit. Sed Deus ſummè & incommutabiliter bonus, creatura verò inferius & mutabiliter bona. Et quòd animæ origo incerta ſit, & quod Angelorum natura vel animæ non ſit pars diuinæ ſubſtantiæ; ſed Dei creatura ex nihilo condita. Ideo incorporea anima abſque dubio, & Deo & Angelis, à quibus comprehendi & transferri poteſt, corporea eſſe euidenter oſtenditur. E Ad imaginem autem Dei creata eſt, pietate morum, ſine qua fides diuini cultus perficitur. Et vt vnuſquiſque Deum, proximúmve in Deo diligens, vſque ad dilectionem quoque inimicorum pertendendo proficiat, vt proficiendo perueniat. Alterum quoque alterius pollui non poſſe peccato, vbi par voluntatis non tenetur conſenſio. Legitimas nuptias non

credidamnatas, licet ex eis quoque originali peccato obnoxia credatur naſci poſteritas. Eiſque iure fidelium Virginum vel continentium prǫferenda doceatur integritas. Nec vnum Trinitatis baptiſma, quod nefas eſt, iteretur; neque pro diuerſitate tradentium miniſtrorũ ſingulis putetur quibuſque conferri, ſed à Deo ſingulari poteſtate donari. De quo dictum legimus; *Super quem videris Spiritum deſcendentem, & manentem ſuper eum; hic eſt qui baptizat in Spiritu ſancto.* Et, *Ego vidi & teſtimonium perhibui, quia hic eſt filius Dei.* Et ne pœnitentiæ nos egere non putemus pro cotidianis humanæ fragilitatis exceſſibus, ſine quibus in hac vita eſſe non poſſumus: itaut pœnitentia fructuoſa vniuerſa fateamur deleri peccata, ſicut ſcriptum eſt: *Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata. Beatus vir, cui non imputauit Dominus peccatum.* Nullum quoque ſuis viribus, ſed per diuinam gratiam capiti Chriſto ſubiungi, atque indiſruptæ pacis perſeuerantiam in vnitate Eccleſiæ ipſius ſolidari. Nec humanæ voluntatis arbitrio boni quicquam deputandum æſtimari, ſecundum propoſitum voluntatis Dei omnem numerum electorum adquiri. Bona quoque temporalia bonis maliſque communia à Deo creari, eiuſque diſpenſatione ſingulis quibuſq; vel tribui, vel negari. Quorum bonorum in vnoquoq; fidelium non habitus, ſed vſus aut improbandus eſt, aut

A probandus. Certa verò æternáque bona ſolos poſſe bonos in futuro cõnſequi, quorum pignore Eccleſiam nunc informatam credimus detineri. Hîc habentem primitias ſpiritus, in futuro perfectionem. Hic ſuſtentari in ſpe, poſtea paſci in re. Hic videre per ſpeculum in ænigmate, in futuro autem facie ad faciem, cùm ad ſpeciem fuerit ducta per diem. Quãdo perficiatur, vt ſummi Dei bonis fruamur æternis, fruendo in Deo nouerimus & proximis. Eam quoque nos ſpem reſurrectionis habere vt

B eodem ordine eademque forma, qua ipſe Dominus reſurrexit à mortuis, nos quoque reſurrecturos eſſe credamus in eodem corpore in quo ſumus, vel viuimus, non naturam aut ſexum mutantes, ſed tantum fragilitatem & vitia deponentes. Ipſum quoque ſathanam cum angelis ſuis atque cultoribus æterno incendio condemnandum, neque ſecundum quorumdam ſacrilegam diſputationem ad priſtinam, id eſt, Angelicam dignitatem, ex qua propria malignitate cecidit, reducendum. Hæc eſt Catholicǫ traditionis fidei vera integritas,

C de qua ſi vnum quodlibet reſpuatur, tota fidei credulitas amittitur. Lege Homeliam XXXVII. ſancti Auguſtini in prima parte ſuper Ioannem Euangeliſtam, cuius initium eſt, *Verba Domini noſtri Ieſu Chriſti, quæ habuit cum Iudæis, ita moderans loquelam ſuam, vt cæli & terra.* &c.

MAGISTRI

ALBINI FLACCI ALCHVVINI

DE RATIONE SEPTVAGESIMÆ, SEXAGESIMÆ, ET QVINQVAGESIMÆ,

Ad CAROLVM *Magnum Galliarum Imperatorem,*

EPISTOLA. habetur iterum emendatior col. 1463.

BENEDICTVS ſit Deus Pater omnipotens, qui te creauit & honorauit: & benedictus ſit Dominus noſter Ieſus Chriſtus filius Dei viui, qui te redemit & elegit: Benedictus ſit Spiritus ſanctus paracletus, qui te illuminauit, & dilatauit cor tuum in omni ſapientia & ſcientia claritatis, dilectiſſime DD. & dulciſſime Domine: & benedicta ſit ſancta Trinitas, vnus Deus omnipotens, Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, qui mihi ſeruulo ſuo, licet indigno,

D talem conceſſit Dominum, amicum, & adiutorem gratiæ ſuæ; qui mihi per ſeruum ſuum, beatæ memoriæ magiſtrum meum, miniſtrare clementer dignatus eſt. Et benedicta ſit poteſtas & regnum tuum, & filij tui, & filij filiorum tuorum, vſque in generationes ſeculi ſempiternas; & veniat ſuper te & ſuper tuam generationem benedictio Sanctorum, in die Domini noſtri Ieſu Chriſti; vtque ſanctiſſima tua voluntas ſemper vigeat, floreat, & creſcat in corde tuo, clariſſime Eccleſiæ Chriſti re-

ctor & defenſor. Repletus ſum gaudio, veſtram audiens proſperitatem & exaltationem; & totus iucunditate exhilaratus, dum veſtræ beatitudinis literas accepi, legi, & oſculatus ſum. Vnde & aliquid familiarius veſtræ dilectioni ſcribere præſumo, & illatas quæſtiunculas venerabili affectui veſtro præſentare. Sciens autem ſcholaſticæ eruditionis inquiſitionem, & Eccleſiaſticæ diſciplinæ ſolertiam, veſtræ clariſſimæ ſapientiæ & dulciſſimæ familiaritati gratam eſſe & iocũdam; & quicquid vrbanitatis ſale conditum cognoſcitur, veſtris intellectualibus auribus fauorabile, & acutiſſimis ſcientiæ oculis amabile eſſe probauimus. Vnde quòd ſcholaſtica tyronum iuuentus flaccidis ingerere auribus ſolet, veſtræ ſanctiſſimæ prudentiæ dirigere ratum duximus, & inde ſolatia reſponſionis quærere, vnde ſophiæ flumina manare nouimus; tametſi has interrogationes veſtræ ſanctiſſimæ ſapiẽtiæ patefieri poſſe fateor. Et ne meæ aliquis ruſticitati prę̨ſumptuoſè reſponderet; veſtrum laudabile ingenium, & præfulgens eruditionis cacumen conſulere, tutum eſſe putauimus. Nam velut vermes feneſtris inuolant æſtiuis; ſic auribus meis inſident quæſtiunculæ, & horum conuenientium nunc temporum excitati *, de Eccleſiaſtico munere interrogant, cur Septuageſimus, & Sexageſimus, vel Quinquageſimus ordo, per dies Dominicos, ante Quadrageſimum dicatur, vel colatur. Si reſpondero, Eccleſiæ hanc eſſe conſuetudinem, & Romana auctoritate huius Religionis ritum eſſe firmatum; minus illis videtur auctoritatis: quia dico, nihil ſine cauſa in Eccleſiaſticis conſuetudinibus à Doctoribus conſtitutum præcipuis. Maximè, titubat illorum ſenſus, quòd numerus prædictus ordini dierum non conuenit. Vbi dicunt, Septuageſimus, ibi non ſunt ſeptuaginta dies vſque ad Reſurrectionem Domini noſtri Ieſu Chriſti. Similiter vbi Sexageſimus numerus notatur in diebus Dominicis, nullatenus computatio dierum conuenit, vſque ad Paſcha. Iterum ſi duo, ſynecdochicè dictum eſt; id eſt à parte totum; quæ quidem tropica locutio, vt vos optimè noſtis, Scripturis ſanctis vſitatiſſima eſſe dignoſcitur; ſicut in tribus diebus & tribus noctibus, quibus Dominus noſter Ieſus Chriſtus in ſepulchro requieſcere legitur, intelligi neceſſe eſt, & multis aliis in locis: quæ omnia ſi dicantur, libri excedunt magnitudinem: addunt tamen quærere, cur Septua-

A geſima, vel Sexageſima, vel Quinquageſima, in tanto tempore dicantur. Audiui dum Romæ eſſem, quoſdam Magiſtros dicentes, quòd Orientales populi octo hebdomadas, & Græci octo, & Latini ſeptem ieiunare ſoleant; & inde ex conſuetudine Romana ſumpſiſſe Eccleſiam, Septuageſimam, Sexageſimam, & Quinquageſimam, dies nuncupare Dominicos. Hoc quia non audiui à talibus Magiſtris, quorum auctoritati me tradere auderem; omninò confirmare non fui auſus. Qua-
B propter reſtat adhuc aliquid quærendum, quod tempori conueniat, & rationi concordet; & noſtro non aduerſetur. Videtur Septuageſimus dies dici poſſe propter decem hebdomadas quæ ſunt ab ipſo die vſque clauſum Paſcha, quo die alba tolluntur veſtimenta à nuper baptizatis. Igitur in Apoſtolo legitur, *Regnauit mors ab Adam vſque ad Moſem*, & ſignificat vſque ad vltima tempora. Porrò, Sexageſima indè dici poteſt, quia ſexaginta ſunt dies vſque ad medium Paſchæ, quod eſt feria
C quarta Paſchalis hebdomadis. Quinquageſima verò, quia decurrit vſque in diem ſanctum Reſurrectionis Dominicæ. Quadragenarius etiam numerus cum Dominica ſua currit ad myſticum Paſcha Hebræorum, quod Dominus noſter Ieſus Chriſtus cum diſcipulis ſuis celebrauit; & nos dicimus Cœnam Domini. Nec typica interpretatio his diſcordare videtur rationibus. Nam ſeptenarius Spiritui ſancto conuenire, multis in locis ſacræ ſcripturæ noſcitur. Vnde poſt ſeptem hebdomadas,
D Spiritus ſanctus miſſus eſt de cœlo in igneis linguis ſuper centum viginti nomina credentium, & ſeptem dona ſancti Spiritus legimus in Prophetis. Et tunc maximè cùm alba tolluntur veſtimenta à baptizatis, per manus impoſitionem a Pontifice accipere Spiritum ſanctum cõueniens eſt, qui in baptiſmo omnium receperunt remiſſionem peccatorum; & per ſeptem dies in Euangelico caſtitatis habitu, & luminibus cœleſtis claritatis, ſanctis aſſiſtere ſacrificiis ſolent. Nec non & ſenarius nume-
E rus perfectioni vitæ noſtræ cõcordat, quia ſex diebus omnia opera perfecta fecit Deus Creator omnipotens; & ipſe ſenarius numerus, ſicut veſtra doctiſſima ſagacitas nouit, partibus ſuis eſt perfectus. Sed & quinarius per decades ductus, ad Reſurrectionem Chriſti concurrit, ſignificans nobis remiſſionem omnium peccatorum eſſe, & iuſtificationem vitæ in Chriſto. Quadragenarium verò per decades ductum

quater, pœnitentiæ typum multis in locis continere conſtat. Vnde & ipſe Dominus noſter quadraginta diebus ieiunauit. Vtque prædicatio prima fuit, *Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cælorum* : & ſicut Moyſes Legem, Helias Prophetiam, ita Dominus noſter Euangelicam prędicationem quadraginta dierum ieiunio dedicauit. Et vt veſtra nouit ingenioſa & præclara in omnibus Philoſophorum diſciplinis prudentia, quia mirabiliter quadragenarius numerus, qui pœnitentiæ, vt diximus, conuenit, ſi per ſuas diuiſiones partitur, & per partes ſuas creſcit, vſque ad quinquageſimum peruenit; quia per pœnitentiam ad remiſſionem peccatorum noſtrorum eſt nobis feſtinandum. Sed & aliquid adhuc mirabile in hac conſideratione de cõuenientia ſenarij numeri inueniri poteſt; & quodammodo principium huius repreſentationis mirabili fine concordat numerorum regulis. Igitur inter Septuageſimam & Sexageſimam ſex reperiuntur dies: Similiter inter Sexageſimam & Quinquageſimam, & etiam inter Quinquageſimam & Quadrageſimam ſenarius inuenitur numerus; & faciunt dies octodecim. Qui numerus ſi rationabiliter conſideratur, & diuiditur in tres partes, æquales erunt ter ſex; & eſt ratio ſimpli ad duplum, & ſignificat duplam mortem noſtram ad ſimplam mortem Chriſti. Quia nos duabus mortibus fuimus obnoxij, id eſt, animæ & corporis: ille ſimpla morte ſua & innoxia duplam deſtruxit noſtram, & ſimpla reſurrectione ſua duplam oſtendit noſtram; & perdonauit vnam nunc in anima, alteram in die magno aduentus ſui in corpore; vt ſit tunc vnus homo glorioſus corpore & anima, qui prius fuit mortalis anima & corpore; anima peccato, corpore corruptione. Similiter & ſi finis conſideratur calculationis, conuenienter huic rationi videtur concordare. Nam inter quintam feriam Cœnæ Dominicæ, in qua quadragenarius numerus decurrit; vſque in Reſurrectionem Domini, id eſt Dominicam diem, quò quinquagenarius numerus peruenit, duo ſunt dies. Item à Dominica Reſurrectionis die, vſque in quartam feriam, qua ſexageſimus numerus impletus eſt, duo ſunt dies. His verò ſi iunguntur duo, & duo, & duo, faciunt ſex. Et iſte ſenarius, ſi diuiditur in duo, & in quatuor; eadem ſimpli & dupli ratio inuenitur in eo: ita vt concordia pertineat ad Reſurrectionem Domini noſtri Ieſu Chriſti: illa prior ad Paſſionem, in qua redempti ſumus, & iuſtificati, ſicut beatus Apoſtolus ait, *Chriſtus paſſus eſt propter redemptionem noſtram, reſurrexit autem propter iuſtificationem noſtram.* Poteſtis ex hac ſpeculatione veſtris demonſtrare familiaribus, quia iucunda eſt & vtilis Arithmeticæ diſciplinæ cognitio; quam & veſtræ diligentiæ bene notam, & per vos aliis cognitam eſſe credimus. Plurima exhinc dicere potui, ſed nolui chartulæ excedere modum: & maximè quia non ignoranti ſcripſi, ſed ei qui hæc omnia optimè nouit. Ideo perpaucis hæc prælibaui verbis, quia vobis hæc omnia notiſſima eſſe ſciebam. Et vt dictum eſt, *Cum ſapiente paucis vtendum eſt verbis*: Et, *Beatus, qui loquitur in aurem audientem*, id eſt, intelligentem. Mihi itaque in fine Epiſtolæ cum Regina Saba dicendum eſt; *Beati viri tui, & beati ſerui tui, hi qui ſtant coram te ſemper, & audiunt ſapientiam tuam. Sit Dominus Deus tuus benedictus cui complacuiſti, & poſuit te ſuper thronum Iſrael in ſempiternum, & conſtituit te Regem, vt faceres iudicium & iuſtitiam.*

D. CAROLI GLORIOSISSIMI REGIS FRANCORVM,

DE RATIONE SEPTVAGESIMAE, & Sexageſimæ, & Quinquageſimæ,

AD ALBINVM ABBATEM EPISTOLA.

Carolus gratiâ Dei Rex Francorum, Imperator Longobardorum, ac Patritius Romanorum, dilectiſſimo Magiſtro, nobiſque cum amore nominando Albino Abbati in Domino noſtro Ieſu Chriſto æternam ſalutem.

A PERVENIT ad nos Epiſtola miſſa à religione prudentiæ veſtræ, quæ poſt laudes & benedictiones omnipotenti Deo debitas, nobis & progeniei noſtræ benedictionem optabilem, ſummámque beneuolentiam detulit. Poſt hæc, textus illius inquirendo ſubiectus eſt, cur Septuageſima, & Sexageſima, necnon & Quinquageſima in ordine per dies Dominicos ante Quadrageſimam dicatur vel ſcribatur. Inde arrepta ratione, per campos arithmeticæ artis, quicquid ex hac re veſtra ſenſit induſtria, ſe extendendo nobis pleniter ſignificare ſtatuit. Sed dum mens noſtra huc illucque diſcurreret, ſolerti indagatione conſiderauimus, non ſolùm intra præſcriptos à vobis dies, ſed etiam per ſingulas hebdomadas, nec non & per totum anni circuli ſpatium, per interualla horarum, ac punctorum, ſeu momentorum; myſteria numerorum poſſe ab his, qui huius artis peritia imbuti ſunt, reperiri. Vnde, quia tuæ caritati placuit, noſtram regalem Aulam de hac re conſulere; quicquid indè ſenſit noſtra ſerenitas, ſermone comatico tibi patefacere non negauimus. Exigente igitur inquiſitione, & conſiderata, cur alij ſex, alij ſeptem, alij octo, nonnulli verò nouem abſtineant hebdomadas; argumentum ſenſus noſtri tuæ familiaritati per hos apices ſignificare ſtudemus. Qui enim ſex hebdomadas obſeruantes, ſe abſtinentiæ tradunt, ſubtractis ſex diebus Dominicis, in quibus ieiunare minimè licet, decimas dierum dantes corporis ſui, triginta ſex dies, ſicut beatus Gregorius mirabilis Doctor edocet, ieiunant; & hoc tempus (licet in ipſo duo ſupereſſe videantur dies vſque ad ſanctam Reſurrectionem) Quadrageſimâ Doctoribus ſanctæ Dei Eccleſiæ nominari placuit. Religione verò creſcente, à Teleſphoro Pontifice, qui poſt Petrum Apoſtolorum Principem nonus in ſancta Romana Eccleſia claruit; ſeptem hebdomadæ in abſtinentia dedicatæ ſunt: & hoc tempus quo alio nomine rectiùs vocari quàm Quinquageſima in ordine rationabiliter debuit? Exhinc, & deinceps collecta ratione, qui octo hebdomadas obſeruare ſtuduerunt, Sexageſimam gradatim nominauerunt. B Similiter qui nouem, Septuageſimæ, iuxta præfatam rationem, nomen impoſuerunt; & non ordinem numerorum hebdomadarum vel dierum, ſed tenorem nominis ſeruantes, hæc nomina compoſuerunt. Velut, ſi qui nunc fuiſſent qui decimam hebdomadam addere pro aliqua iuſta ratione voluiſſent, & propter numerum hebdomadarum, Decimageſimam, ſeu quolibet alio nomine; vel propter numerum dierum, Septuageſimam, vel Octuageſimam, ordine conſeruato vocabu- C lorum, tramite recto pergendo nuncupare debuiſſent. Quia igitur, gratiâ diuina opitulante, prout nobis viſum fuit, de nomine Septuageſimæ & Quadrageſimæ ac Quinquageſimæ, tuæ caritati ſcripſimus: nunc ſtylo percurrente, de obſeruantia & cultu harum iuxta capacitatem ſenſus noſtri tibi ſcribere curauimus. Quinquageſima verò ideo dicitur & obſeruatur à nonnullis; vt & decimas dierum, ieiunando, D omnipotenti Deo offerre valeant, & imitari Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui quadraginta diebus ieiunium ſacratiſſimum impleuit. A Quinquageſima vſque in Paſcha, ſeptem hebdomadæ ſunt, quæ faciunt dies quinquaginta: ex quibus ſi octo dies Dominicos ſubtraxeris, in quibus ieiunium non licet obſeruare; rema-

nent quadraginta duo dies, & hi duo dies; quinta videlicet & ſeptima feria, qui quadragenarium numerum excedunt, apud quoſdam ieiunio dedicantur; apud quoſdam in refectione propter Cœnam Dominicam & ſanctum Sabbatum habentur. Sexageſima autem, vt æſtimamus, propterea à nonnullis obſeruatur; vt & decimas dierum, corporibus ſuis, omnipotenti Deo dare poſſint; & Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, quadragenario particulatim ieiunando imitari, & primam vel quintam feriam à ieiunio vacare debent. A Sexageſima quippe vſque in ſanctum diem Reſurrectionis Dominicæ, octo hebdomadæ ſunt: ex quibus ſingulis hebdomadibus primam & quintã feriam ſi ſubtraxeris, & ipſum diem ſanctum Paſchæ, quadraginta tantum dies remanent in abſtinentia. Melchiades verò natione Afer, per omnia Apoſtolicus, triceſimus quartus poſt ſanctum Petrum, cui ſucceſſit beatus Syluester in Cathedram Apoſtolicæ dignitatis; hic conſtituit, vt nulla ratione in prima vel quinta feria ieiunium quis de fidelibus agere præſumeret. Nam cur in prima feria ieiunium ipſo tradente ſoluatur, non eſt neceſſitas texendo replicare. Quintam verò arbitrati ſumus, propter magna myſteria, quæ in ea continentur, ab eo ſolutam. In ipſa namque ſanctum Chriſma conficitur, ad abluendam totius Mundi primæ originis culpam: in ipſa reconciliatio fit Pœnitentium: in ipſa redemptio omnium. Cœnando cum diſcipulis panem fregit, & calicem pariter dedit eis in figuram Corporis & Sanguinis ſui, nobiſque profuturum magnum exhibuit Sacramentum. Eo videlicet die, poſt multa myſteria, Deus & Dominus noſter Ieſus Chriſtus, videntibus ſanctis Diſcipulis ſuis, glorioſa Aſcenſione cœlos penetrauit. Sed ne diutiùs ſermo protrahatur; multa te legiſſe de hac ſolennitate in ſanctorum venerabilium orthodoxorum Patrum dictis non ignoramus. Septuageſima denique, vt æſtimamus, propterea ab aliquibus obſeruatur, vt & decimas dierum Domino dare queant; & prima, vel quinta, necnon & ſeptima feriâ, ieiunium ſoluere poſſint. A Septuageſima verò vſque in Paſcha, nouem hebdomadæ ſunt, quæ faciunt dies ſexaginta quatuor. è quibus, ſi de vnaquaque hebdomada tres præfatos ſubtraxeris dies, & Paſchalem ſacratiſſimum, triginta ſex in abſtinentia remanent dies. Hi verò Sabbatum, in quo Dominus ab omnibus operibus requieuit, non ſolum ob ſuperſtitionem Iudæorum, nec propter mandata quæ ſunt vmbra futurorum veteris Teſtamenti legalia, ſed ne cum Iudæis Sabbatizent, ieiunium ſoluere conãtur. Ea præcipuè cauſa eſt, quia veſperaſcente ipſo die, gaudium ſanctæ Reſurrectionis à fidelibus honorificè celebratur. Sed quia vnuſquiſque in ſuo ſenſu abundat; ſiue hoc, ſiue aliud ſit; ſalua fide & religione, nihil præiudicauimus.*

* al. prædicauimus.

MAGISTRI

ALBINI FLACCI ALCHVVINI

DE BAPTISMI CÆREMONIIS, AD ODVINVM PRESBYTERVM, EPISTOLA.

Albinus Magiſter filio chariſſimo Oduino Presbytero ſalutem.

QVIA diuina donante gratia ad id diutino te perduxi labore, vt ſacerdotali honore dignus habearis; & vt tam eleganter illud in Domo Dei miniſtres officium, quàm te diligenter per donum Dei erudire curaui: ad cognoſcendum rationabilem ſacri Baptiſmatis ordinem, de miniſteriis totius Officij tibi breuiter ſcribere volui; vt cognoſcas quàm neceſſarium ſit, nihil prætermittere, quod à ſanctis Patribus ſumptum eſt in illo officio. Primo, paganus, catechumenus fit; accedens ad Baptiſmum, maligno renunciat ſpiritui, & omnibus damnoſis eius & pompis. Exſufflatur etiam, vt, fugato diabolo, Chriſto Domino noſtro paretur introitus. Exorciſatur, id eſt, coniuratur malignus ſpiritus, vt exeat & recedat, dans locum Deo vero. Accipit catechumenorum ſalem, vt putri-

da & fluxa eius peccata, ſapientiæ ſale, diuino munere mundentur. Deinde, Symboli Apoſtolici traditur ei fides, vt vacua domus, & à priſco habitatore derelicta, fide ornetur, & vt præparetur habitatio Deo. Tunc fiunt ſcrutinia, vt exploretur ſeruus, an poſt renunciationem ſathanæ, ſacra verba datę fidei radicitus corde defixerit. Tanguntur & nares, vt, quamdiu Spiritum naribus trahat, in fide accepta perduret. Pectus quoque eidem perungitur oleo, vt ſigno ſanctæ Crucis diabolo claudatur ingreſſus. Signantur & ſcapulæ, vt vndique muniatur. Item, in pectoris & ſcapulæ vnctione, ſignatur fidei firmitas, & operum bonorum perſeuerantia. Et ſic in nomine ſanctæ Trinitatis trina ſubmerſione baptizatur: & rectè homo, qui ad imaginem ſanctæ Trinitatis conditus eſt, per inuocationem ſanctæ Trinitatis ad eandem renouatur imaginem: & quia tertio gradu peccati, id eſt, conſenſu cecidit in mortem; tertiò eleuatus de fonte per gratiam reſurgat ad vitam. Tunc albis induitur veſtimentis, propter gaudium regenerationis, ac caſtitatem vitæ, & Angelici ſplendoris decorem. Tunc ſacro chriſmate caput vngitur, & myſtico tegitur velamine; vt intelligat ſe diadema regni & ſacerdotij dignitatem portaturum, iuxta Apoſtolum, *Vos eſtis genus regale & ſacerdotale, offerentes vosmet Domino, hoſtiam ſanctam & Deo placentem.* Sic, Corpore & Sanguine Dominico confirmatur, vt illius ſit capitis membrum, qui pro eo paſſus eſt, & reſurrexit. Nouiſſimè, per impoſitionem manuum à ſummo ſacerdote, ſeptiformis gratiæ Spiritum accipit; vt roboretur per Spiritum ſanctum ad prædicandum aliis, qui fuit in Baptiſmo per gratiam vitæ donatus æternæ.

EIVSDEM

ALCHVVINI, DE CÆREMONIIS BAPTISMI, EPISTOLA.

Glorioſiſsimo & excellentiſsimo Auguſto à Deo coronato; Carolo ſereniſsimo, vita ſalúſque perpetua.

DOMINE mi Chriſtianiſſime Imperator, miſiſtis ad ſeruulum veſtrum inquiſitiones ſecundum veſtram miſericordiam de ſacro baptiſmate per ordinem interrogantes, cur vnaquæque res agatur in Baptiſterio, aut in ſcrutinio, ſicut in omnibus Chriſti exemplum ſequimini, ſic & in iſto, qui ad hoc interrogauit Philippum vt doceret, dicens: *Vnde ememus panes vt manducent hi?* Tamen vt Euangeliſta ait: *Ipſe enim ſciebat quid eſſet facturus.* Quanquam idoneus non ſim veſtræ interrogationi reſpondere: tamen inobedientē me non oportet eſſe, quin omnibus ſenſibus, & intellectu meo veſtris ſanctis iuſſionibus obtemperem. Ideóque quod coniicere poſſumus, ſcripſimus de his rebus, quas veſtra dominatio interrogauit, & quod in promptu inuenimus in dictis ſanctorũ Patrum, illuc magis aciem mentis direximus ex his, quæ admonitioni veſtræ congrua videbamus. Nos verò quamquam ignari ſimus, non ceſſamus pro vobis & veſtra miſericordia, quam exercetis in omnes Dei cultores gratias Deo agere, & ſtabilitatem atque ſapientiam imprecari veſtro regimini; quarum interrogationũ prima hæc conſiſtit, cur infans Catechumenus fiat ante baptiſmum.

De Catechumenis.

Scimus enim, excellẽtiſſime Imperator, omnes homines ſub iugo peccati teneri, ab ipſo articulo natiuitatis eius, vſq; ad ſecundam natiuitatẽ, & veridicam eſſe ſententiam Pſalmiſtæ qui inquit: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea.* Pſal. 50. Et hoc eſt propter inobedientiam primi hominis, & eius transgreſſionem, à quo ducimus originem carnalem. Et non poſſe nos reformari ad imaginem eius, qui nos creauit, niſi per ſalutare baptiſma, quod nondum accepimus, neque patet aditus Regni cælorum, niſi renaſcamur *ex aqua & Spiritu ſancto.* Ioan. 3. Sumus enim ante baptiſma in tenebris ignorantiæ, *In deſideriis carnis ambulantes, facimus ea quæ non conueniunt*: Viuimus ſecundum *veterem hominem*, qui *corrumpitur ſecundum deſideria* erroris, ideoque qui deſiderat ſecundum nouum hominem renouari, neceſſe eſt, vt inſtruatur à doctoribus Eccleſiæ, qualis ante baptiſmum ſit, talis† poſt baptiſmum ſit futurus per Dei gratiam, vt de tenebris peccatorum in lucem veritatis conuertatur, relicto nomine falſorum deorum colat vnum Deum viuum & verum. Et poſtquã hæc percipit à Catholico doctore, Catechumenus dicitur, *inſtructus*, ſiue *auditor*.

† qualis.

Non poſſumus cognoſcere veritatem antequàm ſciamus quid ſit falſum. Igitur

oportet

oportet nos docere illum, à quo receſſerit peccando, & in quo errore permaneat. Et poſtea in quem oporteat credere, & fidem tenere per opera charitatis. Et ſicut Auguſtinus ait in libro de fide & operibus, ſic catechizandos eos, qui baptiſmum petunt, vt non ſolùm audiant atque ſuſcipiant quid credere, verùm etiam qualiter debeant viuere. Sic promitti fidelibus vitam æternam, vt non etiam per fidem mortuam, quæ ſine operibus ſaluare non poteſt, ad eam ſe quiſque poſſe peruenire arbitretur, ſed per illam fidem gratiæ quæ per dilectionem operatur. De qua inſtructione ſi quis vult, ſatis reperire poteſt in Auguſtino de catechizandis rudibus: Super paruulos orationem faciant vt cæcitas cordis ab eis depellatur, dirumpantur laquei Sathanæ, quibus fuerant colligati, & idonei efficiantur per incrementa & miniſtrationem membrorũ tantum cognoſcere quæ dimittenda ſunt, & quæ tenenda.

De Scrutinio.

In *ſcrutinio* quippe facimus ſignum crucis ſuper pueros, ſicut inuenimus ſcriptum in Romano ordine, & genuflexionem & admirationem *, & docemus orationem Dominicam patrinos & matrinas, vt & ipſi ſimiliter faciant, quos ſuſcepturi ſunt à ſacro baptiſmate. Similiter docemus ſymbolum, quod *ſignum* in noſtra lingua vertitur vel cognitio. Quando diuidebantur Apoſtoli per totum orbem prædicationis cauſa, dederunt illud prædicationis *, vt ſi quis talia confiteretur, qualia ibi dicuntur, cognitionem daret ſe à Chriſti Apoſtolis ſiue à ſucceſſoribus eorum didiciſſe.

* *f.* admonitionem.

* *f.* prædicatori, *vel* prædicationi.

Cur in fronte faciamus ſignum.

Sedes verecundiæ in fronte ſolet eſſe. Siquidem Iudæi in fronte erubeſcunt credere in illum, quem norunt crucifixum, vt Paulus Apoſtolus ait: *Nos autem prædicamus Chriſtum crucifixum, Iudæis quidem ſcandalum, Gentibus autem ſtultitiam.* Sed nos credimus per crucifixum ſaluari, de cuius nomine Iudæi erubeſcunt, cuius nos nomine credimus muniri, atque ideò in fronte ſignum crucis facimus, vbi ſedes verecundiæ eſt, ſicut iam diximus.

Quali ſigno ſignemus nos.

Et non alio ſigno ſignamus nos, niſi ſigno crucis, quia Dominus in carne natus vexillum crucis, quo ſacrum fronte ſignaret afferens, vt deſtrueret mortis imperium, & per tale ſignum recognoſcat contraria poteſtas principatum ſe perdere

A in iſtis, quos Deus vocauit ad gratiam baptiſmi. Illud ſignum faciunt in frontibus eorum Presbyteri, acolyti, patrini vel matrinæ. Scribitur in ædificatione templi, quam vidit Ezechiel, ſpecialiter eſſe feneſtras obliquas in thalamis & in frontibus eorum, qui erant intra portam, viditque per circuitum; quod ſic exponit B. Gregorius. Notandum verò, inquiens, quod intra portam (viditque per circuitum) feneſtræ obliquæ eſſe memorantur. Non enim contemplationis gratia ſummis datur, &
B minimis non datur, ſed ſæpe ſummi, ſæpe minimi, ſæpius remoti, aliquando etiam coniugati percipiunt.

Cur ſepties ſcrutinium agatur.

Scrutinium fit ante Paſcha ſepties, ſeptenario enim numero ſæpe vniuerſitas deſignatur; ſicut Ioannes ſcribit *ſeptem Eccleſiis*, quæ ſunt in Aſia. Per has enim ſeptem Eccleſias omni Eccleſiæ ſcribit. Septies perſcrutantur, ſi ea fixa mente teneant, quæ audierunt à Magiſtro. Et quodammodo quaſi tenebræ fugantur à Ca-
C techumeno, vt in profectu ſcrutinij illuminentur ipſi Catechumeni, vnde & in ſcrutinio acolytis plurimum miniſterium impenditur, qui accenſores ſunt luminum. Et ideò autumauimus nos in priore oratione dicere: *Omnem cæcitatem cordis ab eo expelle*; & in iſta, quæ poſita dicitur in ſcrutinio: *æternam ac iuſtiſſimam pietatem tuam*, dicimus, *vt digneris eos illuminare lumine intelligentiæ tuæ.*

De genuflexione.

Genuflexionem pro his facimus, ſicut
D Stephanus fecit, qui nondum baptizati erant, inquiens: *Domine mi, ne ſtatuas illis hoc peccatum, quia neſciunt quid faciunt.* Similiter pro iſtis oramus, vt Deus illis non imputet, quod tandiu errauerunt & iacuerunt in peccatis, ſed ſecundum magnam miſericordiam ſuam eos ad baptiſmi gratiam perducat.

De oratione Dominica.

Orationem Dominicam ſic docemus: Dominus docuit diſcipulos hanc orationem, ne ſuperflua peterent, & ea quæ ad
E eorum ſalutem non pertinerent. Septem petitiones ſunt in hac oratione Dominica; tres pertinent ad æternitatem, quatuor ad neceſſaria noſtra huius temporis, quæ in iſto mundo continentur. *Pater noſter qui es in cælis. Sanctificetur nomen tuum.* Te Patrem Deum inuocamus, qui voluiſti nos facere tibi filios adoptiuos, & in animabus iuſtis ſedem vis habere, vt ſanctitas nominis tui, quæ apud te eſt, maneat

in noſtro pectore. *Adueniat Regnum tuum.* Deficiat quotidie regnum Diaboli, creſcatque tuum vel illo modo, ſicuti clamant in Apocalypſi: *Vſquequo Domine ſanctus & verus non vindicas, & vindicas ſanguinem noſtrum de his qui habitant in terra?* Quod ita expoſitum videmus in libro domni Bedæ. Non hoc odio inimicorum, pro quibus in hoc ſeculo rogauerunt, orant, ſed amore æquitatis, quo ipſi iudici, vt prope poſiti, concordant, diem iudicij quo peccati regnum deſtruatur, & reſurrectionem extinctorum corporum aduenire precantur. Nam & nos in præſenti cùm pro inimicis orare iubemur, dicimus tamen Domino orantes: *Adueniat Regnum tuum, fiat voluntas tua, ſicut in cælo & in terra.* Per *cælum*, ſpiritualem creaturam intelligimus, per *terram*, corporalem. Ita fiat Deus Pater voluntas tua, vt ea quæ animo cogitamus bona, perficere valeamus opere per corpus. *Panem noſtrum quotidianũ da nobis hodie.* Semper quandiu nos ſumus in hoc ſeculo, dignare miniſtrare nobis omnia neceſſaria. *Et dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris:* Quotidie enim peccamus, & ideò neceſſe eſt nobis dicere quotidie: *dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.* Te donante Deus molle ſit cor noſtrum, vt citò ignoſcamus, & tu ignoſcas. *Et ne nos inducas in tentationem.* Ne permittas nos à Diabolo ita tentari, vt ſuperemur. *Sed libera nos à malo*, id eſt, à peccatis quæ geſſimus.

De Symbolo.

Symbolum autem ſic: *Credo in Deum Patrem omnipotentem.* In Dominum viuum & verum Patrem æternũ æterni geniti. *Omnipotentem*, qui & peccatoribus reddet ſupplicia ſecundum ſua merita, & iuſtis præmia. *Creatorem cæli & terræ*, id eſt, & ſpiritualis creaturæ, & corporalis. *Et in Ieſum Chriſtum Filium eius*, & in Saluatorem vnicum Filium eius. Quia ſolus nos redemit pretioſo ſanguine ſuo, qui per Eſaiam dixit: *Torcular calcaui ſolus, & de gentibus non eſt vir mecum. Natum* in tempore nouiſſimo *ex Maria Virgine. Paſſum pro noſtra ſalute ſub Pontio Pilato*; id eſt, ſub præſide Pilato, qui de Ponti inſula fuit. *Crucifixus*, in cruce ſuſpenſus. *Mortuus*, corporali morte, & *ſepultus*, corpore triduò; *deſcendit ad inferna*, anima tantùm. *Tertia die reſurrexit à mortuis.* Corpore reſurrexit morte deſtructa. *Aſcendit ad cælos*, Apoſtolis videntibus in forma, qua venturus eſt ad iudicium. Aſcendit ad cælos qui nunquam defuit cæleſtibus ſedibus. *Sedet ad dextram Dei omnipotentis*: id eſt, regnat in regno Patris ſui, in quo nihil ſiniſtrum manet & manebit. *Inde venturus iudicare viuos & mortuos.* Eam formam, quam Iudæi crucifixerunt impiis & iuſtis demonſtraturus: iuſtis verò eam formã tantùm, quam Iudæi increduli non cognouerunt. *Iudicare viuos & mortuos*, iuſtos & peccatores, vnumquemque ſecundum facta eius. *Credo in Spiritum ſanctum*, quo aliquo modo donum Dei dicitur & amor Patris & Filij, ſiue communicatio, in quo dono fit remiſſio omnium peccatorum, ideóque qui blaſphemauerit *in Spiritu ſancto, non remittetur ei, neque in hoc ſeculo, neque in futuro. Sanctam Eccleſiam Catholicam*, vniuerſalem congregationem iuſtorum, & humanitatẽ* fidei credimus eſſe. *Sanctorum communionem*, in vinculo pacis vnitatem Spiritus ſeruare credo. *Remiſſionem peccatorum*, quæ, ſicut diximus, fit in dono Spiritus ſancti. *Carnis reſurrectionem*; ſeptimam Sabbati credo iuſtos recipere abſolutos de corpore terreno, & erunt in magno gaudio ſecundum vniuſcuiuſque manſionẽ; atq; expectare octauum diem, in quo corpora ſua recipiant integra atque perfecta: impij ad ſupplicium, iuſti ad vitam æternam.

*f. item.

De Exorcizatione.

Exorcizatur, id eſt, *adiuratur*, ſiue increpatur Diabolus, ſub quo ſunt omnes qui cum peccato naſcuntur, vt recedat à Dei natura.

De Exſufflatione.

Exſufflatur itaque, quia tali dignus eſt ignominia deſertor antiquus.

De Sale.

In ipſo ſcrutinio benedictum ſalem ori imponimus poſt primam orationem, qua dicitur: *Omnipotens ſempiterne Deus reſpicere dignare ſuper hunc famulum tuum, quem ad rudimenta fidei vocare dignatus es*, & reliqua: vt poſtquam inſtructus fuerit à magiſtro Eccleſiaſtico, recognoſcat verba ſua condita debere eſſe ſale ſapientiæ, ſicut Paulus Apoſtolus ſcribit ad Coloſſenſes: *Sermo veſter in gratia ſale ſit conditus, vt ſciatis quo modo oporteat vos vnicuique reſpondere.*

Quomodo fiat nouiſſimum Scrutinium.

Et iſtud Scrutinium finitur Sabbato ante Paſcha. Ipſo die facimus ſeptimũ Scrutinium, ſicut in Romano ordine inuenimus ſcriptum, & legimus ſuper illos; *nec te latet Sathanas.*

De tactu narium & aurium.

Poſt hanc lectionem tangimus eorum

aures & nares, & dicimus eis, *Epheta*; in odorem ſuauitatis. Nares tangimus, vt admoneantur quandiu ſpiritum vitæ huius trahunt, ſemper in his perſeuerẽt, quæ iam didicerunt, & adhuc diſcunt, ab ore Catholicorũ virorũ, & ideo ſputo Presbyteri tanguntur. Similiter dicimus de auribus, quaſi dicat Presbyter; fidem, quam ab iſto ore didiciſti, & quæ per aures intrauit ad animam, quandiu ſpiritum vitæ huius naribus trahis, ſemper tenere memento, vt dicere poſſis cum Paulo Apoſtolo; *Chriſti bonus odor ſumus*. Et iterum: dicat auribus; aures iſtæ Deo miſerante ſemper apertæ ſint ad intelligenda verba diſciplinæ Dei; & dicere poſſit; *in obauditu auris obediui tibi*.

De Vnctione ſcapulæ & pectoris.

Poſtea tangimus de oleo ſancto ſcapulas & pectus, & dicimus eis, *Abrenuncias Sathanæ*? & cætera quæ ſequuntur. Per oleum namq; miſericordiam Dei nouimus ſignari. Sicut illud eſt Gregorij: Quia Græcè *oleos**, Latinè, *miſericordia*, interpretatur. In ſcapulis ſiue in humeris fortitudinẽ brachij terreni hominis ponimus. Brachia operantur, & manus, quæ in brachiis poſitæ ſunt, & ideò autumamus per *ſcapulas* deſignari fortia opera hominum, & per pectus, quodammodò conſiſtit cubiculum cogitationum, volumus deſignari bonas cogitationes. *Oleo ſancto*, id eſt, miſericordia Dei, vnguntur, vt ſciant ſemper deprecari miſericordiam Dei, vt dirigat corda & opera eorum in charitate Dei & patientia Chriſti, vt recognoſcant ſe non aliter bonum operari poſſe, neq; velle, niſi per miſericordiam Dei.

*ἔλεος.

De Abrenunciatione.

Interrogamus illos, quos ante inſtruximus in fide, & quos poſteà ſcrutati ſumus, ſi adhuc permanſiſſent in his, quæ primitus didicerunt, & ſi ſe cæcos cognouiſſent, & modò proſperaſſe* ad lumen. Eò quòd perfectè, id eſt, ſepties illos ſcrutati ſumus, ſi abrenunciatione*, id eſt, contradicant Sathanæ, contrariæ poteſtati & omnibus operibus eius, & omnibus pompis eius. Dicimus illi, contradic Sathanæ; cum Propheta Dauid: *Obliuiſcere populum tuum, & domum patris tui*. Poſtea & omnibus operibus eius: quæ ſunt, *fornicatio, idolorum ſeruitus, veneficia, homicidia, ebrietates, comeſſationes*, & his ſimilia. Quæ quamuis ad carnis voluptates pertineant, tamen opera ſunt Sathanæ, quorum ſuaſor & inueſtigator eſt occultus. Hæc ſunt quæ regnant in Diabolo ſine carne, *ſuperbia, inuidia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, diſſenſiones, ſectæ*, & reliqua. Quãuis ea Apoſtolus opera carnis dicat, tamen ſine carne regnãt in Diabolo, & ſunt quodam modo opera carnis, quia ſunt opera hominis. Et homo viuendo ſecundum ſemetipſum, hoc eſt, ſecundum hominem, factus eſt ſimilis Diabolo, quia & ille ſecundum ſeipſum viuere voluit; hæc opera Sathanæ dicimus, quorum aliquorum ſuaſor & inſtigator eſt, aliquorum caput & origo. Nouiſſimè, *& omnibus pompis eius*. Quæ ſunt, inanis iactantia, homines terreni, canora muſica, in quibus ſæpè ſoluitur & mollitur Chriſtianus vigor, ſpectacula turpia, vel ſuperflua, & reliqua. Deinde perſcrutamur *patrinos* vel *matrinas*, ſi poſſunt cantare Dominicam orationem & ſymbolum, ſicut præmonuimus, ac poſtea per ordinem, ſicut in Romano ordine ſcriptum eſt, ſacrum officium peragimus, vſque ad ſacratiſſimum opus baptiſmatis.

*f. propeраſſe.

*abrenuncient.

Decapitulatio.*

*Recapitulatio.

Is qui baptizandus eſt iam *Catechumenus*, id eſt, *inſtructus*, vt recognoſcat errorem priſtinum, & intelligat lucem veritatis. Accepit ſalem ſapientiæ, vt turpiloquia declinaret. Adiuratus eſt Diabolus, qui fuit in illo, cum ſigno crucis, vt recedat à Dei famulo, & inde fit genuflexio ad Deũ, vt Deus illum expellat à ſuo vocato. Orare pro ſemetipſo iam doctus eſt in oratione Dominica. Quo modo credere oporteat, iam audiuit in Symbolo. Admonitus eſt per *ſputum* Presbyteri, vt quandiu ſpiritum vitę huius naribus trahit, fidem quam audiuit per aures teneat. Poſt auditam fidem vngatur*, inter ſcapulam & pectus, vt Dei miſericordia cogitationes bonæ & opera corroborentur in eo, & recedat ab omni malo, quod ad mẽbra Sathanæ pertinet, & faciat bonum, & cõfiteatur ſe credere in Deum Patrem omnipotentem, & in Ieſum Chriſtum Filium eius natum ex Patre, ante omnia ſecula, factum ex muliere in tempore nouiſſimo, & in Spiritum ſanctum, & reliqua, ſicque coniungitur ſacro fonte baptiſmatis.

*vngitur.

De Vnctione capitis.

Poſt hoc ſalutare lauacrum linitur caput eius ſacro Chriſmate, vnde Sacerdotes & Reges vnctos eſſe nouimus in veteri Teſtamento. Vt intelligat baptizatus *Regale* ac *Sacerdotale* myſterium ſe accepiſſe, quia illius corpori adunatus eſt, qui Rex ſummus & Sacerdos eſt verus: & regnum ſperare debet perpetuum, & ho-

ſtias immaculatæ cõuerſationis Deo ſemper offerre.

De Tegumento capitis.

Tegitur poſtea linteo, & hoc de veteri Teſtamento aſſumptum eſt: ſic enim ſcriptum eſt in Exodo, *Filios quoque illius*, ſcilicet Aaron, *applicabis & indues tunicis lineis, cingéſque baltheo, Aaron ſcilicet ac liberos eius, & impones eis mitram.* Iam percepta gratia ſacri baptiſmatis, non reconfidat viribus ſuis, ſed ſemper deprecetur, vt protectus ſit cæleſti auxilio, protectionem Domini præclaram volumus intelligere per linteum quo caput tegitur.

De Indumento.

Albis induitur veſtimentis, vt ſciat ſe inuiolatũ corpus poſſidere, & charitate Spiritus ſancti illuſtratum cor ſe habere; ſiue, recognoſcat ſe iuſtitiam & nuptialem veſtem habere. Per veſtimenta enim opera iuſtitiæ intelliguntur, vnde dicitur eis: *Sacerdotes induantur iuſtitia.*

De confirmatione Corporis & Sanguinis.

Confirmatur poſtea Corpore & Sanguine Domini, vt ſciat per talia myſteria Diabolum expulſum ab eius corde, ac Chriſtum inhabitare, ita vt confidenter dicamus illis: *Omnes qui in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis.*

De paruulis non loquentibus.

Quamuis paruuli per ætatem non poſſint intelligere ipſam conuerſationem* ad Deum atque credulitatem, credimus tamen eos ad Dominum conuerti propter conuerſationis* Sacramẽtum, & fidem habere propter fidei Sacramentum, ſicut legimus in Auguſtini Epiſtola ad Bonifaciũ Epiſcopum de paruulis requirentem, vbi dicit: Ipſa reſponſio ad celebrationẽ pertinet Sacramenti, ſicut de ipſo Apoſtolus, Conſepulti, inquit, ſumus cum Chriſto per baptiſmum in mortem, non autem ait, ſepulturam ſignificabimus: ſed prorſus ait; conſepulti ſumus. Sacramentum ergo tantæ rei, non niſi eiuſdem rei vocabulo nuncupauit. Itaque paruulum etſi nondum fides illa, quæ in credentium voluntate conſiſtit, iam tamen ipſius fidei Sacramentum fidelem facit. Nam ſicut credere reſpondentur, ita etiam fideles vocantur, non rem ipſam mente annuendo, ſed ipſius rei Sacramentum percipiendo. Cùm autem ſe homo ſapere cœperit, non illud Sacramentum repetit, ſed intelliget, eiúſque voluntati conſona eius voluntate coaptabitur. Hoc quãdiu non poteſt, valebit Sacramentũ ad eius tutelam, aduerſus contrarias poteſtates, & tantum valebit, vt ſi ante maioris * vſum ex hac vita emigrauerit, per ipſum Sacramentum commendantem * Eccleſiæ charitatem, ab illa condemnatione, quæ per vnum hominem intrauit in mundum, Chriſtiano adiutorio liberetur. Huсuſque Auguſtinus.

[* conuerſionem.] [* conuerſionis.] [*f. rationis.] [*commendans.]

De paruulis non loquentibus.*

[* Videtur delendus hic titulus iam ſuprapoſitus; vt ſequentia cum antecedentibus connectantur.]

Poteſt fieri vt qui alieno peccato ſunt ligati, aliena profeſſione ſoluantur. Hæc piiſſime Imperator cauſa obedientiæ poſuimus, quia dignum eſt veſtræ voluntati omnibus viribus obedire. Tamen in omnibus his, quæ diximus, parati ſumus auribus inclinatis * doctoribus corrigi & emendari. De noſtra credulitate hæc diximus & recepimus, quod Eſaias dixit: *Verbum adbreuiatum faciet Dominus ſuper terram.* Credimus vnum Deum viuum & verum, ſemper eſſe immutabilem, tamen mutabilia operantem, nunquam eſſe ſine ſua ſapientia, hoc eſt, ſine Filio ſuo, neque ſine eius voluntate, hoc eſt, ſine Spiritu ſancto. Deus Pater in bona voluntate ſua omnia creauit per ſapientiam. Credimus tres perſonas Patris & Filij & Spiritus ſancti, & recepimus verſus Sedulij. *Non quia qui ſummus Pater eſt, & Filius hic eſt, Sed quia quod ſummus Pater eſt, & Filius hoc eſt*: Filium ſolùm aſſumpſiſſe carnem humanam, vt viſibilis foret hominibus, hunc baptizatum, quia oportebat nos baptizari, hunc mortuum corpore mundo, vt nos moreremur peccatis; hunc reſurrexiſſe à mortuis, vt nos ſperaremus reſurrectionem, hunc viſurum in nouiſſimo iudicio, quando ſegregabit oues ab hœdis, & poſtea ſolos malos in inferno, hoc eſt, in pœnis victuros; iuſtos ſolos in regno Dei beatè regnaturos. Hæc eſt, iuſtiſſime Imperator, noſtra credulitas, hæc eſt ſpes firma, hunc Deum amamus, quem ardentius amare deſideramus.

[* à]

* Dixiſtis, sereniſſime Imperator, velle vos ſcire qualiter nos & Suffraganei noſtri doceremus populum Dei de baptiſmi Sacramento. Hæc prout potuimus, prælibauimus. Suffraganeus eſt nomen mediæ ſignificationis, ideò neſcimus quale fixum ei apponere debeamus, vt Presbyterorum, aut Abbatum, aut Diaconorum, aut cæterorum graduum inferiorum. Si fortè Epiſcoporum nomen, qui aliquando veſtræ ciuitati ſubiecti erant, addere debemus, oro, vt hoc non imputet Dominus ſeruo ſuo, quia vſque in præſens tempus non ſum auſus ea attingere, quæ nobis iniuncta non ſunt, ſed paratus ſum omnium

[* Iunguntur in MS. ſequentia cum prioribus, ſed dubium, an eò pertineant: adiunximus tamẽ ſecutis fidem Codicis.]

Chriſti ſeniorum veſtigia ſequi, & ſi forte presbyterorum ſupradictum ordinem, docuimus illos, & admonuimus, vt ſæpè doceant populum Dei, vana huius mundi relinquere, & vera cæleſtia petere. Ex hoc vnde me cogit veſtra iuſſio reſpondere, *Si in hoc qui prædico, me ipſum cuſtodiam*, ita reſpondeo, *Oculi mei ſemper ad Dominum, quoniam ipſe euellet de laqueo pedes meos.* Sciat, domine mi, ſanctiſſima gubernatio veſtra, nulli me prædicare vt peccet. Et tamen recolo ſententiam beati Iacobi, vbi ait: *In multis enim offendimus omnes.* Cùm ſummus Chriſti loqueretur Apoſtolus, & permiſit* *in multis*, ſubiunxit, *omnes*; vt tantò cautiùs A ſe imperfecti quique in loquendo vel agendo circumſpexerint*; quantò certiùs cognouerint, quia nec perfecti quidē boni, & qui Spiritus ſancti gratia duce incedunt, huius vitæ viam ſine offenſione peccati alicuius tranſire nullatenus* poſſent, atque ideò docemus ſic: *Si confiteamur peccata noſtra, fidelis & iuſtus eſt, vt remittat nobis peccata noſtra*, quia ſine peccato in hac vita eſſe non poſſumus. Prima ſalutis ſpes eſt confeſſio, nec quiſque ſe iuſtum putet, & ante oculos Dei erigat ceruicem. Deinde dilectio, quia charitas Dei operit multitudinem peccatorum.

*f. præmiſit. * circumſpiciant. *vllatenus.

MAGISTRI

ALBINI FLACCI ALCHVVINI

DE CONFESSIONE PECCATORVM,

AD PVEROS SANCTI MARTINI,

EPISTOLA.

Dilectiſsimis in Chriſto filiis, bonæque ſpei adoleſcentulis, qui in Eccleſia ſummi Pontificis protectoriſque magni B. Martini Domino Ieſu deſeruire videntur, atque ab Eccleſiaſticis erudiuntur magiſtris in Domino Deo: ego Albinus bene cupiens ſalutis veſtræ, æternę proſperitatis in Chriſto Domino ſalutem.

DESIDERANS vos, filij chariſsimi, in ſalutem animarum proficere veſtrarum, ideò aliquas paterno affectu vobis admonitiones dulci ſermone dirigere ſtudui, vt per eas præſentis vitæ proſperitatem, & futuræ, Deo miſerante beatitudinem habere mereamini, & fragiles veſtræ ætatis annos in Dei ſeruitio edocti ad perfectum ſenectutis diem adducere. Vos quoque ſancti patres, lumina huius fraternæ congregationis, doctores & ductores in omni bonitate iuuentutis, deprecor, vt ammoneatis eos, id eſt, diſcipulos veſtros, vt ſtudioſè diſcant, quæ Deo placent, & ad ſalutem animarum pertinent ſuarum: quatenus ex illorum profectu & proſperitate vos perpetuam apud Dominum habeatis mercedem. Exhortamini illos ſobriè, caſtè, pudicè, cum omni humilitate & obedientia Deo ſeruire in bonis moribus, & ſancta conuerſatione, & religioſa caſtitate, & maximè de confeſsione peccatorũ ſuorum. quia multæ ſunt contra adoleſcentulos B diabolicæ fraudis inſidiæ in deſiderio carnali & cæteris adoleſcentiæ vitiis. Sed nihil Deo donante, proficit in ſua Diabolus malitia, ſi puram volunt iuuenes facere confeſsionem, & fructus dignos pœnitentiæ agere, id eſt, vt vulneribus vulnera non ſuperadiiciant, & ſanata non reſaucient. ſiquidem pœnitentiæ eſt remediũ, pœnitenda iterum non perficere. Scriptum eſt enim; *Pœnitentibus Deus dedit partem iuſtitiæ.* Age igitur pœnitens, propria ſcelera confitere, pande per confeſsionem tuæ iniquitatis ſecretum. Nota ſunt Deo, C quæ in occulto feciſti; quæ ſi non dixerit lingua; non poterit celare conſcientia. Fruſtra intra parietes tua æſtimes crimina abſcondi. Patet Deo omne, quod abſconditum putas. & ſi hominis oculos in peccatis effugere valeas, nullatenus tamen Dei adſpectum latere poterit, quidquid in occulto geſſeris. Dic per confeſsionem peccata, antequam iudicis iracundiam ſentias. Crede mihi, totum veniale erit, quod peccaſti, ſi confiteri non erubeſces: & per pœnitentiam purgare

Eccli. 17. 20. vulg. *viam iuſtitiæ.*

* curabis. Pſal. 31. 5. Dixi confitebor aduerſum me:

curaberis*, dicente Pſalmographo : *Dixi aduerſum me iniuſtitias meas Domino, & tu remiſiſti impietatem peccati mei.* Exſpectat Dominus à nobis confeſſionis ſacrificium, vt præſtet nobis delectabile indulgentiæ munus*, qui vult omnes homines ſaluos fieri & neminem perire: eo dicente & in alio Scripturæ loco: *In quacunque die peccator conuerſus fuerit, vita viuet, & non morietur.* O ſingulare clementiſſimi iudicis beneficiũ! ô magnificum diuinæ pietatis theſaurum. Propter hoc à peccantibus vult confeſſionis munus accipere, vt non inueniat, quod vlciſci debeat. Non ſimus ingrati tantæ beneuolentiæ Redẽptoris noſtri: qui magis vult ignoſcere, quàm punire; magis ſaluare, quàm perdere. Adquiritur Domino, quod non punitur in ſeruo: & multum confertur auctori, ſi deputatus pœnæ veniæ condonetur. Nec optat vlciſci, qui paratus eſt miſereri: ipſo de ſe per Prophetam dicente: *Nolo mortem peccatoris, ſed vt conuertatur & viuat.* Ecce verus vitæ auctor, qui non vult peccantis mortem, ſed conuertentis vitam. Vnde & in Euangelio ipſa ait Veritas: *Sic erit gaudium in cœlo coram Patre veſtro & Angelis eius ſuper vno peccatore pœnitentiam agente*: & in Propheta: *Dic tu iniuſtitias tuas prior, vt iuſtificeris.* Ecce benignus eſt largitor veniæ, qui præbet pro lucro temporali æternitatis gaudiũ, ipſo dicente: *Beati qui lugent nunc, quoniam ipſi conſolabuntur*: & alio loco: *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos.* Ait enim, vt diximus, *Dic tu prior iniuſtitias tuas, vt iuſtificeris*, & non condemneris: vt maneat in te præmium pœnitentiæ, non vindicta peccatorum. Nunquid quaſi neſcius Deus nos confiteri hortatur peccata, qui priuſquam geſta eſſent, præſciebat: cuius prouidentiæ omnia pateſcunt occulta? Tunc enim poteris perfectum conſequi beneficium medicinæ, ſi non celes medico tuæ vulnera conſcientiæ. Opinor enim, niſi interpelletur medicus, non curatur ægrotus. confeſſio tua medicina eſt vulnerum tuorum, & ſalutis tuæ certiſſimum ſubſidium. Homo ægrotus à medico quærit medicinam; qui ſæpe incerto laborare* deſudat in ægroto. Deus verò ſine labore ſanat: ſine tarditate medicamenta veniæ præſtat, ſi deuota lacrymis ſcripta in auribus pietatis ſuę legatur* pœnitentiæ. Nemo te homo melius reficit, quàm qui fecit. Nec alius ſanat; niſi qui flagellat & curat. ſolus enim nouit operis ſui fragilitatem, qui hoc tantum exſpectat, vt fatearis; mora non erit, vt ſaneris: qui

Ezech. 33. 12. Ibid. 15. Ibid. 11. Luc. 15. 7. Eſai. 43. 26. Narra ſi quid habes, vt iuſtificeris. Matth. 5. 5. Matt. 11. 28. * ſ. labore. * ſ. legantur.

A per Prophetam Ezechielem ait: *Cum conuerſus fueris & ingemueris, tunc ſaluaberis.* Datur nobis à benigniſſimo iudice locus accuſandi noſmetipſos in peccatis noſtris corã Sacerdote Dei: ne iterum accuſet nos in eis diabolus coram iudice Chriſto. Vult vt ignoſcantur, ne puniantur in futuro. Igitur pius Pater, dum videt per pœnitentiam peccata noſtra à nobis damnari, gaudet miſereri, & proprium exercere munus miſericordiæ in pœnitẽtes optat, ſicut per Iſaiam teſtatur Prophetam: *Ego ſum, qui* B *deleo iniquitates tuas*; & iterum: *Conuertimini ad Dominum Deum veſtrum, quoniam miſericors & pius eſt, patiens & multæ miſericordiæ.* Hoc ſciens B. Dauid ait: *Peccatum meum cognitum tibi feci, & iniuſtitias meas non operui*: è contra ſi peccatum, quod fecerit homo, negatur*, pœna reatus accumulatur; quia punitur contumacia ſceleris negatione. Sed dicis forſan: Me terret meorum magnitudo peccatorum: quinimmò tanto magis inſiſtendum eſt tibi ô peccator, in medicina confeſſionis, ne pereas in pu- C tredine vulnerum, ſi medico erubeſcis aperire multiplices vlcerum dolores. Nullatenus diuinæ abundantiã clementiæ numeroſitas tuorum ſuperare poterit peccatorum. *Ne tardes de die in diem*, dicit Scriptura, *conuerti, quia neſcit quid ſuperuentura pariat dies.* quia qualem te vltimus inuenerit dies, talis iudicaris. Nec te voluit Deus diem illum præſcire, vt ſemper paratus eſſes, qualem optas ante iudicem te ſtare, talem te præpara, dum habes tempus operandi. Eſto negotiator deuotus. Eme tibi regnũ D Dei pœnitentiæ lucris, memor Dominum dicentem: *Pœnitentiam agite, & adpropinquabit vobis regnum Dei.* Pro te igitur, ô iuuenis, Deus homo factus eſt, vt te redimeret, & ſeipſum tradidit in mortem, vt te ſaluaret in vitam: quid tu iaces in morte ſcelerum? Surge & dic: *Pater peccaui in cælum.* adduc tibi tuæ pœnitentiæ teſtem fidelem. Munda vis habere veſtimẽta; quare non multo magis quæris mundã te habere animã? Sordidus procedere non vis in cõſpectu hominũ; quare non multò magis E times ſordidũ peccatis te procedere in cõſpectu Dei? Laua te lacrymarũ fonte; ne quid in te eius oculus* maieſtatis offendat. Quis rogo cadens non quærit ſurgere? Quis infirmatur, & non deſiderat conualeſcere? Quis periclitatur, & non optat euadere? Pœnitebit te poſtmodum tarditatis, ſi non cogitaueris quid animæ tuæ proficiat ad ſalutem. Exſurge fili, exſurge, placare Patrem pœnitentia, quem offen-

Ezech. 33. Eſai. 43. 25. Iocl. 2. 13. Pſal. 31. 5. * negatur. Eccli. 5. 8. Matth. 2. 3. Luc. 15. * oculos.

diſti ſcelere. Confitere culpam, vt ſaneris à A
medico. Eſto in tua ſollicitus ſalute. Si tu ipſe tui ipſius non habes curam, quis tibi ad ſalutem prodeſſe poterit, vel quis tibi fidelis erit, ſi tu ipſe tibimet infidelis eſſe probaberis? Infidelitas eſt magna non curare de ſalute tua, te moriente in peccatis, non reſuſcitare per pœnitentiam. Quanto longius receſſiſti pro ſcelerum magnitudine à Deo, tanto fortius per pœnitẽtiam appropinquare ſtudeas. Clemẽs Pater paratus eſt te accipere, ſi tu non tardaueris. reuertere. Aſpera tibi videtur conuerſio, B
ſed multò carnalia relinquere deſideria; ſed multò durior conditio æternis te ardere flammis, & pro modica temporis luxuria pœnis tradi perpetuis. Quanti modò infernalibus deputati tormentis conuerti voluiſſent, ſi ſpatium illis daretur conuertendi! Omnia quidem huius ſeculi dura, in comparatione tormẽtorum infernalium leuia & quodammodò iocunda videntur. Seruiſti diabolo in luxuria, ſeruire* Chriſto in caſtitate, vtriuſque rei finem attende. Illa ſiquidem idem* luxuria hominẽ mittit in flam- C
mas. Caſtitas charitati coniuncta nos deducit in regnum Dei. Reuertere in viam de qua aberraſti. Ieiuniis corpus afficitur, ſed pulchritudo animæ paritur. Vilis ſit corporis cultus; ſed ipſe præcipuus eſt ſanctitatis ornatus. Vigiliarum aſſiduitas in orationibus & in laude Dei, Angelicæ eſt imitatiõ vitæ. Parcus cibus, paſtus eſt animæ. Si habes vnde, pauperibus porrige manum, quia manus pauperis gazophylaciũ eſt Chriſti. Nec de opere miſericordiæ te iuſtè excuſare poteris, dum calix aquæ fri- D
gidæ mercede remunerabitur perpetua: viſitare infirmos, mœrentes conſolari, hoſpitibus occurrere, fame vel ſiti laborantes reficere, poſſeſſio eſt regni Dei in cœlis: ſicut in Euangelio legitur. In talium, ô fili, operum executione, peccatorum remiſſio adhibetur; inſuper & perpetuæ beatitudinis præſtat ingreſſum. Noli degeneris animi eſſe. Dei filius in baptiſmo conſecratus es: ſed tam excellens nobilitas, non niſi morum dignitate conſeruari poterit. Cæ- E
leſtis Pater, immò omnium Dominus peccatis ſubditos dedignatur habere filios. Excute de collo tuo iugũ captiuitatis diabolicæ. Recurre ad pietatem paternæ dilectionis. Reuertere ad Dominum, fili, reuertere, & ex mortuo reuiuiſce, & ex perdito reparare. Quærit ouem bonus paſtor errantem, & amplius de inuenta, quàm non perdita gratulatur, humeris ſuis inter Angelicos reuehit cœtus; animaduerte

*ſerui.
*eadem.
Matth.25.
Luc.15.

clementiſſimã Dominicæ pietatis ſententiam dicentis: *Non enim veni vocare iuſtos, ſed peccatores, in pœnitentiã.* Vocat ergo Dominus ad pœnitentiam peccatores, quia magis optat ſaluare, quàm damnare, & plus cum Sanctis nos gaudere, quàm cum Diabolo punire. Vocat nos per ſeipſum. Vocat per Scripturas ſanctas. Vocat etiam per Doctores Catholicos, vt reuertamur ad eum; qui paratus eſt nos accipere, ſi nos non erimus pigri ad eum venire. Audiamus B. Ioannem Euangeliſtam ad pœnitentiam nos exhortantem. Dicit enim in Epiſtola ſua: *Si dixerimus, quia peccata non habemus, nos ipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt: ſi autem confeſſi fuerimus peccata noſtra; fidelis & iuſtus eſt Deus, vt nobis peccata noſtra dimittat, & mundet ab omni iniquitate.* Si nullus eſt ſine peccato, quis eſt qui pœnitentia non indigeat? Quæ ſine confeſſione vix fructuoſa fieri valet. Conſideremus B. Iacobi Apoſtoli præceptum dicentis: *Confitemini alterutrum peccata veſtra.* Recordemur, quod Redẽptor noſter publicanum peccatorem ſe cõfitentem Phariſæo ſe in ſua laudanti iuſtitia prætulerit. Scit enim conditor noſter fragilitatem naturæ noſtræ. Ideo medicamenta pœnitentiæ vulneribus noſtris perdonauit. Dicamus cum Propheta: *Sana me Domine, & ſanabor.* Item: *Domine ſana animam meam, quia peccaui tibi.* Idcirco cariſſimi filij, feſtinate ad confeſſionis medicamentum. Aperite vulnera in confeſſione, vt medicamenta ſalutis proficere valeant in vobis. Tranſeunt huius vitæ dies, & incerta eſt hora vnicuique noſtrûm qua reuertatur puluis in puluerem, & ſpiritus redeat ad Dominum, qui dedit illum, vt iudicetur ſecundum opera ſua. Auditura erit tunc anima quidquid hîc copulata carne geſſit in occulto. Si nunc erubeſcit confiteri peccata ſua, & per pœnitentiam emundari, ſtabit accuſator malignus contra eam, qui quondam ſuggeſſit illi vt peccaret, ſi nos neglexerimus præuenire faciem iudicis in confeſſionibus. Quæcunque enim humiliter confitemur in noſtris peccatis, nihil horum Diabolus habet poteſtatem nobis obiicere in illo tremendo iudicio noſtræ vitæ. Agite nunc iuuenes, adoleſcentes & pueri, liberate voſmetipſos de diabolica ſeruitute. Concurrite per pœnitentiam ad clementiſsimam omnipotentis Dei pietatem. Nolite per deſideria carnis veſtræ perdere gaudia cæleſtia, & æterni regni inter Angelicos cœtus beatitudinem, ſed confortate voſmetipſos, & viriliter pu-

Matt.5.15.
1.Ioan.1.8.
Iacob.5.16
Iere.17.14.
Pſal.40.5.

gnare cum aduerſario veſtro, vt fideliter mereamini coronari cum Sanctis Dei, & perpetuam cum illis poſsidere gloriam. Et vos ſanctiſsimi huius familiæ magiſtri & patres, docete filios veſtros piè, ſobriè, & caſtè viuere, coram Deo in omni humilitate, obedientia & ſanctitate, & puram facere ſacerdotibus Chriſti confeſsionem peccatorum ſuorum, & pœnitentiæ lacry- A mis abluere ſordes luxuriæ carnis, nec eas iterum repetere, quia poſteriora vulnera peiora ſunt prioribus: ſcientes voſmetipſos ſalutis filiorum veſtrorum æternam habere apud Dominum remuneratione͂, quatenus quorum miniſteriis vtimini in terris, eorum proſperitatis mercedem habeatis perpetuam in cælis.

MAGISTRI

ALBINI FLACCI ALCHVVINI

SACRAMENTORVM LIBER.

HVIVS LIBRI CAPITVLA.

I. *Die Dom. Miſſa de ſancta Trinitate.*
Item alia de gratia ſancti Spiritus poſtulanda.
Item Miſſa S. Auguſtini.
II. *Feria II. Miſſa pro peccatis.*
Item alia, pro petitione lachrymarum.
Item Miſſa ſancti Auguſtini.
III. *Feria III. ad poſtulandum Angelica ſuffragia.*
Item alia, pro tentationibus cogitationum.
Item Miſſa ſancti Auguſtini.
IIII. *Feria IV. Miſſa de ſancta ſapientia.*
Item alia, ad poſtulandam humilitatem.
Item Miſſa ſancti Auguſtini.
V. *Feria V. Miſſa de charitate.*
Item alia, contra tentationes carnis.
Item Miſſa ſancti Auguſtini.
VI. *Feria VI. Miſſa de ſancta Cruce.*
Miſſa de tribulatione & neceſsitate, eode͂ die.
Item Miſſa ſancti Auguſtini.
Sabbato, Miſſa de ſancta Maria. VII.
Item commemorationis S. Mariæ.
Item Miſſa ſancti Auguſtini.
Miſſa in veneratione vnius Apoſtoli. VIII.
Miſſa in veneratione plurimorum Apoſtoloru͂. IX.
Miſſa in veneratione vnius Martyris. X.
Miſſa vnius Apoſtoli, ſiue Mart. vel Co͂feſſoris. XI.
Miſſa in veneratione plurimorum Martyrum. XII.
Miſſa in Eccleſia vbi requieſcunt corpora ſanctorum Martyrum. XIII.
Miſſa pro veneratione omnium Sanctorum, quorum reliquiæ in qualibet domo ſunt reconditæ. XIV.
Miſſa quotidiana omnium Sanctorum. XV.
Miſſa pro inimicis. XVI.
Miſſa pro confitente peccata ſua. XVII.
Miſſa pro ſalute viuorum vel requie mortuoru͂. XVIII.

CAP. I.

DIE DOMINICO,

Miſſa de ſancta Trinitate.

OMNIPOTENS ſempiterne Deus, qui dediſti famulis tuis in confeſſione veræ fidei, æternæ Trinitatis gloriam agnoſcere, & in potentia maieſtatis adorare vnitatem, quæſumus, vt eiuſdem fidei firmitate, ab omnibus ſemper muniamur aduerſis. Per.

Secreta.

Sanctifica quæſumus, Domine Deus, per tui nominis inuocationem, huius oblationis hoſtiam, & per eam noſmetipſos tibi perfice munus æternum. Per.

Præfatio.

D. & iuſtum eſt, vſque; æterne Deus. B Qui cum vnigenito filio tuo & Spiritu ſancto vnus eſt Deus, vnus eſt Dominus, non in vnius ſingularitate perſonæ, ſed in vnius Trinitate ſubſtantiæ. quod enim de tua gloria reuelante credimus, hoc de filio tuo, hoc de Spiritu ſancto, ſine differentia diſcretionis * ſentimus, vt in confeſſione veræ ſempiternæ deitatis, & in perſonis proprietas, & in eſſentia vnitas, & in maieſtate adoretur æqualitas. Quem laudant.

* differentiæ diſcretione.

Poſt Commun.

Proficiat nobis ad ſalutem corporis & animæ, Domine Deus, huius ſacramenti C ſuſceptio & ſempiternæ ſanctæ Trinitatis confeſſio. Per.

Alia.

Domine Deus Pater omnipotens, famulos tuæ maieſtati ſubiectos per vnicum filium tuum in virtute ſancti Spiritus benedic & protege, vt ab omni hoſte ſecuri,

in tua iugiter laude lætemur. Per eundem.

Lectio Epiſtolæ B. Pauli Apoſtoli ad Corinth.

Fratres, Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti & charitas Dei, & communicatio ſancti Spiritus ſit cum omnibus nobis.

Sequentia S. Euangelij ſecundum Ioannem.

In illo tempore, dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Cùm venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre Spiritum veritatis.

MISSA DE GRATIA SANCTI Spiritus poſtulanda.

Deus cui omne cor patet, & omnis voluntas loquitur, & quem nullum latet ſecretum, purifica per infuſionem ſancti Spiritus cogitationes cordis noſtri, vt perfectè te diligere, te dignè laudare mereamur. Per.

Secreta.

Hæc oblatio Domine Deus cordis noſtri maculas emundet, vt ſancti Spiritus digna efficiatur habitatio. Per. in vnitate eiuſdem Spiritus ſancti.

Præfatio.

D. & iuſtum eſt, vſque; æterne Deus. Qui inſpicis cogitationum ſecreta, & cui omnis noſtræ mentis intentio prouidentiæ tuæ pateſcit intuitu, reſpice propitius arcàna cordis noſtri cubilia, & ſancti Spiritus rore noſtras purifica cogitationes, vt tuæ maieſtati digna cogitemus & agamus. Per Chriſtum.

Poſt Commun.

Sacrificium ſalutis noſtræ tibi offerentes, concede nobis Domine Deus purificatis mentibus ſæpius tuæ pietatis celebrare myſterium. Per.

Alia.

Concede, quæſumus, omnipotẽs Deus, ſanctum nobis Spiritum votis promerere ſedulis, quatenus eius gratia ab omnibus liberemur tentationibus, & peccatorum noſtrorum indulgentiam conſequamur. Per. in vnitate eiuſdem Spiritus ſancti.

ITEM MISSA S. AVGVSTINI.

Da mihi Domine peccatori confeſsionem, quæ tibi ſit placita; parturi in corde meo enarrationis gemitus, qui aures poſſint pulſare tuas. Da mentis intentionem, qua ſuſcipiam profundam bonitatẽ tuam in humilitate cordis. Ipſum mihi Domine da precari, quod te audire delectet vt præſtes. Ipſum animæ meæ inſere, vt iugis delectatio mea ipſe ſis. Da mihi lacrymas, ex tuo affectu internas, quæ peccatorũ meorum poſſunt exoluere vincula. Audi Deus meus, audi lumen oculorum meorum, audi quæ peto, & da quæ petam vt audias. Si enim diſpexeris, pereo; ſi reſpexeris, viuo. Si iuſtè me intenderis, mortuus fœteo. Si miſericordiam reſpexeris, fœtentem ſuſcitas de ſepulcro. Si mala reſpexeris mea, tartarea tormenta vix ſufficiunt. Si pietate intendas ſolita, poteris commutare in melius. Quid non mali ego? Aut quid non boni tu? Quid non mali ego corruptibilis creatura? Quid non boni tu creator & creaturæ author? Cecidi de manu tua vitio meo: potens es artifex tibi iterum placitum figurare. Corripe me in miſericordia, ne deſeras, neque in ira corripias. Quod odis in me, procul fac à me, & in tua voluntate intende in me. Hoſtem libidinis repelle à me, & caſtitatis ſpiritum inſere in me. Vitium omne mortifica in me, & animam meam viuifica in me. Per Dominum.

Secreta.

Hæc tibi Domine Pater ſancte, licet manibus meis indignis offerãtur munera, qui nec inuocatione tui nominis dignus ſum, tamen quia per ſanctum atque ſanctificatum filij tui nomen oblationes offeruntur, ſicut incenſum in conſpectu tuo cum odore ſuauitatis adſcendant. Per.

Præfatio.

D. & iuſtum eſt, vſque; æterne Deus. Sed quid tibi dignum offerat miniſter indignus? niſi hoc ipſum quod tanto indignus habetur officio fidei pœnitentiam fateatur. Sed tu multæ miſericordiæ Deus, ne nos, quæſumus, oris proprij teſtimonio damnes, ſed paternæ indulgentiæ conſolatione corrobores, atque à peccatorum præcipitio tuis ſemper manibus renoues & reformes. Inuocat te anima mea, qui feciſti me, vt non obliuiſcaris oblitum tui, & exquirentẽ te ne deſeras, vita quæ nunquam morieris. Qui nouit te, nouit æternitatem. Charitas nouit te. O æterna veritas, & vera charitas! Deus vne, Deus Trinitas, in cuius valde confido miſericordia, ſalus eſto infirmitati meæ, & verus reſuſcitator animæ meæ. Doce me patientiam ad ſuſtinendum aduerſa. Doce me ſcientiam ſcripturarum; vt ſic loquar, ne ſuperbiam; ſic taceam, ne torpeſcam. Sic contine, vt non cadam. Sic ſtringe, vt non dimittam. Tu es enim honor meus, & laus mea, & fiducia mea. Deus meus, gratias ago tibi de donis tuis, ſed tu mihi ea ſerua. Ita enim ſeruabis me, & augebuntur & perficientur quæ dediſti mihi. Et eris mecum in

omnibus; quia & vt ſum, & quod ſum, A tu dediſti mihi. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

Poſt Commun.

Vota noſtra Dominus clementer intendat, & peccata dimittat. Quæ optamus, tribuat; & quæ pauemus, procul repellat: vt cum vniuerſitate fidelium vouendo, & reddendo Deo ſacrificium laudis, ad fructum iuſtitiæ peruenire poſſimus, concedente clementia diuinitatis eius. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum eius vnigenitum filium, cum quo in vnitate Spi- B ritus ſancti viuit & regnat Deus. Per omnia ſecula ſeculorum.

Capvt II.

FER. II. MISSA PRO PECCATIS.

Exaudi Domine, quæſumus, ſupplicum preces, & confitentium tibi parce peccatis, vt pariter nobis indulgentiam tribuas benignus & pacem. Per.

Lectio Hieremiæ Prophetæ.

Si iniquitates noſtræ contenderint con- C tra nos, Domine, libera nos, quęſumus, fac propter nomen tuum.

Lectio S. Euangelij ſecundum Lucam.

In illo tempore, dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Petite, & dabitur vobis: quærite, & inuenietis: pulſate, & aperietur vobis.

Super Oblata.

Hoſtias tibi Domine placationis offerimus, vt & delicta noſtra miſeratus abſoluas, & nutantia corda tu dirigas. Per.

Præfatio.

D. & iuſtum eſt, vſque; æterne Deus. D Salua nos ex ore leonis ſæuiſſimi, qui rugiens circuit, quærens de vnitate Eccleſiæ tuæ, quem rapiat atque deuoret. Sed tu, fortiſſime Domine, de tribu Iuda contere contrariam virtutis ſuæ nequitiam, nos ab ignitis eius impugnationibus liberatos, corpore nos conſerua, & corde purifica. Per Dominum.

Infra actionem.

Hanc igitur oblationē, Domine, quam tibi offerimus pro peccatis atque offen- E ſionibus noſtris, vt omnium delictorum noſtrorum remiſſionem conſequi mereatur, quæſumus Domine, Vt.

Ad Complendum.

Præſta nobis æterne Saluator, vt percipientes hoc munere veniam peccatorum, deinceps peccata vitemus. Per.

Alia.

Deus, cui proprium eſt ſemper miſereri & parcere, ſuſcipe deprecationem noſtrā, vt quos delictorum catena conſtringit, miſeratio tuæ pietatis abſoluat. Per.

ITEM PRO PETITIONE *lachrymarum.*

Omnipotens mitiſſime Deus, qui ſitienti populo fontem viuentis aquæ de petra produxiſti, educ de cordis noſtri duritia compunctionis lachrymas, vt peccata noſtra plangere valeamus, remiſſionémque te miſerante mereamur accipere. Per.

Infra actionem.

Hanc oblationem, quæſumus Domine Deus, quam tuæ maieſtati pro peccatis noſtris offerimus, propitius reſpice, & produc de oculis noſtris flumina, quibus debita flammarum incendia valeant extingui. Per.

Præfatio.

D. & iuſtum eſt, vſque; per Chriſtum Dominum noſtrum. Qui beatum Petrum Apoſtolum pietatis reſpexit intuitu, vt trinæ negationis peccatum amariſſimis dilueret lachrymis, per infuſionem ſancti Spiritus pro peccatorum noſtrorum pondere lachrymas nobis elice pœnitentiæ, vt amarè defleamus, quæ iniquè geſſimus: Quatenùs fructuoſus in conſpectu pietatis tuæ noſtræ petitionis perueniat effectus, atque per eum nobis veniam ſperare liceat, qui traditus eſt pro delictis noſtris, vt redimeret nos in ſanguine ſuo, Chriſtus Saluator noſter. Quem laudant Angeli.

Ad Complendum.

Sacrificium quod tuæ, Domine, obtulimus maieſtati, nobis ad veniam noſtrorum proficiat peccatorum, & tuæ miſerationis tribuat ſolatium. Per.

Alia.

Gratiam ſancti Spiritus, Domine Deus, cordibus noſtris clementer infunde, quæ nos gemitibus efficiat lachrymarum maculas noſtrorum diluere peccatorum, atque optatæ nobis, te largiente, indulgentiæ præſtet effectum. Per Dominum, &c. in vnitate eiuſdem.

ITEM MISSA S. AVGVSTINI.

Ignoſce mihi, quæſumus Domine, quē maculatæ vitæ conſcientia trepidum, & criminum meorum confuſio facit captiuum. Et qui pro me veniam obtinere non valeo, pro aliis rogaturus aſſiſto; profero ad te, ſi audire digneris, Domine capti-

uorum gemitus, tribulationes plebium, A
pericula populorum, neceſſitates peregrinorum, inopiam debilium, deſperationes languentium, defectus ſenum, ſuſpiria iuuenum, vota virginum, lamenta viduarũ. Sed quoniam me eadem quæ populi peccati catena conſtringit, ideò communes lugeo paſſiones. Non obſit Domine populo tuo oratio coniugata * peccatis. Per me tibi offertur votum, per te meum compleatur officium. Per.

*vel. ſubiugata.

Super Oblata.

Memores ſumus, æterne Deus Pater B omnipotens, glorioſiſſimæ paſſionis filij tui, reſurrectionis etiam, adſcenſioniſque in cælum. Petimus ergo maieſtatem Deus, vt adſcendant preces humilitatis noſtræ in conſpectum tuæ clementiæ, & deſcendat ſuper hunc panem, & ſuper hunc calicem plenitudo tuæ diuinitatis. Deſcendat etiam Domine illa ſancti Spiritus tui incomprehenſibilis inuiſibiliſque maieſtas, ſicut quondam in patrum hoſtias deſcendebat. Per eundem Dominum.

Ad Complendum.

Gratias tibi Domine referentes oramus, vt mundes propitius cor noſtrum à vitiis, & repleas iugiter ſpiritalibus donis. Per Dominum noſtrum.

CAPVT III.

FERIA III. MISSA AD POſtulanda Angelica ſuffragia.

PErpetuum nobis Domine tuæ miſerationis præſta ſubſidium, quibus & An- D gelica præſtitiſti ſuffragia non deeſſe. Per Dominum noſtrum.

Secreta.

Hoſtias tibi Domine laudis offerimus, ſuppliciter deprecantes, vt eaſdem Angelico pro nobis interueniente ſuffragio, & placatus accipias, & ad ſalutem noſtram prouenire concedas. Per Dominum.

Poſt Commun.

Repleti Domine benedictione cæleſti ſuppliciter imploramus, vt quod fragili E celebramus officio, ſanctorum Archangelorum nobis prodeſſe ſentiamus auxilio. Per Dominum noſtrum.

Super populum.

Plebem tuam, quæſumus, Domine perpetua pietate cuſtodi, vt ſecura ſemper & neceſſariis adiuta ſubſidiis, ſpirituum tibimet placitorum pia ſemper veneratione lætetur. Per Dominum noſtrum Ieſum.

Lectio Apocal. B. Ioannis Apoſtoli.

In diebus illis, Dixit mihi Angelus: Scribe; Beati qui ad cœnam nuptiarum.

Sequentia S. Euangelij ſecundum Ioannem.

In illo tempore, Adſcendit Ieſus Hieroſolymam. Eſt autem Hieroſolymis probatica piſcina.

ITEM ALIA PRO TENTATIOnibus cogitationum.

Omnipotens mitiſſime Deus, reſpice propitius preces noſtras, & libera corda noſtra de malarum tentatione cogitationum, vt ſancti Spiritus dignum fieri habitaculum mereamur. Per Dominum.

Secreta.

Has tibi Domine Deus offerimus oblationes pro ſalute noſtra, quatenus animas noſtras ſancti Spiritus gratia illuminare digneris. Per Dominum noſtrum.

Præfatio.

D. & iuſtum eſt, vſque; æterne Deus. Humiliter tuam deprecantes clementiam C vt gratiam ſancti Spiritus animis noſtris clementer infundere digneris, vt te perfectè diligere, & te dignè laudare mereamur. Per Chriſtum.

Ad Complendum.

Per hoc, quæſumus, Domine ſacrificiũ, tuæ quod obtulimus pietati, ab omnibus corda noſtra emundes tentationibus. Per Dominum noſtrum.

Alia.

Deus, qui illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum; illumina, quæſumus, corda noſtra gratiæ tuæ ſplendore, vt digna maieſtati tuæ cogitare & diligere valeamus. Per Dominum noſtrum.

ITEM MISSA S. AVGVSTINI.

Offerentes tibi Domine hoſtiam iubilationis pro delictis noſtris, pietatẽ tuam expoſcimus, vt placabili pietate petitionibus noſtris aurem accommodes, votum noſtrum pia dignatione acceptes, tribulationes cordis noſtri multiplici miſeratione lætifices, & quod in oratione lingua noſtra enarrare non ſufficit, tu qui cordis cogitationes agnoſcis, & renum ſcrutator es, quæ deſiderat mens deuota, per tuam miſericordiam conſequatur. Per Dominum.

Secreta.

Acceptare digneris terribilis & piiſſime Deus hoc ſacrificium, quod tibi pro remiſſione peccatorum noſtrorum, vel pro requie defunctorum fratrum offerimus, quia

vota noſtra, dona ſunt tua. Nec tibi quicquam melius, niſi quod dederis, offerimus, hoc eſt imprimis in commemoratione, vt iuſtum eſt Dominicæ inſtitutionis offerre in honore & gloria Domini noſtri Ieſu Chriſti filij tui, Regis iudicisque venturi. Per eundem Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.

Poſt Commun.

Omnipotens Deus vota noſtra dignanter ſuſcipiat, & nos famulos ſuos propitiatus intendat, deſideria noſtra in bonis operibus compleat, & ab inſidiis inimicorum nos defendat. Per Dominum.

CAPVT IIII.

FERIA IV. MISSA DE S. Sapientia.

DEus qui per coæternam tibi Sapientiã hominem, cùm non eſſet, condidiſti, perditúmque miſericorditer reformaſti; præſta, quæſumus, vt eadem pectora noſtra, inſpirante te, tota mente amemus, & ad te toto corde curramus. Per Dominũ.

Lectio Epiſtolæ B. Pauli Apoſtoli.

Fratres, Scientes quòd fidei veſtræ patientiam probatio operatur.

Sequentia S. Euangelij ſecundum Matthæum.

In illo tempore, Reſpondens Ieſus dixit; Confiteor tibi Pater, Domine cæli & terræ, quia abſcondiſti.

Secreta.

Sanctificetur, quæſumus, Domine Deus, huius noſtræ oblationis munus, tua cooperante ſapientia, vt tibi placere poſſit ad laudem, & nobis proficere ad ſalutem. Per Dominum.

Ad Complendum.

Infunde, quæſumus, Domine per hæc ſancta, quæ ſumpſimus, tuæ cordibus noſtris lumen ſapientiæ, vt te veraciter agnoſcamus, & fideliter diligamus. Per eundem.

Super populum.

Deus qui miſiſti filium tuum, & oſtendiſti creaturæ creatorem; reſpice propitius ſuper nos famulos tuos, & præpara agiæ ſophiæ dignam in cordibus noſtris habitationem. Per eundem.

MISSA AD POSTVLANDAM humilitatem.

Deus qui ſuperbis reſiſtis, & gratiam præſtas humilibus, auge in nobis veræ humilitatis virtutem, cuius in ſe formam fi-

A delibus vnigenitus filius tuus exhibuit, vt nunquam indignationem tuam prouocemus elati, ſed potius ſemper pietatis tuæ capiamus dona ſubiecti. Per eundem.

Secreta.

Hæc oblatio, Domine, quæſumus, nobis remiſſionem omnium peccatorum & veræ humilitatis obtineat gratiam, ſimúlque à cordibus noſtris concupiſcentiam carnis & oculorum, atque ambitionem ſeculi auferas, quatenus coram te ſobriè, iuſtè, piéque viuentes, præmia conſequamur

B æterna. Per Dominum.

Poſt Commun.

Huius Domine ſacramenti perceptio, peccatorum noſtrorũ maculas tergat, & nos ad cæleſtia regna perducat. Per Dominum.

ITEM MISSA S. AVGVSTINI.

Domine Deus incomprehenſibilis, æterne, perpetue, benedicte, qui dixiſti: Non veni vocare iuſtos, ſed peccatores ad

C pœnitentiam, & cùm profectu noſtro non egeas, gaudes tamen ſuper vno peccatore pœnitentiam agente, magis quàm ſupra nonaginta nouem iuſtis, qui non indigent pœnitentia. Quia tu es Deus ſolus, & præter te non eſt alius, qui non vis mortem peccatoris, ſed vt conuertatur & viuat: Conuerte nos Domine ad te, & conuertemur. Conuerte nos Deus ſalutaris noſter, & auerte iram tuam à nobis. Ne perdas nos cum peccatis noſtris, ne tradas beſtiis animas confitentes tibi, ne derelin-

D quas nos in finem. Ne intres in iudicium cum ſeruis tuis, neq; in ira furoris tui corripias. Miſerere nobis, Domine, miſerere nobis. Opera manuum tuarum ſumus, ne pereamus. Memento congregationis tuæ, quam creaſti ab initio. Dirige nos in via recta, doce nos facere voluntatem tuam, quia tu es Deus noſter. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.

Secreta.

Hanc quoque oblationem Domine digneris, quæſumus, miſericorditer benedicere, & clementer ſanctificare, quam tibi

E pro remiſſione peccatorum noſtrorum, vel pro requie defunctorum fratrum offerimus, vt tua ſanctificatio ſalus ſit & defenſio omnium animarum. Per.

Præfatio.

D. & iuſtum eſt, vſque; æterne Deus. Rex cælorum, Rex Regum, Deus Deorum, Dominus Dominorum, tibi gratias agere & laudis hoſtias immolare. Exaudi oratio-

orationem & deprecationem famulorum A famularúmque tuarum, omnium orthodoxorum; auribus percipe lachrymas eorum. Abba Pater, imple nominis tui officium, ſuper hanc congregationem tuam, atque ſuper vniuerſam Eccleſiā tuam Catholicam, quæ eſt ſuper vniuerſum orbem terrarum in pace diffuſa. Tu eos rege omnipotens Pater, tu protege, tu conſerua, tu ſanctifica, tu guberna, tu caſtiga, tu conſolare. Sicut non es dedignatus congregare, & vocare eos, ita tuo inflammentur amore, vt à te non deſpiciantur clementiſ- B ſime & piiſſime Pater. Oramus te Domine, non pereat à nobis factura redemptionis & vocationis tuæ. Sicut vocare dignatus es errantes, ita cuſtodire digneris in hoc ouili habitantes atque conuenientes. Per Chriſtum Dominum.

Ad Complendum.

Quos cæleſti Domine dono ſatiaſti, præſta, quæſumus, vt ſicut piiſſima miſericordia tua dediſti nobis voluntatem veniendi ad te, ita nobis ſeruis tuis donare digneris ſapientiæ intellectum, virtutem, & poſſi- C bilitatem, vt tibi ſecundum voluntatem tuam ſeruire mereamur. Per Dominum.

Capvt V.

FERIA V. DE CHARITATE.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui iuſtitiam tuæ legis in cordibus credentium digito tuo ſcribis, da nobis fidei, ſpei, & charitatis augmentum, & vt mereamur aſſequi quod promittis, fac nos amare quę D præcipis. Per.

Alia.

Deus qui diligentibus te facis cuncta prodeſſe, da cordibus noſtris inuiolabilē charitatis affectum, vt deſideria de tua inſpiratione concepta, nulla poſſint tentatione mutari. Per Dominum.

Lectio libri Epiſtolæ B. Pauli Apoſtoli, ad Corinthios.

Fratres, Charitas patiens eſt, benigna eſt. Charitas non æmulatur.

Sequentia S. Euangelij ſecundum Matthæum. E

In illo tempore, Dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Filioli adhuc modicū vobiſcum ſum, Quæritis me.

Secreta.

Mitte Domine, quæſumus, Spiritum ſanctum, qui & hæc munera præſentia noſtra tuum nobis efficiat ſacramentum, & ad hoc percipiendum, noſtra corda purificet. Per. in vnitate eiuſdem Spiritus ſancti.

Deus qui nos ad imaginem tuam ſacramentis renouas, & præceptis, perfice greſſus noſtros in ſemitis tuis, & charitatis donum quod feciſti à nobis ſperari, per hæc quæ offerimus, facias ſacrificia adprehendi. Per Dominum noſtrum.

Præfatio.

D. & iuſtum eſt, vſque; æterne Deus. Qui fideles tuos mutua faciens lege concordes, pacem tuam tali fœdere nexuiſti, vt nec alteri quiſquam moliretur infligere, quod ſibi nollet inferri, & bona quæ ſuis vtilitatibus cuperet à conſorte natura, hæc idem ipſe quoque præſtaret; quatenus dum per alterutram pietatem ſe reperiunt, communis in ſingulis fuerit * ſemetipſam diligens, eſſetq; mens vna cunctorum. Per Chriſtum. *foret.

Poſt Commun.

Spiritum nobis Domine tuæ charitatis infunde; vt quos vno cæleſti pane ſatiaſti, vna* facias pietate concordes. Per Dominum. eiuſdem. *tua.

Sancti Spiritus gratia, quæſumus, Domine corda noſtra illuminet, & perfectæ charitatis dulcedine abundanter reficiat. Per Dominum. in vnitate eiuſdem Spiritus ſancti.

Deus vita fidelium, gloria humilium, beatitudo iuſtorum, propitius accipe ſupplicum preces, vt animæ quæ promiſſiones tuas ſitiunt, de tuæ ſemper charitatis abundantia repleantur. Per Dominum.

ITEM ALIA CONTRA tentationes carnis.

Vre igne ſancti Spiritus renes noſtros, & cor noſtrum Domine, vt tibi caſtè & corpore ſeruiamus, & corde placeamus. Per.

Secreta.

Diſrumpe Domine vincula peccatorum noſtrorum, vt ſacrificare tibi hoſtiam laudis abſoluta libertate poſſimus; retribue quæ ante tribuiſti, & ſalua nos per indulgentiam, quos dignatus es ſaluare per gratiam. Per Dominum.

Ad Complendum.

Domine adiutor & protector noſter, quæſumus, refloreat caro noſtra vigore pudicitiæ, & ſanctimoniæ nouitate, ereptámq; de manu tartari, in reſurrectionis gaudio iubeas præſentari. Per Dominum.

ITEM MISSA S. AVGVSTINI.

Domine Deus omnipotens, qui ſaluos facis ſperantes in te, tu clementiſſime qui

reuocas errantes, tu miſericors qui non deſpicis confitentes, tu Domine Pater, cùm ceciderit iuſtus, manum apponis, tu excelſus in cælis, habitatorem te promiſiſti in terris, vbi fuerint congregati in tuo nomine duo vel tres, eſſe in medio eorum; te Domine tenemus promiſſorem, vt des veniam pœnitentibus, te inueniant omnes qui quærunt te. Te enim perſcrutatorem conſcientiarum noſtrarum ſcimus, ideò veniam petimus delictorum. Tu magnus Dominus & laudabilis valde. Te deprecamur, & petimus, vt ſis nobis propitius. Tibi confitemur mala noſtra, vt mereamur conſequi bona tua. Per.

Secreta.

Vnde nos Domine de tua pietate confiſi, & tua laude deuoti, hanc hoſtiam immaculatam ſingularis ſacrificij tibi deferimus, vt ſeruis tuis nobis viuentibus, peccatorum noſtrorum veniam concedas, & defunctis fratribus noſtris requiem ſempiternam tribuas. Per Dominum noſtrum.

Præfatio.

D. & iuſtum eſt, vſque; æterne Deus. Implorantes clementiam tuam, vt qui te authore ſubſiſtimus, te diſpenſante dirigamur. Non noſtris ſenſibus relinquamur, ſed ad tuæ adducti ſemper tramitem veritatis, hæc ſtudeamus exercere quæ præcipis, vt poſſimus dona percipere quæ promittis. Per Chriſtum.

Poſt Commun.

Gratias tibi Domine referẽtes oramus, vt mundes propitius cor noſtrum à vitiis, & repleas iugiter ſpiritalibus donis. Per Dominum.

CAPVT VI.

FERIA VI. MISSA DE S. CRVCE.

DEus qui vnigeniti filij tui precioſo ſanguine viuificæ crucis vexillum ſanctificari voluiſti, concede, quæſumus, eos qui eiuſdem ſanctæ crucis gaudent honore, tua quoque vbique protectione gaudere. Per.

Lectio Epiſtolæ B. Pauli Apoſtoli, ad Philippenſes.

Fratres, Chriſtus factus eſt pro nobis obediens Patri vſque ad mortem.

Sequentia S. Euangelij ſecundum Matthæum.

In illo tempore, Aſcendens Ieſus Hieroſolymam, aſſumpſit.

Secreta.

Hæc oblatio Domine ab omnibus nos purget offenſis, quę in ara crucis etiam to-

A tius mundi tulit offenſa. Per Dominum noſtrum.

Præfatio.

D. & iuſtum eſt, vſque; æterne Deus. Qui ſalutem humani generis in ligno crucis conſtituiſti, vt vnde mors oriebatur, inde vita reſurgeret, & qui in ligno vincebat, in ligno quoque vinceretur. Per Chriſtum.

Ad Commun.

Adeſto nobis Domine Deus noſter, & quos ſanctæ crucis lætari honore feciſti,
B eius quoque perpetuis defende ſubſidiis. Per.

ITEM MISSA DE TRIBVLAtione & neceßitate, eodem die.

Omnipotens ſempiterne Deus, reſpice propitius preces noſtras, & da capiti noſtro abundantiam aquæ, & oculis noſtris fontem lachrymarum, vt peccati macula abluti, vltrices pœnarum flammas fletus vbertate vincamus. Per Dominum no-
C ſtrum.

Secreta.

Per has oblationes, quæſumus Domine, vt non tantùm oculis noſtris lachrymas infundas, ſed & cordi noſtro nimium peccatorum luctum tribuas. Per.

Præfatio.

D. & iuſtum eſt, vſque; æterne Deus. Audientes diuini ſermonis ſonum dicentis, Beati qui lugent nunc, quoniam ipſi conſolabuntur, multùm noſtra flere peccata deſideramus, ſed non poſſunt oculi
D noſtri lapidei, & propter cordis duritiam lachrymare non valemus. Ideò rogamus te Domine, vt fontem duritiæ cordis noſtri primùm per noſtram pœnitentiam emollias, & poſtmodum per donum gratiæ tuæ noſtris flumina lachrymarum oculis largiter infundas. Per Chriſtum Dominũ.

Poſt Commun.

Corpore & ſanguine tuo, quæſumus, Domine ſatiati, vt pro noſtris ſemper peccatis nobis compunctionem cordis & luctum fluminàque lachrymarum largiaris,
E quatenus cæleſtem in futuro conſolationem mereamur. Per.

MISSA S. AVGVSTINI.

Omnipotens ſempiterne Deus, reſpice propitius ad preces Eccleſiæ tuæ, da nobis fidem rectam, charitatem perfectam, humilitatem veram. Concede Domine, vt ſit in nobis ſimplex affectus, patientia

fortis, obedientia perſeuerans, pax perpetua, mens pura, rectum & mundum cor, voluntas bona, conſcientia ſancta, compunctio ſpiritalis, virtus animæ, vita immaculata, conſummatio irreprehenſibilis, vt viriliter currentes, in tuum feliciter mereamur introire regnum. Per. A

Secreta.

Oblatis tibi Domine libaminibus ſacrificiorum, reſpice humilitatis noſtræ confeſſionem, vt hæc oblata ſanctifices quæ tibi offerimus, pro remiſſione peccatorum noſtrorum, vel defunctorum fratrum requie, & vt ſumentium ariditatem tuæ benedictionis vbertas ſuſtentet. Per Dominum. B

Poſt Commun.

Deus apud quem eſt miſericordia copioſa, efficiat nos ſibi vaſa mundiſſima, & ſpiritalibus deliciis reficiat infirmitatem noſtram, vt corda noſtra eum ſemper eſuriant atque ſitiant, & vota noſtræ humilitatis clament. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.

C

CAPVT VII.

SABBATO MISSA DE S. MARIA.

COncede nobis famulis tuis, quæſumus Domine Deus, perpetua mẽtis & corporis proſperitate gaudere, & glorioſa B. Mariæ ſemper virginis interceſſione à præſenti liberari triſtitia, & futura perfrui lætitia. Per Dominum noſtrum.

Lectio libri Sapientiæ.

Ab initio & ante ſecula creata ſum, & vſque in. D

Sequentia S. Euangelij ſecundum Lucam.

In illo tempore, intrauit Ieſus in quoddam caſtellum, & mulier.

Secreta.

Tua Domine propitiatione, & B. Mariæ ſemper virginis interceſſione, ad perpetuam atque præſentem hæc oblatio nobis proficiat proſperitatem. Per Dominum noſtrum.

Poſt Commun.

Sumptis Domine ſalutis noſtræ ſubſidiis, da, quæſumus, eius patrociniis nos vbique protegi, in cuius veneratione hæc tuæ obtulimus maieſtati. Per. E

Super populum.

OmnipotensDeus, famulos tuos dextera potentiæ tuæ à cunctis protege periculis, & B. Maria ſemper virgine intercedente, fac nos præſenti gaudere proſperitate & æterna. Per.

ITEM MISSA IN COMMEmoratione S. Mariæ.

Famulorum tuorum, quæſumus, delictis ignoſce, & qui placere de actibus noſtris non valemus, Genetricis filij tui Domini noſtri Ieſu Chriſti interceſſione, quæ tibi ſunt placita ſemper meditantes mundo corde iugiter & dictis exequamur & factis.

Secreta.

Oblationibus noſtris, quæſumus, Domine, precibúſque ſuſceptis, intercedente B. Maria ſemper virgine, peccata noſtra mundentur, & ad te noſtras etiam rebelles compelle propitius voluntates, vitámque nobis largire æternam. Per.

Ad Commun.

Quæſumus Domine Deus noſter, vt ſacroſancta myſteria quæ pro reparationis noſtræ munimine contuliſti, & præſens nobis remedium eſſe facias & futurum.

Item ad Commun.

Fideles tuos, quæſumus Domine, intercedente beata Maria ſemper virgine, corpore pariter & mente purifica, vt tua inſpiratione compuncti noxias delectationes vitare valeant, & vt earum non capiamur illecebris, tua iugiter paſcamur dulcedine. Per.

ITEM MISSA S. AVGVSTINI.

Domine Deus noſter, magne & omnipotens, qui ſanas contritos corde eorúmque alligas contritiones; tua te pietas nobis efficiat placabilem, quos conditio fragilitatis humanę conſtituit in mœrore. Exaudi Domine preces noſtras, & dimitte nobis cunctas offenſiones. Manus tuæ fortitudine à cunctis anguſtiis liberemur, vt cum tuis ſanctis hîc & in æternum lætemur. Per Dominum noſtrum.

Secreta.

Hanc quoque oblationem Domine dignare, quæſumus, miſericorditer benedicere, & clementer ſanctificare, quam tibi obtulimus pro viuorum ſalute & mortuorum requie; vt tua ſanctificatio ſit ſalus & defenſio animarum. Per Dominum.

Præfatio.

D. & iuſtum eſt, vſque; per Chriſtum Dominum noſtrum. Per ipſum te omnipotens Deus Pater ſupplices exoramus, vt hoc ſacrificium acceptes quod tibi offerimus, & nobis famulis tuis pietatis

tuæ ſolatium concedas propitius. Tuum A eſt Domine ſanare contritos corde, tuum eſt conſolari mœrentes. Placeat iam tuæ pietati, eripere oppreſſos, reuocare captiuos, lætificare in anguſtiis conſtitutos. Per ipſum te oramus ſumme Pater, quem tecum & cum ſancto Spiritu collaudant cæleſtia pariter ac terrena, & hunc hymnum dulci modulatione proclamant, dicentes: Sanctus, Sanctus, Sanctus Domine Deus Sabaoth.

Poſt Commun.

Omnipotens Deus propitius cordis no- B ſtri adſpiciat gemitus, & petitionibus noſtris ſuæ pietatis aurem inclinet, atque ab omni defenſos mœrore nos lætificet, mentem noſtrã miſerationis ſuæ ſubſidio muniat, & remedia gaudij ſempiterna nobis clementer adtribuat. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.

Capvt VIII.

MISSA IN VENERATIONE Vnius Apoſtoli.

C Deus qui fidelium mentes vnius efficis voluntatis, interceſſione B. Apoſtoli tui, da nobis id amare quod præcipis, id deſiderare quod promittis, vt inter mundanas varietates ibi noſtra ſint fixa corda, vbi vera ſunt gaudia. Per Dominum.

Lectio Epiſtolæ B. Pauli Apoſtoli, ad Epheſios.

Fratres, Iam non eſtis hoſpites & aduenæ, ſed eſtis ciues Sanctorum, & domeſtici Dei.

Sequentia S. Euangelij ſecundum Ioannem.

In illo tempore, Dixit Simon Petrus D ad Ieſum: Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te.

Secreta.

His nobis Domine myſteriis ſupplicatione B. Apoſtoli tui conferatur, quo terrena deſideria mitigantes, diſcamus amare cæleſtia, & de die in diem ad cæleſtis vitæ transferamur, purificatis mentibus actionem. Per Dominum.

Poſt Commun.

Tribue nobis Domine, intercedente B. Apoſtolo tuo, cæleſtis menſæ virtutis ſo- E cietatem, & deſiderare quæ recta ſunt, & deſiderata percipere. Per Dominum.

Capvt IX.

MISSA IN VENERATIONE plurimorum Apoſtolorum.

Beatorum Apoſtolorum nos Domine, quæſumus, continuã oratione cuſtodi, vt iiſdem ſuffragatoribus dirigatur Eccleſia, quibus principibus gloriatur. Per.

Lectio Epiſtolæ B. Pauli Apoſtoli, ad Romanos.

Fratres, Corde enim creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem.

Sequentia S. Euangelij ſecundum Ioannem.

In illo tempore, Dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Hoc eſt præceptum meum, vt diligatis inuicem, ſicut dilexi vos. Maiorem.

Secreta.

Reſpice Domine, quæſumus, munera, quæ in ſanctorum tuorum Apoſtolorum N. commemoratione deferimus, vt quorum tibi grata ſunt honore, eorum nobis interceſſione ſint ſalubria. Per Dominum.

Præfatio.

D. & iuſtum eſt, vſque; æterne Deus. Suppliciter exorantes, vt gregem tuum paſtor æterne non deſeras, ſed per beatos Apoſtolos tuos N. continua protectione cuſtodias, vt iiſdem rectoribus dirigatur, quos operis tui vicarios, eidem contuliſti præeſſe paſtores. Per Chriſtum Dominum.

Poſt Commun.

Pignus vitæ æternæ capientes humiliter imploramus, Apoſtolicis vt fulti patrociniis, quod in imagine contingimus, ſacramenti manifeſta perceptione ſumamus. Per.

Super populum.

Protector in te ſperantium Deus, familiam tuam propitius reſpice, & per beatos Apoſtolos N. à cunctis etiam aduerſitatibus potentiæ tuæ nos brachio defendas. Per Dominum noſtrum.

Capvt X.

MISSA IN VENERATIONE Vnius Martyris.

Deus in te ſperantium fortitudo, Martyris tui interceſſione præclara, adeſto propitius inuocationibus noſtris, & quia ſine te nihil poteſt mortalis infirmitas, præſta nobis auxilium gratiæ tuæ, vt exequendis mandatis tuis, & voluntate tibi & actione placeamus. Per Dominum noſtrũ.

Super Oblata.

Suſcipe Domine fidelium preces cum oblationibus hoſtiarũ, vt orationibus glorioſi Martyris tui per hæc piæ deuotionis officia remiſſionem omnium peccatorum percipiamus, & ad cæleſtem gloriam tranſeamus. Per Dominum noſtrum.

Poſt Commun.

Sumptis, Domine, muneribus, quæſumus, vt beato Martyre tuo intercedente, ſancti nominis tui timorem pariter & amorem facias nos habere perpetuum, vt cum frequentatione myſterij, creſcat noſtræ ſalutis effectus. Per Dominum.

Capvt XI.

MISSA VNIVS APOSTOLI ſiue Martyris vel Confeſſoris.

In Vigilia.

Concede nobis, quæſumus, omnipotens Deus, venturam beati N. Apoſtoli, Confeſſoris vel Martyris ſolennitatem, congruo præuenire honore, venientem digna celebrare deuotione. Per Dominum.

Secreta.

Accepta tibi ſit Domine noſtræ deuotionis oblatio, & ad Apoſtolicam puriores faciat nos venire feſtiuitatem. Per.

Poſt Commun.

Benedictionis tuæ Domine gratiam, intercedente beato Apoſtolo tuo, Confeſſore, vel Martyre N. ſuſcipiamus; vt cuius præueniendo gloriam celebramus, eius ſupplicando auxilium ſentiamus. Per.

ITEM MISSA IN DIE.

Deus, qui es omnium Sanctorum tuorum *ſplendor mirabilis*, quiq; hunc diem *Apoſtoli tui N. martyrio* conſecraſti, da *Eccleſiæ tuæ* de natalitia tanti Pontificis feſtiuitate lætari, vt apud miſericordiam tuam, exemplis eius protegamur & meritis. Per Dominum.

Lectio libri Sapientiæ.

Beatus vir qui inuentus eſt ſine macula, & qui poſt aurum non abiit.

Sequentia S. Euangelij ſecundum Matthæum.

In illo tempore, Dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Amen, amen, dico vobis: Niſi granum frumenti.

Secreta.

Beati Apoſtoli tui N. Domine ſolennia recenſentes,* vt eius auxilio tua beneficia capiamus, pro quo tibi hoſtias laudis offerimus. Per Dominum.

Poſt Commun.

Perceptis Domine ſacramentis ſuppliciter exoramus, intercedente beato N. Apoſtolo tuo, vt quæ pro illius veneranda gerimus paſſione, nobis proficiant ad medelam. Per Dominum noſtrum.

Alia.

Da nobis Domine, quæſumus, Deus noſter, beati Apoſtoli tui N. interceſſionibus ſubleuari, vt per quos Eccleſiæ tuæ ſuperni muneris rudimenta donaſti, per eos ſubſidia perpetuæ ſalutis impendas. Per Dominum noſtrum.

Capvt XII.

MISSA PLVRIMORVM Martyrum.

Deus qui ſanctis Martyribus ad ſempiternam gloriam veniendi copioſum munus gratiæ contuliſti, da nobis famulis tuis noſtrorum veniam peccatorum, vt Sanctorum tuorum intercedentibus meritis, ab omnibus mereamur aduerſitatibus liberari, quatenus ad eorũ nos facias gaudia æterna pertingere, de quorum nos virtute tribuis quotidiana ſolẽnitate gaudere. Per.

Lectio libri Apocalyp. B. Ioannis Apoſt.

In diebus illis, vidi turbam magnam, quam dinumerare.

Sequentia S. Euangelij ſecundum Matthæum.

In illo tempore, videns Ieſus turbas, adſcendit in montem. Et cum ſediſſet, acceſſerunt ad eum diſcipuli eius; & aperiens os ſuum, docebat eos, dicens: Beati pauperes ſpiritu, quoniam.

Super Oblata.

Suſcipe Domine munera, quæ tibi in honore ſanctorum Martyrum tuorum de tua largitate deferimus, vt eorum interceſſionibus hæc ſacroſancta myſteria, gratiæ tuæ operãte virtute, præſentis vitæ nos conuerſatione ſanctificent, & ad gaudia ſempiterna perducant. Per.

Poſt Commun.

Sit nobis Domine reparatio mentis & corporis cæleſte myſterium, cuius operatione precamur, vt vitia noſtra purgentur, & intercedentibus ſanctis Martyribus tuis, iuſta deſideria compleantur. Per.

Alia.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui abundantia pietatis tuæ & merita ſupplicum excedis, & vota, effunde ſuper nos miſericordiam tuam, vt meritis Martyrũ tuorum dimittas nobis omnia quæ conſcientia metuit, & abiicias quæ oratio non præſumit. Per.

CAPVT XIII.

MISSA IN ECCLESIA Sanctorum Martyrum.

PRopitiare Domine nobis famulis tuis per horum Martyrum tuorum, qui in præſenti requieſcunt Eccleſia, merita glorioſa, vt eorum pia interceſſione ab omnibus protegamur aduerſis. Per Dominum.

Lectio libri Sapientiæ.

Lingua ſapientium ornat ſcientiam, os fatuorum ebullit ſtultitiam.

B

Sequentia S. Euangelij ſecundum Lucam.

In illo tempore, dixit Ieſus diſcipulis ſuis, Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes.

Secreta.

Suſcipiat Eccleſia * tua Domine, quæſumus, de manibus veſtris * munus oblatum, & per horum beatorum Martyrum tuorum orationẽ, ab omnibus nos emundet peccatis. Per.

*clementia
* noſtris.

Ad Complendum.

C

Diuina libantes myſteria, quæ pro ſanctorum Martyrum tuorum veneratione tuæ obtulimus maieſtati, præſta, quæſumus Domine, vt per ea veniam mereamur peccatorum, & cæleſtis gratię donis reficiamur. Per Dominum.

Alia.

Da æternæ conſolationis pater, per beatorum Martyrum tuorum preces populo tuo pacem & ſalutem, vt tuis tota dilectione inhæreant præceptis, & quæ tibi placita ſint, tota perficiant voluntate. Per Dominum noſtrum.

D

CAPVT XIIII.

IN NATAL. SANCTORVM, quorum reliquiæ in vna domo ſunt.

COncede, quæſumus, omnipotẽs Deus, vt ſancta Dei Genitrix, ſanctiq; tui Apoſtoli, Martyres, Cõfeſſores, Virgines atque omnes Sancti, quorum reliquiæ in iſta continentur Eccleſia, patrocinia nos vbique adiuuent, quatenus hîc illorum præſenti ſuffragio tranquilla pace in tua laude lætemur. Per.

E

Item alia.

Auxilium tuum nobis, Domine, quæſumus, placatus impende, & intercedentibus Sanctis tuis, quorum in hac præſenti Eccleſia patrocinia colligere curauimus, fac nos ab omni aduerſitate liberari, & in

A æterna lætitia gaudere cum illis. Per.

Munera tuæ miſericors Deus maieſtati oblata benigno, quæſumus, ſuſcipe intuitu, vt eorum nobis precibus fiant ſalutaria, quorum ſacratiſſimæ in hac Baſilica reliquiæ ſunt reconditæ. Per Dominum.

Poſt Commun.

Diuina libantes myſteria, quæſumus Domine vt eorum nos vbiq; interceſſio protegat, quorum hîc ſacra gaudemus præſentia. Per Dominum.

Super populum.

Exaudi Domine Deus clementer in hac domo tua preces ſeruorum tuorum, quatenus illorum meritis tuam conſequamur gratiam, quorum hîc patrocinia veneramur. Per.

CAPVT XV.

MISSA QVOTIDIANA Sanctorum.

DEus qui nos beatæ Mariæ ſemper Virginis, & beatorum Apoſtolorũ, Martyrum, Confeſſorum, Virginum atq; omnium ſimul Sanctorum continua lætificas ſolennitate, præſta, quæſumus, vt quos quotidiano veneramur officio, etiam piæ conuerſationis ſequamur exemplo. Per.

Secreta.

Munera tibi Domine noſtræ deuotionis offerimus, quæ & pro tuorum tibi grata ſint honore Sanctorum, & nobis ſalutaria, te miſerante, reddantur.

Poſt Commun.

Præſta, quæſumus, Domine nobis intercedentibus omnium Sanctorum tuorum meritis, vt quæ ore contingimus, puro corde capiamus. Per Dominum noſtrum.

Super populum.

Fac nos, Domine Deus, ſanctæ Mariæ ſemper virginis ſubſidiis adtolli, & glorioſa beatorum Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum, Virginum, omniúmque ſimul Sanctorum protectione defendi, vt dum eorum pariter quotidie feſta celebramus, eorum pariter quotidie ab omnibus aduerſis protegamur auxilio. Per.

CAPVT XVI.

MISSA PRO INIMICIS.

DEus pacis charitatiſque amator & cuſtos, da omnibus inimicis noſtris pacem charitatémque veram, cunctorúmq; eis remiſſionem tribue peccatorum, nóſque ab eorum inſidiis potenter eripe. Per.

Secreta.

Oblatis Domine, quæſumus, placare muneribus: & nos ab inimicis noſtris clementer eripe, eiſque indulgentiam tribue delictorum. Per Dominum noſtrum.

Ad Complendum.

Deus qui famulos tuos, Moyſen, Samuel, & Stephanum protomartyrem virtute patientiæ donaſti, vt pro ſuorum delictis inimicorum æquanimiter exorarent; da nobis, quæſumus, omnium meritis Sanctorum, vt inimicos noſtros veræ dilectionis amore diligamus, eorúmque pro exceſſibus tota mentis intẽtione preces aſſiduas in conſpectu maieſtatis tuæ fundamus. Per.

Capvt XVII.

Missa pro confitente peccata ſua.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui es verus, ſanctus, & Sanctorum omnium protector, tibi pio Domino deuotis mentibus hoſtias laudis offerimus, ſuppliciterque pro famulo tuo N. deprecamur, vt ei indulgẽtiam tribuas omnium delictorum ſuorum, & ne iterum ad voluntatem peccati redeat, propitius eum cuſtodire digneris. Per Dominum noſtrum.

Secreta.

Suſcipe clementiſſime pater hoſtiam placationis & laudis, quas ego indignus & peccator famulus tuus tibi offerre præſumo ad honorem gloriæ nominis tui, & pro incolumitate famuli tui N. vt omniũ delictorum ſuorum veniam conſequi mereatur. Per Dominum noſtrum.

Poſt Commun.

Precamur Domine, vt intercedentibus Sanctis tuis pro famulo tuo N. indulgentiam ei tribuas omnium peccatorum, opus eius in bonum perficias, nam & gratiam tuam ei concedas, fide, ſpe & charitate eum repleas, mentem eius ad cæleſtia deſideria erigas, & ab omni diuerſitate eum defendas, & ad bonam perſeuerantiam perducas. Per Dominum.

Capvt XVIII.

Missa pro salvte vivorum, & requie mortuorum.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui viuorum dominaris ſimul & mortuorum, omniumque quos tuos fide & opere futuros eſſe prænoſcis, te ſuppliciter exoro, vt pro quibus effundere preces decreui, quóſque vel præſens ſeculum adhuc in carne retinet, vel futurum iam exutos corpore ſuſcepit, pietatis tuæ clementia, delictorum ſuorum veniam cõſequantur. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.

Secreta.

Deus, cui ſoli cognitus eſt numerus electorum in ſuperna felicitate locandorum: tribue quęſo, vt vniuerſorum, quos in oratione commendatos ſuſcepi, vel omnium fidelium nomina, beatæ prædeſtinationis liber aſſcripta retineat. Per Dominum.

Poſt Commun.

Diuinæ largitor, & humanæ ſalutis amator, quæſumus clementiam tuam, vt nomina famulorum famularumque tuarum, quæ hîc pio dilectionis officio pariter conſcripſimus, in libro vitæ, miſerationis tuæ gratia, iubeas conſcribi. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.

Quæ ſequuntur, ex eodem codice Appendicis loco ſubiecta ſunt.

Benedict. diversæ.

Benedicat te Dominus ex Sion qui fecit cælum & terram, in ſapientia ſua benedictione æterna, qui benedixit omnes ſanctos Patres noſtros & Patriarchas noſtros, Abraham, Iſaac & Iacob, & multiplicet in te gratiam ſuam ſpiritalem, ſicut multiplicauit ſemen eorum tanquam ſtellas cæli, & velut arenam quæ eſt in littore maris, ipſe protegat atque defendat omnibus diebus vitæ tuæ, & perducat te in regnum gloriæ ſuæ. Amen.

Adſpiciat in te creator æternus, conſeruet in te gratiam ſuam, quam ſuper te infudit, mentem tuam regat, vias tuas dirigat, cogitationes tuas in bono illuſtret, roboret ac confirmet, præterita peccata indulgeat, præſentia ac futura protegat ac defendat, ſit manus Domini auxiliatrix tui, & brachium ſanctum eius tibi auxilium cõcedat omnibus diebus vitæ tuæ. Amen.

Benedicat Dominus corda & corpora noſtra, & det ſuper nos benedictionem, ſicut Iſaac benedixit Iacob. Manus Domini ſuper nos, mittat angelum ſuum cuſtodem, qui cuſtodiat nos in omnibus viis noſtris, perficiátq; greſſus noſtros, vt non moueantur veſtigia noſtra; foris nos protegat atque defendat, intus corroboret & confirmet in omni bono & felicitate. Amen.

COLLECTA SVPER IVDICIVM dicenda.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui tua iudicia incommutabili diſpoſitione iuſtus vbique iudex decernis, tu clemens in hoc tuo iudicio, ad inuocationẽ ſancti tui nominis, quod à te fidelium intentio implorat, tua iuſtiſſima examinatione declara. Per.

Item alia.

Deus iudex iuſtus, fortis & patiens, qui author pacis es, & iudicas æquitatem. Tu iudica quod iuſtum eſt Domine, & rectum iudicium tuum: qui reſpicis ſuper terram, & facis eam tremere. Tu Deus omnipotens, qui per aduentũ filij tui Domini noſtri Ieſu Chriſti mundum ſaluaſti, & per ſanctiſſimam eius paſſionem genus humanum redemiſti. Tu hanc aquam igne feruentem, ſiue ferrum calidum ſanctifica, qui tres pueros, id eſt, Sidrac, Miſac & Abdenego, iubente rege Nabuchodonoſor, in camino ignis, accenſa fornace, ſaluaſti illæſos, & per angelum tuum eduxiſti. Tu clemens ſanctiſſime dominator præſta, vt ſi innocens de hoc furtu vel de ſtupro in aquam hanc igne feruentem ſiue ferrum calidum manum ſuam miſerit, ſicut tres pueros ſuprà dictos in camino ignis ſoluiſti, & Suſannam de falſo crimine liberaſti, ita de hac aqua igne feruente, ſiue ferro calido, manum ſaluam & illæſam educat. Si verò culpam ingrauante diabolo, cor induratum præſumpſerit in hanc aquam igne feruentem, ſiue ferrum calidũ, manum ſuam mittere, tua iuſtiſſima veritas hoc declarat, & in huius corpore tuam veritatem manifeſta; vt anima per pœnitentiam ſaluetur. Et ſi culpabilis per aliqua maleficia, aut per herbas, peccata ſua contueri voluerit, tua dextera hoc euacuare dignetur. Per vnigenitum Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filium tuum, qui tecum viuit & regnat Deus, in vnitate Spiritus ſancti, per omnia ſecula ſeculorum. Amen.

ORATIONES AD HORAS Canonicas.

Oratio ad Primam.

Deus, qui ad principiũ iſtius diei per tuã gratiam nos peruenire feciſti, tua nos ſalua virtute; vt in hac die ad nullum declinemus peccatum, ſed ſemper ad tuam iuſtitiam faciendam noſtram procedant eloquia. Per Dominum.

Oratio ad Tertiam.

Domine Deus Ieſu Chriſte, qui hora diei tertia ad crucem paſſionis pro mundi ſalute ductus es; te ſupplices deprecamur, vt noſtra deleas peccata, & vt de præteritis malis noſtris ſemper inueniamus veniam, & de futuris iugiter habeamus cuſtodiam. Qui viuis.

Oratio ad Sextam.

Domine Deus Ieſu Chriſte, qui hora ſexta pro redemptione mundi crucis lignum aſcendiſti, vt vniuerſus mundus, qui in tenebris erat, illuminaretur; te ſupplices deprecamur, vt illam lucem nobis in animo & corpore noſtro ſemper tribuas, per quam ad vitam æternã peruenire mereamur. Qui viuis.

Oratio ad Nonam.

Domine Deus Chriſte Ieſu, qui hora nona de crucis patibulo confitentem latronem ad gloriam paradiſi tranſire feciſti, te ſupplices deprecamur, vt poſt obitum noſtrum in paradiſi portas nos facias introire gaudentes. Qui viuis & regnas.

ORATIONES DE S. CRVCE.

Adeſto familiæ tuæ clemens & miſericors Deus, vt in aduerſis & proſperis preces exaudias, & per auxilium S. Crucis nefas aduerſariorum digneris conterere, vt portum ſalutis tuæ valeant apprehendere. Per Dominum noſtrum Ieſum.

Deus cui cunctæ obediunt creaturæ, & omnia verbi tui feciſti ſapientia, ſupplices quæſumus, ineffabilem clementiam tuam, vt quos per lignum ſanctæ crucis, filij tui pio cruore dignatus es redimere, tu qui es lignum vitæ, paradiſique reparator, omnibus in te credentibus dira ſerpentis venena extingue, & per gratiam ſancti Spiritus poculum ſalutis ſemper infunde. Per.

ORATIONES AD CRVCEM dicendæ.

Cunctis nos, quæſumus, Domine reatibus & periculis clementer abſolue, quos per lignum ſanctæ crucis redimere dignatus es. Qui viuis & regnas.

Tueatur, quæſumus, Domine dextera tua populum ſupplicantem, & glorioſa filij tui paſſione ab omnibus peccatis abſoluat. Per Dominum noſtrum.

Tua nos miſericordia, Deus, per virtutem ſanctæ crucis, ab omnibus tueatur aduerſis, & remediis ſempiternis inſtauret. Per Dominum.

Adeſto ſupplicationibus noſtris omnipotens Deus, & quos triumpho crucis redemiſti, ab omnibus aduerſitatibus & peccatis vbique defende. Qui.

Præſta, quæſumus, omnipotens & miſericors Deus, vt virtute ſanctæ crucis, ab omni aduerſitate mentis & corporis liberemur. Per Dominum noſtrum Ieſum.

Quæſumus, omnipotens Deus, vt ab omni tribulatione liberemur, quos filij tui paſſione redemiſti. Qui tecum.

Abſolue, quæſumus, Domine noſtrorum vincula peccatorum, & virtute ſanctę crucis nos vbique cuſtodi. Per.

Peccata noſtra Domine, quibus impugnamur, virtute ſanctæ crucis expelle, & tua miſeratione nos ab omni aduerſitate defende. Per Dominum.

Tua nos, quæſumus Domine, protectione cuſtodi, & viuificæ crucis vexillo ab omnibus peccatis abſolue per te Ieſu Chriſte, qui per trophæum ſanctæ crucis mundum redimere dignatus es. Concede propitius, vt qui redemptione lætamur, æternis gaudiis, te donante, perfrui mereamur. Qui viuis.

ORATIONES DE S. MARIA.

Concede nos famulos tuos, quæſumus Domine Deus, perpetua mentis & corporis ſanitate gaudere, & glorioſa beatæ Mariæ ſemper virginis interceſſione, à præſenti liberari triſtitia, & futura perfrui lætitia. Per Dominum.

Omnipotens Deus, famulos tuos dextera potentiæ tuæ à cunctis protegat periculis, & beata Maria ſemper virgine intercedente, fac eos præſenti gaudere proſperitate & futura. Per.

Porrige nobis dexteram tuam, & per interceſſionem beatæ & glorioſæ ſemperque virginis Dei genetricis Mariæ, auxilium nobis ſupernæ virtutis impende. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.

Protege Domine famulos tuos ſubſidiis pacis, & beatæ Mariæ patrociniis confidentes à cunctis hoſtibus redde ſecuros. Per Dominum.

Beatæ & glorioſæ ſemperque virginis Dei genetricis Mariæ nos Domine, quæſumus, merita proſequantur, & tuam nobis indulgentiam ſemper implorent. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filium tuum, qui.

BENEDICTIO CANONICORVM.

Præſta Domine, quæſumus, famulis tuis renunciantibus ſecularibus pompis, gratię tuæ ianuas aperiri, qui deſpecto diabolo confugiunt ſub titulo Chriſti. Iube venientes ad te ſereno vultu ſuſcipi, ne de eis inimicus valeat triumphare. Tribue eis brachium infatigabile auxilij tui, mentes eorum fidei lorica circunda, & felici muro vallati, mundum ſe gaudeant euaſiſſe. Per Dominum noſtrum.

ORATIO SVPER HEBDOMADARIOS.

Deus, cui ſemper humiliũ accepta ſunt vota animarum, reſpice propitius ſuper horum ſeruorum tuorum fratrum noſtrorum obſequia, & ad tuam fac eos pertingere gratiam: vt quia nunc huius hebdomadæ ſeruitia deuota mente compleuerunt, pleniſſimam atque largiſſimam veniam conſequantur. Per Dominum noſtrum Ieſum.

Miſericors ac piiſſime Deus, qui vbiq; famulos tuos tueris ac iuuas, horum ſeruorum tuorum fratrum noſtrorum accumula votum, auge deſiderium, vt rectè fratribus ſuis impendant ſeruitia. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.

ORATIONES AD MANDATVM:

Adeſto Domine officio noſtræ ſeruitutis, quia tu pedes lauare dignatus es tuis diſcipulis, ne deſpicias opera manuũ tuarum quæ nobis retinenda mandaſti, vt ſicut hîc exteriora abluuntur inquinamenta, ſic à te omnium noſtrorum interiora lauentur peccata. Quod ipſe præſtare.

Deus qui diſcipulorum tuorum pedes abluens, pio affectu eis exemplum præbuiſti, mandatúmque dediſti: concede propitius, vt per obſequium mandatorum tuorum, eorum obtentu de tuo ſine fine lætemur adſpectu. Qui viuis & regnas.

MAGISTRI

ALBINI FLACCI ALCHVVINI

HOMILIÆ III.

De Silentio, in quo miſſum eſt incarnatum Verbum.

HOMILIA I.

Dum medium ſilentium tenerent omnia.

TRIA ſunt ſilentia. Primum ſilentium eſt ignorantia languoris. Secundum ſilentium eſt deſperatio curationis. Tertium ſilentium eſt adeptio ſanitatis. Primum ſilentium fuit ante legem, ſecundum inter legem & gratiam, tertium erit poſt hanc vitam. Primum ergo ſilentium fuit quando homo non agnouit morbum ſuum, & ideò ſiluit, nec quærebat remedium. Sed poſtquàm lex ſubintrauit, & oſtendit languidis vulnera ſua, ſtatim ruptum eſt ſilentium, & cœperunt mox ægri ſalutem quærere. Sed quia per opera legis, vbi ſalus non erat, ſaluari volebant, quod quærebant inuenire non potuerunt. Tandem igitur cōſiderans homo per legem neminem iuſtificari poſſe, quaſi per diuturnos clamores fatigatus, & iam deſperans, rurſus loqui ceſſauit, & ſubſecutum eſt ſecundum ſilentium. Tunc ergo omnipotens Verbum Dei Patris in carne veniens, rupit ſilentium, locutum eſt pacem, dedit gratiam, propoſuit miſericordiam, promiſit veniam: & cœperunt ægri currere ad medicum, & quaſi magnis clamoribus, ſic pura fide cordis & vera confeſſione oris flagitare remedium. Hoc itaque nunc in præſenti vita agitur, vt homo per gratiam Dei ſanitatem recipiat. Sed cùm plenam ſanitatem receperit, & ad illam felicitatē immortalitatis perductus fuerit, nō erit ampliùs quod petat. Et tunc ſequetur tertium illud beatum ſilentium, quod nunquam habebit finem. Inter primum & medium ſilentium multa ſonuerunt verba, inter medium & vltimum ſilentium ſonat vnum verbum. Multa verba, fuerunt multiplicia legis mandata, quæ per Moyſen data eſt. Vnum verbum eſt gratia Dei, quæ per Ieſum Chriſtum facta eſt, vel potius Ieſus Chriſtus eſt. Moyſes famulus Dei multa verba, multos ſermōnes protulit: Deus Pater vnum Verbum, vnum ſermonē miſit. Sed ſermones Moy-
A ſi omnipotentes non fuerunt, quia quod dicebant facere non potuerunt: & ideo tandem quandoque in promiſſione deficiendo ſiluerunt, & tunc omnipotens Verbum venit, ſermo Dei qui non ſolum dixit, ſed quæcunque dixit, imò quæcunque voluit fecit. Iſte ſermo, iſtud verbum adhuc loquitur, quandiu in fidelibus promiſſiones ſuas operatur. At cùm promiſſa impleuerit, quaſi tunc loqui ceſſabit: cùm autem promiſſa impleta fuerint, quia ampliùs quod petatur non erit, felix in ſem-
B piternum ſilentium erit.

Dum ergo medium ſilentium tenerent omnia. Bene omnia, hoc eſt, non ſolùm illi, qui in petitione deſperabant, ſed & illi qui in promiſſione defecerant: *Et nox in ſuo curſu medium iter haberet.* Nox etenim in ſacra Scriptura aliquando pro diabolo, aliquando pro membris eius, id eſt peccatoribus & iniquis, aliquando pro ipſo peccato, aliquando pro præſenti vita accipitur. Per noctem ergo in hoc loco mortalis
C huius vitæ fluxus ſignatur, ſicut per diem alibi claritas vitæ perpetuæ. Nox iſta habet veſperam, dies illa habet auroram. Veſpera præſentis noctis fuit inclinatio huius diei: aurora illius diei, inclinatio huius ſeculi. Veſpera huius noctis fuit, ex quo Adam peccauit, donec accepta mortis ſententia, à paradiſo pulſus, in tenebras huius mundi exiit. Aurora ſequentis diei eſt à reſurrectione Chriſti vſque in finem ſeculi: ergo iſta vita nox eſt. Sed quis eſt
D curſus vitæ iſtius? Videamus quò currat. Per mortalitatem currit in mortem, per mortem currit in damnationem. Igitur vita mortalis deorſum currit, ſicut vita immortalis ſurſum. Iter ſurſum eſt in cælis, iter deorſum in inferis, iter medium ſtadium vitæ præſentis, quod naſcendo intramus, viuendo percurrimus, moriendo eximus. Quando ergo nox in ſuo curſu medium iter habuit, niſi quando mors vniuerſos, quos in ſtadio vitæ præſentis re-

perit, ſecum ad inferos traxit, & nemo adhuc mortalium ad vitam immortalium aſcendere potuit? Vel per noctem accipere poſſumus peccatum, quæ videlicet nox ab originali peccato cœpit, & per actualia cucurrit. Quando ergo poſt originalē præuaricationē, primùm præuaricatione naturalis legis, ac deinde ſcriptæ legis præuaricatione ſuccedēte, peccatum ad ſummum incrementum venerat, quaſi nox in ſuo curſu medium iter habebat. Sed iſta nox vera luce appetente, mox deorſum vergere cœpit, & nunc quaſi quadam alterna mutatione paulatim decreſcens elongatur, quouſque lux creſcendo ad plenum diem perueniat. Vide ergo ordinatiſſimum diuinæ diſpenſationis conſilium. Quando omnis recuperandæ ſalutis ſpes perierat, mors omnia ſecum deorſum rapiebat, peccatum ad ſummum venerat: tunc omnis ſermo liberandis mittitur, vt ampliùs diuinæ gratiæ commendetur. Venit, inquit. Quis? vnde? quò? Sermo altiſſimi, Verbum Dei, vnicus Patris, Rex filius Regis. De conſeſſu Patris ad tolerātiam paſſionis. De æqualitate maieſtatis ad patibulum crucis. De ſede regali ad officinam peccati. De lumine cæli vſque ad tenebras inferni. Sed nūnquid ideò regnum perdidit? Imò eos, qui ſerui erant peccati, liberans, vſque ad conregnandum ſibi ſublimauit. Et ideò fortaſſis à regalibus ſedibus venit, quia in domo Patris eius manſiones multæ ſunt, & regnabunt cum illo in æternum, cùm acceperint regnū quod paratum eſt ab initio ſeculi. Vnicus enim Regis erat, ſolus regnum habuit. Sed quia ad conregnandū ſibi fratres adoptare venit, iam non à ſede regali, ſed à ſedibus regalibus venire debuit; quia regnum, ad quod vocantur electi Dei, præparatum eſt ab initio ſeculi.

Ioan. 14.
Matth. 25.

IN NATIVITATE BEATÆ MARIÆ VIRGINIS,

HOMILIA II.

Liber generationis Ieſu Chriſti, filij Dauid, filij Abraham, &c.

BEATVS Matthæus Euangeliſta, dilectiſſimi, non immeritò inter cætera cæleſtium ſecretorum animalia, facie Hominis deſcribitur: quia longè ab antiquis Patribus exordium Euangelij ſumens, lucidiùs cæteris genealogiam Dominicæ humanitatis prænotauit. Sed ſciendum eſt, quia horum omnium nomina allegorici & moralis ſenſus pleniter in ſe contineant intellectus. Abraham pater multarū gentium, Iſaac gaudium, Iacob ſupplantator, Iudas confeſſio interpretatur. Phares diuiſio, Zara oriens, Eſrom ſagittam videns, Thamar palma dicitur. Aram electus, Aminadab populus ſpontaneus, Naaſon augur fortis, Salmō ſenſibilis accipitur. Booz in ipſo fortitudo, Rahab lata, Obeth ſeruiens, Ruth feſtinans ſubauditur. Ieſſe incendium, Dauid manu fortis vel deſiderabilis, Salomon pacificus, Vrias lux mea Deus, Bethſabee filia iuramenti ſubintelligitur. Roboam latitudo populi, Abia pater Dominus, Aſa tollens, Ioſaphat Dominus iudicauit exprimitur. Ioram excelſus, Ozias robuſtus Domini, Ioathan perfectus, Achaz apprehendens dicitur. Ezechias fortitudo Domini, Manaſſes obliuioſus, Amon fidelis, Ioſias ſalus Domini interpretatur. Iechonias præparatio Domini, Salathiel petitio mea Deus, Zorobabel iſte magiſter, Abiud pater meus iſte ſubauditur. Eliachim Dei reſurrectio, Azor adiutus, Sadoch iuſtus, Achim frater meus ſubintelligitur. Eliud Deus meus, Eleazar Deus adiutor. Mathan donum, Iacob ſupplantator exprimitur. Ioſeph appoſitus ſiue auctus, Maria illuminatrix ſiue ſtella maris, Ieſus ſaluator, Chriſtus vnctus interpretatur.

Ezech. 1.

Igitur per hos Patriarchas Chriſtus Dominus Deus noſter veniens in mundum, horum omnium in ſeipſo allegoricè geſſit officium, & in eorum interpretatione nominum noſtram ſalutem deſignauit. In Abraham pater eſt cunctorum credentium, *in quo*, iuxta Apoſtolū, *clamamus, Abba Pater.* In Iſaac gaudium eſt omnium fideliū, de quo Angelus dixit: *Ecce annuncio vobis gaudium magnum, quod erit omni populo.* In Iacob ſupplantator eſt, quia ipſe ſubneruauit & contriuit diabolum vaſtatorem humani generis, & vaſa eius diripuit. In Iuda confeſſio, quia ipſe dixit: *Confitebor tibi Pater, Domine cæli & terræ.* In Phares diuiſio, quia ſegregat oues ab hœdis, id eſt, bonos à malis, electos à reprobis. In Zara oriens, ſicut ſcriptum eſt, *Viſitauit nos Oriens ex alto.* In Thamar palma victoriæ, ſicut ipſe dixit: *Confidite, ego vici mundum.* In Aram electus, de quo Pater loquitur: *Ecce puer meus quem elegi, electus meus: dedi ſuper eum ſpiritum meum.* In Aminadab populus ſpōtaneus, qui ſponte poſuit animam ſuam,

Rom. 8. Luc. 2. Matth. 11. Matth. 25. Luc. 1. Ioan. 16. Eſai. 42.

vt nos efficeret populum ſibi ſpontaneũ, A Deóque acceptabilem. In Naaſon augur, Matth. 25. id eſt, Propheta fortis, cùm dicit: *Cùm venerit filius hominis in maieſtate ſua, tunc ſedebit vt iudicet orbem terræ in æquitate.* In Salmone ſenſibilis, id eſt, intellectualis, de Luc. 11. quo ſcriptum eſt: *Ipſe autem vt vidit cogitationes eorum.* & iterum: Pſal. 93. *Dominus nouit cogitationes hominum: & ſcrutans corda & renes Deus.* In Booz fortitudo in ipſo eſt, quia à nemine fortitudinem accepit, de quo Pſal. 23. dictum eſt: *Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio.* Et ipſe in Euangelio: B Ioan. 12. *Omnia traham ad meipſum.* In Rahab latitudo potentiæ eius exprimitur, quem totus non capit orbis, & cuius regni non erit finis. In Obeth ſeruiens, quia non venit miniſtrari, ſed miniſtrare, formam ſerui acci- Luc. 1. piens. In Ruth, feſtinans ad ſalutem noſtram, qui feſtinanter vult omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis Matth. 4. venire, dicens in Euangelio: *Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cælorum.* In Luc. 12. Ieſſe incendium agnoſcitur, vt ait: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo niſi vt ar-* C *deat?* Matth. 3. Et ſicut Ioannes dixit: *Ipſe vos baptizabit in Spiritu ſancto & igne.* In Dauid deſiderabilis, quia ſpecioſus erat forma præ filiis hominum. In eodem manu fortis, Ioan. 2. quando flagellum de funiculis in manu tenens, immenſam vendentium & ementium multitudinem eiecit de templo: vel quando diabolum vicit, & calumniatorem noſtrum contriuit. In Salomone pa- Ioan. 14. cificus, ſicut ipſe dixit: *Pacem relinquo vobis,* Epheſ. 2. *pacem meam do vobis.* & Apoſtolus: *Ipſe eſt pax noſtra, qui fecit vtraque vnum.* In Beth- D ſabee filius iuramenti, de quo dictum eſt: Pſal. 109. *Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum: Tu es Sacerdos in æternum.* In Roboam latitudo populi eſt, cùm dicit Matthæi VIII. *Multi ab Oriente & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, & Iſaac, & Iacob in regno cælorum.* In Abia Pater Dominus, qui ait Matthæi XXIII. *Nolite vobis patrem vocare in terra: vnus eſt enim Pater veſter, qui in cælis eſt.* Ioan. 1. In Aza tollens, de quo Ioannes: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* In Ioſaphat iudex, quia ipſe eſt iudex viuorum & E Ioan. 5. mortuorum, ſicut ipſe ait: *Pater non iudicat quenquam, ſed omne iudicium dedit Filio.* In Ioram excelſus, quia ipſe aſcendit ſuper omnes cælos, vt adimpleret omnia: & ſicut Pſal. 112. Pſalmiſta dicit, *Excelſus ſuper omnes gentes Dominus, & ſuper cælos gloria eius.* In Ozia robuſtus Domini, quia ipſe captiuitatem humani generis in manu robuſta liberauit, & in alta cælorum deduxit. In Ioathan perfectus, ſicut in Euangelio ait Matth. III. *Nos enim decet implere omnem iuſtitiam.* In Achaz apprehendẽs, qui cælum palmo ponderauit, & terram pugillo concluſit. In Ezechia fortitudo Domini, quia iuxta Apoſtolum, *Chriſtus eſt Dei virtus & Dei ſapientia.* 1. Cor. 1. In Manaſſe obliuioſus iniquitatis, ſicut ſcriptum eſt Ezechielis XVIII. *In qua die conuerſus peccator fuerit ab iniquitate ſua, omnium iniquitatum eius non recordabor.* In Amon fidelis, iuxta Paulum Hebr. II. vt miſericors fieret, & fidelis Pontifex ad Deum: & iuxta Ioannem, *Qui eſt teſtis fidelis.* Apoc. 1. In Ioſia ſalus Domini, quia omnis quicumque inuocauerit nomen Domini, ſaluus erit. In Iechonia præparatio Domini, qui ait: *Si abiero, & præparauero vobis locum.* Ioan. 14. In Salathiel petitio mea Deus, qui ait Ioan. XVII. *Pater ſancte, ſerua eos in nomine tuo, quos dediſti mihi.* In Zorobabel magiſter peccatorum & publicanorum, vt eos ab errore viæ ſuæ reuocaret, & ſicut ipſe ait: *Nec vocemini magiſtri, quia magiſter veſter vnus eſt Chriſtus.* Matt. 23. In Abiud pater meus, quia ipſe eſt pater & caput omnium credentium. In Eliachim Domini reſurrectio, vt ait Ioannis XI. *Ego ſum reſurrectio & vita, qui credit in me non morietur in æternum; ſed ego reſuſcitabo eum in nouiſſimo die.* In Azor adiutus, vt ait Ioan. VIII. *Qui me miſit mecum eſt, & non reliquit me ſolum.* Et iterum Ioan. XIV. *Opera quæ ego facio, à meipſo non facio: ſed Pater qui mecum eſt, ipſe facit opera.* In Sadoch iuſtus, ſicut ſcriptum eſt Rom. III. *Vt ſit ipſe iuſtus, iuſtificans eos, qui ex fide Abrahæ ſunt.* In Achim frater meus, vt ait Matth. XII. *Si quis fecerit voluntatem Patris mei, ipſe meus frater, & ſoror, & mater eſt.* In Eliud Deus meus, quia ipſe eſt Deus ex ſubſtantia Patris ante ſecula genitus, qui in patibulo Crucis dixit: *Eli, Eli, hoc eſt, Deus meus, Deus meus.* Matth. 27. In Eleazar Deus adiutor, quia ipſe *adiutor in opportunitatibus, in tribulatione, & protector omnium ſperantium in ſe.* Pſal. 9. In Mathan donum, quia ipſe *aſcendens in altum, captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus*: Pſal. 17. & quia per ipſum Pater Deus omnia dona perdonauit. In Iacob, vt ſuprà diximus, ſupplantator eſt hoſtis antiqui, qui fidelibus dedit poteſtatẽ calcandi ſuper ſerpentes & ſcorpiones, & ſuper omnem virtutem inimici. Pſal. 2. In Ioſeph auctus, cui dedit Pater gentes in hereditatem ſuam, & in poſſeſſionẽ ſuam terminos terræ. Vel augmentum vitæ æternæ eſt, ſicut ipſe dixit: *Ego veni vt vitam habeant, & abundantius habeant.* Ioan. 10. In ſancta & perpetua Virgine Maria ſtella maris ipſe eſt, id eſt, lux mundi, ſicut ipſe ait: *Ego*

ſum

Ioan. 8. *ſum lux mundi.* & Ioannes, *Erat*, inquit, *lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* In proprio nomine Ieſu ſalutaris vel ſaluator eſt, Angelo exponente, qui ait Matth. 1. *Ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum.* Idem verò Chriſtus, id eſt, vnctus appellatus eſt, Pſal. 44. quem vnxit Deus in humanitate oleo lætitiæ, id eſt, vnctione ſancti Spiritus in Sacerdotem & Regem ſempiternum: quatenus Chriſtianos ex ſuo nomine vocatos, per id quod Saluator eſt, à peccatis ſaluaret: per id quod Sacerdos eſt, Deo patri reconciliaret: per id quod Rex eſt, in regnum ſempiternum collocaret.

Moraliter hæ quoque interpretationes nominum ad noſtram ædificationem multimodis pertinere noſcuntur. Sicut Chriſtus vbique noſtræ ſalutis gerebat cauſam, ita & Patriarcharum nomina noſtrũ profectum deſignant. In Abraham, vt patres ſimus multarum virtutum, & hæreditatis iure multiplicationem bonorum poſſideamus. In Iſaac, vt gaudium habeamus in Domino, & non in hoc mundo, Luc. 10. iuxta hoc quod ipſe dixit: *Gaudete quòd nomina veſtra ſcripta ſunt in cælo.* Et iuxta Philipp. 4. Apoſtolum, *Gaudete in Domino ſemper.* In Iacob, vt ſupplantatores ſimus vitiorum noſtrorum, & carnale deſiderium viuaci pede à diaboli poteſtate calcemus. In Pſal. 94. Iuda, vt ſecundum Pſalmiſtam, præueniamus faciem Domini in confeſſione, & confiteamur nomini ſancto eius. In Phares, vt diuidamus nos ab impiis, & abſtrahamus ab omni fratre ambulante inquietè, & non communicemus operibus eius D Matth. 5. malis. In Zara, vt Lucifer verus oriatur in cordibus noſtris, & ſol iuſtitiæ ſplendeat in nobis vbique, & vt luceat lux noſtra coram hominibus, vt videant opera noſtra bona, & glorificent patrem noſtrum, qui in cælis eſt. In Eſrom, vt ſagittæ ſimus ſalutis Domini, vt de nobis dici Pſal. 119. poſſit: *Sagittæ potentis acutæ.* In Thamar, vt cum palma victoriæ pompas diaboli & cõcupiſcentias mundi ſuperemus propter eum, qui dilexit nos. In Aram, vt ſimus 1. Pet. 2. genus electum, regale ſacerdotium, gens E ſancta, populus acquiſitionis, & annuntiemus virtutes eius, qui de tenebris nos vocauit in admirabile lumen ſuum. In Aminadab, vt ſpontaneus Domini populus ſimus, in ædificationẽ corporis Chriſti. In Naaſon, vt auguriis gentium derelictis, diuinis promiſſis fidem adhibeamus. In Salmon, vt ſenſibiles, id eſt, intellectuales veritatis Dei & factores inueniamur: quia nõ

A auditores legis, ſed factores iuſtificabuntur. Iacob. 1. In Booz, vt iuxta Apoſtolum, confortemur in Domino, & in potentia virtutis eius, Epheſ. 6. ſuccincti lumbos noſtros in veritate, induti lorica iuſtitiæ, ſumentes ſcutum fidei, & galeam ſalutis, & gladiũ Spiritus, quod eſt verbum Dei. In Rahab, vt latum mandatum Domini nimis diligenter obſeruantes, Dominum Deum ex toto corde, tota anima, tota virtute diligamus, & proximum ſicut noſmetipſos amplectamur. In Obeth, vt ſeruiamus Domi- B no per ſpiritũ timoris & dilectione ſancta, quatenus rationabile ſit obſequium noſtrum, Rom. 12. & acceptabile fiat ſacrificium noſtrum. In Ruth, vt feſtinantes ingredi in illam requiem, id eſt in cæleſtem Hieruſalem, dum tempus habemus, operemur Gal. 6. bonum ad omnes: quia non habemus hîc Hebr. 13. manentem ciuitatem, ſed futuram inquirimus. In Ieſſe, vt incenſum orationum noſtrarum in ara cordis noſtri, in ſpiritu contribulato & humiliato Domino offeramus, cùm Pſalmiſta dicentes: *Dirigatur, Domine,* Pſal. 140. C *oratio mea; ſicut incenſum in conſpectu tuo.* In Dauid, vt manu fortes contra Goliam ſpiritualem pugnantes, & exhibẽtes corpora noſtra hoſtiam viuentem, ſanctam, Deo Rom. 12. placentem, deſiderabile templum efficiamur Spiritui ſancto. In Salomone, vt quãtum ex nobis eſt, cum omnibus hominibus pacẽ habeamus, illud Dominicum intendentes: *Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur.* Matth. 5. In Bethſabee, vt iuramentum omnimodis cuſtodiamus, ne periurio incidamus in laqueũ diaboli. In Vria, vt lux noſtra Deus ſit, videlicet vt eum ſequẽtes non ambulemus in tenebris mortis, ſed habeamus lumen vitę. In Roboã, vt longè latéq; per orbem terrarũ populus diſperſus, vnitatẽ ſpiritus in vinculo pacis & charitatis habeamus, vnum Dominum, vnam fidem, Epheſ. 4. vnũ baptiſma profiteamur, de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta. In Abia, vt charitate fraterna inuicem diligentes, 1. Tim. 1. vnum patrem habeamus, Dominum in cœlis, qui nos voluntariè genuit Iacob. 1. verbo veritatis, vt ſimus initium aliquod creaturæ eius, & benedictionem hæreditate poſſideamus, & gloriemur in ſpe gloriæ filiorum Dei. In Aſa, vt tollamus membra noſtra de luto & ſterquilinio vitiorũ, ne ſeruiant immũditiæ & iniquitati ad iniquitatem, Rom. 6. ſed iuſtitiæ in ſanctificationem: quia non vocauit nos Deus in immunditiam, ſed in ſanctificationem In Ioſaphat, vt rectè iudicemus omni perſonæ, ſicut ſcriptum eſt: *Rectè iudicate filij hominum:* Pſal. 57.

& quodcumque volumus vt faciant nobis A
homines, faciamus & illis ſimiliter, ſcien-
Matth. 7. tes quia menſura, qua menſi fuerimus, re-
metietur nobis. In Ioram, vt excelſi vel ſu-
Col. 3. blimes effecti, quæ ſurſum ſunt quæramus,
vbi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens: quę
ſurſum ſunt ſapiamus, non quæ ſuper ter-
ram: quoniam omne datum optimum, &
Iacob. 1. omne donum perfectum deſurſum eſt,
deſcendens à patre luminum. In Ozia, vt
robuſti in Domino effecti, in omnibus per-
ſecutionibus noſtris & tribulationibus,
quas ſuſtinemus, exemplum accipiamus B
laboris & patientiæ Prophetas, qui locuti
Iacob. 5. ſunt in nomine Domini Ieſu. In Ioathan,
Matth. 5. vt perfecti ſimus, ſicut & Pater noſter cæ-
leſtis perfectus eſt, in omnibus nos ipſos
exemplum præbentes, & docentes omnē
hominē in omni ſapientia, vt exhibeamus
omnem hominem perfectum. In Achaz,
Pſal. 2. vt apprehendamus diſciplinam, nequan-
do iraſcatur Dominus, & pereamus de via
Ioan. 14. iuſta, quæ Chriſtus eſt, qui dixit: *Ego ſum
via, veritas, & vita.* In Ezechia, vt fortes
Domini, reſiſtamus aduerſario noſtro dia- C
bolo, qui tanquam leo rugiens circumit,
quærens quem deuoret: non in noſtra vir-
tute confidentes, ſed Domini fortitudi-
Pſal. 117. nem cum Pſalmiſta collaudantes, *Fortitu-
do mea, & laus mea Dominus, & factus eſt
mihi in ſalutem.* In Manaſſe, vt obliuioſi ſi-
mus iniuriarū noſtrarum, & eis qui contra
nos agunt propter nomen Domini igno-
ſcamus, ne illud maledictum incurramus,
*Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimit-
timus debitoribus noſtris.* In Ammon, vt fide-
Epheſ. 6. les in fide radicati & fundati, in omnibus D
ſumamus ſcutum fidei, in quo poſſimus
omnia tela nequiſſimi ignea extinguere.
In Ioſia, vt ſalutem Domini & animarum
ſemper depoſcamus, ne obcæcemur in in-
fidelitate, ne claudicemus in viis manda-
torum eius, ne ſurdi ad audiendum ver-
bum Dei efficiamur, ne moriamur in pec-
catis: ſed vt ſemper ſaluemur ab eo, qui
ſaluos facit ſperantes in ſe. In Iechonia, vt
præparati ſimus in aduentu Domini ſe-
cundo, vigilantes & orantes ne intremus
in tentationem, ſed cum illis intrare ad E
nuptias mereamur, de quibus ipſe dicit:
Luc. 12. *Beati ſunt ſerui illi, quos, cùm venerit Dominus
inuenerit vigilantes.* In Salathiel, quatenus
petitio noſtra ad Deum ſemper dirigatur,
vt gaudium noſtrum ſit plenum: non hu-
ius ſeculi mœrore permixtum, ſed infini-
ta beatitudine ſempiternum: & hoc in
nomine Saluatoris, vt impetrare poſſimus
quod petimus. In Zorobabel, vt magiſtri

ſimus veritatis, prohibentes magiſteria &
confuſiones hæreticorum, & quæ verbis
docemus, exemplis commendemus, ne
de nobis dicat Deus: *Quare tu enarras iu-* Pſal. 49.
*ſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum
per os tuum? Tu verò odiſti diſciplinam, &
proieciſti ſermones meos retrorſum.* In Abiud,
vt ſit nobis Deus in patrem, & nos illi in
filios, *habentes ſpiritum adoptionis, in quo cla-* Rom. 8.
*mamus, Abba pater. Si autem filij, & hære-
des: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chri-
ſti.* In Eliachim, vt reſurgamus à tumu-
lis vitiorum ad celſitudinem virtutum,
de terrenis ad cæleſtia, de morte ad vi-
tam, de Gaza ad Galilæam, id eſt, de in-
ferno ad æternam tranſmigrationem: vbi
Sancti *ibunt de virtute in virtutem, donec vi-* Pſal. 83.
debitur Deus Deorum in Syon. In Azor, vt
adiuti diuina gratia, cuncta nobis aduer-
ſantia patienter ſupportemus, & Domi-
num adiutorem noſtrum cum Pſalmiſta
collaudemus dicentes; *Dominus adiutor &* Pſal. 27.
*protector meus, & in ipſo ſperauit cor meum,
& adiutus ſum.* In Sadoch, vt iuſti appa-
reamus ante Deum, incedentes in omni-
bus mandatis & iuſtificationibus Domi-
ni ſine querela, vt cum iuſtis mereamur
audire vocem dicentis: *Venite benedicti* Matth. 25.
*Patris mei, percipite regnum quod vobis para-
tum eſt à conſtitutione mundi.* In Ioachim,
vt fratres Ieſu Chriſti mereamur appel-
lari, non per cognationem carnis, ſed
per vnctionem Spiritus ſancti, quem ef-
fudit in nos abundè: vt facientes volun-
tatem ipſius, ſobriè, & iuſtè, & piè vi-
uendo in hoc ſeculo, ad patrem ſuum,
& patrem noſtrum, & Deum ſuum &
Deum noſtrum aſcendere poſſimus in
futuro. In Eliud, vt nullum habeamus
Deum niſi Dominum Ieſum Chriſtum, Phil. 2.
cui omne genu flectitur, & omnis lin-
gua confitetur: & vt ipſi ſoli ſacrificium
laudis immolemus, & vota noſtra redda-
mus, ipſúmque ſolum adoremus, quem Ioan. 4.
oportet adorari in ſpiritu & veritate. In
Eleazar, vt nullum quæramus adiuto-
rem, niſi Dominum Ieſum Chriſtum, Epheſ. 3.
qui potens eſt omnia facere ſuperabun-
danter, quàm petimus, & intelligimus:
& vt quodcumque facimus in verbo aut Coloſſ. 3.
in opere, omnia in nomine Domini fa-
ciamus, dicentes cum Propheta: *Adiu-* Pſal. 123.
*torium noſtrum in nomine Domini, qui fecit
cælum & terram.* In Mathan, vt donum
ſupernæ gratiæ, ſpiritum ſcilicet ſapien- Eſai. 11.
tiæ & intellectus, ſpiritum conſilij & for-
titudinis, ſpiritum ſcientiæ & pietatis,
ſpiritumque timoris Domini retinentes,

diſcretionem habeamus inter bonum & malum, quæ eſt mater omnium virtutum. In Iacob, vt ſupplantemus à nobis zizania vitiorum, & plantemus in nobis aromata virtutum; vt ſicut cinnamomum & balſamum aromatizans, & quaſi myrrha electa odorem demus, & plantati in domo Domini, floreamus in æternum ante Dominum. In Ioſeph, vt de die in diem virtuti virtutem, ſanctificationi ſanctificationem apponentes, merito & numero augeamur, & in eo creſcamus in ſalutem: & vt per ſcalam in cælum erectam quotidie de gradu in gradum aſcendamus, donec ſpiritaliter formetur Chriſtus in nobis. In ſancta & perpetua virgine Maria, quæ ſtella maris, vel illuminatrix interpretatur, vt illuminatores mundi, id eſt Doctores ſanctæ Eccleſiæ ſimul, & in cordibus credentium lumen fidei & amorem Chriſti per doctrinam veritatis & exempla ſanctitatis oriri faciamus, & Deo habitaculum præparemus. In Ieſu Domino noſtro, vt ſaluatores animarum noſtrarum eſſe valeamus, manifeſtè declaratur. Quiſquis enim in fide, ſpe, & charitate, vigiliis, ieiuniis, & orationibus, caſtitate, ſobrietate, eleemoſynarum largitione, dilectionéque Dei & proximi vſque in finem perſeuerauerit, & conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ ſuæ, ſaluabit animam eius à morte, & operit multitudinem peccatorum. In Chriſto autem, vt ita Chriſtiani ſimus, quatenus ſicut ille ambulauit, & nos ambulemus: & ſicut ille pro nobis animam ſuam poſuit, ita & nos pro fratribus noſtris animas ponamus: & ſicut ipſe horum nominum interpretationes in ſe naturaliter gerebat, ita & nos in omni actiua & contemplatiua vita, vt dictum eſt, ſpiritualiter recolamus. Ad hoc enim Chriſtus paſſus eſt, nobis exemplum relinquens, vt ſequamur (1.Pet. 2.) veſtigia eius, & abnegemus noſmetipſos, & tollamus crucem noſtram, & ſequamur eum perducentem nos ad gloriam ſempiternam, quam oculus non vidit, nec auris (1.Cor. 2.) audiuit, nec in cor hominis aſcēdit, quam præparauit Deus diligentibus ſe. Ipſi honor, laus & imperium per infinita ſecula ſeculorum, Amen.

IN FESTO OMNIVM SANCTORVM, HOMILIA III.

(Homilia hæc inter Sermones S. Auguſtini, ordine xxxvij. extat; ſed aliqui Cod. MSS. eam Albino tribuunt.)

HODIE, dilectiſſimi, omnium Sanctorum ſub vna ſolennitate lætitiæ celebramus feſtiuitatem, quos

A terra editos precioſus Chriſti ſanguis gratuita pietate ad cæleſtia reuocauit: quorum ſocietate cælum exultat, quorum patrociniis terra lætatur, quorum triumphis Eccleſia ſancta coronatur, quorum confeſſio quanto in paſſione fortior, tanto eſt clarior in honore: quia dum creuit pugna, creuit & pugnantium gloria, & Martyrum triumphus multiplici paſſionum genere adornatur, quia per grauiora tormenta grandiora fuere & præmia, dum Catholica mater Eccleſia, per

B totum orbem longè latéque diffuſa, in ipſo capite ſuo Chriſto Ieſu edocta contumelias, crucem, & mortem non timere, magis magiſque roborata ſit non reſiſtendo, ſed perferendo. Vniuerſos autem, quos carcer pœnalis incluſit, pari & ſimili calore virtutis ad gerendum certamen gloria triumphalis inſpirauit. O verè beata mater Eccleſia, quam ſic honor diuinæ dignationis illuminat, quam vincentium glorioſus Martyrum ſanguis exornat, quam inuiolatæ confeſſionis

C candida induit virginitas! Floribus eius nec roſæ, nec lilia deſunt. Certent nunc, chariſſimi, ſinguli vtriuſque honoris ampliſſimas accipere dignitatis coronas, vel de virginitate candidas, vel de paſſione purpureas. In cæleſtibus caſtris pax & acies habent flores ſuos, quibus milites Chriſti coronantur. Dei enim ineffabilis & immenſa bonitas etiam hoc prouidit, vt laborum quidem tempus & agonis non extenderet, nec longum faceret aut æternum, ſed breue, &, vt ita dicam,

D momentaneum: vt in hac breui & exigua vita agones eſſent & labores, in illa verò, quæ æterna eſt, coronas & præmia meritorum ſine fine durarent: vt labores quidem citò finirentur, meritorum verò præmia ſine fine manerent: vt poſt mundi huius tenebras viſuri eſſent candidiſſimam lucem, & accepturi maiorem pro paſſionum cunctarum acerbitatibus beatitudinem, teſtante hoc idem Apoſtolo, qui ait: *Non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad ſuperuenturam*

E *gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* O quàm læto ſinu de prælio reuertentes ciuitas cæleſtis excipit, de hoſte proſtrato trophæa ferentibus occurrit. Cum triumphantibus viris & feminæ veniunt, quæ cum ſeculo ſexum quoque vicerunt; & geminata gloria militiæ, virgines cum pueris teneros annos virtutibus tranſcendentes. Sed & cetera fidelium turba aulæ perpetuæ regiā intrant, qui ſinceritatem fidei inconcuſſis

præceptorum cæleſtium diſciplinis vnita A pace obſeruauerunt. Ergo nunc, fratres, agite, aggrediamur iter vitæ, reuertamur ad ciuitatem cæleſtem, in qua ſcripti ſumus, & ciues decreti. Ephes. 2. *Non ſumus hoſpites & aduenæ, ſed ſumus ciues Sanctorum, & domeſtici Dei.* Huius nobis vrbis ianuas aperiet fortitudo, & fiducia latum præbebit ingreſſum. Conſideremus ergo inclitam vrbis illius felicitatem, in quantum conſiderare poſſibile eſt. Vt enim verè eſt, comprehendere nullus ſermo ſufficiet. Dicitur Eſai. 35. de ea in quodam loco ſic, quòd aufugiet B ibi dolor, & triſtitia, & gemitus. Quid hac vita beatius, vbi non eſt paupertatis metus, non ægritudinis imbecillitas, nemo læditur, iraſcitur nemo, inuidet nemo, cupiditas nulla exardeſcit, nullum cibi deſiderium, nullius honoris aut poteſtatis pulſat ambitio, nullus ibi diaboli metus, inſidiæ dæmonum nullæ, terror gehennę procul. Ibi mors neque corporis erit, neque animæ, ſed immortalitatis munere vita iucunda. Nulla erit tunc diſcordia, ſed cuncta conſona, cuncta conuenientia; quia e- C rit omnium Sanctorum vna concordia. Pax cuncta & lætitia continet, tranquilla ſunt omnia & quieta, atq; iugis ſplendor: non iſte qui nunc eſt, ſed tanto clarior, Apoc. 21. quantò felicior: quia ciuitas, vt legitur, illa non egebit lumine ſolis & lunæ, ſed Deus omnipotens illuminabit eam, & lucerna eius eſt Agnus: vbi Sancti fulgebũt vt ſtellæ in perpetuas æternitates, & ſicut Dan. 12. ſplendor firmamenti, qui erudiunt multos. Quapropter nox ibi nulla, nullæ tenebræ, concurſus nubium nullus, nec frigo- D ris ſiue ardoris aſperitas vlla: ſed talis quædam erit rerum temperies, quam nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, niſi illorum qui ea digni perfrui inueniuntur, quorum nomina ſcripta ſunt in libro vitæ, qui & lauerunt ſto- Apoc. 7. las ſuas in ſanguine agni, & ſunt ante ſedem Dei, & ſeruiunt ei die ac nocte. Non eſt ſenectus ibi, nec ſenectutis miſeria, dum omnes concurrunt in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti. Verùm ſuper hæc omnia eſt cõſociari An- E gelorum & Archangelorũ cœtibus, Thronis etiam & Dominationibus, Principatibus & Poteſtatibus, omniúmque cæleſtiũ ſupernarúmq; virtutum contuberniis perfrui, & intueri agmina Sanctorum ſplendidiùs ſideribus micantia, Patriarcharum fide fulgentia, Apoſtolorum in duodecim tribubus Iſrael orbem iudicantia, Martyrum purpureis victoriæ coronis lucentia,

Virginumque choros candentia ſertæ geſtantes inſpicere. De Rege autem, qui horum agminum medius reſidet, dicere vox nulla ſufficiet. Effugit enim omnem ſermonem, atque omnem ſenſum humanæ mentis excedit decus illud, illa pulchritudo, illa virtus, illa gloria, illa magnificentia, illa maieſtas. Vltra enim omnem Sanctorum eſt gloriam ipſius inæſtimabilem adipiſci conſpectum, & ſplendore maieſtatis eius irradiari. Si enim quotidie oporteret nos tormenta perferre, ſi ipſam gehennam paruo tempore tolerare, vt Chriſtum videre poſſemus in gloria venientem, & Sanctorum eius numero ſociari, non erat dignum pati omne quod mœſtum eſt, vt tantæ bonitatis gloriæ participes haberemur? Quæ erit illa, fratres chariſſimi, iuſtorum gloria, quàm magna Sanctorum lætitia, cùm vnaquæque facies fulgebit vt ſol, cùm ordinibus diſtinctis populum ſuum Dominus in regno Patris ſui cœperit recenſere, & meritis atque operibus ſingulorum præmia reſtituere, pro terrenis cæleſtia, pro temporalibus ſempiterna, pro modicis magna præſtare, adducere Sanctos in viſionem paternæ gloriæ, & facere in cæleſtibus conſidere, vt ſit Deus omnia in omnibus, æternitatem ſuis amatoribus & immortalitatem largiri, ad quam eos ſanguinis ſui viuificatione reparauit, denuò ad paradiſum reducere, & regna cælorum in fide & veritate ſuæ pollicitationis aperire? Hæc hæreant firmiter ſenſibus noſtris, hæc intelligantur plena fide, hæc toto corde diligantur, hæc indeſinentium operum magnanimitate acquirantur. Res poſita eſt in poteſtate fa- Matth. 11. cientis, quia regnum cælorum vim patitur. Res iſta, ô homo, id eſt, regnum cæleſte, aliud non quærit precium, niſi teipſum. Tantum valet, quantum es. Tu te da, & habebis illam. Quid turbaris de precio? Chriſtus ſemetipſum dedit, vt ac- Rom. 6. quireret te regnum Deo patri. Ita tu teipſum da, vt ſis regnum eius, ac non regnet peccatum in mortali tuo corpore, ſed ſpiritus in acquiſitionem vitæ. Ad hanc igitur operum ſalutariũ, dilectiſſimi, delectemur palmam, libenter ac promptè certemus, omnes in agone iuſtitiæ Deo & Chriſto ſpectãte curramus, & qui ſeculo & mundo maiores eſſe iam cœpimus, curſum noſtrũ nulla ſeculi & mundi cupiditate retardemus. Si ſic expeditos, & ſi ſic celeres in hoc operis agone currentes, dies nos vltimus inuenerit, nuſquam Dominus meriti ac præmij deerit remunerator. Qui coronam

in perſecutione purpuream pro paſſione donauit, ipſe in pace viuentibus pro iuſtitiæ meritis dabit & candidam. Nam nec Abraham, nec Iſaac, nec Iacob occiſi ſunt, & tamen fidei & iuſtitiæ meritis honorati, inter Patriarchas primi eſſe meruerunt. Ad quorum congregatur conuiuiũ, quiſquis fidelis, & iuſtus, ac laudabilis inuenitur. Memores eſſe debemus, voluntatem nos non noſtram, ſed Dei facere debere: quia qui fecerit eius voluntatẽ, manebit in æternum. Quapropter, chariſſimi, mente integra, fide firma, virtute robuſta, charitate perfecta parati ad omnem voluntatem Dei ſimus, conſeruantes fortiter mandata Dominica, in ſimplicitate innocentiam, in charitate concordiam, modeſtiam in humilitate, diligentiam in adminiſtratione, vigilantiã in adiuuandis laborantibus, miſericordiam in fouendis pauperibus, in defendẽda veritate conſtantiam, in diſciplinæ ſeueritate cenſuram, ne aliquod exemplum bonorum factorum deſit in nobis. Hæc ſunt enim veſtigia, quæ nobis Sancti quique reuertentes in patriam reliquerunt, vt illorum ſemitis inhærentes ſequamur & gaudia. Patriam quoq; noſtram paradiſum cum illis computemus. Parentes Patriarchas & Prophetas habere iam cœpimus. Cur non properamus & currimus, vt ad patriam noſtram venire, & parentes ſalutare poſſimus? Magnus illic nos charorum numerus expectat, parentum, fratrum, filiorum frequens nos & copioſa turba deſiderat, iam de ſua incolumitate ſecura, adhuc de noſtra ſalute ſolicita. Ad eorum, fratres, complexum & conſpectum venire, quanta & illis & nobis in commune lætitia eſt? Qualis illic cœleſtium voluptas conſeruorum ſocietatem expectantium, quàm ſumma & perpetua exultatio? Illic Apoſtolorum glorioſus chorus, illic Prophetarum exultantium numerus inſignis gaudet, illic populus innumerabilis Martyrũ ob certaminum victoriam coronatus tripudiat, illic Confeſſorum fortitudo lętatur, illic etiam clariſſima Virginum turba exultat. Sed & illorum remuneratio cenſetur, qui præcepta Dominica ſeruantes, ad cœleſtes theſauros terrena patrimonia tranſtulerunt. Ad hos, dilectiſſimi, tota auiditate properemus; vt cum his citò eſſe, & citò ad Chriſtum peruenire nos contingat optemus, eumque illis itineris ducem habeamus, ſalutis auctorem, lucis principem, lætitiæ largitorem, qui viuit & regnat in ſecula ſeculorum, Amen.

MAGISTRI

ALBINI FLACCI ALCHVVINI

VITA ANTI-CHRISTI,

AD CAROLVM MAGNVM,

Ex MS. Cod. V. Ill. Iacobi Auguſti Thuani.

IN primis proferendum eſt nobis, quare Antichriſtus dicitur. Ideo ſcilicet, quia in cunctis Chriſto contrarius erit, id eſt, Chriſto contraria faciet. Chriſtus venit humilis: ille venturus eſt ſuperbus. Chriſtus humiles venit erigere, peccatores iuſtificare. Ille è contrario humiles deiiciet, & peccatores magnificabit; impios exaltabit, ſemper vitia quæ ſunt contraria virtutibus docebit, legem Euangelicam diſſipabit, dæmonum culturam in mundum reuocabit, gloriam propriam quæret, & omnipotentem ſe nominabit. Hic itaque Antichriſtus multos habet ſuæ infidelitatis miniſtros, è quibus iam multi in mundo proceſſerũt: quales fuit Nero, Antiochus, Domitianus. Nunc quoque noſtro tempore multos Antichriſtos nouimus: quicumque enim laicus, ſiue Canonicus, ſiue etiam Monachus contra iuſtitiam viuit, & Ordinis ſui regulam impugnat, & quod bonum eſt blaſphemat, Antichriſtus & miniſter Sathanæ eſt. Sed iam de exordio Antichriſti videamus.

Hoc autẽ obteſtor in Chriſto, quod dicturus ſum ex proprio ſenſu non fingo: ſed in libris autenticis diligẽter relegendo hęc omnia ſcripta inuenio. Sicut ergo Auctores noſtri dicũt, Antichriſtus ex populo Iudæorũ naſcetur, de tribu ſcilicet Dan, ſecundũ Prophetiam dicentem, *Fiat Dan coluber in via, ceraſtes in ſemita, mordens vngulã*

equi, vt cadat aſcenſor eius retro. Sicut enim A
ſerpens ſedebit in via, & in ſemita erit; vt
eos, qui per ſemitā iuſtitiæ ambulauerint,
feriat, & veneno ſuæ malitiæ occidat. Na-
ſcetur autem ex patris & matris copula-
tione ſicut alij homines: non vt quidam
fabulantur, de ſola virgine: nec de Epiſco-
po & Monacha, ſicut alij delirando do-
gmatizant: ſed de immundiſſima mere-
trice & crudeliſſimo nebulone. Totus in
peccato concipietur, in peccato generabi-
tur, in peccato naſcetur. In ipſo verò etiam
germinationis ſuæ primordio diabolus ſi- B
mul intrabit in vterum matris ſuæ, caput
ſuperbiæ, magiſter erroris, plenitudo ma-
litiæ. Qui poſitus in ſublime, vt ait beatus
Gregorius, naturam potentiæ ſuæ non
perdit vel deiectus. Cuius virtus iccirco
non oſtenſa eſt, nec nunc oſtenditur; quia
diuinæ diſpenſationis fortitudine incate-
natus tenetur. Tunc diſſoluetur & exiet, &
per illud ſuum vas terribiliter ſeducet gē-
tes. Hic erit ille, de quo dicit Ioannes: *Vidi
Angelum deſcendentem de cælo, habentem cate-
nam magnam, & clauim abyſſi in manu ſua te-* C
*nentem: & apprehendit draconem, qui eſt diabo-
lus, & ſathanas, & clauſit eum per mille annos:
& poſt mille annos ſoluetur, & exibit, & ſe-
ducet gentes. Hic eſt Rex ſuper omnes filios ſuper-
biæ, cuius virtus ſemper cum illo erit.* Et ſicut
in matre Domini noſtri Ieſu Chriſti Spiri-
tus ſanctus venit, & eam ſua virtute obum-
brauit, & diuinitate repleuit vt de Spiritu
ſancto conciperet, & quod naſceretur di-
uinum eſſet & ſanctum: ita quoque diabo-
lus in matre Antichriſti deſcendet, & to-
tam eam replebit, & totam eam circunda- D
bit, totamque tenebit, & totam interiùs
exteriuſque poſſidebit eam, vt diabolo per
hominem cooperante concipiat, & quod
natum fuerit totum ſit iniquum, totum
malum, totum perditum. Vnde & ille ho-
mo filius perditionis appellatur, quia in
quantum poterit genus hominum perdet,
& ipſe in nouiſſimo perdetur.

Ecce audita natiuitatis qualitate, locum
vbi naſci debeat audite. Nam ſicut Domi-
nus ac Redemptor noſter Bethleem ſibi
præuidit, vt ibi pro nobis humanitatem E
aſſumere & naſci dignaretur: ſic diabolus
illi homini perdito, qui Antichriſtus dici-
tur, locum nouit aptum, vnde radix om-
nium malorum oriri debeat, ſcilicet ciui-
tatē Babyloniæ. In hac enim ciuitate quæ
quondam fuit inclyta, & glorioſa, & ca-
put regni Perſarum, Antichriſtus naſce-
tur, & in ciuitatibus Bethſaida & Corro-
zai nutriri dicitur, quibus Dominus in E-
uangelio improperat, dicens: *Væ tibi Cor-
rozai, væ tibi Bethſaida.* Habebit autem An-
tichriſtus magos, & ariolos, & maleficos,
& incantatores, & diuinos, qui eum nu-
trient & docebunt, & imbuent omni ini-
quitate, & falſitate, & nefaria arte: & ma-
ligni ſpiritus erunt duces eius, & ſocij
ſemper & comites indiuiſi. Deinde Hie-
roſolymam veniens, omnes Chriſtianos,
quos ad ſe conuertere non poterit, per va-
ria tormenta iugulabit, & ſedem ſuam in
Templo ſancto parabit. Templum etiam
deſtructum, quod Salomon Deo parauit,
templum ædificabit, & in ſtatum ſuum re-
ſtaurabit, & circumcidet ſe, & filium Dei
omnipotentis ſe eſſe mentietur.

Reges autem & Principes primum ad
ſe conuertet, & deinde per illos ceteros
populos. Loca verò, quæ Dominus Ieſus
Chriſtus ambulauit, & ipſe perambulabit:
ſed priùs deſtruet quæ Dominus illuſtra-
uit. Deinde per vniuerſum mundum nun-
cios mittet & prædicatores ſuos. Prædica-
tio autem eius & poteſtas tenebit à mari
vſque ad mare, ab Oriente vſque ad Se-
ptentrionem. Faciet quoque ſigna multa
& miracula magna & inaudita. Faciet ig-
nem de cælo terribiliter deſcendere, arbo-
res ſubito florere & creſcere, mare turbari
& ſubito tranquillari: naturas etiam in di-
uerſis figuris mutari, aquas contra curſus
& ordinem conuerti, aëra ventis commo-
tionibuſque multis agitari: cetera quoque
mirabilia & ſtupenda, mortuos ſcilicet in
conſpectu hominum reſuſcitari, ita vt in
errorem inducantur ſi fieri poteſt, etiam
electi. Sed mendacia erunt, & à veritate
aliena: quia per magicam artem & fanta-
ſiam deludet homines, ſicut & Simon Ma-
gus illuſit illum, qui putans occidere eum
arietem decollauit pro eo. Cum enim tan-
ta ac talia ſigna viderint, etiam illi, qui per-
fecti & electi Dei ſunt, dubitabunt vtrum
ipſe ſit Chriſtus, qui in fine mundi ſecun-
dum Scripturas venturus eſt, an non. Ex-
citabit perſequutionem ſub omni cœlo
ſuper Chriſtianos & omnes electos. Eri-
get itaque ſe contra fideles tribus modis,
id eſt, terrore, muneribus, & miraculis.
Dabit in ſe credentibus auri atque argenti
copias: tempore enim eius omnes abſcō-
diti theſauri reuelabuntur. Quos autem
muneribus corrumpere non poterit, ter-
rore ſuperabit. Quos autem terrore non
poterit, ſignis & miraculis ſeducere tenta-
bit. Quos nec ſignis poterit, in conſpectu
omnium mirabili morte cruciatos crude-
liter necabit. Tunc erit talis tribulatio,

qualis non fuit ſuper terram ex tempore quo gentes eſſe cœperunt, vſque ad illud tempus. Tunc qui in agrum erunt, fugient ad montes, dicentes: *Cadite ſuper nos*: & collibus; *Cooperite nos*. Et qui ſupra tectum, non deſcendet in domum ſuam, vt tollat aliquid ab ea, ſed ſeipſum dabit præcipitem. Tunc omnis fidelis Chriſtianus, qui inuentus fuerit, aut Deum negabit, aut ſiue per ferrum, ſiue per ignem fornacis, ſiue per ſerpentes, ſiue per beſtias, ſiue per aliquod aliud quodlibet tormẽtorum genus interibit, ſi in fide permanſerit.

Hæc autem tam terribilis & timenda tribulatio tribus annis & dimidio manebit. Tunc adbreuiabuntur dies propter electos. Niſi enim Dominus adbreuiaſſet dies, vix ſalua fieret aliqua caro. Tempus ſiquidem quando Antichriſtus venerit, vel quando dies iudicij apparere cœperit, Paulus Apoſtolus in Epiſtola ad Theſſalonicenſes demonſtrat, dicens: *Niſi venerit diſceſſio primum, & reuelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, &c.* Scimus autem, quoniam poſt regnum Græcorum, ſiue etiam poſt regnum Perſarum, ex quibus vnumquodque ſuo tempore magna gloria viguit, & magna potentia floruit; ad vltimum quoque poſt cetera regna regnum Romanorum incœpit, quod fortiſſimum omnium regnorum ſuperiorum fuit, & omnia regna terrarum ſub dominatione ſua habuit. Omnes quoque populorum nationes Romæ ſubiacebant, & ſeruiebant ei ſub tributo. Indè ergo dicit Apoſtolus Antichriſtum non antea eſſe venturum, niſi venerit diſceſſio primùm: id eſt, niſi omnia regna mundi diſceſſerint à Romano imperio, cui priùs ſubdita erant. Hoc autem tempus nondum venit, quia licet videamus Romanum regnum ex maxima parte iam deſtructum: tamen quamdiu Reges Francorum durauerint, qui Romanum imperiũ tenere debent, dignitas Romani imperij ex toto non peribit, quia ſtabit in Regibus ſuis. Tradunt namque Doctores noſtri, quòd vnus ex Regibus Frãcorum Romanum imperium ex integro tenebit, qui in nouiſſimo tempore erit, & ipſe erit maximus omnium Regum, & vltimus. Qui poſtquàm regnum ſuum fideliter gubernauerit, ad vltimum Hieroſolymam veniet, & in monte Olíueti ſceptrum & coronam ſuam deponet. Hic erit finis & conſummatio Romanorũ & Chriſtianorum imperij. Secundum prædictam Apoſtoli ſententiam, Antichriſtum dicũt mox affuturum: & tunc reuelabitur ille homo peccati, Antichriſtus videlicet, qui licet homo, fons tamen erit omnium peccatorum, & filius perditionis, & filius diaboli; non per naturam, ſed per imitationem, quia per omnia adimplebit diaboli voluntatem, quia plenitudo diabolicæ poteſtatis & totius malitioſi ingenij in eo habitabit, in quo erunt omnes theſauri malitiæ & iniquitatis abſconditi: qui aduerſatur, & contrarius eſt Chriſto Deo, omnibuſque membris eius. Erigetur in ſuperbiam ſuper omne quod dicitur Deus, id eſt, ſuper omnes Sanctos, qui ſecundum Pſalmiſtam dij dicuntur; *Ego dixi, dij eſtis*: vel ſuper omnes Deos gentium, Herculem videlicet, Apollinem, Iouem, Mercurium, quos pagani Deos eſſe exiſtimant. Super omnes iſtos Deos extolletur Antichriſtus, quia maiorem & fortiorem ſe omnibus faciet. Et non ſolum ſuper hos, ſed etiam ſuper omne quod colitur, id eſt, ſuper ſanctam Trinitatem, quæ ſola colenda & adoranda eſt, vt Creator ab omni creatura ſua. Ita ſe extollet, vt in templo Dei ſedeat, oſtendens ſe tanquam ſit Chriſtus. Nam ſicut ſupra diximus, in ciuitate Babyloniæ natus, Hieruſalem veniens circumcidet ſe, dicens Iudæis: Ego ſum Chriſtus vobis repromiſſus, qui ad ſalutem veſtram veni, vt vos qui diſperſi eſtis cõgregem & defendam. Tunc ad eum omnes Iudæi concurrent, & exiſtimantes ſe recipere Chriſtum, recipient diabolũ, ſecundum quod Dominus in Euangelio ait Iudæis. *Ego veni in nomine Patris mei, & non recepiſtis me. Si alius venerit in nomine ſuo, hunc recipietis.*

Sicut ex Sibyllinis verſibus habemus, tempore prædicti Regis, cuius nomen erit, C. Rex Romanorum totius Imperij, ſtatura grandis, aſpectu decorus, vultu ſplendidus, & per ſingula membrorum liniamenta compoſitus decenter: erunt diuitiæ magnę, & terra dabit fructum ſuum, ita vt tritici modius denario vno venundetur, vini & olei ſimiliter. Tunc exurgent ab Aquilone ſpurciſſimæ gentes, quas Alexander Rex incluſit in Goch & Magoch: hæc ſunt viginti duo regna, quorum numerus eſt ſicut arena maris. Quod cùm audierit Romanorum Rex, conuocato exercitu debellabit eos, & proſternet eos vſq; ad internecionem. Hic ſemper habebit præ oculis Scripturam ita dicentem: Rex Romanorum omne ſibi vindicet Regnum terrarum. Omnes ergo Inſulas & ciuitates paganorum deuaſtabit, & vniuerſa idolorum templa deſtruet, & omnes pa-

ganos ad baptiſmum conuocabit, & per omnia templa Crux Chriſti erigetur. Iudæi etiam tunc conuertentur ad Dominum. In diebus illis ſaluabitur Iuda, & Iſrael habitabit confidenter. Impletis autem centum duodecim regni eius annis, veniet Hieruſalem, & ibi, vt dictum eſt, depoſito diademate relinquet Deo Patri & filio eius Chriſto Ieſu regnum Chriſtianorum, & erit ſepulchrum eius glorioſum.

Tunc mittentur in mundum duo magni Prophetæ, Helias videlicet & Henoch, qui contra impetũ Antichriſti fideles diuinis armis præmunient, & inſtruent eos, & confortabunt, & præparabunt ad bellum. Tunc implebitur ſcriptura quæ dicit: *Si fuerit numerus filiorum Iſrael ſicut arena maris, reliquiæ ſaluæ fient.* Poſtquàm verò impleuerint prædicationem ſuam, inſurget Antichriſtus in eos, & interficiet, ſicut in Apocalypſi legitur: *Et cum finierint*, inquit, *teſtimonium ſuum, beſtia, quæ aſcendet de abyſſo, faciet bellum aduerſus illos, & vincet eos, & occidet*, &c. Ipſi verò occiſi poſt tres dies à Domino ſuſcitabuntur. Poſt ceteros fideles perſequens reddet * gladio, aut apoſtatas faciet. Et qui in eum crediderint, ſignum characteris eius in fronte ſuſcipiẽt.

* occidet.

Sed quia de eius principio & vita diximus, quem finem habebit dicamus. Hic namque Antichriſtus diaboli filius, & totius malitiæ peſſimus artifex, cum per tres annos & dimidium totum mundum vexauerit, & Dei populũ variis pœnis cruciauerit, & in fide permanentes martyrio coro-

A nauerit, ad vltimum veniet iudiciũ Dei ſuper eum, ſicut B. Paulus Apoſtolus ſcribit, dicens: *Quem Dominus interficiet Spiritu oris ſui, & deſtruet illuſtratione aduentus ſui*, quia tanta erit eminentia aduentus ſplendoris Chriſti, vt præ fulgore diuini luminis, ſórdibus ventris per exceſſum emiſſis, totus coinquinatus ſic præ timore pereat. Tradunt quoque Doctores, vt ait Gregorius Papa, quòd Michael Archangelus perimet illum in monte Olìueti, in papilione & ſolio ſuo, in loco illo, de quo Dominus Chri-

B ſtus aſcendit ad cœlos. Quod vtrumque poteſt eſſe, quia ſi Michael Dei faciem venientis ad iudicium præueniens eum interfecerit, non ſua, ſed Dei virtus erit, & iuſſio. Debemus etiam firmiſſimè credere, quòd cùm occiſus fuerit, non ſtatim ad iudicium Dominus veniet. Et ſicut intelligimus ex libro Danielis, quadraginta dies Dominus incantatis & characteratis ad pœnitentiam concedet, propterea quia ſunt ab Antichriſto ſeducti. Poſtquàm verò hanc pœnitentiam expleuerint, quan-

C tum temporis ſpatium poſtea fiat, quamuis arbitror quòd nullus ſit qui ſciat, ſed in diſpenſatione Dei manet, qui iudicabit ſeculũ per ignem ea horâ, qua præfixit eſſe iudicandum ante ſecula; tamen Auguſtinus in Epiſtola, *Nolumus vos ignorare de dormientibus*, multa luculentiſſimè indè declarat. Et Hieronymus in expoſitione ſeptem tubarum ad Eueruinum, dat nobis indè magnæ ſcientiæ documenta.

MAGISTRI

ALBINI FLACCI ALCHVVINI

DE VIRTVTIBVS ET VITIIS,

AD VVIDONEM COMITEM, LIBER.

Secundum MS. Codicis fidem caſtigatus & auctus.

CAPITVLA LIBRI.

CAP. I. *De Sapientia.*
II. *De Fide.*
III. *De Caritate.*
IIII. *De Spe.*
V. *De lectionis ſtudio.*
VI. *De Pace.*
VII. *De Miſericordia.*
VIII. *De Indulgentia.*
IX. *De Patientia.*
X. *De Humilitate.*
XI. *De Compunctione cordis.*
XII. *De Confeſſione.*
XIII. *De Pœnitentia.*
XIV. *De non tardando conuerti ad Dominum.*
XV. *De Timore Domini.*
XVI. *De Ieiunio.*
XVII. *De Eleemoſyna.*
XVIII. *De Caſtitate.*

XIX. *De Fraude cauenda.*
XX. *De Iudicibus.*
XXI. *De falſis teſtibus.*
XXII. *De Inuidia.*
XXIII. *De Superbia.*
XXIV. *De Iracundia.*
XXV. *De humana laude non quærenda.*
XXVI. *De Perſeuerantia boni operis.*
XXVII. *De octo Vitiis principalibus, & primò de Superbia.*
De Gula. XXVIII.
De Fornicatione. XXIX.
De Auaritia. XXX.
De Ira. XXXI.
De Acedia. XXXII.
De Triſtitia. XXXIII.
De Cenodoxia, id eſt vana gloria. XXXIV.
De Virtutibus quatuor. XXXV.
Peroratio operis. XXXVI.

EPISTOLA.

Dilectiſſimo filio VVidoni Comiti, humilis Leuita Alchvvinus ſalutem.

AMOR petitionis tuæ, & promiſsionis meæ, qua me obnixè flagitaſti, aliqua tuæ occupationi, quam te in bellicis rebus habere nouimus, exhortamenta breui ſermone conſcribere: vt habeas iugiter inter manus manuales paternæ ammonitionis ſententias, in quibus teipſum conſiderare debuiſſes, atque ad æternæ beatitudinis excitare ſtudium. Cui tam honeſtæ petitioni libenter me annuere fateor, optans mea deuotionis apices tibi ad perpetuam proficere ſalutem. Quos etiam quamuis minus eloquenter videas eſſe compoſitos; tamen certiſsimè ſcito, ſanctæ caritatis vigore eoſdem eſſe dictatos. Singulis ſiquidem huius ſermonis ſeriem diſtinxi Capitulis; quatinus facilius veſtræ deuotionis memoriæ hæc mea dicta inhærere potuiſſent: ſciens te in multis ſecularium rerum cogitationibus occupatum.* *ſ. poſſent. *Vnde precor ſanctum ſalutis veſtræ deſiderium, ad harum ſæpius, quaſi ad quoddam recurrere ſolatium litterarum lectionem; vt animus exterioribus fatigatus moleſtiis, ad ſeipſum reuerſus habeat in quo gaudeat. Et cùm maximè feſtinare debeat, intelligat: Sicut meas diligenter flagitaſti piæ exhortationis litterulas; ita te humiliter depoſco, vt eaſdem ſæpiùs legere digneris. Ob hoc tuam, dilectiſsime fili, dilectionem obnixè deprecor, vt plurima tibi ipſe eleemoſynarum largitione, & Iudicum ac iudiciorum æquitate, & miſericordiæ ſedulitate, cæleſtis gloriæ habitationem indefeſſa voluntate præparare ſtudeas. In quo opere & deſiderio te diuina clementia ſemper vbique adiuuare dignetur.*

De Sapientia. CAP. I.

Primò. PRIMVM omnium quærendum homini eſt, quæ ſit vera ſcientia, veráque Sapientia: quia *Sapientia huius mũdi ſtultitia eſt apud Deum.* 1.Cor.3. Scientia vera eſt, à diaboli ſeruitio, quod ſunt peccata, recedere: & Sapientia perfecta eſt, Deum colere ſecundum mandatorum illius veritatem; quia in his duobus vita beata adquiritur, ſicut Pſalmiſta ait: *Diuerte à malo, & fac bonum.* Pſal.36. B Non enim ſufficit cuiquam mala non facere, niſi etiam & bona faciat: nec bona facere, niſi etiam & mala non committat. Omnis ergo qui ſic ſapiens eſt, proculdubio beatus erit in æternum. Beata ſiquidem eſt cognitio diuinitatis. Cognitio diuinitatis virtus boni operis eſt. Virtus boni operis fructus eſt æternæ beatitudinis.

De Fide. CAP. II.

SEd hæc cognitio diuinitatis, & ſcientia veritatis per fidem Catholicam diſcenda eſt; quia ſine fide impoſſibile eſt placere Deo. Verè beatus eſt, qui & rectè credendo bene viuit, & bene viuendo fidem rectam cuſtodit. Igitur ſicut otioſa eſt Fides ſine operibus, ita nihil proficiunt opera bona ſine Fide recta. Inde beatus Iacobus Apoſtolus dixit: *Quid proderit, fratres mei, ſi fidem quis dicat ſe habere, opera autem non faciat? Nunquid poterit fides ſaluare eum? Fides ſine operibus mortua eſt. Sicut enim corpus ſine ſpiritu mortuum eſt, ita & Fides ſine operibus mortua eſt.* Iacob.2. De cuius excellentia eſt alterius

temporis diſputare: quia breuiarium, quod de mandatis Dei tibi petiſti diſtricto ſermone fieri, profundiſſimas de Fide Catholica orationes* explicare non poterit.

* diſputationes reiicit.

De Caritate. Cap. III.

IN Præceptis verò Dei Caritas obtinet principatum, ſine cuius perfectione nihil Deo placere poſſe Paulus teſtatur Apoſtolus, qui nec martyrium, nec ſeculi contemptum, nec eleemoſynarum largitionem ſine Caritatis officio quicquam proficere poſſe oſtendit. Inde & ipſe Dominus à quodam Scriba interrogatus, Quod eſſet mandatum maximum, reſpondit: (Luc. x.) *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua.* (Matth. 5. Iacob. 2.) Addidit quoque: *Secundum autem ſimile eſt huic, Diliges proximum tuum ſicut teipſum. In his duobus mandatis tota Lex pendet, & Prophetæ.* Quod verò ait, *ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente*; id eſt, toto intellectu, tota voluntate, & ex omni memoria Deum eſſe diligendum. Dei verò dilectio in obſeruatione mandatorum eius tota conſiſtit, ſicut alibi ait: (Ioan. 14.) *Si quis diligit me, ſermones meos ſeruat.* Vnde (Ioan. 13.) ipſa Veritas alibi ait: *In hoc cognoſcent omnes, quia mei diſcipuli eſtis, ſi dilectionem habueritis ad inuicem.* (Rom. 13.) Item Apoſtolus, *Plenitudo legis eſt dilectio.* Item Ioannes Euangeliſta, *Hoc mandatum habemus à Domino, vt qui diligit Dominum, diligat & proximum.* Si fortè quilibet quærat, qui ſit proximus: ſciat omnem Chriſtianum rectè proximum dici, quia omnes in baptiſmo filij Dei ſanctificamur, vt fratres ſimus ſpiritualiter in Caritate perfecta. Nobilior eſt generatio ſpiritualis, quàm carnalis. De qua in Euangelio ipſa Veritas ait: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non poteſt introire in regnum Dei.* Diſcat homo, quæ ſunt Præcepta Dei, & ea cuſtodiat quantum valeat: & ſic ſe cognoſcat Caritatem Dei habere. Quorum aliqua tuæ oſtendere, dilectiſſime fili, deuotioni nominatim curabo, vt paucis intellectis* facilius aliorum virtutes intelligere valeas.

* al. inſpectis.

De Spe. Cap. IV.

TRia quidem propoſuit animæ noſtræ neceſſaria egregius Gentium doctor, dicens: (1. Cor. 13) *Spes, Fides, Caritas, tria hæc: maior autem his eſt Caritas.* Nemo igitur, quamuis ingenti peccatorum pondere premamur, de bonitate diuinæ pietatis deſperare debet: ſed ſpe certæ miſericordię illius indulgētiam ſibi quotidianis deprecati lacrimis; quam rectè ſperare poſſunt, ſi ſub actione praui operis ceſſabunt. Ideo nec propter ſpem veniæ perſeueranter peccare debemus; neque quia Deus iuſtè peccata punit, veniam deſperare debemus: ſed vtróque periculo euitato, & à malo declinemus, & de pietate Dei veniam ſperemus. Similiter & in omni tribulationum anguſtia, ſpe ad ſolatium ſupernæ pietatis currendum eſt, quia in illo ſolo omnis ſpes & ſalus ſine dubio conſiſtit, dicente Propheta, *In Deo ſalutare meum & gloria mea: Deus auxilij mei, & ſpes mea in Deo eſt.* (Pſal. 61.)

De lectionis ſtudio. Cap. V.

SAnctarum lectio Scripturarum diuinæ eſt cognitio beatitudinis. In his enim quaſi in quodam ſpeculo homo ſeipſum conſiderare poteſt, qualis ſit, vel quò tendat. Lectio aſſidua purificat animam, timorem incutit gehennæ, ad gaudia ſuperna cor inſtigat legentis. Qui vult cum Deo ſemper eſſe, frequenter debet orare & legere. Nam cùm oramus, ipſi cum Deo loquimur: cùm verò legimus, Deus nobiſcum loquitur. Geminum confert donū lectio ſanctarum Scripturarum, ſiue quia intellectum mentis erudit, ſeu quòd à mūdi vanitatibus abſtractum hominem ad amorem Dei perducit. Labor honeſtus eſt lectionis, & multum ad emundationem animæ proficit. Sicut enim ex carnalibus eſcis alitur caro, ita ex diuinis eloquiis interior homo nutritur & paſcitur, ſicut Pſalmiſta ait: *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua Domine! ſuper mel & fauum ori meo.* (Pſal. 101.) Sed ille beatus eſt, qui diuinas ſcripturas legens, verba vertit in opera. Omnis plane ſcriptura ſancta ad noſtrā ſcripta eſt ſalutem, vt proficiamus in eis in veritatis cognitione. Sæpiùs cæcus offendit quàm videns: ſic ignorans legem Dei ſępiùs ignoranter peccat, quàm ille qui ſcit. Sicut cæcus ſine ductore, ſic homo ſine doctore viam rectam vix graditur.

De Pace. Cap. VI.

SAluator ad Patrem rediens, quaſi ſpeciale munus diſcipulis pacis dedit præcepta, dicens: *Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis.* (Ioan. 14.) In pace vos dimitto, in pace vos inueniā. Proficiſcens voluit dare quæ deſiderabat rediens in omnibus inuenire. Cuius pacis ornamenta mirabiliter alio o-

Matth. 5. ſtendit loco, dicens: *Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur.* En filius Dei incipit vocari, qui pacificus eſſe iam cœpit. Non vult filius Dei dici, qui pacem noluerit amplecti. Negat ſibi patrem Deum, qui pacificus eſſe contemnit. Sed hæc pax cum bonis & Dei præcepta ſeruantibus cuſtodienda: non cum iniquis & ſceleratis, qui pacem inter ſe habent, in peccatis ſuis. Pax Chriſti ad ſalutem proficit ſempiternam. Pax quæ in diabolo eſt, ad perpetuam peruenit perditionem. Pax cum bonis, & bellum cum vitiis, ſemper habenda eſt. Mala ſiquidem hominum impiorum odio habenda ſunt, non homines ipſi, quamuis mali ſunt, quia creatura Dei ſunt. Pax verò, quæ in nobis eſt, concordiam fratrum, & caritatem copulat proximorum. Pax ſpiritum Dei ſpecialiter promeretur. Pax dilectionis mater eſt. Pax indicium eſt ſanctitatis, de qua Deus per Prophetam
Zachar. 8. ait: *Pacem & veritatem diligite.* Pax plebis eſt ſanitas, gloria ſacerdotis, & patriæ lætitia, & terror hoſtium ſiue viſibilium, ſiue inuiſibilium. Omnibus viribus pax eſt cuſtodienda, quia ſemper in Deo manet. Qui in pace ſancta manet, cum Sanctis Dei manet. Sacerdotis eſt, in pace populum Dei ammonere, quod debeat agere: populi, in humilitate audire quæ monet ſacerdos. Quicquid non licet, Paſtoris eſt prohibere ne fiat: plebis eſt audire, ne faciat.

De Miſericordia. Cap. VII.

PRæcipuum eſt miſericordiæ bonum,
Matth. 5. de qua ipſe Saluator ait: *Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur.* Non poteſt peccator à Deo miſericordiam ſperare, qui miſericordiam non facit peccantibus in ſe. Ergo dimittat homo tẽporale debitum, vt mereatur recipere æternale bonum. Si animas noſtras cupimus peccatorum ſordibus emundari, miſericordiam in nos peccantibus non negemus, vt in die retributionis ad promerendam Dei miſericordiam miſericordiæ operibus adiuuemur. Quomodo à Deo miſericordiam expectat, qui crudelis eſt in conſeruos ſuos? Sicut quis cupit Deum ſibi miſereri, ita & miſereatur debitoribus ſuis. Certiſſime indulgentiam expectare poteſt, qui aliis indulgere nouit. Ad miſericordiæ opus optimo nos in Euangelio
Matt. 18. Dominus exemplo rogauit, vbi ait: *Eſtote miſericordes ſicut & pater veſter miſericors eſt.*
Luc. 6. *Qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, & pluit ſuper iuſtos & iniuſtos.* Omnis miſe-
A ricordia faciet locum vnicuique ſecundum meritum operum ſuorum. Qui facit Rom. 2.
miſericordiam, Deo offert ſacrificium ſalutis placabile. In Iudice miſericordia & diſciplina debet eſſe: quia vna ſine altera eſſe non poſſit. Nam miſericordia ſola ſi fuerit, ſecuritatem facit peccandi ſubiectis. Iterum, ſi diſciplina ſola ſemper aderit, vertitur animus delinquentis in deſperationem. Et Iudex non merebitur à Deo miſericordiam: ſed hanc miſericordiam à ſeipſo debet homo incipere. Quomodo in
B aliis eſt miſericors, qui in ſeipſo crudelis eſt? In ſeipſo crudelis eſt, qui ſibi perpetuas peccatis ſuis parat flammas. Bene miſericors eſt, qui à ſeipſo incipit, & ſe diligenter cuſtodit ne puniatur cum diabolo, & ſic aliis præſtet quod ſibi bonum eſſe perſpicit.

De Indulgentia. Cap. VIII.

DOminus in Euangelio ait: *Dimittite, & dimittetur vobis.* Item, *Si dimiſeritis ho-* Matth. 6. Marc. 2.
C *minibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater veſter cæleſtis peccata veſtra. Si non dimiſeritis hominibus, nec Pater veſter cæleſtis dimittet vobis peccata veſtra.* Luc. 6
Hæc verò Domini ſententia magnam ſuper nos miſericordiam ſonat, his qui eam rectè intelligere poſſunt. Igitur ex noſtro iudicio iudicat nos Deus, & quodammodo in poteſtate noſtra eſt, quomodo iudicemur à Iudice Deo. Si miſericorditer iudicamus in nos delinquentibus, miſericorditer iudicabit Deus de nobis in ſe peccantibus. Intendamus
D exemplum illius, ſicut Doctor Gentium ait: *Donate in vobiſmetipſis, ſi quis aduerſus aliquem habet querelam. Sicut Deus donat vobis in Chriſto, ita & vos facite.* Quomodo Deus in Col. 3.
Chriſto nobis noſtra peccata donauit: ſic etiam nos, qui in nos peccant, dimittamus. Item, *Nulli malum pro malo reddentes.* Et alio 1. Theſſ. 5.
loco: *Noli vinci à malo, ſed vince in bono malũ.* Rom. 12.
Sciendum eſt certiſſimè, quòd vnuſquiſque talem indulgentiam accepturus eſt à Deo, qualem & ipſe dederit proximo ſuo. Illa oratio pro peccatis noſtris ad aures
E omnipotentis Dei citò perueniet, ſi delinquentium preces in noſtris auribus acceptabiles ſunt. Qui clementer peccantibus ignoſcere nouit, clementiam diuinæ pietatis certiſſimè accipiet. Sic enim remittetur nobis, vt nos remiſerimus eis, qui nobis quacumque malignitate nocuerunt.

De Patientia. CAP. IX.

IN *patientia veſtra*, dicitur in Euangelio, *poſſidebitis animas veſtras.* In omni enim vita humana patientia neceſſaria eſt. Sicut itaque patienter ſufferre debemus iniurias ab aliis in nos delatas, ita patienter tribulationes, quæ nobis euenient*, ſufferre (*quæ euenient, nos.) neceſſe eſt. Sæpiſſimè in hoc ſeculo boni à reprobis tribulationes patiuntur. Ideo ſi quiſlibet poſt bona opera tribulationes patitur, non debet in cogitatione dicere: Perdidi opera mea bona quæ faciebam. Qui enim hoc dixerit, non pro amore Dei, ſed pro mercede felicitatis huius vitæ, aut pro laude humana opus bonum feciſſe cognoſcitur. Probabitur enim homo flagellis Dei, quo animo benefaciat, vel qua fortitudine ſufferat tentationes ſi-
2.Cor. 13. bi ſuperuenientes. *Tentat enim vos Deus,* dicit Apoſtolus, *vt ſciat ſi diligitis eum.* Pror-
Iacob. 1. ſus, *tribulatio patientiam operatur, patientia autem opus eſt perfectum. Beatus enim vir, qui ſuffert tentationem, quoniam cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromiſit Deus diligentibus ſe.* Nemo bene patiens eſt, qui
Prou. 16.36 patientiam non habet. *Fortior eſt dominator animi ſui expugnatore vrbium.* In patientia verò quærenda eſt ignoſcendi facultas, non vindicandi opportunitas. Tales ſunt quidam, qui tempora iniuriarũ patienter ſufferunt, vt ſubſequenter faciliùs vindicare valeant. Hi veram non habent patientiã. Patientia vera eſt, in facie fortiter ſuſtinere iniurias, & in futuro vindictam non quærere, ſed ex corde ignoſcere. Sine ferro vel flammis martyres eſſe poſſumus, ſi patientiam veraciter in animo ſeruamus cum proximis noſtris. Laudabilius eſt iniuriã tacendo declinare, quàm reſpondendo ſuperare. Qui patienter tolerat mala, in futuro coronam merebitur ſempiternam.

De Humilitate. CAP. X.

QVanta ſit veræ Humilitatis virtus, facile ex verbis Domini cognoſcitur, qui vt ſuperbiam Phariſæorum damnaret,
Matth. 23. dixit: *Omnis qui ſe exaltat humiliabitur, & qui ſe humiliat exaltabitur.* Humilitas paſſibus ad cæli culmina conſcendit; quia Deus excelſus non ſuperbia, ſed humilitate adtingi-
Iac. 4. tur. De quo dictum eſt: *Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam.* Vnde & in Pſal-
Pſal. 137. mis dicitur: *Excelſus Dominus humilia reſpicit, & alta à longè cognoſcit.* Alta poſuit pro ſuperbis, humilia verò pro humilibus. Hu-
A milia reſpicit, vt attollat: alta, id eſt, ſuperba, cognoſcit, vt deiiciat. Diſcamus humilitatem, per quam Deo propinquare poterimus, ſicut ipſe in Euangelio ait: *Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde: &* Matth. 11.
inuenietis requiem animabus veſtris. Per ſuperbiam mirabilis Angelorum creatura cecidit de cælo: per humilitatem fragilitas humanæ naturæ aſcendit ad cælum. Honeſta eſt enim inter homines humilitatis conſuetudo, ſicut Salomon ait: *Vbi fuerit ſu-* Prou. 11.
perbia, ibi erit & contumelia. Vbi autem humi-
B *litas, ibi & ſapientia.* Item alius Sapiens: *Quã-* Eccl. 3.
to maior es humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam. Item Dominus per Prophetam: *Ad quem autem reſpiciam niſi ad* Eſai. 66.
humilem, & quietum, & trementem verba mea? Quicumq; humilis & quietus nõ erit, non poteſt in eo habitare gratia Spiritus ſancti. Deus humilis factus eſt noſtræ ſalutis cauſa, vt erubeſcat homo ſuperbus eſſe. Quãtum humilitate inclinatur cor ad ima, tantum proficit in excelſo. Qui enim humilis erit, exaltabitur in glória. Primus humili-
C tatis gradus eſt, veritatis ſermonem humiliter audire, memoriter retinere, voluntariè perficere. Eam quippe quam non inuenit humilem fugit mentem. Quantum quis humilior erit de ſeipſo, tanto maior erit in conſpectu Dei. Superbus verò quantum glorioſior apparet inter homines, tanto deiectior erit ante Deum. Qui enim ſine humilitate bona opera agit, in ventum puluerem portat. Quid ſuperbit terra & cinis? quid ieiuniis & eleemoſynis congregare videtur, dum vento ſuperbiæ
D diſpergitur? Noli ô homo, in virtutibus tuis gloriari; quia alterum habiturus es iudicem, non teipſum. In cuius conſpectu teipſum in corde tuo humiliare oportet, quatinus ille te exaltet in tempore retributionis tuæ. Deſcende vt aſcendas, humiliare vt exalteris, ne exaltatus humilieris. Qui enim ſibi vilis eſt, ante Deum magnus eſt; & qui ſibi diſplicet, Deo placet. Eſto igitur paruus in oculis tuis, vt ſis magnus in oculis Domini. Tanto enim eris apud Deum precioſior, quanto fueris an-
E te oculos tuos deſpectior. In ſummo honore ſumma tibi ſit humilitas. Honoris laus eſt, humilitatis virtus.

De Compunctione cordis. CAP. XI.

COmpunctio cordis ex humilitatis virtute naſcitur: de compunctione, confeſſio peccatorum. De confeſſione pœnitentia; de pœnitentia vera proueniet de-

lictorum

lictorum indulgentia. Compunctio cordis A eſt humilitas mentis, cum lacrymis & recordatione peccatorum, & timore iudicum. Ex genuino fonte cõpunctionis ſolent profluere lacrymæ; id eſt, dum merita operum ſuorum diligentius conſiderat, altera dum deſiderio æternæ vitæ ſuſpirat. Pſal. 41. Vnde Propheta ait; *Sitiuit anima mea ad Deum viuum: quando veniam & apparebo ante faciem Dei? Fuerunt mihi lacrymæ meæ,* Pſal. 83. *panis die ac nocte.* Item, *Concupiſcit & deficit anima mea in atria Domini.* Et, *Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum.* B Quatuor ſunt qualitates affectionum, quibus cogitatio iuſti tædio ſalubri compungitur, hoc eſt, memoria præteritorum facinorum, recordatio futurarum pœnarum; conſideratio peregrinationis ſuæ in huius vitæ miſeria; deſiderium ſupernæ patriæ, quatinus ad eam quantocius valeat peruenire. Quando ergo iſta in corde hominis fiunt, ſciendum eſt tunc eſſe Deum per gratiam cordi humano præſentem. Pſalm. 55. Vnde & in Pſalmo dicitur, *Deus vitam meam nunciaui tibi; poſui lacrymas meas* C *in conſpectu tuo, ſicut & in promiſſione tua.* Promiſſio indulgentiæ, quam habemus à Deo, lacrymas pœnitentiæ excidet cordi noſtro. Theſaurus deſiderabilis in corde hominis, compunctionis dulcedo. Anima hominis, quæ in oratione compungitur, valde illi proficit ad ſalutem. Cùm per orationem compunctio effunditur, Spiritus ſancti præſentiã adeſſe cordibus noſtris non dubium eſt.

D

De Confeſſione. CAP. XII.

Hortatur nos ſæpiùs Scriptura ad medicamentum fugere Cõfeſſionis: non quòd Deus indigeat confeſſione noſtra cui omniá præſto ſunt quæ cogitamus, loquimur, aut agimus: ſed nos aliter ſalui fieri non poſſumus, niſi confiteamur pœnitentes, quod iniquè geſſimus negligentes. Qui ſeipſum accuſat in peccatis ſuis, hunc diabolus non habet iterum accuſare in diem iudicij: ſi tamen confitens E pœnitendo diluit quæ fecit, nec iterum renouat quæ egit. *Confitemini,* dicit Iaco- Iacob. 5. b[illegible]olus, *alterutrum peccata veſtra; & orate pro inuicem vt ſaluemini.* Item bea- Rom. 10. tus Paulus Apoſtolus, *Ore autem confeſſio fit ad ſalutem.* Sed & Salomon de confeſſio- Prou. 28. ne peccatorum dixit, *Qui abſcondit peccata ſua, non dirigetur: Qui autem confeſſus fuerit* A *& reliquerit ea, miſericordiam conſequetur.* Magnum eſt ſalutis medicamentum non iterare quæ prauè geſſimus, nec priorum cicatrices vulnerum reſauciare. Sic autem dixit Ioannes Euangeliſta: *Si confiteamur* 1. Ioan. 1. *peccata noſtra, fidelis eſt Deus & iuſtus, vt remittat nobis peccata, & mundet nos ab omni iniquitate.* Similiter & Pſalmiſta ait, *Di-* Pſal. 31. *xi, Confitebor aduerſum me iniuſtitiam meam Domino: & tu remiſiſti iniquitatem peccati mei.* Viuens confiteatur peccator quæ fecit, quia non eſt fructuoſa confeſſio apud inferos, nec pœnitentia ad ſalutem proficiens. Ecce nunc tempus ſalutis, ecce 2. Cor. 6. nunc tempus acceptabile Deo. Tempus Eccleſ. 14. eſt nunc remiſſionis pœnitentibus; ſed tempus erit poſt mortem vindictæ negligentibus confiteri ſcelera ſua. Omnes enim impij amaram habent in tormentis pœnitentiam, ſed non proficit eis pœnitentia ad ſalutem: ſed conſcientia torquet eos ad augmentum pœnarum quas patiuntur. Potuerunt enim ſibi per confeſſionem præcauere tormentorum immanitatem, & neglexerunt. Ita, ſicut foras flammis, ita intus in conſcientia propria torquentur. Quomodo poteſt medicus vulnus ſanare, quod ægrotus oſtendere erubeſcit? Deus enim confeſſionem noſtram deſiderat, vt iuſtam habeat cauſam ignoſcendi. Qui peccata ſua occultat, & erubeſcit ſalubriter confiteri, Deum teſtem habet nunc, & iterum habebit eum vltorem. Optimè ſe iudicet homo in hac vita, ne iudicetur à Deo damnatione perpetua. Duplicem habere debet fletum in pœnitentia omnis peccator; ſiue quia per negligentiam bonum non fecit, ſeu quia malum per audaciam perpetrauit. Quod enim oportuit, non geſſit, & quod non oportuit, egit. Confeſſio iuſtificat, confeſſio veniam peccatis donat. Omnis ſpes veniæ in confeſſione conſiſtit. Confeſſio opus eſt miſericordiæ: ſalus ægroti vnicum eſt viribus* noſtris medicamentum *ſ. vitiis. cum pœnitentia.

De pœnitentia. CAP. XIII.

Cuius ipſe Saluator in Euangelio virtutem oſtendit, dicens: *Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum.* Matth. 34. Et Ioannes Baptiſta ait; *Facite fructus dignos pœ-* Luc. 3. *nitentiæ.* Fructus eſt dignus pœnitentiæ, transacta flere peccata, & eadem iterum non agere, ſicut Scriptura ait: *Non adicies* Eccl. 5. *peccatum ſuper peccatum. Lauamini,* dicit Do- Eſai. 1.

minus per Iſaiam Prophetã, *& mundi eſtote.* Lauatur itaque & mundus eſt, qui præterita plangit, & iterum flenda non admittit. Lauatur & non eſt mundus, qui plangit quod geſſit, nec deſerit: & poſt lacrymas hæc quæ fleuerat repetit. De his, qui poſt lacrymas ad delicta reuertũtur peiora*, beatus Petrus terribiliter ait: *Canis reuertitur ad vomitum ſuum. Fili, peccaſti,* dicit in Scriptura ſancta, *non adiicias iterum, ſed de priſtinis deprecare, & remittentur tibi.* Pœnitentia vera non annorum numero cenſetur, ſed amaritudine animi. Vnde beatus Petrus mox à Domino indulgentiam recepit, quia amariſſimè fleuit trinæ negationis culpam. Pœnitentia, quamuis ſit exigui temporis; ſi intima cordis amaritudine agitur, non deſpicitur apud iudicem iuſtũ Deum, qui cordis ſecreta conſiderat. Non enim longitudinẽ temporis tantum requirit Deus, quantum affectũ ſinceritatis penſat. Qui enim in Chriſtum tota mẽte confidit, etiamſi in multis moriatur peccatis, fide ſua viuit in æternum, ſicut ipſe Dominus in Euangelio ait, *Ego ſum reſurrectio & vita. Qui credit in me, etiam ſi mortuus fuerit, viuet: & omnis qui viuit & credit in me, non morietur in æternum.* De morte animæ dixit: Quia, *propter peccatorum ægritudinem, eueniet illi.* Deus autem naturâ miſericors eſt, paratus eſt ſaluare per miſericordiam, quos non veniet* ſaluare per iuſtitiam, *qui vult omnes ſaluos fieri, & neminem perire*: qui per Prophetam ait, *In quacumque die conuerſus fuerit peccator, vitâ viuet, & non morietur.* Quamuis quiſque ſit peccator, & impius, ſi ad pœnitentiam conuertatur, conſequi poſſe veniam ſe per Dei miſericordiam non dubitet. In hoc ſeculo pœnitentiam facientibus Dei miſericordia ſubuenit. In futuro autem pœnitentia non proficit, ſed rationem noſtrorum reddituri ſumus. In hac vita tantùm pœnitenti patet libertas, poſt mortem verò nulla correctionis eſt licentia.

*priora. 2. Pet. 2. Eccleſ. 21. Ioan. 11. * inuenit. 1. Tim. 2. Ezech. 33.

*De non tardando conuerti ad Deum**.

*al. *De conuerſione ad Dominum.*

Cap. XIV.

Legitur in litteris diuinitus inſpiratis dictum: *Fili, ne tardes conuerti ad Deum, quia neſcis quid futura pariat dies.* Qui tardat conuerti, periculum facit animæ ſuæ, quia *mors non tardat.* Quæ ſi tardantem conuerti inueniet, ad tormenta deducit eum. Diſſoluta & paralytica cogitatio eſt, de craſtina cogitare conuerſione, & hodiernam negligere.

Eccleſ. 5. Eccleſ. 14.

A Quid tu peccator diſſimulas, & non metuis ne tibi mors repentina ſubripiat diem cõuerſionis? Nónne homines ſubitò moriuntur? Si bonum eſt peccata dimittere, & ad Deum conuerti, citò fiat. Deus tibi promittit remiſſionem conuertenti à peccatis, ſecuritatem tibi non promiſit diu viuendi. Ideò conuertat ſe citiùs vnuſquiſque ad Deum, & cùm inuenerit eum, derelinquat impius viam ſuam. Si ſubitò intrat dies extremus, perit dilatio, & reſtat damnatio. B Perire non vis, redi ad Deum, & viues. Noli deſperare de venia peccatorum, nec de vita longiori confidere. Conuertere ergo, & pœnitentiam age. Cras, inquies, conuertam. Quare non hodie? Quid malè dicis, ſi cras dicis? Quid malè, ſi hodie? Fortè dicis, Longa erit vita mea. Dicam, ſi longa ſit, bona ſit; ſi breuis, & ipſa bona ſit. Quis ferat malum longum? Prandium longum non vis habere malum, & vitam longam vis habere malam? Villam emis? bonam deſideras. C Vxorem vis ducere? bonam quæris. Filios tibi naſci vis? bonos optas. Et vt etiam de rebus viliſſimis loquar, caligas emis, & non vis malas: & vitam amas malam? Quid te offendit vita tua, qui ſolam vis malam, vt inter omnia bona ſolus ſis malus? *Neque tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem.* Verba Dei ſunt, non mea. Non à me hæc audiſti, ſed ego tecum audio à Domino. Fortè reſpondes: Cras, cras. O vox coruina! Coruus non redit ad arcam, columba redit. D Si enim tunc vis pœnitentiam agere, quando peccare non potes: peccata te dimiſerunt, non tu illa. Satis alienus à fide eſt, qui ad agendam pœnitentiam tempus ſenectutis expectat. Metuendũ eſt, ne dum ſperat miſericordiam, incidat in iudicium. Neque enim tunc veniam inueniet, qui modo aptum veniæ tempus perdidit. Ibi iam à Deo non poteſt mereri quod petit, qui hîc noluit audire quod iuſſit. Qui tempus pœnitentiæ datum neglegit, fruſtra ante tribunal Chriſti preces effundit. E Feſtinare debet ad Deum conuertendo vnuſquiſque dum poteſt: ne ſi dum poteſt noluerit, omninò cùm tardè voluerit non poſſit.

Eccli. 5. Gen. 8.

De Timore Domini. Cap. XV.

Initium ſapientiæ timor Domini. Magna eſt cautela peccati Deum ſemper præſen-

Pſal. 110.

Eccleſ. 2. Eccl. 1. & 2. tem, timere. Qui perfectè Deum timet, A diligenter ſe à peccatis cuſtodit. *Timenti Deum in nouiſſimo bene erit, & merces eius in æternum permanet.* Qui erubeſcit in conſpectu hominis peccare, quanto magis debet erubeſcere in conſpectu Dei iniquitatem agere, qui non ſolùm opera, ſed & corda conſiderat. Qui timores cum Deo metuunt*, inquirunt quæ benè placita ſunt illi. (*al. Qui timore ſancto Deum metuunt.) Alius eſt timor filiorum, alius eſt timor ſeruorum. Serui enim propter tormenta dominos timent, filij verò propter amorem patres timent. Si filij Dei ſumus, B timeamus eum ex caritatis dulcedine, non de timoris amaritudine. Homo ſapiens in omnibus operibus ſuis metuit Dominum, ſciens ſe nunquam eius præſentiam fugere poſſe, ſicut Pſalmiſta Deo dicit: (Pſal. 138.) *Quò ibo à ſpiritu tuo, & quò à facie tua fugiam?* Iterum, (Pſal. 74.) *Quia neque ab Oriente, neque ab Occidente*, ſubauditur, nullus patet locus fugiendi Deum. (Eccl. 32.) *Qui timet Deum, accipiet doctrinam eius: & qui vigilauerint in mandatis illius*, inuenient benedictionem ſempiternam. (Prou. 28.) *Timentis Deum beata eſt anima*, & à tentatione diabolica tuta remanet. C (Eccl. 33.) *Beatus homo qui ſemper eſt pauidus*, & cui donatum eſt Dei timorem ſemper ante oculos habere. Qui timet Dominum, recedit ab itinere prauo; & ad virtutis ſemitam vias ſuas dirigit. (Eccl. 1.) Timor Domini repellit peccata, (Prou. 15.) & adiicit virtutes. Timor cautum facit hominem & ſollicitum, ne peccet. (Pſalm. 111.) Vbi verò timor Domini non eſt, ibi diſſolutio vitę eſt. Quiſquis Deum in proſperis non timet, vel in aduerſis refugiat ad illum, qui flagellat vt ſanet. D (1. Ioan. 14.) *Beatus vir qui timet Dominum, in mandatis eius cupit nimis.* Timor Dei timorem gehennæ expellit. Sic timeamus Deum, vt diligamus eum; quia *perfecta caritas foras mittit timorem ſeruilem.*

De Ieiunio. Cap. XVI.

Perfectum eſt Ieiunium quod in eleemoſynis & oratione fit*. (*al. orationibus in cœlum.) Cælum tranſit, & ad thronum altiſſimi Dei peruenit. E Tunc enim homo ſpiritualis effectus Angelis coniungitur, Deóq; liberiùs copulatur. Abſtinentia carnis orationibus exaltatur. Per ieiunia & orationes occulta myſteriorum cœleſtium reuelantur, diuiníque Sacramenti arcana panduntur. Quandiu Adam abſtinuit, manſit in Paradiſo: manducauit, & expulſus eſt. Ieiunia fortia tela ſunt aduerſus tentamenta dæmoniorum. Citò enim per abſtinentiam vincitur. Vnde etiam Dominus & Saluator noſter eorum incurſus ieiuniis & orationibus præmonet ſuperare dicens: *Hoc genus non eiicitur, niſi in orationem & ieiunium.* (Matth. 17. Marc. 9.) Immundi enim ſpiritus ibi ſe fiducialiùs immittunt; vbi videbunt frequenter commeſſationes & ebrietates exerceri. Abſtinẽtia corpus macerat, ſed cor impingueſcit. Carnem debilitat, ſed animam confortat. Sed ſciendum eſt quòd ieiunia cum bonis operibus Deo optima ſunt, & acceptabilia. Qui autem à cibis abſtinent, & prauè agunt; dæmones imitantur, quibus eſca carnalis non eſt, & nequitia ſpiritualis ſemper ineſt. Ille enim benè abſtinet à cibis, qui & à malitiæ actibus, & à mundi ieiunat ambitionibus. Melius eſt prædicationis ſanctæ conuiuio victuram in perpetuo mentem reficere, quàm ventrem mortiferæ carnis delicioſis ſaturare epulis.

De Eleemoſynis. Cap. XVII.

Sciendum eſt enim eſſe pietatis opus, vt de his quæ nobis cœleſtis Pater miſericorditer contulit, nos quoque alios adiuuemus. Sunt enim plurimi, qui nullam in agris, nullam in vineis, nullam habent in ſeculi diuitiis portionem. Quorum inopiæ de ea, quam Dominus nobis dedit, copia conſulere debemus, vt & ipſi nobiſcum Deo pro terræ fœcunditate benedicant, & gaudeant poſſidentibus fuiſſe donata, quæ etiam pauperibus ac peregrinis facta fuerunt communia. Felix eſt illud horreum, & omnium fructuum multiplicatione digniſſimum: vnde egentium, & debilium, & peregrinorum ſaturatur eſuries. Quos ideò ſub diuerſis moleſtiis iuſtitia Dei laborare permiſit, vt & miſeros pro pœnitentia*, & miſericordes pro beneuolentia coronaret. (*al. patientia.) Efficaciſſima enim pro peccatis deprecatio eſt in eleemoſynis atque ieiuniis, & velociter ad diuinas conſcendit aures. Talibus oratio eleuatur ſuffragiis, quoniam ſcriptum eſt, *Animæ ſuæ benefacit vir miſericors.* (Prou. 11.) Pars enim corporalium facultatum, quæ indigentibus miniſtratur, in diuitias largienti tranſit æternas. Ita miſericordiam Dei & indulgentiam peccatorũ noſtrorum pauperum miſeratione & eleemoſynis meremur: quoniam qui ſuum ab inope non auertit animum, citò ad ſe Domini conuertit auditum, dicente Domino: *Eſto-* (Luc. 6.)

te miſericordes, ſicut Pater veſter miſericors eſt. Quod redditurum ſe promittit Veritas, ſecura expendat humanitas. Conſtans eſto, Chriſtiane largitor, da quod accipias, ſere quod metas, ſparge quod colligas. Noli metuere diſpendium, noli de dubio ſuſpirare prouentu. Subſtantia tua cùm benè erogatur, augetur. Remunerator tuus vult te eſſe munificum. Et qui dat vt habeas, mandat vt tribuas, dicens: *Date, & dabitur vobis.* Auare, ſi aurum diligis, vel diuitias ſeculi; da, ne perdas. Si ſeruaueris, ſine dubio perdes: ſi erogaueris, omninò habebis eas æternaliter, dicente ipſa Veritate: (Matth. 6.) *Theſaurizate vobis theſauros in cælo, vbi nec ærugo, nec tinea demolitur: neque fures effodiunt, & furantur. Vbi eſt theſaurus tuus, ibi & cor tuum.* Vtiquè bene diſpenſantes temporalia, vt adquiratis æterna. Noli timidus eſſe in largiendo, ne ſis egenus in retributione: (Luc. 12.) quia *qui parcè ſeminat, parcè & metet.* (1. Pet. 4.) *Qui autem miſeretur pauperi, beatus erit.* (2 Cor 9.) *Redemptio itaque animæ viri, diuitiæ eius.* (Prou 14.) *Honorat Deum, qui miſeretur pauperis.* (Prou. 13.) *Abſconde eleemoſynam in ſinu pauperis*, dicit Scriptura (Eccl. 29.) ſancta, *& ipſa orabit pro te. Sicut aqua extinguit ignem, ita eleemoſyna extinguit peccatum.* (Eccl. 4.) *Animam eſurientem ne deſpexeris, & ne exaſperes pauperem in clamore ſuo.* Qui auertit aurem ſuam à clamore pauperis, illius oratio clementiam Dei non merebitur. In vita tua benefac animæ tuæ, eleemoſynas dans miſeris, quia poſt mortem non habes poteſtatem benè faciendi. In con(Luc. 14.)uiuiis tuis pauperes veſcantur, & Chriſtus in illis. Tria ſunt genera eleemoſynarum. Vna corporalis, egenti dare quicquid poteris. Altera ſpiritualis, dimittere à quo læſus fueris. Tertia delinquentem corrigere, & errantes in viam reducere veritatis.

De Caſtitate. CAP. XVIII.

CAſtitas, Angelica eſt vita. Caſtitas cum humilitate, Spiritus ſancti merebitur habitationem, quam expellit immunditia (Sap. 1.) libidinum, dicente Scriptura: *Corpus peccatis ſubditum Spiritus ſanctus effugiet.* Mem(Rom. 6.)bra noſtra Deo debent eſſe dicata, non (1. Cor. 6.) fornicationi. Opponat homo deſiderio carnis ſuæ æternorum flammas tormentorum. Adſueſcat iuuenis caſtitati, vt ſit dignus ſapientia Dei. Vbi immunditia eſt corporis, ibi habitatio diabolici ſpiritus; qui maximè gaudet in inquinatione carnis noſtræ. Omnes immunditiæ

A Deo diſplicent, & maximè quæ non ſunt naturales. Ammonet itaque nos ſcriptura ſancta, dicens: *Poſt concupiſcentias tuas* (Eccle.) *non eas, & à voluntate tua auertere. Si præſtes animæ tuæ concupiſcentias tuas, faciet te in gaudium inimicis tuis venire.* Eius quoque modi Salomon ſapientiſſimus proferebat ſententias de cauenda immunditia carnis, dicens: *Fauus diſtillans labia meretricis,* (Prou.) *& nitidius oleo guttur. Nouiſſima autem illius amara quaſi abſinthium, & acuta quaſi gladius biceps. Pedes eius deſcendunt ad mor-* B *tem, & ad inferos greſſus illius penetrant. Per ſemitam vitæ non ambulant, vagi ſunt greſſus eius, & inueſtigabiles. Nunc ergo fili mi audi me, & ne recedas à verbis oris mei. Longè fac ab ea vias tuas, & ne appropinques foribus domus eius* Hoc ſiquidem non ſolùm de meretricum immunditia dixit: ſed etiam de omni carnis concupiſcentia, quæ ſollicitat animam ſuam conſentire deſideriis. Sed ratio mentis prohibere debet impetus carnis, & refrenare voluptates eius iniquas. Item ille qui ſupra, prohibens C cohabitationem feminarum, iuuenibus dicit: *Numquid abſcondere poteſt homo ignem* (Prou. 6.) *in ſinu ſuo, vt veſtimenta illius non ardeant? Aut ambulare ſuper prunas, vt non comburantur plantæ eius. Sic qui ingreditur ad mulierem proximi ſui, non erit mundus cùm tetigerit eam.* Similiter & beatus Paulus ammonet nos Apoſtolus, inquiens: *Bonum* (1. Cor.) *eſt mulierem non tangere*, quaſi ſtatim in tactu periculum eſſet. Pulchra eſt caſta iuuenum pudicitia, & Deo amabilis, & ad omne bonum vtilis. Qui filios habet ſpi- D rituales, vel carnales; nutriat illos in caſtitate Deo, non in fornicatione diabolo. Quid prodeſt homini filium habere, nutrire, amare; ſi æternis eum nutriet tormentis? Qui in caſtitate viuunt, Angelicam habent in terris conuerſationem. Caſtitas hominem cælo coniungit, Angelis facit conciuem. Qui mulierem habet legitimam, legitimè vtatur ea temporibus opportunis, vt benedictionem mereatur filiorum à Deo recipere. Nemo dicat, à fornicatione ſe cuſtodire non poſ- E ſe. *Fidelis eſt* enim *Deus*, dicit B. Apoſtolus, (1. Cor.) *qui non permittit nos tentari ſupra id quod portare non poſſumus: ſed faciet cum tentatione prouentum.* Talis vnicuique homini tentatio datur, ſiue in carnis deſiderio, ſiue in ambitione ſeculi, vel etiam in quacumque tentationis moleſtia, qualem aut cum laude vincere, aut cum opprobrio ſuccumbere poterit. Omnibus enim caſtitas ſemper neceſſaria eſt, ſed maximè

miniſtris Chriſti altaris, quorum vitæ aliorum debet eſſe eruditio, & aſſidua ſalus prædicatio. Tales enim decet Domino habere miniſtros, qui nulla carnis contagione corrumpantur; ſed potiùs continentia caſtitatis ſplendeant, & totius honeſtatis fulgeant in populo exemplis.

De fraude cauenda. CAP. XIX.

QVi nos benignos ammonet de noſtra ſubſtantia pauperibus & miſeris eſſe, prohibet nos ab omni auaritia & iniuſta pecuniæ adquiſitione. Qui verò ait, *De iuſtis laboribus tuis fac eleemoſynam*, ipſe per Apoſtolum ſuum hortatur nos, dicens: *Nolite fraudem facere inuicem*. Qui fraude qualibet aliquid adquiſierit, perdit iuſtitiam & æquitatem. Dic auare, dic cupide, dic ſcelerate, quid adquiſiſti? Fortè dicis, Aurum adquiſiui: & verum dicis. Ecce aurum adquiſiſti per fraudem, & fidem perdidiſti per iniuſtitiam. Si in mercato fidem inuenires venalem: ſi bonus eſſes, quomodo comparaſſes eam? Quare non times perdere ea, quæ te Deus voluit habere in corde? Aurum habes vel argentum, vel aliud quid precioſius in arca; ſed damnum in corde. His omnibus meliores diuitias perdidiſti, id eſt, fidem, & iuſtitiam, & dilectionem Dei & proximi. Lucrum tuum cogitas, damnum tuum non conſideras. Si huic lucro gaudes, quare illa perdita non plangis? Plus ergo perdidiſti, quàm adquiſiſti. O diues, rapis per potentiam quod tibi placet habere: & perdis per iniuſtitiam quod te Deus vult habere, id eſt, beatitudinem ſempiternam. Si omnis fur, vel raptor lumen oculorum perdidiſſet in furto vel rapina; nunquid poſtea furtum feciſſet vel rapinam? Et neſcit quòd in eiuſmodi peccato lumen perdit cordis, quod melius eſt omni lumine corporis. Magis, auare, da pauperibus quod habes, vt inuenias in cælo quod dediſti in terra. Quid times pecuniam tuam perdere, & non times vt totus pereas? Pro adquiſitione pecuniæ falſum teſtimonium dicis, mentiris, rapis aliena. Iuras, periuras, quæ lex vetat. Cùm hæc omnia facis, quare non times ne totus ardeas in æternum? Cur, auare, plus amas aurum, quàm animam? *Quid enim proderit tibi, ſi mundum vniuerſum lucreris, animæ autem tuæ detrimentum patiaris*? (Matt. 16.) Et ipſe Dominus dicit in Euangelio: *Caue te ab omni auaritia, quia non in abundantia cuiuſquam vita eius, quæ poſſidet*. (Luc. 12.) Numquid non diuites ſimiliter moriuntur, ſicut & pauperes? (Eccl. 2.) Non prodeſſe poſſunt diuitiæ in die vltionis, nec liberabunt malè vtentes* eis à pœnis ſempiternis. (*al. viuentes.) Nihil eſt auaro ſceleſtius qui animam ſuam habet venalem pro cupiditate diuitiarum. Auaritia modum ignorat, & cùm omnia deuoret, neſcit penitus ſatiari. Eſuriens ſemper & inops eſt. Auarus vir inferno eſt ſimilis, qui nunquam impletur. (Eccl. 10.)

De Iudicibus. CAP. XX.

OMnis qui rectè iudicat, ſtateram in manu geſtat. In vtroque ſenſu iuſtitiam & miſericordiam portat: ſed pro iuſtitia reddit peccati ſententiam, pro miſericordia peccati temperat pœnam. Quædam verò ſunt à iudice bono per æquitatem corrigenda, quædam itaque per miſericordiam indulgenda. Sine perſonarum acceptione debent eſſe iudicia. Nihil enim iniquius eſt quàm munera accipere in iudiciis: quia *munera excæcant corda prudentium, & ſubuertunt corda iuſtorum*. (Deut. 16. Eccleſ. 20.) *In quo enim iudicio*, dicit Dominus, *iudicabitis; iudicabitur vobis*. Quapropter Iudex Deum iudicem timeat, ne fortè Deo iudicante damnetur, qui innocentes damnat, vel impios iuſtificat pro muneribus, vel cuiuſlibet perſonæ amore vel odio. Nemo Principum ſtultos vel improbos iudices ponere debet. Nam ſtultus per ignauiam ignorat iuſtitiam, improbus autem per cupiditatem ſubuertit ipſam, quam didicit, veritatem. Penè grauiùs lacerantur pauperes à prauis iudicibus, quàm à cruentiſſimis hoſtibus. Nullus enim prædo tam cupidus in alienis, quàm iudex iniquus in ſuis. Peiores ſunt hoſtibus iudices iniqui. Hoſtes ſæpè fuga vitantur: Iudices propter potentiam effugi non poſſunt, qui diuitias ex ciuium oppreſſione congregare ſtudent. Aliquotiens* iudices boni miniſtros habent rapaces, quorum ſcelere coinquinantur, ſi non prohibent rapacitatem illorum. (*al. aliquoties.) Hi in alienis pereunt peccatis, quia *non ſolum*, vt egregius mundi Doctor ait, *qui faciunt, ſed qui conſentiunt facientibus, digni efficiuntur morte perpetua*. (Rom. 1.) Sæpe iudices praui cupiditatis cauſa aut differunt, aut peruertunt iudicia. Nec finiunt cauſas, quouſque ſacculi eorum impleantur. Quando enim iudicant, non cauſas, ſed dona conſiderant. *Iudices praui*, iuxta Prophetæ verbum, *quaſi lupi veſpere: non* relinquunt in mane*, hoc eſt, (Sophon. 3. *f. nihil.)

de præſentis vitę commodo tantum cogitant, de futuro autem nihil, luporum more cuncta rapientes, & vix pauperibus pauca relinquentes. Iracundus iudex iudicij examen plenè contueri non valet, quia caligine furoris non videt claritatem iuſtitię. Nõn eſt perſona in iudicio conſideranda, ſed cauſa. Scriptum eſt enim, *Non accipies perſonam in iudicio*. Iniqui iudices errant in veritatis ſententiam, dum intendunt qualitatem perſonę: & nocent ſępè iuſtis, dum improbè defẽdunt impios. Acceptio munerum in iudiciis, præuaricatio eſt veritatis. Qui Deum timentes iuſtè iudicant, æterna à Domino accepturi ſunt præmia.

Deut. 1.

De falſis teſtibus. Cap. XXI.

Prou. 19.

Falſus teſtis, dicit Salomon, *non erit impunitus*. Qui falſum teſtimonium profert contra proximum ſuum, extinguetur lucerna eius in die vltimo. [* Qui metu cuiuſlibet poteſtatis veritatem occultat, iracundiam Dei ſuper ſe prouocat, quia magis timet hominem quàm Deum. Falſidicus teſtis tribus eſt perſonis obnoxius. Primùm Deo, cuius præſentiam contemnit: deinde iudici, quem mentiendo fallit: poſtremò innocenti, quem falſo teſtimonio lædit. Si falſi teſtes ſeparantur, mox mendaces inueniuntur. Vterque * reus eſt, & qui veritatem occultat, & qui mendacium dicit: quia & ille prodeſſe non vult, & iſte nocere deſiderat. Beatus, cui teſtimonium in conſpectu Dei probabile inuenietur. Quatuor modis iuſtitia in iudiciis ſubuertitur. Timore, cupiditate, odio, amore. Timore, dum metu poteſtatis alicuius veritatem iudicare quiſlibet paueſcit. Cupiditate, dum præmio muneris alicuius corrumpitur iudex. Odio, dum cuiuſlibet inimicitiæ cauſa noceri alteri deſiderat. Amore, dum amicos vel propinquos contra iuſtitiam defendit potentior. His quatuor modis ſæpè æquitas iudicij ſubuertitur, & innocentia læditur. Magis dolendi ſunt, qui opprimunt pauperes, quàm qui patiuntur iniuriã.] Illi enim qui opprimuntur, temporalem miſeriam citò finiunt: illi verò qui opprimunt eos per iniuſtitiam, æternis flammis deputabuntur. Hîc verò ſæpè à malis boni iudicantur: in futura ſiquidem vita mali iudicantur à bonis. Sæpè etiam & hîc boni infelices ſunt & miſeri coram hominibus, & mali felices. In illa itaque æterna retributione ſemper boni felices erunt, & mali ſemper miſeri erunt. Quorum bona ſunt in ſeculo, contendant maximè ne bona perdant perpetua: & qui moleſtias patiũtur, fortiter eas ſufferant, vt æterna beatitudine digni inueniantur.

* *Quæ ſequuntur his incluſa notis [ ] addita ſunt nũc primùm ex MS. Cod.*

* Æquè.

De Inuidia. Cap. XXII.

Sap. 2.

Inuidia diaboli mors introiuit in orbem terrarum. Dum inuidebat homini terreno cælum, quærebat quomodo eum perderet per tranſgreſſionem illius mandati quod Creator homini ſtatuit. Nihil nequius poteſt eſſe inuidia, quæ alienis torquetur bonis: & quod ipſa non habet, alios videt* habere. Omnibus inimica eſt bonis inuidia. Vbi eſt inuidia, caritas eſſe non poteſt. Et vbi caritas non eſt, ibi nihil boni eſſe poterit. Qui inuidet, diabolo ſimilis eſt, qui per inuidiam hominem de paradiſi felicitate deiecit. Magnus vir eſt, qui inuidiam humilitate ſuperat, diſcordiam caritate deſtruit. Quid infelicius eſt homini, quàm alterius bonum ſuum egiſſe ſupplicium? Omnis enim inuidus animo torquetur. Vndè igitur bonus proficit, indè inuidus contabeſcit. Melius eſt bonorum imitari exempla, quàm eos inuidiæ ſtimulo agitare. Inuidia ſenſum mordet, pectus vrit, mentem affligit. Nullus alterius cuiuſlibet doleat bono, vel felicitate aliena contriſtetur.. Poteſt itaque homo alterius bonum ſuũ facere, dum amat in altero quod in ſe non facit.

* al. inuidet

De Superbia. Cap. XXIII.

Iacob. 4. 1. Pet. 5.

Superbis Deus reſiſtit, humilibus autem dat gratiam. Maximum diaboli peccatum fuit ſuperbia. Quapropter omni vitio deterior eſt ſuperbia, quæ ſæpe & de bonis naſcitur actibus, dum homo in ſuis bonis operibus ſuperbit, & hoc perdit per ſuperbiam quod habuit per caritatem. Omnium vitiorum nouiſſimum eſt ſuperbia, dum homo virtutibus ornatur, & in his ſuperbire cœpit. *Omnis* quoque *peccati initium ſuperbia eſt*, dum anima præcepta contemnit Creatoris: mox in cuiuſlibet peccati corruit foueam. Omnis ſuperbia tanto in ima iacet, quanto ſe erigit in alto. Tanto profundius labitur, quantò excelſius eleuatur. Qui enim per propriam ſuperbiam adtollitur, per Dei iuſtitiam damnatur. Ante ruinã hominis exaltatur ſpiritus eius. Nihil magis Chriſtiano vitandum eſt, quàm ſuperbia, quæ irã Dei prouocat. Nam ſuperbia ex Angelis dæmones fecit: humilitas autem homines ſanctis Angelis ſimi-

Eccleſ. 10.

les redeit. Superbi cupiunt in ſe prædicari quod non faciunt: humiles refugiunt quicquid boni operantur agnoſci. Non eleuetur homo in bono ſuo, nec laudem ſibi quærat, quamuis aliquid boni faciat: ſed Deum laudare cupiat in donis ſuis, quia nihil boni facit, niſi quod Deus donauit ei * facere.

*al. illi.

De Iracundia. CAP. XXIV.

Epheſ. 4. EGregius mundi Prædicator dicit, *Omnis enim amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor & blaſphemia tollatur à vobis.* Nec enim ira viri iuſtitiam Dei operari poterit. Ira ſine temperamento expers eſt rationis. Reſponſio mollis mitigat iram, ſermo durus ſuſcitat furorem. *Vir iracundus*, vt ait Salomon, *prouocat rixas: qui patiens eſt, mitigat ſuſcitatas. Spiritum* verò *ad iraſcendum facilem quis ſuſtinere poterit? Ira non habet miſericordiam, nec erumpens furor finem vindictæ nouit.* Si te, ô homo, præoccupauerit ira, mitiga eam. Illa ira mala eſt, quæ mentem turbat, vt rectum conſilium perdat. Illa ira eſt iuſta & neceſſaria, quando homo contra propria iraſcitur peccata, & contra ſeipſum indignatur dum malè agit. Dicit enim Propheta: *Iraſcimini, & nolite peccare.* Conceſſit quod naturæ eſt, tulit quod culpæ eſt. Ira alterius tua liniatur patientia. *Noli vinci à malo, ſed vince in bono malum.* Alterius peccatum tuum ſit præmium. Diſpliceat tibi alterius ira. Quod tibi in altero diſplicet, in teipſo quoque diſpliceat. Noli tranquilitatem mentis tuæ alterius perturbatione maculare. Noli te æqualem ſtulto facere, quia, *Ira in ſinu ſtulti requieſcit.* Si tu iraſceris contra eum, erunt * duo mali, tu & ille. Melius eſt te eſſe bonum, quàquam ille ſit malus. Cur tu ex alterius malitia malus efficeris?

Iacob. 1.
Prou. 15.
Prou. 18.
Prou. 17.
Pſalm. 4.
Rom. 12.
Eccl. 7.
*al. eritis.

De humana laude non quærenda. CA. XXV.

Matth. 6. DOminus dicit in Euangelio; *Adtendite ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis*, id eſt, vt ea intentione non faciatis bona, vt ab hominibus vanam laudem habeatis; ſed quicquid homo facit bonum, pro Dei amore & ſalute animæ ſuæ & fraterna caritate faciat. Ideo ipſe Dominus dixit de quibuſdam, qui eleemoſynas faciunt, vel orationes & ieiunia, vt ab hominibus laudem accipiant: *Amen dico vobis, receperunt mercedem ſuam.* Qui pro eo bonum quodlibet facit, vt ab hominibus laudetur: hæc eſt merces il-

Matth. 6.

A lius quam quæſiuit, & nullam à Deo ſperare habet retributionem; quia pro eius amore non fecit, ſed pro vana humanæ laudis iactantia, ſicut hypocritæ facere ſolent. Quod vicium hominibus placendi in bonis operibus, Dominus Ieſus Chriſtus multum deteſtatur: & ſæpius Phariſæos, qui tales fuerunt in Iudæa, terribili * percutit maledictione, dicens: *Væ vobis hypocritæ.* Sed ſecundum Apoſtolum, *Qui gloriatur, in Domino glorietur.* Qui laudem non appetit, nec pro contumelia conturbe- B tur. Nec ideò ſe bonum exiſtimet homo, quamuis ab alio laudetur, quia Deus inſpector eſt cordis. Quid enim prodeſt malo homini, ſi bonus prædicetur? Tunc veraciter hoc quod agit homo bonum eſt, quando Deo placere deſiderat, à quo habet quicquid boni habet vel facit. Qui bona agere videtur, & per hoc non Deo, ſed hominibus placere cupit, in vanum laborat, & in ventum ſeminat. Magnum ſe vnuſquiſque eſſe ſtudeat in ſuis operibus; ſed de magnitudine ſua humanum non C quærat fauorem, ne perdat quod habuit, & ſit paruus factus. Quicquid enim homo boni faciat, hoc ſe ſciat habere non à ſe, ſed à Deo. Increpat eos beatus Paulus Apoſtolus, qui in ſuis gloriantur benefactis, dicens: *Quid habes, quod non accepiſti, quaſi non receperis? Si autem accepiſti, quid gloriaris?* Qui aliquod donum Dei, quod meruit, in ſuam laudem conuerrit, proculdubio virtutem in vitium transfert, & bonum quod fecit in peccatum. Cùm enim cauſa iactantiæ paſcitur pauper, etiam ipſum mi- D ſericordiæ opus in peccatum conuertitur. Quicquid homo boni agit, Deo quærat laudem, non ſibi, ſicut ipſe Dominus in Euangelio ait, *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent patrem veſtrum qui in cœlis eſt.*

*al. tali.
Matth. 23.
1. Cor. 1.
1. Cor. 4.
Matth. 5.

De perſeuerantia in bonis operibus.
CAP. XXVI.

NOn quæritur in Chriſtiano initium boni operis, ſed finis: quia de fine ſuo E vnuſquiſque iudicabitur. Sunt enim qui benè incipiunt & malè finiunt conuerſationem ſuam; ſicut Iudas primò Apoſtolus, & poſtea proditor Domini, & factus ſui conſcius laqueo ſe ſuſpendit. Saulus malè cœpit, ſed bene finiuit: primo perſecutor, poſtea prædicator. Virtus boni operis eſt perſeuerantia, ipſo Domino dicente; *Qui perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit.* Non igitur qui cœperit bonum,

Act. 9.
Matth. 10.

ſed qui perſeuerauerit in bono, hic ſaluus erit. Tunc enim placet Deo noſtra conuerſatio, quãdo bonum quod inchoamus perſeueranti fine complebimus. Bonum ergo non cœpiſſe ſed perfeciſſe, virtus eſt. Non inchoantibus præmium promittitur, ſed perſeuerantibus datur. Semper in vita hominis finis quæritur, qualis ſit extremo tempore vitæ ſuæ: quia de fine ſuo vnuſquiſque aut iuſtificatur, aut condemnatur. Ideo vnuſquiſque inſtantiſſimè bona quæ cœpit perficere contendat, vt perpetuam à Domino mereatur mercedem accipere.

*De octo vitiis principalibus, & primò de Superbia. Cap. XXVII.

** Sunt qui Libellũ alterum ex Capp. ſeqq. conficiunt, & à præcedenti ſeparant. Verum ſeries ac materia ipſorum Capitulorum hoc reuincit, & MSS. Codd. fides vna cum Authoris intentione manifeſtè reclamat.*

OCto ſunt vitia principalia vel originalia omnium vitiorũ, ex quibus quaſi radicibus, omnia corruptæ mentis, vel inceſti corporis diuerſarum vitia pullulant iniquitatum. De quibus pauca dicere ratum duximus, vel ex quibus radicibus qui rami vitioſę germinationis creſcere videãtur; vt ſciat vnuſquiſq; radicibus extirpatis, faciliùs ramos procidere poſſe. Primũ vitium eſt ſpirituale, Superbia, de qua dicitur: *Initium omnis peccati ſuperbia*, quæ regina eſt omnium malorum, per quam angeli ceciderunt de cœlo, quæ fit ex contemptu mandatorum Dei. Fit etiam quando attollitur mens de bonis operibus, & ſe meliorem æſtimat aliis, dum in eo ipſe peior aliis eſt, quo ſe meliorem putat. Fit etiam per contumaciam ſuperbia, quando deſpiciunt homines Senioribus obedire ſuis. Ex ipſa verò naſcitur omnis inobedientia, & omnis præſumptio, & omnis pertinacia, contentiones, hæreſes, arrogantia. Quæ omnia mala vera humilitas famula Dei perfacile vincere * poterit.

Eccl. 10.

*al. curare.

De Gula. Cap. XXVIII.

PRimum eſt corporale peccatum Gula, id eſt, intemperans cibi vel potus voluptas, per quam primi parentes humani generis paradiſi felicitatem perdiderunt, & in hanc ærumnoſam huius vitæ deiecti ſunt; vbi omnis homo per peccatum naſcitur, per laborem viuit, per dolorem moritur. Quæ tribus modis regnare videtur in homine; id eſt, dum homo horam canonicam & ſtatutam gulæ cauſa anticipare cupit, aut exquiſitiores cibos ſibi præparare iubet, quàm neceſſitas corporis, vel ſuæ qualitas perſonæ exigat, vel ſi plus accipiet in edendo vel bibendo, propter deſiderium intemperantiæ ſuæ, quàm ſuæ proficiat ſaluti. De qua gula naſcitur inepta lætitia, ſcurrilitas, leuitas, vaniloquium, immunditia corporis, inſtabilitas mentis, ebrietas, libido: quia ex ſaturitate ventris libido corporis congeritur, quæ per ieiunia & abſtinentiam, & operis cuiuſlibet aſſiduitatem optimè vincitur.

De Fornicatione. Cap. XXIX.

FOrnicatio eſt omnis corporalis immũditia, quæ ſolet fieri ex incontinentia libidinis, & mollicia animæ, quæ conſentit ſuæ carni peccare. Nam anima domina debet eſſe, & imperare carni; & caro famula, & obedire dominæ ſuæ, id eſt, rationali animę. Quę fornicatio fit per commixtionem carnis cum fœmina qualibet, vel etiam alia quacunque immunditia ad explendum libidinis ardorem. De qua naſcitur cæcitas mentis, inconſtantia oculorum vel totius corporis amor immoderatus: ſæpe periculum vitæ, laſciuia, ioca, petulantia, & omnis incontinentia: odium mandatorum Dei, mentis eneruatio, & iniuſtæ cupiditates; negligentia vitæ futuræ, & præſentis delectatio. Quæ vincitur per caſtitatem & continentiam conſuetam, & recordationem ignis æterni, & timorem præſentiæ ſempiterni Dei.

De Auaritia. Cap. XXX.

AVaritia eſt nimia diuitiarum adquirẽdi, habendi, vel tenendi cupiditas, quæ peſtis inexplebilis eſt. Sicut hydropicus, qui quanto plus bibit, tanto plus illi ſitis adcreſcit: ſic auaritia quanto magis habet, tanto plus deſiderat. Et dum modus non eſt illi in habendo, modus illi non erit deſiderando. Cuius genera ſunt inuidia, furta, latrocinia, homicidia, mendacia, periuria, rapinæ, violentiæ, inquietudo, iniuſta iudicia, contemptus veritatis, futuræ beatitudinis obliuio, obduratio cordis. Quæ fit contraria miſericordiæ, eleemoſynis in pauperes, & toti pietati in miſeros. Quæ vincitur per timorem Dei, & per fraternam charitatem, & per opera miſericordiæ, & per eleemoſynas in pauperes, & per ſpem futuræ beatitudinis; dum falſæ huius ſeculi diuitiæ futuræ beatitudinis veris diuitiis vincuntur.

A

De Ira. Cap. XXXI.

IRa vitium eſt de octo vitiis principalibus, quæ ſi ratione non regitur, in furorem vertitur: ita vt homo ſui animi impotens erit faciens quæ non conuenit. Hæc enim ſi cordi inſidit, omnem eximit prouidentiam ab eo facti, nec iudicium rectæ directionis inquirere, nec honeſtæ contemplationis virtutem, nec maturitatem conſilij habere poterit, ſed omnia per præcipitium quoddam facere videtur. De qua, B id eſt, ira, pullulat tumor mentis, rixa & contumeliæ, clamor, indignatio, præſumptio, blaſphemiæ, ſanguinis effuſio, homicidia, vlciſcendi cupiditas, iniuriarum memoria. Quę vincitur per patientiam & lõganimitatem, & per rationem intellectualem, quam Deus inſerit mentibus humanis, & per recordationem orationis Dominicæ, vbi Deo dicitur: *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.*

Matth. 6.

C

De Acedia. Cap. XXXII.

ACedia eſt peſtis, quæ Deo famulantibus multum nocere probatur, dum ocioſus homo torpeſcit in deſideriis carnalibus, nec in opere gaudet ſpirituali, nec in deſiderio animæ ſuæ lætatur, nec in adiutorio fraterni laboris hilareſcit: ſed tantum concupiſcit & deſiderat, & ocioſa mens per omnia diſcurrit. Hæc eſt, quæ maximè monachos excutit de cella in ſeculum, & de regulari conuerſatione eiicit D eos in abrupta vitiorum. Quæ cum miſerabilem obſidet mentem, multis eam inficit miſeriis, quæ multa docet mala. De qua naſcitur ſomnolentia, pigritia operis boni, inſtabilitas loci, peruagatio de loco in locum, tepiditas laborandi, tædium cordis, murmuratio & inaniloquia.* Quę vincitur per ſtudium lectionis, per aſſiduitatem operis boni, per deſiderium futuræ præmiorum beatitudinis, per confeſſionem tentationis quam in mente habet, per ſtabilitatem loci & propoſiti ſui, atque E exercitum cuiuſlibet artis & laboris, vel orationum & vigiliarum inſtantiam, vt nunquam ocioſus inueniatur ſeruus Dei. Difficilius inuenit diabolus tentandi locum in homine, quem in opere inuenit bono; quàm in eo, quem otioſum reperit & nihil boni agentem.

*al. magniloquia.

De Triſtitia. Cap. XXXIII.

TRiſtitiæ duo ſunt genera; vnum ſalutiferum, alterum peſtiferum. Triſtitia ſalutaris eſt, quando de peccatis ſuis animus contriſtatur peccatoris, & ita contriſtatur, vt confeſſionem & pœnitentiam agere quærat, & conuerti ſe ad Deum deſideret. Alia eſt triſtitia huius ſeculi, quæ mortẽ operatur animæ, quæ nihil in bono opere proficere valet, quæ animum perturbat, & ſæpe in deſperationem mittit, vt futurorum ſpem abſtollat bonorum. Ex ipſa naſcitur malitia, rancor, animi puſillanimitas, amaritudo, deſperatio. Sæpe etiam & præſentis vitæ nulla delectatio. Quæ vincitur per lætitiam ſpiritualem, & ſpem futurorum, & conſolationem ſcripturarum, & fraternum ſpirituale conloquium.

De Cenodoxia, id eſt, vana gloria.

Cap. XXXIV.

VAna gloria eſt, dum homo appetit in bonis ſuis laudari, & non dat Deo honorem: non diuinæ computat gratię quicquid boni facit, ſed ex ſe habeat vel ſecularis dignitatem honoris, vel ſpiritualis decorem ſapientiæ, dum homo nihil abſque Dei gratia vel adiutorio habere poſſit boni, ſicut ipſa Veritas in Euangelio diſcipulis ſuis ait: *Sine me nihil poteſtis facere.* Quapropter, qui gloriatur, in Domino glorietur: quia nihil ſine Deo donante boni habere poterit. Ex cuius vicij radice multi malitiæ germinare videntur ramuſculi. Inde iactantia, arrogantia, indignatio, diſcordia, inanis gloriæ cupido & hypocriſis, id eſt, ſimulatio boni operis, cùm de ſe homo vult laudari, quod ſe agere neſcit. Immò penè omnia quæ facit, eo tenore agit, vt ab hominibus laudetur, de quibus ipſe Dominus ait: *Amen dico vobis, receperunt mercedem ſuam.* Huius morbi medicina eſt recordatio diuinæ bonitatis, per quam omnia bona nobis conlata ſunt, quæ habere videmur, etiam & perpetua ipſius Dei caritas, in cuius laude omnia agere debemus, quicquid boni in hoc ſeculo operemur, & magis deſiderare à Deo laudari in die retributionis æternæ, quàm ab homine quolibet in huius tranſitoriæ vitæ conuerſatione. Hi ſunt octo totius impietatis duces cum exercitibus ſuis, & fortiſſimi contra humanum genus diabolicæ fraudis

bellatores, qui Deo auxiliante facillimè vincuntur à bellatoribus Chriſti per virtutes ſanctas. Prima ſuperbia per humilitatē. Gula per abſtinentiam. Fornicatio per caſtitatem. Auaritia per abſtinentiam. Ira per patientiam. Accidia per inſtātiam boni operis. Triſtitia mala per lætitiam ſpiritualem. Vana gloria per caritatem Dei. Igitur ex his Chriſtianæ Religionis ductoribus, quos oppoſuimus diabolicæ impietatis bellatoribus, quatuor præſunt Duces glorioſiſſimi, Prudentia, Iuſtitia, Fortitudo, Temperantia.

De Virtutibus quatuor. CAP. XXXV.

PRimò ſciendum eſt quid ſit virtus. Virtus animi habitus, naturæ decus, vitæ ratio, morum pietas, cultus diuinitatis, honor hominis, æternæ beatitudinis meritum. Cuius partes ſunt, vt diximus, quatuor principales: Prudentia, Iuſtitia, Fortitudo, Temperantia. Prudentia eſt rerum diuinarum humanarumque, prout homini datum eſt, ſcientia; in qua intelligendum eſt quid cauendum ſit homini, vel quid faciendum: hoc eſt quod in Pſalmo
Pſal. 39. legitur, *Diuerte à malo, & fac bonum.* Iuſtitia eſt animi nobilitas, vnicuique rei propriam tribuens dignitatem. In hac diuinitatis cultus, & humanitatis iura & iuſta iudicia, & æquitas totius vitæ conſeruatur. Fortitudo eſt magna animi patientia, & longanimitas, & perſeuerantia in bonis operibus, & victoria contra omnium vitiorum genera. Temperantia eſt totius vitæ modus, ne quid nimis homo vel amet, vel odio habeat; ſed omnes vitæ huius varietates conſiderata temperet diligentia. Hæc verò in fide & caritate obſeruantibus æternæ gloriæ ab ipſa Veritate Chriſto Ieſu præmia pollicentur. Nulla melior eſt ſapientia, quàm ea qua Deus ſecundum modulum humanæ mentis intelligitur, & timetur, & futurum eius creditur iudiciū. Nam quid eſt iuſtius quàm Deum diligere, eiuſque mandata cuſtodi-
* al. eum non eſſemus. re, per quem dum non fuerimus * creati ſumus, & à ſeruitute diabolica liberati, qui nobis omnia bona quę habemus perdonauit? Et quid hac fortitudine melius eſt, quàm diabolum vincere, & eius omnes ſuperare ſuggeſtiones, & omnia aduerſa mundi pro Dei nomine fortiter tolerare? Nobilis virtus eſt valde temperantia, per quam omnis honor vitę huius inter homines conſtat; vt omnia in quacumque cauſa homo temperanter cogitet, loquatur, & agat cum conſilio ſalutis ſuæ. Hæc enim ſunt leuia & ſuauia Deum diligenti, qui ait: *Diſcite à me quia mitis ſum & humilis cor-* Matth. 11.
de: & inuenietis requiem animabus veſtris. Iugum enim meum ſuaue eſt, & onus meum leue. Nonne melius eſt & beatius Deum diligere, qui eſt æterna pulchritudo, æterna flagrantia, æterna iocunditas, æterna dulcedo, æterna ſuauitas, perpetuus honor, indeficiens felicitas; quàm huius ſeculi amare *vanitates & inſanias falſas*, ſpecies pul- Pſal. 39.
chras, dulces ſapores, ſonos ſuaues, odores flagrantes, tactus iocundos, honores & felicitates ſeculi tranſitorias, quæ omnia velut volatilis vmbra recedunt & tranſeunt, & decipiunt amantem ſe, & in æternam mittunt eum miſeriam? Qui verò Deū & Dominū feliciter amat, & indeſinenter colit, & eius mandata perſeuerāter implet, æternam cum Angelis Dei gloriā perpetualiter poſſidere dignus efficietur.

*Peroratio operis**. CAP. XXXVI. * Supra ſcriptus MS. S. Gal li.

HÆc tibi, dulciſſime fili, breui ſermone, ſicut petiſti, dictaui; vt habeas ea quotidie quaſi manualē in conſpectu tuo libellū, & in quo poſſis teipsū conſiderare, quid cauere, vel quid agere debeas: atque per ſingulas vitæ huius proſperitates vel aduerſitates exhortari, quomodo ad culmen perfectionis aſcendere debeas. Nec te laici habitus vel conuerſationis ſecularis terreat qualitas; quaſi in eo habitu vitæ cæleſtis ianuas intrare non valeas. Igitur ſicut omnibus æqualiter regni Dei prædicata eſt beatitudo, ita omni ſexui, ætati, & perſonæ, æqualiter ſecundum meritorum dignitatem regni Dei patet introitus. Vbi non eſt diſtinctio quis eſſet in ſeculo laicus vel clericus, diues vel pauper, iunior vel ſenior, ſeruus vel Dominus: ſed vnuſquiſque ſecundum meritum boni operis perpetuâ coronabitur gloriâ, Amen.

Sequ- deerant- hacten- impreſſ- emplari- additaq- nunc pri- ſunt, par- ex MS. C- partim- Tom. 6 A- tiq. Lect. Caniſii

Salomon dixit.

Verbū dulce multiplicat amicos, & mitigat inimicos: & lingua eucharis in bono Eccl. 6.
homine abūdabit. Multi pacifici ſint tibi, & cōſiliarij tibi ſint vnus de mille. Si poſſides amicum, in tentatione poſſide eum, & non facile credas illi. Eſt enim amicus ſecundum tempus ſuum, & non permanebit in die tribulationis. Eſt amicus, qui egreditur ad amicitiam. Eſt autem amicus ſocius menſæ, & non permanet in die neceſſitatis. Amicus ſi permanſerit fixus, erit tibi coæqualis, & in domeſticis tuis attende. Amicus fidelis, protectio fortis: qui

autem inuenit illum, inuenit theſaurum. A Amico fideli nulla eſt comparatio, & non eſt digna ponderatio auri & argenti contra bonitatem fidei illius. Amicus fidelis medicamentum vitæ & immortalitatis; & qui metuunt Dominum, inueniunt illum. Qui timet Dominum, æquè habebit amicitiam bonam, quoniam ſecundum illum erit amicus illius. Fili à iuuentute tua excipe doctrinam, & vſque ad canos inuenies ſapientiam: & quaſi is qui arat & ſeminat accede ad illam, & ſuſtine bonos fructus illius; in opere enim ipſius exiguum laborabis.

MAGISTRI

ALBINI FLACCI ALCHVVINI

DE SEPTEM ARTIBVS, LIBER.

PRÆFATIO.

SVPERIOR Liber Domino B præſtante completus, Inſtitutionem videlicet diuinarum continet lectionũ. Hic XXXIII. Titulis noſcitur comprehenſus. Qui numerus ætati Dominicæ probatur accommodus: quando mundo peccatis mortuo æternam vitam præſtitit, & præmia credentibus ſine fine conceſſit. Nunc tempus eſt vt aliis VII. Titulis ſecularium lectionum præſentis Libri textum percurrere debeamus. C Qui tamen calculus per ſeptimanas ſibimet ſuccedentes in ſe continuè reuolutus, vſque ad totius orbis finem ſemper extenditur. Sciendum eſt plane, quoniam frequenter quicquid continuum atque perpetuum Scriptura ſancta vult intellegi, ſub iſto numero comprehendit: ſicut dicit Dauid, *Septies in die laudem tibi dixi.* cum tamen alibi profiteatur, *Benedicam Dominum in omni tempore, ſemper laus eius in ore meo.* D Et Salomon, *Sapientia ædificauit ſibi domum, excidit columnas ſeptem.* In Exodo quoque dixit Dominus ad Moyſen, *Facies lucernas ſeptem, & pones eas vt luceant ex aduerſo.* Quem numerum Apocalypſis in diuerſis rebus omnino commemorat. Qui tamen calculus ad illud nos æternum tempus trahit, quod non poteſt habere defectum. Meritò ergo ibi ſemper commemoratur, vbi perpetuum tempus oſtenditur. Sic Arithmetica diſciplina dotata eſt, quãdo E rerum opifex Deus diſpoſitiones ſuas, ſub numeri, ponderis, & menſuræ quantitate conſtituit, ſicut ait Salomon: *Omnia in numero, menſura, & pondere feciſti.* Creatura ſiquidem Dei ſic numero facta cognoſcitur, quando ipſe in Euangelio ait: *Veſtri autem & capilli capitis omnes numerati ſunt.* Sic creatura Dei conſtituta eſt in menſura, ſicut ipſe in Euangelio teſtatur: *Quis autem veſtrum cogitans poteſt adiicere ad ſtaturã ſuam cubitum vnum?* Item Iſaias Propheta dicit: *Qui cœlum metitur palmo, & terram tenet clauſa manu.* Rurſus creatura Dei probatur facta ſub põdere, ſicut ait in Prouerbiis Salomon, *Et librabat fontes aquarum.* Et paulo poſt; *Quando appendebat fundamenta terræ, cum eo eram.* Quapropter opere Dei ſingulizato, magnificæ neceſſaria definitione concluſæ ſunt, vt ſicut eum omnia condidiſſe credimus, ita & quemadmodum facta ſunt aliquatenus diſceremus. Vnde datur intellegi, mala opera diaboli nec pondere, nec menſura, nec numero contineri. Quoniam quicquid agit iniquitas, iuſtitiæ ſemper aduerſum eſt; ſicut & tertius decimus Pſalmus meminit dicens: *Contritio & infelicitas in viis eorum, & viam pacis non cognouerunt: non eſt timor ante oculos eorum.* Iſaias quoque dicit, *Dereliquerunt Deum Sabaot, & ambulauerunt per vias diſtortas.* Reuera mirabilis, & ſummè ſapiens Deus, qui omnes creaturas ſuas ſingulari moderatione diſtinxit, ne aliquid eorum fœda confuſio poſſideret. Vnde Pater Auguſtinus in Libro IIII. de Geneſi ad literam minutiſſimè diſputauit. Modo iam ſecundi voluminis intremus initia, quæ paulò diligentiùs audiamus. Sunt etenim & de etymologiis denſa definitionum plena tractatibus. In quo Libro primum nobis dicendum eſt de Arte Grammatica, quæ eſt videlicet origo & fundamentum liberalium artium. Liber autem dictus eſt à libro, id eſt arboris cortice dempto atque liberato, vbi ante inuentionem cartarum antiqui carmina deſcribebant. Ideóque licentia eſt nunc & breues libros facere, & prolixiores exten-

dere. Quoniam ſicut cortex & virgulta A complectitur, & vaſtas arbores concludit; ita pro rerum qualitate permiſſum eſt modum libris imponere. Scire autem debemus, ſicut Varro dicit, vtilitatis cauſa alicuius omnium artium extitiſſe principia. Ars verò dicitur, quòd nos ſuis regulis artet atque conſtringat. Alij dicunt à Græcis hoc tractum eſſe vocabulum, ἀπὸ τῆς ἀρετῆς, id eſt, à virtute, quam diſerti viri vniuſcuiuſque rei ſcientiam vocant. Secundò, de arte Rhetorica, quæ propter nitorem & B copiam eloquentiæ ſuæ, maximè in ciuilibus quæſtionibus neceſſaria nimis & honorabilis æſtimatur. Tertiò de Logica, quæ Dialectica nuncupatur. Hæc, quantum magiſtri ſeculares dicunt, diſputationibus ſubtiliſſimis ac breuibus vera ſequeſtrat à falſis. quartò de Mathematica, quæ quatuor complectitur diſciplinas, id eſt, Arithmeticam, Geometricam, Muſicam, & Aſtronomicam. Mathematicam verò Latino ſermone doctrinalem poſſumus appellare. quo nomine, licet omnia doctrinalia dicere poſſimus quæcumque docẽt, hæc ſibi tamẽ commune vocabulum propter ſuam excellentiam propriè vindicant: vt Poëta * dictus intelligitur apud Græcos Demoſthenes, apud Latinos Cicero declaratur, quamuis multi Poëtæ & Oratores in vtraque lingua eſſe doceantur. Mathematica verò eſt ſcientia, quæ abſtractam conſiderat quantitatem. Abſtracta enim quantitas dicitur, qua intellectu * amatoria ſeparãtes, vel ab aliis accidentibus, ſola ratiocinatione tractamus. Sic totius voluminis ordo quaſi quodam vade promiſſus eſt. Nunc quemadmodum pollicita ſunt per diuiſiones definitionéſque ſua ſingula Domino iuuante reddamus, quia duplex quodammodo diſcendi genus eſt, quando & linealis deſcriptio imbuit diligenter aſpectum, & poſt aurium præparatum intrat auditum. Nec illud quoq; tacebimus, quibus auctoribus tam Græcis quàm Latinis quæ dicimus expoſita claruerunt; vt qui ſtudioſè legere voluerint, quibuſdam compẽdiis introducti lucidiùs maiorum percipiant dicta.

*leg. videtur, Orat.

CAPITVLA LIBRI.

CAP. I. *De Grammatica.*
II. *De Rhetorica.*
III. *De Dialectica.*
IIII. *De Arithmetica.*
De Muſica. V.
De Geometrica. VI.
De Aſtronomia. VII.

De Grammatica. CAP. I.

GRAMMATICA à litteris nomen accepit, ſicut vocabuli ipſius diriuatus ſonus oſtendit; quas primus omnium Cadmus ſedecim tantum legitur inueniſſe. Eas Græcis ſtudioſiſſimis tradens, reliquas ipſi viuacitate animi ſuppleuerunt. De quarum poſitionibus atque virtutibus Græcè Elenus, Latinè Priſcianus ſubtiliter tractauerunt. Grammatica verò eſt peritia pulchrè loquendi, ex Poëtis illuſtribus Oratoribuſque collecta. Officium eius eſt ſine vitio dictionem proſalem metricamque componere. Finis verò elimatæ locutionis vel ſcripturæ inculpabili placere peritia. Sed quamuis Auctores ſuperiorum temporum de arte Grammatica ordine diuerſo tractauerint, fuiſſeque ſeculis honoris decus habuerint, vt Palemon, Phocas, Probus, & Cenſorinus: Nobis tamen placet in medium Do- C natum deducere, qui & pueris ſpecialiter aptus, & tyronibus probatur accommodus. Cuius gemina commenta reliquimus, vt ſupra quod ipſe planus eſt faciat clarior dupliciter explanatus. Sed & ſanctum Auguſtinum propter ſimplicitatem fratrum breuiter inſtruendam, aliqua de eodem titulo ſcripſiſſe reperimus. quæ vobis lectitanda reliquimus, ne quid rudibus deeſſe videatur, qui ad tantæ ſcientiæ culmina præparantur. Donatus igitur in ſecunda parte ita diſceptat. De voce articulata, de littera, de ſyllaba, de pedibus, D de accentibus, de poſituris, de partibus orationis octo, de etymologiis, de ſcematibus, de orthographia.

Vox articulata, eſt aër percuſſus, ſenſibilis auditu, quantum in ipſo eſt. Litera eſt pars minima vocis articulatæ. Syllaba eſt comprehenſio literarum, vel vnius vocalis enunciatio temporum capax. Pes eſt ſyllabarum & temporum certa dinumeratio. Accentus eſt vitio carens vocis arti-

artificioſa pronunciatio. Poſitura ſiue diſtinctio eſt moderatæ pronunciationis aperta repauſatio. Partes autem orationis ſunt octo, Nomen, Pronomen, Verbum, Aduerbium, Participium, Coniunctio, Præpoſitio, Interiectio.

Nomen eſt pars orationis cum caſu corpus aut rem propriè communitérve ſignificans. Propriè, vt Roma, Tiberis. Communiter, vt vrbs, flumen. Pronomen eſt pars orationis, quæ pro nomine poſita tantumdem penè ſignificat, perſonámque interdum recipit. Verbum eſt pars orationis cum tempore & perſona ſine caſu. Aduerbium eſt pars orationis, quæ adiecta verbo ſignificationem eius explanat atque implet; vt, iam faciam, benè faciam. Participium eſt pars orationis, dicta quòd partem capiat nominis, partémque verbi: recipit enim à nomine genera & caſus, à verbo tempora & ſignificationes, ab vtroque numerum & figuram. Coniunctio eſt pars orationis adnectens ordinánſque ſententiam. Præpoſitio eſt pars orationis, quæ præpoſita aliis partibus orationis, ſignificationem eius, aut complet, aut mutat, aut minuit. Interiectio eſt pars orationis, ſignificans mentis affectum voce incondita.

Schemata ſunt transformationes ſermonum, vel ſententiarum, ornatus cauſa poſita. Quæ ab artigrapho nomine Sacerdote collecta ſunt numero XCVIII. Ita tamen, vt quæ à Donato inter vitia poſita ſunt, in ipſo numero collecta claudantur. Quod & mihi quoque durum videtur, vitia dicere, quæ auctorum exemplis, & maximè legis diuinæ auctoritate firmantur. Hæc Grammaticis Oratoribúſque communia ſunt, quæ tamen in vtraque parte probabiliter reperiuntur aptata. Addendum eſt etiam de etymologiis & orthographia, de quibus nonnullos ſcripſiſſe certiſſimum eſt.

Etymologia verò eſt aut vera, aut veriſimilis demonſtratio, declarans ex qua origine verba deſcendant. Orthographia eſt rectitudo ſcribendi nullo errore vitiata, quæ manum componit & linguam. Hæc breuiter de finitionibus tantum modò dicta ſufficiant. Ceterùm, qui ea voluerit latiùs planiúſque cognoſcere, cum præfatione ſua Codicem legat, quem de Grammatica feci arte conſcribi: quatenus diligens lector inuenire poſſit, quod illi propoſito deputatum eſſe cognoſcimus. Nunc ad artis Rhetoricæ diuiſiones definitionéſque veniamus, quæ ſicut extenta atque copioſa eſt, ita à multis & claris Scriptoribus tractata dilatatur.

De arte Rhetorica.

CAP. II.

RHetorica dicitur ἀπὸ τοῦ ῥητορεύειν, id eſt, copia deductę locutionis influere. Ars autem Rhetorica eſt, ſicut Magiſtri tradunt, ſecularium literarum benè dicendi ſcientia in ciuilibus quæſtionibus. Orator igitur eſt vir bonus dicendi peritus, vt dictum eſt, in ciuilibus quæſtionibus. Oratoris autem officium eſt, appoſitè dicere ad perſuadendum. Finis, perſuadere dictionem, quatinus rerum & perſonarum videtur conditio admittere in ciuilibus quæſtionibus. Vnde nunc aliqua breuiter aſſumemus, vt nonnullis partibus indicatis, penè totius artis ipſius ſummam virtutémque intelligere debeamus. Ciuiles quæſtiones ſecundum Fortunatianum artigraphum nouellúmque, in communem animi conceptionem poſſunt cadere, id eſt, quas vnuſquiſque poteſt intelligere, cùm de æquo quæritur & bono.

Inuentio, Diſpoſitio, Elocutio, Memoria, Pronunciatio. Inuentio eſt excogitatio rerum verarum, aut veris ſimilium, quæ cauſam probabilem reddunt. Diſpoſitio eſt rerum inuentarum in ordinem pulcra diſtributio. Elocutio eſt idoneorum verborum adinuentione accommodata perceptio. Memoria eſt rerum & verborum animi firma perceptio. Pronunciatio eſt ex rerum & verborum dignitate vocis & corporis decora moderatio.

Demonſtratiuum in laude, & vituperatione. Deliberatiuum in ſuaſione & diſſuaſione. Iudiciale in accuſatione, in præmij acceptione, & negatione. Demonſtratiuum genus eſt, cùm aliquid demonſtramus, in quo eſt laus & vituperatio. Deliberatiuum genus eſt, in quo eſt ſuaſio, & diſſuaſio. Iudiciale genus eſt, in quo eſt accuſatio & defenſio, & præmij petitio & negatio. Status verò dicitur ea res in qua conſiſtit. Fit autem ex depulſione & intentione.

Rationalis ſecundum generales quæſtiones ſunt tres, Coniectura, Finis, Qualitas, Tranſlatio. Sed quemadmodum ipſæ

Cicero emendans in Libris de Oratore dicit: Tranſlatio inter legales accipi debet ſtatus. Nam & Fortunatianus ait: Nos tranſlationem tantummodo legalem accipimus. Cur ita? quoniam nulla tranſlatio, id eſt perſcriptio, poteſt eſſe ſine lege. Iuridicialis, Negotialis, Aſſumptiua, Conceſſio, Remotio criminis, Relatio criminis, Compartitio, Purgatio, Deprecatio, legales ſunt. Scriptum & voluntas, leges contrariæ. Ambiguitas, Collectio ſiue Ratiocinatio, Definitio, Legatio.

Coniecturalis ſtatus eſt, cùm factum quod ab alio obiicitur, ab aduerſario pernegatur. Definitiuus ſtatus eſt, cùm id quod obiicitur non hoc eſſe contendimus, ſed quid illud ſit adhibitis definitionibus approbamus. Qualitas eſt, cùm qualis res ſit quæritur, & quia de vi & genere negotij controuerſia, conſtitutio generalis vocatur, cùm caſu ex eo pendet quod agere videtur, quo oportet, aut non, apud quos, quo tempore, qua lege, quo crimine, qua pœna oporteat. Tranſlatiua dicitur conſtitutio, quòd actio tranſlationis & commutationis indigere videtur. Iuriiudicialis eſt, in qua æqui & recti natura, & præmij aut pœnæ ratio quæritur. Negotialis eſt, in qua quid iuris ex ciuili more & æquitate ſit, conſideratur. Aſſumptiua eſt, quæ ipſa ex ſe nihil dicit firmi ad recuſationem, foris autem aliquid defenſionis aſſumit. Conceſſio eſt, cùm reus non id quod factum eſt defendit, ſed vt ignoſcatur poſtulat, quod nos ad pœnitentes probauimus pertinere. Remotio criminis eſt, cùm id crimen quod infertur ab ſe & ab ſua culpa, vi & poteſtate in alium reus demouere conatur. Relatio criminis eſt, cùm ideò iure factum dicitur, quòd aliquis ante iniuriam laceſſitus ſit. Comparatio eſt, cùm aliud aliquod alterius factum honeſtum aut vtile contenditur; quod vt fieret, illud quod arguitur dicitur eſſe commiſſum. Purgatio eſt, cùm factum quidem conceditur quod vt fieret, ſed culpa remouetur. Hæc partes habet tres, imprudentiam, caſum, neceſſitatem. Deprecatio eſt, cùm & peccaſſe ſe, & conſulto peccaſſe reus confitetur, & tamen vt ignoſcatur poſtulat. Quod genus perraro poteſt accidere. Scriptum & voluntas eſt, quando verba ipſa videntur cùm ſententia ſcriptoris diſſidere. Leges contrariæ, ſtatus eſt, quando inter ſe duæ leges aut plures diſcrepare noſcuntur. Ambiguitas eſt, cùm id quod ſcriptum eſt duas aut plures res ſignificare videtur. Collatio eſt, quæ ratiocinatio nuncupatur, quando ex eo quod ſcriptum eſt, aliud quoq; quod ſcriptum non eſt inuenitur. Definitio legalis eſt, cùm vis verbi quaſi in definita conſtitutione, in qua poſita ſit, quæritur. Status eſt tam rationalis quàm legalis. A quibuſdam certius XVIII. connumerantur. Ceterum ſecundum Rhetoricos Tulli XIX. reperiuntur, propterea quia tranſlationem inter rationales principaliter affixerunt ſtatus. Vnde ſe ipſe Cicero ſicut ſuperiùs dictum eſt reprehendens, tranſlationem legalibus ſtatibus applicauit.

Controuerſia, ſicut ait Cicero, aut ſimplex, aut iuncta. Et ſi iuncta erit, conſiderandum eſt, vtrum ex pluribus quæſtionibus iuncta ſit, an ex aliqua comparatione. Simplex eſt, quæ abſolutam continet vnam quæſtionem, hoc modo: Corinthiis bellum indicamus, an non? Iuncta eſt ex pluribus quæſtionibus, in qua plura quæruntur, hoc modo: Vtrum Carthago diruatur, an Carthaginienſibus reddatur, an eò colonia deducatur? Ex comparatione, vtrum potius, aut quid potiſſimum quæritur, ad hunc modum: Vtrum exercitus in Macedoniam contra Philippum mittatur, qui ſociis ſit auxilio; an teneatur in Italia, vt quàm maximæ contra Hannibalem copiæ ſint?

Honeſtum cauſæ genus eſt, cui ſtatim ſine oratione noſtra fauet auditoris animus. Ammirabile, à quo eſt alienatus animus eorum qui audituri ſunt. Humile, quod neglegitur ab auditore, & non magnopere attendendum videtur. Anceps eſt, in quo aut iudicatio dubia eſt, aut cauſa & honeſtatis & turpitudinis particeps, vt beniuolentiam pariat & offenſionem. Obſcurum, in quo aut tardi auditores ſunt, aut difficilioribus ad cognoſcendum negotiis cauſa cernitur implicata.

Exordium eſt oratio animum auditoris idoneè comparans ad reliquam dictionem. Narratio eſt rerum geſtarum, aut vt geſtarum expoſitio. Partitio eſt, quæ ſi rectè habita fuerit, illuſtrem & perſpicuam totam efficit orationem. Confirmatio eſt, per quam argumentando noſtræ cauſæ fidem & auctoritatem confirmamus, cùm adiungitur oratio. Reprehenſio eſt, per quam argumentando

aduerſariorum confirmatio diluitur, aut A eleuatur. Concluſio eſt exitus & determinatio totius orationis, vbi interdum & epilogorũ aleuatio flebilis adhibetur. Hæc licet Cicero Latinę eloquentię lumen eximiũ per varia volumina copioſe nimis & diligenter effuderit, & in arte Rhetorica duobus Libris videatur amplexus, quorũ cõmmẽta à Mario Victorino compoſita à Bibliotheca mea vobis reliquiſſe cognoſcor: Quintilianus tamẽ Doctor egregius, qui per fluuios Tullianos ſingulariter valuit implere quæ docuit, virum bonum di- B cendo peritum à prima ætate ſuſcipiens per cunctas artes ac diſciplinas nobilium literarum erudiendum eſſe monſtrauit. Quem meritò ad defendendum, totius ciuitatis vota requirerent. Libros autem duos Ciceronis de arte Rhetorica, & Quintiliani duodecim Inſtitutionum iudicauimus eſſe iungendos: vt nec codicis excreſceret magnitudo & vtrique dum neceſſarij fuerint, parati ſemper occurrant. Fortunatianũ verò Doctorem nouellum, qui tribus voluminibus de hac re ſubtiliter mi- C nutéque tractauit, in pugillari Codice aptè forſitan congruenterque redigimus, vt & faſtidium lectori tollat, & quæ ſunt neceſſaria competenter inſinuet, hunc legat qui breuitatis amator eſt. Nam cum opus ſuum in multos libros . . . . plurima tamen acutiſſima ratiocinatione diſſeruit. Quos codices cum præfatione ſua in vno corpore reperietis eſſe collectos.

Aut per Inductionem, cuius membra ſunt hæc, Propoſitio, Illatio quæ & Aſſum- D ptio dicitur, Concluſiò. Aut per Ratiocinationem, Pentymema, qui eſt imperfectus Syllogiſmus atque rhetoricus; qui ſicut Fortunatianus dicit, quinque generibus explicatur. Coniunctibile, Oſtentabile, Sententiale, Exemplabile, Collectiuum. Perepichrema verò, qui eſt rhetoricus & latior ſyllogiſmus, fit per tripertitas, aut quatripartitas, aut quinquepartitas. Argumentatio dicta eſt, quaſi argumentis oratio. Argumentatio enim eſt oratio ipſa, qua inuentum probabile E exſequimur argumentum. Inductio eſt oratio, quæ rebus non dubiis captat aſſenſionem ei cum quo inſtituta eſt, ſiue inter Philoſophos, ſiue inter Rhetores, ſiue inter ſermocinantes. Propoſitio Inductionis eſt, quæ ſimilitudines concedendæ rei neceſſariò vnius inducit, aut plurium. Illatio Inductionis eſt, quæ & aſſumptio dicitur, quæ rem de qua contenditur, & cuius cauſa ſimilitudines habitæ ſunt, introducit. Concluſio inductionis, quæ aut conceſſionẽ illationis confirmat, aut quid ex ea conficiatur oſtendit. Ratiocinatio eſt qua id de quo eſt quæſtio, comprobamus. Entymema igitur eſt, quod Latinè interpretatur mentis conceptio, quam imperfectum ſyllogiſmum ſolent artigraphi nũcupare. Nam in duabus partibus hæc argumenti forma conſiſtit, quando id quod ad fidem pertinet faciendam, vtitur ſyllogiſmorum lege prætерita, vt eſt illud: Si tempeſtas vitanda eſt, non eſt igitur nauigandum. Ex ſola enim propoſitione conſtat eſſe perfectum. Inde magis Oratoribus quàm Dialecticis conuenire iudicatum eſt. De Dialecticis autem ſyllogiſmis ſuo loco dicemus. Conuincibile eſt, quod euidenti ratione conuincit, ſicut fecit Cicero pro Milone: Eius igitur mortis ſedetis vltores, cuius vitam ſi putetis per vos reſtitui poſſe, nolitis. Oſtentabile eſt, quod certa rei demonſtratione conſtringit, ſicut Cicero in Catilinam: Hic tamen viuit, viuit; imò in Senatum venit. Sententiale eſt, quod ſententia generalis addicit, vt apud Terentium: Obſequium amicos, veritas odium parit. Exemplabile eſt, quod alicuius exempli comparatione, euentum ſimilem comminatur, ſicut Cicero in Philippicis: Te miror Antoni, quorum exempla imitaris, eorum exitus non pertimeſcere. Collectiuum eſt, quo vnum quæ argumentata ſunt colliguntur, ſicut ait Cicero pro Milone: Quem igitur cum gratia noluit, hunc voluit cum aliquorum querela; quem iure, quem loco, quem tempore non eſt auſus; hunc iniuria, alieno tempore, cum periculo capitis non dubitauit occidere. Præterea ſecundum Victorinum Entymematis eſt altera definitio. Ex ſola propoſitione, ſicut iam dictum eſt, ita conſtat Entymema, vt eſt illud: Si tempeſtas vitanda eſt, non eſt nauigatio requirenda. Ex ſola aſſumptione, vt eſt illud: Sunt qui mundum dicant ſine diuina amminiſtratione diſcurrere. Ex ſola concluſione, vt eſt illud: Vera eſt igitur diuina ſententia. Ex propoſitione & aſſumptione; vt eſt illud, Si inimicus eſt occidendus. Inimicus autem eſt. Et quia illi deeſt concluſio, Entymema vocatur.

Sequitur Epichirema. Epichirema eſt, quod ſuperius diximus, deſcendens de ratiocinatione latior exſecutio rhetorici Syllogiſmi, latitudine diſtans & produ-

ctione ſermonis, à dialecticis Syllogiſmis; propter quod Rhetoribus datur. Tripertitus Epichirematicus ſyllogiſmus eſt, qui conſtat membris tribus, id eſt, Propoſitione, Aſſumptione, Concluſione. Quatripertitus, qui conſtat ex membris quatuor, Propoſitione, Aſſumptione, & vna Propoſitionis ſiue Aſſumptionis coniuncta probatione, & Concluſione. Quinquepertitus eſt itaque, qui conſtat ex membris quinque, id eſt, Propoſitione & eius probatione, Aſſumptione & probatione, & Concluſione. Hunc Cicero ita facit in arte Rhetorica: Si deliberatio & demonſtratio genera ſunt cauſarum, non poſſunt rectè partes alicuius generis cauſæ putari. Eadem enim res alij genus, alij pars eſſe poteſt, eidem genus & pars non poteſt: & cetera quouſque Syllogiſmi huius membra claudantur. Sed . . . . . quantum aliis partibus Lector ſuum exercere poſſit ingenium. Memoratus autem Fortunatianus in tertio Libro meminit de Oratoris memoria, de pronunciatione, & voce. Vnde tamen Monachus cum aliqua vtilitate diſcedit, quando ad ſuas partes non improbè videtur attrahere, quod illi ad exercendas controuerſias vtiliter aptauerunt.

A Memoria ſiquidem lectionis diuinæ, recognita cautela ſeruabitur, cùm in ſupradicto Libro eius vim qualitatemque cognouerit. Artem verò pronunciationis in diuinæ legis effectione concipiet. Vocis autem diligentiam in Pſalmodiæ cantatione cuſtodiet, ſi inſtructus in opere ſancto redditur, quamuis aliquantulum libris ſecularibus occupetur.

Nunc ad Logicam, quæ & Dialectica dicitur, ſequenti ordine veniamus. B Quam quidam diſciplinam, quidam artem appellare maluerunt, dicentes, quando apodicticis, id eſt, veris diſputationibus aliquid differit, diſciplina debeat nuncupari. Quando autem quid veriſimile atque opinabile tractat, nomen artis accipiat. Ita vtrumque vocabulum argumentationis ſuæ qualitate promeretur. Nam Pater Auguſtinus hac credo ratione commonitus Grammaticã atque Rhetoricam diſciplinæ nomine vo- C citauit, Varronem ſequutus. Felix etiam Capella operi ſuo de ſeptem diſciplinis titulum dedit. Diſciplina enim dicta eſt, quia diſcitur plena: quæ merito tali nomine nũcupatur, quoniam incommutabilis ſemper regula veritatis obſequitur * * *

Cætera deſunt.

MAGISTRI

ALBINI FLACCI ALCHVVINI

GRAMMATICA.

DISCIPVLI, MAGISTER.

D. AVDIVIMVS, ô doctiſſime Magiſter, ſępius dicentem te, quod Philoſophia eſſet omnium virtutum magiſtra, & hęc ſola fuiſſet, quæ inter omnes ſeculi diuitias, nunquam miſerum, ſe poſſidentem reliquiſſet. Incitaſti nos, vt verè fatemur, his dictis, ad tam excellentis felicitatis indagationẽ: ſcire cupientes, quæ eſſet huius magiſterij ſumma, vel quibus gradibus aſcendi potuiſſet ad eam. Ætas igitur noſtra tenera eſt; & te nõ dante dexteram, ſola ſurgere, ſatis infirma eſt. Animi verò noſtri naturam eſſe intelligimus in corde, ceu oculorum in capite. Oculi itaq; ſi ſplendore ſolis, vel alia qualibet lucis præſentia aſperguntur, perſpicaciſſimè quidquid obtutibus occurrit, diſcernere valent. Cæterum ſine lucis acceſſu, in tenebris manere notiſſimum eſt. Sic D animi vigor, acceptabilis eſt ſapientiæ, ſi erit, qui eum illuſtrare incipiat.

M. Bene ſiquidem filij comparationem oculorum, & animi protuliſtis. Sed *qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, illuminet mentes veſtras: vt in ea proficere valeatis Philoſophia, quæ nunquam, vt dixiſtis, deſerit poſſidentem. Ioan. 1.

D. Scimus, Magiſter, ſcimus certiſſimè, quod ab eo poſtulandũ eſt, qui dat affluẽter, & nulli improperat. nos tamen moru- E lis quibuſdã inſtruendi ſumus, & quaſi infirmi, tardiore greſſu dicendi, quouſque aliquid fortitudinis adcreſcat in nobis. Ignẽ ſiquidem ſilex naturaliter habet in ſe, qui ſolet exire ad ictus. Naturale itaque eſt mentibus humanis ſcientiæ lumen: ſed niſi crebra doctoris intentione excutiatur, in ſe, quaſi ſcintilla in ſilice latet.

M. Eſt equidem facilè viam vobis de-

monſtrare ſapientiæ, ſi eam tantummodò propter Deum, propter puritatem animæ, propter veritatem cognoſcendam etiam, & propter ſeipſam diligatis, & non propter humanam laudem, vel honores ſeculi, vel etiam diuitiarum fallaces voluptates, quæ omnia, quanto plus amantur, tanto longius aberrare faciunt à vero ſcientię lumine, iſta quærentem, velut ebrius domum, quo tramite reuertatur, ignorat.

D. Fatemur ſcilicet, nos beatitudinem amaſſe: ſed, ſi quæ poſſit in hoc ſeculo eſſe, ignoramus.

M. Eſt enim mentibus hominum veri boni naturaliter inſerta cupiditas: ſed ad falſa quædam plurimos eorum deuius error abducit. quorum quidem alij, maximam felicitatẽ diuitiis abundare credunt, alij honoribus gaudent, alij potentia congratulantur, alij voluptatibus delectantur, alij laudibus inhiant. Quæ diligẽtius conſiderata, tantis implicantur calamitatibus, vt vix aliquid beatitudinis habere videantur. hæc enim ſibi ſomniantes, veram aliqui felicitatem fore exiſtimant: &, dum eos, ad verum bonum naturalis ducit intentio, multiplex tamen error propter ignorantiam abducit.

D. Quis ſanum ſapiens, hæc eſſe tranſitoria ignorat? tamen huius vitæ viatorem horum abundantiã adiuuare quis neſciat?

M. Moderatus eorum vſus adiuuat, nimius grauat, vnde & philoſophicum illud valet elogium: Ne quid nimis.

D. Notum eſt, omnia nimia, nocere. Sed vſque ad quem finem eorum, eſt, quam paulò ante numeraſti, abundãtia petenda?

M. Quantum neceſſitas corporis exigit: & quantum ſapientiæ expoſtulat ſtudium.

D. Perfectorum eſſe arbitramur huius rationis frenis animarum currus coërcere.

M. Ad hanc ſcilicet perfectionem, dum ætas floret, dum animus viget, vos filij, cohortor.

D. Duc age, & reduc per diuinæ vias rationis, & ad huius cacumen perfectionis transfer. Nam licet impari greſſu te ductorem ſequimur.

M. Quid homo, rationale animal, meliore parte immortalis, tui conditoris imago: quid propria perdis? quid aliena petis? cur infima quæris, & ſumma relinquis?

D. Quæ ſunt propria, vel quæ aliena?

M. Aliena ſunt, quæ extra quæruntur, vt diuitiarum congregatio. Intra, ſapientię decus. Igitur tu, ô homo, ſi ipſius compos eris, poſſidebis, quod nec vnquam amittere dolebis, nec vlla tibi fortuna auferre valebit. Quid igitur ô mortales extra petitur, dum intra habetis, quod quæritis?

D. Felicitatem quærimus.

M. Benè quæritis, ſi manentem quæritis, & non fugientem. Videtis, quàm multis amaritudinibus terrena felicitas adſperſa eſt; quæ nulli, vel tota proueniet, vel fida permanet, quia nil non mutabile præſentis vitæ inueniri poteſt. Quid pulchrius luce? & hæc, tenebris ſuccedentibus obfuſcatur. Quid floribus venuſtius æſtatis? tamẽ hiemalibus frigoribus pereunt. Quid ſalute corporis ſuauius? & quis hanc perpetuam habere confidit? Quid tranquilla pace iucundius? & tamen ſæpè hæc triſti diſcordiarum fomite irritatur.

D. Hæc omnia ſic ſe habere, ſicut dicis, non dubitamus: ſed quorſum iſta?

M. Vt ex maiorib⁹ minora cognoſcatis.

D. Quonam modo?

M. Si cœlum, terráq; ſuis ſemper viciſſitudinibus mutantur, generalis omnium pulcritudo, & vtilitas: quanto magis cuiuſlibet rei ſpecialis delectationem tranſitoriam eſſe neceſſe eſt? Et cur ea amari debent, quæ permanere nequeunt? Quid vos homines, de hominis laude, de honoris dignitate, de diuitiarum congregatione cogitatis? Legiſtis Crœſi diuitias, Alexandri famam, Pompeij honorem? Et quid hæc perituris proderunt: dum quiſque illorum immatura morte, cum magno quæſitam labore citò perdidit gloriam, minuit quodammodo propriæ integritatem ſcientiæ, qui ex alienis ſibi ſermunculis laudẽ quærit. Quid de diuitiis congregandis ſtudetis, quæ vel deſerunt, vel deſeruntur? quæ effundẽdo, quàm ſeruando melius ditant? Siquidem auaritia odioſos, claros largitas facit. quarum abundantia, non niſi ex aliorum indigentia congeritur. Quid honores, fomenta ſuperbiæ, quæritis? Nónne vnus eſt omnium pater? Et cur iniuriam facitis conditori veſtro, peiora amando, & meliora amittendo? Ille, genus humanum terrenis omnibus præſtare voluit. Vos, dignitatem veſtram intra infima quæq; detruditis. quanto melius eſt interius ornari, quàm exterius animam perpetuam ſplendore polire.

D. quæ ſunt animæ ornamenta?

M. Primò omnium ſapientia, cui vos maximè ſtudere cohortor.

D. Vnde ſcimus ſapientiam eſſe perpetuam? Et ſi hæc omnia quæ antè numeraſti tranſitoria ſunt, cur non & harum ſcientia pertranſit?

M. Animam putatis eſſe perpetuam?

D. Non ſolùm putamus, ſed etiam certiſſimè ſcimus.

M. Eſtne ſapientia decus, & dignitas animæ?

*Hic prope tres verſus eraſi.

D. Eſt verè. * . . . .

M. . . . .

. . . .

D. Conſequens videtur vtranque eſſe perpetuam, animam ſcilicet & ſapientiam.

M. Videtis ne quolibet caſu ſæpiſſimè diuitias habentem deſerere, & omnes ſeculi honores multoties minui?

D. Videmus itaque, vt ne regni quidem potentia perduret.

M. Quid diuitiæ ſine ſapientia?

D. Quod corpus ſine anima: Salomone dicente: *Quid proſunt diuitiæ ſtulto, cum ſapientiam emere non poſſit?*

M. Nonne hæc eſt, quæ humilem exaltat, & erigit de ſtercore pauperem, vt ſedeat cum principibus, & ſolium gloriæ teneat?

D. Eſt quidem, ſed quàm ſpecioſa in habendo, tam laborioſa in adquirendo.

M. Quis miles ſine certamine coronabitur? quis agricola ſine labore abundat panibus? Nonne vetus prouerbium, radices literarum eſſe amaras, fructus autem dulces? Igitur & noſter orator in Epiſt. ad Heb. idem probat. Omnis quidem diſciplina in præſenti non videtur eſſe gaudij, ſed mœroris; poſtea pacatiſſimum fructum exercitatis in ea adfert iuſtitiæ.

D. Duc age, quò libeat, ſequimur libenter. Quia ſpes præmij ſolet laborem releuare. Omnis quippe, qui arat, in ſpe arat percipiendi fructus. Fertur itaque dum* Diogenes magnus ille Philoſophus omnes ſuos à ſe expulit diſcipulos dicens: ite, quærite vobis magiſtrum, ego verò mihi. Cui ſolus Plato adhærens, quadam die lutulentis pedibus ſuper exſtructum Magiſtri lectulum cucurrit, adſidere doctori, quem Diogenes baculo ferire minabatur, cui puer inclinato capite reſpondit. Nullus eſt tam durus baculus, qui me à tuo ſegregare poſſit latere. At ſi ille, amore ſecularis ſapientiæ flagrans, cœleſtis verò, quæ ad vitam ducit perpetuam, ignarus, ſic ardenter Magiſtrum ſequi perſiſtebat: quanto magis nos, tua, Magiſter, ingredientem vel egredientem, veſtigia ſequi debemus, qui non ſolum literario nos liberalium ſtudiorum itinere ducere noſti, ſed etiam meliore ſophiæ via, quæ ad vitam ducit æternam, * .... poteris?

*cum.

*In MS. hæc corrupta.

M. Diuina nos præcedat gratia, & in theA ſauros ſpiritalis deducat ſapientiæ, in qua diuinæ vbertatis fonte inebriati, vt ſit in vobis fons aquæ ſalientis in vitam æternã. Sed quia Apoſtolo præcipiente legimus: *Omnia veſtra honeſta cum ordine fiant*, vos per quoſdam eruditionis gradus, ab inferioribus ad ſuperiora eſſe ducẽdos reor, donec pennæ virtutum paulatim adcreſcant, quibus ad altiora puri ætheris ſpectamina volantes; dicere valeatis: *Introduxit nos rex in cellaria ſua: exultabimus, & lætabimur in eis.* Cant. 6.

D. Da dexteram Magiſter, & nos ab B humo imperitiæ eleua: & in gradus ſophiæ nos tecum conſtitue, in quibus te ex morum dignitate, ex verborum veritate ſæpius conſiſtere agnouimus. Quò te rerum ratio pulcherrima ab ineunte, vt audiuimus, ætate perduxit; &, ſi Poëticis licet aures accommodare fabulis, nobis non incongruum videtur, quod aſſerunt, epulas Deorum eſſe rationes.

M. Verius, ô filij, dicere poteſtis, rationes eſſe Angelorum cibum, animarum decorem, quam epulas Deorum.

C D. Quoquo modo hæc dici debeant, primos precamur nobis ſapientiæ oſtendi gradus, vt Deo donante, & te edocente, ab inferioribus ad ſuperiora peruenire valeamus.

M. Legimus, Salomone dicente, per quem ipſa ſe cecinit: Sapientia ædificauit ſibi domum, excidit columnas ſeptem. Quæ ſententia licet ad diuinam pertineat ſapiẽtiam, quæ ſibi in vtero virginali domum, id eſt, corpus ædificauit, hanc & ſeptem donis S. Spiritus confirmauit; vel Eccleſi- D am, quæ eſt domus Dei, eiſdem donis illuminauit; tamen ſapientia liberalium literarum ſeptem columnis confirmatur: nec aliter ad perfectam quemlibet deducit ſcientiam; niſi his ſeptem columnis vel etiam gradibus exaltetur.

D. Tandem aliquando pande quod promiſiſti, & propter fragilitatem noſtræ ætatis nos mollioribus incipe lactare, vt ad ſolidiora, creſcente ætate, facilius perueniamus.

M. Diuina præueniente etiam, & perE ficiente gratia faciam quod rogaſtis, vobiſque ad videndum oſtendam ſeptem Philoſophiæ gradus. Per eos denique Deo donante, & vita comite, pro noſtrarum portione virium, penes temporis, & ætatis opportunitatem ad ſublimiora ſpeculatiuæ ſcientiæ deduxero.

D. Duc etiam, duc, & tandem aliquando de nidulo ignauiæ, in ramos tibi a Deo datæ ſapientię compone: vnde aliquod

veritatis lumen cernere valeamus: & quos toties promiſiſti, ſeptenos theoraſticæ diſciplinæ gradus nobis oſtende.

M. Sunt igitur gradus, quos quæritis; & vtinam tam ardentes ſitis ſemper ad diſcẽdum, quàm curioſi modò eſtis ad videndum: Grammatica, Rhetorica, Arithmetica, Geometria, Muſica, & Aſtrologia. Per hos enim Philoſophi ſua contriuerunt otia, atque negotia. Iis namque conſulibus clariores effecti, iis regibus celebriores, iis videlicet æterna memoria laudabiles: iis quoque Sancti, & Catholici noſtræ fidei Doctores, & defenſores, omnibus hæreſiarchis, in contentionibus publicis ſemper ſuperiores exſtiterunt.

Per has verò, filij chariſſimi, ſemitas, veſtra quotidiè currat adoleſcentia, donec perfectior ætas, & animus, ſenſu robuſtior, ad culmina ſanctarum ſcripturarum perueniat. Quatenus hinc inde armati, veræ fidei defenſores, & veritatis adſertores omnimodis inuincibiles efficiamini.

SAXO, FRANCO, DISCIPVLI: MAGISTER.

FVerunt in ſchola Albini Magiſtri duo pueri: Vnus Franco, alter Saxo, qui nuperrimè ſpineta Grammaticæ denſitatis irruperunt. Quapropter placuit illis, paucas literalis ſcientiæ regulas memoriæ cauſa, per interrogationes, & reſponſiones excerpere.

At prior illorũ Franco dixit Saxoni. Eia Saxo, me interrogante, reſponde, quia tu maioris es ætatis. Ego XIV. annorum: tu, vt reor, XV. Ad hæc Saxo reſpondit: Faciam. Ita tamen, vt ſi quid altius ſit interrogandum, vel ex Philoſophica diſciplina proferendum, liceat Magiſtrum interrogare.

Ad hæc Magiſter: Placet filij propoſitio veſtra: & libens annuo veſtræ ſagacitati. & primum dicite, vnde veſtram conuenientius diſputationem eſſe arbitramini incipiendam?

D. Vnde, domine Magiſter, niſi à litera?

M. Bene arbitramini, ſi non Philoſophiæ memoriam paulo prius feciſſetis. Vnde à voce, cuius cauſa, literæ ſunt inuentæ, inchoandam diſputationem conſtat, vel magis, primo omnium interrogandum eſt, quibus modis conſtet diſputatio.

D. Et à te, Magiſter, ſuppliciter rogamus exponi. Nam nos neſcire cõfitemur, A quibus modis conſtet diſputatio.

M. Tria ſunt, quibus omnis collocutio, diſputatioque perficitur, Res, Intellectus, Voces. Res ſunt, quæ animi ratione percipimus. Intellectus, quibus res ipſas addiſcimus. Voces, quibus res intellectas proferimus; cuius cauſſa, vt diximus, literæ inuentæ ſunt.

D. Sed quia diſputationis modos dixiſti, vocis differentias, vt exponas, precamur.

M. Quatuor ſunt differentiæ vocis. B Articulata, inarticulata: literata, illiterata. Articulata eſt, quæ copulata, atque coarctata cum ſenſu profertur: vt, Arma, virumque cano ---- Inarticulata, quæ à nullo ſenſu proficiſcitur, vt crepitus, mugitus. Literata, quæ ſcribi poteſt. Illiterata, quæ ſcribi non poteſt.

D. Vnde dicta vox eſt?

M. A vocando. Ecce habetis, quæ interrogaſtis. Nunc à litera incipite filij.

F. Dic Saxo prior, vnde litera ſit dicta?

S. Vt reor, litera, eſt quaſi legitera: quia C legentibus iter præbet.

F. Da definitionem quoque.

S. Litera, eſt pars minima vocis articulatæ.

D. Habet, & Magiſter, alteram definitionem, litera?

M. Habet: ſed in eundem cadentem ſenſum. Litera, eſt indiuidua. quia ſententias, in partes: partes in ſyllabas: ſyllabas in literas diuidimus. Litteræ verò indiuiſibiles ſunt.

D. Vnde literæ elementa dicuntur?

D M. Quia ſicut elementa coëuntia corpus perficiunt; ſic hæ conglutinatæ literalem vocem componunt.

F. Da collega diuiſionem literarum.

S. Sunt aut vocales, aut conſonantes. Item conſonantes diuiduntur in ſemiuocales & mutas.

F. Rationem pone ſingulis diuiſionibus.

S. Vocales per ſe proferuntur, & per ſe ſyllabam faciunt. Conſonantes nec per ſe edici poſſunt, nec per ſe ſyllabam facere.

D. Habent ne, Magiſter, alteram rationem, E cur ſic diuidantur?

M. Habent. Vocales ſunt ſicut animæ: conſonantes ſicut corpora. Anima verò & ſe mouet, & corpus. Corpus verò immobile eſt ſine anima. Sic ſunt conſonantes ſine vocalibus. Nam ſcribi poſſunt per ſe, edici verò, vel poteſtatem habere, ſine vocalibus nequeunt.

F. Vnde dictæ ſunt, vocales, vel conſonantes?

S.Vocales dictæ ſunt,quia per ſe vocem impleant, nulla adhærente conſonante. Conſonantes vocatæ ſunt,quia per ſe non ſonant, ſed vocalibus conſonant. A

F. Quæ eſt differentia inter ſemiuocales & mutas?

S. Quantum enim à vocalibus ſuperantur ſemiuocales; tantum ſemiuocales ſuperant mutas. Nam à vocalibus incipiunt, & in ſe deſinunt: & maiori euphonia ſonant, & ſæpius dictiones ſemiuocalibus, quàm mutis, propter euphoniam, id eſt, ſonoritatem finiuntur. Mutæ verò à ſe incipiunt, & in vocales deſinunt, & deformius ſonant. B

F. Vt reor, in Donato legimus, tria accidiſſe literis: Nomen, figuram, poteſtatem. De nominibus, & figuris non eſt opus dicere; ſed de poteſtate velim dicas,& primo vocalium.

S. Vocales ſunt apud Latinos V. Nam y literam ſextam vocalem,cauſa Græcorum nominum aſſumpſêre Latini. Sicuti & z conſonantem. Itaque vocales & per ſe, vt dictum eſt,faciunt ſyllabas: plenas quoque ſolæ poſitæ, explent partes. C

A; vt, A mihi non teneras glacies ſecet aſpera plantas.

E. vt, ---- ſitiens ſimul ebibit amnem.

O.vt,O ſi Gallorum victor remeaſſet in vrbem.

I. quoque verbum eſt: I, decus, i noſtrum melioribus vtere fatis.

Sed I & V tranſeunt in conſonantium poteſtatem, cum in principio ſyllabæ aliis vocalibus iunguntur: vt ianua, vates, iecur, veritas, Ionas, votum. Vel ſi ſibi ipſis anteponuntur, vt Iuno, virgo. Fiunt quoque hæ ipſæ mediæ quando y Græcę vocalis ſonum habent. Quando poſt V loco conſonantis poſitæ, ſequente, d, vel m, vel r, vel t, vel x. Video, vim, virtus, vitium, vix. V. eundem habet ſonum, id eſt, y, cum inter q, & aliam vocalem, vel poſt g, & aliam vocalem in eadem ſyllaba: vt quiſque, pinguę, lingua. Eſt quoque vbi i pro duabus ponitur conſonantibus, vbi inter duas vocales ponitur, vt Troia; Maia. V. quoque loco duplicis digammæ in quibuſdam locis accipitur, vt cupij, breuis i, cupiui, longa. & vbicunque v loco conſonantis ponitur, ſemper pro digamma habenda eſt. D E

F. Habent ne aliquæ ex conſonantibus aliquas ſingulares poteſtates?

S. Habent. Primò, quod vnaquæque ſuam habet poteſtatem, ſicut & nomen & figuram. Sunt aliquę ex illis liquidæ, quę & vim conſonantium amittunt. Accentus quoque ſæpe in proſa mutant.

F. Quæ ſunt illæ?

S. L,R: M,N. Sed & S, quoq; ſingularis eſt poteſtatis. h quoque aſpirationis nota. x verò & z duplices ſunt; ſed has rationes metricæ ſubtilitatis eſſe reor, in quibus necdum eruditi ſumus. Ideo noli me de illis plus interrogare, ſed feſtinemus ad ſyllabas.

DE SYLLABA.

F. SYllaba quid eſt?

S. Vox literalis ſub vno accentu, & vno ſpiritu prolata.

F. Quot litteris fiunt ſyllabæ?

S. Ab vna incipiens vſque ad ſex. A, ab, abs, Mars, ſtans, ſtirps.

F. Habet ſyllaba ſenſum per ſe?

S. Non habet, & niſi plena dictio per vnam ſyllabam conſtet, vt ars, do, dic, & alia.

F. Syllabæ quot accidunt*? *al. accedunt

S. Quatuor. Tenor, ſpiritus, tempus, numerus. Accētus, acutus, grauis, circumflexus. In dictione, certus. Abſque dictione, incertus. Non poteſt tamē ſine eo eſſe.

Spiritus, aſper, vel lenis.

Tempus I. vel II.

Numerus literarum.

F. Quomodo habet ſyllaba vnum tempus, vel duo?

S. *Breuis ſyllaba vnum habet,* longa duo.

F. Quomodo fiunt breues vel longæ?

S. Breues fiunt natura & poteſtate.

Breuis eſt natura, dum raptim vocalis enunciatur, vt pater.

Longa, dum moratur vox, vt mater: vel dum duæ vocales in vnam concurrunt ſyllabam, quod diphthongon vocant.

Et ſunt tales compoſitiones quinque, æ œ, au, eu, ei.

F. Vnde dicitur diphthongos?

S. Quaſi dualis vox. Nam quoties duarum vocalium voces in vnam ſyllabam, & in vnam vocem coëunt; diphthongos dicitur.

F. Quot modis fiunt ſyllabæ poſitione longæ?

S. Sex. Cum correpta vocalis in duas deſinit conſonantes, vt aſt. Aut in vnam duplicem, vt dux. Aut in vnam deſinit cōſonantem, & excipitur ab altera, vt arca. Aut excipitur ab x, duplici, vt axis, aut j loco conſonantis poſita, vt Troja. Aut deſinit in conſonātem, excipitur ab i vel u, loco conſonantis poſitæ, vt aduena, adiutor.

*pro Num, vel An.

F. Si * neceſſe eſt vnamquamque ſyllabam longam eſſe vel breuem?

S. Sunt ſyllabæ communes, quæ ad votum Poëtarum poſſunt vel breues, vel lõgæ eſſe. Sed hæc quia ad metricos pertinent, relinquamus.

F. Magis interrogemus Magiſtrum, ne ignari ſimus huius quoque rationis.

D. Dic nobis, Magiſter, qua ratione, vel quibus modis, communes poſſunt eſſe ſyllabæ.

M. Nouem modis fiunt ſyllabæ communes. Communes ſunt, cum correpta vocalis in medio verbo excipitur à duabus conſonantibus, quarum prior muta quælibet eſt, vel ſ, ſemiuocalis: poſterior liquida, vt tenebræ, pharetra, refluit. Aut, cum correpta vocalis in conſonantem deſinit, excipitur ab h, vt vir humilis. Aut cum aliqua ſyllaba in breuem deſinit vocalem: & excipitur à duabus conſonantibus, quarũ prior eſt ſ, vt alba ſmaragdus. aut cum poſt pedem quemlibet, vna breuis remanſerit ſyllaba, de verbo: vt, Omnia vincit amor, & nos cedamus amori. Aut cum pars aliqua in diphthongon deſinit, & excipitur à vocali ſequentis verbi, vt Inſulæ Ionio --- Aut cum productam vocalem in eodem verbo mox alterius ſyllabæ ſequitur vocalis, vt fidei. Aut cum pronomen c, litera terminatum eſt, & à vocali ſequentis verbi accipitur, vt hoc eſt. Aut cum correptã vocalem in vna parte z, duplex ſequitur, vt gaza. Item nouiſſima ſyllaba in metro, ſemper indifferens eſt, & voluntati Poëtæ ſubiecta eſt. Eſt quoque quando in tribus conſonantibus fit communis ſyllaba, dum in breuem vocalem deſinit ſyllaba, & excipitur ab ſ, ſequente muta, & liquida, vt Horat. Linquimus inſani ridentes præmia ſcribæ. Plenius hæc, vita comite, in metrica ratione, vobis, filij, monſtrauero.

D. Quid vis, Magiſter? an de pedibus, & accentibus, ordinem Donati Magiſtri ſequentes interrogamus?

M. Amplius hæc quoque in illa metrorum ſubtilitate intelligetis. Quia pedes vel accentus, niſi ex breuibus, longiſque ſyllabis nequeunt intelligi. Vnde ad partes vos conuenite.

D. Prius, ſi placeat, Magiſter, vnde Grammatica ſit dicta, vel quod ſit eius officium, pande nobis.

M. Grammatica eſt literalis ſcientia: & eſt cuſtos rectè loquendi & ſcribendi, quæ conſtat natura, ratione, auctoritate, conſuetudine.

D. In quot ſpecies diuiditur Grammatica?

M. In XXVI. In vocem, in literas, ſyllabas, partes, dictiones, orationes, definitiones, pedes, accentus, poſituras, notas, orthographiæ, analogiæ, etymologiæ, gloſſas, differentias, barbariſmum, ſolœciſmum, vitia, metaplaſmum, ſchemata, tropos, proſam, metra, fabulas, hiſtorias.

D. De iſtis ſingulis ſpeciebus, antequam ad partium tendamus diſputationem, aliquam cognitionem ediſſere nobis, Magiſter, per ſingula currens.

M. Iam de voce litera, & ſyllaba in ſuperioribus habuiſtis.

Dictio, pars minima eſt vocis conſtructæ, plenumque ſenſum habentis.

Oratio eſt ordinatio dictionum, congruam ſententiam, perfectamque demonſtrans: & eſt oratio dicta, quaſi oris ratio.

Definitio, eſt breuis oratio, vnamquãque rem propria ſignificatione concludens, vt homo, animal eſt mortale, rationale, riſus capax.

Scire igitur debetis, quod definitio ad omnes diſciplinas, & res pertinet.

Pes, eſt ſyllabarum compoſitio & temporum certa dimẽſio. Pedes dicti, eo quod ipſis metra ambulent.

Accentus, eſt certa lex & regula ad leuandam & comprimendam ſyllabam.

Poſituræ, ſunt puncti, ad diſtinguendos ſenſus.

Notæ, ſunt figuræ quædam, vel ad breuianda verba inuentæ, vel ſenſus exprimendos: vel ob diuerſas cauſſas conſtitutæ, vt in ſcriptura ſacra obelus, vel aſteriſcus.

Orthographia, eſt recta ſcriptura, vt puta, ad, præpoſitio, d, accipiat.

Analogia, eſt ſimilium comparatio, vt incerta certis probentur.

Etymologia eſt origo, & ratio vocabulorum, vt à regendo rex, & ab humo homo dicitur.

Gloſſa, eſt vnius verbi, vel nominis interpretatio, vt catus i. e. doctus.

Differentia eſt diſtinctio duarum rerum, cum interpretatione, vt Rex dicitur, quia modeſtus eſt; Tyrannus, quia crudelis.

Barbariſmus eſt, vna pars vitioſè dicta. Vulgare prouerbium eſt; malæ arboris nodo, malus cuneus quærendus eſt.

Solœciſmus, eſt oratio vitioſè compoſita.

Vitia ſunt, quæ in eloquiis cauere debemus; & ſunt VII.

Metaplaſmus, eſt metrica licentia, vel neceſſitate immutata regula loquutionis.

Schemata ſunt ornamenta eloquij, & habitus, quibus ſententiæ veſtiuntur.

Tropus, eſt dictio tranſlata à propria ſignificatione, ad non propriam ſimilitudinem, ornatus, neceſſitatiſue cauſſa.

Proſa, eſt recta locutio, abſque metro, vel verſu compoſita.

Metra vocata ſunt, quia certis pedum menſuris terminantur.

Fabulæ, res fictæ, ludendi cauſa, vel cuiuſlibet ſignificationis.

Hiſtoria, eſt narratio rei geſtæ.

Ecce habetis definitiones breues ſingularum ſpecierum. Nunc ad partes conuertite vos.

D. Faciemus, vt iubes. Attamen ſingularũ partium proprietates prius breuiter, vt pandas nobis, flagitamus.

M. Veſtra curioſitas modum non habet. Ideóque modum manualis libelli excedere vultis.

Proprium Nominis eſt ſubſtantiam, vel qualitatem, vel quantitatem ſignificare.

Et proprium eſt Pronominis pro nomine poni proprio, & certas ſignificare perſonas.

Verbi verò proprium eſt, actionem, vel paſſionem, ſiue vtrumque cum modis, & temporibus ſignificare.

Proprium Aduerbij eſt, cum verbo poni: & ſine eo perfectam ſignificationem non habere, vt benè lego.

Participij proprium eſt, tempus habere, & caſus; ideò à quibuſdam verbum caſuale dicitur.

Proprium Coniunctionis eſt, cum omnibus partibus modò præpoſita, modò poſtpoſita iungi, & coniungere partes.

Proprium præpoſitionis eſt, anteponi caſualibus ſemper ſeparatim.

DE NOMINE.

F. Eia, agè Saxo, ingrediamur diſputationem Nominis per ordinem. & primùm, dic, quid ſit Nomen?

S. Nomen eſt pars orationis ſecundum Grammaticos, quæ vnicuique corpori, vel rei communem vel propriam qualitatem diſtribuit; & eſt nomen dictum, quaſi notamẽ, eò quod hoc notamus ſingulas ſubſtantias, vel res communes: vt homo, diſciplina.

Proprias, vt Virgilius, Arithmetica.

Interrogemus tamen ô Franco, Magiſtrum, Philoſophicã definitionẽ nominis.

M. Nomen, vox ſignificatiua, ſecundum placitum, ſine tempore definitum, aliquid ſignificans in nominatiuo cum eſt, aut non eſt: vt homo eſt, homo non eſt.

In caſibus licet addas eſt, vel non eſt, nihil tamen certum ſignificat, ſi non apponas quid ſit, vel quid non ſit: vt hominis eſt, hominis non eſt.

Secundum placitum, id eſt, compoſitionem ſingularum gentium.

Sunt nomina compoſita, vt quod Latinè dicis, aurum, hoc Græcè χρυσὸς dicitur. Vna eſt ſubſtantia: ſed diuerſa nomina.

F. Quot accidunt nomini?

S. Sex, ſecundum Donatum, Qualitas, comparatio, genus, numerus, figura, caſus.

Secundum Priſcianum quinque. Quia ille qualitatem, & comparationem ſimul ſpecies nominauit. Quia ſunt omnia nomina propriæ ſpeciei, vel appellatiuæ: principalis, vel deriuatiuæ. Propriæ, vt Iulius, Appellatiuæ, vt mons. Principalis, vt Iulius, mons. Deriuatiuæ, vt Iulianus, montanus. In quibus, id eſt, deriuatiuis, comparationes nominum impoſuit.

F. Propriorum nominum ſpecies quot ſunt?

S. Quatuor. Prænomen, nomen, cognomen, agnomen.

Prænomina ſunt, quæ dignitatis vel differentiæ cauſa propriis nominibus præponuntur, vt Anicius, Boetius. Anicius à nobilitate, & libertate generis dicitur. Differentiæ, vt Lucius Cornelius, & Publius Cornelius. Notantúrque Prænomina, vel ſingulis literis, vel binis, vel ternis. Singulis, vt M. Marcus. Binis, vt Cn. Cneus. Ternis, vt Sex. Sextus.

Nomen, eſt vniuſcuiuſque proprium, vt Paulus.

Cognomen eſt cognationis, vel familiæ commune nomen, vt Scipio. Nam ab eius nomine, omnis cognatio illa ſic dicebatur.

Agnomen, quod ab aliquo euentu ſic dicitur, vt Africanus; quia Africam vincebat*.

F. Appellatiuorum ſpecies quot ſunt?

S. Multę ſunt. Alia corporalia, vt homo, terra, mare.

Alia incorporalia, vt pietas, dignitas, iuſtitia.

Alia principalia, vt mons, ſchola.

Alia deriuatiua, vt montanus, ſcholaſticus.

Alia comparatiua, vt fortior, fortiſſimus.

Alia denominatiua, vt ſanctus, ſanctitas, ſapiens, ſapientia.

Alia diminutiua, vt Rex, regulus.

Alia homonyma, vt nepos, acies.

Alia ſynonyma, vt gladius, enſis, mucro.

Alia adiectiua, , quæ poſſunt in laude, vel vituperatione poni, vt iuſtus homo, iniuſtus homo.

Alia in medio poſita, vt magnus. Dicimus, magnus Imperator, magnus latro.

Hæc & accidentia ſæpè fiunt: vt niger coruus, altum mare.

Alia, ad aliud, vt filius, ſeruus. Dicendo filium, & ſeruum, patrem ſignificamus, & dominum.

Alia ſunt, quaſi ad aliquid, vt dies, nox: dextera, ſiniſtra. Nam quamuis vnum horum intereat, poteſt tamen alterum manere. Non ſic de filio, & ſeruo.

Alia ſunt gentem ſignificantia, vt Græcus, Hiſpanus.

Alia, patriam, vt Romanus, Thebanus.

Alia interrogatiua, vt qualis, quantus, quot? cum ſuos ſeruant accentus.

Alia relatiua, vt tantus, talis, tot.

Alia collectiua, quæ in ſingulari numero multa ſignificant, vt populus, plebs.

Alia, diuidua, vt bini, terni, centeni.

Alia factitia, id eſt, de ſono facta, vt tintinabulum, turtur, clangor.

Alia ſunt generalia, quę in diuerſas ſpecies poſſunt diuidi, vt animal, arbor.

Alia ſpecialia, vt homo, vitis.

Alia ordinalia, vt primus, ſecundus.

Alia numeralia, vt vnum, duo, tres.

Alia abſoluta, vt DEVS, ratio.

Alia temporalia, vt menſis, annus.

Alia localia, vt propinquus, longinquus.

Alia patronimica, vt Scipiades, à Scipione, Theſides, à Theſeo. Hæc ſæpe ab auis fiunt, & à Conditoribus, vt Illiades, Æneades.

Sunt alia poſſeſſiua, quæ aliquid ex his ſignificant, quæ poſſidentur, vt Euandrius enſis, & regius honor. Hæc cum genitiuo principali interpretantur, vt Euandrius enſis, & regius honor.

Sunt & aliæ ſpecies, quas Donatus ponit, ſed illæ in his reperiuntur, vt qualitas, quantitas. In Adiectiuis, & accidentibus inueniuntur, bonus, magnus, mediæ ſunt ſignificationis.

F. Comparationes nominum vnde veniunt?

S. A nominibus adiectiuis, & accidentibus alicuius ſubſtantiæ, qualitatem vel

A quantitatē animi ſignificantibus, vel corporis. Quæ poſſunt vel incrementa, vel detrimenta ſumere. Homo vel lapis, ſubſtantia eſt. Homo prudens, & prudentior: lapis magnus, & maior dicitur.

Et ſemper Comparatiuus communis eſt generis, vt hic & hæc prudentior. Et neutrum in ius, vt, hoc prudentius facit.

Inuenitur & Comparatiuus pro Poſitiuo poni, vt Virgil. ---- comites ſenioris Aceſtæ, pro ſenis. Eſt, quando minus Poſitiuo ſingulari ſignificat, & nulli com-

B paratur: vt Virgil. Triſtior, atque oculos lacrymis ſuffuſa nitentes. Triſtior, hîc ex parte ſignificat triſtem.

Fiunt & à comparatiuis diminutiua, vt maiuſculus, minuſculus. Sed non abſolutè*, vt cæteræ diminutiones, ſed ad aliquid reſpiciunt: vt Terent. Vt Thais paulò quàm ego ſum maiuſcula eſt. *Ms. abſolutæ.

F. Cuius generis Superlatiuus fit?

S. Superlatiuus mobilis eſt per tria genera. Prudentiſſimus, a, um.

F. Superlatiuorum quot ſunt ſpecies?

C S. Octo: ſcimus, rimus; in quas pleraque deſinunt Superlatiua: limus, eximus, timus, tremus, imus, nimus. Sanctiſſimus, pulcherrimus, ſimillimus, maximus, vltimus, extremus, minimus.

E longa, dum vbique i penultima corripitur: præter primus, imus.

F. Comparatiuus, & Superlatiuus, quibus iunguntur caſibus?

S. Ablatiuo vtriuſque numeri iungitur Comparatiuus: vt, Hector fortior Diomede fuit, & audacior Troianis. Superlatiuus

D genitiuo plurali, vt, Hector fortiſſimus Troianorum fuit.

Inuenitur quoque & ſingulari iungi generi, cùm ipſum ſingulare nomen multitudinem ſignificat: vt, Hector fortiſſimus eſt Troianæ gentis.

Eſt, quando Superlatiuus per ſe ponitur, & nulli cōparatur. Sed tum pro valdè Aduerbio accipiēdum eſt, vt, Fortiſſimus fuit Hercules, id eſt, valdè fortis.

F. Memini te, Saxo, dixiſſe; quod aliqua nomina appellatiua eſſent diminutiua.

E Num à propriis Nominibus poſſint fieri diminutiua?

S. Poſſunt, vt, à Sergio, Sergiolus. Ab Antonio, Antoniaſter.

S. Quot modis diminutiua ſunt?

S. Tribus modis. Aut neceſſitatis cauſa: vt, à rege, regulus, hoc eſt, paruus rex. Vt Saluſt. Poſtquam reguli coire in vnum. Aut, vrbanitatis cauſa: Iuuenalis, ---- malim fraterculus eſſe gigantum. Aut adulā-

tis cauſa, vt pueris Sergiolis.

F. Formæ igitur diminutiuorum quot ſunt?

S. Maſculini generis, X I. culus, ulus, olus, ellus, xillus, illus, ulus, cio, aſter; vt, agniculus, tantulus, capreolus, agnellus, pauxillus, codicillus, homulus, homuncio, paraſitaſter, aculeus, nepotulus.

Feminini generis VII. cula, ula, ola, ella, xilla, illa, ulla; vt, Agnicula, ſyluula, vnciola, capella, maxilla, anguilla, vlla.

Neutrorum, V I I. ſunt formæ: culum, ulum, olum, ellum, illum, xillũm, ullum; vt, corpuſculum, capitulum, lauriolum, lucellum, villum, vexillum, vllum.

Fiunt & diminutiuorum diminutiua tertio, vel quarto gradu: vt, Paulus, Paululus, & pauxillus, & pauxillulus, homo, homuncio, homunculus, homulus, homullulus.

Ecce, France, de Appellatiuis ſpeciebus habes abundè, vt reor, licet nullus tuæ auiditati poſſit ſatisfacere.

F. Non ſum tàm auidus, quàm tu inuidus: qui nulla vis aperire, niſi interrogatione coactus.

S. Interroga quæ vis: ego non ero ſegnis reſpondere.

DE GENERIBVS.

F. NVnc, vt æſtimo, ordo accidentium nominis poſcit à generibus inquirere: vnde, genera dicta ſint, primò velim ſcire.

S. Genera dicta ſunt à generando. quapropter propriè genera ſunt, quæ generare poſſunt: id eſt, maſculinum, femininum. Nam neutrum, & commune, modò vocis qualitate, quàm natura dinoſcuntur. Epicœna, promiſcua ſunt: & ſub vna voce maſculinum profertur, & femininum.

F. Quid eſt inter commune, & epicœnum?

S. Quod commune modò maſculino, modò fœminino articulo, prout conſtructio orationis eget, iungitur. Epicœnon ſemper vno articulo profertur, & vtriuſque naturæ animalia vna voce, & vno articulo ſignificat.

F. Num omnia nomina certi ſunt generis? S. Nequaquam.

F. Vnde ſunt dubij generis nomina? fortè differentiæ cauſa?

S. Non differentiæ; nec aliqua neceſſitatis cauſa, ſed ſola auctoritate veterum: vt hic, & hæc finis, cortex, ſilex, margo, cardo, fornax, frutex, frons, veſper, humus, arcus, limus, latex, hic, & hoc ſal. Cato; ex ſale, qui apud Carthaginienſes fit. Africanus quod loquitur, ſal verum eſt.

F. Quæ ſunt fixa nomina?

S. Quæ in alterum genus tranſire non poſſunt, vt pater, mater.

F. Quæ ſunt mobilia?

S. Quæ moueri poſſunt, & in aliud tranſire genus. Alia, ex propriis, vt Marcius, Marcia. Alia, ex appellatiuis, vt Bonus, bona, bonum.

F. Quot literis maſcula finiuntur nomina?

S. Septem, a. o. l. n. r. ſ. x. vt, Scriba, Cicero, ſol, flumen, Cæſar, bonus, rex.

F. Feminina quot?

S. Eiſdem. Vt Romana, virgo, Tanaquil, ſiren, mater, ciuitas, pax.

F. Neutra, quot?

S. Duodecim. a. e. i. u. l. m. n. r. ſ. c. t. d; vt poëma, mare, gummi, cornu, mel, regnum, numen, tuber, ſidus, lac, caput, aliquid.

F. Quomodo poſſum ſcire, cuius generis ſit nominum quodlibet?

S. Singulæ verò terminationes habent regulas præfixas, quot genera poſſint in eis eſſe. Sed longum eſt hoc, & huic noſtræ puerili diſputationi oneroſũ edicere.

F. Hoc eſt, quod pridem dixi.

S. Quid nam?

F. Quid? niſi quod inuides meæ peritiæ?

S. Nequaquam frater; ſed tuæ auaritiæ modum imponere volui.

F. Modum meæ auaritiæ, & non tuæ tenacitati imponere vis.

S. Eia, perge, quò velis, ſequor te.

F. Pergam interrogando: tu ſequere reſpondendo. Et primum dic, in quo ſit maxima nominis difficultas.

S. In Generibus & declinationibus.

F. Declinatio, in quo agnoſcitur?

S. In terminatione genitiui caſus.

F. Quot ſunt terminationes genitiui caſus?

S. Quinque: atque ideo quinque ſunt nominum declinationes.

F. Dic ſingulas.

S. Prima in æ; vt hic poëta, huius poëtæ.

Secunda in i: vt, hic doctus, huius docti.

Tertia in is breuem: vt hic pater, huius patris.

Quarta, in us productam, vt hic ſenatus, huius ſenatus.

Quinta, in eï, diuiſas: ſic dies, huius diei.

F. Nomina in a, cuius generis, vel declina-

clinationis ſunt?

S. Omnia, ſi Latina ſunt, primæ, & trium generum: maſculini, feminini, communis.

Diſcerne, quæ pertineant ad hoc vel illud genus?

*S. Hominum nomina in a deſinentia, maſculini ſunt generis; vt Sylla, Seneca. Aliarum verò rerum propria, feminina ſunt; vt Roma, Ilia, curia. Et omnia appellatiua feminini fiunt generis; vt regina, iuſtitia: niſi hæc quæ ad officia virorum pertinent; vt lixa, ſcriba, collega: & quæ à Græcis ſumpſimus, mutatione ſ finalis in a, vt poëtes, cithariſtes: nos poëta, cithariſta dicimus. Et quæ à verbis compoſita ſunt, vel deriuatiua, communia ſunt; vt hic & hæc agricola, rurigena, aduena, parricida, coniuua, & ſimilia.

F. Aliarum proſequere vocaliū regulas.

S. Faciam. In e omnia tertiæ declinationis, & neutri generis; vt hoc monile.

In i neutrum, hoc gummi.

O finita omnia tertiæ ſunt declinationis, ſed diuerſi generis. E antecedente o, maſculina propria ſunt, vt labeo, ganeo, aleo. I antecedente o, quando ſunt verbalia, feminina ſunt; vt oratio, actio, coniugatio, &c. G vel d præpoſitis o, ſi mutatur o in i in obliquis caſibus, feminina ſunt, virgo, vligo, dulcedo, cupido, quod & maſculinum eſt, quando proprium eſt. Excipiuntur, hic ordo, cardo, mango, margo, prædo, cudo, ſpado: & communia, homo, latro. Item, duo, ambo, octo, pondo, communia: & Iuno, & caro feminina. Alia omnia maſculina ſunt; vt ſtellio, cicero, carbo, ſermo. In u neutra ſunt, & quartæ declinationis; vt cornu, genu, gelu: & ſunt aptota in ſingulari numero.

F. Placet quod dicis, licet * III. dicas. Sed conſonantium regulas pande per te, me tacente, & probante.

S. Fiat. In c neutra duo, lac, alec.

In d neutra, quid, quod, aliud, quæ nomina eſſe multis modis ratio probat.

In l, ſi Latina, neutra ſunt: tribunal, vectigal, & ſal: quod maſculinum & neutrū inuenitur.

Si barbara fiunt, maſculina ſunt, vt Hānibal, &c.

In el neutra, mel, fel.

In il vnum maſculinum, pugil: vnum femininum, Tanaquil: vnum commune, vigil: vnum neutrum nihil indeclinabile.

In ol vnum maſculinum, ſol.

Vl finita, duo maſculina, conſul, præſul: vnum commune, exul.

In am, vnum commune, vt hic & hæc & hoc nequam.

Et omnia hæc iuxta tertium flectuntur ordinem.

In um, omnia neutra ſunt, & ſecundæ declinationis, vt templum, templi.

In en, nouem ſunt maſculina; lien, rien, flamen, pecten, tibicen, fidicen, liticen, tubicen, cornicen: cætera omnia neutra ſunt, vt carmen, flumen, & omnia tertiæ declinationis.

Ar, finita ſunt tertiæ declinationis, vt neutralia: vt torcular, puluinar. Exceptis, hic Cæſar, lar, & Nar fluuij nomen, & communis generis hic, & hæc, & hoc par; & quæ ex eo compoſita ſunt, impar, diſpar, compar.

Er, finita, exceptis, hæc mater, hæc mulier: & neutris his, ſuber, papauer, cadauer, laſer, ſiler, iter, cicer, ſiſer: & communibus his, paucis, vber, celer: alia omnia maſculini ſunt generis. Alia ſecundæ; alia, tertiæ declinationis. quorum declinatio facilè ex obliquis caſibus intelligi poteſt. Ideò de declinationum diuerſitate minimè laborandum cenſeo.

F. Fac, ſicut placet. Ex me enim poſſum declinationes, vt dixi, * experiri.

In ir, vnum maſculinum, hic vir, & ex eo compoſita, ſemiuir, duumuir, leuir*, & vnum neutrum, hoc ir indeclinabile: & ſunt ſecundæ declinationis. *al. læuir

S. In or, deſinentia tertiæ formam ſequuntur declinationis: & ſunt maſculina propria, vel appellatiua: vt, Hector, orator, furor, doctor: exceptis tribus femininis, ſoror, vxor, arbor: & neutris his, ador, marmor, æquor, ebor, olor, femor, cor, & commune, hic, & hæc, auctor, diſcolor, concolor, memor, & immemor; & omnia comparatiua or finita, communis ſunt generis, vt hic, & hæc doctior, melior, excepto vno, hic ſenior. In ur, vnum ſecundæ inuenitur: hic ſatur, & facit ſatura feminino. Maſculina verò hic aſtur, turtur, vultur. commune, hic, & hæc augur, & fur. Alia omnia neutra ſunt, vt guttur, ſulphur, murmur, iecur, & tertiæ declinationis.

As, ſyllaba terminata, feminini ſunt generis; vt, hæc dignitas, pietas, exceptis; hic as aſſis, mas maris, vas vadis, & hoc vas vaſis; & hoc fas, nefas, & omnis generis, nugas, & omnia tertiæ declinationis ſunt. Sed inueniuntur propria primę declinationis, hic Æneas, Lyſias. Et tertiæ quoque, patriæ nomina, hic Mycenas, Capenas, Arpinas.

In es correptam terminata, ſi naturali-

ter de mare & femina ſignificatio poteſt eſſe, communia fiant, vt hic & hæc hebes, i. tardus. Sic teres, comes, diues, ſoſpes, hoſpes, præſes, deſes, obſes, ſuperſtes, quadrupes, ſonipes. Alia verò omnia, id eſt, quæ nullam naturalem communionem cum feminis habent, maſculina ſunt, vt ſtipes, limes, fomes, ceſpes: Exceptis in ges, ſyllabam deſinentibus, e, in genitiuo ſeruantibus, vt hæc ſegès, ſegetis, teges, & abies: & omnia tertiæ ſunt declinationis. Alia, in es, productam deſinentia, ſi propria fiunt, maſculina erunt: vt Hercules, Vlixes, & verres appellatiuum, cum porcum ſignificat: & commune, vt hæres, locuples. Alia verò omnia feminina ſunt: quædam tertiæ, vt cædes, ſtrages, vulpes, apes. Quædam verò quintæ, vt facies, effigies, ſpes, res, fides: & omnia in es purum finita, quintæ fiunt declinationis, præter quies, abies, paries: & omnia, conſonante præcedente, tertiæ ſunt declinationis, præter ſpes, & fides, res.

In is omnia tertiæ declinationis ſunt, ſed in is terminata, ſi n vel c ante is habent, vel ſi vna ſyllaba ſupercreſcũt in genitiuo, omnia maſculina ſunt, vt hic panis, piſcis, hic lapis, lapidis: exceptis, hæc bipennis, & hæc cuſpis, caſſis, caſſidis, hic & hæc canis. Inueniuntur quoque pauca, licet his regulis non ſubiacent, maſculina, vt hic fuſtis, enſis, poſtis, anguis, vnguis, collis, follis, corbis, vectis, menſis, torquis, axis, orbis. Si fiunt verò adiectiua, vel deriuatiua, vel ad homines ſolos pertinẽtia, ſemper communia fiunt: vt hic & hæc fortis, ſuauis, dulcis, exanguis, exanimis, ciuis, hoſtis, ædilis: alia omnia feminina ſunt; hæc auis, claſsis, cutis, & tertij ordinis cuncta.

In os feminina tria, cos, dos, glos: communia quinque, cuſtos, ſacerdos, bos, cõpos, impos. Neutra duo, os oris, os oſsis. Alia omnia maſculina, mos, flos, ros, nepos, lepos: & tertiæ declinationis omnia.

Vs tam multiplex eſt in generibus, & declinationibus, vt nullatenus tibi, ô France, ſub anguſtia huius noſtri luſus, eius poſsim pandere diuerſitates. Nam trium declinationum eſt, ſecundæ, tertiæ, & quartæ. Generis quoque maſculini, feminini, & neutri, communis, & omnis, & epicœni.

F. Pande tamen aliquas de eo regulas, ſæpè, dum ſolem non habemus, ad effugãdas nocturnas tenebras, laternis vtimur.

* S. Ergo in us maſculini generis propria vel appellatiua, mobilia vel fixa, ſecundæ ſunt declinationis. Propria, vt Terentius Terentij, Marcus Marci: mobilia, vt bonus boni, ſanctus ſancti: fixa, campus campi, hortus horti, fumus. Et tria feminina ſecundæ: hæc colus, aluus, humus. Item feminina arborum nomina ſecundæ ſunt, hæc pirus, prunus, pinus, fagus fagi, &c. Item neutra tria: hoc vulgus, virus, pelagus. Alia neutra in us finita, omnia tertiæ ſunt declinationis: vt ius, iuris, munus, pondus, corpus, pectus. In us productum feminina omnia tertiæ ſunt, & vna ſyllaba in genitiuo accreſcunt: vt ſalus ſalutis, tellus telluris, u producta, in obliquis, excepto * palus paludis, Venus Veneris. Vnum omnis generis, vt hic, & hæc, & hoc vetus veteris, & communis generis pauca, hic & hæc ligus liguris, grus gruis, ſus ſuis: & epicœna, mus muris: & vnum maſculinũ, lepus leporis. Igitur quartæ declinationis feminina hæc tantum ſunt: anus, manus, porticus, tribus, domus, nurus, ſocrus, quercus. Quæ verò à verbis, vel nominibus participalibus, maſculina ſunt, & quartæ declinationis: vt hic ſtatus, huius ſtatus. ſtatus à ſto; ductus, à duco; conſulatus, à cõſule; tribunatus, à tribuno. Item ſ, vel t, vel x antecedentibus us, maſculina, & quartæ declinationis ſunt; vt riſus, metus, ſexus. Item penus & ſpecus, tam maſculini quàm feminini, & neutrius. Inuenitur etiã ſecundæ, tertiæ & quartæ declinationis, acus, & hæc acus. Inuenitur in vſu, & hoc acus, aceris, purgamentum frumenti. Ius & virus indeclinabilia ſunt.

In x literam, quacunque vocali vel conſonante antecedente eam, omnia tertiæ ſunt declinationis, ſed diuerſorum generum. Vt tamen breuiter dicam: Omnia accidentia x litera finita, communia ſunt; vt hic & hæc & hoc audax, aurifex, velox. Item appellatiua, ad vtrumque ſexum hominum pertinentia, communia ſunt; vt hic & hæc & hoc coniux, dux: quæ verò ad ſolos mares pertinent, maſculina ſunt, vt rex: & quæ ad ſolas feminas, feminina ſunt; vt hæc pellex. Propria maſculina ſunt; vt hic Aiax, Pollux. Item, quæ vna ſyllaba accreſcunt in genitiuo, maſculina ſunt; vt hic vertex, apex, latex, cortex, codex, pollex, calix, fornix, natrix, & reliqua. Feminina verò hæc ſunt; fornax, ſilex, ilex, carex, ſalix, radix, cornix, felix, meretrix, cicatrix, celox. Item omnia verbalia feminina ſunt; vt victrix, genetrix, nutrix. Item monoſyllaba omnia feminina ſunt; vt pax, lex, pix, nox, lux, arx, falx: excepto rex, & hic grex, & hic & hæc dux.

T. finitum, vnum inuenitur neutrum, A caput: & ex eo compoſita ſunt, ſinciput, occiput.

Quæ nomina in duas deſinunt conſonantes, ſi ſint accidentia, trium generum omnia; vt hic, & hæc, & hoc expers, prudens, inops, celebs, princeps, parens. Pauca maſculina, Mauors, Aruns. Pauca feminina, hiems, cohors, adeps. Monoſyllaba in duas deſinentia conſonantes, maximè feminina ſunt; vt ars, fors, gens, mors, lens, frons, pars, ſors, ſcrobs, ſtips, trabs, vrbs, puls: exceptis hic mons, pons, dens, B Mars.

In aus feminina, laus, fraus.

In æs maſculinum, præs, prædis. Neutra, æs æris. Vix aliquando fœmore me ſoluebam grauiſſimo.

F. Sed gratiſſimo. quapropter ad numeros tranſeamus.

S. Fiat.

DE NVMERO.

F. NVmerus quid eſt? C

S. Dictionis forma, diſcretio quãtitatis.

F. Numeri nominum quot ſunt?

S. Duo. Singularis, vt homo: pluralis, vt homines. Sed ſingularis numerus finitus eſt: pluralis infinitus eſt. Cùm dico homo, certum eſt vnum me ſignificaſſe. Cùm homines dico, incertum eſt de quot, niſi addam decem, centum, mille, vel quotlibet; nam à duobus, ad innumerabiles extenditur ſignificatio.

F. Quæ dictiones habent numeros? D

S. Quæ perſonas habent: id eſt, nomina, pronomina, verba, participia: vt vir, viri: ego lego, nos legimus: hic legens, hi legentes. Ideo infinita verba, & imperſonalia carent numero, quia non habent perſonas.

F. Numquid aduerbia non habent numeros?

S. Habent: ſed inter accidentia aduerbij numerus non ponitur: & indeclinabiles ſunt numeri aduerbiorum: & ad ſingularem, & pluralem dictionem æquè ponitur; vt ter feci, & ter fecimus. E

F. Quid tum intereſt inter numerorum nomina, indeclinabilia, & inter aduerbia?

S. Quod aduerbia & ſingularibus & pluralibus ſimiliter iunguntur: vt millies dixi, & millies diximus. Nomina verò non niſi pluralibus, vt mille homines diximus.

F. Suntne aliqua nomina, quæ vna litteratura vtroſque habent numeros?

S. Sunt. Nam in prima declinatione, generis * datiui ſingularis vna voce cum nominatiuo & vocatiuo plurali proferuntur: vt huius & huic poetæ; & in omnibus hoc idem inuenies declinationibus ſæpiſſimè. Secunda, vt huius docti, & hi docti. Tertia, hæc cædes, & hæ cædes. Quarta, hic fluctus, huius fluctus: hi, & hos, & ô fluctus: us productam in omnibus his caſibus. Quinta, hæc res, & ô res: hæ, & has, & ô res.

* In MS. lacuna.

In pronominibus quoque, & participiis inuenies voce communia, vt illi, iſti, ipſi, datiui ſingularis, & nominatiui pluralis. In participiis mobilia omnia in eadem voce habent feminina in ſingulari nominatiuo, & neutralia in plurali, vt hæc victura femina, & hæc victura animalia. In verbis verò nulla vox eſt, quæ eadem poſſit eſſe in ſingulari numero, & plurali.

F. Vnde aliqua nomina, ſicut in Donato legi, ſemper ſingularia ſunt, & aliqua ſemper pluralia?

S. Natura, vel vſu. Natura, vt propria, quæ naturaliter indiuidua ſunt, vt Hector, Achilles, ſol, luna, Italia, Sicilia. Vſu, vt ſanguis, puluis, lux, vita. Item, quæ ad pondus vel menſuram pertinent, ſingularia ſunt, vt aurum, triticum, &c. ſimiliter natura, vel vſu, quædam ſunt ſemper pluralia: natura, vt gemini piſces in cœlo: vſu, vt arma, mœnia, nundinæ, Kalendæ. Nam per omnia genera inuenies quædam ſemper ſingularia, quædam ſemper pluralia, quæ ſtudio breuitatis nobis prætermittenda eſſe reor.

DE FIGVRIS.

F. FIat, vt vis, etſi non libens, tamen cõſentio. ſed de figuris diſputemus. Et primò dic, quid ſit inter figuratas dictiones, & deriuatiuas.

S. Quod figuratæ dictiones, aut ſimplices ſunt, vt magnus aut compoſitæ, vt magnanimus. Deriuatiua autem à ſimplici nomine deriuantur, vt à pio, pietas; aut à compoſito, vt à magnanimo, magnanimitas, quæ decompoſita dicuntur. Compoſita intelligibilia ſemper ſolubilia debent eſſe. In integras dictiones, ſiue ex integris, ſiue ex corruptis componantur, vt reſpublica: ex duobus corruptis, vt parricida, ex parente, nomine, & cædere, verbo. Magnanimus ſi dico, à magno & animitate eſſe compoſitum, non poteſt eſſe. Quia

animitas intelligibile non eſt. Ideo neceſſe eſt, vt à compoſito, id eſt, magnanimo ſit deriuatum magnanimitas.

A

F. Quot modis componuntur nomina?

S. Quatuor. Ex duobus integris, vt iuſiurandum, ex duobus corruptis, vt parricida. Ex integro & corrupto, vt inimicus: ex corrupto & integro, vt efferus.

F. Cum quibus partibus componuntur nomina?

S. Cum omnibus, præter Interiectionem. Cum nominibus, vt paterfamilias: cum pronomine, vt illiuſmodi. Cum verbo, vt Lucifer. Cum aduerbio, vt ſatisfactio. Cum participio, vt plebiſcitum. Cum coniunctione, vt vterque. Cum præpoſitione, vt perfidus.

B

F. A quot dictionibus componuntur nomina?

F. A duabus, vt ſeptentrio. A tribus, vt inexpugnabilis: vel à compluribus, vt cuiuſcunquemodi.

F. Quomodo declinantur compoſita nomina?

S. Si ex nominatiuo, & obliquo caſu componuntur, ea parte, qua nominatiuus caſus eſt, declinantur, vt hic tribunus plebis, huius tribuniplebis, huic tribunoplebis, & reliqua. Si ex duobus nominibus, vtrinque declinantur, vt hoc iuſiurandum, huius iuriſiurandi, huic iuriiurando. Sin ex duobus obliquis componuntur, manent indeclinabilia, vt huiuſmodi, iſtiuſmodi, eiuſmodi. Componuntur quoque ſingularia cum pluralibus, vt orbis terræ, orbis terrarum. Poſſunt tamen hęc eadem compoſita etiam ſeparata eſſe, ſi diuerſos accentus his dederis, vt reſpublica: vel ſi cõiunctionem interponas, vt tribunuſque plebis.

C

D

F. Accentus compoſitæ figuræ quomodo fiunt?

S. Per omnes caſus, & per omnes compoſitiones, ſemper ſub vno accentu proferuntur, vt iuſiurandum, iuriſiurandi, cuiuſcunquemodi.

Verte te France ad caſus, quia de figuris habes, quod quæſiſti.

F. Vertam, & lætus vertam, quia placitas mihimet rationes protuliſti de figuris.

E

DE CASIBVS.

PRimò mihi explana, vnde caſus dicatur?

S. Caſus vtique à cadendo dicitur. quia ab hoc ſenſu cadit in illum: vel ab hac terminatione cadit in illam.

F. Scio ſex eſſe caſus: ſex ſingulorum interpretationes velim pandere te, ô Saxo.

S. Bene vis. Primus nominatiuus, quia per ipſum nominatio fit. Iſte dicitur & rectus, quia primus à natura naſcitur: & ab eo facta inflexionẽ naſcuntur alij. Deinde genitiuus, quia per ipſum genus ſignificamus. vt genus eſt Priami Hector. Iſte quoque appellatur poſſeſſiuus, eo quod poſſeſſionem ſemper per eum ſignificamus, vt Priami regnum. Poſt hunc datiuus eſt, qui à dando dicitur, ſignificãs aliquid nos dare: vt do tibi illã rem, qui & mandatiuus dicitur, vt commendo homini illam rem. Quarto loco eſt accuſatiuus, qui & cauſatiuus, vt accuſo hominẽ. Tum vocatiuus, qui & ſalutatiuus vocatur, vt ô Ænea; & ſalue, Ænea. Nouiſſimè ablatiuus ponitur, qui & comparatiuus, ſignificãs aliquid abſumi, vel comparari: vt aufero ab Hectore gladium; & fortior Hectore Achilles eſt.

F. Ordinem quoque cur ſic poſiti ſint, profer.

S. Nominatiuus primum ſibi locum vſurpat. quia primum natura hunc protulit. Genitiuus ſecundum; quia naturale vinculum generis poſſedit, omnéſq; obliquos generat. Datiuus tertium: quia magis amicis conuenit. Accuſatiuus quartum: qui ad inimicos ſæpius profertur. Deinde vocatiuus; quia imperfectior eſt aliis ſenſu: & ad ſecundam ſolummodo pertinet perſonã: dum alij caſus ad omnes perſonas iunguntur. vt ego homo ſum, tu homo es, ille homo eſt: mei, tui, illius hominis eſt: mihi, tibi, illi homini da: me, te, illum hominem accuſo: à me, à te, ab illo homine hoc protuli. Solus vocatiuus dicit, ô homo veni: Sed ablatiuus, quia nouiſſimè repertus eſt, nouiſſimè ponitur.

F. Num omnia nomina per omnes caſus declinari poſſunt?

S. Non poſſunt, quia ſunt nomina, quæ nominatiuum ſolum habent, & dicuntur aptota. vt fas, git, pus, ir. Sunt quæ nominatiuum non habent, vt Iouis, Ioui, Iouem, à Ioue. Alia, in quibus tres tantum obliqui inueniuntur; frugi, frugem, à fruge. Alia, in quibus duo; vt vicem, à vice. Alia, in quibus vnus; vt ſponte, ſponte.

F. Quot formæ caſuales ſunt?

S. Sex ſunt nomina monoptota: quæ vna terminatione pro omni caſu funguntur, vt gummi, nequam. Sub qua regula ſunt etiam nomina literarum, & numerorum à quatuor vſque ad centum. Diptota ſunt, quæ duos caſus diuerſos habent, vt ſors à ſorte: vel omnes duabus tantum di-

uerſitatibus diſcretos, vt cornu : omnes caſus habet in breuem u. Alia triptota, qualia ſunt neutra in ſecunda declinatione, quæ tres diuerſitates caſuum habent, vt templum, templi, templo, & omnia neutra pluralia per omnes declinationes, ſidêra, ſiderum, ſideribus. Alia tetraptota: qualia ſunt omnia in r deſinentia, ſecundæ declinationis, vt puer, pueri, puero, puerum. Alia pentaptota; qualia ſunt maſculina ſecundæ declinationis in us finita: vt doctus, docti, docto, doctū, docte. Hexaptota ſunt, quæ ſex diuerſos habent caſus: vt eſt vnus, vnius, vni, vnum, vne, ab vno.

F. Ne ſit tibi oneroſum ſingulorum caſuum terminationes per omnes quinque declinationes mihi exponere.

S. Longiorem me facis multis interrogationibus.

F. Quid ſi vtiliorē in neceſſariis regulis?

S. Prima declinatio Genitiuum & Datiuum in æ diphthongon. Accuſatiuum in am. Vocatiuum & Ablatiuum in a deſinunt. Vt, hic Poëta. Genitiuo huius Poëtæ. D. huic Poëtæ. Hunc Poëtam. ô Poëta. Ab hoc Poëta. Nominatiuus & Vocatiuus pluralis in æ. Genitiuus in arum. Datiuus & Ablatiuus in is. Niſi ſit diſcernendi generis cauſſa, vt deabus, filiabus, natabus, equabus. Accuſatiuus in as. Hi Poëtæ, horum Poëtarum, his Poëtis, hos Poëtas, ô Poëtæ, ab his Poëtis.

Secundæ declinationis Genitiuus in i deſinit. Datiuus & Ablatiuus in o productam. Accuſatiuus in um. niſi ſint neutra, quorum Accuſatiuus vbique ſequitur ſuū Nominatiuum, ſeu in ſingulari numero, ſeu in plurali. Vocatiuus ſimilis eſt Nominatiuo. In illis omnibus, quæ in m vel r deſinunt: ſi verò in ius nomina deſinunt propria, Vocatiuus in i. vt Virgilius, Virgili. Si Nominatiuus in us. Vocatiuus in e deſinit. Vt hic magnus, magni, magno, magnum, magne, magno. Nominatiuus & Vocatiuus pluralis, niſi in neutro, per i finitur. Genitiuus in orum. Datiuus & Ablatiuus in is. Accuſatiuus in os. hi magni, magnorum, magnis, magnos, magni, magnis.

Tertiæ declinationis Genitiuus in is. Datiuus in i. Accuſatiuus in em. In paucis in im, vt turrim, ſitim. Vocatiuus ſimilis eſt Nominatiuo. Ablatiuus in quibuſdam per e, correptam. vt à patre. In quibuſdam per i. vt liberi. In quibuſdam per e, & i, vt à felice & felici. Hic Rex, Regis, Regi, Regem, Rex, à Rege. Nominatiuus & Accuſatiuus plurales in es. productam. In paucis Accuſatiuus in is, vt turris. Genitiuus in um. In quibuſdam in ium, turrium. Datiuus & Ablatiuus in bus. Hi Reges, Regum, Regibus, Reges, Reges, à Regibus.

Quartæ declinationis Genitiuus ſingularis in us productam. Datiuus in ui Accuſatiuus in um. Vocatiuus ſimilis eſt Nominatiuo. Ablatiuo u productam: vt hic ſenatus, huius ſenatus, huic ſenatui, hunc ſenatum, ô ſenatus, ab hoc ſenatu. Nominatiuus pluralis, & Accuſatiuus, & Vocatiuus in us productam. Genitiuus in uum. Datiuus & Ablatiuus bus. vt hi ſenatus, horum ſenatuum, ſenatibus, ſenatus, ô ſenatus, à ſenatibus.

Quintæ declinationis Genitiuus & Datiuus ſingularis in ei diuiſas. Accuſatiuus in em. Vocatiuus ſimilis eſt Nominatiuo. Ablatiuus in e profertur. vt hæc res, huius rei, rei, rem, res, à re. Nominatiuus, & Accuſatiuus, & Vocatiuus pluralis in es. Genitiuus in um. Datiuus & Ablatiuus in bus. vt hæ res, rerum, rebus, res, ô res, à rebus.

Num France adhuc ſat habes de Nomine?

F. Sat habuiſſem, Saxo, ſi non ciniphes, quæ ſunt in domo Magiſtri, aures mihi quæſtiunculis ſuis impleſſent. Tamen, ſi placet, tranſeamus ad alia. Illas, quoquo modo excutiam.

S. Tranſi, quo velis, ſequar te, quo vadis.

DE PRONOMINE.

F. Pronomen quid eſt?

S. Pars orationis, cum caſu poſitum nominis vice: ne ſæpius iteratum nomen faſtidium faciat audienti, vel legenti: & finitas recipit perſonas.

F. Pronomini quot accidunt*?

*Ms. accedunt.

S. Sex. Species, perſona, genus, numerus, figura, caſus.

F. Species pronominum quot ſunt?

S. Duæ. quia ſunt pronomina, aut primitiua, aut deriuatiua.

F. Primitiua quot ſunt?

S. Octo. Ego, tu, ſui, ille, ipſe, iſte, hic, is.

F. Deriuatiua quot ſunt?

S. Septem. Meus, tuus, ſuus, noſter, veſter, noſtras, veſtras.

F. Vnde hæc deriuantur?

S. A genitiuis primitiuorum. A mei, meus: à tui, tuus: à ſui, ſuus: à noſtrum,

noſter, & noſtras: à veſtrum, veſter, & veſtras. Hæc ſunt quindecim pronomina, in quibus nulla dubitatio eſt.

F. Perſonæ pronominum quot ſunt?

S. Tres. Sed prima perſona & ſecunda ſingulas habet voces, quia præſentes ſemper ſunt inter ſe, vt ego, tu. Tertia verò ſex habet voces, quia tertiarum perſonarum plurimæ ſunt diuerſitates, vt ſui, ille, ipſe, iſte, hic, is. Et tertia perſona modò præſens eſt, vt iſte: modò abſens, vt ille.

DE GENERIBVS PRONOMINVM.

F. GEnera Pronominum quot ſunt?

S. Quinque. Maſculinum, vt hic: femininum, vt hæc: neutrum, vt hoc: commune, noſtras, veſtras. Trium generum, ego, tu. Et omnia pronomina neceſſe eſt tria genera habere, vel in vna voce confuſa, vt ego, tu: vel in diuerſis diſtincta terminationibus, vt meus, mea, meum. quia pro vniuſcuiuſque rei propriis accipiuntur nominibus.

DE FIGVRIS.

F. FIguram Pronominum dic.

S. Sunt Pronomina ſimplicia, vt iſte, hic. Sunt compoſita, vt iſtic, quod ex iſto, & hic componitur. Idem, componitur ex is pronomine, & demum Aduerbio, & eſt numero commune: vt idem vir, & idem viri. In maſculino i producta, in neutro i correpta: & eius femininum, eadem. Geminatur quoq; eius compoſitio in neutro, & dicitur idem, id eſt, idem & idem.

Componuntur Pronomina cum Aduerbiis, vt eccum, id eſt, ecce eum, ellum, ecce illum. Et cum Præpoſitione, ſed per anaſtrophen, vt mecum, tecum, ſecum: & cum Nomine, vt huiuſmodi, iſtiuſmodi.

Vnde illa compoſitio egomet, & huiuſce, non eſt compoſitio, ſed paragoge, id eſt, adiectio ſyllabæ. Et ſunt quatuor eiuſmodi adiectiones, me, ce, te, pte: vt egomet, tute, meapte, huiuſce, illice. quod per apocopen profertur, illic, vltima circumflexa.

DE NVMERO.

F. NVmeri Pronominum quot ſunt?

S. Duo. Singularis, vt iſte. Pluralis, vt iſti.

Sunt & numero communia: vt ſui, ſibi, ſe, à ſe. quod nominatiuo caret, differentiæ cauſa. quia ſi eſſet hi, vel ſi, nominati-
A uus dubitationem feciſſet inter hi, aliud pronomen, & ſi, coniunctionem. Vel quia tranſitio, vel reciprocatio perſonæ in nomine non poteſt eſſe. quod ſui ſemper habet reciprocationē: vt, ſui meminit. Tranſitio, vt, ſuo ſeruo loquitur.

DE CASIBVS.

F. CAſus Pronominum profer.

S. Caſus Pronominū ſunt, vt Nominum. Niſi quod prima perſona & tertia,
B plus quinque caſibus habere non poſſunt. quia vocatiuus in eis fieri non poteſt: qui proprius eſt ſecundæ perſonæ, excepto meus, poſſeſſiuum, quod mi facit vocatiuo, duas ee breues in i longum euphoniæ cauſa conuertens. cuius pluralis quoque vocatiuum habet, ô noſter.

F. Quot formæ caſuales fiunt in Pronomine?

S. Sunt Pronomina monoptota: vt eccum, ellum, mecum, tecum. Alia triptota: vt ſui, ſibi, ſe, mecum, tecum, ſecum. Alia
C tetraptota: tuus, ſuus, illud, iſtud. Alia pentaptota: ille, ipſe, iſte. Nam ſexaptota non inueniuntur Pronomina.

F. Dum Pronomina caſus habent & numeros, neceſſe eſt eos habere & declinationes, quarū regulas, vt ediſſeras, flagito.

S. En probus es ſcrutator.

F. Quin tu tenax es largitor.

S. Quatuor ſunt declinationes Pronominum. Prima eſt, quæ in tribus primitiuorum perſonis cernitur. Cuius Genitiuus & Datiuus in i. Accuſatiuus & Ablatiuus
D in e. productam; vt ego, mei, mihi, me, à me. Tu, tui, tibi, te, à te. Sui, ſibi, ſe, à ſe. Primæ & ſecundæ perſonæ plurales, Nominatiuum & Accuſatiuum in os. Genitiuū in um, vel in i. Datiuum, & Ablatiuum in is. vt nos, noſtrum vel noſtri, nobis, nos, à nobis. ſimiliter & vos. Tertia perſona non habet nominatiuum, & per cæteros caſus communis eſt numeri, ſui.

F. Vnde perſonæ intelliguntur Pronominum?

S. In primis ſyllabis: in extremis caſus,
E & numeri.

Secunda declinatio eſt in reliquis quinque primitiuis. quorum Genitiuus in ius, Datiuus in i. deſinit, per tria genera: præter huic ſolum, ne hui interiectio putetur. Accuſatiuus autem & Ablatiuus ſingularis, & omnes caſus plurales in maſculino & neutro ſecundæ declinationis Nominū terminationes ſeruāt. In feminino primæ; vt ille, illius, illi, illum, ab illo. Et pluraliter:

Illi, illorum, illis, illos, ab illis. Illa, illius, A illi, illam, ab illa. Illæ, illarum, illis, illas, ab illis. Illud, illius, illi, illud, ab illo. Illa, illorum, illis, illa, ab illis. Sic & reliqui * quatuor declinantur. Niſi hic, & hæc, & hoc, c. per omnes ſingulares caſus aſſumit, præter Genitiuum.

*f. reliqua.

Tertia declinatio eſt pronominum, in quinque deriuatis, quæ ſecundum regulam nominum mobilium in vtroque numero declinantur. In maſculino & neutro, ſecundam: in feminino primam ſequens declinationem. Et ſunt hæc: meus, tuus, B ſuus, noſter, veſter.

Quarta declinatio eſt communium: & declinantur ſicut in duobus reliquis, quæ ſequuntur, tertiæ declinationis nomina: vt hic & hæc noſtras, veſtras: & hoc noſtrate, veſtrate; noſtratis, veſtratis. Ecce habes, quæ vi extorſiſti.

F. Melius eſt vi extorquere, quàm non habere. Dic tamen de ô. Qui Vocatiuo caſui in nominibus, & pronominibus, & participiis iungitur, eſt pronomẽ, an non?

S. Non eſt pronomen, ſed aduerbium C vocandi, vel optandi; eiuſdem ſignificationis. Dum dicis, heus iuuenis, & ô iuuenis. Et nulli alij perſonæ poteſt iungi, niſi ſecundæ.

F. Memor eſto, dixiſſe te, XV. Pronomina eſſe. Sed quid eſt, quod Donatus inter Pronomina poſuit, quis, qualis, talis, quot, tot, quotus, totus?

S. Memini me dixiſſe, XV. eſſe Pronomina: in quibus nulla dubitatio eſſet. De iſtis enim, quæ ponis, dubitatio eſt, an ſint Pronomina, vel Nomina. Priſcianus, Lati- D næ eloquentiæ decus, nomina interrogatiua, vel relatiua, vel redditiua ſubſtantiæ ea omnino dicit: & Pronomina negat eſſe poſſe. Quia finitas perſonas non habent, quod proprium eſt pronominis cum caſu iuncti. Sicut & alia nouem nomina mobilia, quidam errore ſeducti, pronomina dicunt eſſe, quia pronominum declinationem habent: Id eſt, vnus, vllus, nullus, ſolus, totus, alius, alter, vter, neuter: quos multæ lectionis ratio reuincit.

An meus, tuus, ſuus, Nomina dicen- E da ſunt; quia per omnes caſus Nominum ſequuntur declinationem, quantum ad puerilem noſtram diſputationem pertinere viſum eſt. De Pronomine habes ſufficienter.

F. Sed totum te transfer ad Verbum.

S. Placet quod habeo. Licet plus indigiſſem.*

*Sic MS. f. leg. indiguiſſem.

F. Attamen totum me, vt ſuades, transferam ad inquiſitiones verbi. Tute ad reſponſiones para.

S. Faciam.

DE VERBO.

F. PRimò omnium Verbi definitionem dic mihi.

S. Magis interrogemus Magiſtrum quæ ſit Verbi definitio ſecundum Philoſophiã.

Diſc. An habet, Magiſter, iuxta Philoſophiæ rationem, hæc tam principalis pars definitionem propriam, veluti nomen?

M. Habet ſubtilem definitionem, & nobilem: & eſt huiuſmodi.

Verbum eſt vox ſignificatiua ſecundum placitum, cum tempore definitum, aliquid ſignificans, & accedens *. *Sic MS. habet, f. leg. accidens.

D. Expone, Pater, hanc nobis definitionem.

M. Dum dico, lego, actum ſignifico legentis: quem actum alia Græcus ſignificat voce: & ideo Verbum ſecundum placitum eſt. Tempuſque adtrahit. Definitum, id eſt, certum aliquid ſignificat. Et accidens. Accidit enim actio, vel paſſio homini. Sed veſtram vos intrate diſputationem. Hæc aliâs.

F. Fiat, vt iubes.

F. Profer, Saxo, proprietatem Verbi.

S. Verbum eſt pars orationis cum temporibus, & modis, ſine caſu, agendi, vel patiendi ſignificatiuum.

F. Si verba actum, vel paſſionem ſignificant, vnde dicuntur neutra?

S. Non ideo, quod actum, vel paſſionem ne * ſignificent: ſed ideo, quia vnum *f. non. horum ſignificant. Nam Actiua, in noſtro actu alterius paſſionem ſignificant. Nam, dum dico, Amo te, patiaris actum meum, id eſt, quod amo te. Et, dum dico, amor à te, patiar ego actum tuum, id eſt, quod tu me amas. Neutra verò vniformiter ſignificant, vel agentem, vt ambulo, curro, prandeo: vel patientem, vt ardeo, veneo, vapulo. Sed & caſus non egent, quibus Actiua, vel paſſiua egent. Nam actiua, Accuſatiuo caſui iunguntur: vt amo te. Sæpe & genitiuum, vt memor ſum tui. Et, datiuum; vt, dico tibi. Paſſiua, ablatiuo iunguntur, vt, amor à te. Neutra abſoluta ſunt, & per ſe ſenſum ſignificant, vt viuo, ſpiro, pergo.

F. Verbo quot accidunt?

S. Septem. Significatio, quæ & genus dicitur, tempus, modus, ſpecies, figura, perſona, numerus.

Significatio verborum propriè in actio-

ne, vel in paſſione eſt. Quæ ſecundum analogiam duabus terminantur literis, o & r. In o actiua, & neutralia. In r paſſiua, deponentia, communia. Et hæc ſunt genera verborum quinque.

Actiua ſunt, quæ ſemper actum ſignificant, vt amo te. Tamen, ſi quis altius conſideret in Actiuis verbis paſſionem; & in Paſſiuis, actionem, ſicut ſupra diximus, inueniet. Neutra vniformiter ſemper proferuntur, id eſt, aut actum ſolum, aut paſſionem ſolum ſignificant. Actum, vt manduco, curro: paſſionem, vt vapulo à te; ſunt quoque neutralia, intrinſecus in ſeipſis habentia paſſionem: & non ab alio extrinſecus, vt rubeo, ferueo, caleo, ægroto, ruo. Deponentia quoque vnam ſemper habent ſignificationem: aut Actiuam, vt ſequor te, præſtolor te. Vel ſine adiectione caſus, luctor, loquor. Aut Paſſiuam, vt naſcor à te, patior à te, mereor à te. Communia duas habent in vna voce ſignificationes agentis, & patientis, vt oſculor te, oſculor à te.

F. Quot modis declinantur verba?

S. Duobus modis. Nam neutra Actiuorum, Deponentia, & communia Paſſiuorum regulam in declinatione maximè ſequũtur. Sunt præterea neutra Paſſiua, quæ in præterito perfecto, & pluſquam perfecto, paſſiui declinationem habent. Et ſunt hæc ſola: audeo, auſus ſum: fido, fiſus ſum: fio, factus ſum: & ſi qua ex his componuntur. Sunt alia paſſiuoneutra ſuperiori contraria, comperior, mereor, diuertor*, faciunt enim præteritum comperij, merui, diuerti.

*deuertor.

F. Nunquid certas habent ſemper verba ſignificationes?

S. Nequaquam ſemper certas. Sed alia ſunt, quæ vna voce vel coniugatione diuerſas habent coniugationes: vt colo, pro diligo, & habito, & aro accipitur. Committo, pro credo, & commendo. Condo, pro ædifico, & celo. gratulor pro gaudeo & gratias ago ponitur. Sunt alia, quæ cum coniugatione mutant ſignificationem. Hæc, in ſecunda perſona diſcernuntur: vt, mando, mandas, à mando. Mando, mandis, à manduco. Fundo, fundas, à fundando. Fundo, fundis, à fundendo. Volo, volas, à volando. Volo, vis, à voluntate. Sero, ſeras, ſeraui. Sero, ſeris, ſeui. Lego, legas, & lego, legis. Dico, dicas, breuis. Dico, dicis longa. appello, & compello, compellas, id eſt, clamo*. appello, appellis, id eſt, applico. Repello, compello, id eſt, cogo.

*acclamo.

Hæc, France, de varia verborum ſignificatione dicta ſufficiant; nunc ad tempora curro.

F. Fiat. Primò, dic mihi vnde dictum ſit tempus?

S. A temperamento. Quia omnia mortalia tempus habent.

F. Tempora quot ſunt?

S. Tria ſecundum naturam: præteritum, vt legi: præſens, vt lego: & futurum vt legam. Quadam tamen neceſſitate, præteritum tempus in tres diuiditur diſtantias. Quia quædam ſunt, quæ multo ante dicimus tranſacta: vt legeram. Aliquando quædam, quę paulo ante, vt legi heri. Quędam inchoata ſunt, ſed nondum perfecta, vt legebam. Et ideo quinque tempora adnumerabimus in verbis.

F. Quod horum tempus in verbis principalem inter cętera tenet locum?

S. Præſens. Quia in ipſo ſumus, dum loquimur. De præterito, & futuro, & à præſenti, dicuntur præteritum & futurum. Quamuis itaque præſens tempus inſtabili motu naturaliter exoluatur, & pars eius iam prætereat, parſque ſequatur, tamen ad ornationem diuerſorum geſtorũ tempora diuidimus.

F. Num in omnibus modis omnia tempora inueniuntur?

S. Nequaquam. Nam imperatiuus naturaliter neceſſitate* non habet præteritum. Quia ea ſola imperamus, quę in pręſenti ſunt, vel in futuro. Cæterum Indicatiuus & Subiunctiuus per omnia tempora currunt: Optatiuus quoque, & Infinitiuus, licet confuſa voce in quibuſdam, tamen omnia habent tempora: vt, vtinam legerem nunc & heri, & vtinam legiſſem, ante, ante, & ante quinquaginta annos. Item, legere me volo, & volebam: & legiſſe me volui, & volueram.

*f. neceſſarium.

F. An in omnibus Verbis hæc quinaria temporum diuiſio inuenitur?

S. Non. Quia ſunt Verba, quæ rationem temporum non ſeruant, vt inchoatiua verba in omni præterito perfecto, & pluſquam perfecto deficiunt. Item omnia imperſonalia, quæ à ſe naſcuntur, in futuro Infinitiui deficiunt, vt pœnituere*; pœnituiſſe: & pleraque neutra in futuro Infinitiui deficiunt, vt horreo, horrere, horruiſſe. Nam pœnitum ire nõ dicimus, &c.

*f. pœnitere.

Sunt quoque verba, quæ præteritum tempus non habent, niſi ex aliis ſumantur verbis, vt percutio, percuſſi. Ferio non habet præteritum, niſi dicas, percuſſi. Sic ſtatuo, ſtatui: ſiſto, ſtatui: ſuſtollo, ſuſtu-

li: & ſuffero, ſuſtuli: tollo, tuli, & fero, fers, fert, tuli facit: inſanio, inſaniui: & fureo, inſaniui: cerno, creui, & creſco creui facit. Item quoque inchoatiua & meditatiua, non ſolum in præterito, ſed etiam in futuro infinitiui deficiunt: tepeſcere, parturire. Item verbis in or deſinentibus deſunt tempora præterita perfecta, & futurum Coniunctiui. Sed per participia & verbum ſubſtantiuum ſum, declinantur, vt amatus ſum, amatus fueram, amatus ero, &c.

DE MODIS VERBORVM.

F. MOdi Verborum quid ſunt?

S. Modi ſunt diuerſæ inclinationes animi, varios eius affectus demonſtrãtes. Et ſunt quinque; Indicatiuus, qui & diffinitiuus, quo indicamus vel definimus, quid agatur, vel patiatur à nobis, qui ideo primus ponitur, quia perfectus eſt perſonis & temporibus: & alij ex eo modi regulam ſumunt. Vel, quod ex eo participia, vel nomina, vel verba deriuantur: vt à duco, ducens: à duxi, ductus, & dux: ferueo, feruens, ferueſco, feruor.

Imperatiuus eſt, quo imperamus aliis, vt faciant, vel patiantur. Et eſt per ſe abſolutus, nec alterius indiget partis ad ſignificandum: & ideò ſecundum tenet locum in modis. Et hoc, orantes ſæpiſſimè vtimur; vt Muſa mihi cauſas memora ----

Deinde optatiuus, per quem optamus. Qui ideo tertius in ordine ponitur, quia inferior eſt qui optat, quàm qui imperat: & aduerbio optandi indiget ad complendum ſenſum: vt vtinam legerem.

Quarto loco ſubiunctiuus ponitur: & iure. Eget enim non modò Aduerbio, vel Coniunctione: verum etiam altero verbo, vt perfectum ſignificet ſenſum. Vnde & ſubiunctiuus dicitur: vt Virgilius: Cum faciam vitula, pro frugibus ipſa venito. Et omnibus aliis modis ſociari poteſt; vt, dum legerem, ſcripſi; & dum legam, ſcribe. Et dum legerem, vtinam ſcriberem.

Infinitiuus eſt, qui & perſonis innumeris deficit, & eget vno, ex ſupradictis quatuor modis, vt plenum aliquid ſignificet: vt legere propero: legere propera: vtinam legere properarem: cum legere properarem.

Imperſonale verbum à neutris actiuæ ſignificationis, vel ab actiuis naſcitur: vt, curritur, viuitur, legitur, amatur. Et per omnes modos, & perſonas, & tempora, & numeros, iunctis pronominibus ritè declinantur: Curritur à me, à te, ab illo, à nobis, à vobis, ab illis. Præterito imperfecto, legebatur. Præterito perfecto, lectum eſt. Præterito pluſquam perfecto, lectum erat. Futurum, legetur. Sic & per alios modos.

F. Quid eſt inter imperſonale; & infinitiuum?

S. Infinitiua verbis iunguntur: vt legere volo. Imperſonalia Pronominibus: vt legitur à me.

F. Quot formæ ſunt Imperſonalium?

S. Quatuor. Aut in tur, aut in at, aut in it, aut in et, exeunt: vt ſtatur, reſtat, contingit, pudet, ſed quæ in et, exeunt, alia à verbis veniunt, vt miſeret. Alia à ſe oriuntur, vt pudet, pœnitet, decet.

F. Quæ ſunt ſupina, vel participalia?

S. Quinque ſunt eiuſmodi voces: vt legendi, legendo, legendum, lectum, lectu. Quas Priſcianus omnino nomina vult eſſe. Quia temporibus carent: & perſonas non diſcernunt: & Præpoſitionibus ſeparatis iunguntur: vt, ad legendum vado, vel, legendo venio.

F. Intentus ſum de ſpecierum ratione audire maximè; quia hoc accidens verbi Donatus dimiſit.

S. Non dimiſit: ſed in formis attigit. Nam ſpecies verborũ duæ ſunt: Vna principalis, quam Donatus perfectam formam nominat: vt lego. Altera deriuatiua, quam ille meditatiuam, frequentatiuam, vel inchoatiuam dicere voluit: vt à lego, lecturio, & lectito: & à ferueo, ferueſco. Et hæc, id eſt, inchoatiua, ſemper in ſco deſinunt, & tertiæ ſunt coniugationis: vt, caleſco, caleſcis: veſperaſco, veſperaſcis. Et præteritum non habent tempus: nec participia futuri temporis.

Frequẽtatiua, primæ ſunt cõiugationis, & in tito, vel to, vel ſo, vel xo, deſinunt; vt lectito, as: dicto, as: merſo, as: nexo, as: & fiunt ſemper neutra, vt inchoatiua.

Meditatiua in urio, deſinunt, & quartæ tantum coniugationis ſunt, vt lecturio, is: eſurio, is. Quod ab edo deriuatur.

Sunt aliæ quoque ſpecies deriuatiuorum: vt à video, viſo, id eſt, cupio videre: à facio, faceſſo: à capio, capeſſo: à lacero, laceſſo: ab arceo, arceſſo: ab acceo, acceſſo. Quæ frequentatiua non eſſe, coniugatio oſtendit. Sunt quoque alia per diminutionem deriuatiua, vt à ſorbeo, ſorbillo: à garrio, garrulo: à caluo, calluillo. Item à nominibus deriuatiua fiunt; vt à patre, patriſſo: à græco, græciſſo. Imperſonalia quoque penè omnia ab adiectiuis, vel neu-

tralibus deriuatiua * ſunt, vt à lego, legitur; à ſto, ſtatur. Inueniuntur quoque & ab aduerbiis verba deriuari: vt perendiè, perendino: & à cras, vt procraſtino: & ab intus, intro, intras.

*f. deriuata.

DE FIGVRIS VERBORVM.

F. Figuratas verborum compoſitiones expone precor.

S. Sunt verba ſimplicia, vt cupio, taceo, ſed & compoſita, concupio, conticeo. Sunt & decompoſita, id eſt, à compoſitis deriuatiua, vt concupiſco, conticeſco. Sunt & ex tribus partibus compoſita, vt perterrifico. Sunt & quæ mutant in compoſitione coniugationem: vt do, das, facit reddo, reddis. Facio, facis, amplifico, as. Sunt cōpoſita, quorum ſimplicia in vſu non ſunt, vt offendo, aſpicio, aperio, refragor. Fendo, & ſpicio, & perio, & fragor non reperi. Sunt, quæ genus mutant in compoſitione. Sperno, ſpernis, actiuum: aſpernor, aſpernaris, deponens. Sedeo, ſedes, neutrū: inſidior, inſidiaris, deponens. Obſideo verò, & adſideo, actiua ſunt. Eo, & facio, neutra ſunt: adeo, ſubeo, perficio, conficio, & ex eis compoſita, actiua ſunt. Faciunt, adeor, ſubeor, perficior, conficior. Ex facio quoque neutro, verſificor, verſificaris, & gratificor, gratificaris, deponentia naſcuntur. Complecto, actiuum: amplector, deponens. Componuntur verba cum nominibus, vt ab amplo, & facio, amplifico. Ex quo participium, amplificans. Et, cum altero verbo, vt calefacio, id eſt, calere facio. Vel, cum aduerbio, vt benedico. Vel cum præpoſitione, vt indico; ſubeo. Sed præpoſitionibus per compoſitionem iunguntur ſemper, ſicut nominatiuo caſui*: cuius vim vbique per omnes perſonas verba obtinent: vt facio ego, facis tu, facit ille. Niſi imperatiua ſecundæ perſonæ vocem adſciſcunt, vt ſcribe Virgili, lege Terenti.

*MS. caſu.

DE CONIVGATIONE Verborum.

F. Ecce de figuris habeo. Sed coniugationum diſtantias dic mihi. Et primum vnde dicta ſit coniugatio expone.

S. Coniugatio dicta eſt, quod in vnam declinationis rationem plurima coniungit verba.

F. Coniugationes quot ſunt?

S. Apud Græcos decem.* Apud Latinos quatuor. Et eorum, quæ in o, prima deſinit perſona, ſi ſecunda in as, finitur, vt amo, amas, è ſto, ſtas. Hæc prima dicitur. Et ſecunda in es, vt moneo, mones. Tertia in is breuem, vt lego, legis. Quarta in is longum, vt munio, munis. Eorum verborum, quæ in or prima perſona finitur, & in aris ſecunda, prima eſt coniugatio, vt amor, amaris. Criminor, criminaris. Luctor, luctaris. Secunda in eris, producta penultima*, doceor, doceris. Reor, reris. Tertia in eris, correpta penultima, legor, legeris. Sequor, ſequeris. Quarta in iris, producta penultima, munior, muniris. Molior, moliris. Nam ſingula verba certas habent coniugationes. Sunt verba in prima perſona confuſa: in ſecunda verò ſenſu, & coniugatione diſcernuntur, vt dico dicis, & dico dicas: volo volas, volo vis: fundo fundas, fundo fundis: mundo mundas, mundo mundis. Sunt quædam è contrario vnius ſignificationis, ſed diuerſæ coniugationis, vt denſo denſas, & denſeo denſes: ſtrideo ſtrides, ſtrido ſtridis: ferueo ferues, ferueſco, cis; feruo feruis: cieo cies, cio cis: dureo dures, vnde dureſco; & duro duras: tueor tueris, tuor tueris correpta penultima: fulgeo fulges, fulgo fulgis: excelleo excelles, excello excellis: ſono ſonas, ſono ſonis: vno vnas, vnio vnis.

*MS. decim, nō malè, ſed antiquè. vnde vndecim, & porrò.

*MS. penultima.

F. Quot modis declinantur verba?

S. Quorum rationabiliter prima perſona in o, deſinit, tribus modis declinantur, abſque præterito perfecto indicatiui, & imperatiuo, & infinitiuo. Nam iuxta præſens tempus trium coniugationum per omnes modos & tempora declinari ſolet verba, niſi præſcriptis. Præteritum verò imperfectum, & pluſquam perfectum primæ coniugationis. Item ſecundæ & tertiæ, & quartæ optatiui. Futurum, & præſens Subiunctiui *, ſecundum primæ præſens tempus in vltimis literis ſemper declinantur: vt amo, amas, amat: amamus, amatis, amant. Amabam, amabas, amabat: amabamus, amabatis, amabant. Amaueram, amaueras, amauerat: amaueramus, amaueratis, amauerant Optatiui futurum, & præſens Subiunctiui: doceam, doceas, doceat: doceamus, atis, ant. Secundum præſens tempus, ſecundam cōiugationem futuri indicat. In tertia & quarta omne præſens, & præteritum optat: & ſubiunctatiuum præteritum imperfectum, longam in penultima: & pluſquam perfectum. In omni coniugatione primæ quoque optatiui futurum, & ſubiunctiui præſens, vt legam, es, et: emus, etis, ent. Doceo, ces, cet: cemus, cetis, cent. Sic declinanda ſunt, a-

*MS. Subiunctiui

marem amares, amaret: remus, retis, rent. A amauiſſem, ſes, ſet: emus, etis, ent. quæ ſunt ſubiunctatiuo, & optatiuo communia.

Item Optatiui futurum, & ſubiunctatiui præſens, amem, ames, et: emus, etis, ent. Secundum tertiæ coniugationis præſens, & indicatiui futurum primæ, & ſecundæ, & quartæ, in bo, deſinentis, & ſubiunctatiui præteritum perfectum, & futurum: niſi in tertia perſona plurali, u mutant in i; vt lego, legis, legit: legimus, legitis, legunt. Amabo, is, it: imus, itis, unt. Docebo, bis, bit: bimus, bitis, bunt. Subiun- B ctatiui præteritum perfectum; amauerim, is, it; imus, itis, int. Item, amauero, is, it; imus, itis, int. Et quartæ: ibo, ibis, ibit; ibimus, itis, ibunt. Horum autem omnium verborum, quæ bina diſtinctione à ſecunda perſona declinantur, prima perſona aut in o, aut in am, aut in em, aut in im deſinit.

F. Quomodo præteritum perfectum, & Imperatiuus declinanda ſunt?

S. Omne præteritum perfectum, ſi iuxta rationem declinantur, in i, mittit pri- C mam perſonam. In ſecunda, ſti ſyllabam: tertiam in it. & pluralē numerum in imus, in iſtis, in erunt, vel ēre, longa o mittit.

F. Imperatiui finales litteras depromé.

S. Omne Imperatiuum ſingulare, primam, natura abdicante perſonam non habet, & Vocatiuo caſui iungitur, quia præſenti imperat in ſecunda perſona, quæ in prima coniugatione a longa finitur, vt ama. In ſecunda e, quoque longa, vt aue. In tertia e, breuis, vt lege. In quarta i, longa, vt audi. Quæ vbique in verbis vel no- D minibus i, in fine poſita, producitur. Tertia perſona in prima coniugatione in et. In cæteris cõiugationibus in at, vt amet, habeat, legat, audiat. Prima perſona in numero plurali in mus, & ſecunda in te. Tertia in ent, in prima coniugatione. In cæteris, ant, vt amemus, amate, ament. Doceamus, docete, doceant, &c. Vbique penultima primæ perſonæ, & ſecundæ longa; abſque tertiæ coniugationis ſecunda perſona, quod eſt legite. Futurum Imperatiui in to, ſecunda perſona, vt amato, E habeto, legito, audito, longa penultima abſque tertiæ coniugationis tertia perſona futuri ſimilis eſt vbique præſenti, tertia perſona, & prima pluralis numeri ſimilis quoque eſt plurali præſentis, ſecunda perſona pluralis in tote, vt amatote, habetote, legitote, auditote. Tertia finit in nto. vt amanto, docento, legunto, audiunto.

F. De Infinitiuis dic.

S. Omne Infinitiuū præſens in re, & præteritum in ſe, & futurum in ire, vel eſſe in omni coniugatione deſinit, vt amare, amaſſe, amatum ire vel amaturum eſſe.

F. Quid de quinque Gerundiis * ſentiendum eſt?

* MS. Gerundiuis.

S. Quid aliud, niſi, vt prius dixi, quod omninò ſecundum Priſcianum nomina ſunt? Nam præpoſitiones ſeparatas, Accuſatiuos caſus, & Ablatiuos accipiunt, vt, amandum, in amando, quod verbo non poteſt accidere *.

* MS. vbiq; accedere.

F. Quid tamen diſtat inter amandum, amando, & amatum, amatu?

S. Quod amandum neceſſitatem amoris ſignificat; amatum, initium amoris. Similiter amando, in ipſo amore: amatu, pro amatione, id eſt, pro ipſa re accipitur.

F. Paſſim regulas pande mihi.

S. Pandam breuiter, ne prolixior ſim: quàm huic * puerili ludo deceat. Omne paſſiuum ex actiuo fit vbique per omnes coniugationes o finita, vel m. In Actiuis tempore præſenti, & præteriti imperfecti, & futuri aſſumunt r. In paſſiuis, amabo, amabor: amato, amator: amanto, amantor. Amabam, amabar: amarem, amarer: amem, amer: legam, legar, &c. Cæteræ perſonæ, ſecundum prædictas regulas trium coniugationum præſentis temporis declinantur. Nam ſecunda perſona in ris, vel in re, deſinit, tertia in tur: & prima in plurali in mur, ſecunda in mini, tertia in ntur. Omnium modorum, præter perfectum & plusquamperfectum, & ſubiunctiui futurum per participium præteriti temporis; & ſum ſubiectiuum verbum declinatur: vt amatus ſum, vel fui: amatus eram, vel fueram. Optatiuus, amatus eſſem, vel fuiſſē. Subiunctiuus, amatus ſim, vel fuerim: eſſem, vel fuiſſem. Futurum, amatus ero, vel fuero. Paſſiua imperatiua ſecundę perſonę præſentis in omni coniugatione, ſimiles actiuis infinitiuis, vt amare, docere, legere, audire, penultima longa, niſi tertia coniugatione. Tertia verò in tur exit, prima pluralis in mur, ſecunda in mini. quod Imperatiuus & Infinitiuus ſimiliter proferuntur in prima coniugatione; tertia pluralis in prima in entur: aliis in antur, & futuri temporis ſecunda perſona in tor, & tertia in tur. & pluralis prima in ur: & ſecunda in minor. & tertia in ntor: vt, amare ametur; amemur, amaminor, amentor. Ametor, ametur; amemur, ameminor, amentor. Infinitiua paſſiua ſemper in i, præſentis temporis, vt amari, doceri, legi, audiri. Et præteritum;

* Sic MS.

per participium neutrale, & eſſe, vel fuiſſe: vt, doctum eſſe, vel fuiſſe. & futurum per iri; vt amatum iri. Ecce habes France, quod quæſiſti. Sed tua curioſitas te facit non amatum iri.

F. Nec tua te inuidia gratum iri.

S. Cautè. Ne audiat, qui flagellare ſolet. Sed proſequere cætera.

F. Vt reor ordo accidentium depoſcit perſonas verborum inueſtigare.

S. Perſonæ verborum tres ſunt. Prima eſt, quæ de ſeipſa loquitur, & alias oſtendit. Secunda ad quam loquitur. Tertia, de qua loquitur. Niſi enim ſit prima, quæ profert ſermonem, aliæ eſſe non poſſunt. Et primæ quidem, & ſecundæ verborum perſonæ finitæ ſunt. Præſentes enim demonſtrant. Tertia verò infinita eſt. Itaque eget plerunque pronomine vt definiatur. Et prima quidem poteſt ſibi & ſecundam, & tertiam coniungere: vt ego, tu, & nos facimus: ego & ille facimus. Secunda verò coniungere ſibi non niſi tertiam, vt tu & ille facitis. Tertia verò nec primam, nec ſecundam, ſed alteram tertiam, vt iſte & ille faciunt. In Imperatiuis prima perſona ſingularis non poteſt eſſe, quia naturaliter imperans ab eo, cui imperat, diuiditur. Infinita quoque & imperſonalia, & gerundia carent perſonis naturaliter.

DE NVMERO.

F. NVmerum verbis accedentem pande.

S. Numerus ſingularis, vt lege: pluralis, vt legimus: accedit verbo veluti omnibus partibus caſualibus: ſed in verbo vna voce nunquam ſingularis, & pluralis inuenitur numerus, ſicut in cæteris partibus. Vt dies, res, Nominatiuus ſingularis, & pluralis. Iſti, illi, Datiuus ſingularis, & Nominatiuus pluralis. Sciendũ quoque eſt tibi, quod quæcunque verba perſonis deficiunt ſemper & numero defectiua fiunt, vt Imperſonalia, & Infinitiua. Ideo pronominibus additis adſumunt perſonas, & numeros, vt legitur à me, à nobis: legere te volo, & legere vos volo.

F. Sed quia defectiua eſſe verba introduxiſti, ſubitò defectiua per ſingula accidentia, opus habeo, vt pandas mihi maximè, quia Donatus Magiſter noſter hæc valde obſcurè, & breuiter tetigit.

S. Non ſum tibi debitor irrationabilium, ſed rationabilium: & eorum, quæ regulis ſubiaceant. Attamen, vt ſcias, non me inuidioſum eſſe in te: ſicut nec te faſtidio-
A ſum intelligo, pandam aliqua ex illis. Tribus enim modis verba, vel aliæ partes ſunt defectiuæ. Aut natura neceſſitatis, aut fortunæ caſu: vel differentiæ cauſa. Naturæ neceſſitate, vt ſi velimus maſculinum ab eo dicere, quod nupta, nuptus, vel à puerpera puerperus, repugnat ipſa rerum natura: vel in conſonantium cauſa, vt ſi velimus, à curſor, curſtrix facere femininum: ſicut à victor, victrix, inconſonum. In fortunæ caſu, inuſitata, & turpia vitantur, & quibus auctores non vtuntur. Quo-
B modo adodor ſecundum regulam dici potuit: ſed quia in auctoribus non inuenitur, recuſamus dicere. Differẽtiæ quoque cauſa plurima vitantur: vt fero, fers, fert, per ſyncopam ſine i litera, in ſecunda, & tertia perſona profertur: ne, ſi feris, ferit dicas, à ferio putetur venire. Sic edo, es, eſt: &, Volo, vis, vult, differentiæ cauſa anomalam habent literaturam. Et volo naturaliter Imperatiuo modo caret: quia, Imperata neceſſitatis ſunt, non voluntatis. Sic fac, duc, dic, fer; placuit auctoribus
C per apocopam proferri differentiæ cauſa; ne ſi, face, duce, dice, fere, diceremus, aliud ſignificare putaremur. Item multa non dicuntur, quia in auctoribus non inueniuntur, de quibus per ſingula accidentia, aliqua tuæ pandam auiditati.

Nam *quæſo*, non habet alios modos, niſi Indicatiuum; perſonam primam in vtroque Numero, & infinitiuum. Item, *ouat*, & *infit*, non habent niſi tertiam perſonam: & ouans Participium. Item *auſim*, id eſt, auctoritatem habeam: & inquam, contrà
D morem, in prima perſona proferuntur, vt *ſalue*, & *ſaluete*. Imperatiua tantùm ſecundam perſonam habent. Item *cedo*, pro da, cete, pro date. Terentius: cete patri meo, id eſt, date. Et *aue*, pro gaude: & auete, pro gaudete. Secundæ perſonæ ſunt. Item *faxo*, pro faciam, futuri temporis eſt tantum, Indicatiui modi, & facit, faxo, faxis, faxit; faximus, faxiſtis, faxunt, id eſt, facient. Item *faceſſo*, & *capeſſo*, & *viſo*, deſideratiua ſunt, non frequentatiua, quia primæ non ſunt coniugationis. Faceſſo,
E id eſt, deſidero facere: capeſſo, deſidero capere: viſo, id eſt, deſidero videre. Item *ſis*, id eſt, ſi vis: & *ſodes*, id eſt, ſi audes, ſecundæ perſonæ ſunt. Item *foret*, pro eſſet: & forent, pro eſſent: & fore, pro eſſe, inuenitur. Item *aio*, & *meio*, in multis deficiũt. Nam aio, ais, ait: & aitis, aiunt, facit. In prima plurali deficit. Et *ait*, præteritum perfectum. ſicut præſens *meio* Infinitiuum meiere facit. Sunt quæ idem habent præſens,

ſens, & præteritum imperfectum., hæc ſola; *odi, noui, memini, cœpi, pepigi*: hæc in imperfecto deficiunt, præter memini, quod memento, & mementote facit, & in futuro, & infinitiuo modo, & in ſupinis, necnon in Participij vtriſque temporibus deficiunt: præter odi, quod duo participia facit, exoſus & peroſus. Sunt paſſiua quoque & deponentia, quæ in præterito deficiunt: niſi aliunde ad ſupplementum declinationis ſumatur præteritum; vt *feror, ferior, tollor, poſcor, vrgeor*: faciunt enim præterea latus ſum, ictus ſum, ſublatus ſum, poſtulatus ſum, conuictus ſum. Item deponentia, *veſcor, fruor, medeor, liquor, remuneror*, faciunt paſtus ſum, potitus ſum, medicatus ſum, liquefactus ſum, recordatus ſum.

Sum verbum, quod inæqualem habet declinationem, ſiue in ſimplici Participio, ſiue in Compoſitis præſentis temporis deficit: niſi in duobus ab eo compoſitis, id eſt, *abſum*, & *præſum*: quod facit abſens, & præſens. *Poſſum*, potes, poteſt, mutant ſ in t, euphoniæ cauſa. Et proſum, prodes, prodeſt, abſumit d, hiatus cauſa deuitandæ. *Volo*, verò, & *malo*, & ex eo compoſitum, id eſt, magis volo, naturali neceſſitate Imperatiuo carent. quia imperata neceſſitatis ſunt, non voluntatis. quod tamen in alio ſuo compoſito habet, id eſt, *nolo*. Facit enim noli, & nolite.

F. Pleniorem tamen declinationem horum quatuor Verborum, vt reddas mihi, depoſco: id eſt, *ſum, fero, edo, volo*.

S. Inuſitata eſt multis locis illorum declinatio. Attamen vt in Magiſtrorum exẽplis, eorum reperitur ratio, pandam.

Sum Verbum neutrale eſt, quod declinabitur ſic: Sum, es, eſt: Plural. ſumus, eſtis, ſunt.

Præterit. Imperfect. eram, eras, erat: Plural. eramus, eratis, erant.

Præterit. perfect. fui, fuiſti, fuit: Plural. fuimus, fuiſtis, fuerunt, vel fuêre.

Præterit. pluſquam perf. fueram, fueras, fuerat: Plural. fueramus, fueratis, fuerant.

Futuro: ero, eris, erit: Plural. erimus, eritis, erunt.

Imperatiuo modo, tempore præſenti, ad ſecundam, & tertiam perſonam: ſis, vel es, ſit: Plural. ſimus, ſitis, ſint.

Futurum, eſto, vel ſis, ſit: Plural. ſimus, eſtote, vel ſitis, ſint, & ſunto, & ſuntote.

Optatiuo modo tempus præſens, & præterit. imperf. vtinam eſſem, eſſes, eſſet: Plural. eſſemus, eſſetis, eſſent.

Præteritum perfectum, & pluſquam A perf. fuiſſem, fuiſſes, fuiſſet: Plural. fuiſſemus, fuiſſetis, fuiſſent.

Futurum: ſim, ſis, ſit: Plural. ſimus, ſitis, ſint.

Coniunctiuo modo tempore præſenti: cum ſim, ſis, ſit: Plural. ſimus, ſitis, ſint.

Imperfecto, eſſem, eſſes, eſſet: Plural. eſſemus, eſſetis, eſſent.

Perfectum: fuerim, fueris, fuerit: Plural. fuerimus, fueritis, fuerint.

Pluſquam perfectum cum fuiſſem, fuiſſes, fuiſſet: Plural. fuiſſemus, fuiſſetis, B fuiſſent.

Futurum: fuero, fueris, fuerit: Plural. fuerimus, fueritis, fuerint.

Infinitiuo modo, numero, & perſonis tempore præſenti, eſſe. Præteritum, fuiſſe. Futurum, eſſe, & ire, & fore.

Cuius præſens participium veteres, ens proferebant. Vnde componitur potens. Nam futurum magis à fio, verbo videtur naſci. Poteſt tamen & à fui, eſſe exiſtimari. ſic enim declinanda ſunt ex eo compoſita, *proſum, adſum, deſum, obſum*.

C *Interſum*; & ex eis duo participia præſentis temporis, id eſt, *præſens & abſens*.

Fero, Verbum, diſcretionis cauſa, per ſyncopen abiicit i, in ſecunda, & tertia perſona propter ferio verbum: quod ferio, feris, ferit, facit.

Fero, fers, fert; Plurali; ferimus, fertis, ferunt.

Imperfectum: ferebam, ferebas, ferebat: Plur. ferebamus, ferebatis, ferebant.

Præteritum perfect. tuli, tuliſti: Plural. tulimus, tuliſtis, tulerunt, vel tulêre.

D Præteritum pluſquam perfectum: tuleram, tuleras, tulerat: Plural. tuleramus, tuleratis, tulerant.

Futurum: feram, feres, feret: Plural. feremus, feretis, ferent.

Imperatiuus: fer, feras, ferat: Plural. feramus, ferte, ferant.

Futurum: ferto, ferat: & Plural. feramus, fertote, ferant.

Optatiuus, ferrem, ferres, ferret: Plural. ferremus, ferretis, ferrent.

Pluſquam perfect. tuliſſem, tuliſſes, tu-
E liſſet: Plural. tuliſſemus, tuliſſetis, tuliſſent.

Futurum: feram, feras, ferat: Plural. feramus, feratis, ferant.

Coniunct. feram, feras, ferat: Plur. feramus, feratis, ferant.

Imperfect. ferrem, ferres, ferret. Plur. ferremus, ferretis, ferrent.

Perfectum: tulerim, tuleris, tulerit: Plural. tulerimus, tuleritis, tulerint.

Pluſquamperf. tuliſſem,tuliſſes,tuliſſet: A Plural. tuliſſemus,tuliſſetis,tuliſſent.

Futurum: tulero, tuleris, tulerit: Plur. tulerimus, tuleritis, tulerint.

Infinitiuus deſideratur.

* Edo, verbum inæquale,cuius ſecunda & tertia perſona cauſa differẽtiæ per conciſionem profertur.

Edo, es, eſt: Plur. edimus, eſtis, edunt.

Præteritum imperfect.edebam,edebas, edebat: Plur. edebamus,edebatis, edebãt.

Præterit.perfect. edi,ediſti, edit: Plural. edimus, ediſtis,ederunt,vel edêre.

Pluſquamperf. ederam, ederas, ederat: B Plural. ederamus, ederatis,ederant.

Futurum: edam, edes, edet: Plural. edemus, edetis, edent.

Imperatiuus: es, edat: Plural. edamus, eſte, edant.

Futurum: eſto, edat: Plural.edamus,eſtote, edant, vel edunto, & eduntote.

Optatiuus: eſſem, eſſes, eſſet: Plur. eſſemus, eſſetis, eſſent.

Ediſſem, ediſſes, ediſſet: Plural. ediſſemus, ediſſetis, ediſſent.

Edam, edas, edat: Plural. edamus, edatis, edant. C

Coniunct. edam, edas, edat: Plur. edamus, edatis, edant.

Eſſem, eſſes,eſſet: Plural. eſſemus,eſſetis, eſſent.

Ederim, ederis, ederit: Plural. ederimus, ederitis, ederint.

Ediſſem, ediſſes, ediſſet: Plural. ediſſemus, ediſſetis, ediſſent.

Edero, ederis,ederit: Plural. ederimus, ederitis, ederint.

Infinitiui modi tempus præſens,eſſe.ſimiliter præteritum, eſſe. D

Futurum: eſum iri, vel eſurum eſſe.

Imperſonale, eſtur. edebatur. eſum eſt, vel fuit. eſum erat,vel fuerat. Futurum,edatur. Supina, edendi, edendo,edendum. eſum,* eſu.

Ms. eſſum, eſſu.

Volo quoque verbum neutrale per ſyncopam prolatum, in ſecunda, & in tertia perſona, & in imperfecto defecit.

Volo, vis, vult: Plural. volumus, vultis, volunt.

Volebam, volebas, volebat: Plural.volebamus, volebatis, volebant. E

Volui, voluiſti, voluit: Plural. voluimus,voluiſtis,voluerunt, vel voluêre.

Volueram, volueras, voluerat: Plural. volueramus, volueratis, voluerant.

Volam, voles, volet: Plural. volemus, voletis, volent.

Vellem, velles,vellet: Plural.vellemus, velletis, vellent.

Voluiſſem, voluiſſes, voluiſſet: Plural. voluiſſemus, voluiſſetis, voluiſſent.

Velim, velis velit: Plural. velimus, velitis, velint.

Vellem,velles,vellet: Plural. vellemus, velletis, vellent.

Voluerim,volueris, voluerit: Plur. voluerimus, volueritis, voluerint.

Voluiſſem, voluiſſes, voluiſſet: Plural. voluiſſemus, voluiſſetis, voluiſſent.

Voluero, volueris,voluerit: Plural. voluerimus, volueritis, voluerint.

Infin. præſens, velle. præteritum, voluiſſe. Participium præſens, volens.

Sic declinandum eſt nolo, non vis,non vult: ſic niſi quod nolo Imperatiuum habet, vt noli, nolite.

Maló, mauis, mauult, & reliqua.

Immitis es in me, France. Ecce quale onus impoſuiſti mihi,ducens me per aſpera, & ſpinoſa. Dimitte me tandem aliquãdo reſpirare.

F. Dimittam, & iuxta Virgilium: Ego, hoc te faſce leuabo.

S. Etſi hoc leuas: timeo,ne aliud imponas.

F. Noli timidus eſſe: ---- labor omnia vincit Improbus.--

S. Vincit: quapropter eamus viæ quod reſtat.

DE ADVERBIO.

F. TAndem, Saxo, diu obſerata ora reſclude: & hactenusque clauſas aduerbiorum regulas enuclea mihi.

S. Faciam France. Aduerbium eſt pars orationis ſemper verbo cohærens: & hoc agit verbis additum,quod adiectiua nomina, appellatiuis adiuncta: vt prudens homo prudenter agit: felix vir feliciter viuit.

F. Aduerbio quot accidunt?

S. Tria: ſpecies, ſignificatio, figura.

F. Speciem pande.

S. Quia ſunt primitiua, aut deriuatiua.

Primitiua quidẽ ſunt, quæ à ſe naſcuntur, vt non, ita, ceu.

Deriuatiua, quæ ab aliis aduerbiis naſcuntur; vt à clam, clanculum: & propè, propius. Et ab aliis partibus orationis; vt à nomine Latinus, Latinè: Tullius, Tulliane. A verbo : à parco,parcius. A nomine & verbo: à pede, & tento,pedetentim. A pronomine: vt à me,mecum: ab ille & hic, illic. A præpoſitione: vt ab ex, extra.

F. Nunquid aduerbium per ſe poſitum, plenum poteſt habere ſenſum?

S. Non poteſt: niſi verbo vel participio legatur: vt benè lego, benè legens.

F. Poſſuntne aliæ partes pro aduerbiis poni?

S. Poſſunt. Nam nomina per diuerſos caſus, pro aduerbiis ponuntur.

F. Da exemplum.

S. Genitiuus pro aduerbio ponitur, vt Romæ; vt, Cicero Romæ ne ſit. Datiuus, veſperi, ſorti: Virgil. Sunt quibus ad portam cecidit cuſtodia ſorti. Accuſatiuus, Romam pergo, Athenas. Terent. Quid tu indocte Athenas? Ablatiuus. Virgil. Fortè ſub arguta conſederat ilice Daphnis.

F. Quomodo diſcerni poteſt, vtrum nomina ſint ſic compoſita, an aduerbia?

S. Cum nomina loco aduerbiorum accipiuntur, manent indeclinabilia, licet diuerſis iungantur caſibus, vt ſublimè volãs, ſublimè volantis, ſublimè voluta, &c. Si verò nomina ſunt, declinantur: vt, hoc ſublime volans, huius ſublimis volantis, huic ſublimi volanti, &c.

F. Num aliæ partes pro aduerbiis ponuntur?

S. Ponuntur. Nam vel coniunctio, & per, & ex, præpoſitiones, pro valdè accipiuntur: vt Cicero, vel magnũ bellum, pro valdè magnum: excelſus, pro valdè celſus.

F. Figuræ aduerbiorum quot ſunt?

S. Tres. Simplex, vt diu. Compoſita, interdiu.

Decompoſita, id eſt, quæ à compoſitis deriuantur, vt ab indocto, indoctè: à miſericorde, miſericorditer.

F. Significatio aduerbiorum quæ eſt?

S. Significatio aduerbiorũ diuerſas ſpecies habet.

Sunt autem temporalia, vt pridem, nuper, nuduſtertius*.

* Sic MS.

Sunt quæ præſens tantum tempus ſignificant, vt nunc, præſtò: ſunt quæ præteritum, vt heri, heſternò: ſunt quæ futurum, vt cras, perendie: ſunt alia communia diuerſorum temporum, vt olim, dudum. Præteriti, Horat. Olim truncus eram ficulnus, inutile lignum. Præſentis: verùm ac iam olim ſeras poſuit cum vinea frondes. Futurum, idem: Forſan & hæc olim meminiſſe iuuabit. Dudum præteritum: Ego dudum nonnihil veritus ſum. Præſentis: verùm, iam dudum ſumite pœnas. quondam, præteritum: quondam fuit iſta in hac republica virtus. Præſens: verum Quondam etiam victis redit in præcordia virtus. Futurum: Tempus erit quondam. Similiter ex eo compoſita, aliquando, nequando, quæ in penultimo accentum habent, ne duæ partes putentur: ſed quando, & quomodo, vbi, vnde, qua, quo, interrogatiua acuuntur: reuelatiua grauantur per omnes ſyllabas. Et ſunt differentiæ quatuor.

Ad locum, quò: in locum*, vbi: de loco, vnde: per locum, quà. quando quoque pro cauſali coniunctione accipitur. Virgil. Hìc tibi, fabor enim, quando hæc te cura remordet: quando pro quoniam poſuit. Sed & alia ſunt localia, quatuor differentias habentia.

* loco.

Ad locum, huc, illuc: in loco, hîc, illic: de loco hinc, illinc, inde; & ex eo compoſita, ſubinde, perinde, exinde, proinde; quæ omnia penultimam acuunt: per locum; hac, illac. Sunt quoque à verſum, & nomine, & pronomine cõpoſita: ad locum, horſum, deorſum, ſurſum, ſiniſtrorſum, dextrorſum. Italiam verſum: & quorſum, id eſt, quò verſum. Alia dehortatiua: vt, ne quod, pro neque, & pro ne, & pro valdè accipitur. Cicero: Ne dici quidem opus eſt: pro, neque dici. Terent. ne dicam dolo: pro, ne dicam. Item, ne vlla illum haud mouit: pro, valdè illa.

Alia confirmatiua, profectò, ſcilicet, quippe, videlicet, nempe. Inueniuntur quoque duæ partes pro his poni: vt, quidni, cur ne, ſic eſt, quid iſtic.

Alia iuratiua, vt Ædepol, Æcaſtor, medius fidius. Per, quoque Præpoſitio pro his accipitur; vt Virgil. Per te, per, qui te talem genuere parentes. Eſt quoque per cõfirmatiuum. Terent. Tu quoque perparcè. Sic, quoque iuratiuum eſt: Virgil. Sic ſua Cyrneas fugiant examina taxos. Alia optatiua: vt, vtinam. quod compoſitum eſt ex vti, & enim: o, & ſi. Virg. adſis ô tandem. Idem, Si nunc ſe nobis ille aureus arbore ramus Oſtendat.

Alia, hortatiua: vt, eia, aie.

Alia, remiſſiua: pedetentim, paulatim, ſenſim.

Alia congregatiua loci & temporis communia, vt ſimul, vna, in eodem loco, & in eodem tempore. Alia diſcretiua: ſeorſum, ſecus, ſeparatim, ſecretò, vtrimque, ſingillatim, bifariam, omnifariam.

Alia ſimilitudinis, vt ceu, quaſi, velut, veluti, ſic, ſicut, vt, vti.

Alia ordinalia, vt deinde, continuo, protinus, præterea.

Alia intenſiua, vt, valdè, nimium, prorſus, penitus, omninò.

Alia comparatiua, vt magis, minus, ocyus, quod à Græco deriuatur ὠκύς.

F. Nunquid, quæ ab aliis deriuantur,

primitiuorum ſignificationem, vel qualitatem ſeruant?

S. Seruant vtique, vt à Tullio, Tullianè, à corpore, corporaliter. Ab alio, aliter. A Græco, Græcè; à viro viriliter.

F. Proſequere alia.

S. Sunt Numeralia, vt ab vno, ſemel; à duobus, bis, quæ ſola inæqualiter proferuntur. Cæteri verò numeri à vocibus ſuis faciunt Aduerbia à tres ter, à quatuor, quater; & ſic decies.

Alia demonſtratiua, en, ecce. Alia interrogatiua, vt cur, quare, quamobrem. Alia negatiua, vt non, haud, minimè, nunquam. Eſt, quando duæ partes pro his accipiuntur; vt, nullo modo, nulla tenus.

F. Nunquid Aduerbia ſynonyma, vel polyonyma poſſunt eſſe?

S. Poſſunt, ſunt ſynonyma, id eſt, dum multæ voces vnam rem ſignificant, vt en, ecce. & penè in omnibus ſignificationibus inuenies polyonyma: vt, vbi, quò, quà, quomodo, quæ ſunt infinitiua, & interrogatiua, & reuelatiua.

O, quoque diuerſas habet ſignificationes. Eſt Aduerbium vocandi: Virgil. O regina nouam cui condere Iupiter vrbem. Eſt admirandi: Iuuenalis: O qualis facies! ---- Eſt indignandi, vt, ô tempora, ô mores! Eſt & optandi; Virgil. Adſis ô tandem.

In aliis quoque multis Aduerbiis inuenies multas ſignificationes, in vna, eademque voce, quomodo etiam è contrario in diuerſis vocibus, vnam ſignificationem; vt quando, olim, dudum, citò, propè, celeriter, actutum.

F. An conuenientius præponuntur Aduerbia, vel ſupponuntur?

S. Manifeſtè aptius præponuntur: quomodo adiectiua nomina; vt bonus homo benè agit, fortis Imperator fortiter pugnat. Tamen præpoſterè inueniuntur poni multa, præter monoſyllaba; vt non, dum, en, cur. Demonſtratiua quoque, & interrogatiua, & hortatiua, & ſimilitudinis, vocatiua Aduerbia, & optatiua Aduerbia præponuntur; vt en, ecce, cur, quare, eia, age, ceu, quaſi, heus, vtinam.

Habes, France, de Aduerbio ſatis.

F. Non ſatis: tamen pauſemus ad horam.

S. Pauſemus.

DE PARTICIPIO.

F. SVrge, Saxo.

S. Quid vis, France?

A F. Vt regulas Participiorum pandas mihi velim.

S. Pandam. Sed illa pars parum quid habet obſcuritatis. Tamen, ſi quid opus habeas, interroga.

F. Primò interrogandum reor, vnde participium dictum ſit.

Participium dictum eſt, quia partem nominis partémque verbi tenet, & medium interea locum habet, & ſemper in deriuatione eſt: quod nulla alia pars orationis habet, dum aliæ partes primitiuas habent B ſpecies, vnde deriuantur; vt à rege, regalis: à mei, meus: à ferueo, ferueſco: à propè, propius: ab ex, extra. Participia autem ſemper à verbis deriuantur, & comparationem non poſſunt habere. Si comparantur, tranſeunt in nomina: vt amans, ab amo verbo veniens. Si facis amans, amantior, amantiſſimus, nomen eſt, carens tempore.

F. Sed vnde agnoſco an nomen ſit, vel participium talis dictio?

S. Ex caſuum circumſtantia. Nam participium C caſum ſui verbi ſequitur: vt amo illum, amans illum. Nomen verò ſi fiet, caſum verbalis* nominis ſequitur: vt amator illius, ſic dicimus amans illius. Vides quod participium accuſatiuo, nomen genitiuo iungitur: ſed & participia tempus ſignificant.

*MS. verbialis.

F. Nunquid non quædam nomina quoque tempus ſignificant: vt annus, menſes, dies, hora, & alia multa?

S. Significant: ſed intereſt, quod nomina illa nihil aliud ſignificant, niſi ipſum D tempus per ſe: participia itaque actionem vel paſſionē in quolibet fieri tempore demonſtrant, non ipſum tempus. Et quod participium exſequitur caſus, quos & verba, ex quibus naſcuntur. Et quod verborum ſignificationes habent, & quod pro verbo ponuntur. Vnde quidam participiū verbum caſuale nominant. quia quod verbo per ſe deeſt, id eſt caſus, poſſidet in participio. Ideo in cōſtructione per obliquos caſus, vbi verbum iungi non poteſt, participium loco verbi ſubiit, vt bonus loque- E batur, boni hominis loquentis orationem audiui, bono homini loquenti reſpondi, bonum hominem loquentem audiui, tu bone homo loquere, à bono homine loquente didici. Ex eo nominatiuus & vocatiuus recti caſus nominantur, quia per ſe verbis iungi poſſunt.

F. Quam vtilitatem habet participium in nominatiuo & vocatiuo, ſi ſic verbi loco obliquis iungatur?

6. Quod verba ſine cōiunctione in Nominatiuo & Vocatiuo, coniungere potes. Nam diuerſa verba ſine coniunctione recti iungi non poſſunt, vt lego, ſcribo, vel doceo, diſcis, non eſt dicendum, ſed lego, & ſcribo, doceo & diſcis. ſi participium loco prioris verbi ponas, benè ſine coniunctione profertur, vt legens ſcribo, docens diſcis. Igitur participium inuentum eſt, vt in nominatiuo & vocatiuo, ſine coniunctione proferatur, cum alio verbo, vt legens doceo, pro lego, & doceo: & legens fac, pro lege & fac. quæ poſitio intranſitiua eſt, hoc eſt, ipſam in ſe oſtendit manere perſonam. Obliqui verò caſus Participiorum ad hæc ſunt vtiles: quod non ſolum ſine coniunctione proferuntur, ſed etiam ad alias tranſeant perſonas: vt docentis potior, docenti reſpondeo, docentem audio; illo docente didici.

F. Quot accidunt * participio?

*MS. accedunt.

S. Sex. Genus, caſus, ex nomine: ſignificatio, tempus ex verbo: numerus, figura, ex vtroque.

F. Quot genera habet?

S. Quatuor. Maſculinum, vt amatus: Femininum, vt amata: Neutrum, vt amatum: omnis generis, vt hic, & hæc, & hoc amans. Nam commune duum generum, & epicœnomena, in participio inueniri, natura ipſa prohibet. Cum enim verba, ex quibus naſcuntur Participia, pariter omnibus iungantur generibus, vt legit vir, legit femina, legit mancipium: neceſſario participium, quod ex eo proficiſcitur, eiſdem generibus aſſociatur. Et omne participium in ans, vel in ens, præſens & præteritum imperfectum, ſiue trium generum eſt; vt hic & hæc & hoc laudans, docens, legens, audiens. Si verò in us finiuntur, præterita vel futura, mobilia ſunt per tria genera, vt amatus, amata, amatum: amaturus, amatura, amaturum.

F. Caſus participiorum expone mihi.

S. Caſus participiorum ſex ſunt, ſicut & nominum. Nec ſunt inuenta participia in aliquo caſu deficientia, ſicut nec nomina mobilia, vel in duas deſinentes conſonantes: quæ enim deficiunt, fixa ſunt, vt fas, *.. ... tabo.

F. Quomodo declinantur participia?

S. Ad ſimilitudinem nominum in ens deſinentium, vel in us mobilium.

F. Tempora participiorū qualiter currunt?

S. Participia coniuncta habēt, ſicut verba infinitiua, id eſt, præſentis temporis, & præteriti imperfecti. Itēm præteriti perfecti & pluſquamperfecti pariter; vt legens ſcribo, legens ſcribebam: lectus fuit, lectus fueram.

F. An ex omni ſignificatione verborum omnia tempora inueniuntur in participiis?

S. Nequaquam. Nam cùm quinque ſint verborum ſignificationes, actiua, neutra, paſſiua, communia, deponentia; participia ab actiuis quidem & neutris, præſentis temporis inueniūtur, & futuri: vt amans, amaturus: ſtans, ſtaturus: ſed præteritis participium, & ſubſtātiuum verbum ſum, præteritum perfectum proferimus: vt amans fui, fuiſti, fuit: pro, amaui, amauiſti, amauit. Et ſic per omnes modos in tempore præterito perfecto & pluſquamperfecto. Itaque quod deeſt naturaliter, ſimplici dictione impletur, iuncturæ ratione. Inueniuntur tamen in quibuſdam neutris participia præterita; vt à cœno, cœnatus: à prandeo, pranſus: à placeo, placitus: à nubo, nupta: à pateo, paſſus. Virg. Crinibus Iliades paſſis, id eſt, diſperſis. Fit quoque à patior, paſſus: à iuro, iuratus: adſueſco, adſuetus: titubo, titubatus, & talia multa: vt diſceſſus, interitus, obitus, occaſus, potus, ſenectus. Neutropaſſiua quoque quæ quinque ſunt, trium temporum habent participia; vt gaudeo, gaudens, gauiſus, gauiſurus: audeo, audens, auſus, auſurus: ſoleo, ſolens, ſolitus, ſoliturus: fio, fiens, factus, futurus; differentiæ cauſa, ne ſi facturus diceretur, à facio verbo putaretur, quod vim actiuam habet: cuius paſſiuum fio eſt. Fido quoque, fidens, fiſus, fiſurus facit. A paſſiua ſignificatione duo quoque veniunt participia, præteritum & futurum; vt amatus, amandus; pro cuius præſenti ſæpè neceſſitatis cauſſa auctores præterito vti inueniuntur.

A communi verbo quatuor naſcuntur participia, & non mirum; quia & actiuam habet ſignificationem, & paſſiuam commune verbum: & ideo vtriuſque ſignificationis habet participia. Actiuæ, vt criminans, & criminaturus. Paſſiuæ, vt criminatus, & criminandus: ſed criminatus in vtraque inuenitur ſignificatione.

Sciendum eſt tibi, ô France, quod omnia participia in dus deſinentia, eadē poſſunt eſſe & nomina.

F. Et quomodo poſſum, ô Saxo, ſcire, an ſint nomina vel participia?

S. Dum nomina ſunt, amittunt tempora, vt olim tibi dixi; vt docendus ſum, participium eſt: ad docendam Rhetoricam veni, nomen eſt.

A Deponenti trium temporum veniunt A Participia: Præſentis & Præteriti imperfecti, ſequens: Præteriti perfecti & Plusquã perfecti, ſecutus: Futuri, ſecuturus. Sed apud antiquos ex huiuſcemodi verbis Participia præteriti temporis, tam actiuam quàm paſſiuam ſignificationem habentia inueniuntur, vt meditatus, auxiliatus, amplexatus, adminiculatus, vtriuſque ſignificationis poſſunt eſſe.

F. Numeros Participiorum profer.

S. Numeri Participiorum duo ſunt. Singularis, vt currens: pluralis, vt currentes. B Et ſicut non deficiunt caſibus, ſic nec numeris defectiua inuenies Participia.

F. Figuræ Participiorum vnde veniunt?

S. A Verbis ſemper, vt ab efficio, efficiens: ab intelligo, intelligens. Nam per ſe nunquam componitur Participium, niſi prius componatur eius Verbum. Si enim ipſa componatur per ſe, tranſeunt in Nominum vim: vt noceo, nocens, innocens nomen eſt, innocentior faciens: ſapio, ſapiens, inſipiens nomen eſt. Simplicia C enim eorum poſſunt & Nomina & Participia eſſe: compoſita verò tantùm Nomina eſſe.

F. Memini te dixiſſe, omnia Participia eſſe deriuatiua à Verbis. Velim ſcire à quibus temporibus, vel modis ſint deriuata.

S. Ab Indicatiuo modo præſentis temporis fiunt Participia præſentia, & ſemper in ans, vel in ens deſinunt: vt ab amo, amas, amans: habeo, habes, habens, interpoſita n ſecundæ perſonæ vltimis literis. D In tertia & quarta coniugatione, o conuerſa in ens, fiunt Participia: vt lego, legens: audio, audiens.

Præteriti temporis Participia, & Futuri veniunt à ſupino Verbo u finito, addita s in præterito, rus in futuro: vt amatu, amatus, amaturus: cœnatu, cœnatus, cœnaturus: criminatu, criminatus, criminaturus: loquutu, loquutus, loquuturus. Mortuus ſolùm à morior duo uu habet. Paſſiua verò futura veniunt à Genitiuo Participij præſentis temporis, tis in dus E conuerſa: vt amans, amantis, amandus.

F. O ſi voluiſſes colligere difficiliora verba, cum præterito perfecto, & ſupino, & participio, quàm neceſſarium eſſet!

S. Neceſſarium eſſet: ſed modum noſtri ludi excederet.

F. Tamen aliqua profer: cætera facilius coniicio.

S. Faciam. Amo, amaui, amatum, amatus. Necto, nectis, nexui, nexum, nexus: & ex eo frequentatiuum nexo. Et dò, dedi, datum, daturus, a breui vbique. Oro, oraui, oratum, oraturus. Seco, ſecui, ſectum, ſecturus. Neco, necui, nectum, necturus, à neco quoque necatum inuenitur: ſed necatus ferro dicitur occiſus. nectus verò alio quolibet modo. Plico, as: plicaui, & plicui facit: ideo & plicatus, & plicitum inuenitur. Ita, & ex eo compoſita explico, duplico, implico dupliciter proferuntur. Nam laui, & caui, & faui, differentiæ cauſſa a longam au mutant, lautu & lautus: cautu & cautus, fautu & fautus faciunt, quia latum, & catum, & fatum, alias habent ſignificationes. Sto, ſtas, ſtatum, ſtaturus longa, a, cum in nominibus ab eo deriuatis, vbique breuietur, vt ſtatus, ſtabilis. vt Lucanus, quorum ſtata tempora flatus. Iuuo, iuui, iutum, longa u. Vnde adiutus. Sterno, ſtraui, ſtratum, ſtraturus. Edo, edi, eſum, eſurus. Ex quo eſurio. Eruo, erui, erutum, eruturus. Cio, ciui, citum, citurus. Moueo, moui, motum, moturus. Sedeo, ſedi, ſeſſum, ſeſſurus: quod geminat s, ne duæ partes putentur. Foueo, foui, fotum, foturus. Facio, feci, factum, facturus.

Et obſeruandum eſt tibi, ô France, quòd penè in omnibus Verbis, quę minuunt ſyllabas, in præterito perfecto quidem ſemper penultimas producunt, licet in præſenti correptæ eſſent.

F. Vnde fit hoc?

S. Vt compenſent temporibus quidem de e, in ſyllabis. Sero, ſeui, ſatum, ſaturus. Vnde ſertus. Sino, ſiui, ſitum, ſiturus. Pono, poſui, poſitum, poſiturus. Lino, liui, litum, liturus. Eo, iui, itum, iturus: Rideo, riſi, riſum, riſurus. Video, vidi viſum, viſurus. Ardeo, arſi, arſum, arſurus. Mordeo, momordi, morſum, morſurus. Pendeo, pependi, penſum *, penſurus. Tondeo, totondi, tonſum *, tonſurus. Spondeo, ſpopondi, ſponſum, ſponſurus. quod s, in ſecunda amittit ſyllaba. Candeo, ſtudeo, fundo, ſplendeo, faciunt ſupina, canditum, ſtuditum, fronditum, ſplenditum, licet rariſſimè à neutris ſecundæ coniugationis ſupina vel participia inuenias: vt caleo, tepeo, horreo, rubeo, palleo, & cætera talia. Sed non eſt opus tibi, vt quadriformi tramite per ſingula verba curram. Poteris ex Supinis Participia intelligere, vel ex Participiis Supina.

F. Fac vt placeat: tamen vt obſcuriora ſemper pandas.

S. A pateo, patui, paſſum: & patior,

* MS. penſu.
* tonſu.

* MS. mixi. * MS. flexo.

paſſus naſcitur. Meio, minxi*, mictum. & mingo, minxi, mixtum. n, euphoniæ cauſa amittens: & inde micturus. Flecto*, flexi, flexus, flexurus. Fluo, fluxi, fluxurus. Obſoleo, obſoleui, obſoletum: ab obs, & oleo, compoſitum à ſoleo. A careo, caſſus, cariturus inuenitur. Habeo, habitum, habiturus. Cado, cecidi, caſum, caſurus. Cedo, ceſſi, ceſſurus. Fodi, foſſum. Dedi, datum. Credidi, creditum. Capio, cepi, captum. Cœpi, cœptum, cuius præſens cœpio in vſu non eſt. Sapiui, ſapitum: Peperi, partum, pariturus: & ex eo parturio. Orior, ortus, orturus: & morior, mortuus. hoc ſolum per duo u u profertur. Quatior, quaſſum: vnde frequentatiuum quaſſo, quaſſas. Percutio, percuſſi, percuſſurus, per duos ſſ. Vro, vſſi, vſturus. Farcio, farſi, farſum, farſurus. Sarcio, ſarſi, ſarſum, ſarſurus. Potior, potiturus. Argui argutum, id eſt, conuictum, argururus. Ruo, ruitum, ruiturus. Loquor, loquutum, loquuturus. Fruor, fructum facit. Sicut ſtruo, ſtructum, ſtructurus. Caluo, id eſt, decipio, calui, caluitum, ſecundum regulam debet facere. ex eo calumnia deriuatur. Neo, neui, netum, neturus.

Sciendum quoque tibi eſt, quod ſæpe ea verba, quæ in præterito perfecto v, conſonantem aſſumunt, in ſecunda & tertia perſona, ſyncopam patiantur, vt neo, neui, neuiſti vel neſti: amo, amauiſti, vel amaſti, & in plurali, amaſtis, vel amarunt. Illa verò quæ in præſenti v, habent conſonantem, non poſſunt in præterito ſyncopam pati, vt lauo, lauaſti: nemo dicit laſti, vel laſtis, vel larunt. Ico, ici, ictum, icturus, breui i. In præſenti & præterito longa. quieui, quieturus. liqui, lictu, licturus: & ex eo reliqui, relicturus: vinco, vici, victurus. Creſco, creui, cretum, creturus. Scio, ſciui, ſcitum, ſciturus: & ex eo ſciſco, noſco, noui, notu, noturus. Ignoſco, ignoturus, Paſco, paui, paſtum, paſturus. Diſco, diſcitum, diſciturus. Parco, parſu, parſurus. Paciſcor, pactum, pacturus. Proficiſcor, profectum, profecturus. Expergiſcor, præterito, expergitus* ſum, experrectu, experrecturus. Nanciſcor, nactus ſum, nactum, nacturus, abſque n. Pangor, pactus, pacturus. Fingor, fictus, ficturus. Tangor, tactus, tacturus. Iungor, iunctus, iuncturus. Fungor, functus, functurus. Plangor, planctus. Angor, anctus. Participium præteriti faciunt ſic: Vlciſcor, vltus. Iraſcor, iratus. Defatiſcor, defeſſus, id eſt, fatigatus. Nam à deficio defectus fit Participium. Comminiſcor, com-

* MS. experctus.

A mentum. Adipiſcor adeptum. Tundo, tutudi, tunſurus. Rado, raſi, raſurus. Credo, credidi, crediturus. Cado, caſum, a producta. In omni enim Supino & Participio præteritum temporis, a producitur penultima, exceptis datum, & ſtatum, & ſatum. Findo, fidi, fiſſum, fiſſurus. A comedo quoque comeſum & comeſtum inuenitur. Oſtēdo, oſtentum, vel oſtenſum, oſtenſurus. Mergo, merſi, merſu, merſurus. Tergo, terſi, terſum, terſurus. Pungo, pupugi, vel punxi, punctum. Ago, egi, a-
B ctum, acturus. Pango, pegi, pactum. Ex eo impingo. Fingo, finxi, fictum. Stinguo, ſtinxi, ſtinctum. Ex eo extinguo, Ango, anctum, anxurus. Cogo, coegi, coactum. Veho, vexi, vectum. Pſallo, pſalli facit; cuius nec Supinum, nec Participium legi. Vello, vulſi, vulſum. Pello, pepuli, pulſum. Alo, alui, alitus, vel altus. Tollo, ſuſtuli, ſublatum, ſublaturus. Como, compſi, comptum, compturus. Demo, dempſi, demptum.

Sciendum eſt tibi, quod huiuſmodi po-
C ſitionibus literarum, vbique inter m & tum, p, ponendum eſſe. Vomo, vomui, vomitum. Premo, preſſi, preſſum; preſſurus. Cano, cecini. ex eo occino, occinui, occentum: Succino, ſuccentum. Temno, tempſi, temptum. Creo, creui, cretum. ex eo, & de verbo, Credo componitur; quaſi certum do. Lino, liui; vel linio, litum, liturus. Sciendum eſt, quod tam litum, & itum; & ex eo compoſita, obitus, præteritus, & itum, & queo, quitum: & à cio, citum, à nequeo, nequitus corripiunt
D penultimas. quod in aliis Supinis, vel Participiis, quæ à Præteritis in vi terminantibus non inuenies: vt Amaui, amatus. Moui, motus. Cupiui, cupitum. Noui, notum. Rumpo, rupi, ruptum. Verro, verri, verſum, verſurus. Quæro, quæſiui, quæſitum. Reor, ratus: exſero, exſerui, exſertum, exſerturus. Meto, meſſui, meſſum, meſſurus. Mitto, miſi, miſſum, miſſurus, per duo ſſ. cùm miſi per vnam debeat ſcribi. Peto, petiui, petitum, longa penultima. Texo, texui, textum: nexo, nexui, nexum.
E fartio, farſi, fartum: vnde fartores. ſicut à ſarcio, ſarſi, ſartum, ſartores. Sentio, ſenſi, ſenſum. Raucio, rauſi, rauſum. Sepio, ſepſi, ſeptum. Venio, veni, ventum, venturus. Pario, peperi, partum, parturus. Scio, ſciui, ſcitum, penultima vbique longa, vt auditus, munitus, arceſſitus. niſi in prænominatis, ſepelio, ſepelii, ſepultus; ſepulturus. Salio, ſalui, ſaltum. Sallo, à ſale, ſaliui, ſalſum, ſalſurus. Participium

quoque ex eo præteritum eſt, ſalitus; vel ſalſus. Ambio, ambiui, ambitum: ex eo, ambitus nomen correpta penultima.

F. Cur hoc?

S. quia ambio, ab eo verbo compoſitum eſt. Nam verbialia nomina à ſecunda venientia coniugatione, penultimam habent breuem, vt habitus, monitus.

Memorandum quoque tibi eſt, Imperſonalia ſupinis, & Participiis defeciſſe, niſi raris: vt à pœnitet, pœnitens. vnde & pœnitentia: & à licet, inde licentia, & licitus: & à libet, libens.

DE CONIVNCTIONE.

F. Nunc ordo partium flagitat, vt de Coniunctione dicas.

S. Coniunctio eſt pars orationis indeclinabilis, coniunctiua, & ſignificatiua, aliarum partium vim, & ordinationem demonſtrans.

F. Quomodo vim, & ordinationem demonſtrans?

S. Vim, quando aliquas res ſimul eſſe ſignificat: vt, & pius & fortis fuit Æneas. Ordinationem, quando conſequentiam aliquarum demonſtrat rerum, vt ſi ambulat, mouetur. ſequitur enim ambulationem, motus.

F. Quot accidunt Coniunctioni?

S. Tria; Figura, & ſpecies, & ordo.

Figura ſimplex, vt, at, &, ſed. Compoſita, vt, atque, etenim, ſedenim. Hæc enim ex accentu Compoſita eſſe noſcuntur.

F. Da ſpecierum quoque rationem.

S. Species, quas Donatus poteſtatem nominat, ſecundum eum quinque ſunt: Copulatiua, expletiua, cauſalis, diſiunctiua, rationalis. Secundum Priſcianum plures; ſed hæ quinque ſpecies principales ſunt, aliáſque in ſe continentes ſpecies.

F. Pande ſingularũ exempla ſpecierum.

S. Copulatiuæ ſunt, quæ copulant tam verba, quàm ſenſus; vt, &, que, at, atque, ac, aſt.

Diſiunctiuæ ſunt, quæ quamuis dictiones iungant, ſenſus tamen diſiungunt, & vnum è duobus eſſe ſignificant: vt vel, ve, ne, nec, neque.

Expletiuæ ſunt, quæ vel bonum, vel malum explent ſenſum: vt quidem, equidem, ſaltem, videlicet, quanquam, quamuis, quoque, autem, porrò, ſcilicet, tamen.

Cauſales ſunt, quæ cauſam antecedentem ſignificant, vt doctus ſum; nam legi. ſi ſol eſt, iam lucet. Cauſa enim luminis ſol eſt. Et ſunt hæc: ſi, etſi, etiamſi, ſiquidem, quando, quidam *, quinetiam *, quatenus, ſin, ſeu, ſiue, namque, ni, niſi, ſi, enim, etenim, ne, ſed, interea, quamobrem, præſertim, item, itemque, cæterum, quin, præterea.

Rationales ſunt, quæ rationem rei reddunt, vt, ita, itaque, quoniam, enim, etenim, enimuerò, quia, quare, quapropter, quoniam, quidem, quippe, ergò, ideo, ſcilicet, propterea.

F. Ordo Coniunctionum in quo eſt?

S. Quia aliæ ſunt, quæ ſemper præponuntur, vt, at, aſt, aut, ac, vel, nec, neque, ſi, quia, quatenus, ſin, ſeu, ſiue, ni. Aliæ ſupponuntur: quidem, quoque, autem. Aliæ penè omnes indifferẽter & præponi, & ſupponi poſſunt, vt ergò, igitur.

Inueniuntur quoque ſæpè Coniunctiones in aliarum Coniunctionum poteſtates tranſire, vt, vel, diſtinctiua Coniunctio, pro copulatiua ponitur, vt Terent. ---- vel rex; pro, etiam rex. Inueniuntur quoque aliæ partes pro Coniunctione poni: Nomina: vt qua cauſſa? qua gratia? quamobrem. Verbum: vt quamuis, & licet, pro quanquam. Virgil. Dicam equidem, licet arma mihi, mortemque minetur.

Sunt quoque Coniunctiones dubitatiuæ; vt, ne, nec, an, ne. Virgilius: Eloquar? an ſileam? Iuſtitiæne prius mirer, belline labores?

Sunt eædem Interrogatiuæ: vt, Tanto ne me crimine dignum duxiſti?

Fiunt & electiuæ, quando ex diuerſis rebus aliquid eligitur: vt, diues eſſe volo, quàm pauper.

Fiunt & adiunctiuæ, cum verbis ſubiunctiuis adiunguntur: vt ſi, cùm, vt, dum, quatenus: vt ſi venias, facio: Cum faciam vitulâ, pro frugibus ipſa venito: Vt proſit tibi, facio: Multa quoque & bello paſſus, dum conderet vrbem. Quatenus id libenter faciat.

Poſſunt & hæ ipſæ cauſales eſſe.

F. Sed vnde ſciam, ad quam ſpeciem pertineant?

S. Adiunctiuæ, cum dubitatione proferuntur. Cauſales, cum affirmatione: vt, eris doctus, ſi legas.

Sunt, quæ diminutionem ſignificant, vt ſaltem *: ſi qua mihi ſoboles de te ſuſcepta fuiſſet.

Fiunt & continuatæ, vt, ſi ambulat, mouetur. Continuat enim ambulationem motus.

Hæ & aliæ ſpecies in Priſciano reperiuntur, quæ tamen incidere poſſunt in præ-

dictis quinque: Sed nunc hæc habeto de A Coniunctionibus.

DE PRAEPOSITIONE.

F. PRæpoſitio quid eſt?

S. Pars orationis indeclinabilis.

F. Quid habet officij?

S. Vt aliis præponatur partibus, vel appoſitione, vel compoſitione.

F. Appoſitione quomodo?

S. Quando foris apponitur dictione;& hoc nomine, vel pronomine: caſu, Accuſatiuo, vel Ablatiuo: vt ad hominem, vel *ab homine*: ad illum, ab illo. B

F. Quomodo per compoſitionem?

S. Quando cum aliis partibus in vnam dictionem, vt nomine, per omnes caſus: vt, indoctus, indocti, indocto, indoctum, indocte, ab indocto. Pronomini non componitur.

Verbo componitur, vt induco, expleo. Participio per deriuationem, vel conſequentiam compoſitorum verborum, vt inducens, explens.

Aduerbio quoque per compoſitionem iungitur: vt perinde, abhinc, deinceps. Nam & ſeipſa per compoſitionem nectitur; vt *imperitus*. Loco etiam Coniunctionis caſualis ſolet accipi, vt per deſidiam malitiæ naſcuntur; id eſt cauſa deſidiæ. ſimiliter, propter, &, apponi poſſunt.

F. Si vnquam ſupponuntur præpoſitiones?

S. Etiam. Sed raro. Et hoc eò, euphoniæ cauſa, id eſt, ſonoritatis: vt in pronominibus, mecum, tecum, ſecum, nobiſcum, vobiſcum. Sed & Poetica auctoritate in metris præpoſtere poni eas inuenies, vt, --- maria, omnia circum: & ibi, finalis ſyllaba acuitur, ne nomen putetur.

F. Habent præpoſitiones accentus per ſe?

S. Habent acutum accentum in fine tam *apud Græcos*, quàm apud Latinos: qui tamen in grauem ſemper vertitur, quia præpoſitio vbique ſequenti dictioni ſeu per appoſitionem, ſeu per compoſitionem adnectitur, & quaſi vna pars cum ea profertur. E

Inueniuntur quoque præpoſitiones, in media poni dictione, vt, qua de re, quam ob rem, qua in parte.

F. An omnes præpoſitiones componuntur?

S. Quædam ſunt, quæ nunquam componuntur: vt apud, erga, citra, circa, extra, infra, iuxta, penè, propè, ſecundum, vltra, ſupra, circiter. Quædam ſunt, quæ nunquam ſeparantur, vt con, di, dis, re, ſe, an.

Aliæ, penè omnes componuntur, & ſeparantur.

Et aliæ ſunt, quæ in compoſitione colliſionem patiuntur à conſequenti vocali: coago, coarguo, coarto, coæquo.

Aliæ ſunt, quæ aſſumunt conſonantem*, vt pro ſequenti vocali d adſumunt, vt emo, redimo: ago, redigo: prodes, prodeſt. quædam ſyncopam patiuntur, vt ſupra, pro ſupera: extra, pro extera: infra, pro infera. Sed & diuerſis modis præpoſitiones in cōpoſitionibus alias partes corrumpunt, & ipſæ corrumpuntur, quod ſæpius eſt, quàm exemplis indigeat. * mend. codex.

F. Poſſunt ne præpoſitiones in alias tranſire partes?

S. Poſſunt.

F. Da exempla.

S. Poſt, præpoſitio. Virg. Poſt montem oppoſitum. tranſit in aduerbium eidem. Poſt, mihi non ſimili pœna, commiſſa luetis.

C Ante, præpoſitio. Virg. Ante Iouem nulli ſubigebant arua coloni. tranſit in aduerbium: Ante, & Trinacria tentandus remus in vnda.

Sic ſupra, contra, propè tranſeunt in aduerbia.

F. Si aliæ partes in præpoſitiones tranſire poſſunt?

S. Poſſunt. Nam Aduerbia ſæpè tranſeunt in præpoſitiones: vt, pridie Kalendas, pridie hoc loco præpoſitio eſt.

D Subtractæ quoque nominibus quibuſdam loco aduerbiorum faciunt nomina accipi: vt domo venio, pro à domu. Et domum meam, pro ad domum.

F. Separatæ præpoſitiones quibus caſibus iunguntur?

S. Accuſatiuo vel Ablatiuo.

F. Accuſatiui præpoſitiones quæ ſunt?

S. Monoſyllabæ hæ: ad, ob, per, poſt, cis, trans.

Diſſyllabæ; apud, ante, citra, circa, erga, extra, inter, intra, infra, iuxta, propè, penè, præter, propter, vltra, vſque, penes.

Triſyllabę: circiter, aduerſum, ſecundum.

F. Num ſingulæ certas habent ſignificationes?

S. Non certas, ſed diuerſas. ſed longum eſt earum ſignificationes explanare.

F. Dic tamen, & quanta breuitate poſſis ſuccinge te.

S. Dicam. Ad, iuxta ſignificat in compoſitione, vel appoſitione, vt ad currum,

pro iuxta currum. Ad Troiam, pro iuxta A Troiam. ſignificat quoque contra; ad illum mihi pugna eſt, hoc eſt, contra illum. Accipitur & pro vſque: ad bellum Perſicum, hoc eſt, vſque bellum.

Ob, & pro, & contra, & circum ſignificat: vt, haudquaquam ob meritum, id eſt, pro merito. Ob vnius, contra vnius: obambulo, circumambulo.

Per, eſt & localis, vt per medium forum, Eſt & temporalis: per medium diem. Eſt & iurandi; per te, per qui te talem genuêre parentes. Aduerbij quoque valde vim B obtinet: Terentius: perſcitus puer, id eſt, valdè ſcitus. Abnegationem quoque ſignificat in compoſitione, vt perfidus.

Poſt, componitur, & ſeparatur: & locum ſignificat. Virg. Poſt montem oppoſitum. ſignificat & tempus: vt poſt multum tempus.

Cis, localem habet ſignificationem, vt cis Alpinam Galliam: &, pro vltrà accipitur: vt cis definitum tempus, hoc eſt, vltrà. Et ex eo citra, trans, componitur, & ſeparatur, vt transfero, & trans Padum. Et in C compoſitione ſæpe n & s amittit, vt traduco, trado, trano. Et pro ſuper ponitur: vt tranſgreſſus, id eſt, ſupergreſſus.

Apud, locum ſignificat: vt apud Numantiam.

Ante, locum & tempus ſignificat: vt ante ianuam, ante annum. Deriuantur ex eo, antiquus, antiquarius, nomina.

Citra, penè eandem ſignificationem habet, quod cis, niſi quod proprijs nominibus cis, & appellatiuis citra ſæpiùs præponi ſolet: cis Rhenum, cis Alpes, citra fo- D rum. Et à cis citra deriuatur: à citra, citer, citerior, citiſſimus.

Circa, loci & temporis, pro iuxta ponitur: vt circa templum, & circa viginti annos.

Circùm, componitur, & apponitur: vt circumiero, circum mare.

Circiter, ad tempus ſolum pertinet: vt circiter Kalendas Ianuarias.

Erga, non componitur, & affectum ſignificat: vt bonus eſt ergà propinquos.

Contra, ſeparatur & componitur. con- E tra adulterium, & contradico.

Extra, apponitur, vt extra me.

Inter, vtrumque: vt inter amicos, interuallum, interpres, cuius ſimplex in vſu non eſt.

Et, ab in, inter, & intra, naſcuntur.

A ſub, ſubter: à pro, propter: à cis, citra: ab ex, extra: à præ, præter.

Iuxta, pro propè ponitur, vt iuxta te, id eſt, propè te.

Secundùm, duas habet ſignificationes: proximitatem & æmulationem: ſecundum eum ſedeo, & ſecundum mores eius viuo. Hæc de præpoſitionibus Accuſatiui caſus, quæ difficiliores videbantur, dicta tibi ſufficiant.

F. Sufficiunt, ſed ad Ablatiuum te totum fer.

S. Ablatiui præpoſitiones monoſyllabæ hæ ſunt. A, ab, abs, è, ex, de, pro, præ, cum.

F. Quare non addidiſti clam?

S. Quia magis Aduerbium eſt, qualitatem ſignificans, diminuitur, contra præpoſitionum naturam. clam, clanculum. & ſine caſu proferri poteſt: vt bona apertè, facit mala clam.

F. Sequere cæteras.

S. Diſſyllabæ. coram, palàm, ſine, abſque, tenus.

F. Poteſtates ſingularum expone.

S. A & ab, & abs, & è, & ex, eandem ferè ſignificationis vim habent. Nam & locales, & temporales, & ordinales ſimiliter inueniuntur, vt eſt à domo, à die, à te. Sic & cætera. Sed à & è ſæpius conſonantibus præponuntur, vt à templo, è culmine. alia vtrunque, & vocalibus, & conſonantibus appoſitione, vel compoſitione iunguntur, vt abito, ab illo, abduco, ab hora. Et ſæpè b, euphoniæ cauſſa in aliam mutabitur literam. In r, arripio: in u, auſero: in ſ, aſporto.

Ex, quoque pro extra inuenitur poni. vt excludo, extracludo, exul, extra ſolum. Modò pro valdè, vt excelſus, id eſt, pro valde celſus. Modò priuatiuum eſt, vel intenſiuum, vel perfectiuum. Exſtirpo, extendo, expleo.

E, in compoſitione priuatiuum eſt, vel intenſiuum, & pro extra accipitur: vt enodes trunci, enarro, educo. Deriuatur ab abs, abſque. Nam, que, quando vim & ſignificationem coniunctionis non habet, ſyllaba eſt, non pars orationis, quomodo in vbique, vndique, denique, itaque, vtique, vterque, plerumque, & ideo accentum non mutant: de, prima ſyllaba additio ſyllabica eſt, non Coniunctio, vt in pronomine ce, & met, & te. De, memoratiuum eſt, & intenſiuum, & priuatiuum, de homine, detraho, deſum.

Pro, in appoſitione, vel compoſitione localis & temporalis: pro templo, prouideo. Et loco e, & ſuper, vel ante, vel ad vel in, accipitur: prominet, id eſt, ſupereminet: pro curia, ſigna ſociis dare, id eſt

ante curiam. Virg. Summis incuruant viribus arcus Pro ſe quiſque viri, id eſt, ad ſuas vires. Pro teſtimonio, id eſt, in teſtimonio. Et pro interiectione accipitur: vt, prô dolor, & circumflectitur.

Præ, in appoſitione vel cōpoſitione inuenitur: & , ad, vel ob, vel ſuper, vel valde, vel ante ſignificat. Terent. Contempſi illum hic præ me, hoc eſt, ad comparationem mei. Item fit miſera, præ amore, i. e. ob amorem. præſideo, ſuperſedeo : præualidus, valde validus. prædico, antedico.

Cum, præpoſitio eſt copulatiua, vt, cum ducibus vado. Et, nunquam componitur. quia con, in eius loco in poſitione ponitur, vt concurro, contraho. Et ſciendum eſt, quod con, & in tunc mutant n in m, quando b, vel m, vel p, ſequitur: vt comburo, *imbuo*, *comminus*, immunis, compello, *impello*, tunc n conuertunt in ſequentes conſonantes, quando l, vel r, ſequitur, vt collido, illido, corripio, irruo. Cum quoque poſtponitur quibuſdam pronominibus euphoniæ cauſa: vt, mecum, tecum, ſecum, nobiſcum, vobiſcum, & antepenultima in his eleuatur. Aliis poſtpoſita acuitur. vt quocum, quacum, quicum, quibuſcum.

Coram, ad perſonas pertinet: vt coram me, te, ſe.

Palam, ad omnia accipitur, vt palam omnibus.

Sine, & abſque, negatiua ſunt; ſine homine, abſque homine. Et ſine antepoſita grauatur, vt ſine [illegible], poſtpoſita, acuitur: Virgil. ſi ſine pace tua.

Tenus, poſtponitur: vt hactenus. & genitiuo quoque iungitur, vt crurum tenus, armento palearia pendent.

Ecce habes præpoſitiones.

F. Habeo vtcunque: ſed non habeo vtriuſque caſus quatuor communes.

S. quid de illis quæris? niſi quod Donatus dixit, quod Accuſatiua ſunt in, & ſub, d*um ad locum ire* aliquem. Tum Ablatiuum, cum in loco eſſe aliquem ſignificant: vt in vrbem vado, in vrbe ſum: ſub culmen eo, ſub culmine ſum.

F. Hoc placet, ſed plus quæro.

S. Quid à me quæris, ſi tibi Donatus non ſufficit?

F. Non à te tanta quæſiſſem, ſi Donatus *mihi ſuffeciſſet.*

S. Nam in, ſi pro contra, vel ad, & ſub, ſi pro ante, vel pro per ponitur, Accuſatiuo iungitur: vt, in hoſtem, hoc eſt, contra hoſtem. Et, in puppim rediere rates, pro ad puppim. Sub lucem exornant calathis,

A pro ante lucem: Et, ſub noctem cura recurſat, pro per noctem. In, modò in compoſitione priuatiuum eſt; vt iniuſtus, improbus. Modò intenſiuum. Imprimo, incuſo.

Sub, eſt & localis; ſubeo, ſubpono. Eſt & diminutiuum, ſubrideo, id eſt, paululum rideo: ſubtriſtis. Et in ſequentem mutat b, conſonantem, ſi c, vel f, g, m, vel p, ſequitur: vt ſuccumbo, ſuffero, ſuggero, ſubmitto, ſuppono.

Super, ſi pro ſupra ponitur, Accuſati- B uum eſt: vt ſæua ſedens ſuper arma, id eſt, ſupra. ſi de, vel in ſignificat, Ablatiuum eſt: vt, Multa ſuper Priamo rogitans; hoc eſt de Priamo. Item: --- fronde ſuper viridi, id eſt, in viridi.

Item ſubter Accuſatiuum eſt, vt ſubter terram.

Item Ablatiuum: ſubter denſa teſtudine.

F. Vnde dicuntur quædam præpoſitiones loquelares?

S. Quia ſemper in compoſitione loque- C lis, id eſt, dictionibus componuntur. & ſunt ſex: di, dis, re, ſe, an, con: vt diduco, diſtraho, recurro, ſecubo, amplector, congero. Di, quidem; & dis ſeparatiua ſunt: & eandem ſignificationem habent: quomodo ab, & abs; vt diuido, diſtraho. Et dis componitur, quando ſequitur c, f, p, s, t, & i, loco conſonantis; vt diſcutio, differo, diffundo, s in f mutata euphoniæ cauſa, diſputo, diſſero, diſtraho, diſiungo. In aliis conſonantibus di præponitur, diduco, digero, diluo, dimitto, diruo, & vbique D di producitur, præter dirimo, diſertus.

Re, videtur à retro, per apocopen factum, ſicut ipſe ſenſus probat. quid eſt reſpicio, niſi retrò ſpicio: reuertor, retrò vertor?

Se, ſeparatiua eſt, vt ſeparo, ſeiungo. Eſt & abnegatiuum, vt ſecus, & à ſe, ſeorſum: ſicut, à de, deorſum, & à ſuper, ſurſum Aduerbium venit.

Am, circum, vel circa ſignificat, vt amplector, amputo, ambio. in quo etiam additio b conſonantis fuit propter m.

E Con, pariter ſignificat, vt * ---- & loco, cum præpoſitione ponitur, vt concurro, coniungo.

Ecce habes de præpoſitione, quantum breuitas diſputationis ſinebat.

F. Habeo, quod placet, ſed paruum * viæ, quod reſtat, peragamus. **f. parum.*

S. Pergamus. Et tu, more tuo præcede interrogando: ſequar ego reſpondendo.

DE INTERIECTIONE.

F. INteriectio quid eſt?

S. Heu! quid interrogas de Interiectione? quantas me audiſti incondita voce proferre, dum ante pedes Magiſtri iacui?

F. Audiui, & timui, motumque animi in exclamatione vocis intellexi. Attamen reor diuerſas eſſe Interiectionum ſignificationes, ſicut diuerſi ſunt animi motus. B

S. Sunt, vt dicis, & aliæ, ſunt;

Gaudij, vt euax.

Aliæ riſus, ha, ha, he.

Aliæ reſpuendi, vt phy, ehoê.

Aliæ hortandi, vt eia.

A Aliæ illudendi, vt euge.

Aliæ doloris, vt væ, heu, ei: vt, Hei mihi qualis erat.

Aliæ exſecrandi, vt ah. Ah, ſilice in nuda connixa reliquit.

Aliæ timoris, vt at, at. Terent. At, at mihi homo formidoloſus es.

Aliæ admirandi, vt papæ. Terent. Papæ, hæc ſuper ipſam Thaidem?

F. Quid de accentibus earum dicis?

S. Quid aliud, niſi quod incertis, & pro affectus qualitate longius, vel breuius, acutius vel grauius incondita voce proferuntur. * * *

Paucula reliqua in MS. deſiderari videntur. Itaque ex aliis MSS. reſtituenda.

MAGISTRI

ALBINI FLACCI ALCHVVINI

DE RHETORICA, ET DE VIRTVTIBVS, DIALOGVS.

Verſus Alchvvini ad Karolum Regem.

Hi verſus editi nunc primum, & additi ex MS. Cod.

CONTINET *iſte decem naturæ verba Libellus,*
Quem iam verba tenent rerum ratione ſtupenda,
Omne quod in noſtrum poterit decurrere ſenſum.
Qui legat, ingenium veterum mirabile laudet,
Atque ſuum ſtudeat tali exercere labore,
Exornans titulis vitæ data tempora honeſtis.
Hunc Auguſtino placuit transferre magiſtro
De veterum gazis Græcorum claue Latino,
Quem tibi Rex magn' ſophiæ ſectator amator,
Munere qui tali gaudes, modo mitto legendum.

Qui rogo ciuiles cupiat cognoſcere mores,
Hæc præcepta legat quæ Liber iſte tenet.
Scripſerat hæc inter curas Rex Karolus aulæ,
Albinúſque ſimul, hic dedit, ille probat.
Vnum opus amborum, diſperſi cauſa duorum,
Ille Pater mundi, hic habitator inops.
Neu temnas modico lector pro corpore Librum,
Corpore præmodico mel tibi portat apis.

Karolu

Karolus Rex, & Albinus Magiſter.

KAROLVS.

QVIA te, venerande Magiſter Albine, Deus adduxit & reduxit, quæſo, liceat mihi te de Rhetoricæ rationis præceptis parumper interrogare. Nam te olim memini dixiſſe; totam eius artis vim in ciuilibus verſari quæſtionibus. Sed vt optimè noſti propter occupationes regni, & curas palatij, in huiuſcemodi quæſtionibus aſſiduè nos verſari ſolere, & ridiculum videtur eius artis præcepta neſciſſe, cuius quotidie occupatione inuolui neceſſe eſt. Verùm ex quo mihi pauciſſimis reſponſionibus ianuas Rhetoricæ artis, vel Dialecticæ ſubtilitatis clauſtra partim aperuiſti: valde me in eas rationes feciſti intentum; maximè quia me in cellaria Arithmeticæ diſciplinæ pridie ſagaciter induxiſti, vel Aſtrologiæ ſplendore illuminaſti.

ALB. Deus te domine mi rex Karole ſapientiæ lumine illuminauit, & ſciētiæ claritate ornauit, vt non ſolum magiſtrorum ingenia promptè ſubſequi, ſed etiam in multis velociter præcurrere poſſis, & licet flammiuomo tuæ ſapientiæ lumini ſcintilla ingenioli mei nil addere poſſit, tamen ne me aliqui inobedientem notent, tuis promptis reſpondebo quæſtionibus, & vtinam tam ſagaciter quàm obedienter.

K. Primum mihi Magiſter huius artis initium pande.

A. Pandam iuxta authoritatem veterum. Nam fuit, vt fertur, quoddam tempus, cùm in agris homines paſſim beſtiarum more vagabantur, nec ratione animi quicquam, ſed plæraque viribus corporis adminiſtrabant. Nondum diuina religio, nōdum humani officij ratio colebatur, ſed cæca & temeraria cupiditas ad ſe explendam viribus corporis abutebatur. Quo tempore quidam vir magnus & ſapiēs cognouit quę materia, & quanta ad maximas res opportunitas animis ineſſet hominum. Si quis eam poſſet elicere, & præcipiendo eam meliorem reddere, qui diſperſos homines in agris & in tectis ſylueſtribus abditos, ratione quadam compulit in vnum locum, & congregauit eos in vnum aliquā quietem inducens vtilem atq; honeſtam. Primo propter inſolentiā reclamantes, deinde propter rationem & orationem ſtudioſius audientes, ex feris & immanibus mites reddidit ac manſuetos. Ac mihi quidem videtur, domine mi Rex, hoc nec tanta, nec inops dicendi ſapientia perficere potuiſſe, vt homines à conſuetudine ſubito conuerteret, & ad diuerſas vitæ rationes traduceret.

K. Vnde dicta eſt Rhetorica?

A. ἀπὸ τοῦ ῥητορεύω, quod eſt declamo, oro, dico.

K. Ad quem finem ſpectat?

A. Ad bene dicendi ſcientiam.

K. In quibus verſatur rebus?

A. In ciuilibus quæſtionibus, quæ naturali animi ingenio cōcipi poſſunt. Nam ſicut naturale eſt omnibus ſe tueri & alium ferire, etiam ſi armis & exercitatione non didicerint, ita naturale fere eſt omnibus alios accuſare, & ſeipſos purgare, etiam ſi exercitatione hoc non didicerint. Sed vtilius & promptius vtuntur oratione, qui diſciplinis inſtruuntur, & vſu exercentur. Nam omnibus naturale eſt loqui, attamen multum excellit alios qui per Grammaticam loquitur.

K. Bene dicis Magiſter, etiam omnis vita noſtra diſciplinis proficit, & vſu valet, quapropter Rhetoricæ diſciplinæ regulas nobis pande: nam cotidiana occupatione neceſſitas cogit nos exerceri in illis, & primum quæ ſint illius artis parteis dicito.

A. Artis Rhetoricæ partes quinque ſunt. Inuentio, Diſpoſitio, Elocutio, Memoria, Pronuntiatio. Inuentio eſt excogitatio rerum verarum, aut veriſimilium, quæ cauſam probabilem reddant. Diſpoſitio eſt rerum inuentarum in ordinem diſtributio. Elocutio eſt idoneorum verborum ad inuentionem eloquutio. Memoria eſt firma animi rerum ac verborum ad inuentionem perceptio. Pronunciatio eſt ex rerum & verborum dignitate vocis & corporis moderatio. Primum eſt enim inuenire quod dicas: deinde quod inueneris, diſponere: tum quod diſpoſueris, verbis explicare. Quarto, quod inueneris, & diſpoſueris, & oratione veſtieris, memoria comprehendere. Vltimum ac ſummum, quod memoria comprehenderis pronunciare.

K. Si Rhetorica in cauſis & quæſtionibus ciuilibus verſatur, neceſſe eſt, vt mihi videtur, cauſas ipſas certa habere genera, quę voluiſſem ſcire, & exemplis mihi monſtrari.

A. Ars quidem Rhetoricæ in tribus verſatur generibus, id eſt, Demonſtratiuo, Deliberatiuo, Iudiciali.

Demonſtratiuum genus eſt, quod tribuitur in alicuius certæ perſonæ laudem vel vituperium, vt in Geneſi de Abel & Cain legitur. Reſpexit Dominus ad Abel, & ad munera eius, ad Cain autem & ad munera eius non reſpexit. Deliberatiuum eſt in ſuaſione & diſſuaſione, vt in ſecundo Reg. lib. legimus, qualiter ſuaſit Abſaloni Achitophel, vt Dauid patrem perderet. Chuſai verò diſſuaſit, vt regem ſaluaret. Iudiciale eſt in quo eſt accuſatio & defenſio, vt in Actib. legimus Apoſtolorum, quomodo Iudæi cum Tertullo quodam oratore, Paulum accuſabant apud præſidem Felicem, & quomodo Paulus ſe defendebat apud eundem. Nam in iudiciis ſæpius quid æquum ſit, quæritur. In demõſtratione quid honeſtum ſit intelligitur, in deliberatione quid honeſtum ſit & vtile, conſideratur.

K. Quot habet cauſa circunſtantias?

A. Plenaria cauſa ſeptem habet circunſtantias, videlicet, perſonam, factum, tempus, locum, modum, occaſionem, facultatem. In perſona quæritur quis fecerit, in facto quid fecerit, in tempore quando fecerit, in loco vbi factum ſit, in modo quomodo fieri potuiſſet, in occaſione cur facere voluiſſet, in facultate ſi ei ſuppeditaret poteſtas faciendi. Per has enim circunſtantias & confirmari poteſt cauſa, & infirmari. Fruſtra enim in controuerſia quæris quid factum ſit, ſi perſona facientis deerit: & iterum perſonam fruſtra oſtendis, ſi factum non aderit perſonæ. Item tali in loco, tempore, talis res fieri non potuit, vt aſſeris, nec idcirco facere voluit, nec talis homo talem habuit poteſtatem, vt hoc facere potuiſſet.

K. Loci controuerſiarum quot ſunt?

A. Loci controuerſiarum, quos Rhetores ſtatus cauſarum appellant, id eſt, vbi quæſtio conſiſtit, & primũ non conuenerit inter partes, ſunt rationales aut legales.

K. Quot ſunt rationales?

A. Quatuor, videlicet Facti, Nominis, Qualitatis, Tranſlationis.

K. Singulorum exempla profer.

A. Prima eſt facti ipſius controuerſia: vt feciſti, non feci, & hæc prima controuerſia, quæ in facto conſtat, dicitur coniecturalis conſtitutio, quia coniectura res exploranda eſt, ſi feciſſet, an non. At cùm de facto conuenit inter litigatores, tunc ſæpè nominis cõtrouerſiam introducunt, quia accuſator augere crimen ex nomine nititur, & defenſor minuere. Vt ſi quis ſacrum è priuato ſubripuerit, vtrum fur ſit nominandus, an ſacrilegus. Defenſor vult furem eſſe, quia fur quadruplum ſoluit. Accuſator ſacrilegum, quia ſacrilegus capite plectitur, & conſtitutio diffinitiua dicitur, quia quid ſit fur, & quid ſit ſacrilegus diffiniendum eſt ratione, & videndum in cuius diffinitione cadat, qui ſacrum de priuato loco ſubripuerit. Si verò inter accuſatorem & defenſorem conuenit, de facto, de nomine facti, tunc quærenda eſt æſtimatio facti, id eſt, quale ſit factum, iuſtum an iniuſtum, vtile an inutile. Et hæc conſtitutio generalis dicitur, cuius hoc ſit exemplum. Quidam dux Romanus cùm obſideretur ab inimicis, nec vllo modo euadere potuiſſet, pactus eſt cum hoſtibus, vt arma daret. Armis datis, ſaluum eduxit exercitum. Accuſatur à quibuſdam reus eſſe maieſtatis. Hîc de facto & de facti nomine cõuenit inter ambas partes, ſed quale ſit factum quæritur hoc modo, Vtrum ſatius eſſet amittere milites, an ad hanc conditionem turpiſſimã venire, cuius conſtitutionis plures ſunt partes, de quibus dicemus infra. In quarta cõſtitutione quã tranſlationem nominamus, quæritur, an facere rem debeat qui fecit, aut eo tempore, aut eo modo, aut loco, aut cum illis cum quibus fecit. Vt ſi Oreſtes accuſetur Clytemnæſtram matrem ſuam occidiſſe, non iuſtè filium occidiſſe matrem, licet illa occiderit Agamemnonẽ patrem ſuum regem Græcorum. Hîc quæri debet per tranſlationem iuſtè fecerit an non.

K. Statu cauſæ inuento, quomodo tunc ſtatus ipſe conſiderandus eſt?

A. Conſtitutione cauſæ reperta, ſtatim placet conſiderare, vtrum quæſtio cauſæ ſimplex ſit an coniuncta. Simplex eſt, quæ vnam in ſe continet quæſtionem, hoc modo, Corinthiis bellum indicam an non? Coniuncta eſt quæſtio, quæ ex pluribus quæſtionibus conſtat, hoc pacto, Vtrum Carthago diruatur, an Carthaginenſibus reddatur, an eò colonia deducatur.

K. Sed legales nunc conſtitutiones exemplis confirma.

A. Conſiderandum eſt in ratione, an in ſcripto ſit controuerſia. Nam ſcripti controuerſia eſt ea, quæ ex ſcripta lege naſcitur, hoc modo, Lex: Qui in aduerſa tempeſtate nauem reliquerint, omnia amittãt, & eorũ ſint onera & nauis qui in ea remãſerint. Duo quidã cùm in alto nauigarent, cùm alterius nauis, alterius onus eſſet, naufragum quendam natantem miſericordia moti in nauem ſuſtulerunt. Poſtea cùm aliquanto plus ipſos quoque tempeſtas

vehementius iactare cœpiſſet, vſque adeo, A vt dominus nauis, cùm idem gubernator eſſet, in ſcapham conſcenderet, quæ religata naui cohærebat, & inde quantum potuit naui opitulabatur. Ille autem cuius merces erant, in gladium ibidem in naui incumbit, naufragus verò ad gubernacula acceſſit, nauem regebat. Sedata tempeſtate, nauis in portum peruenit. Ille qui in gladium incubuerat leuiter ſaucius ex vulnere, recreatus eſt. Nauem cum onere iuxta ſcriptam legem quiſque ſuam dixit. Et hic ex ſcripto quęſtio naſcitur cuius ſit na- B uis. Diffinitionibus adhibitis quid ſit relinquere nauem, & quid ſit remanere in naui. Item ambiguitas ſæpè in ſcripta lege facit quæſtionem, *hoc modo*, Meretrix coronam ne habeat, ſi habeat publicetur. Hic *ambiguitas* in ſcripto eſt, an meretrix vel corona publicanda ſit. Ex contrariis quoque ſæpè legibus quæſtio naſcitur, dum de vna re aliter alia lex cauet, aliter altera. Lex: Qui tyrannum occiderit, rem quam volet præmij loco à magiſtratu roget, & accipiat. Altera lex, Tyranno occiſo, e- C tiam proximi cognatione occidantur. Alexandrum, qui in Theſſalia tyrannidem occuparat, Thebe vxor ſua noctu occidit. Hæc filium ſuum quem ex tyranno habebat, ſibi in præmij loco depoſcit. Sunt qui ex lege occidi puerum dicant oportere. Sunt qui dicant reddi oportere matri loco præmij. Res in iudicio eſt. *Et hîc* conſiderandum, quæ lex ad maiorem vtilitatem pertineat, & quæ prius ſit ſcripta, & quos quæque habuerit legiſlatores. Ex ſcripto & ſententia controuerſia cōſiſtit. Cùm al- D ter verbis ipſis quę ſcripta ſunt vtitur, alter ad id quod ſcriptorem ſenſiſſe dicit, omnem adiungit dictionē, vt lex eſt, quæ vetat noctu portas aperiri. Quidam aperit, & amicos in oppidū ſuſcipit, ne ab hoſtibus opprimerentur, ſi foris māſiſſent. Accuſator ſolam intendit literam, defenſor ſentētiam: ſcriptorem legis pro inimicis claudi portas oppidi, non pro amicis iuſſiſſe. Fiūt per ratiocinationem vel diffinitionem legis quæſtiones, num alia ratione alter ſcri- E ptum interpretari nititur, alia alter. Vel ſi diuerſo modo ſcriptoris ſententiam conātur definire, & eiuſmodi, vt dixi, ex ſcripto nunt quæſtiones.

K. Perſpecto controuerſiæ loco ſecundū quod dixiſti, an in ratione ſit vel in ſcripto, quo tunc animus ferendus eſt?

A. Videndum eſt quæ quæſtio, quæ ratio, quæ iudicatio, quod firmamentū cauſæ ſit.

K. De his ſingulis dicito.

A. Quæſtio eſt conſtitutio in qua cauſę diſceptatio conſtat, hoc modo, Non iure feciſti, iure feci. Ratio eſt, qua vtitur reus, quare iure fecerit, vt Oreſtes ſi accuſaretur matricidij, non habet defenſionem, niſi dicat, iure feci. Illa enim patrem meum occiderat. Iudicatio eſt ex ratione deducta. Sumam huiuſmodi, rectū ne fuerit ab Oreſte matrem occidi, cùm illa Oreſtis patrem occiderit. Firmamentum eſt firmiſſima argumentatio defenſoris, vt ſi velit Oreſtes dicere eiuſmodi animum fuiſſe matri in patrem ſuum, in ſeipſum, in regnum, in omne genus ſuum, vt ab ea pœnas liberi ſui potiſſimum expetere debuiſſent.

K. De generali conſtitutione prius dixiſti, quæ pluribus partibus conſtat. Illas rogo vt pandas mihi Magiſter, exemplisque confirmes, per ſingula, me tacente & probante.

A. Illa controuerſia quæ, & quale ſit illud factum quod reo obiicitur, conſtitutio generalis vocatur, & habet partes duas, Iudicialem & Negotialem. Negotialis eſt, in qua quid iuris ſit ex ciuili more & æquitate conſideratur. Cui diligentiæ præſunt iudices, & habet in ſe implicatam controuerſiam ciuilis iuris, hoc modo. Quidam dum filium non habuit, pupillum ſibi fecit hæredem. Sed pupillus ante mortuus eſt, quàm hæreditas in poteſtatem eius veniſſet. Fit controuerſia à ſecundis hæredibus patris. Noſtra eſt poſſeſſio, Intentio eſt propinquorum pupilli, Noſtra eſt pecunia, de qua teſtatus non eſt propinquus noſter. Depulſio eſt, Imo noſtra eſt, qui hæredes teſtamento patris ſumus. Quæſtio eſt ratio, Pupillo enim pater teſtamentum ſcripſit, quare quæ eius ſunt, noſtra fiant neceſſe eſt. Infirmatio rationis, Imo pater ſibi ſcripſit ſecundum hæredem, non pupillo. Quare teſtamento illius veſtra eſſe hæreditas non poteſt. Iudicatio, poſſit ne quiſquam de filiis pupilli reteſtari. An hæredes ſecundi ipſius patrisfamilias, non filij quoq; eius pupilli hæredes ſint. Iudicialis eſt, in qua æqui & iniqui, præmij aut pœnæ ratio quæritur. Huius partes duæ ſunt, Abſoluta & Aſſumptiua. Abſoluta eſt quæ in ſe continet iuris & iniuriæ quæſtionem, hoc modo. Cùm Thebani Lacedæmones bello ſuperaſſent, & fere mos Græcis eſt vt bello inter ſe geſto hi qui viciſſent, trophæum aliquod in finibus ſtatuerent, victoriæ modo in præſentia declarandæ cauſa, non vt in perpetuū belli memoria maneret, æneū ſtatuerunt trophæū.

Accuſantur apud commune Græciæ concilium. Intentio eſt, non oportuit. Depulſio, oportuit. Quæſtio eſt, oportuerit ne. Ratio. Eam enim ex bello gloriam virtute peperimus, vt eius æterna inſignia poſteris noſtris relinquerentur, ſtatuimus trophæum. Infirmatio eſt, Attamen æternum inimicitiarũ Græcos de Græcis monumentum ſtatuere non oportet. Iudicatio, cùm ſummæ virtutis celebrandæ cauſa Græci de Græcis æternum inimicitiarum monumentum ſtatuerunt, rectè an non fecerint? Aſſumptiua eſt, cùm ipſum factum probari non poteſt, ſed aliquo foris aſſumpto argumento defenditur. Cuius partes ſunt quatuor, Comparatio, Relatio criminis, Remotio criminis, Confeſſio. Comparatio eſt cum aliud aliquod factum rectum aut vtile oſtenditur, quod vt fieret, illud quod arguitur dicitur eſſe commiſſum, vt in illo exemplo quod paulo ante poſitum eſt. Cùm dux Romanus ab hoſtibus obſideretur, nec vno pacto euadere potuit, niſi hoſtibus arma daret. Armis datis milites conſeruauit, ſed reus maieſtatis accuſatur. Intentio eſt, Non oportuit arma relinquere. Depulſio, Oportuit. Quæſtio eſt, Oportuerit ne. Ratio eſt, Milites enim omnes periſſent, ſi hoc non feciſſem. Infirmatio, non ideo feciſti. Ex quibus iudicatio eſt, periſſent ne, & ideo ne feciſſet. Comparatio, an melius eſſet ad hanc turpiſſimam conditionem venire, vel milites perire. Relatio criminis eſt, cùm reus id quod arguitur confeſſus, alterius ſe inductum peccato iure feciſſe demonſtrat. Ea eſt huiuſmodi. Horatius occiſis tribus Curiatiis, & duobus amiſſis fratribus, domum ſe victor recepit. Animaduertit ſororem ſuam de fratrum morte non dolentem, Sponſi autem nomen Curiatij appellantem, cum gemitu & lamentatione vidit, hoc indignè ferens, virginem occidit. Accuſatur. Intentio eſt, Iniuria ſororẽ occidiſti. Depulſio, Iure occidi. Quæſtio, Iure ne occiderit. Ratio, Illa enim hoſtium mortem lugebat, fratrũ negligebat, me & populum Romanũ viciſſe moleſtè ferebat. Infirmatio, Tamen à fratre indemnatam ſororem necari non oportuit. Ex quo iudicatio fit, cum Horatia fratrum mortem negligeret, hoſtium lugeret, fratris & reipub. victoria non gauderet, oportuerit ne eam à fratre indemnatam occidi. Remotio criminis eſt, cùm eius intentio facti, quod vel ab aduerſario infertur, in alium, aut in aliud crimen dimouetur. Id fit bifariam. Nam cùm cauſarum res ipſa remouetur; cauſa remotionis hoc nobis exemplo ſit. Rhodij quoſdam legarunt Athenas. Legatis quæſtores ſumptum quem oportebat dari, non dederant, legati profecti non ſunt, accuſantur. Intentio, proficiſci oportuit. Depulſio, nõ oportuit. Quæſtio eſt, Oportuerit ne. Ratio eſt, Sumptus enim qui de publico dari ſolet à quæſtore non eſt datus. Infirmatio, Vos tamen id quod publici vobis erat negotij datum, conficere oportebat. Iudicatio eſt, Cum iis qui legati erant ſumptus qui debebatur ex publico non daretur, oportuerit ne eos conficere nihilominus negotium legationis. Ipſius autem rei ſit remotio, cũ id quod datur crimini negat, neque ad ſe, neque ad officium ſuum reus pertinuiſſe. Nec ſi quod in eo ſit delictum, ſibi attribui oportere. Porro id cauſæ genus eſt huiuſmodi. In eo fœdere quod factum eſt quõdam cum Samnitibus, quidã adoleſcens nobilis porcum ſuſtinuit iuſſu imperatoris, fœdere autem hoc in ſenatu improbato & imperatore Sãnitibus dedito, quidam in ſenatu eum quoque dicit qui porcũ tenuit dedi oportere. Intentio eſt, dedi oportere. Depulſio eſt, Non oportet. Quæſtio eſt, oporteat ne. Ratio, Non enim meum fuit officium, nec mea poteſtas, cũ & id ætatis non habui, & priuatus eſſem, & ſumma cum autoritate & poteſtate imperator mandauit, qui videret vt ſatis honeſtum fœdus feriretur. Infirmatio eſt, Quoniam particeps factus es in turpiſſimo fœdere ſummæ religionis, dedi te conuenit. Iudicatio eſt, cùm is qui poteſtatis nihil habuerit, iuſſu imperatoris in fœdere, & in tanta religione interfuerit, dedendus ne ſit hoſtibus. Hoc genus cauſæ cũ ſuperiori differt, quod in illo concedit ſe reus, oportuiſſe facere id quod fieri dicat accuſator oportuiſſe, ſed alicui rei aut homini eam cauſam attribuit, quæ voluntati ſuæ fuerit impedimento. In hoc autem non accuſare alterum, aut culpam in alium transferre debet, ſed monſtrare eam rem, nihil ad ſe, nec ad ſuam poteſtatem, neque ad officium ſuum pertinuiſſe, aut pertinere. Conceſſio eſt, per quam non factum ipſum probatur ab reo, ſed vt ignoſcatur id petitur. Cuius partes ſunt, Purgatio, & deprecatio. Purgatio eſt per quam eius qui accuſatur, non factum ipſum, ſed voluntas defenditur. Et habet partes tres, Imprudentiam, Caſum, Neceſſitudinem. Imprudentia eſt cùm ſciſſe ſe aliquid, is qui arguitur, negat. Exempli gratia, Apud quoſdam lex erat, ne quis Dianæ vitulum

immolaret: Nautæ quidam cùm aduerſa tempeſtate in alto iactarentur,vouebant ſi eo portu quem conſpiciebãt,potiti eſſent, vitulum qui ibi eſſet, ſe immolaturos. Caſu erat in eo portu phanum Dianæ, cui vitulum immolare non licebat. Imprudentes legis cùm exiſſent, vitulum immolauerunt. Accuſantur. Intentio eſt, Vitulum immolaſtis ei Deæ, cui non licebat. Impulſio eſt in conceſſione depoſita. Ratio eſt,Neſciui non licere. Infirmatio,Tamen quoniam feciſti,quod non licebat ex lege, ſupplicio dignus es. Iudicatio eſt, cùm id fecerit, quod non oportuerit, & id non oportere neſcierit,ſit ne ſupplicio dignus? Caſus autem infertur in conceſſionẽ, cùm demonſtratur aliqua fortuna eius voluntati obſtitiſſe, vt in hac re, Cùm Lacedæ*moniis* lex eſſet, vt hoſtias niſi ad ſacrifi*cium* quoddam redemptor præbuiſſet,capitale eſſet; is qui redemerat, cùm ſacrificij dies inſtaret, in vrbem ex agro agere hoſtias cœpit. hic ſubitò magnis commotus tempeſtatibus fluuius Eurotas, is qui Lacedæmoniam præterfluit,ita magnus & vehemens factus eſt,vt eò traduci victimæ nullo modo poſſent. Redemptor ſuæ voluntatis oſtendendæ cauſa, hoſtias conſti*tuit in littore* omnes, vt qui trans flumen eſſent videre poſſent. Cùm omnes ſtudio ſubitam fluminis magnitudinem ſcirent fuiſſe impedimento, tamen quidam eum capitis damnabant. Intentio eſt, Hoſtiæ quas ad ſacrificium afferre debuiſti, non præſto fuerunt. Depulſio, conceſſi. oratio: Flumen enim ſubitò accreuit, & hoſtiæ traduci non potuerunt. Infirmatio, Tamen quia quod lex iubet factum non eſt,ſupplicio dignus es. Iudicatio eſt, cùm in ea re contra legem redemptor aliquid fecerit, qua in re ſtudio eius ſubita fluminis magnitudo obſtiterit,ſupplicio dignus ne ſit? Neceſſitudo autem infertur,cùm vi quadam reus id quod fecerit feciſſe defen*ditur, hoc modo.* Lex eſt apud Rhodios, vt ſi qua roſtrata nauis in portu deprehenſa ſit,publicetur. Cùm magna in alto tempeſtas eſſet,vis ventorum inuitis nautis in Rhodiorum portum nauem coëgit. Quæſtor nauem populi eſſe dicit. Nauis domi*nus negat* publicari debere. Intentio eſt, roſtrata nauis in portu deprehenſa eſt. Depulſio,conceſſi.oratio,Vi & neceſſitate ſumus in portum redacti. Infirmatio, Nauem ex lege tamen populi eſſe oportere. Iudicatio eſt, cùm roſtratã nauem in portu deprehenſam lex publicauit, cùmque hæc nauis inuitis nautis; vi tempeſtatis in portum coniecta ſit, oporteat ne eam publicari. Deprecatio eſt,cùm & peccaſſe & conſultò peccaſſe reus ſe confitetur, tamen vt ſibi ignoſcatur poſtulat, quod genus perraro poteſt accidere. In quo non defenſio facti, ſed ignoſcendi poſtulatio continetur. Hoc genus vix in iudicio probari poteſt. Ideo conceſſo peccato difficile eſt ab eo, qui peccatorum vindex eſſe debet, vt ignoſcat impetrare. Ecce habes de locis quæſtionum, & de ſtatu cauſarum, & de partibus inſtitutionum, quæ omnia, quotidiano vſu natura pandit, ea agnoſcis.

K. Agnoſcam, ſi naturarum conditor me adiuuet, & tamen habeo quod abs te quæram.

A. Quære quod placeat, pergam quò me ducis.

K. Quot perſonæ ſolent in iudiciis eſſe?

A. Quatuor, Accuſator, cauſæ defenſor, cauſæ teſtis, Iudex.

K. Quo quiſque vtitur officio?

A. Iudex æquitate, teſtis veritate,accuſator intentione ad amplificandam cauſam. Defenſor extenuatione ad minuendam cauſam. Niſi fortè in laude vel præmij petitione ſit cauſa poſita. Tunc econuerſo accuſatori extenuatione, & defenſori amplificatione vtendum eſt.

K. Quot modis fit amplificatio & extenuatio cauſæ?

A. Duobus. Ex impulſione vel ratiocinatione. Impulſio eſt quæ ſine cogitatione per quandam affectionem animi facere aliquid hortatur, vt amor, iracundia, ægritudo, vinolentia, & omnino omnia in quibus animus ita videtur affectus fuiſſe, vt rem perſpicere cum conſilio & cura non potuerit,& id quod facit impetu quodam animi facit potius quàm cogitatione. Ratiocinatio autem eſt diligens, & conſiderata faciendi aliquid aut non faciendi excogitatio. Ea dicitur interfuiſſe tunc cum faciendi aliquid aut non faciendi certa de cauſa vitaſſe aut ſecutus eſſe animus videbitur, Si amicitiæ quid cauſa factum dicitur, ſi inimici vlciſcendi, ſi metus, ſi gloriæ, ſi pecuniæ, denique vt omnia generatim amplectamur, alicuius retinendi, augendi, adipiſcendive cõmodi, aut contra reiiciendi, diminuendi euitandive incommodi cauſa.

K. Qualiter accuſator vel defenſor impulſione ſeu ratiocinatione vti debet?

A. Ergo accuſator cum impulſione aliquid factum eſſe dicit, illum impetum &

commotionem animi, affectionémq; verbis & ſententiis amplificare debebit, & oſtendere, quanta vis amoris, quanta animi perturbatio ex iracundia fiat, aut ex aliqua cauſa earum quia impulſum aliquem id feciſſe dicit, vt non mirum videatur, ſi quis ad facinus tali perturbatione commotus animi acceſſerit, & exemplis confirmare anteactis, qui ſimili impulſu aliquid ſimile commiſere. Cùm autem non impulſione, verùm ratiocinatione aliquem commiſiſſe quid dicit, quid commodi ſit ſecutus, aut quid incommodi fugerit, demonſtrabit, & id augebit quam maximè, vt ſi gloriæ cauſa, quantam gloriam ſe conſecuturum exiſtimarit. Item, ſi dominationis, ſi pecuniæ, ſi amicitiæ, ſi inimicitiarum, & omnino quicquid erit, quod cauſæ prodeſſe dicit, id ſummè augere debebit. Defenſor autem ex contrario. Primum, impulſionem aut nullam fuiſſe dicet: aut ſi fuiſſe concedit, extenuabit, & paruulam quandam fuiſſe demonſtrabit, aut non ex ea ſolere huiuſmodi facta naſci docebit. Ratiocinationis autem ſuſpiciones infirmabit, ſi aut commodum nullum fuiſſe, aut paruum, aut aliis magis eſſe, aut nihilo ſibi magis quàm aliis: aut incommodum ſibi maius quàm commodum dicit, vt nequaquam fuerit illius commodi, quod expetitum dicatur, magnitudo, aut cum eo incommodo quod acciderit, aut cum eo periculo quod ſubeatur comparandum. Qui omnes loci ſimiliter incōmodi quoque vitatione tractabuntur.

K. Quia perſonas cauſarum dixiſti, dic obſecro, & loca ſingularum perſonarum.

A. Dicam, licet hæc non tantum ad artis præcepta pertineant, quantum ad officij decorem. Iudex in tribunali, cauſa in medio ante eum ad laudem vel ad pœnam poſita, vt fortè patriæ defenſio vel proditio. Accuſator ad ſiniſtram, defenſor cauſæ ad dextram, teſtes quoque.

K. An inſignia ſinguli ex illis habent?

A. Habent. Iudex ſceptro æquitatis armandus eſt, Accuſator pugione malitiæ, Defenſor clypeo pietatis, Teſtes tuba veritatis.

K. Etiam his omnibus cauſæ adiacentibus circunſtantiis repertis, quid tunc quærendum eſt, Magiſter?

A. Quid niſi ſingulæ totius cauſæ partes?

K. Quæ vel quot illæ ſunt, audire deſidero.

A. Sex ſunt partes, per quas ab oratore ordinanda eſt oratio, Cauſæ exordiū, Narratio, Confirmatio, Partitio, Reprehen-

A ſio, Concluſio.

K. Quid eſt Exordium?

A. Oratio animū auditoris idoneè cōparans ad reliquam dictionem.

K. Quomodo efficitur?

A. Primò vt beneuolum, attentum, docilem efficias auditorem.

K. Vt mihi videtur hoc ſummè curandum eſt, vt beneuolus, attentus, docilis efficiatur auditor. Sed quonam hoc modo effici poſſit, velim ſcire.

A. Quatuor ex locis beneuolentia com-

B paratur. A noſtra, ab aduerſariorum, à iudicum perſona, à cauſa. A noſtra, ſi de noſtris factis & officiis ſine arrogantia dicemus. Si crimina illata, & aliquas minus honeſtas ſuſpiciones iniectas diluemus, ſi quæ incommoda acciderint, aut quæ inſtent difficultates, proferemus. Si prece & obſecratione humili & ſupplici vtemur. Ab aduerſariorum autem perſona, ſi eos aut in odium, aut in inuidiam, aut in contemptum adducemus. In odium adducemus, ſi quid eorum ſpurcè, ſuperbè,

C crudeliter, malitioſè factum profertur. In inuidiam, ſi vis eorum, potentia, pecuniæ, diuitiæ, cognatio proferentur. Atque eorum vſus arrogans, intolerabilis, & quod his rebus magis videatur, quàm cauſæ ſuæ confidere. In contemptum adducentur, ſi eorum inertia, negligentia, ignauia, deſidioſum ſtudiū, & luxurioſum otium proferetur. Ab auditorum perſona beneuolentia captabitur, ſi res ab iis, fortiter, manſuetè, ſapienter geſtæ proferentur. Nequaquam autem aſſentationis eſſe hoc ſigni-

D ficetur, ſi de iis, quam honeſta exiſtimatio, quantáq; eorum iudicij & autoritatis expectatio ſit oſtenditur. A rebus, ſi noſtram cauſam laudando extollimus, aliorū cauſam per contemptū deprimemus. Attentos autem faciemus, ſi demonſtrabimus ea quæ dicturi ſumus, magna, noua, incredibilia eſſe, aut ad omnes, aut ad eos qui audient, aut ad aliquos illuſtres homines, aut ad Deos immortales, aut ad ſummam reipub. pertinere, & ſi pollicemur nos breui cauſam noſtram demonſtraturos, atq; ex-

E ponemus iudicationem aut iudicationes ſi plures fuerint. Dociles auditores faciemus, ſi apertè & breuiter ſummam cauſæ exponemus. Hoc eſt, in quo conſiſtit controuerſia. Sed qui bene exordiri volet, primo neceſſe eſt vt ſuę cauſæ genus diligenter agnoſcat.

K. Quot ſunt cauſarum genera?

A. Quinque; honeſtum, admirabile, humile, anceps, obſcurum. Honeſtū cauſæ

A gentis eſt, cùm ſtatim ſine oratione noſtra fauet auditoris animus. Admirabile, à quo eſt alienatus animus eorum qui audituri ſunt. Humile, quod negligitur ab auditore, & non magnopere attendendum videtur. Anceps, in quo aut iudicatio dubia eſt à cauſa, & honeſtatis & turpitudinis particeps, vt beneuolentiam pariat, & offenſionem. Obſcurum, in quo aut tardi ſunt auditores, aut difficilioribus ad cognoſcendum negotiis, cauſa eſt implicata.

K. An ſemper perſpicuè exordiri debet orator?

B A. Aliquando perſpicuè, aliquando per circuitionem. Perſpicua oratio eſt, cui mox animus auditoris fauet, vt in honeſto genere cauſa eſt. Illa vero quæ per circuitionem fit, clam ſubit animum auditoris, vt in humili, ancipiti, vel obſcuro cauſæ genere faciendum eſt. Sed & hoc ſciendum eſt, quod exordium ſententiarum & grauitatis plurimum debet habere, & omnino omnia quæ ad dignitatem pertinent. Oſtentationis verò & concinnitatis minimum, propterea quod ex his ſuſpicio quędam C artificioſæ diligentiæ naſcitur, quæ maximè orationis fidem, & oratori adimit autoritatem.

K. Ecce habeo quo modo exordiri debeat cauſa, nunc narrationis textum expone.

A. Narratio eſt rerum geſtarum expoſitio, quæ tria debet habere, id eſt, vt breuis, vt aperta, vt probabilis ſit. Breuis eſt, ſi vnde neceſſe eſt, inde initium ſumat, & non ab vltimo repetatur, & ſi cuius rei ſatis erit ſummam dixiſſe, eius partes non D dicentur. Nam ſæpe ſatis eſt quid factum ſit dicere, vt ne narres quemadmodum ſit factum, & ſi non longius quàm opus eſt in narrãdo procedetur, & ſi nullam in rem aliam tranſeat oratio, & ſi ita dicetur vt nonnunquam ex eo quod dictum ſit, id quod non ſit dictum intelligatur. Et ſi non modo id quod obeſt, verũ etiam id quod nec obeſt, nec adiuuat præteribitur, & non minus rerum non neceſſariarũ, quàm verborum multitudine ſuperſedendum eſt. Aperta autem narratio poterit eſſe, ſi vt E quodque primum geſtum eſt, ita primum exponetur, & rerum ac temporũ ordo ſeruabitur, vt ita narrentur res vt geſtæ ſunt, aut potuiſſe geri videbantur. Hic erit conſiderandum ne quid perturbatè, ne quid contortè dicatur, ne in aliam rem tranſeatur. Probabilis erit narratio, ſi in ea videbuntur ineſſe quæ ſolent apparere in veritate, ſi perſonarum dignitates ſeruabuntur, ſi cauſæ factorum extabunt, ſi fuiſſe facultates faciendi videbuntur, ſi tempus idoneum, ſi ſpatij ſatis, ſi locus opportunus: ad eandem rem qua de re narratur fuiſſe oſtendetur, ſi res ad eorum qui agent naturam ad vulgi rumorem, & ad eorum qui audiũt opinionem accommodabitur.

K. Ordo depoſcit vt de partitione dicas.

A. Dicam. Partitio eſt rerum ad cauſam ipſam pertinentium diuiſio, quæ rectè habita perſpicuam & illuſtrem totam orationem efficit, quæ duas habet partes. Vna pars eſt, quæ quid cum aduerſariis conueniat, & quid in controuerſia relinquatur oſtendit: ex qua certum quiddam deſtinatur auditori, in quo animum debeat habere occupatum. Altera, in qua rerum earum, de quibus dicturi, breuiter expoſitio ponitur, diſtributio ex qua conficitur, vt certas animo res teneat auditor. Nam & hæc pars habere debet breuitatem, abſolutionem, paucitatem. Breuitas eſt cum niſi neceſſarium nullum aſſumitur verbum. Abſolutio eſt per quam omnia, quæ incidunt in cauſam genera, de quibus dicendum eſt, amplectimur in partitione. Paucitas eſt quæ eas res tantum ponit in partitione quæ neceſſarię ſunt dicendę iterum, & ne plura quàm ſatis eſt demonſtraturos nos dicamus. Hoc modo oſtendam aduerſarios, quod arguimus, & potuiſſe facere, & voluiſſe, & feciſſe, cùm feciſſe ſatis ſit oſtendere.

K. Nunc ad confirmationis præcepta te verte Magiſter, quæ maximè omnibus reor neceſſaria, vt ſuam quiſque ſciat confirmare cauſam, & licet voluntariè faciat, tamen non ſatis dignè, niſi præceptis & vſu agi poteſt.

A. Ita eſt domine mi Rex, vt dicis. Nam omnes argumentationes ad confirmationum tendunt rationes. Sed tam grandis eſt argumentorum ſylua, vt vix ſub breuitate huius Dialogi noſtri aliquid aperiri poſſit.

K. Tamen ſtringe paucis plura. Nam ſæpe vna claue multæ theſaurorum gazæ aperiuntur.

A. Faciam quod poſſum. Confirmatio eſt argumentatio, quæ cauſæ fidem & autoritatem comparat, quæ duobus modis fit, aut ex perſonis, aut negotiis. Ex perſonis quidem has res attributas putamus, nomen, naturam, victum, fortunam, habitum, effectum, ſtudia, conſilia, facta, caſus, orationes. Nam ex iis ſingulis argumenta poſſunt fieri, prout ſe commoditas cauſæ adfert.

K. Etſi breuitati ſtudes, tamen hæc plenè deſidero. A

A. Ex nomine fit argumentum hoc modo. Si dicamus idcirco aliquem callidum vocari quod ſit temerario & repentino cōſilio, vt ſacræ ſcripturæ vtamur exemplo. Eſau de fratre ſuo dicit: [redacted]e vocatur nomen eius Iacob, id [redacted], ſupplantator, en altera vice ſupplantauit me. In natura ſexus, natio, patria, cognatio, ætas conſiderantur. In ſexu, an mulier: in natione, Græcus an Barbarus: in patria, Athenienſis an Romanus: in cognatione, quibus maioribus, B quibus conſanguineis ſit editus: in ætate, puer an adoleſcens, natu grandior an ſenex. Item ſæpè ex commodis & incommodis naturæ coniectura ſumenda, hoc modo. Valens an imbecillis, longus an breuis, formoſus an deformis, velox an tardus, acutus an hebes, memor an obliuioſus, doloſus an ſimplex. Et ex conuictu multæ trahuntur ſuſpiciones. Cum, quemadmodum, & apud quos, & à quibus educatus & eruditus ſit quæritur, & quibus conuiuat, & qua ratione vitæ, & C quo more domeſtico. Ex fortuna ſæpius argumentatio naſcitur, cum ſeruus an liber, pecunioſus, an pauper, nobilis an ignobilis, fœlix an infœlix, priuatus an in poteſtate ſit, aut fuerit, aut futurus conſideratur. Aut denique aliquid eorum quęritur, quæ fortunæ eſſe attributa intelliguntur. Habitus autem in aliqua perfecta & conſtanti animi aut corporis abſolutione conſiſtit. Quo in genere eſt virtus, ſciētia, & quæ contraria ſunt res ipſa & cauſa poſita docebit, & quid hic quoque locus D ſuſpicionis oſtendat. Nam affectionis quidem ratio, perſpicuam ſolet præ ſe ferre coniecturam, vt amor, iracundia, moleſtia, propterea quod & ipſorum vis intelligitur, & quę res harum aliquid conſequantur faciles cognitu ſunt. Studium autem, quod eſt aſſidua & vehemēs aliqua ad rem applicata magna cum voluptate occupatio, facile ex eo ducitur argumentatio, prout res ipſa in cauſa deſiderabitur. Item ex conſilio ſumitur aliquid ſuſpicionis. Nam conſilium eſt aliquid faciendi non facien- E dive excogitata ratio. Facta autem & caſus & orationes ex tribus temporibus conſiderabuntur. Quid fecerit, aut quid ipſi acciderit, aut quid dixerit, & quid faciat, quid ipſi accidat, quid dicat, aut quid facturus ſit, quid ipſi caſurum, qua oratione vſurus ſit. Ex quibus facilè videbitur, quid afferant ad confirmandam coniecturam ſuſpicionis.

K. Sunt hæc loca accuſatori ſeu defenſori communia?

A. Fiunt ſecundum vtriuſque cauſæ commodum.

K. Quomodo?

A. Nam accuſator eius vitam anteactam quam arguit, vel proteruam eſſe naturam, ſeu ſtudia malicioſa, vel mores improbos, vel facta cruenta improbare debebit, & oſtendere ſi poterit, ſi in ſimili ante peccato conuictus ſit, & quam turpis, aut cupidus, aut petulans, aut cruentus eſſet, vt mirandum non ſit, talem hominem ad tale facinus proruiſſe. Quantum enim de honeſtate & autoritate eius qui arguitur detractū erit, tantum erit de facultate totius eius defenſionis diminutum. Si nullo ante acto peccato reus infamari poterit, orandi ſunt iudices, non veterem famam hominis, ſed nouum facinus hominis iudicent. Nam ante relatum eſſe qualis eſſet, nunc autem manifeſtum eſſe quare hanc rem ex ſuperiori vita non deberi conſiderari, ſed ſuperiorem vitam ex hac turpitudine improbandam.

K. Si hæc omnia accuſator reo ingerit, quis locus defenſionis relinquitur ei?

A. Relinquitur defenſionis idoneus locus ei. Sæpe enim vno protegente ſcuto, multa nocentis repelluntur ſpicula. Defenſor primo ſi poterit debebit vitam eſſe eius honeſtiſſimam, fideliſſimam demonſtrare, aut in rempub. aut in parentes, cognatos, amicos, & eius bene geſta fideliter ac fortiter, ſi qua ſunt proferenda, & miſerum eſſe, tam inſignia bona, tam paruo reatu obſcurari. Nec hoc ipſum aliqua cupiditate, vel malicia, ſeu infidelitate perpetraſſe, ſed caſu & ignorantia, aut alterius ſuggeſtione feciſſe, nullumque patrię profectibus, vel pietati parentum, vel dignitati morum ſtudere poſſe, ſi quolibet paruo reatu priora bona annullāda ſunt. Præterea hoc optimis viris eſſe pernicioſum, vt malitioſus quilibet bonos audeat inſimulare. Si autem in anteacta vita aliquæ turpitudines erunt, has aut imprudentiæ aut adoleſcentiæ perſuaſione perpetraſſe aut aliquorum inuidia fictas, aut falſa opinione illatas eſſe dicendum erit. Si autem nullo modo vitæ turpitudo, aut infamia leniri poteſt oratione, negare oportebit de vita eius & moribus quærendū; ſed de vno crimine de quo arguatur. Quare anteactis omiſſis illud quod inſtat agi oportere.

K. Dixiſti quod alia argumenta à perſonis, alia à negotiis ſint. hæc enim quæ mo-

do dixiſti à perſonis ſunt. Supereſt vt ea quæ à negotiis ſunt, dicas. Et primum quid negotium nomines dicito.

A. Negotium eſt ipſum factum, in quo inter accuſatorem, & defenſorem controuerſia eſt. Cùm verò ex negotiis argumenta ſumenda ſunt, tria conſideranda ſunt. Primo, quid ante rem, quid in re, quid poſt rem ſit, vt in facto cauſæ ponis, ante rem, fuit, quod in itinere illi duo familiariter ibant, quod ſimul diuerterent ad hoſpitium, quod ſimul cœnarent. In re, nox, ſomnium, occiſio. Poſt rem, quod ſolus ierit, quod ſocium reliquerit, quod cruentũ gladiũ habuerit. Eſt quoque quartum quod ad negotium pertinet, id eſt, quæ lex ſit eius rei, vel qui ſint autores eius, vel quo id nomine quod *factũ eſt* appellari debeat. Ante enim rem cauſa facti conſideranda eſt, id eſt, an ſpe lucri, vel cauſa inimicitiarum, vel metus, vel amicitiæ occiderit hominem. Nam fruſtra hominem occidere velle non eſt credibile. Omnino in re geſta, locus, tempus, occaſio, modus, facultas conſiderari ſolet, id eſt, in quo loco, tempore, per quem modum, qua occaſione, facultate occiderit hominem, quærendum eſt. Poſt geſtam rem conſiderabuntur ſigna quædam rei geſtę, vt cruor cædis ſignum eſt, & fuga reatus ſæpè ſignum eſt.

K. Commemoratis locis argumentorum & confirmationum, ipſa argumentatio vt reor, nequaquam vniformis eſſe poteſt.

A. Non vniformis, ſed omnis argumẽtatio, quæ ex his locis quos commemorauimus conficitur, aut probabilis, aut neceſſaria debet eſſe. Neceſſaria eſt, quæ aliter fieri non poteſt, vt ſi peperit, concubuit cum viro. Hæ verò per complexionem, ſeu per enumerationem, ſeu per ſimplicem concluſionem fiunt. Per complexionem, in qua vtrum conceſſeris reprehenditur ad hunc modum. Si improbus eſt, cur tueris? Si probus, cur accuſas? Per enumerationem, qua pluribus rebus inductis vna neceſſario confirmatur, hoc pacto. Neceſſe autem inimicitiarum cauſa, ab hoc eſſe hunc occiſum, aut metus, aut ſpe lucri, aut alicuius amici cauſa, & ſi horum nihil eſt, relinquitur ab eo hunc non eſſe occiſum, nam fruſtra homo occidi non poteſt. Per ſimplicem concluſionẽ hoc modo. Si vos me iſthuc eo tempore dicitis feciſſe, ego tum trans mare fui. Et hoc quod dicitis, non modò non feci, ſed ne facere potui quidem.

K. Hæc omnino vt intelligo neceſſaria ſunt, ſed vt video diligenter videndum eſt, ne quo pacto hoc genus argumentationis refelli poſſit.

A. Eſt, vt intelligis Carole.

K. Hæc argumenta quæ dixiſti neceſſaria ſunt, iam probabilia quoque dicito.

A. Probabilia ſunt, quæ verè fieri ſolent, vt: Si mater eſt, diligit filium: Si auarus eſt, negligit iuſiurandum.

K. Num probabilia ſemper vera ſunt?

A. Alia vera in opinione, alia in ſimilitudine. In opinione, vt inferna eſſe ſub terra, ſimilitudo in contrariis & in partibus ſpectatur.

K. Quomodo in cõtrariis & in paribus?

A. In contrariis hoc modo. Nam ſi iis qui imprudenter læſerunt, ignoſci conuenit, illis qui neceſſario profuerunt, haberi gratiam non oportet. Ex pari. Nam vt locus ſine portu, nauibus eſſe non poteſt tutus, ſic animus ſine fide ſtabilis amicis non poteſt eſſe.

K. An omnis argumentatio ex iis tantum locis confirmatur, ornatur, & conſideratur?

A. Sunt quoque argumentationes, quæ per inductionem vel ratiocinationem tractantur, ſed hæ magis ad philoſophos pertinent.

K. Dic tamen de illis.

A. Inductio eſt oratio quæ per certas res quædam incerta probat, & nolentem ducit in aſſenſionem.

K. Hoc mirum videtur, ſi facere poteſt, vt nolens conſentiat.

A. Audies, & forte exemplo credes. Nam philoſophus quidam cum Xenophonte & vxore inita diſputatione, & primum cum vxore eius ſermonem inſtituit. Dic mihi quæſo Xenophontis vxor, ſi vicina tua melius habet aurum, quàm tu habes, vtrum illud ne an tuum malis? Illud, inquit. Quid ſi veſtem & cæterum ornamentum muliebre maioris pretij habeat, quàm tu habes, tuum ne an illius malles? Reſpondit, illius. Age, inquit, ſi virum meliorem habeat, quàm tu habeas, vtrum & tuum virum malis an illius? Hic mulier erubuit. Philoſophus autem ſermonem cum Xenophonte inſtituit. Quæſo, inquit, Xenophon, ſi vicinus tuus equum meliorem habeat, quàm tuus eſt, tuum ne malis equum an illius? Illius, inquit. Quid ſi fundum meliorem habeat, quàm tu habes, tuum ne malis, an meliorem? Meliorem, inquit. Quid ſi vxorem meliorem habeat, quàm tu, nunquid & il-

Iam malis? Ad quæ Xenophon tacuit. Poſt philoſophus. Quoniam vterque veſtrûm, inquit, id mihi ſolum non reſpondit, quod ego ſolum audire volueram, egomet dicam quid vterque veſtrû cogitet. Tu mulier optimum virum vis habere, & tu Xenophon vxorem electiſſimam, maximè vis. Quare niſi hoc perfeceris, vt neque vir melior, neque femina electior in terris ſit, profectò id quod ſemper optimum putabitis eſſe, maximè requiretis, & tu maritus ſis optimæ feminæ, & hæc quamoptimo marito nupta ſit. Hic rebus non dubiis dubia probauit propter ſimilitudinem inductionis. Quod ſi quis ſeparatim quæreret, fortè non concederetur.

K. Iſte Philoſophus nō fuit Euangelicus.

A. Non, ſed Rhetoricus.

K. Cur credimus ei?

A. Ille ſecutus ſuam artem.

K. Quid ad hæc? ſequamur nos noſtram.

A. Sequere quæ velis, ſequar te ſequentem.

K. Qualis debet eſſe illa inductio?

A. Similis ſemper ei rei cuius cauſa inducitur.

K. An lucida, an obſcura?

A. Videndum eſt diligenti cura, vt non intelligat aduerſarius, quò ſpectent illæ primæ inductiones, & ad quem finem ſint peruenturæ, nam qui viderit tacendo, negando, non ſinit longius ire interrogationem.

K. Si negat?

A. Oſtendenda eſt ſimilitudo earum, quæ ante conceſſæ ſunt.

K. Si tacet?

A. Iam elicienda eſt reſponſio, aut qua taciturnitas imitatur confeſſionem, aut concludenda eſt argumentatio, ſicut in conceſſis.

K. Quomodo per ratiocinationem confirmanda eſt argumentatio?

A. Illa fit propoſitione, probatione, aſſumptione, concluſione.

K. Planiora hæc exēplo quolibet facito.

A. Propoſitio eſt, vt melius accurentur quæ conſilio geruntur, quàm quæ ſine conſilio adminiſtrantur. Approbatio eſt, Domus ea, quæ ratione & conſilio regitur, omnibus rebus eſt inſtructior, quàm quæ ſine conſilio rationéque adminiſtratur. Aſſumptio eſt, ſic. Nil in omnibus rebus melius, quàm mundus adminiſtratur. Hic altera probatio inducitur. Nam ſignorum ortus & occaſus, & annuæ frugum, temporum, dierum mutationes, ſatis mirabili ordine & certa viciſſitudine diſpo-

A nuntur, quæ ſigna ſunt, magno conſilio mundum regi. Tum autem expectata concluſio proferenda eſt, hoc modo. Si melius geruntur ea quæ conſilio, quàm quæ ſine conſilio adminiſtrantur, mundus ſanè optimè regitur. Hoc argumentum aduerſus eos valet, qui dicunt mundum caſu agi, non conſilio regi.

K. Quid ſtultius, quàm hoc putare?

A. Stultus ſtulta æſtimat, cui tamen, iuxta Salomonem, reſpondendum eſt, ne ſibi ſapiens videatur.

B K. Recolo te Magiſter, inter orationis partes reprehenſionem nominaſſe, ſed tantam confirmationum ſeriem audiui, vt vix videatur reprehenſori aliquis locus relictus, quo poſſit infirmare confirmatam iis argumentis cauſam.

A. Relinquitur ei locus infirmandi, ſed non nos de ea debemus laborare. Penè omnis cauſa in ſeipſa habet loca confirmandi, & loca reprehendendi.

K. Suſpenſus ſum tamen, quid de ea velis dicere.

C A. Dicam, & breuiter dicam. Reprehenſio eſt, per quam argumentando aduerſariorum confirmatio aut infirmatur, aut tollitur. Hæc autem iiſdem ex locis ſumitur, quibus eſt confirmatio, quia omnis res vnde confirmari poteſt, inde & infirmari poteſt: quod ſic euenit, ſi aut falſum eſt vnde componitur confirmatio, hoc modo. Non poteſt ſapiens eſſe, qui pecuniam neglexerit. Multi ſapientes pecuniam neglexerunt. Aut commune, quod nihilo minus ab aduerſariis poteſt dici, hoc modo. Idcirco iudices, quia veram cauſam

D habebam, breuiter peroraui. Aut leue eſt. Si in mentem non veniſſet, non commiſiſſet. Aut remotum, & longius incipit quàm ſatis eſt. Si Scipio Tib. Graccho filiam ſuam Corneliam non dediſſet, hæc ſeditio. filiis eorum in populo non accidiſſet: quare Scipioni hoc malum imputandum eſt. Aut offenſum, quod eorum qui audiunt lædit voluntatem, vt ſi ante auarum, fort accuſes pecuniæ amorem. Aut aduerſarium, quod tuæ cauſæ officit, vt ſi milites

E tuos hortari debeas, copias hoſtium & fortitudinem laudes. Item complectio reprehenditur ſi conuerti poteſt hoc modo. Si veretur, non eſt accuſandus, quia probus eſt: ſi non veretur, ſcit ſe innocentem eſſe, & ideo non eſt accuſandus. Hic veretur eum ſiue non vereri dicas, hoc putat concedendum, vt neget ſe eſſe accuſandum quod conuerſione ſic reprehenditur. Imo accuſandus eſt, ſi veretur, teſtatur ſe in

nocentem non eſſe: ſi verò non veretur; probus non eſt, ac ideo accuſandus eſt. Item enumeratio reprehenditur, ſi prætetitur quiddam in enumeratione, hoc modo. Quia habes equum iſtum, aut emiſti eum, aut hæreditate tibi euenit, aut munere datus tibi eſt: aut ſi horum nihil eſt, ſubripueris eum neceſſe eſt. Quod hoc modo reprehenditur, ſi dici poteſt ex hoſtibus eſſe captum. Iis & aliis multis modis reprehendi poſſunt argumentationes, qui ſummo ſtudio cauendi ſunt oratori magis, quàm mihi propter breuitatem explanandæ.

K. Reſtat concluſio ſola, quam ſex partium orationis poſuiſti extremam, de qua ordo poſtulat vt dicas.

A. Concluſio eſt exitus & determinatio totius cauſæ.

K. Quot habet partes?

A. Tres. Enumerationem, indignationem, conqueſtionem.

K. Enumeratio concluſionis quę eſt?

A. Enumeratio concluſionis eſt per quã res diſperſæ in vnum locum coguntur, & reminiſcendi cauſa vnum ſub aſpectum ſimul ſubiiciuntur, hoc modo. Quidnam amplius deſideratis ô iudices, cùm vobis hoc & hoc dixi, hoc & hoc planum feci?

K. Qui efficit indignatio?

A. Odium in aduerſarium & offēſionem in eius cauſam.

K. Hoc maximè velim ſcire, quomodo id effici poſſit.

A. Eius præcepta plurima ſunt. Si demonſtramus illam rem quam aduerſarius defendit, Diis immortalibus, ſapientiſſimis hominibus, Senatui, omni populo, indignam videri. Item ſi demonſtramus aduerſarij alia facta crudelia, iniuſta, auara, honeſta, contumacia. Item ſi tranſactam eius vitam moréſque improbamus. Item quid mali ſit futurum ſi nō puniatur. Item voluntario maleficio, vel inconſueto veniam non deberi. Item ſi ſuperbiam eius vel arrogantiam oſtendimus. Item vt de ſeipſo iudex cogitet, vel de ſuis charis, ſi quid tale eis accidiſſet. Item multos alagres expectare quid ſtatuatur hac de re, vt ex eo quod huic conceſſum ſit, ſibi quoque tali de re quid liceat, intelligere poſſint. Item indignamur tetrum, crudele, nepharium, tyrannicum ſcelus non vlciſci, quod remotum ſit ab omni lege & æquitate, tale factum non vindicari. Item in eum qui læderet alios, nec ſe defendere potuerunt, crudeliter facta dicemus, vt in pueros, mulieres, ſenes, infirmos. Item in peregrinos, in hoſpites, in vicinos, in amicos atrocia geſta. Item vt iudex videat ſi ipſe interfuerit, ac præſens viderit. Item ſi oſtendi poteſt ab eo factum, à quo minimè oportuerit, & à quo ſi alius feceerit, prohiberi conueniret. Iis & aliis plurimis modis, prout ſe cauſa, locus, tempus, perſonæque afferunt, indignationem vel offenſionem in aduerſarium concitare debes.

K. Bene intelligo de eiuſmodi oratione poſſe animos audientium ad indignationem inſtigari.

A. Vt dixi, ex iis argumentationibus quæ ex perſonis & ex negotiis eueniunt, amplificationes & indignationes naſci poſſunt.

K. Poſſunt vt certum teneo: ſed quid ſit conqueſtio, & quid efficiat, & quomodo ſit perficienda edicito.

A. Conqueſtio eſt oratio auditorum miſericordiam captans. In hac primum animum auditoris mitem, ac miſericordem conficere oportet, quæ multis modis fit, vt quæ commoda perdiderit, & in quibus incommodis ſit, vt in morte filij amor, ſpes, ſolatiũ, educatio, item quanta bona feciſſet ei, qui tanta mala fecit ſibi. Item quàm turpes res & illiberales aduerſarius profert. Item quàm miſerũ nobis videretur ô iudices, ſi adfuiſſetis. Item dum bona ſperaui, venerunt mihi mala. Item inopia, infirmitas, infelicitas cōqueritur. Item diſiunctio parentis, filij, amici, fratris, vxoris, & ſuauium perſonarum. Item quod malè tractetur ab eis, quibus non conueniat, amicis, ſeruis. Item quàm miſericors eſſem in illum. Nam grauitas & auctoritas ſermonis plus prouocat ſæpe ad miſericordiam, quàm humilitas & obſecratio. Sed nunc de prima & maxima parte Rhetoricæ artis, id eſt, inuentione, iam tranſeamus ad alias partes.

K. Tranſeamus, ſed primum dic quæ ſit ſophiſtica loquutio?

A. Si me alius quis de ſchola palatij tui interrogaret, forſitan oſtendiſſem ei.

K. Cur alteri & non mihi? an inuides vt hoc ſciam?

A. Non inuideo, ſed parco, & honoro.

K. Non video honorem mihi eſſe, dum interrogata negas.

A. Licet mihi interrogare?

K. Cur non? Nam interrogare ſapienter eſt docere: & ſi alter ſit qui interrogat, alter qui docet, ex vno tamen ſapientiæ fonte, vtriuſque ſenſus procedit.

A. Etiam procedit. Et ſi alter eſt, qui in-

terrogat, alter qui reſpondeat, tunc tu quidem non es idem qui interrogas, quod ego qui reſpondeo.

K. Nequaquam idem.

A. Quid tu?

K. Ego homo.

A. Vides quomodo tu me concludere potes.

K. Quomodo?

A. Si dicis, non idem ego & tu, ego homo, conſequens eſt, vt & tu homo non ſis.

K. Conſequens.

A. Sed quot ſyllabas habet homo?

K. Duas.

A. Nunquid tu duæ illæ ſyllabæ es?

K. Nequaquam, ſed quorſum iſta?

A. Vt ſophiſticam intelligas verſutiam, & vides quomodo concludi poteſt.

K. Video & intelligo ex prioribus conceſſis, dum conceſſi, vt ego homo eſſem, & homo duæ ſyllabæ ſunt, concludi me poſſe, vt ego hæ duæ ſyllabæ ſim. Et miror, quàm latenter induxiſti me prius vt concluderem te quod homo non eſſes, poſt & meipſum, quod duæ ſyllabæ eſſem. Memini te Magiſter poſt inuentionem poſuiſſe diſpoſitionem, qua præcipitur inuentas res, oratorem ordinatè diſtribuere. Si hęc quoque alia habeat præcepta pande.

A. Non multa per ſe habet hæc pars ad ſe pertinentia præcepta, quæ non inueniantur in inuentionis præceptis, vel elocutionis. Nam & hæc rebus & verbis maximè prodeſt, & ornamentum fidemque argumentationibus præſtat, & laudem orationi tribuit, cui omnia non ſolùm ordine, ſed etiam momento quodam & iudicio diſpenſanda & componenda ſunt, prout pręſens ratio vtilitatis, aut decoris, aut neceſſitatis exegerit, ſed quod ad verborum diſpoſitionem pertinet, ſatis plenè docetur, cùm de elocutione tractabitur. De rerum vero diſpoſitione, per ſingula membra orationis in inuentionis præceptis traditum eſt.

K. Iam nunc nos ordo diſputationis ad elocutionis duxit inquiſitionem, quæ magnam cauſæ adfert venuſtatem, & Rhetori dignitatem. Nec te ab huius tam facilè excuſas reſponſis, quæ ex diſpoſitionis præceptis eruiſti.

A. Non excuſo, ſed tuas, Domine mi rex, licet tardo pede, non tamen tarda voluntate, ſequar interrogationes.

K. Primo qualis eſſe debeat elocutio aperi.

A A. Facunda debet eſſe & aperta.

K. Quomodo aperta?

A. Aperta erit, ſi vtaris ſignificantibus & propriis verbis & vſitatis ſine ambiguo, non nimis procul ductis tranſlationibus, nec interpoſito hyperbato.

K. Quomodo facunda?

A. Facunda erit ſi Grammaticæ regulas ſeruet, & autoritate veterum fulciatur.

K. Qualiter ad auctoritatem priſcorum poteſt oratio noſtra peruenire?

A. Legendi ſunt auctorum libri, eorumque

B que bene dicta memoriæ commendanda. Neque enim vtendum erit priſcis verbis, quibus iam conſuetudo noſtra non vtitur, niſi raró ornandi cauſa & parcè, ſed tamen vſitatis plus ornatur eloquentia.

K. An magis ornatur in ſingulis verbis, vel coniunctione verborum eloquentia?

A. Vtrumque. Nam in ſingulis verbis, & in coniunctione verborum decus orationis conſtat.

K. Si in vtriſque conſtat, de vtriſque dic.

A. In ſingulis verbis duo ſunt quæ ora-

C tionem illuſtrant, aut ſi ſit proprium verbum, aut ſi ſit tranſlatũ. In propriis illa laus eſt, vt abiecta & inconſueta fugiamus, electis & illuſtribus vtamur, in quibus plenum quiddam & conſonans ineſſe videatur, in quo conſuetudo etiam bene loquendi valet plurimum. In tranſlatis patet ornatus, quem genuit neceſſitas, inopia coacta & anguſtia, poſt delectatio & iocunditas celebrauit. Nam vt veſtis repellendi frigoris cauſa primo reperta eſt, poſt ad hiberi coacta eſt ad ornatum etiam corpo

D ris & dignitatem, ſic verbis tranſlatiuis inſtituta eſt inopia & cauſa, deinde frequentata eſt delectatione & ornatu. Nam gemmare vites, luxuriari meſſem, fluctuare ſegetes, etiam ruſtici dicunt. quod enim declarari vix verbo proprio poteſt, id tranſlato illuſtratur. Attamen transferri oporte quæ faciunt rem clariorem, vt horreſci mare. Nonnunquam etiam breuitas trãſlatione conficitur, vt telum manu fugit. Imprudentia enim teli miſſi propriis verbi exprimi breuius non poſſet, & quoniam

E ſumma hæc laus eſt verborum tranſlatorum, vt ſenſum aperiant.

K. An vndecunque licet ducere tranſlationem?

A. Nequaquam, ſed tantum de honeſtis rebus. Nam ſummopere fugienda eſ omnis turpitudo earum rerum, ad qua eorum animos qui audiunt trahet ſimilitudo, vt dictum eſt. Morte Africani caſtratam rempublicam & ſtercus Curię, in vtre

qu

quæ deformis cogitatio ſimilitudinis. Item non ſit maior tranſlatio, quàm res poſtulet, vt tempeſtas litis, aut contra minor, vt aperto nare dormiens ſtertit. Eſt quoque pulchra tranſlatio per Metonymiam, cum res per autorem rei ſignificatur, vt pro bello Martem: pro frugibus Cererem. Aut cùm virtutes & vitia pro ipſis in quibus ſunt appellamus, vt in quam domum luxuries irrupit, aut auaritia penetrauit. Eſt & Synecdochica tranſlatio pulchra, cùm ex parte totum, aut ex toto partem ſignificamus, vt pro tota domo tectum dicamus, B aut pro vndis mare.

K. Qualis oportet ſit verborum coniunctio?

A. Decens & compoſita & compacta, vt ne ſit hiulca vocalibus, vt, placida aura adeſt: nec aſpera conſonantibus, vt, multum *ille luget*. Nec ab vltima ſyllaba prioris verbi ſequens verbum incipiat, vt, prima mater: nec prima cum vltima faciat obſcœnitatem, vt, numerum nunquam intellexi. Cauendum quoque eſt, ne inania verba, non rei gerendæ, ſed tantùm ſtructuræ C modo implendæ cauſa proferantur. Et vt ad ſummum veniam, ſicut reliquarum rerum fundamentum eſt ſapientia, ita & in eloquentia quoque. vt enim in vita, ita & in oratione nihil clarius, quàm omnia ſapienter fieri. quapropter oratori ſummoperè præuidendum eſt, quid ſibi deceat, & ſuæ conueniat cauſæ, non in ſententiis ſolum, ſed etiam in verbis. non enim omnis fortuna, non omnis honos, non omnis autoritas, non omnis ætas, nec verò locus, tempus, auditor omnis eodem aut verbo- D rum genere tractandus eſt, aut ſententiarum, ſempérque in omni parte orationis, vt vitæ quid deceat eſt conſiderandum.

K. Quid dicis de nobiliſſima, vt reor, Rhetoricæ parte memoria?

A. quid aliud, quàm quod Marcus Tullius dicit, quod theſaurus eſt omnium rerum memoria, quæ niſi cuſtos cogitatis inuentiſque rebus & verbis adhiberetur, intelligimus omnia, etiamſi præclara fuerint in oratore peritura?

K. Sunt ne aliqua eius præcepta, quo- E modo vel illa obtinenda vel augenda ſit?

A. Non habemus eius alia præcepta, niſi dicēdi exercitationē, & ſcribendi vſum, & cogitandi ſtudium, & ebrietatem cauendā, quæ omnibus bonis ſtudiis nocet maximè, quæ non ſolùm corporis aufert ſanitatem, ſed etiam mētis adimit integritatē.

K. Sufficiunt hæc præcepta, ſi quis idoneus eſt ad hæc implenda. nam vt video

A tam ardua ſunt ſenſu, quàm rara verbis.

A. Etiam ardua & vtilia.

K. Sed ordo meæ interrogationis poſtulat, vt tua reſponſio ad pronunciationem procedat, quam quintam partē artis Rhetoricæ in principio noſtræ diſputationis memini te dixiſſe, Magiſter.

A. Pronunciatio eſt verborum dignitas, vocis ſenſibus accommodata, & corporis moderatio. Hæc enim in tantum excellit, vt etiam ſecundum ſententiā maximi Tullij, indocta oratio laudem conſequatur, ſi optimè pronuncietur. Et quantumuis expolita, ſi indecēter pronuncietur, contemptum irriſionémque meretur, niſi fortè tibi, domine mi Rex, aliter videatur.

K. Mihi nequaquam aliter, ſed huius quoq; partis præcepta ſequenda, vel vitia cauenda, velim vt indices.

A. Primo exerceri debet vocis & ſpiritus moderatio, & corporis & linguæ motus, quæ non tam artis ſunt, quā laboris. Vitia quoque ſi qua ſunt oris, diligenti cura ſunt emendanda. Nec verba ſint inflata vel anhelata, vel in faucibus frendentia, nec oris inanitate reſonantia, non aſpera frendentibus dentibus, non hiantibus labris prolata, ſed preſſim & æquabiliter, & leniter & clarè pronunciata, vt ſuis quæq; literæ ſonis enuncientur, & vnumquodq; verbum legitimo accentu decoretur, nec immoderato clamore vociferetur, vel oſtentationis cauſa frangatur oratio. Verùm pro locis, rebus, perſonis, cauſis, & temporibus diſpenſanda eſt. Nam alia ſimplicitate narranda ſunt, alia autoritate ſuadenda, alia cum indignatione depromenda, alia miſeratione flectenda, vt ſemper vox & oratio ſuæ cauſæ conueniat. Hæc te præcepta ad pronunciationis laudē producunt, & tibi honeſtatem, & tuæ cauſæ fidem efficiunt.

K. Quid eſt quod paulò antè corporis moderationem eſſe dixiſti ſeruandam?

A. Dixi, quia neceſſariè obſeruādū eſt, vt recta ſit facies, ne labra detorqueantur, ne immodicus hiatus diſtendat rictū, ne ſupinus vultus, ne deiecti in terrā oculi, ne inclinata ceruix, neque elata aut depreſſa ſupercilia. Infinitum enim in iis quoq; rebus momentū eſt, quia nihil quod non decet placere poteſt, & vt ait M. Tul. Caput artis eſt decere quod facias. Labra lambere vel mordere deforme eſt, cū etiā in efficiendis verbis, modicus eſſe debeat eorum motus. Ore enim magis quā labris loquendū eſt.

K. Hæc, venerande Magiſter iucunda eſſe & honeſta fateor, mihiq; multum placabilia: ſed vt video & intelligo, iugē exer-

citationem & quotidianũ vſum poſtulant, & ad plenam conſummationem niſi continua meditatione, & inſtanti exercitatione non poſſunt peruenire, ſine qua nullam diſciplinam eſſe illuſtrem puto.

A. Ita eſt, domine mi Rex, vt dicis. Nam exercitatio ingenium & naturã ſæpè vincit, & vſus omnium Magiſtrorum præcepta ſuperabit. Quamobrem inuentio, & diſpoſitio, & elocutio, & memoria, & pronunciatio vſu acri, & exercitatione intentiſſima cõualeſcente? Naturæ enim vicem pene obtinet cõſuetudo. Nam in arte qualibet exercitata conſuetudo confidentiam conſtantiámque procreat, ſine qua nil ars proficit. Quid enim timidis arma? Amet laudem iuuenis, magnúmq; ſciat eſſe, multis tacentibus ſolum audiri. Nam licet ipſa vitium ſit ambitio, frequẽter tamen cauſa virtutũ eſt. Diſcat ab adoleſcentia non reformidare ante multos loqui, vt eum nec metus, nec vltra modum reuerentia retardet, vt cum omnibus orator ſit opibus inſtructus, animi quoque præſtantia, & fiducia oris illi non deſit.

K. Quapropter, vt mihi videtur, illis ſermocinandi ratio, qui cauſis ciuilibus & negotiis ſecularibus intereſſe æſtimãdi ſunt, mox à pueritia, multo ſtudio habenda eſt: vocis quoque exercitatio, vt ab ineunte ætate aſſueſcat vocis fiducia, & verborum copia, & decẽti corporis motu, vt ſine formidine faciat in publicis quæſtionib. quod cum conſuetudine gerit in priuatis.

A. Verè intelligis & optimè proſequeris. Nam vt in caſtris miles, ſic in domo orator debet erudiri, vt quod ſolus exercuerat, inter multos facere ne formidet.

K. Iam quoq; neceſſe eſſe video, vt domeſticus vſus cauere incipiat, quod publicus conuentus detrahere poſſit. nec enim inhoneſtis verbis inter ſuos vti debet, qui honeſtis inter alienos loqui deſiderat. Cũ enim in omni parte vitæ honeſtas perneceſſaria ſit, maximè in ſermonibus, quia ferè cuiuſque mores ſermo probat, niſi tibi Magiſter aliud videatur.

A. Mihi verò de hac re nil aliud videri poteſt, ac ideò conſuetudinaria ſermocinatione verba ſint lecta, honeſta, lucida, ſimplicia, plano ore, vultu quieto, facie cõpoſita, ſine immoderato cachinno, clamore nullo prolata. Nam bonus modus eſt in loquendo, tanquam in ambulando clemẽter ire ſine ſaltu, ſine mora, quatenus omnia medij moderaminis temperantia fulgeant, quæ eſt vna de quatuor virtutibus, de quibus cæteræ quaſi radicibus proce-

A dunt virtutes, in quibus eſt animæ nobilitas, vitæ dignitas, morum honeſtas, & laus diſciplinæ.

K. Intelligo Comicum illud prouerbium, non ſolum in moribus, ſed etiam in verbis eſſe neceſſarium.

A. Quodnam?

K. Ne quid nimis.

A. Eſt & verè & in omni re neceſſariũ, quia quicquid modũ excedit, in vitio eſt. Ideò virtutes in medio ſunt poſitæ, de quibus tuæ venerandæ autoritati plura dicere B potuiſſem, ſi diſputatio noſtra ad finẽ nõ feſtinaret, & ſi non ſuperfluũ videretur tecum de virtutib. agere, quem virtutũ non tantùm ſcientia, ſed etiam ornat efficiẽtia.

K. Non tamen te, Magiſter, priùs dimittam calamum reſpõſionis claudere, quam mihi nomina & partes quatuor virtutum exponas, quas radices aliarum eſſe virtutum dixiſti. Paulò antè inter nos conſtitit, ſermocinationis exercitationem eſſe neceſſariam. In quo melius eſt habẽdum ſermonis ſtudium, quàm in virtutum excel- C lentia, quæ vtrumque & ſcribentibus & legentibus multum prodeſſe valet?

A. Prodeſt vt dicis, domine mi Rex, ſed inter vtrumque coartor. Nam ſuccincta breuitas pauca poſtulat, & res ardua plura deſiderat.

K. Tempera te inter vtrumque, ne aut prolixitas faſtidium, aut breuitas ignorantiam generet.

A. Primo ſciendum eſt, quod quædam res tam claræ & tam nobiles ſunt, vt non propter aliud emolumentum expetendæ D ſint, ſed propter ſuam ſolam dignitatem amandæ ſunt & exequendæ.

K. Has ipſas res magnopere velim agnoſcere.

A. Eæ ſunt, virtus, ſcientia, veritas, amor bonus.

K. Nunquid has Chriſtiana religio apprimè laudat?

A. Laudat & colit.

K. Quid Philoſophis cum his?

A. Has intellexerunt in natura humana, & ſummo ſtudio coluerunt.

E K. Quid tunc diſtat inter Philoſophum talem & Chriſtianum?

A. Fides & baptiſmus.

K. Proſequere tamen Philoſophicas diffinitiones de virtutibus, & primùm dic, quid ſit ipſa virtus.

A. Virtus eſt animi habitus, naturæ decus, vitæ ratio, morum nobilitas.

K. Quot habet partes?

A. Quatuor. Prudentiam, Iuſtitiam, For-

titudinem, Temperantiam.

K. Quæ eſt Prudentia?

A. Rerum & naturarum ſcientia.

K. Quot habet partes?

A. Tres. Memoriam, Intelligentiam, Prouidentiam.

K. Harum quoque diffinitiones dicito.

A. Memoria eſt per quā animus repetit illa quæ fuerunt. Intelligentia per quam ea perſpicit quæ ſunt. Prouidentia per quam futurum aliquid præuidetur, ante quam fiat.

K. Iuſtitiæ rationem expone.

A. Iuſtitia eſt habitus animi vnicuique rei propriam tribuens dignitatem. In hac diuinitatis cultus & humanitatis iura, & æquitas totius vitæ conſeruatur.

K. Eius quoque partes pande.

A. Partim illa eſt ex naturæ iure partim ex conſuetudinis vſu.

K. Quomodo ex naturæ iure?

A. Quia partes illius quaſdam natura inſerit, vt religionem, pietatem, vindicationem, obſeruantiam, veritatem.

K. De iis ſingulis lucidius aperi.

A. Religio eſt quæ ſuperioris cuiuſdam naturæ, quam diuinam vocant, curam, ceremoniáſque affert. Pietas per quam ſanguine coniunctis, patriæque beneuolis, officium, diligenſque tribuitur cultus. Gratia, in qua amicitiarum & officiorum alterius memoria, & remunerandi voluntas continetur. Vindicatio, per quam ius aut iniuria & omnino omne quod obfuturum eſt defendendo, aut vlciſcendo propulſatur. Obſeruantia qua homines aliqua dignitate antecedētes, cultu quodam & honore dignamur. Veritas per quam ea quæ ſunt, aut quæ fuerunt, aut quæ futura ſunt indicantur.

K. Quomodo ex conſuetudinis vſu iuſtitia ſeruatur?

A. Ex pacto pari, pari iudicato, ex lege.

K. Plus quæro & de iis quoque.

A. Pactum eſt quod inter aliquos conuenit. Par in omnes æquabile eſt iudicatum. Par iudicatum, quod alicuius magni viri, aut aliquorum ſententiis iudicatum. Lex eſt omni populo ſcriptum ius, quid cauere, vel quid obſeruare debeat.

K. Nunc fortitudinem cum ſuis partibus vt depromas efflagito.

A. Fortitudo eſt magnanima periculorum & laborum perpeſſio. Eius partes ſunt magnificentia, fidentia, patientia, perſeuerantia.

K. Harum rationes patefac.

A. Magnificentia eſt rerum magnarum A & excelſarum cum animi ampla quadam & ſplendida propoſitione cogitatio, atque animi inuitatio. Fidentia eſt per quam magnis & honeſtis in rebus multū animus in ſe fiduciæ certa cum ſpe collocauit. Patiētia eſt honeſtatis aut vtilitatis cauſa rerum arduarum aut difficilium volūtaria ac diuturna perpeſſio. Perſeuerantia eſt in ratione bene conſiderata ſtabilis & perpetua permanſio.

K. Reſtat vt de Temperantia dicas, à qua orta eſt nobis de virtutibus inquiſitio; B cuius proprietatem & partium illius audire expecto.

A. Temperantia eſt rationalis in libidinem, atque in alios non rectos impetus moderatio. Eius partes ſunt, Continentia, Clementia, Modeſtia. Continentia eſt per quam omnis mala cupiditas magna conſilij gubernatione regitur & deprimitur. Clementia eſt per quam iniuria & odia miti animo retinentur. Modeſtia eſt per quam totius vitę modus ſeu animi ſeu corporis moribus vbique honeſti cura ſer- C uatur.

K. Honor eximius eſt coram hominibus hanc ſeruanti & laus apud Dominum. Sed miror nos Chriſtianos, ſi Philoſophi has virtutes ob illarum dignitatem tantum vel laudem vitæ ſeruauerunt, cur nos ab iis in multis deuio errore declinamus, cum hæc nunc in fide & charitate ſeruantibus æternæ gloriæ, ab ipſa veritate Chriſto Ieſu, præmia pollicentur?

A. Plus miſerandi, quàm mirandi ſumus. quia plurimi ex noſtris ſunt, quos nec ter- D ror pœnarum, nec gloria præmiorum ad virtutum dignitatem reuocat.

K. Agnoſco & ſine lachrymis non dico multos eſſe tales, attamen rogo, vt quàm breuiter poſſis ediſſeras, quomodo hæ excellentes virtutes in noſtra religione Chriſtiana intelligendæ atque obſeruandæ ſunt.

A. Nónne tibi videtur ſapiētia eſſe, qua Deus ſecundum modulum humanæ mentis intelligitur & timetur, & futurum eius creditur iudicium?

E K. Intelligo nihil eſſe hac ſapientia excellentius. Et in Iob recolo ſcriptum. Ecce hominis ſapientia, pietas, quæ Græce dicitur θεοσέβεια.

A. Bene intelligis & verè, ſed quid tibi iuſtitia videtur eſſe, niſi charitas Dei, eiuſque mandatorum obſeruatio?

K. Et hoc agnoſco. Nihil hac iuſtitiā iuſtius, imo nullam aliam eſſe niſi iſtam.

A. Nunquid non fortitudinem eſſe cer-

nis, qua hoſtis antiquus vincitur, & aduerſa mundi fortiter tolerantur?

K. Cerno equidem, nec aliquid hac victoria laudabilius æſtimo.

A. An temperantia non eſt, quæ libidinem refrenat, auaritiam reprimit, omnes animi impetus ſedat & temperat?

K. Eſt, & verè omni homini valde neceſſaria: ſed adhuc quæro ad quem finem harum virtutum obſeruatio ſpectet.

A. Vt diligatur Deus & proximus, an aliud æſtimas?

K. Nil equidem aliud, ſed quàm breue auditu eſt, tam difficile factu eſt & arduũ.

A. Quid facilius eſt quàm amare ſpecies pulchras & dulces ſapores, ſuaues odores, fragrantes tactus, iucundos honores & felicitates ſeculi? Hæc ne amare facile eſt animæ, quæ velut volatilis vmbra recedunt, & Deum non amare, qui eſt æterna pulchritudo, æterna ſuauitas, æterna dulcedo, æterna fragrantia, æterna iucunditas, perpetuus honor, indeficiens fœlicitas? Maximè, cùm diuinæ Scripturæ nil aliud nobiſcum agant, niſi vt diligamus Deum & Dominum noſtrum ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente: & proximum noſtrum tanquam noſmetipſos. Nam promiſſum habemus ab illo qui fallere ignorat. Iugum, inquit, meum ſuaue eſt, & onus meum leue. Laborioſior eſt enim amor huius mundi, quàm Chriſti. quod enim in illo anima quærit, non inuenit, id eſt, felicitatem & æternitatem, quoniam hæc infima pulcritudo tranſit, & recedit, vel amantem deſerit, vel ab amante deſeritur. Teneat ergo anima ordinem ſuum.

K. Quis eſt ordo animæ?

A. Vt diligat quod ſuperius eſt, id eſt, Deum, & regat quod inferius eſt, corpus videlicet & ſocias animas dilectione nutriat & foueat. His enim ſacrificiis purgata atq; exonerata anima, ab hac laborioſa & ærumnoſa vita reuolabit atque emigrabit in gaudium domini ſui.

K. Magnum quendam virum & vere beatum prædicas Magiſter.

A. Magnum te faciat Deus & verè beatum, domine mi Rex, & in hac virtutum quadriga, de qua paulò antè egimus, ad cœleſtis regni arcem geminis dilectionis pennis, ſæculum hoc nequam tranſuolare concedat.

K. Fiat fiat, gratia diuina donante.

A. Sermo iſte noſter qui de volubili ciuilium quæſtionum genio initium habuit, hunc æternæ ſtabilitatis habeat finem, ne

A aliquis nos incaſſum tantum diſputando itineris peregiſſe contendat.

K. Quis eſt qui nos fruſtra ſermocinari audeat dicere, ſi aut honeſtarum ſcrutator eſt artium, aut excellentium ſectator virtutum? Nam me vt fateor ad has inquiſitiones ſcientiæ amor adduxit, & tibi gratiam habeo, quod inquiſita non negaſti, ac ideo tuarum hanc reſponſionum beneuolentiam probo, & ſtudioſis profuturam arbitror, ſi modo macula liuoris ſegetem non corrumpit.

B

Quæ ſequuntur, ex editione Duacenſi addidimus. In Pariſiaca enim, qua potiſſimum vſi ſumus, deerant.

I.

Oratoris ſpecialis definitio, Vir bonus, dicendi peritus.

Vir bonus, natura, moribus, artibus.

Dicendi peritus, natura, doctrina, vſu.

II.

C Partes Rhetoricæ ſunt quinque, Inuentio, Diſpoſitio, Elocutio, Memoria, Pronunciatio.

III.

Genera Cauſarum Rhetoricæ ſunt tria principalia. Demonſtratiuum, Deliberatiuum, Iudiciale.

Demonſtratiuum, in laude, in vituperatione.

Deliberatiuum, in ſuaſione, in diſſuaſione.

Iudiciale, in actione & defenſione, in

D præmij petitione & negatione.

IIII.

Status cauſarum, aut rationales ſunt, aut legales.

Legales quinque, Scriptum & Voluntas, Leges contrariæ, Ambiguitas, Collectio, Diffinitio.

Rationales quatuor, Coniectura, Finis, Qualitas, Tranſlatio.

Finis, Iudicialis, Negotialis.

Negotialis, Adſumptiua, Abſoluta.

Adſumptiua, Conceſſio, Remotio, Re-

E latio, Comparatio.

Remotio, Purgatio, Deprecatio.

V.

Omnis Controuerſia, aut ſimplex eſt, aut iuncta. Et iuncta ſi erit, vtrum ex pluribus.

VI.

Genera cauſarum ſunt quinque. Hõneſtum, Admirabile, Humile, Anceps, Obſcurum.

VII. A

Partes Rhetoricæ artis ſunt ſex. Exordium, Narratio, Partitio, Cõfirmatio, Reprehenſio, Concluſio.

VIII.

Rhetorica argumentatio tractatur, aut per Inductionem aut per Ratiocinationem.

Per Inductionem, Propoſitio, Adſumptio, Concluſio.

Per Ratiocinationẽ, Tripertita, Quinquepertita.

B

Porrò ſapientiam veteres Philoſophiam vocauerunt, id eſt, omnium rerum humanarum atque diuinarum ſcientiam. Huius Philoſophię tres eſſe partes dixerunt, Phyſicam, Ethicam, Logicam.

IX.

Philoſophia, Phyſica, Ethica, Logica.

Phyſis natura. Phyſis*, naturalis, quæ de natura omnium rerum ex contemplatione diſputat.

*leg. vid. Phyſica.

Ethis, id eſt mos, Ethica Græcè, moralis Latinè, quæ in actione & in cauſa rectè viuendi verſatur. C

Lois* Græcè, ratio Latinè. Loica*, rationalis; quæ ad diſcernendum verum à falſis diſponitur.

*leg. λόγος. *Logica.

X.

De Phyſica, Arithmetica, Aſtronomia, Aſtrologia, Mechanica, Medicina, Geometrica, Muſica.

Arithmetica* eſt numerorum ſcientia.

*MS. Cod. Arthimetica.

Aſtronomia eſt lex aſtrorum, qua oriuntur & occidunt aſtra. D

Aſtrologia eſt aſtrorum ratio & natura, & poteſtas, cœlique conuerſio.

Mechanica* eſt prima peritia fabricæ artis in metallis, in lignis, & in lapidibus.

*MS. Mechanicia.

Medicina eſt ſcientia curationum ad temperamentum & ſalutem corporis inuenta.

Geometrica eſt diſciplina menſurandi ſpatia, & magnitudines corporum.

Muſica eſt diuiſio ſonorum, & vocum varietas, & modulatio canendi. E

XI.

Logica diuiditur in Dialecticam, & Rhetoricam.

Dialectica eſt diſputatio acuta verum diſtinguens à falſis.

Rhetorica eſt diſciplina ad perſuadendum quodque idonea.

XII.

Dialectica diuiditur in quinque, in Iſagogas, in Categorias, in Topicas, in Perihermenias, in Definitiones.

Iſagogæ ſunt introductiones, & ſunt earum ſpecies v.

Categoriæ ſunt Prædicamenta, quæ in decem verbis ſtant.

Topica ſunt ſedes ac fontes argumentorum, & ſunt numero XVI.

Perihermeniæ ſunt interpretationes ſpecierum orationis.

Definitiones ſunt circumpoſitiones ſenſuum, & ſunt XV.

XIII.

Ethica diuiditur, in Prudentiam, Iuſtitiam, Fortitudinem, Temperantiam.

Prudentia in agnitionem veritatis inducit hominem.

Iuſtitia dilectionem Dei & proximi ſeruat.

Fortitudo vincit aduerſa, mortémque contemnit.

Temperantia vitioſas voluntates reprimit, & omnia moderat.

Hæ ſunt quatuor virtutes principales, quæ mores ornant, merita præbent, Diabolum vincunt, Cœlum aperiunt. Prima intelligit, ſecunda diligit, tertia victoriam dat, quarta modum imponit.

XIV.

Prudentia in Memoriam, Intelligentiam, Prouidentiam diuiditur.

XV.

Iuſtitia, Conſuetudinaria, Naturalis.

Conſuetudinaria, Pactum, Par, Iudicatum, Lex.

Naturalis, Religio, Pietas, Gratia, Vindicatio, Obſeruantia, Veritas.

XVI.

Fortitudo, in Magnificentiam, Fiduciam, Patientiam, Perſeuerantiã diuiditur.

XVII.

Temperantia, in Continentiam, Clementiam, Modeſtiam.

MAGISTRI

ALBINI FLACCI ALCHVVINI

DIALECTICA,

Interlocutoribus Karolo Magno & Alchvvino.

Verſus hos ad Rhetoricam referendos exiſtimauit Caniſius. Sed quia Dialecticæ præfixos reperimus in MS. Cod. nihil immutare voluimus. Habet enim & ſuos Rhetorica iam ſuperius editos.

O Vos, eſt ætas iuuenis quibus apta legendi,
Diſcite: eunt anni more fluentis aquæ,
Atque dies, dociles, vacuis non perdite rebus:
Nec redit vnda fluens, nec redit hora ruens.
Floreat in ſtudiis virtutum prima iuuentus,
Fulgeat vt magno laudis honore ſenex.
Vtere, quiſque legas librum, felicibus annis,
Auctoriſque memor dic, miſerere Deus.
Si noſtram lector feſtucam tollere quæras,
Robora de proprio lumine tolle prius.
Diſce tuas iuuenis vt agat facundia cauſas,
Vt ſis defenſor, cura, ſalúſque tuis.
Diſce precor iuuenis motus moréſque venuſtos,
Laudetur toto vt nomen in orbe tuum.

Me lege qui veterum cupias cognoſcere ſenſus,
Me quicumque capit, ruſticitate caret.
Nolo meus lector ſegnis ſit, nolo ſuperbus,
Deuoti & humilis pectoris antra colo.
Has rogo diuitias ſophiæ non temnat amator,
Nauita quas pelagi portat ab orbe ſuo.

CAPVT I.

KAROLVS.

QVIA mentionem Philoſophiȩ in priore diſputationis noſtræ ſermone fecimus, videtur condignum, Magiſter, vt aliquando latiore indagatione de ea diſputare incipiamus.

ALB. Faciamus ſicuti tuæ videatur ſapiētiæ condignum.

K. Primo omnium dic vnde dicta ſit B Philoſophia.

A. Ab amore ſapientiæ. Græci *philon* amorem, *ſophiam* ſapientiam vocant.

K. Dic eius quoque definitionem.

A. Philoſophia eſt naturarum inquiſitio, rerum humanarum, diuinarumque cognitio; quantum homini poſſibile eſt æſtimare. Eſt quoque Philoſophia honeſti- A tas vitæ, ſtudium benè viuendi, meditatio mortis, contemptus ſæculi: quod magis conuenit Chriſtanis, qui ſeculi ambitione calcata, diſciplinabili ſimilitudine futuræ patriæ viuunt.

K. Ex qua materia conſtat?

A. Scientia & opinione.

K. Scientia quid eſt?

A. Scientia eſt, cùm res aliqua certa ratione percipitur, vt Eclypſis ſolis lunaris corporis obiectum eſt.

K. Opinio quid eſt?

A. Opinio eſt, cùm incerta res latet, & nulla firma ratione diffiniri poteſt, vt magnitudo cœli, vel profunditas terræ.

K. In quot partes diuiditur Philoſophia?

A. In tres. Phyſicam, Ethicam, Logicam.

K. Hæc quoque Latino ore exprome.

A. Phyſica eſt naturalis. Ethica moralis. Logica rationalis.

K. Officia ſingularum ſpecierum pande.

A. In Phyſica igitur cauſa quærendi. In Etica ordo viuendi. In Logica ratio intelligendi verſatur.

K. In quot ſpecies Phyſica diuiditur?

A. In quatuor. Arithmeticam, Geometriam, Muſicam, Aſtronomiam.

K. In quot partes diuiditur Ethica?

A. In quatuor quoque. Prudentiam, Iuſtitiam, Fortitudinem, Temperantiam.

K. Logica in quot ſpecies diuiditur?

A. In duas, in Dialecticam, & Rhetoricam; in his quippe generibus tribus Philoſophiæ, etiam eloquia diuina conſiſtũt.

K. Quomodo?

A. Nam aut de natura diſputare ſolent, vt in Geneſi, & in Eccleſiaſten; aut de moribus, vt in Prouerbiis, & in omnibus ſparſim libris; aut de Logica, pro qua noſtri Theologicam ſibi vindicant, vt in Cantico canticorum, & ſancto Euangelio.

K. Theologica quid eſt?

A. Theologica eſt, quæ Latinè inſpectiua dicitur, qua ſupergreſſi viſibilia, de diuinis & cœleſtibus aliquid mente ſolum contemplamur. Nam in has quoque duas partes Philoſophia vera diuiditur, id eſt, inſpectiuam, & actualem.

K. Actualis quæ eſt?

A. Actualis eſt, quæ in operationibus huic vitæ mortali neceſſariis conſiſtit. Per hanc igitur modus honeſtus viuendi appetitur, & inſtituta ad virtutes tendentia exercentur; per illam verò Deus amatur, ſpe & fide colitur.

*f. philoſophiæ.

K. Quis eſt qui Philoſophiam * detrahere audeat?

A. Nullus ſapiens.

K. Verè nullus ſapiens. Sed pergamus ad Dialecticæ artis inquiſitionem, & primum dic, quid ſit Dialectica.

A. Dialectica eſt diſciplina rationalis, quærendi, diffiniendi, & differendi, etiam & vera a falſis diſcernendi potens.

K. Vnde dicta eſt Dialectica?

A. Dicta eſt Dialectica, quia in ea de dictis diſputatur. nam *lecton* dictio dicitur.

K. Quid eſt inter Dialecticam & Rhetoricam?

A. Dialectica eſt & Rhetorica, quod in manu hominis pugnus adſtrictus, & palma diſtenſa. Illa breui oratione argumenta concludit. Iſta facundiæ campos ſermone copioſo diſcurrit. Illa verba contrahit, iſta diſtendit. Dialectica ſiquidem ad inueniẽdas res acutior. Rhetorica ad inuentas di- A cedas facundior; Illa raros & ſtudioſos requirit; hæc frequenter procedit in turbas.

De ſpeciebus Dialecticæ. CAP. II.

KAROLVS.

QVot ſunt ſpecies Dialecticæ?

A. Quinq; principales. Iſagoge, Categoriæ, Syllogiſmorum formulæ, Diffinitiones, Topica, & Periermeniæ.

De Iſagogis. CAP. III.

B KAROLVS.

QVæ ſunt Iſagogæ?

A. Iſagoga quippe Latinè introductio dicitur.

K. Quid ſignificat introductio?

A. Introductio eſt, quæ ſenſum noſtrum per varias diuiſiones rerum communium ad proprietatem cuiuſlibet rei introducit.

K. Quæ ſunt partes eius?

A. Videlicet, Genus, Species, Differen- C tia, Accidens, Proprium.

K. Genus quid eſt?

A. Genus eſt propriè, quod ſpeciebus differt; Et quid ſit ea ſubſtantia, de qua quæris, communi vocabulo oſtendit. Vt animal: Per ſingulas enim ſpecies, id eſt, hominis, equi, bouis, leonis & cæterorum, Genus eſt animal, & æqualiter de omnibus prædicatur.

K. Quid eſt Species?

A. Species eſt, quod de pluribus & differentibus numero non ſpecie, in eo quod D quid ſit prædicetur. Nam de Socrate, Platone, & Cicerone æqualiter homo prædicatur. Vna ſpecies hominum & ſecundum naturam, ſed multi ſecundum numerum.

K. Quid eſt Differentia?

A. Differentia eſt, quæ quale ſit hoc vel illud animal oſtendit. Vt ſi quæratur, qualis ſit homo, dicimus, animal rationale & mortale. In his enim duobus, ab omnibus aliis animantibus ſecernitur. In eo quod dicit rationale, ſegregatur ab omnibus ratione non vtentibus: dum dicit mor- E tale, in eo ab Angelis differt; Angeli enim rationales & immortales ſunt; animalia verò & cætera mortalia ſunt & non rationalia; homo autem ſolus ex vtriſque conſtat: hoc habens cum Angelis commune, illud cum cæteris animantibus. O mirum animal, vna parte cœleſte, & altera terrenum!

K. Quid eſt Proprium?

A. Proprium eſt, quando vna quælibet

ſpecies naturaliter aliquo certo additamẽ- A
to deſignari poteſt, & ab omni aliarum ſpecierum communione ſeparari. Vt ſolius hominis proprietas eſt, riſibilis * eſſe. Et ſciendum eſt, quod ſingulare proprium ſemper circumuerti poſſe eſſe eſt. Vt puta: quidquid homo eſt, riſibile eſt. Et, quicquid riſibile eſt, homo eſt. Et hæc circumuerſio neceſſaria dicitur. Nec ita rationale circum* poteſt. Dicere verò poſſumus, quidquid homo eſt, rationale eſt; nec tamen conuerſo ordine rectè dicere poſſumus; Quicquid rationale eſt, homo eſt. B
Quia Angeli rationales ſunt, non tamen homines ſunt.

*f. riſibilem eſſe.

*f. circumuerti.

K. Quid eſt Accidens?

A. Accidens eſt, quicquid accidit vel recedit præter ſubſtantiæ corruptionem, vt color candidus, vel niger, ſtare vel iacere; eſurire vel ſatiari, & cætera. Sunt quoque accidentia, quæ ſic accidunt, vt penitus non recedant, vt proceritas vel breuitas in corpore, & cætera, quæ in ſingulis quoque membris inſeparabiliter aliquotiens accidunt, vt curuitas naſi, latitudo vel C
anguſtia oris, iocunditas oculorum, æqualitas ſuperciliorum, & alia multa.

K. Has quinque partes vno quolibet exemplo coniunge.

A. Genus eſt, vt animal: Eſt enim vocabulum generale, commune omnium animam habentium. Species eſt, vt homo, ſua enim quadam ſpecie ſeparatur à cæteris animantibus. &, genus eſt totum, vt puta, tota viuentia animalia dicimus; ſpecies quidem pars eſt, vt homo. pars quædam animalium homo eſt. Differentia, rationa- D
lis mortalis; his enim duobus, vt ſuperius diximus, differt homo à cæteris animantibus. Proprium eſt*, quia ridere præter hominem nullius naturaliter animalis eſt. Accidens eſt, vt color in corpore, doctrina in animo; hæc enim temporum varietate & accidunt, & mutantur.

*f. ad. ridere,

K. Quomodo ex his quinque partibus oratio plenæ ſententiæ coniungi debet?

A. Itaque homo eſt animal rationale, mortale, riſibile, boni malique capax; Sic etiam in omni oratione ſubſtantiali tam E
diu interponere debemus ſpecies & differentias, quamdiu ſecluſis omnibus, quæ idem eſſe poſſunt*, quod inquiris, & ad id perueniatur, vt proprietas eius ſubſtantiæ certa teneatur, quam diffinire cœpiſti; Hæc enim commentario ſermone de Iſagogis Porphyrij dicta ſufficiant. Nunc ordo poſtulat ab Ariſtotelis Categorias nos tranſire.

De Categoriis. Cap. IV.

Karolvs.

Sequamur ordinem, & eius nobis nominis primo pande Etymologiam.

A. Categoriæ Græcè, Latinè Prædicamenta.

K. Quid ſignificas, dum dicis Prædicamenta?

A. Dum de qualibet re loquor, tum de ea prædico, ſicut Philoſophi voluerunt intelligi.

K. Quot modis fit illa prædicatio, quam locutionem, vt mihi videtur, nominare poſſumus?

A. Rectè tibi videtur. Duobus modis fit locutio noſtra, aut de ſubſtantia, aut de accidentibus.

K. Vnde dicitur ſubſtantia?

A. Subſtantia dicitur, quia ſubſiſtit, vt eſt vnaquæque natura, in ſua proprietate.

K. Quot ſunt accidentia?

A. Corporalibus naturis IX.

K. quæ?

A. Quantitas, ad aliquid, qualitas, facere, pati, ſitus, vbi, quando, habere.

De IX. Accidentibus. Cap. V.

His IX. iunctis ad ſubſtantiam, quam Græci vocant vſian, fiunt X. Categoriæ. Et inter hæc X. verba quicquid homo loquitur, ineuitabiliter inuenitur. Sed priuſquam de his ſingulis diſputare incipiamus, omonymorum legem, quæ categoriarum ſunt inſtrumenta, videamus.

K. Fiat, & primum pande* interpretationes nominum, de illis tribus ſpeciebus, quas in Grammatica legebamus, id eſt, omonyma, ſynonyma, polyonyma.

A. Omonyma, æquiuoca: ſynonyma, vniuoca: polyonyma, pluriuoca Latinè dici poſſunt.

K. Eorum quoque differentiam audire expecto.

A. Omonyma ſunt, cùm duæ res commune accipiunt nomen, rei verò interpretatione ſeparantur, vt homo pictus, & homo verus; In his namque vnum nomen eſt, ratio vero vel interpretatio diuerſa cùm enim dixeris, verum hominem animal eſſe, quod mouetur, & cibum capiat & ratione vigeat, cùm nihil horum de picto potes dicere; neceſſariò videantur* diſparia. Synonyma verò ſunt, quæ & nomine, & ſui interpretatione iunguntur, vt animal eſt, quod cibum capit, ſpirat, mo

uetus, & mortale eſt. hæc omnia de homine, de equo, & de boue ſimiliter dici poſſunt. Polyonyma ſunt, quando nomina multa vnam rem ſignificant; neque vlla differentia vel ratio redditur nominum, cum vnam rem tot nomina ſignificent, vt enſis, mucro, gladius. His quoque iunguntur Heteronyma, æquè nominibus res ſingulas ſignificantia, ſed in his ratio diuerſitatem nominum diſcernit, velut homo mortalis, terrenus. Homo ab humanitate, mortalis à neceſſitate mortis, terrenus à terra, in qua cuncta gignuntur. B

K. Ad quam ſpeciem propria nomina pertinent?

A. Regulariter ſcire debemus, omnia propria nomina communia eſſe poſſe, & omonyma vocari; vt Cicero non vnus, ſed plures, ſed ſignis & proprietate quadam diſcernendi ſunt; Quis ſit ille, & quis alius, & quis tertius Cicero, vt alium craſſum dicas, alterum tenuem, vel longus dicatur alius, alter breuis, candido colore quis, alter nigro.

K. Omonyma quot modis fiunt? C

A. Duobus, aut fortuito fiunt, aut hominum voluntate naſcuntur.

K. Fortuito quomodo?

A. Cum quodam caſu ſimile quis alteri accipiat nomen.

K. Quomodo voluntate?

A. Cum ſimilitudo nominis & induſtria imponentis * adfligitur.

*f. adfigitur.

K. Si hæ partes plus poſſunt diuidi?

A. horum autem quæ & induſtria vel voluntate naſcuntur, quatuor ſunt genera: * *Icon, Catanalogiam, apanos, proſena.* D

* εἰκὼν, κατ᾽ ἀναλογίαν, ἀφ᾽ ἑνὸς, πρὸς ἕν.

K. Latino ore hæc * aperiri.

*f. aperi.

A. Similitudo, pro parte, ab vno, ad vnum.

K. Exemplis confirma.

A. Similitudo, vt homo pictus, & verus, ſola in ſimilitudine copulantur. pro parte, vt quo pacto principium animalis cor dicimus, ita principium aquæ fontem dicimus: pro parte quadam vtrique rei ſimilitudo nominis videtur adiuncta; ab vno, cum dicimus, medicinale ferrum, medicinale præceptum, medicinalis ſcientia, E medicinalis vſus; Ab vno in cuncta deſcendunt. ad vnum eſt, ille medicus ſalubris eſt, illa herba ſalubris eſt, vt illa potio ſalubris eſt. Hæc enim coniuncta vnum, id eſt, ſalutem videntur attingere.

K. Quia mihi perſpicuè nominum varietatem dixiſti, ſupereſt, vt quæſtionum rationem exponas. Quas non niſi nominibus & verbis conſtare poſſe æſtimo. Ideo has duas partes principales eſſe, natura nos docet. nomen namque ſubſtantiam oſtendit; verbum, quid quiſque faciat, quidve patiatur.

A. Tribus ex fontibus omnes profluunt quæſtiones; aut ab his quæ ſunt, aut ab his quæ percipiuntur, aut de his quæ dicuntur. Vna eſt ſubſtantiarum, quia ſunt omnes res, quas natura peperit. Altera ſenſuum, quia ſenſu percipi non poſſunt, niſi hæ res, quæ ſunt, & quarum imagines animo formamus, & condimus. Tertia dictionum: id namque quod quis concipit animo, lingua proſequenti demonſtrat. ergo quamquam ſeparatim hæc tria nominentur, mixtam tamen de tribus diſputationem debemus accipere. Nam de præceptis, qui loquitur, & originem rerum trahit, & præſidia orationis implorat. Sunt igitur illa, quæ aut percipimus, ſenſibus corporis, aut mente & cogitatione colligimus; ſenſibus tenemus, quæ aut videndo, aut contrectando, aut audiendo, aut guſtando, aut odorando percipimus, mente cognoſcimus, tum quodlibet corpus; vt puta hominis vel animalis multis conſtare ex partibus intelligimus, etiam vel creſcere, vel ſeneſcere, modo angi curis, modo ſecuro pectore conquieſcere, ſanitate aliàs frui, aliàs dolores perpeti, peritum ex imperito, ex indocto doctum.

K. Fortè hæc ſapientes propriis nominibus diſcernere voluerunt?

A. Etiam. nam id quod corporali ſenſu diſcernitur, vſian, id eſt, ſubſtantiam dici iuſſerunt: Illud autem quod animi tractatu ſolum colligitur, aut ſæpe mutatur, ſymbebycos, id eſt, accidens nominari maluerunt, vſian quoque ypocimenon, id eſt ſubiacens appellare voluerunt. Illa verò quæ accidunt, enypocimeno, id eſt, in ſubiacenti dixerunt. Neceſſe eſt verò accidentia in qualibet eſſe ſubſtantia. ideo illa ſubſtantia ſubiacens dicitur; illa verò accidentia, in ſubiacenti ſubſtantia, vtpote diſciplina in animo, color in corpore, aut de illis IX. accidentibus quodlibet, quæ ſuperius nominauimus.

K. Debemus tamen ipſa accidentia, vel in ipſa *Vſia*, vel extra *Vſian* dicere eſſe? οὐσία.

A. Alia in ipſa, alia extra. intra vſian ſunt qualitas, quantitas, & ſitus. Hæc n. ſine ipſa eſſe non poſſunt. Mox enim vt hominem vel equum dixeris, aduerti neceſſe eſt bipedalem, aut quadrupedalem, album aut nigrum, ſtantem aut iacentem. Extra vſian verò ſunt locus, tempus, & habitus. Nam in loco vel tempore eſſe aliquem, ve-

ſtiri, vel armari, ab vſia ſeparata ſunt. alia ſunt communia, id eſt, intra & extra vſian, vt relatio, facere, & pati; Maius verò & minus vnum in ſe habent, aliud extra ſe. Item facere & extra, & intra, vt cædere quiſque dici non poteſt, niſi alterum cædat. ſimiliter pati; cædi enim vel vri nullus poteſt, niſi ab altero patiatur *.

* MS. patietur.

K. Eſt ne alia horum accidentium differentia?

A. Eſt. Ea enim, quæ inſunt cuique aut in ſolo, & in omni, aut in ſolo & non in omni, aut in omni & non in ſolo, aut nec in ſolo, nec in omni, eſſe neceſſe eſt. Et has quatuor ſpecies Græci vocant, Enmocepanti; enmonoceupanti, expanti, enmono ceute, enmono vtipanti.

K. Vt hæc exẽplis planiora facias velim.

A. Vt ſi hominem quis definire volens, dicat, riſus eſſe capacem, hoc & in ſolo homine eſt, & in omni, ſolus namque homo ridet, & cunctis ridere naturale eſt. In ſolo & non in omni, vt ſi quis diffiniens hominem, capacem diſciplinæ dicat eſſe: hoc in ſolo quidem homine inueniri poteſt, non tamen in omni: neque enim omnes diſciplinas didicerunt aliquas; In omni, & non in ſolo, vt ſi quis hominem diffiniens dicat id eſſe hominem quod ſpirat, quod cibum capiat. hoc in omni quidem eſt homine, non tamen in ſolo. Nam & pecudes cibum capiunt, & feræ ſpirant. Nec in ſolo, nec in omni; vt ſi quis in hominis diffinitione id eſſe dicat hominem, quod album eſt, nec in ſolo, nec in omni eſt, neque enim aut homo ſolus candidus inuenitur, & non bos aut equus, aut omnis homo albus eſt.

K. Quæ ex iſtis ſpeciebus certiorem in vſia faciunt diffinitionem?

A. Duæ, in ſolo & in omni, altera quæ in ſolo, non in omni, vt hominem eſſe riſibilem, diſciplinæque capacem, hæ duæ ſpecies ad inueſtigandum vſian, de qua inquiris, viam monſtrant. Et duæ aliæ certum aliquid ſignificare non poſſunt.

De Quantitate. Cap. VI.

Karolvs.

DEcurſis igitur breuiter partibus, quibus vſia poſſit intelligi, reſtat nunc ſermo de ſingulis vſiæ accidentibus inquirere; & quantitatem, quam primam poſuiſti, primum expone.

A. Nec ſine cauſa illa prima poſita eſt; Nam cum aliquod corpus viderimus, id quantum ſit, æſtimare licebit.

A K. Quomodo Quantitas æſtimari ſolet?

A. In menſura longitudinis, latitudinis, & altitudinis; quia hæc tria corpus quodlibet habere neceſſe eſt. Hiſque ſingulis duę ſpecies adiacent; longitudini, ante & retro; latitudini, dextrum & ſiniſtrum; altitudini, ſurſum & deorſum. His enim VI. partibus omne corpus circumſcribitur.

K. Quid ſi aliquis ſolum longitudinem metitur?

B A. Longitudo ſola ſine latitudine menſurata gramme dicitur, id eſt, linialis menſura.

K. Quid ſi longitudini, latitudinem metiendo, quiſquis adiecerit?

A. Cum emenſa erit latitudo cum longitudine, epifania dicitur, id eſt, ſuperficialis menſura.

K. Quid ſi his duobus altitudinem adiungit?

A. Cuncta hæc tria menſuræ ſociata ſolidum corpus perficiunt, cum VI. ſuis

C partibus præſcriptis, hiſque adſcribitur ſecundum poſitionem longè vel iuxta Nam aliud quod mihi, à dextris vel ſiniſtris, antè vel retrò, iuxta eſt aliud, quod longè: Verbi gratia; Hic paries prope eſt & ille vel ille mons longe.

K. Poteſt ita de infra & ſupra intelligi?

A. Poteſt. Sciendũ aliud eſſe naturale ſuper & ſubter, aliud verò quod circa nos eſt

K. Quod eſt naturale, & quod circa nos eſt?

A. Naturaliter enim cœlum ſupra eſt &

D terra infra, quod migratione noſtra punctari non poteſt. Noſtrum autem ſuper & ſubter migratione commutatur, vt ſi qui cum inferioribus fuerit, ad ſuperiora conſcendit, aut è ſuperioribus ad inferiora deſcendat.

K. Num omnia ad quantitatem pertinentia his VI. partibus includuntur?

A. Non omnia has circumpoſitiones habent. Tempus verò, & numerus, & oratio, licet ad quantitatem pertineant, hi tamen non ſubiacent clauſtris; vnum verò

E & decem & centum cùm dicimus, ipſum numerum ſolum dicentes, nõ aliqui corporaliter numerantes, non reperimus in illis dextrum aliquid vel ſiniſtrum: ſimiliter & in tempore aut ſermone; maxime cùm hæc citiſſimè labuntur. Nam tempus in ſtabili motu ſemper decurrit, in tãtum vt diligentius conſiderantibus penè nihil præſens eſſe videatur. Ita & ſermo cum nondum dictus fuerit, non apparet. mani

feſtum eſt igitur hæc tria poſitionem diuerſarum partium non habere. A

K. Si magis aut minus, quod Græci molon ceuton dicunt quātitas habere poteſt?

A. Non poteſt. magis bipedale, vel minus dici non poteſt, nec magis tres aut minus, nominare licet. Similiter tempus & oratio magis aut minus non habent, ſed omnia quantitatis paria aut imparia nuncupanda ſunt.

K. Quid ſi magis longum aut minus dicimus?

A. Tunc ad aliquid categoria erit, nam magis ſimile & minus ſimile ſolemus dicere, ſimile verò cuilibet ſimili ſimile eſt. B

De Ad aliquid. CAP. VII.

KAROLVS.

VErum quia mentionem categoriæ ad aliquid feciſti, illius proprietates pāde.

A. Faciam, licet extraordinariè. nam poſt quantitatem qualitas ponebatur in ordine. Ad aliquid ergò categoriam vocamus, qua id quod eſt dicitur ex altero, & ſine cuius ſocietate eſſe non poſſit, & cuius vis omnis ex alterius coniunctione deſcendit, vt duplum ſimpli dicitur duplum, & maius minori dicitur maius. Et ſimile ſimili dicitur ſimile. C

K. Et hoc claret ad aliquid non ſua vi, ſed alterius coniunctione conſiſtere.

K. Sed ſi alio modo poſſit diffiniri profer.

A. Tunc ergò & verè & propriè ad aliquid dicitur: Cùm ſub vno ortu atque occaſu, & id quod iungitur, inuenitur, vt puta ſeruus & dominus vtrumque vel ſimul eſt, vel ſimul non eſt, Etenim cùm dominum dixeris, neceſſariò exiſtet & ſeruus, cùm verò dominum tuleris, nec ſeruus apparet; ſimiliter duplum & ſimplum alterutrum ſe vel interimunt vel oſtendunt. Apparente enim duplo naſcitur ſimplum, duplum pereunte nec ſemiplum poterit permanere, ſimiliterque ſi ſimplum non ſit, nec duplum eſt. At ſi ſimplum fuerit, & duplum neceſſariò apparebit. D

K. Quo numero, vel quibus caſibus hæ coniunctiones nominum ſolent eſſe? E

A. Sæpius ſingulari numero, vt ſimplum dupli, pater filij, ſed & alia huiuſmodi genitiuo caſui, alia datiuo, pleraque ablatiuo copulari ſolent. Genitiuo quidem, vt ſeruus domini, duplum ſimpli: datiuo, ſimile ſimili, par pari: ablatiuo verò ſenſibile ſenſu ſenſibile.

K. Si huic categoriæ alterna conuerſio accidere poteſt?

A. Etiam; nam vtrumque rationabiliter dici poteſt. Et ſeruus domini, & dominus ſerui, & ſimplum dupli, & duplum ſimpli. Et ſciendum eſt, quod ſemper relatiua, vel ſimul naſci, vel ſimul extingui oportet. Vt ſubtracto ſeruo dominus non eſt, remoto domino, nec ſeruus apparet. Ita de patre & filio; ac ideò ſecūdum hanc categoriæ regulam, miranda eſt Arij, vel magis miſeranda, & eius quoque ſociorum ſtulta cœcitas; Aſſerentes filium ſecundum tempus patri eſſe poſteriorem; dum omninò conſtat ſecundum Dialecticam, ſimul conſempiternum eſſe filium cum patre. Et ſi Deus pater, quod nec illorum impietas audebat negare, æternus eſt, vtique & filius æternus eſt, ſecundum Dialecticæ rationis neceſſitatem.

De Qualitate. CAP. VIII.

KAROLVS.

NVnc qualitatis rationem expone, & primùm dic, quid ſit inter qualitatem & quale.

A. Qualitatem namque dicimus, dulcedinem, auſteritatem, albedinem, nigredinem; quale verò intelligitur, quoties album aliquid dicimus, dulce vel auſterum.

K. Videtur enim, qualitatem magnam habere communionem cum cæteris categoriis.

A. Incurrit namque in cæteras omnes, & ideò difficilior eſt, vt puta in vſia inuenitur, cùm dicimus, homo Grammaticus; in quanto, alba vel nigra epifania: In ad aliquid, prudens pater, optimus filius; in facere, durè ſaltat. In pati, fert fortiter vulnera. In loco, obſcurus locus; in tempore, calidus menſis aut frigidus; in iacere, pronus aut ſupinus iacet. In habere, decenter armatur.

K. Quot habet hæc categoria ſpecies?

A. Quatuor, quas Ariſtoteles genera vocat. Primum genus eſt habitus & affectio, ſecundum potentia naturalis, tertium paſſiuę qualitates ſiue paſſiones, quartum formæ ac figuræ.

K. Habitus vel affectio quid eſt?

A. Habitus eſt, quod animus longè habet tempore, vt virtus & diſciplina. Affectio eſt mutabilis mentis impulſio, vt repētina cupiditas vel iracundia.

K. Quid eſt inter virtutem & diſciplinā?

A. Hoc profectò, quod diſciplina in ea parte animæ, quæ rationabilis dicitur, tantummodo verſatur. Virtus verò, omnes animæ partes amplectitur, omnemque ani-

mam ſuo imperio gubernat,& regit. Vt & A iracundiam domet, & cupiditates amoueat. Quod diſciplina haud facere valet.

K. Quot ſunt partes animæ?

A. Tres. rationabilis, iraſcibilis, concupiſcibilis. Sed hæc aliàs, nunc cœptum iter pergamus. videtur vel poſſe vel non poſſe.

K. Potentia naturalis quid eſt?

A. Quoties quis videtur vel poſſe, vel non poſſe ſe aliquid facere per naturam; vt verbi gratia, viſis corporibus puerorum, dicamus eos in futuro vel curſores vel pu- B gillatores fore. Non quod adhuc hac arte teneantur, ſed videntur per naturalem potentiam eam poſſe habere. ſimiliter de ſalute & infirmitate ex corporis qualitate ſępè ſolent Medici prædicere.

K. Paſſiuæ qualitates vel paſſiones quæ ſunt?

A. Paſſiuæ autem qualitates ſunt, aut albedo, aut nigredo, & eorum media, rubor & pallor; hæc enim non niſi vel animæ vel corporis paſſione naſcuntur. Vt enim nigreſcat aliquid corporis paſſio eſt; vt C palleſcat, vel rubeſcat, animæ. Quæ cùm turpitudinis verecundiam ferre nequiuerit, quaſi ad defenſionem ſui copiam ſanguinis in exteriores partes corporis fundit; eòque fit, vt pudore nimio rubeſcamus. Pallor quoque ſimili animæ paſſione conſiſtit; tùm perculſa metu nimio ad cordis vlteriora confugit, eam ſanguis inſequitur, vt deſertum ſanguine, quod eſt in conſpectu, corpus albeſcat. Hæ igitur qualitates, ſi diu perſeuerant, paſſiuæ qualitates dicendæ ſunt; ſi verò ad breue D tempus extiterint, ita vt cito diſcedant, paſſiones eas potius nominamus.

K. Nunc quartam ediſſere ſpeciem, & primò quid ſit inter formas & figuras explana.

A. Figuræ inanimalibus tribuuntur, vt puta trigonus, vel tetragonus; formæ autem animalibus, in quibus formoſos aliquos, vel deformes aſſerimus. In eodem quoque qualitatis genere curuitas & rectitudo, aſperitas & lenitudo, raritas, & denſitas inueniuntur. E

K. Si qualitas contrarietatem recipit?

A. Quædam recipit, & quædã non recipit. Quis enim dubitat, ſaluo contrariũ eſſe languorem? Iuſtitiæ iniuſtitiam? malo bonum? E contra verò fuſco vel pallido, triangulo vel tetragono contrarium nihil eſt.

K. Si magis aut minus recipit?

A. Recipit omninò, ſed non omnis, nam magis album, vel magis nigrum dicere poſſumus, ſed magis trigonum, vel magis tetragonum dici non poteſt.

K. Si enim hæ quatuor prædictæ categoriæ proprium aliquid per ſe ſingulæ habeant, velim expounas.

A. Habent: nam Vſiæ proprium eſt, vt ſit ſingularis, atque vna numero, & contraria in ſe ſuſcipiat, vt puta homo ſingularis vſia eſt atque vnius numeri, & ſuſceptibilis contrarietatis. Itaque modò ſanitatem, modò ægritudinem ſuſcipere poteſt; quantitati verò proprium eſt, vt eius omnia paria vel imparia dicantur; vt iſte homo illi homini par vel impar eſt magnitudine. Ad aliquid verò proprietatem habet, vt in ſe conuertantur, ſicuti eſt ſeruus domini, & dominus ſerui. qualitatis verò ſingulare eſt, vt cuncta eius ſecũdum qualitatem ſimilia aut diſſimilia nominentur. Vt dulce enim dulci, albo album, calido calidum, aut *ſimile* aut *diſſimile nuncupari* ſolet.

De Facere & Pati. Cap. IX.

Karolvs.

SVpereſt vt facere & pati, in quibus maximè verborum ratio conſtat, quia pariter eſſe neceſſe eſt, pariter reſpondeas.

A. Hæc duo ex qualitatis fonte videntur deſcendere. Id namque quod calidum facit, calidum ſit neceſſe eſt. Calidum verò quod eſſe cognoſcimus: ſimiliter quod calidũ fit, à paſſione qualitatis *accipit* calorem, & qui docet cum docet doctor eſt. & diſcipulum facit; Vtrumque autem ſiue doctor ſiue diſcipulus, qualis eſt, & cætera his ſimilia.

K. Num in his categoriis contraria inueniuntur?

A. Solent enim genere eſſe ſimilia, contraria qualitate; etenim calidum quod frigido præſtat calorem ſui, ſub eodem genere eſt. Similiter quod dulce eſt, dulce non facit, niſi id quod *dulce* non *fuerit* Nam ſi id, quod patitur, dulce fuerit per naturam ſui, alterius dulcedinem, quam recipiat, non habet. Neceſſe eſt ergò dulce non eſſe id quod patitur, vt dulcedinem recipiat alienam. Et contraria ſunt in qualitate, dulce & amarum.

K. Quid eſt quod dixiſti genere eſſe ſimilia?

A. Ignis non poteſt à melle accipere dulcedinem; aqua verò poteſt; quia quãdam ſimilitudinem habet in genere.

K. An magis an minus admittunt?

A: Etiam; poſſumus enim dicere, ma

gis vel minus docet Magiſter, & magis vel A minus doctus eſt diſcipulus.

De Iacere. Cap. X.

Karolvs.

QVid de Iacere habemus intelligere?

A. Quid aliud niſi ſitum & poſitionem corporis? ſi iacet, ſtet, vel ſedeat quiſlibet. Neceſſe enim, omne corpus quod in partibus, vt prædiximus, includitur, in quolibet eſſe loco, & quolibet modo in loco eſſe. Vt, aut per longitudinem exten- B datur, aut per latitudinem diffundatur, aut per altitudinem erigatur. Et hæc omnia ad ſitum pertinent corporis; ſitus * verò ipſe localis eſſe neceſſe eſt.

*f. ſitum localem.

De Vbi & Quando. Cap. XI.

Karolvs.

QVid habes de Vbi, & Quando dicere?

A. quid aliud niſi quod Vbi in loco, & Quando in tempore ſignificant? nam omne corpus neceſſe eſt locum aliquem in C quolibet tempore occupare. Vt, Romæ in ſenatu fui ante horam tertiam, poſt Martium menſem. Hæc in loco & tempore eſſe debent, non locus & tempus.

De Habere. Cap. XII.

Karolvs.

REſtat vt de Habere incipias dicere, & quot modis habere dicamur aliquid.

A. Octo habendi ſunt ſpecies, prima eſt, quoties animo aliquid habemus, vt iuſti- D tiam, diſciplinas, virtutes, vel vitia. Secunda, quoties in corpore habere aliquid dicimur, vt albedinem, nigredinem, varietatem, vel cætera, quæ per qualitatem corpori inſidunt. Tertia de quantitate deſcendit, quoties quatuor vel quinque pedũ habere dicimur longitudinem. quarta, cùm non in toto corpore, ſed in parte corporis aliquid habere firmamur, vt digito anulũ, in pede calceos vel coturnos. quinta ſpecies eſt, cùm non in corpore, ſed circa corpus habere aliquid dicimur, vt veſtis, atque in- E dumẽta omnia. Sexta, quoties ipſas corporis partes habere narramur, vt manus, pedes, caput, aut reliqua, quæ ſunt in compage membrorum. Septimus verò locus eſt, quoties far vel vinũ vas aliquod habere dicitur. Octauus habendi gradus eſt, qui poſſeſſionem noſtram vel dominium videtur oſtendere, cùm ædes, vel rus quis habere dicitur.

K. Nunquid non licet nobis dicere mulierem habere maritum, vel vir vxorem habet, pater filium, vel filius genitorem?

A. Sanè ita dici Doctores reſpuunt, atque impropriè conferre confirmant. Propterea quod aſſerunt, non haberi poſſe, quod habeat habentem, ſed rectius dici autumant, eſſe mulieri virum, vel vxorem viro eſſe, patrem filio eſſe famulis dominum eſſe, ſiquidem verbi huius vim in hoc eſſe contendunt, vt ſignificare non poſſit, & habere aliquem & haberi.

K. Ex his omnibus decem Prædicamentis vnam mihi coniuge orationem.

A. Plena enim oratio de his ita coniungi poteſt. Auguſtinus, magnus orator; Filius illius, ſtans, in templo, hodie infolatur *, diſputando, fatigatur. Auguſtinus, vſia eſt; magnus, quantitas; orator, qualitas; filius illius, ad aliquid; ſtans, ſitus; in templo, locus; hodie, tempus; infolatur, habitus; diſputando, agere; fatigatur, pati.

*f. infulatur.

K. Et eſt prima vſia his IX. accidentibus ſubiacens?

A. Nam neceſſe eſt magnitudinem vel qualitatem in quolibet corpore inueniri. Et patrem & filium inter duas vſias verſari. Similiter & in loco & in tempore eſſe, cuiuſlibet corporis eſt. Veſtiri verò, & ſtare, & aliquid agere, vel pati, quis non agnoſcit, in quolibet corpore eſſe conſideranda? & hæc accidentia non niſi in qualibet ſubiecta ſubſtantia inueniuntur.

De contrariis officiis. Cap. XIII.

Karolvs.

DVm ſæpius in noſtra diſputatione de contrariis introduxiſti, contrariorum vel oppoſitorum velim rationẽ exponas.

A. Contrariorum verò genera quatuor ſunt, quæ Ariſtoteles Anticimena, id eſt, oppoſita vocat. Primum genus eſt, quod diuerſum vocatur, vt ſapientia, ſtultitia, quod genus in tres diuiditur ſpecies. Nam ſunt quædam ex eis quæ medium habent, vt candidum & nigrum medium habent colorem pallidum vel fuſcum. Sunt quædam quæ ſine medio ſunt, vt ſalus, ægritudo; horum nihil eſt medium; quia neceſſe eſt vnum è duobus ineſſe corpori. Et ſunt quædam, quæ medium habent, ſed ſine nomine eſt medietas eorum, niſi huic oppoſitorũ negatione formetur nomen, vt iuſtum & iniuſtum habent quiddam medium, vt eſt, ſputa ſcreare, aures purgare, quæ vocabulum non habent, ni-

ἀντικείμενα

ſi dicamus, nec iuſtū nec iniuſtum. Secundum genus contrarietatis eſt relatiuorū, quæ ita ſibi opponuntur, vt ad ſe cōferantur, ſicut duplum & ſimplum, magis & minus; & hoc ſolum genus oppoſitorum conferatur. Tertium genus eſt, quæ per habitum vel priuationem fiunt; in his namque obſeruari oportet, vt ſint vtraque in eodem negotio, in eodem loco, in opportuno tempore. In eodem negotio ſunt cœcitas & viſus; in videndo enim & non videndo conſiſtunt. Hæc & in eodem loco ſunt; vtrique namque cœcitati & viſioni in oculis locus; in tempore congruo, vt caluum non dicere, niſi eo tempore, quo capillos habere debuerat, non habeat; capillos verò habere, vel non habere, ſibi oppoſitum eſt. Quartum verò genus contrarietatis, ex adfirmatione & negatione; vt Homerus diſputat, Homerus non diſputat. Macharius currit, Macharius non currit. Quod genus apud Dialecticos omnes quæſtiones penè generare ſolet.

K. Si aliquando mala malis opponūtur?

A. Etiam ſecundum Philoſophos; qui virtutes ſemper medias eſſe dixerunt; & ex vtraque parte habere vitia. Et hoc reor Apoſtolum ſignificaſſe, dum dicit: *Via Regia nobis gradiendum, neque ad dextram, neque ad ſiniſtram declinandum*, vt plus iuſtum & minus iuſtum. 2. Cor. 6.

K. Quomodo plus iuſtum?

A. Plus iuſtum eſt ſeueritas, minus iuſto adulatio. Inter quæ duo mala mediam iuſtitiam lòcauerunt. Similiter inter verſutiam, hebetudinémq; prudentiam poſuerunt. Inter libidinem inſenſibilitatémque, temperantia conſtituta eſt; inter timiditatem & audaciam, fortitudo regnat.

K. quot modis prius dicimus?

A. quinque modis alius altero prius dicitur. Primus eſt, cùm aliquem dicimus tempore priorem, id eſt, ſeniorem. Secundus modus eſt numero, dum dicimus, vnum eſſe prius quàm duo, quia duo ex vno naſcuntur, non vnum ex duobus; & vno pereunte, duo eſſe non poſſunt: duobus autem pereuntibus, vnum tamen permanet. Tertius modus eſt ordinis, vt in diſciplinis, prius eſt ſingularium diſcere formas, & nomina litterarum, dehinc ſyllabarum cōiunctiones cognoſcere, tunc verborum ſumere notitiam. Poſtremus nobis eſt rationis vſus adſumēdus, propter quem cuncta quaſi præcurrentia membra, prius diſcimus. quartus modus eſt, dum feliciores vel meliores priores vulgus adſolet dicere. quintum genus eſt, quando illud prius eſt, quod ex ſe alterum facit, vt exempli gratia, ſi homo eſt, rectè eum dicimus animal rationale, mortale, riſus capax; ſed hoc genus prioris in ſe conuerti poteſt.

K. quomodo?

A. Nam quidquid homo eſt, animal eſt, mortale, rationale, riſus capax. Item quidquid animal eſt, mortale, rationale, riſus capax, hominem eſſe neceſſe eſt. Sed tamē hominem neceſſe eſt prius eſſe; & ſic tandem iſta definitio vel conuerſio vera eſſe poterit.

K. Modos quoque, quibus aliquid ſimul eſſe dicamus, voluiſſem audire.

A. Tribus modis aliquid ſimul eſſe dicimus, aut tempore, aut natura, aut genere.

K. Da exempla.

A. Tempore, vt duos homines vno tēpore ſimul eſſe dicimus, verbi gratia, Albinus & Homerus. Natura, vt ſimplum & duplum. Genere, vt animalia, quæ ſpecie diſcernuntur. Aliud pedeſtre, aliud volatile, aliud aquatile. quibus omnibus æqualiter animal genus eſt.

K. quot modis fit differentia?

A. Materia, aut opere, aut vtroque.

K. Pone exemplum.

A. Materia, ſi ſint anuli ſimiles duo; vnus aureus, alter argenteus: opere, ſi ex auro diſſimiles anuli fabricentur; vtroquē, vt ſi anulus ſit aureus & ſtilus argenteus.

De Argumentis. CAP. XIV.

KAROLVS.

Argumētorum rationem diuerſitatéſque voluiſſem vt enotares mihi. Et primùm, vt dicas, quid ſit argumentū flagito.

A. Argumentum eſt rei dubiæ affirmatio. Et conſtat ex annunciatione *.

K. Annunciatio quid eſt?

A. Oratio verum vt * falſum ſignificans, in nominatiuo caſu, cum, eſt, & non eſt. Vt homo eſt, homo non eſt.

K. quid in aliis caſibus?

A. Nihil verum ſignificat, addito eſt non eſt, niſi addantur aliæ partes, vt hominis eſt, vt mortalis ſit & rationalis, vel non eſt. Item homini eſt riſus proprietas accidens. Ita & cæteris caſibus.

K. Scio, cùm dico; Homo eſt, vel, homo non eſt, verum eſſe vel falſum; ſed cùm dico, Homo vel non homo, Homo enim nomen eſt, ſed quid ſit non homo velim vt dicas.

A. Homo nomen eſt, vt dicis; non homo, infinitum nomen eſt; hominem enim negas, nec tamen quid ſit oſtendis.

K. Argumentorum rationes proſeque-

re, & quomodo proponantur, ediſſere.

A. Aliæ igitur ſunt propoſitiones argumentorum vniuerſales, aliæ particulares, aliæ ſingulares, aliæ indiffinitæ.

K. Harum ſingularum exempla profer.

A. Vniuerſales ſunt, vt omnis homo iuſtus eſt, vel omnis homo iniuſtus eſt. Particulares, vt quidam homo iuſtus eſt, quidam homo iniuſtus eſt. Singulares, vt Homerus iuſtus eſt, vel Homerus iniuſtus. Indiffinitæ, vt homo iuſtus eſt, vel homo iniuſtus eſt.

K. Quomodo hæ appellantur propoſitiones argumentorum?

A. Hæ enim ſunt ſimplices, & appellantur categoricæ, id eſt, prædicatiuæ.

K. Vnde dicuntur prædicatiuæ?

A. Quia homo ſubſtantia eſt; iuſtitia accidens, & prædicatur de homine.

K. Quid eſt inter hominem & iuſtum? nonne ſunt duo nomina?

A. Sunt enim duo nomina, & duo termini, & terminus maior de termino minori prædicatur.

K. Quomodo?

A. Iuſtitia enim de homine prædicatur, & homo eſt minor terminus. Non n. de ſolo homine, ſed de Deo & Angelis iuſtitia prædicatur; & ideò maior terminus iuſtitiæ eſt, quàm homo, quia latius patet, & homo ſubiectus eſt iuſtitiæ, & minor terminus ſubiectus dicitur, maior quia latius vadit prædicatus terminus dicitur.

K. Mirum mihi eſt, quomodo accidens maior ſit, quàm ſubſtantia.

A. Quid enim candela vel lux, quæ de candela emicat, maior, vel melior?

K. Vtique lux.

A. Nonne lux accidens eſt candelæ, & candela ſubſtantia eſt?

K. Eſt, & agnoſco in eo accidens poſſe eſſe ſubſtantiæ melius vel maius. Sed proſequere cætera.

A. Sunt enim aliæ propoſitiones argumentorum hypotheticæ, id eſt, conditionales.

K. Quomodo conditionales?

A. Quibus conditio aliqua ſupponitur. Et ſunt duplices hoc modo, vt: omnis homo, ſi bonus eſt, iuſtus eſt, ita tandem iuſtus eſt homo, ſi bonitatem habet. Item: cœlum, ſi rotundum eſt, volubile eſt; ita tandem volubile eſt, ſi rotundum eſt.

K. An neceſſe eſt, vt priora repetam, vnum terminum maiorem eſſe, alterum minorem?

A. Non. quia ſæpe accidit, æquales eſſe terminos, vt homo riſibilis eſt. Nam alia natura, riſibilis, non eſt, niſi homo, nec latius, riſibilis, vadit, niſi ad hominem ſolum.

K. Quomodo diſcerni poſſunt, qui ſint æquales vel inæquales?

A. Quod æquales æqualiter circumuerti poſſunt. Hoc modo; quicquid homo eſt, riſibile eſt, & quicquid riſibile eſt, homo eſt. Nec ſic inæquales circumuerti poſſunt, vt quicquid homo ſit, iuſtum ſit, vel quicquid iuſtum ſit, homo ſit.

K. Quomodo quælibet res his argumẽtis confirmari poteſt, aut deſtrui?

A. Hoc modo, ſi omni homini rectè loqui bonum eſt, tum Grammatica bona eſt. Nulli dubium eſt, quin rectè loqui bonum eſt. vtique Grammatica bona eſt; quia rectiloquium ſine Grammatica eſſe non poteſt. Item: Si ruſticitas mala eſt; vtiq; Grãmaticam non legere malum, quia omnis homo abſque Grammatica ruſticus eſt. Item: ſi omnis ſapientia bona eſt; vtique Philoſophia bona eſt, quia Philoſophia ſũma ſapientia eſt, & hi ſunt ſyllogiſmi conditionales.

K. Et qui ſunt prædicatiui?

A. Qui ſimpliciter vadunt, hoc modo. Vt omne iuſtum honeſtum, omne honeſtum bonum, omne igitur iuſtum bonum. Hæc vniuerſalia confirmatiua dicuntur, quia vniuerſaliter concludit, omne iuſtum bonum eſſe. Item omne iuſtum honeſtum, nullum honeſtum turpe, nullum igitur iuſtum turpe; hic enim ex vniuerſali adfirmatione tranſit ad vniuerſalem negationem, & confirmat, nullum iuſtum eſſe turpe. Item, quoddam iuſtum honeſtum. Omne honeſtum vtile, quoddam igitur iuſtum vtile. Hic particulariter adfirmat, quoddam iuſtum vtile eſſe. Item, quoddam iuſtum honeſtum, nullum honeſtum turpe, quoddam igitur iuſtum non eſt turpe. Hic quoque particulariter per negationem adfirmat, quoddam iuſtum non eſſe turpe, horum enim ſyllogiſmorũ multæ ſunt ſpecies. Sed hæc ad præſens ſufficiant, ad cognoſcendum vniuerſales & particulares concluſiones in adfirmando & negando.

K. Qualiter ſyllogiſmus confici debet?

A. Ex tribus ſæpiſſimè mẽbris. Ita vt ex duabus primis propoſitionibus tertia conficiatur concluſio, vt ſi quæratur, an caſtitas vtilis ſit, dicamus, Omnis virtus vtilis eſt. Caſtitas autem virtus eſt, Caſtitas igitur vtilis eſt. Ex vtilitate igitur & virtute quoddam tertium colligitur, & neceſſariò concluditur, vt Caſtitas vtilis ſit.

De modis Diffinitionum. CAP. XV.

KAROLVS.

MOdo enim velim, vt diffinitionum modos & diuiſiones enucleas* mihi, & primum dicito, quid ſit diffinitio.

*f. enucleés.

A. Diffinitio eſt oratio breuis & lucida eius rei, de qua quæritur, naturam ab aliis rebus diuiſam propria ſignificatione concludens.

K. Quomodo hæc incipere debet diffiniri?

A. Primum enim hanc per immenſum (B) tendi oportet, incipientem à genere, dehinc paulatim currendo per partes deuenire debet ad id, in quo ſolum eſt id, quod diffinitum eſt; vt hi, qui ſigna formant, primò immenſum ſibi deligunt lapidem, dehinc paulatim minuendo, & abſcindendo ſuperflua ad formandos vultus, & mẽbra perueniunt. Sic diffinitio à genere incipiens, depulſa paulatim generalitate verborum ad proprium demonſtrandę rei cubile tendit accedere.

K. Da exemplum. (C)

A. Homo eſt ſubſtantia animata, rationalis, mortalis, riſus capax. à latitudine ſubſtantiæ primò hæc incipit diffinitio; Quia quicquid naturarum eſt, ſubſtantia dici poteſt, deinde dicit hominem ſubſtantiam animatam. In eo quod dicit, animata, ſecernit eum ab his, quæ animam, id eſt, vitam non habent. In eo, quod dicit, rationalis, ſegregat eum ab omnibus rationem non habentibus. In eo, quod dicit, mortalis, diuidit eum ab Angelis qui non moriuntur. Et ſic peruenit ad proprieta- (D) tem hominis, id eſt riſus capax, quod ſolius eſt hominis.

De ſpeciebus Diffinitionum. CAP. XVI.

KAROLVS.

QVot ſpecies ſunt diffinitionum?

A. Quindecim. ſed aliæ ex his ad Dialecticos pertinent, aliæ ad Rhetores.

K. Illas maximè velim audire, quæ magis ad Dialecticos pertinent.

A. Eſt enim principalis diffinitio, quæ ſubſtantiam cuiuſlibet naturæ propriæ de- (E) monſtrat. Qua maximè Philoſophi vtuntur. Vt, homo eſt animal rationale, mortale, ſenſus, diſciplinæque capax. Hæc enim diffinitio per ſpecies & differentias deſcendens venit ad proprium, & deſignat pleniſſimè quid ſit homo. Item eſt ſpecies diffinitionis, quæ à notitia dicitur, & rem aliquam per actum ſignificat; non per ſubſtantiam; vt homo eſt quid rationale con-

(A) ceptione, & exercitatione naturali, præeſt animalibus cunctis. Hîc enim actum hominis ſignificat, non ſubſtantiam. Item in Pſalmis: Beatus vir qui in lege Domini meditabitur die ac nocte. Hîc enim per actum ſignificatur quid agat beatus vir. Item eſt ſpecies diffinitionis, quæ qualitatiua dicitur, quæ quamlibet perſonam per qualitatem deſignat. Vt ſi quæratur qualis ſit homo, reſpondetur: Homo eſt, qui ingenio valet, artibus pollet, inter bonum malumque diſcernit. Item in Pſalmis Propheta oſtendit, qualis ſit Chriſtus dicendo: Speciosus forma præ filiis hominũ, diffuſa eſt gratia in labiis tuis. Item, diffinitio eſt per differentiam. Vt ſi quæratur, quid inter Regem & Tyrannum ſit, adiecta differentia, quid vterque ſit, diffinitur hoc modo: Rex eſt pius & modeſtus; Tyrannus verò impius & immitis. Et in Pſalmo: Mutuatur peccator, & non ſoluit: iuſtus autem miſeretur, & tribuit. Item fit diffinitio quædam per priuantiam. Vt ſi quæratur, quid ſit ſubſtantia, dicatur: Subſtantia eſt, quod neque qualitas eſt, neque quantitas, neque aliquod accidens. Hoc enim genere diffinitionis & Deus vtcunque intelligi poteſt. Dum enim quid ſit Deus, nullo modo comprehendere valeamus, id eſt, naturam eius, vt eſt, nullus effari poteſt, ſed ex eo quod non eſt, ſecundum Philoſophos definiendus eſt. Vt dicamus, Deus neque corpus eſt, neque animal, neque vllum elementum, neq; ſenſus noſter, neque intellectus, neque aliquid, quod ex his capi poſſit. Item quædam diffinitio eſt per indigentiam pleni, in eodem genere. Vt ſi quæratur quid ſit quadrans, reſpondetur cui dodrans deeſt, vt ſit aſſis. Item quædam diffinitio eſt per laudẽ, vt dux eſt animus, & diſciplina ciuitatis, & in Pſalmo. Lex Domini inreprehenſibilis, conuertens animas, teſtimoniũ Domini fidele, ſapientiam præſtans paruulis. Item quędam diffinitio eſt quaſi iuxta rationem, id eſt, cùm maioris rei nomine minor res oſtenditur. vt homo eſt minor mundus. Et edictum eſt lex annua.

K. Cui enim parti Dialecticæ artis hæ diffinitiones maximè iungendæ ſunt?

A. Topicis.

De Topicis. CAP. XVII.

KAROLVS.

QVæ ſunt Topica?

A. Argumentorum ſedes, fontes ſenſuum, origines dictionum.

K. In quot ſpecies diuiduntur topicorum argumentationes?

A. Topicorum, id eſt, localium argumentatio triplex eſt, quia ſunt argumenta aut in ipſo negotio, de quo agitur, aut ex rebus aliis tracta naſcuntur, aut certè extrinſecus adſumuntur.

K. Primam expone ſpeciem.

A. Tribus modis ab ipſo negotio ſecundum Dialecticos ſumuntur argumenta. A toto, à partibus, à fine.

K. Exemplis confirma.

A. Totum duobus modis dici ſolet, aut à genere, vt ſi quæratur, an iuſtitia vtilis ſit, fiat huiuſmodi ſyllogiſmus: Omnis virtus vtilis eſt. Iuſtitia autem virtus: ergo iuſtitia vtilis eſt. Hîc autem à toto, id eſt, à genere, virtute ſcilicet, quæ iuſtitię genus eſt, comprobatur, Iuſtitiam vtilem eſſe. Item totum eſt, quod ex multis partibus integrum conſtat, vt mundi integritas ex multis conficitur partibus, cuius quædam pars homines ſunt. At ſi quæratur, ſi humanæ res diuina prouidentia regantur, fiat huiuſmodi ſyllogiſmus: Si mundus Dei prouidentia regitur: homines autē pars mundi ſunt: humanæ igitur res diuina prouidentia reguntur. Hîc neceſſe eſt intelligi, id parti congruere, quod toto * euenit. Item à partibus argumenta dicuntur. Vt quæſtio ſit an ſit vtilis medicina, dicatur: Si depelli morbos, ſalutémque ſeruari, mederique vulneribus vtile eſt, quæ ſunt partes Medicinæ, vtilis eſt igitur Medicina. Item, à fine, quem quidam notam vocant, fit argumentum. Vt ſi quæratur, an Iuſtitia bona ſit, fiat ſyllogiſmus talis. Si beatum eſſe bonum eſt, & Iuſtitia bona eſt: hic eſt enim iuſtitiæ finis, vt qui ſecundum iuſtitiam viuat, ad beatitudinem perueniat. Et neceſſe eſt eam rem bonam eſſe, cuius finis bonus eſt.

*f. toti.

K. Illa argumenta, quæ aliundè attrahuntur, quot ſpecies habent?

A. Tredecem, alia à coniugatis fiunt, alia à genere, alia à ſpecie, alia à ſimilitudine, alia à differentia, alia à contrariis, alia à conſequente, alia ab antecedentibus, alia ab adiunctis, alia à repugnantibus, alia à cauſſis, alia ab effectis, alia à comparatione.

K. Hoc quoq; exemplis lucidiùs aperi.

A. Faciam.

A Coniugatis.

Primùm à Coniugatis ducitur argumentum hoc modo: Cùm ex coniugatione, id eſt, deriuatione nominis vel verbi fiat coniectura, vt ſi ſcripſit, ſcriptor eſt: ſi compaſcuus ager eſt, ius eſt compaſcere. Compaſcuus enim, & compaſcere, inter ſe iuncta ſunt. Et Terentius: Homo ſum humani à me nihil alienum æſtimo. Et Cicero Verrem dixit euerriſſe prouinciam.

A Genere.

A Genere argumentum eſt, quando à re generali ad ſpeciem aliquam deſcenditur. Vt, mulierum genus auarum eſt: nam Euripila auro vitam viri vendidit. Et item, ſi libidinoſus, & adulter: ſi auarus, & fur.

A Specie.

A Specie. Vt cùm probare crudelem volumus, quædam ab eo crudeliter facta doceamus. Item illud Virgilij:

An non ſic Phrygius penetrat Lacedæmona paſtor,
Ledeamque Helenā Troianas vexit ad vrbes?

Nā Phrygius paſtor ſpecies eſt. Et ſi iſtud ille vnus fecit, & illi hoc Troiani generaliter facere poſſunt. Species enim ſemper ſubeſt generi, vt homo ſubeſt animali, ac ideo genus totum dicitur, ſpecies pars. vt cupiditatis genus eſt omnium libidinum. pars etiam quædam cupiditatis, id eſt, ſpecies auaritia.

A Similitudine.

A Similitudine argumentum eſt, quando rebus aliquibus ſimilia proferuntur, vt ex eo, quod certum circa rem ſimilem acciderit, id quoque quod dubium eſt, & in quæſtionem venit, comprobetur. Inſpicitur ſæpè ſimilitudo in contrariis, vt ſi his, qui imprudentes læſerunt, ignoſci conuenit, his qui neceſſariò profuerunt, gratiam habere non oportet. Hîc contraria ſunt, prodeſſe & nocere, ſimilitudo autem animorum eſt, quod neque ille voluit obeſſe, neque hic prodeſſe. Fit & per paria, cùm non ex contrariis rebus, ſed ex ſimillimis per naturam probabile colligimus argumentum. Nam vt locus in mari ſine portu nauibus intutus eſt; ſic animus, qui ſine fide eſt, amicis non poteſt eſſe portuoſus. Fit & in his rebus, quæ ſub eandem rationem cadunt, dum ex vnius rei ratione, alterius quoque ratio comprobatur. Vt puta, qui filium vendidit, iniquam rem fecerit. Et qui emit, iniquè fecerit.

A Differentia.

A Differentia fit argumentum, quando per differentiam aliquæ res ſeparantur. Vt Virgilius:

Non Diomedis equos, non currū cernis Achillis.

Fit quoque differentia, cùm in eodem genere ſpecies ab alia ſpecie ſecernitur, vt Marcus Tullius: Qualis in vrbana prouincia fuerit Verres, talem in prouinciali eſſe;

A Contrariis.

A Contrariis ſumitur argumentum, quando res ſibimet diſcrepantes opponũtur, vt Virgilius:

O genitrix quo fata vocas, aut quid petis iſtis?
Mortali ne manu factæ immortale carinæ
Fas habeant, certuſque incerta pericula luſtret
Æneas. Iouis * ad Berecynthiã fertur dixiſſe. Et ſi deſertor appellãdus eſt, qui hoſtem vitat ac fugit, is certè, qui non vitauit, nec fugit, ſed vltrò adpetit, deſertor nullo modo dici poteſt. Et ſi honeſtum eſt aliquid, turpe non eſt. Et ſi iure factum eſt aliquid, non poteſt pro iniuria vindicari.

*Iupiter.

A Conſequente.

A Conſequente, quando poſitam rem aliquid ineuitabiliter conſequitur. Vt Virgilius:

Non nos aut ferro Libycos populare penates
Venimus, aut raptas ad littora vertere prædas.
Non ea vis animis. & reliqua. Et vt mulier peperit, cum viro concubuit, peperit igitur. conſequens fit neceſſe eſt, quia concubuit cum viro.

Ab Antecedentibus.

Ab Antecedentibus argumentum eſt, quando ex his, quæ prius geſta ſunt, conſequentia approbantur. Vt Marcus Tullius pro Milone: Cumque ante diem tertium prædixerit Clodius, Milonem periturum, cùm ille nõ dubitauerit aperire, quid eſſet facturus, vos poteſtis dubitare quid fecerit? præceſſit enim prædicatio*; & ſecutum eſt factum. & reliqua.

*f. prædictio.

Ab Adiunctis.

Ab Adiunctis argumenti fides ſumitur, cùm probabiliter oſtenditur, quid ſit ex re quaque venturum, vt Virgilius: Nos ſi pellant, nihil abfore credant, quin omnem Heſperiam ſua ſub iuga mittant. Omnis enim res habet aliquid præcedens, aliquid ſimul, aliquid ſubſequens; & ideo ex his omnibus argumenta colligimus. In adiunctis etiam, vt Cicero voluit, maximè quæritur, quid ante rem, quid cum re, quid poſt rem euenerit. Qui locus magis ad cõiecturam pertinet. Ante rem apparatus, colloquia. In re, ſtrepitus pedum. Poſtremo pallor, rubor, & ſi qua ſunt ſimilia. Locus ab antecedentibus, & conſequentibus, & repugnantibus eo differt à coniunctis ſiue adiunctis. Coniuncta non ſemper eueniunt, conſequentia verò ſemper. Ea igitur ſunt conſequentia, quæ rem neceſſariò conſequuntur; vt ſi dies eſt, lucet. Item antecedentia & repugnantia. Quicquid enim conſequitur quamque rem, id cohæret cum re neceſſariò. Et quicquid
A repugnat, eiuſmodi eſt, vt cohærere nunquam poſſit.

A Repugnantibus.

A Repugnantibus argumentum eſt, quando illud quod obiicitur reo, aliqua contrarietate deſtruitur. Vt Cicero dicit. Is igitur nõ modo à te periculo liberatus, ſed etiam ampliſſimo honore ditatus arguitur domi ſuæ te interficere voluiſſe. Itẽ ſi qua die cædes iſta Romæ facta eſt, ego Athenis fui, in cæde intereſſe non potui.

A Cauſſis.

B A Cauſſis argumentum ducitur, quando ex conſuetudine communi res quæ tractatur, fieri potuiſſe conuincitur, vt Terentius: Ego non nihil veritus ſum dudum abs te cauere, ne faceres, quod vulgus ſeruorum ſollicitat, dolis vt me deluderes. Fit quoque hoc modo à cauſa argumentum, dum cauſam adulterij libidinem eſſe dicimus; ſiue parricidij auaritiam; ſed & tum latius diſputandum eſt de vi cauſſæ, id eſt, auaritiæ, ſiue libidinis. Quatenus ſi cauſſa turpis videatur, res quoque inhone-
C ſta videatur. vt qui lucri cauſſa faciendi venit in templum, ſacrilegus eſt. Non enim res maleficium facit, ſed cauſa faciendi. Nec exitu, ſed conatu malefacta exiſtimantur.

Ab Effectis.

Ab Effectis argumentum eſt, cùm ex his, quæ facta ſunt, aliquid adprobatur. vt Virgilius. Degeneres animos timor oſtendit. nam timor eſt cauſſa, vt degener ſit animus, quod timoris eſt effectiuum. Efficientia ſunt, quæ vel vi ſua aliquid cõ-
D ficiunt, vt ignis incendium, vel ſine quibus effici non poteſt aliqua res; vt naues ſine trabibus. Efficientia alia ſunt neceſſaria, alia non. Huic loco efficientium cauſarum iunctus locus eſt, effectus è cauſſis, id eſt, euentus. Vt enim cauſa quid ſit effectum indicat, ſic effectus, quæ fuerit cauſa, demonſtrat, vt fumus ignem, & ideò Cicero loco efficientiæ cauſſarum poſuit, euentum verò loco effectorum. vt ſiquidem inſolentem probaueris, dicas etiam arrogantem futurum; Ita per euentum, id
E eſt, per effectum inſolentiæ, arrogantiam probas. Arrogantiæ verò cauſſam, id eſt, efficientiam, inſolentiam.

A Comparatione.

A Comparatione argumentum ducitur, quando per collationem perſonarum ſiue cauſſarum ſententiæ ratio confirmatur, & ſemper augendæ rei ſtudet comparatio. Fitque tribus modis, à maiore, à minore, à pari. A maiori hoc modo, vt Vir-

gilius: Tu potes vnanimos armare in prælia fratres; ergo qui cum fratribus hoc potes, quanto magis in aliis. Item à maiore. Si adulterum occidere licet, licet & loris cædere. A minorum comparatione, vt ſi furem nocturnum occidere licet, quid latronem? Item à minore: Si exiguæ pecuniæ cauſſa peccare non dubitabit, quid cum illi maius eſſet propoſitum lucrum? Certè non abſtinuit. A parium comparatione, vt Virgilius. Tu potes Æneam manibus ſubducere Graium. Nos aliquid cõtra Rutilos iuuiſſe nefandum eſt. Item à pari, Si quis neget cædem à ſe eſſe factam, eo quod non ipſe percuſſerit, dicitur ei, nihilum intereſſe, vt auctor quis fuiſſet cædis, an ipſe percuſſerit, quia ex vtroque in eundem exitum ſcelus venerit.

K. Si Euangelicæ ſimilitudines pertinent an non ad iſtas ſpecies, vbi dixiſti à ſimilitudine vel à contrario argumenta eſſe ducenda?

A. Pertinent vtique.

K. Quonam modo?

A. Quædam enim ſimilitudines à pari dicuntur, quædam à contrario: quæ verò à paribus, his verbis iungi poſſunt, ſicut iſtud, ſic & illud. Sicut de ſeruo, qui dimiſſus à domino ſuo, ſuffocauit conſeruum, dici poteſt. Sicut dominus huic ſeruo nequam non dimittendi conſeruo ſuo fecit, ſic pater veſter cœleſtis faciet vobis. & reliqua. Item de fœneratore, qui cum duobus debitoribus donauit quod debebant, ab eo plus dilectus eſt, cui plus donauit. Et de homine qui habebat duos filios, maiorem in agro ſibi propinquantē, minorem in longinquo luxuriantem. & innumerabilia huiuſmodi. De his enim, quantum ſimilia ſunt, ducitur intellectus eius rei, cui adhibentur inſinuandæ. Quę ſunt à contrario his verbis iungi poſſunt, ſi iſtud, quanto magis & illud, Vt ille, qui non propter amicitiam, ſed vt tædio careret, iam dormiens excitatur, vt tres panes accommodet amico ſuo. ſi enim ille moleſtia compulſus dedit, quanto magis dicitur, qui ſuos ſeruos diligens hortatur, vt petamus, dabit bona petentibus ſe? Item iniquitatis villicus, qui falſatis chirographis prouidebat ſibi, & laudatus eſt à domino ſuo. Hoc argumento concludendus eſt. Si laudari potuit ille à domino, qui fraudem faciebat, quanto amplius placeant Domino Deo; qui præceptai nſtituta fideliter agunt? Sicut etiam de iudice iniquitatis, qui interpellabatur à vidua, comparationem duxit ad iudicem Deum, cui nulla ex parte iudex iniquus conferendus eſt.

De Perihermeniis. CAP. XVIII.

KAROLVS.

PErihermeniarum ſubtilitates à te audire deſidero, de quibus dictum, Ariſtotelem in mente tinxiſſe calamum, dum eas ſcriptitabat.

A. Subtilitas earum nimia eſt, ſed anguſtia noſtræ diſputationis pauca de eis tãgere habet. Et tantummodo, quo illæ ſpectant aperiendum videtur.

K. Illius nominis interpretationem primum expone.

A. Perihermeniæ dicuntur, quaſi de interpretatione.

K. Quomodo de interpretatione?

A. Omnis quippe res, quæ vna eſt, & vno ſignificari ſermone poterit, aut per nomen, aut per verbum demonſtratur.

K. Quomodo demonſtratur vel hoc vel illud?

A. Per nomen ſubſtantia omnium rerum ſignificatur, vt homo: per verbum, actio, vel paſſio cuiuſlibet rei oſtenditur, vt homo currit, homo vritur. Quæ duæ partes orationis interpretantur totum, quicquid mens conceperit ad eloquẽdum.

K. Quid eſt conceperit?

A. Conceperit eſt intellexerit, omnis enim elocutio mentis interpres; quia quod mens intelligit, elocutio interpretatur per cataſaſin vel apoſaſin.

K. Hæc duo nomina quæ induxiſti Latino ore profer.

A. Cataſaſis eſt adfirmatio: vt homo currit. Apoſaſis eſt negatio: vt homo non currit. κατάφασις. ἀπόφασις.

K. Quot ſpecies ſunt Perihermeniarum?

A. In ſeptem ſpecies prædictus Philoſophus eas diuidit, id eſt, nomen, verbum, orationem, enunciationem, adfirmationem, negationem, contradictionem.

K. Num me iterum per Grammaticam ducere diſponis?

A. Diſpono, ſed excelſiore gradu, & ſi interrogas, videbis, quantum diſtat Dialectica ſubtilitas à Grãmatica ſimplcitate.

Definitio Nominis.

K. Nomen quid eſt?

A. Vox ſignificatiua ſecundum placitum, ſine tempore diffinitum aliquid ſignificans, in nominatiuo caſu, cum eſt, &, non eſt, in obliquis caſibus nihil, cuius nulla pars eſt ſignificatiua ſeparata, vt Socrates. Lucidius hanc Philoſophicam diffini-

tionem explana.

A. Nomen eſt vox ſignificatiua; nam omne nomen aliquid ſignificat; viſibile vel inuiſibile.

K. Subſtantiale vel accidens?

A. Omnis enim natura quæ eſt, ſubſtantia dici poteſt, vt homo; & omni igitur naturæ præter Dei ſolius aliquid accidit, vt homini in corpore color, in animo diſciplina.

K. Nunquid non Deo accidit bonitas, iuſtitia, & cæteræ virtutes?

A. Non accidit ei bonitas & iuſtitia, ſed ipſe eſt bonitas & iuſtitia; ita & de aliis virtutibus ſentiendum eſt.

K. Quid eſt ſecundum placitum?

A. Id eſt, ſecundum compoſitionem ſingularum gentium, nam res eædem omnibus gentibus ſunt. Nomina verò diuerſa, & ſecundum placitum imponentium compoſita, vt auri eadem natura eſt apud Græcos & Latinos, dum illi hoc Kryſon nominant, iſti aurum.

K. Quomodo ſine tempore?

A. Quia nomen tempus non attrahit, ſicut verba faciunt.

K. Quid eſt, diffinitum aliquid ſignificat?

A. Omne enim nomen in nominatiuo caſu cum verbo ſubſtantiale ſum aliquid certum ſignificat, in adfirmatione vel negatione, vt homo ſum, homo es, homo eſt. Arbor non ſum, non es, non eſt. In obliquis verò caſibus nihil certum ſignificat, niſi additis aliis partibus ad plenam ſignificationem, vt hominis iſtius eſt liber iſte. Vt huic homini da hunc librum. Vt hunc hominem legere fac librum iſtum. Vt ab hoc homine librum iſtum didici.

K. Quid eſt, cuius nulla pars eſt ſignificatiua ſeparata?

A. Nam Socrates triſyllabum nomen eſt, ſeparatis verò ſingulis ſyllabis, nil enim per ſe ſignificat, nec So nec cra nec tes.

K. Num non domus ſi diuiditur in duas ſyllabas, id eſt, do & mus, ſignificat tamen aliquid, & talia innumerabilia?

A. Significat enim, ſed nihil ad prioris nominis ſignificationem pertinet ſecundi nominis ſignificatio. Nam mus animal eſt per ſe, & do, verbũ aliquid actionis ſignificans, ſed vtrorumque ſignificatio nil ad domum ſignificandam pertinet.

K. Qualiter in compoſitis nominibus, vt eſt hircoceruus, quod Græcè tragelaphus dicitur? num non ideò hircoceruus videtur dici, quia quandam ſimilitudinem habet cerui, quandam hirci?

A. Fortè fieri poteſt, vt ideò dicatur. Sed ſi hircoceruum nomino, quod animal tunc intelligis me ſignificare, vel hircum vel ceruum?

K. Nec hircum nec ceruum, ſed illud animal quod eo ſolet nomine ſignificari.

A. Et ideò nihil illud nomen ſeparatum ſignificat, quod ad primam naturam pertineat, quam primò ſignificare incipiebat.

Definitio Verbi.

K. Verbum quid eſt?

A. Vox ſignificatiua ſecundum placitũ cum tempore diffinitum aliquid ſignificans & accidens.

K. Intelligo enim ex prioris diffinitionis interpretatione, quid eſt vox ſignificatiua, & quid ſecundum placitum. Et fortè quid ſit cum tempore video, quia verbum ſolet ſecum tempus attrahere. Sed pone quid ſit, diffinitum aliquid ſignificans & accidens.

A. Nam omne verbum certam ſignificat actionem & paſſionem, vt video vel videor. Et cuilibet ſubſtantiæ illa actio vel paſſio ſolet accidere, vt puta homini videre, vel videri.

K. Si omnia actionem vel paſſionem ſignificant, vnde aliqua dicuntur neutralia?

A. Non ideò quod vnam ex his non habeant ſignificationem, ſed quia vniformiter ſemper proferuntur, id eſt, vel actum ſolum, vt manduco, curro; vel paſſionem, vt vapulo, veneo, ſed hæc aliàs.

Definitio Orationis.

K. Oratio quid eſt?

A. Congrua partium ordinatio perfectam ſententiam demonſtrans, cuius partium aliquid ſeparatum ſignificatiuum eſt.

K. Quomodo ſeparatum ſignificatiuũ?

A. Plena oratio: Virgilius Æneadas cecinit. Virgilius igitur & Æneadas & cecinit, hæc tria ſeparata aliquid per ſe ſignificant. Virgilius, hominem, Æneadas gentem, cecinit.....

Definitio Enunciationis.

K. Quid eſt enunciatio?

A. Enunciatio eſt oratio veri vel *falſi* ſignificatiua.

K. quomodo veri vel falſi ſignificatiua?

A. Principales ſunt ſpecies orationis, ſecundum Dialecticos quinque, ſed hæc ſola, id eſt, enuntiatiua verum aliquid vel falſum ſignificat; vt homo eſt, vel homo non eſt: Socrates diſputat, Socrates non diſputat; horum enim vnum verum eſſe neceſſe eſt, id eſt, aut Socratem diſputare, aut Socratem non diſputare. Et in hac ſola ſpecie Philoſophi, qui de veritate rerum vel de falſitate diſputauerunt, omnes ſuas

A poſuerunt controuerſias.

K. Num & illæ aliæ ſpecies quatuor ad Dialecticos non pertinent?

A. Non pertinent ad Dialecticos, ſed ad Grammaticos.

K. Tamen illarum nomina cum exemplis dicito.

Interrogatiua.

A. Eſt enim quædam ſpecies orationis interrogatiua, vt, Quo te Mœri pedes? an qua via ducit in vrbem?

B *Imperatiua.*

Eſt quoque quædam ſpecies orationis imperatiua. Vade, age, nate, voca Zephyros, & labere pennis.

Deprecatiua.

Eſt etiam quædam orationis ſpecies deprecatiua: vt, *Iuppiter eſto pius, precibus ſi flecteris vllis.*

Vocatiua.

Eſt etiam ſpecies quædam orationis vocatiua: vt hæc, Ades ô Melibœe. Sed nulla harum ſpecierum aliquid verum vel falſum ſignificare poteſt. Sed ſola enuntiatiua aliquid veritatis vel falſitatis oſtendit.

Definitio adfirmationis.

K. Adfirmatio quid eſt?

A. Adfirmatio eſt enuntiatio alicuius de aliquo: vt, Socrates eſt. vel alicuius de aliqua re: vt cœlum volubile eſt.

Item diffinitio contradictionis & negationis.

K. Negatio quid eſt?

A. Negatio eſt alicuius ab aliquo: vt, Socrates non eſt vel alicuius de aliqua re: vt, cœlum volubile non eſt.

K. Contradictio quid eſt?

Contradictio eſt adfirmationis & negationis oppoſitio: vt, Socrates diſputat, Socrates non diſputat.

Sequentia ex MS. Cod. & editione Caniſij addita. nam in Duacenſi non erant.

Philoſophia; Phyſica, Ethica, Logica.

Phyſica; Arithmetica, Geometrica, Muſica, Aſtronomica.

Ethica in Prudentiam, Iuſtitiam, Fortitudinem, Temperantiam.

Logica in Dialecticam, & Rhetoricam.

DISPVTATIO

Regalis & Nobiliſſimi Iuuenis PIPPINI *CVM ALBINO SCHOLASTICO.*

C PIPPINVS.

QVID eſt litera?

ALB. Cuſtos hiſtoriæ.

P. Quid eſt verbum?

A. Proditor animi.

P. Quis generat verbum?

A. Lingua.

P. Quid eſt lingua?

A. Flagellum aëris.

P. Quid eſt aër?

A. Cuſtodia vitæ.

P. Quid eſt vita?

A. Beatorum lætitia, miſerorum mœſtitia, expectatio mortis.

P. Quid eſt mors?

A. Ineuitabilis euentus, incerta peregrinatio, lachrymæ viuentium, teſtamenti firmamentum, latro hominis.

P. Quid eſt homo?

A. Mancipium mortis, tranſiens viator, loci hoſpes.

P. Cui ſimilis eſt homo?

A. Pomo.

P. Quomodo poſitus eſt homo?

A. Vt lucerna vento.

P. Vbi eſt poſitus?

A. Intra ſex parietes.

P. Quos?

A. Suprà, ſubtus, ante, retro, dextra læuáque.

P. Quot habet ſocios?

A. Quatuor.

P. Quos?

A. Calorem, frigus, ſiccitatem, humorem. D

P. Quot modis variabilis eſt?

A. Sex.

P. Quibus?

A. Eſurie, & ſaturitate, requie & labore, vigiliis & ſomno.

P. Quid eſt ſomnus?

A. Mortis imago.

P. Quid eſt libertas hominis?

A. Innocentia.
P. Quid eſt caput?
A. Culmen corporis.
P. Quid eſt corpus?
A. Domicilium animæ.
P. Quid ſunt comæ?
A. Veſtes capitis.
P. Quid eſt barba?
A. Sexus diſcretio, honor ætatis.
P. Quid eſt cerebrum?
A. Seruator memoriæ.
P. Quid ſunt oculi?
A. Duces corporis, vaſa luminis, animi indices.
P. Quid ſunt nares?
A. Adductio odorum.
P. Quid ſunt aures?
A. Collatores ſonorum.
P. Quid eſt frons?
A. Imago animi.
P. Quid eſt os?
A. Nutritor corporis.
P. Quid ſunt dentes?
A. Mola morſorum.
P. Quid ſunt labia?
A. Valuæ oris.
P. Quid eſt gula?
A. Deuorator cibi.
P. Quid manus?
A. Operarij corporis.
P. Quid ſunt digiti?
A. Chordarum plectra.
P. Quid eſt pulmo?
A. Seruator aëris.
P. Quid eſt cor?
A. Receptaculum vitę.
P. Quid eſt iecur?
A. Cuſtodia caloris.
P. Quid eſt fel?
A. Suſcitatio iracundiæ.
P. Quid eſt ſplenis?
A. Riſus & lætitiæ capax.
P. Quid eſt ſtomachus?
A. Ciborum coctor.
P. Quid eſt venter?
A. Cuſtos fragilium.
P. Quid ſunt oſſa?
A. Fortitudo corporis.
P. Quid ſunt coxæ?
A. Epiſtylia columnarum.
P. Quid ſunt crura?
A. Columnæ corporis.
P. Quid ſunt pedes?
A. Mobile fundamentum.
P. Quid eſt ſanguis?
A. Humor venarum, vitæ alimentum.
P. Quid ſunt venæ?
A. Fontes carnis.

A P. Quid eſt cœlum?
A. Sphæra volubilis.
P. Quid eſt lux?
A. Facies omnium rerum.
P. Quid eſt dies?
A. Incitamentum laboris.
P. Quid eſt Sol?
A. Splendor orbis, cœli pulchritudo, naturæ gratia, honor diei, horarum diſtributor.
P. Quid eſt Luna?
B A. Oculus noctis, roris larga, præſaga tempeſtatum.
P. Quid ſunt ſtellæ?
A. Pictura culminis, nautarum gubernatores, noctis decor.
P. Quid eſt pluuia?
A. Conceptio terræ, frugum genitrix.
P. Quid eſt nebula?
A. Nox in die, labor oculorum.
P. Quid eſt ventus?
A. Aeris perturbatio, mobilitas aquarum, ſiccitas terræ.
P. Quid eſt terra?
C A. Mater creſcentium, nutrix viuentium, cellarium vitę, deuoratrix omnium.
P. quid eſt mare?
A. Audaciæ via, limes terræ, diuiſor regionum, hoſpitium fluuiorum, fons imbrium, refugium in periculis, gratia in voluptatibus.
P. quid ſunt flumina?
A. Curſus indeficiens, refectio ſolis, irrigatio terræ.
P. quid eſt aqua?
A. Subſidium vitæ, ablutio ſordium.
D P. quid eſt ignis?
A. Calor nimius, fotus naſcentium, maturitas frugum.
P. quid eſt frigus?
A. Febricitas membrorum.
P. quid eſt gelu?
A. Perſecutio herbarum, perditio foliorum, vinculum foliorum, vinculum terræ, fons aquarum.
P. quid eſt nix?
A. Aqua ſicca.
P. quid eſt hiems?
E A. Æſtatis exul.
P. quid eſt ver?
A. Pictor terræ.
P. quid eſt æſtas?
A. Reueſtio terræ, maturitio frugum.
P. quid eſt autumnus?
A. Horreum anni.
P. quid eſt annus?
A. quadriga mundi.
P. quis ducit?

A. Nox & dies, frigus & calor.

P. Quis eſt auriga eius?

A. Sol & Luna.

P. Quot habet palatia?

A. Duodecim.

P. Qui ſunt Prætores palatiorum?

A. Aries, Taurus, Gemini, Cācer, Leo, Virgo, Libra, Scorpius, Arcitenens, Capricornus, Aquarius, Piſces.

P. Quot dies habitat in vnoquoque Palatio?

A. Sol xxx. & * exmis horas. Luna duos dies & octo horas, & biſſe vnius horæ.

P. Magiſter, timeo altum ire.

A. Quis te duxit in altum?

P. Curioſitas.

A. Si times, deſcendam: ſequar quocumque ieris.

P. Si ſcirem quid eſſet nauis, præpararem tibi, vt venires ad me.

A. Nauis eſt domus erratica, vbilibet hoſpitium, viator ſine veſtigiis, vicina arenæ.

P. Quid eſt arena?

A. Murus terræ.

P. Quid eſt herba?

A. Veſtis terræ.

P. Quid ſunt holera?

A. Amici medicorum, laus coquorum.

P. Quid eſt, quod amara dulcia facit?

A. Fames.

P. Quid eſt, quod hominem non laſſum facit?

A. Lucrum.

P. Quid eſt vigilanti ſomnus?

A. Spes.

P. Quid eſt ſpes?

A. Refrigerium laboris.

P. Quid eſt amicitia?

A. Æqualitas amicorum.

P. Quid fides?

A. Ignotæ rei & mirandæ certitudo.

P. Quid eſt mirum?

A. Nuper vidi hominem ſtantem, mortuum ambulantem, qui nunquam fuit.

P. Quomodo poteſt eſſe, pande mihi.

A. Imago in aqua.

P. Cur hoc non intellexi per me, dum toties vidi illum?

A. Quia bonæ indolis es iuuenis, & naturalis ingenij, proponā tibi quædam alia mira, tentans ſi per teipſum poſſis conicere illa.

P. Faciam, tamen ita, ſi ſecus quàm eſt dicam, corriges me.

A. Faciam vt vis. Quidam ignotus mecum ſine lingua & voce locutus eſt, qui
A nunquā ante fuit, nec poſtea erit, & quem non audiebam, nec noui.

P. Somnium te fatigauit, Magiſter.

A. Etiam fili. Audi & aliud. Vidi mortuos generare viuum, & aura viui cōſumpti ſunt mortui.

P. De fricatione arborum ignis natus eſt conſumens.

A. Verum eſt. Audiui mortuos multa loquentes.

P. Numquam benè, niſi ſuſpendantur in aere?

B A. Vere. Vidi ignem inextinctum pauſare in aqua.

P. Silicem.

A. Vt reris, ſic eſt. Vidi mortuum ſedentem ſuper viuum, & in riſu mortui mortuus eſt viuus.

P. Hoc coci noſtri norunt.

A. Sed pone digitum ſuper os, ne pueri hoc audiant, quid ſit. Fui in venatione cum aliis, in qua ſi quid cepimus, nihil nobiſcum portauimus: quem non potuimus capere, domum portauimus nobiſ-
C cum.

P. Ruſticorum eſt hæc venatio.

A. Eſt. Vidi quendam natum, antequā eſſet conceptus.

P. Vidiſti, & fortè manducaſti.

A. Manducaui. Quid eſt, qui non eſt & nomen habet, & reſponſum dat ſonanti?

P. Biblos in ſilua interroga.

A. Vidi hoſpitem currentem cum domo ſua, & ille tacebat, & domus ſonabat.

P. Para mihi rete, & pandam tibi.

A. Quis eſt, quem videre non potes,
D niſi clauſis oculis?

P. Qui ſtertit, tibi oſtendit illum.

A. Vidi hominem octo in manu tenentem, & de octonis rapuit ſeptem, & remāſerunt ſex.

P. Pueri in Scolis hoc ſciunt.

A. Quis eſt, cui ſi caput abſtuleris, altior ſurgit?

P. Vide ad lectum tuum, & ibi inuenies.

A. Tres fuere, vnus nuſquam natus, & ſemel mortuus. * tertius ſemel natus, & bis mortuus.

E P. Primus æquiuocus terræ, ſecundus Deo meo, tertius homini pauperi.

A. Dic tamen primas literas.

P. I. v. xxx.

A. Vidi feminam volantem, roſtrum habentem ferreum, & corpus ligneum, & caudam pennatam, mortem portantem.

P. Socia eſt militum.

A. Quid eſt miles?

P.Murus imperij, timor hoſtium, glo- A
rioſum ſeruitium.

A. Quid eſt, quod eſt, & non eſt?

P. Nihil.

A. Quomodo poteſt eſſe, & non eſt?

P. Nomine eſt, & re non eſt.

A. Quid eſt tacitus nuncius?

P. Quem manu teneo.

A. Quid tenes manu?

P. Epiſtolam meam.

A. Lege feliciter fili.

FINIS.

BEATI PATRIS ALBINI FLACCI
ALCHVVINI,
KAROLI MAGNI MAGISTRI,
Operum Pars tertia:

CONTINENS VITAS QVASDAM SANCTORVM, EPISTOLAS CXV. POEMATA, ET ALIA ad Hiſtoriam ſpectantia.

Nnn

ELENCHVS TRACTATVVM, SEV LIBRORVM,
in hac tertia Parte comprehenſorum.

Qui nunc primùm publicati ſunt, aſteriſco: emendati verò ad fidem Codd. MMS. crucicula notantur.

SCRIPTVM *de vita S. Martini Turonenſis Epiſcopi.* 1397
De tranſitu S. Martini, Sermo. 1402
Vita S. Vedaſti Epiſcopi Atrebatenſis. 1403
Vita S. Richarij Presbyteri. 1419
De vita S. VVillibrordi Traiectenſis Epiſcopi Libri II. proſâ vnus, alter carmine; cum Homilia in Natali eiuſdem VVillibr. & Elegia de S. VVilgiſo. 1431 *& ſeqq.*
† * *Epiſtolæ* CXV. *è quibus* LXVII. *antehac editæ, iam longè auctiores ac emendatiores; ceteræ nunc primùm prodeunt.* 1461
Aliarum Epiſtolarum fragmenta, ex VVillelmo Malmesbur. Monacho. 1665
* *Poëmata, ſeu Verſus de pluribus Sanctis.* 1673
De Carolo Magno & Leonis Papæ ad eum aduentu, Carmen. 1747
Alij Verſus ex variis locis collecti. 1755

MAG. ALBINI FLACCI

ALCHVVINI,

SCRIPTVM DE VITA S. MARTINI EPISCOPI TVR.

In quo mirificè virtutes commentatus ipſius eſt breuiter.

Ex veter. Cod. MS.

POſtqvam Dominus noſter Ieſus Chriſtus triumphator ad alta cœlorum aſcendit, & in maieſtate paterna Deus conſedit, multa ſeculis Doctorum lumina conceſſit, quatenus ignorantiæ tenebris effugatis, ad verum lumen agnoſcendum gentes vbique conuerteret*: & ſicut ſtellæ diuerſis in cœli partibus clareſcunt, ita & Doctores ſancti per varias mundi partes luceſcerent, vt omnibus via pateſceret ſalutis, & veritatis lux clareſceret. Vnde & beatiſſimũ Martinum Galliæ deduxit* in partes, vt populos tetra caligine torpentes luce veritatis irradiaret, & plurimas de antiqui hoſtis faucibus extraheret gentes, & ſacratiſſimo Chriſti inſereret corpori. Igitur iſte beatiſſimus vir paganis parentibus in regione Pannoniæ Sabariæ oppido genitus eſt, ſed intra Ticinum Italiæ nutritus, militiæq́; cingulo à Præſide* Iuliano iuxta parentum ſuorum nobilitatem eſt addictus. Sed vir ſanctus magis elegit Deo cæleſti ſeruire, quàm ſub Imperatore militare terreno: qui ſpecialiter electus eſt, vt vexillum ſanctæ crucis Occiduas orbis portaret in partes, & militiæ ſacramenta Euangelicis mutaret edictis. Non pro regno armis ſecularibus certare Romano, ſed ſpecialibus doctrinis Chriſtianum dilatare imperium: Nec dura Romanorum lege populos ſubiicere feroces, ſed leue Chriſti iugum plurimarum collo iniicere gentium. Qui poſt ſacri baptiſmatis myſterium magnis in mundo claruit miraculis, & doctrinis Catholicis longe lateque reſplenduit in orbe. Cuius hæc prima leguntur inſignia. Cùm adhuc catechuminus eſſet, hiemali frigore, media ſuæ chlamydis paupere parte veſtiuit. Quá etiam parte chlamydis ſuæ inter Angelicos exercitus Dominum Ieſum, diuinitus illuminatus, nocte ſequente veſtitum aſpexit; vt verum intelligeret, quod ipſe Dominus Ieſus Euangelicis intonat paginis: *Quamdiu feciſtis vni ex his minimis meis, mihi feciſtis.*

Hic vir florem adoleſcentiæ ſuæ Mediolana tranſegit in vrbe, quam tunc temporis Arriana, fauente Auxentio, multum maculauit perfidia. Cui ſanctus Martinus vt fortis athleta Chriſti viriliter reſtitit, intrepiduſque veram ſanctæ Trinitatis fidem docebat. Sed inde* Arrianorum ſæuitia Principum depulſus, Gallicanas ſeceſſit in partes, venerabilique Pictauenſis vrbis Antiſtiti Hilario iunctus, qui tunc temporis quaſi firmiſſima fidei columna, omnibus laudabilis extitit, & quaſi Lucifer in cœlo ſtellis clarior ceteris clareſcit. Ita ille ſanctus vir in Eccleſia Chriſti, omnibus famæ magnitudine, & ſanctitate vitæ, & doctrinarum veritate ſanctarum excellentior effulſit. Cuius diſciplinis ſe ſanctus Martinus poſt relictum militiæ cingulum ſociauit, vt tanti viri eruditus exemplis, Chriſtianam fortior proceſſiſſet ad pugnam, fidei armatus galea, & lorica iuſtitiæ accinctus, gladio verbi Dei armatus, intrepidus contra omnia tela maligni bellator muniretur. Idem quoque ſanctus vir diuino ammonitus oraculo, parentes ſuos

*al. conuerterent.
*al. direxit
*al perfido
*al. exinde.

ad ſacræ fidei conuertit profeſſionem, & A matrem, quæ ſe mundo genuit, ipſe regenerauit Chriſto. Hoc quoque itinere latronum perpeſſus inſidias, dum vni traditur ad cuſtodiendum, Euangelica prædicatione latronem conuertit ad Chriſtũ. Et qui traditus fuit ad pœnam, factus eſt ei in ſalutem. Inde regreſſus obuiam habuit malignum ſpiritum, qui ſancto viro, quocumq; pergeret, comitem ſe eſſe ſpopondit. Cui intrepidus reſpondit: Dominus mihi adiutor eſt, non timebo minas tuas. Sed multas Arrianorum tribulatio- B nes ſuſtinens, iterum Gallias repedauit; ſanctóque Patri Hilario Pictauenſi iunctus, propè ciuitatem ſibi Cellulam conſtruxit, in qua liberiùs contemplatiuos carperet fructus. Cui quidam Catechuminus adhærens ſubita, ſancto abſente viro, morte præreptus eſt: quem vir Dei precibus profuſis reſuſcitauit, vitę redditum baptizauit, qui multis poſtea annis vixit. Alterum quoque in cuiuſdam Lupicini agro laqueo ſuſpenſum, ſacris orationibus vitæ reſtituit. Tertium ab eodem ſancto viro in C Carnoteno oppido, cuiuſdã mulieris flentis filium ſola oratione in conſpectu populi reſuſcitauit. Quo miraculo viſo, plurimi ex populo crediderunt Chriſto. Succedente itidem tempore, in eodem oppido mutam ab infantia puellam benedicti olei inunctione ſanauit.

Sed ne lucerna Domini modio tecta lateret, dulciſſimis abſtractus eſt ſedibus, multorumque precibus alligatus, electus eſt in Epiſcopum Turonicæ ciuitatis, vbi plurima ſanctarum inſignia geſſit virtutũ, D & multa cæleſtis vitæ dogmata ſparſit. Tamen priuatæ vitæ continentiam in turbis populorum non amiſit. Humilis in habitu, iocundus in ſermone, deuotus in prædicatione, verax in iudicio, venerabilis in moribus, peruigil in orationibus, aſſiduus in lectione, conſtans in vultu, pius in affectu, honorabilis in miniſterio ſacerdotali, infatigabilis verbi Dei ſeminator, impiger acceptam Domini ſui pecuniam multiplicare: cum gaudentibus gaudens, cum lugentibus lugens, omnibus omnia E factus, vt omnes lucri faceret Chriſto, virtutibus inſignis, bonitate laudabilis, pietate amabilis, multis in Epiſcopatu fulgens virtutibus. Nam turbam paganorum ritu tumultuantem, in obſequio cuiuſdam corporis, verbo orationis vno ligauit in loco: iterumque reſoluens ſuis permiſit dominari veſtigiis. Ruentem pinum ſuper ſe ſigno crucis oppoſito auertit, mirantémque turbam Chriſto credere fecit. Seipſum in tecto cuiuſdam domus flammis oppoſuit, ne innocētiā læderet ignis tecta, qui fanum incendit idololatriæ. Aliud quoque templum antiquo errore dæmonibus dedicatum, dum manu non potuit humana, Angelico fultus auxilio ſubuertit. Necnon alio loco Gentilium ſacra ſubuertens, à quodam pagano gladio appetitus, ille nudum ferientis ictui collum oppoſuit. Sed impius retrò cadens, ſuam intelligens impietatem, veniam poſtulauit à Sancto. Alteróque librante ictum in ſanctum caput, ferrum effugit de manibus. Treueris paralyticam puellam totiſq; reſolutã membris, ſacra benedicti olei infuſione, aſtante populo, priſtinæ reddidit ſanitati. Tetradij Proconſularis viri ſeruum manus impoſitione à dæmonio liberauit. Vnde & ille Tetradius cum tota domo ſua ad Chriſtianam conuerſus eſt profeſſionem. Cuiuſdam quoque patrisfamilias puerum à dæmone arreptum atrociſſimo, digitos in os mittens, ſpiritum malignum per pudenda patiẽtis exire compulit. Leproſum in porta Pariſiacæ ciuitatis à deformitate ſui corporis ſolo ſaluauit oſculo. Sed & fimbrias veſtimenti eius, & fila cilicij multos ſanare morbos compertum eſt. Filia Arborij Præfecti per impoſitionem epiſtolæ ſancti Martini à grauiſſimis liberata eſt febribus. Paulini oculum peniculo ſuperpoſito ſanauit a dolore atq; caligine.

Idem quoque ſanctus Martinus cadens per gradus grauiter penè totis attritus membris, nocte ab Angelo ad integram recreatus eſt ſanitatem: ſæpiuſque Angelicis viſitationibus, & familiari locutione fruebatur. Quodam verò die beatiſſimæ Genitricis Dei, & Domini noſtri Ieſu Chriſti, & ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli, necnon ſanctarum Virginum Theclæ & Agnetis viſitatione vir Dei honoratus & confortatus eſt. Nam dæmonum phantaſmata, & in diuerſis figuris horribiles aſpectus nihil metuens, nec vllis eorum fallaciis inludi potuit. Spiritu verò Prophetarum ita claruit, vt multis multa prædixerit futura. Veluti Maximo Imperatori victoriam in Italia, & in Aquilèia interitũ prædixit. Et eodẽ beato viro celebrante ſanctum myſterium ad altare, globus igneus ſubito de vertice fulſit illius. Euantius quidã ægrotus properãte ad ſe beato viro prius ſanitatẽ recepit, quàm S. Martinus domũ intraret. In eadẽ quoq; domo puerũ à ſerpẽte percuſſum, ſanctorũ tactu digitorũ a periculo mortis eruit.

[A] Nam tantæ fuit vir Dei patientiæ, vt conuicia non doluerit, opprobria non ſenſerit: imò & quorumdam ruſticorum flagella placido ſuſtinuit animo, eorumque fixa terris animalia ſolo ſoluebat ſermone. Nemini adulando blandiebatur, Principi nulli veritatis verba tacuit; ad nota ſemper orationum ſubſidia recurrens. Vnde ſi quid ei poteſtas renuit ſecularis, mox diuina præſtitit pietas. Quædam puella dæmoniaco arrepta ſpiritu, ſtramine vbi ſanctus Martinus ſedebat, à poteſtate erepta [B] eſt inimica. Non ſolùm homines, ſed etiã animalia à dæmonum liberans poteſtate, & manſueta in ſuum redire gregem mandauit. Etiam fuit tantæ miſericordiæ, vt canibus ſequentibus lepuſculum imperauerit ſtare, & miſeram beſtiolam à præſenti morte eripuit. Villa quædam in Senonico grandinea ſæpius vaſtata tempeſtate ad preces S. Martini multis liberata eſt annis. Mulier à ſanguinis fluxu, veſtimentorum illius tactu ſanata eſt. Talibus etiam electus Dei ſacerdos mundo claruit miraculis, [C] vt in omni vita & conuerſatione perfectus, in omni pietate & religione præclarus, in omni bonitate & benignitate iocundus. Anno ætatis ſuæ LXXXI. & Epiſcopatus ſui XXVI. annis maturus & meritis in cæleſtia aduocatus eſt regna, quatinus cum multiplici ſui laboris mercede, perpetuam à Chriſto Domino reciperet coronam. Sed diem obitus ſui multò antè pernoſcens, & quibuſdam ſuis prædicens fratribus, appropinquantéque hora, febrium dolore tactus, lætus in laude Dei [D] inter diuina prædicationis verba, inter Angelicas cæleſtium hymnorum voces, ſuis aſtantibus diſcipulis, ſanctam Deo Chriſto reddidit animam. Cuius ſanctum corpus à Clericis ciuitatum, & populorum turbis, cum laudibus & hymnis ad Turonicam portatur ciuitatem. Ibique in polyandro publico ſepultus eſt, vbi poſtmodum beatus Antiſtes Perpetùus laudabili opere & venerabili cultu conſtruxit Eccleſiam, tanti Patris condignam meritis. In qua etiam vſque hodie multa miraculorum ſigna, plurimæ ſanitatum virtutes, [E] conſolationes mœrentium, pietates lætantium, præſtante Domino noſtro Ieſu Chriſto, fieri ſolent. Qui viuit & regnat cum Deo Patre.

EIVSDEM

ALCHVVINI SERMO,

De tranſitu S. Martini.

OPORTET nos omnes vnanimiter gaudere, fratres chariſſimi, & præclarum diem obitus S. Martini fideliter venerari. Sed præcipuè qui in occidentalibus mundi partibus ſunt fideles Chriſti, qui & doctrinis eius ſimiliter & exemplis illuminati ſunt. Quia quodcumque prædicabat verbis, demonſtrabat operibus. In omni enim vita ſua & conuerſatione ſua perfectus, in omni pietate & religione præclarus, in omni bonitate & benignitate iocundus, erat ab omnibus laudabilis, omnibus amabilis, virgo inter choros Virginum, egregius Sacerdotum, imitator Apoſtolorum, & Chriſti prædicator: quẽ Dominus in gratia Apoſtolica eſt dignatus eligere, ſicut de illo ſcriptũ eſt, *Hic eſt Martinus electus Dei Pontifex.* Cui Dominus poſt Apoſtolos tantã gratiam cõferre dignatus eſt, vt in virtute S. Trinitatis deificæ mereretur fieri trium mortuorum ſuſcitator magnificus. Ad exemplum Domini tres mortuos ſuſcitauit. Multa etiam Spiritu Prophetiæ, antequam fierent, præſciebat. Spiritu enim Prophetiæ plenus erat, & ideò ſuum obitum diuina inſpiratione præſciuit, & quibuſdam ex fratribus diſſolutionem ſui corporis appropinquaſſe reuelauit. Tunc autem cauſa illi euenerat, qua neceſſe habuit Condatenſem diœceſis ſuæ vicum adire, vt Clericis inter ſe Eccleſiæ illius diſcordantibus pacem reformaret. Et licèt finem dierum ſuorum affuiſſe non ignoraret, proficiſci tamen ob iſtiuſmodi cauſam non recuſauit, memorans illud Euangelicum, *Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur.* Volénſque pacem omnibus relinquere, exemplo Domini in die Aſcẽſionis ſuæ Apoſtolis dicentis, *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis. In pace vos dimiſi, in pace vos inueniam.* Cumq; hac cauſa cum familiari diſcipulorũ comitatu iter perageret, mergos in flumine videt, piſcium multitudinem captantes, & dixit, *Forma hæc dæmonũ eſt.* Tunc illis potenti virtute verborum imperauit, vt eum gurgitẽ relinquentes, arida deſertaque appeterent loca. Statimque mirum in modum omnes in vna turba congregatæ, relicto flumine montes ſyluaſque petierunt. Et ammirati ſunt qui ſimul aderant, talem in Martino eſſe virtutem, vt etiam auibus ſiue dæmo-

nibus imperaret per gratiam Dei. Cum- A que in illo vico ad quem ierat, paucis diebus commoratus, pace inter clericos reſtituta, iam regredi ad Monaſterium cogitaret, viribus corporis cœpit repente deſtitui. Conuocatiſque diſcipulis, indicauit eis iam adeſſe tempus reſoluendi ſpiritum eius à corpore. Tunc verò luctus & mœror omnium vox vnâ plangẽtium fuit & dicendum: *Cur nos Pater deſeris, aut cui nos deſolatos relinquis? Inuadent enim gregem tuum lupi rapaces. Et quis nos à rapacitatibus eorum, te recedente, defendet? Scimus quidem te* B *deſiderare Chriſtum, ſed ſalua tibi præmia tua, nec dilata minuentur. Noſtri potius miſerere.* Tunc ille motus eorum fletibus lacrymaſſe perhibetur. Conuerſuſque ad Dominum ſupplici voce dixit: *Domine, ſi adhuc populo tuo ſum neceſſarius, non recuſo laborem, fiat voluntas tua.* Nimirum neſciebat quid potius mallet: quia nec hos deſerere, nec à Chriſto volebat diutiùs ſeparari. Nihil enim in voto ſuo ponens, omnia hæc in Dei arbitrio dimiſit, dicens: *Domine, ſi adhuc me vis in corpore manere, non recuſo laborem: & ſi par-* C *cis ætati, bonum eſt mihi: fiat voluntas tua. Hos autem, de quibus timeo, tu ipſe cuſtodi.* O virum ineffabilem, nec labore victum, nec morte vincendum! qui nec mori timuit, nec viuere recuſauit. Sed cùm à diſcipulis rogaretur, vt ſtramenta ſub ſe faceret poni, vi febrium per aliquot dies laborans, *Non decet*, inquit, *filij, non decet Chriſtianum niſi in cinere & cilicio mori.* Ego enim ſi aliud vobis reliqui exemplũ, ipſe peccaui. Et cùm iterum à Presbyteris, qui ad eius infirmi- D tatem venerãt, rogaretur, vt corpuſculum lateris mutatione reuelaret, *Sinite*, inquit, *ſinite me, fratres, potius cœlum quàm terram videre; vt in ſuo itinere iam iturus ad Dominum, meus ſpiritus dirigatur.* Anno igitur ætatis ſuę LXXXI. & Epiſcopatus ſui XXVI. maturus annis & moribus apud Condatenſem dioceſis ſuæ vicum, vt diximus, feliciter receſſit à ſeculo. Sed inter diuina ſacræ prædicationis verba cum Angelicis cæleſtium hymnorum vocibus circunſtantibus ſuis diſcipulis, gratia plenus & ſanctitate, ſanctam Ieſu Chriſto tradidit animam. Multi enim in eius tranſitu voces audierunt Angelorum, S. Martinum laudantium. Quanta autem multitudo ad eius obſequium conuenerit, narrari nõ poteſt. Multi enim ex vicinis vrbibus & Monaſteriis atque vicis cum lacrymis venerunt, vna voce S. Martinum lugentes. O quantus erat luctus omnium! quanta præcipuè lamenta Monachorum & Virginum dicentiũ, Quia pium eſt gaudere Martino, & pium eſt flere Martinum. Pium enim erat eum viuere, pium erat & mori; quia in vita ſua placuerat Deo. Cuius quidem corpus à Clericis ciuitatum & populorum turbis cum laudibus & hymnis ad Turonicam portatum eſt ciuitatẽ. Ibique cum magna veneratione ſepultum eſt, aſſequente eum cæleſti turba cum cæleſtibus hymnis, vſq; ad locũ ſepulchri. In quo poſtea loco beatus Antiſtes Perpetuus nouã laudabili opere conſtruxit Eccleſiam, tanti patroni, taliſque viri condignam meritis. In qua etiam vſque hodie multa miraculorum ſigna, plurimæ ſanitatum virtutes, conſolationes mœrentium, & pietates lætantium, præſtãte Domino noſtro Ieſu Chriſto, fieri ſolent. Qui viuit & regnat in vnitate Maieſtatis, per omnia ſecula ſeculorum, Amen.

VITA

S. VEDASTI EPISCOPI ATREBATENSIS,

AVCTORE ALBINO FLACCO ALCHVVINO,

vt habent vetuſti Codd. MSS.

Dulciſſimo dilectionis filio Radoni Abbati, humilis Leuita Albinus ſalutem.

DILECTIONIS *veſtræ venerabile præceptum ſecutus, vitam ſancti Vedaſti Patris veſtri, & interceſſoris noſtri, emendare ſtudui: non quòd aliquid illius excellentiſſimis meritis dignum valuiſſem, ſed quòd nihil tuæ reuerentiæ iuſſis denegare ratum putaui. Idcirco ad te maxima pertinet harum*

laus vel vituperatio literarum. Vtinam tibi & fratribus, qualeſcunque ſint, placeant. Deprecor autem, vt meum laborem orationũ veſtrarũ ſolatio remunerare dignemini, & vnus merear eſſe veſtrûm in charitatis communione: illius ſemper memores mandati, qui dixit: Hoc eſt præceptum meum, vt diligatis inuicẽ. *In hoc enim mandato omnium ſalus conſiſtit. Hoc cunctis perneceſſarium eſſe conſtat, & maximè iis, qui gregem Chriſti regendum accipiunt. Quapropter tu, cariſſime, gregem, quem accepiſti regendum, fraterno amore diligenter erudire ſtudeto, & ſanctis admonitionibus eum per paſcua vitæ deducere ſatage. Habes in omni opere bono Chriſtum adiutorem, ſanctum quoque Vedaſtũ interceſſorem. Sicut magno labore domum Dei optimè habes ornatã, & largiſſimis donis decoratã: ita ſibi ſubiectos bonis moribus ornari contende, & eos in diuina laude fac conſiſtere, & quod Angeli ſemper agunt in cœlis, hoc fratres iugiter faciant in Eccleſiis. Tuum eſt præcipere, illorum obedire. Tuum eſt præire, illorum ſubſequi. Omnium itaque in ſeruitio Dei vna debet eſſe voluntas, vt vna fiat in regno Dei remuneratio. Nullus Horis Canonicis ſe diuinis ſubtrahat laudibus, ne propter aliquam negligentiam cuiuſlibet locus in conſpectu Dei vacuus inueniatur: & verba Dei in Eccleſiis intimo cordis affectu proferantur, & cum magna reuerentia Dei omnipotentis officia celebrentur. Omnes vtique obedientiam in ſeculi neceſſitatibus fideliter & ſtrenuè peragant. Fiat equidem inter omnes concordiſſima pax, & ſanctiſſima charitas. Seniores bonis exemplis & ſedula admonitione erudiant iuniores, illóſque diligant vt filios: & illi, quaſi patres eos honorificent, illorum cum omni alacritate obediant præceptis. Tua verò, venerande fili, conuerſatio omnibus ſit exemplum ſalutis. Caue vt nec minimus quis in tua ſcandalizetur vita, ſed ædificetur & roboretur in via veritatis: quia tibi ex illorum ſalute merces iudicabitur æterna. Cani capilli extremum denunciant properare diem. Quapropter paratus eſto omni hora in occurſum Domini Dei tui. Dilectio fraterna, & eleemoſynæ miſerorum, & vitæ caſtitas, præparent tibi gradus in cœlum. Diligenter elabora tibi æternos dies felices. Honor ſecularis, quem habes, ſpiritualem tibi abundet in gloriam. Feſtiuis diebus veniente ad Eccleſiam populo, fac eis prædicari verbum Dei, & quocumque vadis, Clerici ſeruitium Dei pleniter peragant. Tecum eant ſobrietate ornati, non ebrietati aſſueti; quorum honeſtas vitæ aliis ſit doctrina ſalutis. Curámque vbique habeas, maximè pauperum, viduarum, orphanorum, vt audias in die tremendo à Domino Chriſto cum aliis eleemoſynam facientibus:* Quamdiu vni ex his minimis feciſtis, mihi feciſtis. *Eſto miſeris vt pater, & cauſam ad te clamantium diligenter diſcute, & parce in te peccantibus, vt Deus tuus parcat peccatis. Eſto iuſtus in iudiciis, & miſericors in debitis. Magiſter virtutum, moribus honeſtus, verbis iucundus, vita laudabilis, in omni opere Dei deuotus. Fratres quoque hortare, vt ſanctas diligentiſſimè legant ſcripturas. Non confidant in linguæ notitia, ſed in veritatis intelligentia, vt poſſint cõtradicentibus veritati reſiſtere. Sunt tempora periculoſa, vt Apoſtoli prædixerunt, quia multi pſeudodoctores ſurgent, nouas introducentes ſectas, qui Catholicæ fidei puritatem impiis aſſertionibus maculare nitentur. Ideò neceſſe eſt Eccleſiam plurimos habere defenſores, qui non ſolùm vitæ ſanctitate, ſed etiam doctrina veritatis caſtra Dei viriliter defendere valeant. Has verò piæ admonitionis literulas non quaſi neſcienti direxi, ſed vt veræ charitatis in meo pectore fidem oſtenderem. Quid facit amicus, ſi ſeipſum verbis non oſtendit? Si diuites pauperum munuſcula non ſpernunt, cur & veſtræ ſapientiæ flumina noſtræ riuulos intelligentiæ reſpuere debent? Nam & maiores amnes riuulis augentur influẽtibus, & ipſe Dominus viduæ laudauit duo minuta, quæ ex inopia ſuæ paupertatis larga manu Deo quod habuit obtulit. Et ego quamuis ſcientiâ inops, tamen fideli amore veſtræ hæc munuſcula direxi pietati, obſecrans vt tam humili fraternitatis ea intuitu reſpicere digneris,*

Marginal references: Ioan. 15. (beside "dixit: Hoc eſt præceptum meum"); Matth. 25. (beside "Quamdiu vni ex his minimis"); 2. Tim. 3. / 2. Pet. 3. (beside "pſeudodoctores ſurgent"); Luc. 21. (beside "viduæ laudauit duo minuta")

quàm nos pia deuotionis caritate illa vobis dirigere ſtuduimus. Omnipotens Deus te, noſque fratres in omni bono proficere faciat, & ad beatitudinem æternæ gloriæ peruenire concedat.

HISTORIA.

Luc. 15. POSTQVAM Deus & Dominus noſter Ieſus Chriſtus ouē quærere perditā de cœlis in hunc mundū per virginalē venerat vterū, & tota ſuæ diſpēſationis & noſtræ ſalutis peracta plenitudine, cum triumpho gloriæ ad ſedem paternæ maieſtatis reuerſus: vt tetricas ignorantiæ tenebras toto depelleret orbe, multa ſanctorum lumina Doctorum, Euangelicæ prædicationis luce fulgentia, toto diuiſerat mundo: vt ſicut cœlum fulgentibus ornatur ſtellis, quæ tamen omnes ab vno illuſtrantur ſole; ſic & lata terrarum ſpatia ſanctis ſplendeſceret Doctoribus, qui tamē ab æterno ſole illuminati, diuina præeunte gratia, cæcas ignorantiæ tenebras veræ fidei fulgore glorioſo Chriſti nomine illuſtrarent, & eis miniſtrantibus, longa ab initio ſeculi eſuries æternæ vitæ epulis ſatiaretur. De quorum numero ſanctus Dei Sacerdos Vedaſtus, & Prædicator egregius, temporibus fortiſſimi Regis tunc temporis Francorum Clodouei, in has diuina dirigente gratia ob multorum ſalutem peruenit regiones; quatenus ſupernæ pietatis ſuffultus auxilio, populum diabolica fraude deceptum, & errorum laqueis captiuum in viam dirigeret ſalutis æternæ, & veræ, quæ in Chriſto eſt, libertati reſtitueret.

Sed vt hoc acceptabili, ſecundum Apoſtolum, fieret tempore, qui ait: *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis:* Dominus Ieſus, qui vult omnes homines ſaluos fieri, competentem ſuo famulo præuidebat cauſam, quomodo opportunè ad miniſterium verbi Dei peruenire valuiſſet. Contigit verò præfatum Francorum Regem Clodoueū Alemannis bella inferre, qui tunc temporis regno ſuo per ſe potiti ſunt: ſed non eos ita offendit imparatos, vt voluit. Nam fortiſſima collecta manu, Regi circa ripas Rheni fluminis obuiauerunt vnanimes, bellica virtute patriam defendere, vel libera manu pro patria mori, & fortiſſimè vtrinque decertatum eſt: hi, ne triumphi gloriam: illi, ne patriæ proderent* libertatem, in mutuam corruentes cædem. Igitur Rex nimio turbatus terrore, dum inimicos vidit fortiter pugnare, & ſuos penè ad internecionem vinci, magis cœpit de ſalute deſperare, quàm de victoria ſperare. Etſi autem necdum voluntate renatus eſſet in Chriſto, tamen neceſſitate cogente, ad Chriſti confugit auxilium. Et quia Reginam habuit religioſam, baptiſmique ſacramentis initiatam, nomine Clotilden, oculos cum hac voce ad cœlum leuauit: O Deus vnicæ poteſtatis, & ſummæ maieſtatis, quem Regina Clotildis colit, confitetur, & adorat: concede mihi hodie de inimicis meis victoriam. Nam ex hac die tu ſolus mihi eris Deus, & veneranda poteſtas. Tu mihi triumphum præſta, & ego tibi ſeruitium promitto ſempiternum. Mox diuina operante pietate, terga verterunt Alemanni, victoria ceſſit Regi & Francis. O mira omnipotentis Dei clementia! ô ineffabilis bonitas! qui ſic exaudit, & nunquam derelinquit ſperantes in ſe. Quanta fide Chriſtiani illius miſericordiam inuocare debent, dum paganus Rex ad vnius precis effectum tātam promeruit victoriam? Cui ex antiquis huius diuinæ pietatis adæquare auxilium debemus, qui ob vnius momenti lacrymas tam celebrem venturo ſuo ſeruo contulit triumphum; niſi Ezechiæ Regi, qui in anguſtia tribulationis vna tantummodo petitione promeruit, non ſolum à præſenti vaſtatione ciuitatem ſuperna protectione defendi, ſed etiam in eadem nocte, qua preces in diuinas effuderat aures, centum octoginta quinque millia hoſtium lætus & liberatus occidi viderat? Hæc vero victoria, de qua ante diximus, Regi populoque ſuo cauſa fuit ſalutis æternę: & ne lucerna, ſanctus videlicet Vedaſtus, ſub modio lateret abſconditus, ſed ſupra candelabrum poſitus, exemplis vel prædicationibus in domo Dei lucens, ab errore idololatriæ, & caligine ignorantiæ in viam plurimos educeret veritatis.

Igitur ſuperatis hoſtibus, & rebus in pace compoſitis, & Alemannis ſuæ ſubiectis ditioni, Rex ouans cum laude triumphi ad patriam rediit. Et vt fidelis tantæ ſibi gloriæ largitori ſponſor appareret, feſtinauit ſeruorum Chriſti ſacra imbui prædicatione, & ſancti baptiſmatis ablui ſacramentis. Venit autem ad Tullum oppidum, vbi ſanctum agnouit Vedaſtum laudabili religione ſoli ſeruire Deo, & dulciſ-

Margin notes: Luc. 15. — 2.Cor.6. — 1.Tim.2. — *perderet. — 4.Reg.19. — Matth.5.

ſimos contemplatiuæ vitę carpere fructus. A Hunc verò ad ſanctum Remigium Chriſti clariſſimum ſacerdotem, ad Rhemorum properans ciuitatem, ſibi ſocium aſſumpſit: quatenus per ſingulos itineris ſui greſſus ſaluberrimis ab eo imbueretur doctrinis, & Catholicæ fidei firmis initiaretur fundamentis, vt paratus fide & virtutum ſcientiâ, à tanto Pontifice ſpirituali ablueretur lauacro, & ab illo donis cæleſtibus confirmaretur, quod ab iſto, diuina priùs præueniente gratiâ, Euangelicis cœptum fuerat prædicationibus. Hic ad fontem vitæ feſtinantem deducebat Regem, ille in fonte ſalutis æternæ venientem abluebat. Ambo propemodum pari pietate patris, hic doctrina fidei, ille baptiſmatis vnda: vtrique æterno Regi Regem temporalem Zach. 4. munus obtulerunt acceptabile. Hi ſunt duæ oliuæ, & duo candelabra lucentia, à quibus Rex præfatus in via Dei eruditus, miſerante Deo portam perpetuæ lucis ingreſſus, cum fortiſſima gente Francorum credidit Chriſto: & facta eſt gens ſancta, 1. Pet. 2. populus acquiſitionis, vt annuncientur in eo virtutes illius, qui eos de tenebris vocauit in admirabile lumen ſuum.

Luc. 18. Sacra igitur Euangelicæ auctoritatis narrat hiſtoria, Dominum Ieſum Hiericho pergentem ad confirmanda fide ſuæ maieſtatis corda populi præſentis, cuidam cæco ad ſe clamanti lumen reddidiſſe oculorum, vt per corporale vnius illius cæci lumen, ſpiritualiter multorum illuminarentur pectora. Ita & ſanctus Vedaſtus, Deo Chriſto donante, per cuiuſdam illuminationem cæci, fidem, quam verbo prædicauit, in corde Regis miraculo confirmauit: vt Rex ipſe intelligeret, tam ſibi eſſe neceſſarium cordis lumen, quàm cæco oculorum illuſtrationem: & quod diuina operata eſt gratia per preces famuli ſui in oculis cęca nocte caſtigatis, hoc per ſermones eiuſdem famuli, eadem operante potentia, per ſpiritualis intelligentiam lucis in ſuo pectore perficeretur. Nam regia excellentia condigno comitatu cum multitudine maxima populi iter agentibus illis, venerunt in quendam pagum, qui incolarum terræ illius conſuetudine VVngiſe pagus dicitur prope Reguliacam villam, quæ ſita eſt ſuper florigeras Axonæ fluminis ripas. Et ecce eiuſdem fluminis pontem Rege tranſeunte cum multitudine populi, obuiauit illi cæcus quidam huius diutiſſimè ſolaris expers luminis: fortè nec ſua cæcatus culpa, ſed vt manifeſtarentur opera Dei in illo, & per illius illuminationem præſentem plurimorum illuminarentur corda ſpiritualiter. Qui cùm intellexiſſet à prætereũtibus, ſanctum Vedaſtum Chriſti ſeruum in eodem iter agere comitatu, clamauit: Sancte, & electe Deo Vedaſte, miſerere mei, & ſupernam pio pectore diligentiùs depoſce potentiam, vt meæ ſubueniat miſeriæ. Non aurum poſco, nec argentum, ſed vt mihi lumen per ſanctitatis tuæ preces reſtituat oculorum. Senſit itaque vir Dei virtutem ſibi adeſſe ſupernam. Non ob illius cæci tantummodo, ſed plus B propter præſentis populi ſalutem, totum ſe in ſacras effudit preces, in diuina fidens pietate, & dexteram cum ſigno crucis poſuit ſuper oculos cæci, dicens: Domine Ieſu, qui es lumen verum, qui aperuiſti oculos cæci ad te clamantis; aperi oculos & iſtius, vt intelligat populus iſte præſens, quia tu es Deus ſolus, faciens mirabilia in cœlo & in terra. Mox ille cæcus lumine recepto, gaudens perrexit viam ſuam. In quo loco tempore ſequenti à religioſis viris ædificata eſt Eccleſia in teſti- C monium miraculi iſtius, in qua orantibus & credentibus vſque hodie beneficia præſtantur diuina.

Igitur Rex à viro Dei Euãgelicis apprimè imbutus doctrinis, & hoc præſenti miraculo in fide firmiter cõfortatus, nil moratus in via, nil dubitans in fide; ſed magna alacritatè animi, magna feſtinatione itineris, ſanctiſſimũ Pontificẽ Remigiũ videre properauit, vt illius ſacratiſſimo miniſterio Spiritu ſancto operante, in remiſſionẽ peccatorũ & ſpem vitæ æternæ, Catholici ba- D ptiſmatis viuo ablueretur fonte. Cum quo aliquantis moratus eſt diebus, vt Eccleſiaſticis ſatiſfaceret ſanctionibus, & pœnitentię ſecundum Apoſtolicum pręceptum priùs ablueretur lacrymis, dicente beato Petro Principe Apoſtolorum: *Pœnitentiam agite, & baptizetur vnuſquiſque veſtrum in nomine Ieſu Chriſti*: Actor. 2. & in nomine ſanctæ Trinitatis cœleſtis myſterij baptiſma ſuſciperet. Sciens verò beatus Pontifex Apoſtolum dicere Paulum: *Omnia veſtra honeſto cum ordine fiant*, 1. Cor. 14. ſtatuit diem, quo Rex Ec- E cleſiam intraret ad ſuſcipienda diuinę pietatis ſacramenta. Quale fuit tunc Sanctis Dei gaudium, qualis in Eccleſia Chriſti lætitia, cùm viderent Regem Niniuæ ad prædicationem Ionæ de ſolio maieſtatis ſuæ Ion. 3. deſcendiſſe, & in cinere ſediſſe pœnitentiæ, & ſub pia Dei ſacerdotis dextera ſuæ excellentiæ caput humiliare? Baptizatus itaque Rex cum Optimatibus ſuis & populo, qui diuina præueniente gratia ſalu-

taris lauacri gaudebant ſuſcipere ſacramentum, vtriuſque & victoriæ ex hoſtibus, & ſuæ ſalutis voti compos, ad ſceptra regni gubernanda reuerſus eſt, ſanctumque Vedaſtum beato Pontifici commendauit Remigio.

Qui ibi moratus, vitæ meritis & virtutũ claruit exemplis. Omnibus amabilis & venerabilis factus eſt. Fuit enim morum dignitate religioſus, charitate præcipuus, fraterna dilectione iucundus, humili pietate eximius, orationum vigilantiâ aſſiduus, ſermone modeſtus, corpore caſtus; ieiunio ſobrius, miſerorum conſolator: non de craſtino cogitans, ſed ſemper de Dei confidens clemẽtia. Omnes ad ſe venientes æternæ vitæ paſcebat alimento. Nullum in ſua deſpiciebat anguſtia, ſed piæ conſolationis verbo reficiebat mœſtos. Nemini vel verbo nocuit, ſed fraterno amore cunctis prodeſſe ſatagebat. Vnde & à quamplurimis illuſtribus freque̅tabatur viris, vt illius ſacratiſſimo alloquio, vel in triſtitia cuiuſlibet ſollicitudinis ſuſciperet conſolationem, vel in religione Eccleſiaſticæ exercitationis puram ab eo audirent veritatem. Vnde & illius pia deuotione multi à diaboli laqueis liberati ſunt, & vias vitæ perpetuæ, ſuperna adiuuante pietate, ingreſſi ſunt. Scilicet multi, vt ſuprà diximus, ob celeberrimam ſanctitatis famam nobilium vel plebeiorum, virum Dei viſitare ſolebant, vt conſolarentur per gratiam, quæ abundabat in labiis illius. Et quia ex abundantia cordis os loquitur, & [Matth. 12.] quia fraterno amore omnes diligebat, omnibus ſe affabilem præſtabat. Aliorum ſalutem ſuum reputans lucrum, nec Dominicæ tale̅tum pecuniæ pigritiæ obruit humo; ſed quotidiano caritatis ſudore multiplicare ſtudebat, ne vacuus reueniente Domino ſuo in conſpectu illius appareret.

Igitur quidã vir nobilis & religioſus inter alios famulum venit viſitare Chriſti, vt per eum cæleſtis doctrinę reficeretur melle. Et dum ſermo dulciſſimæ allocutionis in longum traheretur, & ſol medium cæli tranſiens centrum creſcentes duplicaret vmbras, nolebat vir Dei hoſpitem ſuum abſque caritatis dimittere viatico. Mandauit autem puero, vt ſi quid illi remanſiſſet vini, charo pocula portaret amico, quatenus in vtroque & anima refectus, & corpore confortatus, domum rediret. Sed propter hoſpitum frequentiam, & viri Dei largam erga omnes munificentiam, non arida patris charitate aridum inuenit vaſculum, in quo vinum ſeruari ſolebat. Mox

A triſtis, tacito murmure, hoc ipſum puer paternis intimauit auribus. Qui verecundiæ rubore perfuſus, caritatis tamen dulcedine abundans corde, in diuina confiſus ſuffragia, tacitus pauliſper Deo preces effudit: nil de diuino dubitans auxilio, nil de ſuæ petitionis hæſitans effectu, totus in eius credens clementia, qui de arida petra [Exod. 17.] ſitienti populo fontem aquæ viuæ produ- [Num. 20.] xit, vel in Cana Galileæ aquam in mirabi- [Ioan. 2.] lis vini conuertit ſaporem, dixit puero: Vade, in Dei confidens bonitate, & quodcunque
B inueneris in vaſculo, non cuncteris nobis adferre. Qui celer, paterno obediens præcepto, cucurrit, & vas vino optimo ſuperaffluens inuenit: gratias Deo agens, alacri animo venienti, & eius ſociis, propinauit amico. Qui duplici roboratus charitate, remeauit in propria. Sed famulus Chriſti, ne vanis iactantiæ verbis vel rumigero populi celebraretur fauore, ſub magna atteſtatione pręcepit puero, omnibus vitę ſuę diebus hoc tacere miraculum, plus Deo ſoli cognitus eſſe cupiens, quàm
C hominibus; certò ſciens, omnium eſſe virtutum veram in humilitate cuſtodiam, & hanc eſſe, quæ charitatis gradibus altiſſima cæli regna conſcendat, ipſa dicente veritate: *Omnis qui ſe humiliat exaltabitur.* [Matth. 2[3].]

Cumque viri Dei celeberrima vulgaretur fama, & charitatis in eo munificentia, & religio vitæ, & verbi Dei inſtantia longè lateque ab omnibus celebraretur, viſum eſt beatiſſimo Pontifici Remigio, tam præclaram Chriſti lucernam melius eſſe ſupra candelabrum ponere, vt ſplendi-
D diſſimo ſuæ ſanctitatis fulgore latius ad ſalutem luceret multorum, quam ſub vnius loci lateribus propemodum abſcondita lateret. Diuina igitur diſpenſatione, & ſalubri ſacerdotum conſilio, ordinauit eum Epiſcopum, & ad prædicandum verbum vitæ Atrebatenſi eum direxit vrbi, quatenus populus diù in antiquis malæ conſuetudinis erroribus iacens, Deo auxiliante, per aſſiduam ſacræ prædicationis inſtantiam, per illum in viam veritatis & agnitionem filij Dei duceretur. Qui Pontifi-
E catus gradu, & prædicationis officio ſuſcepto, concitus ad præfatam ire perrexit vrbem: ſed in auſpicium futuræ proſperitatis & ſalutis, Deus cuiuſdam miraculi teſtificatione eius patefecit ciuibus introitum. Igitur in ipſa ciuitatis porta duos habuit obuiam ſibi egenos & infirmos, cæcum ſcilicet & claudum, miſerabili à viro Dei voce ſtipem poſtulantes. Mox ſacerdos Chriſti illorum condolens miſeriæ ſe,

cum tractabat, quid illis ſolatij præſtare A poſſet. Et cùm Apoſtolicus prædicator pecuniam in ſacculis ſe non habuiſſe ſciret, in diuina confidens clementia, & Sanctorum Apoſtolorum Petri & Ioannis confortatus exemplo, ait: Aurum & argentum non eſt mecum; quod autem habeo, id eſt, caritatis officia & pietatem orationis ad Deum, hoc vobis præſtare non differo. Et poſt hæc verba vir Dei ex intimo cordis affectu pro illorum miſeria fudit lacrymas, & cùm fidei puritate opē illis poſcebat diuinam, vel pro illorum corporali, B vel pro populi præſentis ſalute ſpirituali. Nec tam piæ & tam neceſſariæ preces ineſficaces eſſe potuerunt, ſed ab illo, qui per Eſaiam inquit Prophetā: *Tempore opportuno exaudiui te, & in die ſalutis adiuui te*: mox ambo in conſpectu multitudinis optatam receperunt ſanitatem: hic luminis claritate ditatus, ille pedum velocitate lætatus. Ambo ſupernæ gratias agentes pietati, maiora quàm ſperauerant munera reportantes, domum reuerſi ſunt. Sed & hoc miraculum ſanitatis in illis, plurimis cauſa C fuit ſalutis æternæ. Videntes enim cæleſtem virtutem verba conſequi ſacerdotis Dei, relictis idololatriæ ſordibus in Chriſtum credentes, viuo ſacri baptiſmatis fonte purgati ſunt.

Eſa. 49.

Præfati verò miraculi teſtificatione vir Dei fauore populi ſuffultus, ſingula ciuitatis loca peragrans, quæſiuit inter ruinas ædificiorum, ſi quod Eccleſiæ ſignum inuenire valuiſſet. Nam antiquis fermè temporibus, ſacræ in illis locis fidei floruiſſe religionem agnouit, ſed propter peccata ha- D bitatorum terræ illius, occulto Dei iudicio, ſed iuſtiſſimo, tradita eſt cum cæteris Galliæ vel Germaniæ ciuitatibus pagano & perfido Hunnorum Regi Attilæ vrbs quoque illa deprædanda. Qui propter animi ſui ſæuitiam, nec Sacerdotibus Dei honorem, nec Eccleſiis Chriſti reuerentiam impendere ſciebat: ſed omnia, quaſi tempeſtas immaniſſima, ferro vaſtauit & igne. Tunc in ſimilitudine Hieroſolymitanæ vaſtationis, quæ ab impio Babyloniæ Rege facta eſt, venerunt gentes in heredi- E tatem Dei, & pollutis manibus prophanauerunt ſacraria Chriſti, effundentes ſeruorum Dei ſanguinem circa altaria altiſſimi Regis. Non hæc paganorum fecit fortitudo, ſed populi Chriſtiani promeruerunt peccata. Inuenit verò famulus Chriſti antiquæ ruinas Eccleſiæ, inter murorumque fragmenta veprium creſcere denſitates. Vbi quondam pſallentium chori, ibi luſtra

& latibula ferarum viſa ſunt, ſtercoribus & immunditiis omnia plena, ita vt vix veſtigium aliquod remāſiſſet murorum. Hæc cernēs, intimo cordis dolore ingemuit, dicens: O Domine, hæc omnia venerunt ſuper nos, quia *peccauimus cum patribus noſtris, iniuſtè egimus, iniquitatem fecimus. Sed tu Domine memor eſto miſericordiæ tuæ, & noſtris parce peccatis, & ne obliuiſcaris pauperum tuorum in finem.* Dum hæc itaque lacrymoſis murmuraret querelis, ecce ſubitò ex ruinoſis ſpeluncis vrſus proſiluit. Cui vir Dei cum indignatione præcepit, vt in deſerta ſecederet loca, & ſibi commoda inter condenſa ſiluarum quæreret habitacula, nec vltra illius fluminis ripas trāſiret. Qui mox tali territus minatione, fugit, nec vmquam poſtea illis viſus eſt in partibus. O mira omnipotētis Dei in Sanctis ſuis potentia, quibus beſtiæ ferociſſimæ obedire ſciunt! O miſerabilis hominū audacia, qui ſalutiferæ prædicationis verba, à ſanctis prolata Doctoribus, contemnere non metuunt. Irrationabilis beſtia, in obtemperādo Sanctorum præceptis quodāmodo ratione vtitur humana: homo verò ad imaginem Dei cōditus, ratione præditus, honorem ſuum nō intelligens, comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.

Pſal. 105.

Dùm verò comperiſſet vir Dei Eccleſias Chriſti deſertas, cor populi idololatriæ erroribus infectum, ignorantiæ tenebris obcæcatum, gemino ſe pietatis ſubdidit labori. Populum ſedula intentione ad agnitionē veri luminis perduxit, Eccleſias ad culmen ſummi honoris erexit, Presbyteros & Diaconos ſibi in adiutorum per diuerſa Eccleſiarū diſpoſuit loca; & vbi priùs ſpeluncæ fuerūt latronum, ibi orationum domos conſtruxit, magiſq; diuinis intēdit eas ornare laudibus, quàm pompaticis ſeculi diuitiis comere. Fuit verò pauperibus largus, diuitibus affabilis, quatenus omnes vel largitate munerum, vel iucunditate verborū in viam deduceret veritatis. Sciēs itaque nullatenus ſuperba potentiæ colla ad Chriſtianæ Religionis humilitatem inclinare poſſe, niſi per ſuauiſſimas pietatis admonitiones, Apoſtolico inſtructus exēplo, omnibus omnia factus, vt omnes lucrifaceret, ſeniores honoribus præueniēs, iuniores paterna dilectione admonēs, vbique per officia caritatis non ſua quærens, ſed quæ Dei ſunt, Chriſti ſequutus veſtigia, potentium conuiuia non contempſit, non luxuriæ cauſâ, ſed prædicationis obtentu, vt familiaritate concordiæ, faciliùs verbum Dei conuiuantium infunderet

1. Cor. 9.

cordibus. Igitur quidam nobilis Francus, potentiâ clarus, Ocinus nomine, Regem Clotarium prædicti Regis Clodouei filium, qui tunc temporis regni nobiliter rexerat ſceptra, vocauit ad prandiũ, quod magno apparatu in domo ſua Regi & ſuis parauerat Optimatibus. Rogatus quoque eſt ſanctus ad conuiuium Vedaſtus. Qui domum intrans, more ſibi ſolito, dexterâ extenta omnia ſanctæ crucis vexillo ſignauit. Quædam verò vaſcula ibi ceruiſia adſtabant plena, ſed malè gentili errore dæmoniacis incantationibus infecta. Quæ mox ob potentiã ſanctæ Crucis deſtructa crepuerunt, & quicquid liquoris habuerunt, in terram effuderunt. Territus verò Rex, & Optimates illius, huius viſione miraculi, ſciſcitabatur Pontificem cauſam repentini prodigij. Cui ſanctus reſpondit Epiſcopus: Per quaſdam maleficorum incantationes, ad decipiendas conuiuarum animas, diabolica in his latuit liquoribus potẽtia: ſed virtute crucis Chriſti territa, ſic inuiſibiliter de domo effugit iſta, ſicut viſibiliter conſideraſtis liquorem effundi in terram. Hæc verò res multis proficiebat in ſalutem. Nam plurimi, occultis diabolicæ fraudis catenis abſoluti, auguriorum vanitate ſpreta, incantationum conſuetudine relicta, ad veræ religionis conualuerunt puritatem, intelligentes diuinæ potentiæ efficacia in ſuo famulo iacêre ſigna, nihilq; contra eius ſanctitatem antiqui ſerpentis valere machinamenta. Et quod ille ad perditionem parauerat aliquorum, hoc Chriſti gratia ad redemptionem conuertit plurimorum.

Rexit igitur præfatus Dei ſacerdos Eccleſiam Chriſti, diuina auxiliante gratia, annis circiter quadraginta, ſub magna Euangelicæ prædicationis deuotione, ſub magno pietatis amore: ac per id temporis multitudinem populi Catholico dogmate ad Chriſtianæ fidei conuertit ſanctitatem. Claruit vbique diuinæ cognitio legis, ſanctiſſimum Chriſti nomen cunctorum audiebatur in ore, floruit in moribus caſtiſſimæ vitæ honeſtas, ardebat in pectoribus ſingulorum cæleſtis patriæ amor, populus ſtatutis diebus ad Eccleſiam concurrebat, feſta cum magno gaudio noſtri Saluatoris opportunis celebrabantur diebus, eleemoſynæ circa domos vberrimè pauperibus diſpertiebantur, verbum Dei quotidie per loca ſingula populis prædicabatur, hymnidicas laudes Deo horis Canonicis chorus cantabat in Eccleſiis. Pſal. 143. *Beatum dixerunt populum, cui hæc ſunt: beatus populus, cuius Dominus Deus eius*. Omnes enim in pulcritudine pacis quieſcebant, in agnitione veritatis gaudebant, in ſanctitate Chriſtianæ Religionis lætabantur.

Poſtquàm verò pius Prædicator & ſanctus Dei ſacerdos, meritis maturus & annis, præmia ſui laboris accipere debuit; Deo diſpenſante, in eadem Atrebata ciuitate validę infirmitatis febre correptus eſt, diuina præuidẽte miſericordiâ; vt vbi plurimum in Dei ſudauit ſeruitio, indè ad palmam æternæ beatitudinis perueniret, & inter chariſſimorum manus filiorum animã ſuo redderet Creatori. Vt verò ſui famuli obitum Deus deſignaret, viſa eſt nocte quadã clariſſimæ columna lucis, à culmine domus, in qua ſanctus iacebat Sacerdos, vſque ad ſummum cæli, horarum fermè ſpatio duarum, ſtare faſtigium. Quod cùm viro Dei diceretur, intellexit ſtatim hoc ſignum ſuum demonſtrare obitũ. Vocauit igitur ſuos ad ſe filios, vt eorum precibus ſuam fideli conditori commendaret animam. Et poſt dulces paternæ pietatis admonitiones, & extrema caritatis verba ſacroſancto corporis & ſanguinis Chriſti confirmatus viatico, inter manus lacrymantium ſpiritum emiſit. O dies ſancto lætiſſima Sacerdoti, ſed cuncto mœſtiſſima populo, quem tantus ſubito corporali vitâ deſeruit paſtor, quem tamen ſpirituali numquam deſerit interceſſione, ſi ſacræ illius admonitionis verba, & probatiſſimæ vitæ veſtigia ſequi non deſiſtat! Conuenerunt itaque ad vltimas venerandi viri exequias Clerus & populus copioſus, aliarũque Eccleſiarum Sacerdotes, Presbyteri, & Diaconi. Sed mirum, inter lacrymantiũ voces in terra pſallentium, vt fertur, à quibuſdam religioſis viris cœtus audiebantur in cælo: & dum digno honoris officio feretrum, in quo iacebat corpus, paratum ſtaret in medio, accedentes mouere illud non valebant. Quid verò agerent, ambigebant: quò ſe verterent, neſciebant. Sciſcitabantur à Scopilione Archipresbytero, viro equidem religioſo, qui ſecretarius fuerat ſermonum ſancti Dei, ſi aliquid de ſua eum teſtari ſepultura memoraret: timẽtes, ne fortè illis hoc ideò accidiſſet, quia intra murũ eiuſdẽ ciuitatis illum ſepelire diſponebãt. Quibus ille reſpondit, ſæpiùs eum ſe audiſſe dicẽtem, quòd nullus intra muros ciuitatis ſepeliri debuiſſet: quia omnis ciuitas locus debet eſſe viuorum, non mortuorũ. Volebãt ſiquidẽ illũ in Eccleſia B. ſẽper Virginis Marię, vbi Sedi Põtificali præſederat, tumulari. Ipſe verò ſepulturæ ſuæ

ſuæ locũ in Oratorio, quod paupere ſumptu, id eſt, ligneis tabulis, prope litus Crientionis fluuioli ædificauerat, fieri diſpoſuiſſe cognoſcitur. Quod licet ipſe pro humilitate, qua ſemper vſus eſt, fieri voluiſſet; omnes tamen, qui aderant, attendentes meritorum eius inſignia, indignum dicebant tanti viri corpus in loco humili debere ſepeliri: præſertim cùm nec locus ipſe habilis eſſet tanto monumento, nec, palude obſitus, foret acceſſibilis populo.

Dum talia inter ſe quererentur, venerabilis vir Scopilio, doctus virtute precum, ad ſolita ſibi credidit arma currendum: vt videlicet oratio fidei obtineret, quod multa hominum manus viribus nequiuiſſet. Vnde cunctos hortans ad precem, ipſe prior illacrymans, ſuper corpus ſacratiſſimũ incumbens orationi, in hanc vocem mœrore cordis affectus erupit: Heu mihi, inquit, ô beatiſſime Pater, quid vis vt faciam, quoniam & dies in veſperum declinat, & omnes, qui ad tuas exequias conuenerunt, ad propria iam remeare feſtinãt? Permitte, obſecro, te perferri ad locum, qui tibi filiorum cura præparatus exiſtit. Et his dictis, accipientes capulum, in quo ſancti Viri corpus iacebat exanime, nullum onus ſentientes, portauerunt eum ſubiectis humeris cum alacritate animi ad ſepulturæ locum. Sepelieruntque eum in Eccleſia iam dictæ beatæ Dei genitricis ſemper virginis Mariæ, in dextera parte altaris, vbi quondam Pontificalis cathedræ fungebatur officio, nobilem terræ abſcondentes theſaurum. In quo loco per aliquod iacuit tempus, quouſque Domino reuelante ad locum, vbi nunc fulget eius memoria, eſt à viris ſanctis Autberto & Audomaro Epiſcopis felici mutatione tranſlatus.

Nunc autem, quid in eodem Epiſcopio poſt eius exceſſum viſum eſt dignum memoriæ, referatur. Superueniente igitur tempore, domuncula, in qua Deo dilectus diem obiit, flammis arrepta ardere cœpit. Sed vidente quadam religioſa femina, Abita nomine, ſanctus adueniens Vedaſtus, flammas à domo diſcuſſit, & ità incolumis remanſit cum lectulo, in quo vir Domini ſanctam ad cæleſtia regna animam emiſit: vt omnes agnoſcerent, quanta illius eſſet beatitudo in cœlis, cuius lectuli domicilium in terris ardere non potuit.

Iacuit autem in loco eodem vſque ad tempus beati Autberti, qui ſeptimus ei in ſede Pontificali ſucceſſit Epiſcopus. Is autem, vt Maiorum relatione cognouimus, & vt innumerabilium hominum ore verſatur, & quod oculis etiam factum probamus, dum quadam die poſt hymnos matutinos in humanis conſiſtens, rubente aurora, Orientem verſus intenderet; vidit eminus trans fluuiolum, qui Crientio vocatur, virum præfulgidum virgam manu tenentem, baſilicę locum metiri. Quod ille cernens, reuelante Deo, viſionem cognouit Angelicam: oſtenſumque eſt illi, beatum illuc Vedaſtum, annuente Chriſto, ſine dubio transferendum. Qua reuelatione certior factus, inuitauit ad tantum opus beatum Audomarum, qui ea tempeſtate Taruennæ Morinórum vrbis Epiſcopus, in Dei rebus magnificus habebatur. Qui licèt iam ſenio preſſus, & amiſſione luminum videretur debilior factus, animum tamen vt arcum habens ſpiritali ſtudio intentum, ilicò promptus, Chriſto greſſus tegente, feſtinus ad venerabilem peruenit Autbertum. At ille quid animo gereret, & quid ſibi diuinitus eſſet oſtenſum, referens; pari voto communique conſilio cum magno populorum gaudio, qui vndique confluxerant, ad locum deſignatum beatiſſimum tranſtulerunt Vedaſtum. In qua tranſlatione perhibetur beatus Audomarus lumen recepiſſe oculorum, ſed ilicò precibus eandem, quam vltroneus ferebat, reimpetraſſe cæcitatem. Paruipendebat quippe lumen carnalium oculorum, qui lumen meruit ciuium ſupernorum.

Porrò autem miracula, quæ & tunc geſta perhibentur, & quæ iam per annos fermè centum ſexaginta per merita beati Vedaſti patrata ſunt, nullo ſunt ſtylo memoriæ tradita, excepto quod vocibus cantorum huiuſmodi canitur Antiphona: *Hic eſt beatus Vedaſtus, cui templum fieri ab Angelis iuſſum eſt hominibus.* Eſt autem locus ipſe non longe ab eadem vrbe, qui pro nobilitate ſui Nobiliacus primo eſt appellatus: ſed procedente tempore tam inſignis effectus, vt vrbis nomine, quæ iam ruinis crebrioribus penę obſoluerat, vocitetur. Eſt namque & largitione fidelium ſublimatus, & agmine Monachorum, & aliorum Deo deuotorum grege refertus: vbi inceſſanter quotidiè diuina celebrantur præconia, & frequenter cæleſtia facta ſunt & fiunt miraculorum ſigna, quæ iam magis cernentium ore narrantur, quàm dictantis ſtylo ſcribantur. Felix equidem Atrebatum ciuitas, tam excellenti munita patrono! & ſi murorum ruinis vileſcat, illius tamen meritorum nobilitate clareſcit. To-

tuſque pro eius ſanctitatis interceſſione gaudeat populus, omnipotentique Deo æternas referat laudes, qui tam clarum illi perdonauit Doctorē, cuius prædicatione viam agnouit veritatis. Cuius precibus, ſi in fidei firmitate & vitæ ſanctitate conſiſtit, ab omni aduerſitate ſecura permanebit, & vſq; ad perfectam beatitudinis gloriam perueniet, præſtante Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui cum Patre & Spiritu ſancto viuit & regnat Deus, per omnia ſecula ſeculorum, amen.

VITA BEATISSIMI RICHARII PRESBYTERI ET ALMI PATRIS,

AVCTORE ALBINO FLACCO ALCHVVINO.

PRAEFATIO AD KAROLVM IMPERATOREM.

Domino ſemper venerabili, ſempérque deſiderabili, piiſſimo ſanctæ Eccleſiæ tutori, gratiâ Dei ſemper Auguſto Karolo, veſtræ ſalutis perpes amicus Albinus.

REMEMORANTE *veſtræ excellentiæ pietate, in loco ſancto & merito venerabili Centula, cùm & ego veſtræ gloriæ ſeruus, veſtræ pietatis veſtigia ibidem proſecutus, aliquantiſper commorarer; orauerat meam paruitatem vir magnus in Chriſto Dominus & venerabilis Abbas Angilbertus, quô in laudem Conditoris, qui mirabilis ſemper apparet in electis ſuis, quendam libellum ſtilo ſimpliciori digeſtum, de vita ſanctiſsimi ac verè magnifici Confeſſoris Richarij cultiùs annotarem. Dúmq; exauditis continuò precibus eius, quæ ipſi diuinæ maieſtati exaudibiles & charæ noſcuntur, eundem mihi exhiberi libellum petiiſſem; non parum miratus ſum, cur tanti nominis Confeſſor; quem tantarum virtutum operatorem eſſe conſtabat, quémque priſca fama miraculorum patratione poſt ipſos Apoſtolos nulli ferebat ſecundum, tam modico geſtorum volumine potiretur. Idque mihi ſtupeſcenti, innotuit iamdictus memorabilis vir Angilbertus, ac ſpirituales fratres eiuſdem ſancti loci, haberi apud ſe, quinetiam apud diuerſas Eccleſias, codicem alium grandioris quantitatis, in quo ſcilicet illa miracula legebantur, quibus non immeritò ſanctum Chriſti Confeſſorem omnis Gallia attollebat. Cuius ſimplex & minùs polita locutio quia fratribus ad recitandum in populo aptior videbatur, ſufficere ſibi eandem deſcriptionem conſenſerunt. Dúmque in iis quæ rogabant prænotandis iamiamque animos applicarem, repentè veſtræ pietatis nuncio ſum conuentus, vti ea, quæ tractabam, ſic annotarem, ſicut reuerà ſapientiæ veſtræ auribus inferenda. Hinc ego, vocato Notario, & fixo præ oculis iam dicto libello, ea quæ referre videbatur de conuerſione, de moribus, de continentia, & ſanctitate verè incomparabili, necnon de glorioſo tranſitu eius ad Chriſtum, ſeu de relatione precioſi corporis in locum priorem, dictatu admodū compendioſo, titulo Vitæ beatiſsimi Richarij almi Patris aptauimus: & niſi propria decipior imperitiâ, veluti precioſum aurum veſtræ prudentiſsimæ ſapientiæ, ad ornandum diadema Chriſtianæ Philoſophiæ, fide humili deuotiſsimè commendamus. Et quia in veſtri pectoris cubili gloriam Chriſti, & Sanctorum eius honorem regnare cognoſcimus, hanc noſtri tam beati Opuſculi Præfationem veſtræ in Domino beatæ honorificentiæ dedicamus.*

VITÆ HISTORIA.

Geſta Sacerdotis magni tenet iſte Libellus
Richarii, cuius Centula corpus habet.

TEMPORIBVS glorioſiſſimi Regis Francorum Dagoberti, qui & ſeculari poteſtate præclarus, & Chriſtiana Religione nobilis effulſit, & Optimates ſuos dignitatibus exaltauit, & ſeruos Dei honoribus excoluit: In illis, inquam, diebus plurima vbique Monaſteria à ſanctis Patribus cœperunt conſtrui, nec non & multi ex laico habitu viri religioſi inuenti ſunt. Ex quibus Richarius quidam, natus in villa Centula prouinciæ Pontiuæ, velut lucifer inter vmbras oriens emicuit, non tam nobilibus iuxta ſeculum parentibus ortus, quàm moribus honeſtus, & omni probitate deuotiſſimus. Hic vt in ruſtica vita, quædam præſagia futuræ ſanctitatis gerebat. Contigit autem illo tempore duos Sacerdotes ſanctitate florentes, & virtutum meritis fulgentes, quorum prior Caidocus vocabatur, de Hiberniæ partibus in Pontiuas perueniſſe regiones. Sed à ruſticis & popularibus illius loci propter inſolentiam morum non ſunt ſuſcepti, nec digno eorum ſanctitate honore tractati: ſed magis iniuriis afflictos, & opprobriis caſtigatos, à finibus ſuis cœperunt eos expellere. Quorum violentiæ & ſceleratis præſumptionibus futurus Dei famulus Richarius obuiauit, Chriſtique ſeruos de manibus impiorum eripuit, & cum omni benignitate eos deducens in domum ſuam, Deo prouidente, vt illi protegerentur, & ipſe ſaluaretur, obtinuit. Nec lucerna gratiæ Dei accenſa diutiùs abſcondi potuit, ſed patefactum lumen ſanctitatis & prædicationis, longè lateque ad ſalutem multorum fulſit. Nam introductos hoſpites ſuos cum magnæ charitatis honore curauit, eoſque ſibi verbum Dei prædicantes cum tota humilitate & intentione audiuit. Nec fruſtra in terram bonam ſemen verbi Dei ſparſum eſt: ſed quod aure audiebat, hoc radicitus corde retinebat, & centenos in horrea Chriſti, vt poſtea luce clariùs, & ſanctitate, & miraculorum oſtenſione claruit, fructus germinauit.

Igitur ex prædicatione famulorum Dei & adſpiratione gratiæ diuinæ compunctus, ad lacrymas conuerſus, confeſſionem ſuorum fecit peccatorum, & in con-

A ſpectu omnipotentis Dei ardenter veniam petens, lacrymis abſoluit, quod ignoranter ab adoleſcentiæ illecebris peccauit; & qui Dominum ſuſcepit in famulis ſuis hoſpitalitatis gratia, ſuſceptus eſt à Domino in miſericordia & pietate. Nam ex eo tempore initium ſacræ Religionis ſumpſit, & ad altiora pietatis faſtigia gradibus quotidie humilitatis ſcandere nitebatur: & arreptum ſemel vitæ iter fidei paſſibus peragere conatus eſt, atque poſteriora obliuiſcens, ſe in anteriora cum Apo-
B ſtolo oſtendit, illius verſiculi per ſingulos gradus memor, *Ibunt ſancti de virtute in virtutem*, quatenus perueniant ad id quod ſe- Philipp. 3.
quitur: *Videbitur Deus deorum in Sion.* Itaque Pſal. 83.
mox ab initio conuerſionis ſuæ tam dura ſe caſtigatione conſtrinxit, vt poſt longa & diuturna ieiunia, pane hordeaceo cinere commixto, & aqua lacrymis temperata, feſſum ieiuniis corpuſculum refocillaret: & huius cibi ſuſtentaculo deuotus Chriſti athleta vigiliis & orationibus die noctuque Domino militabat, non aërem
C verberans, ſed corpus ſuum caſtigans, ne futurus Chriſti Prædicator in aliquo reprobus inueniretur. Sed his atque huiuſmodi virtutum gradibus, & ſanctiſſimæ vitæ moribus Deo acceptabilis, dignis ſucceſſibus ad ſacerdotalem peruenit honorem: vt cui prædicationis deuotio inerat, honoris dignitas non deeſſet. Quem honorem, vt famulus Dei, magna humilitate ornauit, & vera caritate excoluit, & verbi Dei prædicatione ampliauit, atque velut bonus agricola, ſpinas peccatorum
D de agro Domini Euangelico vomere eradicauit, & arida corda ſuperno perpetuæ ſalutis rore irrigauit. Sed & diuina clemētia, poſt eius irrigationem, in iſto populo plurima fidei dedit incrementa. Vnde & omnibus prædictus vir Dei Richarius honorabilis factus eſt & carus: quia quod ore prædicauit, exemplo oſtendit, & viam vitæ, quam aliis ſermone monſtrauit, ipſe prior actu præcucurrit.

Quicquid verò ei populus in ſtipendia prædicationis ſponte obtulit, omnia pau-
E peribus diuidere feſtinauit: indignumque ei viſum fuit de craſtino præſentis vitæ cogitare, qui diuitias æternæ vitæ accipere anhelabat. Ideò oblata ab omnibus diſtribuit, vt promiſſa à Deo acciperet. Felix commercium, vt qui parua ac tranſitoria hilariter diſtribuerat, magna & æterna feliciter eſſet accepturus. Nam ſtudioſiſſimus fuit pauperum conſolator, peregri-

norum ſuſceptor, viduarum defenſor, pupillorum & orphanorum pater: ita vt veriſſimè de eo ſanctiſsimi Iob teſtimonium dici potuerit: *Oculus fui cæco, pes claudo, & pater orphano: & cauſam, quam neſciebam, diligentiſſimè perſcrutabar.* Quapropter vndique ad eum infirmi confluebant, quos læto ſuſcipiens animo, medelam eis conſolationis per ſanctas orationes præbebat. Nec leproſos vel elephanticos exhorruit, ſed quaſi fratres amplexabatur, balneiſque eorum membra ſaucia fouebat: eadémque poſt ipſos ingreſſus eſt, magis ea pietate illos emundans, quàm ſe commaculans, Prophetici ſermonis non ſurdus auditor, dicentis: *Egenos vagóſq; educ in domum tuam, & nudum veſtimentis tuis cooperi, & carnem tuam ne deſpexeris.* Nec ſolùm carnali refectione ad ſe venientes fouebat, ſed etiam ſpiritali ſanctæ prædicationis ſolatio reficere eos non ceſſauit. Et ſicut miſerorum idoneus vbique fuit conſolator, ita ſuperborum durus caſtigator eſſe non timuit. Illos pietatis clementia eleuabat, hos ſeueræ inuectionis cenſura deprimebat. Nec terrenæ poteſtatis iram furoris metuebat, quem timor interiùs diuinæ potentiæ totum corroborabat: paruipendens diuitum minas, vt præco veritatis exiſteret. Nec fuit arundo vento agitata, vt eum aura humanæ vel laudis vel detractionis commoueret: ſed in arce ſolidæ veritatis conſiſtẽs, ab humano ore, ſecundum Apoſtolum, iudicari contempſit, viámque regiam incedens, nec à dextris propter terrores potentium, nec à ſiniſtris propter blanditias adulantium declinabat. Quapropter magnam plebẽ Domino Deo ſuo in hac præſenti Prouincia acquiſiuit, & ſibi honorem perpetuum promeruit.

Iob. 29. — Eſai. 58. — 1. Cor. 4.

Vnde populus eius cernens in Chriſto deuotionem religioſam, cœpit eum attentiùs honorare, & multa ei pro eleemoſynarum largitione afferre: quæ ille, (vt erat Dei & proximorũ dilectione plenus) omnia in pauperum elargitus eſt ſolatia, maximéque in captiuorum expendit redemptionẽ. Nam alios occultis diabolica fraude peccatorum vinculis obligatos, per ſedulæ prædicationis hortamenta ſoluebat, alios ſeculari captiuitate oppreſſos pecuniæ largitione redemit: vt illi ſpiritaliter abſoluti iucundarentur in Domino, & iſti carnali ſeruitute liberati conuerterentur ad Deum. Et non ſolùm in his regionibus per pietatis opera, vel per prædicationis lumina prædictus vir Domini clarus effulſit: ſed vt Lucifer æquoreos Oceani campos tranſiliens, præco diuini luminis nocturnas ſuo exortu diſcutit vmbras: ſic ille in vltramarinas Britanniæ regiones, ad expellendas ignorantiæ tenebras, lumen veritatis ſuo ſparſit aduentu. Scilicet, vt ſicut in iſtis regionibus, ſic & in illis alios à ſeruitute diabolica, alios à captiuitate carnali liberaret. Illis verbum Dei infudit, iſtis caritatis precium impendit, vt pro temporali redemptione æternam reciperent libertatem. Sic ergo bonus Dominicæ pecuniæ negotiator, duo ſimplicis charitatis Dei & proximi talenta multiplicare ſtuduit: quatenus cum multiplici laboris ſui fructu Domino ſuo obuiare poſſet, & hanc vocem audire iucundiſsimam: *Euge ſerue bone & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtituam: intra in gaudium Domini tui.* Matth. 25.

Fertur verò, dum cauſa prædicationis in Britannia diutius moraretur, ſubitò illi veniſſe in mentem, aliquos ſui iuris ſub ſeruitute ſe reliquiſſe in Gallia. Itaque dolore percuſſus, dixit ad ſuos: Heu! noſtros ſub ſeruitute dimiſimus in patria, dum huc aliquos liberaturi venimus, maximéque ſcio eos citò eſſe morituros. Sed ite feſtinãter, nauémque conſcendite, & eos facite ingenuos, priuſquàm moriantur. Illi haud ſegniter præceptum ſecuti paternum, in patriam venerunt, prædictóſque ſeruos viri Dei ſaluos & incolumes inuenerunt; eóſq; veluti iuſsi erant, manumittẽtes, fecerunt ingenuos: qui non poſt multum temporis, ſicuti ſanctus vir Dei prædixerat, defuncti ſunt. O quanta clementia eſt Dei Chriſti, qui famulo ſuo pietatis affectum inſeruit, & ſeruorum eius mortem futuram oſtendit: quatenus illi miſericordiæ merces de ſuis non periret, & illos morientes ſeruitutis iugum non grauaret, qui & ob alienos liberandos tanti itineris periculũ ſubire non timuit, & ex eo tempore neminem ſui iuris ſub ſeruitutis iugo retinere voluit: ſed vbique omnes ad ſe pertinentes libertate propria perdonauit, ne in proprios durior eſſe videretur, qui in alienos mitiſsimus apparere geſtiebat; & mercedem, quam ex aliis congregauit, de ſuis accumularet.

Igitur prædicationis officio in Britannia peracto, cum multiplici verbi Dei fructu reuerſus eſt in patriam: nedum in aliena meſſe quæreret mercedem, in propria perderet. Et tantò ſe ardentiùs ſeruituti Dei ſubegit, quantò viciniorem ſibi diem remunerationis eſſe præſenſit. Nam ſeipſum quotidianis ieiuniis macerauit, mor-

tificatione carnis conſtrinxit, vigiliis afflixit, orationibus muniuit, charitate confirmauit, ſpe roborauit, fide armauit, nulli malum pro malo reddens, nullius adulator, neminem contemnens: vt viam veritatis prior ipſe incederet, quã cæteris prædicando monſtrauerat. Sic vir Dei galea ſalutis induitur, & gladio verbi Dei accinctus, & lorica iuſtitiæ vndiq; circundatus, atque ſcuto fidei armatus, calceatuſque in præparationem Euangelij pacis, proceſſit in prælium publicum contra antiquum hoſtem, omnia tela eius ignea fortiſſimo fidei vmbone repellens: quotidianiſque triumphis ſpolia multa victo hoſte reportauit, in Eccleſia Chriſti tam metuendus humani generis inimico, quàm humano generi perneceſſarius, vtpote qui non ſuã tantùm, ſed multorum quæſiuit ſalutem. Ideò iuſtum eſt, vt multorum ore in Chriſto laudetur, multorum pro Chriſto redemptor: cuius non tanti eſt miracula narrare, quæ ab eo geſta ſunt, quanti miraculorum cognoſcere virtutem, qua cæleſti regi in diebus ſuis multum acquiſiuit populum. Nam officium prædicationis omnium ſignorum oſtenſione maius eſſe non dubiũ eſt, licèt non defuerit pro temporũ vel rerũ conuenientia ſignorum perpetratio, quæ per eum diuina peregit clemẽtia.

Ephes. 6.

Quodam namque tempore maligni ſpiritus tentatio ad verecundiam accidit viri Dei, quam Dei miſericordia ad laudem ei conceſſit euenire. Viſitauit enim equitando quandam Deo deuotam feminam, Rictrudem nomine, & cum iam poſt dulces vitæ epulas, & poſt colloquia ſalubria, ipſe vir Dei, aſcenſo equo, ad propria remeare diſpoſuiſſet: femina prædicta, iuxta morem, equitantis veſtigia Patris ſecuta eſt, habens in vlnis filium ſuum, vt paruulus quoque benedictione hominis Dei roboraretur, quem ipſe antè ſacro baptiſmate regenerauerat. Accipiente itaque infantem equite venerando, ſeu ad benedicendum, ſeu ad oſculandum, antiquus hoſtis, omnibus bonis inimicus, immiſit equo ferocitatem: qui huc illucque dentibus frendens, pedibuſque calcitrans, & toto corpore inſaniens, incõſueto impetu per campum diſcurrere cœpit. Quod pauida cernens mater, oculos auertit, ne morientem videret filium, quem ſeruus Dei, ſæuiente equo, manu tenebat. Familia verò pro morte pueri, vel caſu viri Dei, ſtrepere, plangere, eiulare non deſtitit. Sed dextera Chriſti, quæ Petrum trepidantem leuauit, ne mergeretur in vndis, puerum cadẽtem ſubleuabat, ne allideretur in terris. Nam oratione à famulo Dei facta, puer incolumis quaſi auicula peruenit ad terram, & equus redditus eſt manſuetudini ſuæ. Et mater quidem filium ſuum ſuper terram ſanum & ridentem ſuſcepit in vlnas ſuas. Ipſe tamen Sacerdos Dei non equo iter agere, ſed aſello manſuetiſſimo ex eo tempore voluit. Sic ergo miſerante Deo, tentatio maligni hoſtis illi verſa eſt in laudis honorem, & ſuperbia equi facta eſt humilitatis gratia & magiſtra. Nam non erat immemor, Dominum Chriſtum, dum ad redemptionem properaret humani generis, aſello iter egiſſe, non equo. Sic & ipſe propter ſalutiferam prædicationem, dum per multa quotidiè feſtinaret loca, aſellum ſibi portitorem ſufficere iudicauit. Quocumque autem iter agebat, aut Pſalmi in ore eius reſonabant, aut ſalutis ex ore eius prædicatio audiebatur. Nec mirũ, ſi Chriſtum ſemper prædicaret lingua, quẽ ſemper gerebat in corde, per quem pius conſolator miſeris fuit, & durus inuector potentibus: illorum inopiam clementi miſeratione releuans, iſtorum ſuperbiã ſeuera caſtigatione reprimens.

Matth. 14.

Matth. 21.

Nam quodam tempore Rex potentiſſimus Dagobertus, rogante viro illuſtri Giſlemaro, eaſdem venire in partes, & virum Dei, vt ſe ſacroſanctis eius orationibus cõmendaret, inuiſere contigit. Quem ipſe famulus Dei & ſanctitatis ſuæ benedictione roborauit, & ſacerdotali auctoritate libera voce caſtigauit, denuncians ei, ne in ſeculari ſuperbiret potentia, ne in fugitiuis ſperaret diuitiis, ne vanis adulantium extolleretur rumoribus, ne caducis gauderet honoribus; ſed magis Dei timeret potentiã, illiuſque immenſam laudaret gloriam, humanam verò potentiam vel gloriam nullã putaret, quæ ſubitò velut volatilis vmbra recedat, & tanquam ſpuma ſuper aquam, tentationis flante vento, euaneſcat: atque hoc potiùs timendo cogitaret, quia *potentes potenter tormenta patientur*, &, *cui plus datur, plus exigitur ab eo.* Qui autẽ vix ſufficit pro ſe ſolo rationem reddere Deo in die iudicij, quid faciet pro tot hominũ millibus ipſi commiſsis? Idcircò, quiſque magis timere poteſt præeſſe, quàm ſubeſſe: quia qui ſubeſt, pro ſe ſolo rationẽ reddet Deo: qui autem præſunt, pro omnibus reddituri ſunt, qui ſub eorum ſunt poteſtate conſtituti. Qua caſtigatione Rex, vt fuit ſapientiſsimus, benignè ſuſcepta, gaudens eius libera veritatis fiducia, Sacerdotem Chriſti ſecum ad conuiuiũ venire rogauit.

Sap. 6.

Luc. 12.

A Qui Chriſti confortatus exemplo, ſecularium non reſpuentis conuiuia, vt prædicationis ſumeret occaſionem, venit cum Rege ad menſam eius, totaque die illa & nocte inter epulas lætitiæ, verbum Dei dapes ſalutiferas conuiuis ſuis miniſtrauit. Cuius conſtantia morum & inſtantia prædicationis præfatus Rex delectatus, cœpit eum ex animo amare, & honore proſequi intantùm, vt ea ipſa die aliquid de cenſu ſuo ad luminaria domus Dei condonaret; ratũ æſtimans, vt ſicut ipſe inuiſibili prædicationis lumine ab eo illuminatus eſſet, B ſic viſibili luce per eum domus Domini illuſtraretur: & quod intus ei fulgebat in fide, hoc foris fulgeſceret in Eccleſia, memor præcepti Dominici, quo dicitur; *Sic* Matth. 5. *luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent patrem veſtrum,* Pſal. 35. *qui in cælis eſt.* Itemque in Pſalmo, *In lumine tuo videbimus lumen*; id eſt, in lumine fidei, quod fulget in mente, lumen foris ſcintillat, quod ſplendeſcit in opere.

Exindè autem famulus Dei, quia ab hominibus honorabatur, homines fugere C meditabatur, vt honores temporales declinando, honores acciperet perpetuos: eremumque concupiuit, quatenus liberiùs ſoli Deo vacaret, & contemplatiuos carperet fructus, qui ad id vſque temporis in actuoſis haud ſegniter deſudarat: ſciens à Domino dictum de Maria ſedente ſecus pedes eius, & verbum vitæ attentiùs au- Luc. 10. diente: *Optimam partem elegit ſibi Maria, quæ non auferetur ab ea.* Huiuſque memor ſentẽtiæ, Monaſticam vitam petit, quo ſecretiùs ſola cœleſtia mente rimaretur, Eccleſiæ D regimen alteri tradens, quã ipſe in Centula vico Chriſto fundauerat. Porro Giſlemarus, vir illuſtris, & Chriſtianæ Religionis deuotus amator, ſimul & Maurontus, nobilis quidam vir, & terrarum vel ſyluarum ad Regem pertinentium ſeruator, præbuerunt ei locum manẽdi in ſilua Triſtiacenſi. Qui & ipſe Maurontus poſtea ſeculari habitu depoſito, Monachus factus eſt in eodem loco. Cumque viro Dei manſionem ſolitariam præparaſſet, Chriſto Monaſterium conſtruere inchoauit. E Vir igitur Dei habitationem illam cum vno ſolo commilitone ingreſſus eſt, paruo tantum tuguriunculo, viliſſimo opere facto, contentus, vt habitatio vitæ conueniret; ſuperfluum æſtimans, ſeculi contemptorem aliquid ſeculi deliciarum habere & videre. At inibi tanta ſe mortificatione carnis caſtigauit, tanta ieiuniorum & vigiliarum aſſiduitate macerauit, vt vix oſſa arentia diſſipatis iuncturis ſibi adhærerent, & trementia baculo regente veſtigia difficilè moueret. Iam mente ſeculo maior, ſola cæleſtia ſemper cogitabat, quantumque mundo alienus, tantum Deo proximus erat, illum quotidie vincens in eremo, à quo Adam olim victus eſt in paradiſo: ſu- Geneſ. 3. per aſpidem & baſiliſcum ambulans, caput quotidie antiqui conterens ſerpentis, temporalia contemnens, æterna ſola ſuſpirans, ſcalam ſomniantis Iacob omni horâ aſcen- Geneſ. 28. dens, atque per anguſtam viam, quæ du- Matth. 7. cit ad vitam, incedens, iter ſuum aſſiduis muniuit orationibus. Nec clauſa tamen eremi anguſtia, lucis columna latère potuit; quin potius ſui fulgoris radiis longè lateque magis innotuit. Quapropter vndique ad hominem Dei diuerſis fatigati infirmitatibus confluxerunt, quos ſanctarum medicinis orationum ſanauit, omneſque ad ſe quocumque morbo afflictos venientes, vel triſtitię cuiuſlibet rancore anguſtiatos, ſanos & hilares domum remeare fecit: nec in domo ſalutis diu morbus manere valuit, ſed quantò propiùs acceſſit, tantò velociùs receſſit. Mihi verò non ſingulas virtutũ eius ſpecies nominatim enarrare propoſitum eſt, ſed vitæ ſanctitatem paucis perſtringere verbis: ne eloquij mei *tarditate* multiplex ſignorum per eum geſtorum fama magis obſcuretur, quàm laudetur. Doctioribus ergo illa relinquenti, quo fine præſens hoc ſeculum ſancta illa anima deſeruerit, ſolùm mihi dicere ſufficiat.

Itaque præſcius diei euocationis ſuæ, qua felicitatem diu deſideratam accepturus erat, vt eſſet ſemper coniunctus Chriſto, quem ſemper amauerat: vocauit ad ſe Sigobardum commilitonem ſuum, dixitque ei: Scio fili mi, ſcio, quod finis meus non tardat, & Regem meum, quem diu concupiui, citiùs videbo: & vtinam tam propitium mihi ſeruo ſuo videam, quàm deſiderabilem ſanctis ſuis. Sed tu, fili mi, præpara vaſculum corpori meo, quo condatur, non ſuperfluo ſtudio, ſed neceſſario vſu: vt illic ſeruetur in illum diem, quo 1. Cor. 15. corruptela hæc vertatur in incorruptionem, & mortale hoc induatur immortalitate. *Et para te cum omni diligentia, dul*ciſſime fili, vt vbi dies illa, quæ mihi modò appropinquat, tibi aduenerit, te paratum inueniat. Ego verò ingredior viam vniuerſæ carnis. Tantum mihi miſericors ſit Saluator mundi, & me modò defendat ab hoſte, qui me olim redemit ab hoſte. Et quem præſentis vitæ habui conſolatorem, æternæ vitæ mihi inueniam largitorem.

Hæc diſcipulus à Patre audiens, lacrymis A perfuſus, tamen præcepta ſecutus, lignum inueniens fidit, cauauit, & corpori Patris coaptauit, piiſque fletibus rigauit, quod fecit penè prius lacrymis implens amaris, quàm paternis membris: aptatumque, vt potuit, ſarcophagum in loco præfinito à Patre compoſuit. Interim dum cum triſtitia Patri filius pararet obſequium, validior Patrem coquebat infirmitas, & in frigido corpuſculo vix halitus remanſit extremus. Nec tamen ab orationis ceſſauit officio, vel diuinæ laudis obſequio. Et dum ſaluti- B fero corporis & ſanguinis Chriſti viatico ſuum iter muniuit, inter gratiarum actiones, & verba orationis VI. Kalend. Maij ſpiritum emiſit; poſituſque eſt in ſepulchro à diſcipulo in loco, vbi ipſe præceperat. Sed mirum dictu, inter exequias paternas ſubitò diſcipulus ſopore oppreſſus, vidit in viſu, quaſi raptus eſſet in aulam ſplendidiſſimam, omnique decore pulcherrimam, imò ſolis luce clariorem: in qua beatum Richarium præclaro & hilari vultu vidit habitantem, ſibique loquen- C tem: Ecce, frater Sigobarde, qualem manſionem præparauit mihi Deus, pro vili, quam habui in terra, pulcherrimam in cælo, pro contemptibili glorioſam, pro obſcura lucidiſſimam, & pro fumoſa omni ſuauitate renidentem. Euigilans autem Sigobardus, lætior opus exequiarum perfecit, Deo prouidente, vt filius conſolaretur, & Patris ei gloria oſtenderetur. Conditus eſt ergo, vt prædixi, miles Chriſti, vbi ſuo Regi maximè militauerat. Sed non multo poſt fratres à Centula Monaſterio D cum ſuo Abbate Ocialdo, viro religioſo, & Sancti ſucceſſore, venerunt, & corpus S. Richarij tulerunt, poſueruntque in loco, in quo etiamnum cum magna meritorum gloria requieſcit. Ibi enim, præſtante Deo, per ſerui ſui reliquias noua ſæpius audiuntur miracula edi, vt fides precantium pateſiat, merita ſancti viri oſtendantur, & & in ſeruo ſuo Chriſti laus celebretur, ſi-
Pſal. 150. cuti dictum eſt: *Laudate Dominum in Sanctis eius.* Quidam contractus, corpore debilis, ſed fide robuſtus, frequentabat orando E Sancti Dei ſepulchrum. Qui optata ſanitate ſubitò recepta, dedit gloriam Deo, quod infirmus veniſſet, & ſanus recederet. In cuius miraculi memoriam vſque hodie ſuſtentacula infirmitatis illius pendent in Eccleſia S. Richarij. Sed & multoties dæmoniaci ad corpus Sancti Dei ſuorũ obſequio deducti, diuina concedente clementia, à vexatione maligni ſpiritus liberãtur.

Quodam tempore vinculis & catenis conſtricti quidam per publicam ducebantur plateam, quæ eſt iuxta beati Richarij Eccleſiam. Qui cùm eminùs ad viri Dei properarent templum, voce magna clamare cœperunt: Sancte Richari ſalua nos. Et ſtatim, ruptis vinculis, abſoluti ſunt.

Item clades magna, quam venenoſam lacertam vocant, longè latéque morte amara habitatores terræ interfecit, & vix ab ea tactus viuus euaſit. Percuſſuſque eſt ea peſte quidam è fratribus S. Richarij, qui licèt mortem timeret propter cladem, vitam tamen non deſperauit propter Patronum. Ergo quaſi ad certa ſuffragia comitantibus fratribus, cucurrit ad ſepulchrum viri Dei: ibiq; cõmuniter oratione facta, & ipſe liberatus eſt à morte, & omnes defenſi ſunt à plaga, nec aliquis ex illis fratribus mortifera cladis eius vaſtatione percuſſus eſt. Nec ſolùm illi liberati ſunt, ſed & ſi quis à longè veniens plaga tactus peſtifera, ad S. Richarij cum fide fugiat ſolatium, etiam cum clade mortis euadit periculum.

Vnde intelligi datur, quantam habeat apud Deum poteſtatis pro noſtris intercedendi peccatis, ſi cum fide clamemus ad illum, qui tanta eſt virtute præditus, depellendi morbos ab illis, qui cum fide veniunt ad eum. Nam patet ex miraculis, qualis ſit ex meritis, & anteacta vita fulgeſcit in opere ſubſequenti; itaut non ſit opus dubitare de ſanctitate, dum tantus eſt in virtute. Intelligite hinc, fratres cariſſimi, qui pauper voluit eſſe pro Chriſto, quales modo habeat diuitias cum Chriſto: & qui appetit eſſe contemptibilis inter homines, quàm glorioſus regnet inter Angelos: honorem, quem fugit in terris, nunc poſſidens feliciſſimè in cælis. Quapropter dignum eſt vt ab omnibus honorificetur, qui omnium Dominum ſemper amauit: propenſiùs tamen à nobis, qui eius corpori aſſiſtimus: quatenus quos filios genuit in doctrinis, dignos poſſideat hæredes in meritis. Nec illi tantùm prodeſt noſtra laudatio, quantum nobis eius imitatio. Magis illi placet imitator deuotus, quàm laudator otioſus. Vnde, fratres cariſſimi, & ſanctiſſimi Patres, & filij iucundiſſimi, totiuſque ſanctæ congregationis populus qui ad tanti Patroni feſta conueniſtis, dignos vos facite, vt Deus omnipotens per eius interceſſiones veſtras exaudiat orationes. Ornate voſmetipſos ſpiritali pulcritudine, ſupereminentis caritatis gloria, victrici fidei fortitudine, & ſpe ſuauiſſima de Chriſti bonitate; ſequentes ſemper

ſanctorum Patrum veſtigia, vt per eorum gradientes exempla, illorum ſocietate digni efficiamini: & ſecundum Apoſtolum, (Tit. 2.) *abnegantes impietatem & ſecularia deſideria, ſobriè, & iuſtè, & piè viuamus in hoc ſeculo, expectantes beatam ſpem, & aduentum gloriæ ma-* A *gni Dei & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti.* Qui dedit ſemetipſum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret ſibi populum acceptabilem, ſectatorem bonorum operum. Cui eſt gloria in ſecula ſeculorum, amen.

DE VITA

SANCTI VVILLIBRORDI

TRAIECTENSIS EPISCOPI, LIBRI II.

AVCTORE ALBINO FLACCO ALCHVVINO.

PROLOGVS.

Domino eximio, venerabili, atque laudabili, Beornrado Archiepiſcopo, humilis Leuita Alcuuinus, ſalutem.

DELATIS *ad nos veſtræ excellentiæ literis, in quibus veſtrum agnoſcens in Domino ſtudium, & diuturnam in lege eius meditationem, magno me gaudio affectum eſſe fateor. Sed tamen longè imparem me petitioni veſtræ conſideraui, vt pote nullo prærogatiuæ munere eloquentiæ ſuffultus, ad implendum quod iuſsiſtis. Ac niſi me charitas vrgeret, quæ nulla negare ſolet, non auderem vltra meæ paupertatis vires negocium attingere. Tamen veſtris orationibus diuina donante gratia, & ſanctiſsimo Patre Vuillibrordo intercedente, cuius me vitam, mores, & miracula ſcribere ſic ſtudioſè rogas, tuis parui, Pater ſancte, præceptis, & duos digeſsi Libellos. Vnum proſaico ſermone gradientem, qui publicè fratribus in Eccleſia, ſi dignum tuæ videatur ſapientiæ, legi potuiſſet. Alterum Pierio pede currentem, qui in ſecreto cubili inter ſcholaſticos tuos tantummodo ruminari debuiſſet. Vterque tamen propter occupationes diurnas furtiuis noctium lucubratiunculis dictatus eſt, & eò magis veſtræ indigent defenſionis, quo minus ab auctore proprio expoliti ſunt. Meum fuit, præcipientis non ſpernere auctoritatem: tuum eſt, obedientis defendere imperitiam. Vnam quoque priori Libello ſuperaddidi Homiliam, quæ vtinam digna eſſet tuo venerando ore populo prædicari. Item ſecundo adieci ſermoni Elegiacum carmen de viro venerabili Vuilgiſo, patre ſcilicet ſanctiſsimi Pōtificis Vuilibrordi, cuius corpus requieſcit in Cellula quadam maritima: cui ego, indignus licet, legitima, Deo donante, ſucceſsione deſeruio. Sed & omnia, quæ vel proſa gradiente, vel verſu currente dictaui, tuæ ſanctitatis ſpectant iudicium, vtrum digna memoriæ, an pumice radenda feroci: nec niſi tuo roborata examine, procedent in publicum.*

LIBER PRIMVS.

CAP. I. FVIT in Britannia Inſula, Prouincia Nordanhumbranâ quidam paterfamilias genere Saxo, & nomine VVilgis, religioſam in Chriſto cum coniuge & omni domo ſua, ſicut poſt ſi- B gnis patefactum eſt, agens vitam. Nam relicto habitu ſeculari, Monachicam conuerſationem elegit, ac non multo poſt creſcente in eo feruore vitæ ſpiritualis, arctiori animi ſtudio ſolitaria ſeipſum mancipauit diſtrictione in promontoriis, quæ mari Occano, & Humbri flumine cinguntur. Ibi etiam multo tempore in quodam paruo Oratorio, ſancti Andreæ Apoſtoli

Chriſti nomine dicato, in ieiuniis & orationibus atque vigiliis Deo ſeruiens, etiam miraculorum ſignis claruit, & nomen eius celebre factum eſt. Nec confluentes ceſſabat ad ſe turbas ſuauiſſima verbi Dei admonitione cohortari. Sed & illius gentis Regi & Optimatibus honorabilis effectus eſt, intantum, vt ei aliquas terrarum poſſeſſiunculas, illis promontoriis adiacentes, ad ædificandam Deo Eccleſiam, dono perpetuo contulerint. In qua pius Pater modicam quidem, ſed honeſtam Deo ſeruientium adunauit Congregationem. In qua & poſt multiplices ſancti laboris agones, à Deo coronatus corpore requieſcit, & poſteri eius vſque hodie ex ſanctitatis eius traditione poſſident. Quorum ego meritis & ordine extremus, eandem Cellulam per ſucceſſiones legitimas ſuſcepi gubernandam, qui hanc Hiſtoriam ſanctiſſimi Patris, & ſummi Sacerdotis VVillibrordi, te iubente, beatiſſime Pontifex Beornrade, conſcripſi. Qui tanto Patri, & ſummi ſacerdotij dignitate, & generis poſteritate, & ſanctorum locorum obſeruatione, quæ ab eo in Dei honorem conſtructa eſſe noſcuntur, ſecundum datam tibi à Deo gratiam, hæres digniſſimus extitiſti.

Cap. II. Et vt eiuſdem ſancti Patris VVillibrordi altiùs natiuitatis originem, & mox in vtero matris diuinæ electionis repetam preſagia, reuertar vnde egreſſus ſum. Nam ſicut ſanctiſſimus Præcurſor Domini noſtri Ieſu Chriſti beatus Ioannes Baptiſta, ex vtero matris Deo ſanctificatus, religioſis parentibus, vt Euangelica narrat Hiſtoria, Chriſtum ceu ſolem præcedens lucifer, multis in ſalutem profuturus, natus eſt: ita & ſanctus VVillibrordus in plurimorum genitus ſalutem, religioſis parentibus natus eſſe dinoſcitur. (Luc. 1.) Nam vir venerabilis VVilgis, de quo nobis paulo ante ſermo fuit, ad hoc tantum, Deo prædeſtinante, matrimonio iunctus eſt, vt talis ad profectum multorum populorũ ex eo ederetur proles. Igitur vxor eius, mater ſcilicet beati VVillibrordi Patris, intempeſta noctis quiete cæleſte in ſomnis vidit orama * Viſum eſt ei, quaſi nouam in cælo videret Lunam, creſcente illa vſque dum plena videbatur eſſe. Quam diligentiùs intuens, repentino curſu lapſa ruit in os eius. Qua deuorata, eius intima ſplendore perfuſa ſunt. Euigilans verò, timore perterrita, cuidam religioſo Presbytero retulit ſomnium. Illóque interrogante, ſi ea nocte, qua ei viſio facta eſt, ſuo more ſolito iungeretur viro, acceptáque ab ea eius rei confeſſione, ita reſpondit. Luna quam ex modica vidiſti in magnam creuiſſe, filius eſt, quem in ea nocte concepiſti: qui luce veritatis caliginoſos tenebrarũ errores diſcutiet, & quocumque perrexerit, comitante ſuperni luminis ſplendore, plenum ſuæ perfectionis oſtendet globum: coruſcantéque rumoris eius candore, & morum pulchritudine, multorum in ſe alliciet adſpectum. Huius ergo ſomnij interpretationem rerum veritas ſubſecuta eſt.

* al. pœua, viſum.

Cap. III. Factum eſt poſt circulum dierum, & mulier peperit filium, ſacroque fonte baptiſmatis regenerato impoſuit ei mater nomen VVilbrord. Et ſtatim ablactatum infantulum tradidit eum pater Ripenſis Eccleſiæ fratribus, religioſis ſtudiis & ſacris litteris erudiendum: vt fragilior ætas validioribus inualeſceret diſciplinis, vbi nihil videret niſi honeſta, nihil audiret niſi ſancta. Quem diuina mox gratia ab ineunte pueritia & ſenſu proficere, & moribus pollere, quantùm ad tales congruit annos, conceſſit: itaut noſtris temporibus nouum Samuel naſci putares, de quo dictum eſt: *Puer autem Samuel proficiebat, atque creſcebat, & placebat tam Deo quàm hominibus.* (1. Reg. 2.) Ibíque in prędicto Monaſterio multis profuturus puer, Clericatus accepit tõſuram, & pia profeſſione Monachum ſe fecit eſſe, & inter cęteros eiuſdem ſanctiſſimi Monaſterij adoleſcentes enutritus eſt; ſed nulli alacritate minor, nulli humilitatis officio ſecundus, nulli lectionis ſtudio inferior: ſed ſic quotidie bonæ idolis puer proficiebat, vt teneros pueritiæ annos morum grauitate tranſcenderet. Factuſque eſt grãdæuus ſenſu, qui corpuſculo modicus fuit & fragilis.

Cap. IV. Igitur in ſacris eruditionibus & in omni ſobrietate, morumque honeſtate, beatiſſimo vſque ad viceſimum ætatis ſuæ annum adoleſcente proficiente, arctioris vitæ ardore ſuccenſus, & peregrinationis amore inſtigatus; & quia in Hibernia ſcholaſticam eruditionem viguiſſe audiuit, etiam quorumdã Sanctorum virorum, fama narrante, conuerſatione incitatus, & præcipuè beatiſſimi Patris & Epiſcopi Egberti, qui cognomento Sanctus vocabatur, necnon & Vuicberti venerabilis viri & Sacerdotis Dei, quorum vterque ob cæleſtis patriæ amorem, domo, patria, cognationeque relicta, Hyberniam ſeceſſit, ibique dulciſſimos supernę contemplationis fructus ſeculo nudus, Deo plenus, ſolitaria quotidie hauriebat conuerſatione. Horum beatus adoleſcens æmulari cupi-

ens religionem, cum conniuentia ſui Abbatis & fratrum, in Hiberniam veloci curſu conſcendit, prædictorum Patrum ſe familiaritati coniungens; quatenus, ceu prudentiſſima apis, ex eorum propinquitate mellifluos pietatis carperet flores, & in ſui pectoris alueario dulciſſimos virtutum fauos conſtrueret. Ibique duodecim annis, inter eximios ſimul piæ religionis & ſacræ lectionis Magiſtros, futurus multorum populorum prædicator erudiebatur, donec occurreret in virum perfectum, & in ætatem plenitudinis Chriſti.

CAP. V. Triceſimo itaque & tertio ætatis ſuæ anno, maior egregio viro fidei flamma creſcebat in pectore, ita vt parum ei videretur ſibi ſoli tantummodo in religionis ſanctitate ſudaſſe, ſi non & aliis quoque in prædicationis veritate prodeſſet. Audiuit in Borealibus mundi partibus meſſem quidem multam eſſe, ſed operarios paucos. Sed vt ſomnij, Deo diſpenſante, impleretur veritas, quod mater olim de eo ſe vidiſſe teſtatur: ſuæ conſcius voluntatis, licet adhuc diuinæ diſpenſationis ignarus, illas in partes nauigare cogitauit, & clariſſima Euangelicæ prædicationis luce, torpentes longa infidelitate populos, ſi Dei eſſet voluntas, illuſtrare. Aſſumptiſq; ſecum duodecim fratribus, eo fidei feruore armatis, quo & ipſe, nauim conſcendit: quorum aliqui poſtea, ob prædicationis Euangelicæ inſtantiam, martyrio coronati ſunt: aliqui verò Epiſcopatus ordinem accipientes, poſt ſanctæ prædicationis labores in pace quieuerunt.

CA. VI. Igitur vir Dei cum ſociis, ſicut prædiximus, nauigauit, donec proſpero curſu ad oſtia Rheni fluminis vela depoſuit; ibique optata telluris ſtatione refocillati ſũt, & mox ad caſtellum Traiectum, quod in ipſa fluminis ripe ſitum eſt, peruenerunt. In quo etiam poſt aliquod tempus, Deo donante, & verbo fidei creſcente, idem ſanctus VVillibrordus ſedem Epiſcopatus ſui habuit. Sed quia eadem gens Friſonum, in quo idem ædificatum eſt caſtellum, cum Rege ſuo Radbodo paganis adhuc ritibus ſorduit, viſum eſt viro Dei Franciam contendere, ac Ducem illorum adire Pipinũ, virum ſtrenuum, triumphis clarum, & moribus probum. Qui eum cum omni honore ſuſcipiens, ſed nolens tanto Doctore ſe vel ſuam priuare gentem, loca ei opportuna intra terminos regni ſui præuidit, quô potuiſſet idololatriæ ſpinas extirpare, & puriſſima verbi Dei ſemina per munda noualia abundantiùs ſpargere, vt impleret Propheticum præceptum: *Nouate vobis noualia, & nolite ſerere ſuper ſpinas.* Cumque ſtudioſiſſimè vir Dei per loca ſingula diſcurrendo, optatum Euangelizandi opus exercuiſſet, & ſemina vitæ, ſupernæ gratiæ rore irrigante, longè lateq; in agris multorum cordium ad eius prædicationem pullulaſſent, congaudens prædictus Francorum Dux eius ſanctiſſimæ deuotioni, & verbi Dei clariſſimæ multiplicationi, maioris profectus occaſione, prudenti cogitabat cõſilio eum Romam mittere, vt à domno Apoſtolico SERGIO, viro ſanctiſſimo tunc temporis, in ſummi ſacerdotij honorem ordinaretur: quatenus Apoſtolica benedictione & iuſſione ſuſcepta, maiori ab eo miſſus fiduciâ roboratus, in opus Euangelij reuerteretur, iuxta Apoſtolicum illud: *Quomodo prædicabunt, niſi mittantur?* (Rom. 10.) Quod cùm viro Dei perſuadere tentaret, renuit primùm, nec ſe tantæ auctoritatis honore dignum eſſe referebat. Enumeratiſque Apoſtolicæ ſanctionis præceptis, longe ſe inferiorem huic virtutum catalogo aſſerebat, quem egregius mundi prædicator, filium ſuum Timotheum erudiens, oportere Epiſcopum habere cenſuit. (1. Tim. 3.) Dux verò contra religioſe iuſſit, quod vir Dei verecunde negauit.

CA. VII. Tandem omnium vnanimitate victus, & quod maius eſt, Dei diſpenſatione coactus, conſenſit; magis volens plurimorum humiliter obedire conſilio, quam ſuam pertinaciter defendere voluntatem. Et ſic cum honorifica legatione, & muneribus, auctoritati Apoſtolicæ condignis, Romam directus eſt. Sed die quarta, priuſquàm illo veniret, beatiſſimus Apoſtolicus Angelica in ſomnis reſponſione admonitus eſt, vt illum cum ſummo honore ſuſciperet, & quòd multarum animarum eſſet illuminator futurus, Deóque electus, & ad hoc veniſſet, vt ſummi ab eo ſacerdotij honorem ſuſciperet; nihilque ei negandum eſſe, quicquid petiſſet. Qua factus Apoſtolicus admonitione certus, cum magno gaudio, & ſummo eum ſuſcepit honore. Et vt in eo fidei agnouit feruorem, religionis deuotionem, ſapientiæ plenitudinem, die competenti populo adueniente, aduocatis venerabilibus ad ſocietatem miniſterij Sacerdotibus, publicè in Eccleſia beatiſſimi Petri Principis Apoſtolorum cum magna dignitate more Apoſtolico eum ordinauit Archiepiſcopum, ac ordinato nomen impoſuit Clemens, veſtimentiſque ſuis ſacerdotalibus induit eum, & ſancto, quaſi ſuperhume-

tali Aaron, pallio dignitatis, & indumenti confirmauit gloria. Et quicquid voluit vel potuit, aut in patrociniis Sanctorum, aut in rebus Eccleſiaſticis, cum tota mentis alacritate tradidit illi, firmatumque benedictione, donis ditatum, cum ſalutaribus præceptis iterum eum in opus Euangelij remiſit.

C. VIII. Accepta ergo Apoſtolicæ auctoritatis benedictione, cum maiori fiducia deuotus verbi Dei prædicator, ad præfatum Francorum Ducẽ regreſſus eſt. Qui eum cum ſumma honoris magnificentia receptum, cum ſuæ poteſtatis iuſſione in opus Euangelij direxit: maximè tamen in Borealibus regni ſui partibus, quò eatenus, ob raritatem Doctorum, vel duritiam habitatorum, fidei flamma minus relucebat. Eò vir Dei inſtantiùs illis in regionibus ſemina vitæ ſparſerat, quò plus neceſſarium antiquam ignorantiæ famem depellere perſpexerat. Qualem, diuina gratiâ adiuuante, illis incolis fructum feciſſet, teſtes ſunt vſque hodie populi per ciuitates, vicos, & caſtella, quos ad veritatis agnitionem, & ad vnius omnipotentis Dei cultum pia admonitione perduxerat. Teſtes quoque Eccleſiæ, quas per loca ſingula conſtruxerat: teſtes & Deo famulantium congregationes, quas aliquibus adunauit in locis.

CA. IX. Tentauit quoque idem vir Dei vltra Francorum regni fines cæleſtis doctrinæ flumina deriuare. Nam tunc temporis Regem Friſonum Radbodum cum gente ſua paganum non timuit adire, & quocumque pertexerat, verbum Dei cum omni fiducia loquebatur. Sed præfatus Friſonum Rex licet virum Dei humilitatis gratiâ benignè ſuſciperet, nullis tamen vitæ fomentis ſaxeum eius cor emolliri potuit. Cùm ergo apud eum vir Dei fructificare ſe non poſſe ſentiret, ad ferociſſimos Danorum populos iter euangelizandi conuertit. Ibi tum, vt fertur, regnabat Vngendus, homo omni fera crudelior, & omni lapide durior: qui tamen, iubente Deo, veritatis præconem honorificè tractabat. Quem dum obduratum moribus, & idololatriæ deditum, & nullam melioris vitæ ſpem habentem offendit; acceptis tunc triginta eiuſdem patriæ pueris, ad electos à Deo populos regni Francorum reuerti feſtinauit. Sed in eo ipſo itinere catechizatos eoſdem pueros vitæ fonte abluit, ne aliquod propter pericula longiſſimi nauigij, vel ex inſidiis ferociſſimorum terrę illius habitatorum, damnum pateretur in illis, volens antiqui hoſtis præuenire aſtutias, & Domini ſacramentis animas munire acquiſitas.

CAP. X. Et dum pius verbi Dei prædicator iter agebat, peruenit in confinio Friſonum Danorumque ad quãdam inſulam, quæ à quodam Deo ſuo Foſite, ab accolis terræ Foſiteſland dicebatur: quia in ea eiuſdem Dei fana fuere conſtructa. Qui locus à paganis in tanta veneratione habebatur, vt nihil in ea vel animalium ibi paſcentium, vel aliarum quarumlibet rerum, quiſquam gentilium tangere auderet; nec etiam à fonte, qui ibi ebulliebat, aquam haurire, niſi tacens, præſumeret. Quò cùm vir Dei tempeſtate iactatus eſt, manſit ibidem aliquot dies, quouſque ſepoſitis tempeſtatibus opportunum nauigandi tempus adueniret. Sed paruipendens ſtultam loci illius religionem, vel ferociſſimum Regis animum, qui violatores ſacrorum illius atrociſſima morte damnare ſolebat, tres homines in eo fonte cum inuocatione ſanctæ Trinitatis baptizauit: ſed & animalia, in ea terra paſcentia, in cibaria ſuis mactare præcepit. Quod Pagani intuentes, arbitrabantur eos vel in furorem verti, vel etiam veloci morte perire. Quos cùm nihil mali cernebant pati, furore perciti, Regi tum Radbodo quod viderant factum retulerunt. Qui nimio furore ſuccenſus, in ſacerdotem Dei viui ſuorum iniurias Deorum vlciſci cogitabat: & per dies ſemper tribus vicibus ſuo more mittebat ſortes, & nunquam damnatorum ſors, Deo verò defendente ſuos, ſuper ſeruum Dei, vel aliquem ex ſuis, cadere potuit: nec niſi vnus tantum ex ſociis ſorte monſtratus, & martyrio coronatus eſt. Vocabatur verò vir ſanctus ad Regem, & multum ab eo eſt increpatus, quare ſua ſacra violaſſet, & iniuriam Deo ſuo feciſſet. Cui præco veritatis conſtanti animo reſpondit: Non eſt Deus, quem colis, ſed diabolus, qui te peſſimo errore deceptum habet, ô Rex, vt animam tuam æternis tradat flammis. Non eſt enim Deus, niſi vnus, qui creauit cælum & terram, & omnia quæ in eis ſunt: quem qui vera fide colit, vitam habebit ſempiternam. Cuius ego ſeruus, hodie tibi teſtificor, vt ab antiqui erroris vanitate, quam coluerunt patres tui, tandem aliquando reſipiſcas, & credens in vnum Deum omnipotentem Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, & vitæ fonte baptizatus, abluas omnia peccata tua, & proiecta omni iniquitate & iniuſtitiâ, deinceps nouus homo viuas in omni ſobrietate, iuſtitia, & ſanctitate. Hoc faciens, cum Deo & Sanctis eius

A gloriam poſſidebis ſempiternam. Si verò me contemnis, viam ſalutis tibi oſtendentem, ſcitò certiſſimè, quod æterna ſupplicia, & infernales flammas tu cum diabolo, cui obtemperas, ſuſtinebis. Ad hæc Rex miratus reſpondit: Video te minas noſtras non metuiſſe, & verba tua eſſe, ſicut & opera. Etſi autem nollet veritatis prædicatori credere, tamen ad Pipinum Ducem Francorum eum cum honore remiſit.

CA. XI. Qui in eius lætatus aduentu, rogauit eum deſtinato verbi Dei operi inſiſtere, eradicatiſque idololatriæ ſpinis, verbum Dei B inſtanter per loca ſingula ſerere. Quod etiam pius prædicator haud ſegniter implere ſatagebat, circumiens omnes illius terræ regiones, per vrbes, vicos, caſtella, vbi priùs euangelizauerat, exhortans omnes quatenus bono animi propoſito in veræ fidei permanerent firmitate. Et dum per ſingulos dies numerus creſcebat fidelium, & maior credentium turba ad verbi Dei agnitionem confluebat, cœperunt plurimi, fidei feruore incitati, patrimonia ſua viro Dei offerre. Quibus ille acceptis, mox Eccleſias in eis ædificare iuſſit. Statuitque per eas ſingulos Presbyteros, & verbi Dei ſibi cooperatores, quatenus nouus Dei populus haberet, quò ſe diebus feſtis congregaret, vel ſalutares audiret admonitiones, vel à quibus ſacri baptiſmatis munera acciperet, & Chriſtianæ religionis literas diſceret. Et ità vir Dei magis ac magis de die in diem, diuina donante gratia, proficiebat.

C. XII. Contigit autem, Pipinum Ducem Francorum diem obire, & filium eius Carolum D Regno patris potiri. Qui multas gentes ſceptris adiecit Francorum: inter quas etiam cum triumphi gloria Friſiam, deuicto Radbodo, paterno ſuperaddidit imperio. In qua tunc gente ſanctus VVillibrordus poſitus eſt prædicator, ſedique Epiſcopali in Traiecto caſtello delegatus eſt. Qui maiori Euangelizandi occaſione accepta, nuper gladio acquiſitam gentem ſacro baptiſmate abluere conatus eſt. Nec quicquam in ea vetuſti erroris, nec tenebris ignorantiæ latere ſinebat: ſed totam E Euangelica luce ſine dilatione perfundebat, itaut in eo populo ſubitò Propheticum illud impleretur teſtimonium: (Oſeæ 1.) *Et erit, in loco, vbi dicetur eis, Non populus vos: dicetur eis, Filij Dei viuentis.* Plurima quoque diuina virtus fecit per ſeruum ſuum miracula, licet omni miraculorum operationi & ſignorum oſtenſioni miniſterium Euangelicæ prædicationis præferendum ſit; tamen quæ geſta narrantur, ad gloriam donantis Dei non tacenda eſſe cenſeo, ſed magis ſtylo alliganda, ne pereant poſteris ſæculis, quæ priſcis temporibus acta eſſe noſcuntur.

C. XIII. Quodam igitur tempore, cùm venerabilis vir iter euangelizandi more ſolito ageret, venit ad quandam villam VValachrum nomine, in qua antiqui erroris idolum remanſit. Quod cùm vir Dei zelo feruens confringeret, præſente eiuſdem idoli cuſtode, nimio furore ſuccenſus ille, quaſi Dei ſui iniuriam vindicaret, in impetu animi inſanientis, gladio caput Sacerdotis Chriſti percuſſit: ſed Deo defenſante ſeruum ſuum, nullam ex ictu ferientis læſuram ſuſtinuit. Socij verò illius hoc videntes, peſſimam preſumptionem impij hominis vindicare concurrerunt. Sed à viro Dei pio animo de manibus illorum liberatus eſt reus, ac dimiſſus: qui tamen eodem die dæmoniaco ſpiritu arreptus eſt, & die tertia infeliciter miſeram vitam finiuit. Et quia vir Dei, iuxta præceptum Domini, (Matth. 5) ſuas iniurias vlciſci noluit, citius à Domino vindicatum eſt, iuxta illud: (Deut. 32) *Mihi vindictam, & ego retribuam, dicit Dominus.*

C. XIIII. Alio quoque tempore iter beato viro faciente ad quandam ſuæ ditionis *Cellulam*, quæ ex nomine præterfluentis aquæ Sueſtra dicitur, propter compendium propioris viæ per ſegetes cuiuſdam diuitis anguſtam ſubintrauit ſemitam. Quod earumdem ſegetum cuſtos cernens, nimio inflatus furore, virum Dei blaſphemare cœpit. Quem conuicia viro Dei inferentem cum ſocij, qui cum eo erant, vindicare vellent, miti animo Dei famulus eos compeſcuit, nolens aliquem ſua cauſa perire, qui ſalutem ſitiebat omnium. Sed cùm inſanientis animum nullo modo lenire poſſet, dans locum iræ eius, via qua venit reuerſus eſt. Sed die poſtera idem infelix, qui famulo Dei conuicia dicere non abhorruit, multis cernentibus, in eodem loco repentina morte periit.

C. XV. Cùm vir Deo plenus propter Euangelicæ prædicationis inſtantiam loca circumiret maritima, aquæ dulcis penuriam patiebatur. Quod dum cernebat commilitones, propter ardorem ſitis, grauiter ſuſtinere: vocato vno ex illis, præcepit ei intra tentoriū ſuum foſſam aperire paruam. Vbi ſecreto fixis genibus orabat Deum, vt qui populo ſuo aquam in deſerto produxit de petra, (Exod. 17, Num. 20) ſeruis ſuis eadem miſericordia de arenoſa terra aquam produceret. Qui mox exauditus eſt. nam ſubito fons dul-

dulciſſimi ſaporis foſſam implebat. Quod qui cernentes, gratias agebant omnipotẽti Deo, qui Sanctum ſuum magnificauit, & exaudire dignatus eſt. Bibebántque vſque ad ſatietatem, ſecumq; ad prædeſtinati itineris neceſſitatem, quantum ſufficere videbatur, portare curabant.

C.XVI. Iterum ſanctus Dei Sacerdos in quodam loco iter agens, vidit mẽdicantes inopes duodecim, pariter poſtulantes ſibi aliquid à prætereuntibus ſolatij. Quos, vt erat mitiſſimus, benigno adſpexit animo, vnique ex ſuis mandauit ſpecialem ſuum flaſconem ſumere, ac pauperibus miſcere Chriſti. Ex quo omnes illi duodecim vſq; ad ſatietatem bibebant: & mirum in modum, illis abeuntibus, ex optimo vino flaſco, de quo tanti biberant homines, inuentus eſt plenus vt antè. Hoc comperto, benedicebant omnes Dominũ Deum noſtrum, dicentes: Verè impletum eſt in nobis quod in Euangelio dicitur: *Date, & dabitur vobis.* Luc. 6.

Cap. XVII. Venit quoque vir ſanctus ad ſuum viſitandi gratia Monaſterium, & poſt orationes ad Deum, & ſalutationes fratrum, & admonitiones pacificas, circumiens ſingula fratrum habitacula, ſi quid in illis emendandum fuiſſet, pius Paſtor explorare voluit. Intrauit quoque in Cellarium, in quo modicũ vini reperit in vaſe, in quod ſuum benedictionis gratia cum oratione immiſit baculum, & exiuit. Sed eadem nocte in eo ipſo vaſculo vinum creſcere cœpit, & ſupereffundi vaſis margine. Hoc Cellarius cernens, inſperata abundantiâ obſtupefactus, nec celare audebat quod diuina miſericordia per ſerui ſui benedictionem geri cognoſcebat. Craſtino mane cucurrit, & ante pedes ſancti Patris ſe proſternens, confitebatur quid vidiſſet. Qui more ſolito Deo gratias agens, memórque Dominicæ iuſſionis, diſcipulis ſuis præcipientis, ne cui transfigurationis gloriam ante diem reſurrectionis ſuæ dicerent, præcepit eidem Cellario, ne cui miraculum, quod viderat, ante diem obitus ſui ederet. Sed & aliud huic ſimile per eius benedictionem Deus Chriſtus operatus eſt miraculum. Matth. 17.

Cap. XVIII. Perueniens ſeruus Dei cum ſociis ad domum cuiuſdam amici ſui, & pauliſper cupiens in domo dilecti longi laborem itineris refectione alleuare, patrem familias nihil vini habere comperit. Quatuor ergo modicos flaſcones, quos tantum in itineris ſolatium ſecum eius ſocij ferebant, iuſſit afferri: eoſque in eius nomine benedixit, qui in conuiuio nuptiali aquas conuertit in vinum. Et mirum in modum poſt benedictionem, quaſi quadraginta viri ex illis lagunculis vſque ad ſatietatem bibebant, & cum magna gratiarum actione ſibi lætis inuicem animis dicebant: Verè Dominus Ieſus impleuit quod in Euangelio promiſit, dicens, *Qui credit in me, opera quæ ego facio & ipſe faciet, & maiora horum faciet.* Ioan. 2. Ioan. 14.

C.XIX. Perrexit idem ſanctus Prædicator quodam tempore, more ſolito, ob euangelizandi gratiam, cum feſtinatione in Friſiam: & propter laborem viæ in pratis cuiuſdam diuitis paululum laſſos refocillare equos volebat. Quos diues ille in pratis ſuis paſci cernens, ſuperbiæ ſpiritu equos cædere cœpit, & è paſcuis abigere. Quem vir Dei placidiſſimis verbis alloquitur, dicens: Deſine nobis iniuriam facere. Non enim propter læſionem tui, ſed propter neceſſitatem noſtri, ad horam in his paſcuis quieſcere volumus. Inſtat nobis opus Dei peragendum, cuius tu quoque mercedem habere poteris, ſi nos quantum ad te pertinet, adiuueris animo: memor illius Domini noſtri IESV CHRISTI dulciſſimæ promiſſionis: *Qui vos recipit, me recipit: & qui me recipit, recipit eum, qui me miſit.* Matth. 10. Sed magis mente pacifica nobiſcum quaſi amicus teipſum reficiẽs, aliquantulũ bibe, nobiſque cœpto itinere pergentibus, tu à Deo benedictus, reuertere in domum tuam. Ille autem in malitia pertinax, nolens pacificis viri Dei verbis acquieſcere, ſed conuicia ingeminans, opprobria iaculans: Tu me, inquit, hortaris bibere, & pacem tecum inire: ſcito certiſſimè, quòd tecum bibere pro nihilo habeo. Rapiénſque ex eius ore verbum hoc vir Dei: Si non velis, ait, mecum bibere, non bibe. Et ſtatim paratis ſociis, perrexit viam ſuam. Ille quoque contumax, domum ſuam feſtinabat adire, ſed totus ſubitò ſiti ardebat. Cupiénſq; ardentem ſtomachum vino refrigerare, os, quod viro Dei conuicia ingeſſit, vini potionem recipere non valebat: & qui pacem cum ſeruo Dei voluntariè noluit, pœnam in ſeipſo neceſſariè ſuſtinuit. Vocati ſunt medici, qui ſitim ſedarent, aut facultatem ægroto bibendi præſtarent. Anhelabant viſcera, ſed non fuit, qui guttam vini ferueſcenti pulmoni infundere valuiſſet. Tandem aliquando pœnitẽtia ductus ille, in ſeipſum reuerſus eſt, & agnoſcebat ſanctum VVillibrordũ eſſe,

quem offenderat; illiuſque, anhelante ſpiritu, optabat reditum. Qui ſequenti anno eadem reuerſus eſt via, præcognitoq; aduentu eius, obuius ei homo ægrotus venire feſtinabat, culpam confitens ſuam, & quam patiebatur pœnam aperiens, pro amore Chriſti ſe ſolui deprecabatur. Quē vir Dei miſericordia motus abſoluit, deditque illi cum benedictione de ſuo bibere calice. Qui mox abſolutus bibebat, & ſanus in ſuam reuerſus eſt domum.

C.XX. Eſt in Treuerenſi ciuitate Monaſterium Puellarum, quod temporibus B. VVillibrordi Epiſcopi peſtis acerrima inuaſit. Cuius acerbitate multæ ex ancillis Dei moriebantur: quædam verò longo infirmitatis dolore iacebant in lectulo. Ceteræ verò nimio terrore turbatæ, quaſi præſentem mortem metuebant. Et quia prope eſt prædictæ ciuitati ſancti viri Monaſterium, quod appellatur Eſternaco, in quo vſque hodie Sanctus ille requieſcit corpore, & eius poſteri ex legitima traditione patris, & piiſſimorum pietate Regum tenere noſcũtur: ideò antedicti feminæ Monaſterij, audientes ſanctum virum illuc venire, ſtatim miſerunt legationes, poſtulantes eum non tardare venire. Qui B. Petri Principis Apoſtolorum mitiſſimo doctus exemplo, de Ioppe ob viduarum Chriſti petitionem venientis Lyddam, vt ſanctam ſuſcitaret Tabitham, feſtinus venit, audito deſiderio ancillarum Chriſti, ad illas. Et veniens, mox in eodem Monaſterio Miſſa pro infirmis celebrata, aquam benedixit, qua & domos illarum adſpergi iuſſit, & ægrotantibus potandam tranſmiſit. Quæ citò, diuina donante miſericordia, conualuêre, nec vllæ in eo Monaſterio prædicta peſte exindè moriebantur.

Actor. 9.

C.XXI. Contigit cuidam patri familias & domui ſuæ dira dæmoniacæ illuſionis tentatio, itaut apertè malignus in eius domo ſpiritus, ex horrore & maleficiis habitare agnoſceretur. Nam ſubitò cibos, vel veſtimenta, vel alia domui neceſſaria, rapere ſolebat, & in ignem mittere. Quin etiam paruulum, inter amplexus parentum pauſantem, illis dormiẽtibus, tulit, & in ignem proiecit. Sed vagitu infantis parentes excitati, vix paruulum de incendio eruerunt. Et multa atrocia eadem familia à nefando ſpiritu perpeſſa eſt, nec à quolibet Presbyterorum expelli potuit, donec vir ſanctus VVillibrordus, à patre familias poſtulatus, aquam illis benedictam direxit, præcipiens omnem domus illius ſupellectilem foras efferre, & aqua illa adſpergi, præuidens in ſpiritu domum flammis conſumendam eſſe. Quibus ita geſtis, vacuam domum à loco lectuli ignis inuaſit, totamque conſumpſit. Altera verò in eo loco cum ſanctificatione aquæ benedictæ ædificata, nihil exindè priſtinæ tentationis paſſi ſunt in ea: ſed cum omni tranquillitate & quiete degentes, & Domino gratias agentes erant, qui illos per ſeruum ſuum redimere dignatus eſt.

Idem quoque vir Deo amabilis quædam Prophetico prædixerat ſpiritu, quæ pòſt rerum euentus vera probauit. Baptizauit enim Pipinum filium Francorum fortiſſimi Ducis Caroli, patrem huius nobiliſſimi Caroli, qui modò cum triumphis maximis & omni dignitate glorioſiſſimè Frãcorum regit imperium. De quo Pipino patre eius idem ſanctus vir præſaga voce coram diſcipulis ſuis prædixit hoc vaticinium. Scitote, inquiens, quod iſte infans ſublimis erit valde & glorioſus, & omnium præcedentium Francorum ducibus maior. Huius itaque vaticinij veritas noſtris probata eſt temporibus, nec opus eſt teſtimoniis aſſequi, quod totius regni agnoſcit auctoritas. Scit namque omnis populus, quibus nobiliſſimus victor celebratur triumphis, vel quantùm terminos noſtri dilatauit Imperij, vel quàm deuotè Chriſtianam in regno ſuo præparauit Religionem, vel quid pro defenſione ſanctæ Eccleſiæ Dei apud extraneas exercuit gentes. Quæ omnia melius oculis probari, quàm verbis explicari queunt. CAP. XXII.

Fuit verò iſte vir ſanctus, omni dignitate præclarus, ſtatura decens, vultu honorabilis, facie venuſtus, corde lætus, conſilio ſapiens, ore iucundus, moribus compoſitus, & in omni opere Dei ſtrenuus. Cuius autem patientiæ eſſet, ex ante dictis eius geſtis oſtenditur. Quantam verò habuerit induſtriam in Euãgelio Chriſti prædicando, vel qualiter illum in opere prædicandi diuina adiuuerit gratia, non neceſſe eſt noſtro proſequi ſtylo, quod totius populi teſtimonio comprobatur. Porro eius ſecreta conuerſatio in vigiliis & orationibus, in ieiuniis & pſalmodiis, ex vitæ ſanctitate & ſignorum oſtenſione intelligi datur. Charitatem ſcilicet aſſiduus labor oſtendit, quem quotidie pro Chriſti nomine ſuſtinuit. Denique vir ſanctus omnibus diebus vitæ ſuæ in diuino proficiens opere, Deo amabilis & omni populo gratus, temporibus Caroli antiqui, fortiſsimi Francorum Ducis, ſenex & plenus in omni perfectione dierum, CAP. XXIII.

Appoſitus eſt ad patres ſuos, multipli- [A] cem laboris ſui fructum accepturus à Deo, ſeculum hoc relinquens, vt cœlum poſſideret, Chriſtum ſine fine in æterna gloria viſurus: in cuius dilectione, quamdiu nobiſcum vixerat, laborare non ceſſabat. Die ſeptima menſis Nouembris, id eſt VII. Idus, ex hac peregrinatione ad perpetuam migrauit patriam, & ſepultus eſt in Monaſterio Epternaco, quod ipſe Deo, vt præfati ſumus, conſtruxerat. Ibi vſque hodie, diuina operante miſericordia, ſigna & ſanitates ad ſancti Dei Sacerdotis reliquias [B] fieri non ceſſant. Ex quibus aliqua huic noſtræ de eo hiſtoriæ ſubiicienda eſſe æſtimauimus, in gloriam & laudem Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui hæc per ſerui ſui patrocinia ſæpiùs operari dignatus eſt. Conditum eſt venerabile corpus in ſarcofago marmoreo, qui primum toti Dei famuli corpori quaſi dimidio pedis breuior inuentus eſt, fratribus ob hoc valde contriſtatis, & ſæpiùs tractantibus, vbi aptum ſancto corpori inuenirent locellum. Sed miro modo, diuina donante pietate, in- [C] uentus eſt ſubitò ſarcofagus tanto viri Dei corpori longior, quanto breuior ante apparuit. Et in eo viri Dei corpus cum hymnis, Pſalmodiis, & omni honore condentes, ſepelierũt illud in Eccleſia præfati Monaſterij, quod ille ſummus Dei ſacerdos in honore ſanctæ Trinitatis ædificauit, & dedicauit. Sed & miri odoris fragrantia omnium perfuderat nares, vt perſpicuè intelligeretur, ad exequias viri ſancti Angelicum veniſſe Miniſterium.

Cap. XXIV.

Sed & cuidam religioſo ſancti viri di- [D] ſcipulo longiùs poſito, in oratione vigilanti, obitus illius reuelatus eſt. Nam vidiſſe ſe teſtabatur animam ſanctiſſimi Patris ſui cum magna luminis claritatẽ, cum conſona canẽtium laude, ab Angelicis exercitibus ad cælorum regna portari. Multi quoque fratrum teſtati ſunt, crebrò ſe ſuper lectulum, in quo beatam animam ſuo Creatori reddidit, mirabile vidiſſe lumen, ſuauiſſimamque odoris dulciſſimi ſenſiſſe fragrantiam: vt omninò his ſignis crederetur, cæleſtes locum frequentaſſe ci- [E] ues, in quo ſancta anima migrauit ad Dominum. Per vnctionem quoque olei, quod ſupra corpus Sancti lucere ſolebat, multi infirmi, Deo donante, & fide illorum cooperante, curati ſunt. Pœnitentes quoque ſæpiùs ad eandem venientes Eccleſiam, circulis ferreis more ſolito circundati, ruptis circulis ſubitò vincula ſua reſoluta ſenſerunt. Cuius rei, adhuc in Eccleſia circuli pendentes, teſtes ſunt.

Cap. XXV.

Quædã verò mulier paralytica, ſeptem annis magnis cruciata doloribus, in tantum graſſante eadem quotidiana infirmitate afflicta eſt, vt omni membrorum officio deſtituta, alieno vteretur miniſterio, & in ſolo tantummodo pectuſculo vix anhelans ſpiritus ſuſpiria feſſa retraheret. Hæc à propinquis ad Eccleſiam, vbi Sanctus Dei requieſcit, ferebatur, propè locellum reliquiarum eius poſita. Quæ in eodem loco fuſis lacrymis, deprecata eſt per interceſſionem Sancti ſui famuli, diuinam ei miſereri clementiam: atque à Domino Deo exaudita, moxque ab omni infirmitate liberata, ſoſpes cum gaudio gratias agens Deo, propriis pedibus, quæ priùs ab alienis portabatur, cucurrit ad domum.

Cap. XXVI.

Item adoleſcens quidam infirmus, ad corpus beati Pontificis manibus deductus eſt amicorum. Qui totis intremuit membris. Nec enim caput per ſe leuare potuit, ſed quaſi collo fixũ non eſſet, huc atque illuc cadens voluebatur. Nam aliquoties ita exanimis factus eſt, vt omnino mortuus videretur. Quem, vt prædiximus, prope corpus ſui Sancti viri poſuerunt. Sed miſericordiâ Dei donante, omnibus, qui aderant, cernentibus, ita ſubitò ſanus effectus eſt, vt nihil in eo priſtinæ infirmitatis, vel doloris antiqui vltra remanſerit.

Cap. XXVII.

Quidam etiam officio Diaconus, & non merito, in Eccleſia ſancti viri crucem auream, quam vir ſanctus ſecum in itinere portare ſolebat, cum aliis denariis Eccleſiæ, infeliciſſimo non horruit ſubtrahere furto. Turbati ſunt hac re fratres, vtpote factorẽ impij ſceleris ignorantes. Tunc precibus quidem Sancti Dei confidentes, illud tam nefarium ſcelus occultari non poſſe, fraterna tamen pietate hominem ad pœnitentiam reuocare niſi ſunt, non perdere cupientes. Ille verò, qui hoc crimen commiſit, obdurato corde ſalutem ſuam contempſit, ſicut impius, dicente Salomone: *Cum in profunditatẽ malorum venerit, contemnit.* (Prou. 18.) Cogitauit infelix latêre, ſed non potuit, illum, qui ſeruorum ſuorũ iniurias ſæpiùs vindicare nõ tardat. Nã miſer ille, qui hoc perpetrare crimen non abhorruit, miſera ſubitò morte arreptus interiit. In ipſo vitæ exitu aliquibus fratrum reatus ſui crimen oſtendit; & vbi oſtendiſſet, quod furto rapuit indicauit. Videtis, fratres, quàm terribili damnatus

iudicio eſt, qui Sancti Dei Eccleſiam furto violare non timuit. Idcirco obſecro, vt caſtam in hac habeatis conuerſationem, quatenus diuina clementia per ſancti Clementis viri Apoſtolici preces in omni petitione honeſta vos exaudire dignetur, ſicut antè diximus illam exaudire preces infirmantum in eadem Eccleſia, eóſque cum diu deſiderata ſanitate domū redire. Nec ſcilicet dubitandum eſt, quòd veluti viſibiliter corporeas illorū dignatus eſt Chriſtus ſanare infirmitates; ita & occultas animarum noſtrarum ægrotationes, intercedente pro nobis Sancto ſuo, qui hîc corporaliter requieſcit, & quē ſpiritaliter præſentem eſſe credimus, quotidie ſanare non ceſſat; ſi firma fide, & confeſſione vera cum lacrymis effundimus in loco iſto ante conſpectū pietatis illius corda noſtra, qui pro ſua diuina clementia paratus eſt ad ignoſcendum, ſi nos tardi non fuerimus ad deprecandum. Cui laus ſit & gloria in ſempiterna ſecula.

Cap. XXVIII. Reſtat nunc de beato VVilgiſo, qui fuit huius ſancti viri, vt antè diximus, pater; vt à quo huius Hiſtoriæ primum Capitulum incipit, de eo nouiſſimum finiatur. Rediit igitur anniuerſarius eiuſdē beati VVilgiſi ſanctæ migrationis dies, in qua pius Abba Albertus, ſucceſſor venerandi Archiepiſcopi, poſt ſacratiſſima Miſſarū ſollemnia, & honorem Deo debitum, cum fratribus epulari & gaudere aggreſſus eſt. Sed in eo Monaſterio nil plus vini inuentū eſt, quā duo tantummodo flaſcones, quorum vnus prandij hora exhauſtus eſt, alter in horam cœnæ reſeruatus. Igitur poſt veſpertinam melodiam, pro reuerentia eius diei, fratres ad refectorium reuerſi ſunt, & poſt ſacras lectiones præfatus Abbas fratres allocutus eſt, dicens: Decet nos, ô venerandi Patres, cum gaudio ſpiritali venerabilium Patrum noſtrorum feſtiuos dies celebrare, & aliquantò laxiùs, ſolito rigore, noſtris indulgere corporibus, non luxuriç, ſed cartitatis cauſa. Nequaquā verò vos celaſſem, ſi aliquid plus habuiſſem in hoc Monaſterio, quàm hunc ſolum flaſconē, qui nobis hora prandij reſtabat. Potens eſt tamē Deus per preces Sanctorum ſuorum hunc eundem nobis abundare facere, illos honorificare, & nos lætificare, & oſtendere nobis, licèt indignis, ſuæ pietatis miracula; qui per benedictionē quondam S. VVillibrordi Patris noſtri, ex quatuor flaſconibus quadraginta viros ſatiare dignatus eſt. Tantùm cum gratiarū actione in ſpe bibamus quod habemus. Primo & ſecundo de eodem flaſcone omnes biberunt fratres, & inuentus eſt à miniſtro ita plenus, vt antè. Hoc audito, Abbas cum fratribus Deo agere gratias ſatagebat: biberuntque, laudates diuinam clementiam illa nocte cum ſobrietate & lætitia, quantum voluerunt. O felicem Patrē, qui talem generauit filium, qui tali herede à Deo dignus habitus eſt. In quo benedictio illa impletur, quæ in Deuteronomio legitur: *Benedictus tu, & benedictus fructus ventris tui*, Amen. Deut.

EIVSDEM

ALCHVVINI HOMILIA,

De Natali S. VVillibrordi Archiepiſcopi.

Licet per totius orbis Eccleſias conueniat omni populo Chriſtiano Sanctorum feſta celebrare, victorias laudare, & quia in omnem terram exiuit ſonus corū, & in fines orbis terræ verba eorū, in omni terra conſona cunctorum viuentium voce laudandi ſunt: tamen locis in ſingulis propter familiaritatem cohabitationis cuiuſlibet illorum, & propter præſentiam ſanctarum reliquiarum, quæ in ſolatium illis vel illis cōdonatæ ſunt habitatoribus, ſpeciali quadā veneratione apud ciues ſuos familiarius honorātur. Igitur Roma vrbs orbis caput, beatorum Apoſtolorū Petri & Pauli ſpecialius quodammodo glorioſiſſimis lætatur triumphis. Vnde ad eandē & gentes & populi, cum deuoto pectoris officio, quotidie cōcurrūnt, vt maiori quiq; apud beatos Apoſtolos fidei compunctione, vel ſua defleāt crimina, vel cæleſtis vitæ abundantiori ſpe, ſibi aditum aperiri depoſcant. Mediolana olim ciuitas Imperialis S. Ambroſio gaudet defenſore. Alpes Acunumiæ* *Agau ſanctorum Thebæorum felicius ſanguine, quàm in proceritate exaltātur. Beatius fœcunda Pictauia B. Hilarij Pontificis reliquiis exultat, quàm venditionū & emptionum alteratione, in quibus ſæpe verſatur iniquitas. Quid te Turonica ciuitas loquar? muris quidem paruula & deſpectibilis, ſed S. Martini patrociniis magna & laudabilis. Quis propter te, adierit te? nonne propter illius certiſſima ſuffragia, turbæ ad te confluunt Chriſtianorum? Omnia Pariſiacæ ciuitatis ſuburbana, S. Dionyſij vel S. Germani magnificis iocundantur auxiliis, & feſtiuos illorum dies maiori populorum celebrant frequentia. Tota Campania cum populis ſuis propter Remigium venerabilem prædicatorem, ad Rhemenſem feſtinat vrbē, apud eam quaſi

præſenti patrono, ſua vota ferentes. Sic diuina clemẽtia toti conſuluit mundo, dans ſingulis prouinciis vel populis, quo ſpeciali gauderent patrono.

Nobis verò ſanctiſſimi Vvillibrordi non infima perdonauit auxilia, ſed præclara & glorioſa contulit ſuffragia. Gaudeamus, dilectiſſimi fratres, in Domino; & ſpirituali iocunditate lætemur, qui nobis talem vitæ perdonauit Doctorem, iuſtitiæ præceptorem, vnanimitatis noſtræ auctorem, qui nos in hoc ſacratiſſimum ouile congregauit, & pietatis magiſterio erudiuit. Gaudeat & nobiſcum omnis populus, qui ad natalitia ſanctiſſimi Patris hodie concurrit, & vigiliis Apoſtolici viri, pia deuotione intereſſe ſtuduit, & in præſentia Domini noſtri Ieſu Chriſti, & ſanctorum Angelorum, & beatiſſimi Pontificis ſtare ſatagebant. Nullus obſecro dubitet in fide, nec de veniæ largitione hæſitet, nec de piæ petitionis fructu & effectu, qui nobis talem conceſſit patronum. Illius nos precibus concedit exaudiri, quia quantò fiducialiùs deprecamur, tanto citius exaudiemur. Fide enim omnia impetrantur, ſicuti huius viri ſanctiſſimi, cuius hodie feſtiuum celebramus diem, certiſſima ante oculos habemus exempla, qui mox ab infantia ſua, per fidem Deo placere contendit. Nam patriam, cognationem & amicos, feruente fide, pro amore Dei dereliquit, terrena contempſit vt cæleſtia adquireret. Idcirco magnum laboris ſui fructum inuenit, & multas populorum turbas ad Chriſtum conuertit: Et plurimos paganorum, ab erroris iniquitate auertit, & diuina cooperante gratia, filios iræ, filios fecit eſſe miſericordiæ. Inferna concluſit, cælum aperit. Plurimas peragrauit gentes, vt omnes in viam veritatis adduceret, nec ſibi ipſi pepercit. Populos adiuit feroces, ſi forte purpureas martyrij coronas inueniret, quem Deus ob multorum ſeruauit ſalutem: quatenus maiori prædicationis gloria honoraretur, quàm ſi ſolus martyrio coronaretur. In pace quieuit, quia in ſpe laborauit. Vitam inuenit æternã, quia temporalem reliquit, nobis ablatus, angelis ſociatus.

O beatiſsime Chriſti ſacerdos, ne nos derelinquas laborantes in terris, ſed precibus tuis de cælis adiuuare non ceſſes. Vita tua apud homines ſemper probata

A fuit pro Deo; ſint preces tuæ apud Deum ſemper intentæ pro hominibus. Meditatio tua fuit in lege Domini die ac nocte. Ideo ſicut palma floruiſti in domo Domini, ſicut cedrus Libani multiplicaſti filios tuos, qui ad te tota mentis intentione clamant, tu illos pia interceſsione adiuuare digneris. Sentiamus tuum nobis clementiſsime auxilium, qui tuis deuotiſsime inſtamus officiis. O felix anima, quæ ſeculi labores dereliquiſti, & cæleſtem cum multiplicis ſudoris tui fructu requiem intraſti:

B talenta tibi cõmiſſa multiplicaſti, præmia promiſſa accepiſti. In pauca fidelis fuiſti in terris, ſupra multa conſtitutus gloriaris in cælis. Gaudia Domini Dei tui, quæ ſemper optaſti, ſemper habere cœpiſti. Te continuis, ô pater, proſequimur laudibus, tu nobis aſsiduis auxiliare precibus. Credimus te in præſẽtia Domini Dei tui, omnia poſſe impetrare, quæ poſcis, dum tanta potuiſti in præſentia noſtra per eius gratiã efficere miracula. Tu modo ciuis Angelorum, tu ſocius Sanctorum, tu lætus cum

C illis canticum nouum cantabis: Sicut audiuimus, ita & vidimus: *Beati qui habitant in domo tua Domine, in ſeculum ſeculi laudabunt te.* Et, *Videbitur Deus Deorum in Sion.* Cuius beata viſio plena eſt felicitas, ſicut ipſa Veritas in Euangelio teſtatur dicens: *Qui autem diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & manifeſtabo ei meipſum.* In cuius dulciſsima dilectione iſte ſanctus vixit in mũdo, ideo in eius aſpectu lætatur in cælo.

Videte, fratres chariſsimi, quanta gloria eſt Deum ſequi. Iſte pro amore Chriſti pa-

D triam contempſit, peregrinationem elegit, diuitias ſæculi parui pendebat, paupertatem voluntariè amauit. Et cognouimus qualem honorem poſtea habuit inter homines, ſed melior eſt gloria, quam æternaliter poſsidet inter Angelos. Huius ſanctiſsimi Doctoris nos exempla de ignauiæ torpore ſuſcitent, vt quod in illo prædicamus, impleamus in nobis. Agones illius laboris laudamus, vias noſtras in veſtigia

E eius corrigamus. Quatenus qui ſanctitatis eius ſequimur exempla, beatitudinis ſortiamur & præmia per eum, qui illum coronauit, & nos adiuuabit, Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, qui cum Patre & Spiritu ſancto viuit & regnat in gloria ſempiterna, Amen.

Explicit Liber primus proſaico gradiens ſermone, de Vita, ac Virtutibus, obitúque ſancti VVillibrordi Archiepiſcopi.

MAGISTRI

ALBINI FLACCI ALCHVVIN

DE VITA S. VVILLIBRORDI ARCHIEPISC.

LIBER SECVNDVS.

CAPITVLA LIBRI.

CAP. I. QVod beatus VVillibrordus, de Britannia vel Hibernia Frãciam veniſſet.

II. Qualiter idem vir Dei inopem* prædicanti profeciſſet rem.

*In oppidis prædicando profeciſſet.

Quomodo Pippinus dux Franchorum eundem famulum Chriſti Romam

III. direxiſſet, vt Archiepiſcopus ordinaretur.

IIII. Quod beatiſſimo Apoſtolico Sergio Papæ in viſione oſtendebatur beatũ VVillibrordum Romam veniſſe, & vt cum omni honore illum debuiſſet ſuſcipere.

V. Quomodo illum idem beatus Papa honorifice tractauit, & ordinato nomen impoſuit Clemens, & donis ditaſſet.

VI. Quod vir Dei remeauit in Franciam, & inſtanter cunctis Euangelium Chriſti prædicauit.

VII. Quod Freſonibus & Danais prædicare temptabat.

VIII. Quod aliquos baptizauit, & illis in via, & aliquid ſignorum faciens reuerſus eſt Franciam.

IX. Quod Carolus Francorum dux gentem Freſonum ſibi ſubiecit.

X. Quod VVillibrordus Freſonibus prædicare reuerſus eſt, eoſque ad fidem Chriſti conuertit.

XI. Quod ei ſedes Epiſcopalis in Traiecto caſtello data eſt, & quod per loca Presbyteros diſpoſuit.

XII. Quod deuotiſſime verbum Dei per omnia loca prædicare feſtinabat.

XIII. Quod non omnia quæ idem Pontifex fecit, verſu enarranda eſſent.

XIV. Quod confringenti famulo Dei fanum quoddam, gladio à quodam in caput percuſſus, ſed Deo defendente nil læſuræ ictu ferientis ſenſit.

XV. Quod quidam, qui ſeruo Dei maledixerat, die poſtera periit.

XVI. Qualiter fontem orando de arida tellure produxerat.

XVII. Quomodo ex eius benedictione flaſcona vini in duodecim pauperes ſufficeret.

Item qualiter ex eius benedictione vinum in cupa creſceret.

Item qualiter ex benedictione eiuſdem viri Dei quadraginta viri ex quatuor flaſconibus modicis bibiſſent vſque ad ſatietatem.

De quodam proteruo diuite, qui cum famulo Dei bibere renuit, & poſt voluit non potuit, donec ab eo abſolutus eſſet.

Quomodo in Treueris ciuitate orando peſtem imminentem ab ancillis Chriſti amouiſſet.

Quod totam domum cuiuſdam patrisfamilias à duriſſima dæmonis temptatione liberaret.

Quod vir Dei Caroli Ducis Franchorum filium Pippinum baptizauit, & futurum ei prædixerat Regnum.

De moribus, & de obitu ſancti Patris.

Quod fratres patrem ſepelientes in ſarcofagum, quod breuius fuerat corpore eius, ſubito ad aptam menſuram protelauit.

Et quod miri odoris fragrantia totam aſperſerit Eccleſiam.

Quod Deo operante ſigna huc vſque ſoleant fieri, vbi ſanctus vir corpore requieſcit.

Quod lumen ſæpe cernitur ſupra lectulum vbi ſanctus VVillibrordus obiit.

Quod ibi quoque miri odoris fragrantia per vices ſentitur.

Quod quædam mulier paralytica ad ſancti viri corpus orans ſubito ſanata eſt.

Quod quidam iuuenis à peſſimo languore ſanatus eſt ad eius corpus.

De quodam diacono qui miſera morte periit propter furtum quod fecerat in Eccleſia viri Dei.

De VVilgiſo patre VVillibrordi Epiſcopi, & eius honeſta vita in ſæculari habitu.

Et quomodo vxor eius ſomnia vidiſſet, & qualiter ille ſæculum dimiſiſſet, & quod in ſolitaria vita conſenuiſſet, & vbi corpore requieſcat.

PRÆFATIO.

ECCE tuis parui votis venerande Sacerdos,
Cor quia de vero feruet amore mihi.
Pontificis magni VVillibrordi & Præſulis almi,
. . . .
Sit licet inferior ſtrepitans cum murmure rauco,
Illius egregiis ſermo meus meritis.
Protulit ad templũ Chriſti VVilibrorde Sacerdos
Noſtra fides veſtrum parua minuta tamen.
Quæ rogo ſuſcipias clementer mente benigna,
Criminibuſque meis poſce precor veniam.
Non ſunt digna tuis meritis mea munera Præſul,
Qui regnas ſummi diues in arce poli.
Ni pius in templo Deus æra minuta ferentem
Laudaſſet viduam, quæ ſua vota dedit.
Æra minuta duo diuerſi ponderis iſta,
Sancte pater ſupplex in tua templa fero.
Sed prius hæc retinet planis nummiſma figuris,
Poſterius ſed iam Pierium rutilat.
Sunt qui in lege ſacra pilos pelleſque caprarum,
Ad pia tecta Dei ferre iubenter onus.
Non tamen hos ſperni iuſsit lex ſancta tonantis,
Sed grate accipere mens pia quæ tulerit.
Sic non magniloquas quæris pater optime gazas,
Sed vero calidum pectus amore meum.

DE VITA SANCTI VVILLIBRORDI ARCHIEPISCOPI

LIBER SECVNDVS.

CAP. I. VENERAT occiduis quidam de finibus orbis,
Vir virtute potens diuino plenus amore,
Ore ſagax, & mente vigil, & feruidus actu,
Ad te temporibus Pippini Francia felix,
Quem tibi iam genuit fecunda Britannia mater,
Doctaque nutriuit ſtudiis ſed Hibernia ſacris.
Nomine VVillibrordus meritis viuacibus almus.
Qui peregrina petens Domini deductus amore,
Semina perpetuæ cupiens cæleſtia vitæ
Spargere, quæ rarus fuerat prius accola verbi,
Quæ mox Pippinus Franchorum rector honeſtus
Suſcipit, atque illum ſitientia rura rigare
Per loca mandauit iam ſingula rore ſuperno,
Auxiliiſque Dei famulum firmauit honeſtis.
II. Ille Deo plenus, lumen de lumine Chriſto,
Iam quaſcumque pius peragrauit greſsibus vrbes,
Vel caſtella, caſas, vel compita, ſemper vbique
Sparſit Euangelicæ radios per pectora lucis.
Multorum donec fidei pia flamma reluxit,
A Et nox cæca procul illa deceſsit ab vrbe,
Cottidieque ruunt idolorum fana profana,
Et populi Chriſtus reſonabat in ore fidelis.
Creſcere Pippinus dum viderat inclytus auctor III.
Eccleſiam Chriſti, fidei & venerabile donum,
Congaudens nimium tali doctore ſalutis,
Ac melius ratus, citius ſe mittere Romam
Præcipuum fidei præconem, quatenus illum
Paſtor Apoſtolicus firmaret in ordine primo,
Eſſet vt Eccleſiæ Præſul, ſummuſque Sacerdos.
Pontificalis apex Petro digniſsimus hæres IIII.
Sanctus Apoſtolicam tenuit tunc Sergius aulam,
B Vir bonus & prudens, nulli pietate ſecundus,
Ante diem quartam facta eſt cui viſio nocte,
Quam vir veniſſet Romam præclarus ad illum,
Angelus è cælo veniens prædixerat illi:
Ecce Deo & carus properat hanc hoſpes ad vrbẽ
A Duce Franchorum miſſus ſub munere largo,
Hunc tu mente pia ſaltem tractare memento,
Et mox Pontificem ſummo ſacrabis honore.
A te quæ cupiet, capiat quoque dona Sacerdos.
Iſte Deo ſociat populorum millia multa.
Angelus his dictis cœli remeauit ad aulam.
Annuit Angelicis monitis mox Papa beatus, V.
C Atque etiam famulum tractauit mente benigna,
Vt fuerat iuſſus, compleuerat omnia promptus,
Pontificemque illum magno ſacrauit honore,
Nomine Clementem patria iuſsitque vocari,
Et quæcumque petiit ſanctus ſibi, tradidit illi,
Plurima ſanctorum præſtans ei dona piorum.
His actis Domini famulus remeauit ad orbem VI.
Franchorum veniens, firmatus munera ſummo
Et totus gaudens, populus tunc accipit illum,
Flumina melliflua cupiens haurire ſalutis,
Quæ Pater egregius cunctis impenderat vltro,
Rore rigans ſupero cunctorum pectora Chriſti,
D Et quocumque pius veniebat forte Sacerdos,
Auxiliante Deo fructus carpebat amœnos.
Nec his contentus Franchorum finibus, vltra VII.
Spargere ſed temptans diuini ſemina verbi,
Gentibus antiquo captis errore Freſonum
Vel Danis, multum populo per ſecla feroci,
Quos tunc haud potuit, reges quia forte ſceleſtos
Illi habuere quidem, ad fidei conuertere donum.
Sed Deus omnipotens animas donauerat illi, VIII.
Gentibus ex ipſis aliquas, & mira peregit,
Perque ſuum ſeruum quędam, qui in pace reuerſus
Ad populum Domini ſpectans regionibus iſtis,
E Ianua perpetuæ Chriſto pandente ſalutis
Dum eſſet aperta piis monitis, ſed ſemper vbique
Firmabat cunctos, Pippinus tempora vitæ
Præſentis complens Carolo ſua regna relinquit.
Qui mox nobiliter regales rexit habenas, IX.
Amplificans fines, gentes ſuperando triumphis
Externas etiam bello, vicitque Freſones,
Et ferrata ſuper illos carpenta ſubegit.
De manibus tulerat horum quoque frena tributi.
Tunc vir Euangelicus remeans VVillibrordus X.
& illis

Verba ferens vitæ, ſacro & Baptiſmate tinxit,
Quos fidei donis primo ſacer imbuit almis.
Et lux orta fuit reſidenti mortis in vmbra.
Iamque diu populo verus ſol Chriſtus vbique
Eluxit, ſubito tenebris cedentibus atris.
XI. Tunc data Pontifici eſt Traiecto ſedes in vrbe,
Et gens tota ſimul Freſonum ſubditur illi,
Diſceret vt magno fidei documenta miniſtro.
Mox conſtructa Deo viguerunt templa perenni,
Per loca ſunt poſiti & doctores multa fideles,
Qui regerent populum, vitæ qui verba docerent,
Qui baptiſma darent, cœli qui pane cibarent,
Ne plebs eſuriens à ſe ieiuna rediret,
Sed cunctis Chriſtus potus, cibus eſſet abundans.
XII. Hoc opus hoc fuerat præclaro Præſule ſemper,
Plurima quod ferret animarum lucra Tonanti,
Et Domino ad ſeruos remeanti occurreret vltro,
Multiplicata ferens manibus vtriſque talenta.
Circuit idcirco vigil hoc tutamine mandras,
Nominibus meritis vt Chriſti augeret ouile,
Et quocumque pius perrexit præco ſalutis,
Gratia celſithroni ſemper præuenit euntem,
Effectum tribuens factis verbiſque docentis.
XIII. Plurima perque ſuum fecit miracula ſeruum
Quæ nunc non libuit verſu percurrere cuncta,
Sed ſtrictim quædam properanti tangere plectro,
Et geſtis titulos paucis præfigere muſis,
Ad proſamque meum lectorem mittere primam,
Illic inueniet iam plenius omnia geſta:
Pontificis magni ſtudium, documenta magiſtri,
Progeniem, vitam, mores, menteſque benignas.
Deuotumque Deo ſemper cor omnibus horis,
Legibus in ſacris meditans nocteſque dieſque.
XIIII. Ecce Deo carus Præſul iam tempore quodam
Temptabat per ſe quoddam confringere fanum,
Hoc cernens idoli cuſtos, ſuccenſus in ira,
Pontificiſque caput gladio percuſſit acuto.
Sed vir præcipuus nec ſenſit, nec leue vulnus,
Quem voluere ſui comites occidere ſtatim,
Hunc tamen eripuit mitis de morte Sacerdos,
Qui luit arreptus miſeras mox denuo pœnas,
Poſtque dies ternas vitam finiuit amaram.
Sicque ſuos ſanctos Chriſtus vlciſcitur vltro.
XV. Egit iter quondam venerandus forte viator
Qua ſe per ſegetes propior iam ſemita duxit
Cum ſociis etiam, tenuit quas diues auarus,
Cui ſegetum cuſtos callem prohibere volebat,
Plurima conclamans ſancto conuitia verbis,
Necnon augebat factis opprobria diris.
Qui diuertit iter, qua ſe via publica monſtrat:
Mox perit infelix eluſor luce ſecunda.
Tam quia non timuit ſeruo maledicere Chriſti.
XVI. Dum diuina pius cæleſtis ſemina vitæ
Spargere per multas properauerat accola terras,
Peruenit qua nil ſteriles niſi gignit arenas.
Infœcunda ſoli ſpecies prope littora ponti,
Qua nec dulcis aquæ inuenta eſt ſitientibus vnda.
Vir cupiens ſanctis ſociis ſuccurrere feſſis,

A Iuſſerat vt facerent intra tectoria foſſam.
Quo facto, Præſul ſolum ſe clauſerat intus,
Et genibus fixis lacrymas fundebat ad aras,
Ante Deum, dulcem quo mox meruere ſed vndã,
Produxit ſubito fontem prius arida tellus,
De quo portabant ſocij ſecumque ferebant,
Indiguit quantum ſteriles via cœpta per agros.
Occurrere Dei famulo ter forte quaterni
Panniculis miſeri veſtiti & panis egeni,
Quos pius vt vidit, motus pietate Sacerdos
Ferte meam dixit flaſconem, ferte miniſtri,
Et miſcete viris illam, benedictio Chriſti
B Sufficere in totos faciat largiſſime credo.
Turba bibebat ouans quantũ ſibi quiſque volebat,
Flaſco tamen fuerat meliori plena falerno.
Venerat ad quandam cellam venerabilis hoſpes
Omnibus Eccleſiæ rebus iam rite peractis,
Fratribus & ſolito mandatâ more ſalute,
Omnia perſpiciens ſacra ſedilia cellæ,
Ingrediens etiam ſociis cellaria paucis,
In qua ſola parum vini vix tunna tenebat,
Quam Chriſti famulus baculo benedixit honeſto,
Quem manibus ſemper ſanctus portare ſolebat.
Nocte ſequente merum ſed mox, mirabile dictu,
C Solus in æde manens ſeruator, creſcere vidit,
Donec mellifluo completa eſt nectare tunna.
Hoc lætus retulit venerando patre ſilente,
Cui pius Antiſtes dederat præcepta tacendi,
Vſque diem mortis nolens ſibi quærere laudem.
Vir fuit in populo largus pro gentibus hoſpes.
Sæpius hoſpicium cuius intrare ſolebat.
Egregius Præſul, partes dum venit in illas.
Ecce die quadam veniens, nil præſcius eius
Vir fuit aduentus, qua propter pocula vini
Non habuit caro veniente repente magiſtro,
Hoc pater agnoſcens, iuſſit ſibi ferre quaternas
D Per loca quas pueri ſecum portare ſolebant
Flaſcones pariter modicas, benedixit & inquit:
Nunc miſcete quidem nobis, benedictio Chriſti
Augebit vinum, credo, pietate benigna.
Sic fuit & factum iam bis, ſimul ecce viceni
Namque fuere viri conuiuæ vina bibentes.
Sufficit his Chriſti per donum potio cunctis.
Laſſus iter Domini famulus faciebat amatum,
Imbribus æthereis cupiens ſata læta rigare,
Prata pius Præſul cuiuſdam diuitis intrat
Cum ſociis modicum laſſis requieſcere tempus.
Cædere cœpit equos virgis & abigere pratis.
E Quem pius alloquitur blando ſermone Sacerdos:
Deſine quæſo tuis nos nunc depellere pratis,
Sed magis ad noſtras epulas conuiua venito,
Et bibe nobiſcum, ſimus quoque ſemper amici.
Reſpondit diues furioſa mente ſuperbus:
Nolo tuas epulas, tecum potare recuſo.
Mox rapuit Præſul verbum de voce loquentis:
Si potare negas mecum modo, non bibe quæſo.
His dictis Domini famulus perrexerat vltro;
Atque domum diues propriam repedauit iniquus,

Quem ſitis inflammat nimio feruore repente,
Qui miſcere furens famulos ſibi vina rogabat,
Accipiens calicem, ſed nil ſorbere valebat.
Ardebat ſitiens ſtomachus, ſed pocula Bacchi
Reſpuit, & totus flammis ardebat anhelis.
Nec valuit quiſquam medicus releuare laborem,
Donec ipſe miſer culpam cognouit iniquam,
Atque Dei famuli ex dicto tormenta luiſſet,
Optabat reditum quapropter præſulis almi.
Venerat ipſe ſenex, alter dum venerat annus.
Cui miſer occurrit, pœnam confeſſus amaram,
Cui pius indulſit quidquid commiſerat in ſe,
Atque manu propria potum porrexerat ipſe.
Qui mox ſanatus, faſtidia longa relinquens,
Accipiens calicem pleno ſe proluit ore.

XXI. *Eſt antiqua, potens muris & turribus ampla*
Vrbs Treueris, nec non ſacris circundata cellis,
In quibus vnatim populorum turba piorum
Laudibus inuigilant Domini nocteque dieque,
Has inter fuerat ſacrarum cella ſororum,
Quas ſubito nimium quaſſauit peſtis acerba,
Ex vita hac rapuit per quam mors vltima multas,
Semineces quædam longo iacuere dolore.
Terror mortis erat nimius ſed & omnibus idem.
Spes fuit in famulo Chriſti, vocatus & ille
Cum lacrymis citius feſſis ſuccurrere rebus.
At pius ille pater compleuit vota ſororum,
Adueniens illas iam nec ſpes alma fefellit,
Sed precibus ſancti mox peſtis acerba receſſit,
Et Domino laudem reddunt pro ſoſpite vita.

XXII. *Tecta domus patris cuiuſdam tempore multo*
Sæpius incurſu vexantur dæmonis atri
Spiritus, & variis dirus terroribus illam
Torquebat, vano nec iam phantaſmate tantum,
Sed nocuit multum manifeſtis publice geſtis.
Multoties manibus raptas veſteſque ciboſque
Iniiciens flammis infantem nocte iacentem
Amplexus inter tulerat vis dira parentum,
Viſus in ardentem plorantem mittere pyram,
Sed vix ereptus manibus de morte ſuorum.
Hanc peſtem nullus potuit ſanare Sacerdos,
Donec ipſe Dei famulus à patre rogatus
Hanc precibus peſtem ſanctis purgauit, & illi
Nomine ſub Chriſti benedictam miſerat vndam.
Præſcius & rerum Præſul prædixerat illi,
Quod domus illa vetus flammis ab hoſte fuiſſet
Conſumenda prius, ne te rogo terreat ignis,
Conſtrue optatæ melius tibi tecta ſalutis,
Quæ munire cito benedicto fonte memento.
Poſt donante Deo ſerpentis peſte carebis,
Et tua tota domus tecum gaudebit amata.
Omnia mox patris complentur in ordine dicta;
Et hinc nulla domum tetigit temptatio talis,
Sed bene ſecurus manſit habitator in illa.

XXIII. *Iſte Dei ſanctus prædixerat ante futura,*
Quæ poſt euentus rerum modo vera probabat.
Namque ducis Carli Pippinum nomine natum
Vt pater optauit ſacro baptiſmate tinxit,
A *De quo diſcipulis prædixit talia vates:*
Omnibus iſte aliis fuerit ſublimior infans
Franchorum Ducibus, quos ſecula longa tulerunt.
Hic reget imperium felix feliciter iſtud,
Dilatans fines magnis hinc inde triumphis.
Non opus eſt noſtris illud monſtrare camœnis,
Quod toto veris celebratur in orbe loquelis.

Vir fuit iſte Dei patiens, moderatus, honeſtus, XXIV.
Moribus egregius, & in omni ſtrenuus actu,
Corde pius, humili mitis, rigiduſque ſuperbo,
Solator miſeris, & inops ſibi, diues egenis.
Qui poſtquam vitæ meritis perfectus in annis,
B *Bis octena pius compleuit luſtra ſacerdos,*
Ter quater & menſes, menſis iam iamque Nouembris
Idibus octenis, cæli migrauit ad aulam.
Cœtibus angelicis iunctus, cæleſtibus hymnis
Conlaudans Chriſtum ſemper ſine fine beatus.

Quem fratres ſtudio curarunt condere ſancto XXV.
Pſalmodiis, hymnis, magno cum laudis honore.
Sarcofagum breuius fuerat ſed corpore Patris,
In quo tunc fratres voluerunt condere corpus.
Effecti nimium triſtes, mirabile dictu,
Ecce repente lapis ſe protelare locelli
C *Cœpit, & ad formam ſe aptauit corporis almi.*

Inter & exequias miri fragrantia odoris XXVI.
Ambroſio Eccleſiam perfundit nectare totam,
Perſpicue Angelicam monſtrans veniſſe cateruã
Ad patris officium lætis concentibus almi.

Iſte pater ſanctus, Paſtor, Patriarcha, Sacerdos XXVII.
In propria pauſat felix Aſternaco cella,
In laudem Domini, quam iam conſtruxerat ipſe,
In qua ſigna Deus faciet nunc vſque ſalutis.
Ex olei tactu multi ſanantur egroti,
Quod ſolet ad corpus magni lucere patroni.
Vincula rumpuntur per ſe properantibus illuc,
D *Qui ſua cum lacrymis veniunt mala crimina flere,*
Et læti redeunt Chriſto donante ſoluti.

Inque loco ſancti quo ſtant ſacra lectula patris, XXVIII.
Sæpius ætherium lumen veniſſe videtur,
Hic quia Pontificis linquens ergaſtula carnis
Spiritus aſtra petit meritis viuacibus alta,
Cum Chriſto & ſanctis fruiturus luce perenni,
Quod lux demonſtrat, crebrò quoque cernitur iſtic.

In quo multoties cæleſti nectare dulcis XXIX.
Fragrat odor, verè pigmento dulcior omni,
Teſtibus à multis fieri quæ vera probantur,
Quorum vita fidem certabat caſta relatu.
E *Quam requiem ſperas animam habuiſſe beatam,*
Talia dum terris per ſanctas ſigna geruntur
Reliquias, tanti meritis digniſſima patris?
Qui noſtris poterit precibus releuare dolores,
Si iam corde pio lacrymas effundimus illic,
Quo pater egregius ſacrato corpore pauſat.

Interea mulier totis paralytica membris, XXX.
Continuis ſemper ſeptenis languit annis,
Talia nec valuit quicquam ſibi membra mouere.
Vltima vix moriens ſuſpiria corde trahebat,

Ante Dei ſancti corpus portata iacebat,
Effundens lacrymas feſſa cum voce tepentes.
Sola fides viguit poſſe ſperare ſalutem
Per famulum Chriſti, nec ſe ſpes ipſa fefellit.
Ecce repente ſalus leuiter per membra cucurrit,
Igneus atque color venas afflauit apertas,
Oſſibus & neruis virtus redit inclyta cunctis.
Surrexit mulier toto mox corpore ſoſpes,
Atque domum propriis gaudens ſe currere plantis
Quæ prius alterius languens portatur ab vlnis.
XXXI. *Et quidam iuuenis valido languore per annos*
Heu multos doluit: nerui vix oſſibus hærent,
Intremuere ſimul vexati corporis artus.
Ceu caput auulſum vidiſſes vertice ſummo:
Sic huc ſic illuc dextra læuaque rotatum.
Sæpe etiam iacuit multam moriturus in horam.
Iſte miſer talis fidei cum pectore firmo
Venit in Eccleſiam manibus deductus amicis.
In qua Pontificis magni pia membra quieſcunt,
Proque ſalute ſua lacrymas fundebat amaras.
Quem mox audiuit miſerantis gratia Chriſti,
Et rediuiua ſalus per membra recurrit vbique.
Conualuitque viro neruorum flexilis ordo,
Irrepit oſſa vigor totis virtuſque medullis.
Aſtanti populo cunctis cernentibus ille eſt
Incolumis ſubitò factus, ac robore fortis
Perrexit ſanus quo ſe ſua vota ferebant:
Omnipotenti Deo grates ob dona ſalutis
Semper agens Chriſto, Chriſto laus, gloria ſemper.
XXXII. *Altaris iuuenis corrupta mente miniſter*
Clam rapuit quædam ſancti donaria templi.
Tollitur ac ſæuo quædam crux aurea furto.
Quam Chriſti famulus ſecum portare ſolebat,
Dum pius egit iter Chriſto comitante viator.
Reliquias propter multas quas condit in illa.
Mox tormenta luit ſceleris præſumptor iniquus,
Vltio conſequitur peccatum iuſta nefandum,
Et perit infelix crudeli peſte peremptus:
Mortis in articulo pandit tamen impia furta,
Et quo quæ tulerat latuiſſent omnia monſtrat.
Quo pereunte tremor creuit cum laudibus ingens
Fratribus & populo, cernentes omnia Chriſto
Quæque ſui ſerui fuerant, ſeruante tueri.

EIVSDEM

ALCHVVINI ELEGIA,

De S. VVilgiſo parente S. VVillibrordi.

XXXIII. *Nobilis iſte fuit magna de gente Sacerdos,*
Sed magnis multo nobilior meritis.
Vt dudum cecini, fœcunda Britannia mater
Patria Scottorum clara magiſtra fuit.
Francia ſed felix rapuit, veneratur, habebat,
Illius atque hodie membra ſepulta tenet.
Hunc VVilgils genuit proprio pater inclytus æuo:
Vir ſanctus ſapiens ac pietate probus.
A *De quo verſifico liceat me ludere plectro,*
Lector vt agnoſcas qualis & ipſe fuit,
Et de qua ſancta generis radice parentum
Iſte Dei famulus progenitus fuerit.
Vir fuit in populo dignus cognomine VVilgils
*Intrans Humbrana * nobis de gente degens.*
Moribus egregiis populo peramabilis omni,
Vita fuit cui cum coniuge caſta ſatis,
Quæ iam mente pia fuerat ſubiecta marito,
Vt quondam proprio ſacra viro fuerat.
Hæc reuelante Deo cernebat mente futura.
In ſtratis recubans ſomnia vera videns.
B *Namque nouam ſeſe Lunam vidiſſe putabat,*
Cornibus erectis vt ſolet eſſe noua.
Creſcere paulatimque implere & cornua capit
Donec ei pleno lumen in orbe micat.
Illius hæc ſubito ſorbentis in ore ruebat,
Viſcera perradians luce micante ſibi.
Euigilans ſomno mulier hæc mente retractat,
Quid ſibi quod cernit ſignificare queat.
Atque Sacerdoti cuidam hæc omnia pandit,
Cuius in Eccleſia vita probata fuit.
Hæc vbi penſabat prædictus corde Sacerdos,
Conicit ex rebus viſa ſuperna nouis.
C *Reſpondit tandem mulieri talia vates,*
Inſpirante Deo famine veridico:
Tu mulier Lunam vidiſti creſcere paruam,
Et tota impleri cornua luce noua.
Illa nocte viro forſan commixta fuiſti,
Quæ generas toto lumen in orbe nouum.
Paruulus ex vtero mulier tibi naſcitur iſtis,
Qui meritis magnus creſcit honorifice.
Iſte erit eximius Doctor, Præſulque futurus,
Splendeſcet noſtro lucifer orbe nouus.
Et quos cæca prius populos caligo tenebat,
Irradiat ſummi luce poli ſupera.
D *Omnia vatidici complentur in ordine dicta*
Et rerum euentus ſomnia vera probat.
Naſcitur atque puer matri, & baptiſmate loto
Impoſuit VVillbrord nomen habere pater.
Cuius vita, fides, mores, doctrina, camœnis
Olim quippe fuit prætitulatus eis.
Mox pater egregius linquens mala gaudia mundi,
Et ſeruire Deo mente manu cupiens:
Cæleſtem rapiens tota dulcedine vitam,
Et ſe cœnobio tradidit ipſe ſacro.
Fratribus adiunctus vixit ſine crimine frater,
Iam patiẽs, humilis, promptus in omne bonum
E *Poſthæc mente ſacer famulus maiora ſequutus,*
Theoricam cupiens ſolus adire viam:
Incipit vndiſoni inter promontoria ponti,
Qua loca reperiens congrua corde ſuo:
In quibus ætherios poſſit decerpere flores,
Et mundi curis liber abeſſe malis:
Totius hic ſolus tranſegit tempora vitæ,
Nocte die magnis proficiens meritis.
Plurima perpeſſus ſerpentis bella nefandi,
Qui ſolet in ſanctos arma mouere ſua.

Sed Deus omnipotens ſanctos qui iure triumphat,
Trophea conceßit clara ſuo famulo.
Fecit & quædam miſerantis gratia Chriſti
Fieri famulum vere ſigna ſtupenda ſuum.
Nec decuit modio abſcondi tam clara lucerna,
Nec thalamos ſubter ſubiicienda fuit.
Sed ponenda magis ſuper veſtigia tecti,
Spargeret vt lucem altius illa piam.
Quæ tamen haud libuit currenti tangere plectro,
Inclyta vel muſis ſigna aperire meis.
Sufficit hocque tamen . . . cognoſcere patris,
Quod placet altithrono ſemper vbique magis. B
Vita Dei famuli multis exempla ſalutis
Præbuit, & teſtis pectoris omnis erat.
Huic famulo Chriſti Reges famulantur, & illum
Per patriam populus totus amore colit.
Vir fuit iſte Dei patiens, moderatus, honeſtus,
Moribus egregius, mitis & ore pius.

A *Plurima qui poſtquam perfecto dona labore*
Commeruit Chriſto perficiente ſibi:
Mox meritis, annis, tota & pietate repletus,
Tranquilla tandem in pace quieuit ouans.
Spiritus æthereã lætus migrauit ad aulam,
Gaudia cum ſanctis iam ſine fine tenens.
Corpus in Eccleſia curarunt condere fratres,
Quæ conſtructa maris ſtat prope littoribus.
Atque ſacrata Dei genitrix clariſsima Chriſti
Nomine fulgeſcit virgo Maria tuo.
In quo te noſtris bene credimus eſſe futuram
Auxilio precibus, ſemper honore potens.
Tu mundi vitam, totis tu gaudia ſæclis
Tu Regem cæli, tu Dominum atque Deum
Ventris in hoſpicio genuiſti virgo perennis.
Tu nobis precibus auxiliare tuis.
Carmiger indoctus cecinit hos Alchuine verſus,
Cui rogo quiſque legas dic miſerere Deus.

FINIS.

MAGISTRI

ALBINI FLACCI ALCHVVINI

EPISTOLÆ CXV.

E quibus, LXVII. antehac editæ, iam longè auctiores ac emendatiores: cæteræ, per aſteriſcum deſignatæ, nunc primùm prodeunt,

Ex vetuſtißimo Codice MS. V. Cl. Pauli Petauij, bonæ memoriæ Senatoris Pariſienſis.

AD DOMNVM KAROLVM REGEM,

De remittendis aliquibus diſcipulis in patriam.

EDIT. II. EPISTOLA I.

Domino piißimo, & præſtantißimo, & omni honore dignißimo DAVID *Regi, Flaccus Albinus veræ beatitudinis æternam in Chriſto Salutem.*

DVLCEDO ſanctæ dilectionis veſtræ omnibus horis, etiam & momentis, auiditatem pectoris mei abundanter reficit; & decoris veſtri facies, quam ſæpiùs amabiliter conſiderare ſolebam, totas memoriæ meæ venas cum magna iocunditate deſiderabiliter implet, & quaſi multarum in corde diuitiarum ſpecies, veſtræ bonitatis nomen & aſpectus reconditur. Ideo magna mihi eſt iocunditas, veſtræ dulciſſimæ proſperitatis audire lætitiam. Ad quam etiam cognoſcendam hunc puerulum, vt ſcitis, paruitatis meæ clientellum* direxi: quatenus in ſalute ſu- C blimitatis veſtræ, in gratiarum actionibus lætus conlaudem miſericordiam Domini noſtri IESV CHRISTI. Non ſolùm ego vltimus ſeruulus Saluatoris noſtri, congaudere debeo proſperitati & exaltationi clariſſimæ poteſtatis veſtræ: ſed tota ſancta Dei Eccleſia vnanimo caritatis concentu gratias agere Domino Deo omnipotenti debebit. Qui tam pium, prudentem, & iuſtum, his nouiſſimis mundi & periculoſiſſimis temporibus populo Chriſtiano perdonauit clementiſſimo munere Rectorem atque Defenſorem: qui praua corrigere, & recta corroborare, & ſancta ſublimare omni intentione ſtudeat, & no-

*al. clientulum.

men Domini Dei excelſi per multa terrarum ſpatia dilatare gaudeat, & Catholicæ fidei lumen in extremis mundi partibus incendere conetur. Hæc eſt, ô dulciſſime Dauid, gloria, laus, & merces tua in iudicio diei magni, & in perpetuo Sanctorum conſortio; vt diligentiſſimè populum excellentiæ veſtræ à Deo commiſſum corrigere ſtudeas, & ignorantiæ tenebris diu animas obcæcatas ad lumen veræ fidei deducere coneris. Numquā optimis voluntatibus vel bonis conatibus remuneratio diuina deerit: ſed qui plus laborat in volūtate Dei, plus mercedis recipiet in regno Dei. Tempus huius vitæ velociter currit, fugit, & non reuertitur *. Ineffabilis verò Dei pietas humano prǫuidebat generi breuiter laborare, & æternaliter coronari. Ideò precioſa debent eſſe nobis tempora, ne perdamus per neglegentiam, quod per bonæ vitæ exercitium habere poterimus * æternum. Nec tantum diligere aliquid poterimus in terra, quantum beata amabitur requies in cælo. Quam qui tunc habere concupiſcat, bonis nunc operibus promereri contendat. Omnibus itaque communiter regni cæleſtis ianua pateſcit; ſed illis intrare conceditur, qui cum multiplici bonitatis fructu ad eam venire feſtinant.

* edit. reſpicit.

* al. potuerimus.

Ego verò Flaccus veſter ſecundum exhortationem & bonam voluntatem veſtram, aliis per tecta ſancti MARTINI ſanctarum mella Scripturarum miniſtrare ſatago. Alios vetere antiquarum diſciplinarum mero inebriare ſtudeo. Alios Grāmaticæ ſubtilitatis enutrire pomis incipiam. Quoſdam ſtellarum ordine, ceu picto cuiuſlibet magnæ domus culmine, inluminare geſtio. Plurima plurimis factus, vt plurimos ad profectum ſanctæ Dei Eccleſiæ, & ad decorem Imperialis regni veſtri erudiam. Ne ſit vacua Dei omnipotentis in me gratia, nec veſtræ bonitatis largitio inanis. Sed ex parte deſunt mihi ſeruulo veſtro exquiſitiores eruditionis ſcholaſticæ libelli, quos habui in patria per bonam & deuotiſſimam Magiſtri mei induſtriam, vel etiam mei ipſius qualemcumque ſudorem. Ideò hæc veſtræ excellentiæ dico, ne fortè veſtro placeat totius ſapientiæ deſiderantiſſimo conſilio, vt aliquos ex pueris noſtris remittam, qui excipiant inde nobis neceſſaria quæque, & reuehant in FRANCIAM flores BRITTANNIAE: vt non ſit tantummodo in Euborica hortus concluſus, ſed in Turonica emiſſiones Paradiſi cum pomorum fructibus, vt veniens Auſter perflare hortos Ligeri fluminis, & fluant aromata illius, & nouiſſime fiat quod ſequitur in Cantico, vnde hoc aſſumpſi paradigma, *Veniat dilectus meus in hortum ſuum, & comedat fructum pomorum ſuorum, & dicat adoleſcentulis ſuis: Comedite amici mei, bibite & inebriamini chariſſimi. Ego dormio, & cor meum vigilat.* Vel illud exhortatiuum ad ſapientiam diſcendam, Eſaiæ Prophetæ elogium: *Omnes ſitientes venite ad aquas: & qui non habetis argentum, properate, emite, & comedite. Venite, emite abſque argento, & abſque vlla commutatione, vinum & lac.*

Hæc ſunt, quæ veſtra nobiliſſima intentio non ignorat, quomodo per omnes ſanctæ Scripturæ paginas exhortamur ad ſapientiam diſcendam. Nil eſſe ad beatam vitam ſublimius adipiſcendam, nil ad exercitium iocundius, nil contra vitia fortius, nil in omni dignitate laudabilius etiam; & ſecundum Philoſophorum dicta, nil ad regendum populum neceſſarius, nil ad componendam in optimos mores vitam melius, quàm ſapientiæ decus, & diſciplinæ laus, & eruditionis efficacia. Vnde & de laude illius ſapientiſſimus exclamat * Salomon: *Melior eſt ſapientia cunctis precioſiſſimis, & omne deſiderabile ei non poteſt comparari. Hæc eſt, quæ humiles exaltat, quæ ſublimes honorat. Per illam Reges regnāt, & Legum conditores iuſta decernunt. Per illā Principes imperant, & potentes decernunt iuſtitiam. Beati, qui cuſtodiunt vias eius, & beati qui vigilāt ad fores illius cotidie.* Ad hanc omni ſtudio diſcendam, & cotidiano exercitio poſſidendam, exhortare, domne Rex, iuuenes quoſque in Palatio excellentiæ veſtræ: quatenus in ea proficiant ætate florida, vt ad honorem canitiem ſuam perducere digni habeantur, & per eam ad perpetuam valeant peruenire beatitudinem. Ego verò ſecundum modum ingenioli mei, apud ſeruos veſtros in his partibus ſeminare ſapientiæ grana ſegnes * non ero, memor illius ſententiæ: *Mane ſemina ſemen tuum, & veſpere non ceſſet manus tua; quia neſcis quid magis oriatur, hoc an illud. Et ſi vtraque ſimul, melius eſt.*

Mane * florentibus per ætatem ſtudiis ſeminaui in Brittannia. Nunc verò frigeſcente ſanguine quaſi veſpere in *Francia* ſeminare non ceſſo. Vtraque enim *Dei* gratia donante, oriri optans, mihi fracto * corpore ſolatio eſt ſententia ſancti Hieronymi, qui ait in Epiſtola ad Nepotianū: Omnes penè virtutes corporis mutantur in ſenibus, & creſcente ſola ſapientia, decreſcunt cetera. Et poſt paululum: Senectus verò eorum, qui adoleſcentiam ſuam honeſtis artibus inſtruxerunt, & in lege Domin

ini meditati ſunt die ac nocte, ætate fit A doctior, vſu tritior, proceſſu temporis ſapientior; & veterũ ſtudiorum dulciſſimos fructus metit. In qua Epiſtola, de ſapientiæ laude, & veterum ſtudiis, plura poteſt, cui placuerit, legere; & intellegere, quantum veteres in decore ſapientiæ florere ſtuduerunt. In hac veſtram Deo amabilem, & vitæ laudabilem, ſemper proficere & gaudere agnoui diligentiam, & nobilitatem ſecularis proſapiæ maiore mentis nobilitate exornare. In qua Dominus noſter Iesvs Christvs, qui eſt Virtus & B Sapientia Dei, te cuſtodiat, & exaltet, & ad gloriam beatæ & perpetuæ viſionis ſuæ peruenire faciat.

ITEM AD DOMNVM REGEM,

De Septuageſimo, Sexageſimo, & Quinquageſimo.

Epistola II.

MS.* *Hæc Epiſtola iam ſuperiùs edita eſt pag. 1141. ſed quia Cod. ex MS. tam caſtigatiorẽ, & aliquibus etiam in locis auctiorẽ nobis exhibuit, integram hic in ordine ſuo rurſus excudi curauimus.*

Benedictvs ſit Deus Pater om- C nipotens, qui te creauit & honorauit: & benedictus ſit Dominus noſter Iesvs Christvs filius Dei, qui te redemit & elegit: & benedictus ſit Spiritus Paraclytus, qui te inluminauit, & dilatauit cor tuum in omni ſapientiæ & ſcientię claritate, dilectiſſime David, & dulciſſime Domine: & benedicta ſit ſancta Trinitas, vnus Deus omnipotens, Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, qui mihi ſeruulo ſuo, licet indigno, talem conceſſit Dominum, amicum, & adiutorem gratiæ ſuæ; qui mihi per D ſeruum ſuum, beatæ memoriæ Magiſtrum meum, miniſtrare clementer dignatus eſt. Et benedicta ſit poteſtas & regnum tuum, & filij tui, & filij filiorum tuorum, vſque in generationes ſeculi ſempiternas; & veniat ſuper te & ſuper tuam generationẽ benedictio Sanctorum, in die Domini noſtri Ieſu Chriſti; cuius ſanctiſſima voluntas ſemper vigeat, floreat, & creſcat in corde tuo, clariſſime Eccleſiæ Chriſti rector & defẽſor. Repletus ſum gaudio, veſtram audiens proſperitatem & exaltationem; & totus iu- E cunditate exhilaratus, dum veſtræ beatitudinis literas accepi, legi, & oſculatus ſum. Vnde & aliquid familiarius veſtrę dilectioni ſcribere præſumo, & illatas quæſtiunculas venerabili aſpectui veſtro præſentare. Sciẽs autem ſcholaſticæ eruditionis inquiſitionem, & Eccleſiaſticæ diſciplinæ ſolertiam, veſtræ clariſſimæ ſapientiæ & dulciſſimæ familiaritati gratam eſſe & iocundam; & quicquid vrbanitatis ſale conditũ cognoſcitur, veſtris intellectualibús auribus fauorabile, & acutiſſimis ſcientiæ oculis amabile eſſe probauimus. Vnde quòd ſcholaſtica tyronum iuuentus flaccidis * ingerere auribus ſolet, veſtræ ſanctiſſimæ prudentiæ dirigere ratum duximus, & inde ſolatia reſponſionis quærere, vnde ſophiæ flumina manare nouimus. Tametſi indoctas has videri interrogationes veſtræ ſanctiſſimæ ſapientię poſſe fateor. Et ne mea aliquid præſumptuoſè ruſticitas reſponderet; veſtrum laudabile ingenium, & prefulgens eruditionis acumen conſulere, tutum eſſe putauimus. Nam velut vermes feneſtris inuolant æſtiuis; ſic auribus meis inſident quæſtiunculæ, & horum conuenientia nunc temporum excitati, de Eccleſiaſtico more interrogant, cur Septuageſimus, & Sexageſimus, vel Quinquageſimus ordo, per dies Dominicos, ante Quadrageſimum dicatur, vel colatur.

**MS. Flaccis, ſeu Flaccinis, id eſt, ipſius Flacci.*

Si reſpondero, Eccleſiæ hanc eſſe conſuetudinẽ, & Romana auctoritate huius Religionis ritum eſſe firmatum; minus illis videtur auctoritate & conſuetudine ſola eſſe reſponſum, niſi & aliqua ratio addatur auctoritati: quia dicũt, nihil eſſe ſine cauſa in Eccleſiaſticis conſuetudinibus à Doctoribus conſtitutum præcipuis. Maximè autẽ titubat illorum ſenſus, quòd numerus prędictus ordini dierum non cõuenit. Vbi dicunt, Septuageſimus, ibi non ſunt ſeptuaginta dies vſque ad Reſurrectionem Domini noſtri Ieſu Chriſti. Similiter nec vbi Sexageſimus numerus notatur in diebus Dominicis, nullatenus computo dierum conuenit, vſque ad Paſcha. Iterum ſi dico, ſynecdochicè dictum eſſe; id eſt, à parte totum; quæ quidem tropica locutio, vt vos optimè noſtis, Scripturis ſanctis vſitatiſsima eſſe dignoſcitur; ſicut in tribus diebus & tribus noctibus, quibus Dominus noſter Ieſus Chriſtus in ſepulchro requieſcere legitur, intellegi neceſſe eſt, & multis aliis in locis: quæ omnia ſi dicantur, libri excedunt magnitudinẽ. Addunt tamen quærere, cur Septuaginta, vel Sexaginta, vel Quinquaginta in tali tẽpore dicuntur. Audiui dum Romæ eſſem, quoſdã dicentes Magiſtros, quòd Orientales populi nouem hebdomadas, & Græci octo, & Latini ſeptem ieiunare ſoleant; & inde cõſuetudinem Romanam ſumpſiſſe Eccleſiã, Septuageſimos, Sexageſimos, & Quinquageſimos dies nuncupare Dominicos. Hoc quia à talibus non audiui Magiſtris,

quorum auctoritati me tradere auderem, A omninò confirmare non fui auſus. Quapropter adhuc reſtat aliquid quærendum, quod tempori conueniat, & rationi concordet; & numero nō aduerſetur. Videtur enim mihi Septuageſimus dies dici poſſe propter decem hebdomadas, quæ ſunt ab ipſo die vſque ad clauſum Paſchæ, quo die alba tolluntur veſtimēta à nuper baptizatis. Igitur & in Apoſtolo legimus, *Regnauit mors ab Adam vſque ad Moyſen*, & ſignificat vſq; ad vltima tempora Legis, quæ per Moyſen data eſt, & decucurrit in Chriſti B Dei noſtri tempora. Porrò, Sexageſimus indè dici poteſt, quia ſexaginta ſunt dies vſque ad medium Paſchæ, quod erit feria quarta Paſchalis hebdomadis. Quinquageſimus vero, qui decurrit vſque in diem ſanctum Reſurrectionis Dominicæ. Quadragenarius etiam numerus cum Dominica ſua currit ad myſticum Paſcha Hebræorum, quod Dominus noſter Ieſus Chriſtus cum diſcipulis ſuis celebrauit, & nos dicimus Cœnam Domini.

Nec typica interpretatio his diſcordare C videtur rationibus. Nam ſeptenarius Spiritui ſancto cōuenire, multis in locis ſacræ Scripturæ noſcitur. Vnde & poſt ſeptē hebdomadas, Spiritus ſanctus miſſus eſt de cœlo in igneis linguis ſuper cētum viginti nomina credentium, & ſeptem dona ſancti Spiritus legimus in Propheta. Et tunc maximè dum alba tollūtur à baptizatis veſtimenta, per manus impoſitionē à Pontifice Spiritum ſanctum accipere conueniēs eſt, qui in baptiſmo omnium receperunt remiſſionem peccatorum; & per ſeptem dies D in Angelico caſtitatis habitu, & luminibus cœleſtis claritatis, ſanctis adſiſtere ſacrificiis ſolēt. Et ſenarius numerus perfectioni vitæ noſtræ concordat, quia in ſex diebus omnia opera perfecta fecit Creator omnipotens. Et ipſe ſenarius numerus, ſicut veſtra doctiſſima nouit ſagacitas, partibus ſuis perfectus eſt. Et quinarius numerus per decadas ductus, ad Reſurrectionē Domini noſtri Ieſu Chriſti concurrit, ſignificans nobis remiſſionem omnium peccatorum eſſe, & iuſtificationem vitę in Chri- E ſto. Quadragenarius verò per decadas quater ductus, pœnitentiæ typum tenere multis in locis cōſtat. Vnde & ipſe Dominus noſter quadraginta diebus ieiunauit, cuius prædicatio prima fuit, *Pœnitentiam agite, adpropinquabit regnum cœlorum*: & ſicut Moyſes Legem, Helias Prophetiā, ita ipſe Dominus noſter Euangelicam prędicationem quadraginta dierū ieiunio dedicauit.

Et vt veſtra nouit ingenioſa & præclara in omnibus Philoſophorum diſciplinis prudentia, quammirabiliter quadragenarius numerus, qui pœnitentię, vt diximus, conuenit, ſi per ſuas partitur diuiſiones, & per partes ſuas creſcit, vſq; ad quinquageſimū peruenit, qui eſt remiſſionis numerus; quia per pœnitētiam ad remiſſionem peccatorum noſtrorum nobis feſtinandum eſt.

Sed & aliquid mirabile in hac conſideratione de cōuenientia ſenarij numeri inueniri poteſt; & quodammodo principia huius computationis mirabili fine cōcordat in regulis numerorum. Igitur inter Septuageſimum & Sexageſimum ſex repeRiuntur dies: Similiter inter Sexageſimum & Quinquageſimū, etiam inter Quinquageſimum & Quadrageſimum ſenarius inuenitur numerus, & fiunt ter ſex, & faciunt decem & octo. Qui numerus ſi rationabiliter conſideratur, & diuiditur in tres partes æquales, erunt ter ſex; & eſt ratio ſimpli ad duplum, & ſignificat ſimplam mortem Dei Chriſti ad duplam noſtram. Quia nos duabus mortibus fuimus obnoxij, id eſt, animæ & carnis. Ille verò ſimpla morte ſua & innoxia duplam deſtruxit noſtram, & ſimpla reſurrectione ſua, duplam oſtendit nobis & perdonauit; vnam nunc in anima, alteram in die magno aduentus ſui in corpore; vt ſit tunc vnus homo glorioſus corpore & anima, qui priùs vnus fuit mortalis anima & corpore; anima peccato, corpore corruptione.

Similiter & ſi finis conſideratur calculationis, conueniēter huic rationi videtur concordare. Nam inter quintam feriā Cœnæ Dominicæ, in qua quadragenarius numerus decurrit; vſq; in Reſurrectionē Domini, id eſt, Dominicam diem, quò quinquagenarius numerus peruenit, duo ſunt dies. Item à Dominica Reſurrectionis Domini, vſque in quartam feriam, quò ſexageſimus numerus peruenit, duo ſunt dies. Item à quarta feria vſq; in Sabbatū, vbi ſeptuageſimus numerus impletus eſt, duo ſunt dies. Hi verò dies ſi iunguntur, duo, & duo, & duo, faciunt ſex. Et iſte ſenarius, ſi diuiditur in duo, & quatuor; eadem ſimpli & dupli ratio inuenietur in eo. Ita hæc concordia pertinet ad Reſurrectionem Domini noſtri Ieſu Chriſti: illa prior ad Paſſionem, in qua redempti ſumus, & in iſta iuſtificati, ſicut beatus Apoſtolus ait, *Chriſtus paſſus eſt propter redemptionem noſtram, reſurrexit autem propter iuſtificationem noſtram.* Poteſtis ex hac ſpeculatione veſtris demonſtrare familiaribus, quàm io-

cunda eſt & vtilis Arithmeticæ diſciplinæ A cognitio; quam & veſtræ diligentiæ bene notam & per vos aliis cognitam eſſe credimus. Plurima hinc dicere potui, ſed noluit cartulæ excedere modum: & maximè quia non ignoranti ſcripſi, ſed ei qui hæc omnia optimè nouit. Ideo perpaucis hæc prælibaui verbis, quia vobis hæc omnia eſſe notiſſima ſciebam. Et vt dictum eſt, *Cum ſapiente paucis vtendum eſt verbis*. Et, *Beatus qui loquitur in aurem audientem*, id eſt, intelligentem. Mihi itaque in fine Epiſtolæ cum Regina Saba dicendum eſt; *Beati viri* B *tui, & beati ſerui tui, hi qui ſtant coram te ſemper, & audiunt ſapientiam tuam. Sit Dominus Deus tuus benedictus cui complacuiſti, & poſuit te ſuper thronum Iſrael, eo quòd dilexerit Dominus Iſrael in ſempiternum: & conſtituit te Regem, vt faceres iudicium & iuſtitiam.*

ITEM AD DOMNVM REGEM,

De ſaltu Lunæ,

EDIT. X. EPISTOLA III. C

Domino deſiderantiſſimo, & omni ſapientiæ decore clariſſimo DAVID *Regi, Flaccus Albinus perpetuæ pacis & gloriæ ſalutem.*

SOLENT itaque de fonte caritatis ſæpius verba fluere ſalutationis; vel, ſi longinquitas terrarum vocis officia neget, apices dilectionis atramento formati multoties recurrant. Idcirco ſupplici voto deprecor, vt liceat noſtræ paruitatis cartulam ad veſtræ auctoritatis D præſentiam ſæpius recurrere, ferentem quæ vel veſtræ ſapientiæ iocunda, vel noſtræ paruitati neceſſaria eſſe arbitremur: & opportuno tempore FLACCVS veſter legatur in litteris, qui quondam audiebatur in verbis. [*Nam cauſa huius præſentis cartulæ lunaris ſaltus effecta eſt, qui in hac lucenti Luna Nouembri menſis anno circuli decennouennalis nouiſſimo certiſſimè inſpici poterit. Igitur hæc Luna Nouembri menſis, quæ per decem & octo annos triceſima computabatur, in E hoc anno præſenti præfati circuli nonodecimo, vndetriceſima computari debet. Ita & de viceſimanona, quæ fit octauas Kal. Decembri, vertatur ſeptima Kal. in primam: & ſit die Kalẽdarum Decembrium ſeptima, quæ iuxta regulares & Epactas ſexta computata eſt; & erunt tres Lunæ pariter, Octobri ſcilicet, & Nouembri, & Decembri menſis, vndetricenarum dierũ.

*Sequentia ex MS. Cod. addita. Nã deerant in Epiſtola in impreſſis.

A Quòd ſi quis obſtinata mente facere neglexerit, & magis regularibus, quàm rationi, ſaltus innititur, & vult Nouẽbri menſis Lunam triginta habere dies, & in Kal. Decembris ſextam eſſe Lunam; magno ſe mox implicauerit errori in quartadecima Luna Paſchalis feſti. Si verò Kal. Decembris ſexta computabitur Luna, neceſſe erit vt in Kal. Ianuarias octaua ſit Luna, & Februario nona, & in Martio octaua: & die Kalendarum Aprilium nona, & quartas Nonas eiuſdẽ Aprilis decima, tertias Nonas vndecima, pridias Nonas duodecima, B Nonas tertiadecima, quæ iuxta rationem Paſchalis feſti quartadecima debet fieri, ſicut ab omnibus in terminis Paſchalibus veriſſimè decantatur, & firmiſſimè tenetur. Et videri poteſt diligenter conſiderãtibus, quantus error, & quàm pernicioſus in Luna quartadecima, & in die Dominicę Paſchæ, & in ætate Lunæ eiuſdem diei oriri poterit: ſi quis non curauerit vnum diem in ætate Lunæ ratione ſaltus in Nouembrio menſe tranſilire. Etiam nec ætas C Lunaris in Ianuario, Februario, Martio, & Aprile, regularibus conuenit, qui obſeruari debent per decem & nouem annos ad cognoſcendam diebus Kalendarum ætatem Lunæ in menſibus ſingulis.

Eſt quoque aliud in huius ratione ſaltus aliquando difficilius computandũ, ſed neceſſariè ſciendum. Notiſſimũ verò veſtræ ſcio acutiſſimæ prudentiæ fore, quòd in communibus annis ſecundum numerum Epactarum, quæ ſingulis annis adcreſcunt vndecim diebus; quartadecima Luna Paſchalis locum prioris quartædecimę vndecimæ* diebus anticipat. Quod facile eſt inuenire per annos communes. In annis itaque Emboliſmorum, decem & nouem diebus ſecundum numerum annorum circuli decennoualis, quartadecima Luna Paſchalis tranſponitur prioris anni quartædecimæ: vti detrimentum commune annorũ emboliſmis ſuppleatur, & fiat æqualis numerus dierũ in decem & nouem ſolaribus, & in decem & nouem lunaribus annis. Inter quartamdecimam itaque Lu- E nam nouiſſimi anni circuli ſæpenominati, quæ fit quintaſdecimas Kal. Maias, & quartamdecimam primi anni eiuſdem circuli, quæ fit Nonas Aprilis; non vt cæteris annis communibus vndecim, ſed duodecim inueniuntur dies; quatenus illa dies, quæ in Nouembrio menſe lunari ætati adempta eſt, hinc in Aprile inter Epactas inueniatur. Epactarum verò rationem vndecim diebus ſingulis annis accreſcere.

Hoc verò anno propter ſaltum, duodecim A dies inter quartamdecimam nouiſſimi anni, & quartamdecimam primi anni reperiuntur: quatenus emboliſmus huius anni triginta habeat dies ſecundum rationem emboliſmorum, decem & octo nouiſſimi anni epactas; quibus ſi addideris vndecim, qui ſingulis annis more ſolito adcreſcunt, & vnum ſaltus diem, fiunt triginta. Ideò primo anno circuli ſæpenominati nullæ ſcribuntur epactæ, & à pueris de nullis in vndecim decantatur. Sed & ſi à quintasdecimas Kalendas Maias totius lunaris anni B dies cõputantur vſq; in Nonas Aprilis, nõ vt cæteris annis tricenteni quinquageni quaterni, ſed tricenteni quinquageni terni dies reperiuntur. Niſi fortè biſſextilis immineat annus, qui vnum adicere ſolet ſeu ſolari, ſeu lunari anno, vt æſtimo, diem.

Qualiter verò huius ratio ſaltus ſingulis annis decemnouẽnalis in diminutionẽ vnius diei adcreſcat, diuerſis modis computatur. Sed hæc facilior videtur computatio, vt ſciamus ſingulis annis cicli decẽnouennalis vnam horam & vnum punctũ, C & nouamdecimã partem vnius puncti adcreſcere ad vndecim epactarum dies. Ex quibus horis & punctis colligitur vnus per nouem & decem annos dies. Nam viginti & quatuor horæ diem integrum perficiũt, quatuor verò puncti horam faciunt, ſedecim puncti quatuor horas efficiunt: & tribus punctis, qui ſuperſunt, adde nonaſdecimas partes vnius puncti, & fiunt quatuor puncti, & eſt vna hora. Hanc ſi addideris quatuor præſcriptis horis, fiunt quinque horæ, & has quinque horas ſi adiunxeris D decem & nouem horis, fiunt vigintiquatuor horæ. Vnus dies integer in decem & nouem annis iuxta Zodiaci iam Solis & Lunæ regulam plenus & perfectus. Et vt certiùs intelligi poſſit, quæ ſit cauſa ſaltus lunaris, hunc verò citior quædam & velocior hora ſuæ incenſionis generat, ſicut & vndecim dies aptarum * annuis temporibus ſolent facere. Verbi gratiâ, ſi modo huius lunæ Nouẽbri menſis ĩcenſio ſexta hora diei facta eſt, erit ſequenti anno eiuſdem lunæ vnius horæ & vnius puncti, E & nonadecima parte vnius puncti incenſio ante horam ſextam: itaut tota ſexta hora, & vnus punctus quintæ horæ, & nonadecima pars vnius puncti eiuſdem horæ anticipetur. Et ſic ſe creſcere ſolet per ſingulos annos vſque in diem integrum, qui ſit horarum vigintiquatuor.

Hæc veſtræ excellentiſſimæ ſapientiæ, mi dulciſſime D A V I D, in memoriam reuocare curaui. Non ignota ingerens, ſed nota repetens, propter opportunitatem præſentis Lunæ, in qua ratio ſaltus, vt vidетur, maximè conſiderãda eſt. Licèt non ignoremus aliter alios ſaltum computare & inſerere velle; tamen propter rationem Paſchalis lunæ, quæ omnimodis inuiolabilis & immutabilis permanere debet, ſecundum antiqua ſanctorum Patrum inſtituta, & totius ſanctæ Eccleſiæ conſuetudinem, hic maximè Nouembrio menſe notandus eſſe videtur. Ego verò veteris immemor prouerbij, Non feres ligna in ſiluam, has ſub munuſculi nomine litterulas in veſtras tranſmiſi diuitias; memores vos eſſe ſciens laudatæ viduæ, quæ curato templo duo addidit minuta; & illorum, qui pilos caprarum in tabernaculi decorem adtulerant. Et dum omnibus eſtis benigni, omnium in vos fauores reuocatis, & cunctis copioſè veſtra benefaciẽs pietas, cunctorum vobis diuitias adtrahit, ſicut Apoſtolus ait, *Qui ſeminat in benedictione, de benedictione metet vitam æternam.*

ITEM AD DOMNVM REGEM,

De Martis ſtella, & quibuſdam Quæſtionibus,

EPISTOLA IV.

Domino dulciſſimo, & verè dilectiſſimo D A V I D, magnifico atque à Deo coronato Regi, Flaccus veteranus miles perpetuam ſalutem.

LÆTISSIMA mihi litterarum veſtrarum cartula occurrit, febricitantem refocillans, dormientem reſuſcitans, imò & inertiæ morbo torpentem ad antiquas ſtudens reformare vires, & dulcem verſificationis melodiam inter horribiles armorum ſtrepitus, & inter raucos tubarum ſonitus ammonuit miſcere: quatenus truces animorum motus aliqua muſicæ ſuauitatis melodia mulceretur. Etſi veſtræ mentis nobiliſſima ſtabilitas, in vna eadémque ſoliditatis arce * perpetualiter permaneat, & in medio æquitatis libramine inconcuſſa fortitudine vigeat: tamén vt puerorum ſæuitia veſtrorum cuiuſlibet carminis dulcedine mitigaretur voluiſtis, etiam & hoc ipſum ſapientiſſimo conſilio præuidiſtis. Quia ſæpè iratę mentis aſperitas ſalubris cõſilij non inuenit effectũ*, ſicut aſſidua quoq; mollities animi eneruare ſolet fortitudinem. Sed inter hęc morborũ genera medio tramite prudens

temperamentum conſiſtit, indè tumentem furorem mitigans, hinc deſidem animum erigens; & via regia in pacis conſilio cuncta componit. Quod militantibus virtutis genus maximè neceſſarium eſſe, in antiquis hiſtoriarum libris legimus; vt cuncta ſapiens temperãtia quæ agenda ſint regat, atque gubernet. Nam tria videntur in hoſte conſideranda, virtus, dolus, pax. *Primò*, an publica virtute vinci valeat aduerſarius. Sin autem, ad fraudes, & ingenia doli res referenda ſit. Et ſi nec hoc proficit, tunc pacis conſilio inimicitiarum odia eſſe delenda videntur. Tamen ſi immites animos aliquid Flaccina* valeat fiſtula mulcere, omni ſollicitudine eſſe reor, ſecundum opportunitatem temporis & perſonæ, perficiendum. Ego verò Flaccus tuus interim vado perficere fideliter cum omni inſtantia, quod veſtra dulciſſima auctoritas mihi per MAGAMFREDVM* fidelem veſtrum demandare voluit. Et ſciat certiſſimè bonitas veſtra, quòd nullus maius deſiderium habet, ſicut iuſtum eſt, veſtri auxilij ſupplementum implere.

*edit. Flaccina.

*al. Magẽfredum.

Igitur amicus dicitur, quaſi animi cuſtos; id eſt, qui animum amici ſui cum omni ſollicitudine fidei ſtudet cuſtodire integrum, quatenus nullatenus ſacrum amicitiæ ius alicubi violetur. Et hoc, rari ſunt, qui intelligunt. Pene vnuſquiſque ſecundum animi *ſui* qualitatem, non alterius animi, *qui amicus eſt ſuus**, ſatisfactionem, amicitiam cuſtodire quærit. Et ſi hoc in amico* & coæquali diligenter obſeruari debet, vt inuiolata animi integras permaneat illius; quantò magis in Domino, & in tali perſona, qui* ſuos ſubditos omni honore exaltare & gubernare amat? Veterum itaque prouerbialis fulget ſententia: Amicus diu quæritur, vix inuenitur, difficile ſeruatur. Et in ſacra Scriptura, *Amico fideli nulla eſt comparatio.* Nunc igitur, quam diu quæſiuimus inter Martia tela, Martis ſtella ſubitò effulſit, quam Sol diutiſſimè tenuit, ſed Nemæi Leonis terrore reliquit: qui ob memoriam Herculeæ fortitudinis cœlo inditus* eſſe refertur, traditáque eſt Cancro per bimenſtres†; [*& diuerſo pergens itinere, retrogradam citò illam erit facturus. Addidit quoque ſe ſplendida facie Canicula, Medicis præmia expectantibus multum amabilis. Cur verò tanto tempore ſol eam habuiſſet abſconditam, cauſa eſt, vt veteres voluerunt, radiorum ſolis, qui vt fertur, inæquales planetarum curſus efficiunt. Et ideò fortè errantes dicuntur, quia certum ſemper, & vnius modi curſum non habere noſcuntur. Quod ſi ita eſt, vt aliquibus placet calculatoribus; dicant Ægyptiaci pueri, cur Sol & Luna inter eas numerentur, dum certos vtrumque habet ſidus curſus in annis, menſibus, diebus, horis atque momentis. Non enim errant in eo, vt aiunt, quòd contra cælum ire videntur, dum certiſſimis peragunt temporibus ſui curſus metas: ſicut quinque ſtellarum curſus ſæpiſſimè inordinatè per Zodiaci circuli latitudinem, vel errando, vel ſtando, vel retrocurrendo feruntur.

*edit. huius

*MS. animo.

*al. quæ.

Eccli 6.

*MS. indutus.

†edit. per mẽſes tres.

†Quæ ſequuntur, rurſus addita ex MS. nam in editis etiam deerant.

De Libello verò infelicis non Magiſtri, ſed ſubuerſoris, placet mihi valde quod veſtra ſanctiſsima voluntas & deuotio habet curam reſpondendi ad defenſionem fidei Catholicæ. Sed obſecro, ſi veſtræ placeat pietati, vt exemplarium illius Libelli domno dirigatur Apoſtolico. Aliud quoque Paulino Patriarchæ. Similiter Richbono & Teudulfo Epiſcopis, Doctoribus, & Magiſtris; vt ſinguli pro ſe reſpondeant. FLACCVS verò tuus tecum laborat in reddenda ratione Catholicæ fidei. Tantùm detur ei ſpatium, vt quietè & diligenter liceat illi pueris ſuis conſiderare Patrum ſenſus; quid vnuſquiſque diceret de ſententiis, quas poſuit præfatus ſubuerſor in ſuo Libello. Et tempore præfinito à vobis, ferantur veſtræ auctoritati ſingulorum reſponſa. Et quicquid in illo Libello, vel ſententiarum, vel ſenſuum, contra Catholicam fidem inueniatur; omnia Catholicis exemplis deſtruantur. Et ſi æqualiter & concorditer cunctorum in profeſsione vel defenſione Catholicę fidei reſonant ſcripta; intellegi poteſt quòd per omnium ora & corda vnus loquitur ſpiritus. Sin autem diuerſum aliquid inueniatur in dictis vel ſcriptis cuiuſlibet, videatur quis maiore auctoritate ſanctarum Scripturarum vel Catholicorum Patrum innitatur: & huic laudis palma tribuatur, qui diuinis magis inhæreat teſtimoniis.

De quæſtionibus verò, quæ filia mea, famula veſtra fideliſsima interrogauit, nõ ordinatim recolo; niſi quòd de Pſalmis, quos veſpertina præſentis diei in Capella cantauimus hora, vt æſtimo, interrogauit. De eo itaque primùm, vbi ait Propheta, *Omnis homo mendax*, quomodo ille homo mendax ſit, qui nunquam loquitur, ſicut infantes & muti? Et iterum cur dixiſſet in eodem Pſalmo, *Quid retribuam Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi?*

quid eſſet quod retribuit nobis Dominus? vtique bona pro malis noſtris. Item quædam de Luna interrogauit ex eo Verſu, vbi dicit: *Per diem ſol non vret te, neque luna per noctem.* Et indè, de natura Lunæ aliquid addidit interrogare, ſi frigidæ eſſet naturę, quomodo vreret. Quæ omnia veſtræ ſapientiæ nota eſſe non dubitamus. Ideò non eſt opus nunc mihi interpretationes harum exponere interrogationum. Fuit quoque nobis ſermo de columnis, quæ in opere pulcherrimo & mirabili Eccleſiæ, quod veſtra dictauit ſapientia, ſtatutæ ſunt. De Donato quoq; neſcio quid paruum interrogauit*.]

* *Hucuſque MS. Cod.*

Quòd verò ſanctiſſima veſtra beniuolentia nos ammonere curauit, Ægyptiacum puerum percunctari, de immutandis quibuſdam ſupputationibus decem horarum, vel quadrantilis* ſupputationis, omninò gratiſſimè accepit animus meus; vt liceat interrogari à vobis ignorata, vel per vos corrigere errata. Nam inter familiares perſonas, & ſacra caritatis nomina obſeruari debet, vt in litteris diſcurrentibus magis emendatio ſonet quàm reprehenſio. Eo modo omnes diſcere, intelligere, & ad veritatis viam peruenire valent. Equus quatuor habens pedes ſæpè cadit: quanto magis homo, vnam habens linguam, per vices cadit in verbo? Nec me piget percunctari, audire, conſentire veritatis rationibus. Nulla ætas, vt ait Comicus, ſera debet eſſe ad diſcendam ſapientiam. Quapropter quæro, & quærens diligenter audire cupio, quid ſit immutandum in ſupputationibus decem horarum, & dimedia per ſingulos menſes: quid contra rationem naturæ inueniatur in ſupputatione, quam cartula noſtra veſtræ direxit auctoritati. Niſi fortè notaria manus verba, ſyllabas, vel litteras immutaſſet. Quod ſæpè venire ſolet, non ſolum Latinis, ſed etiam Ægyptiacis pueris, ſicut in priore Cartula noſtra, de ſaltus diminutione, per veſtram deuotiſſimam inquiſitionem factum eſſe cognoui. Et ita error ſcribentis quodammodo dictanti deputabitur. Sed obſecro, vt piiſſima bonitas veſtræ ſapientię meum magis emendare curet errorem, quàm ſcripta paruitatis meæ in manus mittere reprehendẽtium. Sunt enim qui ſibi laudem quærunt ex alterius reprehenſione. Et hæc eſt infirma laus, & non valdè laudabilis. Melius eſt amicum emendare, quàm reprehendere: ſapienter* ſe oſtendere, quàm mordaciter alterũ notare. Numquam ſcripſiſſem talia, ſi veſtram bonitatem noſtræ inſipientiæ defenſorem, vel emendatorem eſſe non crederem*.

* *edit.* quadrantalis.

* *edit.* ſapientem.

[Quod verò de ſola Martis ſtella modò euenit, hoc & de omnibus quinque Stellis errantibus in his partibus ſæpiùs ſolet euenire; vt diutiùs abſcondantur, quàm regularis pagina veterem decantat. Et fortè non æqualiter nobis in his partibus Borealibus conuerſantibus ortus & occaſus ſiderum euenit; ſicut illis qui in Orientalibus, vel Meridianis partibus mundi morantur, vbi maximè fuêre Magiſtri, qui nobis rationes & curſus cæli & ſtellarum ediderunt. Nam multa ex locorum diuerſitate, ſicut veſtra optimè nouit ſapientia, immutantur. Nunc itaque, vt prædiximus, veſtrum ſeruitium ſatis fideliter implere feſtinamus: deprecantes quoque Domini Dei noſtri clementiam, vt citiùs ſuos cum honore & laude faciat reuerti. Subiectis omnibus inimicis nominis Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui te vbique regat & cuſtodiat, & victorem faciat omnium inimicorum tuorum, ſeu viſibilium, ſeu inuiſibilium: quatenus cum corona gloriæ, multis feliciter regnaturum annis, ad regnum æternæ beatitudinis peruenire cum fidelibus ſuis concedat.

ITEM AD DOMNVM REGEM,

De curſu Lunæ per ſingula Signa.

EPISTOLA V.

Omni virtutum genere nobiliſſimo, atque omni ſapientiæ decore clariſſimo DAVID *Regi, miles veteranus Flaccus ſalutem.*

VENIT viator volando, quæſtionariam auctoritatis veſtræ habens in manu cartam, ſyllabis breuiorem quàm animi mei placuiſſet auiditati; ſed quæſtionibus altiorem, quàm ingenioli mei attingere valuiſſet humilitas. Hortans ſeniorem fragili ſenſu cæleſtia ſcrutari, qui terrenorum necdum didicit rationes: ſtellarum in cælo errantium vagabundos exponere curſus, qui herbarum in terra naſcentium naturas nequaquam agnoſcere valet. Et mirum, quomodo erraticas illarum ſemitas ad certum quis valeat reducere ordinem. Quæ ideò errantia dicuntur, quia incertos habere curſus putantur. Vel quid in cotidianis Lunæ laboribus noſtra paruitas non valeat inuenire, dum inueſtigatos Catholicorum Doctorũ, vel veterum Philoſophorum multiplici argumentatione regulares habemus rationes?

Quid enim de concordia ſolaris lunariſque curſus per ſigna Zodiaci lucidius dici poterit, quàm quod talium inquiſitor quæſtionum Beda Magiſter in ſcriptis ſuis nobis reliquit? Vel quid acutius, quàm quod naturalium rerum deuotiſſimus inuentor Plinius Secundus de cæleſtium ſiderum ratione expoſuit? Inueſtigari valet, ſed nobis iter agentibus illorum, in quibus hæc leguntur, librorum deeſt præſentia. Nihil de veſtræ ſapientiæ profundiſſimis quæſtionibus temerè audemus reſpondere: poſtulantes clementiam veſtram, vt iubeatis nobis dirigere primos præfati doctoris Plinij Secundi libellos, in quibus multiplices & obſcuras argumentationes de vario ſiderum curſu explanare nititur; ſi fortè Deo donante indè vel indè aliquid eruere valeamus, quod veſtræ ſanctiſſimæ præſentiæ dignum oſtendi videatur. Tamen ne me ita imparatũ veſtra inueniſſet cartula, vel ſomno inertiæ torpẽtem, quaſi nihil haberet repoſitum ſibi in ſecreto memoriæ cubiculo, quod interroganti proferre valeret: dicam quid ſubitò, quærendo magis, quàm exponendo, turbata mentis acie occurrere potuit; pleniorem, ſi fortè opus erit, reſponſionem ad præfatos Doctorum libros reſeruans.

Prima verò auctoritatis veſtræ interrogatio de concordia trecentarum & ſexaginta partium, & lunaris curſus per duodecim ſigna, ſic ſe habuit, vt eadem ponamus verba: *Sicut in ſolari diſcurſu, dierum, horarum, punctorumque diuiſione facta, trecentorum ſexaginta quinque dierum & quadrantis eſt inuenta concordia; ſic & in lunari per dierum & horarum partitionem, viginti ſeptem dies atque horas octo cum trecentis ſexaginta Zodiaci partibus facias conuenire.* Non ſubterfugio dicere, quid mihi videatur ſagacitatem veſtram hic in hac inquiſitione ſentire, vtique aut augendum eſſe aliquid per ſingula ſigna lunæ curſui, vt poſſit peruenire ad legitimas & definitas totius anni partes, quæ in zodiaco notantur; vel etiam minuere partium numerum, vt concordare poſſit lunaris curſus zodiaci partibus. Quã quæſtionẽ præfatus Magiſter Beda in quodã Capitulo, cuius principiũ eſſe arbitror, *Quòd ſi quis ſignorum neſcius*, lunaris tamen curſus agnoſcere * cupidus, prout potuit exponere videtur. Per duodecim partes, quibus cotidie luna elõgabitur à ſole, Plinius Secundus dicit lunã (ſi ritè recordor) zodiacũ tredecies in duodecim ſuis menſibus conficere. In ſuis dicit menſibus, non in Solis. Addidit quoque duobus diebus & ſex horis & biſſe vnius horæ per ſingula ſigna Lunam decurrere. Quod ſi verum eſt, trecentarum ſexaginta partium numeroſitas lunæ curſui optimè conuenire videtur. Quod vnius figuræ diuiſione magis, quàm verborum multiplicatione, quia ſapienti pauca ſufficiunt, oſtendendum eſſe non ignobile putaui. Cuius figuræ formulam poſt huius Epiſtolæ textum ponere melius æſtimaui, quàm per eam ſeriem ſermonis noſtri diuidere. In qua etiã figura, & horarum diuerſitas agnoſci poterit, ſi cui diligentiùs conſiderare placeat: quia aliter ſolares, aliter lunares computantur. Etiam in quibuſdam locis, & ipſi punctus aliter atque aliter computantur: itaut aliis ſupputationibus horam quinque punctos, & aliis quatuor habere inueniũtur. Etiam & oſtenta aliter Calculatores ponunt, aliter etiam Mathematici ſolent diuidere. Sic etiam & de minutis inuenimus in Mathematicorum ſubtiliſſimis argumentationibus aliter poni; itaut etiam minuta minutarum dicere ſolent. Sed hæc alias. Nunc quod inſtat agamus.

* agnoſcendi.

Signorum verò partitiones per horas, & quomodo conuenirent nouem horæ lunares quinque diebus ſolaribus, memini me in alia vobis dirigere Epiſtola. Ideò nunc ſuperuacuum eſſe arbitratus ſum aliquid indè dicere. Diuiſionem itaq; horarum per vncias vobis cognitam eſſe non ignoramus, ſicut in Libro de Temporibus legiſtis. Et quia operoſum eſt, lunæ curſum per vncias horarum diuidere, ideò magis Calculatores ad horarũ vel dierum menſuras lunæ curſus redigere contenti ſunt, ne nimia numeroſitas vnciarũ legenti faſtidio eſſet. Tamen ſpecialiter dictum eſſe debuiſſe quod ſupereſt, in ſingulis ſignis, & duobus diebus, & ſex horis, id eſt octo vnciis vnius horæ, putamus, in eo loco vbi ait: Operoſum eſt in ſingulis ſignis horas minutatim diuidere per vncias. Ideò duas horas tribus ſignis ſubtrahendum eſſe dixit, quia trium ſignorum vigintiquatuor vnciæ duas horas implent. Hora verò integra duodecim vncias habere debet. Quæ omnia veſtræ ſapientiæ præcognita eſſe nõ ignoramus. Quapropter de ſtella Martis incipimus dicere quæ videntur. Cuius inquiſitio mentes noſtras diu fatigare ſolebat. Itaut nec apparens noſtris * ſatisfaciebat curioſitati. Quæ nuper Sole morante in Leone, nobis apparuit; propemodum, vt putamus, eo tempore, quo apud vos inuenta eſt eiuſdem Martis imago. De qua etiam ſtella veſtræ venerabili

* f. noſtræ.

dignitati in alia Epiſtola, mox poſtquam à A nobis viſa fuit, ſecundum facilitatem* indagationis noſtræ aliquid dicere curauimus. Sed modò, pro veſtræ Epiſtolæ exhortatione, aliquid diligentiùs de ea ſcrutati ſumus. Nam huiuſmodi interrogationis verba poſuiſtis: *Et de Marte, qui anno præterito in Cancro ſidere Solis lumine humanis obtutibus interceptus eſt, quid ſentias; an naturalis ſui curſus ratione, an Solis vi, an prodigio actum ſit, vt iter duorum annorum vno conficeret. Nam nuper Sole Leonem deſerente in Cancro nobis apparuit. Si Solem comitatus eſt, quis tam* B *celer curſus eius? Si toto anno ſtationem in Cancro fecit, Sole in cetera ſigna migrante, cur in Cancro videri non potuit?* Scolaſtica & acutiſſima argumentatio iſta, ad quam ſuccinctè, quantum donauerit Deus, reſpondeamus.

*f. facultatem.

Quod autem ibi dictum eſt, Solis lumine in Cancro interceptã eſſe ſtellam Martis humanis obtutibus: Non æſtimo Solis lumine toto anno præterito Martis ſtellam in Cancro interceptam eſſe, ſed Cancrum opportuno tempore, & naturali curſus ſui ordine cum ſtella Martis obiectu C terræ humanis viſibus interceptum eſſe. Igitur anno præterito non memini me illum vidiſſe in Cancro, dum Cancer noctibus ſui curſus ordinem agebat ſuper terram. Nec enim prodigioſum reor, quod tanto tempore nobis non apparuit, ſed naturali ſui curſus ordine. Si enim præterito anno in ſidere Cancri non apparuit, & nunc in Cancro apparet; non vno anno curſus ſui metam, ſed ſpatio duorum annorum peragere dinoſcitur, dum nunc ſecũdo anno in altero verſatur ſidere. D Quòd verò additum eſt, ſi toto anno ſtationem in Cancro fecit, Sole in cetera ſigna migrante, cur in Cancro videri non potuit? etiam quia ipſe Cancer, in quo ſtationem fecit, videri non potuit. Mox verò dum Cancer videri potuit, viſa eſt & illa cum Cancro, qui anno præterito curſu naturali noctibus ſub terras receſſit.

In alia cartula ſcripſi de vi Solis, inæquales curſus errantibus ſtellis facientis, vt Poëta ait, E

-- Sol tempora diuidit anni,
--- mutat noctémque diémque,
-- radiiſque petentibus aſtra
Ipſe vetat, curſúſque vagos ſtatione moratur.

Quod ſæpiſſimè Saturnus, Iouis, & Mars pati videntur. Veſtra verò veneranda ſapientia & acutiſſima ſcientia videat, vel in hac, vel in illa, ſi quid dignum vel veriſimile videri debeat; an aliud aliquid de tantis quæſtionibus credendum ſit. Nullatenus propter ignorantiam vos interrogare æſtimaui. Quicquid indè ſentiatis, obſecro vt benigna voluntate nobis innoteſcere non dedignemini. Non ſum nimius meæ ſententiæ defenſor, & deuotus veritatis ſectator. Hæc verò ſubiecta figura in primo verſu habet horas, in quibus ſigna ſingula oriuntur, vel occidunt, vel de loco mouentur. In ſecundo habet punctos in ſingulis ſignis decem. Tertius partes computat, quot habeant ſingula ſigna. Quartus, dies, quibus moratur Luna in vnoquoque ſigno. Quintus horas, quæ adiciuntur diebus. Sextus vncias octo, quæ ſuperſunt horarum numero, & biſſe vocantur. Hæc omnia propter facilitatem cognoſcendi curſum Lunæ, in vnam coaceruaui formulam. Si tamen veraciter inuenta eſt ratio, quam veſtra excellentiſſima quæſiuit ſapientia.

ITEM AD DOMNVM REGEM,

De eo quod in Euangelio dicitur, *Domine, duo gladij hîc ſunt.*

EPISTOLA VI.

EDIT. XII.

Domino deſiderabiliter venerabili, & venerabiliter deſiderabili DAVID *Regi, in fide & caritate Flaccus Albinus ſalutem.*

LITTERIS veſtræ nobiliſſimæ pietatis acceptis, in quibus veſtram nobis valde amabilem ſanitatem, & cuncto Chriſtianitatis imperio pernecesſariam proſperitatem cognoſcens*, totum cordis mei affectum in gratiarum actiones Chriſto clementiſsimo Regi effudi: [*Illius ſedula oratione deprecans pietatem, cum omnibus noſtræ deuotionis cooperatoribus; quatenus veſtram pacificam & amabilem potentiam, ad exaltationem ſanctæ ſuæ Eccleſiæ, & ſacratiſsimi gubernacula Imperij, longæua proſperitate cuſtodire, regere, & dilatare dignetur.] In quibus laudabilibus quoque veſtræ ſapientiæ apicibus, meam, vt ſoliti eſtis, ſegnitiem, per interrogationes prudentiſsimas ſagaciter excitare velle inueni. Imò per inquiſitiones agnoui, quia ſapiẽter interrogare, docere eſt; veluti in veſtræ auctoritatis pagina ſcriptum reperimus. Vbi poſt congruam ſententiam veridico ſermone exaratum perſpeximus: [*Cognoſcat igitur induſtria tua, cariſſime in Chriſto Præceptor, propoſitam nobis à quodam non Clerico,*

*f cognoui.

*Sequentia in impreſſis deerant.

*Hactenus editi. Reliqua e MS. Cod. [illegible]

Sed laico, de Euangelio quæſtionem: cui tunc tamen à nobis vſque præſens eſt dilata reſponſio. A *Non quia iuxta quod interrogauit, reſpondere non valuiſſemus*, & reliqua. Verè & valdè gratum habeo, laicos quandoque ad Euangelicas effloruiſſe inquiſitiones; dum quendam audiui virum prudentem aliquando dicere, Clericorum eſſe Euãgelium diſcernere non laicorum. Quid ad hæc? Omnia tempus habent, & ſæpè poſterior affert hora, quod prior non poterat. Tamen iſte laicus quiſquis fuit, ſapiens eſt corde, etſi manibus miles, qualis veſtram ſapientiſſimam B auctoritatem plurimos habere debet*. *ſ. decet. Sed ad reſponſionem interrogationis vertamus ſtilum, ad ſatisfaciendum inquiſitoris animo: ſi tamen noſtra paruitas tam præclaro ingenio ſatisfacere valet.

Nodus verò propoſitæ quæſtionis, veluti in veſtræ excellentiæ litteris inueni, huiuſmodi conſtrictus fuit, vt eadem ponamus verba, quæ in illis legebam. Eſt enim locus Euangelij ſecundum Lucam, vbi C Dominus Chriſtus ad paſſionem venturus, tunicam ac peram vendere, gladiumque emere diſcipulos iuſſit. Cui cùm reſponſum eſſet binos ibi fuiſſe gladios, dixit ſatis eſſe. Quorum vno Petrum in abſciſione auriculæ Malchi vſum fuiſſe putamus. Cui & tunc à Domino dictum eſt, *Conuerte gladium tuum in vaginam. Omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt.* Quomodo ſibi conuenit, vt qui tunc vendere tunicam, emere gladium iuſſerat; is ſtatim accipientes gladium gladio diceret eſſe perituros? Si gladius eſt verbum Dei, & D Dominus quando gladium emere præcepit, verbum Dei ſignificauit; quomodo congruit vt omnis, qui accipiat verbum Dei, verbo Dei pereat? Sed facilis eſt ſolutio, ſi ſingulorum conſideratur Euangeliſtarum huic loco circumſtantia, & diuerſæ intelleguntur gladij ſignificationes. Nõ enim æqualiter vbique gladius ſignificat. Vbi dicitur, *Ecce vicit Leo de tribu Iuda*; aliter vbi dicitur, *Circuit quaſi Leo rugiens quærens quem deuoret.* Ille Leo Chriſtus eſt, iſte diabolus. Etſi eiſdem ſcribatur litteris leo, E non tamen eiſdem congruit ſignificationibus. Nam & abyſſus in Scripturis ſanctis multifarias habet allegorias, vt ſtudioſis lectoribus facile eſt inuenire. Abyſſus, immenſitas aquarum. Abyſſus, profunditas ſcripturarum. Abyſſus, ſapientia. Abyſſus corda hominum ſignificat. Et multa talia in Scripturis ſanctis inueniuntur, quæ ſecundum qualitates locorum varias habent intellegentias. Sermo Domini oculoſus eſt, & vndique perforari poteſt. Et alta profunditas myſteriorum Dei. Quis omnia ſecreta illorum inueſtigare poteſt? Igitur & gladius multifariè ſignificare videtur. Nam & venenatas Iudæorum maledictiones in Chriſtum, vbi dicit: *Quia exacuerunt vt gladium linguas ſuas.* Etiam & mortem ſignificat, vbi dicit; *Qui liberaſti Dauid ſeruum tuum de gladio maligno.* Scilicet & tribulationem paſſionis Chriſti ſignificat, vbi dicit: *Et tuam ipſius animam pertranſibit gladius*, id eſt, tribulatio paſſionis illius tuam torquebit animam. Diuiſionem quoque ſignificat, vbi dicit: *Non veni mittere pacem, ſed gladium*, id eſt, ſeparare bonos à malis. Sed vindicta gladij nomine intellegitur, vbi legitur: *Non enim fruſtrà gladium portat. Vindex eſt enim in eos, qui operantur malum.* Iudicium quoque Dei gladij nomine legitur deſignatum: *Inebriatus eſt in cælo gladius meus.* Item quia, *Exacuam vt fulgur gladium meum, & aget iudicium manus mea.* Et iuxta Apoſtolum, verbum Dei intellegitur gladius.

Sed forſitan ille laicus, qui in vno ſolebat pugnare gladio, vnam eum putabat habere interpretationem. Non conſiderans illum ipſum, quem manu tenet, ancipitem eſſe. In quo & inimico vitam auferre nititur, & ſuam defendere gaudet. Ideo ſecundum aliam ſignificationem in Mathæo Dominus dixit: *Omnes, qui acceperint gladium, gladio peribunt.* Iuxta aliam verò in Luca, *Sed nunc qui habet ſacculum, tollat ſimiliter & peram. Et qui non habet, vendat tunicam ſuam, & emat gladium.* Iſte verò gladius videtur ei placuiſſe, ille itaque diſplicuiſſe. Ideò illum conuerti in vaginam, iſtum emi præcepit. Idcirco diligentiùs conſiderandum eſt, quid vterque ſignificet: & ſacri ſanctorum Patrum proferendi ſunt ſenſus, ne quid noſtra prauitas præſumptuoſè dicere videatur. Ille verò gladius ſecundum Matheum, vindictam iniuriarum noſtrarum intellegitur deſignare. Quam qui exequitur, in ſuis periturus erit ſceleribus, ipſa dicente Veritate; *Si non remiſeritis hominibus peccata ſua, nec pater veſter cæleſtis dimittet vobis delicta veſtra.* Quapropter & hunc conuerti in vaginam cordis præcipit, vt ibi, iuxta Euangelicam duorum ſeruorum parabolam, vnuſquiſque remittat fratri ſuo de corde ſuo. Et hæc eſt noſtrorum indulgentia delictorum; vt in nos peccantibus dimittamus, ipſa atteſtante Veritate, *Dimittite, & dimittetur vobis.*

Sed videamus, quid ille ſecundum Lucæ Euangelium gladius ſignificare poſſit, de quo totius inquiſitionis oriebatur ſeries. Ille eſt nimirum verbum Dei; quem, venditis omnibus ſecularis vitæ impedimentis, nobis emere neceſſe eſt, & viriliter in eo pugnare contra omnes antiqui ſerpentis inſidias. Quem gladium Saluator noſter, cum triumpho gloriæ ad paternam rediens ſedem, diſcipulis ſuis dedit, dicens: *Ite, docete omnes gentes.* Non igitur ad huius gladij ictum, ſicut extraordinariæ huius inquiſitor quæſtionis arbitrabatur, Dominus reſpondit: *Conuerte gladium in vaginam ſuam.* Sed ad illius, qui in Matheo legitur, ad iſtius * atque dixit, *Sinite vſque huc*: quatenus vterque ſuam propriam habere potuiſſet ſignificationem. Nam aliquoties in vno facto aliorum ſalus, & aliorum perditio peruenit. Vt in tota Chriſti paſſione, Iudæorum eſt perditio, noſtra autem ſalus: ita & factum Apoſtolicæ audaciæ iuxta allegoriæ ſubtilitatem dupliciter ex ipſius Domini verbis intellegi poteſt. Quæratque ille, quiſquis eſt, cur in alio Euangeliſta Dominus præciperet virgam portandam, in alio præciperet non portandam: & tunc intellegat, gladij diuerſas eſſe ſignificationes.

Sed conſiderandum eſt, ſecundum veſtræ ſapientiæ venerabile præceptum, quid ſignificet huius exemptio gladij, quid ſacculum, quid pera, quid tunica; cur poſtremò in duobus gladiis, ſatis eſſe dicatur. De conuerſione itaque gladij in vaginam ſuam, & de periculo accipientis, loco ſuo diximus. Emptio ſiquidem huius gladij eſt ſeculi renunciatio, de qua ipſe Dominus dixit: *Qui non renunciauerit omnibus quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Hoc eſt, auaritiæ ſectator non poteſt veritatis eſſe prædicator, quia quod ore prædicat, opere deſtruit. Igitur in ſacculo occulta diuitiarum ſubſtantia, in pera publica deſignari poteſt. In tunica carnalis delectatio demonſtratur. Quæ omnia funditus vendenda, id eſt abiicienda ſunt; vt dignus gladio verbi Dei ſectator Chriſti efficiatur miles. Quòd autem diſcipuli id dixerunt, *Ecce duo gladij hîc ſunt*; & Dominus reſpondit, *Satis eſt.* Duo gladij, ſunt corpus & anima. In quibus vnuſquiſque ſecundum ſibi à Deo datam gratiam in Domini Dei voluntate præliari debet. Et ſatis erit voluntati Dei, ſi corpore & animo illius implebuntur præcepta.

Sed & hæc propoſita quæſtio alteram aduocat, quia abyſſus abyſſum inuocat.

A Et dum modum validæ complectionis ſolutum æſtimaui, ecce in alteram ex latere occultam conſtructionis offendi: quam non laico prioris inquiſitionis auctori, ſed veſtræ venerandæ dignitati exſoluam. Si gladius iſte, vt diximus, verbum Dei eſt, cur auriculam abſcidit aduerſantis, dum verbum Dei ex auditu ad ſecreta cordis cubilia peruenire ſolet? Vt ibi fidei fructum centeſimo, ſexageſimo, vel triceſimo ferat effectu? Quid iſta, obſecro, ſignificat abſciſio, niſi vt infœditatis auricu-

B la abſcidatur? vt diuinæ tactu gratiæ noua ſanetur, & veteris hominis expoliatio in nouæ reformationis tranſeat gloriam? Vnde & iſte ſeruus Malchus dicebatur. Malchus in Latinam linguam vertitur Rex, vel regnaturus. Quomodo Rex, & ſeruus, niſi quia in vetere homine ſerui fuimus peccati? in nouo itaque Domini Dei ſancti gratia, Reges, & regnaturi erimus cum Chriſto. Quid eſt, quòd ipſe Dominus perſecutorem ſuum ſanauit, niſi quòd omnis prædicator in Eccleſia Chriſti nec ſuos

C verbo pietatis ſanare inimicos deſiſtat? Vnde & ipſe Dominus tempore paſſionis ſuæ, opera etiam in ſuos perſecutores non deſeruit ſanitatis. Ac ideò forſitan permiſſus eſt Malchus vulnerari, vt Petri oſtenderetur conſtantia, & Domini clareſceret pietas, & nobis ad omnes boni operis daretur exemplum: quatenus ſalutis æternæ munus etiã inimicis præſtaremus noſtris.

Cur duo gladij in Dominicæ poſtmodum paſſione inuenti ſunt, & in vno Apoſtolica pugnauit fiducia, alium vaginæ ex-

D emptum non legimus? Diximus duos gladios corpus & animam ſignificare: quæ ambo per vnam fidem operari debent, vt fides, quæ in anima latet, foras per corpus oſtendatur in opere. Ex abundantia cordis os loquitur. Vnde & diſcipuli dona ſancti Spiritus in igneis linguis accipientes, loqui dicuntur magnalia Dei. Quia vbi caritas per donum ſancti Spiritus intus ardeſcit in animo, mox foras in verbo clareſcit prædicationis. Poſſunt quoque non inconuenienter duo gladij, fides & opus

E intellegi: illa in corde latens, iſtud in facto in palam procedens. Et diligentiùs conſideranti, par priori ſignificatione hæc quoque inuenitur: quia fides animæ eſt, opus verò corporis. Vnde & vnuſquiſque ad cordis ſui penetralia dirigat intentionem, & videat in eo quantum diligat Deum, & eandem Dei dilectionẽ proferat in opus. Et maximè Prædicatores Eccleſiæ Chriſti caritatem Redemptoris noſtri per verba

ſeduli prædicationis populo oſtendant. A Sint lucernæ ardentes in domo Domini, ſint ciuitates firmæ in montibus virtutum conſtructæ, & contra omnes inſidias hoſtilis exercitus muniſſimæ. Sint paſtores prouidi gregem Chriſti per paſcua vitæ æternæ ducentes: quatenus cum multiplici animarum fructu, gaudia Domini Dei ſui mereantur ingredi. Hoſtia excellentiſſima dignitas, & ſanctiſſima in Chriſti caritate voluntas ſemper admoneat, immò frequentiſſimis exhortationibus ad prędicationis impellat officia; quatenus in die magno B Domini noſtri Ieſu Chriſti tu quoque amabilem merearis audire ſententiam: *Euge ſerue bone & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtituam, intra in gaudium Domini tui.* Nec enim hoc ſolis ſacerdotibus vel Clericis audiendum ibi arbitreris, ſed etiam bonis laicis, & benè in opere Dei laborantibus dicendum eſſe credas: & maximè his, qui in ſublimioribus poſiti ſunt ſeculi dignitatibus, quorum conuerſatio bona, & vitæ ſanctitas, & ammonitoria æternæ ſalutis verba, ſuis ſubiectis prædi- C catio poterit eſſe. Nam vnuſquiſque de pecunia Domini ſui, quam accepit, rationem redditurus erit in die iudicij. Et qui plus laborat, plus mercedis accipiet. Quapropter, dilectiſſime & honorande Eccleſiarum defenſor & rector, tuæ ſanctiſſimæ ſapientiæ venerabile ſtudium alios ammonendo exhortetur, alios caſtigando corrigat, alios vitæ diſciplinis erudiat: vt omnibus omnia factus, ex omnibus mercedem habere merearis perpetuam. Vt cum magna & laudabili populorum multitudine D glorioſus in conſpectu Domini Dei tui appareas.

Audio etiam per Eccleſias Chriſti quandam conſuetudinem non ſatis laudabilem, quam veſtra prudentiſſima auctoritas facilè emendare poteſt, ſi tamen vera eſt opinio, & non magis falſa excuſatio: vt quod facere non volunt Presbyteri, ſuis iniciunt Epiſcopis. Nam dicunt ab Epiſcopis interdictum eſſe Presbyteris & Diaconibus, prædicare in Eccleſiis, dum in Apocalypſi legatur Epiſcopis: *Et* E *ſponſa dicunt, Veni. Et qui audiat, dicat, Veni. Qui ſitit veniat, qui vult accipiat aquam vitæ gratis.* Necnon & Apoſtolis, *Quòd ſi alij reuelatum fuerit ſedenti, prior taceat. Poteſtis enim per ſingulos prophetare*, id eſt, docere. Item ad Timotheum, *Qui benè ſunt Presbyteri, duplici honore digni habeantur: maximè qui laborant in verbo & doctrina Dei.* Dicant enim, in quibus Canonibus interdictum ſit Presbyteris prædicare. Quin magis legant, & intellegant, ab initio naſcentis Eccleſiæ, quanti & quàm mirabiles ex diuerſo Clericorum ordine per totam mundi latitudinem fuere prædicatores, etiam & Apoſtolica in diuerſas partes tranſmiſſi auctoritate: & deſinant ſpeciale habere, quod ad maiorē* animarum lucrum plurimorum poterit eſſe. Nam & ipſe Dominus noſter Ieſus Chriſtus Apoſtolis ſuis ad prædicationis officia ſecundi ordinis viros ſubiunxit, vt in Luca apertiſſimè legitur: *Poſt hæc autem deſignauit Dominus & alios ſeptuaginta duos, & miſit illos binos ante faciem ſuam.* Et paulo poſt, *Qui vos audit, me audit: & qui vos ſpernit, me ſpernit: & qui me ſpernit, ſpernit eum qui me miſit*, & cetera quæ ibi de diſpenſatione verbi Dei leguntur. Quare in Eccleſiis vbique ab omni ordine Clericorum Homeliæ leguntur? Quid eſt Homelia, niſi prædicatio? Mirum eſt quod legere licet, & interpretari non licèt ab omnibus intellegatur. Quid eſt aliud, niſi vt audientes ſine fructu fiant, & impleatur Virgilianum illud, *Dat ſine mente ſonos* ---

& non Euangelicum, *Quod in aure audiſtis, prædicate ſuper tecta?* Dicit enim beatus Hieronymus in Epiſtola ad Nepotianum Presbyterum, vbi eum de prædicationis officio inſtituit: Peſſimæ conſuetudinis eſt, in quibuſdam Eccleſiis tacere Presbyteros, & præſentibus Epiſcopis non loqui: quaſi aut inuideant, aut non dignentur audire. *Et ſi alij*, inquit Paulus Apoſtolus, *fuerit reuelatū ſedenti, prior taceat. Poteſtis enim per ſingulos prophetare. Et omnes dicant, & omnes conſoletur.* Et, *Spiritus Prophetarū Prophetis ſubiectus eſt. Non enim diſſenſionis eſt Deus, ſed pacis. Gloria patris eſt filius ſapiēs.* Gaudeat Epiſcopus iudicio ſuo, cùm tales elegerit ſacerdotes, docentes in Eccleſia. Non clamor populi, ſed gemitus ſuſcitetur. Lacrymæ auditorum, laudes tuæ ſint. Hæc tantus & ammirabilis Doctor huic tam malę cōſuetudini oppoſuit. Plurima exinde dici poſſunt; ſed ſapienti pauca ſufficiunt. Nec noſtræ ruſticitatis eſt, veſtrę laudabilis ſapientiæ aures plurimis aggrauare verbis; ſed tantum ſuplici deprecari deuotione, vt talia paterna prouiſione iubeatis, ſi vera ſint, emendare. Quatenus ſublime regalis potentiæ regimen omnibus vbique proficiat ad ſalutem, & tibi cum Chriſto Domino Deo noſtro & Sanctis eius præmia perpetui honoris augeantur.

Vidimus quoque aliquibus in locis altaria Dei abſque tecto, auium ſtercoribus, vel canum mictu fœdata. Quod facilè ve-

* maius

ſtra veneranda in Deo voluntas per Epiſcopos emendare valet: vt cum honore condigno maneat menſa Domini in loco ſuo, vel portetur in Eccleſiam maiorem, ſecundum ſanctam ſacerdotum Dei prouidentiam. Et honorificè tractetur ſeu altare Chriſti, ſeu conſecratio corporis & ſanguinis illius; & præcipuum ſalutis noſtræ ſacramentum omni veneratione conſecretur, habeatur, & cuſtodiatur.

ITEM AD DOMNVM REGEM,

De prædicatione veræ fidei, & baptiſmo Catholico nouellis populis.

MS.* EPISTOLA VII.

Domino excellentiſſimo, & in omni Chriſti honore deuotiſſimo CAROLO *Regi Germaniæ, Galliæ, atque Italiæ, & ſanctis verbi Prædicatoribus, humilis ſanctæ matris Eccleſiæ filiolus Albinus æternæ gloriæ in Chriſto ſalutem.*

GLORIA & laus Deo Patri, & Domino noſtro Ieſu Chriſto; quia in gratia ſancti Spiritus, per deuotionem & miniſterium ſanctæ fidei, & bonæ voluntatis veſtræ, Chriſtianitatis regnum atque agnitionem veri Dei dilatauit, & plurimos longè latéque populos ab erroribus impietatis in viam veritatis deduxit. Qualis erit tibi gloria, ô beatiſſime Rex, in die æternæ retributionis, quando hi omnes, qui per tuam ſollicitudinem ab idolatriæ cultura ad cognoſcēdum verum Deum conuerſi ſunt, te ante tribunal Domini noſtri IESV CHRISTI in beata ſorte ſtantem ſequentur; & ex his omnibus perpetuæ beatitudinis merces augetur? Ecce quanta deuotione & benignitate pro dilatatione nominis Chriſti, duritiam infelicis populi SAXONVM per veræ ſalutis conſilium emollire laboraſti. Sed quia electio necdum in illis diuina fuiſſe videtur, remanent huc vſque multi ex illis cum diabolo damnandi in ſordibus conſuetudinis peſſimæ. Tuam tamen, ô veritatis & ſalutis multorum amator, optimam voluntatem maiore gloria & laude Chriſto remunerare placuit. Gentes populoſque HVNORVM antiqua feritate & fortitudine formidabiles, tuis ſuo honore militantibus ſubdidit ſceptris: præuenientéque gratiâ colla diu ſuperbiſſima ſacræ fidei iugo deuinxit, & cæcis ab antiquo tempore mentibus lumen veritatis infudit.

A Sed nunc præuideat ſapientiſſima & Deo placabilis deuotio veſtra pios populo nouello Prædicatores, moribus honeſtos, ſcientiâ ſacræ fidei edoctos, & Euangelicis præceptis imbutos: ſanctorum quoque Apoſtolorum, & prædicatione verbi Dei exemplis intentos, qui lac, id eſt, ſuauia præcepta, ſuis auditoribus in initio fidei miniſtrare ſolebant. Dicente Apoſtolo Paulo, *Et ego, Fratres, non potui vobis loqui quaſi ſpiritalibus, ſed quaſi carnalibus. Tanquam paruulis in Chriſto lac vobis potum dedi, non eſcam. Nondum enim poteratis, ſed nec dum potestis.*
B Hoc enim totius mundi prædicator, Chriſto in ſe loquente ſignificauit, vt noua populorum ad fidem conuerſio mollioribus, quaſi infantilis ætas lacte, eſſet nutrienda: ne per auſteriora præcepta fragilis mens euomat quod bibit. Vnde & ipſe Dominus Chriſtus in Euangelio reſpondit interrogantibus ſe, quare diſcipuli illius non ieiunarent, dicens: *Nemo mittit vinum nouum in vtres veteres. Alioquin vtres rumpuntur, & vinum effundetur, & vtres pe-*
C *ribunt.* Alia eſt enim, vt beatus Hieronymus dicit, puritas virginalis animæ, & nulla prioris vitij contagione polluta: & alia, quæ ſordibus, & multorum libidini ſubiacuerit.

His ita conſideratis, veſtra ſanctiſſima pietas ſapienti conſilio præuideat, ſi melius ſit rudibus populis in principio fidei iugum imponere decimarum, vt plena fiat per ſingulas domus exactio illarum: an Apoſtoli quoque ab ipſo Deo Chriſto edocti, & ad prædicandum mundo miſſi,
D exactiones decimarum exegiſſent, vel alicubi demandaſſent dari, conſiderandum eſt. Scimus, quia decimatio ſubſtantiæ noſtræ valde bona eſt. Sed melius eſt illam amittere, quàm fidem perdere. Nos verò in fide Catholica nati, nutriti, & edocti, vix conſentimus ſubſtantiam noſtram pleniter decimare. Quantò magis tenera fides, & infantilis animus, & auara mens illarum largitati non conſentit? Roborata verò fide, & confirmata conſuetudine Chriſtianitatis; tunc quaſi viris perfectis
E fortiora danda ſunt præcepta, quæ ſolida mens religione Chriſtiana non abhorreat.

Illud quoque maxima conſiderandum eſt diligentia, vt ordinatè fiat prædicationis officium, & baptiſmi ſacramentum: ne nihil proſit ſacri ablutio baptiſmi in corpore, ſi in anima ratione vtenti Catholicæ fidei agnitio non præceſſerit. Dicit itaque Apoſtolus, *Omnia veſtra honeſta cum ordine fiant.* Et ipſe Dominus in Euangelio diſcipulis

pulis ſuis præcipiens ait: *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus-ſancti.* Huius verò præcepti ordinem beatus Hieronymus in Commentario ſuo, quem in Euangelium ſancti Matthæi ſcripſit, ita expoſuit: Primùm doceant omnes gentes, deinde doctas intinguant aquâ. Non enim poteſt fieri, vt corpus baptiſmi capiat ſacramentum, niſi anima fidei ſuſceperit veritatem. Baptizantur autem in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti: vt quorum vna eſt diuinitas, ſit vna largitio, nomenque Trinitatis vnus Deus eſt. *Docentes eos ſeruare omnia quæcumque mandaui vobis.* Ordo præcipuus. Iuſſit Apoſtolus, vt primum docerent omnes gentes, deinde fidei tinguere ſacramentum: & poſt fidem ac baptiſma, quæ eſſent obſeruanda præciperent. Ac ne putemus leuia eſſe quæ iuſſa ſunt, & pauca, addidit, *Omnia quæcumque mandaui vobis:* vt qui crediderunt, qui in Trinitate fuerint baptizati, omnia faciant quæ præcepta ſunt.

Igitur infantes ratione non vtentes, aliorum peccatis obnoxij, aliorum fide, confeſſione, per baptiſmi ſacramentum ſaluari poſſunt: ſi confeſſæ pro ſe fidei integritatem, congrua adueniente ætate, cuſtodient. Dicit verò Apoſtolus, *Corde creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem.* Illa tanta oris confeſſio proficit ad ſalutem, quę firmiter cordis credulitate tenetur.

Igitur ille ordo in docendo virum ætate perfectum diligenter, vt arbitror, ſeruandus eſt, quem beatus Auguſtinus ordinauit in Libro, cui, *de Catechizandis rudibus*, titulum prænotauit. Priùs inſtruendus eſt homo de animæ immortalitate, & de vita futura, & de retributione bonorum malorumque, & de æternitate vtriuſque ſortis. Poſtea, pro quibus peccatis & ſceleribus pœnas cum diabolo patiatur æternas; & pro quibus bonis vel benefactis gloriâ cum Chriſto fruatur ſempiterna. Deinde fides ſanctæ Trinitatis diligentiſſimè docenda eſt, & aduentus pro ſalute humani generis filij Dei Domini noſtri IESV CHRISTI in hunc mundum exponendus. Et de myſterio Paſſionis illius, & veritate Reſurrectionis, & gloria Aſcenſionis in cælos, & futuro eius aduentu ad iudicandas omnes gentes: & de reſurrectione corporum noſtrorum, & de æternitate pœnarum in malos, & pręmiorum in bonos, mox, vt prædiximus, mens nouella firmanda eſt. Et hac fide roboratus homo & pręparatus, baptizādus eſt. Et ſic tempore opportuno ſæpiùs Euangelica præcepta danda ſunt per ſedulæ prædicationis officium, donec adcreſcat in virum, & digna efficiatur Spiritui ſancto habitatio, & ſit perfectus filius Dei in operibus miſericordiæ, ſicut Pater veſter cæleſtis perfectus eſt. Qui viuit & regnat in Trinitate perfecta, & vnitate benedicta, Deus & Dominus, per omnia ſecula ſeculorum, Amen.

ITEM AD DOMNVM REGEM,

De curſu Solis diligenter exquiſita * per ſingula ſigna.

*exquiſito.

EPISTOLA VIII.

MS.*

Deo dilecto, atque à Deo electo DAVID *Regi, Flaccus in fide & caritate perpetuam in Chriſto ſalutem.*

DVLCISSIMA pietas, veſtra munera mihi FREDEGISSVS ſeruulus veſter attulit. In quibus vtrumque, & dilectionem agnoui in me, & ſapientiam conſideraui in te: quaſi quodam modo quatuor dierum munera, primordiales quatuor dierum creationes deſignarent. Et quia prima die lux condita eſt, prima die lucis materiam oſtendit mihi. Secunda, Creator firmamenti pulchritudinem extendit inter aquas & aquas. Secunda die in muneribus, veſtimenta ſacerdotalia diuiſionem inter corpora ſacerdotum & populi demonſtrare cognoui. Tertia die, terra cum ornamentis ſuis apparuit. Tertia die, auri lætiſſima ſpecies, quæ gremio eruitur terræ, directa eſt mihi. Quarta die Sol honor ſeculi cum ſideribus cæli inductus eſt. Quarta die, clara quædam & rotunda in ſimilitudinem ſolis ſpecies, honor menſæ, adlata eſt mihi, habens vigintiſeptem ſemicirculos. Qui, ſi bis ducantur, erunt quinquaginta quatuor; propter horas Lunaris curſus, quibus per ſingula ſigna currere ſolet: habens circulum rotundum in medio, propter Solis perpetuam rotunditatem. De cuius curſu præfatus puer mihi retulit veſtram inquirere ſapientiam, quomodo decem horæ & dimidia ſingulis menſibus adcreſcere ſoleant. Cuius rei ſubtilis ratio eſt, ſed veſtræ ſagacitati perfacilis ad intellegendum.

Sol igitur primo anno poſt biſſextum, in initio primæ horæ noctis, intrat in Arietem; & poſt dies triginta, & decem ſemis

horas, exiet de Ariete, hoc eſt hora vndecima noctis triceſimæ primæ, & ſecundo puncto. Et tertio puncto vndecimæ horæ eiuſdem noctis intrat in Taurum, & ibi moratur triginta dies, & decem ſemis horas. Et exiet de Tauro, non ab hora die plena. Et ibi habes vnam horam ex quatuor punctis in duobus ſignis. Et fiunt duorum ſignorum, ſexaginta dies, & viginti vna hora. Et decima hora diei intrat in Geminos. Et exiet de Geminis, ſeptima hora plena noctis, & duobus punctis octauæ horæ. Et tertio puncto octauę horæ noctis intrat in Cancrum. Et exiet de Cancro ſexta hora diei plena. Et ibi habes ſecundam horam, & quatuor punctos duorum ſignorum. Et fiunt in Geminis & Cancro dies ſexaginta, & horæ viginti vna. Habes in his quatuor ſignis horas quadraginta duas, & dies centum viginti. Et intrat in Leonem ſeptima hora diei. Et exiet de Leone, quarta hora noctis, & duobus punctis quintæ horæ. Et tertio puncto quintæ horæ noctis intrat in Virginem. Et exiet de Virgine tertia hora diei plena. Et habes vnam horam ex quatuor punctis Leonis & Virginis. Et habent ſexaginta dies hæc duo ſigna, & horas viginti vnam. Et fiunt horum ſex ſignorum dies centum octoginta tres Et fiunt, vt dixi, dies centum octoginta & duo. Et tertius dies dimidius ex duodecim horis, & tres horæ ſupra quadrantiles. Et intrat Sol in Libram hora diei quarta. Et exiet de Libra primâ horâ diei, & ſecundo puncto ſecundæ horæ noctis. Et intrat in Scorpionem tertio puncto ſecundæ horæ noctis. Et exiet de Scorpione duodecima hora noctis plena. Et habes vnam horam ex quatuor punctis. Et fiunt horum duorum ſignorum dies ſexaginta, & horæ viginti vna. Et intrat Sol in Sagittarium prima hora diei. Et exiet de Sagittario decima hora diei plena, & duobus punctis decimæ horæ. Et intrat in Capricornum tertio puncto vndecimæ horæ diei. Et exiet de Capricorno hora nona noctis plena. Et habent hæc duo ſigna dies ſexaginta, & horas viginti vnam. Has adde ad ſupraſcripta ſigna. Et habes dies trecentos, & horas centum quinque. Et intrat Sol in Aquarium decima hora noctis. Et exiet de Aquario hora octaua diei, & ſecundo puncto horæ octauæ. Et intrat tertio puncto octauæ diei in Piſces. Et exiet de Piſcibus ſexta hora noctis plena. Et hæ ſunt ſex horæ, quæ de punctis ſingulorum Signorum adcreſcunt. Et habent hæc duo

A ſigna ſexaginta dies, & viginti vnam horam. Has adde ad ſupraſcriptos dies vel horas, fiunt dies duodecim Signorum CCCLX. & horæ CXXVI. Partire centum viginti horas per vigintiquatuor, & fiunt quinquies viginti quatuor, quod ſunt quinque dies. Et erunt totius anni trecenteni ſexageni & quinque dies, & ſex horæ; quia antea habuiſti CXXVI. horas. Hæ ſex horæ per quadriennium ductæ, faciunt viginti quatuor horas, quod eſt vnus dies, quem Latini biſſextum vocant.
B Et ſi non adderetur in Februario quarto anno hæc dies, intraret itaque Sol quartaſdecimas Kal. Aprilis prima hora noctis in Arietem: & poſt centum viginti annos tarditas Solis, dum Arietem intrare debuiſſet, intraſſet itaque Taurum; ne dies triginta in centum viginti annis biſſextiles augerentur curſu illius.

Hæc in huiuſmodi rationes tam ſuaueſcunt *, & conſideratio neſcientibus, vt *Locus in MS. corruptus.
ceteræ artes Philoſophiæ ſolent eſſe diſcenti, & intellegentias. Nam Philoſo-
C phi non fuerunt conditores harum artium, ſed inuentores. Nam Creator omnium rerum condidit eas in naturas, ſicut voluit. Illi verò qui ſapientiores erant in mundo, inuentores erant harum artium in naturis rerum: ſicut de Sole, & Luna, & Stellis facilè potes intellegere. Quid aliud in Sole, & Luna, & Sideribus conſideramus & miramur, *niſi ſapientiam* Creatoris, & *curſus illorum naturales*? Fertur itaque, Abraham Patriarcham ex Aſtrologiæ ratione Creatorem Deum in-
D tellexiſſe & veneraſſe. Et exinde amicus Dei appellatus eſt, & temptatus in fide iam fortis inuentus eſt. Nam dicunt Hebræi exiſſe eum de Vr Chaldeorum, id eſt, de igne Chaldeorum. Qui Chaldei ignem pro Deo coluerunt. Solebat Magiſter meus mihi ſæpius dicere: Sapientiſſimi hominum fuerunt, qui has artes in naturis rerum inuenerunt. Obprobrium eſt grande, vt dimittamus eas perire diebus noſtris. Sed nunc puſillanimitas multorum non curat ſcire rationes re-
E rum, quas Creator condidit in naturis. Scis optimè, quàm dulcis eſt in rationibus Arithmetica, quàm neceſſaria ad cognoſcendas Scripturas diuinas: quàm iocunda eſt cognitio cæleſtium aſtrorum, & curſus illorũ. Et tamen rarus eſt, qui talia ſcire curet: & quod peius eſt, reprehendunt. Hæc ſcire ſtudentes, & vtcumq; illo naturalium rerum ignoratio inculpabilis potuiſſet illis eſſe, ſi diuinis ſeipſos tradere

voluiſſent ſcripturis, & laborare in illis, in quibus vitæ æternæ cognitio conſideratur. Et vt potuiſſent fidem Catholicam veraciter defendere, & fiducialiter ſtare contra aduerſarios Chriſti, per quos multimodis diaboli aſtutia fidem Catholicam impugnare ſtudet. Et ſunt modò tempora, de quibus beatus Paulus prædixit: *Spiritus autem manifeſtè dicit, quia in nouiſſimis temporibus diſcedent quidam à fide, attendentes ſpiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum, in hypocriſi loquentes mendacium, habentes cauteriatam ſuam conſcientiam.*

Si vis ſcire, quomodo adcreſcant ſingulis annis menſibus ſolaris curſus decem ſemis horæ; multiplica decem per decem, fiunt centum, quia vna hora decem habet minuta, & remanent decem minuta. His adde quinque minuta, quæ fiunt ex dimidia hora; & ſunt quindecim minuta. Hæc partire per triginta, faciunt tricies, dimidium minutum quindecim minuta: & adcreſcunt cotidie in triginta diebus tria minuta, & dimidia pars vnius minuti. Et ſi ſcire vis quantum cotidie creſcat ad biſſextum, partire quinque minuta in triginta, fiunt ſexies quinque. Sexta pars vnius minuti adcreſcit quotidie, vt dimidia hora fiat per menſem vnum. Hanc dimidiam horam duc duodecies, & fiunt ſex horæ. Has multiplica in quatuor, quater ſex faciunt viginti quatuor, quot ſunt horæ vnius diei. Per quadriennium adcreſcit, vt biſſextus fieri poſſit. Et fiunt in quarto anno CCCLXVI. dies. Qui ſenarius numerus multum valet in circulo anni. Nam CCCLX. fiunt ſexies ſexaginta. Qui ſexagenarius ſi per denarium partitur, inuenies ſexagenarium numerum per denarium eſſe perfectum, ſicut ſenarius per vnitatem. Nam vnum, duo, & tres, ſex faciunt. Et eſt perfectus numerus in partibus ſuis. Ita ſexagenarius quandam perfectionem habet, ſi partitur per denarium numerum. Nam ſemel decem, & bis decem, & ter decem, ſexaginta ſunt. Nam quantum valet in primo verſu numerorum ſenarius, vt perueniatur ad decem; tantum valet in ſecundo verſu numerorum ſexagenarius, vt perueniatur ad centum. Quinque verò dies, qui ſuperſunt tricentenis ſexagenis diebus in ſingulis menſibus, eſt ſexta pars menſis vniuſcuiuſque. Sex verò horæ, ex quibus quarto anno ſexta dies adcreſcit, habent perfectionem ſuam in partitione ſenarij numeri, ſicut paulò antè præfati ſumus. Et ſicut Creator æquiſſimus in ſex diebus fecit omnia opera primordialis mundi, vt ſignificaretur in perfectione numeri ſenarij, omnia in naturis ſuis feciſſe eum perfecta. Et ille ipſe Creator magnus, admirabilis, perfectus eſt in natura ſua: cui complacuit, omnia in ſenarij numeri perfectione perficere. Vnde & ſexta die creatus eſt homo; perfectus anima & corpore. Propter quem omnia creata ſunt, quæ ſex diebus condita eſſe leguntur. Vnde & ipſe Deus Dei filius, qui eſt virtus & ſapientia Dei, ſexta ætate mundi venit in mundum ſaluare hominem, quem ſexta die creauit. Ita ſenarius numerus, & in conditione primordialium creaturarum, & in ſucceſſione ſeculorum, quæ ſex ætatibus cucurrerunt: & quòd ſexta ætate venit filius Dei humanum genus reparare ad priſtinam dignitatem conditionis ſuæ, multùm valet.

Tales rationes, ô dilectiſſime DAVID, vobis mihi ſcribendæ ſunt, non ruſticis quibuſlibet, in quibus ſapientiam tuam eruditam eſſe ſcio, & quæ tibi placere omninò agnoſco: vt gaudeat mens tua in rationibus rerum, ſicut mea multum gaudet tibi ſæpiùs talia dirigere. Benedictus Dominus Deus in donis ſuis, qui tibi clariſſimam diuinæ legis ſcientiam, & iocundiſſimam naturalium rerum conceſſit cognitionem. Cuius ineffabili pietati nobis omnibus continuæ ex tota voluntatis intentione agendæ ſunt gratiæ, quòd talem nobis perdonauit Dominum & Rectorem. Et aſsiduis precibus illius piiſsima Potentia poſtulanda eſt, quatenus longæua proſperitate & ſalute te nobis conſeruare dignetur, deſiderantiſsime DAVID.

Nuper venit mihi Libellus à FELICE infelice directus, cuius, propter curioſitatem, cùm paucas paginolas legendo percucurri; inueni peiores hereſes, vel magis blaſphemias, quàm ante in eius ſcriptis legerem. Adſerens Chriſtum Ieſum nec filium Dei eſſe verum, nec etiam verum Deum eſſe, ſed nuncupatiuum. Non intendens, quid Prædicator egregius de diuinitate Chriſti ait, *Quorum Patres, ex quibus Chriſtus, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſecula.* Et ſpero plura ibi inuenire poſſe, quæ fidei Catholicæ aduerſari videantur. Si nihil aliud inueniatur contra fidem Catholicam, hoc ſolùm ſufficit ſibi ad perditionem ſui. Væ mundo ab ſcandalis! Ecce, qui adoratur ab Angelis in cælis, negatur in terris ab

hominibus verus eſſe Deus. Huius verò Libri, vel magis erroris reſponſio, multa diligentiâ & plurimis adiutoribus eſt conſideranda. Ego ſolus non ſufficio ad reſponſionem. Præuideat verò tua ſancta pietas huic operi tam arduo & neceſſario adiutores idoneos, quatenus hæc impia hæreſis omnimodis extinguatur, antequã latiùs ſpargatur per orbem Chriſtiani Imperij, quod diuina pietas tibi tuiſque filiis commiſit regẽdum atque gubernandum. Surge vir à Deo electe, ſurge fili Dei, ſurge miles Chriſti, & defende Sponſam Domini Dei tui. Cogita de ſponſa tua, ſi quis eam exhonorare velit, quàm patienter tuus hoc ſufferat inimicus. Conſidera quoque, quòd iniuria filij tui in te peruèniet. Quomodo non multò magis iniuria & obprobrium filij Dei, Saluatoris tui, protectoris tui, largitoris omnium bonorum, totis viribus vindicanda eſt tibi? Sta viriliter pro ea, quam accepiſti à Deo tuo regendam & conſeruandã: quatenus potentia ſecularis tibi proficiat in ſpiritalis gloriæ diuitias.

ITEM AD DOMNVM REGEM,

Reſponſio contra quaſdam obiectiones.

EDIT. XIII.

EPISTOLA IX.

OPTABILIS* & diu deſiderata veſtræ bonitatis literarum facies ſubitò effulſit, permultòque tempore auidos videndi oculos ſanctiſſimi veſtri nominis apices refecerunt. Et licet aliquid reprehenſibile ſequenti ſerie de meis cantitaſſent litterulis; tamen omnia melliflua dulcedine hauſi, dum hoc deſiderabile, & multùm mihi amabile in primo capite nomen apparuit. Gratiſſimum mihi etiam fore fateor*, vt ſic vel beatitudinis veſtræ ſyllabas mererer oſculari: vt quod perpetua & inuiolata non potuit promereri dilectio, ſaltem reprehenſionis materia ſubitò extorqueret: ſciens meliora eſſe vulnera diligentis, quàm fraudulenta oſcula odientis. Nec mirum, ſi tarditas aſelli ſuſtineat in dorſo flagellum. Egò tardus, ego mei ipſius immemor, veſtrorum forſitan dignè puerorum ſuſtinui flagellum. Entellus ſenior effœto corpore dudum cæſtus depoſuit ſuos: ætate florentibus cedit illos indui. Ideò aliquis illorum ſeniorem ingenti pugno percuſſit, itaut caligo obuerſaretur oculos ſenioris. Et vix reſumptis viribus frigidus circa præcordia recaluit ſanguis. Et vt ad rem veniam, ac ignorantiæ fomentis caput percuſſi medicari incipiam: ego imperitus, ego ignarus, neſciens Ægyptiacam Scolam in Palatio Dauiticæ verſari gloriæ *. [Ego abiens Latinos ibi dimiſi. Neſcio quis ſubintroduxit Ægyptios. Nec tam indoctus fui Memphiticæ ſupputationis, quàm beniuolus Romanæ conſuetudinis. Annum cum nato Chriſto, & creſcente luce, initiare ſecundum Latinos volens; non cum Ægyptiis, qui tenebras interpretantur, & ſuperuenientibus tenebris ordiri: quia ſcio me olim cum Moyſe tenebras Ægyptiorum relinquere, & modo in terra repromiſſionis lucis & lætitiæ, cum IESV duce noſtro libertate honoratus ſtare, & nullatenus ſecundũ quod dux meus, immò & Dominus noſter dixit, iterùm ad Ægyptiacas redire tenebras.

Vnde miror, cur pueri veſtri annum legitimum à menſe Septembrio incipere velint, & partem tranſacti decennouennalis ſequenti connectere circulo, caudam vertentes in caput: & non magis omnibus Lunæ & ſiderum augmentis vel detrimentis exploſis, ad nouum annum, & ad caput ſuperuenientis circuli omnino libere intrare. Libet tamen interrogare hos ipſos pueros, an conuenientius videatur vnius anni ætates lunares pro regularibus habere: & hoc primi anni, vel etiam duorum annorum, id eſt nouiſsimi circuli decennouennalis, & *primi ſequentis*. Et vtrum ratione vicinius ſit, in fine circuli decennouennalis ſaltum interſerere, vel in medio quolibet anno. Etiam & hoc velim ſcire, quomodo computare velint ætates lunares à quintodecimo Kal. Maij, vbi quartadecima Luna nouiſsimi anni fuit, vſque ad Septembrium menſem. In quo menſe quinta apud Ægyptiacos pueros cantatur. Quomodo fieri poſsit vt altera Luna ſemper habeat xxx. dies, altera vndetriginta: & ſingulares per omnia in illis menſibus firmiter ſtare valeant. Et vereor, quod in Latinis reprehendent, hoc etiam & in Ægyptiacis inueniunt. Et fortè quod in Nouembrio nolunt fieri, neceſſe eſt in alio quolibet menſe inuenire. Nec ego cum quolibet contentioſum funem trahere velim, nec me quæſtiunculis inſerere aliorum. Vnuſquiſque in ſuo ſenſu abundet.

Quòd verò in fine Epiſtolæ familiariter me admonere curaſtis, vt ſi quid humiliter emendandum ſit, corrigatur: numquam fui, Deo donante, in errore meo

*al. Optata mihi.

*edit. fatebor.

pertinax, nec de meis confidens ſenſibus. A Nec talis, vt meliori ſententiæ facile adquieſcere non valerem, ſciens dictum eſſe, ſæpiùs auribus quàm lingua vtendum. Hoc omnino veſtram ſentire ſapientiàm obſecro, non vobis quaſi neſcienti, ſed quaſi probanti ſcribere: nec quaſi ignoranti, ſed magis corrigenti dirigere paruitatis meæ ſenſus. Nec vero Euangelica vidua duo minuta iniecit gazophylacio propter indigentiam templi, ſed propter deuotionem ſuam. Nec noſtra humilitas Deo donaria offert quaſi non habenti, ſed magis omnia B poſſidenti. Ita etiam paruitas mea non indigenti, ſed multum melius intellegenti vobis, ſi quid ſcribere temptauero, faciendum veraciter agnoſco. Gloria patris filius ſapiens.

Quòd verò nota repetere indignum dixiſtis, neſcio quid Flaccina ruſticitas diuiti ſapientiæ ignotum ingerere valeat. Sed ſi nota, & olim audita non licet inferre, quid faciemus de litteris, ſyllabis etiam, & verbis, quibus vti nobis neceſſe eſt cotidie, niſi nouas Grammaticæ artis regulas C excogitare incipiamus? Iam mihi multum melius fuit ſuper menſam deliciarum veſtrarum panem manducare mūdiſſimum, quàm cum Menalca in piſtrinio grana tritici computare, vnde panis conficiatur. Si placet, intremus paululum calculatorum piſtrillas, vel Mathematicorum fuliginoſas coquinas: & proferemus vnde olim cognita, nunc pene oblita, iuxta Virgilij veſtri Prophetiam. Nam

----ſæpe ego longos,
Cantando, puerum memini me condere ſoles. D
Nunc oblita mihi tota carmina, vox quoque Flaccum
Ipſa fugit. ------

Tamen, vt ad inquiſita Cartulæ veſtræ reſpondeam, non ſapientię diuitiis ſuffultus, ſed veſtræ auctoritatis litteris inſtinctus, gremio pietatis veſtræ protegendo, pauca de ratione multiplici ſaltus ſubicere curabo. Primum ponam quod in Doctorum didici Libris. Secundo, quod ratione ſuadendo inueſtigare valui. Tertio, quod ex Mathematica quondam audita meminiſſe E potui diſciplina. Quatenus multiplici modo multiplex Lunaris ſaltus enodetur. Salomone dicente, *Funiculus triplex difficile rūpitur.* Item, dum de ſapientia loquebatur, intulit dicens; *Vnde eam tibi hodie tripliciter oſtendi.* Hos ego ſenſus, ſagaciſſime naturalium rerum inquiſitor, & rationis cuiuſcunque cauſæ deuotiſſime inueſtigator, domine mî DAVID, veſtræ auctoritati dirigere ſtudui. Non iactantiæ typo elatus, ſed humilitatis officio deuotus; veſtris, ſanctiſſimis paratus obedire præceptis. Et ſi dignum earum litterarum veſtris, acutiſſime, oculorum obtutibus inuenire poſſis, gratias Deo omnium donatorum largitori mihi agendum ſcio. Si quid aliter* meruiſti, citatim penna perſcripſerit, mihi putandum eſſe fateor: veſtræque pietatis, protegendo, & eximiæ bonitatis calamo corrigendum.

* *addendum*, quam

Has verò Lunaris ſaltus ſupputationes aliquas in alterius cartulæ diſtinctè* notaui, vt prædixi, ex lectione paternorum ſenſuū ſcripſi: alias ex rationis coniectura inueſtigaui, alias Mathematicorum variis ſuſpicionibus collexi*: Ne ad veſtræ venerandæ dignitatis præcepta tacerem, & criminis reus eſſem, ſi inobediens tantæ auctoritati viderer. Sciens vos multóque veriùs, & ſagaciùs hæc omnia intellegere & inueſtigare poſſe. Tamen Flaccina ruſticitatis officia non obnegaui, vt facerē quod iuſſiſtis; mercedem obedientiæ expectans, non iniuriam reprehēſionis ſperans. Quia adſueta veſtri cordis bonitas numquam immutari poteſt, ſed inuiolata manet, & ſemper ad meliora proficiens: donec ad æternitatis, Domino Deo Dei filio miſerante, cum multiplici meritorum laude, perueniat gloriam.

f. collegi.

In articulo profectionis ſeruorum veſtrorum, & noſtræ deuotionis filiorum, venerunt melliflui dulciſſimæ auctoritatis veſtræ apices: in quibus rationabiliter ad inquiſita noſtræ paruitatis reſpondiſtis. Et quaſi fauum diſtillans, ita ſuauitatis veſtræ verba legebam. In quibus & hilaritatem, & veritatem agnoui: & gratias agens Deo, laudaui vtrumque, & ſapientiæ decorem, & humilitatis vigorem: dum dignati fuiſtis noſtræ ruſticitatis cartulam audire, nec ſolùm perlegere, ſed etiam & reſpondere. Etiam & illud amabiliter in illis bonitatis veſtræ litteris ſcriptum reperi, quaſi meis verbis dictum, qualiter Regina Auſtri veniſſet audire ſapientiam Salomonis: & quomodo adclamaſſem, beatos eſſe qui adſiſterent ſapientiæ Salomonis. Et ex his verbis, me ad hanc beatitudinem prouocare voluiſtis, quod gratiam habeo ſecundum valitudinem corporis mei, & Dei gratia præueniente, & deducente me proſpere ante conſpectum beatitudinis veſtræ. Tamen ſciat miſericordia veſtra, quòd hęc beatitudo, quam laudauerat Regina Auſtri, non fuit in terra Philiſtinorum; ſed in Hieruſalem,

id eſt, in viſione pacis. Ideò ſupplex deprecor A, vt liceat Flacco tuo ad hanc beatitudinem in terra pacis & lætitiæ peruenire, non in terra diſſenſionis & belli. Quid valet infirmitas Flacci inter arma? quid inter apros lepuſculus? quid inter leones agniculus? In pace nutritus, educatus; non in prœliis verſatus. Dum præcepta Domini Dei habetis, timidus domi remaneat, ne faciat alios timere. Et Virgilius Auguſto ſcribens,

- Tu ſectaris apros, ego retia ſeruo.

Hæc preces obſecro veniant in cor pietatis B veſtræ, vt libeat vobis, & liceat mihi cum ramis palmarum & pueris cantantibus occurrere triumpho gloriæ veſtræ: & Hieruſalem optatæ patriæ, & templum ſapientiſſimi Salomonis* arte Deo conſtruitur, adſiſtere amabili conſpectui veſtro, & dicere: *Benedictus Dominus Deus, qui adduxit* D A V I D *dilectum cum proſperitate & ſalute ad ſeruos ſuos.*

ITEM AD DOMNVM REGEM, C

Reſponſio de quibuſdam Lunæ ſupputationibus.

EDIT. XIV.

EPISTOLA X.

Det tibi perpetuam clemens in ſæcla ſalutem,
Et decus Imperij, D A V I D *amate, Deus.*

VENERANDAE auctoritatis veſtræ omni melle dulciores apices per aridos BELGICAE latitudinis iter agenti campos occurrerunt mihi. D In quibus dum veſtræ beatitudinis proſperitatem legens intellexi, & fidelium veſtrorum amabilem perſpexi ſalutem: totum me in gratiarum actiones Domino Deo IESV CHRISTO contuli, felicia Chriſtiano populo tempora in veſtræ felicitatis exaltatione & ſalute certiſſimè ſciens: pro qua ſemper Dominum deprecari gaudeo, eandem ſemper audire deſidero, & quaſi optatum, à Deóque deſtinatum munus, omni gaudio veſtram incolomitatem cupiens ſemper audire. Quis enim eſt, qui E non gaudeat de ſui capitis perfecta integritate; niſi fortè furibundus, vel inſanus, quem artiſſimis Hippocratis vinculis alligandum eſſe cenſeo? Etſi, iuxta Apoſtoli ſententiam, *nemo carnem ſuam odio habet*, ſed etiam fouet & nutrit: quanto magis in capitis ſanitate, in quo eſt totius corporis perfectio, & gloria omnis, membrorum compago gaudere debet*?

Epheſ. 5.

* *Hic Epiſtolæ finis in edit. Cetera ex MS. Codice rurſus ſuppleuimus.*

A [Sed vt de puluerulentis Campaniæ glebis ad cæleſtis culminis nobiliſſimam acutiſſimamque conſiderationem me ſubitò tranſtuleris: denuò in arcano pectoris mei Pythagoricæ diſciplinæ ſcientiam, vnde necdum diſceſſit, renouare niteris, dum me huiuſmodi honeſtarum artium conſiderationibus nunquã deſidem, quãuis minus doctum, inueniſtis. Nec faſtidioſa ſegnities legentium beniuolentiæ Magiſtri iuſtè deputari debet, ſi plurimis inclitum veſtrę intentionis ſtudium ſequentibus, B forſan Athenæ noua perficerętur in FRANCIA: immò multo excellentior, quia hæc Chriſti Domini nobilitata magiſterio, omnem Academiæ exercitationis ſuperat ſapientiam. Illa tantummodò Platonicis erudita diſciplinis, ſeptenis informata claruit artibus. Hæc etiam inſuper ſeptiformi ſancti Spiritus plenitudine ditata, omnem ſecularis ſapientiæ excellit dignitatem. Ex cuius dono, ſi quid dignum ad interrogata reſpondere valeam, proferam.

C Inquiſitio verò veſtræ ingenioſæ & clariſſimæ ſapientiæ hæc fuit. Cur ſpecies lunaris corporis minor apparet oculis cernentium, quàm calculantium curioſitas in numeris noctium inueniret, vel conſiderantium ſollicitudo in partibus Signiferi conſpiceret: nec ad eaſdem ſeptemana in quintas decimas Kal. April. Luna Geminorum in aſpectu perueniret partes, ad quas illa multiplicata per punctos ſupputatio perducere debuit. Et tres huius varietatis cauſas, ſi quælibet horum eſſe puD taretur, ſupponitis, vt eadem ponamus verba, quæ noſtris veſtræ laudabilis ſapiẽtiæ cartula inſonuit auribus: vt ſine vllo * dicti Signiferi obliquitas, ſiue ipſius aſtriuagus in æthere curſus, ſiue inſolita quædam, & nunquam præteritis retrò ſeculis lucis legitimæ viſa detractio faceret. Quã nos quoque diminutionẽ lunaris formulæ perſpicaciùs intuentes, eadem, quæ veſtris inhæſerat mentibus motio, noſtri quoque cordis tetigit querelam. Sed tribus à veſtra veneranda indagatione propoſitis huius E diminutionis cauſis, alias quoque tres probabili ratione inuenimus cauſas: vnde hæc tanta diminutio iuxta veterum indagationem multorum defendi potuiſſet. Nam hæc diminutio aſpicientibus in lunari corpore ſolet fieri poſt impletam ſaltus ſupputationem, quæ per decemnouem annos vix tandẽ implebitur. Ac veluti adproximante vltimo anno circuli decennouẽnalis, quo vnus dies ſaltus ſupputatione tran-

ſilendus eſt, ſæpiſſimè maior Luna aſpicitur, quàm ætatis ratio oſtendat. Sic etiam poſt huius ſaltus ſupputationem,in primis circuli decennouennalis annis minor ſæpè inuenitur, quàm calculantium decantet memoria. Eſt quoque & altera cauſa, qua minor videri ſolet per vices Luna, quàm calculatio numerantium illam oſtendat: dum paulò ante veſperam, vel vnius horæ tantummodo ſpatio accenditur Luna,quæ ſtatim tranſacto Solis occaſu prima ſupputanda eſt. Nec mirum, ſi minor appareat ſecunda vel tertia, vel in ceteris etiam ætatibus ſuis Luna,quàm ſi poſt vnam horam prioris noctis accendatur; & poſt viginti duas vel tres horas,dum ad veſperam peruenerit,prima computetur.Et hæc poterit eſſe ratio,vt per vices minor appareat in ſpecie, quàm computetur in ætate. Sed & hæc quoq; minoratio in Ariete, vel circa eum Signis, ſi lunaris incenſio euenerit, ſæpiùs conſiderantibus occurrit. Ita vt in Arietis ſigno miro modo contingere ſoleat,Lunam prioris menſis nouiſſimam mane videre,& ſubſequentis nouam eiuſdem diei veſpere apparere in cælo; vtpote ſexta hora diei incenſa retro tranſactam mane, & poſt venientem veſpere oſtendit.

Sed ſi ex illis, quæ * veſtra inſeruit auctoritas, cauſis, aliqua fuit, ſiue ex his quæ noſtra poſuit ſolertia: neceſſe eſt tamen vt Paſchalis Luna ſtans omnimodis inuiolabilis permaneat. Nec enim fieri poterit, vt hanc diminutionem ſpeciei lunaris nemo priorum Doctorum vel ſanctorum Patrum vidiſſet, & qui in Niceno Concilio rationē Paſchalis Lunæ ſagaciter inuenerunt, & Catholicè ordinauerunt: vt omnimodis perpetuo iure ſanctiſſima Reſurrectionis Dominicæ feſtiuitas in toto orbe concorditer colitur. Si quæ verò huius diminitionis ratio verior in Plinio poſſit reperiri, ſiue propter ſaltum nuper tranſactum, ſiue propter biſſextum propè imminentem: deprecor,vt veſtra iubeat prudentia inquirere, nobiſque ſolita beniuolentiæ pietate intimare ſtudeat. Quia domi manentibus noſtros oculos nebuloſa aquarum exaltatio, vel Belgici pulueris iter agentibus ventuoſa aſperſio caliginare facit. Ideò veſtra bonitas adiuuare non dedignetur quærentem, & in viam veritatis poſſe trahi, & ſponte ſequentem.

Veſtra, precor, Chriſtus cæleſtibus inclyta donis
Illuſtret,repleat pectora pacis amor.
Dulcis amor vitæ, dulcis laus, gloria dulcis
Sit tibi perpetua, DAVID amate,ſalus.

ITEM AD DOMNVM REGEM,

Querimoniæ de miſeria huius ſeculi.

EPISTOLA XI.

Edit. IIII.

GRATIAS agimus clementiſſimæ bonitati veſtræ, dulciſſime DAVID, quòd noſtræ paruitatis memoriam habere digneris; nobiſque innoteſcere quæ famulus veſter fidelis noſtris inſonuit auribus. Nec in hoc ſolo grates ferimus continuas veſtræ pietati, ſed in omnibus bonis quæ mecum ex die, qua paruitas mea vobis nota facta eſt, perfecit. Optimè incœpiſtis,ſed meliùs conſummaſtis. Quapropter continuis precibus Domini noſtri IESV CHRISTI clementiam deprecor, quatenus qui tibi optima quæque in terrena felicitate conceſſit, lōgè meliora æternæ beatitudinis regna tibi æternaliter concedere dignetur.

Plurima veſtræ venerādæ dignitati præſens ſuaderem,ſi vel bonis oportunitas eſſet audiendi, vel mihi eloquentia dicendi: quia calamus caritatis cordis mei arcana inſtigare ſæpiùs ſolet, de veſtræ excellētiæ proſperitate tractare,& de ſtabilitate regni vobis à Deo dati, & de profectu ſanctæ Eccleſiæ Chriſti, quæ multimoda improborum perturbata eſt nequitia, & ſceleſtibus * peſſimorum auſibus maculata, non in perſonis tantum ignobilibus, ſed etiam in maximis & altiſſimis. quod metuendum eſt valde. Nam tres perſonæ in mundo altiſſimæ huc vſque fuerunt. Apoſtolica ſublimitas,quæ beati PETRI Principis Apoſtolorum ſedem vicario munere regere ſolet. Quid verò in eo actū ſit, qui Rector præfatæ Sedis fuerat, mihi veneranda bonitas veſtra innoteſcere curauit. Alia eſt Imperialis dignitas, & ſecundæ Romæ ſecularis potentia. Quàm impiè gubernator Imperij illius depoſitus ſit, nō ab alienis, ſed à propriis & conciuibus, vbique fama narrante crebreſcit. Tertia eſt Regalis dignitas, in qua vos Domini noſtri IESV CHRISTI diſpenſatio Rectorem populi Chriſtiani diſpoſuit: cæteris pręfatis dignitatibus potentiā excellentiorem, ſapientiā clariorem, regni dignitate ſublimiorem.

*ſceleſtis

Ecce in te ſola tota ſalus Eccleſiarum Chriſti inclinata recumbit. Tu vindex ſcelerum, tu rector errantium, tu conſolator mœrentium,tu exaltatio bonorum. Nónne Romana in Sede, vbi religio maximæ

pietatis quondam claruerat, ibi extrema A impietatis exempla merſerunt? Ipſi cordibus ſuis exacti *, excæcauerunt caput proprium. Nec ibi timor Dei, nec ſapientia, nec caritas eſſe videtur. Quid boni ibi eſſe poterit, vbi nihil horum trium inuenitur? Si timor Dei eſſet in eis, non auderent: ſi ſapientia, numquam voluiſſent: ſi caritas, nequaquam feciſſent. Tempora ſunt periculoſa, olim ab ipſa Veritate prædicta, quia refrigeſcit caritas multorum. Nullatenus capitis cura omittenda eſt. Leuius eſt pedes dolere quàm caput. Componatur pax B cum populo nefando, ſi fieri poteſt. Relinquantur aliquantulum minæ, ne obdurati fugiant: ſed in ſpe retineantur, donec ſalubri conſilio ad pacem reuocentur. Tenendum eſt quod habetur, nè propter adquiſitionẽ minoris, quod maius eſt amittatur. Seruetur ouile proprium, ne lupus rapax deuaſtet illud. Ita in alienis ſudetur, vt in propriis damnum non patiatur.

*edit. excæcati.

Matth. 24.

Olim veſtræ ſanctiſſimæ pietati de exactione decimarum dixi, quia fortè melius eſt, vel aliquanto ſpatio vt remittatur pu- C blica neceſſitas, donec fides cordibus radicitus inoleſcat: ſi tamen illa patria Dei electione digna habetur. Qui foras receſſerunt, optimi * fuerunt Chriſtiani, ſicut in plurimis notum eſt. Et qui remanſerunt patriâ, in fæcibus malitiæ permanſerunt. Nam Babylon propter peccata populi, dæmoniorũ deputata eſt habitatio, vt in Prophetis legitur. Nihil horum tuam latère poterit ſapientiam. Vt pote, in ſanctis ſcripturis, vel ſecularibus hiſtoriis te adprimè eruditum eſſe nouimus. Ex his omnibus D plena tibi ſcientia data eſt à Deo, vt per te ſancta Dei Eccleſia in populo Chriſtiano regatur, exaltetur & conſeruetur. Quanta tuæ optimæ deuotioni merces exhibeatur à Deo, quis dicere poterit? quia nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus diligentibus ſe.

*edit. non fuerunt, ſed minùs rectè.

Mitis ab ætherio clementer Chriſtus Olympo
*Te regat, exaltet, protegat *, ornet, amet.*
Mens mea congaudet, bonitas iam veſtra fidelis,
*Optime * quod Regem ſuſcipit ipſa ſenem.* E
Hæc precor aſpiciat clementi lumine noſtras
Literulas, ſcripſit quæ pietatis amor.
Sidera ſancta poli, viridis vel gramina terræ
Omnia conclament, DAVID vbique vale.
Terra, polus, pelagus, homines, volucreſque, feræq;
Concordi clament voce, Valete Pater.

* MS. defendat, ornet & amet.
*MS. Optima.

ITEM AD DOMNVM REGEM,

EPISTOLA XII.

Domino in Domino dominorum dilectiſſimo DAVID Regi, Flaccus fidelis Orator ſempiternæ beatitudinis in Chriſto ſalutem.

REVERTENTI me de [illegible]icus propter cauſas neceſſarias, quas ibidem habuimus diſponere, occurrerunt mihi viſitanti religioſiſſimam ſororem veſtram excellentiæ veſtræ dulciſſimi apices, in veſtra proſperitate amabiles, & in diuina miſericordia laudabiles, qui nunquam in ſe ſperantes deſerit. Sicut de domno Apoſtolico nuper actum, per veſtras ſuauiſſimas literas audiuimus. Qui etiam veſtræ beatiſſimæ præſentiæ gaudet aduenire, vt innotuit nobis cartula benignitatis veſtræ. De qua multas bònitati veſtræ gratias agimus, quòd ſolita pietate noſtri nominis memoriam habere dignati eſtis. Non ſolum de hac præſenti memoria veſtræ egregiæ pietati gratias agimus continuas, ſed etiam de omni bonitate veſtra, quam in noſtram peregrinationem verbis vel factis ſemper oſtendiſtis: fidelis in promiſſis, verus in perficiendo promiſſa. Quapropter fides veſtra, & caritas non ficta, & interceſſio continua in arcano cordis mei theſauro veſtram iugiter amplectitur beatitudinem. O dulciſſime decus populi Chriſtiani, ô defenſio Eccleſiarum Chriſti! conſolatio vitæ præſentis! Quibus tuam beatitudinem omnibus neceſſarium eſt votis exaltare, interceſſionibus adiuuare; quatenus per veſtram proſperitatem Chriſtianum tueatur Imperium, fides Catholica defendatur, iuſtitiæ regula omnibus innoteſcat.

Ecce quid actum eſt de Apoſtolica ſede in ciuitate præcipua, in dignitate excellẽtiſſima, quæ omnia veſtro tantummodo ſeruantur iudicio; vt prudentiſſimo conſilio ſapientiæ vobis à Deo datæ temperata conſideratione corrigantur quæ corrigẽda ſunt, & conſeruentur quæ conſeruanda ſunt: & quæ clemẽter diuina geſſit pietas, extollantur in laudem nominis illius, qui ſaluum fecit ſeruum ſum, & liberauit à perſecutione exſecrandæ infidelitatis. Veſtra verò ſapientiſſima animi prudentia, dum omnia intellegat, quid cui conueniat perſonæ, in benefaciendo, ſiue in vindicando, fiat quod Deo placeat: & omnibus bona in vobis voluntas oſtendatur,

laudetur, & ametur. Hoc certiſſimè pietas veſtra agnoſcat, quòd nullius hominum auri vel argenti munuſcula tantum lætificant Flacci veſtri animum; quantum beatitudinis veſtrę apices omni gaudio reſonant. Ideò ſupplici voto deprecor, vt ſæpius iubeatis fieri, quod me ſemper amare agnoſcitis. A

De illo itinere verò longo & laborioſo Romam eundi, nullatenus infirmum & cotidianis fractum doloribus corpuſculum meæ fragilitatis perficere poſſe arbitror. Deſiderium iam habuiſſem, ſi poteſtas eſſet peragendi. Ideo obſecro clementiſſimam paternitatis veſtræ beniuolentiam, vt dimittatis me fideliter & inſtanter orationibus cum Deo ſeruientibus apud S. MARTINVM veſtrum iter adiuuare. Et vtinam! vt quandóque diuina gratia vobis concedat libertatem à populo nefando SAXONVM iter agere, regna gubernare, iuſtitias facere, Eccleſias renouare, populū corrigere, ſingulis perſonis ac dignitatibus iuſta diſcernere*, oppreſſos defendere, leges ſtatuere, peregrinos conſolari, & omnibus vbique ætatis & cæleſtis vitæ viam oſtendere. Vt ſit conſolatio omnibus in aduentu veſtræ pietatis, clariſſimiſque veſtræ nobilitatis filiis benedictio copioſa per veſtra benefacta adcreſcat, ſicut per ſolius omonymi tui DAVID Deo dilectiſſimi Regis ſanctitatem, vt legitur, omnibus nepotibus ſuis Regulis throni poteſtas conſeruatam fuiſſe*. In his enim & huiuſmodi religionis exercitationibus filiorum exaltatio, & regni felicitas, & populo* ſanitas, & frugum vbertas, & totius boni iocunditas; tibique cæleſtis regni beatitudo, Chriſto Deo perficiente, creſcit, & augetur, dulciſſime DAVID, diebus æternis. B C D

*ſ. decernere,

*conſeruata fuit.

*populi

Det tibi conſilium pacis, ſimul atque ſalutis,
DAVID amor populi, CHRISTVS vbique pius:
Omnipotens cuius defendat dextra ſemper,
Victorem faciens teque, tuoſque ſimul.
Nomen vt æternum toto laudetur in orbe,
Illius ex vobis pro pietatis ope.
Aſpice, cunctorum vitæ ſpes, forma ſalutis,
Qualiter ad voſmet tota recurrat ouans.
Qui triſtis venit, redeat iam lætus ad vrbem,
Per pia dona Patris, conſiliumque ſacrum.
Quod petit inueniens, quodque ſperauit adeptus,
Hinc quoque laudes hymnidicas referens.
Qui mundo talem tribuit ſub tempore noſtro
Rectorem ſacræ regmine iuſtitiæ.

ITEM AD DOMNVM REGEM,

Exhortatio ad iuſtitiam, pro impietate quæ geſta eſt in Apoſtolico.

EPISTOLA XIII. EDIT. VII.

Domino dilectiſſimo atque omni honore digniſſimo DAVID Regi, Flaccus veteranus miles perpetuam in Chriſto ſalutem.

LITERAS proſperitatis veſtræ, vt* conſolationis noſtræ, magno amore & digno fauore ſuſcepimus: Dei omnipotentis clementiam conlaudãtes, qui vos fideleſque veſtros proſperis ſucceſſibus pollere fecit, & inimicos ſui nominis veſtræ potentię ſubdidit pedibus. Hoc enim faciat Deus, & hoc addat, vt triumpho terroris veſtri inimicas vbique ſubiciat gentes; & ſuauiſſimo ſuæ dilectionis iugo in Chriſtiana fide ferociſſimos ſubiciat animos. *[Vt ſolus Deus & Dominus noſter Ieſus Chriſtus credatur, colatur, atque ametur. Veſtra clariſſima volũtas in hoc omni laboret ſtudio, vt Chriſti nomen clarificetur, & eius diuina poteſtas per fortitudinis veſtrę triumphos multis terrarum regnis innoteſcat: quatenus non ſolum magnitudo poteſtatis te Regẽ oſtendat, ſed etiam inſtantia ſeminandi verbi Dei in laude nominis Domini noſtri IESV CHRISTI prædicatorem efficiat. Ideo diuina te gratia his duobus mirabiliter ditauit muneribus, id eſt, terrenæ felicitatis imperio, & ſpiritalis ſapientiæ latitudine; vt in vtroque proficias, donec ad æternæ beatitudinis peruenias felicitatem. Parce populo Chriſtiano, & Eccleſias Chriſti defende: vt benedictio ſuperni Regis te fortem efficiat ſuper paganos. Legitur quendam veterum dixiſſe Poëtarum, cùm de laude Imperatorum Romani regni, ſi ritè recordor, ceciniſſet, quales eſſe debuiſſent, dicens:

*al. &

*Sequentia ex MS. addita. Nam in edit. deerant.

Parcere ſubiectis, & debellare ſuperbos.

Quem verſiculum beatus Auguſtinus in Libro de Ciuitate Dei multa laude expoſuit. Quamuis magis nobis attendendum ſit Euangelicis præceptis, quàm Virgiliacis verſibus. Nam & ipſa Veritas ait: *beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur.* Et alibi, *Eſtote miſericordes, ſicut & Pater veſter cæleſtis miſericors eſt.* E Matth. 5.

Quòd verò nobis veſtræ bonitatis in Chriſto beata voluntas de Apoſtolici Paſtoris mirabili ſanitate demandare curauit;

decet enim omnem populum Chriſtianum in hac clementia diuinæ protectionis gaudere, & laudare nomen ſancti Dei noſtri, qui numquam deſerit ſperantes in ſe, qui impias compeſcuit manus à prauo voluntatis effectu, volentes cæcatis mẽtibus lumen ſuum extinguere, & ſeipſos impio conſilio proprio priuare capite. Quicquid verò de illis agendum ſit, veſtra cautiſſima conſiderare habet ſapientia: quæ optimè nouit quid cui conueniat perſonæ, & quid cui ſit facto retribuendum: vel quomodo B ille pius Paſtor, diuinâ ab inimicorum manibus liberatus protectione, ſecurus in ſua Sede Deo Chriſto deſeruire valeat.*]

*Hactenus MS. Codex.

Quòd verò veſtræ benignitatis literæ FLACCO taciturnitatis culpam ingerunt, quem * feruor menſis Auguſti deſidem, non voluntatis efficacia pigrum efficit. De pueris verò noſtris, quos pedibus paternis Romam pergere præcipis; velim ſcire, quando, vel vbi, vel quibus comitantibus, veſtræ beatitudini occurrere debeat*. [De quibus in veſtræ excellẽtiæ litteris ſcriptũ inuenimus, *Qui te*, inquis, *quieſcente, pro te* C *tua munera inire valent*. Fateor quidem, vobis iubentibus & iuuantibus, laboris mei poſſunt inire ſudorem. Munera verò mea illis necdum concedo, quæ veſtra frequenter largitate accipere ſolebam. Nam & Moyſes, quem nobis quaſi ad exemplum proponitis, pugnâ peracta, & Amalechitis fugatis, prædam reductam ipſe populo diſtribuit. Et Dauid, Syriâ per Ioab Principem militiæ ſubiecta, aurum & gemmas precioſiſſimas ad templi dedicauit ornatum. Sed & Amanitarum * Regis diadema D proprio impoſuit capiti, licèt Ioab labores ſuſtinuiſſet militiæ.]

*f. cum.

*Ex MS. verſus, quæ ſequuntur, reſtituta.

*Ammonitarum.

Sed & de hoc, quod mihi improperare voluiſtis, me fumo ſordentia TVRONORVM tecta auratis Romanorum arcibus præponere: ſcio veſtram legiſſe prudentiam Salomonicum illud elogium, *Melius*, inquit, *ſedere in angulo domatis, quàm cum muliere litigioſa in domo cõmuni*. Et vt cùm pace dicam, magis ferrum nocet oculis, quàm fumus. TVRONIS enim fumoſis tectis contenta, Deo donante, per veſtræ boni- E tatis prouidentiam in pace permanet. Roma verò, quæ fraterna diſcordia initiata eſt, inſitum diſſenſionis venenum huc vſque tenere non ceſſat: veſtræque venerandæ dignitatis potentiam, ad huius peſtis compeſcendam perniciem, è dulcibus GERMANIAE ſedibus feſtinare compellit. Nos verò lacrymis abſentiam, & precibus iter veſtrum continuis proſequi- A mur: diuinam humiliter obſecrantes clementiam, quatenus vos, veſtroſque ſimul, cum omni proſperitate ſanos ducat, & reducat gaudentes. Veſtræ verò pietatis litteræ, nullatenus conſentio, vt obliuiſcantur mei: ſed ſæpiùs veniant in ſpiritu conſolationis, vt oſculentur iterum, iterumque relegantur, & in cordis theſauro perpetua dulcedine conſeruentur.

Prou. 21.

Tempora concedat Chriſtus felicia regni
Huius, & æterni, DAVID amate, tibi.

ITEM AD DOMNVM REGEM,

Quædam ſupputatio de Solis Lunæque curſu.

EPISTOLA XIIII.

Benedicto atque omni ſapientiæ decore præfulgido DAVID Regi, Flaccus Albinus in Chriſto ſalutem.

LICET proximè ad clementiam veſtram gemina ſcripta direxerim, quorum vnum debitum ſalutationis impleret, aliud cuiuſdam reſponſionis iura teneret: tamen occaſione veſtræ beatitudinis litterarum accepta, reſpondere vtrumq; * conuenit, quas lumine & ſcientiæ, & veritatis indagatione plenas veneranter accepi; & magno gratiarum actionis ſtudio Deum benedixi, qui virtute fidei, & rationis experientiâ veſtræ pietatis pectus abundanter implet. Itaut in eo prærogatiua ſacerdotalis doctrinæ, voluntatis pietas, & regalis potentia ſplendeſcere comprobetur maximè. Quia fides Catholica, quæ vbique debet eſſe vna, & in nullo diſſimilis, per veſtram ſanctiſſimam ſollicitudinem, ſopitis ſchiſmatum erroribus, prædicari & pollere dinoſcitur. Et quantum regni potentiâ prælatus, tantum ſapientiæ decore, & ſanctæ Religionis feruore omnibus præcellis. Felix populus, qui tali Principe gaudet. In cuius proſperitate ſalus cunctorum conſiſtit. In cuius hilaritate omnium animus gaudebit, vt dictum eſt: *In hilaritate Regis vita*. Prou. 16. Cuius ſolium diſſipat iniquitatem, cuius vultus reuerẽtiâ conſeruat vſque ad æquitatem. Nam quod olim Apoſtolici Patres ſuis ſcriptis, in confirmationem fidei Catholicæ, diuerſis mundi partibus peregerunt; hoc veſtra ſanctiſſima ſollicitudo implere non ceſſat.

*in vtrique.

Hoc mirabile & ſpeciale in te pietatis

Dei donum prædicamus, quòd tanta deuotione Eccleſias Chriſti à perfidorum doctrinis intrinſecus purgare, tuerique niteris: quanta forinſecus à vaſtatione paganorum defendere, vel propagare conaris. His duobus gladiis venerandam excellentiam dextrâ leuaque diuina armauit Poteſtas. In quibus victor laudabilis, & triump[illegible]rioſus exiſtis. Vnde & ad interioris pugnæ genus, meæ paruitatis deuotionem prouocare voluiſtis. Cuius certaminis ſudori libenter ſuccubui, vt in Libello, quem veſtræ nuper direxeram pietati, agnoſci poterit. Licèt necdum veſtræ auctoritatis ſigillo eundem Libelli tenorem confirmatum cognouerim. Et hoc reor, vel tarditate portitoris, vel anguſtia temporis geſtum eſſe. Nullatenus ſolita bonitatis veſtræ conſuetudo in plurioribus hoc agere litterulis recuſat, quod in rarioribus ſæpius feciſſe compertum eſt.

Cartulas vero calculationis curſus lunaris, vel biſſextilis præparationis, quas noſtræ deuotioni tradidiſtis explorandas, inuenimus erga menſurationes diligentiſſimè exquiſitas, acutiſſimè inuentas, nobiliſſimè prolatas. Et quod mea olim deuotio de biſſexto paucis inchoauit ratiunculis, veſtra ſagaciſſima indagatio copioſè compleuit. Quamuis conſiderandum ſit, cur in quibuſdam menſibus, ad eoſdem dies in anno ſecundo, tertio, vel quarto, compotus curſus ſolaris non perueniſſet. Item facilior & expeditior lunaris curſus ſupputatio poſſe inueniri videtur. Licèt hæc optima, & acutiſſima vſque ad vnum ſcrupulum vel ſilicum *, diſtinctè & cautè currere intellegatur. Direxi excellentiæ veſtræ tamen quarumdã ſupputationum, de Solis Lunæque per Signiferum curſu. Cui ſi veſtri acutiſſimi ſenſus ſubtegmen addere placuerit, fortè pueris Palatinis contra frigus imperitię aliquod veſtimenti genus texi poterit; ſicut in prioris texturæ me etiam ordinatione optimè feciſſe proteſtaris. Meum eſt de terræ gremio, vel glebis puluerulentis, auri effodere atomos. Veſtrum eſt, regale diadema, gemmis ſapientiæ præfulgidum, venerando geſtare in vertice: quatenus laudabilis potentia veſtra omnium floreat genere virtutum, & multiplici meritorum laude ad cæleſtis regni gloriam, Chriſto regente atque donante, peruenire mereatur.

*edit. ſiliculum.

Viuere me terris vix vix ſinit improba febris,
Et me cæleſte ſcandere vultis iter.
Per campos, colles, herbas, & prata, virentes
Quærere ſuggeſſit dum mihi cara ſalus;
Veſtra repente poli iuſſit me ſidera ſummi
Infirmis pietas ſcandere iam pedibus.
Signaque Zodiaci diſtinguere partibus alti,
Et quis conueniat ordo, locus, numerus.
Hippocratis campos nónne eſſet pollice pluris
Cum pueris, Flacco iam peragrare ſuis:
Quàm radio Arati cæli deſcribere ſigna,
Vel Lunæ & Solis dinumerare dies?
Sed tamen vt cecinit præclarus commate vates,
Omnia vincit amor, nos quoque vincat amor.
Deſcripſi paucis partes & ſidera cæli,
Te mandante, meo pectore magnus amor.
Nunc videat pietas, ſi quid ſit, veſtra, probandum:
Pumice radendum an pagina quicquid habet.
Iudice te, nullum, ſi numquam fallit imago,
Iam metuens, fugiam, DAVID, in orbe decus.
Hæc veſtro fuerint forſan ſi digna fauore:
Mox maiora, reor, incipit ipſe ſenex.
*Si Deus æternus vitæ ſuperadderit * annos,*
*Eſt bonitas cuius, quicquid habemus opis *.*
Cartula percurrens colles, campoſque liquentes,
Diſticon hoc cantet ſemper in ore ſuo.
Augeat, exaltet veſtram benedictio vitam,
Æterni Regis, DAVID amate Deo.

*edit. addet & *al. opus.

ITEM AD DOMNVM REGEM,

De quodam Libello contra hæreſem adoptionis.

EPISTOLA XV.

EDIT. VI.

Domino piiſſimo & præſtantiſſimo DAVID Regi, Flaccus caritatis calamo vulneratus ſalutem.

GRATIAS agimus venerandæ pietati veſtræ, quòd Libellum, ſecundum veſtræ iuſſionis præceptum vobis directum, auribus ſapientiæ veſtræ recitari feciſtis: & quòd notari iuſſiſtis errata illius, & remiſiſtis ad corrigendum. Quamuis à vobis meliùs emendari potuiſſet, quia alterius iudicium in quolibet opere plus ſæpiſſimè valet, quàm proprij auctoris: minus tamen quiddam feciſtis, quàm plenum poſtulaſſet caritatis officiũ; quòd ſenſus non doctè prolatos, vel Catholicè exaratos, ſimiliter noluiſtis notare; dum quædam ſuſpicio mihi, vt ſeries ſagaciſſimæ cartulæ veſtræ nobis innotuit, non omnia probanda eſſe quę ibi lecta fuerunt, quia defenſores eidem Operi veſtræ excellentiæ dirigere iuſſiſtis: dum nullũ magis idoneum meę paruitatis dicta habere poſſunt defenſorem, vel emendatorẽ, quàm voſmetipſos. Nam auctoritas præcipientis obedientis induſtriã defendere debet,

Quòd vero in litteris vel diſtinctionibus non tam ſcholaſticè currit, quàm ordo & regula artis Grammaticæ poſtulat: hoc ſæpius velocitas animi efficere ſolet, dum legentis intentio oculorum præcurrere feſtinat officium. Nec ego capitis dolore fatigatus, examinare poſſum quæ ſubito caſu ex ore dictantis euolant. Et qui ſibi alterius neglegētiam imputare nolit, non imputet alteri.

Diſputationem itaque FELICIS cum SARACENO, nec vidi, nec apud nos inuenta eſt. Imò nec audiui nomen illius antea. Tamen, dum diligentius quæſiui ſi quis ex noſtris famam illius audiret, dictum eſt mihi quòd apud LAIDRADVM Epiſcopum Lugdunēſem inueniri potuiſſet. Quapropter ſub feſtinatione direxi miſſum noſtrum ad præfatum Epiſcopum, ſi fortè ibi inuenire potuiſſet; vt quàm citiſſimè veſtræ præſentiæ dirigeretur.* [Dum ego adoleſcens Romam perrexi, & aliquantos dies in Papia regali ciuitate demorarer; quidam Iudæus Iulius nomine cum PETRO Magiſtro habuit diſputationem. Et ſcriptam eſſe eandem controuerſiam in eadem ciuitate audiui. Idem Petrus fuit, qui in Palatio veſtro Grammaticam docens claruit. Forſan Omerus veſter aliquid exindè audiuit à Magiſtro prædicto.

** Hic finis Epiſtolæ in edit. Quæ ſequuntur, ex MS. adiecta ſunt.*

Miſi excellentiæ veſtræ quaſdam ſpecies dictionum exemplis vel verſibus venerandi Patris confirmatas, & aliquas figuras Arithmeticæ ſubtilitatis, lætitiæ cauſa, in cartula, quam nobis vacuam direxiſtis; vt veſtita reueniret, quæ nuda noſtro ſe offerebat aſpectui. Dignum æſtimans, vt noſtris honoraretur literis, quæ veſtro ſigillo ad nos nobilitata peruenit. Et ſi minus quid exemplorum debeant prædictæ ſpecies, Beſeleel veſter, imò & noſter familiaris adiutor, de paternis verſibus apponere poterit. Necnon & figurarum rationes in libello Arithmeticæ diſciplinæ conſiderare valet. Punctorum verò diſtinctiones, vel ſubdiſtinctiones, licet ornatum faciant pulcherrimum in ſententiis; tamen vſus illorum, propter ruſticitatem, penè receſſit à ſcriptoribus. Sed ſicut totius ſapientiæ decus, & ſalutaris eruditionis ornatus, per veſtræ nobilitatis induſtriam renouari incipit: ita & horum vſus in manibus ſcribentium redintegrandus eſſe optimè videtur. Ego itaque licèt parùm proficiens, cum Turonica cottidiè pugno ruſticitate. Veſtra verò auctoritas Palatinos erudiat pueros, vt elegantiſſimè proferāt, quicquid veſtri ſenſus lucidiſſima dictauerit eloquentia: vt vbique regulis nominis carta decurrens, regalis ſapientiæ nobilitatem oſtendat.

Floreat æternis tecum ſapientia donis,
Vt tibi permaneat laus, honor, imperium.
Quot habeas apices, ſanctus mea carta ſalutes
Dicito tot dulci DAVID amore meo.

ITEM AD DOMNVM REGEM,

Quid ſit inter æternum, & ſempiternum, perpetuum, & immortale: & ſeculum, & æuum, & tempus.

EPISTOLA XVI.

MS.

Domino DAVID Rectori optimo, Victori Maximo, Flaccus Albinus optat ſalutem.

DE quorumdam nominum proprietate reuertens à nobis Candidus noſter, quæſtiones nobis propoſuit, de quibus, vt ex tempore diligentius perſcrutaretur interim tacere diſpoſui. *Requirenda ſuperiùs integra pag. 765. & quæ ſequuntur ex MS. Cod. caſtigationes adhibendæ.*

Pag. 767. *lin.* 14. Perpetuum verò videtur eſſe, *lege*, videtur diriuatum eſſe.

lin. 47. diſcriminis: Omne, *lege*, diſcriminis; quòd omne.

lin. 50. tamen mutabilitatem, *lege*, tamen ſi mutabil.

lin. 52. ſemper pro huiuſmodi, *dele* pro.

Pag. 768. l. 14. Seculum verò dicuntur primò creatæ &c. *lege*, ſeculum verò dicitur, poſt creatas.

lin. 27. à ſeculo: *adde*, & dum dicitur in ſeculo.

lin. 52. omni immutabilitate, *lege*, mutabilitate.

Pag. 769. l. 9. vel & poteſtatem, *lege*, vel ad poteſtatem.

lin. 14. Sed magis quædam, *lege*, Sed mira quædam.

lin. 20. Verbi enim cum dixi priorem, *lege*, Verbum enim cum dico, priorem dum dixi ſyllabam &c.

lin. 29. omnimodè æternum, *lege*, omnimodis.

ITEM

ITEM AD DOMNVM REGEM,

Apologetica, quòd ad Palatium venire non poſſit.

MS.* EPISTOLA XVII.

Domino merito laudabili, & omni caritatis officio amplectendo, nobiſque nimium deſiderantiſſimo DAVID *Regi, humillimus ſanctæ Dei Eccleſiæ vernaculus. Albinus perpetuam æternæ gloriæ ſalutem.*

QVIA flamma perpetuæ caritatis iugiter ardeſcit in corde, fas eſſe videtur opportunis vicibus litterarum foras ſcintillare officio: ne taciturnitate vileſcat, quæ nouis ſemper beneficiorum fomentis nutritur. Ecce FLACCVS effœto corpore, militaris cingulo laboris depoſito, ſecundum piiſſimum domini ſui DAVID conſilium deuotè Deo ſoli quieta pace ſeruire toto elegit deſiderio: quòd iterum pugnare cogitur, & ſub faſce armorum deſudare; quæ infirmi corporis denegat fragilitas de terra tantummodo leuare. Niſi forſan ſubſequenti tempore eius miſericordiâ, qui alleuat eliſos, ſoluit compeditos, vires ei præſtare dignetur.

Fortè quidam dicturus eſt Dialecticus; Conſilio valet, cui fortitudinem annoſa negat infirmitas. Sed illi etiam veriſſima opponi poterit reſponſio: Si quid dignum in corde viguerit Flacci, hoc totum in ſacratiſſimo pectoris theſaurò pius poſſidet DAVID. In tantum vt vbi ille eſt, ibi etiam & Flaccus. Reſpondeat pro vtriſque amborum diuitiſſimus ſapientiæ. Et vt ſimpliciter dicam quod mihi ſimpliciter deprecari neceſſe eſt; ne quæſo ſancta mens domini mei iraſcatur tarditati meæ, quòd modò venire non valeam. Erit iterum, ſi Deo placuerit, tempore opportuno. Nec meam reor deuotionem veſtræ excellentiæ in aliquo loco plus prodeſſe poſſe, quã aſſiduis apud ſanctum MARTINVM orationibus: quatenus diuina clementia, quæ vos per ſingulos magiſtratus in altiſſimum ſecularis potentiæ euexit honorem, eo longæua proſperitate vti concedat, atque ex huius ſubtilitatis dignitate ad apicem æterni regni aſcendere faciat. Quò miſericordia & iuſtitia, Deo miſerante, veſtram deducat beatitudinem. Ille homo rectè feliciter felix dici poterit, qui de hac præſenti felicitate, ad æternam merebitur peruenire felicitatem. Et implebitur in eo pul-

A cherrima illius verſiculi promiſſiò, *Ambulabunt Sancti de virtute in virtutem, donec videatur Deus Deorum in Sion.*

Alma Dei Chriſti tribuat tibi regna poteſtas
Aurea, cum Sanctis, DAVID *in arce poli.*
Diſcindat cartam mitis, rogo, dextera DAVID,
Victricem faciat quam Deus omnipotens.

ITEM AD DOMNVM REGEM,

EPISTOLA XVIII. MS.*

B *Domino deſiderantiſſimo* DAVID *Regi, Flaccus matricularius æternam in Chriſto ſalutem.*

DVLCEDO dilectionis veſtræ, & fiducia probatæ pietatis, ſæpius me hortatur veſtræ auctoritati dirigere litterulas: officióque ſyllabarum indagare, quod fragilitas corporis obſtat voluntati impleri poſſe. Sed rerum nouitas ſuperuenientium nouos iterum cogit edere apices, vt cartula ferat cordis affectũ, & fundat preces ad aures pietatis veſtræ: C quæ nunquam, vt verè fateor, caſſatæ in conſpectu miſericordiæ veſtræ fuerunt. Nec meas pro veſtra ſtabilitate & ſalute caſſatas in cõſpectu Dei credo, quia libenter diuina ſuſcipit gratia lacrymas, quæ ex caritatis fonte profluunt.

Dictũ eſt mihi aliquos ex amicis FLACCI tui, EDELARDVM ſcilicet Doroenſis Eccleſiæ Metropolitanum, & primæ Sedis in Britannia Pontificem, veſtram adire velle pietatem. Miniſtrum quoque olim OFFANAE Regis CEILMVNDVM, D de regno Mercionum*. Sed & TORHCMVNDVM HEDILREDI Regis fidelem famulum, virum in fide probatum, ſtrenuum in armis: qui fortiter ſanguinẽ Domini ſui vindicauit. Hi omnes mihi valdè fuerunt fideles, & adiutores itineris mei, vel meorum defenſores puerorum, huc illucque diſcurrentium. De quibus optimam veſtram deprecor clementiam, ſolita benignitate ſuſcipere eos; quia mihi neceſſarij fuerunt vnuſquiſq; in loco ſuo. Sæpius cognoui Sacerdotes religioſos, & E in Chriſti ſeruitio deuotos; necnon viros fortes, & fideles in ſeculari dignitate, veſtræ laudabiles eſſe æquitati. Nam optimus quiſquis, & in ſua ſibiipſi probatus conſcientia, bonos diligere non dubium eſt. Edoctus omnipotentis Dei exemplo, qui ſummum eſt bonum. Et omnis rationabilis creatura, quantum boni habet, eius bonitate inluminata habere certiſſimum eſt. Ipſa Veritate dicente:

*ſ Merciorum.

Ego ſum lux mundi. Qui ſequitur me, non ambulat in tenebris: ſed habebit lumen vitæ.

Perpetuam Chriſti tribuat tibi gratia lucem,
Cum Sanctis pariter, DAVID amate Deo.

ITEM AD DOMNVM REGEM,

EPISTOLA XIX.

MS.*

Domino piiſſimo DAVID Regi, Albinus perpetuæ beatitudinis ſalutem.

SVMMA Deus Trinitas veſtræ bonitati, omnium dilectiſſime DAVID, æterna reſtituat beatitudine, quicquid pietatis vel benignitatis in me famulum veſtrum, ſicut prima cognitione aduentus mei ad vos miſericorditer promiſiſtis, ita omnia fideliter impleſtis: & ad cumulum pleniſſimæ veritatis, quæ ſemper veſtri pectoris inſidet theſauro, centuplum addidiſtis; vt cunctorum luce clarius oculis pateſcit, auribuſque per longinquas terrarum reſonat multorũ. Quid enim addi potuit felicitati peregrinationis meæ, vel veſtræ bonitatis iudicio ſuper me minus digno his omnibus donorum largitionibus? Vel quales gratiarum actiones veſtræ miſericordiæ condignas perſoluere poſſum, niſi perpetua piæ orationis ſedulitate miſericordiſſimi Dei omnipotẽtis clementiam deprecari; quatenus æterna remuneratione in cæleſti beatitudine omnia multipliciter reddat in meam veſtræ largiſſimæ bonitatis benefacta paruitatem? Quod vt meam liceat apud ſanctum Martinum cotidie inſtantiam agere, ſupplex ſuppliciter, humilis humiliter, deuotus deuotè obſecro: quia valde infirmatus corpore, nil aliud itineris vel laboris perficere valeo. Omnis igitur corporis mei, vt verè fateor, dignitas & fortitudo receſſit, abiit, & cotidie fugiet; nec in hoc, vt reuereor, ſeculo reuertetur.

Speraui atque optaui, me, tranſactis diebus, veſtræ adhuc vel ſemel beatitudinis faciem videre. Sed ingraueſcente infirmi corporis flebilitate, omnimodis hoc idem fieri non poſſe probatum habeo. Quapropter deprecor veſtræ inuictæ bonitatis miſericordiam, vt nullatenus mens ſancta, voluntas benigna, quæ in vobis eſt, meæ iraſcatur infirmitati: ſed pia compaſſione feſſum concedat requieſcere, orationibuſque pro vobis inſtare, & præuenire faciem æterni Iudicis in confeſſione & lacrymis. Vt ſi quoquo modo, Deo Ie-
A ſu miſerante, metuendas antiqui hoſtis accuſationes euadere valeam, & aliquem Sanctorum habere adiutorem merear, mecum ſtantem, pro meáque intercedentem fragilitate, ne tradar in manus inimicorum meorum.

O quàm timendus eſt omni homini dies ille, & quàm neceſſarium eſt vnicuique præparare ſe in occurſum Domini Dei ſui! Hortante nos ipſa Luce, quæ illuminat omnem hominem, atque clamante: *Ambulate dum lucem habetis, ne vos*
B *tenebræ comprehendant.* Sed & quomodo in ea luce ambulare debeamus, alio oſtendit loco, dicens: *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum qui in cælis eſt.*

DAVID, in æternum tecum ſit gratia CHRISTI,
Vt vigeas, valeas, victor in orbe potens.
Poſt hæc & teneas cæleſtia regna beatus,
Cum Sanctis pariter ſemper in arce poli.
Multiplici Chriſtus reddat tibi munera mitis,
In me quod bonitas contulit ecce tua.
Gramina quot tellus habeat, vel littus arenas,
C *Tot, miſerante Deo, DAVID, habeto vale.*
Inclitus æternis DAVID feliciter annis,
In Chriſto meritis viuat vbique ſacris.

ITEM AD EVNDEM REGEM,

EPISTOLA XX.

MS.*

Domino deſiderantiſſimo meritóque amabili DAVID Regi, Albinus præſentis proſperitatis & æternæ beatitudinis in Chriſto ſalutem.

D DIV deliberans quid mentis meæ deuotio ad ſplendorem Imperialis potentiæ veſtræ atq; augmentum opulentiſſimi theſauri veſtri muneris condignum reperire potuiſſet: ne ingeniolum animi mei, aliis diuerſa diuitiarum dona offerentibus, otio torpuiſſet inani, & vacuis manibus paruitatis meæ miſſus ante faciem beatitudinis veſtræ veniſſet: tandem Spiritu ſancto inſpirante,
E inueni quid meo nomine competeret offerre, & quid veſtræ prudentiæ amabile eſſe potuiſſet. Ergo in veſtræ pietatis ſacratiſſima ſollicitudine non dubiè patet, quid per vos in totius Eccleſiæ ſalutem Spiritus ſanctus operetur: & quantis vniuerſorum fidelium precibus ſit optandum. Vt in omnem gloriam veſtram extendatur imperium, & vt intus ſit omnibus Deo fidelibus amabile, & foris ſanctiſſimis * Domini illius

A aduerſariis terribile. Sed quærenti me * & conſideranti nihil dignius pacatiſſimo honori veſtro inueniri poſſe, quàm diuinorum munera librorum: qui Spiritu ſancto dictante, & Chriſto Deo miniſtrante, ad ſalutem totius humani generis, cæleſtis gratiæ calamo conſcripti ſunt, quos in vnius clariſſimi corporis ſanctitatem connexos, atque diligenter emendatos, veſtræ clariſſimæ auctoritati hunc clariſſimum filium veſtrum, vobiſque fidelem famulum dirigere curaui: quatenus plenis manibus iocũdiſſimo veſtræ dignitatis adſtaret ſeruitio. Qui longa feſſus infirmitate, Deo miſerante, dum aliquantulum conualuit, affatim veſtram adire feſtinabat pietatem. Sed & lacrymarum munuſcula mearum in orationibus apud S. MARTINVM pro deſiderantiſſima auctoritatis veſtræ proſperitate vobis fideli trãſmitto ſponſione. Ille ſeruiat, ſicut decet, Domino piiſſimo. Ego orabo pro Domino dilectiſſimo, quomodo ſancti Spiritus viſitatio cor meum inluminare dignabitur. Si quid igitur melius mentis meæ deuotio inuenire valuiſſet, vtique prona voluntate in augmentum honoris veſtri offerrem.

ITEM AD DOMNVM REGEM,

Epitaphium Liodgardæ feminæ nobilis.

MS.*

EPISTOLA XXI.

Domino piiſſimo, & pacifico Regi, & præſtantiſſimo Triumphatori, æternæ beatitudinis gloriam & ſalutem.

DOMINE Ieſu, ſpes noſtra, ſalus noſtra, conſolatio noſtra: qui clemẽtiſſima voce omnibus ſub pondere cuiuſlibet laboris gementibus mandaſti, dicens: *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis; & ego reficiam vos.* Quid hac promiſſione iocundius? quid hac ſpe beatius? Veniat ad eum omnis anima mœrens, omne cor contritum, fundens lacrymas in conſpectu miſericordiæ illius; neque abſcondat vulnera ſua medico, qui ait: *Ego occidam, & viuere faciam: percutiam, & ego ſanabo.* Flagellat miris modis vt erudiat filios, pro quorum ſalute vnico non pepercit filio. Quis contra nos, ſi Deus pro nobis? Quis contriſtat, ſi Deus lætificat? Nolo à Deo dicatur tibi: O anima, quid gemis, quid plangis iudicia mea? Ego dedi, ego abſtuli: quid habes abſque me? Cur tibi diſplicet quod mihi placet? Omnia quæ habes mea ſunt beneficia, non tua propria. Te ipſam para, vt poſſis particeps eſſe beatitudinis meæ. Propter te deſcendi, & patiebar, quæ legiſti in litteris meis, vt tibi præparem manſionem in domo patris mei: *Noli tardare ſoror mea, ſponſa mea, ſurge, propera, & veni* ad epulas gloriæ meæ. Magna ſunt, beata ſunt, incõparabilia ſũt, quæ præparaui tibi. Et quãuis magna ſint, noli tu tamẽ æſtuare vel dubitare de precio. Regnum tuum tantũ valet, quantũ tu es. Te ipſam da, & habebis illud. Rex æter- B nus concupiſcit ſpeciẽ tuam. Non ſit in te ruga vel macula. Si quid pulueris ex terrena habitatione inhæſerit tibi, lacrymis laua; vt te ſpecioſam, pulcram, & deſiderabilem inueniat qui te concupiſcit. Noli de alterius ingemeſcere felicitate, quæ ſpinoſos finiuit labores, & volauit ad eum qui fecit illam. Talis eſt poſt ſententiam primæ damnationis, conditio fragilitatis noſtræ. Naſcimur vt moriamur, morimur vt viuamus. Numquid non felicior eſt vitæ ingreſſus quàm mortis? Fertur quendam C reſpondiſſe, dum de filij ſui conſolabatur morte: Sciebam me, inquit, mortalem genuiſſe. Cur plangis quod vitare non poſſumus? Sæpe dolor tempore ſanabitur, qui ratione nõ poterit. Mittamus munuſcula caritatis poſt caros noſtros. Offeramus munus ſalutis noſtræ pro illis. Miſereamur miſeris, vt miſereatur illis Deus. Quod pro illis in fide facimus, proficit & nobis. Domine Deus, Ieſu mitis & miſericors: miſerere illius, quam abſtuliſti à nobis. Exaudi nos per medicinam vulnerum D noſtrorũ, quæ pependit in ligno, & ſedens ad dexteram tuam interpellat pro nobis. Scio quidem miſericordiam tuam, qui vis omnes homines ſaluos fieri. Dimitte illi debita ſua, quæcumq; cõtraxit poſt aquam ſalutis. Dimitte Domine, dimitte deprecamur. Ne intres cum ea in iudicium. Superexaltet miſericordia in iudicio. Nam eloquia tua vera ſunt, quibus promiſiſti miſericordibus miſericordiam. Quod vt eſſent, dediſti eis, qui miſereberis cui miſertus fueris. Miſerere, Domine, creaturæ E tuæ, vt laudet te creatura tua, & cantet miſericordias tuas in æternum. Et anima, quæ ſuperuictura erit, ſemper dicat: *Laudabo Deum meum in vita mea, pſallam Deo meo quandiu ero.*

Semper in æternum viuat feliciter opto,
Filia cara mihi, ſit, rogo, cara Deo.

ITEM AD DOMNVM REGEM,

Alia conſolatoria pro eiuſdem morte.

MS.* EPISTOLA XXII.

Domino deſiderabili & verè beatiſſimo DAVID *Regi, Flaccus Albinus ſalutem.*

DVM veſtræ potentiæ glorioſam ſublimitatem non perituræ Chaldæis flammis Hieruſalem imperare ſcio, ſed perpetuæ pacis ciuitatem precioſo ſanguine Chriſti conſtructam regere atque gubernare: cuius lapides viui de caritatis glutino colliguntur, & cæleſtis ædificij altitudinem ex diuerſis virtutum gemmis muri conſurgunt. De qua Pſalmiſta ait: *Diligit Dominus portas Sion, ſuper omnia tabernacula Iacob.* Et alibi: *Mons Sion latera Aquilonis, ciuitas Regis magni.* Vnde ego minima quædam huius ciuitatis portio, ſub tegmine pietatis veſtræ conſtitutus; ad iocunditatem animi veſtri debita ſeruitute ſæpiùs litterulas dirigere ſtudeo. Officiale deuotionis noſtræ munus, non neceſſarium abundantiæ veſtræ, cupiens vulnerati animi mœrori per veſtræ conſolationis benignitatem mederi. Quia ſæpius probaui familiarem manſuetudinem ſublimitatis veſtræ, humilium doloribus compati. Nam & ipſe Dominus, totius fons conſolationis & ſalutis, cum flentibus fleuit amicum, quem ſuſcitaturus venit: aliorum dolori iuxta humanitatis affectū compaſſus, magis quàm amici mortem lugens; maximè quia eundem hora victurum præſciebat. Filij Iſrael Moyſen lugebant; ſed in Lege, non in Euangelio. Ideò IESVS propter ſacramentum nominis nō legitur lacrymis populi proſecutus eſſe: ſed quaſi victurus iterum poſt mortem. In exordio Iudicum iuxta hiſtoriæ ordinē repræſentatus luctus ſapientis vnius eſt diei; Impij autem omnes dies vitæ ſuæ. Separatio quædam familiaritatis humanæ, non perditio plangitur in ſapiente. In impio, æterna perditio perpetuo luctu proſequenda eſt. Venit verò pater in filio, magiſter in diſcipulo, amicus in amico: ſi morum dignitas & ſapientiæ nobilitas permanet in poſteris.

Quid ſi in miſeriam humanæ conditionis meæ filius moritur ante patrē, in flore iuuentutis tollitur iuſtus, ne malitia immutetur cor eius? Iudicia Domini abyſſus ſunt multa. Nil ſine cauſa erit in mun- A do, nec vnus paſſer cadet in laqueū aucupis, ſine patre noſtro qui in cælis eſt. Non capillus de capite perit. Non enim nobis luctum incutere debet, cùm quiſlibet carus noſter à peregrinatione pergit ad patriam, à morientibus ad viuentes, ab exilio ad regnum. Conſolatio noſtra fiant verba veritatis: *Qui credit in me, ſi mortuus fuerit, viuet. Et omnis, qui viuit & credit in me, non morietur in æternum.* Proinde ſciamus caros noſtros in operibus caritatis morientes, Deo viuere, & ſeculo mori. Qui operibus B miſericordiæ cotidie Chriſto cum Apoſtolo dicunt: *Cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto.* Feliciùs vadet, qui amicos relinquit ſuperſtites ſibi, quàm qui ſuperſtes erit amicis. Mors boni hominis, migratio eſt ad meliorem vitam, quæ non eſt plangenda, ſed congratulanda.

Lætemur in miſerationibus Redemptoris noſtri. Abraham ante Chriſti aduentum apud inferos fuit. Poſt Chriſti paſſionem latro in paradiſo. Morte Chriſti mors mortua eſt. Flammea rumphea cuſtos paradiſi, C ſanguine Chriſti extincta. Et beatus Petrus homo terrenus portas aperit, quas ætherius Cherubin clauſit. Et de rete piſcatorum, manus repente ad claues tranſtulit regni cælorū. In Cherubin multitudo ſcientiæ, ſed in Chriſto multitudo miſerationis. Olim in Iudæa notus tātummodo Deus, ſed nunc omnibus gentibus vox vna eſt Chriſtus, qui nos de ſeruis fecit amicos, & de profugis conuertit in filios. Naturam mortalitatis noſtræ adſumpſit in gloriam diuinitatis ſuæ. In hoc ge- D nus lætetur humanum; ſciens fragilitatis noſtræ naturam ſuper Angelicos exaltatam choros, maieſtati paternæ gloriæ in cæleſtibus conſedere. Quæ conditio mortalitatis timens humanæ conturbare debes poſt tantam naturæ tuæ gloriam? Æqualitas tibi certiſſima eſt. Tantùm, tegmine caritatis indue pennis; vt volare facias quò Chriſtus aſcendit. Noli anguſtiari de morte carorū, ſed congaude lætitiæ illorū.

Chriſtus ſeipſum pro te tradidit in mortem. Cur lacrymis tuis contradicis Chri- E ſto, rapere caros tuos de morte ad vitam, de labore ad requiem? Felicior eſt in bono dies exitus, quàm natiuitatis. Ille eſt requiei initium, iſte laboris. Ille lætitiæ introitus, iſte doloris. Naſcimur vt moriamur, morimur vt melius viuamus. Via eſt hæc vita pergentibus ad patriam. Si aſpera eſt, ſi arta eſt; viriliter gradiendā eſt. Si plana, ſi proſpera; cautè currenda eſt, quia multos habet inſidiatores. Nouit ita-

que prouidentia Dei, cui prodeſt longa peregrinatio huius viæ, cui optimum eſt citò huius peregrinationis labores finire. Placeant nobis iudicia Dei. Iuſtus eſt Dominus, & recta iudicia eius. Illa mens maximè Deo placet, cui omnia Deo placabilia placent. Laudemus, amemus, & oremus; vt ſemper fiat voluntas eius in nobis, cui ſemper bona placent, & nihil niſi per eum boni poſſumus habere, perficere. Si bonum eſt, ſi amabile eſt quod habemus, ille præſtauit nobis. Illi gratias agamus, illi tota mentis intentione Sacrificium laudis offeramus; in quo ſalutem nobis ſempiternam per Prophetam ſuum promiſit, dicens: *Sacrificium laudis honorificauit me.* Illic iter eſt, quod oſtendit ſalutare Dei.

Hæc eſt Angelica iocunditas, Sanctorum lætitia, conſolatio noſtra. Nihil enim aliud cæleſtis Hieruſalem, quæ viuis ædificatur lapidibus, agit in patria ſua. Dicente, & ſuſpirante ex noſtra voce Pſalmographo: *Beati, qui habitant in domo tua.* Et quaſi quis quæſiſſet, quæ eſſet illa beatitudo, habitare in domo Domini: reſpondit, *In ſeculum ſeculi laudabunt te.* Hæc laus ſine faſtidio, ſine defectu erit: ſine fine dulcis ſit in corde & ore canentium. Hæc quoties agimus in terris, Angelicam imitamur vitam. Hæc ſuauitas omnes ſeculi triſtitias expellit ab anima, omnes mœrores mitigat. Et quantò quis donorum Dei maiori vtitur abundantia, tantò magis ſe debitorem mediatori omnium bonorum quæ poſſidet agnoſcat.

Si igitur iuſtum videtur homini cuiuſlibet beneficij vel officij reddere grates; quantò magis Deo gratiarum actiones agendæ ſunt? Qui omnia dedit quæ in hoc ſeculo bona videntur, omnia daturus eſt bona, quæ deſiderari, vel haberi in futuro ſeculo poſſunt: vbi ipſe Deus erit omnia in omnibus, qui nunc ſingulis ſecundum menſuram ſuæ bonitatis diſtribuit. Tunc erit omnis bonitas, omnis beatitudo, omnis ſufficientia in omnibus. Ad huius verò ſummæ beatitudinis, & indeficientis gloriæ, poſt labores huius vitæ felicitatē, Deus Ieſus te peruenire faciat, Domine deſiderantiſſime, & omni honore digniſſime.

Diuitias tribuat veras tibi, DAVID amate,
Cum Sanctis pariter Chriſtus in arce poli.

Oper. Alch. Pars III.

ITEM AD DOMNVM REGEM,

De laude ſapientiæ, & de vitæ deſiderio quietæ.

EPISTOLA XXIII. MS.*

Domino deſiderantiſſimo, & omni honore digniſſimo DAVID *patri patriæ, Albinus matricularius præſentis & futuræ beatitudinis ſalutem.*

BENEDICTVS Dominus Deus, & benedicta perpetua illius miſericordia ſuper ſeruos ſuos. Pro quorum proſperitate & ſalute vos, dulciſſime DAVID, proſperè duxit, & pacificè reduxit, conſeruauit, honorauit, & exaltauit; atque in omni loco aduentus veſtri lumen iuſtitiæ pietatiſque ante faciem veſtræ beatitudinis ſplendeſcere fecit. Quatenus totius caligo iniquitatis, nebula peruerſitatis sereniſſimo ſapientię veſtræ ſplēdore diſcuteretur. Beata gens, cui diuina clementia tam pium & prudentem præuidebat rectorem. Felix populus, qui à ſapiente & pio regitur Principe; ſicut in illo Platonico legitur prouerbio, dicentis felicia eſſe regna, ſi Philoſophi, id eſt amatores ſapientiæ, regnarent, vel Reges Philoſophiæ ſtuderent: quia nihil ſapientiæ in hoc mundo comparari poterit. Hæc eſt namque, quæ humilem exaltat, & potentem glorioſum efficit, & in omni perſona laudabilis exiſtit. In qua decus eſt & pulcritudo vitæ præſentis, necnon & gloria perpetuæ beatitudinis: quia ſolummodo vera eſt ſapientia, quæ beatos & æternos efficiet dies. Hæc enim veſtram optimam ſollicitudinem, domine mi DAVID, ſemper amare & prædicare agnoſcebam; omnéſque ad eam diſcendam exhortari, immò & præmiis honoribuſque ſollicitare, atque ex diuerſis mundi partibus amatores illius veſtræ bonæ voluntati adiutores conuocare ſtuduiſtis. Inter quos, me etiam infimum, eiuſdem ſanctæ ſapientiæ vernaculum, de vltimis BRITANNIAE finibus adſciſcere curaſtis; atque vtinam tam vtilem in domo Dei ſeruulum, quàm promptulum veſtræ obedire voluntati. Quia diligens diligebam in ſacratiſſimo pectore veſtro, quod in me vos velle inuenire intellegebam.

Vnde cotidie auida cordis intentione ſuſpenſis in verba venientium auribus, ſollicitus eram quid mihi nunciarent de do-

mino meo dulciſſimo DAVID: quando A domum rediret, quando patriam reuerteretur. Tandem aliquando, quamuis ſerò, vox optata concurrentium deſiderij mei inſonuit auribus: Iam iamque veniet, iam Alpes tranſiuit, quem tanto animi tui feruore, ô Albine, adeſſe optaſti. Tum ego repetens, iterum atque iterum lacrymabili voce clamaui: O Domine Ieſu, quare non das mihi pennas aquilæ? Quare non tranſlationem Abacuch Prophetæ vna die, vel etiam hora concedis; vt amplectar & oſculer veſti- B gia illius cariſſimi mei? & ſuper omne quod in hoc mundo amari poteſt, dulciſſimi oculos videam clariſſimos? verba audiam iocundiſſima? Vel quid tu, inimica tempore importuno, me opprimis febris: & non permittis me ſolita corporis mei alacritate fungi, vt vel tardè fiat quod cito non valet? Attamen hoc aduentus veſtri gratiſſimo lætus nuncio, confeſtim Candidum noſtrum veſtræ obuiam ſanctiſſimæ dilectioni dirigere ſtudui, habens in manu munuſcula gratiâ ſenioris, certus* C clientelli, & in ore neceſſarias Magiſtri voluntates: quem benignitas veſtra vt clemēter audiat obſecro.

Tempus eſt, vt agnoſcat infirmitas fragilitatem ſuam, & tota ſe conferat in ſtabilitatem animæ ſuæ: vt quamuis exterior homo annorum numero, vel morborum moleſtia conteratur, tamen renouetur deſiderio ſalutis æternę interior de die in diē. Quod qualiter fieri debeat, mens mea veſtræ pietatis expectat conſilium. Nam ſi præceps pugnantium præſumptio ſæpe in D periculum cadit: quantò magis qui ſpiritale inire cogitat certamen, ſi conſilio non regitur prudenti, per vices incerta ſudat victoria? Quod ne fieret, ſancta prohibuit Scriptura, dicens: Omnia fac per conſilium, poſtea non pœniteberis. Hoc optimè ſciens, mei ipſius minus confidens, diſpoſitione veſtræ prudentiæ me ſubicere conſilio decreui. Quia, vt verè fateor, quicquid per Dei miſerantis gratiam mihi veſtra pietatis prouidentia diſpoſuit agendum, omnimodis proſperè mihi per- E ueniſſe probaui. Nam ferè ante hoc quinquennium, ſeculares occupationes, Deum teſtor, non ficto corde declinare cogitaui. Sed veſtræ piæ prouidentiæ conſilio, tranſlatus ſum in ſeruitiū S. MARTINI, fidei Catholicæ & Eccleſiaſticæ ſanctioni, donāte Deo, proficuum. Non receſſit tamen de corde prioris voluntatis effectus, ſicut tranſacto anno veſtræ pietati iam prędixi. Hæc omnia veſtra conſi[illegible]et bonitas, & pia promiſſione diſponat: quia, vt prædixi, tota meæ mentis intentio ad bonitatis veſtræ veriſſimè reſpicit conſilium. Nec alio ſe quolibet credit, quia in te tota infirmitatis ſenectutiſq; meæ conſolatio intēdit. Inter fratres in Eccleſia ſancti MARTINI Deo fideliter ſeruientes viuere, vel requieſcere, Deo miſerante, ſine vlla dubitatione deſidero. Eiuſdemque beatiſſimi pectoris * veſtri participem eſſe in vita æterna veſtram dilectionem perpetualiter opto. Hocque Deum aſſiduis precibus obſecro, vt præſens vita excellentiæ veſtræ eius Sācti interceſſionibus adiuuetur, protegatur, & conſiſtat. Et poſt hanc æterna cum eodem beatitudine perfrui merearis, domine dilectiſſime, & deſiderantiſſime DAVID.

ITEM AD DOMNVM REGEM,

De proſperitate, & populi Chriſtiani prouidentia.

EPISTOLA XXIIII. MS.

GLORIA & laus Deo omnipotenti, pro ſalute & proſperitate veſtra, dulciſſime mi DAVID, atque pro omni honore & ſapientia: in quibus te ſpeciali gratiâ omnibus ſupercellere fecit. Perpetua gratiarum actio reſonet, & aſſidua ſanctarum interceſſio orationum ad Deum dirigatur; quatenus longæua proſperitate feliciter viuas, valeas, & regnes ad correctionem & exaltationem ſanctæ ſuæ Eccleſiæ: vt ſub protectione tuæ venerandæ poteſtatis ſecura quiete Deo deſeruiat. Effudi pridem preces ſupplicationis meæ per Candidum famulum veſtrum, quas precor clementi animo veſtram ſuſcipere pietatem. Quicquid animus ſuggeſſit meus mihi, totum miſi in aures eius, vt conſeruaret in corde, veſtræque veridico ore pateſceret pietati.

Sed noui rerum euentus nouos iterum caritatis pēna exarare meam deuotionem apices exhortātur. Audiui ſiquidem, quod ſine dolore & lacrymis non dicam, MAGANFREDVM fidelem veſtrum, nobiſque cariſſimum amicum, in Beneuentana diem obiſſe patria. Vnde rogatus ſum à fratribus ſancti Petri, litteras dirigere bonitati veſtræ, pro cellulis ad eam antiquitus pertinentibus Eccleſiam, vt mercēs veſtra eſſet ex illarum aliquibus, ſi veſtræ videatur prouidentię: ſimiliter & pro atrio intra muros ciuitatis, vnde fratribus ſancti

Petri habitatio honeſta conſtrui potuiſſet. A
De his omnibus veſtra conſideret bonitas, quid Deo placeat; veſtroque nomine honorabile fiat, & bonitati amabile.

Sed multo maior & plus neceſſaria populo Chriſtiano cauſa occurrit, preces proſtrato effundere corpore ante pedes pietatis veſtræ. Primò ne iraſcaris fideliſſimæ caritati meæ, qua me maximè debitorem benignitati veſtræ veriſſimè agnoſco. Secundo etiam loco, & hoc intimo cordis affectu, depoſco; vt ſanctiſſima ſapientiæ veſtræ cõſideratio prouideat quid Deo placeat, vel quid populo proficiat B
Chriſtiano de expeditione hoſtili in Beneuentana terra, ne maius ſibi eueniat damnum de fidelibus tuis. Optimè noſti quomodo diuina pro te pugnabat prouidentia. Patrem fratremque huius impiiſſimi hominis in breui tulit articulo. Sic etiam, ſic faciet credimus, ſi illius ſancta voluntas diſponit, vt & iſte pereat, ſine aliquo fidelium damno tuorum eueniat. Talia poſſũt ferre meliùs ex conſilio, quàm aperta expugnatione per tempus finem habere. C
Quo plus humiliat ſe homo ſub manu omnipotentis Dei, eò citiùs vindicat iniurias ſeruorum, qui ait: *Mihi vindictam, ego retribuam.* Id eſt, mihi ſeruate vindictam, & ego pugnabo pro vobis. Nam Dauid, de quo ipſe Dominus tam ſublime protulit teſtimonium, *Inueni Dauid filium Ieſſe virum ſecundum cor meum:* Ipſe igitur Semei ſibi maledicentẽ prohibuit occidi, optans ſibi pro patientia humilitatis ſuæ à Deo dari benedictionem.

Hæc etiam acutiſſimæ ſapientiæ inueſtigatio diſponat, ſecundum rationis viuacitatem, & ſecundum ſalutem fidelium tuorum: conſiderans quomodo animus illorum ſine præſentia beatitudinis tuæ longum ſufferat laborem. Deum inuoco teſtem, cordis mei hæc plena fide, & perfecto proſperitatis veſtrę in omnibus deſiderio ſcripſiſſe. Obſecrans ſupplici deuotione hæc eadem patienter veſtram legere beatitudinem. Nec aliquid iracundiæ in meam habere prçſumptionem, talia veſtrę ingerentis ſapientiæ. Licèt caritas mea ſtulta videri valeat, tamen numquam infidelis, nec in minimo nec in maximo inueniri poterit. Fiducia enim probatiſſimæ humilitatis veſtræ hæc ſcribere præſumpſit. D

Fortè quiſlibet dicit: Quid ille homo alienis ſe ingerit rebus? Non agnoſcit nihil mihi alienum veſtræ proſperitatis eſſe debere: quam ſuper ſalutem corporis mei, vel vitæ meę longęuitatem diligere me teſtor. Tu proſperitas regni. Tu ſalus populi. Tu decus Eccleſiæ. Tu omnium protectio fidelium Chriſti. Nobis igitur ſub vmbra potentiæ, & ſub tegmine pietatis tuæ, diuina conceſſit gratia religioſam ducere vitam; atque ſecura quiete Deo Chriſto deſeruire. Ideo ſollicita mente, & pia intentione, pro tua proſperitate & ſalute curam habere, & intercedere iuſtum & neceſſarium habemus, Domine deſiderantiſſime, atque omni honore digniſſime DAVID Rex.

RATIO DE LVNA XV.

EPISTOLA XXV. MS.

LVNA, verbi gratiâ, XV. Kal. April. hora noctis prima intrat in Arietem XV. XIIII. Kal. manet in Ariete, & VI. horis XIIII. Kalendarum & biſſe, hoc eſt duabus partibus. VI. hora noctis eiuſdem XIIII. Kal. egreditur de Ariete: & ſunt horæ LIIII. & biſſe vnius horæ, quod manſit in Ariete. Quo numero horarũ ſemper vtere per ſingula ſigna. Deinde intrat tertia parte horæ ſeptimæ noctis in Taurum, hoc eſt XIIII. Kal. April. Computa indè LIIII. horas Tauro cum biſſe ſuo, remanent eiuſdem noctis, qua intrauit in Taurum, trien, & V. horæ, & XII. horæ ſequẽtis diei. Iunge his XXIIII. horas, XII. Kal. April. quod ſunt XLI. & adde his VI. XI. Kalendarum horas XII. noctis, & primam horam diei ſequentis, & trien aliud ſecundæ horæ diei; vt habeat Taurus biſſe ſuum plenum ex trien quo intrauit Luna, & ex eo quo exiuit de Tauro. Et intrat hora ſecunda diei inchoante biſſe illius horæ in Geminos, & remanent tibi XII. horæ diei XI. Kalendarum. Adde his XXIV. horas de X. Kalendarum, & ſunt horæ XXXIIII. Iunge his de nono Kalendarum XX. horas, vt poſſis peruenire ad LIIII. horas. Et perueniens vſque ad octauam plenam ipſius diei, quãdo exit de Geminis. Et habent hæc tria ſigna CLXIII. horas, & alias duas, quæ ex biſſe trium ſignorum adgregatæ ſunt. Et fiunt horæ trium ſignorum CLIIII. E

Die nono Kalendarum hora XXI. intrat in Cancrum, & habebis ipſius diei IIII. horas. Has iunge ad octauas, & VII. Kal. & habebis horas LII. His adde ex nocte VI. Kalendarũ duas horas ex principio noctis, & biſſe III. horæ. Et per hos IX. dies Luna percurrit IIII. ſigna, additis duabus ho-

ris,& biſſe III. horæ ex die decimo. Et intrat in Leonem III. parte III. horæ noctis VI. Kalendarum Aprilium, & habebis ipſius diei XXI. horam. Adde his XXIIII. & VI. Kalendarum, & fiunt horæ XLV. Adde & his IX. horas ex IIII. Kalendarum die, & fiunt horæ LIIII. Adde & his trien X. horæ. Et intrant in Virginem inchoante biſſe horæ X. noctis, & remanent XIIII. horæ de IIII. Kal. Iunge has ad III. Kal. quæ ſimul ductæ fiunt XXXVIII. Adde his XVI. ex pridie Kalendarum, id eſt, IIII. hora die plena. Et habent hæc VI. ſigna dies XIII. & horas XVI. XIIII. die: horas verò omnes CCCXXVIII.

Ingreditur verò Luna Libræ ſignum. V. hora die XIIII. quod eſt pridie Kal. April. Ex qua die remanent horæ VIII. Has VIII. iunge ad horas diei Kalendarũ Aprilium, & erunt XXXII. His adde horas XXII. & IIII. Nonas: & fiunt horæ LIIII. His adde & biſſæ horæ XXIII. eiuſdem diei, quo egreditur de Libra, intrans in Scorpionem, inchoante trien eiuſdem XXIIII. horæ. Et remanet ibi vna hora ex die IIII. Nonarum. Adde hanc horam ad III. & pridie Nonas; & erunt horæ XLIX. Tene ex Nonarum die eiuſdem noctis V. hor. & habebis LIIII. horas in Scorpione, & triẽ VI. horæ noctis. Deinde in Sagittariũ ingreditur, inchoante biſſe eiuſdem VI. horæ noctis; & remanent ex Non. April. XVIII. horæ. Has iunge ad VIII. Idus, & erunt horæ XLII. Iunge his ex VII. Id. XII. horas, & habebis LIIII. horas, quibus Luna verſatur in Sagittarium. Ingreditur verò prima hora diei incipiente Capricornũ, & remaneat ibi ipſius diei VII. Id. horæ XII. Has iunge ad VI. Id. & habebis horas XXXVI. His adde horas ex V. Id. XVIII. quod eſt eiuſdem diei hora VI. Adde & biſſe horæ VII. quo completo exiet de Capricorno ingrediens in Aquarium, inchoante trien horæ VII. & remanent V. horæ eiuſdem diei. Has adde ad IIII. & III. Id. & habebis horas LIII. Adde his vnam horam ex pridie Id. & trien ſecundæ horæ noctis; quo exiet de Aquario. Ingrediturque in Piſces inchoante biſſe horæ ſecundæ noctis pridie Id. April. & remanent de pridie Id. April. horæ XXII. His adde ad Id. & erunt horæ XLVI. His adde octo horas ex XVIII. Kal. Maij, & habebis horas LIIII. His verò computatis, inuenies à XV. Kal. April. vnde crepidinẽm conſtruximus, huius calculationis XXVII. dies vſque in XVIII. Kal. Maij. In cuius diei noctem VIII. horæ decurrunt. In quibus XXVII. diebus & VIII. horis Luna XII. ſigna peruolat, habens horæ XXVII. dierum, quod ſunt horæ DCLVI. ſuperadditas VIII. horas.

Si verò vis ad XIII. ſignum Lunaris curſus peruenire, computa à IX. hora noctis XVIII. Kal. in quam hor. XII. ſigna peruener. Computa inde LIIII. horas & biſſe, quarum habes XVI. ex VIII. Kal. Adde horas ſequentis diei, id eſt, XVII. Kal. & fiunt horæ XL. & habebis dies CCXV. Kal. XXIX. Adde his XII. horas XXX. noctis, quæ peruenit in XVI. Kal. & habebis hor. XIII. ſigni plenas. In qua hora XII. noctis plena peruenit ad coitum ſolis, in quo duas horas, vt æſtimatur, verſatur. Et videbis quòd altera incenſio ſemper erit poſt XII. hor. Nam prima huius ſupputationis regula à veſpertina hora in Ariete incipiebat, & modo in matutinam horam diei peruenit ſecũda vice, Ariete peracto, & Tauro incipiente. Nouem horas, ait Plinius, in Luna pro quinque diebus computatis. Id eſt, tantum itineris peragit Luna in IX. horis, quantum Sol in quinque diebus. Signum habet vnum quodque XXX. partes. In vnoquoque ſigno Luna verſatur LIIII. hor. cum biſſe ſuo. Partire LIIII. horas in IX. & inuenies ſex VIIII. Item Sol moratur in vnoquoque ſigno XXX. dies, & X. ſemis hor. Partire XXX. per V. & inuenies ſex V. in XXX. & VI. partem ſigni cuiuſlibet Sol peragit in V. diebus, dum Luna VI. partem ſigni in IX. hor. peragit, IX. verò diebus CXX. partes peragit. Item IX. diebus CXX. & item IX. diebus CXX. quod ſunt XXVII. dies per XXIIII. horas & partes CCCLX.

Videndum eſt quomodo conueniant VIII. horæ quæ ſuperſunt in Luna, V. diebus qui ſuperſunt in Sole; vt peruenire poſſit ad totius anni dies. Non enim Sol his V. diebus abſque Zodiaco circulo currit. An aliquid addendum ſit in cęlo CCCLX. partibus, vel V. dies diuidendi ſint per ſingulas partes. Habent enim V. dies CXX. horas. An danda ſit vnicuique parti III. pars horæ, id eſt, trien vnum. Nec enim VIII. horæ Lunaris curſus vacuæ ſint, dum computata eſt in XXVII. diebus ſi vnicuique diei additur III. pars XIIII. partis, vt poſſit legitimus numerus partium impleri, hoc eſt, ad CCCLX. partes peruenire, ſicut in veſtra acutiſſima & benè exquiſita ſupputatione inuenimus agendum eſſe.

DE CVRSV LVNÆ.

MS.* EPISTOLA XXVI.

LVNA quippe velocitate ſui curſus peruolat vnumquodque Signum II. diebus, VI. hor. ac biſſe vnius horæ. Vnumquodque verò ſignum habet XXX. partes. Si ergo vis ſcire, quantum ſpatium Luna moretur in vna qualibet de XXX. partibus, ſume horas duorum dierum, quæ ſunt XLVIII. Adde his VI. hor. cum biſſe, fiunt LIIII. horæ, quibus Luna moratur in vnoquoque Signo. Has LIIII. horas diſtribue vnicuique parti per æquas portiones, dans videlicet ſingulis partibus ſingulas horas: & remanebunt tibi XXIIII. horæ. Has multiplica per punctos ea lege qua hora habeat quinque punctos, & fiunt puncti CXX. Hos partire per XXX. quam* centies, da vnicuique parti punctos IIII. & remanebit biſſe. Hoc partire per XL. oſtēta, quia plena hora L. habet oſtenta, & biſſe duæ partes ſunt vnius horæ. Ideò, vt dixi, XL. oſtenta efficiunt biſſe vnius horæ. Da ſingula oſtenta ſingulis partibus, & remanent X. oſtenta. Hæc multiplica per tria, & fiunt XXX. & videbis quòd Luna in ſpatio vnius horæ, & IIII. punctorum, & vnius oſtenti, & tertiæ partis vnius oſtenti, tantum curſus peragit, quantum Sol in XXIIII. horis, & XX. & vno oſtentis.

AD HOMERVM,

MS.* EPISTOLA XXVII.

Flaccus Albinus Flauio Homero optat ſal.

MIROR cur Flaccinæ pigritię ſocordiam ſeptiplicis ſapientiæ decus dulciſſimus meus DAVID interrogare voluiſſet de quæſtionibus Palatinis, emeritæque nomen militiæ in caſtra reuocare pugnantia: vt tumultuoſas militūm mentes ſedaret, dum ſecularis litteraturæ Libri, & Eccleſiaſticæ ſoliditatis ſapientia, ſicut iuſtum eſt, apud vos inueniuntur; in quibus ad omnia, quæ quæruntur, veræ inueniri poſſunt reſponſiones. Hanc tamen duarum partium orationis diſcretionem prout potui conſideraui. Currens per priorum exempla Doctorum, inueni illos quoque in his partibus ſibi diſſētire. Idcirco viſum eſt mihi in vos mittere A huius examicis* auctoritatem, dum cognoſcatis illorum ſententias vel in conſtructione partium, vel in regularum proprietate. *examuſſis

Prima interrogatio fuit de rubo, cuius eſſet generis. De quo nomine diuerſa inuenimus exempla. Legitur enim in metro, quod in eptathico conſcribitur, huiuſmodi verſus,

In quo conſpicua flammarum lampade cernit
Procuruam fulgere rubum, neque ignibus vri.

Item Ambroſius in Hymno Paſchali,

B *Et flamma famulum prouocans,*
Rubum non perdas ſpineam.
Cùm ſis ignis concremans,
Non vris quod inluminas.

Item Grammaticus quidam ita ait: *Item feminina huius ſecundæ declinationis numero plurali carentia, regnorum, vel arborum. Tyrus, Cyprus, Populus, Cypreſſus, Alnus, Fraxinus, Rubus.* Item Donatus de arboribus dixit: *Neutro fructum, feminino ipſas arbores ſæpè dicimus.* Nota quòd ſæpè dixit, non ſemper. Paterius verò ex verbis S. Gregorij Papæ maſculino poſuit. C *Nam per ſuccenſum rubum Moyſen alloquens quid aliud oſtendit, niſi quòd eius populo doctor fuerit, qui & legis flammam perciperet, & tamen peccati ſpinam nequaquam vitaret?* Item Iſidorus in Commentario Geneſeos. *Quòd verò Dominus in eodem rubo apparuiſſe legitur.* Arnouius in conflictu quē habuit cum Serapione, rubum poſuit maſculini generis, dicens: *Et ſicut verè rubus flammam habuit, ſic verè paſſus eſt Filius hominis: & ſicut verè non incenſus eſt, ſic verè non paſſus eſt filius Dei.* Ioſephus quoque in hi- D ſtoriis dicit: *Et facto ſacrificio, Moyſes populo miniſtrabat iuxta rubum, qui flammam ignis euaſerat.* Item Virgilius haud contemnendæ auctoritatis falſator,

Mella fluant illi, ferat & rubus aſper amomū.

Tamen ſi *aſpera* eſſet, potuit per Synalœpham verſus ſtare. Priſcianus verò veraciſſimus Grammaticæ artis Doctor, de rubo ita ait: *Specialia vniuſcuiuſque arboris nomina feminina ſunt, excepto Oleaſtro, quod tam forma terminationis, quàm declinatio prohibuit eſſe femininum. Nam ſiler, quod eſt neutrum, non eſt in-* E *ter arbores ponendum, ſicut nec rubus.* Inter hos verò auctores, veſtra videat prudentia, quid ſequēdum ſit. Poſſunt enim quædam ex his exemplis vitio ſcriptoris eſſe corrupta, & *u* pro *a*, vel etiam *a* pro *u* poſita. Tamē certius videtur maſculinum eſſe, quàm femininum.

Secunda verò interrogatio fuit inter *dedis*, & *des*, an debuiſſet eſſe diſpexeris, ſiue deſpexeris. Eſſe non poteſt propter ſequē-

tem ſ, quæ exigit *dis*, vt Priſcianus vult. A
Sed inter *de*, & *dis*, tantum verſatur inquiſi-
tio. Conſiderandum eſſe videtur, quo mo-
do habeat in Græco, quæ ibi præpoſitio
inueniatur, ſiue quæ *dis* ſignificet, ſiue quæ
de ſignificet. Dicit enim Priſcianus *de* ha-
bere plures ſignificationes, & non pro vna
Græca præpoſitione poni, ſed pro tribus,
vel forſan pluriorib⁹, ita dicens: *De non
ſolum τὸ ἀπὸ ſignificat, ſed etiam τὸ ἐπὶ memora-
tiuum, vt, de partibus orationis. Accipitur etiam
pro κατὰ locali in compoſitione, vt, deduco, deſcen-
do, detraho, deicio, deſpicio, derideo. Eſt etiam* B
*intentiuum, vt, deprehendo, dedo, deprauo, depri-
mo, deminuo, deiſco, deterreo, deligo, decurro.
Eſt etiam priuatiuum, vt deſperatur, demens,
deſum, deierat.* Nota, quòd *deſpicio*, dixit,
vnde erit, *deſpexeris*. Nam *ſpicio* multas in
cõpoſitione recipit præpoſitiones, & nullã
in appoſitione, quia *ſpicio* in vſu non eſt.
Inuenitur enim, aſpicio, reſpicio, ſuſpicio,
deſpicio, conſpicio, proſpicio. Et vtrumq;
inuenitur, deſpicio, & diſpicio. Ideò ſupe-
riùs dixi conſiderandum eſſe, quæ præpo-
ſitio in Græco eſſet poſita, & indè agnoſci, C
quæ in Latino ſcribi debeat; quia talis du-
bitatio ex antecedentis linguæ conſidera-
tione ſolui poterit. Habet enim in Græco
Pſal. 54. v. 2 ille Verſus, *Exaudi Deus orationem meam, &
ne deſpexeris deprecationem meam.* ἐνώτισαι ὁ θεὸς
τὴν προσευχήν μου, καὶ μὴ ὑπερίδῃς τὴν δέησίν μου. I-
v. 11. tem in Pſalmo XXI. ille verſus, *De ventre
matris meæ Deus meus es tu*, habet in Græco,
ἀπὸ γαστρὸς μητρός μου θεός μου εἶ σύ. vbi nos dici-
mus *de*, ibi ἀπὸ legitur. Item vbi nos habe-
Pſal. 71. v. 6 mus, *Deſcendit ſicut pluuia in vellus*, in Græ-
co habetur, καταβήσεται ὡς ὑετὸς ἐπὶ πόκον, pro *de*, D
ſicut ſuperiùs περὶ in eo verſu, vnde hęc in-
quiſitio orta eſt. Nam & beatus Hierony-
mus in Tractatu Epiſtolę ad Titum, has
præpoſitiones, id eſt περὶ & κατὰ, ſine dubio
ad contemptum pertinere dixit. Et idem
ponit eſſe, *contemnit*, & *deſpexit*. Sed & bo-
num & malum eſſe contemptum. Bonum,
quando quis tormẽta vel obprobria Chri-
ſti nomine contemnit & deſpicit. Et has
diſtinctiones in præpoſitionibus tantum-
modo eſſe, his verbis docet, vbi in Græco
legitur ad Titum dictum, περιφρονείτω, & illud E
quod ad Timotheum legitur, καταφρονείτω,
& Apoſtolum Paulum pro varietate cau-
ſarum variis vti præpoſitionibus aſſeruit.
Tito igitur ſcripſit, *Nemo te contemnat.* &
Timotheo, *Nemo adoleſcentiam tuam con-
temnat.* Et ad vtrumque propter περὶ vel κατὰ
Græcas præpoſitiones, *deſpicit*, ponit. Stoi-
corum quoque, qui ſubtiliter inter verba
diſcernunt, exemplo hoc ipſum confir-
mat. Habet quoque *de* alias ſignificationes
in Græco, vt eſt, *De cælo reſpexit Dominus*,
in Græco habet, ἐξ οὐρανοῦ ἐπέβλεψε κύριος. ἐξ e-
tiam pro *de* poſitum. Item vbi nos dici-
mus, *Non defecit de plateis eius*, in Græco le-
gitur, οὐκ ἐξέλιπεν ἐκ τῶν πλατειῶν αὐτῆς. ἐκ, pro *de*
poſitum. *Di* quidem, & *dis*, ſecundum Pri-
ſcianum eandem ſignificationem habent,
ab, & *abs*. Sunt autem ſeparatiuæ, vt, di-
uido, diruo, diſtraho, diſcurro: quod a-
pud Græcos διὰ præpoſitio facit. Nam vbi
nos dicimus, *Diſrumpamus vincula eorum*,
habet in Græco, διαῤῥήξωμεν τοὺς δεσμοὺς αὐτῶν. I-
tem, quod nos habemus, *Domine à* [illegible] Pſal. 16. v. 14.
de terra diuide eos, in Græco legitur, κύριε ἀπὸ
ὀλίγων ἀπὸ γῆς διαμέρισον αὐτούς.

His etiam conſideratis, videre vel ex
antecedentis linguæ notitia, vel conſtru-
ctæ orationis ſerie, quæ magis in eo verſu
præpoſitio poni debeat. Nam hęc duo ma-
ximè dubitationem ſoluere ſolent, & ad
certum lectorem perducere ſenſum, &
contentioſas Scolaſticorũ terminare quę-
ſtiones. Ideò de rubo poſui veterum ſen-
tentias auctorum, & in præpoſitionibus
Græcę linguæ auctoritatem. Ne meam
quis calumniis notaret ſententiam, & præ-
ſumptuoſam reprehenderet, ſi nullis pri-
ſcorum fulciretur Doctorum exemplis.
Quia multoties in vili perſona veritas de-
ſpicitur, cùm nihil pręferri debuit; ſi tan-
tum in quæſtionibus illius expectaret iu-
dicium, & non proprię ſententiæ defende-
retur præſumptio.

AD ÆDILHARDVM ARCHIEPI-
SCOPVM DOROENSIS CIVITATIS,

Exhortatoria.

EPISTOLA XXVIII. EDIT. I.

*Pio Patri & ſanctæ Sedis Præſuli Ædilhardo
Archiepiſcopo, humilis Leuita
Albinus ſalutem.*

AVDIENS veſtræ ſalutationis ver-
ba dulciſſima, & proſperitatis ve-
ſtrę ſanitatem multis pernéceſſa-
riam, valde me gauiſum eſſe fateor: Do-
mini & Dei noſtri IESV CHRISTI de-
precans tota mentis alacritate clementiſſi-
mam pietatem, quatenus veſtram longę-
uam cuſtodiat proſperitatem, in augmen-
tum ſanctæ ſuæ Eccleſiæ; vt per tuam de-
uotiſſimam doctrinam verbum vitæ æter-
næ creſcat & currat, & multiplicetur nu-
merus populi Chriſtiani, in laudem & glo-

riam Saluatoris noſtri. In quo opere te, A frater ſancte, laborare tota virtute obſecro. Et quantò plus appropinquat dies remunerationis, tantò magis mercedis tuæ felicitatem accumulare ſtudeas.

Cogita quales habueris anteceſſores, doctores, & lumina totius BRITANNIAE. Inter quorum ſacratiſſima corpora dum oraueris, illorum precibus certiſſime adiuuaberis, ſi ab illorum veſtigiis te nec ſeculi caduca blandimenta ſubtrahant, nec vani terrores Principum formidantem efficiāt. Memor eſto ſemper, quòd B guttur tuum tuba Dei debet eſſe, & lingua tua omnibus præco ſalutis. Eſto Paſtor, non mercenarius; rector, non ſubuerſor; lux, & non tenebræ: ciuitas firma fide murata, non domus pluuiis diruta; miles Chriſti glorioſus, non apoſtata vilis; prædicator, & non adulator. Melius eſt Deum timere, quàm hominem; plus Deo placere, quàm homini blandiri. Quid eſt adulator, niſi blandus inimicus? Ambos perdit, ſeipſum, & ſuum auditorem. Iſti ſunt, qui
Ezech. 13. conſuunt puluillos ſub omni cubitu, & o- C ues Chriſti morbidas faciunt, non ſanatas.

Virgam accepiſti paſtoralem, & baculum conſolationis fraternæ: illam ad regēdum, iſtum ad conſolandum; vt mœrentes conſolationem habeant in te, & contumaces correctionem ſentiant per te. Poteſtas iudicis eſt, occidere; tua verò, viuificare. Quid times hominem propter gladium, *qui clauem regni accepiſti à Chriſto*? Recordare quanta paſſus eſt ille pro te, & non metuas loqui pro illo. Pro tuo amore clauis confixus pependit in cruce, & tu D ſedens in ſella dignitatis tuæ, ob timorem hominis tacueris? Non ita, frater, non ita. Sed ſicut ille dilexit te, ita dilige & illum. Qui plus laborat, plus mercedis accipiet. Si perſecutionem patieris propter verbum Dei, quid beatius? ipſo Domino dicente:
Matth. 5. *Beati, qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum.* Et,
Act. 5. *Ibant Apoſtoli à conſpectu Concilij, gaudentes quoniam digni habiti ſunt contumelias pati pro no-*
Rom. 8. *mine* IESV. Et; *Non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad ſuperuenturam gloriam, quæ* E *reuelabitur in nobis.* Si corripueris delinquētem, & ad tuam increpationem corriget ſe, etiam tibi eſt merces apud Deum, &
*Vat. Si te oderit increpātem. ſibi erit ſalus à Deo. Si tuam * oderit increpationem, illi eſt damnatio, & tibi beatitudo.

Eſto miſeris conſolator, pauperibus pater, omnibus affabilis, donec intellegas quid cui reſpondeas. Et ſemper tua reſpōſio ſale ſit ſapientiæ condita, non temeraria, ſed honeſta; non verboſa, ſed modeſta. Sint tibi mores humanitate præclari, humilitate laudabiles, pietate amabiles: vt non ſolùm verbis, ſed exemplis erudias tecum viuentes, vel ad te venientes. Sit tua manus larga in eleemoſynis, prompta in reddendo, & cauta in accipiendo. Præpara tibi theſaurum in cœlis. Diuitiæ viri,
*al. deprædatio. redemptio * eſt animæ illius. Quia beatius eſt magis dare, quàm accipere. Inuenimus vnam margaritam precioſam, demus omnia quæ habemus, & emamus illam. Lectio ſanctæ Scripturæ ſæpiùs tuis reperiatur in manibus, vt ex illa te ſaturare, & alios paſcere valeas. Vigiliæ & orationes aſſiduæ ſint tibi, eo magis, quò pro toto populo Chriſtiano intercedere debes. Locus tuus eſt, inter Deum ſtare & homines; vt Dei legationes deferas ad populum, & pro populi peccatis intercedas ad Deum. Fac te, eius donante gratia, dignum ab eo exaudiri. Dignitas eſt in vitæ caſtitate, & prædicandi fiducia, ipſa atteſtante
Luc. 12. Veritate: *Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris.* In lumbis caſtitatis ſanctitas, in lucernis prædicationis claritas deſignatur.

Memor eſto, quòd Sacerdos Angelus Domini Dei eſt excelſi, & lex ſancta ex ore eius requirenda. Iuxta quod in Mala-
Malach. 2. chia Propheta legimus: *Speculator quoque eſt in excelſiſſimo poſitus loco.* Vnde & Epiſcopus dicitur, quaſi ſpeculator, qui omni exercitui Chriſti prudenti conſilio prouidere debet, quid cauendum ſit, quidve agendum. Iſti ſunt, id eſt, ſacerdotes, luminaria ſanctę Dei Eccleſiæ, doctores gregis Chriſti. Iſti in prima acie vexillum ſanctæ Crucis non ſegniter ſubleuare debent, & ad omnem impetum hoſtilis exercitus intrepidi ſtare. Hi ſunt, qui talenta, redeunte Rege noſtro Deo Chriſto cum triumpho gloriæ ad paternam Sedem, acceperunt: & reueniente eodem, magno iudici in die vltima diſcretionis rationem reddituri ſūt, quantum quiſque ex prædicationis labore lucratus eſſet in officio ſuo. Quapropter teipſum, cariſſime frater, idoneum præpara miniſtrum ſermonis Dei. Alios quoque conſacerdotes tuos ammone diligentiſſimè, in verbo vitæ cum omni inſtantia laborare; quatenus multiplici negociationis lucro ante conſpectum æterni Iudicis glorioſi appareāt. Eſtote vnanimes in omni conſilio pietatis, & conſtantes in omni iudicio æquitatis. Nullus vos humanæ dignitatis terror ſeparet, nulla adulationis

blandimenta diuidant; ſed quaſi acies caſtrorum Dei firmiſſima vnitate vos coniũgite. Sic tandem concordia veſtra terribilis apparet omni, qui vult veritati contradicere, Salomone dicente: *Frater ſi à fratre adiuuatur, ciuitas firma eſt.* Prou. 18.

Vos eſtis, dicente Veritate, lux totius Britanniæ, ſal terræ, ciuitas ſuper montem poſita, lucerna ſuper candelabrum eleuata. Item, beato Principe Apoſtolorum atteſtante: Vos eſtis *genus electum, regale Sacerdotium.* (1.Petr.2.) Per veſtræ verò prædicationis inſtantiam nos erimus, quod in eadem ſequitur Epiſtola: *gens ſancta, populus acquiſitionis*; quatenus per vos virtus adnuncietur illius, qui nos omnes de tenebris vocauit in ammirabile lumen ſuum. Qui aliquando non populus Dei, nunc autem populus Dei.

Patres itaque noſtri, Deo diſpenſante, licet pagani, hanc patriam bellica virtute primùm pagani poſſederunt. Quàm grande igitur opprobrium eſt, vt nos Chriſtiani perdamus, quod illi Pagani acquiſierunt. Hoc dicto propter flagellum, quod nuper accidit partibus Inſulæ noſtræ, quæ propè trecentis quinquaginta * annis à parentibus inhabitata eſt noſtris. Legitur in Libro GILDI Brettonum ſapientiſſimi, quòd iidem ipſi Brettones propter rapinas & auaritiam Principum, propter iniquitatem & iniuſtitiam Iudicum, propter deſidiam & pigritiam prædicationis Epiſcoporum, propter luxuriam & malos mores populi, patriam perdiderunt. Caueamus hæc eadem noſtris temporibus vitia inoleſcere; quatenus benedictio diuina nobis patriam conſeruet in proſperitate bona, quam nobis in ſua miſericordia perdonare dignata eſt. Vt hoc ipſum omnipotentis Dei largiſſima efficiat pietas, vos, qui clauem regni cæleſtis cum Apoſtolis, ligandi ſoluendique poteſtatem accepiſtis à Chriſto, aperite aſſiduis prædicationibus portas cœli populo Dei; & nolite tacere, ne populi peccata vobis imputentur. Requirit enim à vobis animas Deus, quas ad regendum accepiſtis. Ex ſubiectorum ſalute, veſtra multiplicatur remuneratio.

* edit. quadraginta.

Puſillanimes conſolamini, humiles roborate, errantes in viam veritatis reducite, ignorantes inſtruite, ſcientes exhortamini, & bonis exemplis vitæ veſtræ omnes confirmate, contumaces & veritati reſiſtentes virga caſtigate paſtorali, ceteros baculo cõſolationis ſuſtentate. Et ſi vnanimes eritis, quis vobis reſiſtere poterit? Vel quis cum Deo pacem habebit, ſi prædicationibus ſuæ ſalutis non obtemperat? Dicente ipſa Veritate ad Prædicatores verbi Dei: *Qui vos audit, me audit; & qui vos ſpernit, me ſpernit.* Item ad confortandos eos, illiſque fiduciam ingerendam loquendi ſermonis Dei, eadem Veritas ait: *Quodcumque ligaueritis ſuper terram, erit ligatum & in cœlis: & quodcumque ſolueritis ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis.* Diuiſa eſt poteſtas ſecularis & poteſtas ſpiritalis: illa portat gladium mortis in manu, hæc clauem vitæ in lingua. His dicitur, *Ne timueritis eos.* De illis dicitur: *Quia corpus occidunt, animam autem occidere non poſſunt.* De ſpiritalibus quoque dicitur, *Vbi ſunt duo vel tres cogregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum.* (Matth. 18.) *Si Deus pro nobis,* ait Apoſtolus, *quis contra nos?* (Rom. 8.) Si Chriſtus in medio ſuorum, quis illis nocere poterit? Idcirco vos Sacerdotes fiduciam habere debetis prædicandi, ceteri verò humilitatẽ audiendi, & obedientiã faciendi quæ iubetis. Illi, id eſt, ſeculares, ſint defenſores veſtri, vos interceſſores illorum vt ſit vnus grex ſub vno Deo Chriſto Paſtore, & fiat hæc patria ab illo * nobis noſtriſque nepotibus conſeruata in benedictione ſempiterna; vt ex hac mereamur ad illam peruenire, quæ finem non habet, & eſt perpetua pace beatiſſima.

Vt ad hanc peruenire mereamur, vos ſepiùs cum Moyſe ſeruo Dei deuoto pectore dicite: *Reſpice Domine de Sanctuario tuo, & de excelſo cælorum habitaculo, & benedic populo tuo, & terræ, quam dediſti nobis.* (Deut.) Item cum Propheta Dei Ioel cum lacrymis clamate: *Parce Domine, parce populo tuo, & ne des hæreditatem tuam in opprobriũ gentibus.* (Ioel) Apoſtolo Iacobo præcipiente, *Orate inuicem, vt ſaluemini: multum enim valet oratio iuſti aſſidua.* (Iacob.) Item Petrus Apoſtolus, *Omnes vnanimes in oratione eſtote, compatientes fraternitati, humiles & miſericordes.* (1.Pet.) Sed & vas electionis præcepit, pro omnibus orationes fieri, pro Regibus, & omnibus qui in ſublimitate ſunt poſiti; (1.Tim.2.) quatenus omnipotentis Dei gratia populo Chriſtiano tempora cum proſperitate concedat pacifica in laudem & gloriam ſui nominis.

Vrbs æterna Dei, terræ ſal, lumina mundi,
Bis ſex ſigna poli, menſes & ter quater anni,
Atque diei horæ, lapideſque in ſtemmate Chriſti,
Veſtra aperire polum poterit vel claudere lingua.
Doctores vitæ magnæ & medicina ſalutis,
Vos fontes viui Paradiſi & flumina ſacra,
Vos decus Eccleſiæ, populi ſpes, ianua lucis,
Inclita progenies, Salomonis nobile templum.
Per vos, ô Patres, noſtro ſub tempore tota
Virtutum meritis fœcunda Britannia floret.

Vos ſimul [illegible]imes Chriſti defendite caſtra,
Et clypeo fidei tela exſuperate nefanda.
Pectore concordes, fortes virtute ſuperna.
Iudiciis iuſti, humiles pietate modeſti,
Doctores populi, ductores & gregis almi.
Semper vbique Deo vos vos eſtote fideles.
Multiplicate pio percepta talenta labore,
Maxima quòd ſummo capiatis præmia cælo,
Cum Chriſto & Sanctis cæleſtia regna tenentes.
Vóſque mei memores Chriſtus conſeruet vbique.
ALCHVIN dicor ego, veſtro deuotus amori.
O vos paſtores Patres ſine fine valete.
**Ædilhar- Et tu ſancte Pater pius Æthelharde * ſacerdos*
[illegible] valeas, vigeas, Chriſto donante, per æuum.

ÆDILREDO REGI, ET PRINcipibus, Populóque Nordanhumbrorum gentis.

EDIT. II. EPISTOLA XXIX.

*al. Æthelredo. *Excellentiſsimo filio Ædilredo * Regi, & amicis dulciſsimis Osbaldo Patritio, & Osbercto* v. Oſb. *Duci, & omnibus fraternæ dilectionis amicis, Alchuinus Leuita æternæ beatitudinis ſalutem.*

SVAVITAS ſancti amoris ſæpiùs me cogit de antiqua admonere amicitia, de animarum veſtrarum ſalute, & de fidei veritate, & de pacis concordia, quam habere debetis inter vos; quia amicitia, quæ deſeri poteſt, nunquã vera fuit. Amicus fidelis diu quæritur, vix inuenitur, difficile ſeruatur. Vos quærens, inueni amicos: nec dimittam, quos amare cœpi. Et ſi lingua taceat veſtra de me, literæ tamen meæ non taceant de vobis. Sed ſemper ammoneo deuotionis ſtudio, quorum ſemper deſidero proſperitatis ſalutem. Cogitate, quis vos de multiplici liberauit tribulatione, quotiens præſentem eius miſericordia euaſiſtis mortem. Quotiens de manu inimicorum erepti fuiſtis. Recordamini, quis vobis omnes perdonauit honores, quos habetis: proſperitates contulit, ſanitates largitus eſt, omnibus vos veſtris fecit inimicis ſublimiores. His omnibus bonis nolite ingrati eſſe, quia horum gratia bonorum vitam merebitur ſempiternam. Nec hæc felicitas huius ſeculi æterna eſſe poterit. Studete diligentiſſimè, vt poſt hos honores terrenos cæleſtes habere mereamini. Omnia huius ſeculi delectamenta velut volatilis fugiunt vmbra: & ſolummodo manet in remuneratione bona, quod pro Dei amore egiſtis. Grandis enim via de terris videtur eſſe ad cælum. Firmiſſima debet eſſe ſcala, per quam aſcenditur. Facilis eſt caſus ad inferna. Sed hæc facilitas magnam habet difficultatem, ſempiternum ſiquidem ignem, qui vrit inextinguibiliter cadentes in illũ. Difficultas verò aſcenſionis in cælum magnum habet gaudium, dum peruenitur quò aſcenditur, beatitudinem ſiquidem ſempiternam.

Si fortè quæritis, quomodo quis aſcendat in cælum, vel quis quomodo cadat in infernum. Per mala igitur opera ruit homo ad inferna *, per bona verò aſcendit ad ſuperna. *al. infima. Mala itaque ſunt opera, delectatio carnalis, ambitio ſecularis, auaritia, & omnis concupiſcentia mala, vinolentia, rapina, mendacia, luxuria, fornicatio, inuidia, homicidia, ebrietates, comeſſationes, inimicitiæ, ſuperbia, & periuria. Dicẽte Apoſtolo, *Qui talia agunt, regnũ Dei non poſsidebunt*, niſi confeſſione, & longa pœnitentia, & eleemoſynis multis emendetur. Gal. 5. Vnumquodque eorum, quæ enumeraui, regnum Dei claudere poterit, & infernales pœnas aperire homini. Væ animæ, quæ ardentes flammas ſemper ſuſtinere cogitur. Bona verò ſunt opera, per quæ aſcendere in cælum poſſumus, charitas Dei, honor illius & timor, vigiliæ & orationes ad Deum, dilectio hominum, & miſericordia in homines, & remiſſio peccãtibus in nos; iuſtitia in iudiciis, veritas in verbis, patientia in aduerſitatibus, nemini reddere malum pro malo; eleemoſynæ in pauperes, benignitas in omnes homines, pietas ad amicos, fides recta in Deum, ſpes firma in illius bonitatem, modeſtia in veſtimentis, & in omni vſu ſeculi temperantia, continentia in cibo & potu, in mente humilitas, in moribus honeſtas, in omni vita æquitas. Hi ſunt gradus, per quos cælum aſcenditur. Hi ſunt mores, qui homines faciunt laude dignos. Hæc ſunt opera, quæ gaudia merentur ſempiterna. Hæc eſt ſapientia vera, vt homo ſibi præuideat, quomodo in ęternũ feliciter viuat. Nullatenus homo perire poterit, ſicut animal quodlibet; ſed poſt hanc vitam victurus erit in æternum: benè propter bona opera, malè propter mala opera; quia Deus vnicuique reddet ſecundum opera ſua.

Nolite iniuſtas amare diuitias, quia omnis iniuſtitia vlciſcitur à Deo. Et melior eſt benedictio Dei, quàm omnes diuitiæ mundi. Quidquid in ſeculo amatur, amittitur; quidquid pro Deo datur, habetur. Cui largus eris, ſi tuæ animæ tenax? Vel quis tibi fidelis erit, ſi tu tibi

ipſe infidelis eris? Cur in alium ſpem ponis,& tu tibi ipſe benefacere non vis? Morieris ô homo, & omnia dimittes, quæ habes. Hic vis diues eſſe peregrinus, & parui temporis hoſpes; & non vis ibi eſſe diues, vbi ſemper eris? Pręmitte tibi diuitias tuas, vt habeas in æternum quod amas in ſeculo. Conſtrue tibi bonis operibus beatam domum. Quàm miſer erit, qui ſemper arſurus erit in igne, qui tenebris circumdatur horrendis, qui nihil audiet niſi voces flentium, & ſtridentium dentibus horrorem! qui nihil ſentit, niſi flammas edaces, & frigora ingentia, & vermium venenatos dentes! Vt hæc horribilia, ô amice, euadere valeas, nullus tibi labor durus videri debet; vt ad illam beatitudinem peruenire merearis, æterna pace iocundiſſimam, æterna gloria feliciſſimam. Nulla ſecularis ambitio, nulla carnis delectatio, nulla inimicorum vindicta impediat curſum tuum. Sed curre dum lucem habes, operare dum dies eſt; quatenus ad lucem peruenias perpetuam, vt cum Chriſto & Sãctis eius regnare merearis in gloria ſempiterna.

Non ſolùm vos, viri clariſſimi, & filij cariſſimi, his meis admoneo litterulis, ſed & omnes dilectæ gentis Principes, & diuerſorum nomina, ſeu Eccleſiaſticæ pietatis ordines, ſeu ſecularis potentiæ ſublimitates, communi caritatis intuitu, quaſi alumnus veſtræ dilectioni deuotus deprecor, Dei dilectiſſimè * obedire præceptis, Prædicatoribus ſalutis veſtræ ſubditos eſſe. Illorum eſt, id eſt ſacerdotum, verba Dei non tacere. Veſtrum eſt, ô Principes, humiliter obedire, diligenter implere. Regis eſt, omnes iniquitates pietatis ſuæ potentiâ opprimere, iuſtum eſſe in iudiciis, pronum in miſericordia. Secundùm quod ille miſeretur ſubiectis, miſerebitur ei Deus. Sobrium in moribus, veridicum in verbis, largum in donis, prouidum in conſiliis: conſiliarios habere prudẽtes, Deum timentes, honeſtis moribus ornatos. Oportet eum non cupidum eſſe alienæ hæreditatis, non auarum, non violenter rapientem: dicente Apoſtolo, *Neque fures, neque auari, neque rapaces regnum Dei poſſidebunt.* Et ſæpè per rapinas propria amittit, quia Deus gemitum exaudit oppreſſorũ.

* edit. diligentiſſimè.

Legimus quoque, quòd Regis bonitas totius eſt gentis proſperitas, victoria exercitus, aëris temperies, terræ abundantia, filiorum benedictio, ſanitas plebis. Magnũ eſt, totam regere gentem. A regendo verò Rex dicitur, & qui bene regit ſubiectum ſibi populum, bonam habet a Deo retributionem, regnum ſcilicet cæleſte. Valde feliciter regnat in terra, qui de terreno regno merebitur cæleſte. Orationibus verò & vigiliis eò inſtantiùs ad Deum inſiſtere debet, quò non pro ſe ſolummodo, ſed & pro totius gentis proſperitate Deum deprecari debet. Similiter Principes & Iudices populi, in iuſtitia & pietate populo præſint. Viduis, pupillis, & miſeris ſint quaſi patres, quia æquitas Principum, populi eſt exaltatio. Eccleſiarum Chriſti ſint defenſores & tutores, vt ſeruorum Dei orationibus, longa viuant proſperitate. Eccleſia ſponſa eſt Chriſti, & qui eam violare nititur, vel rapere quæ ſua ſunt, vindicat in eum Deus Chriſtus, ſponſus ſanctæ ſuæ Eccleſiæ.

Vidiſtis quomodo perierint anteceſſores veſtri Reges & Principes propter iniuſtitias, & rapinas, & immunditias vitæ: nec ab huiuſcemodi mundi ſe peccatis criminum capitalium, Deum timẽtes, abſtinuerunt; nec, quod peius eſt, immaniſſima ſcelerum vulnera, pœnitentiæ medicamentis ſanare curarunt. Sed computruerunt in peccatis ſuis, donec repentino terrore cecidit ſuper eos iudicium Dei, & tam infeliciter in conſpectu omniũ perierunt, quã impudenter ſine vlla reuerẽtia peſſimè * ſe inuolui ſceleribus non metuerunt. Heu quàm miſerè præſentẽ perdiderunt vitam! Sed multò miſerabiliùs in æternis cruciãtur tormẽtis. Timete illorum perditionẽ, & à talibus voſmetipſos impietatibus obſeruate, in quibus illi perierunt. Idem enim Deus ſuper veſtra vigilat opera, qui illorũ non pepercit ſceleribus. Multi verò per rapinas & iniquitates colligere geſtiunt, & neſciunt, quòd vtrumque propter auaritiam iniquam, & terrena citò perdunt bona, & cæleſtia nunquam adquirunt.

* edit. peſſimis.

Illiuſmodi, viri fratres, vobiſmetipſis cauete iniquitates, quatenus Deum omnipotentem in præſenti vita propitium habere mereamini, & in futura æternorum largitorem bonorum. Pacem habete inter vos, & benignitatem; miſericordiam, & iuſtitiam ad omnes homines, & caſtitatem corporis cuſtodite veſtri: vt Spiritus ſanctus veſtris inhabitet pectoribus, qui ſapiẽs vobis ſemper ſuggerat conſilium, vóſq; ab omni defẽdat hoſte viſibili & inuiſibili. Veſtróq; domino fideles eſtote, vt per veſtrã concordiã regnum dilatetur veſtrũ, quod ſæpè per diſcordiã minui ſolebat. Dicente ipſa Veritate, *Omne regnũ in ſe diuiſum nõ ſtabit.* Sicuti maxima imperia per diſſẽtiones

Matth.

inteſtinas [illegible]ſa decreſcebant, & è contrario minima quæque Ciuitatis cuiuſlibet vel Prouinciæ, per pacificam concordiam regnum creſcebat & proficiebat, & fortioribus ſibi tandem imperabat regnis.

Timete flagellum, quod venit ſuper Ecclesiam S. Gudberti*, locum ſcilicet ſanctiſſimum, & multorum Sanctorum ſuffragiis diuitiſſimũ; nunc verò miſerabiliter à paganis deuaſtatum. Qui hoc non timet, & ſeipſum non corrigit, & pro ſuæ patriæ proſperitate non plangit ad Deum, carneum non habet cor, ſed lapideum. Epiſcoporum eſt Monaſteria corrigere, ſeruorum Dei vitam diſponere, populo Dei verbum prædicare, & diligenter plebem erudire ſubiectam. Laicorum eſt obedire prædicationi, iuſtos eſſe & miſericordes; quatenus diuina benedictio per ſuam magnam miſericordiam nobis noſtriſque nepotibus patriam in bona proſperitate conſeruare dignetur, quam noſtris parentibus per pietatis ſuæ dexteram perdonare dignata eſt.

*edit. Cudberti.

AD ÆDILTHYDEM FAMVLAM Dei, olim Reginam.

MS.*

Epistola XXX.

Dilectiſsimæ in Chriſto ſorori Ædilthydæ matri, humilis Leuita Alchuinus ſalutem.

VESTRAE benignitatis munera gratanter ſuſcipiens, veſtræ dilectionis ſalutatoria verba libenter audiens, fateor magna me dulcedine eſſe gauiſum: Cognoſcens fidelem in veſtro pectore permanſiſſe caritatem, quam nec terrarum longinquitas interrumpere poterit, nec fluctiuagi maris æſtus procelloſis vndis obruere valet, quo minus ad me vſque beneficioſa munificentia peruolaſſet. Sicut legitur, *Aquæ ductæ* non potuerunt extinguere caritatem, nec flumina obruent illam.* Igitur caritas, quæ deſeri poteſt, nunquam vera fuit. Nil homines ita Deo adpropinquare facit, ſicut caritas. Qui in caritate manet, in Deo manet. Sicut dicit Scriptura, quia *Deus caritas eſt.* De qua ipſe Saluator ait: *In his duobus præceptis tota Lex pendet & Prophetæ*, id eſt, in caritate Dei & proximi. Per caritatem proximi ad Dei dilectionem peruenitur. Dicit enim Ioannes Euangeliſta: *Si fratrem, quem vides, non diligis; quomodo Deum, quem non vides, diligere potes?* Sed fraterna caritas in ammonitione ſpiritali, vel in ſolatio ſeculari oſtendenda eſt. Sicut enim corpus cibo paſcitur, ita anima ſacris doctrinis alitur. Ideò vtrumque facere debet qui poteſt, & pauperi larga porrigere manu quod indiget, & eſurientem animam ſalutifera ammonitione reficere. Maximè qui præſunt aliis, & multorum curam habere videntur. De hoc ſtudioſè vigilare pro ſingulis animabus, quaſi rationẽ redditurus pro eis in die iudicij. Qui neglegenter talentum ſeruat acceptum, pœnam patietur ſuæ neglegentiæ condignã. Qui verò multiplicat diligẽter pecuniam Dominicã, magnam accepturus erit mercedem à Domino Deo ſuo. Scire debent Prælati, quòd quantò plus laborant in ſalute ſubiectorum ſuorum, tanto maiorem accepturi erunt gloriam. Dicente in die iudicij Domino Deo illis: *Euge ſerue bone & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtituam. Intra in gaudium Domini tui.* Quid hac voce iocundius? quid hoc auditu beatius?

*multa.

Hanc vocem audire merearis, cariſſima ſoror. Omni inſtantia tibi ſubiectos inſtrue, verbis admone, exemplis erudi: quia illorum ſalus, tua eſt remuneratio. Noli propter hominis terrorem tacere, ſed propter Dei amorem loquere. Argue, increpa, obſecra. Publicè peccantes palàm caſtiga; vt cæteri timorem habeant, alios in ſpiritu manſuetudinis ammone, alios in virga paſtorali corripe; diligenter conſiderans, quid cui conueniat. Quidam itaque * malannus morbi per dulcia, quidam per amara ſanantur pocula. Anus & ſenes quaſi matres & patres honora; iuuenes quaſi fratres & ſorores dilige: minores ætate quaſi filios filiáſque erudi: & omnium curam habeto in Chriſto, vt omnium mercedem habeas à Chriſto. Fidelis verò diſpenſator pecuniã Domini ſui, id eſt animas ſibi commiſſas augere ſtudeat per diligentiam, non minuere per pigritiam. Quia ſeruus bonus coronabitur à Domino ſuo, malus verò damnabitur, ſicut in Euangelio dici à legentibus intellegi poteſt. Tu verò labora diligentiſſimè in opere Dei, vt retributionem magnam accipias in regno Dei. Eleemoſynę tuæ præcedant te, & viam tibi faciant. Munera enim dilatant viam hominis, & ſpatium ei ante Principem faciunt. Hoſpites & peregrini ſumus in hac terra. Patria noſtra in cœlo eſt. Non eſt bonum tranſitoria diligere, & ſempiterna neglegere. Vnuſquiſq; ſicut operabitur, ſic accipiet à Deo ſuo, qui reddet vnicuiq; ſecundum opera ſua.

Vigiliæ & orationes tibi ſint frequentes, A & pſalmodia in ore; non vaniloquia in lingua. Sed dilectio Dei in corde, & non ambitio ſeculi in mente. Præterit enim quicquid amatur in mũdo, permanet quicquid diligitur in Chriſto. Volentes nolentes æterni erimus. Omni intentione ſtudeamus, vt fideliter viuamus vbi ſemper manſuri erimus. Sanctorum feſtiuitates cum laude diuina, & pauperum eleemoſyna frequenter honora: quatenus illorum merearis interceſſione, illorum eſſe particips beatitudinis. Sint tibi ſermones veri- B tate laudabiles, ſint mores ſobrietate & modeſtia amabiles, ſint manus largitate honorabiles. Sit totius vitæ conuerſatio exemplum in omni bonitate aliis: vt dignitas perſonæ tuæ laudetur ab omnibus, ametur à pluribus, & per Dei nomen glorificetur. Ipſa dicente Veritate: *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent patrem veſtrum qui in cælis eſt.* Magnum habemus patrẽ, Deum ſcilicet omnipotentem. Quàm nobilis in moribus, quàm modeſtus in verbis, quàm C caſtus in corde, quàm miſericors omnibus debet eſſe filius Dei! ipſo præcipiente, *Eſtote miſericordes, ſicut & pater veſter cæleſtis miſericors eſt.* Imitemur quãtum poterimus illius bonitatem, vt æternam beatitudinem cum illo habere mereamur. Ait enim non ſolùm Apoſtolis, ſed etiam & nobis: *Exemplum enim dedi vobis, vt quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis.* Item, *Qui ſequitur me, non ambulat in tenebris, ſed habebit lumen vitæ.* Quid ſuperbit homo in ſeculi diuitiis? Chriſtus pauper factus eſt pro nobis, D vt per illius paupertatem, quam pro nobis accepit in terra, nos diuites eſſemus in cælo. Cito enim putreſcit caro in terra, quam tanta diligentia ornamus in deliciis. Inſuper & de ſepulcro cogitamus ornãdo, vanitas hæc vanitatum eſt. Melius eſt his opibus animam veſtire, quàm ſpurcitiam carnis ornare. Chriſtus ſepultus eſt in ſpelunca, non in templo. Hoc ideò dico, quia aliqui viuentes ſuam ſolent fabricare ſepulturam. Quid mihi vbi vermi putreſcat eſca? Tantum vt anima requiem habeat E ſtudendum eſt, vt illa viuat feliciter quæ mori non poteſt. Veniet enim tempus, quando corruptibile hoc induetur incorruptionem, & reſumet anima quod reliquit in terra. Tunc homo pariter anima & corpore regnabit cum Chriſto, qui hoc totius anima & corpore ſeruiebat Chriſto.

AD FRATRES S. MARTINI, Turonicæ ciuitatis.

EPISTOLA XXXI.

Sanctiſsimis in Chriſto fratribus, & beato Martino Confeſſori Chriſti ſeruientibus, humilis Leuita Alchuinus ſalutem.

Ex quo veſtram beatitudinem ſcire potui, ſemper amare volui: quia ſanctitas veſtra cordi meo amorem infundit veſtri, optans vnus eſſe ex vobis. Vt ſi meritis eſſe nequiuiſſem, caritate tamen fraternæ dilectionis coniunctus eſſem; quatenus in die magno reſurrectionis omnium particeps eſſem eorum, quos tantus Paſtor ſuo Regi præſentabit. O felix familia, tali gaudens Paſtore, talem habens in die Domini doctorem! Felix qui eius tota voluntate ſequitur veſtigia, vt illius inhærens præceptis, ipſius mereatur conſociari gloriæ. Vt hoc fieri valeat, nulla vos ſeculi concupiſcentia, nullum carnale deſiderium abſtrahat: nec veſtræ ſalutis noſmetipſos neglegentes eſſe decet, nec paratam vobis in Deo gloriam paruipendere. Habetis enim Dei gratiam auxiliantem vobis, & magnum interceſſorẽ, ſanctum ſcilicet MARTINVM, deprecantẽ cotidie pro vobis: quia, in cuius ſeruitio cotidie ſtatis in domo ſua, illum habetis in cælis omni hora ſuffragatorem.

Quapropter, dilectiſſimi fratres, diligentiſſimè contendite, vt ſæpius vos inueniat viſitatio ſui ſanctiſſimi Spiritus in laudibus diuinis vigilantes. In loco, in quo elegit ſibi requiem dulciſſimam, ſic fundite preces veſtras, quaſi præſente Deo loquentes, & Sanctis eius. Nec ſit aliud in corde, aliud in ore, quia homo audit quod os loquitur, Deus inſpicit quod cor cogitat; quia cor contritum & humiliatũ Deus non ſpernit. Et, omnis, qui ſe humiliat, exaltabitur. Per humilitatem verò, obedientiam, & caritatem, Monachus cælum aſcendit.

Non eſt igitur laudabile in veſtimentis habitum imitari Patrum, ſine obſeruatione mandatorum, quæ illi ſtatuerunt Deo ſeruientibus. Qui foris in oculis hominum ouis in veſtimentis videri cupit, intus ante conſpectum Dei per cordis ſecreta eſſe contendat, quod foris ante homines putari cupit.

Caritas igitur, quam Deus præcepit, duplex eſſe debet, id eſt Dei, & proximi.

Vna, quæ ſupra nos eſt, id eſt Deus: altera, A quæ iuxta nos eſt, id eſt homo. Deus ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota diligatur virtute. Proximos verò ſicut noſmetipſos diligamus. Si quærat quiſlibet, qui ſit proximus; omnem Chriſtianum
Luc. 10. intellegere debet, veluti in Euangelio legimus de Samaritano, qui vulneratum adiuuit. Item obedientia duplex eſſe debet, id eſt, & mala non facere, quæ prohibentur, & bona facere, quæ iubentur. Et hæc duo, id eſt caritas, & obedientia, cum ſumma iubentur humilitate impleri. Hæc ſunt B tria præcepta, quæ aperiēt Monachis portas cæli.

His itaque quaſi radicibus aliæ ſubcreſcunt virtutes, quaſi ramorum fertilitas, quibus fructus vitæ naſcitur æternæ. Nec me, rogo, ſanctiſſimi Patres & fratres, præſumptuoſum æſtimate cur vobis hæc ſcriberem. Caritas mea compulit in has prorumpere litteras; optans vobis omnia bona à Deo dari, vt in ſeculo honorem habeatis cum hominibus, & in futuro vitam æternam cum Sanctis Dei. Vos verò ſe- C niores, in ſpiritu manſuetudinis, ſicut A-
1. Cor. 4. poſtolus præcepit, iuniores veſtros admonete, quia illorum ſalus veſtra eſt merces, illorum eruditiò veſtra eſt remuneratiò. Quia qui arborem plantat, mercedem de fructu illius accipere cogitat. Habete adoleſcentes quaſi filios, quatenus illi vos habeant vt patres. Exemplis bonis illos inſtruite, ammonete vt cariſſimos, caſtigate vt conſeruos; quia hæc eſt fraterna caritas, *vt omnes, quaſi voſmetipſos*, ad coronam ſupernæ beatitudinis perducere ſtu- D deatis.

Adoleſcentes verò ſenioribus, quaſi patribus ſubditi eſtote, ſicut de Deo Chriſto
Luc. 2. legitur in Euangelio, quòd ſubditus eſſet ſuis parentibus. Si verò Deus homo & Dominus omnium ſubditus eſſe non dedignatur hominibus; quantò magis & vos pueri vel adoleſcentes ſubditi eſſe debetis magiſtris veſtris, vt per illorū bonam doctrinam proficere, & florere, & exaltari in Eccleſia Chriſti, & ad vitam æternam cum illis, Deo donante, peruenire mereamini. E Pro me ſemper intercedere dignemini, quatenus veſtris precibus veniam meorū merear accipere peccatorum, & amabilem vobiſcum in die nouiſſimo Domini noſtri
Matth. 25. Ieſu Chriſti audire ſententiam: *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum eſt ab origine mundi.*

Vos æterna Dei conſeruet gratia, fratres,
Nominis atque mei memores ſine fine valete.

AD ÆDILBERTVM Epiſcopum,

EPISTOLA XXXII. EDIT. XVI.

Præcipuæ dignitatis Paſtori Aedilberto Epiſcopo, & omni Congregationi in Eccleſia S. Andreæ Deo ſeruientiū, Alchuinus veſtræ clientellus caritatis in Chriſto ſalutem.

SPECIALIS amicitiæ cupidus, veſtræ ſanctitati paruitatis meæ litterulas dirigere curaui, vt & pactū antiquæ familiaritatis innouarem, & me veſtris ſacratiſſimis commendarē oratio-
nibus. Et ſi vnius, iuxta Apoſtolum, mul- Iacob. 5. tum valet deprecatio iuſti, quantò magis & totius ſanctiſſimæ Congregationis in Chriſto? quorū quotidie Canonicis Horis pacificæ vnitatis poſtulationes cælum penetrare credendum eſt, etiam & ſingularis vniuſcuiuſq; in ſecreto oratio ad aures omnipotentis Dei peruenire non dubitandum eſt. Quapropter cum omni petitionis humilitate, meipſum etiam vnicuíque, & cōmunibus omnium, & ſpecialibus ſingulorū, quantum mea valet apud veſtram pietatem deprecatio, commendo orationibus; vt per veſtræ ſanctitatis preces, meorum catenis peccatorum abſolutus, vobiſcum, fratres cariſſimi, vitæ ianuas ingredi merear.

O nobiliſsima Sanctorum progenies, Patrum illorum honoris, venerabiliſque vitæ ſucceſſores, & pulcherrimorum habitatores locorum, veſtrorum ſequimini veſtigia Patrum: vt de his pulcherrimis habitationibus, ad eorū, qui vos genuerunt, æternæ beatitudinis cōſortium, in cæleſtis regni pulcritudinem, Deo donante, peruenire mereamini. Dei diſcite ſcire & im-
plere præcepta, illo dicente, *Si vis vitam* Math. 19.
ingredi, ſerua mandata. Ideò neceſſaria eſt Sanctorum lectio librorum, quatenus in
eis quiſque intellegat*, quid ſequi, vel quid * edit. inueniat.
cauere debeat. Maneat verò in vobis lumen ſcientiæ, & per vos aliis luceat Eccleſiis; vt veſtra laus in ore reſonet omnium, & vobis in cælis merces maneat æterna. Vnuſquiſq; proprij laboris mercedem accipiet. Pueros adoleſcentéſque diligenter
librorum ſcientiam ad vitam* Dei docete, * al. in via.
vt digni veſtri honoris fiant ſucceſſores, etiam & interceſſores pro vobis.

Suffragia verò viuentium proſunt morientibus vel ad veniam peccatorum, vel ad maioris gloriæ augmentum. Qui non ſeminat, non metet: & qui non diſcit,

non docet. Et talis locus ſine Doctoribus, aut non, aut vix ſaluus fieri poterit. Magna eſt eleemoſyna, pauperem cibo paſcere corporali: ſed maior eſt, animum doctrina ſpiritali ſatiare eſurientem. Sicut paſtor prouidus gregi ſuo optima prouidere paſcua curat, ita doctor bonus ſuis ſubiectis perennia paſcua vitæ omni ſtudio procurare debet. Nam multiplicatio gregis, gloria eſt Paſtoris: & multitudo ſapientium, ſanitas eſt orbis. Sap. 6.

Scio vos, ſanctiſſimi Patres, hæc optimè ſcire, & voluntariè implere. Sed caritas dictantis ab ore rapuit verba, credens vos pia velle humilitate legere, quæ ſobria in Dei dilectione dictaui deuotione. Iterum iterumque obſecro, vt mei nominis inter familiares veſtros memoriam habere dignemini. Almitatem veſtram pro tota Dei intercedentem Eccleſia ipſe Deus Chriſtus exaudiat, voſque ad æternæ beatitudinis gloriam peruenire concedat, cariſſimi fratres.

AD MATREM ET FILIVM,

EPISTOLA XXXIII. MS.*

Albinus matri & filiæ in Chriſto ſalutem.

LAETANTE animo ſalutationem accepi veſtram, ſuppliciter deprecans, vt Deus Chriſtus miſericorditer deuotionem reſpiciat veſtram; magis magiſque faciat in ſua proficere voluntate, & ad coronam gloriæ veſtram deducat conuerſationem. Filia ſit matri in omni bono obediens, mater ſit in ſalute filiæ deuota: vtraque in Dei ſeruitio ſemper ſtudioſa. In caſtitate facientes quæ ſunt Deo placita. Subiectamque vobis filiam in omni timore Dei educate, quaſi rationem redditura pro ſingulorum animabus. Quapropter, vt filios filiaſque cum omni diligentia eos erudite, vt non ſolum carnale ſolatium, ſed etiam ſpiritale gaudium habere mereamini. In pannoſo paupere Chriſtus non deſpiciatur, ſed in domum deducatur, foueatur, & reficiatur. Quia refectio egeni, ſalus eſt diuitis. Canonicas horas in laude diuina omni ſtudio peragite, quatenus ab Angelis exaudiatur, & à Chriſto accipiatur concentus Pſalmodiæ veſtræ. Modeſtia veſtra, iuxta Apoſtolum, nota ſit omnibus hominibus; quatenus & præſens vita exemplum ſit in ſalutem multis, & futura pro laudabili pietatis cõuerſatione à Deo remuneratore omnium bonorum recipiatur. In fine verò huius cartulæ veſtram deprecor almitatē, vt inter veſtras orationes mei nominis memoriam habere dignemini: & ea caritate mihi ſalutem deprecamini perpetuā, qua vos per hanc Epiſtolam de veſtra ammonere ſtudui. Hoſque legentes apices, in Chriſto valete ſemper cariſſimæ.

AD PONTIFICEM RIGBOdum Treuer. Ciuit. cognomento Macharium.

EPISTOLA XXXIIII. EDIT. XVIII.

Pio Patri, & amico cariſſimo Machario Monacho & Pontifici, Flaccus Albinus in caritate Chriſti ſalutem.

QVOD Deus coniunxit, ſeculum non ſeparat. Ecce qui venit ignem mittere in corda ſuorum, ille faciat ardere quod incendit: nec flumina infidelitatis obruent ignem, qui in altari Dei die noctuque ardere præcipitur. Nec alienum quiſlibet audeat ignem portare in tabernaculum ſpiritale, ne occidatur ab eo qui ſuum ſemper ardere iuſſit. Quis eſt ignis Dei, niſi caritas? & quis alienus, niſi amor ſeculi? Ideò duo ſeruati ſunt ex filiis Aaron propter duo præcepta caritatis, & duo perierunt propter ſeculi amorem & amatorem illius. Optimam partem elegit ſibi Maria, quæ non auferetur ab ea. Amemus quod non auferetur, fugiamus quod auferri poteſt. Impium eſt, diligentem non diligere, & retribuenti non retribuere. Quid retribuit nobis Deus? Retribuit nobis pro malis noſtris bona ſua: retribuemus ei pro bonis ſuis bona noſtra. Quæ ſunt bona noſtra, niſi vt diligamus eum, & mandata eius obſeruemus? Quæ ſunt mandata illius, niſi vt diligamus inuicem? In his duobus præceptis tota lex pēdet & Prophetæ.

Cur iſta tam longo repetita principio, niſi vt ſcias ardorem cordis mei? Pene mihi melius eſſet, te pauperem habere præſentem, quàm diuitem abſentem. Quid mihi diuitiæ, ſi non habeo quem amo, ſi non conſidero quem deſidero? Tua potentia mihi eſt miſeria. Vbi eſt dulciſſimū inter nos colloquium? Vbi ſacrarum literarum ſtudium deſiderabile? Vbi læta facies, quam conſpicere ſolebam? Vbi communio caritatis, quam fraternus amor hinc inde exercuit? Vbi ſaltim memoria

nominis [illegible]? Ecce totus pręterit annus, quo nec literarum conſolatio oculis aduenit, nec ſalutationis officium auribus inſonuit. Quid peccauit pater, vt à filio obliuiſceretur? quid magiſter, vt diſcipulus neglexerit eum? Fortè exaltatio ſeculi dedignata eſt nomen magiſtri in illo. Aut peregrinatio mea viluit in oculis tuis, aut amor Maronis tulit memoriam mei. O ſi mihi nomē eſſet Virgilius! Tunc ſemper ante oculos luderem tuos, & mea dicta tota pertractares * intentione, & iuxta prouerbium illius*, eſſem apud te,

Tunc felix nimium, quo non felicior vllus.

Quid faciam? an meam doleo infelicitatem, quia non ſum quem diligis? an tuam laudo ſapientiam, quia diligis illum qui non eſt? Flaccus receſſit, Virgilius acceſſit: & in locum Magiſtri nidificat Maro. Hoc dolens dictaui, vel propter obliuionem mei, vel propter abſentiam tui: paululum ferociori pumice cartam terens, vt vel iratus aliquid reſcriberes. Quia bos laſſus * fortius figit vngulam. Incipe vel defendere te, vel me offendere, vt intellegam ſtudiū, in quo otium iſtius anni exercuiſti. Et quo theſauro cor impleris tuum, pande nobis, vt tecum gaudeamus in bono tuo. Vtinam Euangelia quatuor, non Æneides duodecim pectus compleant tuum, & te auehat quadriga ad cæleſtis regni palatium, vbi eſt honor indeficiens, & regnum ſempiternum: *vbi pro me intercedere*, credo, memor eris: quia vt illuc venires, exhortari gaudebam.

* edit. perſcrutareris.
* al. leſſus.

AD MAGENHARIVM COMItem Senonicæ ciuitatis.

EDIT. LIIII.

EPISTOLA XXXV.

Dilecto in Chriſto Magenhario Comiti, humilis Leuita Albinus ſalutem.

AVDIVI vos, vir venerande, noſtræ paruitatis optaſſe conloquia, & vt verè fateor, veſtram valde deſideraui præſentiam, vt dulci conlocutione veſtræ prudentiæ conſolarer. Sed quia rerum euentu hoc fieri non valuit, viſum eſt mihi condignum, litteris implere quod verbis non potui, & meam in vos oſtendere dilectionem, & vobis vtilia per cartam ſuadere, vt veſter profectus meus eſſet fructus. Vt qui in ſublimi dignitate poſitus es in terris, per opera iuſtitiæ & miſericordiæ cœleſtem tibi merearis honorem. Cogita, quòd tranſitoria ſunt hæc omnia, quæ in hoc ſeculo habemus. Et quia neceſſarium eſt vnicuique hominum æternam ſibi per temporalia benefacta promereri gloriam. Quapropter, vt ad perpetuam peruenias, Deo donante, beatitudinem; nullā te ſeculi delectatio, nulla carnalis concupiſcentia impediat. Sed eſto in iudiciis iuſtus, in operibus miſericordiæ pius, viduis & orphanis quaſi pater, defendens eos ab omni violentia.

Eſto quoque Eccleſiis Chriſti quaſi frater, vt per orationes ſeruorum Dei, inter pericula hoſtium, fluminum, viarum, infirmitatum, diuina te protegat dextera, regat, atque conſeruet ſemper vbique. Fac, vt quotidie pauperes de pane tuo comedant, quia miſerorum conſolatio tibi erit æterna remuneratio. Eſto quoque in conſiliis prouidus, ſapiens in cogitationibus, modeſtus in ſermone, Deum ſemper habens præſentem; quatenus illius loquens voluntatem*, eius dignus efficiaris protectione. Corpus tuum in caſtitate, & animum in ſobrietate conſerua. Fidelis eſto ad dominos, quos dedit tibi Deus; ad amicos benignus, ad omnes homines æquus, & miſeris largus. Debitoribus, vel in te peccantibus culpas ignoſce, vt tibi ignoſcat Deus, ſi quid contra eius feciſti voluntatem.

* edit. veritatem.

Tuis quoque diligenter præcipe ſubiectis, vt iuſti ſint in iudiciis, miſericordes in miſeros, Deum timentes, Eccleſiamque Chriſti honorantes; vt illorum bonitas tibi in mercedem computetur. Sæpè ſubiectorum peccata Rectoribus imputantur, ſi minus diligenter eos admonent Prælati, quomodo facere debent: ſicut eorum bona dominis proſunt ad præmia, qui eos ſtudioſè erudiunt, Deum timere, eiuſque obedire præceptis.

Obſecro ne me præſumptuoſum arbitreris hæc tibi ſcribentem. Caritas Chriſti, & veſtræ ſalutis amor, & veſtræ bonitatis fiducia, hæc monuit ſcribere: optans vos & præſentem habere proſperitatem, & futuram promereri beatitudinem. Diuina vos gratia in omni bonitate florere faciat, vir dilectiſſime.

AD QVENDAM DISCIPVLVM.

EPISTOLA XXXVI.

EDIT. XXXVIII.

DILECTIONIS veſtræ litteras grata ſuſcepi dextra, & læto legebam animo, intellegens in eis veſtræ vitæ proſperitatem, & literalis exercitij ſtu-

dium ex quo dictantis eloquentia claruit. A Hoc mihi maximum eſſe gaudium conſtat, vt filios florere videam in conuerſationis puritate; & profectus diligentia. Iſte eſt ornatus, quem optaui in eis *. Iſtæ ſunt deliciæ, quibus illos deſideraui veſtiri. Iſta eſt munditia, quam concupiui in illis. Hæ ſunt epulæ, in quibus illos iocundari amaui. His etiam anima reficitur eſuriens, & ſitiens iuſtitiam. Hoc eſt vinum, quòd miſcet ſapientia inuitatis ad menſam ſuam, dum ſeptem columnis ſubnixam ſibi domum conſtruxit. In hac diuina domu, frater cariſſime, te habitare ſemper obſecro, illius te epulis paſci deprecor, hoc * te calicis mero inebriari exopto. Non vanas ſeculi pompas, non noxias corporis delectationes exſequi, quæ non proderunt ambulantibus in eis: ſed ſuos ſequaces in æternæ perditionis voraginem demerſerunt.

*al. meis.

Prou. 9.

*edit. huius

Tu verò, amor animæ meæ, ſi quid ſordium ex his contraxiſti, lacrymis laua, pœnitentia ablue, & vitæ melioris manu dele; memor tui, memorque mei; animam meã lætificans, tuæ parcens: quia ſalus tua conſolatio mea eſt. Noli patrem ſuã mercede fraudare in te. Noli filij nomen delere in te. Si pro te non vis, vel pro me fac. Si vel me non curas, & te negleges. Deum time, dilige, honora. Ille eſt verus pater, ille redemptor, ille omnium largitor bonorum, ſuſcitat dormientem in deliciis animam.

Contra tres tibi quotidie pugnandũ eſt inimicos: contra diabolum, contra ſeculũ, contra carnem. Quomodo poteris ſecurus dormire? Te verò dormiente vigilant, qui te occidere quærunt. Quomodo non timès flammas æternæ perditionis? Quid tu parui temporis hoſpes, patriam quæris in peregrinatione, & illam obliuiſceris, in qua ciuis conſcriptus es in baptiſmo? Cogita, quis pro te pependit in cruce. Huius latus lancea perforatum tuæ ſanguinem redemptionis emanauit. Noli paruipendere precium tuæ ſalutis. Pro te traditus eſt, qui te fecit: imò omnium creator ad redẽptionis tuæ precium ſeipſum expendit. Cur te ignobilem facis, nobiliſſimo emptus precio? Noli ex filio Dei facere ſeruum diaboli. Quid pompaticis carnem induis veſtimentis, & ornamenta animæ non quæris? Beatus vir, cuius eſt nomen Domini ſpes eius, non reſpicit in vanitates, & inſanias falſas. Melius eſt collo ſapientiæ monile ſuſpendi, quàm ſerico vanitatis inuolui. Melius caſtitate lumbos circumcingi, quàm numeroſis pomparum cingulis conſtringi; & ardentes bonorum operũ in manibus portare lucernas, quàm digitos anulis oſtentationis radiare. Satius eſt pedes in Euangelium pacis expeditos eſſe, quàm longo faſciarum nexu ligari. Heu! quòd corrumpitur, tanta diligentia ornatur: & quod permanet, tanta ſocordia neglegitur? illud omni cura ornatur, paſcitur, & veſtitur: hoc, quaſi vile ſubpellectile nullo decore dignum ducitur. Terrenum colitur, & cœleſte non curatur? Dei imago vileſcit, & terræ ſpecies honoratur? Non ita fili, non ita in te ſit.

Pſal. 39.

Eccli. 6.

Luc. 12.

Tu ſacri altaris miniſter, tu ſummi honoris ſocius: tu ſapientiæ vas, flos adoleſcentiæ. Dignitatem tuam attende, & eſto quod nominaris. Cogita, corpus tuum in puluerem reuerti, & animam tuam ad iudicium rapi. Qualis tunc eſſe cupias, talem te nunc exhibe. Nunc tẽpus eſt laborandi, tunc remunerandi: nunc promerendi, tunc accipiendi. Qui plus laborat, plus mercedis accipiet. Curre, dum lucem habes. Qui hodie eſt, cras non erit, dicente ſcriptura: *Noli tardare conuerti ad Dominum, quia neſcis quid ventura pariat dies.* Omnis gloria ſeculi quaſi flos fœni decidet. Areſcit fœnum, & flos eius deperit. Memento creatoris tui, antequam veniat tempus afflictionis. Pugnemus fortiter, & vincamus perniciter, vt coronemur feliciter. Illum habemus adiutorem, quem & remuneratorem. Ille prior hoſtem vicit, vt nos vincere poſſimus. Triumphauit in cruce, vt nos regnemus in cælo. Ad nos deſcendit in terram, vt nos aſcendamus ad illum in cœlum. Filius hominis factus eſt, vt nos filij Dei eſſe mereamur, cui laus & gloria in omnes æternitates, Amen.

Ioan. 12.

Eccli. 5.

Eccli. 14.

Eſai. 40.

AD PRESBYTERVM EADA,

EPISTOLA XXXVII.

EDIT. XLII.

Dilecto amico Eada Presbytero, Albinus ſalutem.

DILECTIONIS tuæ munera magna deuotionis lætitia ſuſcepi, deſiderans donãte Deo Chriſto proſperitatem vos præſentem habere, atque futuram: agnoſcens antiquæ in vobis munificentiæ largitatem. Quapropter & in nobis antiquæ fidei reformaſtis amicitiam. Vtinam diuina clementia in vobis vſque ad finem vitæ perſeuerare faciat, quod ab ineunte ætate in vobis operari dignata eſt. Præterit enim figura huius temporis. Idcirco neceſſe eſt, vt nos dies extrema in

1. Cor. 7

dilectionis geminæ ſobrietate veſtitos inueniat. Quia qui offenderit in vno, id eſt, in vno caritatis præcepto, factus eſt omnium reus.

Habeto nos, obſecro, ſocios beatitudinis tuæ, ſicut te cupimus ſocium habere proſperitatis noſtræ. Et orationibus deuotionis veſtræ deduc nos in eundem paupertatis gradum, in quo, perficiente Deo, ſalubriter conſiſtis. Tu tenes in manibus, quod nos olim tenere cogitauimus. Sed fluctus ſeculi noſtram nauiculam procelloſis ventis in voraginem diuitiarum rapuerunt. Sed te precor, vt me pietatis precibus in portum quietis reuocare ſtudeas. Cupio, ſed non facio. Tranquilla eſt paupertas, quam feliciter, olim amaſti. Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum. Sed paupertas hæc humilitatis gubernaculo regatur, & caritatis velo. Flante ſancto Spiritu in eam, ad æternæ beatitudinis portũ perueniet, vbi mei nominis memor, intercedere pro me mereatur. Da te, ſupplex obſecro, vt duplicem habeas mercedem: vnam tui ipſius, alteram fratris tui. Vtinam, vt merear te videre cum lætitia illic, ſi hîc fieri non poſſit! Diuina te gratia comitetur, & in omni bono florere faciat, vt cum multiplici bonorum operum fructu vitam merearis ingredi ſempiternam.

Matth. 5.

AD OFFANVM REGEM Merciorum,

MS.*

EPISTOLA XXXVIII.

Domino excellentiſſimo Offano Regi, humilis Leuita Alchuinus ſalutem.

Fideliter voluntati tuę ſemper placere cupiens, hunc meum cariſſimum filium ad vos remiſi, ſicut petiſti. Deprecans vt eum honorificè habeatis, donec ad vos volente Deo veniam. Nec eum ſinite otioſum vagare, nec ebrietati ſeruire. Sed præuidete ei diſcipulos, & præcipientes præcipite, vt diligenter doceat. Scio quòd benè dicit, & vtinam benè proficiat! quia diſcipulorum meorum profectus, merces eſt mihi apud Deum. Et, valde mihi placet, quòd tantam habetis intentionem lectionis, vt lumen ſapientiæ A luceat in regno veſtro, quod multis modo extinguitur in locis. Vos eſtis decus BRITTANNIAE, tuba prædicationis, gladius contra hoſtes, ſcutum contra inimicos. Habete Deum ſemper ante oculos, facite iuſtitiam, amate miſericordiam: quia qui ignoſcit, ignoſcitur ei. Diſcite diligere mandata Dei Chriſti, vt benedictio illius in omni bonitate & proſperitate vos, veſtroſque nepotes conſequatur in ęternum. Diuina te, tuumque regnum cæleſti benedictione comitetur gratia, Domine excel-B lentiſſime.

AD ÆDILREDVM REGEM.

EPISTOLA XXXIX.

MS.*

Domino dilectiſſimo Ædilredo Regi, Alchuinus Diaconus ſalutem.

Propter familiaritatem dilectio-C nis familiares tibi ſoli litteras ſcribere curaui. Et quia ſemper te amabo, ſemper te admonere non ceſſabo: vt Dei voluntati ſubditus, Dei protectione dignus efficiaris, & nobilitas regiæ ſublimitatis magna morum nobilitate honorificetur. Non eſt liber vel nobilis, qui peccatis ſeruiet, dicente Domino: *Omnis qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati.* Non decet te in ſolio ſedentem regni, ruſticis viuere moribus. Ira tibi non dominetur, ſed ratio. Miſericordia te amabilem faciat, non D crudelitas odibilem. Veritas audiatur ex ore tuo, non falſitas. Caſtitatis tibi conſcius eſto, non libidinis: continentiæ, non luxuriæ: ſobrietatis, non ebrietatis. Noli notabilis eſſe in aliquo peccato, ſed laudabilis in omni opere bono. Largus eſto in dando, non auarus in rapiendo. Iuſtitia omnes tuos exornet actus. Eſto forma honeſtatis omnibus te videntibus. Deum time, qui dixit: *In quo enim iudicio iudicabitis, iudicabitur de vobis.* Ama Deum Chriſtũ, & eius obedire mandatis: quatenus illius mi-E ſericordia tibi tuiſque filiis & amicis in benedictione conſeruet, quod te habere voluit; & gloriam futuræ beatitudinis concedere dignetur. Deus omnipotens regni felicitate, morum dignitate, longæua proſperitate te florere faciat, dilectiſſime fili.

A

AD RIGBODVM EPISCOPVM, qui & Macharius.

EDIT. XIX.

EPISTOLA XL.

Dilecto Patri Machario humilis Leuita Albinus ſalutem.

CARITATIS dulcedinem litterarum officia implere non poſſunt, tamen qualecumque lumen illius oſtendere nituntur. Sicut digito præſens homo oſtenditur, ita literis abſentis caritas demonſtratur. Fateor, meæ mentis dilectio tui tædet abſentiam: eſſetque aliquod amoris refrigerium, ſi vel tui cordis affectum per alterius audirem os; vel cùm litteras legerem, quem ardentiùs cuperem, intellegerem. Non diſiungit ſæculum, quos Chriſti caritas coniunxit. Et veniat per eum optata dies videndi, qui omnes dies creauit ad videndum. Multa tecũ habuiſſem conferre, ſi tuæ conloquutionis familiaritate vti valuiſſem. Veniet tempus, dum vult ille, qui diſponit omnia tempora. Cum omni caritatis dulcedine valeas, fili, frater, amice.

AD RICVLFVM ARCHIEpiſcopum Magenſ. ciuitatis, cognomento Damœtam.

EDIT. I.

EPISTOLA XLI.

Probatiſſimo amico Damœtæ Albinus ſalutem.

NIMIVM mihi longum videtur tempus, quòd tuæ dilectionis faciem non vidi, verba non audiui. Et quantum ex præſentia tui gaudebat animus, tantum in abſentia contriſtatur. Quid faciet mens niſi lugeat, dum paucos habet amicos? Proh dolor! Sed illi ſemper abſentes. Tamen quod valeo faciam; te memorans ante Dominum, tibi proſpera ſemper illius concedere clementiam deprecans, cuius dilectione tuum ſemper impleatur pectus. Hæ ſunt veræ diuitiæ, quæ numquam decipiunt habentem, nec in ipſa morte amittuntur; ſed plus abundant, dum cernitur quod amatur. Inter temporalia & æterna hoc intereſt. Aliquid plus diligitur antequam habeatur, vileſcit autem cùm aduenerit. Æternum autem ardentiùs diligitur adeptum, quàm deſideratum. Ideò plus amemus æterna, quàm temporalia; vt in æternitate beatè & feliciter viuere mereamur. Valeto in ſecula.

AD ANGELBERTVM PRIMIcerium Palatij Pipini Regis.

EPISTOLA XLII.

Fideli amico & venerabili Angelberto Primicerio, humilis Leuita Albinus ſalutem.

MEMOR condictę inter nos amicitię, has litteras vobis dirigere præſumpſi; deprecans, vt benignè harum portitorem litterarum ſuſcipere dignemini, & peregrinationis illius vir Dominum Pipinum Regem ſubuenire deprecamini. Regum verò merces in miſerorũ iuuamine, & maximè peregrinorum, ſacra ſancti PETRI Principis Apoſtolorum limina petentium, magna apud diuinam conſtat eſſe clementiam. Inſuper cariſſime frater, deuotiſſimè deflagito; vt dona dulciſſima, & mihi multum neceſſaria, id eſt, Sanctorũ reliquias mihi vel aliquas tranſmittere cures. Hilarem enim datorem diligit Deus. Qui te abundare faciat in omni bono, & inter Sanctorum gloriam conſtituat; quorum mihi reliquias tua beneuolentia dirigat. Floreas fili, virtutum coronis, ſapientiæ decore, & ſancta dilectione ad Deum, & bona fide ad homines in æternum.

LITTERÆ COMMENDATITIÆ, ad Amicos.

EPISTOLA XLIII.

Fraternæ dilectionis amicis per diuerſas nominum dignitates, Albinus conſeruus in Chriſto veſter ſalutem.

LICET terrarum longinquitas diuerſas Chriſtianorum faciat habitationes, tamen ſanctæ caritatis ſocietas, ſub vno Paſtore Chriſto, vnum eos facit eſſe gregem. In cujus fiducia, veſtræ pietati per precatorias noſtrę paruitatis litteras, hunc Presbyterum Fordradum nomine diligentiſſimè commendo: vt di lectionis veſtræ iuuamine ſuffultus, facilius ſanctæ peregrinationis viam peragat & veſtræ bonitatis merces ante oculo. omnipotentis Dei augeatur. Qui eſt via vita, & veritas, vobis viam veſtræ ſalutis oſtendere, & requiem æternæ gloriæ tribuere, & beatiſſimam vitam concedere dignetur.

A

AD FILIAM SPIRITALEM,

EDIT. LVII.

EPISTOLA XLIIII.

Cariſſimæ in Chriſto filiæ Eugeniæ, Albinus ſalutem.

PLACET mihi ſæpius in paruis litteris, non tamen parua officia ſalutationis tuæ dirigere germanitati, & tuis ingerere cogitationib. ammonitionis meę, vel promiſſionis tuæ ſalutiferas collationes: quatenus nobiliſſimũ virginitatis
B
decus integro conſeruare corpore coneris, rememorãs glorioſam caſtitatis mercedẽ.
Apocal. 14. Ecce in cœlis per magna æterni Regis Palatia Agnum ſequuntur quocumque ierit. Quid hac gloria beatius, vel hac beatitudine glorioſius? Vbi naturæ victor omnium conditori creaturarum conſociabitur.

Nec labor quotidianus deterreat, quem ſpes tantæ remunerationis conſolabitur. Paucorum labor dierum æternis remunerabitur præmiis. Sit quoque virginitas e-
C
leemoſynarum largitate fertilis, nec ſibi caducas diuitiarum gazas auida congreget manu: ſed larga mente in membra ſui diſtribuat ſponſi. Geminis, caritatis ſcilicet, & caſtitatis pennis, ad alta cælorum regna tranſuolet. Nec virgo, carnis concupiſcentiæ vinculis libera, auaritiæ laqueis conſtringatur: ſed ſui ipſius victrix, etiam ſeculi, ignauiâ, cupiditati non ſuccumbat. Sed ſibi miſericordiæ operibus, quaſi ramis virentibus, in arcem cæleſtis Hieruſalem viam ſternat: vbi laudibus excepta An-
D
gelicis, magni Imperatoris thalamum æterna introducatur lætitia.

Vt hoc fieri valeat, vigilare debet huius inquiſitor margaritæ, non inertiæ ſopitus ſomno dormitare: imò ſæpiùs orationibus nocturnis, vel diurnis pulſare ianuas perpetuæ ciuitatis. Et veniens apertas inueniet, quas quiſque ab hoc carnali carcere deductus nimium intrare cupiet. Quod ante ſumma diligentia præuidere debet, vt portas tunc inueniat patentes, Angelicoſque choros ſuſcipientes obuiis
E
manibus animam, ad deducendum in cubiculum Regis, æternis fruituram gaudiis. Perpetuumque laudis carmen decantabit,
Psal. 102. in præſentia ſui Sponſi dicens: *Benedic anima mea Dominum, & omnia opera eius: in omni loco dominationis eius benedic anima mea Dominum.* Viuas, valeas, & floreas, virgo nobiliſſima in Chriſto.

AD HECHSTANUM PRESBYTERUM,

EPISTOLA XLV.

EDIT. XXXVI.

Filio meo cariſſimo Altapetra, Albinus ſalutem.

VTINAM iuxta nomen tuum fiat merces tua alta, & firma. Hoc verò, vt, Deo donante, fiat, labora inſtanter. Curre, dum lucem habes. Aſcende quotidié per ſingulos gradus virtutum, vt de te dici poſſit: *Ibunt ſancti de virtute in virtutem*: vt, quod ſequitur, fieri Psal. 83.
poſſit hoc, vt à te videatur Deus deorũ in Sion. Vigiliis & orationibus inſta, caſtitate & humilitate, dilectione Dei & proximi, & aliorũ mandatorũ obſeruatione teipſum exorna. Quæ tamen omnia ad caritatis firmamentũ reſpicient, in qua tota Lex pendet & Prophetæ. Si nondum adhuc annis, ordine tamen ſacri miniſterij, ſenior eſſe cœpiſti. Nam Presbyter, ſenior in Latina interpretatur lingua, vt ſignificet moribus eſſe debere ſenes, conſtantia perfectos, prædicatione verbi Dei intentos; ita vt ore impleant quod ore doceant.

Tu verò, fili cariſſime, vigilanter tibi præpara bonis meritis domum perpetuam in cœlis. Modo eſt tempus laborandi, & promerendi Deum: tunc erit tempus iudicandi, & pro bonis operibus videndi Deum. Quia tunc iudicabitur vnuſquiſq; ſecundum opera ſua. Non tibi ſit ſeculi pompa ſuauior quàm ſalus æterna: nec delectatio carnalis dulcior quàm dilectio Dei. Qui hîc Deum diligit, cum Deo etiam lætabitur. Quàm iocunda eſt beatitudo æterna: & quàm miſera perditio ſempiterna! Qualis in vita futura fieri velis, talem te præpara in præſenti. Parui temporis hoſpes, perpetuam tibi promerere manſionem. Hodie te cogita cras eſſe moriturum. Omnis dies quaſi vltimus eſt habendus. Ideò ſemper homo debet eſſe paratus, vt quacumque die iudex pulſauerit oſtium, aperiatur ei cum lætitia. Rapietur ad iudicium anima, dum ducetur de corpore.

Quid tunc ebrietas, quid luxuria carnalis, quid pompa veſtimentorum, quid anulus in digito, quid aurum in ſacculo? Diues moritur ſimpliciter * ſicut & pauper, & vna eſt amborum conditio. Niſi * edit. ſimiliter.
forte quis melior altero fiat. Bonus in vitam vadit ſempiternam, impius tormen-

tis traditur æternis. Eſto filius vitæ, & non mortis. Eſto heres cæli cum Chriſto, non eſca ignium cum diabolo. Per ſingulos dies ſemper eſſe melior ſtudeto, vt ſemper cum Deo eſſe merearis. Saluta meo nomine Sacen & Begnod Dei famulos, amicos noſtros, filios vitæ æternæ. Roga eos, noſtri eſſe memores in orationibus ſuis cum ſua familia, quam diligenter in Dei ſeruitio erudiunt: quatenus mercedem ex illis habeant, & non pœnam; laudem, & non contumeliam. Quia profectus ſubiectorum, ſalus eſt prælatorum, & Paſtor bonus ex gregis multiplicatione coronabitur. Et tu, fili mi, memor eſto mei & tui in orationibus, vt diuina nos clementia perpetuo munere in ſalute ſempiterna conſeruare dignetur. Vale, vale fili in æternũ.

AD MONNAM PRESBYTERUM, & Fratrem eius.

EDIT. XXXVII.

EPISTOLA XLVI.

Dilectiſsimis in Chriſto amicis fratri & filio, Anthropo & Stratoclei, humilis Leuita Alchuinus ſalutem.

SOLET charitas litteris appellare, quos oculis cernere nõ valet: quia apices cartarũ amoris magnitudinẽ exprimere conãtur, vt oculis legatur in ſyllabis, quod videri nõ poteſt in mẽtibus. Ideo veſtræ, cariſſimi, memor germanitatis, hãc cartã vobis in cõmune direxi, vt cognoſcatis, quãtam pro vobis habeo ſollicitudinẽ. Quia* nec terrarum longinquitas, nec temporum diuturnitas delere valuit, quo minus admoneam quos magis diligam; deſiderãs ſalutis veſtræ proſperitatem, & in Deo credere, & in ſeculo ſcire. Vt vtrumque fiat, vnum eſt ſtudendum, id eſt, Deo placendum. Præterit quicquid amatur in mũdo, & ſolum permanet quicquid agitur in Deo. Ideo temporalia non tardent iter ad æterna tendentium, dicente diſcipulo quem diligebat Ieſus: *Nolite diligere ea, quæ in mundo ſunt* Nunquid ex vmbra panis eſuriens ſe ſaturare poterit? Vmbratica eſt ſeculi felicitas, vera tantummodo in futuro ſpectatur.

*MS. Quã

1. Ioan. 2.

Nolite vinculis ſeculi teneri, nec laqueis diaboli ligari. Et vincula, quæ per confeſſionem, & pœnitentiãm præcidiſtis, nolite reformare; vt liberas manus valeatis releuare ad Deum, & puro corde deprecari, quem toto corde amare debetis. Vigiliæ & orationes ſint aſſiduæ vobis. *Beatus ſeruus ille, quem, cum venerit Dominus eius, inuenerit vigilantem.* Vigilandum eſt in bonis operibus, non dormiendum in delectationibus carnalibus. Ebrietatem quaſi perditionis foueam fugite, quia, iuxta Prophetam, *Vinum & ebrietas aufert cor.* Pompas veſtimentorum non ſectemini. *Beatus homo, qui non reſpicit in vanitates, & inſanias falſas.* Melius eſt, animam ornare, quæ permanet, quàm corpus veſtimentis, quod putreſcit in puluerem. Dicente quodam Philoſopho, Ridiculum eſt in vanitate laudem quærere: vo[illegible] rum ſuperuacuas curas vanitatem intellegere. Quòd ſi plurimi hoc faciunt, ſcriptum eſt; *Non ſequeris turbam, ad faciendum male.* Melius cum paucis ſaluari, quàm cum plurimis perire.

Scitote, cuius exempla diligentiùs ſectamini, eius meritis maximè adhæreatis. Chriſtus per humilitatem viam nobis fecit ad cœlum. Quid ſuperbiam prauorum ſequimur? Angelus per ſuperbiam proruit cœlo. Quid ſuperbit homo terra & cinis? Quis ſuperbiẽti homini locus deputetur, ſi Angelo ſuperbienti infernales pœnæ præparatæ ſunt? Non eſt opus vos quaſi inſcios ammonere, dum Euãgelium Chriſti ante oculos habetis. Legite, & intellegite quid ſit cauendum, vel quid obſeruãdum. Quicquid ibi ſcriptum eſt, neceſſe vt fiat: dicente ipſa Veritate, *Cœlum & terra tranſibunt, verba autem mea non tranſibunt.* Item, *Si quis diligit me, ſermones meos ſeruat.* Iudicium dilectionis Dei eſt, mandata eius obſeruare; & præmium dilectionis, viſio diuinitatis: eo ipſo promittente, quem diligere iubemur, *Qui autem diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & manifeſtabo ei meipſum.* Pro me orantes valete, viri fratres, cariſſimi in Chriſto.

AD AMICUM FIDELEM.

EPISTOLA XLVII.

Dulciſsimæ dilectionis fratri, & amico in Chriſto caritate ſalutem.

AMICO antiquo nouus non eſt ſimilis. Amicus qui fortunam ſequitur, & tempus obſeruat, qui iuxta loci qualitatem mutatur, numquam verus fuit. O ſi mihi vox ferrea eſſet, & omnes pili verterentur in linguas, vt vel ſic ad aures tui cordis verba dilectionis meæ peruenire valuiſſent; vel in tuo pectore ſpiritu

ſpiritus eſſet Prophetiæ, vt perſpicere cor- A
dis mei arcana potuiſſes! Crederes vtique,
quàm ſuauiſſimo ſapore tui amoris pectus
meum impleretur. Sed nunc quod valeo
faciam. Hos paruos apices, magnæ indi-
ces caritatis tibi dirigo, vt per hos intelle-
gas quod vix intellegi poteſt. Sicut flam-
ma poteſt videri, tangi autem non poteſt;
ita caritas in litteris cerni poteſt, ſed vix
in animo ſcribentis ſentiri valet. Quia ſi-
cut ſcintillæ de igne ſparguntur, ita dile-
ctio litterarum officio volat. Sed plurimi
ſunt, in quorum corde extinguitur: ideò B
[illegible] vbi vel aliqua eius flam-
mula ardeſcit. Quia in te, frater ſanctiſſi-
me, veram inueni caritatem, ideò nulla
terrarum ſpatia me prohibent, ſecundum
oportunitatem portantis, cupiens te in
Chriſto perenniter frui, cuius amor no-
ſtra vtinam impleat corda, vt per eius di-
lectionem nobis inuiolabilis permaneat
fraternitas, cuius caritatem ſicut ſacerdos
Dei ſummi, ſicut tuba cæleſtis, ſicut præ-
co ſalutis, cunctorum ingerere cordibus
ſtudeas. Quicquid illius reſpuit ſanctitas, C
inſtantiſſimè prohibe: quicquid illius dili-
git bonitas, ardentiſſimè prædica. Non ter-
renę fragilitatis terreat poteſtas, non ſecu-
laris ambitio ſacerdotalem ſeueritatem
compeſcat. Nolite timere eos, qui corpus
poſſunt occidere, animam autem non
poſſunt.

Eſto omnibus *vitæ lucerna*, præuius via-
rum Dei, *exemplum* honeſtatis. Eſto mi-
ſeris *conſolatio*, medicina vulneratis, affli-
ctis conſolatio: paſtor, non mercenarius;
domus Dei, non ſpelunca latronum: Pal- D
ma florens, oliua ſemper virens. Noli co-
lumbas Dei vendere. Gratis da quod gra-
tis accepiſti. Inreprehenſibilem teipſum in
omnibus exhibe, vt via tua doctrina ſit po-
puli; vt ex bona conuerſatione tua ædifi-
centur plurimi. Lege diligenter, obſecro,
Euãgelia Chriſti; libros quoq; alios Cano-
nicæ auctoritatis. Sed & Paſtorale B. Gre-
gorij Papæ ſæpiſſimè perſcrutare. His epu-
lis animam tuam paſce, vt habeas vnde a-
lios quoque reficere valeas. Mei quoque
obſecro, vt memoriam habeas inter Miſ- E
ſarum ſollennia, & ſacras orationes tuas:
vt diuina clementia veniam mihi peccato-
rum, & coronam tibi meritorum præſtare
dignetur.

NOBILISSIMO IVVENI
Ecgfrido Regi merciorum.

EPISTOLA XLVIII. MS.*

Nobiliſſimo iuueni Ecgfrido, humilis Leuita Alchuinus ſalutem.

QVIA ſciebam te bonæ indolis &
ſummæ nobilitatis adoleſcentem,
exhortatorias præſumpſi tibi diri-
gere litteras. Non quòd tibi aliquid deſit à
ſapientiſſimis & optimis parentibus am-
monitionis neceſſariæ, quorum honeſta-
tis exempla populo prædicamenta ſunt ſa-
lutis. Sed vt meæ dilectionis in te oſten-
derem fidelitatem, cupiens te proficere in
Deo, virtutumque floribus ornari, & cun-
ctis ANGLORVM populis prodeſſe in
proſperitate. Ecce quam nobiliſſimis na-
tus es parentibus, quàm magna enutritus
cura. Noli moribus eſſe degener, qui nati-
uitate generoſus exiſtis. Diſce diligenter
illorum exempla, à patre auctoritatem, à
matre pietatem. Ab illo regere populum
per iuſtitiam, ab iſta compati miſeris per
miſericordiam. Ab vtroque Chriſtianæ
religionis deuotionem, orationum inſtan-
tiam, elemoſynarum largitatem, & totius
vitæ ſobrietatem. Tu baculus ſenectutis
illorum eſto, humiliter illorum obediens
præceptis; quatenus illorum te benedictio
conſequatur in æternum. Nam iuxta Salo-
monem: *Benedictio parentum filios exaltat.*
Item idem ait: *Filius ſapiens gloria eſt patris.*
Noli luxuriæ ſubditus eſſe, ſed Deo: quia
caſtum corpus & animam à vitiis non ma-
culatam Spiritus inhabitat ſanctus. Non
decet te ruſticum eſſe moribus, vel verbis
laſciuioſum; quia natus es in ſolio regni.
Temperantia & honeſtas vitæ te amabi-
lem etiam & laudabilem cunctis efficiet
populis. Incipe bona promereri conuerſa-
tione, Deum vbique habere protectorem.
Ex illius enim miſericordia tua conſiſtit
proſperitas. Si illum toto corde amaueris,
& illius tota intentione teipſum ſubdide-
ris voluntati, exaltabit te in regno præſen-
ti, & in futuro gloriã tibi concedet ſempi-
ternam. Diuina te in omni bonitate pietas
florere faciat, fili cariſſime.

AD FRATRES VVIRENSIS & Gyruenſis Eccleſiæ,

EDIT. XXIII.

EPISTOLA XLIX.

Sanctiſsimis in Chriſto fratribus VVirenſis Eccleſiæ, & Gyruenſis, humilis Leuita Alchuinus ſalutem.

Epiſtola hæc vbique mutila in editis. Nos ope MS. Codicis integritati ſuæ reſtituimus.

SEMPER pietatis veſtræ religionem; ex quo ſcire potui, amaui, magnámque in veſtræ vnanimitatis orationibus habens fiduciam: & modò licèt corpore procul poſitus, animo tamen inter vos ſemper adſiſtens. Quia latitudo caritatis nulla diuiditur longinquitate, nullis clauditur terminis: ſed quò magis ardet in pectoris antro, eò latius flammam ſuauiſſimi ardoris ſpargere adſueſcit. Sicut fons paradiſum irrigans, quadrifido tramite latum diffunditur in orbem: ſic fons caritatis, pectus virtutum floribus pullulans, in quatuor amoris riuos diriuatur, veluti ſanctus Auguſtinus in Libro primo de doctrina Chriſtiana dixit.

Cùm ergo quatuor ſint diligenda; vnum, quod ſupra nos eſt; alterum, quod nos ſumus; tertium, quod iuxta nos eſt, quartum, quod intra nos eſt. Deus ſuprà nos eſt, proximus iuxta nos eſt, corpus noſtrũ infra nos eſt. De ſecundo & quarto nulla præcepta danda erant. Quantumlibet enim homo excidat à veritate, remanet illi dilectio ſui, & dilectio corporis ſui. Ideò præcepit Scriptura, vt Deus diligatur, & proximus. Nullum rerum diligendarum genus in his duobus præceptis prætermiſſum eſt. Salus verò corporis propter ſeruitium Dei amanda eſt, & integritas animæ in Deo diligenda eſt. Proximus, id eſt omnis homo, propter Deum; Matth. 5. & ſuper omnia Deus diligendus eſt. *Diliges*, inquit, *Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua; & diliges proximum tuum ſicut teipſum.* Omnem verò hominem proximum eſſe, exemplo vulnerati, & Samaritani diſcamus. Nullum autem exceptum eſſe, cui miſericordiæ denegetur officiũ, quis non videat? quando ad inimicos etiam porrectum eſt, Luc. 6. eodem Domino dicente, *Diligite inimicos veſtros, benefacite his qui oderunt vos.* Si inimici diligendi ſunt, quanto magis & fratres, qui vno ouili continentur?

Vos verò, fratres ſanctiſſimi, iiſdem patribus A ſpiritali doctrina congeniti, eiſdem diu paſtoribus per paſcua vitæ deducti; ſimilibus regularis vitæ inſtitutionibus edocti, pacis & concordiæ vnanimitatem diligentiſsimè obſeruate. *Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur.* Non ſint ſchiſmata occultæ æmulationis inter vos; quia Deus Chriſtus, Deus eſt pacis & caritatis. Et, qui in caritate manet, in Deo manet. Dilectio verò proximi in officio miſericordiæ, & doctrina ſalutis oſtenditur. Qui habet verbum Dei in corde, doceat proximum. B Qui habet ſeculi facultatem, adiuuet proximũ. Qui habet cuiuſlibet miniſterij ſcientiam, opituletur proximo. Ipſo præcipiente Deo, *Omnia quacumque vultis vt faciant vobis homines, hæc eadem & vos facite illis.* Regularis vitæ obſeruationem, quam ſtatuerunt vobis ſanctiſſimi Patres, BENEDICTVS ſcilicet, & CEOLFRIDVS, diligentiſſimè cuſtodite: quatenus cum illis æternam benedictionis mercedem habere mereamini. Hæc eſt laus veſtra, iſte honor veſter apud homines, & retributio C apud Deum. Nolite conformare vos ſeculi hominibus in veſtimentorum vanitate, in ebrietatis luxuria, in ioci laſciuia, in ocioſitatis petulantia: ſed cum omni modeſtia & pietate conuerſatio veſtra Deo ſit amabilis, & hominibus venerabilis, ſicut decet filios ſanctæ matris, & Monachicæ vitæ alumnos.

Vos verò, qui eſtis patres & paſtores ſanctæ Congregationis, docete [* diligentiſsimè fraterno amore familiam, quam accepiſtis ad regendam, omnéque bonitatis D exemplum in vobiſmetipſis oſtendite Seniores, vt patres cum honore ammonete, iuniores vt filios cum omni dilectione caſtigate. Omnes in ſpiritu manſuetudinis & verborum honeſtate inſtruite Sæpiuſque] Regula S. Benedicti in Conuentu fratrum propria exponatur lingua vt intellegi poſsit ab omnibus. Ad cuius inſtitutionem vnuſquiſque ſuam corrigat vitam, vt quod vouiſtis ante altare, inuiolabiliter cuſtodiatur à vobis. Dicente Propheta, *Vouete & reddite Domino Deo veſtro.* E Diſplicet enim Deo infidelis promiſſio. [* Cogitate quem habeatis defenſorem contra paganos, qui apparuerunt circa terminos maritimæ habitationis. Nolite in armis ſpem ponere, ſed in Deo qui nunquam deſerit ſperantes in ſe. Nolite in fuga confidere, ſed in prece Patrum veſtrorum. Sicque tandem filij eritis, ſi eorum veſtigiis adhærere ſtudea

tis, Non enim loci malefacientes adiuuat A ſanctitas, ſed benefacientes religionis integritas efficit ſanctos, & dignos protectione diuina. Quis non timet terrorem, qui accidit in Eccleſia ſancti Gudberti? Corrigite quapropter mores veſtros, ne propter peccata ſceleratorum pereant & iuſti. Ne vinea Domini vulpinis detur dentibus ad derodendum, ne Sanctuaria Dei pedes Paganorum pertranſeant. Hoc impium eſſe videtur. Sed multò peius eſt, ſi diaboli atrocitas.* Propter interiores hoſtes, exteriores poteſtatem ha- B bent.

Si igitur Deus pro bona cõuerſatione & caſtitate vitæ habitator eſt cordis noſtri; numquam inimicos ſuos vaſtare dimittit quæ noſtra ſunt. Quanta multitudo exercitus Aſſyriorum propter vnam iuſti Regis & Deo dilecti orationem perierat? Aliorum caſtigatio veſtra ſit ammonitio. Et paucorum tribulatio, multorum ſit ſaluatio. Vos maritima habitatis, vnde peſtis primò ingruit. In nobis impletum eſt quod olim per Prophetam prædicatum eſt: *Ab* C *aquilone inardeſcunt mala, & à Domino formidoloſa laudatio veniet.* Ecce fugax latro Boreales Inſulæ noſtræ partes peruaſit. Plangamus quod fratres noſtri perpeſſi ſunt. Caueamus, ne nobis aliquid accidat tale. Præueniamus faciem Domini in confeſſione, & ploremus coram Domino qui fecit nos: vt ille, qui creator eſt & redemptor, ſit etiam protector & rector. Pro boniſque vitæ meritis, & religionis caſtitate, dextera potentiæ ſuæ defendat ouile ſuum. D

Recordamini quàm nobiles habuiſtis Patres, & non ſitis tantis progenitoribus degeneres filij. Videte Librorum theſaura, conſiderate Eccleſiarum decorem, ædificiorum pulcritudinem. Regularis vitæ ordinem rememorate. Quàm beatus eſt homo, qui de his pulcherrimis habitaculis ad cæleſtis regni gaudia tranſeat!] Adſueſcant pueri laudibus adſtare ſuperni Regis, non vulpium fodere cauernas, non leporum fugaces ſequi curſus. Quàm impium eſt, Chriſti amittere obſequia, & vulpi- E um ſequi veſtigia? Diſcant pueri Scripturas ſacras, vt ætate perfecta veniente, alios docere poſſint. Qui non diſcit in pueritia, non docet in ſenectute.

Recogitate nobiliſſimum noſtri temporis Magiſtrum, BEDAM Presbyterum, quale habuit in iuuentute diſcendi ſtudiũ, quam * nunc habet inter homines laudem: multò maiorem apud Deum remunerationis gloriam. Illius igitur exẽplo dormientes excitate animos. Magiſtris adſedete, aperite libros, perſpicite literas, intellegite ſenſus illarum; vt & voſmetipſos paſcere, & aliis ſpiritalis vitæ præbere valeatis decus. [*Abſconditas comeſſationes, & furtiuas ebrietates quaſi foueam inferni vitate. Dicente Salomone, *Aquæ furtiuæ, & panes abſconditi ſuauiores ſunt. Sed apud inferos illarum ſunt conuiuæ.* Volens intellegi talibus epulis dæmones eſſe præſentes. Vos decet vt filios Dei morum nobilitas, vitæ ſanctitas, veſtimentorum modeſtia. Riſus hominis & habitus illius, & inceſſus eius, iuxta Salomonem enunciant de eo.]

* qualem

*MS.

Quod in laicis laus eſſe videtur, id eſt veſtimentorum cultus, hoc in Clericis, & maximè in Monachis, reprehenſio eſſe cognoſcitur. Sed & ipſe Princeps Apoſtolorum etiam feminas à precioſis veſtimentis & circulatis capillis prohibuit. Si hoc peccatum non eſſet, dicit Gregorius Papa, numquam Paſtor Eccleſiæ à deliciis veſtium feminas prohibuiſſet. Omnia veſtra honeſtè cum ordine fiant, vt laudetur Deus in veſtra bona conuerſatione, & honor veſter apud homines creſcat, & merces meritorum multiplicetur apud Deum. Breue eſt vitæ tempus, & vltima dies vnicuiq; incerta, & citò rapimur ad iudicium. Qualis quiſque tunc cupiat eſſe, talem ſe nunc tota virtute exhibeat. Si quid peccati pro fragilitate carnis commiſerit, abluat confeſſione, deleat pœnitentiâ; ne damnetur in pœna, ſed coronetur in gloria. Habetis ſanctos Patres, qui vos genuerunt, adiutores, ſi illorum præceptorum eritis factores. Sed & Angelicæ dignitates, & omnium Sanctorum agmina congaudent bonis veſtris: imò & ipſe Deus, qui vult omnes homines ſaluos fieri; vobis æterni regni præparatam habet gloriam.

1. Tim. 2.

Nolite vos propter deſidiam animi, vel carnales delectationes, æternis fraudare bonis: ſed magis omni ſtudio intendite, vt Deum hîc habeatis defenſorem, illic remuneratorem.* [Qui vos proficere faciat in omni bonitate, conſtituat immaculatos ante conſpectum gloriæ ſuæ.] Obſecro, vt pietas veſtra placidè perlegat, quod caritas noſtra deuotè conſcripſit. * [Optans vos præſentem habere proſperitatem, & futuram accipere beatitudinem.] Meæ quoque paruitatis vt memores ſitis in ſanctis orationibus veſtris, per caritatis almitatem obteſtor:

*MS.

*MS.

& familiaritatem, quam perdonaſtis mihi, inuiolabili fide cuſtodire recordamini *. *MS. [Quatenus per veſtras interceſſiones veniam habere merear meorum delictorũ, & vos mercedem fraternæ dilectionis apud Deum habeatis æternã. Dextera Dei omnipotentis ab omni hoſte viſibili & inuiſibili vos protegat, vbique in omni bono florere faciat, fratres cariſſimi.]

AD FRATRES EBORACENSIS Eccleſiæ,

EDIT. XXIIII.

EPISTOLA L.

Sanctiſſimæ Congregationis, & dulciſſimæ dilectionis Eboracenſis Eccleſiæ fratribus, eiuſdem piæ matris filius Alchuinus Diaconus perpetui honoris in Chriſto pacem & ſalutem.

VENERABILES veſtræ dilectionis ab EANBALDO Presbytero accepi litteras, quarum pacificam inſcriptionis ſeriem idem ipſe, qui portauit, mellifluis ſalutationis verbis valde amplificauit, referens à vobis fraterni amoris perſeuerantiam in nos: ita vt inter lacrymas allocutionis noſtræ, veſtras per ſingula verba voces audire æſtimarim. Quod & in litteris apertiſſimè agnoui, in quibus legẽs, veſtras viſum eſt mihi facies cernere. Quod vt verè fiat, omnium efficiat largitor bonorum, vt triſtitia veſtra vertatur in gaudium, & gaudium noſtrum impleatur in illo, qui ſuis quoque ait diſcipulis: *Et gaudium veſtrum nemo tollet à vobis.* (Ioan. 16.) In quo eſt gaudium indeficiens, ſalus perpetua, proſperitas beata, & beatitudo glorioſa. Vt hæc omnia nobis per ſuam concedere miſericordiam dignetur, illius tota dilectione & tota virtute inhæreamus præceptis. Sanctorum Patrum ſequamur veſtigia, qui nos genuerunt in Chriſto, & in hoc ſacratiſſimum ouile congregauerunt, & paternæ pietatis lacte enutrierunt. Horum animas in conſpectu ſummi Paſtoris ac Redemptoris noſtri, æternis gaudiis ſemper adſiſtere credamus, & indè noſtris fauere precibus: ſi mandata vitæ, quæ nobis Spiritu ſancto inſpirante ſtatuerunt, concordi deuotione nos obſeruare agnoſcant.

Recordemur omni hora, dilectiſſimi fratres, quales habuimus Patres & progenitores, quàm præclaros & pios, Deo amabiles, & omni populo honorabiles. Non ſimus degeneres illorum nobilitate filij, dum horum inter ſacratiſſimas con- A ſtamus reliquias, eorum cogitemus imitari conuerſationem; quatenus eorum cõſortes gloriæ effici mereamur. Non nos ſeculi ambitio, carnalis delectatio, non luxuriæ putredo, non ebrietatis venena à rectiſſimo vitalis vitæ tramite reuocent, per quem illi gradiẽtes gloriam cum Deo meruerunt ſempiternam. Vnanimes eſtote in omni bono conſilio, concordes in omni regularis vitæ diſciplina. Dei omnipotentis, qui cordis ſecreta conſpicit, honorem & voluntatem purâ primò omni- B um quærite conſcientia; vt eius gratia, quæ optima ſunt, & ſaluti proxima, vos peruenire faciat. Fraternam & pacificam ſemper habeamus caritatem, vt oues Chriſti, eiuſdem vitæ paſcuis epulantes, vnius ouilis muro manentes, in vna orationis domo Dei nobis miſericordiam conuocantes. Nec aliquis ſe Canonicis Horis à communione ſanctæ orationis, ſuæ neglegens ſalutis ſeparet. Melius eſt vt Angelica * viſitatio horis competentibus inueniat cum fratribus orantes, quàm diaboli ſæuitia in C aliqua neglegentia vel luxuria torpentes. Vnicuique ſecundum ſuum laborem merces manet in æternum. Qui plus laborat, plus mercedis accipiet.

Nec labor ſalutis noſtræ durus debet videri. Sæpe auſteriora medicamenta optatam ſolent præſtare ſalutem. Videmus quàm anguſta porta, & arcta via ſancti Martyres vitam ingreſſi ſunt ſempiternã. Nos verò, fratres, faciliori via, & leuiori curſu, ad eiuſdem vitæ poſſumus peruenire beatitudinem, ipſa dicente Veritate: D *Multæ manſiones ſunt in domo patris mei.* Propter merita diuerſa, manſiones multæ: tamen omnibus beata æternitas, & æterna beatitudo erit. Quia quiſquis ibi erit beatus, erit & glorioſus; vbi iuſti fulgebunt ſicut Sol in regno Patris corũ. Sicut enim ſanctorum Martyrum perſecutores fuerunt, diabolo inſtigante, impij homines: ſic noſtri perſecutores ſunt, diabolo ſuggerente, ſeculi concupiſcentia, & carnalis delectatio, & animi inconſtantia, & Dei neglegentia mandatorum. Et veluti illi E Martyres ſancti, gratiâ adiuuante diuinâ, impios conſtanter vicerunt tyrannos, palmam æternæ acceperunt gloriæ: Sic & nos, ſi noſtros, Deo auxiliante, ſuperamus aduerſarios, & diabolicis viriliter reſiſtimus ſuggeſtionibus, coronam perpetuæ laudis, & palmam æternæ beatitudinis accepturi erimus. Vos, fratres cariſſimi, mei habete, obſecro, memoriam in ſanctis orationibus veſtris; vt anima mea perpetuã

proſperitate gaudeat in vobis. Ego deuotus veſtræ paternitatis filius, nunquã obliuiſcor veſtri, ſed ſemper præſenti ſuper omnes alios diligo caritate; Deum quotidie cum intima cordis compunctione deprecans, vt vos æterna pietate cuſtodiat, regat, atque protegat. Valete in Chriſto, dilectiſſimi fratres.

AD OMNES AMICOS,

EPISTOLA LI.

EDIT. LII.

Omnibus in Chriſti caritate amicis, humilis Leuita Alchuinus ſalutem.

VBICVMQVE iſte Presbyter NOROBERET* nomine in veſtram peruenerit præſentiam, obſecro vt benignè eum ſuſcipere dignemini, in quocumque negotio vel neceſſitate opus habeat. Certiſſimè Deum habebitis bonitatis veſtræ remuneratorem, qui dicturus erit in die iudicij, *Hoſpes eram, & collegiſtis me.* Et ſi mea quid paruitas poterit, vobis gratiarum actiones in quantalibet cauſa rependere ſtudioſè & fideliter facere curabo. Hunc verò, vel alios, pro Chriſti nomine peregrinantes in ſua manſione ſuſcipientem illum, diuina in cæleſti habitatione ſuſcipiat clementia. Valete viri fratres in Chriſto.

* *al.* Norbi..

AD QVENDAM,

EPISTOLA LII.

EDIT. XXX.

Domino omnium dilectiſſimo æternam in Chriſto ſalutem.

AVDIENS ab EANBALDO famulo veſtro, optatæ proſperitatis veſtræ ſoſpitatem, valde me gauiſum fateor. Quia caritas, & fides, quæ olim in pectore noſtro habitare cœpit, nunquã recedere poterit. Et quanto plus tempus remunerationis appropinquat, tanto magis obſeruare debebit, vt qui priùs tranſierit à ſeculo, amicum ſibi ſentiat reliquiſſe in ſeculo. Me verò filium tuum febrium acerbitas, & Regis tardatio in SAXONIA retinuit, vt ad vos venire non potuerim ſicut deſideraui. Concedat mihi clementia diuina faciem tuam in lætitia videre, antequàm moriar. Opto & obſecro, vt in ea te honoris dignitate, ſi fieri poſſit, inueniam, in qua te pergens videbam. Tamen ſi aliud aliquid tuo placeat animo, rogo vt nullam

A violentiam ſuper Eccleſiam Chriſti fieri vllatenus permittas: ſed fratres libera electione in timore Dei ſummi optimũ, Deo donante, eligant. Quia in ſanctis Canonibus terribile anathema legitur ſuper omnes, qui violentiã aliquam inferunt ſuper Eccleſiã Chriſti. Scito te ſemper dilexiſſe familiam noſtram, & plurima illis bona feciſſe. Sed nunc maximè indigemus, vt bene illis agamus: vt vbi nobis requies erit æterna, ibi ſint quoque interceſſores perpetui pro nobis*.

B [Tempus eſt nunc nobis præuidere dies æternos, & cum omni modeſtia, & integritate, & eleemoſynarum largitate, viam nobis præparare ad cælos. Omnis gloria tranſitoria eſt, & quaſi vmbra recedet. Ideo ad æternam bonis operibus properemus gloriam. Omnes ſeculi vitemus vanitates, vt ad beatitudines cæleſtes peruenire mereamur. Dies huius vitæ, qui nobis reſtare videntur, viuamus Deo; vt poſt hanc, illius conſequamur miſericordiam. Diuina tibi clementia huius vitæ dies feli-

C ces concedat, & æternam cum Sanctis ſuis tribuere gloriam dignetur, domine Pater dilectiſſime.

**Hactenus impr. Sequentia ex MS. Cod. addita.*

AD QVENDAM,

EPISTOLA LIII.

EDIT. XXXI.

PARS mea, dixit Dominus animæ meæ. Pars mea, dixit pater filio ſuo. Cui ſit pars cum Sanctis

D in æternũ. Tuæ beatitudinis perlectis litteris, gaudebam de tuæ proſperitatis ſalute. Cuius præſens, quantum valui, fautor fui: etiam & nunc abſens cupidus. Et vtinam, vt litteris promiſiſti, memor ſis antiquæ paternitatis & dulcedinis inter nos in Domino! qui ſemper nos in ſua prouehat voluntate, & proficere faciat in ſuis mandatis. Memores ſimus, quòd nos de ſtercore erexit, & poſuit inter Principes populi ſui: non noſtris meritis, ſed ſua gratuitâ miſericordiâ. Cui ſemper gratias a-

E gamus in omni vita noſtra; vt ille qui exaltauit, etiam conſeruet.

Omnes verò Eccleſias, quas Deo donante ad regendum accepiſtis, diligentiſſimè in Dei laude exorna. Sint in eis Canonicis horis Pſalmorum melodia, orationum inſtantia, Miſſarum ſollemnia, & interceſſiones pro te tuiſque amicis. Sint tibi, fili mi, mores cum honeſtate, & temperantia veſtimentorũ moderatus cultus.

Conuiuia non luxuria & ebrietate, ſed in ſobrietate & congruentia temporibus & perſonis. Vbique Dei timorē ante oculos habeas. Humilitas te exaltet, & veritas honorabilem faciat, & miſericordia amabilē. Sit tua manus pauperibus larga, amicis benigna. Eſto fidelis diſpēſator domui Dei. Eſto forma ſalutis omnibus tecum habitantibus. Et quia Deus de honore nobilem fecit, eſto quoque & moribus nobilis. Luceat lux tuæ bonitatis coram omnibus. Glorificetur in te Pater cæleſtis, qui te in hac præſenti vita cuſtodiat, & in futura vita gloriā tibi cum Sanctis concedat ęternā.

Pars mea pars valeas, ſemper ſit pars tua Chriſtus.
Eſto memor Patris, pars, precor alma tui.

AD BEORNVINVM PRESBYterum,

EDIT. XXXII.

EPISTOLA LIIII.

Beornuino Presbytero Alchuinus Diaconus ſalutem.

DVLCES tuæ dilectionis accepi litteras, mellifluis ſenſibus delibutas, apologeticam tenentes rationem: quarum melius credebam veritati, quàm falſiloquæ aliorum narrationi. Nam fides amicitiæ corde conſtare debet, non linguæ verſibilitate. Vtinam dignus eſſem pacem prædicare, non diſcordiam ſeminare; & ſignum portare Chriſti, non arma diaboli. Numquam tibi ſcripſiſſem, ſi noluiſſem pacem tecum habere, & pacem in Chriſto, quam cœpimus, firmam permanere. Verè OFFAE Regi & genti Anglorum numquam infidelis fui. Sicut hos amicos, quos mihi Deus donauit, fideliter quantum valeo ſeruabo: ſic & hos, quos reliqui in patria. Pauci ſunt dies mei, & hos ipſos cum dolore flagelli ſuffero. Ideò te obſecro, vt in Domino quos valeas mihi interceſſores acquiras.

Multis miſeriis turbatum eſt hoc ſeculum, & non eſt refrigerium in eo, niſi in miſericordia Dei, & fide amicorum. Nudi venimus, & nudi recedimus: niſi qui bonis animam veſtiet operibus. Vt tibi, cariſſime frater, tempus vel locus occurrit, ſemper Dei ſuade voluntatem ſequi omnibus perſonis: Regi ſuauiter, Epiſcopis honorificè, Principibus fiducialiter, omnibus veraciter. Noſtrum eſt ſeminare, Dei fructificare. Nec vlla tibi alicuius diſſentionis inter nos remaneat ſuſpicio. Nec ſimus ex illorum numero, de quibus dictum eſt: *Non veni pacem mittere, ſed gladium.* Sed ex illorum ſimus numero, ad quos dictum eſt: *Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis.* Vt pax Chriſti, quæ exſuperat omnem ſenſum, cuſtodiat corda noſtra in caritate Chriſti, & dilectione fraternitatis. Paucis ſcripſi litterulis, quia ſapienti pauca ſufficiunt. Sed te plurima Dei dona glorificent in æternum, dilectiſſime frater.

AD BENEDICTVM,

EPISTOLA LV.

Benedicto ſancti Benedicti puero Mauro, Albinus ſalutem.

LIBELLVM, quem me rogante ſcribi promiſiſti, rogo vt tua faciat promiſſio firma, & mea impleatur lætitia. Multis haurientibus fons non ſiccatur venæ viuæ. Ita nec veſtra minuitur ſapientia, tametſi noſtra inde hauriat indigentia. Noli ſpernere me rogantem, nec te promittentem abnuere: Sed veritas tua fiat ſatietas mea. Dilige diligentem te, & da petenti, vt omnia. * Quia lex mandat parenti placere. Valeas feliciter cum pueris tuis, & in populo caritatis orantes pro me fratres ſaluta.

AD SOROREM CARISſimam,

EPISTOLA LVI.

Cariſſimæ in Chriſto ſorori.

VERE fateor, quòd valde deſideraui ad vos venire, propter aliquas neceſſitates, quas vobiſcum conferre volui. Sed me impediuit acerbitas febrium, quæ me adhuc per vices fatigat. Quapropter citiùs ante hibernale frigus Regi obuiam properare curabo. Placet mihi valde labor veſter in ſanctæ Dei genitricis Eccleſiæ exaltatione, & in librorum conſideratione. Vnde in his laboribus, quantum poterimus, veſtram ſolertiam adiuuare gaudemus. Et puer FRIDEGISVS ſecundum temporis opportunitatē vobis ferat auxilium. Veſter verò profectus in Deo, mei animi eſt magna voluptas. Ideò, quod cœpiſti, perficere Dei adiuuante miſericordia, diligentiſſimè ſtudeas. Vnuſ-

quiſque ſecundum ſuum laborem præmium accepturus erit. Et qui plus laborat, plus mercedis accipiet. Nunc tempus eſt operandi: veniet verò tempus remunerandi. Quales tunc eſſe optemus, tales noſmetipſos nunc præparemus. Sapienti pauca ſufficiunt. Scio ſagacitatem animi veſtri hæc omnia melius intellexiſſe, quàm me ſcripſiſſe; & operibus implere, quod vix verbis explicare valeo.

Vtinam citò adueniat tempus, vt tecum cordis mei conferam anguſtias, vt conſoletur animus meus ex veſtræ pietatis conſolatione. Plurimum mihi placet Crux, quam veſtra mihi benignitas direxit. Et credo vos æternam habere à Deo mercedem pro illius opere, & aſſiduas ſancti Lvpi interceſſiones, & laudabiles gratiarum actiones ab eis, qui ad illius patrocinia cōfugere ſolent.

Nunc ſoror alma, vale, ſoror ô cariſſima nobis.
Et nunc, & ſemper, dulcis, amica, vale.

AD REMEDIVM EPISCOPVM.

MS.* EPISTOLA LVII.

Venerando Patri Remedio Epiſcopo, humilis Leuita Alchuinus ſalutem.

Acceptis caritatis veſtræ muneribus, multū lætati ſumus de proſperitate veſtra; ſeu quòd memoriam noſtri habetis. Sperans me miſericordia diuina participem eſſe per veſtras ſanctiſſimas orationes. Caritas verò inter amicos melior eſt auro, & fides inter abſentes precioſior eſt gemmis. Vbi Deus tantummodo conſiderat & remunerat. Vos quod veſtrum eſt diligentiſſimè exequimini, & accepta Dominicæ pecuniæ talenta multiplicate; vt cum gaudio ante conſpectum ſummi Regis venire digni efficiamini, & vocem illam audire deſiderabilem: *Euge ſerue bone & fidelis, intra in gaudium Domini tui.* Nunc tempus eſt laborandi, tunc quieſcendi: nunc promerendi, tunc remunerandi. Fac vt ſis, vt tibi veniat quod vis. Dilige diligentem te, quatenus ad beatiſſimam illius ſeſſionem peruenire merearis, & dicere: *Sicut audiuimus, ita & vidimus in ciuitate Dei noſtri.* In qua eſt tota felicitas, & nulla perturbatio: ſumma requies, & ſempiterna beatitudo. Veſtram omnipotens Deus ſanctitatem in omni bono florere faciat, venerande Pater.

AD RADONEM ABBATEM,

EPISTOLA LVIII. EDIT. XXXIII.

Dulciſſimo dilectionis filio Radoni Abbati, humilis Leuita Albinus ſalutem.

Dilectionis veſtræ venerabile ſequutus præceptum, vitam S. Vedasti patris veſtri, & interceſſoris noſtri emendare ſtudui, &c. *Vide integram ſuprà pag.* 1405. *& has ex MS. Cod. correctiones adhibe.*

Pag. 1405. *lin.* 4. hoc eſt præceptum, *MS. Cod.* mandatum.

lin. 7. erudire ſtudeto, *MS.* ſtude.

lin. 10. in diuina laude, *adde* deuotiſſimè.

lin. 16. officia celebrentur, *adde.* Omne verò miniſterium Chriſti humiliter & deuotè impleatur.

lin. 29. Curamque vbique habeas, *lege*, Curam vbique habeas.

AD PETRVM ARCHIEPISCOPUM,

EPISTOLA LIX. EDIT. XXXIIII.

Dilectiſſimo in Chriſto Patri Petro Archiepiſcopo, Albinus æternæ beatitudinis ſalutem.

Memor dulciſſimæ humilitatis & dilectionis veſtræ, ingemiſco abſentiam illius, cuius caritatis flamma in corde ardeſcit filij. Quanta eſt huius ſeculi infelicitas, quæ tam caros diſiungit amicos, quæ filium ſeparat à patre! O ſi pennas aquilæ habuiſſem, vt altitudines Alpium velocior Euro tranſuolare valuiſſem! quàm citò ante paternos ſtetiſſem pedes, vt refrigerarem ex paterna viſione pectoris mei ardorem! Sed quia hoc fieri non valet, induamur nos duplicis caritatis pennis, ſimus in Chriſto ſemper præſentes, qui ſumus in ſeculo abſentes. Quid eſt caritas, niſi vnitas animorum, dicente ipſa Veritate, dum pro ſuis oraret ad Patrem: *Pater conſerua eos in nomine tuo, quos dediſti mihi, vt ſint vnum, ſicut & nos vnum ſumus?* Ego verò filius tuus, obſecro te per eius miſericordiam, qui hæc dixit, vt in ſanctiſſimo paternæ memoriæ theſauro, filij tui Alchvini nomen habeas reconditum; & inter digniſſimas Deo oblationes orationum tuarum, vel ſemel ore proferas. Ioan. 17.

Quanta tibi, Pater optime, apud pietatis remuneratorem Dominum Chriſtum

remanet merces; ſi me peccatorum ponderibus paternæ miſericordiæ precibus ſubleuare coneris. Fateor, me tantæ auctoritatis degenerem eſſe filium. Tamen iunioris filij, qui à patre in longinquam receſſit regionem, roboratus exemplo, audeo dicere: *Pater, peccaui in cœlum, & coram te. Ideò non ſum dignus vocari filius tuus.* Et te credo paternæ memorem pietatis, lætis reuertenti occurriſſe amplexibus: prudentiam quoque tuam recordari beatiſſimi Iob pro filiis dilectionis *, qui quotidie pro illorum proſperitate Deo ſacrificia offerre ſtuduit, valde deſiderans quos ſeculo genuit Deo enutrire. Ideò in omnibus tẽtationibus, tanquam aurum in fornace probatus inuentus eſt. Laus enim patris in ſalute extat filiorum, & merces paſtoris in multiplicatione gregis adcreſcit. Nam & ipſe Princeps paſtorum, poſt reſurrectionis gloriam, beato Petro, vt confeſſionis trinæ in ſuo amore ſoliditatem, paſcendas oues, quas pio redemit ſanguine, commendauit.

Luc. 15.

Iob. 1.

* edit. deuotionis.

Tuum eſt, Pater ſancte, abſentes precibus adiuuare, præſentes verbis erudire, exemplis cõfortare; vt paterna pietas, & paſtoralis deuotio omnibus proſit in ſalutem. Patres igitur filiis theſaurizare ſolent. Tu verò beatitudinis theſauros tuis relinque nepotibus; vt per longas Eccleſiaſticæ eruditionis ſeries cęleſtis regni gloria tibi ſemper augeatur. Opto, ſi fieri valeat, quatenus me tuæ paternitatis litteris reficias, vt auiditatis meæ oculis legam, quod auribus audire voluiſſem, ſi fortè fieri potuiſſet. Conceſſum eſt enim humano generi, pectoris arcana cartis mandare, & litteris innoteſcere tacentibus, quod linguâ non valet loquente. Nam & beatus Paulus Apoſtolus abſentes filios piis ammonitionibus ſæpius erudire ſolebat; vt quotidiana literarum lectio æternam patris pręceptorum mentibus filiorum infigeret memoriam. Sanctitatis veſtræ auctoritatem diuina pietas ad exaltationem & gaudium ſanctæ ſuæ Eccleſiæ longæua proſperitate cuſtodire dignetur, Pater dilectiſſime.

AD DILECTISSIMAM SOROREM.

Edit. LVI.

Epistola LX.

Dilectiſſimæ in Chriſto ſorori.

PROSPERA, donante Deo, his ſanctiſſimis diebus habuimus ſollemnia, & lætus fuit domnus Rex, A & omne palatium in gaudio. Et ego frater veſter magnũ habui gaudiũ de proſperitate & ſalutatione veſtra, de gratiſſimo munere Pſalmodiæ & Miſſarũ celebrationis, quod mihi magna caritate direxiſtis. Sed & Cappa, quam mihi aptiſſimam miſiſtis, valde animo meo placet. Veniente verò ANGELBERTO, forte aliquid certius vobis remandare habemus. Vos animum veſtrum firmate in ſeruitio Dei, & in ſalute animæ veſtræ. Viriliter domum ædificate vobis ſempiternam in cœlis, vt paratam habeatis beatitudinẽ cum Chriſto, & B ſanctis eius. Quamplurimi verbis optant, ſed rebus non perficiunt. Tu verò labora diebus, horis, ac momentis, vt abundanter habeas quod feliciter diligas.

Credo te de orationibus AVAE * ſororis noſtræ fideliter facere. Sed ex mea petitione aliquid ſuperadde, quia mihi fidelis fuit. Et vbi plus fides innoteſcit, quàm poſt mortem amici? Dic COLVMBAE, vt memoriæ confirmet quod accepit, donec veniat qui ſuperadiciat. *Beati, qui eſuriunt* C *& ſitiunt iuſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur.* Deſiderium veſtrum impleat, & cor caritate illuminet, qui venit mundum illuminare, & ignorantiæ tenebras de cordibus in eum expellere credentium. Vita & ſalus, Chriſto donante, vos comitetur in æuum.

AD ATHILHARDVM * ARchiep. & Ceoluulfum. *

Epitola LXI.

D

Karolus gratia Dei Rex Francorum & Longobardorum, ac Patritius Romanorum, Athilhardo Archiepiſcopo, & Ceoluulfo Coëpiſcopo illius æternæ beatitudinis ſalutem.

NVLLATENVS veſtram terræ longinquitatem, vel procelloſi maris latitudinem fœderatæ in Chriſto amicitiæ iura diſrumpere fas arbitramur. Seu quanto longiore ſpacio humana diuiditur conuerſatio, tanto probatiore fide E pietatis pactum ſeruari debebit. Quia ſæpe in pręſentia timor vel erubeſcentia in facie foris oſtendit, quod homo intus in corde non retinet. Igitur ſancta fides in abſentia laudabilis extat, & in præſentia venerabilis conſiſtit. Vnde & in eius fiducia, quam pia olim allocutione præſentes pepigimus, hos miſeros patriæ ſuæ exules veſtræ direximus pietati. Deprecantes, vt

A pro eis intercedere dignemini apud fratrem meum cariſſimum Offanvm Regem, quatenus pacificè, & abſque alicuius iniuſtitiæ oppreſſione in ſua liceat conuerſare patria, & cuilibet deſeruire. Nam Dominus illorum Vmhrinſgſtan diem obiit; qui vt nobis viſum fuit, fidelis ſuo fuiſſet domino, ſi in patria licuiſſet perſeuerare. Sed vt mortis euaderet periculum, vt dicere ſolebat, fugit ad nos: ſemper paratus ſe ab omni purgare infidelitate. Quem propter reconciliationem, non propter inimicitias, aliquantiſper retinui- B mus apud nos. His vero cōtribulibus ſuis ſi pacē precari valeatis, remaneant in patria. Sin verò duriùs de illis frater meus reſpondeat, illos ad nos remittite inlæſos. Melius eſt peregrinari, quàm perire: in aliena ſeruire patria, quàm in ſua mori. Confido de bonitate fratris mei, ſi obnixè pro illis intercedatis; vt benignè ſuſcipiat eos pro noſtro amore, vel magis pro Chriſti caritate, qui dixit: *Dimittite, & dimittetur vobis*. Intercedentem pro nobis veſtrā ſanctitatem, diuina pietas incolomen cu- C ſtodiat in æternum.

---

*Pavlinvm. Edit. LVIII.

AD QVENDAM*,

Epistola LXII.

DVm feruentis Cancri igneus ſol ſidus *aſcendit*, & nimio diuturnóque calore arida tellus imbres expectat; ſic tua, Pater optime, in refrigeriū magni amoris, ſitiens in meo pectore vo- D luntas tuæ beatitudinis diu deſiderabat litteras. Iterum atque iterū per ſingula horarum momenta æſtuans hoc reuoluebat elogium. Quando venient deſiderati mei dulciſſimi apices? quando videam ſigna ſalutis dilectiſſimi mei? Quando mihi Auſoniæ nobilitatis pagina optati proſperitatem oſtendet amici? vt videam, ſi aliqua fœderatæ in Chriſto amicitiæ in illius pectore maneat memoria: ſi Albini ſui nomen ſtilo caritatis in cordis arcano reconditum habeat, ſicut ſuauiſſimum Pav- E lini Patris nomen perpetua dilectione in corde filij æternis viget literis inſcriptū.

Ecce venit, ecce venit paternæ pietatis pagina, quam diu deſiderabam, omni melle palato meo dulcior, omni obrizo oculis honorabilior. Hanc lætus ambabus accipiebam manibus, & toto amplectebar pectore, ſuſpenſus quid mihi de meo nuntiaret Paulino; ſolutiſque ſigillis, auidis oculorum obtutibus per ſingulas lineas iter aperui, deſiderabilemque optatæ ſalutis ſoſpitatem patris agnoſcens, in illis mox ſingulis litterarum apicibus oſcula libabam; totumque me Deo Chriſto, in gratiarum effudi actiones, dicens: *Auditui meo dabis gaudium, & lætitiam, & exultabunt oſſa humiliata.* Pſal. 50. Et qui ante humiliatus fui in triſtitia, nunc exaltatus ſum in lætitia. Et ſi quid pleno caritatis modio ſuperaddi potuiſſet, cumularem vtique priſtinam * dilectionis plenitudinem nouæ abundantiā lætitiæ. *edit. primam. Nouit itaque quicumque melliſluo caritatis iaculo vulnera omni fauo dulciora in corde accipiet, non me autumnali frigore flaccentia verborum folia in huius cartulæ exaggerare gremium: ſed de viuo veritatis fonte, ad irrigandos veræ flores dilectionis, hæc prona pectoris mei dextera haurire, quatenus mei magni amoris ſtillicidium tuis infunderem viſceribus.

Plurima mihi de ſanctiſſimo tui cordis epithalamio, rariſluo nectare exundantia protuliſti exempla; vt veriùs Ariſtotelicum illud in te videam impleri prouerbium, qui acutiſſimas Perihermeniarum ſcriptitans argumentationes dicitur in mente calamum tinxiſſe. Te verò agnoſco de æterno caritatis theſauro affluenter noua proferre & vetera, Matth. 13. & in fide fraterni amoris pennam tinxiſſe pietatis. Tuum verò ſanctiſſimum cor terra eſt repromiſſionis, ſapientiæ melle manans, & ſuauiſſimæ caritatis luce redundans, in qua verus & glorioſus Salomō virtutum gemmis templum pulchræ habitationis ſuæ maieſtati conſtruxit, non Caldea flamma periturum, ſed æterna pace permanſurum. In quo Sancta Sanctorū ſummo & vero Pōtifici ſoli Chriſto peruia, Hebr. 9. non ſemel in anno, ſed ſemper in æternū. Ibi arca ſapiētiæ, & duorum tabulæ teſtamentorum. Et hæc omnia Cherubin in multitudine tegunt ſcientiæ. Horum ſubter alas diuina populis oracula reſpondent, & flumina viuentis aquæ Ioan. 4. ad ſalutem ſitientibus ſalient æternam. Quò, qui ſitit, de aridis terrarum ignorantiæ partibus veniat, & bibat.

Quid in tam affluenti tui cordis theſauro non inuenitur? cuius habitator ille agnoſcitur eſſe, in quo ſunt omnes theſauri Coloſſ. 2. ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi: qui habet clauem Dauid, aperit, & nemo claudit: Apocal. 3. claudit, & nemo aperit. Quæ vult, ad profectum aliorum perpetuæ clauem eloquentiæ caritatis claue aperit, & quæ vult in arcano pectoris tui theſauro claue ſa-

pientiæ claudit. Hæc ſanctiſſima ſomniantis Iacob ſcala, per quam cœli ſecreta ſeptenis ſpiritalium cariſmatum gradibus piâ penetrare ſolet intelligentiâ: & iterum, ad ædificationem ſubiecti ſibi populi fraterni amoris paſſibus deſcendit, vt fiat Doctor Eccleſiaſticus diuinæ contemplationis cum Maria compos, & iterum cum Martha ad Dominicæ menſæ conuiuas ſedulæ amminiſtrationis ſollicitus. His duabus alis Sãctorum animæ cum magna meritorum gloria ad cæleſtis regni beatitudinem quotidie feruntur. His etiam ſeculi huius proceloſos gurgites ſecuro tranſeunt nauigio, & ad portum perpetuæ quietis cum virtutum mercimoniis peruenient.

Geneſ. 28.

Sed vereor, quod ſine maximo cordis dolore non dico, me vlteriùs in hac vitâ tuæ beatitudinis faciem non viſurum, quia in via diuiſionis iter agimus laborioſum. Per vallem lacrymabilẽ ad incertum properamus finem; & citò fragilis caro, vnde ſumpta, reuertetur: & omnis decor illius vrente percuſſa vento flacceſcet, & ibit homo in domum æternitatis ſuæ. Et circa eum ſtabunt in platea * plangentes, & ſpiritus reuertetur ad Deum, qui dedit illum. Vbi tunc inlecebræ carnalium delectationum? vbi ſecularis pompæ ſuperba ambitio? Nonne omnia hæc veluti fumus ventuoſis procellarum in aërem diſperſis gurgitibus euaneſcunt? Et quantò plus quiſlibet hæc vana delectabilia amauerit in mundo, tanto magis ea, æterno præſentatus iudici odio habuerit. Beatus, qui neceſſitatem verterit in voluntatem: & ea, Chriſti amore compunctus, voluntariè amiſerit, quæ debita cogente morte amiſſurus erit.

Pſal. 103. Iob. 27. * ed. domo.

Hæc meæ memor miſeriæ lacrymoſis dictaui querelis; non vt te, quod opus non eſt, ex meis corrigeres dictis; ſed vt mecum me ex meis plangeres iniquitatibus: & paſcentem in regione longinqua omni in immundicie porcos, tuis, ô ſanctiſſime adiutor, precibus ſubleuares, & ad paternæ pietatis epulas diu perditum * reduceres. Adhæſit itaque oculo cordis mei puluis cogitationum iniquarum, vt ſummum beatitudinis bonum nec videre, nec amare perfectè valeam. Si viderem, vtique amarem. Sed à te, qui ſpiritum ab eo conſolationis accepiſti, qui vult omnes homines ſaluos fieri, aſſiduæ orationis ſuffragia flagito: quatenus æternæ pacis medicus collirio ſuæ miſericordiæ inungat oculum, iniquis obcæcatum cupiditatibus; vt verum perpetuæ bonitatis lumen videre valeat, & amare quod videat.

Luc. 15. * edit. periclitantem. 1.Tim. 2.

Memento mitiſſimam Samaritani mentem, qui vulneratum, omnique præſidio deſtitutum, oleo & vino fouebat, pietatis faſcia ligauit, leuauit in iumentum, duxit in ſtabulum, duos pro eo dedit denarios vt curaretur. Quid hac pietate mitius? quid hoc exemplo ſalubrius? Creator omnium in precium ſeipſum tradidit hominum, vt eos liberaret quos creauit. Fateor me vnum eſſe ex illis, quos redemit. Sed dum alienæ auidus pulcritudinis Chananitidas ex paterno tabernaculo perrexi videre, lupi me veſpertini inuenerunt, rapuerunt, lacerauerunt, vulneratum dereliquerunt. Tandem aliquando, diuina præueniente gratiâ, in memet reuerſus dixi: Surgam, & ibo ad patrem meum, téque, mitiſſime Paſtor, in hoc iter, ſicut prædixi, ductorem depoſco.

Potuit igitur idem Lazari ſoluere vincula, qui eum de monumento prodire iuſſit. Sed vt poteſtatem ſoluendi ſanctos habere Doctores demonſtraret, circumſtantibus dixit: *Soluite eum, & ſinite abire.* Tu verò, egregie paſtor, ſolue iubente Deo mortiferas mihi peccatorum catenas, vt liber, vitæque redditus, inter conuiuas Dei Chriſti in æternæ beatitudinis epulis recumbere merear.

AD ADRIANVM PAPAM, EPISTOLA LXIII.

Beatiſſimo, & omni honore digniſſimo, & Pontifici magno ADRIANO *Papæ, humillimus omnium ſanctæ Eccleſiæ filiorum Albinus æternæ beatitudinis ſalutem.*

VENERABILIS, atque toto orbe laudabilis veſtræ bonitatis, Pater optime, pietas, mihi vltimo ſanctæ Dei Eccleſiæ ſeruulo, quantulamcumque attulit fiduciam, veſtram deprecandi clementiam; vt me, licèt indignum, paternæ pietatis amore in gremium ſanctiſſimæ interceſſionis veſtræ colligere dignemini. Scio certiſſimè veſtræ deuotionem ſanctitatis pro populo iugiter totius orbis intercedere Chriſtiano: tamen ſpecialiter aliquid pro his egiſſe, qui veſtræ almitatis ſeipſos obnixa humilitatis obſecratione commendant, & maiore crudelitate a tantæ auctoritatis confugiunt ſuffragiis. Scio me per ſacri baptiſmatis adunationem de illius eſſe ouili Paſtoris, qui pr-

ſuis, quibus animam ponere non dubitauit: quas etiam poſt acutiſſimam ſuæ reſurrectionis gloria beatiſſimo PETRO Principi Apoſtolorum, ob trinam magnificæ dilectionis confeſſionem paſcendas commendauit: cui etiam cœlo, terriſque, æternam ligandi ac ſoluendi poteſtatem delegauit.

Huius te, excellentiſſime Pater, vt Vicarium ſanctiſſimæ Sedis agnoſco, ita & mirificæ poteſtatis hæredem eſſe confiteor. Ecce ego vna ſum regiminis veſtri ouicula, ſed valde peccatorum maculis morbida. B Quapropter me totum tuæ offero ſanctitati, Pater piiſſime, ſanandum: & medicinali potentiâ, quæ tibi poſt longas ſanctorum Patrum ſeries hæreditaria ſucceſſione à Deo Chriſto tradita eſſe dignoſcitur, me iubeas ſalutiferæ pietatis verbo à peccatorum vinculis eſſe ſolutum. Nam mihi cum Euangelicæ humilitatis regula fas eſſe video dicendum; *Domine, non ſum dignus, vt intres ſub tectum meum; dic verbo, & ſanabitur puer meus.* Qui mox, vt ſperauit, inuenit: vt credidit, accepit. C

Matth. 8.

O beatiſſima lingua oris veſtri, in qua eſt æternæ medicina ſalutis, per quam cœli aperiuntur credentibus! Numquam, obſecro, hæc ſileat: ſemper admoneat & ſanet, ſemper aperiat perpetuæ beatitudinis ad ſe confugientibus portas. O Domine IESV, fac eum longęua valere & viuere proſperitate: & qui talem populo tuo dediſti paſtorem, hunc pietatis tuæ dexterâ multis temporibus conſeruare digneris; quatenus cum multiplici laboris ſui mercede ante thronum tuæ veniens D gloriæ, audire mereatur: *Euge ſerue bone & fidelis, quia ſupra pauca fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtituam, intra intra in gaudium Domini tui.*

Math. 25.

Iam aliquas petitiones propriæ neceſſitatis meæ his quoque litteris inſererē. Sed quia electiſſimus domni mei Regis miſſus, filius equidem meus cariſſimus ANGILBERTVS ad beatiſſimam ſummæ auctoritatis veſtræ dirigitur paternitatem; nō eſſe neceſſe putaui litteris exarare, quod ille vir fidelis & prudens meliùs viua voce E ſecundum mandatum domni Regis, auribus excellentiæ veſtræ poterit intimare. Nam inter ceteras fideliſſimæ directionis, quam ad vos habet, legationes, meæ quoque neceſſitatis poſtulationes eidem præfato regiæ voluntatis ſecretario commendauit: quem omnibus amicis valde fidelē eſſe probauimus, maximè vobis, vt verè dignum eſt, ſanctiſſime Pater, qui veſtram

A laudabili voce bonitatē ſæpiſſimè domno Regi ſub pręſentia multorum teſtium narrare ſolebat, & egregiæ pietatis per vos geſta, puræ fidei verbis de vobis proferre ſtuduit; quatenus piæ dilectionis fidem oſtenderet, & veſtræ almitatis amorem plurimorum mentibus ingereret.

AD FRATRES IN ECCLESIA Sancti Liudgarij Epiſcopi.

EPISTOLA LXIIII.

EDIT. XXII.

Venerabilibus in Chriſto fratribus in Eccleſia ſancti Liudgarij Epiſcopi ſeruientibus, Alchuinus deuotus veſtri profectus in Chriſto ſalutem.

DESIDERABILEM veſtræ beatitudinis ſalutationem, quam meæ paruitatis auribus fidelis frater ODILLEOZ attulit, gratiſſimo ſuſcepi animo: valde deſiderans in veſtræ ſanctitatis orationibus, in huius proceſſoſæ vitæ nauigio adiuuari; quatenus piiſſima Saluatoris noſtri gubernatione ad portum perpetuæ quietis, vobis intercedentibus peruenire merear. Quòd ad vos non veniebam, non alicuius (Deus teſtis eſt) diſpectionis cauſa feci; ſed ne ſcandalum regioni * veſtræ, meæ inordinatæ conuerſationis vita generaret; cupiens ædificare, & non deſtruere; congregare, & non ſpargere. Nulla eſt ouibus Chriſti maior dānatio, quàm paſtor errabundus, & ſeductor, qui per deuia orbitat. Quomodo ſequens viator viam incedit regiam? Nonne haſtile aciem lanceæ ſequitur in ictu?

* edit. religioni.

Vos vero, fratres cariſſimi, totis viribus ſanctorum Patrum ſequimini exempla, illorumque vnanimiter obedientiæ precibus intrate veſtigia. Caritas, obedientia, & humilitas Monachis cæli ianuas aperiēt. Non illa caritas, quæ in pleno potatur calice, ſed illa quæ in pectore ſine ſimulatione verſatur fraterno: non ſua quærens, ſed quæ alterius ſunt: omnibus prodeſſe, non ſibi placuiſſe quærens. Non illa humilitas tantum, quæ in capitis inclinatione foris oſtenditur; ſed illa, quæ in cordis conſideratione ante conſpectum ſummi Iudicis omnibus ſe inferiorem eſſe iudicat. Quid de obedientia loquor, dum tota Monachorum vita in ſimplicitate conſiſtit obedientię? Pater verò & Paſtor Deo rationem reddet, quid iubeat, & quibus ante eos viuat exemplis. Sicut & filij, & grex; qua deuotione paternis obtempe-

rant iuſſis, omnium Iudici rationem reddituri erunt. A

Igitur pacem & concordiam ex intimo cordis affectu inter vos habete. Quia nihil ſine pace Deo placet, nec munus ad aram. Vnuſquiſque alium, iuxta Apoſtolum, honore præueniat. Seniores, in ſpiritu manſuetudinis, quaſi filios admoneant adoleſcentes. Sed & illi patrum præcepta quaſi diuinitus dicta cum omni humilitate perficiant; ſeruantes in timore Dei proprij caſtitatem corporis, vt Spiritus ſanctus B habitare dignetur in eis, dicente Apoſtolo, *Templum Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos.* Et in ſanctarum Scripturarum lectione ſtudioſi eſtote, vt poſſitis alterutrum ædificare & conſolari: quia qui non vult in iuuentute diſcere, in ſenectute ſcire non poterit. Et ſicut ſeculi auarus quotidie ſibi diuitias augere ſtudet, ſic ſeruus Dei ſapientiæ gazas in ſui pectoris ſaccos quotidie congregare ſtudeat, vt ſit ſcriba in Ec-
Matth. 13. cleſia Dei doctus, proferens de theſauro C cordis noua & vetera conſeruis ſuis cœle-
Dan. 12. ſtis ſciẽtiæ dona, quatenus iuxta Danihelis Prophetiam, erudiens multos ſicut firmamentum ſtellis ornatum in perpetua fulgeat beatitudine.

Non me, obſecro, præſumptuoſum æſtimate, fratres, pro huius ammonitionis cartula. Sed quod caritatis linguâ dictaui, vos humilitatis perlegite oculis, meamque fragilitatem orationum auxilio veſtrarum roborate, vt Dei donante clementiâ, peccatorum meorum merear accipere veniã, D ac vobiſcum deſiderabilem audire vocem: *Venite benedicti patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum eſt ab origine mundi.*

AD AGINVM EPISCOPVM, EPISTOLA LXV.

Edit. xlix.

Dilectiſſimo Agino Epiſcopo, Albinus Magiſter ſalutem. E

RECORDETVR caritas veſtra, quòd præſenti conloquutione aliquas mihi Sanctorum Reliquias dirigere promiſiſti; vt honorificetur Deus in illis, & noſtra protegatur vita cum illis, & veſtra accumuletur merces pro illis. Ecce adeſt gerulus fidelis, filius equidem meus ANGILBERTVS*: per cuius manum mittere poteris, quod veſter* amicus nobis dirigere curauerit. Obſecro, vt veraciter perficias quod hilariter promittebas. Si quid enim benignitas veſtra huius religioſæ petitionis peregerit, humilitas noſtra gratiſſimè accipiet: vobiſque, ſecundum temporis opportunitatem, & voluntatis veſtræ agnitionem remunerare non deſiſtet. Et vbicumque Sanctorum patrocinia perferuntur, ibi cotidie orationes pro vobis aguntur. Diuina te vbique comitetur benedictio, ſanctiſſime Pater.

* edit. ENGILBERTVS.
* f. noſter.

AD AQVILAM ANTISTITEM, EPISTOLA LXVI.

Cariſſimo germano meo Aquilæ Antiſtiti Albinus ſalutem.

SI mihi gerulus gratus occurriſſet, ſæpiùs tuæ ſcripſiſſem dilectioni; vt litteris implerem quod verbis non potui, & caritatis dulcedinem lingua tacente apices monſtrarent. Hoc dedit Deus abſentibus in ſolatium, vt per cartas loqui potuiſſent, & neceſſaria proferre in cor alterius; dum animus graui carcere corporis circumſeptus, ſuæ naturæ velocitatem explicare valet, indies tamen literas fraternus amor ſibi inuicem dirigeret. Quid de gloria Sanctorum dicendum putas? vbi nulla tarditas ſarcinæ corporalis piæ voluntati obſiſtit, quin quod placeat impleat. Quid eſt hoc ſeculum, niſi miſeria, & velut vmbra fugax, & ſeducens delectatio? Feſtinemus tota mentis intentione ad illam requiem, quam nullus dolor perturbat. Aſcendamus per gradus caritatis ad illam ciuitatem, in qua Deus ſolus Rex regnat in æternum. In qua tota beatitudo ſine vlla miſeria viget & valet. Vt ad illam peruenire mereamur, eodem auxiliante Rege, nos inuicem exhortemur, & velocior caritatis curſus tardiorem ammonitionis ſedulitate trahat. Tu meam fraterna diligentiâ ſocordiam caſtiga, vel tuæ ſanctitatis precibus iacentem releua, vt fraternæ dexteræ ducatu non laſſeſcat in via veritatis, qui huc vſque in ſeculi ſe voluebat cœno.

Veniens veniebam ad ſancti AMANDI protectoris noſtri dulciſſimas manſiones, quærens amatorem meum, vt eius dulciſſimo alloquio refrigerarem animam meam. Sed quia necdum de nido IVVAVENSI auis optata euolauit, miſi hanc inuitatoriam obuiam illi cartulam, vt noſtram agnoſceret proſperitatem, vel ſuam nobis præſentiam deſignaret. Fidelis amicus

cus diu quæritur, vix inuenitur, difficile A ſeruatur; cuius dulcedo omnes ſeculi ſuperat iocunditates. Quid diuitiæ ſine amicis? Auarus aurum quærit. Et quid in auro, niſi ſpecies vana? Nonne vnus panis eſurienti melior eſt, quàm mons aureus? Aurum prodeſſe poteſt danti, non poſſidenti. Ideò demus diuitias in præſenti, vt in futuro poſſideamus illas. Nam pauperis manus gazophylacium eſt Chriſti. Nullus melior cuſtos diuitiarum eſt, quàm Chriſtus. Proficientem te, cariſſime frater, diuina auxilietur gratia in æ- B ternum.

CONSOLATORIA DE infirmitate hominis,

EPISTOLA LXVII.

EDIT. XXXIX.

Dilecto filio Ioſeppo, Albinus ſalutem.

DOLEO de dolore corporis tui, ſed gaudeo de felicitate animæ tuæ. C Quia flagellat Deus omnem filium quem recipit. (Hebr. 12.) Occidit, & viuificat: vulnerat, & medetur. (Iob. 5.) Spes præmij ſolatium tibi ſit laboris. Hi dolores citò finiuntur, præmia patientiæ numquam. Non ſunt condignę paſſiones huius temporis ad ſuperuenturam gloriam, quæ reuelabitur in ſanctis. (Rom. 8.) Quapropter cum gratiarum actione immola Deo ſacrificium laudis. (Pſal. 49.) Non eſt hæc tribulatio pœnalis, ſed propitiatio venialis. Aurum in fornace per ignem coquitur, vt prius exeat: (Prou. 27.) (Ep. 3.) ſic anima D corporali tribulatione, vt mundior procedat ad vitam. Diſciplina Domini non debet cuiquam eſſe diſciplina; ſed hilariter accipiat quod pius medicus ſalubriter immittit. Inter flagella pietatis, orationes humilitatis ad Deum dirigantur: vt qui miſericorditer caſtigat, clementer ignoſcat, vt ſalus æterna patienti proueniat.

Noſtri quoque memor, ſedulas pro nobis fundere preces non ceſſa: quatenus diuina nobis prouideat clementia perpetuæ conuerſationem proſperitatis. Ad- E huc dubio ſtamine pacis ſubtegmine cauſa texitur, & dum plenum perficitur veſtimentum, mox ad induendum veſtræ dirigetur fraternitati. Valde placet, quòd domum Dei renouare cœpiſti. Stude, vt & iſtam perficias, & alteram, de qua præſens dixi, facias conſecrari: vt pro duplici Dei honoris labore multiplicem merearis accipere mercedem. Viuas, vigeas, & valeas feliciter, fili cariſſime.

AD DAMOETAM,

EPISTOLA LXVIII.

EDIT. XLI.

Flauio Damœtæ viro clariſſimo, plurimam Albinus perpetuæ pacis ſalutem.

DE veſtra valde gaudeo proſperitate, & de munere caritatis veſtræ multùm gauiſus ſum: tot agens gratias, quot dentes in dono numeraui. Mirum animal, duo habens capita, & dẽtes LX. non elephantinæ magnitudinis, ſed eburneæ pulcritudinis. Nec ego huius beſtiæ territus horrore, ſed delectatus aſpectu. Nec me frendentibus illa morderet dentibus timui, ſed blanda adulatione, capitis mei placare capillos adriſi. Nec ferocitatem in dentibus intellexi, ſed caritatem in mittente dilexi, quam ſemper fideliter in illo probaui. Sed quantum gaudeo in amoris dulcedine, tantum doleo in abſentiæ longinquitate. Noluiſſem tanto tempore ab inuicem ſeparari, quos eiuſdem caritatis dulciſſima colligant vincula. Quid faciam niſi lacrymis ſequar amicum; donec reueniat quem animus optat habere præſentem?

O fili cariſſime, inter occupationes ſeculi, non obliuiſcare tui: ſed dum corpus epulis paſcitur, anima eleemoſynis reficiatur. Et dum fatigata ex itinere membra quiete refocillantur, mens in Deo orationibus roboretur: & in diuerſarum auditu cauſarum iuſtitia ſemper reſonet in ore, & ex intimo cordis affectu miſerorum procedat* conſolatio, & ſpes æquitatis non fallat aduenientes, nec pietatis deſint ſuffragia confugientibus ad vos. quia pietas in pauperes geſta, æterna remuneratur beatitudine. Hæc, fili mi, faciens, floreas in omni virtutum decore; & te quocumque vadas, diuina comitetur protectio: euntémque vbique deducat proſperè, ac redeuntem cum omni proſperitate citiùs reducat ad nos, vt gaudeat amor patris in filio, & laudetur Deus vbique, qui ſuos famulos ſibimet inuicem præſentabit ouantes. Vigeas, valeas, & floreas, dulciſſime Damœta.

* edit. proueniat.

AD FRATRES LVGDV-nenſes.

EDIT. VIII.

EPISTOLA LXIX.

Hac Epiſtola quoque mutila eſt in excuſis. Sed ex MS. Cod. reſtituta ſunt quæ deſiderabãtur, his notis [] deſignata.

RELIGIOSAE in Chriſto conuerſationis veſtræ, per LAIDRADVM electum Pontificem laudabilem audiens ſollicitudinem, magno eſſe me gaudio delibutum fateor. Quia Chriſtus fons totius bonitatis, tales adhuc in his diebus, quando multorum refrigeſcit caritas, ſui ſancti nominis habet confeſſores. Qui onera ſæcularium occupationum abiciẽtes, leue Chriſti iugum propriis imponere ceruicibus geſtiunt: & veram, quæ foras timorem mittit, caritatem & pectoribus ſuauiter retinent, & operibus veraciter oſtendunt. Sed nunc tota hilaritate mentis cœpti itineris curſus peragendus eſt: quia qui perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit. (Matth. 10. & 14.) Quia ſi torpens pigritia clam boni operis inrepſerit, mox malitia palam mali operis ſuccreſcit. Origo eſt iniquitatis, amiſſio bonitatis. Et dum ſuæ voluntatis ſequitur homo affectum, mox diuinæ ſeruitutis perdit effectum. Inde prima Angeli ruina fuit, qui in ſua gaudens poteſtate, à ſummo ſe declinauit Bono. Et qui glorioſior fuit cæteris in conditione, factus eſt miſerior omnibus in perditione. Vnde ſe ſuperbia erigit, inde maximè deicitur. Ideò, præcipuè neceſſaria eſt Deo ſeruientibus humilitas obedientiæ. Chriſtus ſuis parentibus legitur eſſe ſubditus, (Luc. 2.) vt nos humilitatis ſuæ exemplo ad bonum informaret obedientiæ. Quæ eſt Monachorum vita, niſi caritas, humilitas, & obedientia? Hæ ſunt ſemitæ, quæ ad æternæ arcem ciuitatis euntem deducunt in eis, ſi Catholica fides, quæ per dilectionem operatur, comitatur currentem in iſtis.

Nouas verò, fratres cariſſimi, Hiſpanici erroris ſectas tota vobis cauete intentione. Sanctorum Patrum in fine ſequimini veſtigia, & vniuerſali Eccleſiæ ſanctiſſima vos adiungite vnanimitate*. (al. vnitate) Scriptum eſt, *Terminos Patrum tuorum ne transgrediaris.* (Prou. 22.) Et Symbolo Catholicæ fidei noua nolite inſerere; & in Eccleſiaſticis Officiis inauditas priſcis temporibus traditiones nolite diligere. Per Apoſtolicæ doctrinæ publicam pergite ſtratam. Nec per diuerticula cuiuſlibet nouitatis in dexte-

A ram vel in ſiniſtram à via regia declinate
[*De adoptione verò, quam quida
iniurioſè Chriſto Deo ingerere conte
dunt, ex auctoritate Synodali habetis re
ſponſum. Vnitas verò perſonæ, in du
bus Chriſti naturis naturalem Deo Pat
Filium eſſe confirmat. Quia nequaqua
in proprio, & in adoptiuo, poteſt eſ
perſona. Igitur Chriſtus proprius eſt De
Patri Filius, & nos per illum adoptiui
non ille nobiſcum adoptiuus. Sicut ill
B ſolus ſine peccato, ſic ille ſolus ſine ado
ptione. Patre in baptiſmo atteſtante: *H
eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene com
placui.* Et Apoſtolo: *Qui proprio filio ſ
non pepercit.* Quid plura de his dicimus, d
quibus ſufficienter dictum habetis; ni
quòd qui illum adoptiuum Deo patri eſ
credit, per illum Deo patri adoptiuus eſ
non creditur?

Audiuimus quoque aliquos in illis pa
tibus adfirmare, ſalem eſſe in ſacrificiu
C Corporis Chriſti mittendum. Quam co
ſuetudinem nec vniuerſalis obſeruat Ec
cleſia, nec Romana cuſtodit auctorita
Tres ſunt, iuxta Apoſtolum Ioannem, *q
teſtimonium dant, ſpiritus, aqua, & ſangui.*
Tria ſunt, quæ in ſacrificio huius teſtimo
nij offerenda ſunt; panis, & aqua, & vi
num. Sicut enim ſpiritus viuificat co
pus, ita panis confirmat cor hominis. S
cut enim ſanguine liberauit nos Chri
ſtus, ita & vino lætificat. Item de aqua
D *Qui biberit ex aqua quam ego dabo ei, non ſi
tiet in æternum.* Sic & panis, qui in cor
pus Chriſti conſecratur, abſque fermen
to vllius alterius infectionis, debet eſ
mundiſſimus; & aqua abſque omni ſord
puriſſima, & vinum abſque omni com
mixtione alterius liquoris, niſi aquæ, pu
gatiſſimum. Igitur aqua vtrique conue
niat. Ex aqua & farina panis fit, qui conſe
cratur in corpus Chriſti. Aqua & vinu
in ſanguinẽ conſecrabitur Chriſti. Sic
enim aqua & ſal, ſicut huius ſectæ dicu
E auctores, vnius ſunt naturæ: infunde ca
nem recentẽ aqua, & aliam ſale conſpe
ge, videbis cito ſi vnam aqua & ſal ha
buerint effectiuam potentiam. Numqui
caro Chriſti computruit in ſepulcro, v
nunc ſale indigeat corpus eius in ſacrifi
cio? Quòd itaque in veteri lege ſal præ
cipitur in victimis habendum, ſignifica
tio tunc fuit futuræ rei intellegendæ, no
obſeruatio in præſenti tempore habe
dæ: ſicut omnia Iudaicæ legis ſacrifici
quæ iuxta Apoſtolum in figurâ continge

bant illis. Scripta ſunt autem propter nos. Littera enim occidit, Spiritus autem viuificat. Huius verò ſacratiſſimæ oblationis figura in Melchiſedech præceſſit, qui vinum & panem Deo ſummo offerre ſolebat.

Huius quoque myſterij ſanctificatio noſtræ ſalutis portendit effectum. In aqua verò, populus intellegitur credentium. In granis tritici, vnde farina efficitur, vt panis fiat, adunatio totius Eccleſiæ deſignatur: quæ igne ſancti Spiritus in vnum decoquitur corpus, vt ſuo capiti membra compaginentur. Item in aquis, quæ vino miſcentur, figura, vt diximus, gentium deſignatur. In vino autem, ſanguis Dominicæ Paſſionis oſtenditur. Atque ita, dum in Sacramentis aqua tritico vel vino miſcetur, fidelis populus Chriſto incorporatus adiungitur. Sed de huiuſmodi figurationibus Epiſtolaris anguſtia diu me diſputare prohibet. Sed & Canones Carthaginienſes Cap. XXIIII. De Sacrificio corporis & ſanguinis Domini nihil ampliùs offeratur, quàm ipſe Dominus tradidit: hoc eſt, panem & vinum aqua mixtum.

Tertia quoque nobis de HISPANIA, quæ olim Tyrannorum nutrix fuit, nunc verò ſciſmaticorum; contra vniuerſalem ſanctæ Dei Eccleſiæ conſuetudinem, de Baptiſmo quæſtio delata eſt. Affirmantes quidam, ſub inuocatione ſanctæ Trinitatis vnam eſſe merſionem agendam. Videtur enim Apoſtolus huic obſeruationi eſſe contrarius, in eo loco, vbi ait: *Conſepulti enim eſtis in Chriſto per baptiſmum.* Scimus enim Chriſtum, licet hoc ſynecdochicè ſit intelligendum, tres dies & tres noctes in ſepulcro fuiſſe. Ipſo dicente ad Iudæos, *Sicut fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus, ſic erit & filius hominis in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus.* Poſſunt tres noctes, tres merſiones, tres eleuationes deſignare. Sicut Chriſtus tertia die reſurrexit, ita & nos tertio die de fonte vitalis lauacri eleuati, in nouitate vitæ cum illo ambulemus. Legimus & in Epiſtola ſancti Papæ Leonis, quam de Baptiſmo ad omnes Siciliæ conſcripſit Epiſcopos: vbi poſt congruam diſputationis ſeriem ita ſubiunxit, dicens: Quamuis ergo & illa quæ ad humilitatem, & illa quæ ad gloriam pertinent CHRISTI, in vnam concurrant eandémque perſonam; totumque quod in illo, & virtutis diuinæ eſt, & infirmitatis humanæ, ad noſtræ reparationis tendat effectum: propriè tamen in morte crucifixi, & in reſurrectione mortui, potentia baptiſmatis nouam creaturam condi ex vetere, vt in renaſcentibus & mors Chriſti operetur, & vita. Dicente beato Paulo Apoſtolo, *An ignoratis fratres, quia quicunque baptizati ſumus in Chriſto Ieſu, in morte ipſius baptizati ſumus? Conſepulti enim ſumus cum illo per baptiſmum in mortem: vt quomodo ſurrexit Chriſtus à mortuis per gloriam patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. Si enim complantati facti ſumus ſimilitudini mortis eius, ſimul & reſurrectionis erimus*, & cetera, quæ latiùs Magiſter Gentium ad commendandum ſacramētum baptiſmatis diſputauit. Et apparet ex huius doctrina, regenerandis filiis hominum, & in Dei filios adoptandis, illum diem & illud tempus electum: in quo per ſimilitudinem formamque myſterij, ea quæ geruntur in membris, his quæ in ipſo capite ſunt geſta congruerent: dum in baptiſmatis regula & mors interit interfectione peccati, & ſepulturam triduam imitatur trina demerſio, & ab aquis eleuatio reſurgentis inſtar de ſepulcro. Sed & beatus Hieronymus in Libro ſecundo Tractatus in Epiſtolam ſancti Pauli ad Epheſios, in expoſitione ſententiæ, *Vnus Deus, vna fides, vnum baptiſma: Vnus Deus & pater omnium, qui ſuper omnes & ſuper omnia, & in omnibus nobis*; de trina merſione ita ait: Si enim, vt æſtimant Arriani, Deus pater ſolus eſt Deus, eadem conſequentiâ, ſolus erit Dominus Ieſus Chriſtus, & nec Pater erit Dominus, nec filius Deus. Sed abſit, vt non ſit vel in dominatione diuinitas, vel in diuinitate dominatio. Vel vnus eſt Dominus, & vnus eſt Deus: quia Patris & Filij dominatio, vna diuinitas eſt. Propterea & fides vna Deus, quia ſimiliter in Patrem, & in Filium, & in Spiritum ſanctum credimus. Et baptiſma vnum. Eodem enim modo in Patrem, & in Filium, & in Spiritum ſanctum baptizamur, & ter mergimur; vt Trinitatis vnum appareat ſacramentum. Et non baptizamur in nominibus Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, ſed in vno nomine, quod intellegitur Deus. Et miror qua conſequentia in vno vocabulo, eodem opere, & eodem ſacramento, naturæ diuerſitatem Arrius & Macedonius ſuſpicentur, concordante * impietate diſcordia, & à creatura in Filio & in Spiritu ſancto cœnoſum fontem tenentes, diuerſos hæreſeôn riuulos dixerunt vnum baptiſma. Et contra

Valentinum facit, qui duo baptiſmata eſſe contendit; & contra omnes hæreticos, vt ſciant non habere ſe baptiſma, ſed in vna Chriſti Eccleſia fontem eſſe vitalem.

Poteſt vnum baptiſma & ita dici, quòd licet ter baptizemur propter myſterium Trinitatis, tamen vnum baptiſma reputetur. Vnum quoque baptiſma eſt in aqua, & in ſpiritu, & igne: & de quo loquitur, *Baptiſma habeo baptizari.* Et alibi; Baptiſmate meo baptizabimini.] Sunt etiam Verſus beati Ambroſij Epiſcopi de ternarij excellentia nobiliſſimi, quos ad confirmationem trinæ merſionis huic epiſtolæ inſerere placuit.

Omnia trina vigent ſub maieſtate Tonantis.
Tres, Pater, & Verbum, ſanctus quoque Spiritus, vnum.
Trina ſalutaris ſpecies crucis, vna redemptrix.
Tertia lux Dominum remeantem à morte recepit.
Trina dies Ionam tenuit ſub viſcera cœti.
Tres pueri cernêre * *Deum flagrante camino.* (* cernunt Dominum.)
Ter ſabaoth ſanctũ referens benedictio pſallit.
Ter mergendus aqua eſt, cui gratia plena lauacri.
Teſtibus & ſtabilis conſtat tribus actio cuncta.
Terno menſe ſuis redeunt ſua tempora membris.
Tres ſunt ætates, flos, & robor, ægra ſenectus.
Tres moduli * *in cauſis, iudex, defenſor, & actor.* (* medij.)
Tres in ſecla gradus, ortus, tranſcurſio, finis.
Tres ſpem quæ palpat, requies, lux, gloria vitæ.

EXPOSITIO DE BAPTISTERIO,

MS. *

EPISTOLA LXX.

(* Videtur hæc Epiſtola mẽbrum eſſe ſuperioris, & cum ea continuanda.)

HAEC verò præcipui Doctores, & ſanctiſſimi Patres, nobis reliquerunt in ſuis teſtimonia dictis. Nobis verò iuxta paruitatem ingenioli noſtri videtur, vt ſicut interior homo in fide ſanctæ Trinitatis ad imaginem ſui conditoris reformandus eſt, ita & exterior trina merſione abluendus eſſe: vt quod inuiſibiliter Spiritus operatur in anima, hoc viſibiliter ſacerdos imitetur in aqua. Nam originale peccatum tribus modis actum eſt; delectatione, conſenſu, & opere. Itaque & omne peccatum aut cogitatione, aut locutione, aut operatione efficitur. Ideò triplici generi peccatorum trina videtur ablutio conuenire: vel propter originale peccatum, quod in infantibus valet ad perditionem: vel propter illa, quæ in prouectioris ætatis hominibus, voluntate, verbo, vel facto adduntur.

Vt verò cognoſcatis huius ſacratiſſimi myſterij ſignificationes, iuxta ſanctorum Patrum intellegentiam, & ſtatuta Eccleſiaſtica: veſtræ caritati eadem ſacramenta Catholica interpretatione oſtendam. Nã magna ſanctitate, & venerabili ſignificatione, quicquid in eis geritur, ſtatutum eſſe, neminem dubitare fas eſſe arbitramur. Primò, paganus cathicuminus fit, accedens ad baptiſmum, vt renunciet maligno ſpiritui, & omnibus damnoſis eius pompis. Exſufflatur etiam, vt fugato diabolo, Chriſto Deo noſtro paretur introitus. Exorcizatur, id eſt coniuratur, vt malignus ſpiritus exeat & recedat, dans locum Deo. Accipit cathicuminus ſalem, vt putrida & fluxa eius peccata ſapientiæ ſale diuino munere mundentur. Verà deinde Symboli Apoſtolici traditur ei fides, vt vacua domus, & à priſco habitatore derelicta, fide ornetur, & præparetur habitatio Deo. Tunc fiunt ſcrutinia, vt exploretur ſæpiùs, quàm firmiter poſt renunciationem ſatanæ ſacra verba datæ fidei radicitus corde defixerint. Pectus quoque eodem perungitur oleo, vt ſigno ſanctæ Crucis diabolo claudatur ingreſſus. Signantur & ſcapulæ vnctione, ſignatur fidei firmitas, & operum bonorum perſeuerantia. Et ſic in nomine ſanctæ Trinitatis trina ſubmerſione baptizatur. Et rectè homo, qui ad imaginem ſanctæ Trinitatis conditus eſt, per inuocationem ſanctæ Trinitatis ad eandem reuocatur imaginem. Vt qui tertio gradu peccati, id eſt operatione, cecidit in mortem; tertio eleuatus de fonte, per gratiam reſurgat ad vitam. Tunc albis induitur veſtimentis, propter gaudium regenerationis, & caſtitatem vitæ, & angelici ſplendoris decorem. Tum ſacro chriſmate caput perungitur, & myſtico tegitur velamine: vt intellegat ſe de anathema regni & ſacerdotij dignitatem portare, iuxta Apoſtolum: *Vos eſtis genus regale, offerentes voſmetipſos Deo viuo hoſtiam ſanctam & Deo placentem.* Sic corpore & ſanguine Dominico confirmatur, vt illius ſit membrum, qui pro eo paſſus eſt, & reſurrexit. Nouiſſimè per impoſitionem manus à ſummo Sacerdote ſeptiformis gratiæ ſpiritum accipit, vt roboretur per Spiritum ſanctum ad prædicandum aliis,

A qui fuit in baptiſmo per gratiam vitæ donatus æternæ.

Videtis quàm fideliter, rationabiliter, & prudenter, hæc omnia tradita ſunt nobis obſeruanda. Nemo Catholicus contra Eccleſiæ auctoritatem, nemo ſobrius contra rationalem conſuetudinem, nemo fidelis contra pietatis intellegentiam certare audeat. Et ne ſciſmaticus inueniatur, & non Catholicus, ſequatur probatiſſimã ſanctæ Romanæ Eccleſiæ auctoritatem: vt vnde Catholicæ fidei initia accipimus, B inde exemplaria ſalutis noſtræ ſemper habeamus. Ne membra à capite ſeparentur ſuo; ne Clauiger regni cæleſtis abiciat, quos à ſuis deuiaſſe intellegit doctrinis. Epiſtolam verò, quam à beato Gregorio de ſimpla merſione dicunt eſſe conſcriptam, in Epiſtolari ſuo Libro, qui de Roma nobis allatus eſt, non inuenimus. Alias verò omnes perſpeximus in eo Libro, quem ad Occidentalium partium Eccleſias, Pontifices, vel Reges, ſcripſerat. Ideò dubij ſumus an illius ſit, an ab aliquo huius ſectæ auctore ſub eius nomine ſcri- C pta ſit.

[* De obſeruatione verò, vnde interrogaſtis, ſanctiſſimi Sabbati, quod Dominicæ Reſurrectionis diem præcedit, digniſſimum nobis videtur, vt omni veneratione habeatur iocundus. Et quicquid aliis diebus in quadrageſimalibus epulis, ſeu ſalutis cauſa, ſeu neceſſitate qualibet cogente vtendum fiat, in eo die non reſpuendum eſſe nobis videtur dignum: non ad ſatietatem gulæ, ſed ad venera- D tionem ſanctitatis Non itaque Deus tantùm requirit quid manducemus, quantum conſiderat qua facilitate abſtineamus ab interdictis, vel qua modeſtia vtamur conceſſis. In omnibus his temporum ratio, & fraterni amoris conuenientia obſeruanda eſt. Ideò Dominum in Euangelio Iudæis legimus dixiſſe, dum de Ioannis abſtinentia, & de ſui ipſius ad homines conuenientia, parabolam puerorum* propoſuit, dicens: *Et iuſtificata eſt ſapientia à filiis ſuis*, id eſt, filij ſapientiæ intel- E legunt in omnibus rebus vbique modeſtiam rationabilem, & concordiam pacificam eſſe laudabilem. Quæ etiam cuncta, veſtra ſanctitas, fratres cariſſimi, in opere melius agnoſcit, quàm nos verbis proferre valeamus.

* Sequentia ſunt in excuſ. ad calcem Epiſt. viij.

* edit. Angelorum. Matth. 11.

Vos verò cœptum ſalutis æternæ iter magna deuotione mentis & corporis peragite; quatenus ad perpetuã cæleſtis gloriæ coronam peruenire mereamini. Meque in ſanctis orationibus veſtris obſecro vt familiariter habeatis Multum valet deprecatio iuſti aſſidua, iuxta Apoſtolum Iacobum: quantò magis multorum fratrum? Deus ſecretorum teſtis nouit, quantùm vos proficere in omni bonitate deſidero, & de huius mortalitatis ærumnoſa miſeria ad æternitatis gaudia tranſire concedat. Huius verò Epiſtolæ exemplar fratribus, qui in Inſula LIRINA Deo deſeruiunt, vt dirigere faciatis, depoſco: quia illi meam paruitatem de huiuſmodi quæſtionibus interpellare curabant.

Iacob. 5.

AD FRATRES IN PROuincia Gothorum,

EPISTOLA LXXI.

EDIT. XXVI.

*Dilectiſsimis viris fratribus & Patribus, in Prouincia Gothorum**, *humilis Eccleſiæ Chriſti vernaculus Albinus Diaconus ſalutem.*

* edit. Scotorum, ſed malè.

PLVRIMA veſtræ ſagacitatis & Religionis laus noſtris ſæpius inſonuit auribus, ſeu propter ſacratiſſimam Monachorũ vitam, ſeu propter religioſam laicorum conuerſationẽ: dum illi ab omni ſtrepitu ſecularis inquietudinis, ſoli Deo vacare deſiderant; & iſti inter mundanas occupationes caſtiſſimam vitam rationabili conſideratione degere dicuntur. [* Quid hoc fraternæ caritatis, quid hac viciſſitudine iucundius? Illi cotidianis ſuos contribules orationibus adiuuare non deſiſtunt.] Iſti interceſſores ſuos præſentis vitæ ſolatiis ſuſtentare geſtiunt: quod quiſque gratiam benedictionis ſibi à Deo datam, in alterutrum refundat. Vnde & nos veſtræ pietatis exemplis edocti, noſtri nauigij curſum orationibus veſtræ ſanctitatis ad portũ perpetuæ quietis dirigi precamur.

* MS.

Nos quoque mutuo caritatis officio veſtræ ſanctitati aliquantulas piæ admonitionis litterulas dirigere curauimus; propter quaſdam conſuetudines, quæ veſtris inoluiſſe ferũtur regionibus. Dicitur verò neminem ex Laicis ſuam velle Confeſſionẽ ſacerdotibus dare, quos à Deo Chriſto cum ſanctis Apoſtolis ligandi, ſoluendiq; poteſtatẽ accepiſſe credimus. Quid ſoluit ſacerdotalis poteſtas, ſi vincula non conſiderat ligati? Ceſſabunt opera medici, ſi vulnera non oſtendunt ægroti. Si vulnera corporis carnalis medici manus exſpectat,

Matth. 16. & 18.

quantò magis vulnera animæ ſpiritalis medici ſolatia depoſcunt? Deo vis, ô homo, confiteri, quem volens nolens latere non poteris: Eccleſiæ Chriſti, in qua peccaſti, ſatisfacere neglegis? Cur ipſe Chri-
Matth. 8. Ioan. 11. ſtus leproſum, quem mundauit, ſacerdotibus ſe iuſſit oſtendere? Cur Lazarum quatriduanum reſuſcitatum alios ſoluere iuſſit? Nunquid non faſciamenta mortui eodem verbo ſoluere poterat, quo mortuum vitæ redditum de ſepulcro prodire iuſſit? Cur interrogauit cæcos ad ſe clamantes, quid voluiſſent? An ignorare cordis eorum voluntatem potuit, qui optatum lumen oculis illorum reddere valuit? Fortè ſi Deum latere, ſicut hominem potuiſſes, nec Deo plus quàm homini confiteri voluiſſes. Superbiæ hoc genus eſſe videtur, ſacerdotem iudicem deſpicere.

Pſal. 91. Si dicis, *Bonum eſt confiteri Domino.* Sed bonum eſt huius confeſſionis te habere teſtem. Licet non ſemper confeſſio pœnitentiam ſignificet, ſed ſæpiſſimè laudẽ,
Matth. 11. vt in Euangelio ipſa Veritas dixit: *Confiteor tibi pater cœli, & terræ*, id eſt, laudo te pater cœli & terræ. Et in Symbolo dicitur: Confiteor vnum baptiſma, & cetera, quæ ſequuntur ad idem reſpicientia verbum: quod verbum, id eſt, confiteor, in hoc loco confeſſionem fidei, non peccatorum deſignat. Erubeſcis homini in ſalutem tuã oſtendere, quod non erubeſcis cum homine in perditionem tuam perpetrare? Ancillam tuam iniquitatis tuæ conſciam vis habere; & ſacerdotem Chriſti, reconciliationis tuæ non vis habere adiutorem? Per inimicum corruiſti, & non vis per amicum reſurgere? Multùm offendiſti Dominum tuum, & alium non vis habere recõciliatorem, niſi te ipſum? Confidis per orationes tuas ſaluari? Spernis Apoſtolicum præceptum dicentis; Orate pro inuicem, vt ſaluemini. Et iterum: Si quis peccator eſt, oret pro eo ſacerdos, vt ſaluetur. Quid ad hæc dicitis quæ in eadem e-
Iacob. 5. piſtola leguntur: *Confitemini alterutrum peccata veſtra, vt deleantur delicta veſtra?* Quid eſt quod dixit, Alterutrum; niſi homo homini, reus iudici, ægrotus medico? Ipſa quoquè ſapientia per Salomonem dixit:
Prou. 28. *Qui abſcondit ſcelera ſua, non dirigetur*: id eſt, non dirigetur in viam ſalutis, qui peccata ſua celare ſtudet.

Nunquid Deo abſcondi poſſunt ſcelera noſtra, qui omnia videt, nouit, & conſiderat? Ab homine poſſumus abſcondere,
2. Reg. 12. quæ agimus, at non Deo. Nonne Dauid, præſente Nathan Propheta, qui ſe arguebat pro ſuo peccato, dixit, Peccaui Domino? Ecce tantus vir teſtem confeſſionis ſuæ voluit habere Prophetam. Et quia non erubuit confiteri, quod impiè geſſit, ſtatim audiuit: Ecce Dominus tranſtulit peccatum tuum. Homini patefecit vulnus ſuum, & à Deo mox remedium accepit. Nam & in Leuitico ſæpiſsime, Domino mandante, peccator ad Sacerdotem mittitur cum victima, quam offerens Deo, oret pro eo, & dimittatur ei. Quæ ſunt noſtræ victimæ pro peccatis, à nobis commiſsis, niſi confeſsio peccatorum noſtrorum? quam purè Deo per ſacerdotem offerre debemus: quatenus orationibus illius, noſtræ confeſsionis oblatio Deo acceptabilis fiat, & remiſsionem ab eo accipiamus, cui eſt ſacrificium, ſpiritus con- Pſal. 50. tribulatus: & cor contritum, & humiliatum non ſpernit.

Chriſtus pro noſtris ſceleribus ab inimicis iudicari in hunc mundum venit, vt nos redimeret à diaboli ſeruitute: & nos dedignamur à ſanctis Dei ſacerdotibus iudicari, vt liberemur à vinculis peccatorum noſtrorum? Ille abſque omni peccato, hominum adſiſtere, & hoc, impiorum, iudicio, non renuit: & nos cum multis peccatis hominum iudicia, & hoc ſanctorum, ſubire contemnimus? Nonne in ſacro baptiſmate ſacerdotibus Chriſti noſtræ fidei confeſsionem, & abrenuntiationem ſatanæ dare debemus: & ſic ſacerdotali miniſterio, diuina operante gratia, ab omnibus ablui peccatis? Cur etiam & in ſecundo pœnitentiæ baptiſmate, per confeſsionem humilitatis noſtræ, ab omnibus poſt primum baptiſma peractis, eâdem diuinâ miſerante gratia, ſacerdotali ſimiliter auxilio non debemus abſolui peccatis?

Si peccata ſacerdotibus non ſunt prodenda, quare in Sacramentario, Reconciliationis orationes ſcriptæ ſunt? Quomodo ſacerdos reconciliat, quem peccare non nouit? Si conſiliis, iuxta Salomonem, tractanda ſunt bella: quali audacia, ſine conſilio Eccleſiaſticorum ducum pugnare nos aduerſus diabolum confidimus? Item eôdem dicente, legimus; Frater qui adiuuatur à fratre, quaſi ciuitas firma eſt. Quẽ adiuuat Sacerdos Chriſti dux exercitus Dei, & rector caſtrorum illius: ſi nullus ab eo ſuæ ſalutis auxilium quærere dignatur? ſi nemo occulta diabolicæ fraudis vulnera, illius medicinali dexteræ tractanda oſtendit?

Inaniter itaque poſita ſunt in Eccleſiis remedia, & Synodali auctoritate literis.

mandata, contra omnia peccatorum noſtrorum vulnera, quæ vel antiqui hoſtis verſutia, vel neglegentia mandatorum Dei ſpiritaliter, aut carnaliter nobis infliguntur, ſi non his, qui in Eccleſia Chriſti ſtatuti ſunt, ad ſananda putrida ſcelerum noſtrorum vlcera reuelantur. (Rom. 10.) *Corde enim creditur*, dicit Apoſtolus, *ad iuſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem.* Non ſolum catholicæ fidei, ſed etiam pura peccatorum confeſſio, nobis ad ſalutem proficit ſempiternam, dicente ſcriptura: (Iſa. 43.) *Dic prior iniuſtitias tuas, vt iuſtificeris.* Et iterum: (Prou. 18.) *Iuſtus in principio accuſator eſt ſui.* Si iuſtus, quantò magis peccator?

Si fortè dicis cum Pſalmiſta; (Pſal. 31.) *Dixi, confitebor aduerſum me iniuſtitiam meam Domino.* Et ego cum eodem dicam: *Quoniam tacui inueterauerunt oſſa mea.* Et iterum cum alio Propheta: (Ioel. 1.) *Computruerunt iumenta in ſtercore ſuo.* Quid eſt, iumenta in ſtercore ſuo putreſcere, niſi criminoſos quoſque in putredine peccatorum ſuorum iacere? Qui peccat, iacet: qui confitetur, ſurgit. Qui pœnitentiam agit, reuertitur ad patrem ſuum; ſicut prodigus filius in Euangelio legitur dixiſſe: (Luc. 15.) *Surgam, & ibo ad patrem meum, & dicam ei: Pater, peccaui in cœlum, & coram te.* Sed ſemel ſacerdoti in præſentia diuinæ pietatis confeſsio facienda, ſufficit. Semper autem Domino cum lacrymis, & cordis contritione faciendam eſſe arbitramur. Omnis enim, qui malè agit, odit lucem, & non venit ad lucem, vt non arguantur opera eius. Qui autem facit veritatem, venit ad lucem, vt manifeſtentur eius opera, quia in Deo ſunt facta.

Vos igitur, viri fratres, filij lucis eſtis, & non tenebrarum: populus adquiſitionis, & non perditionis: gens ſancta, Chriſti ſanguine adquiſita. Ambulate, vt filij lucis in omni bonitate, & pietate, & caſtitate, exuentes veterem hominem cum peccatis ſuis, & induentes nouum, qui ſecundũ Deum creatus eſt. Sit conuerſatio veſtra cœleſtis, & non terrena. Diligite iuſtitiam, & odio habete iniquitatem. Qui ſanus eſt, defendat ſe ſcuto fidei, ne clandeſtina antiqui hoſtis ſagitta eum vulnerare valeat. Si quis verò propter fragilitatem carnis, vel propter neglegentiam circumſpectionis vulneratur, citius ad confeſsionis medicinam recurrat: ne per inlecebram malæ conſuetudinis vix eradicari valeat peccatum. Tres enim mortuos Dominum Ieſum Chriſtum Euangelica narrat hiſtoria ſuſcitaſſe: filiam Archiſynagogi in domo: (Marc. 5.) filium viduæ, extra portam ciuitatis: (Luc. 7.) Lazarum quatriduanum de monumento ad vitam vocauit. (Ioan. 11.) Qui ſunt hi tres mortui, niſi tria peccantium genera? quæ modò quotidie diuina confitentibus ſuſcitare ſolet gratia. Filiam ſuſcitat in domo, dum conſentientem in corde peccare, reuocat à peccati perpetratione. Filium viduæ extra portam ciuitatis ſuſcitat, dum peccantem foris in opere, ad pœnitentiæ medicamenta confugere facit. Fœtentem verò in mala conſuetudine peccati, dum lacrymas pœnitentiæ elicit ex corde, ſuſcitat; & ex Eccleſiaſtica auctoritate ſoluere eum iubet, vt dignus ſit communione Domini, & particeps ſacri altaris efficiatur.

Hæc cogitate, cariſſimi fratres, & in qualicunque harum trium mortium genere ſi quis iaceat, citius ad confeſſionis probatiſſima medicamenta confugiat, ſalutifero pœnitentiæ ſe abluat medicamine: vt non ad iudicium damnationis, ſed ad ſalutem ſanctificationis communicet corpore & ſanguine Domini noſtri Ieſu Chriſti. Et cum gratiarum actione ſemper rememorare, quomodo vos diuina miſericordia, de terra tenebrarum, & frigoris, de regione ignorantiæ, & iniquitatis, tranſtulit in loca lucis, & lętitiæ, in tabernacula abundantiæ, & iuſtitiæ: & elegit vos ſibi in filios pietate paterna, vt per vos nomen illius nuntietur in gentibus. Sequimini veſtigia ſanctorum Patrum, & nolite in Catholicæ fidei religionem, nouas inducere ſectas. Cauete vobis venenoſum erraticæ inuectionis fermentum: ſed in ſynceritate, & veritate mundiſſimos ſacræ fidei panes comedite: & vinum, quod diuina electis ſuis miſcuit ſapientia, bibite: & cantate Deo veſtro in concordia pacis, & vnanimitate caritatis perpetuæ canticum laudis, & cum militia cœleſti, conſona voce, laudate Deum, & dicite, Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Diuina vos præueniat gratia, & ſubſequatur vbique clementia, & in omni opere bono florere faciat, viri fratres dilectiſſimi, & ſanctiſsimi patres.

AD LEONEM PAPAM,

Epistola LXXII.

Edit. XXVII.

Domino beatiſſimo, atque omni honore nominando Leoni Papæ, humilis Leuita Albinus æternæ in Chriſto gloriæ ſalutem.

SVSCIPIAT, obſecro, ſanctiſſima pietas veſtra, Pater cariſſime*, benigno animo noſtrę paruitatis litterulas, & me deuotum veſtræ dilectionis famulum agnoſce. Semper ſanctæ Romanæ Sedis beatiſſimos, quantum valui, Principes, & Paſtores amaui: cupiens illorum ſanctiſſimis interceſſionibus inter oues Chriſti numerari, quas Deus Chriſtus poſt reſurrectionis ſuæ gloriam beato PETRO Principi Apoſtolorum paſcendas commẽdauit. Quod verè dignum eſſe fateor, omnem illius gregis multitudinem ſuo Paſtori, licet in diuerſis terrarum paſcuis commorantem, vna caritatis fide ſubiectam eſſe, & ſicut pio Paſtori condecet, magnam commiſſi ſibi gregis curam habere, & ſedula pietatis ammonitione, & ſanctitatis interceſſione præuidere*, ne aliquid ex illis per præcipitia errorum à via veritatis, vel perpetuæ paſcuis vitæ exorbitare incipiant. Gregis ſanitas gloria eſt Paſtoris, & multiplicatio illius merces æterna.

* edit. glorioſiſſime.

* edit. prouidere.

Ecce tu, ſanctiſſime Pater, Pontifex à Deo electus, Vicarius Apoſtolorum, hæres Patrum, Princeps Eccleſiæ, vnius immaculatæ Columbæ nutritor. In te fides reſplendeat,* deuotio fulgeat, caritas abundet. Congrega nos filios ſanctæ Dei Eccleſiæ paternæ miſerationis affectu, tuis ſanctiſſimis orationibus, & dulciſſimis ſacrarum litterarum exhortationibus, intra firmiſſimum Eccleſiæ ſoliditatis ouile; ne aliquis ex nobis errabundus lupina rapacitate foris inueniatur deuorandus. Nam ſplendentia cæleſtis militiæ agmina, natiuitatis Domini noſtri IESV Chriſti gaudia primò paſtoribus, qui ſupra ſuos deuotè vigilarunt greges, nuntiare venerunt. Ecce tuis ſanctiſſimis vigiliis ad paſtoralẽ ſollicitudinẽ, probatiſſime Archimandrita, Angelicas à ſupernis ſedibus viſitationes adſtare non dubitamus: quorum auxilio quæcumque diuinam popoſceris pietatem, imperrare te poſſe credimus. Vnde ego vltimus ſacratiſſimi ouilis vernaculus, & morbida peccatis ouicula, ſpe præcipuæ bonitatis veſtræ animatus, ante ſanctiſſimos paternitatis tuę pedes animo proſtratus ſuppliciter depoſco, quatenus dirißima* peccatorum meorum vincula per Eccleſiaſticam Apoſtolicæ auctoritatis poteſtatem ſoluere digneris, & paternæ pietatis precibus curſum vitæ meæ, qui reſtat, ad perpetuæ portas ciuitatis dirigere ſtudeas.

* al. reſplẽdet, fulget, abundat.

* al. durißima.

Grandia poſco quidem, ſed caritas grandia nouit dare. Poſcentem pro filia viduam Chriſti clementia non ſpernit; ſed ait, *O mulier magna eſt fides tua; fiat tibi ſicut vis.* Fides me hortatur hæc poſcere, ſpes confirmat impetrare: caritas, credo, negare non præſumit. Chriſtus pro nobis, cum inimici eſſemus, mori non dubitauit: quãto magis te, Pater ſancte, pro amicis orare velle, credendum eſt? Sub te paſtore augeatur grex Chriſti. Tu conſolator mœrentium, adiutor laborantium, ſpes ad te clamantium, lux vitæ, religionis decus. Locus, in quo ſtas, omnibus te honorabilem facit, & morum nobilitas laudabilem, & pietatis deuotio amabilem. Et qui ſedem ſanctorum tenes Patrum, eorum exemplis inhæreas ſemper, vt cum illis multiplici laboris mercede Domini Dei tui gaudia intrare merearis. Iſte filius meus cariſſimus ANGILBERTVS*, vobis patefacere valet noſtræ paruitatis erga Apoſtolicã Sedem deuotionem, etiam & volũtatis noſtræ petitiones, quem veſtrę paternitati valde fidelem eſſe agnoui: & ideò noſtræ neceſſitatis cauſas illi iniunximus, vt per os illius pietatis veſtræ aures mei cordis audiant obſecrationes.

Matth. 15.

* ed. Engilbertus.

AD PAVLINVM PATRIarcham,

Epistola LXXIII.

Edit. LIX.

Venerando viro Paulino Aquileienſi Patriarchæ Albinus ſalutem.

ACCEPTIS ſapientiæ veſtræ apicibus, & caritatis muneribus per hunc huius præſentis cartulæ gerulum, valde gauiſus, cognoſcens proſperitatem veſtram, & memoriam noſtri, quam ſemper paterna pietate vt habeas in orationibus ſacris ſupplex obſecro: memor ſemper benignæ deuotionis, quam Iob habuit in filios ſuos. Salus filij, merces eſt patris: & laus genitoris, filius ſapiens. Præſens verò harum portitor litterarum veſtro auxilio & patrocinio noſtrę ſit commendatus petitioni. Ipſe viuo officio linguæ noſtras vel ſuas vobis oſtenderet ne-

Iob. 1.

Prou. 10.

ceſſitates maiorem noſtræ ſalutationis ſeriem Angilbertvs filius communis noſter Romam iturus, volente Deo, vobis dirigit. Sed nulla cartula ſufficit caritatis effari dulcedinem, quam pleno ore anima mea de tuo hauſerat pectore. Teſtis eſt veritatis ille ſpiritus, per quem caritas diffuſa eſt in cordibus noſtris.

Viuendo felix, felix, Pater optime, viue,
Atque memor nati ſempe vbique, vale.

AD REMIGIVM EPICOPVM, EPISTOLA LXXIIII.

Mſ.

Dulciſſimo Patri Remigio Epiſcopo, Albinus humilis filius ſalutem.

NVNC noſtrum negociatorem Italiæ mercimonia ferentẽ, his litteris tuæ paternitatis commendo protectioni, vt per vias veſtræ patriæ tutus eat & redeat; & in montium clauſtris à noſtris non teneatur telonearijs conſtrictus, ſed per latitudinem caritatis latam habeat eundi & redeundi ſemitam. Iubeas obſecro orare pro anima Ioſeppi diſcipuli mei. Floreas, & proficias de virtute in virtutem, donec videas lætus & gaudens Deum tuum in Sion. Memorque ſis mei, ſanctiſſime Pater, obſecro.

AD ITHERIVM, EPISTOLA LXXV.

Edit. XL.

Dilectiſſimo Patri Itherio Albinus ſalutem.

GRATIAS agamus Deo Iesv, vulneranti & medenti, flagellanti & conſolanti. Dolor corporis, ſalus eſt animæ; & infirmitas temporalis, ſanitas perpetua. Libenter accipiamus, patienter feramus voluntatem Saluatoris noſtri. Sed nunc noli tardare. Fac quod facturus es. Curre, dum lucem habes. Feſtina ad eum qui vocat te. Quod neceſſitas cogit, volũtas præueniat. Eſto ſcriba ſapiens, negotiator fidelis. Vende terrena, & eme cæleſtia. Quid ſpectatur diei craſtini incertitudo? Non ſit dilatio in ſalute animæ. Quod animo cogitatur, opere perficiatur. Quod infirmitas optauit, ſanitas peragat. Teſtis eſt, qui omnia nouit, mei cordis; hoc plena caritate, & fideli conſilio me ſuadere. Scio, me poſt te, in loco tuo talem non habere amicum. Sed magis te velim amicum habere in honore permanentẽ, quàm

Iob. 5.
Ioã. 13.
Matth. 12.
Matth. 3.

pereuntem: & interceſſorem apud Deum gaudere, quàm largitorem in ſeculo. Petatur à Deo auxilium, vt amicorum confirmet conſilium, & ſuis iter ſalutis oſtendat, & dirigat in viam pacis quos proprio redemit ſanguine. Ecce quali precio empti ſumus. Non amemus ea, quæ nos ſeparant ab eo, qui nos vſque ad mortem ſuæ carnis dilexit. Plurimos dies ſeculo ſatis ſeruiuimus: vel paucos, qui reſtant, viuamus Deo noſtro, vt digni efficiamur faciem illius videre, qui dixit: *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.* Lætus lege, & conſtanter incipe; feliciter perfice, & ſit Dominus tecum in æternum. Matth. 5.

AD FELICEM EPISCOPVM, EPISTOLA LXXVI.

Edit. XLIII.

Pio Patri Felici Epiſcopo, Alchuinus humilis Leuita ſalutem.

ALIQVORVM fratrum relatione nobis notiſſimus es, pietate, etſi non facie. Quapropter præſumpſi per fiduciam caritatis, quæ eſt Chriſtus, volens meipſum tuis, tuorumque fidelium, per te, ſacroſanctis orationibus commendare: non meis meritis exigentibus, ſed tuis bonis rumoribus inſtigantibus. Quapropter ſupplex obſecro, vt me ea caritate Saluatori noſtro commendetis, qua ille omnes ſuos coniunxit. Caritas enim neminem ſpernit. Per eum, & propter eum qui venit in hunc mundum peccatores ſaluos facere, & veniet ad iudicium iuſtos coronare: vt tunc ego peccator, vel veniam per veſtras orationes accipiam, vbi vos per Dei miſericordiã coronam accipiatis.

State, fratres, & viriliter pugnate pro eo, qui fortiter pro vobis vincebat. Non quia qui cœperit, ſed qui perſeuerauerit vſque ad finem, hic ſaluus erit. Et proficiſcimini de die in diem, ſicut ſancti Dei, qui ibunt de virtute in virtutem. Plura ſcripſiſſem vobis, ſi ſuperfluum non videretur eos admonere de virtutibus, quos rogare debeo, vt intercedant pro peccatis meis. Sed caritas, quæ neminẽ ſpernit etiam ſuſtinet. Quid plus? Iterum, iterumque obſecro, vt me fraterno amore accipiatis in communionẽ orationum veſtrarum: quatenus Deus caritatis remunerator vos accipiat in æternam gloriam regni ſui. Valete, & viuite felices in Domino Iesv, fratres cariſſimi.

AD QVENDAM,

EPISTOLA LXXVII.

Edit. XLIV.

ACCEPTIS literis tuis, frater ſancte, lætus de ſalute tua, ſed triſtis de tribulatione & perſequutionibus, quas te pati à gente tua, in illis tuis apicibus agnoui. Attamen beatos eſſe, Domino dicente, legimus, qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum. Quapropter ſuadeo tibi, frater venerande, vt viriliter in fide integra, & deuotione infatigabili, pro commiſſis tibi à Chriſto ouibus certare non ceſſes: ne mercenarius fugiens, & non paſtor firmus ab ipſo Domino & Paſtore omnium deputeris. (Math. 5.)

Aſpice in eum, qui pro ouibus ſuis animam ſuam poſuit, qui omnibus generaliter præcipiens, dixit: *Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me.* Cui gregem Chriſti abiturus relinquis? Nec hæc dico, quaſi me excuſando ad benefaciendum ſeruis Dei: ſed magis te adhortando, vt bona, quæ incœpiſti facere, ad finem æternæ ſalutis perducas. Qui perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit. Idcirco ſcripſi ad OFFANVM Regem, vt te adiuuaret, & defenderet ſanctam Eccleſiam ſecundum ſuam poſſibilitatem *: quatenus tibi liceat Deo ſeruire, & talentum tuum multiplicare in loco, vbi accepiſti eum; & mercedem exſpectare perpetuæ beatitudinis, dicente Domino tuo: *Euge ſerue bone, & fidelis.* (Ioan. 11. Luc. 9. Math. 10. * edit. poteſtatem. Luc. 15.)

AD FRATRES IVVAVENſis Eccleſiæ.

EPISTOLA LXXVIII.

Edit. XX.

Sanctiſſimis in Chriſto fratribus Iuuauenſis Eccleſiæ, humilis Leuita Albinus in Chriſti caritate ſalutem.

AVDIENS laudabilem in Chriſto vnanimitatis veſtræ conuerſationem, multa animus meus lætitia gauiſus eſt, multóque anhelabat deſiderio præſentialiter ordinem videre veſtrum, & meipſum humili deuotione veſtris ſacroſanctis commẽdare orationibus. Sed quia hoc huc vſque prohibuit variarum euentus rerum, & prolixa terrarum longinquitas, meæ paruitatis literulas in hoc officium dirigere curaui, vt deſiderium cordis mei in apicibus cognoſcatis, quod & olim pio patri AQVILAE Pontifici, germano meo, paſtori veſtro iniungere ſtudui, cupiens ſpiritali præſentia vnus eſſe ex vobis, & vnum eſſe vobiſcum, vt veſtra me ſanctitas à terrenis leuaret cupiditatibus, & in cœleſti vobiſcum collocaret deſiderio.

O quàm felix eſt vita monachorum, Deo placabilis, angelis amabilis, hominibus honorabilis! Qui hic fideliter viuit inter homines, haud dubium, feliciter regnat inter angelos. Hæc primitiua per Apoſtolos in Iudæa, initiauit Eccleſia, quibus omnia communia fuiſſe leguntur: & nemo aliquid ſuum eſſe dicebat. Hoc non ſolum in ſeculari ſubſtantia ſeruandum eſſe arbitror: ſed etiam in deſideriis ſpiritalibus, vt omnes vnum concupiſcant, & obedientiæ bonum magis exſequantur, quàm propriæ volũtatis affectum. Si Chriſtus ſuam non venit facere voluntatem, ſicut ipſe in Euangelio teſtatur, ſed patris: quantò magis monachus ſuam non debet facere voluntatem, ſed Chriſti: nec ſegnis in opere Dei, ſed ſtudioſus: nec tantum conſiderare quid iubeatur, ſed quomodo perficiatur, quod iubetur: ne vllatenus murmurationis malum creſcat in aliquibus? Si aliqui ex populo Dei in eremo, propter murmurationis perierunt peccatum: quantò magis monachus mõnaſterij ſpiritali plectatur vindicta, ſi murmurationis malo mentem inſoleſcere non metuit? (Ioan. 5. & 6.)

Quapropter cum gratiarum actione accipiat, quod ei paſtoris cura præuiderit ſufficere. Sit enim ſanctæ pacis concordia inter cunctos; vitæ caſtitas in adoleſcentibus; morum grauitas in ſenibus: feruor operis in iuuenibus: nec quiſquam ſe canonicis horis, vel regularibus pſalmodiis ſubtrahat. Melius eſt cum angelorum cœtibus Chriſtum laudare, quàm torpentem ſegnitia, ſomno delectari: vel vigilando, inania exſequi deſideria. Et non ſolùm verba ſanctæ lectionis reſonent in ore; ſed intima cordis compunctio ſequatur verba legentis, vel cantantis: Et nullatenus horis competentibus ſacræ Scripturæ lectio recedat de manibus; quia diuerſæ nunc hæreſes, ſicut audiſtis, Catholicæ fidei puritatem maculare nituntur.

Quapropter armate voſmetipſos ſcientia veritatis, ſententiis Euangelicæ auctoritatis, vt reſiſtere valeatis contradicentibus veritati. Quomodo pugnat inermis? vel quomodo docere poteſt, qui diſcere noluit? Spiritales ſunt diuitiæ, ſapientia

Prou. 13. in corde, vt Salomon ait, *Theſaurus deſiderabilis requieſcit in ore prudentis.*

Sanctæ fidei veritatem diligenter diſcite, & agnitam cordis recondite theſauro, & ſpe firmiſſima vos retinete ad Deum, & charitate feruentiſſima illum amate, honorate, & laudate: quia hæc eſt pars optima, quam Maria elegit, ſedens ſecus pedes Domini, quæ non auferetur ab homine in æternum. Sed tantò ardentius poſt hanc vitam amatur Chriſtus, quantò perſpicacius eius intellegitur bonitas.

Sed non eſt opus meæ paruitati, vos ammonere de ſingulis, dum habetis ſacræ inſtitutionis libros notiſſimos, & pium patrem, paſtorem veſtrum præſentem: qui vos viua voce melius admonere poterit, quàm mea ſeries litterarum. Tamen, vt debitam vobis oſtenderem caritatem, paucis vos apicibus appellare ſtudui, ad agnoſcendam in vos meæ dilectionis fiduciam. Præfato itaque patri cum omni humilitate obedite. Ille habet rationem reddere ſolicitudinis ſuæ pro vobis, & vos obedientiæ veſtræ in illum æqualiter rationem reddere habetis. Ille, pro vobis in magno poſitus eſt periculo: vos, pro illo magna charitate intercedere ſtudete: vt mercedem pro vobis habeat apud Deum, & vos requiem cum illo habeatis in regno Dei. Filiorum eruditio, laus eſt magiſtrorum: & profectus gregis, merces eſt paſtorum.

Diuina auxiliante gratia cuſtodite vos fratres in omni caſtitate, humilitate, concordia, & caritate: onera veſtra inuicem

Epheſ. 4. portantes. Omnis ſermo malus, & impudicus, & impatiens, & inutilis ex ore veſtro non procedat: ſed quæ ſancta ſunt, pia, & iuſta, & veſtræ condigna ſanctitati, ad exhortationem audientium loquimini. Et ſemper Deus honorificetur in ore veſtro, & quæ ad pacem pertinent veram, tota ſectamini intentione, & Deus pacis erit

MS. Cod. vobiſcum [& pax, quæ exſuperat omnem ſenſũ cuſtodiat corda veſtra in omni bonitate & pietate. Beati pacifici. Summa nobilitas eſt filium eſſe omnipotentis Dei. Sed hæc nobilitas magna morũ dignitate promerẽda eſt. Non enim eſtis veſtri, ſed Chriſti qui vos magno empſit pretio, hoc eſt ſuo ſanguine. Portate Deum in corpore veſtro, vt Deus dignetur habitare in cordibus veſtris. Quatenus ex hac breui & laborioſa vita, ad æternam requiem & beatitudinem peruenire mereamini, intercedente beati Hrotberti aliorumq; Patrum ſãctitate pro vobis. Diuina pietas in omni bono florere vos faciat, fratres cariſſimi.

AD VSVALDVM,

EPISTOLA LXXIX. EDIT. XXV.

Domini Dei Saluatoris mundi ſanctiſſimæ Congregationi, & pio Patri Vſualdo, humilis Leuita Albinus ſalutem.

LAVDABILEM veſtræ beatitudinis conuerſationem, & condignã veſtro nomini vitam laudamus, & Dominum in vobis, qui tales ſui ſancti nominis dignatus eſt habere confeſſores. Nec enim fruſtra ſpeciali vocabulo monachi ſancti SALVATORIS vocamini: niſi quia eſtis meritis, quod nomine dicimini. Imò & tam nobilis Rex nobiles debet habere miniſtros, moribus egregios, in pace concordes, in corpore caſtos, in animo ſobrios, omni bonitate eximios, clariſſimis adſuetos triumphis; non fuga vitam defendere, ſed in acie firmiter ſtare, viriliter pugnare, fortiter vincere, quatenus cum glorioſa victoriæ palma, æterni Regis ciuitatem intrare mereamini. Hoc conſiderantes, fratres, adhortamini voſmetipſos per ſingulos dies, donec cognominetur Chriſtus in vobis. Et ad finem firmum, cœptum iter beatæ conuerſationis peragite, vt vnuſquiſque cum Apoſtolo dicere dignus efficiatur: *Bonum certamen certaui, curſum conſummaui*, fidem ſeruaui. De reliquo, 1. Tim. 4. repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die, iuſtus Iudex.

Veſtræ petitionis & voluntatis ad domnum Regem, quantum valui, fui adiutor, ſecundum quod mihi fraternitatis veſtræ miſſus ſuggeſſit: mihique adiutricem LIVDGARDAM piiſſimam in Deo feminam adduxi. Sed obſecramus, vt ſanctiſſimis orationibus veſtris noſtrum pro vobis laborem remunerare dignemini. Nam olim per ANGILRAMNVM * Archiepiſcopum, & ſanctæ Capellæ Primiceriũ meipſum veſtrę commẽdaui ſanctitati. Sed modo quaſi ſingulorum genibus * prouolutus, obſecro vt me in huius vitæ ſalo fluctuantem pietatis precibus ad portum perpetuæ quietis, diuina donante gratia, tranſportare dignemini: vt & ego animæ meæ ſalutem fraternæ interceſſionis iuuamine habere merear, & vos æternæ retributionis mercedem à Deo pro caritatis officio dignè accipere mereamini. Omnipotens Deus exaudiat pietatis veſtræ preces, & multis prodeſſe concedat; vobiſque per-

*ed. ENGILRAMNVM.

*al. pedibus.

petuæ præmia gloriæ donare dignetur, cariſſimi, & deſiderantiſſimi fratres.

AD CONGREGATIONEM Sanctæ Mariæ, & Patrem Moroaldum.

EDIT. XLV.

EPISTOLA LXXX.

Beatiſſimæ & ſanctiſſimæ Dei genitricis, ſemperque Virginis Mariæ congregationi, & pio Patri Moroaldo, vltimus ſanctæ Eccleſiæ clientellus Alchuinus in Chriſti caritate ſalutem.

SAEPIVS veſtræ ſanctitatis audiens* famã, & ideò me veſtræ ſantiliaritati adiũgere deſideraui. Sed modò tempus opportunum occurrit, per præſentem fratrem obnixis precibus meipſum vobis commendare. Quapropter per ſanctæ Virginis filium, veſtram ſuppliciter obſecro vnanimitatem, vt me licèt indignum, veſtris animis atque manibus accipere dignemini, non quaſi ignotum, ſed quaſi fratrem. Quia licèt oculis carnis non vidiſſem, tamen oculis cordis vos videre videor, & valde diligo; honeſtatemque vitæ veſtræ animo complector ſtudioſo, cupiens veſtram beatitudinem vbique proficere* in Domino, & ad perpetuæ pacis peruenire lætitiam. Orantes pro nobis, vos ſemper valete in Chriſto, fratres dilectiſſimi.

*ſ. audiui.

*edit. gaudere.

AD PAVLINVM PATRIARcham, De quibuſdam hæreſibus Hiſpanicis.

EDIT. LXVI.

EPISTOLA LXXXI.

Domino in Domino dominorum dilectiſſimo, & pio Patri Paulino Patriarchæ ſalutem.

VIDEOR aliquod me refrigerium habere animi mei, vt flamma caritatis in corde abſcondita aliquã fortaſſe ſcintillam elicere valeat: ne totum torpeſcat, quod intus igneſcit, dũ opportunum mihi tempus, aliquid tuæ ſcribere charitati, occurrit. Quid? Cum beatitudinis veſtræ literas omni fauo dulciores intueri mereor, nonne videor mihi inter varios paradiſi flores totus conuerſari, & auida deſiderij mei dextera ſpiritales exinde carpere fructus? Quantò magis cùm ſacratiſſimæ fidei veſtræ libellum recenſui, Catholicæ pacis puritate ornatum, eloquen-

A tiæ venuſtate iocundiſſimum, ſenſuum veritate firmiſſimum: totius animi mei habenas in lætitiam laxaui. Vbi de vno lucidiſſimo, & ſaluberrimo paradiſi fonte, quatuor virtutum flumina, non ſolum Auſoniæ fertilitatis prata, ſed totius Eccleſiaſticæ Latinitatis rura irrigare cõſpexi. Vbi & auriuomos ſpiritalium ſenſuum gurgites gemmis ſcholaſticæ vrbanitatis abundare intellexi. Quamplurimis verò profuturum, & perneceſſarium feciſtis opus, in Catholicæ fidei taxatione, quod diu optaui, & ſæpius Domino Regi ſuaſi, vt Symbolum Catholicæ fidei planiſſimis ſenſibus, & ſermonibus lucidiſſimis in vnam congregaretur cartulam, & per ſingulas Epiſcopalium regiminum parochias omnibus daretur presbyteris legenda memoriæque commendanda: quatenus licet lingua diuerſa loqueretur, vna tamen fides vbique reſonaret.

Ecce, quod mea optauit humilitas, veſtra impleuit ſublimitas. Habet apud ſalutis noſtræ auctorem, perpetuam ſcilicet & C huius bonæ voluntatis mercedem: & huius perfecti operis apud homines laudem. Semper feruentiſſima caritas veſtra caſtra perpetui regis vndique inuictiſſimis fidei clypeis muniat: ne, antiqui hoſtis verſutia, aliqua ex parte aditum ſuæ nequitiæ inuenire valeat. Etſi ille mille habeat artes nocendi: multò magis nobis neceſſe eſt, mille habere artes defendendi: credentibus in eum, qui ait: *Confidite, ego vici mundum.* Cuius pietas nobis præuidebat agonis tempus tranſito- D rium: & remunerationis eſſet perpetuum. Ille, prior calcauit caput leonis, & draconis: nobiſque dedit poteſtatem calcandi ſuper ſerpentes, & ſcorpiones; & omnes hęreticas prauitates, quę ſunt portę inferi, ſuperandi. Tu verò, vir Apoſtolice, hac armatus poteſtate, viriliter pugna, fortiter vince, vt feliciter regnes cum Chriſto. Heu proh dolor! multi ſolent deſuper contextam Chriſti tunicam hæreticis ſcindere vnguibus, & in pace Eccleſiæ facere, quod milites in paſſione Chriſti non E auſi ſunt facere. Quapropter venerande pater, & doctiſſime athleta, & dulciſſime doctor ſimus ſemper in caſtris Chriſti commanipulares, & in vna acie, ſub vexillo S. Crucis concordi conſilio, & virtute præliantes, vt ſuos aduerſarios per nos vincat, qui vinci non poteſt.

Ioan. 16.

Luc. 10.

Nunc iterum antiquus ſerpens de dumis Hiſpanici ruris, & de ſpeluncis venenatæ perfidiæ contritum non Herculea

ſed

ſed Euangelica claua caput releuare conatur, & prioribus nequitiæ poculis, noua maledictionis toxica immiſcere, ſed & frigidiſſimus Aquilo ventus alio de latere, ſolidum Eccleſiæ impellens parietem, ſacri baptiſmatis, Catholicæ conſuetudinis, regulàm immutare nitens: & ſub inuocatione ſanctæ Trinitatis, vnam aſſerentes merſionem fieri debere: triduanamque noſtri Saluatoris ſepulturam in baptiſmo imitari neglegentes: cùm Apoſtolus diceret: *Conſepulti enim eſtis cum Chriſto in Baptiſmo.* Alij verò trinam volentes facere merſionem, & in vnaquaque merſione inuocationem ſanctæ Trinitatis: ac per hoc totas tres perſonas ter nominare ſtudentes, dum ipſa Veritas præciperet: *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus-ſancti.* Quid opus eſt tertiò replicare, quod ſemel dictũ ſufficit?

Eſt quoque in quibuſdam clancula dubitatio, an animæ ſanctorum Apoſtolorũ, & Martyrum, aliorúmque perfectorum ante diem iudicij, in cœleſte recipiantur regnũ. His & huiuſmodi ſpiculis, de pharetris (vt æſtimo) exemptis perfidiæ, vnitatem ſanctæ & Catholicæ Eccleſiæ, & veritatem vniuerſalis fidei aliqui vulnerare nitentes, etiam & ſpurciſſimis errorum fæcibus limpidiſſima Eccleſiaſticæ fidei pocula inficiunt: & nuptiale vinum, quod Chriſtus ex aqua virgini matri, Eccleſiæ ſcilicet ſanctæ ſalubriter potandum conuertit, iterum in aquas ſtultitiæ conuerti conantur. Sed tuum eſt, ô paſtor electe gregis, & cuſtos portarum ciuitatis Dei, qui clauem ſcientiæ potẽte dextera tenes, & quinque lapides limpidiſſimos læua recondis, blaſphemantes exercitum DEI viuentis Philiſtæos in ſuperbiſſimo Goliath vno veritatis ictu totos conterere. Noſtrũ eſt eleuatis cũ Moyſe manibus in cœlum, humilitatis precibus te adiuuare, & ſpectare cũ Dauid in munitiſsima ciuitatis turre, donec ſpeculator ex alto culminis faſtigio clamitans, nobis tuam adnuntiet victoriã. Ad te omnium aſpiciunt oculi aliquid de tuo affluentiſsimo eloquio cœleſte deſiderantes audire: & feruentiſsimo ſapientiæ ſole, frigidiſsimos grandinum lapides, qui culmina ſapientiſsimi Salomonis ferire nõ metuunt, per te citius reſolui expectantes. Tu verò lucerna ardens, & lucens; nos in tua luce exultare gaudemus, vt te lucente, & ducente ad lumen, quod inluminat omnem hominem venientem in hunc mundum, eiuſdem æternæ lucis gratia adiuuante, peruenire mereamur.

AD THEOPHILVM,

EPISTOLA LXXXII. EDIT. LXVI.

Optimo Theophilo bis binæ Euangelicæ veritatis diſcipulo, & ſanctarum quadrigæ virtutum, fidelium quadriga amicorum plena caritatis naue trans Alpinas aquas dirigit ſalutem.

ACCEPIMVS dignitatis veſtræ cartam, verè, vt agnouimus, caritatis floribus depictam, ac mellifluo ſpiritalis iocunditatis ſapore refertam. Vnde & nos diſcipuli ſanctitatis veſtræ in abundantia floriflui nectaris, quod ex eius gremio pleniter hauſimus, refecti, ſatiati, valde lætati ſumus: agnoſcentes cœleſtem caritatis theſaurum veſtro ſufficienter recondi in pectore, & affluenter indè per lata terrarum ſpatia, flumina ſalutiferæ doctrinæ emittere, * & arida iuſtitiæ fonte ſitientium corda inrigare: non ſeptigenò Niliaci fluminis gurgite, ſed ſeptiformi ſancti Spiritus inundantia viuentis aquæ fluenta, in vitam ſalientia ſempiternam. Vnde & luciſſima Apoſtolicæ fidei pocula nobis propinare larga pietate ſtuduiſti, quæ cum omni caritatis auiditate accepimus, & cum magna gratiarum actione potauimus. Nec vnius paruiſſimi, & variis motibus vibrãtis in ſole ſpurcitiam atomi offendimus in eis, ſed cryſtallina puritate micantia; ita vt ſuperni ſolis radiis noſtri cordis lychnos mirabiliter inluminauerit. (*al. emanare.*)

Hæc conſiderauimus diligentius, & deſiderauimus ardentiùs; legimus ſæpius & elegimus ſemper, & lætificati laudauimus Deum, qui ſolita pietate tale lumen noſtris conceſſit temporibus *. Quapropter intentiùs precamur, luceat lux tibi à Deo datæ ſapientiæ, ex corde caritatis tuæ, per os veritatis tuæ; vt omnis auditor ædificetur, & ſolus omnium dator bonorum glorificetur in te, & per te. Sæpiùs ad nos currat carta exhortationis tuæ, nec eam Alpinum frigus, vel viarum aſperitas, vel exundatio fluminum vllatenus impediat. Caritas omnia ſuperat, de qua dulciſonus decantauit Pſalmiſta, *Aquæ multæ non potuerunt extinguere caritatem, nec flumina obruent illam.* Illa ex abundantia cordis dictando ſcribat, vt nos ex diligentia legendi ædificemur. In calce verò cartulæ huius obſecramus, quod in capite optamus, quatenus noſtræ nauigium vitæ ſanctitatis veſtræ orationibus gubernare digneris. (*al. laboribus.*) (Cant. 8.)

* al. negotiorum.
Nam procelloſa ſecularium negotiatorũ* A tempeſtas huc illúcque nos agitat, falſa nos tranquilitate in ſalo profundiſſimæ voraginis mergere quærens. Sed pius omnium gubernator, & humanæ ſemper amator ſalútis, tuis, Pater venerande, exoratus lacrymis, nos, licèt indignos, huius fluctiuagi pericula maris euadere faciat, & ad perpetuæ ſtabilitatis ſtationem proſpero curſu plenis mercedibus * peruenire concedat.
* f. mercibus.

Dextera te Chriſti ſemper defendat vbique,
Protegat, atque regat, felix tu viue, valeto. B

KAROLI AD HOMERVM,
Admonitio ad Leonem Papam,
MS. * EPISTOLA LXXXIII.

Karolus gratiâ Dei Rex, & defenſor ſanctæ Eccleſiæ, Homero Auricolario ſalutem.

DIVINA regente miſericordia iterum, & proſperè te adducente ad dominum APOSTOLICVM Pa- C trem noſtrum, ammoneas eum diligenter de omni honeſtate vitæ ſuæ, & præcipuè de ſanctorum obſeruatione Canonũ. De pia ſanctæ Dei Eccleſiæ gubernatione ſecundum opportunitatem conlationis inter vos, & animi illius conuenientiam. Ingeraſq; ei ſæpius, quàm paucorum honor ille quem præſentialiter habet, annorum, quam multorum eſt perpetualiter merces: quæ datur benè laboranti in eo. Et de ſimoniaca ſubuertẽda hæreſi diligentiſſimè ſuadeas illi, quæ ſanctum Eccleſiæ corpus D multis malè maculat in locis. Et quicquid mente teneas ſępius querelis agitaſſe inter nos. Sed qualis mihi eſſet conlatio cum beato ADRIANO Papa prædeceſſore illius, de conſtruendo Monaſterio ad ſanctum Paulum, nullatenus dimittas ſuggerere illi, vt volente Deo reuertens, certũ mihi reſponſum habeas referre. Dominus Deus ducat te, & deducat, cum omni proſperitate. Dominus Deus regat & dirigat in omni bonitate cor illius, vt faciẽs faciat quod ſanctæ ſuæ proficiat Eccleſiæ. Vt ſit E nobis pius Pater, & pro nobis pręcipuus interceſſor, vt idem Deus, & Dominus noſter Ieſus Chriſtus nos in ſua florere faciat voluntate; & curſum, qui ſupereſt nobis, vitæ noſtræ, ad perpetuæ ſtabilitatis quietem perducere dignetur Vade cum proſperitate, proficiens in veritate, reuerſurus cum gaudio, Homeriane puer.

ITEM KAROLI AD
Leonem Papam,
EPISTOLA LXXXIV.

Karolus gratia Dei Rex Francorum & Longobardorum, ac Patritius Romanorum, Leoni Papæ perpetuæ beatitudinis in Chriſto ſalutem.

PERLECTIS excellentiæ veſtræ litteris, & audita Decretali Cartula, valde, vt fateor, gauiſi ſumus ſeu in electionis vnanimitate, ſeu in humilitatis noſtræ obedientia, & in promiſſionis ad nos fidelitate. In quibus omnibus ex intimo cordis affectu multiplices diuinæ pietati agentes grãtias. quia nobis poſt lacrymabile doloris vulnus, quod animæ noſtræ dilectiſſimi Patris & fideliſſimi amici obitus inflixit, talẽ vobis ſolita ſuæ clementiæ prouidentia ſolatium perdonare dignatus eſt Vnde & veſtræ ſanctitati quaſi vicario lętitiæ munere, per eiuſdem Dei & Domini noſtri Ieſu Chriſti miſericordiã, qui ſanctæ ſuæ Eccleſiæ in veſtræ beatitudinis exaltatione conſuluit, noſtram omniumque fidelium noſtrorũ demandamus proſperitatem. Necnõ & pacificam in Dei volũtate totius regni noſtri innoteſcimus vnanimitatem: vt æquè in noſtræ deuotionis gaudeatis, ſicut & nos in veſtræ ſanctitatis lætemur ſucceſſibus.

Sed & hoc veſtræ ſanctiſſimæ beniuolẽtiæ innoteſcimus, quòd cum dilectionis munera Patri meo dulciſſimo, prædeceſſori veſtro dirigere parraueram; vt caritatis, quam in eo habui, munificentiæ largitate monſtrarem magnitudinẽ; & ſuauiſſimæ inter nos familiaritatis fidelitas multorum oſtenderetur oculis: Ecce ſubitò, quod ſine dolore non dicam, ſine lacrymis non cogito præ triſtitia, obitus illius legatione conſternatus; & vbi lætitiæ parraueram inſignia, ibi me triſtitiæ turbauerunt lugubria. Etſi Apoſtolus de mortuis contriſtari prohiberet, tamen caritas lacrymas elicere non ceſſat. Non quaſi mortuum plangentes, ſed quaſi meliùs cum Chriſto viuentem recordantes Si nos corporali pręſentiâ amiſiſſet, non tamen ſpiritali ſuffragio illum nos amittere arbitramur. Sed magnum diuina nobis pręuidebat gratia ſolatium, dum vos, Vir venerande, in locum illius ſubrogauit: vt eſſet, qui cotidie apud beatum Petrum Principem Apoſtolorum pro totius Eccleſiæ ſtabilitate;

& qui pro ſalute mea, meorumque fidelium, immò & pro totius ſtabilitate regni nobis à Deo dati intercederet, & paterna pietate nos in filium ſibi adoptaret dilectionis pacificam vnanimitatem.

ANGILBERCTVM manualem veſtræ familiaritatis veſtræ direximus ſanctitati, quem priùs, ſicut promiſimus per religioſos viros CAMPOLVM & ANASTASIVM, beatiſſimo Patri noſtro, prædeceſſori veſtro, dirigere curauimus; ſed vt præfati ſumus, dum exenia omnia parata erāt, lugubri paternæ mortis nuntio repente tardatum eſt iter illius. ſed modo lætiores de veſtræ ſanctitatis ſucceſſione facti, quod deſiderauimus in illo pio Patre agere, in vobis perficere ſtudemus. Illique omnia iniunximus, quæ vel nobis voluntaria, vel vobis neceſſaria eſſe videbantur: vt ex cōlatione mutua conferatis, quicquid ad exaltationem ſanctæ Dei Eccleſiæ, vel ad ſtabilitatem honoris veſtri, vel Patritiatus noſtri firmitatem neceſſarium intellegeretis. Sicut enim cum beatiſſimo prædeceſſore veſtro ſanctæ paternitas pactum inij, ſic cum beatitudine veſtra eiuſdem fidei & caritatis inuiolabile fœdus ſtatuere deſidero. Quatenus Apoſtolicæ Sanctitatis veſtræ diuina donante gratia, ſanctorum aduocata precibus me vbique Apoſtolica benedictio conſequatur; & ſanctiſſima Romanæ Eccleſiæ Sedes, Deo donāte, noſtra ſemper deuotione defendatur.

Noſtrum eſt, ſecundum auxilium diuinæ pietatis, ſanctam vbique Chriſti Eccleſiam ab incurſu paganorum, & ab infidelium deuaſtatione, armis defendere foris, & intus Catholicæ fidei agnitione munire. Veſtrum eſt, ſanctiſſime Pater, eleuatis ad Deum cum Moyſe manibus, noſtram adiuuare militiam: quatenus vobis intercedentibus, Deo ductore & datore, populus Chriſtianus ſuper inimicos ſui ſancti nominis vbique ſemper habeat victoriam, & nomen Domini noſtri IESV CHRISTI toto clarificetur in orbe. Veſtræ verò auctoritatis prudentia Canones vbique ſequatur, quatenus totius ſanctitatis exempla omnibus euidenter in veſtra fulgeant conuerſatione. Et ſanctæ admonitionis exhortatio audiatur ab ore, quatenus luceat lux veſtra corā hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in cœlis eſt. Omnipotēs Deus veſtræ auctoritatis beatitudinem ad ſanctæ ſuæ Eccleſiæ exaltationem per multa annorum curricula incolumem conſeruare dignetur.

ITEM KAROLI AD REGEM OFFAM,

EPISTOLA LXXXV. MS.

Karolus gratiâ Dei Rex Francorum, & defenſor ſanctæ Dei Eccleſiæ, dilecto fratri & amico OFFAE *Regi ſalutem.*

PRESBYTER iſte, & Scottus, apud nos moratus eſt aliquanto tempore in parrochia HILDEBOLDI Colonenſis Epiſcopi, ſed reprehenſibilis factus, vt fertur, à quodam accuſatore, quòd carnem diebus quadrageſimalibus comediſſet. Noſtri verò Sacerdotes iudicare renuerunt, quia plenum teſtimonium accuſantium ſuper eum non inuenerunt. Tamen nec eum loco conſueto habitationis ſuæ propter infamiam diutiùs morari permiſerunt: ne Sacerdotalis honor apud imperitum vulgus vileſceret, vel rumigera loquela aliqui hortarentur violare ſanctum ieiunium. Viſum eſt noſtris ſacerdotibus illum ad ſui Epiſcopi, vbi Deo votum fecit, dirigere iudicium. Idcirco veſtram deprecamur prouidentiam, vt iubeatis illum ſecundum opportunitatem temporis & prouectionis, in ſuam transponere patriam, vt ibi iudicetur, vnde exiuit. Nam ibi quoque ſanctæ Dei Eccleſiæ puritas in moribus, & firmitas in fide, & honeſtas in conuerſatione, ſecundum Canonicam ſanctionem diligenter obſeruari debebit: vt vna, perfecta, & immaculata columba, cuius pennæ deargentatæ, & poſteriora eius in ſpecie auri clareſcere debent. Vita, ſalus, & proſperitas, tibi tuiſque fidelibus à Deo Chriſto detur in æternum.

ALBINI AD LIOBRADVM,

EPISTOLA LXXXVI. MS.

Pontifici fratri, amico Liobrado electo, Albinus ſalutem.

GRATIAS ago Deo, qui talem mihi perdonare dignatus eſt amicū, in cuius fide veritas, in cuius bonitate benignitas, in cuius conſilio ſalus ſemper inuenta eſt. Et quantò rariores nūc temporis tales inueniri poſſunt, tantò cariores haberi debent. Sicut gemmarū fulgor inter arenoſam ſplendeſcit glareā, ita amicus probatus inter multitudinis cir-

cumſtrepentem turbam gratiſſimè eruitur, amplexatur, tenetur. Qui, iuxta antiquitatis prouerbium, diu quæritur, vix inuenitur, difficile ſeruatur. Cuius parabolæ interpretationem facile eſt ex teipſo cognoſcere; & mirum in modum quod omnes inuenire volunt, vix vllus eſſe deſiderat. Et hoc ideò, quia præceptum Dominicum ſi apertis audiant auribus, ſurdo tamen corde paruipendunt. *Omnia quæcumque vultis vt faciant vobis homines, hæc eadem & facite illis.* Inter cetera virtutum inſignia, quæ huic adiacent mandato, hoc quoque adiungitur, vt qui amicum velit inuenire fidelem, ſit ille cuicumque hominum amicus fidelis, vel in ſalute animæ, vel in ſuffragio ſeculari, quantum ad rem & perſonam cuiuſlibet pertineat.

Quòd verò me interrogare voluiſti de certitudine voluntatis vel loci, nihil tibi certum adhuc remandare habeo, niſi Deo miſerante & vita comite adhuc viſurus eris faciem meam: licet neſciam propter occupationes meas, vel veſtras, vbi aut quando. Multoties ſecundum opportunitatem portantium literas mihi dirigere ſatage, vt habeam curam tuæ caritati reſcribendi, vel etiam demandandi quodcumque veniat mihi. Tantum diligenter deprecare Dominum Ieſum, vt dirigat ſecundum ſuam magnam miſericordiam, vitam famuli ſui in ſanctiſsimæ ſuæ voluntatis effectũ, & Chriſtianæ religionis iuxta facultatem virium noſtrarum profectum.

Pax æterna regat Chriſti te, Præſul amate,
Semper in æternum, Præſul amate, vale.

AD QVOSDAM,

MS.* EPISTOLA LXXXVII.

Sanctiſsimis in Chriſto atque dilectiſsimis fratribus & filiis in Chriſto ſalutem.

VESTRIS in Domino profectibus valde congaudeo, deſiderans vos præſenti florere felicitate, & perpetua futura beatitudine. Ideoque ſæpius de concordia pacis, & de conſilio ſalutis ammonere non deſiſto. Licèt paruo ingenio, non tamen parua caritate. Nec mihi tam citò veniendi occurrit facultas, quam veſtra flagitabat ſanctitas, propter quaſdam Eccleſiæ Chriſti neceſsitates. Iam totus vobiſcum ſum in deſiderio proſperitatis veſtræ. Et ſi corpore abſens, non tamen dilectione. Hoc maximè obſecro, vt concordes ſitis cum piiſsimo Patre noſtro,

A & timorem Domini ante oculos habeatis. Et quod ei placitum ſperatis, concorditer loquimini, viriliter perficiatis, firmiter retineatis. Nec aliquis veſtræ vnanimitatis viſcera diſrumpere valeat. Conſtanter ſtate in Dei timore, dum ille miſericorditer veſtrum præuidit honorem, qui nunquam dimittit ſperantes in ſe. Si qua in moribus humanæ conuerſationis inter vos corrigenda ſunt, citiùs cũ omni inſtantia corrigite; vt Spiritus Domini ſanctus vobiſcum manere dignetur. Et ſi Deus, qui dixit, *Vbi* B *ſunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio;* ſi ille, inquam, in vobis eſt, quis contra vos? & ſi amor illius in corde veſtro ardet, quis vobis nocere poterit? Habetis Sanctos Dei in omni opere bono adiutores, ſi Sanctorũ veſtigia ſequi tota virtute ſtudeatis. Memẽtote quales habuimus Patres, qui nos genuerunt in Domino. Illorũ æmulamini vitam, vt cum illis æternæ beatitudinis participes eſſe mereamini. Meíq; memores in ſanctis orationibus veſtris ſitis, veſtrámque vnanimitatem in omni C opere bono omnipotens Deus proficere concedat, dilectiſsimi fratres.

AD DILECTISSIMOS amicos,*

EPISTOLA LXXXVIII.*

*Eboracenſis Eccleſiæ fratres.
MS.*

Dilectiſsimis amicis ſalutem.

ROGO vos per caritatis fidem, vt fideliter & ſapienter in electione D Pontificis faciatis, ſi neceſſe ſit, electionem fieri antequam veniam. Iterum iterumque obteſtor vos per nomen Domini noſtri IESV CHRISTI, vt nullatenus aliquem ſinatis per Simoniacam hæreſim Epiſcopatum adquirere: quia omninò perditio gentis eſt, ſi fiet. Et eſt hæreſis peſſima ſimoniaca, videlicet quam ſanctus PETRVS æterno anathemate damnauit. Qui vendit Epiſcopatum, aurum accipiet, ſed & regnum Dei perdet.

Huc vſque ſancta EBORACENSIS E Eccleſia in electionè ſua inuiolata permanſit. Videte, ne in diebus veſtris maculetur. Si illa, quod abſit, auctoritatem amittit Eccleſiaſticam, timeo ne vos regnum amittatis æternum. Iudas vendidit Sponſum, id eſt Chriſtum. Qui autem vendit Sponſam, id eſt Eccleſiam, eiuſdem criminis reus eſt: quia Chriſtus & Eccleſia vnum corpus ſunt, Apoſtolo teſte. Venditor verò neceſſe eſt extra Ec-

deſiam ſit. At qui extra Eccleſiam eſt, vbi erit, niſi cum diabolo in æterna perditione? Nolite metuere veritatem vobis dicentem audiſſe. Hoc enim quod dico, libri Spiritu ſancto prolati teſtantur. Opto enim vos immaculatos in conſpectu Dei eſſe, & in hoc ſeculo feliciter regnare, & in perpetuo gaudere cum Chriſto. Viuite, & valete, felices in Chriſto.

A bere illos, quantùm meliores ſunt meritis & dignitate. Omnipotens æterna protectione eos vbique cuſtodiat, protegat, & regat, cum omnibus fidelibus ſuis. EGFRIDVM filium meum diligenter ſaluta. Opto vt floreat in voluntate Dei, & proſperitate multis feliciter annis. Valeto ſemper, dulciſſima ſoror.

AD. HVNDRVDEM feminam,

MS.* EPISTOLA LXXXIX.

Deo deuotæ feminæ Hundrudæ Alchuinus Diaconus ſalutem.

BENIGNITATIS tuæ ſalutationem & munuſcula gratanter accepi. In quibus te agnoui conditæ olim amicitiæ bonam abundare * memoriam. (*f. habere.) Credens quoque tuam ſimiliter non obliuiſci prudentiam, qualiter deuotio mea te iam præſente de caritate Chriſti & honeſtate vitæ diligentiſſimè ammonuit. Ideò non opus eſſe arbitror, multis illa reiterare ſermonibus, ſed paucis depoſcere litterulis: vt omni hora vel momento dies in mente habeas æternam, & præpares te in occurſum Domini Dei tui, vt ſine timore videre valeas iudicem vitæ tuæ, quem tota virtute dilexiſti in pectore tuo. Sit cogitatio tua in præſentia Dei, in ſobrietate vitæ, & ſermo tuus in modeſtia veritatis, & opera tua in caſtitatis honeſtate, vt exemplis tuis adoleſcentiores erudiantur, ſeniores congaudeant, omnes ædificentur; vt in Palatio Regis regularis vitæ deuotio in tua videatur conuerſatione. Quatenus ſummi Regis pietas in omni te cuſtodiat proſperitate, & in bonis operibus vſque ad finem vitæ perſeuerantem, æterna te remunerari gloria dignetur.

Saluta, obſecro, domnam Reginam ex meæ paruitatis nomine. Scripſiſſem exhortatorias illi litteras, ſi illi propter occupationes Regis meos apices legere licuiſſet. Sciat tamen certiſſimè, ſibi quoque Dominæ, quantum valeo, fidelem eſſe. Tamen geſtum eſt de Monaſterio Inmercum, ſicut de illorum non ſperaui bonitate. Faciant de me ſicut illis placeat. Nam fides mea apud illos non violabitur, credens tantò meliores ha-

B AD DOMNVM REGEM.

EPISTOLA XC. MS.*

DOMINE mi dilectiſſime, & dulciſſime, & omnium deſiderantiſſime mi DAVID: triſtis eſt FLACCVS veſter propter infirmitatem veſtram. Opto, & toto corde Deum deprecor, vt citò conualeatis, vt gaudium noſtrum ſit plenum in vobis, & ſanitas veſtra ſit plena anima & corpore. Domine mi, memor ſit pietas veſtra C captiuorum, dum eſt PIPPINVS tuus tecum, propter gratiarum actiones mirabilis beneficij, quod vobiſcum de HVNIS diuina fecit clementia: & propter proſperitatem imminentium rerum: vt clementiſſima illius potentia omnes aduerſarios ſui ſancti nominis veſtris velociter ſubiiciat pedibus: ſed & de peccantibus in vos, ſi fieri poſſit, & veſtræ videatur prouidentiæ, aliqua de aliquibus fiat indulgentia & remiſſio. Tamen propter incognitas illorum cauſas cautiùs de his lo- D quor. Vos enim ipſi optimè ſcitis quod vtile eſt regno vobis à Deo dato; & paci ſanctæ Dei Eccleſiæ proficuum. Facientes faciatis in omnibus voluntatem Dei, quatenus illius ſanctiſſima gratia vos proficientes vbique protegat, regat, & cuſtodiat, Domine, & dulciſſime, & deſiderantiſſime.

AD PIPPINVM,

E EPISTOLA XCI. MS.*

Nobiliſſimo nobiſque amantiſſimo filio Pippino, Albinus in Chriſti dilectione ſalutem.

GRATIAS agimus beniuolentiæ tuæ, ſimul & pietati domni Regis, qui piè conſentit petitioni redemptionis captiuorum. Scio vos in talibus pietatis operibus promereri benedictio-

nem, & longæuam regni proſperitatem adipiſci. Et tu, excellentiſſime iuuenis, nobilitatem generationis morum nobilitate adornare ſtudeas. Et Dei omnipotentis voluntatem atque honorem tota virtute implere contende; quatenus illius ineſtimabilis pietas ſolium regni tui exaltet, & terminos dilatet, & gentes tuæ ſubiciat poteſtati. Eſto largus in miſeris, pius in peregrinis, deuotus in ſeruitio Chriſti: ſeruos illos & Eccleſias honorificè tractans, & vt ſedula illorum oratio te adiuuet. Eſto honeſtus in conuerſatione, (B) caſtus in corpore. Lætare cum muliere adoleſcentiæ tuæ, & non ſint alienæ participes tui: vt benedictio tibi à Deo data in longam nepotum procedat poſteritatem. Eſto fortis in aduerſarios, fidelis in amicos, humilis Chriſtianis, terribilis paganis, affabilis miſeris, prouidus in conſiliis. Vtere conſilio ſenum, & ſeruitio iuuenum. Et æquitatis iudicia in regno tuo, & laus Dei vbique horis competentibus reſonet; & maximè in præſentia pietatis tuæ. (C) Quia huiuſmodi deuotio in officiis Eccleſiaſticis Deo te amabilem faciet, & hominibus honorabilem efficiet. Sint tibi ſobrietatis cogitationes in corde, veritatis verba in ore, honeſtatis exempla in moribus: vt te diuina vbique clementia exaltet & cuſtodiat. Hæc obſecro carta tecum in teſtimonium amoris mei pergat. Et ſi non ſit digna tuæ venerationis cingulo ſuſpendi, tamen eius ammonitio digna ſit in corde tuæ ſapientiæ recondi.

Viue Deo florens, læta gaudenſque ſalute.
Dextera te Chriſti protegat, atque regat.
Obſecro, commendes Albini vt nomen vbique,
O fili, famulus per tua regna Dei.

AD DVLCISSIMVM FILIVM Homerum,

EPISTOLA XCII.

Edit. XLVI.

Dulciſſimo filio vir fluctiuagus ſalutem.

TE abeunte, tentaui ſæpius ad portum ſtabilitatis venire: ſed Rector rerum, & diſpenſator animarum necdum conceſſit poſſe, quod olim fecit velle. Adhuc ex radice cordis naſcentes cogitationum ramuſculos ventus tentationum flagellat, vt conſolationis flores, & refectionis fructus nutriri nequiuerint. Tota nocte laborantes (Luc. 5.) (A) nihil cepimus. quia necdum in litore IESVS ſtetit, præcipiens in dexteram nauigij rete mitti. Patrocinia Sanctorum non obliuiſcere. Res Eccleſiaſticæ pulcritudinis oculis occurrentes noli neglegere, vt acquiras. Noſtra ruſticitas auara eſt de talibus: veſtra nobilitas larga eſt de omnibus. Memor eſto Poëtici præſagij:

Si nihil attuleris, ibis Homere foras.

Hoc de te, tuóque itinere prophetatum eſſe quis dubitat? ſi Chriſtum SIBYLLA, eiuſque labores, prædixit venturum, cur non NASO HOMERVM, eiuſque itinera præcecinit? Paulùlum propter refectionem animi rhetorica luſi lepiditate.

Sed vt iterum ad ſeriem rugoſa fronte reuertar: Te verò vnanimem depoſcens amicum, te cuſtodem animi obſecrans, vt conſilium ſalutis animarum noſtrarum, cum ſuffragiis ſanctorum Apoſtolorum à Deo depreceris. Nam nos ambos, vt recognoſco, quædam neceſſitatis catena conſtringit, & libero curſu voluntatis caſtra intrare non permittit: nec eſt qui compedes rumpere valeat, niſi qui inferni ferrea clauſtra contriuit: qui eſt via, & veritas, & vita. Via, pergentibus per illum: veritas, venientibus ad illum: vita, manentibus in illo. Quid habeo plus ſcribere? quia omnia neceſſaria noſti. iuxta opportunitatem portantis, ſemper dirige mihi literas, vt ſciã de proſperitate tua, & itinere tuo, quando, vel quò venias miſerante Deo.

Proſpera cuncta, precor, faciat tibi Chriſtus,
HOMERE,
Qui te conſeruet ſemper, vbique. Vale. (D)

AD DAMOETAM FILIVM,

EPISTOLA XCIII.

Flaccus Albinus Flauio Damœtæ filio cariſſimo ſalutem.

(E) TVAE congaudeo dilectioni, & præſtatæ fidei cõgratulor. quia ſemper vbique te fidelẽ inueni, & beniuolũ erga me agnoui, ſicut filium in patrẽ; nec aliter inueni, niſi vt voluntas tua ſemper meam ſubſequuta eſt voluntatem. Ideo tædium habet animus meus de abſentia faciei tuæ: tamen in caritate cordis mei, te ſemper præſentem habeo, Deúmque

pro tua deprecor proſperitate, vt te mihi in gaudium, tibique [illegible] in ſalutem longæuis conſeruare dignetur têporibus. Sed valde ſolicitus ſum de itinere tuæ profectionis in hoſtem, quia plurima ſolent in talibus euenire pericula rebus. Tamen qui iuſtitiam habet eundi, & pro Deo decertandi, fiduciam poteſt habere de auxilio illius, pro cuius amore tantum ſubire laborem non formidat. Tu verò iter tuum confeſſione confirmare, eleemoſynis roborare, orationibus ſeruorum Dei vndique munire memento: vt Angelus Domini te inter omnia aduerſa tueatur, & comitetur; quatenus cum ſecuritate vadas, & cum pace reuertaris.

Ego penè quaſi orbatus filiis remaneo domi. Damœta Saxoniam, Homerus Italiam, Candidus Britanniam receſſit: Martinus in Vicos apud ſanctum Iodocum infirmus remanſit. pro cuius ſanitate, vt Dei depreceris clementiam, obnixè flagito. De Mopſo, qui apud S. Martinum, ſicut audiſti, infirmatus eſt, nihil aliud audiui certum, nec te abeunte miſſos illius vidi. Sed pene triſtitia totus abſorptus fui in filia mea, quæ tres dies penè deſperata fuit. ſed modò donante diuina miſericordia per preces ſeruorum Dei, & eleemoſynarum largitatem, benè conſolati ſumus in ea, quia benè recuperata eſt. Ecce qualibus pater tuus agitatus eſt fluctibus. Tu, fili cariſſime, cum tuæ reuerentiæ commilitonibus pro eo intercedere ſatage; q[illegible] ſpiritus conſolationis hos eius animi motus tranquilla pace componere dignetur; & DAVID dilectum ſuum, & vos omnes victores cum gaudio reducat in patriam. Æternæ patriæ ciuem te faciat diuina clementia, dilectiſſime fili.

AD ÆRICVM DVCEM,

EPISTOLA XCIV.

Venerando viro Ærico Duci, Albinus Magiſter ſalutem.

SATIS mihi ſacræ lectionis intentio, & piæ humilitatis conuerſatio placet in vobis, & in qua meæ paruitatis familiariter manſiunculam viſitare non ſpreuiſtis. Vnde & gratias agimus veſtræ benignitati, Deumque dilectiſſimè * pro veſtra deprecamur ſoſpitate, quatenus tuæ fortitudinis dexteram contra aduerſarios ſancti ſui nominis victricem vbique faciat, & ab omni aduerſitate diabolicæ fraudis, ſeu à cunctis inimicorum inſidiis, ſuæ magnæ pietatis potentiâ clementer cuſtodiat: cuius ſanctiſſimam voluntatem in obſeruatione mandatorum illius, quantum humanæ poſſibile ſit fragilitati, intentiſsimè efficiens, vt te in proſperis regere, & in aduerſis protegere dignetur. Plura tibi, vir venerande, de Chriſtianæ pietatis obſeruatione fortè ſcripſiſſem, ſi tibi doctor egregius, & pius cæleſtis vitæ præceptor PAVLINVS meus præſto non eſſet: de cuius corde emanat fons viuentis aquæ, in vitam ſalientis æternam. Illum habeas tibi ſalutis æternæ conciliatorem, ne alicubi tuæ cõuerſationis pes impingat: ſed recto itinere currens, diuina donante gratiâ, ad perpetuæ portas vitæ peruenire mereatur. Viue, & vale feliciter in æternum.

* *al.* diligentiſſimè.

Ioan. 4.

AD PAVLINVM,

EPISTOLA XCV.

EDIT. LXII.

Domino Patri Paulino Albinus ſalutem.

EX eo ſciri poteſt, quanta mihi eſſet auiditas loquendi tecum, ſi facultatem confabulationis iniqua terrarum longinquitas non prohiberet: dum in vnius dexteram portitoris, propter cauſas ſuperuenientes, tres ſimul poſui indiculos. Vnum ſollicitudinis meæ, alterum munuſculi mei, tertium pro filiæ meæ LIVTGARDIS feminæ religioſæ ac Deo deuotæ cauſa. Nam illa ſanctitati tuæ duas direxit armillas auri obryzi, penſantes XXIV. denarios minus de noua moneta Regis, quàm libram plenam, vt orares pro ea cum ſacerdotibus tuis: quatenus diuina clementia dies ſuos diſpoſuiſſet in ſalutem animæ ſuæ, & ſanctæ ſuæ exaltationem Eccleſiæ. Ego de tua indubius fide, ſuaſi vt faceret. Tu verò, Pater ſancte, mei & illius memor vbique, in Chriſti caritate valeto.

PATER AD FILIAM CHARISSIMAM,

De multis neceſſitatum cauſis.

MS.* EPISTOLA XCVI.

Filiæ in Chriſto cariſſimæ deuotus in fide Pater ſalutem.

SÆPIVS veſtræ probatiſſimæ caritati ſcriberem, ſi occaſionem mihi veſtra dilectio daret, vel verbis pacificæ ſalutationis, vel familiarum ſuauitate litterarum. *Hæc Epiſtola, iam excuſa eſt ſupra pag.*1004.*ubi videnda, cum ſubſequentibus ex MS. Cod. emendationibus.*

Pag. 1004. *l.* 7. Ep. quæ omnia ſperat, *lege* ſuperat.

lin. 12. firmo radice, *lege* firma.

Pag. 1005. *l.* 1. in Chriſto exarata, *lege* exarato.

lin. 20. hereditario perueniunt iure, *lege* proueniunt.

lin. 39. *&* 40. *ſic diſtingue.* ſed vnus & vnus? Licet non vnum & vnum, quia &c.

Pag. 1006. *l.* 19. ex alieno adoptaret in filium, *lege*, adoptaretur.

lin. vlt. non verum. Secundum, *lege* non verum, ſecundum artem Dialecticam. Interrogandum, &c.

Pag. 1008. *lin.* 1. dare ex eo, *lege*, dare cæco.

lin. 14. aut optiuum, *lege*, aut adoptiuum.

AD QVENDAM,

v. Ebrard.

MS.* EPISTOLA XCVII.

VENIENTE ad nos filio noſtro Cãdido, veſtro autem fideli ſeruulo, multum nos veſtræ proſperitatis adnuntiatione lætificabat; necnon magna ſalutatione veſtræ dilectionis dulciter reficiebat. Laudabilis quoque doni allatione intimæ mentis affectum fœcundabat. Inſuper mentis probamentis veſtræ auctoritatis pro nobis explicauit deuotionem: quàm pura & ſancta inquiſitione Catholicæ fidei veritatem examinare ſtuduiſtis. Et ſemper viam Regiam, Apoſtolica confortatus prædicatione, plano veritatis ſermone veſtram adſeruit prudentiam tenere. Beata gens, cuius eſt Dominus Deus eorum: & beatus populus tali Rectore ex-A altatus, & tali Prædicatore munitus; & vtrumque. Et gladius triumphalis potentiæ vibratur in dextera, & Catholicæ prædicationis tuba reſonat in lingua. Ita & Dauid olim præcedentis populi Rex à Deo electus, & Deo dilectus, & egregius Pſalmiſta, Iſraheli victrici gladio vndique gẽtes ſubiciens: legiſque Dei eximius prædicator in populo extitit. Cuius eximia filiorum nobilitate in ſalute mundi, de virga flos campi & conuallium floruit Chriſtus. B Qui iſtis modo temporibus, ac eiuſdem nominis, virtutis, & fidei, DAVID Regem populo ſuo conceſſit rectorem & doctorem. Sub cuius vmbra ſuperiora * quiete populus requieſcit Chriſtianus, & terribilis vndique gentibus extat paganis. Cuius deuotio à ſectis peruerſi dogmatis fidem Catholicam Euangelica ſoliditate munire non ceſſat: ne quid noui, & Apoſtolicis inconueniens doctrinis, per clandeſtinas ſubreptiones alicubi oboriri valeat; C ſed cœleſtis gratiæ lumine fides vbique fulgeat Catholica.

Cuius luminis, heu proh dolor! quidam extorres, Chriſtum ex Virgine ſancta natum, impia temeritate Deum verum, vel filium Dei proprium negare non timent. Qui error eouſque, vt videtur, latenter quorumdam etiam fidelium Doctorum animis ſubrepſit, vt durum videatur illis confiteri vel credere, Deum eſſe tantum Ieſum Chriſtum, qui ſedet ad dexteram patris, & in gloria paternæ maieſtatis D venturus eſt iudicare viuos & mortuos. Nec in ſpiritatem nunc gloriam carnem Chriſti Dei eſſe mutatam, quæ pro nobis pepẽdit in ligno. Contra illud Apoſtoli dictum, qui de noſtri corporis immutatione ait: *Seminatur corpus animale, ſurget corpus ſpiritale.* Nec illam conſiderantes ſententiam, quia idem ipſe à Deo electus mundi Prædicator, iuſtorum reſurrectionem diſcernens ab impiis, dixit: *Omnes quidem reſurgemus, ſed non omnes immutabimur.* E Si noſtris operibus ſecundum modum meritorum ſpiritalis gloriæ promittitur immutatio, quantò magis corporis Chriſti clarificatio glorioſa eſſe credenda eſt poſt reſurrectionem? Dicente Apoſtolo de noſtræ reſurrectionis gloria: *Qui reformauit corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ.* Vnum Deum verum, & vnum Dei filium in duabus naturis, diuina ſcilicet & humana, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtũ regnãtem cum Patre & Spiritu ſancto, prædicamus & confitemur. Non diuiſa poteſtate, nec partita, quaſi vna ſit maior po-

teſtas & altera minor; quia diuiſionem & partitionem vera non recipit æternitas vel diuinitas, quæ eſt in Chriſto Ieſu Domino noſtro, Apoſtolo dicente, *Si Chriſtum noueramus ſecundum carnem, ſed nunc iam non nouimus*. Id eſt, qui mortalis fuit in terris ea naturâ quæ mori potuit, nunc totus ſpiritalis regnat in diuinitatis maieſtate in cælis, qui poſt reſurrectionem ait Apoſtolis: *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra*. Quæ poteſtas multò antè filio hominis danda dicitur à Prophetis. Quibus iterum ipſa Veritas dixit, *Bonus paſtor animam ſuam ponit pro ouibus ſuis, mercenarius autem fugit*. Quod optimè in Homiliis beati Gregorij Papæ Prædicatoris noſtri per te legens intellegere poteris.

Tu tibi ipſi conſcius es, pro qua cauſa reliqueris ſedem tuam, ſi timore mortis, aut tormentorum immanitate, aut idololatriæ execratione: ſicut olim ſanctiſſimus eiuſdem Sedis Pontifex LAVRENTIVS velle legitur. Qui tamen Apoſtolica auctoritate caſtigatus, ab incœpto reſipiſcit conſilio. Tamen quæcumque eſſet, bonũ, caritatis ſuæ conſideratione; vt pœnitentia inde agatur. Quod, vt videtur, honeſtè fieri poterit, ſi communi totius gentis cõſenſu ieiunium indicitur. Tu propter relictam ſedem, illi propter acceptum errorẽ: vt Deus vobis omnibus propitietur. Orationes quoque, & eleemoſynæ, & Miſſarũ ſollemnia fiant diligenter vbique: vt Deus deleat quicquid indè à quolibet veſtrum actum. Tua quoque veneranda ſapientia ſpecialiter deducat in domũ Dei lectionis ſtudium, vt ſint tibi legentes iuuenes, & chorus canentium, & librorum exercitatio. Vt per tuam diligentiam renouetur illius ſanctæ ſedis dignitas, vt abeant vnde in ſeipſis poſſint eligere ſibi Pontificem. Simul & prædicatio tua in omnibus locis fiat, ſiue Epiſcopis omnibus in communi Synodo de iuſtis ordinationibus, & prædicationis inſtantia, & officiis Eccleſiaſticis, & baptiſmi ſanctitate, & eleemoſynarum largitione, & pauperum cura per ſingulas Eccleſias atque parrochias, maximè in veneranda gente, cui te Deus Paſtorem præeſſe voluit. Sæpè miles vulneratus fortiùs pugnat, ſicut bos laſſus fortiùs figit vngulam. Sicut diabolus lætatus eſt de fuga tua, fac vt gaudeat Chriſtus de multiplici animarum per te profectu, & tua merces maior creſcat, dicente ipſa Veritate: *Sic enim gaudium eſt in cælis coram Angelis Dei, ſuper vno peccatore pœnitentiam agente*, quàm ſuper nonaginta nouem, qui non indigent pœnitentia. Hæc omnia animo diligentiſſimè conſiderans, in Chriſti caritate ſemper proficias, amans illum ex toto corde, tota virtute, & tota mente, qui te exaltauit, honorificauit, & conſeruauit in diem ſalutis tuæ.

Vaniſſimum verò veſtimentorum cultum, & conuiuiorum immoderatum vſum omninò, quantum valeas, expellere à te, tuiſque Conſacerdotibus, vel magis omni Clero, & Eccleſiaſticæ dignitatis gradibus, diligentiſsimè ſtudeas. Beatus Petrus Princeps Apoſtolorum trinam negationis maculam triplici confeſſionis veritate abluit. Tu fugam ſimplicis erroris multiplici prædicationis bono ablue. Et vt maximè ſanctarum Scripturarum lectio per tuam ſanctiſsimam curam renouetur, & Eccleſiaſtica dignitas vbique exaltetur, & ſancta Sedes, quæ prima fuit in fide, prima ſit in omni ſapientia, & ſanctitate, & honore. Vt ibi interrogans inueniat, ignorans diſcat quod cupiat, ſciens videat quod laudet. Quæ partim diſciſſa eſt non rationabili, vt videtur, conſideratione, ſed quadam poteſtatis cupiditate. Quod ſi fieri poſsit, vt pacificè adunetur, & ſciſsio reſarcietur; bonum videtur eſſe cum conſilio omnium ſacerdotum Chriſti, & Coëpiſcopi EBORACENSIS Eccleſiæ. Ita tamen vt pater pius pallio diebus ſuis non exuatur, licèt ordinatio Epiſcoporum ad ſanctam & primã Sedem recurrat. Hæc omnia tua ſanctiſſima ſapientia conſideret, vt caritatis concordia fiat inter primos Paſtores Eccleſiarum.

Si quid ergo ſuperfluè in his meis litterulis dictare *, tua ſancta patientia benignè, obſecro, ſuſcipiat, nec mihi ſcribenti imputet, ſed tibi iubenti iniungat. Nec ego præſumptuoſa temeritate egi, ſed humili obedientiâ: conſiderans quid multis proficere potuiſſet ſiue culpa eſſet, ſiue non eſſet in fuga, tamen quantum mea deuotio conſiderare potuit, melius eſt ea facere quæ ſuadeo, quàm amittere. Omninò affectuoſa caritate ammoneo, vt inſtanter prædices verbum Dei. Hoc eſt officium tuum, hæc merces tua, hic fructus operis, hæc ſacerdotij dignitas, laus & honor: quatenus multiplici laboris fructu in conſpectu Domini Dei ſui appareat, & dignus efficiatur deſiderabilem audire vocem: *Euge ſerue bone & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtituam. Intra in gaudium Domini Dei tui.* Omnipotens Deus paternitatem veſtam ad ex-

* dictauerim.

altationem ſanctæ ſuæ Eccleſiæ in omni opere perfecto multipliciter florere faciat, ſanctiſsime Pater.

AD FRATRES EBORACENSIS Eccleſiæ,

EPISTOLA XCVIII.

EDIT. XXI.

Dilectiſsimis & valde venerabilibus in Chriſti caritate Euboracenſis Eccleſiæ fratribus, veſtræ filius pietatis Albinus Diaconus ſalutem.

TOTVM meæ deuotionis pectus veſtræ charitatis dulcedine impletur, & ſi quid pleno amoris modio ſuperaddi poteſt, quotidie creſcendo accumulatur, ita vt ſolius memoriæ de vobis ſuauitas, ſuperuenientes ſecularis anguſtiæ tribulationes longè à ſecretis mentis meę cubilibus depellat. Et hoc mihi ſingulare ſolatium in ſpiritu conſolationis ſanctæ Dominus Chriſtus perdonare dignatus eſt. Vos fragiles infantiæ meæ animos materno fouiſtis affectu, & laſciuum pueritiæ tempus, pia ſuſtinuiſtis patientia, & paternæ caſtigationis diſciplinis, ad perfectam viri edocuiſtis ætatem: & ſacrarum eruditione diſciplinarum roboraſtis. Quid plus dicere habeo, niſi vt æterna regis pietas, omnia pietatis in me, famulum ſuum, per vos benefacta, perpetua ſummæ beatitudinis gloria remuneret? Hoc ſingulis vigiliarum mearum momentis, hoc quotidiana ſupplicatione requiro. In hac prece in conſpectu altiſſimi, intimas deſiderij mei lacrymas, per loca ſanctorum Martyrum, vel Confeſſorum Chriſti, quò me iter inſtabilitatis deducit, fundere non ceſſo.

Vos ſemper in corde, & primi inter verba precantia in ore. Vos piiſſimi patres, ſeu in communibus ſanctæ orationis foris, vel in ſecretis deprecationum veſtrarum interceſſionibus ALCVINVM filium veſtrum, per Dei deprecor caritatem, iugiter in corde habete, & in ore. Vos quoque, qui eſtis ætate filij, ſed meritorum ſanctitate patres, per diuinam obteſtor clementiam, numquam eruditionis veſtræ, in ſanctis orationibus obliuiſcimini magiſtrum. Teſtis enim cordis mei mihi eſt inſpector, quia deuotè veſtrum ſemper in eccleſiaſticis diſciplinis, & ſpiritali doctrina deſiderabat profectum. Et ſi quid minus accepiſtis, non meæ, credo, culpæ deputari poteſt. Et numquam iſtius voluntatis meæ, ſiue abſens, ſiue præſens, de veſtro profectu, beneuolentia ceſſabit. O omnium dilectiſsimi patres, & fratres, memores mei eſtote: ego, veſter ero, ſiue in vita, ſiue in morte. Et fortè miſerebitur mei Deus, vt cuius infantiam aluiſtis, eius ſenectutem ſepeliatis. Et ſi alter corpori locus deputabitur, tamen animæ, qualecunque habitura, erit per veſtras ſanctas, Deo donante, interceſsiones requies, vobiſcum credo donabitur. quia ſicut puer noſter Seneca ſe vidiſſe teſtatur, noſtræ fraternitatis animas in eodem lætitiæ loco congregandas eſſe credimus: etſi meritorum diuerſitas alium beatius lætari faciet; tamen æternitatis æqualitas cunctos feliciter viuere efficiet. Et ſicut vnus ſol omnibus lucet, non tamen propter oculorum diſtantiam, æqualiter ab omnibus videtur; ita æterna beatitudo omnibus in Dei regno iuſtis perdonabitur; licet meritorum ſublimitas alios maiore gloria coronet. Ad quam gloriam, cariſsimi fratres, tota intentione & voluntatis operis voſmetipſos dignos peruenire præparate.

Nulla carnalis concupiſcentia, nulla ſecularis ambitio, beatitudinis iter vobis intercludat, ſed per viam veritatis, & ſanctitatis, per quam beati patres, prædeceſſores noſtri, ad regna peruenerunt cœleſtia, ſuperna vos comitante gratia, pari pietatis conſenſu, vno voluntatis affectu, quotidianis currite profectibus. Omnem à veſtra ſancta conuerſatione repellite ſegnitiem; luxuriam caſtitate mutate; ebrietatem, quaſi inferni foueas fugite; ſuperuacuos veſtium ornatus nolite exquirere. Melius eſt ſeruis Dei, animam Eccleſiaſticis ornare moribus, quàm corpus laicorum conſuetudine, pompatica veſtire vanitate. Et melius eſt, ſacra matris Eccleſiæ mundiſsima calcare limina, quàm lutulentas villanæ fœditatis ſemitas frequentare. Regularis vitæ vos ordinet diſciplina, & Eccleſiaſticæ pietatis moderatio venerabiles efficiat. Sanctæ humilitatis pedibus, & diuinæ charitatis gradibus per paſſus obedientiæ cæli conſcendite regna. Hæc enim caduca, & tranſitoria, fortitudinis euincite animo, quatenus ad amabilem cœleſtis gloriæ patriam, diuina vos vbique gratia præueniēte, & ſubſequēte, laudabilibus bonorum operum meritis cum omni proſperitate & gaudio peruenire mereamur.

AD FRATRES IN GOTHIA, EPISTOLA XCIX.

Sanctiſſimis in Chriſti caritate fratribus, Deóque in diuerſis Gothiæ partibus fideliter ſeruientibus, humilis Leuita Alchuinus ſalutem.

LEGIMVS Dominum diſcipulis præcepiſſe, vt turbas per contubernias diſcũbere feciſſent, quinquagenos & quinquagenos: quos omnes vnius panis ſoliditate refici volebat. Quinquagenarius numerus, in quo lex data eſt, ipſe Spiritus paraclitus à Patre & Filio miſſus, qui in centum viginti nomina deſcendit, remiſſionem peccatorum ſignificat: quam omnes fideles in ipſius ſancti Spiritus gratia accipiunt, primò in ſacramento baptiſmatis, ſecundo in pœnitentiæ lacrymis, quibus anima peccatrix abluta ad viſionem Dei Saluatoris peruenire merebitur. Dicente ipſa veritate: *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.* Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis. Mundemus nos ab omni inquinamento carnis & ſpiritus, perficientes ſalutem animarum noſtrarum. Hæc vero ſcientes, & optimè intellegentes, cariſſimi fratres, nil ſordidum in veſtra remaneat conſcientia, ſiue de carnis fragilitate contractum, ſiue de ſpiritus inquietudine infectum: vt dignam in cordibus veſtris Spiritus ſanctus ſibi inueniat habitationem. Nullam malignus hoſtis in veſtra bona conuerſatione inueniat ſuæ malitiæ partem, nec aditum quem quærit reperiat veſtris in cordibus: ſed omni cuſtodia animas veſtras cõfirmate, in caritatis munimine, in tutela obedientiæ, in muro humilitatis, in caſtitatis obſeruatione, in ſanctæ pacis coniunctione. Viriliter pugnate contra antiquum hoſtem, & communibus manibus debellate eum, qui rugiens circuit, quærens quem deuoret. Portate in frontibus vexillum crucis, & in cordibus caritatis munimenta, & Catholicæ fidei firmamentum. Spe firma, voſmetipſos erigite ad Deum, & nihil contra veſtram valet vnanimitatem illius inſidioſa calliditas. Magis humili mente ſenioribus veſtris obedire parati, quàm murmurationis vitio diiudicare quicquid vobis iniungatur operis.

A Vouiſtis vos Deo ſeruire, paterniſque regi conſiliis. Nolite voſmetipſos ſuper rectores exaltare veſtros, nec eorum iudicare acta vel conſilia; ſed contenti tantummodo eſtote eorum iudicio, quicquid agatis, regularíſque vitæ præceptis, in quibus maximè humilitas obediendi cum caritate præcipitur. Horæ verò veſtræ omnes animabus veſtris vtiles inueniãtur, vel in opere manuum, vel in lectionis ſtudio, vel in orationis gratia. Oret operarius corde, vt duplici mercede dignus habeatur. B Similiter in refectione corporis anima reficiatur in gratiarum actione Deo: vel ſi corpus labore afficiat, mens compunctione confirmetur. Sic verò armatum Monachum duplici ſuffragio, nil antiquus hoſtis nocere poterit, qui quærit per vagationem mentis mercedem minuere laborantis.

Ego verò ſeculi tempeſtatibus turbatus, caſſo multis in locis labore deſudaui. Sed modo quaſi naufragus, Deo miſerante, ad portum deiectus quietis. In quo me feſſum, & vulneratum iacentem, depre- C cor ſanctarum aſſiduitate orationum veſtram vnanimitatem auxiliari. Vt quandoque ad florentia virtutum rura peruenire merear, & bona ſecuritate illi ſoli ſeruire, in quo ſolo eſt totius ſpes ſalutis: ſine quo nec cadens reſurgere, nec benè ſtans firmo gradu ſtare poterit.

Miſi munuſcula parua dilectioni veſtræ, ſed, Deo teſte, non parua caritate, quantum in pectore peccatoris eius igniculus ſcintillare valet. Tamen, ſi Deus mihi vobiſcum in ſanctitate vitæ ſtare necdum dediſſet, tamen piiſſima illius gratia veſtram D veraciter corde meo infudit caritatem. Optans, atque humiliter deprecans, quatenus per veſtras ſanctiſſimas orationes, munus voluntatis meæ Deo acceptabile eſſe, eiuſque donum in anima mea recipere dignetur, qui gratiam pro gratia dare ſolet. De cuius plenitudine accepimus, quicquid boni habere videmur. Illius ſit ſemper caritas in corde, laus in ore, & opere bono ſignum perfectæ dilectionis.

Plurima veſtræ beatitudini ſcribere de- E ſideraui, ſed nuntio tribulationis conſternatus, hæc pauca dictaui. In qua verò tribulatione vos viriliter agere, & conſtanti eſſe animo obſecro: ſcientes quòd Deus numquam deſerit ſperantes in ſe. Et ſi quælibet tribulatione cogente, locum mutare neceſſe ſit, numquam regularis vitæ obſeruatio mutetur, nec tribulatio corporis animi fatiget conſtantiã. Nox & dies vices

ſuas peragunt. Maris tempeſtas, ſerenitatis tranquilitate mitigatur. Nec perpetua proſperitas in hoc præſenti ſeculo inueniri valet, quia in exilio ſumus, & ad laborem naſcimur. Et ſicut flagella infantes erudiunt, ad diſcendum ſapientiæ decus, vel bonis adſueſcere moribus: Ita & nos laboribus & doloribus ammonemur ad perpetuæ beatitudinis properare quietem, quæ nullo dolore vel labore fuſcatur, nullo fine terminatur; ſed perpetua iocunditate & felicitate ſtabilis permanet in æternum. Ad hanc adipiſcendam nullus veſtram ſanctam intentionem deterreat labor. Nullæ huius ſeculi blanditiæ retrahant, ſed forti animo, fratres cariſſimi, eſtote in omni opere bono ſtabiles; ſcientes quòd labor veſter non eſt inanis apud Deum. Et qui plus laborat, plus mercedis accipiet. Dominus Deus, qui vos in vnius ouilis caritate congregauit, æterna benedictione intra mœnia Catholicæ fidei, & ſanctæ caritatis diuitias, in bonis operibus adiuuare, perpetualiterque cuſtodire dignetur, Domini Patres, fratres, & filij deſiderantiſſimi, atque mei animi caritate dulciſſimi.

AD EVGENIAM FILIAM,

Conſolatoria de tribulatione hominis.

M S. * EPISTOLA C.

Albinus Eugeniæ filiæ virgini cariſſimæ in Chriſto ſalutem.

LITTERIS dilectionis veſtræ acceptis, & dulciſſimis cum gratiarum actione muneribus; valde lætatus ſum in fide & caritate veſtra. Auditiſque tribulationibus, quas non ſolum veſtra innocentia patitur, verùm etiam penè omnis ſeruorum Dei multitudo: quia Reges vobiſcum tyranni facti ſunt, non rectores; nec vt olim Reges à regendo, ſed à rapiendo dicuntur. Sed forti animo eſto, (*multæ ſunt* enim *tribulationes iuſtorum*, clamat Pſalmiſta) vt conſequi valeas quod ſequitur; *Sed de his omnibus liberabit eos Dominus.* Et Dominus in Euangelio: *Tradet frater fratrem in mortem*, & cætera. *Sed in patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras.* Aurum non ſplendeſcit, niſi igne probetur. Iob lateret occultus, niſi tribulationibus probaretur. De quo Iacobus Apoſtolus dum nos ad patientiam hortaretur, ait: *Iob audiſtis, &*
A *finem Domini vidiſtis. Tribulatio patientiam operatur*, vt ait Apoſtolus, *patientia autem probationem, probatio verò ſpem.* Qualem ſpē, niſi perpetuæ beatitudinis? Si margaritam inueniſti pretioſam, vēditis omnibus eme illam: teneas, nec dimittas eam. Sæculum hoc in maligno eſt poſitum. Sunt homines ſeipſos amantes, Euangelio Chriſti nō obedientes. Vnuſquiſque viam voluntatis ſuæ graditur, non ſequens eum, qui ait: *Ego ſum lux mundi. qui ſequitur me, non ambu-*
B *lat in tenebris; ſed habebit lumen vitæ.* Item, *Qui vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, tollat crucem ſuam, & ſequatur me.* Crux tollitur, dum per patientiam tribulatio vincitur. Nemo miles coronabitur, qui niſi legitimè certat. Legitimè certare eſt, Virgini, vt ſit ſancta corpore & anima; & ſit digna Chriſto ſponſa. Cantans cotidie, *Dilectus meus mihi, & ego illi, qui paſcitur inter lilia*; id eſt inter candorem virginitatis. Memor eſto, virgines eſſe prudentes & fatuas.
C Si antiquus hoſtis in teipſa, id eſt in corpore tuo tentationis locum non inuenit, omninò exteriùs quærit quomodo animi fortitudinem eneruare valeat. Cui forti animo reſiſtendum eſt. *Non ſunt* enim, ait Doctor egregius, *condignæ paſsiones huius temporis ad ſuperuenturam gloriam, quæ reuelabitur in nobis; dum reuelata facie videbitur Deus Deorum in Sion.* Et virgo quocumque ierit, agnus ſequitur eam.

O nimium felix, cui nec felicior vllus!

D quæ, beata Dei Genitrice ducente, omnia ſecreta cæleſtis regni intrare merebitur penetralia. Non nocet multum, quod iter perficere non valuiſti, quod cœpiſti, Deo aliquod melius prouidente tibi. Expande in pauperum ſolatia, quod in tanti iteneris viaticum tibi præparaſti. Da quod habes, vt accipere merearis quod optas. Habeto eius pleniter in corde caritatem, quem defenſorem tibi petis in tribulatione. Non eſt diabolo faci-
E lis vaſtatio domicilij, in quo eſt habitatio Chriſti. A cuius latere cadent mille, & decem milia à dextris eius. Illū habeas, opto, conſolatorem in omni tribulatione tua, quem habebis remuneratorem totius pœnitentiæ tuæ. Reſpice in eum, qui ait: *Confidite, ego vici mundum.* Illius te æterna poteſtas in omni tribulatione vincere faciat, & palmam perpetuæ beatitudinis accipere concedat, qui ait: *Dabo ei manna abſconditum, quod nullus nouit, niſi qui acceperit.* Valeto in omni virtute & ſapientia, florens cariſſima filia.

AD

AD CALVVINVM PRESBYterum,

EPISTOLA CI.

Dilectiſſimo filio Caluino Presbytero, Albinus deuotus in caritate Pater ſalutem.

QVAMVIS corporali ſpecie amici diſiungantur, tamen caritatis officio ſemper præſentes eſſe queunt. Nec terrarum longinquitate ſeparantur, qui dilectionis dulcedine iunguntur. Hæc eſt, quæ numquam præterit, ſi in veritate fideliter habetur. Proh dolor! ſed rarè inueniuntur, quorum integra fides veram foras oſtendat caritatem: quæ plurimos habet impugnatores, ſed maximè ſeculi diuitias, quæ fallaci ſpecie infeſtant corda quærentium illas. Vt vix antiquæ dilectionis quælibet ſcintilla eluceat inter caliginoſas terrenorum deſideriorum vmbras. Hanc vero peſtiferam ſeculi cupiditatem à tuo animo, cariſſime fili, miſerante Deo, adiuuante gratiá procul expelle; quatenus tranquilla pace in ſpe ſuauitatis, & fide veritatis, & caritatis perfectione, Deo Chriſto ſeruire valeas, habens ſæculum, tanquam non habeas. Si verò ſentias in animo tuo tibi impedimento eſſe pacificæ ſeruitutis, qua Domino Deo deſeruire debeas, ſecularis* poſſeſſio: melius eſt præcidere funem iniquitatis illius, quàm vana ſpe lamenta in longum protrahere tẽpus. Neſciens, quid ventura dies pariat. Sunt enim homines, qui ſpe ruunt, longam ſibi promittentes vitam; & ſubitò rapiuntur de hac luce, & quod cogitauerunt non perfecerunt. Tibi verò à Deo data prudentia præuideat, quò tuus te ferat animus; & noli tardare in eo, quod tibi optimum eligas.

*ſecularem poſſeſſionẽ

Tu verò ſcias, quo deſiderio, qua quiete, ſeculi poſſideas honores. Si tibi nihil impedimenti generant priſtinę religiones, quas habuiſti, & ſemper habere opto in Chriſti ſeruitio. Nil tibi deeſſe æſtimo in Cella ſancti Stephani honeſtæ conuerſationis: quo vt tibi neceſſe ſit foras per varias terrarum ſpecies vagari, & audire aliorum infidelitates, & contra peccata iraſci aliena, & mentis tuæ dulciſſimam perdere quietem. Tamen, vt dixi, ſapientia tua conſideret; quem habeas profectum in habendo res alienas, ſi ſufficiant tibi ad eleemoſynarum in miſeros largitionem, ſi Scolam legentium habere poſſis, ſi pauperes veſtire, ſi peregrinos recipere, ſi quietè viuere, ſi pacem cum eis qui foris ſunt habere valeas. Plurimi ſunt impugnatores Eccleſiæ Chriſti, qui cotidie aliquid vel prece vel violentia rapere geſtiunt; & non ſunt niſi verbo tenus amici, factis verò inimici.

Horum peruerſitas multum inquietare ſolet cuſtodes Eccleſiarum Chriſti, ſicut in cariſſimo filio meo SIMEONE ſummo Sacerdote intellegere potes, eaſdem ab impiis patientem moleſtias, quas anteceſſores illius ab inimicis Chriſti perpeſſi sũt. Quorum contrarietas debito fine ſecundum iudicium iuſti Dei perit, ſicut & his, qui modo aduerſantur prædicationi prædicti filij noſtri & ſeruorum Dei, quia poſt vos ſunt, certa remanet perditio. Tu tamen illius bonam voluntatem precibus adiuuare, exhortationibus ammonere, vt viriliter agat, nullatenus deſiſte: quia in ſalute illius proſperitas veſtra conſiſtit, & in profectu voluntatis bonæ nobis omnibus merces apud Deum reputabitur. Quia ego, licèt indignus Pater, nutriui, educaui, & ad perfectum perduxi virum, quem vos elegiſtis in Pontificatus honorem. Sæpiùs ammone illum deprecationis verbi Dei inſtantia, & patientiæ bono, quæ valde neceſſaria eſt illi habitanti inter lupos & ſerpentes. Memor ſit dicentis Chriſti, *Confidite, ego vici mundum.* Item mente ſæpiſſimè conſideret, quid ipſa Veritas diſcipulis ſuis præcepiſſet, dum eos ad prædicationis direxit officium: *Ecce ego mitto vos ſicut oues in medio luporum. Eſtote* ergo *prudentes ſicut ſerpẽtes, & ſimplices ſicut columbæ. Cauete ab hominibus.* Ammone illum diligentiùs ne ſit ſeculi amator, ne adulatoribus conſentiẽs, ne propter propinquorum turbã, ſuum cupiditatibus terrarum vel diuitiarum inuoluat animum: ſed diuino rigore regiam viam in omnibus vbique teneat. Melior eſt Chriſtus propinquus & amicus, quàm totius ſeculi numeroſa propinquitas vel amicitia.

Vide quid caritas facit. Dum te ammonere familiari ſtilo exorſus ſum, repente me caritatis flamma tranſtulit ad illum. Sed ignoſce mihi, quòd hæc pauca de illius profectu tibi deſtinatis inſerui litterulis: optans te & in hac paternæ fidei felicitate proficere coram Deo, vt ſis in omnibus illius veritatis aſſertor, non falſitatis adulator. Benè quidam adulatorem diffiniuit, dicens: Adulator eſt blandus inimicus. & verum ait. Plurimi namq; ſunt

adulatores diuitum, & pauci ammonitores. Et melior eſt vnus ſuaſor veritatis, quàm mille adulatores falſitatis. Quapropter hoc vitium omnimodis tibi caueas, cariſſime fili, & ſemper ſermo tuus veritate vigeat. Licet veritas rugoſam habeat frontem, tamen ſolidum habere ſolet conſilium. Si pro omni otioſo verbo reddituri erimus rationem, quanto magis pro noxo vel fallaci? Os, quod mentitur, occidit animam. Pro veritatis officio ſermo eſt homini datus, non falſitatis iniquitate. Numquam adulator verus eſt amicus, ſed blandus, vt dicitur, inimicus. Gladium melle litum porriges amico. Melius eſt cauterio ſanare vulnus, quàm blandimentis nutrire, vt peior fiat.

Conſideret ſagacitas tua tempus, locum, & perſonam. Quo tempore, quo loco, cui perſonæ, quid dicendum ſit. Quæ optimè in Libro beati Gregorij, qui Paſtoralis dicitur, legi & diſcerni poſſunt. Numquam ſacra lectio temporibus opportunis de manibus recedat tuis. Vices ſuas habeat lectio & oratio. Et non nox neque dies protrahatur in conuiuiis, vel ebrietatibus, aut cõfabulationibus nõ neceſſariis. Inter pocula ſonus & ſermo ędificationis audiatur coram ammonentibus, vel palam omnibus, vel cuilibet confidenti. Puerilis ætas tuis ſermonibus à flamma ſeruetur vitiorum, quatenus ætas illorum tibi proficiat in mercedem perpetuæ remunerationis. Non tibi ſit vilis anima, pro qua Dominus omnium mori dignatus eſt. Ne dicas in animo, Quid ad me pertinet, ſiue benè, ſiuè malè faciat? Vbi eſt caritas, ſi errantem corrigere non curas? Memento Apoſtolum dicentem: *Quis ſcandalizatur, & ego non vror?* Alterius peccatum ſuum fecit dolorem. Quid habes Redemptori tuo & Iudici omnium in die magno oſtendere, ſi animas non habes tuo labore redemptas à diaboli ſeruitute oſtendendas? Quantas in hoc exilio tuis doctrinis ab iniquitate reuocas, & in viam veritatis reducis; proculdubiò tantas recipies mercedes in die illa. Ideò non ceſſet caritas operandi bona omnibus: non ceſſet lingua loquendi de bonis ad omnes. Hos precibus perſuadens, illos ſeueritate caſtigans, ſecundum modum vniuſcuiuſque ætatis vel perſonæ. Eſto lucerna in domo Dei, vt per te plurimi illuminentur, & à tenebris vitiorum in viam perpetuę lucis reuocentur. Non deerit tibi gratia adiuuantis Dei, ſi inerit voluntas admonitionis ſanctæ. Scribe Euangelium in corde tuo, & in memoria maneant miracula vel verba Domini noſtri Ieſu Chriſti; & ſæpius Pſalmorum vice canito, Euangelium maximè ſecundum Ioannem, vbi altiora leguntur ineſſe myſteria. In quo ego de Patrum Libellis laboro expoſitionem breui ſermone peragere. Opus neceſſarium vobiſque iocundum, ſi donante Deo perficiatur, & ad vos peruenire poterit.

Tu verò pacem cum omnibus habeas, bellum cum vitiis, concordiam cum fratribus, moreſque iocundos cum eis, qui Sanctorum moribus conſociantur & viuunt. Patienterque tuas ſuffer iniurias, vel magis dimitte, vt dimittatur tibi. Eſto in cibo modeſtus, in poculo parcus, in loquẽdo ſobrius, in vigiliis deuotus, ad omne opus Dei promptus, pius ad pauperes & infirmos, conſolator mœrentium, adiutor laborantium, compatiens miſeriis omnium, largus in eleemoſynis ſecundum vires habendi, memorans Euangelicæ viduæ duo minuta, Prophetamque dicentem, *Frange eſurienti panem tuum.* Caue te, præuidens diſcretionem eleemoſynæ in vtroq; & danti & accipienti ſolatium eſſe. Vbique diſcretio optimè valet, quæ inter Monachos mater virtutum eſſe dicitur, Salomone atteſtante: *Palpebræ tuæ præcedant greſſus tuos*, id eſt, diſcretio actus tuos. Cui ſententiæ & Apoſtolus conſonat, vbi ait: *Omnia veſtra honeſta cum ordine fiant.* Et Comicus quidam ait, Ne quid nimis. In omni re temperantia ſeruanda eſt, quæ eſt via regia totius vitæ noſtræ; nec ad dexteram, nec ad ſiniſtram declinans, ſed caute & ſapienter incedens, quaſi prouidus viator ad ſupernæ ciuitatis arcem properans, ambulans de virtute in virtutem, donec videatur Deus deorum in Sion; id eſt, in ſpecula æternæ beatitudinis, quæ eſt omnium Sanctorum merces, & retributio laboris ſui. Ibi beati mundo corde, quia Deum videbunt. Ibi beati, qui perſecutionem patiuntur, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum. Ibi beati, qui habitant in domo Domini, quia in ſeculum ſeculi laudabunt eum.

Hanc habeto cartulam, dilectiſſime fili, ſociam tibi, vice paternę caritatis tibi loquentem in corde, te ammonentem non ſolum de ſalute tua, verumetiam de multorum profectu & proſperitate; meque ipſum tuo pectore cotidie commendantem, vt vera nos caritas florere faciat in præceptis Chriſti Dei, cui laus & gloria in ſecula ſempiterna.

AD QVENDAM FILIVM, EPISTOLA CII.

Dilectiſsimo filio atque amabili meo, Albinus ſalutem.

LITERARVM ſeries tuarum lætificauit oculos meos, aſpiciens in eis bonæ deuotionis intuitum, & ſanctæ ſapientiæ decorem, atque in eam diſcendi amorē. Quod maximè tuis modo competit annis, vel pro æternæ vitæ beatitudine, vel pro ſecularis honore. Quia nihil laudabilius eſt in homine, quam ſapientiæ decus, & caritatis affectus. Quod verò poſtulaſti meos tibi inſcribere mores, mirum videtur, dum die noctuque mecum fuiſti, nec aliquid tibi celatum fuit, quid nobiſcum ageretur. Nec dignum videtur mea multum te ſequi vel le veſtigia, niſi forte ammonitionis verba quæ ſæpius audiſti. Sed etiam magis Sanctorum te inſtruant exempla, quæ in ſanctis leguntur ſcripturis: & noſtræ vitæ ſtabilimentum dinoſcitur eſſe. Tu verò, fili cariſſime, in caritate teipſum exerce, & in Eccleſiaſticis Officiis ornare vitam tuam memento: vigilias & orationes frequentans, & in lectionis ſtudio die noctuque deſudans quærere Chriſtū in litteris Prophetarum prædictum, & in Euangelica oſtenſum auctoritate. Et dum inuenias eum, non amittas eum; ſed introduc eum in domum cordis tui, & habeto eum rectorem vitæ tuæ. Ama eum ſicut redemptorem, gubernatorémque tuum; omniumque tibi largitorem bonorum. Cuſtodi mandata illius, quia in illis vita eſt æterna. Et magna diſcretione teipſum circumſpice, conſiderans quid agendum vel quid cauendum præcipiatur tibi. Et quicquid accepiſti à Magiſtro vel Spiritu inſpirante ſancto intellegis, trade diligentiſſimè & doce: vt tibi ſemper augeatur intellegentiæ donum; quia omni habenti dabitur, id eſt docendi ſtudium habenti augetur intellegendi ſcientia.

Eſto pauperibus & miſeris quaſi pater, humilis in miniſtrando, largus in dando; quatenus illorum benedictio veniat ſuper te. Ammoneáſque aduleſcentulos, qui tecum ſunt, de caſtitate corporis ſui, de confeſſione peccatorum ſuorum, de aſſiduitate diſcendi, conuerſatione ſobria, de ebrietate cauenda, de luxuria fugienda, de vanitate huius ſeculi non ſequenda. Sed

A diſcant in adoleſcētia, vt habeant quid doceant in ſenectute. Deferant enim honores ſenioribus. Ament verò Eccleſiaſtica officia. Ergo præuide vt bona videant in te exempla, cum ſanctorū exhortatione verborum. Pro huiuſmodi religione & deuotione, Dei omnipotētis te gratia conſequatur, & exaltet, & honorificet inter homines; & vitam tibi præſtet ſempiternam.

De Libris verò, quos rogaſti, id eſt, in Epiſtolas Apoſtolorum beati Bedæ Tractatum, ſoror mea GYSLA habet. Dum B illa remittet eum mihi, dirigam vobis de benedictione Patriarcharum, de quibus rogare tibi quoque placuit. Compoſui olim Epiſtolam ſub nomine tuo Samueliſque condiſcipuli tui. Neſcio ſi de ea poſtulaſti, ſiue de quolibet alio auctore. De Epiſtola, interrogaſti quid eſſet. Nam ἐπὶ ſuper, ſtola habitus Græcè dicitur. Vnde Adrianus Imperator Epictetum Philoſophum inter alias inquiſitiones interrogauit, quid eſſet cinctum. At ille videns eum Epiſtolam manu tenentem, reſpondit, C quod manu tenes. Volens intellegere quaſi ſupercinctorium eſſet Epiſtolæ ſigillum, quo a foris veſtiatur cartula. Hanc habeto interpretationem, donec meliorem inuenias, vel veriorem.

VTILIS ADMONITIO PAtris ad Filium prodigum, EPISTOLA CIII. MS.

Filio prodigo pater lugens ſalutem.

QVIS dabit capiti meo aquam, & fontem lacrymarum oculis meis, vt plangam non imaginariam ciuitatem Chaldea perituram flammâ; ſed animam imagini Chriſti inclytam, & infinita permanſuram æternitate? Heu! heu! infelix anima, ex pretio ſanguinis Chriſti nobilis, ſed ex peccati contagione ignobilis: quare dereliquiſti fontem vitæ, & fodiſti tibi ciſternas diſſipatas? Ciſternas, in quibus non eſt aqua ſalutis, E ſed volutabrum pecorum. Quare dimiſiſti patrem, qui te ab infantia erudiuit, qui te diſciplinis liberalibus imbuit, moribus inſtruxit, perpetuæ vitæ præceptis muniuit; & iunxiſti te ſcortorum gregibus, potatorum conuiuiis, ſuperbientium vanitatibus? Nónne tu es adoleſcentulus ille omnium ore laudabilis, omnium oculis amabilis, omnium auribus deſiderabilis? heu heu! nunc omnium ore reprehenſibi-

lis, omnium oculis execrabilis, omnium A auribus deteſtabilis. Quis te ſic ſubuertit, niſi ebrietas & luxuria? Quis te, formoſe puer, filius Eccleſiæ, venerabile lumen, perſuaſit porcos paſcere? de ſiliquis eorum edere? Surge fili, ſurge & reuertere ad patrem tuum: & dic ſæpiùs, non ſemel: *Pater, peccaui in cœlum & coram te, & ideò non ſum dignus vocari filius tuus.* Adhuc modicum lumen eſt in te, curre dum lucẽ habes, ne modo æternæ perditionis tenebræ te adprehendant. Crede in perpetuã miſerationis lucẽ, vt filius lucis fias. Pius B eſt pater, ſtatim occurret reuertenti tibi, & in amplexus tuos ruet. Stolam primam tibi afferre iubebit, & anulo imaginis ſuæ dexteram decorabit tuam. Noli diutius per vepres vitiorum, velut ouis perdita oberrare, ſed reuertere ad eum, qui nonaginta nouem oues in cæleſti altitudine dimiſit; vt vnam, quæ in terris errauit, inueniret, reportaret, & collocaret cum cæteris ad gaudium Angelorum in cœleſti patria. Cogitans cogita quanta ſit lętitia Angelorum ſuper vnum peccatorem pœ- C nitentiam agentem, & quàm pius & miſericors ſit ille, qui ait: *Nolo mortem peccatoris, ſed vt conuertatur, & viuat.* Et iterum per Prophetam inquit: *In quacunque die conuerſus fuerit peccator, vita viuet, & non morietur.*

Noli, fili, noli vocantem ſpernere, nec miſerantem neglegere pietatem. Recordare æternorum flammas tormentorum, vermium venenatos dentes, frigoris immenſitatem, plangentium luctus, immitiſſimas tortorum facies, infinita miſeriæ D ſpatia. Conſidera item beatiſſimas Angelorum cohortes, glorioſas Sanctorum turmas, & ipſius omnipotentis Dei ineffabilem beatam viſionem, qua ſancti fruituri ſunt in æternum. Adhuc poteris illa deuitare tibi, & iſta eligere. Ad illum finem impiorum luxoria, & iniquitas perueniet tua. Ad iſtam itaque Sanctorum gloriam, & laudabilem beatitudinem conuerſio tua & pœnitentia poterit Deo miſerante peruenire. Sufficit tibi præteritum tempus in luxoriis & delitiis tranſactum. Reſipiſce a- E liquando ab hac perditione tua, & diabolicæ ſuggeſtioni noli diutiùs obtemperare. Sed confitere peccata tua, & in ſpe veniæ pœnitentiam age. Quis ſcit ſi conuertatur, & ignoſcat Deus? Multæ ſunt enim miſerationes illius, & infinita pietas, ſuper eos qui peccata ſua plangere curant, non addere: abicere faſcem iniquitatis, non augere criminoſum onus.

Memento latronem in cruce pendentem, & Nineuitas in cinere ſedentes, & impium Manaſſen Regem de Babylonia reuertentem captiuitate. Sicut illis pietas diuina poſt pœnitentiam miſerata fuit, ita & tibi erit certiſſimè, ſi ad illam tota intentione cordis, & conuerſione vitæ, & pœnitentiæ lacrymis reuertere vis. Vide condiſcipulum tuum, qui omni deuotione cordis Deo ſemper adhæſit, & modo Epiſcopato præſidet nobiliſſime, omnibus amabilis, laudabilis, & deſiderabilis. Tu verò, miſerrime, errabundus per vitiorum fruteta, nemini honorabilis, ſed omnibus reprehenſibilis. Memento quantò fuiſti clarior in donis, melior in eruditione, acutior in ſenſu, & omni Eccleſiaſtica doctrina præcellẽtior. Sed nunc quaſi tugurium in vinea derelictum, vulpibus & feris habitatio, qui depaſcere ſolent vineam Chriſti. Ille verò tuus quondam compar, & eruditionis particeps, templum Dei viui, & ſancti Spiritus habitatio, Deo dilectus & hominibus, æternas ſibi in cælo quotidie præparat manſiones; dum tu terrenas ſequeris fœditates, & lugubre perditionis iter, per vitiorum præcipitia ruiturus, recurris.

Surge, obſecro, fili mi cariſſime, ſurge, & vade ad fratrem; de quo ante dixi, quia vos vna genuit Eccleſia, vna erudiuit diſciplina, vnus inſtruit & pater. Fiat vobis nunc quoque vna concordia, & vnum ſalutis tuæ conſilium, & vna Eccleſiaſticæ pietatis habitatio. Scio illum tuis multum gaudere profectibus. Noli preces paternas contemnere, noli lacrymam magiſterij mei neglegere. Conſolare me de tua ſalute, ne diabolus glorietur contra me in perditione tua. Ego te filium cariſſimum nutriui, alui, erudiui. Non ſis mihi in confuſionem, & tibimetipſi in contumeliam, & coætaneis tuis in opprobrium. Fac viriliter, & confortare in Domino, & vince omnes aduerſarios tuos per eum, qui ait: *Confidite, ego vici mundum*, vt gaudium meum plenum ſit in te, & gaudium tuum nemo tollat à te. Filius ſapiens gloria eſt patris. Non tantum mihi, qui te genui, gaudium facies ineffabile; ſed etiam iuxta Euangelicam parabolam, quam paulò antè in hac eadem Epiſtola propoſui, omnibus Angelicis gaudium facies dignitatibus. Noli ſubtrahere illorum lætitiã, & tuam beatitudinem. Si modo in præſenti facias illos lætari in tua pœnitentia, cum illis in gloria tribuet te Deus lætari in æternum.

A Hæc tecum maneat cartula, & ſæpiùs legatur, donec perficiatur quod optat, qui dictauit illam. Credo faciens faciet Deus quod paterna charitas quærit in filio. Sed tu noli tardare conuerti ad Deum, quia neſcimus quid ventura pariat dies. Deus hodiernam recipit certiſſimè pœnitentiam, ſed longæuitatem præſentis vitæ non promiſit. Indubios vltimi diei nos dereliquit, vt ſemper paratos inueniret cum bonorum lampadibus meritorum obuiare ſibi.

B

AD AQVILAM PRÆSVLEM,

De Baptiſmo, & de aliis.

MS.* EPISTOLA CIIII.

Dulciſſimo fratri, & ſanctiſſimo Præſuli Aquilæ, Albinus ſalutem.

PRAESAGVM tibi nomen impoſuere parentes, licèt diſpenſationis C Dei ignari, apud quem omnia futura iam facta ſunt. Qui te ſumma pietate cæleſtia ordinauit myſteria populis miniſtrare, & de alto ſupernæ gratiæ intuitu, acutiſſimis ſpiritalium oculorum obtutibus, fluctiuagos de huius ſeculi ſalo piſces, ad viuificandum, non ad mortificandum eruere, & ſacro vitrei fontis lauacro abluere, & igne ſancti Spiritus ad epulas æterni Regis aſtare, vt verus Apoſtolicæ [illegible] auditor efficiaris. Dicente Chriſto, dum in procelloſis fluctibus viuas duorum fratrum germanitates laborare aſpe- D xit: *Venite poſt me, & faciam vos fieri piſcatores hominum.* Non à priori propriæ artis officio compeſcens, ſed vt meliores retibus in dexteram miſſis, piſces ad litus ſtabiliſſimæ ſoliditatis perducerent. Hos tu efficaciſſimus diuini operis laborator tota mentis intentione adſequi ſatage, vt Chriſtus ipſe per ſe de tuæ puppi carinæ populis prædicare dignetur, & ſit pius gubernator nauiculæ, ex qua te retia Apoſtolicæ prædicationis in pelagus profundiſsimæ gentilitatis expandere iuſſit: quate- E nus illum per ſuæ magnæ pietatis miſerationem, tibi ſociiſque tuis præcipientem audias: *Afferte de piſcibus, quos prendidiſtis nunc.*

Eſto obediens voluntati illius ſecundum nomen Simonis, qui ad Dominicum conuiuium traxit rete plenum magnis piſcibus, centum quinquaginta tribus. Qui verò ſunt hi piſces, in hoc numero perfiniti? Si velis ſcire, illi ſunt, qui ex Decalogo præceptorum Dei, vel ex ſeptiformi ſancti Spiritus gratia, poſt extremam reſurrectionem, ad perpetuum cum Chriſto conuiuium electi ſunt. Ideò rete illius piſcationis, ſicut in priori captura, ſciſſum eſſe non legitur: quia nullus ibi niſi electus, & ad perpetuam pacem ordinatus inuitatur conuiua. Igitur ſi ab vno vſque ad ſeptimam decimam ſummam, ſingulos numeros per augmenta computaueris, poſteriores numeros ſemper prioribus adiungens; totius calculationis ſumma in CLIII. adcreſcit. Et ſi hos decem & ſeptem in duo diuiſeris, id eſt denarium & ſeptenarium: denarius legalia mandata, & ſeptenarius dona ſancti Spiritus deſignat. Item ſi ſeptem in duo diuiſeris, id eſt in III. & in IIII. Tres enim fidem ſanctæ Trinitatis deſignant, in qua fide omnes gentes ſaluandæ ſint, quæ per quadrifarias Totius plagas diffuſæ ſunt. Ideò Dominus noſter Ieſus Chriſtus diſcipulis ſuis mandauit, dicens: *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti: docentes eos ſeruare omnia quæcunq; mandaui vobis.* In iſtis pauciſſimis verbis totius ſanctæ prædicationis ordinem expoſuit. Bis docere dixit, ſemel & baptizare. Primò omnium fidem Catholicam docere præcepit, & poſt fidem acceptam in nomine ſanctæ Trinitatis baptizare iuſſit. Deinde fide imbutum, & ſacro baptiſmate ablutum Euangelicis inſtruere præceptis mandauit.

Hunc tu ordinem, ſanctiſſime doctor, catechizandi in adultæ ætatis viris vbique firmiter obtineas. Fragiliori verò ætati pia mater Eccleſia cōceſſit, vt qui alieno in paterna præuaricatione ligatus eſt peccato, alterius in baptiſmi myſterio profeſſione ſolutus ſit. Et ſi hoc non eſſet, quanti perirent infantes, ex quorum numero cæleſtis cotidie ædificatur Hieruſalem? Abſque fide quid proficit baptiſma? dicente Apoſtolo, *Sine fide impoſsibile eſt placere Deo.* Inter impoſſibile & difficile hoc intereſſe legimus. Difficile eſt, quod fieri licet, vix poteſt. Impoſsibile verò, quod omninò ab humana fragilitate fieri non poteſt. Ideò ipſe Dominus in Euangelio ſtupentibus Apoſtolis, qui ex diuitibus ſaluus fieri poſſet, reſpondet: *Apud homines hoc impoſsibile eſt, apud Deum autem omnia poſsibilia ſunt.* Idcirco miſera SAXORVM* gens totiens baptiſmi perdidit ſacramentum, quia nunquam habuit in corde fidei ſacramentum. *alibi, SAXONVM.

Sed & hoc ſciendum eſt, quòd fides, ſecundum quod ſanctus Auguſtinus ait, ex voluntate fit, non ex neceſſitate. Quomodo poteſt homo cogi vt credat quod non credit? Impelli poteſt homo ad baptiſmũ, ſed non ad fidem: veluti iſti hæretici, qui adoptionem carnis in Chriſto confirmant, nullatenus ad Catholicam fidem conuerti poſſunt, quia nullam habent voluntatem orthodoxæ fidei profeſſionem cum vniuerſali Eccleſia cognoſcendi. Docendus eſt itaque homo, rationalem habens intellegentiam, & multimoda prædicatione adtrahendus; vt ſacræ fidei veritatem agnoſcat. Et maximè Dei omnipotentis pro eo deprecanda eſt clementia; quia otioſa eſt lingua docentis, ſi gratia diuina cor auditoris non imbuit. Dicẽte ipſa Veritate, *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, adtraxerit eum.* Et vt æqualiter ſanctam Trinitatem ſalutem hominis operari intellegas, dicit & ipſe Dominus in alio loco, *Nemo poteſt venire ad Patrem, niſi per me.* Item & de Spiritu ſancto ait: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu, non poteſt introire in regnum Dei.* Quod enim viſibiliter Sacerdos per baptiſmum operatur in corpore & per aquam, hoc Spiritus ſanctus inuiſibiliter operatur in anima per fidem.

Tria ſunt in baptiſmatis ſacramento viſibilia, & tria inuiſibilia. Viſibilia ſunt, Sacerdos, corpus, & aqua. Inuiſibilia verò, Spiritus, & anima, & fides. Illa tria viſibilia nihil proficiunt foris, ſi hæc tria inuiſibilia non intus operantur. Sacerdos corpus aquâ abluit, Spiritus ſanctus animam fide iuſtificat. Et hoc eſt quod Apoſtolus ait: *Cooperatores enim Dei ſumus.* Cooperatur homo Spiritui ſancto in ſalute hominis. Sed & ipſe homo, qui baptizandus eſt, cooperari ambobus debet in ſalute ſua, id eſt Spiritui ſancto & ſacerdoti humiliter corpus præſtare ad ſacri myſterium lauacri, & animam voluntariè ad Catholicæ fidei ſuſceptionem. Hæc omnia doctori in initio fidei, & ſacramento baptiſmatis, ad ſalutem accipientis diligenter conſideranda ſunt; & non deſidioſè tanti ſacramenti myſterium exequi.

Sed hoc quoque magnopere penſandum eſt, qualiter nouella plantatio colenda ſit, & primi flores fidei ad incrementa fructuum peruenire valeant: ne gelu cuiuſlibet duritiæ emarceſcãt, & ad dulcedinem optati fructus non creſcant. Nam infantilis ætas ſuauitate materni lactis nutrienda eſt, & rudis anima mollioribus diuinæ dulcedinis præceptis alenda eſt. Nam ſolidus cibus virorum eſt fortium, & altiora præcepta illorum ſunt, qui exercitatos habent ſenſus in lege Dei. Vnde & Apoſtolus quibuſdam fragilioris intellegentiæ fratribus ſcribens ait: *Lac vobis dedi, eſcam, non ſolidum cibum, quia non potuiſtis accipere, ſed necdum poteſtis, quia carnales eſtis. Carnalis enim homo non percipit ea quæ Dei ſunt. Spiritalis enim omnia diiudicat*, id eſt, diſcernit & iudicat. Vnde & ipſa Veritas in Euangelio, quibuſdam calumniantibus, cur Apoſtoli non ieiunarent, ſicut Phariſæi, & diſcipuli Ioannis, reſpondit: *Nemo mittit vinum nouum in vtres veteres. Alioquin & vtres rumpuntur, & vinum effunditur, & vtres peribunt.* Qui ſunt vtres veteres, niſi qui in gentilitatis erroribus obdurauerunt? quibus ſi auſterioribus in initio fidei nouæ prædicationis præcepta tradideris, rumpuntur; & ad veteres conſuetudines perfidiæ reuoluuntur.

Conſtantior eſt itaque ad omne opus mens multo tempore in ſacræ fidei conſecratione roborata, quàm nouella prædicatione initiata. Aliter enim ſanctus Petrus, poſtquam multo ſancti Spiritus repletus eſt, in Palatio Romano pro fide Chriſtiana Neroni reſpondit, & aliter in domo Caiphæ pro cõfeſſione diſcipulatus Chriſti ancillæ reſpondit. Hic timidior, illic conſtantior. Hoc exemplar fuit fragilitatis, illud fortitudinis. Quem Chriſtus poſt reſurrectionem pietatis intuitu tri[illegible] dilectionis ſuæ profeſſione ad priſtin[illegible]tatis principatũ reuocauit, atque oues, quas proprio redemit ſanguine, commendauit paſcendas: quatenus bonus paſtor intellegeret non ſemper delinquentes dura inuectione caſtigare, ſed ſæpè piæ conſolationis ammonitione corrigere. Nam & ipſe Dominus noſter Ieſus Chriſtus, dum à Iudæis tentaretur de muliere adultera, nõ ſtatim legalis cenſuram ſententię protulit: ſed humilitatis exemplo ſe inclinans ſcribebat in terra, vt deſignaret, Doctorem propriæ fragilitatis culpas in puluere ſui cordis priùs depingere, & ſic aliena mitiùs diiudicare peccata. At ſi huius conſiderationis regula in omni ætate & propoſito diligenter tractanda eſt, quantò magis in his, qui ab errore inolitæ conſuetudinis ad fidem Chriſtianam nuper conuerſi ſunt, magna pietatis moderatione obſeruanda eſt? Necnon etiam & in illis, qui ab infantia Chriſtianæ fidei ſacramenta ſuſceperãt, & diabolica fraude poſt decepti longa cõſuetudine carnales ſecuti ſunt luxurias: vel

aliis quibuſlibet peccatorum nexibus obligati, leuioribus primò verbòrum fomentis conſolandi ſunt, ne pœnitentiæ medicamenta durioribus exterriti caſtigationibus abhorreant.

Sunt quædam infirmitates, quæ meliùs amariòribus ſanantur, quàm dulcioribus medicamentis. Vnde & Doctor populi Dei, dum cunctis virtutum lucernis in domo Dei clareſcere debet, maximè tamen ſagaciſſimæ diſcretionis intellegentiâ pollere; vt ſciat quid, cui perſonæ, ſexui, ætati & propoſito, vel etiam tempori conueniat. Quæ omnia beatus Gregorius clariſſimus Doctor in Libro Paſtoralis curæ ſtudioſiſſimè exquiſiuit, perſonis diſtinxit, exemplis firmauit, & diuinarum ſcripturarum auctoritate roborauit. Ad cuius Libri lectionem te, ſanctiſſime Præſul, remitto: obſecrans, vt illum ſæpiùs quaſi enchiridion habeas in manibus, & in corde retineas. Ac ideo dum plurimos te, beatiſſime Pater, ſanctorum Doctorum ſcio Libros habere, legere, & firma tenere memoria, & maximè in diuinis litteris ſtudioſum eſſe agnoſco: ſuperuacuum eſt meæ litterulis imperitiæ, tuæ ſapientiæ aures occupare. Niſi caritatis tantum cauſa meâ præſumptionem ante oculos auctoritatis veſtræ, iuſtè, vt puto, excuſare poterit: ne dilectio, quæ intus ardet in corde, muta foris videatur in verbis. Ad hoc enim verba videntur hominibus data, vt arcana cordis fraternis auribus infundere valeant [illegible] hoc Epiſtolæ ſcribuntur, vt quò verborum ſonus peruenire non poterit, litterarum officia currant; quatenus mutuæ caritatis in apicibus ſigna fraternis obtutibus demonſtrentur: vt fiat animorum in caritate præſentia, vbi eſt corporũ propter longinquitatem locorum abſentia. O felix & beata vita, vbi ſemper quod amatur videtur, & quod videtur numquam faſtidit! vbi Deus omnibus æternus amor, æterna laus, gloria, & beatitudo. Ad hanc verò vitam & felicitatem me familiarem tuum aſſiduis precibus & exhortationibus tecum trahe: quatenus poſt huius vitæ procelloſas tempeſtates, ad perpetuæ portum quietis, Chriſto miſeràte, tecum peruenire merear. Veſtram ſanctitatẽ in omnibus bonis florere, & ad perpetuã Deus Ieſus proficere faciat felicitatem, deſiderantiſſime frater in Chriſto.

A

AD MEGENFRIDVM,

EPISTOLA CV. MS.

Dilectiſſimo in Chriſti caritate amico, & Regalis Palatij Archario Megenfrido, Flaccus Albinus perpetuæ ſoſpitatis ſalutem.

SOLET itaque cartula caritatis calamo perſcripta inter amicales B currere perſonas, vt ardorem ſui pectoris litteris fraternis oſtendat obtutibus; & quod intus latet in animo, foras videatur in ſcriptis. Vnde ego, tui memor, amice cariſſime, tibi hos tuæ ſalutis, immò & multorum ammonitorios dirigere curaui apices. Nec me ſuperfluum in his litteris æſtimes, ſed deuotum; deſiderans vtrumque, & præſentis vitæ proſperitatem, atque futuræ: quatenus in iſta C temporali feliciter viuas, & in illa æterna beatè regnes cum Chriſto.

Conſiderandum verò eſt diligentiſſimè omni homini, quid fugere debeat, & quid ſequi. Quæ duo Pſalmiſta vno breuiſſimo verſiculo oſtendit, dicens: *Deuerte à malo, & fac bonum.* Non ſufficit ſolùm mala non facere, niſi & bona faciat, æternam cupienti poſſidere gloriam. Vnde & ipſa Veritas in Euangelio cuidam ſe interroganti reſpondit: *Si vis vitam ingredi, ſerua mandata.* D Sed vnicuique penſandum eſt, in quo gradu ſtatuiſſet eum Deus, & quo talento ditaſſet eum. Non enim ſolis Epiſcopis vel Presbyteris pecuniam ſuam tradidit Dominus ad multiplicandum: ſed omni dignitati & gradui talenta bonæ operationis tradidit, vt datam ſibi gratiã fideliter amminiſtrare ſtudeat, & conſeruis ſuis erogare contendat. Alius eſt, qui talentum prædicationis accipit, alius ſapientiæ, alius diuitiarum, alius cuiuſlibet amminiſtrationis: quidam fortè alicuius artificij donum à Deo horum omnium bonorum diſpen- E ſatore. Et in his omnibus fides & deuotio ſpectanda eſt, vt fideliter laboret, & viriliter ſui domini pecuniam multiplicare ſatagat, quatenus deſiderabilem vocem audire mereatur: *Euge ſerue bone & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtituam. Intra in gaudium Domini tui.*

Qui verò pecuniam prædicationis accipiunt, diligẽter conſiderare debent, quid cuique congruat loco vel tempori: etiam & quo ordine prædicatio Chriſtianitatis incipienda ſit, vel perficienda. Nam Do-

minus noſter Iesvs Chriſtus cum triumpho gloriæ ad paternam rediens ſedem, Apoſtolis ſuis præcepit, dicens: *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Docentes eos ſeruare omnia quæcunque mandaui vobis.* Primò fides docenda eſt, & ſic baptiſmi percipienda ſunt ſacramenta. Deinde Euangelica præcepta tradenda ſunt. At ſi aliquid horum trium deerit, ſalutem animæ ſuæ auditor habere non poterit. Fides quoque, ſicut ſanctus ait Auguſtinus, res eſt voluntaria, non neceſſaria. Attrahi poterit homo in fidem, non cogi. Cogi poteris ad baptiſmum, ſed non proficit fidei. Niſi infantilis ætas aliorum peccatis obnoxia, aliorum confeſſione ſaluari poterit. Perfectæ ætatis vir pro ſe reſpondeat, quid credat, aut quid cupiat. Et ſi fallaciter fidem profitetur, veraciter ſalutem non habebit. Vnde & prædicatores paganorum populum pacificis verbis & prudentibus fidem docere debent. Nouit Dominus qui ſunt eius, & quorum cor vult aperit, vt intellegant quæ à doctore dicantur. Sed & poſt fidei & baptiſmi perceptionem, molliora præcepta infirmioribus animis ſunt præbenda. Nam & Apoſtolus Paulus nouellæ Galatarum genti ſcribens, ait: *Lac vobis dedi potum, non ſolidum cibum.* Solidus verò cibus virorum eſt fortium. Id eſt, præcepta maiora illorum ſunt, qui multo tempore exercitatos habent ſenſus in lege Domini. Et veluti lac fragili congruit ætati, ita ſuauiora præcepta rudi populo in principio fidei tradenda ſunt.

Igitur & in Actibus Apoſtolorum legimus, Paulum & Barnabam Hieroſolymam aſcendiſſe ad Iacobum & ceteros Apoſtolos, ſuper hac quæſtione, quomodo gentibus prædicare debuiſſent. At illi præſcribentes vnanimo conſilio ſtatuerunt, vt nil moleſtiæ legalis imponeretur ceruicibus eorum; ſed tantum vt abſtinerent ſe à fornicatione, à ſanguine, ſuffocatione, & ſimulacris. Immò & ipſe Paulus prædicator gentibus gloriabatur, ſe ex labore manuum ſuarum viuere. Ait enim in quadam Epiſtola ſic: *Vos ſcitis, quod mihi, & his qui mecum ſunt, manus iſtæ miniſtrauerunt, ne cui veſtrum moleſti eſſemus.* Et item, *Melius eſt mihi mori, quàm vt gloriam meam quis euacuet. Quæ eſt gloria mea, vt Euangelium ſine ſumptu exponam.* Hoc enim tantus, & à Deo ſpecialiter electus Gentium Prædicator egit, vt omnem radicitus occaſionem auaritiæ Prædicatoribus abſcinderet: quatenus nullus, qualibet cupiditate inlectus, ſed ſola Chriſti caritate confortatus verbum Dei prædicaret; ſicut ipſe in Euangelio ſuis præcipiens diſcipulis, ait: *Gratis accepiſtis, gratis date.*

Si tanta inſtantia leue Chriſti iugum, & onus eius leue, duriſſimo Saxonum populo prædicaretur, quanta decimarum redditi vel legalis pro paruiſſimis quibuſlibet culpis edictis neceſſitas exigebatur: fortè baptiſmatis ſacramenta non abhorrerent. Sint tandem aliquando doctores fidei Apoſtolicis eruditi exēplis. Sint prædicatores, non prædatores. Confidant in illius pietate, qui ait. *Nolite portare ſacculum, aut peram*, & cetera quæ ſequuntur. Et de quo Propheta inquit, *Qui numquam dereliquit ſperantes in ſe.*

Hæc tuæ, venerande amice, ſcripſi dilectioni, quatenus tuis proficiant ammonitionibus, qui à te conſilium audire deſiderant. Sat enim hæc omnia optimè dilectus meus David, cui Deus & ſapientiam dedit, & bonam voluntatem: & plurimos conuertit populos ad caritatem Chriſti & laudem. Cui omnis bonitas & potentia ad benefaciendum ſufficit. Niſi vnum tantummodo propter tempora periculoſa huius ſeculi, quod rariores habet adiutores in opere Domini, quàm neceſſe ſit. Nullus tamen in mundo meliores, vt credo, habet, quàm ille. Hos erudiat, ammoneat, & doceat, ſecundum ſapientiam ſibi à Deo datam. Et tu fideliſſime diſpenſator theſaurorum, & ſerator conſiliorum, & adiutor deuotus. Viriliter fac[illegible]tatem illius. Eſto in conſilio ſuauis, & in opere ſtrenuus. Pacificus in domo, prudens in legationibus, pius in pauperes & miſeros, iuſtus in iudiciis, largus in eleemoſynis: vt ex temporalibus diuitiis tuis, æternas Chriſti merearis in cælis.

Adhuc me dilectio dilecti mei David, & ſollicitudo ſalutis multorum, cogit tibi ſuadere, quæ vtilia ſcio coram Deo, & honeſta coram ſeculo. Nam quidam Sacerdotes Chriſti, qui habent parrochias & honores ſeculi, & gradus miniſterij non volunt habere: videtur mihi melius vt plenam habeant benedictionem, & plenam mercedē apud Deum. Nunc verò alius laborat pro mercede perpetua, illi verò pro ſeculari honore. Priuati verò ſunt, vt cum pace dicam. Poteſtatem ligandi & ſoluendi, quod clariſſimum eſt in Eccleſia Chriſti donum, Chriſtus dedit Apoſtolis, & per eos ſucceſſoribus ſuis. Nec non & de Eccleſiis, quæ non habent paſtores, periculoſum eſt gregem Chriſti abſque paſtore

diu manere. Intrant lupi rapaces, ſed non eſt qui exigat eos. Sedet ſola & vidua Domina gentium, & non eſt qui conſoletur eam. Dicit & ipſa Veritas, *Meſſis quidem multa eſt, operarii autem pauci.* Rogate dominum meſſis, vt mittat operarios in meſſem ſuā. Et ego tibi, cariſſime amice, meſſis quidem multa eſt in populo Chriſtiano, ſed non ſunt in quibuſdam locis meſſores. Tu verò roga dominum meſſis, id eſt, DAVID meum dilectum, vt mittat operarios in meſſem ſuam. Quatenus illi dicat rogatus, ſicut ſuus proprius protector, & vnicus, & amator Chriſtus Deus dixit Diſcipulis ſuis: *Ite, ecce ego mitto vos.* Ipſe eſt dominus vineæ, mittat operarios in vineam ſuam, & dicat: Ite & vos in vineam meam, & quod iuſtum fuerit accipietis pro labore vineæ meæ. Ipſe eſt poteſtas & diſpenſatio vineæ Chriſti, id eſt, Eccleſiarum Dei. Illius eſt laus, & gloria, & merces æterna, vt benè ordinentur & regantur, & paſtores habeant quantos inuenire poſſint dignos & Deo placabiles. Ille eſt in hoc regno, qui omnes prædicare poteſt, & de omnibus Eccleſiis mercedem habere & benedictionem in ſeculo, & æternam beatitudinem, & beatam æternitatem cum *Chriſto* & Sanctis eius.

RESPONSIONES AD KAROLUM Imperatorem.

MS.* EPISTOLA CVI.

Regi Regum, Deo Chriſto donante, Karolo Regi, Imperatori, Auguſto, optimo, maximo, perpetuo, humilis matricularius Albinus ſempiternam cæleſtis gloriæ ſalutem.

MIRABILES ſapientiæ veſtræ literarum ſeries perlectas, inuenimus eas eloquētiæ nitore ſplendidas, & profunditate ſenſuum ſubtiliſſimas, & inquiſitionis gratiâ iocundiſſimas. Vnde patenter agnoſci poterit, non tantum Imperatoriam veſtræ prudentiæ poteſtatem à Deo ad ſolum mundi regimen; ſed maximè ad Eccleſiæ præſidium, & ſapientiæ decorem conlatam: & iuuenum mentes quadam inertię rubigine obductas ad acumen ingenii per veſtram ſanctiſſimam ſollertiam elimandas. Siquidem præter Imperiales & publicas curas, Euangelicas quæſtiones Academicis veſtris à nobis enucleandas inquiritis. Quanquā veſtræ prudentiæ, vt in Epiſtola dignitatis veſtræ dicitur, eaſdē quæſtiones notiſſimas eſſe ſciamus; A tamen ne ſenilis taceat ſegnities, quibuſdam interrogationum ſtimulis ſomnigeram illius ſocordiam excitare voluiſtis. Vnde etiam nunc magis docere, veſtris inſitionibus intellego, quàm veſtræ aliquid affluentiſſimæ ſapientiæ ex mea addi poſſe reſponſione. Nam ſapienter interrogare, docere eſt. Igitur prudenter quærere, via eſt inueniendi; vel vti fertur Pythagoram ordinatis interrogationibus puerum quēdam de Geometrica magis docuiſſe, quàm diſcere quid ab eo vellet. Sicut & Dominum B in Euangelio quibuſdam parabolis egiſſe legimus.

Sed vt ad inquiſita reſpondeam, prout meæ inſpirauerit menti gratia illius, de cuius ſermone huius inquiſitionis orta eſt interrogatio: quamuis veſtræ claritati vix mea aliquid dignum paruitas conferre valeat, quia non talis mihi ineſt formæ vel cogitationum fiducia. Sicut legitur de Zenocrate architecto, qui populea fronde coronatus, & pelle leonis veſtitus inter turbas populi inceſſit contra tribunal A- C lexandri Magni. Et quæſitum eſt ab eo, quis, vel vnde eſſet. At ille, Zenocrates, inquit, ego architectus Macedo, qui ad te cogitationes, & formas tuæ claritati condignas affero. Sed talem mihi ineſſe voluntatem de veſtræ excellentiæ Platonicis video, qualis de Ariſtippo Philoſopho ſcribitur, qui naufragio perditis omnibus vix viuus euaſit, ad litus dixiſſe ſuis legitur. Ite Athenis, & dicite diſcipulis noſtris eas congregare diuitias, quæ naufragio perire non poſſunt. Sapientiam volens intellege- D re. Nec etiam hæc veteris monimenta hiſtoriæ proferrem, niſi veſtræ auctoritatis apices ad Philoſophorū me nomina prouocarent.

His prælibatis, ad interrogationem litterarum veniamus veſtrarum. In quibus poſt congruam Epiſtolæ prefationem ſcriptum inuenimus, vt eiſdem vtamur verbis, *Hymnum poſt Cœnam myſticam vel diſcipulos, vel potius ipſum Dominum dixiſſe, ex ipſius ſacræ hiſtoriæ lectione auctoritate collegimus; ac propter hoc ſumus non mediocri ſtupore E perculſi, cur tantæ dulcedinis hymnus vel ab ipſo Domino, vel ſi à diſcipulis, in præſentia tamen Domini dictus, ab Euāgeliſtis omnib. ſit prætermiſſus.* Hæc eſt totius ſumma interrogationis, cur tacitus ſit ab omnibus tantæ dulcedinis hymnus Euangeliſtis? Dum certiſſimè ex verbis ſacræ hiſtoriæ conſtat hymnum poſt Cœnam myſticam dictum eſſe à diſcipulis, vel potius ab ipſo Domino. Cuius itaque omnis interpretatio primò di-

cenda eſt. Igitur Gręcum nomen eſt hym- A
nus, & Latinè interpretari poteſt, laus car-
minis; ſiue, vt beatus Iſidorus ait, Hym-
nus eſt canticum laudantium, quod ex
Græco in Latinum laus interpretatur, pro
eo quòd ſit carmen lætitiæ & laudis. Pro-
priè autem hymni ſunt continentes laudē
Dei. Vnde & liber Pſalmorum à pleriſque
Doctoribus Liber Hymnorum appellatur.
Quòd verò Euangeliſtæ dixerunt, *Et hym-
no dicto exierunt*, à pleriſque ſimpliciter tra-
ditur ita, Laude Deo dicta exierunt, Qui-
dam itaque putant XXI. Pſalmi verſum B
eos cantaſſe, *Manducauerunt, & adoraue-
runt omnes diuites terræ.* Et hoc ex Commen-
tario ſancti Hieronymi ſuſpicantur, qui
ait: *Et hymno dicto*, hoc eſt quod in Pſal-
mo legimus, *Manducauerunt & adorauerunt
omnes pingues terræ.* Sunt etiam, qui in prio-
re verſu hanc laudem aptare volunt, vbi
dicitur: *Edent pauperes, & ſaturabuntur, &
laudabunt Dominum qui requirunt eum.* Sed fie-
ri poteſt, Iudæos habere in conſuetudine,
aliquando hymnidicam poſt cœnam de-
cantare laudem: ſicut ſolebant tranſeun- C
tes viam in agro laborantes hoc verſu be-
nedicere: *Benedictio Domini ſuper vos, bene-
diximus vobis in nomine Domini.* Sed his at-
que huiuſmodi opinionibus quorumdam,
quamuis ſpernendæ non ſint, vt videtur,
omiſſis; liquidam veritatis pendamus in-
terpretationem.

Conſuetudo itaque eſt Euangeliſtarum,
quædam pleniùs dicere, quæ alij omnino
tacuerunt. Quod maximè beatum feciſſe
Ioannem Euangeliſtā comprobant. Cuius
rei idoneus lector in eis ſufficienter exēpla D
repetire poterit; quæ nos Epiſtolaris breui-
tas tangere prohibet, niſi quæ huius inter-
rogationis reſpōſioni neceſſaria eſſe vidē-
tur. Igitur de hac myſtica veteris vel noui
Teſtamēti Cœna toti quatuor dixerūt, vel
quid in ea geſtum eſſet, vel dictum, partim
ſimiliter, partim diſſimiliter protulerunt.
Quæ tamē omnia vera eſſe neceſſariò cre-
duntur. Quod illi itaque tres de panis ca-
licíſque conſecratione dixerunt, hoc Ioan-
nes omiſit, maximè moratus in humilitate
Chriſti oſtendenda, qua pedes diſcipulo- E
rum ſuorum lauare dignatus eſt. Atque
longiſſimo, ſacratiſſimóque ſermone, quē
exeunte filio perditionis, illis vndecim e-
lectiſſimis ſecreta & ſpiritali loquela diſſe-
ruit. Qua locutione terminata, idem bea-
tus Euangeliſta ſubiunxit, dicens: *Hæc lo-
cutus eſt Ieſus, & ſubleuatis oculis in cælū, dixit*,
non ſolum illa deſignans verba, quæ ipſe
Ioannes Dominum dixiſſe refert: verum-
etiam & ea, quę alij ſcripſerunt, eum in illo
ſacroſancto conuiuio locutum eſſe. Quòd
vero beatus Euangeliſta Ieſum eleuatis o-
culis in cælum dixiſſe ſubinfert: *Pater clari-
fica filium tuum, vt filius tuus clarificet te*, vſque
in eum locum, vbi hac hymnidica termi-
nata laude, & ſanctiſſima oratione finita,
*Vt dilectio qua dilexiſti me in ipſis ſit, & ego in
ipſis*: quam pro ſe, ſuiſq; Diſcipulis, immò
& omnibus fidelibus, qui vſque ad con-
ſummationem ſeculi venturi eſſent, pius
Saluator Deo patri profudit.

Iſte eſt hymnus ſacratiſſimus, & pul-
cherrimus, & cunctis perneceſſarius cre-
dentibus: quem Aduocatus noſter Domi-
nus Ieſus Chriſtus, peracto noſtræ ſalutis,
& ſuæ pietatis conuiuio, magna dulcedine
& mirabili ſuauitate pręſentibus ſuis diſci-
pulis decantabit. Iſte eſt hymnus quem
ſancta ſollicitudo ſapientiæ veſtræ inqui-
rit. Iſtum perpetua dulciſſime mi DAVID,
in laudem Domini & Saluatoris noſtri, &
in ſpe æternę beatitudinis, teneatis memo-
riâ. Potuit enim hæc eadem verba hymni-
dicæ laudis & orationis filius patri ſilenter
dicere. Sed oratio filij, doctrina eſt diſci-
pulorum: immò & omnium, qui in oratio-
ne laudis Domini deprecari conſueſcunt.
Nulla oratio dulcior eſt, quàm quæ in di-
uinæ bonitatis laude profunditur. Vnde &
ipſe Dominus per Prophetam ait: *Sacrifi-
cium laudis honorificabit me, & illic iter quod o-
ſtendam ei, ſalutare Dei.*

AD ANTONIVM,

EPISTOLA CVII.

Antonio Albinus ſalutem.

O quàm plana via fuiſſet per bellica
rura, ad currendum vel ad volan-
dum caritatis pennis! Timeo, ne
fortè fractæ ſint alæ, quæ ex eis vt aliæ po-
tuiſſent inſeri. Ideò nidus paternus non
viſitatur, nec ſaltem columba pedibus, vt
quondam in Græcia legatis, affert litteru-
las. Quid ad hæc ſic iturus Orpheus? Or-
pheus inter Delphinas Orion.

Vertitur œnofori fundus, ſententia nobis.

Ego ludo, ego ſerie dormientem ſæpiùs
ſuſcitare niſus. Sed nec cantante ſaltatum
eſt, nec plangente lamentatum,

Omnia vel medium fiant mare, viuite ſiluę,

dixit amans ſpernenti ſe. Idem in eodem
Poëta,

Inuenies alium, ſi te hic faſtidit Alexis.

Putaui me venire ad te, & vnicæ auriculæ

ſuauia ſuſurrare, & alteri dura decantare. A Sed prohibuit me ROMANVS Comes ingrato tempore. Si illius inſurgat contra me prælium, in hoc ego ſperabo: quia virtus ex infirmitate perficitur. Vereor ne Homerus iraſcatur contra cartam prohibentem ſpectacula, & diabolica figmenta; quæ omnes ſanctæ ſcripturæ prohibent, in tantum, vt legebam ſanctum dicere Auguſtinum: Neſcio homo quis hiſtriones & mimos & ſaltatores introducit in domum ſuam, quàm magna eos immundorum ſequitur turba ſpirituum. B Sed abſit vt in domo Chriſtiana diabolus habeat poteſtatem.

Olim tibi de his ſcripſi, optans ſalutem cariſſimi filij toto cordis affectu; volēs per te fieri, quod per me nō poſſe fieri agnoui. Tuus verò animus, fili cariſſime, cōgaudeat in ſeruitio Dei, & in ſalute fraterna: vt tibi ex profectu aliorum merces adcreſcat meritorum. Ideò ſæpius deſideraui exhortatorias dilectionis veſtræ litteras. Sed neſcio quæ cauſa vel me rapuit ex mente tua, vel te ab exhortatione ceſſare compulit. C Beatus, qui loquitur in aure audientis. vtinam omnes tali te deſiderio audirent, ſicut ego vnanimus tuus! Vel caſtigatus ſcribe, vt vindices te; quia rogatus noluiſti vt confortares me. Valeto in pace perpetuæ beatitudinis, fili cariſſime.

AD SPERATVM EPISCOPVM,

MS.* EPISTOLA CVIII.

D

Vtilis ad legendum Epiſcopis, de admonitione eorum.

Sanctiſſimo fratri, & filio cariſſimo Sperato Epiſcopo, humilis Pater Albinus ſalutem.

VALDE me veſtræ caritatis amor cotidie reficit, & fidelitatis mentem meam certitudo abundanter lætificat: itaut in primos paruitatis meæ amicos veſtræ bonitatis nomen, & ſuauitatis facies menti meæ radicitus infixum E permanet. Et ob hoc, quantum caritatis recordatio lætificat, tantum abſentiæ lacrymoſa longinquitas mœſtificat. Sed patienter ferendum eſt, quod neceſſariè tolerandum eſſe dinoſcitur. Et currens cartula oſtendat in litteris, quod lingua reſonare non valet in auribus: quatenus oculorum officio illud agnoſcat, quod olim aurium miniſterium cordis ſecretum cognouit.

Veſtra verò veneranda ſanctitas varios ſeculi euentus ſæpius conſiderat, & quis caſus nobis remaneat; non obliuioſa mente retinetur. Totiuſque humani generis exempla nos doceant, quàm periculoſa dies, quàm metuendum iudicium incerto tempore nobis immineat. Præparemus nos in occurſum magni Regis, vt pium inueniamus, quem nullus effugere valet. Quid verò muneris in manibus feramus, cotidie cogitandum eſt: dicente ſcriptura; *Non appareas vacuus in conſpectu Domini Dei tui.* Nulla ibi metallorum ſpecies, nullus gemmarum fulgor, nulla veſtium vanitas, nullus ſæculi luxus ipſo æquiſſimo Iudice acceptabilis erit. Niſi ſola eleemoſynarum largitio, & meritorum multiplicatio bonorum proderit. Quicquid hîc geritur, illic diiudicatur. Et omnis bonitas præmio coronabitur perpetuo, omniſque iniquitas æternis damnabitur tormentis.

Hæc animis inhæreant noſtris, hoc prudens præuideat cautela. Ne illa die inops bonorum meritorum lugeat anima; ſed vt de ſimplici gaudeat bonitatis fructu, maxima cura cogitandum eſt. Hoc veſtra meam fraterna ſollicitudo ſegnitiē ſanctarum literarū ſerie ſæpius admoneat. Non* meæ exhortationis verba veræ dilectionis ſtilo ſunt exarata. Cotidie operemur bonum dum tempus habemus; ne nos tenebræ comprehendant, nec imparatos illa metuenda dies inueniat. Tu verò paſtorali pietate, ac ſacerdotali auctoritate, non ſolum meam ſuſcitare litteris ſocordiam ſtudeas: ſed etiam omnibus te audientibus pia paternitate, vt vigilent, prædicare non ceſſes. Si lingua ſacerdotalis clauis eſt cæleſtis regni, decet vt guttur illius tuba ſit æterni Regis, dicente Propheta: *Clama, ne ceſſes; exalta ſicut tuba vocem tuam.* Quis ſe parat ad bellum, ſi præco in caſtris non clamat? Quis hoſtibus ſuccinctus in armis obſiſtit introitum, ſi ſpeculator in celſo turris faſtigio dormit? Quis gregem à luporum rabie defendit, ſi paſtor in ſiluestribus luxoriæ dumis latitat? Quis florentis ruris paſcua gregi demonſtrat, ſi ductor vagabundis per foueas veſtigiis errat? Lege ſæpius, obſecro, beati Gregorij Prædicatoris noſtri libellum de paſtorali cura: vt in eo periculum ſacerdotalis officij agnoſcas, & bene operantis ſerui mercedem nō obliuiſcaris. Iſte Liber tuis ſæpius inhæreat manibus, illius ſenſus tuæ firmiter infigantur memoriæ; vt ſcias qualiter quiſque

*Nam

ad ſacerdotalem honorem accedere, & accedens quanta conſideratione ſe ipſum circumſpicere debeat, & quibus exemplis viuere neceſſe ſit, & quanta intentione prædicare iubeatur, & quid cui perſonæ conueniat, maxima diſcretione deſcripſit.

Scis optimè, quanta intentione Rex ille clariſſimus filio ſuo præparauit, vt arbitrabatur, regno hæredem: ſed vt rerum euentus demonſtrabat, exemit. Inde poteris ſecularem intellegere ſapientiam, & quàm verum eſt, vt Pſalmiſta canit, *Niſi* B *Dominus ædificauerit* * *domum, in vanum vigilant qui cuſtodiunt eam.* Homo cogitat, Deus iudicat. Incerta eſt humanæ prudentiæ ſecularibus prouidentia rebus. Hoc ſolum de futuris conſiderantem non fallat, quod caritas in præceptis Dei huius vitę temporibus peragit. Sit tibi larga manus in eleemoſynis, ſit ſtudioſa lingua in prædicatione, ſit ſobria vita in conuerſatione, ſit ſacerdotalis auctoritas in caſtigandis reprobis, ſit benigna ſollicitudo in refouẽdis humilibus. Sit tibi clara in veritatis aſſertione fiducia, nulli parcens perſonæ, quo minus æquitatis proferas iudicium. Sit tibi venerabilis cotidianus vſus in Eccleſiaſticis Officiis; vt omnia honorificè fiant, quæ tua dignitas in Dei cultu debeat obſeruare. Quia melius eſt, Sacerdotem Chriſti in Eccleſiaſtico miniſterio laudari, quàm in conuiuiorum apparatu. Quæ laus eſt, tantum accumulare menſam tuam, vt vix portari poſſit; & Chriſtus ante oſtium eſuriat? qui dicturus erit in die terribili, *Quamdiu ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis.*

* *cuſtodierit*

Omninò habeas in comitatu tuo prudentem diſpenſatorem, qui pauperum curam ſollicita pietate præuideat. Melius eſt, pauperes edere de menſa tua, quàm hiſtriones vel luxurioſos quoſlibet. Ebrietatem ſectantes, B. Hieronymo dicẽte, quaſi inferni foueam deuita. Duo mala ſunt. Primum, contra præceptum Dei agere, qui ait: *Cauete vos ab omni ebrietate & crapula.* Secundum, inde laudem quærere, vnde pœnitentiam agere debuit. *Beatus homo, qui non reſpicit in vanitates, & ad inſanias falſas.* Inſania eſt veſtimentorum pompa, & aſſidua ebrietatis luxuria, Propheta dicente: *Væ vobis, qui potentes eſtis ad bibendũ vinum, & viri fortes ad miſcendam ebrietatem. Qui his delectatur*, vt Salomon ait, *non erit ſapiens.* In te enim exemplum ſit totius ſobrietatis & continentiæ. Verba Dei legantur in ſacerdotali conuiuio. Ibi decet lectorem audiri, non cithariſtam. Anguſta eſt domus vtroſque tenere non poterit. Non vult Rex

A cæleſtis cum paganis & perditis nomine tenus Regibus communionem habere; quia Rex ille æternus regnat in cælis, ille paganus perditus plangit in inferno. Voces legentium audire in domibus tuis, non ridentium turbam in plateis.

Clericorum tales habeas ſocios, ex quorum conuerſatione tua laudetur auctoritas. Filius ſapiens gloria eſt patris, & è cõtra filius ſtultus ignominia eſt matris. Quomodo, dicente Apoſtolo, curam Eccleſiæ poterit habere, qui ſuam domum neſcit regere? Ouicula, quæ de menſa comedit paſtoris, vagabundis errat greſſibus. Quomodo cautam habet conuerſationem, quæ libero pede per campi latitudinem diſcurrit, & ex doctrina diſcipulorum augetur ſapientia doctoris. Qui ſtudioſè docet quod nouit, ſæpè agnouit diuina donante gratia quod ignorat. Maledictus qui abſcondit frumenta in populis, C & beatus qui ſeminat ſuper omnes agros. Mane ſemina ſemen tuum, & veſpere non ceſſet manus tua. Quia neſcis quid melius oriatur, etſi vtrumque hoc optimum eſt. Nullus erit in hoc ſeculo ſẽpiternus, ideò contendat quiſque, vt ibi benè viuat, vbi ſempiternus erit. Noli obſecro caritatis hortamenta ſpernere. Scito te hæc omnia melius noſſe, & perfectiùs operari. Sed magni amoris affectus, me optima tibi ſuadere cogit. Aequum eſt, vt quod caritas libenter impendit, humilitas gratanter D accipiat.

Summa Dei pietas multis feliciter annis
Conſeruet caros teque tuoſque ſimul.
Sis memor Albini, memoret te Chriſtus in æuum,
Iam tibi perpetuum ſit ſine fine decus.

RESPONSIO CVIVSDAM,

De Septuageſimo, Sexageſimo, & Quinquageſimo.

E EPISTOLA CIX.

Fratribus felicibus fauſtè viuentibus, & ad feliciora tendentibus ille Epiſcopus peccator & humilis.

DIGNAS Deo in quantum valeo gratias, qui in vobis per vos multa bona operando, adſcitos ſibi plurimis ſubminiſtrat. Rogo autem illius magnitudinem, vt clementiſſimè augmentare abundando gratiam ſuam in vobis vſque in finem non deſinat. Et quia me non idoneum ad hoc opus, tamen fidum eſſe mor-

mordēte conſcientiâ conſidero, ad lætas A
Chriſti vos commilitones, mihi per om-
nia meritis prolatis, vt id rogantes obti-
neant, ſociosque ſecum heriles adſumant,
totâ intentione ſuppliciter poſco. Omni-
potenti enim Deo gratias agendo, qui vos
huc vſque ſua protegere dextra dignatus
eſt, de veſtra alma gratiarum conuerſa-
tione gratiarum actiones perſoluerentur:
ſi non dignas, quia non valeo debitor;
plurimas tamen inquantum valeo, veſtræ
ſanctitati, pro piiſſimis & Deo digniſſi-
mis precibus non omittam. Piiſsimè me B
quidem noſſe laborem illos exercere ve-
ſtræ religionis culmen haud hæſito, qui
preces pro ſe ſuas non ſolùm ſacras in-
fundunt Domino, ſed & pro aliis quibuſ-
cumque, vt pariter Sanctorum merean-
tur frui conſortio. Et quamquam pro me
indigno, ac non reddente meritum, hoc
exercuiſſetis, opus tamen veſtrum in re-
tributione iuſtorum manſurum habebitis.
Vos fine tenus huius curricula mundi vo-
lubilis almificus dignetur regere Chri-
ſtus, & à tentationibus eripere inſupera- C
bilibus.

Pura itaque caritate compellor petitam
reſponſionis Epiſtolam fraternitati veſtræ
venerandæ præbere, non ea videlicet æſti-
matione, vel magis præſumptione, vt
quicquam imperitiam noſtram docere
dicamus ſagacitatem veſtram: ſed vt ne
putetis nos ſpretis conloquiis iuſsioni ve-
ſtræ nolle ſeruire. Vt poſſumus, quæ pe-
titis, ex aliorum dictis collecta panda-
mus. Diuerſas ſiquidem de quæſtione,
quam dicitis, opiniones audiuimus. Sed D
legi, fateor, Epiſtolam miro de ea modo
compoſitam, quæ modò me ſciente in
noſtro Monaſterio non habetur, cuiuſque
auctorem penitus ignoramus. Sed à di-
centibus audiuimus eam ALBINI* Ma-
giſtri fuiſſe. Quod nec adfirmare, nec
denegare volumus. Quæ verò ex ea me-
moriæ commendauimus, licèt aliis verbis,
enarrare ſtudemus. Priùs petimus dile-
ctionem veſtram, vt non me compilato-
rem veterum eſſe dicatis; & ob id præfa-
tam epiſtolam oſtendere noluiſſe, ſed pro E
ambitione vanæ gloriæ ſeruato ſenſu ver-
ba mutaſſe. Profiteor enim vobis aliena
eſſe quæ dicò. Auctoritate enim Canoni-
ca, Quadrageſimæ tempus qualiter aut
quare adſumptum ſit, compertum habe-
tis. Quod vtique ſanctus & egregius Do-
ctor Gregorius in lectione Euangelica,
Ductus eſt Ieſus in deſertum ab ſpiritu, eui-
denter expoſuit.

*Vide ſuprà 1141. & 1151.

Statuiſtis enim interrogandum cur, vel qua ratione Quinquageſima, ſeu Sexageſima; vel etiam Septuageſima dicatur: nec non & per ſanctam Eccleſiam celebraretur. Liquet quoque, quod VI. hebdomadæ, quibus ſe ſancta Eccleſia abſtinentiæ dedicauit, XL. & II. dies habent. Sed ſubtractis de abſtinentia VI. diebus Dominicis, XXX. & VI. quaſi decimatio anni remanent ieiunandi. Illæque hebdomadæ licèt habeant, vt diximus, XL. & II. dies, Quadrageſimam tamen ſanctis Patribus placuit appellare. Deinde temporibus ſuis Theleſperus*, qui nonus poſt Petrum Principem Apoſtolorum in ſancta Sede Romanæ Eccleſiæ clarus habebatur, conſtituit ſuis diœceſiis per VII. hebdomadas abſtinentiam obſeruare: quod adhuc multos facere non ignoramus. quæ habent æquè dies quinquaginta. Quod tempus tunc fidelibus duabus ex cauſis Quinquageſimam placuit appellare; vel quia in ordine quinquageſimus numerus poſt quadrageſimum in locutione vulgari conſtat, vel quia exinde L. dies ſunt vſque in ſanctam Reſurrectionis diem.

*Teleſphorus.

Ecce habetis vnde dicta eſt Quinquageſima. Sed fortè mouetur induſtria veſtra, cur prædictus Pater Theleſperus L. dies traderet abſtinendos. Sed dicta iſtius manifeſtant eum typum Domini & Redemptoris mundi, inquantum poteſt humana fragilitas, imitari voluiſſe, qui in corpore denſam* adſumpſit naturam, XL. diebus continuis ab humano cibo ieiunauit. A prædictis etenim L. diebus, ſi VIII. dies Dominicos de abſtinentia retraxeritis, XL. & II. abſtinentiæ deputantur. Sed illi duo, qui quadragenarium numerum excedunt, magnum in ſe continent ſacramentum. Quorum prior Cœna Domini, alter verò ſanctum Sabbatum nominatur. Quos licèt Canones abſtinendos conſtituant, tamen propter ſacramentum ſuum valde ceteris liberiores exiſtunt.

Poſtmodum verò Melchiades Pontifex natione Afer, qui triceſimus quartus poſt ſanctum Petrum in Romana Eccleſia Apoſtolicus fuit; hic conſtituit, vt nemo præſumeret in prima, vel in quinta feria ieiunium agere. In prima, propter Dominicam Reſurrectionem. In quinta, quia in ea cœnauit Dominus cum diſcipulis ſuis; & eâdem, glorioſa eſt aſcenſione honoratus. Tunc placuit fidelibus, vt VIII. hebdomadas ieiunio dedicarent, &

A primam Dominicam Sexageſimam nominarent: non propter ſexagenarium dierum numerum, ſicut ſupra Quinquageſimam à quinquagenario dierum numero appellari poſſe diximus: ſed propter vſum locutionis noſtræ, quia ſicut quadrageſimo numero quinquageſimus, ita ſexageſimus ſeptuageſimo numero coaptatur congruè. A Sexageſima namque vſque in ſecundum diem Reſurrectionis Domini, octo ſunt, vt diximus, hebdomadæ. E B quibus ſingulis ſi primam & quintam feriam, vt magnus Pontifex Melchiades conſtituit, de abſtinentia ſubtraxeris, & ipſum diem ſanctum Paſchalem: quadraginta tamen dies remanent abſtinendi, ad imitationem Domini noſtri Ieſu Chriſti.

Septuageſimam namque ideò à fidelibus fertur celebrari, vt decimas dierum Deo reddere, & nihilominus primam & quintam, necnon & ſeptimam feriam ieiunij poſſint rigore laxare. A ſe- C ptuageſima quippe vſque in Paſcha, nouem hebdomadæ ſunt, quæ faciunt LX. & IV. dies. Ex quibus ſi de vnaquaque hebdomada tres præfatos dies ſubtraxeritis, & ſacram diem Paſchalem, XXX. & III. dies pro decimatione, vt in XL. ieiunatis. Videtis quòd hi qui ſex, & hi qui nouem hebdomadas abſtinentiæ decreuerunt, decimas dierum Deo pari tenore reddendo concordant. Hi verò qui ſeptem, & hi qui octo hebdomad. ieiunare præcipiunt, æqualiter XL. dies abſti- D nendo veſtigia Domini videntur adſequi. Ille autem, qui Sabbatum ſtatuit honorandum, non propter mandata legalia, quæ vmbra ſunt veritatis, hoc fecit, ſed quia requieuit die illo Dominus in ſepulcro, eóque veſperaſcente, gaudium ſanctæ Reſurrectionis honorificè celebratur. Auctorem verò huius rei fraudulenta obliuione intus veniente per nomen enuntiare non poſſumus. In numero quip- E pe dierum prædictorum cautos vos calculatores adhibete: & ſiquid reprehenditis, congregatis nobis in vnum corrigatur. Ipſo adiuuante, qui duobus aut tribus in ſui nominis ore collectis, in medio eorum ſe conſiſtere dixit.

AD PVEROS S. MARTINI,

De Confeſſione peccatorum.

EPISTOLA CX.

Dilectiſsimis in Chriſto filiis, bonæque ſpei adoleſcentulis, qui in Eccleſia ſummi Pontificis, Protectoriſque magni beati MARTINI, *Deo Ieſu ſeruire videntur, atque ab Eccleſiaſticis erudiuntur Magiſtris in domo Dei; Alchuinus benecupiens ſalutis veſtræ proſperitatem in Chriſto Deo ſalutem.*

DESIDERANS vos, filij cariſſimi, in ſalutem animarum proficere veſtrarum, ideò aliquas paterno affectu vobis ammonitiones dulci ſermone dirigere ſtudui; vt per eas præſentis vitæ proſperitatem, & futuræ, Deo miſerante, beatitudinem habere mereamini, & fragiles veſtræ ætatis annos in Dei ſeruitio edocti ad perfectum ſenectutis diem adducere. *Cetera require ſupra pag.* 1161. *& has ex Cod. MS. correctiones adiunge.*

Pag. 1162. *lin. vlt.* purgare curaberis, *lege*, curare non ceſſaueris.

Pag. 1163. *lin.* 30. pro lucro, *lege*, pro luctu.

Pag. 1164. *lin.* 7. vt ignoſcantur, *adde*, in hoc ſeculo.

lin. 32. talis iudicaris, *lege*, iudicaberis.

lin. 38. *& adpropinquabit*, lege, *ecce adprop.*

lin. 46. quæris mundam te habere animam, *dele* te.

lin. 49. times ſordidum peccatis te procedere, *lege*, times ſordidus peccatis procedere.

Pag. 1165. *l.* 7. non curare de ſalute tua, te moriente, *lege*, non curare te de ſalute tua, téque morientem.

lin. 13. reuertere, *lege*, reuerti.

lin. 25. idem luxuria, *lege*, id eſt luxuria.

lin. 29. animæ pariter, *lege*, reparatur.

Et quidem hactenus, Epiſtolæ MS. Codicis, numero CX. *Quinque ſequentes in ſolo exemplari edito reperiuntur.*

KAROLI REGIS, AD NICEphorum Imperatorem Conſtantinopolitanum.

EDIT. IX.

EPISTOLA CXI.

CVM in omni humanæ actionis initio Domini ſit auxilium inuocandum, maximè in hoc, quod modo inter nos DEO mediante agitur, negotio, Domini & Saluatoris noſtri IESV Chriſti omni modo ſunt imploranda ſuffragia: vt qui nomine illius ſignati ſumus, & in diſpenſatione paſſionis eius ab æterno mortis periculo nos redemptos eſſe confidimus, ea quæ ipſo inſpirante inchoamus, ad honeſtum, & vtilem perfectionis terminum perducere mereamur: in cuius nomine, atque honore legatum fraternitatis tuæ, quem ad bonæ recordationis filium noſtrum PIPINVM regem miſiſtis, ARSATIVM ſcilicet, glorioſum ſpatarium ad nos cum verbis, & literis...... tuæ, benignè atque honorificè ſuſcepimus. Et quãuis ad nos miſſus non fuiſſet, veluti ad nos miſſum, adhibita diligenti cura, & audiuimus, & cum eo, de his, quæ detulit, quia prudentem animaduertimus, colloquutionem habuimus. Nec immeritò, cum tanta eſſet, non ſolùm in literis, quas attulit, ſed etiam in verbis, quæ ex ore illius noſtris auribus inſonuerunt, optatæ ac ſemper optandæ pacis copia, vt valdè nos, & quibuſcumque Deum amantibus huiuſcemodi legatio placere potuiſſet: quæ vtique tanto fuit caritatis, ac pacis fauo reſperſa, vt in palato cordis cuiuſque fidelis veram poſſent ſapere dulcedinem; poſſétque iudicari penitùs inſipiens, cui talia videntur inſipida. Propter quod poſtquam illum in fines regni noſtri perueniſſe comperimus, veluti præſcij optimæ, ac DEO complacitæ legationis eius, temperare nequiuimus; opportunè eum ad noſtram præſentiam venire fecimus: maximè tamen, quod is, ad quem illum miſſum eſſe conſtabat, dilectus filius noſter PIPINVS Rex, diuino iudicio iam rebus humanis exceſſerat; neque nos illum cum infecto negotio tanto, ad quod perficiendum directus erat, vacuum reuerti, pati potuimus.

Et non ſolum propter hoc, ſed etiam quod ex tempore, quo primo imperij tui anno, MICHAELEM Metropolitanum, & populum, Aſſiduum Abbatem, Calliſtúmque glorioſum candidatum, ad cõſtituendam nobiſcum pacem, & fœderanda, atque adunanda hæc duo in Chriſti caritate, longæua tua miſit dilectio. Veluti in ſpecula poſiti, longa fuimus exſpectatione ſuſpenſi, præſtolantes, ſiue per legatum? ſiue per epiſtolam, quando meritorum ſcriptis noſtris, amabilia fraternitatis tuæ reſponſa ſuſciperem. Iámque, vt ſe habet humanæ mentis infirmitas, prope deſperatio cordi noſtro incipiebat oboriri: Sed fidentes, ſperabamus in eo, qui nunquam deſerit ſperantes in ſe, quod ſecundum Apoſtolum, labor noſter in ipſo vacuus, & inanis eſſe non deberet: ac deſiderium noſtrum, quod, vt confidimus, ipſius inſpiratione concipimus, ſecundum diuitias miſericordiæ ſuæ, complere, & quandocunque ad effectum perducere deberet. Idcirco audito aduentu memorati legati dilectionis tuæ, Arſatij glorioſi ſpatarij, magnoperè gauiſi ſumus, confidentes, nos de rebus incertis ad optatam certitudinem peruenturos, & de his, quæ prædictis miſſis tuis ad te perferenda dedimus; reſponſum eſſe recepturos. Et re vera ita factum eſt. Senſimus enim ex parte mea, quod deſiderabamus, ad completionem votorum noſtrorum, diuini fauorem auxilij, & in verbis, ac literis, quæ per legationem memorati legati perlata ſunt, quamuis ad filium noſtrum ſcripta, & directa eſſent, non minimam nos deſideratæ reſponſionis accepiſſe portionem. Proinde omnipotenti DEO, non quales debuimus, ſed quales potuimus, gratias agimus, quod cordi dilectionis tuæ, quam quæſiuimus, ac deſiderabilem pacis voluntatem inſpirare dignatus eſt, orantes ſecundum Apoſtolum, vt DEVS, qui vobis in hac pace, velle tribuit, ipſe perficere tribuiſſet. Propter quod nihil morantes, ſed omni cunctatione, ac dubitatione penitùs abiecta legatos noſtros præparauimus ad tuam amabilem fraternitatem dirigendos.

1. Theſſ. 3. — Philip. 4. — Philip. 2.

EPISTOLA CXII.

EDIT. LXI.

Dilectiſsimo Patri & pio Pontifici Paulino Patriarchæ, Albinus veſtræ filius dilectionis perpetuæ in Chriſto proſperitatis ſalutem.

SI quotidie tuæ beatitudinis præſentia vterer, nunquam tunc mellifluo ex ore tuo dulcedine ſatia-

rer, ſed quantum auida mens ex fonte vitalis vndæ biberet, tantum ſitis addita creſceret. At nunc tanta locorum ſpatia vicariæ colloquutionis familiaritatem diuidunt, vt vix pergentis cartulæ gerulus inueniatur. Et in anguſto pectoris antro caritatis olla ferueſcit; nec habet, quo fulgorem ſui ſplendoris oſtendat, cui coctas caritatis epulas apponat: & quodammodo abundantia ſuauitatis verſa eſt in eſuriem amaritudinis. In pampinis vitis floreſcit, ſed cultor huius vineæ infructuoſæ vuis non tepaſcit. Agricola vniones eruit de gloria, ſed aurum in opus coronæ defecit. Nouit, qui mecum talia patrum, quid hæc ſignificare volunt paradigmata.. ..... Fortè & harum lector literarum talem ſe memorat, qualem me agnoſcit in illis, & maximè tu, Pater ſancte, de cuius corde fons vitæ, emanat, caritas; & flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Et qui hæc in conſolationem ſpei noſtræ promiſit, tui eſt inhabitator pectoris, qui eſt virtus, ſapientia Dei; in cuius potentia, & gratia mirabiliter de Auarorum genere triumphatum eſt: quorum miſſi ad domnum Regem directi ſubiectionem pacificam, & Chriſtianitatis fidem promittentes. Et ſi hoc, diuina eos præueniente gratia, verū eſt; quis ſe ſeruorum Dei tàm pio, & laudabili labori ſubtrahere debet, vt diaboli diruatur ſæuitia, & Chriſti Domini creſcat ſeruitium?

Ioan. 7.

Sed quàm plurimorum in te, Pater optime, oculi reſpiciunt, quid veſtra veneranda ſanctitas facere velit. Quia & vicinitas locorum tibi competit, & ſapiētiæ decus ſuppetit, & auctoritatis excellentia tibi appetit, & cuncta conueniunt, quæ tali operi neceſſaria eſſe videntur. Ideo meæ paruitatis curioſitas propterea huius ſanctæ rei deſiderat veritatem, & tuæ conſilium depoſcit prudentiæ: vel quid exinde agere tàm bona voluntas deliberatum habeat, agnoſcere flagitat. Opus enim arduum eſt, ſed ipſa atteſtante Veritate: Omnia ſcimus eſſe poſſibilia credenti. Et qui de perſequutore fecit prædicatorem, & de ſtercore eriget pauperem, vt ſedeat cum principibus. Ipſe poteſt de arida cordis mei caute riuulos viui fontis & in vitam ſalientis, producere, æternam: quantò magis de veſtro pectore abundantiſſimo flumina Gehonica fluentia per totam Nilotici ruris latitudinem ad fœcundandos diuerſi generis flores, diffundere valet? Audiat, obſecro, per te, vnanimis tuæ caritatis filius, quid paterna præuideat agē-

Marc. 9. 1. Tim. 1. Pſal. 113.

dum prudentia. Certiſsimum itaque conſilium ſalutis per os illius ſperari debet, cuius pectoris ſeptiformis conſilij inhabitator dignoſcitur.

Binas veſtræ paternitati paulò ante direxi cartulas. Vnam per ſanctum Epiſcopū Histriensem; aliam, per virum venerabilem Æricvm Ducem, & veluti vectigalia aliqua veſtræ beatitudinis exhortationum: ne ſpreta caritas aliquid rugoſa fronte, vel queruloſo calamo exarare incipiat. Nequaquam in augmentū triſtitiæ meæ diutius taceas: ſed ſpiritum conſolationis tibi à Deo datum, frequenter mihi apices facere almitatis veſtræ conſolationis non graueris: vt tuis bonis exhortationibus, & ſanctis orationibus adiutus, ad ſupplementum mercedis tibi perpetuæ, diuina auxiliante miſericordia, vitæ æternæ tecum particeps eſſe merear.

Floreat in veſtro diuinus pectore donis
Semper in æternum Sophia, ſancte pater:
Et mihi conſeruet Chriſti dextra omnipotentis
Incolumem, meritis augeat ætheriis.
Donec ſuſcipiat felix te porta polorum
Qua memor eſto..... ſemper in ore mei.

Epistola CXIII.

Edit. LXIII.

Paulino ſanctiſsimo Patriarchæ humilis Leuita Alcuinus ſalutem.

Absentia corporis non oportet dilectionem diuidere. Quia amicitia, quæ deſeri poteſt, nunquam vera fuit. Ex quo te ſciebam, dulciſsime amice, ſemper amabam: & pepigit cor meū fœdus amicitiæ cordi tuo. Et ſi nomē Paulini mei, non in cera, quæ deleri poteſt, ſcripſi. Ne quæſo obliuiſcaris in tuis ſanctis orationibus nomen amici tui Albini: ſed in aliquo memoriæ gazophylacio recōde illud, & profer eo tempore opportuno, quo panem & vinum in ſubſtantiam corporis, & ſanguinis Chriſti conſecraueris. Diu dilectionis tuæ exſpectaui promiſſa, hoc eſt, viuificæ crucis, vel aliarum reliquiarum patrocinia. Noli me, obſecro, tanto fraudare munere: nec te veritatis.... Nolo longinquitatem viæ cauſeris. Caritas pennas ad volandum inueniet: nec flumina obruent illam. Sufficiunt alæ fidei in palatio regis, quibus nec voluntas deeſt in accipiendo, nec fides in reddēdo. ſi quid noſtra petitio apud vos valeat, & tua ſemper apud Devm valeat petitio, qui te in tàm ſublimi ſtatuit gradu, vbi eiuſdem Dei Domini noſtri Iesv Chriſti effectus....

Vide quàm ſublime eſt hoc nomen. Contende meritis eſſe, quod nomine vocaris. *Clama, ne ceſſes, exalta, quaſi tuba, vocem tuam.* Sit guttur tuum tuba Dei. prædica importunè, opportunè. Tu, gallus in prædicatione, ſuccinctus in caſtitate: tu aries in veritate fortiſſimus, cui nullus regum reſiſtere poterit. Tu, lucerna ſuper candelabrum in domo Dei. Tua lingua cœlum claudit, & aperit. Aperit primum per prædicationis deuotionem. Ad exemplum Chriſti recurre: qui per ciuitates, caſtella, vicos, villas euangelizando iter agebat: etiam & domus publicanorum, vel peccatorum, propter occaſionem prædicationis, non abhorruit intrare. Spés præmij ſolatium ſit laboris. Quid facio inſipiens ego contra philoſophicum prouerbium, ligna in ſyluam ferens, ſtillicidiis flumina irrigans? Modulum meum extuli figuræ. Obſecro per eius amorem, qui duo minuta viduæ donis diuitum præferebat. Caritas omnia ſuffert; in qua, qui manet, in Deo manet, quia Deus caritas eſt.

Eſaiæ 58. 1.Tim.4. Prou.30. Luc.8. Apoc.3. Matth.9. Luc.5. Marc.12. 1.Cor.13. 1.Ioan.4.

EPISTOLA CXIV.

EDIT. XIV.

Cariſſimo filio, quem ſerò genui, & citò amiſi.

NEC bene ablactatus raptus eſt ab vberibus meis. Inimicior, quàm nouerca, tenera, de paterno gremio, per libidinum vortices, caro rapuit. Heu, proh dolor! quid faciam, niſi plangā pereuntem? Si fortè calidis lacrymarum fomentis reſuſcitari poſſit. Væ carni, quæ

Gen. 19.

A nō timet ſulphureos quinque vrbiū ignes, vel pœnæ infernaliū tormētorū flammas. Stringe te ipſum, obſecro, huius timoris catenis; & tenta, quomodo vel vnam ardoris ſcintillam ſufferre poſſis: & cogita, quid ſit, ſi totum corpus æterno crucietur incendio. Reſpice tandem, & noli conſentire ei, qui tibi talia parat incendia: ſed magis caſtiga teipſum; & paternis acquieſce obſecrationibus: & Dei oculis te ſemper præſentem eſſe cognoſce, & ante ſanctorū
B angelorū aſpectus. Erubeſce in conſpectu illorum facere, quæ horreſcis in cōſpectu cuiuſlibet hominis perpetrare. Scio, quod iudicium credis omnibus eſſe futurum: & te credis inter illos eſſe, qui talia egerunt, qualia tibi quotidie diabolus ſuadet. Ecce heri feciſti voluntatem carnis tuæ; hodie vadis in incendium ignis æterni.

EPISTOLA CXV.

EDIT. LXV.

C *Dilecto amico ſalutem.*

PLACVIT caniciem veſtram parua ſalutationis cartula appellare: ſed non paruo caritatis officio: vt ſciatis, licet longè poſitum, veſtri tamē habere memoriam, & familiaritatis nō obliuiſci, quam præſentes ſuauiſſima dilectione & conſolatione nos inter habuimus, firmam ſemper inter nos permanere in Chriſto caritatem: nec quolibet vento falſiloquij deſtrui; ſed ſolida firmitate inter
D omnes huius ſeculi aduerſitates immobilē ſemper conſiſtere. Noſtri memor in orationibus tuis ſemper valeto, frater cariſſime.

SEQVVNTVR ET ALIARVM ALCHVVINI Epiſtolarum fragmenta, ex VVillelmo Malmesburienſi Monacho.

Lib. 1. de geſtis Reg. Angl. Cap. III.

HIC (ſcilicet Egbertus Eboracenſis Archiepiſcopus) *omniū liberalium artium armarium* (vt ita dicam) *& ſacrarium fuit, nobiliſſimámque Bibliothecam Eboraci conſtituit. Cuius rei teſtem idoneum aduoco* ALCVINVM, *qui à Regibus Angliæ pro poſſe miſſus ad Regem Magnum* KAROLVM, *& benigno apud eū fotus hoſpitio in Epiſtola ad* EAMBALDVM *tertio loco* EGBERTI *ſucceſſorem, ait:* Laus & gloria Deo, qui dies meos in proſperitate bona conſeruauit, vt in exaltatione filij mei cariſſimi gauderem, qui laboraret vice mea in Eccleſia, vbi ego nutritus & educatus fueram, & præeſſet theſauris ſapientiæ, in quibus me Magiſter meus dilectus EGBERTVS Archiepiſcopus hæredem reliquit. *Item* KAROLO *Auguſto:* * Date mihi exquiſitiores eruditionis Scholaſticæ libellos, quales in patria habui, per bonam & deuotiſſimam Magiſtri mei EGBERTI Archiepiſcopi induſtriam. Et, ſi placet ſapiētiæ veſtræ, remittam aliquos ex pueris noſtris, qui excipiant inde quæq; neceſſaria, & reuehant in FRANCIAM flores BRITANNIAE, & non ſit tantummodo in Eboraco hortus concluſus, ſed etiam in Turonica emiſſiones Paradiſi.

**Fragmentū hoc extat in Epiſtola 1. ad Karolum Regem, item lib. 3. de geſtis Pontif. Angl.*

Item eodem Cap.

SED, *vt ad inchoatum reuertar*, ALCVINVS, *licèt in Francia à Karolo Magno Monaſterio B. Martini prælatus eſſet, non immemor compatriotarum, Imperatorem in amicitia eorum continere, illos crebris Epiſtolis ad bonum incitare. Dictorum eius hìc pleraque intexam, quibus palam fiat, quàm citò poſt obitum Bedæ in eius etiam Eccleſiâ ſtudium librorum emarcuerit: & poſt obitum Egberti regnum Northanimbrorum propter morum peruicaciam malorum peſſum ierit. Ait ergo ad VViorenſes, apud quos Beda vixerat & obierat, ex obliquo arguens feciſſe, quod ne faciant rogant*: Aſſueſcant pueri aſtare laudibus ſuperni Regis, non vulpium fodere cauernas, non leporum fugaces ſequi curſus. Diſcant nunc ſcripturas ſacras, vt ætate perfecta alios docere poſſint. Recogitate nobiliſſimum noſtri temporis Magiſtrum Bedam Presbyterum, quale habuit in iuuentute diſcendi ſtudium, qualem nunc habet inter homines laudem, & multo maiorem apud Deum remunerationis gloriam. *Item ad Eboracenſes*: Non pro auri auaritia, teſtis eſt mei cognitor cordis, Franciam veni, nec remanſi in ea; ſed Eccleſiaſticæ cauſa neceſſitatis. *Item ad Offam Regem Merciorum*: Ego paratus eram cum muneribus Karoli Regis ad vos venire, & ad patriam reuerti. Sed melius mihi viſum eſt propter pacem gentis meæ in peregrinatione remanere, neſciens quid feciſſem inter eos, inter quos nullus ſecurus eſſe, vel in ſalubri conſilio proficere poteſt. Ecce loca ſancta à paganis vaſtata, altaria periuriis fœdata, Monaſteria adulteriis violata, terra ſanguine Dominorum & Principum fœdata. *Item ad* EGELREDVM *Regem, qui tertius poſt Egbertum regnauit*. Ecce Eccleſia ſancti Cuthberti ſacerdotum ſanguine aſperſa, omnibus ſpoliata ornamentis. Locus cunctis in Brittannia venerabilior, paganis gentibus datur ad deprædandum. Et vbi primùm poſt diſceſſum S. Paulini ab Eboraco Chriſtiana Religio in noſtra gente ſumpſit exordium, ibi miſeriæ & calamitatis cœpit initium. Quid ſignificat pluuia ſanguinis, quam in quadrageſimali tempore in Eboraca ciuitate, quæ eſt caput totius regni, in Eccleſia beati Petri Principis Apoſtolorum vidimus, de Borealibus domus, ſereno aëre, de ſummo tecti minaciter cadere? Nónne poteſt putari à Borealibus partibus venire

A ſuper terram ſanguinem? *Item Osberto Patricio Merciorum*: Noſtrum regnum Northanimbrorum penè periit propter inteſtinas diſſenſiones, & fallaces iurationes. *Item ad Athelardum Cantuarienſem Archiepiſcopum*: Hoc dico propter flagellum, quod nuper accidit partibus inſulæ noſtræ, quæ propè CCCXL. annis à parentibus eſt inhabitata noſtris. Legitur in libro GILDAE ſapientiſſimi Brittonum, quòd iidem Brittones propter auaritiam & rapinam Principum, propter iniquitatem B & iniuſtitiam Iudicum, propter deſidiam prædicationis Epiſcoporum, propter luxuriam & malos mores populi patriam perdidere. Caueamus hæc eadem vitia noſtris temporibus inoleſcere, quatenus benedictio diuina nobis patriam conſeruet in proſperitate bona, quam nobis ſua miſericordiſſima pietate donare dignatus eſt.

Et ruſus in fine Cap.

C DE *huius*, ſcilicet Ethelredi, *regni exordio* ALCVINVS *ita memorat*: Benedictus Deus, qui facit mirabilia ſolus. Nuper ÆTHELREDVS filius ETHELVVOLDI de carcere proceſſit in ſolium, & de miſeria in maieſtatem. Cuius regni nouitate detenti ſumus, ne veniremus ad vos. *De nece ita ad Offam Regem Merciorum*: Sciat veneranda dilectio veſtra, quòd domnus Rex KAROLVS amabiliter & fideliter ſæpe locutus eſt mecum de vobis, & in eo D habetis fideliſſimum amicum. Ideò & veſtræ dilectioni digna dirigit munera, & per Epiſcopales Sedes regni veſtri. Similiter ETHELREDO Regi, & ad ſuas Epiſcoporum Sedes dona direxit. Sed heu proh dolor! donis datis, & epiſtolis in manus miſſorum, ſuperuenit triſtis legatio per miſſos, qui de Scotia per vos reuerſi ſunt, de infidelitate gentis, & nece E Regis. Ita KAROLVS, retracta donorum largitate, in tantum iratus eſt contra gentem illam, vt ait, perfidam & peruerſam, & homicidam dominorum ſuorum, peiorem eam paganis æſtimans: & niſi ego interceſſor eſſem pro ea, quicquid eis boni abſtrahere potuiſſet, & mali machinari, iam feciſſet.

Item Cap. IV.

SANE *de tenuitate veſtium Clericalium*, ALCVINVS *Athelardum Archiepiſcopum, Cuthberti ſucceſſorem obliquè caſtigat; monens*,

vt cùm Romam vadens, Karolum Magnum Imperatorem, nepotē Karoli, de quo ſuperiùs Bonifacius locutus eſt, viſitaret, non adduceret Clericos vel Monachos verſicoloribus & pompaticis veſtibus indutos; quòd non ſolerent Francorum clerici niſi religioſis veſtibus amiciri. Et paulò poſt. *Vnde* ALCVINVS, *in Epiſtola ad eundem Athelardum:* Audita proſperitate itineris veſtri, & reuerſionis in patriam, & quomodo ab Apoſtolico ſuſcepti fuiſtis, toto cordis affectu gratias egi Domino Deo noſtro, qui magno clementiæ dono proſpero itinere veſtram viā derexit, & dedit vobis gratiam in conſpectu Apoſtolici, votique compotem redire in patriam conceſſit, & primi Doctoris noſtri ſanctiſſimam Sedem ad priſtinam dignitatem per te iterum exaltare dignatus eſt.

Item eod. Cap.

Offa, Merciorum Rex, *Karolum Magnum Regem Francorum frequentibus legationibus amicum parauit, quamuis non facile quod ſuis artibus conduceret, in Karoli animo inuenerit. Diſcordauerant antea, adeo vt magnis motibus vtrobique concurrentibus, etiam negotiatorum commeatus prohiberentur. Eſt Epiſtola* ALCVINI *huiuſce rei index, cuius partem hîc apponam, documentum ingens, magnanimitatis & fortitudinis Karoli, qui omnem ætatem triuerit in bellis contra paganos Deo rebelles.* Antiqui, *inquit*, SAXONES, & omnes FRESONVM populi, inſtante Rege KAROLO, alios præmiis, & alios minis ſollicitante, ad fidem Chriſti conuerſi ſunt. Sed & anno tranſacto idem Rex cum exercitu ſuo irruit ſuper SCLAVOS, eoſque ſubegit ſuæ ditioni. AVARES, quos nos HVNNOS dicimus, exarſerunt in Italiam, & à Ducibus præfati Regis Chriſtianiſſimi ſuperati, domum cum opprobrio reuerſi ſunt. Similiter & ſuper BAVGARIAM irruerunt, qui & ipſi ab exercitu Chriſtiano ſuperati & diſperſi ſunt. Etiam eiuſdem Chriſtianiſſimi Regis Duces & Tribuni multam partem HISPANIAE tulerunt à SARACENIS, quaſi trecenta millia in longum per maritima. Sed heu! proh dolor! quòd iidē maledicti SARACENI, qui & AGARENI tota dominantur Africa & Aſia maiori maxima ex parte. Neſcio quid de nobis venturum ſit. Aliquid enim diſſentionis, diabolico fomento inflammante, nuper inter Regem KAROLVM, & Regem OFFAM exortum; ita vt vtrinque nauigatio interdicta negotiantibus eſſet. Sunt qui dicant

A nos pro pace eſſe in illas partes mittendos.

Et paulò poſt.

Nunc ex verbis Karoli fœdus firmum inter eum & Offam Regem Merciorum compactum ſubiiciam: Karolus gratiâ Dei Rex Francorum & Longobardorum, & Patritius Romanorum, viro venerando & fratri cariſſimo Offæ Regi Merciorum ſalutem. Primò gratias omnipotenti Deo agi- B mus de Catholicæ fidei ſinceritate, quam in veſtris laudabiliter paginis reperimus exaratam. De peregrinis verò, qui pro amore Dei & ſalute animarum ſuarum, beatorum Apoſtolorum limina deſiderant adire, cum pace ſine omni perturbatione vadant. Sed ſi aliqui non religioni ſeruientes, ſed lucrum ſectantes inter eos inueniantur, locis opportunis ſtatuta ſoluant telonia. Negotiatores quoque volumus vt ex mandato noſtro patrocinium habeant in regno noſtro legitimè: & ſi in ali- C quo loco iniuſta affligantur oppreſſione, reclament ſe ad nos, vel noſtros Iudices, & plenam videbimus iuſtitiam fieri. Cognoſcat quoque dilectio veſtra, quod aliquam benignitatem de dalmaticis noſtris vel palliis ad ſingulas ſedes Epiſcopales regni veſtri, vel Ethelredi direximus in eleemoſynam domni Apoſtolici ADRIANI, deprecantes vt pro eo intercedi iubeatis, nullam habentes dubitationem, beatam illius animam in requie eſſe; ſed vt fidem & dilectionem oſtendamus in D amicum noſtrum cariſsimum. Sed & de theſauro humanarum rerum, quem Dominus IESVS nobis gratuita pietate conceſſit, aliquid per Metropolitanas ciuitates direximus. Veſtræ quoque dilectioni vnum baltheum, & vnum gladium Huniſcum, & duo pallia ſerica.

Item ibidem.

Itaque cùm ſpes egregiæ indolis primus annis Egferti adoleſceret, ſæua mors vernantis E *ætatis florem meſſuit. Vnde Osberto Patricio Alcuinus.* Non arbitror, quod nobiliſſimus iuuenis Egfertus propter peccata ſua mortuus ſit, ſed quia pater ſuus pro confirmatione regni eius multum ſanguinem effudit.

Libro I. de geſtis Pontif. Angl. in Ethelardo Cantuar. Archiepiſcopo.

AD *quæ manifeſtius probanda portiones competentes ex Epiſtolis* ALQVINI *ſubiiciam.* Sanctiſsimo Patri, & in membris Chriſti valdè venerando Ethelardo Archiepiſcopo, Alquinus Diaconus in Chriſti caritate ſalutem. Audiens ſalutem & proſperitatem veſtram, & conuentum cum Eanbaldo Eboracenſi Archiepiſcopo filio meo, ſatis mihi placuit ſperanti ex veſtræ colloquio ſanctitatis honorem ſanctæ Eccleſiæ exaltari, & Deo in eis ſeruientium corrigi vitam. Ideo ſuaſi aliis literarum mearum apicibus, ſanctitatem veſtram permanere in patria, nolens lumen Brittanniæ extingui. Sed fiat quod Deo placet, vt proficiat Chriſti Eccleſiis. Proſperum iter faciat vobis Deus, Angeloſque eius comitante proſperè vos ducat atque reducat, dulciſsime & amantiſsime Pater. Maximè autem precor, vt apud ſanctos Apoſtolos mei habeatis memoriam, ſicut nos apud S. MARTINVM veſtri habere dulce habemus.

Domino ſanctiſsimo atque omni honore digniſsimo ETHELARDO Archiepiſcopo. Lectis proſperitatis veſtræ litteris, & proſperitate itineris veſtri & reuerſionis in patriam, & qualiter Apoſtolica benignitate ſuſcepti fuiſtis, toto cordis affectu, animóque lætiſsimo gratias egi Domino Deo ſempiterno, qui magno clementiæ dono viam veſtræ peregrinationis proſpero direxit itinere, & dedit vobis gratiam in conſpectu Patris Apoſtolici, & legationis effectu, & voti compotem redire conceſsit: & primi noſtri Doctoris ſanctiſsimam Sedem ad priſtinum culmen dignitatis per te iterum exaltare dignatus eſt: quæ cuiuſdam diſſenſionis ſciſſura, quorumdam inuidioſa contentione ad horam diſciſſa eſſe videbatur. Felix, qui vnitatem pacis fraterno amore conſeruare ſtudet. Sed ille multò felicior, qui ab aliis diſrupta caritatis viſcera pro labore ad vnius compagem corporis reformare nititur. Igitur nunc gratiâ operante diuina, membrorum vnitate adhæret capiti proprio, & ſacerdotalis dignitas antiquo gratulatur honore, & germana pax inter ſummos Brittanniæ Pontifices ſplendeſcit, & ſub duabus Metropolitanorum ciuitatibus vna pietatis & concordiæ viget voluntas, ſicut in litteris veſtræ beatitudinis lectum intellexi.

Item in alia Epiſtola intercedit pro Merciorum Epiſcopo, vt viuens pallio non exuatur, his verbis. Sanctarum Scripturarum lectio per tuam ſanctiſsimam curam renouetur, & Eccleſiaſtica dignitas vbique exaltetur: & ſancta Sedes, quæ prima fuit in fide, prima ſit in ſanctitate & honore, quæ partim diſciſſa eſt non rationabili cõſideratione, ſed quadam pietatis cupiditate. Quòd ſi fieri poſsit, vt pacificè adunetur, & ſciſsio reſarciatur, bonum videtur eſſe cum conſilio omnium Sacerdotum Chriſti, & Coëpiſcopi veſtri Eboracenſis Eccleſiæ, vt fiat; ita tamen vt Pater pius diebus ſuis pallio non exuatur, licèt ordinatio Epiſcoporum ad ſanctam & primam Sedem recurrat.

Lib. III. de geſtis Pont. Angl. in Eambaldo Eborac. Archiepiſcopo.

HVius *ſucceſſor ſubſtitutus eſt Eanbaldus, præfati Alcuini diſcipulus induſtrius. Vnde in Epiſtola ad eundem dixit*: Laus & gloria Deo, qui dies meos in proſperitate bona conſeruauit, vt in exaltatione filij mei cariſsimi gauderem, qui laboraret vice mea in Eccleſia, vbi ego nutritus & eruditus fueram, præeſſe theſauris ſapientiæ, in quibus me Magiſter meus dilectus Archiepiſcopus Egbertus reliquit hæredem.

Ibidem in Higebaldo Lindisfarnenſi Epiſcopo.

HVius *tempore depopulati ſunt Dani Inſulam, vt nec ſacroſanctis parcerent altaribus, ſicut manifeſtum facit Epiſtola* ALCHVVINI *ad eundem in hunc modum.* Beatiſsimi patris Cuthberti Epiſcopi in Chriſto filiis HINCBALDO Epiſcopo, & omni Congregationi Lindisfarnenſis Eccleſiæ, Alchvvinus Diaconus ſalutem. Veſtræ caritatis familiaritas me multum lætificare ſolebat, ſed verſa vice veſtræ tribulationis calamitas, licèt abſentem, multum me contriſtauit, quòd Pagani contaminauerunt ſanctuaria Dei, & fuderunt ſanguinẽ Sanctorum in circuitu altaris: calcauerũt corpora Sanctorum in templo, quaſi ſterquilinium in platea. Quæ eſt fiducia Eccleſiis Britanniæ, ſi ſanctus Cuthbertus cũ tanto Sanctorũ numero ſuã non defendit Eccleſiam? *&c. Quibus hortatur, ne à moribus anteceſſorum degeneres veſtiũ luxui, & gulæ intemperiei profeſsionis ſuæ reuerentiam decolorent: per tranſgreſsionem diuinæ legis accidiſſe talia,*

acceſſuraque deteriora, ſi perſeuerandum in vetitis putauerint. Adycit etiam in Epiſtolæ calce, Cùm Domnus noſter Rex KAROLVS, hoſtibus per miſericordiam Dei ſubditis domum reuerteretur, nos Deo iuuante ad eum venire diſponimus,& ſi quid tunc vel de pueris, qui in captiuitatem ducti ſunt à Paganis, vel de aliis neceſſitatibus noſtris proficere poterimus, diligentes ad effectum producere curabimus. Item ad Ethelredum Regem: Ecce Eccleſia ſancti Cuthberti ſacerdotis Dei ſanguine aſperſa, omnibus ſpoliata ornamentis, locus cunctis in Brittannia venerabilior, Paganis gentibus datur ad debellandum. Et vbi primum poſt diſceſſum ſancti PAVLINI, ab Eboraco Chriſtiana Religio in Northanimbrorum A gente ſumpſit exordium, ibi miſeriæ & calamitatis cœpit initium.

Item in Ethelbretho Hangulſtadienſi Epiſcopo.

AD hunc, & congregationem eius eſt Epiſtola Alcuini, in qua inter cetera dicit: O nobiliſsima progenies ſanctorum Patrum, illorum honoris venerabiliſque vitæ ſucceſſores, & pulcherrimorum habitatores locorum, veſtrorum ſequimini veſtigia Patrum: vt de his pulcherrimis habitationibus ad horum, qui vos genuerunt, æternæ beatitudinis conſortium peruenire mereamini.

MAGISTRI

ALBINI FLACCI ALCHVVINI POEMATA,

Nunc primum ex Bibliotheca S. Bertini in lucem data.

I.

LVMINIS fons, lux & origo lucis,
Tu pius noſtris precibus faueto:
Luxque peccati tenebris fugatis
Nos petat alma.
Sancta vis cuius hominem creauit,
Iuſque damnauit, pietas redemit:
Sis vt in cunctis pius atque iuſtus,
Omnipotenſque.
Excitat cur nos fidei poteſtas,
Erigit ſpei decus in futura:
Caritas iungit habitura finem
Tempore nullo.
Et pius vitæ moderator huius,
Et labor tempus habeat, quieſque:
Dumque ſuccedunt ſibimet viciſſim,
Nos vegetemur.
Ecce tranſactus labor eſt diei,
Noſque te tuti ſumus annuente:
En tibi grates agimus perennes
Tempus in omne.
Solis abſceſſus tenebras reduxit,
Ille ſol nos inradiat coruſcus:
Luce qui fulua fouet Angelorum
Agmina ſancta.
Cœlitus lumen rutilum refunde,
Et fuga mentis tepidæ tenebras:
Simus accenſi vt face ſpiritalis
Vaſcula lucis.
B *Quas dies culpas hodierna texit,*
Chriſte deleto pius atque mitis:
Pectus & puro rutilet nitore
Tempore noctis.
Sit procul luxus, procul omnis honor,
Atque phantaſma ſpecieſque pulchra,
Mens, ſed inermis valeat ſupernos
Cernere ciues.
Te Deum ſemper vigilans requirat,
Cogitet cunctis reſoluta curis,
Actibus cunctis queat vt placere
Rex tibi ſumme.
C *Muniat frontem loca ſiue cordis*
Sermo diuinus, crucis & trophæum
*Dæmonum vafros ambigat * meandros* (* f. abigat.)
Siue rapinas.
Membra, quæ caſta dabimus cubili
Prompta conſurgant opus ad diurnum,
Quæ ſuum mundum venit eſſe templum
Spiritus almus.
Quod pius totum habitet per æuum,
Hunc nec offendat vitium lueſque:
D *Sed vocet vitæ probitas, fiatque*
Manſio grata.
Sed via prodens, via fortis, arcta,
Iuſta ſeu ſolers, bene temperata,
Huius vt curſus peragamus æui
Tramite recto.
Sex dies iuſtos operamur actus,

Septimo captent animo quietem:
Sint in octauo rediuiua nobis
Gaudia vitæ.
Gloriæ laudum pia plenitudo
Sit Patri ſoli, tibi Spirituſque
Sancte, qui trino vehis alma ſceptra
Nomine ſolus.

II.

Carmen hoc inter Vualafridi Strabi Poemata editum eſt, vt & alia pleráque Alcuini.

Hanc aulam Domini ſeruat tutela Mariæ,
Cui veneranda rudis ſacrantur culmina templi,
Et noua conſurgunt ſacris vexilla triumphis.
Hac celebratur honor ſacræ Genitricis in aula,
Quæ verum genuit lumen de lumine Patris,
Quem clamant Titan almo ſpiramine vates,
Femina præpollens, vt ſacra puerpera virgo.
Audi clementer populorum vota precantum,
Marcida qui riguis humectant imbribus ora,
Ac genibus tundunt curuato poplite terram,
Dum veniam fuſo lacrymarum fonte merentur,
Et crebris precibus delent peccamina vitæ.
Hæc, inquam, virgo cœleſti pignore fœta
Edidit ex aluo ſaluantem ſecula Regem,
Imperium mundi ſolus qui iure gubernat,
Vt dudum Angelico diſcit virguncula fatu,
Cum Pater altiſonus Gabriel miſiſſet ab aſtris.
Hæc fuit egregius quam promit carmine Vates,
Qui Solimis quondam diues regnauit in aruis,
Hortus concluſus florenti in vertice vernans,
Fons quoque ſignatus cœleſti gurgite pollens,
Necnon & turtur tremulus. Cui præſcius infit
Angelus, En ſobolem generabis virgo perennem,
Atque puerperium paritura puerpera gignens,
Filius altithroni fauſtus vocitetur in æuum.
Spiritus è cœlo veniet ſanctiſſimus in te,
Virtus ecce tuo confert vmbracula cordi.
Patris obumbrabit te virgo celſa poteſtas.
Quo dictu matri turgeſcunt viſcera fœtu,
Qui genitus mundum miſeranda labe reſoluit,
Atque crucifixus polluta piacula terſit.

III.

Hoc templum Buggæ pulchro molimine ſtructum
Nobilis Eutuuini erexit filia Regis,
Qui primus imperium Saxonum ritè regebat.
Dona & præſentis contemnens culmina regni,
Diuitias mundi rerumque reliquit habenas,
Plurima baſilicis impendens iura nouellis,
Quam nunc ruricolæ ſeruant Monaſteria iura.
Exin ſacratam perrexit quærere vitam,
Dum proprium reliquit Chriſti pro nomine regnum:
Qui tamen ante tribus geſſit certamina pugnis,
A *Et ternis pariter confexit bella triumphis,*
Seu rexit regnum plures feliciter annos,
Donec conuerſus cellam migrauit in almam,
Inde petit ſuperas meritis ſplendentibus arces,
Angelicis turmis ad cœli culmina ductus,
Cœlicolis iunctus læta † ſorte ſuperna.
Poſt hunc ſucceſſit bello famoſus & armis
Rex Ceaduualla potens regni poſſeſſor vt hæres.
Sed mox imperium mundi ſceptrumque relinquẽs
Turgida cum ratibus ſulcabat cærula curuis,
Et maris æquoreos luſtrabat remige campos,
*Algida ventoſis crepitabant algida * flabris*
B *Donec barca rudi pulſabat littora roſtro.*
Exin nimboſas tranſcendit paſſibus Alpes,
Aggeribus niueis & montis vertice ſeptas:
Cuius in aduentu gaudet clementia Romæ,
Et ſimul Eccleſiæ lætatur clerus in orbe,
Dum mergi meruit baptiſmi gurgite felix.
Poſt albas igitur morbo correptus egreſcit,
Donec mortalis clauſit ſpiracula vitæ,
Alta ſupernorum conquirens regna polorum,
Clarum ſtelligeri conſcendens culmen Olympi.
Sed his principibus cœlum penetrantibus altum,
Quorum deſcripſi iam bina vocabula dudum,
Tertius accepit ſceptrum regnator opimum
C *Quem clamant In incerto cognomine gentes,*
Qui nunc imperium Saxonum iure gubernat,
Quo regnante nouum præcelſa mole ſacellum
Buggæ conſtruxit ſupplex vernacula Chriſti,
Qua fulgent aræ bis ſeno nomine ſacræ.
Inſuper abſidam conſecrat virginis ara.
Præſentem ergo diem cuncti celebremus ouantes,
Et reciproca Deo modulemur carmina Chriſto.
Menſtrua voluuntur æternis tempora feſtis,
Et vicibus certis annorum luſtra rotabunt.
Dulcibus Antiphonæ pulſent concentibus aures,
Claſſibus & geminis Pſalmorum concrepet Oda.
D *Hymnis te crebro vox articulata reſultet,*
Et celſum quatiat clamoſo carmine culmen.
Fratres cum laude laudemus voce Tonantem,
Cantibus & crebris conclamet turba ſororum,
Hymnos ac Pſalmos & Reſponſoria feſtis
Congrua promemus ſubter teſtudine templi,
Pſalteri melos fantes modulamine crebro:
Atque ex fidibus nitamur tendere lyram,
Vt Pſalmiſta monet bis quinis tendere fibris.
E *Vnuſquiſque nouum comat cum voce ſacellum,*
Et lector lectrix ve volumina ſacra reſoluat.
Iſtam nempe diem quo templi feſta coruſcant
Natiuitate ſua ſacrauit virgo Maria,
*Quam * iugiter Auguſti tempora menſis*
Diuiditur medio dum torrens Sextilis orbe,
Qui nobis iterum reſtaurat gaudia mentis,
Dum vicibus redeunt ſolemnia feſta Mariæ,
Et veneranda piis flarent altaria donis.
Hæc domus interius reſplendet luce ſerena,
Quam ſol per vitreas inluſtrat forte feneſtras,

Limpida quadrato diffundens lumina templo.
Plurima baſilicæ ſunt ornamenta recentis,
Aurea contortis flaueſcunt pallia villis,
Quæ ſunt altaris ſacri velamina pulchra,
Aureus atque calix gemmis fulgeſcit opertis.
Vt cœlum rutilat ſtellis ardentibus aptum;
Sic lata argento conſtat fabricata patena,
Quæ diuina gerunt noſtræ medicamina vitæ,
Corpore nam Chriſti ſacroque cruore nutrimur.
Hic crucis ex auro ſplendeſcit lamina fuluo,
Argentique ſimul gemmis ornata metalla.
Hic quoque thuribulum capitellis vndique cinctũ
Pendit de ſummo fumoſa foramina pandens:
De quibus ambroſia ſpirabunt thura Sabæa,
Quando ſacerdotes Miſſas offerre iubentur.
ingenito. *Nunc clara ingenio * dicatur gloria Patri,*
Nec minus & genito promatur gloria Nato
Spiritus atque ſacer conſorte laude fruatur.

IIII.

...tum eſt ...ocCar- ...cum ...lequé- ...s inter ...bi Poe- ...a.

Hanc Petrus abſidam ſanctorũ ſorte coronat,
Clauiger æthereus qui portam pãdit in æthra
Ianitor æternæ recludens limina vitæ.
Omnibus hic geminum digeſſit dogma per orbem,
Quod binis conſtat deſcriptum ritè libellis,
Pectore qui patulo Chriſti præpta capeſſant.
Vt prius æquoreas captabat rectè cateruas
Linea ſquamigeris extendens vincula turmis:
Sic hominum cuneos mundi de gurgite raptos
Ducit ad æternum cœleſti remige regnum,
Vt tibi Saluator vera cum voce ſpopondit,
Quando piſcantem panda de puppe vocabat.
Qui ponti pedibus calcauit cærula glauci,
Sed mare mergentẽ tumidis non ſorbuit vndis:
Dextera dum Chriſti turgentia marmora preſſit,
Cuius præſtabat defunctis vmbra medelam,
Dum ſani rurſus redeunt ad lumina vitæ,
Quamuis ante nigræ luſtraſſent limina mortis.
Hic quoque poplitibus nec non & crure gemello
Claudum reſtaurat fretus virtute Tonantis,
Et cito ſanatis præcepit pergere plantis,
Quem prius ad tẽplum geſtabat ſorte propinquus.
Hic etiam binos mulctauit morte malignos,
Qui pretium fundi celarunt fraude nefandum.
Inſuper & magicum falſi fantaſma Symonis
Funditus euacuans, tetras detruſit in vmbras,
Romanum vulgus ſoluens errore vetuſto.
Qui præcelſa rudis ſcandit faſtigia turris,
Atque coronatus lauri de fronde volauit,
Sed mox æthereas demittens fructifer auras
Cernuus ad terram confractis oſſibus ambo
Corruit, & Petro ceſſit victoria belli.
Qui cruce confixus gaudens tormenta luebat,
Horrida crudelis paſſurus vulnera ferri.
Quem Deus æternis ornatum iure triumphis,
Arbiter omnipotens ad cœli culmina vexit.

A

V.

Saulus qui ſanctas mulctauit carcere turbas
Credulus efficitur mutato nomine Paulus,
Plurima frugiferis diſpergens ſemina verbis,
De quo ſacra ſeges mundi ſuccreuit in occa.
Quem Deus inſidum cœli clamauit ab arce,
Quid me perſequeris dura cum calce, refragans?
Ergo diem ac noctem, ponti ſub gurgite merſus
Magna ſupernarum meruit ſpectacula rerum.
Tertia cœlorum raptus faſtigia ſcandit,
B *Atque poli proceres vidit cum mente maniplos,*
Quem Pythoniſſa procax clamauit voce proterua
Spiritus abſceſſit Paulo purgante puellam,
In vacuaſque procul fugiens euanuit auras,
Effebum puerum luſtrantem tartara mortis
Suſcitet in proprias anima penetrante medullas.
Nonne manum merito geminis fraudauit ocellis,
Cerneret vt nunquam ſplendentem lumine Phœbum?
Cruribus atque ſuris claudum reſtaurat ægrotum,
Quem fortuna prius greſſu priuauit egentem.
Sicque patrem populi quem febris torſit anhela
C *Torridus atque calor frigidus brumale coquebat.*
Nec non ex tales multa pœna pudenda
Curauit citius Domino tribuente medelam,
Dum ſarmenta prius glomeraret Paulus ad ignẽ,
Torribus vt pellat brumoſis frigida nimbis,
Vipera dira manum lethali dente momordit:
Sed Paulus gelidum non ſenſit vulnere virus,
Lædere nec ſanctum valuit crudele venenum.
Denique ſquamoſa contectum pelle celidrum
Protinus in flammas torrendum tradidit atras,
Poſtquam compleuit labentis tempora vitæ,
Martyrium rubro quæſiuit ſanguine ſacrum,
D *Purpureuſque cruor venarum fonte cucurrit.*
Oſſa tegat tellus quãuis modo mole ſepulchri,
Attamen in proceras aſcendit ſpiritus arces,
Cœtibus Angelicis nimboſa per æthera ductus.

VI.

Hic ſimul Andreas templi tutabitur aram
Petri germanus, qui quondam funera lethi
Horrida perpeſſus ſacrata carne pependit.
Quem Deus Oceani luſtrantem fruſtra phaſello
Cœlitus adſciuit gradiens per littora ponti.
Protinus Andreas compunctus voce Tonantis
E *Credidit æternum ſaluantem ſæcula Regem,*
Pendula capturæ contemnens retia ſpretæ,
Et dicto citius Chriſti præcepta faceſſit.
Quis numerare valet populoſis oppida turbis,
Illius eloquio quæ fana profana fricabant
Credula pandentes Regi præcordia Chriſto?
Nempe vicem Domino ſoluebat calce cruenta,
Dum crucis in patulo ſuſpenſus ſtipite martyr
Vltima mortalis clauſit ſpiracula vitæ,
Purpureas ſumens Chriſto regnante coronas.

VII.

HIc quoque Iacobus cretus genitore vetuſto
Dilubrum ſancto defendit tegmine celſum,
Qui clamante pio ponti de margine Chriſto
Linquebat proprium panda cum puppe parentem.
Primitus Spanas conuertit dogmate gentes,
Barbara diuinis conuertens agmina dictis,
Quæ priſcos dudum ritus & lurida fana
Dæmonis horrendi decepta fraude colebant.
Plurima hic præſul patrauit ſigna ſtupendus,
Quæ nunc in chartis ſcribuntur rite quadratis.
Hunc trux Herodes, regnat tetrarcha tyrannus,
Percuſſum machæra crudeli morte necauit:
Quem pater excelſus, qui ſanctos iure triumphat,
Vexit in æthereas meritis fulgentibus arces.

VIII.

NEc minus interea glomeretur virgo Ioannes,
Quẽ germana ſimul iunxit cõcordia Chriſto,
Dum pandam vetulo linquit cum Patre carinam,
Retibus æquoreas claudentem marmore prædas,
Qui prius algoſis verebat cærula remis:
Piſcibus inſidias nectens ſub gurgite ponti,
Sed clamante Deo luctantes littore lymphas,
Retiferamque nauem charo cum fratre relinquit,
Et Dominum ſequitur cœli qui regnat in arce.
Hic fuit egregius Chriſti regnantis alumnus
Omnibus anterior, magno dilectus amore,
Quem Rex extorrem Romæ qui regna regebat,
Truſit in exilium cymba trans cærula vectum,
Exul qua poſitus rerum ſpectacula plura,
Creuit in extaſi cœleſti numine fretus.
Quæ modo membranis per mundũ ſcripta legũtur,
Pauſatque effœto *præfatus corpore præſul,
Præmia ſumpturus cum clanget claſsica ſalpix.
Vltima dum priſcis labuntur tempora ſeclis.

* Epheſo.

IX.

HIc Thomas Didymus nomẽ ſortitus Achiuũ,
Seruat ſacratum ſarta teſtudine templum,
Vulnera qui tangens crudeli cuſpide geſta
Credidit extemplo ſaluantem ſecla monarchum:
Quamuis ante foret ſociis incredulus almis,
Atque fidem dubio geſtaret corde ſiniſtram,
Dum chaos inferni ſurgens de morte Redemptor,
Linqueret obſtruſum vaſta comitãte caterua,
Sed mox ambiguum conuertit rubra cicatrix,
Diſcipulo palpanti trucis vulnuſcula ferri,
Dum foribus clauſis trepidans qua turba latebat
Pacifer intraret Chriſtus Saluator in aulam.
Hunc igitur ſoboles miſit veneranda Tonantis
Eoas gentes almis conuertere billis,
Plurima magnificis patrantem ſigna triumphis.
India tum ſacris coluit ſimulachra nefandis
A Doctrinis veterum ſtolidis instructa parentum,
Sed confuſa fide in Thoma lucrante ſalutem
Credidit in Chriſtum cœli qui ſceptra gubernat.
Denique tranſacto præſentis tempore vitæ
Protinuis æthereum Thomas luſtrauit Olympum,
Quem fani Flamen veteris cultorque ſacelli
Sanguine rorantem rigida tranſuerberat enſe,
Præmia ſumpturum cum tellus ſponte dehiſcet,
Omnia de priſcis & ſurgent corpora tumbis.

X.

B NEc non Iacobus Chriſti matertera cretus,
Et conſobrini felici nomine fretus,
Hanc ædem Domini de ſummo ſeruat Olympo:
Quem plebs Iudæa ſæuo bacchante tumultu
Pulſum de pinna fullonis fuſte necauit,
Quod Chriſtum populis ſcandens faſtigia templi
Concionaretur crebro ſermone ſacerdos.
In cuius genibus pellis calloſa refertur,
Dum crebris vicibus oraret voce Tonantem,
Poplitibus flexis tundens pauimenta ſacelli,
Lanea villoſi ſpreuit velamina pepli,
Linea brumoſis ſumens mantilia flabris.
Sic quoque flagrantem contẽnens corpore nardũ
C Thermarum penitus neglexit pectore pompam,
Non cirros capitis ferrata forcipe dempſit,
Nec culter malas veſtis lanugine raſit:
Cuius virtutum tanta præconia conſtant,
Vt vindicta necis, quam dira morte luebat,
Interitus fieret Solymæ populique ruina,
Dum Titus Cæſar denſa comitante caterua
Vrbem ferriferis vallaret millibus amplam,
Cum genitore ſimul Romanis arcibus ortos
Donec dira fames conſumpſit ſtrage cateruas
Mœnibus obſtructas, & muri carcere ſeptas,
Tempore quo tenerum mactauit fœmina natum,
Inſuper aſſandum verubus transfixit acutis:
D Quem coctum laribus crudelis mater edebat
Humanæ penitus naturæ iura reſoluens,
Horreſco referens, effebi funus acerbum.
Sic vindicta crucis mulctauit clade nefandos.
Sic quoque Iacobi multauit paſsio ſontes.
Vndecies centena ſimul cecidiſſe leguntur
Millia per miſeram moribundis ciuibus vrbẽ.
Inſuper & centum venduntur millia paſsim,
Quos rigibus ferri neglectus mucro reliquit,
Et famis exigua perierunt funera ſtipe.

XI.

E HIc quoque commemorat metrorũ coma Philippum,
Quem pius æthrali ditauit gratia Chriſtus,
Barbara qui docuit doctrinis agmina ſacris
Credere per Scythiam ſaluantem ſecula Chriſtum,
Qui dudum tetra torpebant mortis in vmbra
Auctorem lucis tenebroſo corde negantes,
Atque creaturæ famulantes ordine verſo.

Donec Apoſtolicam hauzerunt aure loquelam,
Limpida perpetui cernentes lumina Phœbi.
Omnes certatim merguntur gurgite ſacro
Flagitium ſceleris purgantes fonte lauacri.
Iſte Aſyam properat ſanctis conuertere biblis,
Nota, quæ dudum decepta fraude colebat,
Sedula * ſed citius pandit præcordia Chriſto
Splendida diſcipuli dum fantis verba capeßit.
Sic felix Aſiæ conuertit dogmate regnum,
Inqua poſt obitum fatali ſorte quieſcit,
alare. Cuius hoc templum ſacrata tuebitur ara *.

XII.

VLtima terrarum præpollens India conſtat,
Quam in tres partes librorum ſcripta ſequeſtrant,
Idola quæ coluit paganis dedita ſacris.
Sed Bartholomæus deſtruxit lurida fana,
Effigies veterum confringens iure deorum,
Hebrea quem clamat peregrinis lingua loquelis.
Proles ſuſpendentis aquas in nubibus atris,
Humida nimboſis dum ſtillant æthera guttis,
Quum. Quod * ſignat procerum cæleſtis dona profundi,
Vt quondam cecinit pſalmorum carmine vates:
Ecce latex rorat tenebroſis nubibus aeris.
Poſt hæc Martyrij mercatur ſerta cruenta,
lin. Et ſequitur Dominũ pictus cũ * ſtigmate Chriſti,
Cuius hoc templum veneranda tuebitur ara.

XIII.

MAtheus egregium deſcribẽs dogma ſalutis,
Hebrea per ſimplum digeßit dicta libellũ,
mirifi- Plurima ſanctificis * narrans miracula ſæclis,
Quæ modo per mundum diuulgant ſcripta triquadrum.
Quem Fiſon fluuius paradiſi fonte redundans
Tropica portendit pandens myſteria rerum.
Fontis deſignat Saluator iure figuram
De quo quadrifluis decurrunt flumina riuis.
Quatuor vt quondam naſcentis origine ſecli
Limpida per latum fluxerunt flumina mundũ,
Quæ rubros flores & prata virentia glebis
Gurgitibus puris & glauco rore rigabant:
Sic doctrina Dei fluxit de fonte quaterno
Arida diuinis irrorans corda ſcatebris.
Hanc ſcriptor verax expreßit Matheus olim,
Quemque Propheta Dei ſacro ſpiramine plenus
Humana ſpecie vidit ſignarier olim.
Quod Chriſti patres & auos numeraret auorum
celera- E queis Saluator noſter cunabula ſacri
Sumpſerat in mundo ſacrata * piacula clemens.

XIV.

fretus. SImon Zelotes nec non Cananeus idem
Inter Apoſtolicos Petri cognomine functus *,
Cœtus qui docuit Gentiles dogma ſupernum
Vt celſum peterent cœleſti tramite regnum.
Cuius in hac aula ſacra ſeruabitur ara,
Cum polus & tellus ac ponti fluſtra fatiſcant,
Donec ſupremis ſintillent ſecla fauillis,
Et mundi moles, montes, colleſque liqueſcant,
Atque creaturæ rerum fluxus ad inſtar
Machina ſubcumbat flamma crepitante per orbẽ.

XV.

SVpremus numerum cõclaudat Tatdeus almus,
Cui cognomen erat præclarum Bibleus * olim, *Libbeus.
Quem duxiſſe ferunt Chriſti cum grãmate ſeclũ * *ſecdam.
Ab Agaro quondam qui regni ſceptra regebat,
Poſtquam tartareum damnauit morte tyrannum,
Et tetris erebi gaudens emerſit ab antris.
Exin ſidereum Chriſtus conſcendit Olympum.
Dicitur hic etiam vulgato nomine Iudas,
Cuius præſenti laudes celebrantur in aula:
Qui nobis binum facundo famine biblum
Edidit, antiquas promulgans ore loquelas,
Quas Enoch priſco deſcripſit tempore vates
Ante rapax mundum quã pontus plecteret vndis,
Dicens, Ecce venit Dominus cum millibus almus
Ponere iudicium cunctis habitantibus orbem,
Quos nubes appellat aquas ſtillante carentes,
Frigida quas rapidis diſpergunt flamina ventis,
Nec non arboribus ſterili de ſtipite natis
Comparat, autumni quæ fructum tempore perdũt.
Sic quoque ſpumiferis vndarum fluctibus æquat
Errabunda vocans cœlorum ſidera fontes,
Qui ſeruata reſtat tenebroſis pœna procellis.
Nempe feras gentes & ponti barbara regna
Iudas ad Dominum doctrinis flexerat almus,
Cuius in Armenia ſopitum morte cadauer,
Exſurrecturum fatali fine quieſcit,
Sed tamen æthereas luſtrauit ſpiritus arces.

XVI.

IAm bis ſena ſimul digeßi nomina Patrum,
E quibus altithrono conuerſus credidit orbis,
Hos precibus verna * crebris & pectore fuluo, * f. venera.
Vt mihi clementer noxarum pondera laxent,
Et veniam dantes commiſſa piacula ſoluant:
Quatenus in requiem diuina * gratia fretus, * diuino munere.
Vltimus ingrediar Chriſto pugnante per æthra.

XVII.

HOc ſacer obſeruat dilubrum Mathias almũ,
Vnus qui fertur de ſeptuaginta fuiſſe
Diſcipulis Domini, qui ſacrum dogma docebant,
Quem Deus electum ſignauit ſorte ſuperna
Dum Iudas Scarioth ſtropha deceptus iniqua
Culmen Apoſtolici celſum perdebat honoris,
Atque fibras olidas tetro cum viſcere fundit:
Cum crepuit medius laqueo ſuſpenſus ab alto,
Qui Dominum lucis redimentem ſanguine ſecla
Vendidit vt cupidus fuluum numiſma capeſſat.
Mathias idcirco ſpreto latrone nefando

In Domino fretus numerum ſuppleuit eundem,
Iunctus Apoſtolicis gratatur iure triumphis.

XVIII.

VExillum ſublime crucis venerare fideles,
Qua qui ſe munit triſtia non metuit.
Crux benedicta nitet Dominus qua carne pependit,
Atque ſuo clauſit funere mentis iter.
Hic auctor vitæ mortem moriendo [illegible]remit,
Vulneribus ſanans vulnera noſtra ſuis.

XIX.

ANte thronum æterni felix qui Regis in æuum
Michael ſumma in arce miniſter ades,
Aligeroſque inter ſocios per ſecla manentis
Luminis & pacis regna beata [illegible]nis:
Protege quam terris tibi iure dicauimus aulam,
Optantes precibus ſcandere ad aſtra tuis.
Igneaque infeſti noceant ne tela draconis
Continuam infirmis pande benignus opem.
Quatenus expleto belli præſentis agone
Ad palmam vitæ nos tua dextra leuet.

XX.

HIs ſolidata fides his eſt tibi Roma catenis.
Simplicio nunc ipſe dedit ſacra iure tenere,
Libera ſemper eris. quid enim non vincula præſtēt,
Quæ tetigit qui cuncta poteſt abſoluere? cuius
Hæc inuicta manu vel relligioſa triumpho
Mœnia nonnullo penitus quatientur ab hoſte.
Claudit iter bellis qui portam pandit in aſtris.

XXI.

OMnipotens genitor cunctis qui gentibus almum
Egregio Pauli fundis ab ore iubar.
Illius nobis precibus da gaudia, regna
Nos cuius monitis poſcere celſa iubes.

XXII.

QVi cruce munitus ſuperas fera prælia mundi,
Feliceſque trahis victor ad aſtra choros.
Sæua Paule tui veneranda ſacraria templi,
Ne latro depopulans vaſtet ouile tuum.

XXIII.

EN Stephanus lapides ſuffert, Laurētius ignes,
Perque iter anguſtum regna beata petunt.
Iure micat rutulo Leuitarum aula colore,
Quos vitæ ad palmam mors pretioſa vocat.

XXIV.

NAſcitur humana celſus de carne creator,
Vt homo per hominē ſcādat ad aſtra Deū.
Ecce Leo Iudæ natus de germine mundum
Liberat, & lætis ſceptra triumphat ouans.
Hoſtia ſumma Patris pretioſo ſanguine Chriſtus
Permundans orbem regna ſub alta vocat.

A *Adſumptis aquilæ Chriſtus petit æthera pennis,*
Conregnatque poli perpes in arce patri.

XXV.

ANgelus inlæſum Mariæ per ſomnia Ioſeph
*Connubiū ſeruare monet, hic docte * repleta*
Spiritus hoc quod ſit flagrans Saluator honore.

XXVI.

OStendis Chriſtum populis Baptiſta Ioannes,
Hic ecce Agnus & hic qui tollit crimina mūdi.

B

XXVII.

EI mihi Saluator, ſaluari ſeruus anhelat:
Non ego ſum dignus cuius tu tecta capeſſas:
Sed verbo ſanare potes. nam ſufficis abſens.

XXVIII.

INſipitis quondam laticis elimenta ſaporem
Flagrantis ſumpſere meri. Nā prouidus auctor
Munera lætitiæ virtutum exordia fecit.

XXIX.

C *HIc panibus ſeptem populorum millia paſcit,*
Quatuor & pauci ſaturant conuiuia piſces:
Nam ſeptem reliquas ſportas fragmenta repleuit.

XXX.

DAt dextram miſeris, miſeranſque attollit ab humo,
Quam longinqua ſui curuarant vitia morbo.
Surgite recta fide, mundat mens pia credentem.

XXXI.

ARguit immeritis conſortem Martha querelis
Quod vacat officio. Cui verax arbiter inquit,
D *Vtilis cura domus meliorque ſemper habetur.*

XXXII.

DVlcis honor Domini Zacheo fulſit amico,
Maieſtate ſonans, hodie mihi proficis hoſpes,
Ad maiora de his ramis deſcende relictis.

XXXIII.

NVmni dira famis compellit vendere Iudam,
In pœnam regale caput commercia tanti
Sanguinis exiguo peregit mens impia lucro.

E

XXXIV.

*GEſtat onerandum cunctis indita * regum,*
*Quos eſcant * ſint pendere victima mundi,*
Perditam vt miſeris reddat mors vna ſalutem.

XXXV.

SAcrati nemoris Domini per amœna vireta
Felix latro duce hoſpicium vitale meretur.
Gratificata fides vincit tot crimina vitæ.

XXXVI.

EVam viperea vetitum decerpere pomum,
Inſidus arte parat tentaque neſcia fraudis
Credidit infelix ſacro peritura marito.

XXXVII.

PEllibus accinctis peccati ſigna ferentes,
Pœnarum famuli linquūt fœlicia regna,
Semper amica piis peccantes reſpuit aula.

XXXVIII.

HIc volucres, armenta, viros, genus omne ferarum
Cunctane diluuium perdat violentia Noë
Colligit, atque vnam creaturam condit in arca.

XXXIX.

REptilium pecudumque* cunctaſque volucres
Diſcus habet, quæ cuncta iubet pater edere Petrum:
Nil cōmune putans, quod mundi auctore creatur.

XL.

EXtruit immenſis opibus ſuperbia turrem,
Sed populi ſumma is turbat colloquia ſūmi,
Nec quid ſtulta manus vltra ſua iura pararet.

XLI.

COnſona diuerſas fundat prædicatio linguas,
Barbara quæque ſuam cognoſcit natio vocem,
Quam ſacer humano præfatur ſpiritus ore.

XLII.

HIc coniuratos germanum vendere fratres
Cogit liuor edax, proſunt contraria iuſtis.
Hoc opus eſt gratiæ, vt qui vendidit adoret.

XLIII.

HIc auidos carnis miſſa ortigometra paſcunt
In meritoſque replet cœleſtis copia menſis.
Nam dignis quemcūq; velit dat manna ſaporem.

XLIV.

VEridicæ Moſes pandit penetralia legis,
Quod ſummus cūctis vnus ſit lector & idē;
Nec diuiſa regat mundum, ſed ſola poteſtas.

XLV.

MOnte valle ſedēs grāde & immutabile verū,
Et pia iuſtitiæ populis præcepta profatur,
Quaque intra ſeſe pergat ſapientia monſtrat.

XLVI.

VIuere poſt obitum vates vis noſce viator,
Quod legis ecce loquor, vox tua nēpe mea eſt.

XLVII.

CAEdis inexperſas propria fert hoſtia lignum,
Nam carum obediēs pignus mactare paratur,
Ducit Abram fidei meritum non parcere nato.

XLVIII.

ALma Deus Trinitas, quæ ſæcla cūcta gubernas,
Adnue iam cœptis alma Deus Trinitas.
Bella Maro reſonat, nos pacis dona curamus:
Munera nos Chriſti, bella Maro reſonat.
Carmina caſta mihi, fœdæ non raptus Helenæ
A Lux erit lubricis, carmina caſta mihi.
Dona ſuperna loquar miſeræ non prælia Troiæ,
Terra quibus gaudet, dona ſuperna loquar.
En Deus altus adit venerandæ virginis aluum,
Liberet vt homines, en Deus altus adit.
Femina virgo parit mundi deuota parentem,
Porta Maria Dei, femina virgo parit.
Gaudet amica cohors de Virgine Matre Tonātis,
Virginitate micans gaudet amica cohors.
Huius honor genuit caſta de Virgine plures
Virgineos flores huius honor genuit.
Ignibus vſta feris virgo non ceſſit Agathæ,
B Eulalia & præfert ignibus vſta feris.
Caſta feras ſuperat mentis pro culmine tæda
Eufemia ſacras caſta feras ſuperat.
Læta ridet gaudens * ferro robuſtior Agnes, * f. gladios
Cecilia infeſtos læta ridet gladios.
Multus in orbe viget per ſobria corda triumphus,
Sobrietatis amor multus in orbe viget.
Noſtra quoque egregia iam tempora virgo beauit,
Edilthida nitet noſtra quoque egregia.
Orta patre egregio regali & ſtemmate clara,
Nobilior Domino orta patre eximio.
Percipit inde decus Reginæ & ſceptra ſub aſtris,
Plus ſuper aſtra manens percipit inde decus.
C Quod petis alma virum ſponſo iam dedita ſummo,
Sponſus adeſt .... quid petis alma virum.
Regis vt ætherei matrem iam credo ſequaris,
Tu quoque ſis mater Regis vt ætherei.
Sponſa dicata Deo bis ſex regnauerat annis,
Inque Monaſterio ſponſa dicata Deo.
Tota ſacrata polo celſis vbi floruit actis,
Reddidit atque animam tota ſacrata polo.
Virginis alma caro tumulata octo Nouembris,
Nec putet in tumulo virginis alma caro.
Chriſte tui eſt operis quam veſtis, & ipſa ſepulchro
Inuiolata nitet, Chriſte tui eſt operis.
Ydros alter abit ſacræ proueſtis honore.
D Morbi diffugiunt, ydros & alter abit.
Zelus in hoſte furit quondam qui vicerat Euam,
Virgo triumphat ouans, zelus in hoſte furit.
Aſpice nupta Deo quæ ſit tibi gloria terris,
Quæ maneat cœlis aſpice nupta Deo.
Munera læta capis feſtiuis fulgida tædis,
Ecce venit ſponſus, munera læta capis.
Et noua dulciſono modulatio carmina plectro,
Sponſo ymno exultas & noua dulciſono.
Nullus ab altitrono comitatu ſegregat agni,
Quam effectu tulerat nullus ab altitrono.

XLIX.

E QVam imprimis ſpecioſa quadriga: homo, leo, vitulus, & aquila.
Septuaginta vnum per capitula colloquūtur de Domino paria.
In ſecunda ſubſequuntur protinus homo, leo, loquitur & vitulus.
Quibus ineſt ordinate poſitus decimus atque nouem numerus.

Tunc deinde tertio in ordine homo, pecus , bos loquitur cum volucre.
In numeroq; conſiſtunt antiquæ alfabeti Hebræorum litteræ.
Quarto loco fatentur æqualia, unà homo, leo, atque aquila
Vno ore loquentes capitula, Verbis ſummi ſena atque vicena.
Quinta vice concordant in loquela, homo prudens atque mitis hoſtia
Ieſu Chriſti imitantes agmina Iudæ ſine Saluatoris credula.
Ecce ſexto patri ſonat clamore natus Adam cum clamoſa leone
Computatis traditis pro munere, ſacerdotum oppidis in honore.
En loquuntur ſepties in ſeptimo , homo, auis conſona de Domino.
In viij. nunc leonius catulus, Quorum verborum comparatur numerus adiecto Paulo Apoſtolico
Non ordo, in quo duo pariter colloquuntur vitulus & volucer,
Inſpirati ſenſu ſpiritaliter proloquuntur ternum ſimpliciter.
Homo nempe verbum profert proprium xl. & per duo numerum
Rugientemque leonem audaciter , ſolum ſane decies & nouies
Bonum ſolum fatentem inuenies. Verbi diuis & ſeptuagies
Subuolantem ad aſtra reperies nonagies loqui atque ſepties.

L.

Continet hic ſanctus vno ſub corpore codex
Omnia nãque nouæ ac veteris myſteria legis.
Hic eſt fons vitæ, hic ſunt præcepta ſalutis,
Hunc dictante Deo ſcribere in ſecula ſancti.* (* l. ſcripſere.)
Hæc eſt ſancta fides, hinc eſt cœleſtis origo.
Legifer ille pius quicquid iam ſcripſerat olim
Venturum, quicquid ſancti cecinere Prophetæ
Hebraici populi, & quicquid Hiſtoria geſſit
Hymnidica aut quicquid cecinit laus myſtica Dauid,
Vel quicquid Apoſtolicus docuit per ſecula cœtus,
Vel quicquid Saluator veniens iam fecit in orbe,
Continet hic ſolus pariter hæc omnia codex.
Iuſſerat hunc tomum Gerfridus ſcribere Præſul,
In laudem Chriſti, Genitricis & illius almæ:
Eſſet in Eccleſia vt præſto legentibus ille,
In quo quiſque legat Domini dulciſſima verba,
Sit memor auctoris illum qui ſcribere iuſſit:
Dicat & ore pio, Gerfridum Chriſte tuere
Semper, in æternum viuat feliciter ille.
Tuque valeto legens, tibi maxima cura legenti.
Sic precor vt recto reſones cœleſtia ſenſu
Verba Dei Chriſti merces tibi magna manebit.
Hæc domus alma Dei Chriſti & venerabilis aula
Tempore prælongo viluit diruta ruinis.
A *Sed dum Gerfridus Præſuliſque * ſacerdos*
Eccleſiæ regimen ſuſceperat iſtius almæ,
Ductus amore Cleri totam renouauerat illam
Parietibus, tectis, picturis, atque columnis,
Veſtibus, & vaſis, Cleri ſimul ordine ſacro,
Non parcẽs propriis opibus. Nã quidquid habebat
Diſtribuit larga mente in donaria Chriſti,
Viribus intentis ornaret vt vndique templum,
Vt decus egregium Domini fulſiſſet honore,
Diuinis reſonaſſet necnon laudibus aula.
Fecerat vt dicunt ſeptenas tota per horas.
Suſcipe Chriſte Deus clemens hæc omnia gratè,
B *Deque tui famuli manibus hæc vota, precatur.*
Tuque Dei Genitrix ſanctiſsima virgo Maria,
Auxiliare preces famulorum virgo tuorum.
Hæc ſacrata tuo quoniam ſunt nomine templa.
Hic laus, cultus, honor maneant per ſecula Chriſto.
Dic rogo tu lector, Albinum Chriſte tuere.

L I.

Hic Giſlebertus Præſul requieſcit humatus:
Corpus terra tegit, ſpiritus aſtra petit.
Vir pietate potens, humiliſque, modeſtus, honeſtus,
Deuotus nimium paſtor honore Dei.
Hic pius Eccleſiam ſancti conſtruxit Amandi,
C *Cunctaque iam renouans clauſtra Monaſterij.*

L I I.

Virgo Dei genitrix noſtræ Regina ſalutis ,
Hic precibus famulis auxiliare tuis.
Hoc altare tuis quoniam eſt venerabile votis,
Virginibus ſacris laus, decus, atque ſalus.

L I I I.

Hæc eſt aula Dei, veniæ domus, aula ſalutis:
Hic cultus Chriſti, hic pietatis honor.
Hic populus veniens veniam rogitare ſueſcit,
Creditur hic præſens ſemper adeſſe Deus.
Hic Deus exaudit famulorum vota ſuorum,
D *Largitor hic lacrymas tergit ab ore ſuas.*
Hic Pater & Paſtor, Præſul requieſcit Amandus,
Vir virtute potens, & pietate bonus.
Adiuuat iſte preces populi clamantis ad aſtra,
Qui Domino adſiſtit ſemper in arce poli.

L I V.

Dum ſacra præſentis peruaſit limina templi
Sæpius accreſcens cumulatur gurgite flumen.
*Non tulit Arnonus federari * templa ſacerdos.*
Iuſſerat in melius renouari hæc omnia Præſul,
Latior vt fieret cripta & ſublimior iſta,
Supponens tectis firmatos ter quater arcus:
E *Myſticus vt totam firmaret calculus aulam,*
Paruula præcelſo conſecrans tecta miniſtro
Michaelo cœli, Chriſto qui adſiſtit in arce.
Atque preces offert ſanctorum Rege polorum.
Hic quoque noſtra ferat rogitamus vota tonanti,
Auxilioque pio noſmet defendat vbique
Hlotharius cuſtos fecit mandante magiſtro,
Semper in æternum Chriſtus conſeruet vtroſque.
Qui legit hos verſus dicat rogo pectore puro,
Alcuino veniam ſcelerum da Chriſte precamur.

LV.

PRæſul Amande Deo tali tu nomine dignus,
Auxiliare pater tam bonorum * vota tuorum.
Et defende piis precibus famuloſque, domumque.

* famulorum.

LVI.

HAEc Stephani fulget meritis protomartyris ara,
Qui lapides inter vidit in arce Deum.
Qui veniam rogitans inimicis morte ſub ipſa,
Pro famulis veniam poſcere certè valet.
Inclitus & Chriſti præclarus Amatus, Amandus,
Et decus & paſtor, dulcis amorque ſuis.

LVII.

HAEc porta eſt cœli, æternæ hæc eſt ianua vitæ.
Iſta viatorem ducit ad aſtra ſuum.
Ingrediens iſtam portam penetrauit Olympi,
Sic comitetur eum ſpeſque fideſque ſimul.
Hæ petitur veniæ, deuoto hanc corde viator
Sæpius ò pedibus tranſeat ipſe ſuis
Hic quoque peccator ſceleratos abluat actus,
Et lacrymis lauat limina ſacra ſuis.
Purgatus lacrymis humili decore profuſis,
Ad loca ſancta Dei dignior vt veniat.
Credo pius Ieſus culpas ignoſcit, & illo
Si veniat triſtis lætior vt redeat.

LVIII.

HAnc Leuita Dei totam Laurentius aulam
Conſeruet, quoniã hæc ara dicata ſibi eſt.
Vir virtute, fide, flammarum incendia vicit,
Omnia tormenta & vicit amore Dei.
Pauperibus tribuens in mundo quidquid habebat,
In cœlo vt Chriſti diuitias caperet.

LIX.

MArtinus meritis Domini condignus amore,
Qui ſibi ſacratam hanc regit Eccleſiam:
Egregius Præſul toto præclarus in orbe,
Torona pauſans paſtor in orbe pius.
Hæc domus alma Deo prima eſt fundata Tonãti,
Ante alia & ſacri ſepta Monaſterij.
Creuit honor horum Domino donante locorum,
Et maior Domino eſt ædificata domus.
Dum ſanctus Præſul hic inhabitauit Amandus,
Creuit honor patris, creuit & iſte locus.

LX.

PRimus Apoſtolicus Chriſtum qui agnouerat inter
Andreas fratrem conuocat atque ſuum:
Ita ſuis meritis iam tecta ſacrata tuetur,
Vt procul effugiat hoſtis ab æde ſua.

A

LXI.

PEtrus Apoſtolicus princeps paſtorque fidelis
Iam gregis ætherei, iam decus Eccleſiæ.
Qui tenet æterni claues per ſæcula regni,
Soluere, vel ſola voce ligare potens.
Cuius honore ſacro præſens hæc aula dicata eſt,
Protegat atque regat paſtor ouile ſuum.
Dignetur que ſuis portas aperire precamur
Aetheras ...ibus munere perpetuo.

LXII.

MIchael æthereus Princeps primuſq; miniſter
Aeterni regni ſummus in arce poli,
B Conſeruet donis iſtam viuacibus aram,
Quæ ſacrata micat nomine namque ſuo.
Ante oculoſque Dei ſummi in ſecreta polorum
Officio * noſtro offerat atque preces.

LXIII.

HOc altare pater Præſul Hilarius ornat,
Notus in orbe procul, doctor vbique pius.
Hac magis victor meritis memoratur in ara,
Indita præclarus miles in arma potens.

LXIV.

C ANtiſtes humilis Domini & deuotus honorẽ
Arnonus ſancti tubã renouauit Amãdi.
Non parcẽs opibus miſeris. Nã quidquid habebat,
Sparſerat, vt Chriſti compſit ſacra tẽpla ſacerdos:
Pro quo quiſque legas verſus orare memento.

LXV.

HIc pater & paſtor magnus Chriſtiq; ſacerdos
Sanctus Amandus obit Chriſtum qui ſemper amauit,
Plurima qui veniens meritis miracula geſſit,
Cuius vita fuit doctrina ſaluſque ſuorum.
Qui iam diuitias ſeculi contempſit habere,
D Aeternas Chriſti vt cœli lucraret in aulam.
Multiplicauit opes animarum doctor vbique,
Exemplis formans & † doctore magiſter.
Hic pater egregius Chriſto hoc fundauit ouile,
Et poſt perpetui quæ ſparſit ſemina regni,
In populos noſtrum longè lateque per orbem.
Poſt fructus verbi ſæua & poſt prælia mundi,
Contemplatiuos placuit hic carpere fructus,
Atque Deo ſoli tantum ſeruire quietus,
Perfectus meritis paſtor, plenuſque dierum,
Cœtibus Angelicis Chriſti ſubuectus in aulam,
Corpore nobiſcum ſancto requieſcit humatus.
E Pro cuius meritis noſmet hic Chriſte tuere.
Semper in æternum tibi ſit laus, gloria, virtus,
Qui talem dederas nobis rex piiſsime patrem.

LXVI.

HAEc domus alma Dei flammis crepitantibus olim
Arſit, & in cineres tota redacta fuit,
Sed miſerante Deo Radon miſerabilis Abba
Conſtruxit melius, ac renouauit eam.
Plurima præſenti domui ornamenta miniſtrans,

Exornans totam muneribuſque ſacris.
Cancellis, aras voluit veſtire metallis,
Vedaſti fabricans ſarcophagumque patris.
Pallia ſuſpendit parietibus atque lucernis
*Addit * vt fieret lumen in æde ſacrum.* *f. Addidit.
Officijs Domini fecit quoque vaſa ſacrata
Argento, nec non aurea tota quidem.
Induit altaria ſpecioſa veſte miniſtros,
Vt foret egregium ſemper vbique decus.
Omnia mellifluo Chriſti deuotus amore
Reſtaurans opere vir pius in melius.
Pro quo quiſque legas titulos cogitare memento,
Adiuuet atque illum gratia ſumma Dei.

LXVII.

HIc pater egregius Vedaſtus corpore pauſat,
Cuius honore ſacro hæc domus alma micat.
Fulcitur & tanti meritis per ſecla patroni,
Per quem multa Deus ſigna ſalutis agit.
Qui ſacra celſitroni viuens veſtigia Chriſti
Lingua, mente, manu namque ſecutus erat.
Multiplicauit opes bis quinis forte talentis,
Nec data marſupijs lucra ligauit opes.
Audiet idcirco vocem mox iudicis almi,
Intra nunc Domini gaudia ſancta tui.

LXVIII.

POntificalis apex meritis viuacibus aram
Vedaſtus ſanctus hanc regit ipſe pater.
Hanc abbas humilis veſtiuit Rado metallis
In Domini laudem ductus amore patris.

LXIX.

HOc altare Dei præclarus in orbe ſacerdos
Martinus meritis ſeruat vbique ſuis.
Abluat & lacrymas plangentis crimina plebis,
Depoſcens veniam voce potente piam.

LXX.

SAnguine Martyrij Præſul Dionyſius aram
Hanc ornet pariter cum ſociiſque ſuis.
Magnificus doctor verbi qui ſemina ſparſit,
Imbribus æthereis arida rura rigans.

Landibertus habet hanc atque Richarius aram,
Hic confeſſor erat, Martyr & ille pius.
Ambo Deo chari, meritorum pondere patres,
Plurima portantes lucra ſuo Domino.

LXXI.

FRancorum doctor Remedius inclytus aram
Hanc tenet almiuolus Audoinuſque ſimul.
Horum nam meritis currens tu ferte viator
Per loca ſancta pius, ſit tibi certa ſalus.

A

LXXII.

GRegorius præſul doctorque Hieronymus almus,
Eccleſiæ ille pater, iſte Magiſter erat.
Noſtra ferant precibus pariter quoque vota Tonanti,
Vt nos conſeruet ſemper vbique Deus.

LXXIII.

HAc pater egregius colitur Benedictus in ara,
B *Qui vitam monachis ſcripſerat ipſe piam.*
Ipſius atque ſoror præclara Scolaſtica virgo,
Iungitur hic fratrum nobilis ipſa ſuo.

LXXIV.

HAc duo germani Coſmas & Damianus in ara
Scribuntur pariter verſificante manu.
Quamque bonum eſt fratres ſemper habitare in vnum,
Vt Pſalmiſta canit, ecce iocundus amor.

LXXV.

C *CEcilia, Agathes, Agnes, & Lucia virgo,*
Hæc iſtis pariter ara ſacrata micat.
Lilia cum roſis fulgent in vertice quarum,
Et lampas rutilat luce perenne ſimul.

LXXVI.

HAEc eſt ara crucis ſanctæ ſacrata triũphis,
In qua iam mundi vita ſalus patitur.
Martyris egregij Criſpini & Criſpiniani,
Nominibus quorum fulget & illa ſacris.

LXXVII.

D *HOc altare Dei genitrix pia virgo Maria*
Aſpiciat ſolita cum pietate potens.
Pontificalis apex Petri ſucceſſor & almis
Præclaris Clemens augeat & meritis.

LXXVIII.

HOc ſiniſtra Dei teneat altare Iohannes,
Matheus ò meritis ornet & ipſe ſuis.
Hic ſcripſere quidem Chriſti ſacrata † geſta Tonantis, † f. ſacra
Quapropter pariter hæc tenet ara duos.

E

LXXIX.

PLatonius Martyr, victorque Georgius aram
Præſentem teneant, ambo pijs meritis.
Qui pro pace Dei vicerunt prælia mundi,
Et meruere ſacrum rore rubente polum.

LXXX.

IOhannes, Paulus, pariter Laurentius atque
Conſeruent aram hanc miſerante Deo.

Hic Leuita fuit, illi ſed ſanguine fuſo
Martyrio toti regna beata tenent.

LXXXI.

CLauiger æthereus ſeruat qui regmina cœli,
Soluere quæque placet atque ligare potes.
Piſcator quondam cœli, nunc ianitor almus,
Eccleſiæ princeps paſtor & ipſe bonus:
Cui Chriſtuſque ſuum ſeruandum tradit ouile,
Dum redit ad patris regna beata ſui,
O nimium felix totus quem diligit orbis!
Huic Chriſtus nomen Petrus habere dedit.
Hoc pietate ſua templum precor vndique cingat,
Aduentuque ſuo protegat atque regat:
Auxiliumque ſuis famulis protector in illo
Perferat, & precibus adſit vbique ſuis.
Dirutum flammis renouauerat hoc quoque Rado,
Cui rogo mercedem reddat & ipſe Petrus.

LXXXII.

HAnc quoque ſeruator templi tutabitur aram
Eccleſiæ princeps totus & ipſe Dei.
Adiuuet atque Deo Chriſto hic vota ferentes,
Lætemur ſemper illius vt meritis.

LXXXIII.

ARa quidem præſens ſacrata eſt nomine Pauli,
Qui populos mundi duxit ad aſtra poli.
Gentibus & populis, regnis atque vrbibus iſte
A Domino electus doctor vbique fuit.

LXXXIV.

DOctor Apoſtolicus hũc hæc vox alma Ioãnes
Ecce Dei veniens agnus ab arce patris.
Miſerat ad Chriſtum ſemper ſequeretur vt illum
Andreas, aram ſeruet ab hoſte ſuam.

LXXXV.

HOc altare tenet ſanctus Baptiſta Ioannes,
Præcurſor Chriſti magnus in orbe Dei.
Qui ſolus digito Chriſtum monſtrauit adeſſe,
Iſte preces noſtras adiuuet opto ſuis.

LXXXVI.

*PRæſulis * Germani magna eſt * ara dicata,*
Quam modo iam cernis ecce viator ouans.

LXXXVII.

HAnc aram Chriſti præclarus amator Amandus
Defendat meritis ſemper ab hoſte ſuis.

LXXXVIII.

MArtyris egregij Quintini altare triumphis
Hoc fulget populo hic qui ferat auxiliũ,

A *Alligeros inter ſocios ſummoſq; miniſtros*
Michael princeps primus in arce poli,
Hæc loca conſeruet magna pietate Tonantis,
Et veniens veniam poſcat & ipſe ſuam.

LXXXIX.

VIrgo ſacrata Deo cæleſtibus inclyta donis
Lætetur votis hic Genouefa tuis.

XC.

HAEc tibi ſancta domus ſancta eſt ſanctiſſima virgo,
B *Virgo Maria Dei, at genitrix intacta Tonantis.*
Perpetuam mundo genuiſti virgo ſalutem.
Quapropter mundus totus te laudat vbique.
En ego quippe tuus famulus te laudo canenis.* *f. camœnis.
Tu mihi dulcis amor, decus & ſpes magna ſalutis.
Auxiliare tuum ſeruum clariſſima virgo.
Vox mea te lacrymis pulſat, mens ardet amore:
Nec non cunctorum precibus hic annue fratrum,
Ad te qui clamant: Virgo tu gratia plena.
Per te conſeruet ſemper nos gratia Chriſti.
C *Quiſque legas verſus dic, Chriſte tuere Poetam.*
Hæc quoque menſa tuo ſacrata eſt nomine virgo,
Tu Regina poli, campi flos, lilia mundi,
Hortus concluſus, vitæ fons, vena ſalutis.
Accipe clementer famulorum vota tuorum,
Atque Deo Chriſto humili rogo redde precatu.

XCI.

HOc altare tibi conſtat Martine dicatum,
Confeſſor meritis magnus in orbe piis.

XCII.

D *O Baptiſta potens tinxiſti in Iordane Chriſtũ,*
Hic precibus laua crimina noſtra tuis.

XCIII.

HAc pius Anianus ſacra memoratur in ara,
Confeſſor Chriſti ſanctus in ore ſui.

XCIV.

HAEc eſt aula quidem ſancti veneranda Medardi,
E *Haud minus altare hoc illius eſſe liquet.*
Huc quicumque fide veniat ſua crimina flere,
Ob meritum ſancti hic accipiet veniam.

XCV.

HAc duo præclari patres venerantur in ara,
Quintinus ſiquidem, ſanctus Dionyſius atque,
Hic Confeſſor erat Chriſti, ſed Martyr & ille,
Ad Dominum proſit quorum interceſſio nobis.

XCVI.

SAluius hanc aram magno * quoque Amando,
Amplectuntur enim mentibus * ambobus.
Ambo florentes virtutibus, ambo perenni
Cœlorum regno credimus vt manent.

XCVII.

VIctor ab hoſte redit diuino munere clarus-
Dum legione ſacra victor ab hoſte redit.
Prælia pace Dei Mauricius ardua vicit,
Exſuperans mundi prælia pace Dei.
Hæc domus ecce ſuo titulata eſt nomine ſancta,
Fulgeat & meritis hæc domus ecce ſuis;
Cuius honore ſacrum & micat hoc altare dicatum,
Gaudeat & populus cuius honore ſacro.

XCVIII.

ARa dicata tibi micat hæc Baptiſta Ioannes,
Laudibus hanc dignis ſemper memor eſto colendam.
Qui Dominum ſacris meruiſti tingere in vndis,
O felix precibus noſtras hic ablue culpas.

XCIX.

HOc defende tuis precibus Martine ſacellum
Sancte, piis ſimul & noſtros dignare rogatus
Exaudire pater, varios ac deprime fluctus
Cordis, vt æternam valeamus carpere vitam.

C.

HÆc domus æterna micat Stephano protomartyre magno,
Qui veniam inter veniam lapidantibus illum
Depoſcit. Chriſti ſacra eſt exempla ſecutus.
Adiuuat ecce ſuis precibus plus martyr amicos.

CI.

PEtrus Apoſtolico conſeruet nomine ſemper
Præclarus princeps tecta ſacrata ſibi.
Qui clauem cœli manibus deportat honeſtis,
Clementem nobis pandat ad aſtra viam.

CII.

HAnc regat omnipotens Michael Angelus aram,
Per quem victus erat perfidus ille draco:
Et procul eiectus celſo de culmine cœli,
Qui culpare cupit ſemper in orbe pios.
Iungitur huic Gabriel ſocius venerabilis aræ.
Qui virtute pia fulget in arce poli.
Cuius ab ore ſacro mundi generare ſalutem
Didicit æternam virgo Maria Deum.
Additur his Raphael oculos qui forte Tobiæ
Sanauit, natum duxit & ille ſuum.

A Hos tres hic precibus noſtris adſtare precamur,
Audiat vt famulos Chriſtus ab arce ſuos.

CIII.

HAnc Baptiſta potens meritis ttabitur aram,
Qui Dominum Chriſtum tinxit in amne ſacro.
Hic electus erat matris de ventre Tonantis,
Vox Verbi & noſtræ præco ſalutis erat.
Hic fuit egregius Chriſti Paranymphus in orbe.
Iſte Dei digitis agnum monſtrauit adeſſe,
B Sanguine qui mundi crimina cuncta tulit.

CIV.

HAc Stephanus colitur magnus protomartyr in ara
Grandine qui lapidum regna beata petit.
Et precibus cuius, nimium mirabile dictu,
Saulus erat ſubito Paulus in orbe pius.
Beſtia mane rapax, ſpolia quæ veſpere tractat,
Iſte preces noſtras adiuuet iſte ſuis.

CV.

C QVem nec flamma vorax vicit, Laurentius, aram
Sanguine conſeruet hanc rogo martyrij.
Iſte Dei Chriſti mandata impleuit amore,
Pauperibus tribuens quidquid habebat inops.
Diuitias ſecli contempſit habere caducas,
Perpetuas Chriſti vt poſſit habere polo.

CVI.

HOc altare pius ſeruet Quintinus ab hoſte,
Sanguine qui ſacro regna beata petit.
Huic quoque iunguntur laicorum turba piorum,
Qui petiere polum ſanguine Martyrij.

D

CVII.

HÆc loca Mauritius meritis viuacibus net
Egregius Martyr cum legione ſua:
Quorum mira fides animi & conſtantia mira
Commeruit laudes ſemper in orbe pias.

CVIII.

POntificalis apex ſeruet Dionyſius aram
E Hanc rogo cum ſocijs Martyribuſque aliis.
Quorum ſcriba tenet cæleſti in arce libellos,
Ante Dei faciem nomine perpetuo.

CIX.

COnfeſſor fidei meritis & nomine clarus
Germanus præſul, paſtor & ipſe pius
Qui confeſſorum hac iungitur agmen in ara,
Nos precibus quorum ſeruet vbique Deus.

CX.

HAſ ſacratus amor * Martini fulget in ara,
Quem colit Europa, quem ſimul orbis amat.
Agmina ſacra cui magna iunguntur honore
Sanctorum pariter per pia vota fidei.

CXI.

HAnc Pater egregius doctorque Remedius aram
Cum ſociis vitæ ſeruat vbique ſuis.
Quos pia cura ſimul menſa ſatiauit in iſta,
Qui erexit illam, quique dicauit eam.

CXII.

HAEc Benedicte tibi pius Abba * Monachus
Confeſſor veſter tecta dicata manent.
Turba Monachorum celebrat te ſancta per orbem,
Quorum vita fuit famine ſcripta tuo.
Te quoque ſancta cohors fratrum ſpecialiter iſtic
Aſſiduis precibus laudat, honorat, amat.
Hæc quibus aula patet nocturno tempore ſemper
Hic orare docet, fundere & hic lacrymas.
Horum ſancte pater precibus hic ſemper adeſtor.

CXIII.

TOtius Hieronymus doctor mirabilis orbis,
Cum ſociiſque ſuis, hæc loca ſancta tenet.
Nomina quiſque legas titulis perſcripta piorum,
Hos rogito precibus pronus adeſſe tuis.

CXIV.

GRegorius doctor, paſtor, Patriarcha, ſacerdos,
Romana quondam præſul in vrbe pius:
Hic precor ore ferat fratrum pia vota Tonanti,
Cum patribus quorum hic nomina ſcripta vides.

CXV.

QVi cœli cupit portas intrare patentes,
Sæpius hanc pedibus intret & ipſe ſuis.
Hæc eſt perpetuæ venienti porta ſalutis,
Hoc eſt lucis iter & via iam veniæ.
Hæc domus alma Dei, hic ſunt theſaura Tonantis,
Sanctorum multæ reliquiæque Patrum.
Idcirco ingrediēs deuota mente viator,
Sterne ſolo membra, pectore carpe polum.
Hic Deus, hic ſancti tibi ſpes, hic terra ſalutis.
Sit coniuncta tuo pectore firma fides.

CXVI.

OMnia quæ cernis ſummo renata * decore,
Interius templum exteriuſue ſacrum,
A Angilbertus ouans iam fecit amore paterno
Sanctorum pariter perpetuique Dei,
Non parcens opibus propriis. Nam quidquid habebat
Eccleſiæ larga [illegible]im pietate dedit.
Et tu ſerue Dei veniens ..... inde viator,
Hæc loca percurre pulchra Monaſterij:
Eccleſiaſque Dei deuoto pectore Chriſti
Cerne, de[illegible] varius per pietatis opus.
Semper in ore tuo Chriſto dic maxime laudes,
Talia qui voluit poſſe ſuum famulum.
Dicque, Tuo ſeruo requiem da Chriſte ſupernam,
B Nomine qui fecit hæc ſpecioſa tuo.
Voſque Dei * pro illo intercedite ſemper.
Vt famulum Chriſtus ſeruet vbique ſuum.
Det veniam ſcelerū, æternam tribuatque ſalutem.

*f. deeſt famuli, vel quid ſimile.

CXVII.

HOc opus egregium Fardulfus fecerat Abbas,
Da cui perpetuam mercedem Chriſte precamur.
Hæc eſt alma domus veniæ locus, alma ſalutis.
Hic Deus inhabitat, tribuens pia vota petenti.
C Sanctorum meritis quorum hic ſacra corpora pauſant,
Hoc quoque ciborium Fardulfus fecerat Abbas.

CXVIII.

QVi regit imperio pelagum, terramque, polumque,
Hanc regat ipſe ſuis donis cœleſtibus aulam:
In qua cultus, honor, laudes, & gloria Chriſti
Semper in æternum maneat pietatis amore.

CXIX.

D SVrgite vos fratres, laudes & dicite Chriſto,
Hæc eſt apta domus nocturno tempore vobis.
Peruigiles precibus iam vos inſiſtite ſacris,
Credimus auxilium præſtare petentibus iſtic.
Angelicos cœtus noctis qui tempora ſeruant,
Quique ferant Chriſto fratrum pia vota benignè.
Hic vos inueniant vigilantes ſemper honeſtè,
Atque pia mente regem laudare ſupernum,

CXX.

SVrge precor iuuenis, vigeas dum corpore ſano:
E Et tibi pande viam precibus ad regna polorum;
Nec dederis ſenſus tota rogo nocte ſopore.
Aſſiduus gelidæ ſomnus & mortis imago.
Longa quieſcendi facient tibi facta ſepulchrum:
Artes nam hoſtis habet antiquus mille nocendi.
Peruigil idcirco magnum tibi conde triumphum,
Vt pia te Chriſti conſeruet dextera ſemper.

CXXI.

HIc precibus noſtris Michael Archangelus adſit,

Magnus in arce poli princeps, Chriſtique Magi-ſter. A
Adiuuet ille preces ſanctorum ſemper vbique,
Ille ſuis precibus nos hic conſeruet ab hoſte,
Inuigilare Dei faciet & laudibus iſtic.

CXXII.

Nudus erat hoſpes placeat cui nudus remetũ,*
Atque fauere meo corpore fonte ſua.
Qui piſcis quondam gelidis generauit in vndis,
Nunc calidus homini forte miniſter erit.
Nunc ligno vehitur quondam qui ligna vehebat.
In pratis currens ſtat piger in domibus. B
Dum nudus veniat calidam pius hoſpes in aulam,
Fontibus vt lauet hic ſua membra meis.
Obſecro ne videat, proprios auertat ocellos,
Contexi primi quod rea dextra patris.
Hoc natura docet, hoc & perſuaſit honeſtus,
Vt tibi ſit facies ſemper honeſta puer.

CXXIII.

Presbyter egregius valde & venerabilis abba,
Strenuus actu, opere, pectore, mente pius.
Corpore Fulradus tumulo requieſcit in iſto,
Notus in orbe procul, noſter in orbe pater.
Inclytus iſte ſacræ fuerat paſtorque capellæ,
Hic decus Eccleſiæ promptus in omne bonum.
Hæc domus alma Dei magno eſt renouata decore,
Vt cernis, lector, tempore quippe ſuo.
Iſte pios patres magno dilexit amore,
Relliquias quorum hæc domus alma tenet.
Credimus idcirco cœlo ſocietur vt illis,
In terris quoniam ſemper amauit eos.

CXXIV.

Hic ſit ſub pedibus tibi Maginare magiſtri
Iam ſacra mundanis temporibus requies.
*f. ab. *Te pius ille pater teneris nutriuit ſub * annis,*
Tu quoque ſucceſſor eius honoris eras.
Hoc heu perparuum rexiſti tempus ouile,
Floribus in mediis mors mala te tulerat.
Sed quem Chriſtus amat, illi mors nulla nocebit:
Poſt mortem melius viuit in arce poli.
Moribus in ſuis quapropter viuite Chriſto,
Qui legere vultis carmina noſtra precor.
Obſecro meque piis precibus commendite Chriſto,
*f. ciuis. *Vt merear ciues * vrbis adeſſe Deus.*

CXXV.

Hic pueri diſcant ſenioris ab ore Magiſtri,
Hymnidicas laudes vt reſonare queant.
Auriat os tenerum lymphas deuotè ſalutis,
Forſan in Eccleſia ne ſileat ſenior.
Sunt anni iuuenum habiles addiſcere quicquam,
Vſus in antiquis poſtulat Eccleſiæ.
Inſtruat in ſtudiis iuuenum bona tempora doctor,
Nam fugiunt anni more fluentis aquæ.
Annoſus ſiluis quercus vix flectitur vnquam,
Sed frangit hominis dextra potentis eam.
Nam nec ſenior multis adſueta rapinis
Sub iuga nullatenus fortia colla dabit.
Nec bene namque ſenex poterit ediſcere, per quem
Tondentem in gremium candida barba cadit.
Eſto pius pueris, ſtudioſus & eſto Magiſter,
Vos veſtros pueri ſemper amate patres.
Vt maneat nobis dulcis benedictio Patris,
Et ne nam natus mente tenente duos.

CXXVI.

Hic ſedeant ſacræ ſcribentes famina legis,
Nec non ſanctorum dicta ſacrata patrũ.
Hæc interſerere caueant rea friuola verbis,
Friuola ne propter errat & ipſa manus.
Correctuſque ſibi quærant ſtudioſe libellus,
Tramite qui recto penna volantis eat.
Per cola diſtinguant proprios & commata ſenſus,
Et punctos ponant ordine quoſque ſuo.
Ne vel falſa legat, taceat vel forte repente
Ante pios fratres lector in Eccleſia.
C *Eſt opus egregium ſacros iam ſcribere libros,*
Nec mercede ſua ſcriptor & ipſe caret.
Fodere quam vites melius eſt ſcribere libros,
Ille ſuo ventri ſeruiet, iſte animæ.
Vel noua vel vetera poterit proferre magiſter
Plurima quiſque legit dicta ſacrata patrum.

CXXVII.

Quiſque legens verſus per celſa palatia curris,
Semper habeto Dei nomen in ore tuo.
Et dum lingua pias reſonet per carmina laudes,
D *Ferueat illius pectus amore tuum.*
Dum tu pulchra domus pedibus ſolaria ſcandens,
Immemor haud eſto ſcandere mente polum.
Sol rutilans radiis domibus ſplendeſcit in altis,
Lumine perpetuo Chriſtus in arce poli.
Vt ſol illuſtrat totus præfulgidus orbem,
Sic fulgent ſancti ſemper in arce patris.
Sunt à ſole domus celſæ ſolaria dicta.
A Chriſto ſanctum nomen habemus item.
Si te delectet manibus habitatio facta,
E *Non manibus factam plus tibi quære domum.*
Quicquid in vrbe manus hominis conſtruxerat vnquam,
Omnia nam pereunt in cinereſque ruunt.
Quicquid honoris habet ſancti per gaudia cœli,
Cum Chriſto pariter ſemper habere queunt.
Quo te ducat amor, rapiat, trahat omnibus horis,
Et rape me tecum quæſo tuis precibus.
Sit tibi, ſitque mihi Chriſtus currentibus illuc
Protector, rector, lux, via, vita, ſalus.

CXXVIII.

QVi vim ventorum, pelagi qui mitigat vndas,
Iſrael qui ſeruiet nulli qui dormiat æuo,
Fratribus hac requiem dulci conſeruet in aula,
Et quibus immittit ſomno vis nigra timores,
Compeſcat clemens Domini rogo dextra potentis.
Quique diem ſtatuit homini ſub luce labore,
Noctibus & requiem conceſſit corpore feſſo,
Ad laudemque ſuam faciet conſurgere ſanos.

CXXIX.

LVxuriam ventris lector cognoſce vorantis
Putrida qui ſentis ſtercora nare tuo.
Ingluuiem fugito ventris, quapropter in ore
Tempore ſit certo ſobria vita tibi.

CXXX.

REs eſt mira quidem, vult quam tibi dicere vates.
Letheus iuuenum percuſſit tempora ramus,
Vt hoſpes clauſo patuiſſet limine templi.
Quique poteſt cæco melius hunc cernere viſu,
Senſibus & ſopitis melius proferre loquelas.
Ignotas ſiquidem varias & fingere formas
Cernitur, auditur. fuerat qui tempore nullo,
Noctibus hunc iuuenis toto tibi corde caueto.
Subruit hic ſenſus, bonos & dat tibi ocellos,
Splendida ſtelligeri videas ne lumina cœli,
Iam tuas aut voces doctoris hauriat auris,
Vel pes Eccleſiam nocturno tempore currat.
Huius quæſo caput valido percutere pugno,
Ne tibi cernentes hoſtes excæcat ocellos,
Aut torpore malo ſenſus tibi ſubruat omnes.
Sed tibi collirio viſus infunde ſalutis,
Vt valeas ſigni voces audire ſonantis,
Quod te quippe vocat laudes cantare Tonantis.
Conſere quippe manus, modico dormire memento,
Neue repente tibi veniat præfortis egeſtas,
Vt monet egregio Salomon ſermone legentes.

CXXXI.

NOn rogo dura tibi videatur ſemita fratrum.
Hæc te currente ducit ad Eccleſiam.
Non hic turba ſonat populi, non forte tumultus E
Vos inter nullus hic alienus eat.
Hæc via vos pariter concordi pectore ducat,
Laudibus intentus ad pia laude Dei.
Vnus amor Chriſtus nobis fiat, atque iter vnum,
Ille eſt certa ſalus, ſpes, decus, & charitas.
Non tu ſomnigero vadas torpore per iſtum,
Sed laus alma Dei ſemper in ore ſonet.
Angelus vt tecum cœleſti currat ab arce,
A Dum videat laudes te reſonare Dei.
Te quoque ſociat ſanctorum pectore læto
Gaudentem Chriſti cœtus in Eccleſia.
Relliquiæ quorum multæ conduntur in illa,
Hæc ſuperans minus mille talenta pium.
Speſque fideſque ſimul pariter quapropter in iſtis
Porticibus tecum certa ſalutis erat.
Quod tu nam currens pedibus veſtigia ponis,
Totam mercedem frater habere vales,
Non idcirco tibi videatur hæc via longa
Per hanc cœlorum peruia portet*. *f. porta patet.
B Felix quippe dies tibi qua te ſuſcipit illa,
Illic cum Chriſto regna beata tenes.
Currite vos iuuenes Chriſti properanter in aulam,
Ad laudem Chriſti currite vos iuuenes.
Vnanimeſque ſimul regem laudate ſupernum,
Semper amate Deo vnanimeſque ſimul.
Si nequeas pedibus ſenior, rogo pectore curre,
Mente polum ſcande ſi nequeas pedibus.

CXXXII.

DIſcute torpentes frater tibi pollice ſomnos,
Et contende prior mente ſubire Dei.
C Intra quippe prior templum, ſed tardior exi,
Te Chriſti ducit* atque reducat amor. *f. ducat.
Septies inque die Dominum laudare memento,
Vt pſalmiſta canit Dauid ab ore Dei.

CXXXIII.

EGregius Martyr, Præſul, Chriſtique fidelis,
Hæc loca Lambertus inclita ſactus habet.
Iungitur huic Patri pariter Cecilia virgo,
Virginitate potens, martyrioque ſimul.
D Eccleſiæ fuerat magnus nam paſtor & ille,
Hæc Chriſti regis ſponſa perennis erat.
Hanc humilis abbas Ato iam conſtruxerat ædē,
Dona cui Chriſtus donet in arce poli.

CXXXIV.

QVintinus Martyr pater & Dionyſius arā
Hanc ſeruent precibus ſemper ab hoſte ſuis.
Doctores vitæ meritis viuacibus ambo
Sanguine qui roſeo regna beata tenent.

CXXXV.

HAnc pater egregius aram Filibertus habebit,
Plurima conſtruxit qui loca ſancta Deo.
Huic quoque coniuncta eſt clariſſima Martyr Agatha,
Venerat in thalamum ſanguine virgo poli.

CXXXVI.

MAgnus ab arce Michael Archangelus aulam
Hanc precibus ſemper ſeruet ab hoſte piis.
Quiſque legas verſus pro quo exorare memento,
Pro ſudore breui vt præmia longa legat.

CXXXVII.

SVlpicius Præſul, Paſtor, Patriarcha fidelis,
Auxilium nobis hic ferat iſte pium.
Inclyta Martyrio pariter hic virgo Columba
Defendat precibus tecta ſacrata Deo.

CXXXVIII.

HAc honor ecce tuus Præſul Amãdus in ara
Iam colitur, nobis tu auxiliare pater.
Virgo ſacrata Deo nec non veneratur Agatha,
Hic ſimul hæc nobis auxiliumque ferat.

CXXXIX.

QVam dilecta Deus tua ſunt mihi templa Sabaoth,
Virtutum Dominus rex meus atque Deus.
Te pater alme meum cor, te caro quærit vbique,
Tuque Deus viuus grandia magna mihi.
Quique tuis tectis habitant ſunt valde beati,
Et reſonant laudes hi tibi perpetuas.
Hic mihi quæſo donum tribue mitiſſime paſtor,
Vtque tuas laudes hic ſine fine canam.

CXL.

HAnc Leuita Dei meritis Laurentius ædem
Inclytus exornet Domini iam plenus amore,
Quem nec flamma vorax vicit, nec vincula, ferrum,
Per gladios, ignes, cœlum conſcendit in altum.
En Dei famulus faciens ſuffragia ſemper,
Adiuuat atque ſuos cultores credimus inde.

CXLI.

HIc quoque ſanctorum pauſant duo corpora patrum,
Elidius Præſul Pictenſis gloria plebis,
Incluſuſque pater meritis Leonius almis.
Arnulfus frater templum renouauerat iſtum,
Præmia cui Chriſtus tribuat per ſecla ſaluti.

CXLII.

PEtrus Apoſtolicus princeps pius adiuuet hic nos,
Cuius honore ſacro conſtat hæc tecta dicata,
Qui ſibi commiſſum paſtor conſeruat ouile,
Protegat atque regat donis cœleſtibus illud,
Perpetuas nobis & portas pandat Olympi.

A

CXLIII.

HIc locus hoſpitibus pateat, * veniat vltro,
Semper erit quoniam ſuſceptus in hoſpite Chriſtus.
Sitque miniſter ouans feſſo ſeruire vianti,
Et lauare pedes peregrinis gaudeat ille.
Hæc exempla dedit Chriſtus pietatis amator.
Ille prior plantas lauauit diſcipulorum,
Hæc faciens frater ſperet ſibi præmia magna
In cœlis tribui, Chriſti præcepta ſecutus.
Semper amate Deum fratres, & voſmet amate.
B Diligit ille Deum verus qui eſt fratris amator.

CXLIV.

POntificalis apex præclarus in orbe ſacerdos,
Virtutum meritis Martinus maximus auctor,
Hæc ſacrata ſibi defendat tecta patronus:
Adiuuet atque preces noſtras pietatis amore,
Vt Deus omnipotens famulorum vota ſuorum
Impleat, & donis cœleſtibus augeat illos.
Sit pius & clemens nobis rex optimus ille.
C Hoc quoque iam pulſat præſul Gelaſius almus
Clarus in vrbe pater, præſente & doctor honeſtus
Præcipuus meritis, viuax ſermone ſalutis.
Hanc renouauit enim iam Gundunmepribus aulam
Ductus amore patrum, tribuat cui præmia Chriſtus
Mitis in æternum felici in ſede polorum.

CXLV.

HAEc loca quæ cernis Lector venerabilis aulæ,
D Partibus Eccleſiæ fuerant Eccleſia quondam.
Sed pater & paſtor ſupplex Ato ſuſtulit iſta,
Et terris quoniam nimio dilexit amore.
Virgo Maria Dei genitrix tu intacta Tonantis,
Tu regina poli, vitæ ſpes maxima noſtræ:
Vt tibi cultus honor fieret memorabilis iſtic,
Tu quoque reſpiceres ſolita pietate precantes:
Hic famulas famuloſque Dei mitiſſima virgo
Tu precibus noſtris ſemper clementer adeſto,
Atque dies noſtros precibus rege ſemper vbique,
Vt nos conſeruet Ieſu pia gratia Chriſti.

E

CXLVI.

CHriſte Deus noſtra benedic conuiuia menſæ,
Quæque tuis ſeruis mitiſſime dona dediſti,
Per te ſint benedicta quidem. Tu largitor almus,
Omnia tu dederas nobis iam quicquid habemus,
Sunt bona quippe tua, quia tu bonus omnia condis.
Vos quoque conuiuæ laudes rogo dicite Chriſto.
Semper in ore ſonent pacis verba ſalutis,
Semper amat pacem Chriſtus qui dixerat ipſe.

Do

[illegible] vobiſque meam pacem, pacemque relinquo.
[illegible] quoque noſtra manus miſeris largiſſima ſemper,
Accipit hoc Chriſtus dederis tu pauperi quicquid,
Et tibi non tardat mercedem reddere magnam.

CXLVII.

AT requiem nocti dederas, lucemque labori,
Proſpera cõſeruas famulis noctéſque dieſque.
Ad te cor vigilet, ſomnum ſi claudat ocellos,
Te labor & requies conlaudent omnibus horis.

CXLVIII.

FRigidus hiberno veniens de monte viator
Non mea diſpliceat hoſpita tecta rogo.
Si mea [illegible] tibi cupias nimboſe viator,
Da prior ecce tua, ſic tibi prende mea.

Hæc eſt ſancta domus, pacis locus, aula ſalutis,
Quam ſuper hos ſemper maneat benedictio Chriſti
In qua multiplici & fratrum conuiuia largus,
Qui quondam populi cœleſti munere diues
Panibus ex quinque ſatiauit millia quinque.

CXLIX.

HAc duo germani Coſmas, Damianus in ara
Iunguntur ſiquidem ſemper honore pari,
Quas terris genuit vno de viſcere mater
Par genuit fratres martyriumque polo.

CL.

HVius hic pauſat præclarus Epiſcopus vrbis
Nomine Ioannes vir pius atque bonus.
Hic requieſcit Aper huius venerabilis Abbas,
Eccleſiæ paſtor promptus in omne bonum.
Sed pedibus populi fuerunt calcata ſepulchra,
Nec paries cinxit vt decuit patribus.
*Ocato * non ſufferat Aperi ſucceſſor honoris,* *Hic Ato.
Corpora calcari ſacra patrum pedibus.
Sed monumento breui placuit concingere muro,
Peruia ne populi buſta forent pedibus.
Addidit & noſtræ ſtatim pia ſigna ſalutis,
In quo Saluator victor ab hoſte redit.
Inſuper altare ſtatuit venerabile Chriſto,
In quo pro patribus hoſtia ſacra foret.
Vt Deus omnipotens requiem concederet illis,
Cum ſanctis pariter ſemper in arce poli.

CLI.

GEruaſius Martyr ſimul atque Protaſius almus
Hac duo germani pariter venerantur in ara:
Quos tulit vna dies terris ſimul vnaque cœlo,
Martyrio ſimiles, ſimiles feruore fidei.

A

CLII.

POrta domus Domini hæc eſt, & regia cœli,
Hæc tibi pandit iter ſancti & ſacraria templi:
Quam mox inuenies magnos requieſcere patres:
Sit tibi ſpes precibus horum præclara ſalutis,
Si tuo corde pio proſtrato & corpore poſcis
Qua Chriſto ſcelerum veniam peccator habebis.
Nullatenus dubius ſacri tere limina templi.
Omnia credenti præſtat pia gratia Chriſti.
Fecerat has valuas aræ pius Abba miniſter,
Vt mandauit Ato fratrum venerabilis Abbas,
Ingrediens templum pro quo intercede viator,
B *Vt Deus omnipotens illum conſeruet vbique.*

CLIII.

DIſcipulus Chriſti verus primuſque ſecutor
Hæc regat Andreas tecta ſacrata ſibi.
Adferat auxilium nobis habitator Olympi,
Vt noſtræ ad Chriſtum perueniant lacrymæ:
Exaudire pius cœleſti Chriſtus ab arce
Dignetur famulos ſemper vt ille ſuos.

C

CLIV.

HAc quoque præſenti Præſul requieſcit in aula
Fortunatus enim vir decus Eccleſiæ:
Plurima qui fecit Sanctorum carmina metro,
Concelebrans ſanctos laudibus hymnidicis.
Qui ſermone fuit nitidus, ſenſuque fidelis,
Ingenio calidus, promptus & ore ſuo.

CLV.

NObilis hac Stephanus colitur protomartyr in ara,
D *Vim faciens cœlo dum prior aſtra petit.*
A terra ad cœlum lapidum ſibi grandine ſcala
Hæc erat, vt Chriſtum cerneret arce poli.

CLVI.

HOc altare tenet Chriſto ſiniſtra Ioannes,
Qui ſuper in cæna pectora ſancta cubat.
Qui ſecreta poli fonte de ſacro bibebat,
Hanc totam precibus protegat ille domum.

E

CLVII.

VIrginibus ſacris hoc altare dicatum,
Corpora nam quarum templa fuere Deo.
Sanguine vel roſeo cœli qui regna tenebunt,
In fragili ſexu fortia bella gerunt.

CLVIII.

MArtyribus mundum quinam vicere triũphis
Omnibus hæc præſens ara dicata micat.

Per gladios, ignes, & per tormenta, flagella,
Mentibus intrepidis regna beata petunt.

CLIX.

HAEc diruta quidem renouauit templa ſacerdos
Gunuinus magno ductus amore Dei,
Iuſtitiæ cultor, vitæ melioris amator,
Prouidus ingenio, cautus in eloquio.
Reddat in æternum amoti cui præm... Chriſtus
Illius hic corpus pauſat in hoc tumulo.

CLX.

ANgelus è cœlo veniens comitetur euntes,
Semper abito tuas dulcis amice vias.
Te mea mens ſequitur magno cum cordis amore.
Exoptans animo proſpera cuncta tibi.
Qui mihi te frater Chriſtus conceſſit amicum,
Conſeruet ſanum Chriſtus vbique mihi.
Efficiens citius pariter natumque parentem,
Congaudere ſimul proſperitate bona.
Quod modo non vidi tete, dulciſſime frater,
Conteſtor verè cor dolet hoc nimium,
Quam prope neſciui te nos ſpectando maneres,
Nunc niſi gaudens non mihi dixit homo.
Me tamen ecce precor præſentem ſemper habeto,
Vt te præſentem ſemper habebo pater.
Sit tibi ſitque mihi præſens Deus omnibus horis,
Sit pius & clemens gloria, vita, ſalus.
Quos charitate pia terris coniunxit amicos,
Gaudentes pariter iungat in arce poli.
Hos rogo verſiculos tecum fer frater amice,
Sis memor Albini vt ſemper amice tui.
Per campos, colles, ſiluas, & flumina pergens,
Semper iter Chriſtus protegat ecce tuum.
Sanctorum precibus ſemper ſine fine valeto,
Et nunc & ſemper dulcis amice vale.

CLXI.

CVrre viam frater anguſtam tramite, pulchrā
Quæ te ſubtectis Domini deducat in aulam.
Nec tibi forte pedes cœno ſordente reſpargit
Nec cæruleus crines infunderit imber,
Nec vis ventorum turbat, nec grando procellis:
Nec timor vt tollant veſtes, nec fauce latrones,
Nec leo, nec tygris, aper ambo viſuntur:
Vel coluber, regulus, ſerpens proſternit euntem.
Sed bene ſecurus poteris percurrere ſtratam.
Laus diuina tibi reſonet quapropter in ore,
Vtque pium placido Chriſtum tu pectore porta.
Ille tuos greſſus, ſenſus & verba gubernet,
Dux viæ, rector, amator tibi ſit, protector vbiq;
Incolomem ducat te teque reducat euntem.

CLXII.

HAnc Magnulf humilis camerā cōſtruxerat
Abbas,
A *Vt dulcis patribus fieret habitatio ſanctis*
Quos ſeruire duret benedictio Chriſtus in æu[m]
Vt locus iſte foret iam iam legentibus aptus,
Vt lux præuidit fulgens radiaret in illam,
Et domus orandi fieret quam proxima Chr[iſto]
In qua ſecretò potuiſſet tempore ſolus
Ante altare iacens lachrymas effundere dulc[es]
Tunc te ſancte precor huius tu paſt... [illegible]
Vt quæ inter memores Magnulfū verba prec[es]
Illius atque animam commendes .... Chri[ſto]
Quæ tibi iam talem ad habitandum ſtruxera[t]
Tu quoque viue Deo felix per tempora long[a]
B *Ad normam regulæ fratrum quoque corrige*
Vt tibi celſithronus tribuat pia præmia. Chri[ſtus]
Cum ſancto pariter benedicat patre per æuu[m].

CLXIII.

EMpſerat hanc menſam Magnulf [illegible] Abbas,
Atque emptam patri Benedicto tradidit illam,
Vt foret emptori cum Patre in ſecula merces.
Hanc tamen Eccleſiam ſacrari iuſſerat ille
Clauigero cœli Petro iam principe magno,
Atque pij pariter Benedicti nomine Patris,
C *Illius vt regerent precibus per ſecula vitam,*
Atque animæ requiem cogitaſſent ambo perennē.
Tu quoque qui titulum recitas rogitare memento.
Obſecro pro patre Magnulfo lector amice,
Te quoque conſeruet Chriſti clementia ſemper.
Protegat atque regat clementer hæc loca Chriſtus.
Laus, honor, virtus iſtic ſit ſemper & illic.

CLXIV.

POntificalis apex, Paſtor, Patriarcha, Sacerdos,
Angeli ramnus quās, fretus pietate magiſtra,* *Angil-ramnus.
Martyris egregij NABORIS *deductus amore,*
D *Cœperat intentus ſacro veſtire ſepulchrum*
Auxiliante pio Karolo per munera rege.
Ne compleret opus rapuit mors improba patrem.
Poſt Leuita humilis vas compleuerat illud.*
Qui legitis verſus ambos commendite Chriſto,
Vel quicumque ſua venerit hic ſoluere vota
Cum patre diſcipulum verbis memorare benignis.
Incipit ille prior, ſed iam perfecerat iſte.
Vnum opus amborum Chriſtus conſeruet vtroſq;.
Et tu ſancte Dei Martyr inuicte triumphis
Auxiliare tuis paſtor pater optime ſeruis.

E

CLXV.

BIs ſeptena tibi direxi carmina vaſco,
Tu quia miſiſti butriſtas vt quoque binas:
Bis puto ſeptena caliges tam forte tenentes,
Et bis ſeptenas habeas per carmina grates.
Sed rogo nos memora precibus noſtroſque parētes,
Quorū nāque vides & ſcripta hinc nomina ſed[e]
Semper in æternum valeas ..... carmina vaſ[co]
*Fel * venit ad Flaccū hūc me benedicat bucca Ma-*
Hodie ſi placet Virgiliace puer. (ronis

CLXVI.

QVi legat Alchuinum dicat, rogo Chriſte tuere,
Vos dilecta cohors patris generoſa propago,
Accipite hunc fratrem miſi quem mente benigna.

CLXVII.

HAs tibi ſancte puer Benedicti Maure Camœnas,
Albinus vates verſiculis cecinit:
Valde optans animo tibi proſpera cuncta fideli,
Vt felix viuas ſemper vbique Deo.
Pro quo funde preces ſolita pietate Tonanti,
Conſeruet famulum vt Chriſtus ab hoſte ſuum.

CLXVIII.

TV quoque non meritis, criſpis ſed calue capillis
Vt valeas, vigeas tempus in omne precor.
Dum lacrymas Domino Benedicti fundis in aula,
Sis memor Albini dulcis amice tui.

CLXIX.

TV quoque Naue vale, maior tibi mente fideli,
Inter ſacra precor verba memento mei.
Paruula nilque nocent librorũ membra miniſtra
Si mens alta petit grandis amore Dei.

CLXX.

VOſque valete viri fratres, patreſque fideles;
Vos Deus omnipotens protegat atque regat.
Vos mandata Patrum tota virtute priorum
Conſeruate precor pectore, mente, manu.
Obſecro meque piis precibus commendate Chriſto,
Vt ſcelerum veniam donet vbique mihi.

CLXXI.

O, Benedicte vale, Monachorum maxime paſtor,
Quos generas verbis hos rege iam precibus.
Iudicis ante thronum doctorum quiſque cohortes
Deducet, proprios quos genuit Domino.
Tũc quoque tu monachos deduxeris ante tribunal
Celſithroni regis almi-pater proprios;
Auxiliare tuos precibus quapropter vbique,
Grex numero creſcat paſtor amate tuum.
Iam gregis ex numero paſtoris gloria creſcit,
Conſerua meritis ecce tuos famulos.

CLXXII.

HAc ſedit arce Deus iudex genitoris imago,
Hic Seraphim fulgent Domini ſub amore calentes.
Hic inter Cherubim volitant arcana Tonantis.
A Hic pariter fulgent ſapientes quinque puellæ,
Aeterna in manibus portantes luce lucernas.

CLXXIII.

CLauiger æthereus portas qui ſeruat olympi,
Petrus Apoſtolicꝰ, Princeps & Paſtor ouilis:
Perpetui Regis ſibimet hæc contecta * dicata eſt *ara
Aſſiduis precibus totum conſeruet in æuum.

CLXXIV.

B VIrgo Maria Dei genitrix caſtiſſima virgo,
Lux & ſtella maris, noſtræ regina ſalutis:
Hanc aram meritis ſemper viuacibus ornet,
Quæ ſacrata ſuo condigno conſtat honore.

CLXXV.

NOmine namque tuo doctor clariſſime mũdi,
Paule Deo, Chriſto, cœlo vocatur ab alto:
Hæc præſens titulis vitæ ſacrabitur ara,
In qua magna ſalus veniet ſpes certa ſalutis.

CLXXVI.

C ISta domus Domino Chriſto, ſanctiſq. dicata eſt
Ardentis Iuli quinis & Idibus olim.
Hanc pius archipater Metenſis gloria plebis
Hrogandus præſul magno ſacrauit honore.

CLXXVII.

SEruulus ecce tuus Richarius inclite paſtor
Hæc tibi conſtruxit paruula tecta pater.
Semper honoris ero magno pietatis amore
Deuotus vere cultor vbique tui.
Tu prior in gremium mundi de fluctibus almum
Dante tuum Chriſto me miſerum tuleras.
Nutriſti, & tenerum ſacro me lacte ſalutis
D Os fragile inſtituens cantibus egregiis.
Te quapropter amatoris * pater optime votis, *ſ. amo totis
Exoptans, vt me tu quoque ſemper ames.
Perfice quod de me cœpiſti mente benigna,
Atque tuum famulum redde tuo Domino.
Tu quoque virtutum meritis mihi ſancte ſacerdos
Elegius precibus auxiliare tuis.
Tu modo magna potes cœleſti in ſede per illum
Te bona qui in terris plurima poſſe dedit.
O patres ſancti, ô clariſſima lumina mundi,
Spes vitæ & veniæ vos mihi certa ſalus.
E Ante pedes veſtros lacrymis perfuſus amaris
Hic iaciens vitæ crimina plango meæ.
Sæpius & feriens nimium rea pectora pugnis,
Et peccata pio confiteor Domino.
Vos mihi nunc miſero mites eſtote patroni,
Criminibus veniam poſcite quæſo meis.
Magna reor vobis reſtat laus, gloria, merces:
Seruulus vt veſter in nece non pereat.
Quiſque legat titulum dicat precor Angilberto,

Pauperis ô miſeri Chriſte memento tui.
Sit benedicta domus hæc per te Chriſte precamur,
Vt veniant ſeruis hic tua dona tuis.

CLXXVIII.

POſtquã primus homo paradiſi liquerat hortos,
Et miſeras terræ miſer adibat opes:
Exilioque graui pœnas cum prole luebat,
Perfidiæ quoniam furta maligna gerit:
Per varios caſus mortalis vita cucurrit,
Diuerſoſque dies omnis habebat homo:
Fatali curſu miſcentur triſtia lætis,
Nulli firma fuit regula lætitiæ.
Nemo dies cunctos felices ſemper habebit,
Nemo ſibi ſemper gaudia certa tenet.
Nil manet æternum celſo ſub cardine cœli,
Omnia vertuntur temporibus variis.
Vna dies ridet, caſus cras altera planget,
Nil fixum faciet teſſera læta tibi.
*Proſpera conturbat, ſors tribus * impia ſemper,*
Alternis vicibus vt redit vnda maris.
Nunc micat alma dies veniet nox atra tenebris:
Ver floret gemmis, hiems ferit hocque decus.
Sidereum ſtellis culmen depingitur almis,
Quas nubes rapiunt imbreferæ ſubito.
Et ſol ipſe die media ſubducitur ardens,
Cum tonat vndoſi Auſter de vertice poli.
Sæpius excelſos feriunt & fulgura montes,
Summaque ſiluarum flamma ferire ſolet.
Sic maior magnis ſubito ſæpiſſimè rebus,
Et veniet caſu forte ruina malo.
Hæc exempla dedit periturus & vndique mũdus,
Diuitiis florens, qui perit in pelago.
Voce Prophetarum partes per quatuor orbes,
Iam prædicta vides ſubruta regna modo.
Nobilis vrbs regno & prima potentia regum
Perdidit ô Babylon Chaldea regna potens.
Egregium bello & magnis te Perſi triumphis
Obruit heu iaculis femina ſola ſuis.
Victorem mundi medio ſors ecce ſecundis
Rebus Alexander India flore tulit.
Roma caput mundi, mundi decus aurea Roma
Nunc remanet tantum ſæua ruina tibi.
Gloria caſtrenſis gladiis æquata remanſit,
Lutea pars digitum ſola videtur iners.
*Quid te ſancta canam Dauid * inclita regis*
In mundo nullis æquiparanda locis?

*f. deeſt Vrbs.

In te templa, Dei cultus, laus, gloria, virtus.
In te manſit ouans ſancta propago Patrum.
Dum tua quis teneat lacrymas nũc vltima cernit,
Gens inimica Deo iam tua tecta tenet.
Heu Iudæa tuis habitator in vrbibus errat
Rarus, in antiquis laus tua tota perit.
Nobile iam templum toto & venerabile in orbe
Quod Salomon fecit Caldea flamma vorat.
Deicit hoc iterum Romana potentia bellis,
In cineres ſoluens mœnia tecta diu.
Ecce relicta domus Siloë per ſecla remãſit,

A *In qua ſancta Dei archa potentis erat.*
Sic fugit omne decus hominis quod dextera
Gloria ſeclorum ſic velut vmbra volat.
Vt ſitiens liquidas fruſtra ſibi ſomniat vnda
Sit gazas mundi diues habebit inops.
Tempora cur tantum lucta longinqua retex
Et veterum miſeros carmine plango dies
Dum præſens dies patitur peiora pe
Et miſera mundus nunc ditione dolet.
Aſia lata gemit paganis preſſa catenis,
Quam premit & ſpoliat gens inimica D
Africa iam ſeruit pars magni tertia mundi,
B *Proh dolor! heu tota peſtiferis Dominis.*
Heſperiæ populus quondam gens inclita bel
Inuiſis ſceptris ſeruit & ipſa modo.
Quicquid habent pulchri Domini vel tẽpla
Vaſtauit, rapuit ethnica dextra ſibi.
Hoc generale malum releuet ſpeciale per orbem
Quod patitur ſolus quiſque ferat leuius.
Iam domus alma Dei princeps qua corpore pauſat
Petrus Apoſtolica primus in arce pater,
Perfidiæ manibus fertur vaſtata fuiſſe,
Dum precioſa domus impia dextra tulit.
Planxerat Italia Gothorum tempore tuto
C *Vaſtauit templa hoſtis vbique Dei.*
Et natat effuſus Sanctorum ſanguis in aula
Qua primus almus honor omnipotentis erat.
Hunorum gladios ter ternis ſenſerat annis
Gallia tota ſuis expoliata bonis.
Eccleſias, vrbes, vicos, caſtella ſacratus
Cum populis pariter ignis edax rapuit.
Talia cur Ieſus fieri permittis in orbe
Iudicio occulto, non ego ſcire queo.
Alia vita tuis ſeruatur in arce polorum,
Qua pax alma viget, prælia nulla fiunt.
Aurum flamma probat, iuſtos tentatio mundat,
D *Purior vtque anima ſidera celſa petat.*
Hæc eſt vita viro iuſto tentatio tota,
Auribus vt cecinit pagina ſacra tuis.
Quemque pater natum puro complectit amore,
Sæpius huic triſti dura flagella dabit.
Sic Deus omnipotens ſanctos per ſæua probauit
Verbera, poſt reddens præmia læta polo.
Non vos conturbat ſancti inconſtantia fratres,
Hæc mundana quidem gurgitibus variis.
Sic fuit atque fiet ſecli verſatilis ordo,
Lætitiæ numquam ſit cui certa fides.
Qui iacet in lecto quondam certabat in agris,
E *Cum ceruis quoniam feſſa ſenectus adeſt.*
Qui olim Sirano lætus recubabat in oſtro,
Vix panno veteri frigida membra tegit.
Longa dies oculos atra caligine claudit,
Soliuagos atomos, quæ numerare ſolet.
Dextera quæ gladios quæ fortia tela vibrabit,
Nunc tremet atque ori porrigit ægrè cibum.
Clarior ecce tuba ſubito vox faucibus hæſit
*Auribus appoſitis murmura lapſa * ciet.*
Quid iam plura canam? marceſcit tota iuuentus,

[illegible] que cadit corporis omne decus.
[illegible] n vacua vix oſsibus hæret,
[illegible] cit homo propria membra ſenex.
[illegible] erit, nec erit ipſe quod ipſe.
[illegible] ſuus temporibus variis.
[illegible] es mentes mutabit & artus,
[illegible] iam melior proficiat meritis,
[illegible] tius cœleſtia ſemper amemus,
[illegible] polo, quam peritura ſolo.
Hic [illegible] pus, nil non mutabile cernis.
Illic [illegible] s ſemper erit quod erit.
Quo [illegible] cius mentem rogo dirige lector,
Illic [illegible] s quod cupiet tibi cor.
Quo [illegible] nquam fallit ſpes aduena mundi,
[illegible] riam quam tuus optat amor.
Inuenies [illegible] os illic bona gaudia vitæ
Perpetu[illegible] uæ tu ſemper habere potes.
Læt[illegible] æternum Chriſto ſociabere ciues
Ille manet ſemper, tu quoque ſemper eris.
Quid tu pertriſtis aurum te perdere plangis?
Eſt auro melius lucrifacere Deum.
Quid ſpecies vanas lacrymoſis nate querelis
Perſequeris? hæc tu cur paritura cupis?
Talia iam mundi non Chriſti luget amator,
Sit rogo non aurum, ſit tibi Chriſtus amor.
Ad vos, ô fratres, vertam mea cura Camenas,
Alloquar & paucis vos modo verſiculis.
Vos regale genus ſobolis veneranda parentum
Sanctorum, qui vos iam genuere Deo.
Illorum bibulas meritis cœleſtibus aures
Nunc adhibete pio pectore, mente, manu.
Vt ſanctum precibus conſeruet ſemper ouile,
Pectore concordi quod ſtatuere Deo.
Horrida non frangat veſtras temptatio mentes,
Impia quam vobis geſsit iniqua manus.
Sed magis ad ſtudium vitæ melioris abundet,
Incitet & mentes ſemper adeſſe Deo.
Erigit alliſos qui vulnerat atque medetur:
Qui ferit atque ſanat, conterit atque leuat.
Nocte dieque ſimul precibus inſiſtite ſanctis,
Vt vos conſeruet Ieſus vbique pius.
Et ſi quæ placeant concordi addiſcite corde,
Atque implete manu quod pia mens cupiat,
Sic tandem vobis clypeus deſcendit ab alto,
Et Domini dextra proteget atque reget.
Vos eſtote patrum memores, qui ſemper ab alto
Venerat, auxilium dante Tonante pium.
Iam Moyſes melius precibus quã exercitus armis
Extendens palmas prælia ſacra regit.
Plurima pro lacrymis ſternuntur millia morte
Ezechiæ regis peſtiferi populi,
Huic quoq. ter quinos clemens Deus addidit annos
Pro prece quam moriens fundit ab ore Deo.
Vobis nota canam fratres, quæ fecerat olim
Eccleſiæ noſtræ pontificalis apex.
[illegible] egregij precibus ſe flamma retorſit,
Ledani quondam Bebban ab vrbe procul.
Compoſuit precibus Eadbert minitantia mortem
A Flabra pius Præſul veſter & ipſe pater.
Magnus & ipſe pater præſul paſtorque ſacerdos
Cudbertus veſtræ iam decus Eccleſiæ.
Quanta piis precibus Domino donante peregit,
Non opus eſt noſtris dicere verſiculis.
Dum prius heroicis præclarus Beda Magiſter
Verſibus explicuit indita geſta Patris.
Laudibus ac celebrat quem tota Britannia crebris,
Et precibus cogitat ſe auxiliare piis.
Hij ſimul atque alij, ſi ſi præcepta tenetis,
Illorum fixos * eſt ſemper amore Dei.
Inſtanter precibus veſtrum tueantur ouile,
B Hoſtibus expulſis mœnia veſtra fauent.
Poſteriora vobis meliora prioribus eſſe,
Legiſtis fratres, ſic quoque veſtra fient.
Sin Dominum ſperatis * pectore qui poſt
Iam maiora ſolet verbera dona dare.
At tu ſanctorum præſul ſucceſſor auorum,
Qui paſcis populum, qui loca ſancta tenes:
Es magnus vt videor curarum pondere preſſus,
Quod tum dira fuit tempore plaga tuo.
Tecum plango tuos caſus, Kariſsime frater,
Ora fluunt lacrymis, pectora mœſta dolent.
Sæpius ingeminans tanto ſub murmure mecum,
Omnibus heu quam ſit illa dolenda dies;
C Qua pagana manus veniens à finibus orbis
Nauigio ſubitò littora noſtra petit.
Expolianſque patrum veneranda ſepulchra duorũ
Nec non fœdauit templa dicata Dei.
Atque Dei Chriſti mundiſsima vinea Sorech
Vulpinis ſubitò dentibus eſca fuit.
Et lapides ſubito pereant altaria circum,
Quapropter cithara plus gemit ecce mea.
Victima facta fuit Domino quæ ferre ſolebat
Munera, credo pium munus & ipſe fuit.
Felix ipſa dies illis ſi triſtia nobis
Pectora feciſſet: ſic petiere polum.
Et ſanctis ſocij factis ſic ſanguine ſacro,
D Qui ſe ſub Chriſto ſubiiciunt gladiis.
Hos puto quapropter nobis non eſſe gemendos,
Quos melior cœlo vita ſibi rapuit.
Deſine quapropter lacrymis hos plangere præſul,
Quos ſibi perpetuo Chriſtus habet ſocios.
Teque magis facias tota virtute paratum,
Vt quo peruenias triſtia nulla fiunt.
Indita perpetuam præſtat patientia vitam,
Vt vos * veridica promiſerat ipſa Dei. * f. voce
Fer patienter onus Chriſti tu triſte ſacerdos,
Iob exempla dabit motor & ipſe tibi.
E Miles & Eccleſiæ Paulus per mille triumphos,
Qui ſua non doluit vulnera mente potens.
Quis ſine vel miles capiat certamine palmam,
Bella nefanda dabunt præmia magna ſuis.
Per gladios, mortes, peſtes, per tela, per ignes,
Martyrio ſancti regna beata petunt.
Stemmate iam gaudet belli, qui ſtemmate vincit,
Prælia poſt terræ regnat in arce poli.
Si quid diſplicuit Chriſto, iam cuncta videnti

Moribus in veſtris corrigite hoc citius.
Vt pius egregium conſeruet paſtor ouile,
Ne rapidis capiat hoc lupus inſidiis.
Non eſt quippe Deus pœnis culpandus in iſtis,
Sed noſtra in melius vita ferenda citò.
Et pia flectenda eſt precibus clementia noſtris,
Quatinus à nobis transferat ipſe plagas:
Atque ſuis clemens præſtet ſolatia ſeruis,
Tempora concedens proſpera cuncta quibus.
Hymnidicas læta laudes & mente canamus,
Celſithroni cuncti ſemper vbique ſimul.
Laus cui, cultus, honor, virtus, benedictio, carmen,
Semper in æternum gloria magna Deo.

CLXXIX.

HAec præcepta legat deuot⁹ & impleat actu,
Virtutum titulis vitam qui quærit honeſta,
Vel homines inter cupiat præclarus haberi,
Vel morum meritis cœleſtia regna mereri,
Atque Deo Chriſto ſocius ſine fine videri.
Impleat ipſe Dei qui vult ſua vota venire,
Viue Deo fidens Chriſti præcepta ſecutus,
Sint tibi diuitiæ diuinæ dogmata legis.
Corporis exuperat vires prudentia mentis.
Omnibus eſt mundi melior ſapientia gazis,
Semper amanda quidem rerum doctrina bonarũ.
Optimus eſt animus Chriſti veſtitus amore.
Dæmonis aduerſus magna eſt oratio virtus.
Vt moneas charum noli deſiſtere amicum.
Morbi cauſa mali nimia eſt quæcunque voluptas.
Tu dare ne claudas palmas & prendere pandas.
Semper in ore tuo reſonent bona verba ſalutis.
Ne rogo vindictam tua mens meditetur amaram.
Sint tibi pacifici magna dulcedine mores.
Quiſque dies vitæ eſt velut vltimus ecce putandus.
Quod dare non cogitas noli promittere verbis.
Qui prodeſſe poteſt non eſt fugiendus amicus.
Hoc teneas, ſtudeas vitiorum vincere turmas.
Te ferat ad cœlum quadriga repleta triumphis.
Lingua ſuos habeat frenos in corde ligatos.
Vir bonus eſſe nequit, niſi qui ſit omnibus æquus.
Qui ſcelera abſcondit, veniam non forte meretur.
Qui bona diſſueſcit, mox hic conſueſcit iniqua.
Non tu quæſo iocis lædas nec carmine quemquam.
Sæuius auditu fueris quam voce ſodalis.
Sit ſeruus mentis venter, ſit ſerua libido.
Non perdit pietas quicquid largire videtur.
Non opibus vana fama datur, ſed moribus almis.
Fac ne te merito verbis derideat alter.
Pro miſero miſerans lacrymas effunde ſodalis.
Eripe ſi valeas, non ſuggere tela furenti.
Sæpe nocet puero miſeratio blanda magiſtri.

A *Ignotum noto numquam proponis* * *ami[illegible].*
Omnia quæ dicunt homines tu credere noli.
Non ſibi quis viuit, Chriſto ſed viu[illegible]t v[illegible]
Non tua, ſed Chriſti quæras qui dilig[illegible] illu[illegible]
Non te, non mun[illegible]um, Chriſtum ſed a[illegible]
Cum ſapiente loquens præpaucis vtere verbi[s]
Nil tituli proſunt, quibus eſt mens cæca vi[illegible]
Diuitis opprobrium gemitus eſt pa[illegible]er[illegible]
Plurima diſcentis ſemper ſapientia creſ[c]it.
Iudicium reſtat cunctis certiſſime ſactis.
Aduenit iudex cunctis qui iuſta rependet.
Inclita perpetuam præſtat patientia vitam.
B *Te ſeritate magis faciet moderatio clarum*
Egregios faciet mentis conſtantia mores.
Conſilio facias rogo ſit tibi quicquid agendu[m]
Omnis quippe ætas alio ſub faſce laborat.
Vera quidem veterum iuuenis magna carere
Felix qui cauſã loquitur prudentis in aur[illegible]
Tantũ verba valent quantum mens ſentiet illa.
Omnibus eſt locuples qui non inhabundat amicis.
Difficile inuenies, vnquam qui fallat amicus.
Moribus egregiis facies tibi nomen honeſtum.
Nemo quidẽ plures habuit quam expedit amicis,
Cui prodeſt ſcio qui non prodeſſe probatur.
Sola fides ſidei dono donabitur almo.
C *Te via non animi torquentis cura fatiget.*
Res ſeuera quidem ſemper declarat honeſtè.
Quid peius quàm ſe iungat habitator iniquis?
Actibus aut verbis noli tu adſueſcere prauis.
Eſt non eſſe quidem ſatius quàm viuere prauè.
Mens bona theſauros præcellet munere cunctis.
Vitam quippe tuam tota virtute tuere.
Omnia pro vita ſunt amittenda tuenda.
Præmeditata quidem leuius ſufferre valebit.
Quæ ſubito adueniunt multo grauiora videntur.
Gaudia ſunt populi rector pius atque benignus.
Mors aliena monet propriæ nos mortis vbique.
Felix alterius cui ſunt documenta flagella.
D *Præmia non capiat ingrato qui bona præſtat.*
Sit tibi carus homo vt frater, Deus vt pater alm⁹.
Omnis paulatim letho nos applicat hora.
Ante diem mortis nullus laudabilis exſtat.
Quælibet ex fructu cognoſcitur arbor in ore.
Doctor erit magnus factis qui quod docet implet.
Quod tibi vis fieri alio præſtare memento.
Pauperibus iuſtis cæleſtis gloria reſtat.
Quod tibi non optes alio ne feceris vlli.
Aequum pondus habe, teneas & ſtatera iuſta.
Non tibi ſit modius duplex, nec ſtatera dupla.
E *Corripe prudentem, reddatur gratia verbis.*
Si tu recta facis, ne cures verba malorum.
Vtile conſilium Dominus non deſpice ſerui.
Inter conuiuas fac ſis ſermone modeſtus.
Cum quid peccaris caſtiga te ipſe ſubinde.
Vulnera dum ſanas dolor eſt medicina doloris.
Diuitias Domini faciet benedictio claros.
Cum homine iniuſto noli remanere frequenter.
Nec redit vnda fluens noſtrũ nec tempus in annis.

[illegible] deuaſtat gaudia mundi.
[illegible] ens Dominus miſerebitur illi.
[illegible] benefacte mente querelis.
[illegible] quam dederas munuſcula ſi quæ.
[illegible] primum mens verba loquelæ.
[illegible] n medico committe fidelì.
[illegible] efac caro tu ſemper amico.
[illegible] nouum vinum vetereſcit amicus.
[illegible] nunquam dimittes amicum.
Semper amicus amor, duratque fidelis vbique.
Alma dies noctem ſequitur, ſic dona labores.
Tempora dum variant, animus ſit ſemper hone-
ſtus.
Conſilio mentis quodque imminet antè videto.
Dum tibi vita viget, lacrymis mala crimina pur-
ges.
Noli iterare ſcelus lacrymis dum diluis illud.
Luxoriæ animo noli ſeruire malignis.
Qui modica ſpernit, minuit maiora per horas.
Tollitur ex numero ſanctorum perfidus omnis.
Oderit inſipiens ſapientis verba magiſtri.
Excitet irriſus fratres verboſus amaros.
Nil illo ſcelere peior qui gaudet iniquo.
Cui ſecreta quidem credas cautiſſime cerne.
Corripe peccantem, noli & dimittere amicum.
Qui fratri ignoſcit, ignoſcit Chriſtus & illi.
Corripere eſt melius notum quàm perdere amicum.
Obſeruat ſapiens ſibi tempus in ore loquendi.
Inſipiens loquitur ſpretum ſine tempore verbum.
Multiloquam animam meritis denudat honeſtis.
Gloria quippe Deum Dominumque eſt magna ti-
mere.
Radix eſt ſophiæ Dominum quoque mente timere.
Aurum flamma probat, homines tentatio iuſtos.
Sperate in Domino, & veniet miſeratio vobis.
Dilige qui cupias cæli bona gaudia Chriſtum.
Felices faciet natos benedictio patris.
Pauperis & miſeri mentem ne adſlixeris vnquã.
Diligit omnipotens ſophiam ſibi ſemper aman-
tem.
Nec citus in lingua fueris, nec ſegnis in actu.
Non erit innocuus falſus per famina teſtis.
Diuitias addit Domini benedictio plures.
Iam magno reddes modico tu munus amico.
Semper amicus amat, amor eſt pretioſior auro.
Diues erit durè ſemper qui operatur in agro.
Odia qui ſequitur veniet ei ſemper egeſtas.
Omnibus eſt opibus melior vir mente fidelis.
Exaltat numerus iuſtorum regna potentum.
Ecce timens Dominum viuet felicibus annis.
Expectat lætus cæleſtia gaudia iuſtus.
Impius horrendas ſpectat pro crimine pœnas.
Corruit in præceps populus rectore nefando.
Præparat æternam mitis clementia vitam.
Qui bona ſectatur prima benè ſurgit in hora.
Multorum profert ſapientis lingua ſalutem.
Hoſtibus in bello dominatur dextera fortis.
Seruiet & ſegnis duro ſub faſce laborum.

A Lingua placata ſibi multos adquirit amicos.
Pone tuis verbis vectes, ſerraſque loquelis.
Qui præcepta Dei metuit, in pace moratur.
Nam bona perpetuam tribuet doctrina ſalutem.
Diligit innatum virga qui corripit illum.

CLXXX.

VRbs æterna Dei, terræ ſol, lumina mundi,
Bis ſex ſigna poli menſes & ter quater anni,
Atque dies horæ, lapideſque in ſtemmate Chriſti,
Veſtra aperire polum poterit vel claudere lingua,

Hi verſus iam editi ſunt ſuprà, in calce Epiſtolæ XXVIII.

B Doctores vitæ magnæ, & medicina ſalutis.
Vos fontes viui, paradiſi & flumina ſacra.
Vos decus Eccleſiæ, populi ſpes, ianua lucis.
Inclita progenies Salomonis nobile templum.
Per vos, ô patres, noſtro ſub tempore tota
Virtutum meritis fœcunda Britannia floret.
Vos ſimul vnanimes Chriſti defendite caſtra.
Et clypeo fidei tela exſuperate nefanda.
Pectore concordes, fortes virtute ſuperna.
Iudiciis iuſti, humiles pietate modeſta,
Ductores populi, doctores & gregis almi,
Semper vbique Deo vos eſtote fideles.
C Multiplicate pio percepta talenta labore
Maxima quod ſummo capiatis præmia cœlo,
Cum Chriſto & ſanctis cæleſtia regna tenentes.
Voſque mei memores Chriſtus conſeruet vbique.
Alcuin dicor ego veſtro deuotus amore.
O vos paſtores patres ſine fine valete.
Et tu ſancte pater pius Ethelarde ſacerdos,
Iam valeas, vigeas Chriſto donante per æuum.

CLXXXI.

PEctus amor noſtrum penetrauit flamma....
D Atque calore nouo ſemper inardet amor.
Nec mare, nec tellus, montes, nec ſilua, vel Al-
pes
Huic obſtare queunt, aut inhibere viam.
Quo minus alme pater ſemper tua viſcera lin-
gat,
Vel lacrymis lauet pectus amate tuum.
Cur tu dulcis amor fletus generabis amaros,
Et de melle pio copula amara fluunt?
Sic tua iam mundus miſcentur dulcia amaris,
Aduerſis variant proſpera cuncta cito.
Omnia triſtifico mutantur gaudia luctu.
E Nil eſt perpetuum, cuncta perire queunt.
Te modo quapropter fugiamus pectori. .....
Tuque & nos mundus iam periture fugis.
Delitiaſque poli, ſempcrque manentia regna
Quæramus toto pectore, mente, manu.
Felix aula poli nunquam diſiungit amicum.
Semper habet quod amat pectus amore calens.
Huic properare pater, precibus rape me rogo te-
cum,
Qua noſter nunquam diſſociatur amor.

Aſpice lætifico gratanter corde, precamur,
Paruula quæ magnus munera miſit amor.
Nam duo præmitis laudauerat æra Magiſter
Quæ iecit in templi vidua nuda gazis.
Omnibus eſt donis melior dilectio ſacra,
Atque fides firma quæ viget atque manet.
Te diuina pater Kariſſima dona ſequantur,
Perueniantque ſimul ſemper vbique, vale.

CLXXXII.

TE Deus omnipotẽs conſeruet ſemper vbique,
Iulius ô iuuenis ſpes, amor atque decus.
Lucia viue Deo felix clariſſima virgo,
Semper in æternum Lucia virgo vale.
Et mea per verſus valeat Mathematica dulces
Femina verbipotens tu ſine fine vale.

CLXXXIII.

DElia doctiſono ſe Grammatica plecto*
Floreat vt ſtudiis pectus vbique tuum.
Vita ſalus cunctis Domino donante puellis,
*Perpetuumque * in tempora longa fiat.*
Felix quippe pater flores qui germinet ales
Egregiis mundi progenuit titulis.
Dextra patris ſummi natoſque patremque*
Conſeruet pariter, protegat atque regat.

CLXXXIV.

AD nos quippe tuus famulus veniebat Homer⁹,
Nuntia læta ferens Dauid ab ore tuo.
Fecerat & Flaccum gaudentẽ in pectore veſtrum,
De ſalute tua, de ſoboliſque tuæ.
O mihi dulcis amor, dulcis præſentia Chriſti,
Dulce tuum ſtudium, & dulcis ab ore ſonus.
Tuque tuique ſimul per ſæcula ſemper amici
Perualeant, vigeant, Dauid, vbique vale.
Hunc iterum puerum veſtræ pietate remiſi
Seruiat vt nobis carmine, corde, manu.

CLXXXV.

*REx Karolus gaudens te pater * Magiſter ....*
Verſibus his paucis æternã in Chriſti ſalutem
Mens mea mellifluo fateor congaudet amore,
Doctor amator tui volui quapropter in odis
O veneranda tuam Muſis ſolare ſenectam.
Te quoque te cupiens imperante agnoſcere Chriſtũ,
Nos noſtroſque ſimul ſanos nunc eſſe fideles
Perpetuis optas tete gaudere triumphis.
Inque Dei cultu vigeas virtutibus almis,
Iam meliora tenens ſanctæ veſtigia vitæ,
Donec ætherei venias ad culmina regni,
Congaudens ſanctis Chriſto ſociatus in æuum.
Meque tuis precibus mecum rape quæſo Magiſter
Ad pia qua tendis miſerantis culmina regis.
Qua laus atque decus, ſpecies, pax, gloria, lumen
Semper in æternum ſanctis ſine fine manebit.

A

CLXXXVI.

PAruula Rex Karolus ſeniori carmina
Dilecto fratri mittit hono[illegible] pio.
Quæ rapuit calamus ſubito dictan[illegible] amore
Demandans cæſtæ fer mea ver[illegible] cito.
Ad faciem Pauli venerandam per [illegible]pe
Per montes, ſyluas, flumina, l[illegible]ſtra pete.
Caſinum montem Benedicti nomine clarum
Paſtoris magni præcipuique patris.
Illic quære meum mox per ſacra culmina Pa[illegible]
B *Ille habitat medio ſub grege credo Dei.*
Inuentumque ſenem deuota voce ſaluta,
Et dic, Rex Karolus mandat Aueto ti[illegible]
Gaudia dicque reor noſtræ ſibi magna ſalut[illegible]
Gratificam Chriſti per miſerantis opem
Atque pium patrem rogito tunc ſemper vbique
Pro nobis preces vt ferat ille ſacras.
Nec non nos fratrum precibus cõmendet honeſtis,
Sum votis quorum certus adeſſe Deum.
*Quapropter * ei per me mandare ſalutem*
Perpetuæ pacis omnibus his placuit.
Ecce valete ſimul cuncti iuueneſque ſeneſque,
C *Gratia vos Chriſti protegat atque regat.*

CLXXXVII.

EN tibi Paule Deus ter quinas augeat horas,
Addidit Ezechiæ qui tria luſtra pio.
Vt mihi ter quinos optas ſuper augeat annos
Poſt metas vitæ carmine Pierio.
Quod modo miles agis cultro qui colla ſecare
Hoſtibus à noſtris Paule paratus eras.
Nunc tibi dextra ſenex elanguit effeta belli,
Leua caput ſupra aut ſcuta leuare nequit.
D *Quid modo quod facias ſis proletarius vrbe,*
Laurea qui belli caſtra videre times.
Tardus in annoſo tabeſcit corpore ſanguis
Cor tibi frigidior laudis amore caret.

CLXXXVIII.

PErgite Pierides muſali pollice flores
Carpere, qui liquidis creſcũt prope fõtib. annis.
Regali vt iuueni faciatis ſerta ſalutis.
Vt variis totus fulget virtutibus ille
Nobilitate cluens, laudabilis orbe paterna
E *Sic vos florigeri decurrite prata decoris,*
Vertice Caſtali dum iuuenali & pangite ſtemma,
Fulgeat in roſeo vertex virtutis honore.
Illic & ſophiæ clareſcat lilia condens.
Iuſtitiæ violis variat per tempora fulgor,
Et crocea rutilet verecunda modeſtia vultu.
Talibus his iuuenem ſertis ornate Camœnæ.
Ecce tuas aures iuuenum clariſſime donis
Verſifico volui pauxillum tangere plectro.
Et tibi perpetuam Muſis mandare ſalutem.

ris ... tinam vigeas per ſæcula ſceptris,
... unctus teneas cæleſtia regna.

CLXXXIX.

... per in ... ernum valeas ſanctiſsime Papa,
Tu Leo ... victor proles amata Dei.
... ius, Chriſti clariſsima ſalpix,
... cleſiæ, lux, decus, atque pater.
... cantor veræ & pietatis amator,
... peribus clarus ...... honore pio.
... in orbe procul meritorum laude venuſtas,
... tutum titulis nomen amoris habens.
... s & mitis Chriſti pro paſtor amore,
... gelicis opibus quos tua dextra regit.
... s æternus longæuo tempore ſanum
... tegat, exaltet proſperitate bona.
... perpetuum concedat in arce polorum
Cum ſ... is regnum, iam ſine fine valè.

CXC.

O Mortalis homo mortis reminiſcere caſus,
Nil pecude diſtat ſi tantum proſpera captas.
Omnia quæ cernis variarum gaudia rerum
Vmbra velut tenuis veloci fine recedunt.
Præcaue non felix ne te dum neſcis & audis,
Quaſſans præcipiti diſſoluat turbine finis.
Porrige poſcenti victum, vel contege nudum,
Et te poſt obitum ſic talia facta beabunt.

CXCI.

DIlige pauperiem, mordaces effuge gazas,
Nã reddũt cupidis poſt carnis dulcia flãmas.
Quamuis perſpicuus auro gemmiſque niteſcas,
Pauper & exiguus ibis & nudus ad vmbras.
Id ſolum tecum poſt mortis facta manebit.
Quod benè, quod iuſtè, quod rectè feceris ipſe.

CXCII.

*QVæ te detraxeris * luſcinia ruſcis*
Illa meæ fuerat inuida lætitiæ.
Tu mea dulciſonis impleſti pectora Muſis,
Atque animum mœſtum carmine mellifluo.
Quapropter veniant volucrũ ſimul vndiq. cœtus,
Carmine te mecum plangere Pierio.
Spreta colore tamen fueras, non ſpreta canendo,
Læta ſub anguſto pectore vox ſonuit.
Dulce melos iterans vario modulamine muſæ,
Atque creatorem ſemper in ore canens.
Noctibus in furuis nuſquam ceſſauit ab odis
Vox veneranda ſacris, ô decus atque decor.
Quid mirũ Cherubim Seraphim ſine voce tonãtẽ,
Perpetua laudent dum tua ſic potuit.
Felix ô nimium Dominum noctéque dieque
Qui ſtudio tali ſemper in ore canit.
Non cibus atq; potus ſõnus fuerat tibi dulcior odis,
Alterius volucrum nec ſociale iugum.
Hoc natura dedit naturæ & conditor, almis

A *Quem tu laudaſti vocibus aſsiduis.*
Vt nos inluſtraueras vino ſomnoque ſepultos,
Somnigeram mentis rumpere ſegniciem.
Quod tu feciſti rationis & inſcia ſenſus,
Indice natura nobiliore ſatus:
Senſibus hoc omnes magna & ratione vigentem
Geſsiſſent aliquod tempus in ore ſuo.
Maxima laudanti merces in ſecla manebit
Aeternum regem perpes in arce poli.

CXCIII.

B *HIc Patriarcha pius ſedeat ſummuſq; ſacerdos,*
Sit cui larga manꝰ, placidũ cor, verba ſerena:
Per cuius dextram benedicat dextera Chriſti
Fratribus adpoſitum quicquid defertur edendum.

CXCIV.

HAEc eſt ſancta domus, pacis locus, aula ſalutis:
Quam ſuper ô ſemper maneat benedictio Chriſti.
C *In qua multiplicet fratrum conuiuia largè,*
Qui quondam populi cœleſti munere diues,
Panibus ex quinque ſatiauit millia quinque.

CXCV.

SIt germanus amor fratres vos inter vbique.
Sit pax, pura fides Chriſti, & concordia dulcis.
Chriſtus in ore ſonet, habitetq. in pectore Chriſtus.
Sit cibus & potus Chriſtus, ſit vita ſaluſque.

CXCVI.

D *HIc patres, fratres, Domini cum laudibus intrent,*
Quos pariter Dominus totum conſeruet in æuum:
Et pariter poſcat nitido cum pane ſalutis,
Et pariter donet cœleſtis fercula vitæ.

CXCVII.

QVi de rore dapes dedit, & de petra bibendũ,
Qui cõuertit aquas liquidas in vina falerna,
Qui ſiccis pelagi pedibus ſuperambulat vndas;
Augeat ipſe ſuis famulis ſua dona benignus.

E

CXCVIII.

VRbibus egregiis quarum noua culmina ſurgunt,
Famigeræ laudes & ſuper aſtra volant;
Vatiferem veterum celebrant quas carmine libri,
Multiplices auri nec numerantur opes:
Hæc eſt quam cernis ſilueſtri ruſtica tecto,
Conſtructa in heremo Cellula nobilior.
Hæc ſtudiis floret ſacris, eſophica iura
Perlegit, & tractat clancula dicta ſenum.
Venditor atque ſenum voluunt mendacia mille
Illic vt capiat fraude mala ſocium.

Quæritur hic verum per ſingulogiſtica ſacrum
Clauſtra modis variis famine pacifico.
Sæpius ebrietas ſenſum mala ſubruit illic,
Ducitur & famulis vix Dominus manibus.
Aſpicit hic veſter ieiunia longa legentum,
Atque epulis paſcit ſobria corda ſacris.
Ad te Chriſte preces venient mitiſsime noſtræ,
Ad nos aduenîat gratia Chriſte tua.
Si mea dona tibi cupias nimboſe viator,
Da prior ecce tua, ſic tibi prende tua.
Eſt mihi venter edax calido qui paſcitur igne,
Vertice ſub quadro fumidus exit odor.
At me vox hoſpes gelido fugit imbre Decembri,
A me quia guſto florida in arua fugit.

CXCIX.

EN ego pulcra foras ſum, ſed magis vtilis intus,
Eſt calidus venter feritur dum frigore vertex.
Vidus hoſpes amat gelidæ me tempore brumæ,
Qui calida æſtate ſpernit adeſſe mihi.
Os in ventre mihi eſt, quadrato in gutture nares,
Qui ſpirat fumum dum calet illa foco.
Hic Deus omnipotens Adam de puluere plaſmat.
Accola hic factus paradiſi primitus Adam.
Nomina pone pater cunctis animantibus Adam.
Coſta viri matrem pauſante protulit Adam.
Hic ſeducta fuit mulier, ſeductus & Adam.
Has Cherubim portas flammis defende beatas.
Perge foras Adam, & felicia regna relinque.
Terra tibi tribulos pro crimine germinet Adam.
Liuor edax fratris id iuſtum perculit Adam.
Hic Noë dilectus Domino ſibi fabricat arcam.
En natat in liquidis mundi cum ciuibus arca.
Ecce columba pia pacis tibi portat oliuam.
*Alba columba redit carbo * pereunte nigello.* * coruo.
Perge foras & educ & cuncta animalia tecum.
Eſt pater hic Abram patriam dimittere iuſſus.
Hic Sarri latitans caſulæ poſt oſtia riſit.
Nunc cuculus ramis etiam reſonat in altis.
Florea verſicolor pariet nunc germina tellus.
Vinea bacchiferas tradit de palmite gemmas.
Suſcitat & vario noſtras modulamine mentes
Indefeſſa ſatis rutilis luſcinia ruſcis,
Et ſol ſigniferi medium tranſcendere orbem,
Et Phœbus vicit tenebrarum regna refulgens,
Atque natans ad vos pelagi trans æquora magni,
Albini patris deportat carta ſalutem.
Mœnibus Euboricæ habitans tu ſacra iuuentus,
Fas idcirco reor comprehendere plectra Maronis
Somnigeras ſubito te nunc ex ore Camœnas,
Carminibuſque ſacris naues implere frenoſum.
Talia namque placent veſtro quia munera patri,
Qui nunc egregias regalibus inſonat artes
*Auribus, & patrum deducit per patra * ſequentē,* * f. prata.
*Præculcro * ſophiæ regnantem ſtemmate celſæ.* * f. præpulchro.
Tu quoque tu patri nimium dilecta iuuentus,
Tu ſobolis, vitæ, patriæ, laus & decus omne,
A *Aetheriis ſophiæ feliciter vtere [illegible]*
Vt tibi permaneat merces & gl[illegible]
Ebrius initiat vobis neu vincu[illegible]
Mentibus inſcriptas deleat noxi[illegible]
Nec vos Cretenſis depellat ab a[illegible]
Improbus ille puer ſtimulis arma[illegible]
Nec vos luxiuagus raptet per i[illegible]
Vertice ſubmergens vitalia pec[illegible]
Sed præcepta ſacræ memores reti[illegible],
Dulciſono Chriſtum reſonantes ſemper in ore.
Ille cibus, potus, carmen, laus, gloria, vobis
Sit rogo, qui vobis tribuat felicia regna,
B *Atque ſuis ſanctis iungat ſuper æthera ſemper.*

CC.

CAuſa necis fueram, tamē & nil nuncupor eſt.
*Ordine quiſq; legat recto me con[illegible] & * me*
Me ſuper ille equitet tranſuerſo qui legat ore.
Sex mihi litterulæ ſunt & præclara poteſtas,
Diſrumpis nouem medio de tramite totum,
Pars colet vna Deum, hominem pars altera ſignat.
Littera tollatur, faciet mox quarta venenum.
Eſt vir iam totus canuto vertice ſanus,
C *Materna effectus prima pereunte figura.*
*Poſt primam bime * pereunt erit horrida ſcrofa.*

CCI.

OBtulit altithrono paruus munuſcula ſeruus
Ricbodo quæ cernis lector in æde ſacra.
Ob ſcelerum veniam, ob vitæ cæleſtis amorē,
Pro quo quiſque legas funde preces Domino.
Pro te quoque tuis quos fundes frater amate,
Ædes dum venias lumina ſacra domus.
Chriſtus ab æthereo clemens exaudiat arce,
D *Te fauens lector corde redire domum.*
Te rogo ſancte pater ſupplex per carmina noſtra,
Sis memor noſtri te rogo ſancte pater.
Dulcis Homere precor Flacci memor eſto Poëtæ,
Sis memor vt Samuel dulcis Homere precor.
Auxiliare ſenem noſtro rogo tu per amicos
*Eſt locus inſennos *, auxiliare ſenem.*
Eſt mihi certa fides de te cariſsime frater,
Cum Chriſto & ſanctis ſit tibi certa ſalus.
Pro mundo moriens hic mundi vita pependit,
Abluit omne huius ſanguinis vnda nefas.
Dum caput inclines mundum ſuper erigit aſtra,
E *Et mirum ſæclis mors tua vita fuit.*
Agnus ab hoſte ſacer populum qui per mare duxit,
Nunc melius mundum ſaluat ab hoſte ſuum.
Aeneus en ſerpens populi qui vulnera ſanat,
Nunc tu peccator aſpice mente pia.

CCII.

HVnc ancilla Dei iam iuſſerat aula libellum
Scribere præ magno Domini deductus amore.

[illegible]ſiæ propriam, ſimul inque ſalutem A
[illegible]ri pandit primordia mundi,
[illegible]l ſeculi per tempora longa,
[illegible]potẽs homini & præcepta ſalutis,
[illegible]ni nec non miracula Chriſti,
[illegible]æ poſt hæc quoque ſæcula vitæ.
[illegible]m codex hæc omnia ſolus.
[illegible] ſemper habeatur honore,
[illegible]potens æternæ præmia vitæ,
[illegible]læ quæ ſcribere iuſſerat iſtum
[illegible]hanc vitam mereatur habere
[illegible]ro Sanctorum iuncta per æuum. B

CCIII.

PArvula tecta tenent cæleſtis dona ſophiæ,
Quæ tu lector ouans pectore diſce pio.
Omni[illegible] gazis melior ſapientia donis,
Quam modo qui ſequitur lucis habebit iter.
Semper in æternum faciat hæc clocula tantum
Carmina, ſed reſonet nobis bona clocca cocorum.
Fratribus ex alta reſonet bona lectio ſede,
Exortans animos ſemper meditare ſuperna,
Eſuriens dapibus corpus, dum paſcitur illud
Mens pia paſcatur verbis cæleſtibus illa.
Et laus alma Deo tota capitatur in aula
Plena ſuis famulis, dapibus quæ fercula præſtat,
Atque animum pariter cæleſti pane cibauit.
Fercula noſtra pius Chriſtus benedicat in aula,
Et ſua multiplicet clementer munera ſeruis.
Qui mannam populo cæleſti miſit in imbre,
Rupibus & ſic eis ſitienti flumina fudit,
Panibus & quinis ſatiauit milia quinque.
Qui conuertit aquas mirandi in vina ſaporis,
Nos & noſtra ſimul benedicat fercula mitis.
Conſeruetque ſuos famulos in pace ſerena,
Laudibus atque ſuis faciat conſiſtere ſanos,
Pacificos mores fratres vos ſemper amate,
Semper amat quoniam pacem rex ipſe polorum.
Pacis amatores nati ſunt ecce Tonantis.
Hic pariter fratres Domini cum laudibus intrent,
Semper in ore ſonat quorum laus gloria Chriſto.
Hæc eſt ſacra via, pedibus hæc peruia fratrum.
Solus amicus ouans plantis pertranſeat illam.
Non alienus eam pedibus percurrat iniquis,
Non fur, falſiloquus quiſquam, non mẽte maligna:
Sed fraternus amor pariter comitetur euntes,
Et pax atque fides, pietas, concordia ſacra,
Et diuina ſimul reſonet laus ſemper in ore.
Currite iuuenes Chriſti properanter ad aulam,
Intentiſque animis voces audite ſupernas.
Non vos decipiat fallax dulcedo iocorum,
Non carnalis amor, ludus, petulantia, riſus.
Dum viuet * & valet calido ſanguine corpus,
[illegible]iſcite florigera ſacratam ætate ſophiam,
M[illegible] fluentis aquæ fugiunt quia tempora ſemper.

CCIV.

PRæcurſor Domini magnus Baptiſta Iohannes
Hanc ornat ſanctam meritis ſublimibus aulã,
Qui fuit humanæ venerandus præco ſalutis.
Hic ferat auxilium nobis virtute ſuperna.

CCV.

SAluius hic præſul meritis & martyr honeſtus
Præſenti ſacris votis memoratur in ara.

CCVI.

HAEc loca ſanctificet venerandus Bauo ſacerdos,
Diſcipulus vita patris condignus Amandi.

CCVII.

HAc magnus colitur Stephanus protomartyr in aula,
Qui fuit egregius meritis, & nomine clarus.
Qui lapides inter Chriſtum cernebat in arce,
Ad dextramque Dei ſtantem ſuper ardua cœli
Culmina, ferre ſuo ſuffragia martyre magna.
C Cuius honore pio fecit Ambroſius ædem,
Iam precibus veniam mereretur vt illius almis.
Pro quo quiſque legas titulum exorare memento,
Vtque ſuum famulũ Chriſtus conſeruet in æuum.

CCVIII.

REx Karolus Chriſti magno deuotus amore
Iuſſerat hanc aram ſacris veſtire metallis
Ad decus Eccleſiæ propriam ſibimetque ſalutem.
Petrus Apoſtolico princeps in agmine primus
Hoc altare regat, ſimul & hæc templa tuetur,
D Adiuuet & precibus famulorum vota ſuorum.
Hoc opus Antiſtes rege mandante peregit
Hildilbaldus ouans Agripina Præſul in vrbe.
Hic pro Rege patres Chriſto pia munera ferte
Vt conſeruet eum cæleſtis gratia ſemper.
Hæc eſt alma domus donis ſolidata ſupernis.
Hanc regat omnipotens magno cũ principe Petro.
Sit tibi certa ſalus, veniæ ſpes, ianua vitæ,
Quiſquis corde pio lacrymas hac fundis in aula.

CCIX.

HAec tu quã cernis præparaua domũcula lector
Reliquias propter ſacras iam condita conſtat,
E Vt locus hic mundus ſuffragia ſancta teneret:
Seruulus vt Chriſti veniens oraret in iſto,
Iuſſerat Albinus vates hæc tecta parare,
Pro quo qui titulum videas orare memento.

CCX.

VEnerat infelix rurenſis turba timore,
Quã premit opifices illis inamatus Amãdus.
Quid faciunt miſeri? rumpantur dorſa flagellis,
Sit rea ruricolis tantum ſubſtantia ſalua.

CCXI.

ALbinus veniens peregrino vatis ab orbe,
His quem direxit præclara Britannia terris

Suſcipit hunc Karolus huius Rex inclitus orbis
Cum pietate ſacræ ſophiæ, tum propter amorem.
Hic diruta diu Camerarum culmina iuſsit,
Vt cernis lector totam renouare per aulam.
Hic loca reliquiis ſtatuens aptiſsima ſacris
Sanctorum requies certos vt haberet honores,
Vt decet in terris venerari ſancta piorum,
Quos Deus in cœlis voluit regnare per æuum.

CCXII.

Tingue tuos calamos caritas in gurgite Chriſti,
Atque meum pectus imple cæleſtibus odis;
Vt dignas valeam Paulino dicere grates,
Melliſluis noſtras Muſis qui impleuerat aures,
Et memor vnanimi longum poſt tempus amici
Carminibus ſacris repetens Albine valeto.
Quàm feſtiua dies fuerat cum pagina nobis
Læta fuit titulis optatæ inſcripta ſalutis!
Omnia dicta mihi caritatis melle manabant.
Quo ſe deuertit lætus relegentis ocellus,
Cernit vbique ſuæ ſemper noua gaudia mentis,
Maximè iam gaudens in proſperitate paterna,
Quem Deus æterno conſeruet tempore ſanum.
O lux Auſoniæ patriæ, decus, inclitus auctor,
Iuſtitiæ cultor, ſacræ pietatis amator:
Te mea mens ardet ſacris conſcripta catenis,
Diligit, exquirit, complectitur, adtrahit, ambit.
Pectoris æterna ſecumque recondet in arca.

CCXIII.

Hic Paulinus ouans toto requieſcit in æuo.
Hocque cubile pater dignus dignetur habere.
Inuidus hoc templū nunquam pertranſeat hoſtis,
Ne caros animis ſubito diſiungat amicos,
Quos Chriſti caritas caros coniunxit amicos.

CCXIV.

O Pauline pater, paſtor, patriarcha, ſacerdos,
Pars animæ melior, noſtræ pars inclita vitæ:
Sis memor Albini ſacris altaribus adſtans,
Et dulces inter lacrymas ſuper ora fluentes
Dic, miſerere Deus noſtro clementer amico.
Criminibuſque ſuis veniam largire benignus,
Vt te cum ſanctis liceat laudare per æuum.
Omnipotens patris virtus, ſapientia, Chriſtus,
Obſecro te ſupplex toto de pectore pauper:
Vt tua conſeruet Paulinum dextera ſemper,
Protegat, atque regat, virtutum floribus ornet.
Tuque Maria Dei genitrix ſanctiſsima virgo,
Proſpera cuncta meo Paulino poſce precamur,
Vt vigeat, valeat Chriſti repletus amore.
Vos quoque cara ſimul ſanctorum turba Tonanti
Qui bibulas proni monitis cæleſtibus aures
Eccleſiæ patres habuiſtis ſemper apertas,
Et nunc cum Chriſto cæleſtia regna tenetis.

A *Fundite proque mei Paulini poſco ſalutem*
Cum pietate preces ſummo ſuper omnia
Vt vigeat, valeat Chriſti præcepta ſecuti
Et vos .... Eccleſiæ ſanctiſsima proles
In commune precor proſtrata corpore [illegible]
Angelici faciem caram Paulini habeatis in
Illius & vitam precibus cōmendite Chriſto
Vt vigeat, valeat longæuo tempore ſanus.
Angelici faciem cœtus qui cernitis almam,
Perpetui patris cæleſti in culmine ſemper
Expanſis manibus humili ſed pectore poſco
Vos quoque Paulinum precibus defendite [illegible]
B *Vt gaudens regnet veſtro ſociatus honori,*
Aeterniſque Dei vobiſcum laudibus adſit
Regna beata tenens felix ſine fine polorum.
Hos rogo verſiculos habeas pater optime t[illegible]
Vt tua mens, memoret læto pro carmine nu[illegible]
Sit tibi Chriſtus amor, virtꝰ, decus, o[illegible] Chriſtꝰ.
Sit via, vita, ſalus, ſpes & laus, & gloria perpes.
Semper in ore ſonet maneatq; in pectore ſemper,
Vt tibi cum ſanctis tribuat cæleſtia regna,
Qua memor eſto tui nati te poſco per illum
Qui te perpetuam cœli deducat in aulam.
Et nunc & ſemper mi mi Pauline valeto.
C *Carminis hic finem lacrymis faciemus amatis,*
Sed nunquam ſacri finem faciemus amoris.

CCXV.

Theophylacte pater, ſophiæ tu doctor honeſtꝰ;
Laudibus egregiis clarus in orbe procul.
In regno magnus, clarus in orbe videris.
Dona tui cordis ſunt noua vel vetera.
Vrbs caput orbis habet te maxima Roma magiſtrū,
Verba ſalutis habes ſemper in ore tuo.
Omnibus es mitis ſancta pietate magiſtra,
D *Quæ ſolet egregium cor habitare tuum.*
In qua meque precor gremium caritatis amicum,
Sim licet ignotus, ſuſcipe ſancte tibi.
Nam ſcriptura canit vero paradigmata ſancta
Carmine, quæ laudes concelebrat ſophiæ.
Sic nobis vt muſtum tecum veteraſcat amicus.
Si hodie dulce bibis, dulcis amicis erit.
Dixerat & Paulus doctor clariſsimus orbis,
Cuncta probate prius quæque tenete bona.
Obſecro te ſupplex animo me ſpernere noli,
Sed ſolita fratrem me pietate proba.
Larga quidem caritas Chriſti ſolet eſſe per orbem,
E *In gremium multos congregat illa ſuum.*
Qui in caritate manet, portat in pectore Chriſtū.
Vera quidem caritas eſt Deus omnipotens.
Qui prodeſſe poteſt, non eſt ſpernendus amicus,
Vel prodeſſe valet alter amicus eo.
Profuit vt Chriſtus iam vulnera dira gementi
In curam nummos protulit atque duos.
Hac pietate precor me tu tibi ſuſcipe frat[illegible]
In Chriſto fratres gratia nos genuit.
Suadeo quippe tibi, doctor clariſsime mundi,

… ſacro currat ab ore tuo.
… r vitæ, mittatur vbique
… pio nomine Apoſtolico.
… ſcit, merces ſic magna manebit
… mo ſedis Apoſtolicæ.
… commenda me rogo frater.
… Chriſto vt me pater ore ſuo.
… res ſemper ſine fine valete,
Dexter… s Chriſti protegat, atque regt.

CCXVI.

SAlue Roma potens, mūdi decus, inclita mater, B
Atque tui tecum valeant in ſæcula nati.
Et caput orbis honor magne Leo Papa valeto,
Tu quoque iuſtitiæ ſceptrum, lux ſedis, honoris
Perpetuus valeas Chriſto donante triumphis.
Clauiger ætherius, doctor ſimul inclitus orbis,
Te precioſi pariter conſeruent ſemper vbique.
Et quos Roma tenet circum ſua mœnia Sancti
Vos precibus pariter ſanctis tueantur vbique.
O patres populus Romanæ gloria gentis,
Semper in æternum Domino miſerante valete.

CCXVII.

HIc pater Eccleſiæ, Romæ decus, inclitꝰ auctor,
Hadrianus requiem Papa beatus habet.
Vir cui vita Deus, pietas lex, gloria Chriſtus,
Paſtor Apoſtolicus, promptus ad omne bonū.
Nobilis ex magna genitus iam gente parentum,
Sed ſacris longe nobilior meritis.
Exornare ſtudens deuoto pectore paſtor
Semper vbique ſuo templa ſacrata Deo.
Eccleſias donis, populos & dogmate ſancto
Imbuit, & cunctis pandit ad aſtra viam.
Pauperibus largus, nulli pietate ſecundus,
Et pro plebe ſacris peruigil in precibus,
Doctrinis, opibus, muris erexerat arces,
Vrbs caput orbis, honor inclita Roma tuas.
Mors cui nil nocuit, Chriſti quæ morte percēpta eſt,
Ianua ſed vitæ mors melioris erat.
Poſt patrē lacrymis Karolus hæc carmina ſcripſi,
Tu mihi dulcis amor te modo plango pater.
Tu memor eſto mei, ſequitur te mens mea ſemper,
Cum Chriſto teneas regna beata poli.
Te clarus populus magno dilexit amore
Omnibus vnus amor optime Præſul eras.
Nomina iungo ſimul titulis clariſſime noſtra,
Hadrianus, Karolus, rex ego, tuque Pater.
Quiſque legas verſus, deuoto pectore ſupplex
Amborum, mitis dic, miſerere Deus.

CCXVIII.

HAec tua nunc teneat clariſſime membra ……
Cum ſanctis anima gaudeat alma Dei.
Vltima quippe tuas donec tua clamet in aures
A Principe cum Petro ſurge videre Deum.
Auditurus eris vocem ſic iudicis almam,
Intra nunc Domini gaudia magna tui.
Tunc memor eſto tui nati Pater optime poſco,
Cum patre dic, natus pergat & iſte meus.
Optet regna pater felix, cæleſtia Chriſti
Inde tuum precibus auxiliare gregem.
Dum ſol ignicomo rutilus ſplendeſcit ab axe
Laus tua ſancte pater ſemper in orbe manet.

CCXIX.

BEſtia nam ſubito noſtras ſubrepſerat ædes,
In qua fuit capitum miranda … duorum.
Quæ maxilla tamen pariter coniunxerat vnd,
Bis ternis decies ſed dentibus horruit illa.
Eſca fuit creſcens illis de corpore viuo
Nec caro, nec fruges, fructus, nec vina bibentum
Dentibus edebat, patulo non tabuit ore.
Scis Damœta meus quæ ſit hæc beſtia talis?

CCXX.

CVr rogo nate tuo patri iraſceris amate,
C Longius optatum mox modo carpis iter.
Et tu triſtis abis, patrem triſtemque relinquis.
Vt ſceleratus ego iudicor ecce reus.
Iratus calido quicquam nec pectore dixi,
Mandaui placida dicere verba tibi.
Vtere ceu propriis rebus feliciter illis,
Sunt mea quippe tua, ſint tua quæſo tua.

CCXXI.

VEnerunt apices veſtræ pietatis ab aula,
O dilecte Deo Dauit dulciſſime Flacco,
D Portantes veſtræ nobis pia dona ſalutis,
Quam Deus omnipotēs ſemper ſuperaugeat opto.
Tu laus ſpeſque tuis, toto tu gaudia regno.
Tu decus Eccleſiæ, rector, defenſor, amator.
Tu dignus equidem miſiſti forte miniſtros
Ordinibus ſacris, iam per loca nota capellæ.
Ecce ſacerdotes Chriſti ſua iura tenebunt,
Officiale decus ſeruent ſibi ritè miniſtri,
Nathaneique ſuo gaudent ſub principe certo.
Accurrunt medici mox Hippocratica tecta,
Hic venas fundit, herbas hic miſcet in olla.
Ille coquit pultes, alter ſed pocula præfert.
E Et tamen ò medici cunctis impendite grates,
Vt manibus veſtris adſit benedictio Chriſti.
Hæc mihi cuncta placent, iſte eſt laudabilis ordo.
Quid Maro verſificus ſolus peccauit in aula?
Non fuit ille pater iam dignus habere magiſtrum,
Qui daret egregias pueris per tecta camœnas.
Quid faciet Beleel Hiliacis doctus in odis?
Cur rogo non tenuit ſcolam ſub nomine patris?
Quid faciet tardus canuto vertice Drances?
Conſilio validus, gelida eſt ceu dextera bello.

Zacheus arborem conſcendit paruus in altam,
Vt videat turbam ſcriptorum currere circum
Litterulis, cartis miſeris ſolatia præſtat.
Non tangat, caueat puerorum ſportula dextras.
Iam tenet ordo ſuum proprie nunc quiſque magiſtrum.
Presbyter egregius toto ſub pectore plenus
Iſte ſacerdotes factis & voce gubernat,
Ante illos gradiens clariſsima forma ſalutis.
Ordo miniſtrorum ſequitur te Ieſſe magiſtrum.
Vox tibi forte ſonat Chriſti taurina per aulam,
Vt decet ex alto populis pia verba legenti.
Candida Sulpicius poſt te trahit agmina lector,
Hos regat & doceat certis ne accentibus errent.
Inſtituit pueros Idithun modulamine ſacro,
Vtque ſonus dulces decantent voce ſonora.
Quot pedibus, numeris, rithmo, ſtat muſica diſcat.
Noctibus inſpiciat cæli mea filia ſtellas,
Adſueſcatque Deum ſemper laudare potentem,
Qui cælum ſtellis ornauit, gramine terras,
Omnia qui verbo mundi miracula fecit.
Fiſtula tunc Flacci proprium tibi carmen Homere
Iam faciet, tu dum ſacram redieris ad aulam.
Perpetuum valeat Thyrſis ſimul atq. Menalca,
Ipſe Menalca coquos nigra caſtiget in aula,
Vt calidos habeat Flaccus per fercula pultes.
*f. Graco. Et Nemias Groco * infundat ſua pocula Baccho,
Qui ſecum tunnam ſemper portare ſueſcit.

CCXXII.

OMnibus alma ſalus pueris ſit atque puellis,
Regia progenies valeas per ſæcula longa:
Viuere quam Chriſtus multis feliciter annis
Concedat, tribuens æterni & gaudia regni.
Chriſte ſalus mundi, laus, gloria, vita, redemptor,
Temporibus cunctis, annis, atque omnibus horis,
Dilectum Dauit conſerua in ſæcula multa;
Vt gaudens viuat felix & proſperè regnet.
Omnis vbique ſimul populus reſpondeat, Amen.
Clementer mitis populo miſerere miſello.
Grex eſt quippe tuus, tu paſtor amabilis illi,
Mercedem tribuet tibimet per ſæcula Chriſtus.
Nunc valeas iterum & ſemper in ſæcla valeto,
O mea cella mihi habitatio dulcis amata,
Semper in æternum ô mea cella vale.
Vndique te cingit ramis reſonantibus arbos
Siluula florigeris ſemper onuſta comis.
Prata ſalutiferis florebunt omnia & herbis,
Quas medici quærit dextra ſalutis ore.
Flumina te cingunt florentibus vndique ripis,
Retia piſcator qua ſua tendit ouans.
Pomiferis redolent ramis tua clauſtra per hortos,
Lilia cum roſulis candida mixta rubris.
Omne genus volucrum matutinas perſonat odas,
Atque creatorem laudat in ore Deum.
In te perſonuit quondam vox alma magiſtri,
Quæ ſacro ſophiæ tradidit ore libros.
A In te temporibus certis laus ſancta Tonanti
Pacificos ſonuit vocibus atque animis.
Te mea cella modo lacrymoſis plango camœnis,
Atque gemens caſus pectore plango tuos,
Tu ſubito quoniam fugiſti carmina fatum,
Atque ignota manus te modo tota tenet.
Te modo nec Flaccus nec fatis * Homerus h...
Nec pueri Muſas per tua tecta can...
Vertitur omne decus ſecli ſic namque ...ent...
Omnia mutantur ordinibus variis.
Nil manet æternum, nil immutabile verè eſt,
B Obſcurat ſacrum nox tenebroſa diem.
Decutit & flores ſubito hyems frigida pulcros,
Perturbat placidum & triſtior aura ma...
Quæ campis ceruos agitabat ſacra iuuentus,
Incumbit feſſos nunc baculo ſenior.
Nos miſeri cur te fugitiuum mundus amamus?
Tu fugis à nobis ſemper vbique ruens.
Tu fugiens fugias Chriſtum, nos ſemper amemus,
Semper amor teneat pectora noſtra Dei:
Ille pius famulus diro defendat ab hoſte,
Ad cælum rapiens pectora noſtra ſuos.
C Pectore quam pariter toto laudemus, amemus,
Noſtra eſt ille pius gloria, vita, ſalus.

CCXXIII.

GEns ſacra Gothorũ, ſanctus ſine fine labeto * *vel
Electus Domino populus, plebs inclita ſalue.
Victricibus gentes vicisti maxime bellis,
Quã multos quõdam hoſtes modo vincite Chriſto
Per clypeum fidei, per fortia tela ſalutis.
Auxiliator erit vobis Deus almus vbique,
D Si iam firma fides habitat ſub pectore veſtro,
Atque opus egregium ſequitur bona donà fidei.
Has rogo litterulas placido percurrite ſenſu,
Quas modo direxit vobis dilectio ſancta.
Proſpera cuncta Deus Gothis concedat olympi,
Omnibus æterni tribuens bona gaudia regni.
Inque piis precibus memores eſtote rogamus
Albini ſemper, ſcripſit qui talia vobis.
Vos Deus omnipotens totum conſeruet in æuum.
Aeternum tribuet vobis per ſæcula regnum.

CCXXIV.

E

HIc tu per ſtratum pergens ſubſiſte viator,
Verſiculos paucos ſtudioſa perlege mente.
Inuia quam cernis duplici ditatur honore,
Hæc ad cauponem ducit portare volentem.
Elige quod placeat tibi nunc iter, ecce viator,
Aut portare mecum ſacros aut diſcere libros.
Si portare velis nummos, præſtare debebis.
Diſcere ſi cupias, gratis quod quæris habebis.
Clauiger ætherius portas qui pandit Olympi
Petrus Apoſtolico præclarus maxime princeps,
Protegat hanc aulam Chriſto donante per æuum:
Quam pater egregius Hrodbertus fecerat olim,

[illegible] mo laus, gloria ſemper in illa,
[illegible] es laudes vbi dicere Chriſto
[illegible] iter deuoto pectore fratres.
[illegible] ſonent prompti concurrite cuncti,
[illegible] o deuota mente venite,
[illegible] niam cœtus vos ſpectat in aula,
[illegible] tum humilis fert corde precantis.
[illegible] i lacrymas quapropter amaras
[illegible] o pariter cum laude Tonanti,
[illegible] et ſemper pietate paterna.

CCXXV.

AVxiliare tuis precibus pia virgo Maria
Aeterni regis famulos Regina polorum,
Nomine namque tuo quoniam hæc ara dicata eſt,
Triſtia depellens nobis & proſpera donis.

CCXXVI.

HOc altare ſuis meritis defendat ab hoſte
Andreas Chriſti famulus qui retia mundi
Contempſit Chriſtum tota virtute ſecutus,
De cruce qui ſacra felix conceſſit Olympum.

CCXXVII.

HAec loca ſancta tenet præclarus in orbe Magiſter
Paulus Apoſtolico numeratus in ordine doctor,
Vas ſophiæ electum cæleſtis præco ſalutis,
Sanguine qui roſeo cæli penetrauit in arce.

CCXXVIII.

HAec æquata ſolo viluit domus inclita quondã,
Non tulit hanc ſpeciẽ Chriſti deuotus honore
Arnonus præſul, humilis renouare iacentem
Incipit, & melius totam conſtruxerat ædem
Conſecrans ſummis interceſſoribus illam
Principis egregij primo Michaelis honore,
Principis Eccleſiæ necnon ſub nomine Petri,
Principis & fratrum præclari & patris Amandi
Vt ſanctum voluit polyandrum fratribus eſſet,
Vos in pace Dei cari requieſcite fratres,
Donec ab ætheria clamet pius Angelus arce.
Surgite nunc prompti terræ de puluere fratres.
Vos vocat adueniens Iudex de culmine cæli
Cum meritis animas propriis adſumite veſtras.
Ante Dei Chriſti magnum modo ſtate tribunal,
Vt condigna ſuis capiat quis præmia factis.
Voſque timete diem horis precor omnibus illum,
Qui legitis verſus operis dum tempus habetis
Vt vos inueniat veniens lux illa pacatos.
Atque mei memores ſupplex rogo ſemper in ore
Dicite perpetuo famulo pius eſto per æuum.
Alcuin dicor ego, iam vos ſine fine valete.

CCXXIX.

HAec domus Eccleſiis aliis vt mater habetur,
Virgo Dei Chriſti mater quapropter in iſta
A Cum Chriſto colitur, precibus quæ ſeruet ouile
Iſtud ab hoſte, piis flagitamus ſemper vbique.
Hoc Baptiſta potens teneat altare Ioannes.
Martyr & egregius ſimul Anaſtaſius almus.
Hoc Maximilianus item Confeſſor habebit,
Nos precibus horum Chriſti pia dextra tuetur.

CCXXX.

HAc Paulus doctor mundi & Benedictus in ara
Atque Columba pater magno venerantur in ore.
B Nos pietas quorum precibus ſimul adiuuet iſtic,
Vt nobis tribuat Chriſtus vera dona ſalutis.
Florianus magnus .... in orbe triumphis,
Cyriacuſque puer propria cum matre Iulitta
Præſenti pariter Chriſti celebrantur in aula:
Hic tibi ſit petitor veniæ ſpes certa ſalutis.

CCXXXI.

PRæcurſor Domini magnus Baptiſta Iohannes
Atque pius præſul pariter Martinus & ipſe
Nominibus ſacris iſta iunguntur in ara,
C Ante pedes quorum lacrymas hic funde viator.
Quæ cernis veniens lector * inclita tecta,
Virgilius fecit Domini deductus amore,
Egregius præſul meritis & moribus almus
Protulit in lucem quem mater Hibernia primum
Inſtituit, docuit, nutriuit, ... amauit.
Sed peregrina petens, Chriſti iam propter amorẽ,
Delicias mundi & patriam contempſit amatam:
Per mare, per terras partes peruenit in iſtas,
Multiplicare ſtudens tota virtute talentum
Doctrinæ, populis, & ſpargere ſemina vitæ.
Vir pius & prudens nulli pietate ſecundus,
D Maximus Eccleſiæ princeps & clauiger aulæ
Cæleſtis Chriſtus proprios huic tradidit agnos.
Hanc regat ætherio clementer nomine Petrus,
Cum ſanctis pariter quorum hic corpora pauſant,
Qui precibus populum Chriſti tueantur amicis,
Tempora depoſcant nobis & proſpera vitæ
Præſentis, necnon æterni & gaudia regni.

CCXXXII.

HAnc pius Andreas meritis tutabitur aram,
Et leuita ſimul victor Laurentius ignis.
E Tertius Hippolytus, gladio qui colla ſubegit,
Qui ſua concedant preces ſuffragia nobis.

CCXXXIII.

HAnc aram Paulus meritis viuacibus ornet,
Silueſterque ſimul Romanæ gloria gentis:
Eloquio prudens cariſſimus & Leo Papa,
Qui nobis faueant regni cæleſtis ab arce.

CCXXXIV.

*pro, hac. Filius ac * Zebedei Iacobus congaudet in ara,
Namque Dionyſio ſociis ſimul illius almis,
Gregorio fuerat Roma qui doctor in orbe,
Deprecor hos patres noſtram defendere vitam.

CCXXXV.

HIc regina Dei genitrix pia virgo Maria,
Hic quoq; virgo ſacra tecũ veneratur Agathes.
Nomine magnifico votis adeſto precantum,
Et Petronilla patris præclari filia Petri.
Sulpitius præſul præclarus in vrbe Biturca,
Tuque Leutgarius martyr ſimul atque ſacerdos.
Presbyter egregius necnon Giſlarius vrnam
Defendant precibus ſemper præſentibus iſtam.

CCXXXVI.

HOc altare tenet Chriſti ſiniſtra Iohannes,
Presbyter Hieronymꝰ doctor clariſſimꝰ orbis,
Mauritiuſque ſimul martyr mirabilis ille.
Hi rogo vota ferant cæleſti noſtra Tonanti.

CCXXXVII.

HIc Thomas colitur tetigit qui vulnera Chriſti,
Vrbis & Anianus præſul pius Aurelianæ,
Miles & Eccleſiæ ſimul Athanaſius almus,
Qui pariter plebem Chriſti tueantur ab hoſte.

CCXXXVIII.

HAc Domini frater Iacobus veneratur in ara,
Vt Chriſti pariter præſul Germanus amatus.
Tertius eſt iunctus Vedaſtus Epiſcopus almus.
Adiuuet hic horum nos interceſſio ſemper.

CCXXXIX.

TRes patres ſummi meritorum pondere magno
Hæc tenet ara ſimul, Hrodherotum nomine clarum,
Pontificemque præclarum Bertum nomine dictũ,
Iungitur Ansfridus iſtis & tertius almus.

CCXL.

DIſcipulum Chriſti teneat hæc ara Philippum,
Nec non Marcellum ſanctum ſimul atque Medardum,
Pontifices claros ſanctis virtutibus ambo.
Auxilio duplici ſint hic nobis dona ſalutis.

CCXLI.

QVi ad lucem fidei nigros conuerterat Indos
Bartolomæus habet præſẽs hoc Apoſtolꝰ altar.
Martyrio fratres nec nonque parentibus illi
Geruaſius illi * atque Protaſius almus.

CCXLII.

SCriptor Euangelicus ſeruet hanc Matheus arã,
Cornelius Præſul Romana & martyr in vrbe,
A Et decus Afrorum Cyprianus martyr
Ante pedes quorum lacrymas ſpei fu

CCXLIII.

HAnc Iacobi frater, hãc Simon Apoſtol
Exornat meritis, & Præſul Hila
Remediuſque ſimul Francorum doctor
Hi pietatis ope nobis ſuffragia landant.

CCXLIV.

B THaddeus egregius * doctorque miniſ
Presbyter & vero dictus cognomine
Et Samſon fidei decus præfortis honeſtæ,
Hanc aram pariter meritis & tecta tuent

CCXLV.

PRælia qui mundi vicerunt pace Tonantis,
Martyres & magni menſa iunguntur in iſta,
Doctor Apollinaris martyrque Gregorius almus,
Romanæque puer * Pancratius vrbis.

C

CCXLVI.

PAtricius Cheranus Scottorum gloria gentis,
Atque Colũbanus, Congallus, Adõnanus, atq;
Præclari patres morum vitæque magiſtri.
Hic pietas precibus horum nos adiuuet omnes.

CCXLVII.

VIrginibus ſacris præſens hæc ara dicata eſt,
Quarum clara fuit Scottorũ vita per vrbes.
Brigida ſancta femina Chriſto ſimul ita fidelis.
Hæc nobis ſalutem per ſuffragia ſancta miniſtrat.

D

CCXLVIII.

ADſpice tu lector noſtræ pia ſigna ſalutis,
Eccleſiæ in medio .... mirabile donum.
Pro mundi vita mundi iam vita pependit.
Pro ſeruis moritur Dominus, quẽ ſancta volũtas
Viueret vt ſeruus ſemper ſit * cum ſanguine ſeruũ.
Hoc memor eſto crucem videas, que in lumine ſtantem,
Et mox ante Dei faciem feliciter ora.
Corpore ſterne ſolum, ſcande ſed pectore cælum,
Proque tuis culpis lacrymas effunde Kalendas *.
E Sit tibi certa ſalus ſpei pietate perenni,
Qui redimit mundum immaculato ſanguine totũ.
Quique ſuis famulis clemens peccata remittit.
Hic quoque ſit nobis ſacræ ſpes magna ſalutis,
Acmine Apoſtolico quoniam hæc ara refulſit,
Et ſimul Helenæ meritis viuacibus almæ,
Quæ inueniſſe crucis fertur mirabile lignum,
In quo Chriſtus honor mundi, laus, vita pependit.
Dum fuit altithronus pro nobis talia paſſus,
Quod nobis nũc famuli debemus ob eius amorem,
Iam niſi nunc illi noſmet quoque tradere totos.
Sit Deus ille nobis caritas, & tota voluntas,
Laus, honor, & virtus, potus, cibꝰ, omnia Chriſtꝰ.

CCXLIX.

...s Præſul toto venerabilis orbe,
...tius & famulus Chriſti, pius atque ſacerdos,
...tophoruſque .... colitur hæc Martyr in aula
...npl. ingreſſum precibus tueantur ab hoſte,

CCL.

H...c feſſus veniens primo ſubſiſte viator,
...t regem cæli mox corpore pronus adora,
...liumque tibi Sanctorum adſiſte precando
...ſuſcipiant gremio pietatis in vrbe,
... Dei genitrix clemens, ſancta, benigna
...ael ante Deum cæli qui adſiſtit in arce,
...t Stephanus magnus protomartyr in orbe,
Qui te ma...ris ducant ad limina templi,
Et tua vota ferant tecum pete ſemper vbique,
Proſperè deducant, reducant & proſperè portis.
Tuque viator ouans Chriſtum laudare memento,
Vt te conſeruet pergentem Chriſtus vbique.

CCLI.

HAc colitur Chriſtus mundi ſaluator in aula
Qui regit imperio pelagum, terramq. poluq;.
Ipſe Monaſterij huius loca tota gubernet,
Protegat, amplificet, conſeruet & omnibus horis.

CCLII.

AD LEONEM SEDIS APOſtolicum.

POntificalis apex, princeps, patriarcha ſacerdos,
Præſul amate Deo, ſanctorũ ſancte Magiſter,
Paſtor Apoſtolicus magnus Leo Papa valeto.
Lux, decus Eccleſiæ, Romanæ gloria gentis,
Et patrio patriæ populo ſpes magna ſalutis,
Egregius doctor meritis & nomine clarus,
Virtutum titulis toto præclarus in orbe.
Te Deus æternus, mundi mitiſſimus auctor,
Saluator generis humani, maximus hæres,
Protegat, atq; regat longæuo tempore ſanum,
Atque tibi tribuat felicia tempora clemens:
Augeat & numerum populi per dogmata verbi,
Vt multiplicia lætus mercede laboris
Celſithroni videas faciem ſine fine beatam,
Principi Apoſtolico Petro coniunctus in æuum,
Arce poli Chriſto lætus in laudibus almis.
Tu rege doctrinis munla* laus regna, per orbem
Carta tua currat ſignata in nomine ſacro,
Per terram, pelagus, regionis regna, per vrbes:
Exhortans ſancto cunctos ſermone legentes,
Semina ne vitæ maculet zizania mortis.
Creſcat ab ore tuo cælorum candida meſſis,
Vnde Dei populus viuat feliciter omnis,
Gaudeat & teneat tecum cæleſtia regna,
Semper in æternum ſummo donante Tonante.

A Viue Deo felix, felix & viue per æuum,
Aurea lux mundi, terræ ſal, porta ſalutis,
Et decus Eccleſiæ, gemmiſque corona refulgens,
Sis memor Albini, memoret te gratia Chriſti,
Quæ te conſeruet Præſul ſanctiſsime ſemper.

CCLIII.

PResbyter integro celebrauit nomine Miſſam.
Littera tollatur, præſtat conuiuia paſchæ.
Atque miniſter erit, tollatur tertia menſæ.
Quartaque tollatur, miſcet mala verba venenis.
Fur erit, addatur extremis prima duabus.
B Tertia cum prima tollatur littera mirum,
Dare pita adcurrit nixo dolrada per ædes.

CCLIIII.

INcolumem Chriſtus, cariſsime, te mihi, Præſul,
Conſeruet mitis ſemper vbique precor.
Tu mihi dulcis amor, cordis tu carmen in ore:
Tu memor eſto mei, tu ſine fine vale.

CCLV.

C NVlla manus diſcingui ... ni tua Præſul
Salue pater ſancte, & lege tu feliciter illam,
Succinctum ſoluat, cupiatque abſcondita ſcire,
Nulla tamen dextra ni tua ſancte pater.

CCLVI.

FErfeſtina Patri Paulino charta ſalutem,
Dic, Pauline pater dulcis amice vale.
Ianua parua quidẽ, & paruus habitator in æde eſt.
Non ſpernas Nardum lector in corpore paruum,
Iam redolet Nardus ſpicato gramine multum.
Me lapis egregium portat tibi corpore paruo.
D Parua quidem res eſt oculorum, cerne, pupillas;
Sed regit imperio viuacis corporis actus,
Sic regit ipſe domum totam ſibi Nardulus iſtam,
Nardulo dic lector pergens tu paruule ſalue.

CCLVII.

TV qui pergis iter per ſacra palatia lector,
Dic duo quæ moueant totas monoſyllaba lites.
Dic duo quæ ſanctam rumpant pronomina pacem.
Dic duo quæ faciant pronomina nomina cunctis,
Omnia dic quæ ſunt verbi, quæ ſyllaba ſinget,
Qualitas vt tecum loquitur qui non fuit vnquam,
E Hæc lege, ſolue cito, aut taurum perſolue * portæ.

CCLVIII.

HAec tibi Macari deuoui munera paſtor,
Cum Chriſto & Sãctis tu ſine fine vale.
Sis memor Albini, memoret te gratia Chriſti,
Et tu Nigre meus candidus eſto Dei.
Cur mi Nigre meus, taces de te nunc neſcio quid.
Aut tamen ecce tibi ſit Deus omnis amator,
Sit tibi & potus dippeus rex, vita, ſaluſque.
Laus cuius reſonet ſemper in ore tuo.

Vt tibi mandaui Bergenſes inſtrue noſtros,
Et tecum diſcat qui tibi perplaceat.
Hæc præcepta decem, vobis quæ cartula cantat,
Nocte dieque pio corde tenete precor.
Sæpius & noſmet memorantes diſcite quæſo,
Pauperis Albini Chriſte memento tui.

CCLIX.

EN tuus Albinus ſæuis ereptus ab vndis
Venerat altithrono nunc miſerante Deo,
Te cupiens Apel peregrinis lare Camœnis
Ô Corion Corion dulcis amice ſatis,
Quicquid tu volitas per magna palatia regum,
Vt ludens pelago aliger vndiſono.
Qui ſophiæ liberos primus lac ore ſub annis
Suxiſti, & labris vbera ſacra tuis.
Dum tibi dum maior per tempora creuerat ætas,
Tunc ſolidos fueras ſumere corde cibos.
Fortia de gazis veterum & potare falerna,
Senſibus & fuerant peruia cuncta tuis.
Quicquid ab antiquo inuenerunt tempore patres,
Nobile cuncta tibi pandit ingenium.
Ac diuina tuis patuit ſcriptura loquelis,
Aedibus in ſacris dum tua vox reſonat.
Quid tua nunc memorẽ ſcholaſtica carmina vatis,
Qui cunctos poteras tu ſuperare ſenes.
Viſcera tota tibi cecinerunt atque capilli,
Nunc tua lingua tacet, cur tua lingua tacet?
Nec tua lingua valet forſan cantare Camœnas,
Atque reor dormit lingua tibi Corion.
Dormit & ipſe meus Corydon ſcholaſticus olim,
Sopitus Baccho. ve tibi Bacche pater!
Tu quia tu quæris ſenſus ſubuertere ſacros,
Atque meum Corydon ore tacere facis.
Ebrius in tectis Corydon aulenſibus errat,
Nec memor Albini, nec memor ipſe ſui.
Obuia non miſit venienti carmina patri,
Vt canerent ſalue, tu tamen ecce vale.
Ruſticus eſt Corydon, dixit hoc forte propheta
Virgilius quondam, ruſticus es Corydon.
Dixerat aſt alter melius, ſed naſſa Poëta,
Presbyter eſt Corydon, ſit cui ſemper aue.

CCLX.

DA tua celſithronus nobis ſuffragia ſemper,
Exaudire preces famulorum Chriſte tuorũ,
Qui tibi vota ferant deuoto pectore laudis,
Perpetuam tribuens clementi munere vitam.
Quiſque Deo lacrymas .... hanc fundis ad aram,
Eſto memor noſtri, cecini qui carmina Chriſto
Exaudire preces famulorum Chriſte tuorum,
Qui tibi vota ferant præſenti laudis in ara,
Et da cœleſtis nobis pia dona ſalutis.
Sis memor Alchuini lector rogo carminis huius,
* f. ſoror. *Tu mihi dulcis amor ſemper ſonor * inclita ſalue,*
In precibus fratris ſis memor ipſa tui.
Delicias ſæcli, pompas, gazaſque caducas,
A *Mente, manu, lingua, ſpernere*
Sit tibi Chriſtus amor, virtus, laus
Permaneat & ſemper in ore ſo

CCLXI.

NIx ruit è cœlo, gelidus ſimul i
*Non fuit Albino ſpecta * pa*
Qui cùm dixiſſet, donec tranſeat i
*Et calido pectus paradi * fronte reſ*
Triſtis abit ſenior ieiuno ventre Poëta,
B *Et pueri triſtes planxerunt carmine Flaccum.*
Frigida quapropter taceat ſibi fiſtula carmen,
Has tantum paucas balbutiat ore camœnas,
Carmina non curat Dauid, nec Delia curat,
Dũ redeunt iterum calidi bona tempora Phœbi,
Mox priſtina redit virtus in carmine Flacco.
Tunc ruet in Dauid Muſarum lætior odis,
Nunc pax, vita, ſalus Dauit, tunc prælia Muſis.

CCLXII.

C *PRæſul amate precor hac tu diuerte viator,*
Sis memor Albini vt præſul amate precor.
O mea cara domus habitatio dulcis amata,
Sis felix ſemper ô mea cara domus.
Sophia ſancta patrum tectis ſeruatur in iſtis,
In te diſcatur ſophia ſancta patrum.
Tu valeas, vigeas donis inclita ſemper,
In ſophiæ cultu tu valeas, vigeas.
Ruſtica turba tuo habitet ſub tegmine nunquam,
Sit procul è tecto ruſtica turba tuo.
Protegat atque regat Chriſti te gratia ſemper,
Cum ſocüs pariter protegat atque regat.

D

CCLXIII.

PRæſul amate precor pergat hæc chartula tecũ,
Sis memor vt patris præſul amate precor.
Tu mihi dulcis amor, fili per ſæcula ſalue,
Chriſtus in æternum ſit tibi dulcis amor.
Semper in ore tuo reſonent pia verba ſalutis,
Laus Chriſto reſonet ſemper in ore tuo.
Pectore, mente, manu miſeris ſolatia præſta,
Semper ama Chriſtum pectore, mente, manu.
Omnibus eſto Pater, Paſtor, Patriarcha, Sacerdos,
Pauperibus miſeris omnibus eſto pater.
E *Sis decus Eccleſiæ, cunctis & forma ſalutis,*
Et caput & cuſtos ſis decus Eccleſiæ.
Gratia ſumma Dei tecum comitetur vbique,
Augeat & mentis gratia ſumma Dei.
Dic rogo perpetuum pueris, puer inclite ſalue,
Albine quoque vale dic rogo perpetuum.
Læta dies veniat nobis ſub nomine noſtro,
Aeterna & vobis læta dies veniat.
Sit tibi cura mei, curat te Chriſtus vbique.
Eſt mihi cura tui, ſit tibi cura mei.

CCLXIV.

NEc tu quippe tuum curaſti filia Flaccum,
Veſter abit toto tremulus en corpore vatis,

[illegible] acito vix carmine verſum.
[illegible] s ventus, nix vndique, nimbus.
[illegible] riam poteris purgare precando,
[illegible] poßit ſeruire Magiſtrum,
[illegible] atrono & præſule magno,
[illegible] ous ſecuri trulaque palaque.
[illegible] opulum mox pergat in hoſtem.
[illegible] canuto vertice tantum,
[illegible] s valeas mea Delia ſemper.

CCLXV.

QVæ cupis vt veniat, venias nec carta caueto,
Ne miſſas mergat Soſpita dira tuas.
Dum Moſes pelagus virgæ diuiſit in ictu,
Dic ſemel aut bis ſi percutit ipſe ſinum.
Munera muneribus David ſuperaddidit Albi,
Munera muneribus Chriſtus ſuperaddat & illi.
Carmina [illegible] nibus binas ſuperaddat & illi.
Omnia dona bonus ſemper Deus augeat illi:
Et te florentem faciat mea filia donis,
Atque mei Dauit ſobolis cariſſima donis
Floreat æternis, cuncti florete fideles.
Iam ſaluete, valete, vigete, & auete, valete.

CCLXVI.

DVctus amore tuo magno mitiſſime Chriſte,
Atque tuo pariter ſanctiſſima virgo Maria,
Atque tuo meritis præclare Medarde ſacerdos,
Iuſſerat hanc aram pulcris ornare metallis
Hildebaldus ouans humilis pater atque ſacerdos,
Pro quo lectores tituli exorare rogamus.

CCLXVII.

TV quicumq. cupis requies cognoſcere fratrū,
Et loca quo quiſque ſpectat ab arce Deum:
Nomina curre legens lacrymoſis ſcripta camœnis,
Perlectiſque ſimul funde preces Domino.
Vt pius omnipotens animas defendat ab hoſte,
Felicem tribuens pacis in arce diem.
Et cum perueniės ad hæc mea carmina quæſo,
Dic ſupplex, Paulo iam miſerere Deus.
Et Martine decus mundi, pater optime noſter,
Auxiliare piis te precor & precibus.
Cuius eram viuus ſemper deuotus amore,
Inque Deo Chriſto ſpes mihi ſacra fuit.
Paulus eram dictus Martini frimbibus * almi,
Tranſcurſi modicum tempus in orbe meum.
Me primum felix Burgundia matris ab aluo
Viderat effuſum & fletibus irriguum.
Mox Martinus amor rapuit me inclitus auctor
Poſt teneros annos in famulum ſibimet,
Perque ſuos ſeruos venerandos atque Magiſtros
Scripturis memet imbuit atque ſacris.
Septenas vixi decadas nouus hoſpes in orbe
[illegible] no ſanctus ſemper amore ſui.
Languidus, ægrotus ſoluebam debita donec,
Atque artus anima linquerat ipſa ſuos.

A Fraternis fueram manibus mox conditus iſta,
Hic mihi perpetua eſt domus & requies.
Omnipotens animas iubeat remeare quouſque
Ad cineres iterum tunc ero Paulus ego.
Nunc fratres animam precibus cōmendite Chriſto,
Voſque valete mei ſemper vbique Deo.

CCLXVIII.

SPlendida dum rutilat roſeis aurora quadrigis,
Perfundens pelagus luce noua liquidum.
Diſcutit ex oculis nocturnos pollice ſomnos,
Mox ſenior ſtrato proſilit ipſe ſuo.
B In campos veterum procurrens carpere flores
Rectilocos ludo ſpargeret vt pueris,
Quos tibi dulcis amor Dauid clariſſime conſul,
Obtulit, vt pietas veſtra probaret eos.
Tradere iam pueri fierent ſi iudice digni,
Te decus ô ſophiæ condere corde tuis.
Tu defende precor ſolita pietate Poëtam,
Qui direxit ouans munera pauca tibi.
Sunt equidem plures cupiunt qui carpere dicta
Sæpius alterius, quam ſua ferre foras.
In hoc ſe ſtudio ſapientes eſſe putantes,
Natorum valeant ſi maculare melos.
C Talibus occurrat tua rex ſapientia diues,
Defendens Flacci paucula dicta ſenis.
Sint patris Entelli memores, iuueniſque Daretis,
Ne laus quam quærant detrahat ipſa magis.
Impleat æternis Chriſti te gratia donis,
O laus atque decus, rex ſine fine vale.

CCLXIX.

HIc rogo pauxillum veniens ſubſiſte viator,
Et mea ſcrutare pectore dicta tuo.
Vt tua deque meis cognoſcas facta figuris,
D Vertitur ô ſpecies vt mea ſicque tua.
Nunc quod es fueram famoſus in orbe viator,
Et quod nunc ego ſum tuque futurus eris.
Delitias mundi caſſo ſequebar amore,
Nunc cinis & puluis vermibus atque cibus.
Quapropter potius animam curare memento
Quàm carnem, quoniam hæc manet, illa perit.
Cur tibi rura paras, quem paruo cernis in antro
Me ſopitum requies ſic tua parua fiet.
Cur Tyrio corpus inas * veſtirier oſtro *f. ſinas.
Quod mox eſuriens puluere vermis alet.
Aſpice qui quondam gemmis fulgebat & auro,
E Hic iacet in tumulo ſtercore ſordidior.
Vt flores pereunt vento veniente minaci,
Sic tua namque caro gloria tota fuit.
Tu mihi redde vicem lector rogo carminis huius,
Et dic, da veniam Chriſte tuo miſero.

CCLXX.

DVlcis Homere vale, valeat tua vita per æuū,
Semper in æternum dulcis Homere vale.

Pectoribus valeat dulcis dilectio noſtris,
In noſtris Chriſtus pectoribus valeat.
Lux, via, vita, ſalus cunctorum Chriſtus ametur,
Sit nobis Chriſtus lux, via, vita, ſalus.
Semper vbique vale, dic dic dulciſſime Dauid,
Dauid amor Flacci ſemper vbique vale.
O mihi dulcis amor Dauid per ſæcla valeto.
Quam te præſentem ſemper habere velim!
Pierio vt tecum liceat mihi ludere verſu,
Scandere vel ſummi ſidera celſa poli.
Vel pulcras tecum numerorum diſcere formas,
Inrepere aut veterum dicta ſtupenda patrum.
Aut tractare ſacra æternæ præcepta ſalutis,
Quæ via te mecum peruehat aſtra ſuper.
Hæc eſt ſola ſalus, hæc eſt ſapientia vera.
Hanc qui amat, hunc amat ipſa ſalus.*
Qui terrena dedit, tribuat cæleſtia regna;
Vt felix viuas ſemper in arce poli.
Ipſe pius nobis placuit ſuper omnia Chriſtus,
Vtque dies noſtros protegat atque regat.

CCLXXI.

VERSVS AD CAROLVM Imperatorem.

Carmina dilecto faciat mea fiſtula Dauid,
Laurigero Dauid carmine dignus erit.
Dauid amor populi, Dauid laus, gloria plebis,
Atque decus regni, ſpeſque corona ſuis.
Ite per Heſpericas muſæ concentibus vrbes,
Clamantes, Dauid ſemper vbique vale.
Terra, polus, pelagus, reſonet hoc voce ſonora,
Dicat & orbis honor, ſit cui vita ſalus.
Hoc optent precibus ſimul agmina ſancta polorum,
Hoc tribuat clemens Chriſtus ab arce poli.
Vt viuat, regnet multis feliciter annis.
Ad laudem populi Dauid in orbe pius.
Tranſacto & felix præſentis tempore vitæ
Cum Chriſto teneat regna beata poli.
Ad te nunc Dauid referat mea fiſtula voces,
Quas precor vt ſolita iam pietate legas.
Te mea mens ſequitur, ſequitur quoque carmen amoris,
Decantat, laudat nocte dieque ſimul.
Atque piè patris Martini pronus ad aram,
En poſcit lacrymis proſpera cuncta mihi.
Tecum ſancte pater pergat miſeratio ſemper,
Iuſtitiæque decus, & pietatis amor.
Gaudeat vt populus te iam veniente per vrbes,
Totus vbique ſimul cum ſenibus iuuenes.
Hoc tua perueniat bonitas pater optime regni,
Vt tua permaneat laus, honor, atque decus.
Tu pater es patriæ, præclari & paſtor ouilis,
Te timeat prauus, te pius omnis amet.
Nec tibi ſubripiat quorumdam praua voluntas,
Qui ſua forte volunt, nec tua nec Domini.
A *Roma caput mundi, primi quoque culmē li...*
In qua gazarum munera ſancta [l]atent.
Quæ modo diſrupto plangit ſua viſcera ſa...
Per te ſanet ſaucia membra cito:*
Vt pater & populus concordi pace re[g]ant
Vt mens vna fiat, quos habet vna fides.
Quos genuit Chriſto Chriſti confeſſus an...
Clauiger ætherius Petrus in orbe pius.
Ne turbata fluat per mundum fluminis vn...
Vnde ſolebat aqua pura manare prius.
Plurima nempe tibi ſunt emendanda per or[bem],
B *O rex, ô rector, ô decus Eccleſiæ.*
Simoniaca quidem pullulat male peſtis in o[rbe],
Muneribus dantur myſtica dona Dei.
Quæ Deus æternus cunctis impendere gra[tis]
Iuſſerat, vt gratis accipit ipſe dator.
Stat quoque iudicium cauſæ ſub munere d...
Sportula iuſtitiam vertit in ore ſenis.
Muneribuſque datis veniunt ad pocula te[ſtes],
Impia iam purgat ebrietaſque reum.
Opprimit & miſeros quorumdam ſæua p[oteſtas],
Impleat vt ſaccos diues ab ore ſuos.
C *Impune diſcurrunt facientes furta latrones,*
Vltores ſcelerum ſunt etiam ſocij.
Talia compeſcat tua rex veneranda poteſtas,
Rectorem regni te Deus inſtituit.
Grex eſt quippe tuus populus, tu paſtor ouilis,
Nobilis, egregij, magnus in orbe pater.
Vt tua nobilitas ſic & ſapientia cunctis
Præcellet, virtus, laus, honor, atque decus.
Ad te reſpiciunt famulorum vota tuorum,
Quid tua exſpectantes mens pia præcipiat.
Ipſa caput mundi ſpectat te Roma patronum,
D *Cum patre & populo pacis amore pio.*
Quos reuocare quidem ſtudeat tua ſancta voluntas
Ad pacis donum per pia verba Dei.
Erige ſubiectos, & iam depone ſuperbos,
Vt pax & pietas regnet vbique ſacra.
Paſtor Apoſtolicus iam primus in orbe ſacerdos
Per te cum populo gaudeat ipſe pater.
Rector & Eccleſiæ per te rex vite regatur,
Et te magnipotens dextra regat Domini.
Vt felix viuas lato regnator in orbe,
Proficiens facias cuncta Deo placita.
E *Angelus Aetheria veniens cæleſtis ab arce,*
Qui tecum maneat nocte dieque ſimul.
Proſpere qui ſemper te rex deducat euntem,
Et redeuntis iter protegat atque regat.
Vt te ſuſcipiat victorem Francia gaudens,
Obuia palmatis & manibus veniat.
Hoc tribuat Chriſtus mundi mitiſſimus auctor,
Vt veniens venias Dauid amate cito.
Hoc mihi cunctipotens donet clementia Chriſti,
Vt videam faciem lætus in orbe tuam.
O pater, ô paſtor, rector, ſpes alma tuorum,
Sit tibi vita, ſalus ſit ſine fine, vale.

CCLXXII.

CCLXXII.

EIVSDEM AD LEO- ... Apoſtolicum vrbis Romæ.

... s apex, & primus in orbe ſacerdos,
... Apoſtolicus papa valete Leo.
... patriæ præclari & culmen honoris,
Dignus in vrbe ſacra, doctus in orbe procul.
Iuſtitiæ cultor ſanctæ, & pietatis amator,
Firmus in officiis, verus in eloquiis.
Tu decus Eccleſiæ, mundi laus, gloria cleri,
Exemplum vitæ, forma ſalutis ope.
Te Deus æternus multis feliciter annis
Concedat ſacrum multiplicare gregem.
Vt laus & merces maneat tibi ſancte ſacerdos
Tempore perpetuo pacis in orbe ſacro.
Dogmata diuinæ legis renouentur vbique
Per te perque tuum ſancte pater ſtudium.
Hoc opus antiqui patres fecere per orbem,
Quorum dicta modo pagina ſacra canit.
Et virtutis honos lato celebratur in orbe,
Cæleſtis quorum nomina charta tenet.
Et laus perpetuo decantat carmine mundus,
A *Principibus ſtructa eſt talibus Eccleſia.*
Hoc opus, hoc ſtudiũ Magni eſt paſtoris in orbe,
Nempe talenta ſibi multiplicare data.
Totus hora quidem properat mundi......
Vt quondam vates præcinuere ſacri.
Et iudex vigilat hominum ſuper acta ſupernus,
Vt cunctos propriis iudicet ex meritis.
Tunc famulus ſumet meritorum dona fidelis,
Lætus & intrabit gaudia ſumma Dei.
Tu quoque ſancte pater laudem inter hos habebis,
Sanctorum ciues, clarus in arce poli.
Vt tunc eſſe bonis felix merearis in.......
Nunc durus tibi ſit nullus in orbe labor.
B *Pœnarum genera ſpreuerunt omnia Sancti,*
Cum Chriſto vt caperent regna beata poli.
Horum ſancta ſequens felix veſtigia paſtor,
Doctrinis mentis cum pietate ſacris,
Vt te perpetuis cælorum gloria donis
Cum Chriſto & ſanctis accipiat, teneat.
Miſerat hunc puerum veſtræ pietatis amator,
Præſul Eanbaldus munera parua gerens.
Quem tua ſuſcipiat bonitas obſecro benigne,
Et famulus veſter, filius, atque meus.
Eccleſiæ magno Papæ & paſtore Leoni
Albinus cartam miſerat hanc famulus.

Henricus Caniſius Præfat. in edit. Carminis ſequentis Tom. VI. Antiq. Lect.

QVIS ſit auctor huius Poëmatis, definire non audeo. Codex, vnde exſcriptum, habet in extrema pagina hos verſus antecedente hæc ſigna. fer hel pc. Vnde recentior coniecit & adſcripſit quoque hæc verba, *Ferius Helpericus Auctor ſequentis carminis.* Ego hæreo, & magis ad Alcuinum inclino, non propter notas illas, quas ad hoc poëma non pertinere exiſtimo, ſed quia conſtat Alcuinum de rebus geſtis Caroli Magni ſcripſiſſe; id enim teſtantur cum alij, tum Hæreticus Balæus in catalogo ſcriptorum Britanniæ. Forſan autem hoc poëma vel pars vel fragmentum eſt grandioris illius operis; nõ enim credam totum opus eſſe. Nec ſtylus & genus orationis abludit à vena Alcuini; vt notum illis quibus Alcuini carmina nota. Quid, quod aliquoties vocat Carolum *Dauidem*? Quæ appellatio Alcuino tam familiaris fuit, vt ſcribens ad Carolum, Caroli nomen ſæpius omitteret; Dauidemque Regem nũcuparet. Nec ratio temporum repugnat. Venit enim Leo III. Pontifex ad Carolum Anno Chriſti *799*. quo adhuc viuebat Alcuinus, quippe qui demùm anno 804. obierit. Et ipſe initio ſignificat ſe iam feſſum ad ſcribendum accedere, & ſæpius fortunam expertum eſſe; hic tamen; occaſione tam præclari argumenti denuò ſcriptionis aleam ſubeundam fuiſſe. Et certè tam piè & religioſè aduentum Pontificis ad Carolum & Francos deſcribit, & tam enucleatè honores Pontifici habitos percenſet; vt vel ob hoc indicium ex religioſiſſima Alcuini officina poëma hoc non improbabiliter profectum, credi queat. Accedit demum, quod Auctor huius poëmatis omnia, quæ ſcribit, præſens ſpectaſſe videtur. Quare nihil etiam cauſſæ relinquitur, cur quis fortaſſe referre velit ad illum Helpericum, de quo hæc Trithem. in lib. de viris illuſt. Germaniæ, *Helpericus Monachus Cœnobij S. Galli. Ord. D. Patris Benedicti, vir & ipſe in diuinis ſcripturis multum eruditus, atque in ſæcularibus litteris doctiſſimus, Philoſophus, Aſtronomus & Poëta celeberrimus, ingenio ſubtilis, & diſertus eloquio, nec minus vita, quàm eruditione inſignis. Scripſit tam metro quam proſa multa præclara opuſcula, ſed pauca eorum ad manus noſtras peruenerunt. Vidi enim duntaxat & legi librum clariſſimum, quem de computo Eccleſiaſtico edidit. Et alium de Muſica prænotatum, ſed & quædam carmina. Claruit eodem tempore, quo Hermannus Contractus. Anno Domini M XL.*

MAG. ALBINI FLACCI ALCHVVINI, DE KAROL[O] MAGNO ET LEONIS PAPÆ AD EVNDEM aduentu,

Non mi sembra d'Alcuino la poesia che ſie-gue: il verſo corre troppo: poca ha ſentenza, e pochi falli di metro: e troppo ha di parole.

CARMINA.

A *RVRSVS in ambiguos grauis admonet anchora calles*
Vela dare, incertis claſsē cōcredere vētis,
Languida quæ geminas ſuperarūt mēbra procellas,
Ad noua bella iubet laſſos reparare lacertos,
Victricemque manū grauidis conſurgere remis,
Quo vocat aura leuis placidis ſuperare profundum
Flatibus æquoreas tentando claſsibus vndas,
Tendere ad ignotas celerique per æquora terras
Curſu, & præcipites ſcopulos pulſare natatu,
Vela mouet placidus tremulis cita flatibus Eurus,
Cogens me rapido nunc tendere in ardua greſſu
Europæ, quo celſa Pharus cum luce coruſcat,
Spargit ad aſtra ſuum Karolus Rex nomē opimū,
Sol nitet ecce ſuis radiis, ſic denique Dauid;
Inluſtrat magno pietatis numine terras.
Res tamen vna duos variando ſeparat iſtos,
Et vice diſiuncti mutata ſæpe feruntur.
Illum aliquando tegunt nimboſo nubila tractu,
Hunc vllæ numquam poſſunt variare procellæ.
Ille caret proprio biſſenis lumine horis:
Iſte ſuam æterno conſeruat ſidere lucem,
Pace nitet læta pariter pietate redundans
Neſcit habere pio lapſurum lumine caſum.
Vultu hilari, ore nitet, ſemper quoque frōte ſerena
Fulget, ab æterno pietatis lumine Phœbum
Vincit ab occaſu diſpergens nomen in ortum
Armipotens Carolus victor, pius atque triūphās,
Rex cunctos ſuperat reges bonitate per orbem,
Iuſtior eſt cunctis, cunctiſque potentior exſtat,
Ille Duces magno & Comites illuſtrat amore,
Blandus adeſt iuſtis, hilarem ſe præbet ad omnes,
Iuſtitiæ cultor cultores diligit omnes,
Iuſtus in exemplum cunctis ſe donat habendum,
Ingreditur prior ipſe ſequi quo ſe cupit omnes.
Tentat iter facilè cuncti quo iure ſequantur.
Iniuſtos merito duris conſtringit habenis,
Atque iugum imponet grauidum ceruice ſuperbis,
Diſcere iuſtitiam diuinis admonet actis,
Impia colla premit rigidis conſtricta catenis,
Et docet alti throni præcepta implere tonantis,
Quod mens leua vetat ſuadendo animuſq. ſiniſter,
Hoc ſaltem cupiant implere timore coacti,
Quod non ſponte prius miſeri fecere rebelles,
Exercere ſtudent auide inſtimulante timore,
Qui prius eſſe fero iam dudum more repugnat,
Fitque timore pio pius impius ille coactus,
Erigit hinc humiles, humileſque extollit in altum,
Prona colit releuans ad celſa cacumina colla,
Ora trahit ſummiſſa gradus Rex iuſtus ad altos,
Colla ſuprema premit ſubdens excelſa petentes,
Et quantum miſeri conantur ſurgere ad altum,
Rurſus ad ima facit merito deſcendere tantum,

Strenuus ingenio Carolus, ſapienſque m[o]ſtus,
Inſignis ſtudio, reſplendens mente ſagaci,
Nomen & hoc merito Carolus ſortitur in orb[e]
Hæc cara eſt populis lux & ſapientia terris,
Omne decus pariter famulis ornatus, & omn[i]
Exſtat honor populi & plebis ſpes gloria ſu[a]
Nominis, hunc olim terris promiſit origo,
Tam clarum ingenio, meritis quam clarus o[pibus]
Fulget in orbe potens, prudens, gnaruſq. mod[estus]
Inluſter, facilis, doctus, bonus, aptus, honeſtu[s]
Mitis, præcipuus, iuſtus, pius, inclitus, Heros
B *Rex, rector, venerandus apex, Auguſtus, op[imus]*
Arbiter inſignis, Iudex, miſerator egenûm,
Pacificus, largus, ſolers, hilariſque, venuſtus
Grammaticæ doctor conſtat prælucidus artis
Nullo vnquam fuerat tam clarus tempore lector,
Rhetoricæ inſignis vegetat præceptor in arte,
Summus apex regum, ſūmus quoq. in orbe ſophiſta
Exſtat, & orator facundo famine pollens,
Inclyta nam ſuperat præclari dicta Catonis,
Vincit & eloquij magnum dulcedine Marcum,
Atque ſuis dictis facundus cedit Homerus,
Et priſcos ſuperat dialectica in arte Magiſtros.
Quatuor aſt alias artes quæ iure ſequuntur
Diſcernit ſimili rerum ratione magiſtra,
Doctus in his etiamque modo Rex floret eodem,
C *Solus iter meruit doctrinæ adipiſcier omne,*
Occultas penetrare vias myſteria cuncta
Noſſe Deo ſeriem reuelante ab origine rerum,
Omnem quippe viam doctrinæ inuenit, & omnē
** Aroſopacum aditum ſecretaque clancula verba* * Areopa-cum.
Omnia. ſolus enim meruit pius ille talenta
Suſcipere & cunctis præfertur in arte Magiſtris.
Scilicet imperij vt quantum Rex culmine reges
Excellit, tantum cunctis præponitur arte.
Quis poterit tanti præconia p[r]omere Regis,
Quiſue putat ſermone rudis ſe principis acta
Poſſe referre? ſenes cum vincant omnia vates,
Exſuperatque meum ingenium iuſtiſſimus actis.
D *Rex Carolus, caput orbis, amor populique decuſq.*
Europæ venerandus apex, pater optimus, Heros,
Auguſtus, ſed & vrbe potens, vbi Roma ſecunda
Flore nouo ingenti magna conſurgit ad alta,
Moletholis muro præcelſis ſidera tangens.
Stat pius arce procul Carolus loca ſingula ſignans,
Altaque diſponens venturæ mœnia Romæ.
Hic iubet eſſe forum, ſanctum quoq. iure ſenatū,
Ius populi & leges, vbi ſacraque iuſſa capeſſant.
Inſiſtitque operoſa cohors, pars apta columnis
Saxa ſecat rigidis, arcem molitur in altum,
Aſt alij rupes manibus ſubuoluere certant,
Effodiunt portus ſtatuuntque profunda theatri

imentatholis includunt atria celſis,
lij thermas calidas reperire laborant.
a ſponte ſua feruentia mole recludunt,
moreſq; gradibus ſpecioſa ſedilia pangunt,
nimio bullentis aquæ feruore calere
ceſſat, partes riuos deducit in omnes
, & æterni hic alij benè regis amœnum
truere ingenti templum molimine certant.
dit ad aſtra domus muris ſacrata politis,
ſuper in ſummis populi procul arcibus ardens
locat ſolidè coniungens marmora nexu,
ra ſtat gradibus portantum ſorte receptans,
onera atq; auidis manibus prædura miniſtrat,
alij ſubeunt, voluunt ad mœnia rupes,
ntes paſſim faſces, ceruice reflexa
onunt humeris valido ſub pondere feſſi,
ſtraq; dāt ſonitū, vaſtus fragor æthera pulſat,
trepitus, magna conſurgit ſtridor in vrbe,
e reditque operoſa cohors diffuſa per vrbem,
teriam Romæ certatim congregat altæ.
alij arma parant acuentes vtile ferrum
Marmora quo poſſunt ſculpi, & quo ſaxa ſecari,
Feruet opus velutique ſolent æſtate futuræ
Pulchra hiemis nō immemores alimenta ciborum
Cum * facere ore legunt carpentes floſcula apeſque …ptus.
Per latices, per thyma volant ſtridentibus alis,
Floribus inſidunt aliæ, prædaque redire
Accepta ſtudeant, redolentia caſtra reuiſant,
Aut fœtus aliæ certant educere adultos,
Aut cum nectareas componunt ordine cellas
Roſcida ſtipantes ſinuoſo poplite mella:
Haud aliter lata Franci ſpatiantur in vrbe.
Non procul excelſa nemus eſt, & amœna virecta
Lucus ab vrbe virens, & prata recentia riuis
Obtinet in medio multis circumſita muris.
Hic amnem circumuolitat genus omne volucrum,
In ripis reſident rimantes paſcua roſtris,
Non procul in medio ſummergunt flumine ſeſe,
Nunc quoque præcipiti properant ad littora curſu
Hoſque toros iuxta ceruorum paſcitur agmen
Riparum in longa per amœnaque paſcua valle
Huc illuc timido diſcurrit damula greſſu
Fronde retecta vacat, paſſim genus omne ferarum
His latet in ſiluis, etenim nemora inter opaca.
Hic pater aſſidue Carolus venerabilis Heros
Exercere ſolet gratos per gramina ludos,
Atque agitare feras canibus, tremuliſque ſagittis
Sternere cornigeram nigraque ſub arbore turbam.
Exoritur radiis cum primum Phœbus honeſtis,
Et iubar ignicomo perluſtrat lumine montes
Præcipites ſcopulos, & ſumma cacumina tangens
Siluarum thalamo properat dilecta iuuentus,
Regali parte ex omni collecta reſiſtit
Nobilium manus expectans in limine primo,
Fit ſtrepitus, clamor conſurgit vaſtus in vrbe,
Deſuper ex alto reſpondent culmine tecta
…nſilit Aerea præcipuus conſiderat * ſtridor in auras,
Hinnit equuſq; ad equū, cōclamat turba pedeſtris,

A Inque vicem proprio reuocatur pignore quiſque
Ad Dominū famuluſque ſuum ſequiturq; vocantē.
Hic phaleratus equus grauidis auroque metallis
Terga recepturus Regem in ſua gaudet opimum,
Stās monet * care caput, mōtes cupit ire per altos, *locus corrupt. f. mouet acre.
Egreditur tandem circum ſtipante caterua,
Europæ veneranda Pharus ſe prodit ad auram,
Enitet eximio vultu facieque coruſcat.
Nobile namque caput precioſo amplectitur auro.
Rex Carolus cunctos humeris ſupereminet altis,
Lata ferunt iuuenes ferro venabula acuto
B Retia quadruplici iniunctaque linea limbo,
Atque canes auidos ducunt per colla reuinctos
Ad prædam faciles furioſoque ore moloſſos.
Iam pater excelſi Carolus ſacra limina templi
Deſeruit, mox caſtra ducum comiteſque priores
Mouere, altæ vrbis panduntur claſſica portæ.
Cornua concrepitant, fragor ingens atria complet,
Præcipitique ruunt iuuenes ad littora curſu.
Hinc thalamo cunctata diu regina ſuperbo
Procedit multa circum comitante caterua,
C Luitgardis Caroli pulcherrima nomine coniux,
Fulgida colla nitent roſeo ſimulata colore,
Cedit opimum etenim redimitis crinibus oſtrum,
Candida purpureis cinguntur tempora vittis,
Aurea fila ligant chlamydem, capitique byrillus * *berillus.
Inſeritur, radians claro diadema metallo
Enitet, & veſtis biſcocco purpura byſſo,
Ornantur variis radiantia colla lapillis,
Agmina ſeiungit pulchris ſtipata puellis.
Magnanimos inter proceres regina ſuperbo
Gaudet equo, & iuuenū circū magna emicat ardēs.
Cætera regalem pubes pulcherrima prolem
D Expectat foribus, turmis comitatus opimis,
More Patri & vultu ſimilis procedere tandem
Tentat item Carolus genitoris nomine pollens,
Terga ferocis equi ſolito de more fatigat,
Hinc Pippinus aui ſequitur de nomine dictus,
Reſtaurat proprij qui publica geſta parentis,
Bellipotens animoſus heros fortiſſimus armis,
Seque ſuos inter famulos fert ductor opimum,
Cœtibus innumeris circumdatus enitet alto,
Vectus equo, eximio vultu facieque coruſcans,
Tempora cui rutilo cinguntur pulchra metallo.
Circumfuſa ruit comitantum turba rotatu,
E Per patulas portas certatim exire ſenatus
Conatur, magno cum murmuris inde tumultu
Cornua rauca ſonant, auido latratibus auras
Complent ore canes, fragor ignea ſidera pulſat:
Inde puellarum ſequitur mox ordo coruſcus,
Rhodrud ante alias, rapidoque inuecta puellas
Fulget equo, & placidū prior occat ordine greſſū,
Immixta eſt niueis ametyſtina vitta capillis,
Ordinibus variis gemmarum luce coruſcans,
Namque corona caput precioſis aurea gemmis
Implicat, & pulchrum ſubnectit fibula amictum:
Virgineos interque choros, turbaque ſequentem
Proxima Berta nitet multis ſociata puellis,

Voce virile animo,habitu,vultuque coruſco,
Os,mores,oculos imitantia pectora patris
Fert,caput aurato diademate cingitur almum,
Aurea ſe niueis commiſcent fila capillis.
Lactea quippe ferunt precioſam colla murinam,
Ornatur veſtis varijs ſpecioſa lapillis,
Ordine gemmarum numeroſa luce coruſcat.
* Bractea. ** Bratea Chryſolithis ornantur tegmina gemmis.*
Giſala poſt iſtas ſequitur candore coruſcans
Virgineo comitata choro,micat aurea proles
Tecta melocineo fulgeſcit femina amictu,
Mollia purpureis rutilant velamina filis,
Vox,facies,crines radianti luce coruſcant,
Splendida colla nitent roſeo inflammata rubore,
Argento ſtat facta manus,frons aurea fulget,
Et magnum vincunt oculorum lumina Phœbum.
Læta ſuper rapidum conſcendit virgo caballum,
Frena ſuperbus equus ſpumantia dente volutat,
Hinc comitata viris,illinc ſtipata puellis
Innumeris circum circumſtrepit agmen equorum,
His cumulata bonis præcelſa ſolaria linquens
Virgo pudica pij ſequitur veſtigia regis.
Rhodhaid inde micat multis ornata metallis,
Agmen ouans rapido præcedit femina greſſu,
Pectora colla comæ lucent variata lapillis,
Serica & ex humeris dependent pallia pulchris,
Inſeritur capiti nitido gemmata corona,
Stringit acus chalmydem gemmatis aurea bullis,
Pulchra vehetur equo Rhodhaidis virgo ſuperbo:
Quo latitare ſolent hirſuto tergore cerui,
Interea ingreditur vultu Theodrada coruſco,
Fronte venuſta nitens,& cedit crinibus aurum,
Pulchra peregrinis conlucent colla Smaragdis.
Res,manus,ora,genæ,ceruix radiata niteſcit,
Clara ſerenatis fulgeſcunt lumina flammis.
Pallia permixtis lucent Hiacynthina talpis,
Clara Sophocleoque ornatur virgo cothurno
Turba puellarum circumſtrepit agmine denſo,
Atque venuſta cohors procerum nitet ordine lōgo,
Et ſedet in niueo pulcherrima virgo caballo
Acri fertur equo Caroli pia filia Regis,
In nemus ire parat ſacrata palatia linquens.
Agminis extremam partem ſibi vindicat Hildrud,
* f. Senatus. *Illi ſorte datur,dehinc vltimus ordo ſenatum *,*
Ipſa autem medio fulgeſcit in agmine virgo,
Temperat expoſitum ſpatij moderamine greſſum
* f. ſoli pleni. *Litorei iuxta ora ſoli plens * inclita tendit*
Venandi ſtudio,regique exercitus omnis
Iam ſociatur,adeſt,mox ferrea vincta rapacum
Cuncta cadunt reſoluta canum; luſtra alta ferarū
Nare ſagace petunt quærentes vite rapinam,
Et luſtrant auidi condenſa frutecta moloſſi,
Diffuſi errantes in opacis ſaltibus omnes,
Sanguineam ſiluis prædam reperire laborant,
Cingit eques ſaltum fugitiuis obuia turbis
Turba paratur, aper fuluus fit valle repertus,
Mox nemus inſiliunt equites & voce ſequuntur,

A *Prædam agiles certant fugitiuam agitare moloſſi*
Et ſparſi currunt per opaca ſilentia ſiluæ.
Iſte tacendo volat celerem poſt rite rapinam.
Ille autem vacuas complet latratibus auras.
Errat hic vmbroſis deluſus odore frutectis
Alter in alterius hinc ſaltibus inde rotatur.
Ille videt,hic prædam ſentit odore fugacem.
Fit ſtrepitus,ſiluis conſurgit ſtridor in imis,
Et tuba magnanimos incendit ad acta moloſſos
Prælia dirus aper quo ſe fert dente minaci,
Arboribuſque excuſſa cadunt folia vndiq. in altis,
B *Per loca vaſta fugit, rapidoque per inuia curſu*
Tendit iter frendens teret † alta cacumina montis † f. terit, aut,t net.
Curſibus exhauſtus laſſo pede conſtat anhelus.
Iam parat arma necis canibus turbamque ſequacē
Sternit,& horrendo rapidos rotat ore moloſſos.
Mox Carolus pater ipſe volat,mediūque per agmē
Ocior aligeris auibus forat enſe ferinum
Pectus,& intinguēs gelidum in præcordia ferrū;
Corruit ille vomens vitam cum ſanguine mixto;
In flaua moriens ſeſeque volutat harena,
C *Regalis monte hæc proles ſpeculatur ab alto.*
Mox aliam Carolus prædam iubet inde mouere,
Et ſocios verbis claris ita fatur amicis:
Hanc fortuna diem nobis deducere lætam
Annuit auguriis & noſtra incœpta ſecundat,
Ergo fauete omnes iſtum exercendo laborem
Venandi ſtudio, curamque adhibete benignam.
Vix hæc dixit Heros,ſubitò fremit agmen ab alto
Monte,nemus repetunt proceres hinc inde ruentes
Præceleres agitare feras.pater inclitus ipſe
Ante volans Carolus manibus fert miſſile ferrum,
Sternit & innumeras porcorum ſtrage cateruas.
D *Corpora multa cadunt paſſim proſtrata ferarum.*
Tunc Carolus prædam proceres partitur in omnes,
Et ſpoliis onerat grauidis ſocioſque ſequaces,
Inde reflectit iter campum,repetenſque priorem
Frondoſum lucum patulis,fonteſque recentes
Ramis prætextos, & opacam frigoris vmbram,
Aurea hic terris paſſim tentoria fixa,
Stant pompoſa ducū hinc inde & caſtra niteſcūt,
Læta parat Carolus ſociis conuiuia,lætus
Conuocat huc omnes longæuos ordine patres,
Maturum populum natum melioribus annis,
Impubem pariter plebem, caſtaſque puellas
E *Conlocat,inde iubet menſis donare falerna.*
Sol fugit interea,lucem nox occupat vmbris,
Membra ſed exoptant placidum defeſſa ſoporem.
*Portentum Rex triſte videt monſtrumq; nefandū**
In ſomnis ſummum Romanæ adſtare Leonem
Vrbis Pontificem,mœſtoſque effundere fletus;
Squalentes oculos,maculatum ſanguine vultum,
Trūcatam linguam,horrendaque multa gerentem
Vulnera,ſollicitos gelidus pauor occupat artus,
Auguſti rapidos Romana ad mœnia miſſos
Tres iubet ire,foret ſi ſanus paſtor opimus,
Explorare gregis, quid triſtia ſomnia ſignent
Miraturque,piam curam gerit ille fidelem.

[illegible]inant rapidis legati paſſibus, ipſe
[illegible]niam repetit cum multis milibus Heros.
A[illegible]ina conueniunt diuerſis partibus orbis,
Cognatæque acies properant ſuper ardua Rheni
Littora Saxonum populum domitare rebellem.
Et ſæuam gelido gentem reſcindere ferro.
Culmina iam cernunt Vrbis procul ardua Romæ.
Optatique vident Legati à monte theatrum,
Triſtior occurrit vulgataque fama repente
Lumen Apoſtolicum crudeli funere plagis
Occubuiſſe feris, nam ſerpens ſæuus & atrox
Qui ſolet vnanimes bello committere fratres
Semina peſtiferi iactare nocenda veneni
Suaſit in innocuum cæcatis mentibus omnes
Sæuire, & famulos Dominum trucidare potētem.
Dira animis in lapſa lites & ſenſibus hæſit,
Virus peſtiferum concepit pectus anhelum.
Inſidias poſuere viro, mortemque parabant
Inſonti, triſtemque necem plebs impia telis
Paſtorem in proprium ſeſeque armauit iniquis,
Dum ſolitum tranſiſſet iter Leo Papa benignus,
Et ſacra Laurenti peteret pede limina ſancti
*Plebs demēs populuſq; vecthros * malè ſana iuuē-*
Fuſtibus & gladiis nudatis enſibus omnis (tus,
Inruit in ſummum paſtorem turba tumultu,
Cæca furens, ſubito diris commota procellis,
Sacra ſacerdotis torquebat membra flagellis,
Vnius in caſum multorum ſæuit hiatus,
Carnifices geminas traxerunt fronte feneſtras,
Et celerem abſcindunt lacerato corpore linguam.
Pontificem tantum ſeſe extinxiſſe putabat
Plebs pietate carens atriſque infecta venenis,
Sed manus alma patris oculis medicamina adēptis
Obtulit, atque nouo reparauit lumine vultum.
Ora peregrinos ſtupuerunt pallida viſus.
Explicat & celerem truncataque lingua loquelā.
Cum ſociis magnus paucis fugit inde ſacerdos,
Clam petere auxilium Spolitinam tendit ad vrbē,
A Duce cum magno fit hic ſuſceptus honore
VVinigiſo, & multis cumulatus in ordine donis.
Audit Italiam Miſſos veniſſe fideles
Francorum. & ſolitam Romanis ferre ſalutem
Non voluiſſe, ſuum quoniam ſine culpa potentem
Suppliciis Dominum cruciaſſent, mox manifeſtos
Ille venire viros ad ſe iubet, atque ita fari
Incipit, & truncata breui infra lingua palatum
Curſu errat placidam depromens voce loquelam:
Vos ego per caram Caroli coniuro ſalutem
*Regis, vt eiectum me defendetis * in armis*
Finibus à propriis & ſeuis honore repulſum.
Me quoque vobiſcum ad veſtrum ducetis opimū
Regem, & præcipui liceat mihi Principis ora
Cernere, qui iuſto noſtros examinet actus
Iudicio. & vindex ſæuiſſima verbera noſtra
Vindicet inſignis luctus gemitumque meumque
Alleuet, addendo noſtræ ſolatia vitæ.
Ergo agite, & veſtra ſi nūc mihi gratia certa eſt,
Eripite his terris, Dauid me obtutibus almis

A *Præſentate viri, iam nos mora nulla tenendo*
Impediat, gelidas ſuperemus curſibus Alpes.
Hæc Leo Papa, cohors Francorum mixta Latinis
Obſtupuit Domino grates laudeſque rependens,
Qui noua Pontifici reddebat lumina ſummo,
Et deſperatam condebat in ore loquelam.
At Germar contra breuiter ſic vocibus vſus,
Lux, decus egregium populorum, lumen amœnum,
Paſtor Apoſtolicus venerandus in orbe ſacerdos,
Te mandare decet quidcumque in corde volutas,
Nos parere tuis fas eſt, pater optime, iuſſis.
Inde iter incipiunt læti, rapidiſque metiri
B *Paſſibus. Auguſti iuuat ire ad limina magni,*
Difficiles temptare vias, callemque ſeuerum
Vincere certatim diuerſa per oppida pergunt.
Innumeræ occurrunt paſſim ad ſpectacula turbæ,
Pontificis ſacras gaudentes lambere plātas.
Multaque præterea cumulantes munera portant,
Et capite in veteri viſus cernendo nouellos
*Obſtipeant *, linguamque loqui mirantur ademptā* * f. obſtupeant.
Iam dudum & celerem recreantem voce loquelā.
Rex pius interea gelidum tranſnauigat amnem
Dauid ſpumoſi ſuperans vaga cerula Rheni,
Armatas acies inter primoſque coruſcat
C *Arduus, arma tenens equitatus vertice toto*
Exſuperat comites, fulgentes ære cateruæ
Vndique collectæ properāt, atque agmina iungūt
Cum fremitu vario, ſeſe & ſtupet inſcia tellus
Loricas, enſes, galeas, tot ſcuta virorum,
*Ac concuſſa tremet * ſub tanto pondere ferri.* * tremit.
Vaſtus ad aſtra frequens cōſcēdit clamor, & echo
Rupibus è gelidis ſaxoſo à monte reſultat.
Eſt locus inſignis quo Patra & Lippa fluentant
Altus, & in nudo campo iacet vndique largo
Veſtitus ſpacio celſo de colle videri.
Nāq; poteſt legio omnis, & hinc exercitus omnis
D *Caſtra Ducum & Comitum radiantiaque arma*
virorum.
Huc Carolus multis ſtipatus milibus Heros
Aduenit, & tādem iuuat hic ſuccedere tectis.
Miſſus Apoſtolici regalem tendit ad aulam.
Interea & ſummū manifeſtat quippe venire
Pontificem expulſum Romana a Sede Leonem,
Ciuibus à propriis & tot toleraſſe recenſet
Verbera, cōmemorans extinctum lumine vultum,
Narrat & abſciſſam liquido de gutture linguam:
Nunc medicante Deo ſanatum, & ab omnib. iſtis
Eſſe malis, animis ſtupet ipſe exercitus omnis
E *Audita, & Carolus recolendo ſomnia retro*
Præteriti indicio agnoſcens veſtigia viſus,
Hoc fore nō dubitat quod triſtes fundere fletus
Pontificem in ſomnis iam dudum vidit eundem.
Hinc iubet extemplo Pippinum occurrere magno
Paſtori, pacem & placidam portare ſalutem,
Obuius ire parat genitoris iuſſa faceſſens.
*Pippinus centum lætus cum milibus ibit *.* * f. ibat.
Ipſe ſedet ſolio Carolus Rex iuſtus in alto
Dans leges patriis, & regni fœdera firmat.

Vtque videt patulo aduerſum ſe tendere campo
Paſtor Apoſtolicus centum cum milibus altum
Pippinum, geminas extendit ad æthera palmas,
Pro populoque preces effundens pectore largas.
Ante Sacerdotem ter ſummum exercitus omnis
Sternitur, & ſupplex vulgus ter fuſus adorat.
Mox Leo Papa ſolo Pippinum more benigno
Excipit, & ſacris circumdans colla lacertis,
* libans. *Hæret in amplexuque diu placida oſcula libens **
It Comes, & ſupra ſe confert vertice toto
Pippinus, varias miſcent ſermone loquelas
Cod MS. problеps innata vmbo fort. leg. problemata verbo. *Inque vicem diuerſa leuant pro * ......*
Rex pius interea ſolium conſcendit, & omnem
Alloquitur populum Carolus venerabilis heros.
Ergo agite ô proceres, inquit, quibus induite arma
Ire eſtis ſoliti ad bellum, Martemque ſeuerum
Temptare, & crudo voſmet confidere pugno,
Pontifici celeri curſu occurremus opimo,
Vix hæc dixit heros, fremit vndiq. turba tumultu.
Tela manu glomerat, mox loricaſque trilices
Et latos clypeos; galeaſque & ſpicula peltæ,
Aeratæ reſonant, acies hinc inde videntur
Ire equitum, ſparſo nigreſcunt puluere nubes,
Et tuba lugubri medio ſtrepit aggere voce,
Claſsica ſigna ſonant, campi denſantur aperti,
Agmine criſtatus fulgetque exercitus omnis,
Tela micant pariter vexilla leuata coruſcant,
Armati incedunt iuuenes & freta iuuentus
Gaudet equis, ſiccus feruеſcit in oſsibus ardor
Audendi, ac Carolus medio micat agmine lætus.
Aurea criſta tegit fronte, & conſpectus in armis
Fulget, equo ingenti portatur ductor opimus,
Ante Sacerdotum porrò caſtra agmina ternis
Stant diuiſa choris in longis veſtibus, almæ
Sacra crucis vexilla leuant, & Præſulis omnis
Aduentum expectat, Cleruſque & cādida plebes.
Iam pater in campo Carolus videt agmina aperto
Pippinum & ſummum Paſtorem tendere contrà,
Conſtat, & inq; modum populū exſpectare coronæ
Præcipit, atque aciem hinc diuidit vrbis ad inſtar.
Ipſe autem medio conſiſtere in orbe beatus,
Præſulis aduentum expectans, & vertice toto
Altior eſt ſociis, populum ſupereminet omnem.

A *Iam Leo Papa ſubitq; externo ſe agmine miſ...*
Quam varias habitu linguas tam veſtis & ar...
Miratur gentes diuerſis partibus orbis.
Extemplo properans Carolus veneranter adorat,
Pōtificē amplectēs magnū & placida òſcula libat,
Inque vicem dextras iungunt, pariterque ferūtur
Greſsibus, & multò miſcentes verba fauore,
Ante Sacerdotem ter ſummum exercitus omnis
Sternitur, & ſupplex vulgus ter fuſus adorat,
Pro populoque preces ter fundit pectore Præſul,
Rex pater Europæ, & ſummus Leo paſtor in orbe
Congreſsi, inque vicem vario ſermone fruuntur.
Exquirit Carolus caſus auditque laborum
B *Diuerſos ſceleris populi impia facta ſtupeſcit,*
Miratur geminas iam dudum luce feneſtras
Extinctas, & nunc reparatum lumine vultum,
Truncatamque loqui mirantur forcipe linguam.
Alter in alterius configunt lumina vultus:
*Et * parili ſedes tendunt ad culmina greſſu,*
Ante Sacerdotes ſacri ſtant oſtia templi
Alternis vicibus modulantes carmina laudum,
Atque creatori grates laudeſque frequentant,
Qui noua Pontifici reddebat lumina ſummo,
Et deſperatam condebat in ore loquelam.
Exoritur clamor, vox ardua pulſat Olympum,
Intrat Apoſtolicus Carolo ducente beato,
C *Templa creatoris ſolito ſollemnia more*
Concelebrate, pio Miſſarum ſacra fauore.
Ex hinc officiis diuinis ritè peractis
Inuitat Carolus celſa intra tecta Leonem.
Clara intus pictis conlucet veſtibus aula
Auro oſtro ornantur hinc inde ſedilia multo,
Ad menſas reſident læti variiſque fruuntur
Deliciis, medio celebrant conuiuia tecto,
Aurea namque tument per menſas vaſa falerno.
Rex Carolus ſimul & ſūmus Leo Præſul in orbe
Veſcitur atque bibunt pateris ſpumantia vina.
Poſt lætas epulas & dulcia pocula Bacchi
D *Multa pius magno Carolus dat dona Leoni.*
Hinc lætus repetens aulæ ſecreta reuiſat
Rex & Apoſtolicus repetit quoq. caſtra ſuorum.
Cum tali à Carolo Leo fit ſuſceptus honore,
Romanos fugiens propriis repulſus ab oris.

ITEM ALII ALCHVVINI, VERSVS,

Ex variis in vnum collecti locis.

Interceſſio pro Mauro.

Ex libro Rhabani Mauri, de Cruce.

SANCTE Dei *præſul meritis in ſæcula viuens*
Cauſā quam ferimus ſuſcipe mente pia.
Nempe ego cum fueram cuſtos humiliſq. miniſter
Iſtius Eccleſiæ dogmata ſacra legens.
Hunc puerum docui diuini famine verbi
Ethicæ monitis, & Sophiæ ſtudiis.
Ipſe quidem Francus genere eſt, atque incola ſyluæ

E *Batoniæ, huc miſſus diſcere verba Dei;*
Abbas namque ſuus, Fuldenſis rector ouilis
Illum huc direxit ad tua tecta pater,
Quo mecum legeret metri Scolaſticus artem;
Scripturam & ſacram ritè pararet ouans.
Aſt vbi ſex luſtra impleuit iam ſcribere tentans
Ad Chriſti laudem hunc edidit arte librum,
Quo typicos numeros, tropicas & rite figuras
Indidit, vt dona panderet alma Dei,
Paſsio quid Chriſti mundo conferret honoris,
Qualiter antiquum vinceret & chelydrum:

Quod ſic venturum Sancti cecinere Prophetæ,
Ac libri legis grammate ritè dabant;
Et quia ſe meminit nutritum in domate claro
Iſtius ecce loci hinc tibi dona feret;
Quæ licet indigna & ſint vilia: tu tamen ipſa
Patronus mitis accipe quæſo pie.
Altithrono & redde pignus quod præſtitit ipſe,
Inſtanter poſcens artifici veniam.
Qui quantum potuit, non quantum debitor ipſe
Extitit, vt grates redderet ore Deo.
Crimine pro miſeri largas tu funde potenti,
Alme preces Domino, ſicque iuuato tuum.
Qui multa infanda ſemet egiſſe fatetur
Aetas laſciua quanta patrare ſolet.
Sed ſpes firma manet, bonitas & magna tonantis
Ipſum quod ſaluet omnipotens medicus:
Sanguine qui proprio laxauit debita mundo,
Abluet & fonte crimina multa ſacro.
Tantum tu precibus ipſum meritiſque ſacratus
Commenda Chriſto, ſicque beatus erit:
Præſentem & vitam peragat, ſoſpeſque futuræ
Seruetur patriæ, protege ſancte tuos.

IN LOCVM, VBI SCRIPTORES ſedent.

HIc ſedeant ſacræ ſcribentes famina Legis,
Nec non ſanctorum dicta ſacrata Patrū.
Hic interſerere caueant ſua friuola verbis,
Friuola nec propter, erret & ipſa manus.
Correctoſque ſibi quærant ſtudioſe libellos
Tramite quo recto penna volantis eat.
Eſt labor egregius ſacros nunc ſcribere Libros,
Nec mercede ſua ſcriptor & ipſe caret.

ORATIO IN NOCTE.

QVi placido in puppi carpebat pectore ſomnū,
Exurgens ventis imperat & pelago.
Feſſa labore graui, quamuis hic mēbra quieſcant,
Ad ſe concedat cor vigilare meum.
Agne Dei mundi, qui crimina cuncta tuliſti,
Conſerua requiem mitis ab hoſte meam.

EPITAPHIA HILDEGARDIS Reginę, & eius Filiarum.

Cæſar Baronius Cardinalis, Tom. ix. Annal. ad ann. DCCLXXXVI.

Hoc eodem anno moritur Hildegardis Regina vxor Caroli Magni, cum vixiſſet cum ipſo annos XII. vt eius ſepulturæ epitaphium ſcriptum docet, quod ex ruinis Monaſterij S. Arnulphi Metenſi erutum ad nos miſſum, vnà cum aliis Caroli ipſius filiorū inſcriptionibus, hic tibi vt piæ valde feminę, & ſeculi huius omniū clariſſimæ deſcribendū curauimus. Sic ſe habet.

AVrea, quæ fuluis rutilant elementa figuris,
Quàm clara extiterint mēbra ſepulta docent.
A Hic Regina iacet Regi præcelſa potenti
Hildegard Karolo quæ bene nupta fuit.
Quæ tantum claræ tranſcendit ſtirpis alumnos,
Quantum quæ genita eſt, Indica gemma, ſolū.
Huic tam clara fuit florentis gratia formæ,
Quam non Occiduo pulchrior vlla foret.
Cuius haud tenerum poſſunt æquare decorem
Sardonix Pario lilia mixta roſis.
Attamen hanc ſpeciem ſuperabant lumina cordis,
Simplicitas animæ, interiorque decor.
Tu mitis, ſapiens, ſolers, iocunda fuiſti,
B Dapſilis, & cunctis condecorata bonis.
Sed quid plura feram, cùm non ſit grandior vlla
Laus tibi, quàm tanto complacuiſſe viro?
Cumque vir armipotens ſceptris iunxiſſet auitis,
Liniferumque Padum, Romuleumque Tibrim,
Tu ſola inuenta es fueris quæ digna tenere
Multiplicis regni aurea ſceptra manu.
Alter ab vndecimo rurſum te ſuſtulit annus,
Heu genitrix Regum! heu decus atque dolor!
Te Francus, Sueuus, Germanus, & ipſe Britannus,
Cumque Getis duris plangit Ibera cohors.
C Accola te Ligeris, te deflet & Itala tellus,
Ipſaque morte tua anxia Roma gemit.
Mouiſti ad fletus & fortia corda virorum,
En lacrymæ clypeos inter & arma cadunt.
Heu quantum ſapiens & firmum robore ſemper
Vſſiſti flammis pectus herile viri.
Solatur cunctos ſpes hæc, ſed certa, dolentes,
Pro dignis factis quòd ſacra regna tenes.

Hucuſq; Hildegardis Reginæ Epitaphiū.

Sed & eius filiæ in cunis defunctæ, quæ D ibidem inuenta eſt, accipe ſepulcro inditam inſcriptionem.

HIldegard rapuit ſubito te funus acerbum,
Ceu raptat Boreas vere liguſtra nouo.
Expleuit necdum vitæ tibi circulus annum,
Annua nec venit lux geminata tibi.
Paruula non paruum linguis virguncula luctum,
Confodiens iaculo regia corda patris.
Matris habens nomen, renouas de morte dolorem,
Poſtquam vixiſti vix quadraginta dies.
Pectore nos mœſto lacrymarum fundimus amnes,
Tu nimium felix gaudia longa petis.

E Hæc tibi, quorum ſi quis me rogaret auctorem, reſponderē (quod opinor & Muſa conſimili) Albinū Flaccum, dictum aliter Alcuinum, ſicut & ſequentis, quod ſcriptū cùm primogenita filia eiuſdem eodem fermè tempore obiit, ſicut eius epitaphium ibidem inuentum habet verſibus iſtis.

HOc tumulata iacet puſilla puellula buſto,
Adelaid amne ſacro quæ vocitata fuit.
Huic ſator eſt Karolus, gemino diademate pollēs,
Nobilis ingenio, fortis ad arma ſatis.
Sumpſerat hæc ortum prope mœnia celſa Papiæ,

Cùm caperet genitor Itala regna petens.
Sed Rhodanum properans rapta de lumine vitæ,
Ictaque ſunt matris corda dolore procul.
Exceſsit patrios non conſpectura triumphos;
Nunc Patris æterni regna beata tenet.

CARMEN ACEPHALVM.

Ex lib. vi. Antiq. Lect. Caniſij.

. . . .
ALBINVS precibus poſtulet ipſe ſuis.
Vt felix viuas inſtantis turbine mundi,
Hæc tua depoſcit vernula turba Deum.
A Tempora poſt ſecli Paradiſi in ſede locatus,
Præmia percipias, quæ ſine fine manent.
Huic coniũcta viro Ermengardis amabilis vxor,
Sis Regina valens tempus in omne bene.
Cum quo permultos viuas feliciter annos,
Deque tua ſobolem cernere prole queas.
Tu decus ô regni, Imperij fidiſsima ſpeſque,
Sat bene Lothari pulcher ephebe vale.
Teque tuos Chriſti nectat dilectio fratres,
Vt noſmet nullus hoſtis adire queat.
Sic mundi regnum mundi teneatis in armis,
Vt vos poſt mortem regna ſuperna habeant.

FINIS.

BEATI PAVLINI AQVILEIENSIS PATRIARCHÆ,

Contra Felicem Vrgelitanum Epiſcopum, LIBRI III.

EX BIBLIOTHECA VV. ORNATISS. PVTEANORVM fratrum, Claudij V. Cl. Senatoris Pariſienſis filiorum.

FFff

LECTORI.

HORTANTE Flacco Albino ſeu Alchuuino Karoli Magni Præceptore, plures aduerſus Felicem Vrgelitanum Epiſcopum ſcripſerunt. Inter hos, beatus PAVLINVS Foroiulienſis, ſeu Aquilegienſis Patriarcha fuit. Nam præter illum Libellum eius, qui iam ſæpius in Bibliotheca Patrum, & Tom. III. Conciliorum excuſus eſt, tres etiam alios contra præfati Felicis hæreſim compoſuit, quos & ipſi Karolo Magno dedicauit, ac vt eius imperiis vrgentibus ad manus peritiſsimi Oratoris ſui ALBINI deferrentur, obſecrauit. Quocirca non extra rem me facturum exiſtimaui, ſi quos idem zelus in oppugnandis Hiſpanicis erroribus coniunxit, illorum ego ſcripta minimè ſepararem. Præſertim cùm nec iſta Paulini lucem antehac viderint, & qui ſub eius nomine Libri numero VII. aduerſus eundem Felicem editi ſunt, Alchuuini verum ac genuinum eſſe fœtum, alibi iam docuerim. Cæterùm habitus eſt Paulinus ipſe, ſicut & Alchuuinus, doctrina ac ſanctitate celebris; ipſumque & in vita & poſt mortem miraculis claruiſſe, teſtantur Aquileienſis Eccleſiæ, cui præfuit, antiqua monumenta. Diem poſtremum obiit anno ſalutis DCCCII. vt auctor eſt Hermannus Contractus in Chronico. Vide Epiſtolas, quas ad eum Alchuuinus ſcripſit, & præcipuè Epiſtolam LXXXI.

BEATI PAVLINI AQVILEIENSIS PATRIARCHÆ,

Contra Felicem Vrgelitanum Epiſcopum, *LIBRI TRES.*

EPISTOLA.

In triumphalibus largiente Domino glorioſiùs inſignito coronis domno KAROLO orthodoxæ ſtrenuiſſimo fidei cultori, regijque culminis altitudine ſublimato; PAVLINVS licèt indignus ſeruorum Domini ſeruus, Catholicæ ſanctæque Aquilegenſis valuicula Sedis rubicundâ meracioris precioſi in ſanguinis aſperſione ſalutem.

REVERENDORVM *ſiquidem apicum veſtrorum ſacris veneranter inſpectis ſyllabis, ſæpiuſque dulcedinis exigente recenſitis ſapore, factum eſt pabulum ſuauitatis eius in ore meo quaſi mel dulce, & tanquam ibiflui diſtillantis faui, mellitæ ſuffuſcæ guttulæ faucibus meis, totum me proculdubiò ex eo quòd commodius contigit dulcedinis ſapor poſſedit. At vbi* FELICIS, *quinimò infelicis, peruerſique fautoris dogmatis perfidæ ſectæ clangor horriſonus, auras raptus per vacuas, humilitatis, meæ multare non diſtulit aures: verſa eſt continuò in amaritudinem caro mea, & reſpirantium internorum viſcerum meorum vitalia, tanquam poculo obriguere propinata toxifluo. Ac per hoc continuò pallui, interioris hominis vitiato pulmone. Huius nimirum reiecta peſtis felliuomæ amaritudinis crapula, capabilia mei ſtomachi refrigeraſſe receptacula modo mirabili contemplatæ faciei ſuffuſus venuſtatis rubor declarat. Purgato igitur iecore mentis hyſopi aſparſo faſciculo, lanæque coccineæ cedrino impexæ ligno cataplaſmato peniculo: offeram, vtique ei caritatis ſtudio exhibito, calicem aureum flauigero radiante fulgore. Non quidem illum Babylonicum, quo propinatæ ſunt omnes gentes, ſed illum, qui in manu Domini vini meri plenus eſt mixto. Qui inclinatur ex hoc in hunc. Cuius fex non eſt exinanita. Et licèt bibant ex eo omnes peccatores terræ, ſed aliis quidem eſt guſtus vitæ ad vitam, aliiſque guſtus mortis in mortem. Non eſt in eo mors, ſed vita. Mors autem & vita eſt in ore bibentis ex eo, qua mente, cuiuſve fidei religione quis biberit. Si igitur mente ſancta quis Catholicæ fidei ſinceritate perſpicuus guſtauerit, vita viuit, & non morietur. Sin autem mente lucubri, perfidiæque mancipatus errore epotauerit; morte morietur, & non viuit. Non enim buccella Domini manu largita, mors. Neque ſatanæ mortiferæ poteſtatis fuit infecta ſæuitia, ſed in animo proditoris vigebat. Nam vnde Iudas ſempiternæ mortis luit*

FFff ij

intolerabiles pœnas, indè beati Apoſtoli, qui fideli de manu Domini animo accipere particulam meruêre panis, æternæ vitæ gaudium conſecuti, cælorum ſine fine potiuntur præmium regni. Denique cùm Catholicus quicumque, manu Domini tribuente, de ſacræ Scripturæ calice rectâ fide, deuota mente, ſanóque ſenſu bibens ſatiatus fuerit; crediderítque Dominum noſtrum Iesvm *Chriſtum verum Deum, verúmque filium Dei, de Deo genitum vero, verúmque hominem veraciter de Spiritu ſancto & Maria Virgine natum, vnum eundémque Deum & hominem, vnum eundémque Dei hominíſque filium, ex vtraque & in vtraque natura; vnum, non duos Deos, nec duos, ſed vnum filium Dei: vita viuit, & non morietur.* Si credideris, *ait Apoſtolus*, in corde tuo Dominum Ieſum Chriſtum, & ore tuo confeſſus fueris, quod Deus ſuſcitauerit eum à mortuis, ſaluus eris. *Qui verò biberit ex huius Scripturæ calice, ore perfido, corde peſſimo, mente peruerſa; & præſumpſerit, quemadmodum hæreticus iſte, perfida voce garrire, Dominum noſtrum* Iesvm *Chriſtum propter magnum pietatis ſacramentum, nuncupatiuum Deum, & adoptatiuum filium: hic morte morietur, & non viuit.*

Igitur ſaluberrimis venerabilium incitantibus litterarum veſtrarum imperiis, quatenus iuxta paruitatis meæ intellegentiam, licet pigrioris ingenij obſiſtat poſſibilitatis facultas, ſcribere tamen quæ me contingit pro cauſa fidei, contra peſtilentes praui commenti obiectiones qualicumque non renuo ſtilo. Scio enim qui dixit: Aperi os tuum, & ego adimplebo illud. *Suſpicari denique probabilia rerum extorquent iudicia; alio forte tempore, aut per ſemetipſum, ſi vita comes fuerit; aut per complices ſuos, ſi ipſe ab hac luce iuſto Dei fuerit ſubtractus iudicio, huius nimirum virulentæ ſtirpis fruticem rediuiuo conari ramnifero ſerere in virgulto. Vnde & culpa moroſæ dilationis in reſpondendum, quoniam ex cauſa contigit neceſſario interuenta. Idcirco impetrandam veniæ fiduciam non titubabitur ſpes poſtulanti neglegentiæ de torpore fruſtrata. Præcauens igitur in futurum, non ab re putaui, per ſingula quæque, quæ in qualibetcumque litteris eius contra Catholicæ fidei regulam inſpiciuntur inſerta, & ſcripturarum admodum teſtimoniis, & rationabilibus duntaxat iuxta humanæ poſſibilitatis efficientiam diſputationibus obuiare. Si qua verò benè in his prolata habentur, noſtris perſiſtunt adſertionibus roborata. Præter illa nimirum, quæ aut nullius eſſe momenti, aut ad hanc rem conuenientiùs pertinere non videntur, & idcirco noſtro ſe refutabant facillimè ſtilo, ſuſcipienda. Denique etſi non precioſis, quia non mundis à ſorde peccati manibus: de ſacris tamen precioſa ſcripturarum theſauris trium horum oblata Librorum munuſcula, ante præſepe Domini mei pleno ſupplicique offerre corde optimè iudicaui. Iuxta illud, quod Domini lege cauetur:* Non apparebis ter in anno vacuus in cóſpectu Domini Dei tui. *Ideóque indignum duxi ter in hoc anno, qui totum præſentis vitæ typicè tempus deſignat, vacuus in conſpectu Domini mei apparere. In hoc vtique, vt planiùs dicam, conſcientiæ meæ anno, qui per quatuor cardinales virtutes, id eſt prudentiam, temperantiam, fortitudinem, & iuſtitiam, quaſi per quatuor redeuntia in ſeſe reuolui tempora ſupputatur. Quique per quinque exteriores corporis ſenſus, qui in ſe ducti denarij numeri ſumma* concludunt: quibus additis duobus, hoc eſt animæ carniſque ſub-* *f. ſumma*ſtantia, efficiuntur ſimul duodecimus, tanquam per duodecim menſium differentias, lunares viciſſim ſæpiùs rediuiuos explicat curſus. His etiam adiciuntur tres naturalium morum principales effectus, cordis, animæ, mentis. Vt eſt illud,* Ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & ex tota mente tua. *Per quos centenarius ter ductus, trecentenarij numeri figuram depingit. Quibus nimirum connectuntur ſex morales ætatum diſtinctiones, id eſt, infantia, pueritia, & cetera. Qui ſexies per decem multiplicati,*

ſexagenarij. numeri ſumma deformant. His namque inſeruntur diuerſarum rationabilium cogitationum diſtincta morum per gradus ſingulos qualitates; veluti ſunt ſpes, fides, caritas, & his ſimilia. Quæ quaſi multorum dierum calculatiùs quantitas numeri multiplicata, veluti in trecentorum ſexaginta & ſex dierum, anni noſtri altitudo conſurgit. Huic forſitan perfectionis anni corona, Pſalmiſta Deo commemorat benedixiſſe, atque benedicere, dicens: Benedices coronæ anni benignitatis tuæ. *Corona quippe anni, eſt perfectio conſummata iuſtitiæ. Quæquidem perfectionis corona, non volentis, nec currentis; ſed benignitatis, & miſerantis eſt Dei. Vnde & campi Dei, hoc eſt humilium electorum mentes, non à ſemetipſis; ſed ex benignitate miſerantis Dei implebuntur vbertate. In hoc nempe anno diuinæ benignitatis clementia vbertatis abundantiam largiente; vt ter non apparerem vacuus in conſpectu Domini, tres in nomine ſanctæ Trinitatis libros, licèt inculto editos non abnuo ſtilo, in gazophylacio tamen ſanctuarij fideli recondere manu feſtino. De hoc igitur anno hæc ita moraliter ſentiendum exiſtimo. Allegoricè autem, qui à Redemptore noſtro ſectius * ſacratiúſque* **f. ſanctius.* *datur intelligi. In quo* XII. *Apoſtoli quaſi* XII. *menſes, omnéſque electi eius veluti multorum dierum ſumma per hoc * ſacratum numerum, trecentorum videlicet ſexagin-* **hunc.* *ta & ſex, qui quaſi in vno conglutinati corpore continentur. Ipſe inſinuat, qui per Eſaiam Prophetam de ſemetipſo proteſtatur, dicens:* Spiritus Domini ſuper me, eo quod vnxerit Dominus me: Euangelizare pauperibus miſit me, prædicare annum acceptabilem Domino, & diem redemptionis Dei noſtri. *Amen.*

LIBER PRIMVS.

VNIVS eiuſdémque præcinentis Columbæ, electæque genetricis ſuæ lætátis ac dolentis, vox noſtra famoſo audita eſt in terra præconio: Nunc autem exaltauit caput meum ſuper inimicos meos. Et nunc autem derident me iuniores tempore, quorum non dignabar * patres ponere cum canibus gregis mei. Quæ quidem alio in tempore variis B vndiq; ob tenerûm pullorum incommoda circumuallata anguſtiis, reminiſcitur nimirum dierum adoleſcentiæ ſuæ; quando enixa ſuper fratruelem ſuum, alacri ſecuriùs pectore lætabatur. Optantis quoque vocis officio, ab ipſis, vt ita dixerim, ſcaturientibus internorum viſcerum ſecretalibus flabris, redundantia oris conloquia vſque ad colli medium confluxiſſe, nullius dubij dicti aduerſa reſiſtit obiectio. Ac per hoc more torrentis mellis & butyri, per verba precantia moroſæ retra- C ctationis prætendit oraculum. Quis, inquit, mihi tribuat, vt ſim iuxta menſes priſtinos, ſecundum dies quibus Deus cuſtodiebat me, quando ſplendebat lucerna eius ſuper caput meum. Et ad lumen eius ambulabam in tenebris, ſicut fui in diebus A adoleſcentiæ meæ: quando ſecreto Deus erat in tabernaculo meo. Quando erat omnipotens mecum, & in circuitu meo pueri mei. His ita & huiuſmodi pleno gratulantique corde proſperis recenſitis fauoribus, protinus ad quereloſa ſeſe vertit lamenta diſcriminum: Nunc autem, ait, derident me iuniores tempore, quorum non indignabar patres ponere cum canibus gregis mei. Quorum virtus manuum erat mihi pro nihilo, & vita ipſa putabantur indigni. Egeſtate & fame ſteriles, qui rodebant in ſolitudine: ſqualentes calamitate & miſeriâ. Et mandebant herbas terræ, & arborum cortices: & radix iuniperorum erat cibus illorum. Nunc autem in eorum canticum verſa ſum, & facta ſum eis prouerbium: & cetera.

Qui ſunt iſti laſciuientes centum annorum iuuenes? O pulcherrima mulierum, qui ſunt iſti? O vnica genetricis tuæ! Columba propter ſancti Spiritus ſeptemplicia donorum cariſmata. Specioſa in ſanguine, candidata in lauacro, ſoror in funiculo caritatis, proxima in ſocietate adſumptæ naturæ, ſuauis in deliciis ſcripturarum. Qui ſunt iſti, qui maledictum centenarij pueri nequeunt effugere? Quos tam liberæ auctoritatis fiducia, indignos ſimplicium canum gre-

gis tui ſocios iudicaſti? Quoniam ſancti gregis tui ſint ſacratiſſimi canes, cuidam Patrum ſuorum, pro quibus nati ſunt tibi filij, contigit nos vaticinio didiciſſe. Concrepat enim Dauitici carminis huiuſmodi decacordo Pſalterium: *Lingua*, inquit, *canum tuorum ex inimicis tuis ab ipſo. Viſi ſunt ingreſſus tui, Deus.* Iſti igitur famoſiſſimi canes, qui ingreſſus Dei ſunt viſi, paſtoris officium erga caulas ouium non immerito certum eſt proculdubio modo fungi mirabili: qui crudelium belluarum rabiem Sanctis, ſi dici liceat, procul à mandrilibus gregum coërcere latratibus non pertimeſcunt. Qui autem illi ſint horum rebellium iuuenum patres, quos te puduit cum venerandis canibus gregis tui adſciſcere, adhuc quærimus; & quærentibus nobis iam ſeſe pandit aditus inueniendi. An non antiqui Hæreſearcæ horum peſtiferorum detrahentium tibi iuuenum patres extiterant furibundi? Arrius ſcilicet, Macedonius, Sabellius, Eunomius, Neſtorius, Eutices, cum ſequacibus ſuis: quos fixa rataque Catholicæ fidei inuectio à conſortio venerabilium canum tuorum dignis animaduerſionibus cenſuit alienos. Ipſi haud dubio, & ex eorum maledicta progenie iſti propagati ſunt filij tenebrarum. Quin potius amici ſponſi, qui ſtat & audit eum, & gaudio gaudet propter vocem ſponſi. Doceri poſſumus quantociùs documentis, de qua radice mortiferæ damnationis nefandiſſima iſta proles genus ducat peſtiferum. *Genimina*, inquiens, *viperarum, quis vobis monſtrauit fugere ab ira ventura?* Tranſlato quippe vocabulo parentem & ſobolem, alterum in vipera, in genimine alterum viperarum voluit deſignare. Quatenus ex huius ſimilitudinis formula patenter daretur intelligi, de venenoſa ramni radice, ſpinoſæ myricæ virgultum prodiſſe venificum. Talium fortaſſis progenitorum iniquitatem Scriptura Domini commemorat, vſque ad tertiam & quartam generationem in filios retorquendam. Talium vtique nec ambigi ordo permittit verificæ rationis, qui per imitationem peſtiferam perfidorum patrum filij nuncupantur. Horum igitur conuenientiùs, vt arbitror, quàm carnalium crediderim filios patrum. *Non portabit*, inquit Scriptura, *filius iniquitatem patris: nec portabit pater iniquitatẽ filij. Anima quæ peccauerit, ipſa morietur.* Hinc eſt enim, quòd ipſa Veritas Iudæos in Euange-

A lio, à principali parentis degenerato nobilitate, diabolicos filios ore exprobrat mellifluo. Ait enim: *Vos ex patre diabolo eſtis.* Et ob quam cauſam ita dixerit, magis dilucidiùs declarat, cùm protinus ſubinfert: *Et opera patris veſtri vultis facere. Ille enim homicida erat ab initio.* In quibus verbis lucidiùs datur intelligi, non eos naturaliter, aut tamquam ab eo conditos, vel etiam per adoptionem: ſed ob imitandas diabolicæ fraudis verſutias, filios eos diabolicè voluit nuncupari.

B Numquidnam infeliciſſimi Arrij ſociorumque eius, non extitit peſtilens pater diabolus, qui adulterino complexu virulentum ſemen perfidiæ in vuluam deprauatæ mentis eorum, coitu effudit peſtifero? Ac per hoc, de tam clandeſtino concubitu conceptus formatuſque eſt filius perditionis: quaſi de materno vtero, procaciſſimæ linguæ obſtetricante miniſterio, proceſſit proles æternæ gehennæ ignibus mancipanda. Eodem nempe modo genuit ſimiles ſibi filios, ſimilique vindictæ

C vltione plectendos. Et quoniam eodem quo illos maledictionis anathemate percelli, ſi non pœnitentiæ obſiſtat remedium, cunctos, qui eorum ſunt erroribus inretiti, fides ſanciuit Catholica: quaſi in tertiam & quartam generationem paternæ iniquitatis præſtigium hereditario in filios transfunditur iure. Poteſt etiam de hoc tertiæ quartæque generationis Capitulo, aliter acuti ingenij exigente ſophiſmate multipliciùs phalerato themate explicari. Sed quoniam propter im-

D minentium hoſtium bella, ad arma ſpiritalia quantociùs feſtinamus; ne fortè dum euagamus ad otioſa, hoſtium cunei derepente præcipites Eccleſiæ valuas inopinato infringant incurſu: idcircò armato inſtante milite, vigiliarum officia quaternâ duntaxat alternatione diſtingui, ſollertiſſima decreuimus cura. Quatenus in vigilia matutina, Dei iubentis imperio, eleuata Moyſi manu, Domini virga, quæ triumphalis expreſſerat crucis vexilla, ſubuertat rotas curruum, equites & a-

E ſcenſores eius diuina potentia violento impetu inuoluat in mediis fluctibus Rubri maris. Sumat quapropter Maria Propheciſſa tympanum, quæ quidem in obtrectatione Moyſi hominis Dei, inuidentis Synagogæ; in hoc tamen loco, ſanctæ Eccleſiæ typum gerebat. Erumpat protinus in vocem laudis. Non quaſi hortan-

tis ad prælium conciſis buccina concrepet A clangoribus; ſed victoriæ canticum concinentibus aliis mulieribus, incipiat ore gratiſſono: *Cantemus Domino, glorioſè enim magnificatus eſt: equum & aſcenſorem deiecit in mare. Adiutor & protector factus eſt mihi in ſalutem.*

Submerſis igitur Ægyptiis in mari Rubro, in quibus non ſolùm peccatorum agmina ſub vnda baptiſmatis, verumetiam hæreticorum non inconuenienter intelligi datur extincta contubernia: ecce abeuntibus nobis, tranſmiſſo iam mari Ru- B bro per vaſtam mundi ſolitudinem; occurrit interim nobis ſerpentium venenoſa caterua, quæ de peſtiferis eorum ouis erumpent, quæ ab eis in nido ſunt perfidiæ derelicta. De quibus ouis per Eſaiam dicitur: *Oua aſpidum ruperunt, & telas araneorum texunt. Qui comederit ex ouis eius morietur, & quod confotum eſt erupit in regulum.* Sed ne timeantur iſtiuſmodi venena ſerpentium, aſpicientes ad æneum, quem Moyſes exaltauerat, ſerpentem: conſolatur nos etiam iſdem Propheta, qui per C pueri ſingulariter nati infantiam, extincta aſpidum ſeu baſiliſci mortiferæ refuſionis memorat flabra. *Delectabitur*, inquit, *infans ab vbere ſuper foramine aſpidis, & in cauernam reguli qui ablactatus fuerit, manum ſuam mittet. Non occident, & non nocebunt in vniuerſo monte ſancto meo.* Huic etiam puero per alium Prophetam dicitur: *Super aſpidem & baſiliſcum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem.* Hinc aliàs de eodem Propheticæ modulationis reſonat tuba: D *Spiritus eius ornauit cælos, & obſtetricante manu eius eductus eſt coluber tortuoſus.* Qui verò ſit iſte admirabilis infans, qui ſuper foramine aſpidis delectabitur, & in cauernam reguli manum ſuam miſit; Angelo paſtoribus inſignia natiuitatis eius euangelizante, didici: *Inuenietis*, ait, *infantem pannis inuolutum, & poſitum in præſepio.* Cuique multitudo militiæ *cæleſtis exercitus conſona concinunt voce, dicentes: *Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Et quoniam certum eſt, in vni- E uerſo Domini monte, quæ eſt Eccleſia Dei viui, non poſſe horum peſtilentiæ flabra nocere: cauendum ſummoperè eſt, ne fortè per campeſtria euagantes, inueniantur ab eis qui offucentur. Vnde neceſſariò exiſtimo ad montana omnes reducere, ne inter profunda vallium aberrantes, prærupta mali aliquid patiantur, inſuſpecto ſubitò irruente latrone.

His ita digeſtis, operæpretium duximus, de genere tranſeundo ad ſpeciem, ac de generalis* conſortij communione, ad proprij remeare iuris priuilegium. Adgrediamur ergo, diuinis per omnia ſuffulti præſidiis, hunc pudoris inſcio* viſum; qui* paleſtri iamdudum deuictus* ſuccubuiſſe certamini, gerendarum rerum qualitas efficaciter certis adprobat documentis. Nunc autem temerario auſu neſcitur, cuius intinctu rediuiua reparare nititur bella. Oblitus præterea fœderis iuriſiurandi, quod cum Deo pepigerat; candidis milium Angelorum vndique circumfuſis cateruis. Sed neque humanæ, vt puto, militiæ huic expectaculo defuit multitudo. Præſertim cùm in conſpectu venerandi Principis ventilaretur huiuſcemodi controuerſia quæſtionis. Nam tactis ſacroſanctis Euangeliis, iureiurando proteſtatus eſt, quemadmodum tunc temporis ſinceriſſimæ fidei exigente cenſura, ſubpreſſo ſilentio obſcuræ obmutuit garrulitas diſceptationis. Nullius vmquam deinceps nullo quolibet titulo quiddam refragatiuo molimine reuoluere quæſtionis: ſed in ea, cui conſenſerat, fidei regula, ſpopondit ſe perpetua immutabilitate manſurum. In hoc quippe gymnaſicæ diſputationis conflictu, contigit etiam humillimæ noſtræ paruitatis perſonaliter præſentiam adfuiſſe. Proh dolor! heu! quàm terribile ſonat quod dicitur! Fœdus cum Deo percuſſum, quod impunè irritum non tranſcucurrit, humanæ præſumptionis audacia vſurpatiua conqueritur fraude reſolutum. Sed hæc diuini ſunt arbitrij reſeruanda iudicio.

*inſcium. *quem *deuictū

Rupto igitur huius tam reuerendæ ratæque ſtipulationis pacto, ad campum certaminis, Domini obſiſtente virtute, improbus redire bellator feſtinat. Miror qua fronte. Nam ſi de caſtris Dominicis militiæ ſtipendium adſecutus, quaſi probatus athleta exercitabatur ad arma; regis vtique notatus inſignibus, non debuit præliantibus aduerſus ſe terga præbere: vt nec fugæ potitus latibulo, palpitans inter fruteta liber; nec fortis in bello perſiſtens præconaretur famoſus. Ex quo non immeritò res claruit contigiſſe, vt præcinctus armis, deſtitutus fortè fugæ præſidio, à perſequentibus captus, proprio ſeſe ſubdi iudicio capabili ditione triumpha-

toribus non vereretur. Obliuioſus Regis A Domini Sabaoth auditor præcepti, dicentis: *Eſtote fortes in bello.* Debuit prætereà cuiuſdam fortium caſtrorum Domini militum celeberrimi Ducis mirabilibus hortamentis inniti, quibus in mediis præliis criſtatas, nimirum fidei galeis, exercituum phalangas conſueuerat incitare: *Quis*, inquiens, *nos ſeparabit à caritate Chriſti? Tribulatio? an anguſtia? an fames?* Et poſt paululum: *Certus ſum enim, quia neque vita, neque mors.* Et quibuſdam interpoſitis, in ſumma concludens definit: *Neque creatura* B *aliqua poterit nos ſeparare à caritate Dei, quæ eſt in Chriſto* I E S V *Domino noſtro.* Si igitur tunc perfecta caritas feruentior mentis vrebat præcordia, non debuit omninò refrigeſcere. Si verò timor frigebat, non fuit vtique perfecta caritas, quæ foras non miſit timorem. *Perfecta*, inquit Ioannes, *caritas foras mittit timorem.* Quæri denique poteſt, de qua trium generum hominum diſtinctione, exiſtimari vir iſte imminutus cerebro putabitur? De tertio planè genere, hoc eſt de tepido. Euomendus ergo erat, ſi C hæc ita ſe habent, ex ore Domini. Scriptum eſt enim: *Vtinam eſſes calidus, aut frigidus! ſed quia tepidus es, incipiam te euomere ex ore meo.* Reiectus igitur ob teporis nauſeam de ſtomacho ſanctæ & vniuerſalis Eccleſiæ, eat nimirum cum ſequacibus ſuis in ſolitudinem. Conrodant ſqualentes calamitate & miſeria herbas terræ, & arborum cortices, & radix iuniperorum ſit cibus eorum. Quoniam quidem, ſi ſancta Catholicáque Eccleſia patres eorum indignabatur olim cum canibus gregis ſui po- D nere, quanto magis nec filios eorum conſentit, quos hereditario iure parentum perfidiæ ſoboles non ignorat ſucceſſores.

Eligamus quapropter quinque de torrente limpidiſſimos lapides, quorum quidem vnum fundâ iacientes, Goliæ iſtius gigantea inflati iactantia, fulminis adinſtar acutiſſimo ictu conciſa duplici perfidiæ ruga, frons impudica fodiatur. Quatenus vnius lapidis percuſſus vlcu intereat, qui vnitatem fidei ſcindere nititur, E & vnum Dominum Ieſum Chriſtum in duos filios vel duos Deos ſciſmatico carpere molitur adniſu. Ac per hoc proprij truncatus enſis mucrone, Dauitica modo mirabili ſe ſecante manu, iam vlteriùs nullomodo valeat reminiſci. Quod ſi fabuloſo hydrarũ more, triſulcibus ferro defectis capitibus, numeroſiùs rurſus ſibilantia re-

A ſumpſiſſe colla portentuoſo monſtro [illegible]
dificat: ac per hoc ex damni quaſi red[illegible]
uo detrimento, commodiùs ſeſe profe[illegible]
ſe iactatur, diuinus ei idcirco inextin[illegible]
bili flammâ ignis adhibeatur ſuccen[illegible]
Quatenus rebellium ambuſtę venulæ [illegible]
dullarum, nullam deinceps veneni i[illegible]
cientis ſuffuſione parturiendi prodig[illegible]
prolis obtineat facultatem.

Sed quoniam veritatis adſertores [illegible]
nimoda circumſpectione mendacij vi[illegible]
muſcipulam nihilominus debent, te[illegible]
B monium idcirco illi perhibeo, quia [illegible]
rumque ſatis benè, ſanóque ſenſu, [illegible]
feſſionis videtur ſeriem non multum [illegible]
generi calamo promulgare. Illud pro[illegible]
to videri non dubium eſt, quoniam qu[illegible]
diu præcedentium Patrum veſtigia ſe[illegible]
tur, ac tritam eorum rectæ fidei greſſ[illegible]
viam ſcandere non diuertit; compo[illegible]
incedere dinoſcitur gradu. At vbi ad ſ[illegible]
audacter ſenſum recurrit, continuò d[illegible]
us per infracta labentium rupium, offuſis concitæ denſiſſimis ignorantiæ tene-
C bris euagare proſpicitur. Ac per hoc modo deitatis falſitatum impingit in ſcopulis, modo abruptis veſaniæ verſari proſpicitur præcipitiis. Modo Arrium obuium amplectitur, modo præuium Neſtorium greſſu ſubſequitur errabundo. Statimque dare operam nititur, vt deſtruantur peruerſo conamine ea, quæ paulo ante ædificaſſe præconabatur laborioſo certamine. Qua de re, inquantum ad præſens datur intellegi, ſuper labentium glarearum glumas, non ſuper firmam petram fundamentum D poſuiſſe conuincitur. Vnde inundantibus pluuiis, ventiſque impellentibus inliſum pendulum ædificium ruit. Enimuerò putabat ſe vaſa Cantici habere, ſicut Dauid, & idcirco Salomonica auro radiantia mala, in lectis ſeſe ſparſiſſe gloriabatur argenteis. Et licèt fuerint de Dominico ærario furtim ſublata peſſimo tamen cauponato alterius generis metallo permixta, obductáque furua ferrugine, pulcritudinis ſuæ contigit amiſiſſe fulgorem. Nam & Saül legitur inter Prophetas, ſed non ſicut Dauid, Saül Scriptura denotat Prophetam. E Arreptitia quidem peſte multatus, Dauiticæ citharæ trinis neruorum concinentibus lineis, leuiùs amentiæ ſtuporem dulci potitus ferebat modolamine. Aliter namque, valdeque diſſimiliter, in ore Moyſi & Aaron, manna nectareæ dulcedinis ſuauiſſimum dulculabat ſaporem: aliter profectò Dathan & Abiron nihilominus

in gutture pauſeabat. Ad quem nimirum huius figuræ coniecta problema deſideret deriuare, prudens lector ſenſu intendat conſpicuo.

Sed quia ſuprà præmiſſum eſt, quædam benè ab eo pronunciata, malè tamen poſt paulolum ab eodem deprauata: ex ipſis prorſus eiuſdem, quæ nuper faleratis digeſſerat, poterit adprobare comentis. Iuſto namque Dei iudicio permittente, vt qui reſoluto ſponte vinculo caritatis, à ſanctæ Eccleſiæ vnitate contraria orthodoxæ fidei ſentiendo receſſerat: non immeritò ſibimetipſi exiſteret exigente pœna peccati diuerſus. Confitetur enim ſe Dominum Ieſum Chriſtum verum Deum, verumque credere hominem. Ab ipſo ſcilicet conceptu virginalis vteri, à Verbo Dei in ſingularitate adſumpto perſonæ inſeparabiliter abſque vlla confuſionis mutabilitate vtriuſque naturæ; vnum eundemque Dei hominiſque filium, nec alterum Dei, alterum hominis; ſed vnum eundemque Dei & hominis filium, non duos filios, nec duos Deos, & his ſimilia: iuxta regulam Catholicæ ſatis perſpicuè prolixæ diſputationis effuſum prætendit ſermonem. Quo igitur pacto, cuiuſque ſuaſibilis inſpirationis inſtinctu, ſtatimque obliuiſcitur, quis paulò antè fuerat: immemor ſubitò quaſi in alienatione inſani capitis, quid dixerit? Huic autem, cui auctor dudum extiterit teſtimonij, cauſatiuo litis oppoſito, verborum aduerſis refragatiuis intorquēdo ſpiculis contradicit. Et quod in promptu rectæ fidei proprium delegauiſſe putabatur oraculum: ac ſi alterius, & non ſuæ conſcientiæ opus, durius poſt modicum furibundus abiurat. Ait enim: Si autem, vt vos vultis, homo adſumptus à filio Dei, mox à conceptione virginalis vteri verus conceptus eſt Deus, & verus natus eſt Deus: quomodo ipſe filius propheticè de ſemetipſo ait, *Et nunc hæc dicit Dominus, Formans me ex vtero ſeruum ſibi?* Et rurſus, Qua, inquit, auctoritate homo Dominicus ex vtero matris verus Deus conceptus, & verus Deus natus à vobis prædicatur, cùm ſit naturâ verus homo, & per omnia ſubditus Deo? Quid plura? in eo vſque per ſententias diuerſi generis diſputationum figuram perducere feſtinat; quatenus & adoptiuum Dei filium, & nuncupatiuum eum Deum perdito corde definiat; quaſi purum communemque hominem, cui fidei prærogatiua gratis confertur, cuique per lauacrum regenerationis ab eodem Dei filio datur poteſtas, vt & adoptiuus ſit Dei filius gratuito munere, & nuncupatiuus Deus diuina vtique præueniente gratiâ ex prouectu religionis efficiatur? Ex quo igitur tam fribulæ* diſputationis affectu, luce clariùs animaduertitur, & ſingularis perſonæ myſterium in dualitate numeri decreuiſſe, & vnione diuini nominis per diſſidium pluralis numeri conuincitur reſecaſſe. Licet ille, & cùm hæc ita ſe veriùs habeant, ſæpe tamen ſe verbotenus ab his falſitatis ſcuto conatur defendere. Hoc eſt, Perſonas, ait, non diuido: naturas prorſus diſtinguo. Sed cùm excuſare ſe ab hac nititur noxa, & tamen frequentiùs id agere ex proprijs nihilominus poteſt reuinci comentis. Duorum quapropter criminum, facti ſcilicet & mendacij, reus iuſti iudicij ſanctione, ceſſante nimirum ambage dubietatis, decernitur. Vnde, inquantum admodum intellegi datur, & inſtantia rerum produnt indicia, non ſtudio veritatis obiectis conatur querelis obſiſtere, ſed timore coactus neceſſitatis excuſare ſatagit voto. Ne forte ex vtero ſacroſanctæ matris Eccleſiæ tanquam abortiuus ante lucis proiciatur crepuſculum.

* friuolæ.

Hoc autem, quod quaſi mordaci tranſcurſiſſe me recognoſcor ſermone, non veritatis ſtudio, ſed neceſſitatis impulſu, quæ ab eo benè pronunciata ſunt, delegauiſſe prædixi. Non intentando interim ingreſſi, veluti ita ſe certiùs habeant; ſed vt coniecturalium diſputationis eius ita mihi opinari qualitas perſuaſit. Ceterùm Dei ſolius eſt, intimæ cogitationis arcana rimari. Ipſe enim eſt ſcrutator renum & cordium, cogitationumque diſcretor. Noſtrum eſt enim videre in facie, Dei autem vtrumque; in facie, & in corde. Verumtamen quia per oris oſtium, linguæque claue reſerante, latentia quæque internorum viſcerum ſecreta ſæpe ſe produnt in publicum: non ab re exiſtimari poteſt, ſi ea, quæ extrinſecus latè patent, humani ingenij capacitate rebus inuoluta ambiguis, ſubtili lance examinari cogantur. Omiſſis ergo occultis cogitationum, medullarumque ſecretis, audiamus nunc quæ per aurium patentes ianuas ad ſecretarium ſeſe noſtræ mentis tranfundunt.

In duobus igitur vocabulis, proprij ſcilicet, & adoptiui, verique & nuncupatiui Dei, vnicum eundémque Dei filium diuidere, fronte impudentiſſimâ non formidat. Diſputans audacter diſſiganti de Deo corde, nihil pendens quàm ſit periculo-

ſum, quamque terribile de Deo indignè etiam ſentire; quantò magis indecenter incauta diſputare locutione? Scriptum eſt enim: *Altiora te ne quæſieris, & fortiora te ne ſcrutatus fueris: ſed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita ſemper.* Hinc etenim de moderatiùs temperato, & de effrenatiùs præcipiti, rurſus ſcriptum eſt: *Qui fortiter premet vbera ad eliciendum lac, exprimit butyrum: & qui vehementer emungitur, elicit ſanguinem.* Denique ipſa Dei Patris Sapientia, quemadmodũ Euãgelicis ſacratiùs inſtruimur documẽtis, cùm blaſphemantiũ Iudæorũ intolerabilia patienter conuicia pertuliſſet, veritatis tamen teſtimoniũ ſilentio ſupremi Veritas minimè iudicauit. Ait enim: *Ego dæmoniũ non habeo, ſed honorifico patrem meum, & vos inhonoraſtis me.* Conuiciabantur rurſus Iudæi Domino, ſicuti inluſtribus veriſſimè Euangelicis declaratur præconiis, prurienti ex eius ore aure melliſluo * ſuſcipientes auditum: *Multa bona opera operatus ſum vobis, propter quod opus me lapidatis? Nos*, inquiunt, *de bono opere non te lapidamus, ſed de blaſphemia: & quia tu, cùm ſis homo, facis temetipſum Deum.* Vnde & ab eodem Euangeliſta continuò cauſa redditur, quamobrem Iudæi vellent eum interficere, cùm protinus ſubinfertur: *Propterea*, ait, *Iudæi quærebant eum interficere, quoniam filium Dei ſe dicebat, æqualem ſe faciens Deo.*

*f. melliflua, vel melliſluum

Porrò, cùm iſte vir anilis fabulæ iuris, de quo loquimur, ſi tamen vir dici debeat, qui non viriliter, ſed eneruiter agit, Dominum Ieſum Chriſtum ideò non verum Dei filium, verumque Deum, ineptiſſimis non veretur aſſertionibus profanare: eò quòd verus homo à veri Verbi Dei perſona adſumptus in plenitudine, integræque humanæ naturæ ineffabiliter à nobis creditur & prædicatur: in nullo proculdubio ob hoc diſtare à Iudaica perfidia denotatur. Nam etſi verbis aliis, non tamen alia vtitur cordis noxij prauitate. Iudæus namque dicit, *Tu cùm ſis homo, facis temetipſum Deum.* Hæreticus prorſus redarguens ait: Cùm ſit homo, & ſubditus Deo, non poteſt verus Deus, veruſque credi filius Dei. Licèt profiteatur aliquando quaſi per diſſidium Chriſtum, ex parte verum Deum verumque Dei filium, & ex parte adoptiuum filium, & nuncupatiuum Deum. Ferulę quin potiùs, vt rerum qualitatis informat relatio, timore coactus, quàm veritatis iudicatur, amore deuictus. Permiſcens vtique inter trita veneni pocula modicum quid mellis, quatenus bibentis faucem ſimulato ſuauiter deludat peſtifera dulcedo ſapore: emulator per omnia paternæ traditionis exiſtens, falſiſſimíque dogmatis cultor. Nam Arrius, de cuius iſte deſcendiſſe *ſamnifera patenter videtur, cùm Dei filium adoptiuum & creaturam eſſe firmaret; ad decipiendas tamen ſimplicium mentes, fingebat aliquid quaſi eximij decoris inſigne excellentiorem, non creatorem: cunctis eum pręferebat creaturis. Sed quoniam vnus eſt Chriſtus Dei hominiſque filius, & vnitas in partes non reſcinditur: Nequaquam enim vnus diuidi poteſt, nullaque vmquam rationis poſſibilitate perſonalis vnio recepit ſectionem. Qua ſic eſt humana natura inenarrabili quodammodo diuinæ inſeparabiliter vnita naturæ, ſicque inæſtimabili conſideratione, iuxta quod pax Dei præcellet omnem intellectum, ſolæ cognita ineffabilis Trinitati. Contemperata eſt humanæ naturæ, quatenus nec naturarum confuſio, nec naturarum vmquam vllomodo diuiſio ſuſpicetur. Sed ſalua proprietate vtriuſque inrefuſæ & intransfuſæ naturæ, in vna Dei hominiſque perſona, nec Deus vmquam credatur ſine homine, quem ſuſcipere ab ipſo duntaxat conceptu dignatus eſt virginalis vteri: nec homo ſine Deo, qui mox ab ipſa conceptione virginalis vuluæ, Spiritus ſancti gratia fœcundante, in Deum adſumptus veriſſimè prædicatur. Quatenus & Deus propter ſuſceptum hominem, & homo propter ſuſcipientem Deum, ex vtroque & in vtroque verus Deus veruſque homo, vnus idémq; Chriſtus, vnigenitus Dei hominiſque filius, veruſque Deus, in cuius nomine cæleſtium, terreſtrium, & infernorum genu curuatur: ab omni lingua, iuxta Apoſtolicam tubam, in gloria eſſe Dei patris confiteatur.

Cùm ergo dico, Deus verus & homo verus, non duas Dei hominiſque perſonas definio; ſed in vna Dei perſona vtrumque, Deum ſcilicet hominemque confiteor. Denique non eſt alius Chriſtus Deus, & alius Chriſtus homo; ſed vnus idemque Chriſtus eſt Deus homo. Eſt plane aliud per id quod Deus eſt, & aliud per id quod homo: ſed non eſt alius Chriſtus, ſicut dictum eſt, & alius homo. Illud ad naturarum diſcretionem pertinet quod præmiſi, hoc ad vnitatem perſonæ quod ſubintuli. Nam quemadmodum in myſterio ſanctæ Trinitatis trium perſonarum diſcretio, & in vnius eiuſdem eſſentialis gloriæ inſeparabili maieſtate, non tres dij, ſed vnus creditur Deus: ita è diuerſo in diſpenſatione

pij & magni ſacramenti, mediatoris Dei A & hominum, hominis Chriſti Ieſu, duarum veraciter diſtinctio naturarum, & vnius perſonæ profeſſio veritatis, non duos filios, vel duos Deos, aut duos Chriſtos, ſed vnum eundemque Chriſtum Ieſum ex vtraque, & in vtraque natura, verum & vnigenitum Dei filium, verum & omnipotentem Deum, Apoſtolicæ fidei regula & corde credi ſinceriter inſtigat ad iuſtitiam, & ore profiteri ſalubriter incitat in ſalutem. Sciendum namque eſt, quia non B fuit Chriſtus primùm communis puruſque conceptus, vel natus homo, & poſtmodum Deus in eo, quemadmodum in quolibet Prophetarum, ex dono gratiæ habitauerit: ſed in ipſo ſancti Spiritus conceptu, beata videlicet viſcera inuiolatæ Virginis veram carnis materiam miniſtrantia, à Verbo Dei in ipſo conceptionis exordio ineffabiliter naſcendo ſuſceptus; ex quo homo cœpit eſſe vna perſona cum C Deo, ſemper vnigenitus Dei filius, & verus Deus, & fuit, & eſt, & erit. Quoniam cùm à vero Dei filio & vero Deo eſſentialiter in ſingularitate perſonæ, licèt inconfuſibiliter, ſit adſumptus homo, verus Dei filius & verus Deus, abſque vlla dubietatis palpatione, creditur & adoratur. Non enim adſumpſit homo, qui nondum erat, Deum; ſed Deus ſempiternus dignatus eſt hominem ſuſcipere temporaliter, quem ſuum proprium ſingulariter fecit.

Verbum igitur Dei, quod caro factum D eſt, hoc eſt homo factus eſt, non eſt mutatus in carnem; ſed caro, quæ à Verbo Dei ineffabiliter adſumpta eſt, propria Verbi Dei caro in concipiendo facta eſt. In tanta nimirum ſocietate diuinæ naturæ vnita, vt nec diuiſa, nec permixta, ſine fine in vnitate perſonalis credatur vnionis. Scriptum eſt enim, *Quod Deus coniunxit, homo non ſeparet.* Deus nimirum coniunxit ſibimet inſeparabiliter in thalamo virginalis vteri humanam naturam, de quo tamquam ſponſus proceſſit, & exultauit vt gigans ad currendam viam: & hæreticus im- E pietatis diſſidio nititur eam à ſuæ auelli veritatis inſertione. Debuit ergo homo in Deum proficere, quia valde eguit vt proficeret. Non decebat Deum in homine deficere, qui nec augmentum profectionis recepit, nec detrimenti nullo modo patitur deminutionem; ſed ſemper idem eſt quod eſt. Cui per Prophetam dicitur. *Tu autem idem ipſe es, & anni tui nõ deficient.* Et illud, *Qui eſt, miſit me ad vos.* Et rurſus, *Ego ſum, qui ſum.* Neque enim diſpenſatione pij & magni ſacramenti perſona Dei perſonam hominis ſuſcepit, ſed perſona Verbi ſempiterna, vna videlicet de Trinitate, ſecundum quod ſemetipſam exinaniuit, ſuſcepit temporaliter formam ſerui, hoc eſt, naturam hominis. Nec ex diuerſitate perſonarum facta eſt confuſio vnius perſonæ, ſed permanente diſcreta veritate vtrarumque naturarum, facta eſt indiuiſa, & inconfuſa ſocietas eſſentialis in vnione perſonæ.

Hæc ita ſe habentia, Apoſtolicis etiam huiuſmodi conlatio rationis præſtabiliùs poterit augmentis fulciri: *Hoc*, inquit, *ſentite in vobis, quod & in Chriſto Ieſu. Qui cùm in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt, eſſe ſe æqualem Deo; ſed ſemetipſum exinaniuit, formam ſerui accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo.* In nomine igitur Chriſti IESV, perſona Vnigeniti; in forma autem Dei formáque ſerui, vtrarumque proprietas diſcribitur naturarum. Nam ſi non infra virginea viſcera, vt iſte diſſipit hæreticus, vnigenitus Dei filius, ſempiternus ex Patre, temporalis ex matre, ædificauit ſibi domum; hoc eſt, humana ſeſe veriſſimè natura veſtiuit, permanens id quod erat incommutabilis Deus, ex vtero intemeratæ Virginis matris tanquam ſponſus proceſſit de thalamo ſuo, & ipſa venerabilis Virgo non genuit verum Deum verumque hominem in ſingularitate vnius perſonæ: itaut non ſit alter Chriſtus Deus, alter Chriſtus homo; ſed vnus idemque, ſicut ſæpius repetitum eſt, Deus homo: & non eſt ipſe templum, ipſe & habitator templi, vt ſenex iſte exinanita furioſiùs delirare canitie non ambigitur: aut non eſt partus Virginis diuini nominis glorioſum, quod Apoſtolus magnum pietatis commemorat, ſacramentum: Quo ergo pacto Catholica Eccleſia vna in toto orbe terrarum diffuſa, beatam virginem MARIAM, dulce mihi ac venerabile nomen, Theotocon, hoc eſt Dei genitricem, liberâ publicâque voce confiteri non ceſſat. Si igitur nuncupatiuum, & non verum Deum, vt inſani capitis vir iſte fauce diſputat falſiſſima, ex vtero vera mater genuit, illum videlicet eundemque, qui ante Luciferum ex paterno vtero, hoc eſt, ex patris eſſentia ſine initio genitus, permanens id ſemper quod erat: quomodo vera Dei genitrix beata Virgo omnium Catholicorum veriſſimo confitebitur ore? Fateantur neceſſe eſt hæretici eam nuncupati-

uam genitricem, ſi nuncupatiuæ ab eis putabitur genitrix prolis. Catholica verò atque Apoſtolica fides verum Deum, verumque, qui natus eſt, hominem; veramque, quæ genuit, Dei genitricem, Deum & hominem, non duos, ſed vnum verum propriumque Dei filium; nec duos, ſed vnum verumque Deum Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum & confeſſa eſt, & confitetur, & æterna confitebitur perpetuitate. Beata quoque Heliſabeth repleta Spiritu ſancto exclamauit, dicens: *Vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad* B *me?* Veraciter namque venerabilis Virgo & ancilla & mater eſt Domini: quoniam Deus omnis carnis, qui creauit eam, ipſe dignatus eſt naſci ex ea. Ait enim ipſa ad Angelum: *Ecce ancilla Domini, contingat mihi ſecundum verbum tuum.* Angelus quippe eam altiſſimi filij genitricem prædixit, ipſa ſe altiſſimi filij ancillam humiliter confitetur. Huic etenim Angelico oraculo Dauiticum concordare non inconuenienter præconium demonſtratur: *Mater*, inquit, *Sion dicit, Homo & homo natus*, vel factus, C *eſt in ea, & ipſe fundauit eam Altiſſimus.* Ipſe, non alius, qui factus eſt in ea ex ſemine Dauid ſecundum carnem; ipſe fundauit eam altiſſimus in æternum. Angelus denique Altiſſimi filium, Propheta nimirum Altiſſimum ipſum commemorat. Quoniam quidem ſicut Deus pater, Deus filius; ita altiſſimus Pater, altiſſimus Filius prædicatur. Concinunt quapropter ſibimet vetus ac nouum Teſtamentum, quia vnus idemque Spiritus ſanctus auctor eſt mirabilis vtrorumque. D

Requiratur igitur dilectus ille diſcipulus, qui de ipſo ſapientiæ fonte ſingulariter ſcientiæ hauſit fluenta, cùm in Cœnæ conuiuio ſuper pectus recubuerit Saluatoris. Plenitudinem ſiquidem diuini ſaporis refectione ſatiatus, totum orbem terrarum Euangelicis inſtitutis doctrinæ ſuæ flumina redundauit. Miſſo denique fidei oculo ad diuinitatis altitudinem contemplandam, dicat quid in principio erat, aut vbi erat, aut quid erat: *In principio*, inquit, E *erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil.* Subiungat etiam quid hoc Verbum, quod Deus erat, & eſt, pro nobis dignatus eſt fieri: *Et Verbum*, inquiens, *caro factum eſt, & habitauit in nobis.* Hoc eſt, Deus homo factus eſt, permanens id ſempiternus quod erat. Proſequatur adhuc, cuius gloriæ Verbum caro fa-

A ctum permanſerit: *Et vidimus*, ait, *gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à Patre, plenum gratiæ & veritatis.* In qua nimirum gloria Chriſtum Ieſum intuens exaltatum doctor mirabilis, ait: *Omnis lingua confitetur, quia Dominus Ieſus Chriſtus in gloria eſt Dei patris.* Eandem namque gloriam, quam à patre, coæternus patri, priuſquam mundus fieret vnigenitus habuit filius: Euangeliſta habere Verbum caro factum, plenum gratiæ & veritatis, ſeſe vidiſſe teſtatur. Plenus vtique gratiæ & veritatis Deus, plenuſque B perdocetur homo. Quo ergo pacto, ô hæretice, Verbum caro factum, hoc eſt Deum hominem factum, alterius gloriæ, id eſt, adoptiui & nuncupatiui ſomniare ſomno mortifero præſumis: cùm tantus Apoſtolus gloriam eius, gloriã quaſi vnigeniti à patre plenum gratiæ & veritatis ſe vtique vidiſſe gloriabatur? De qua profectò plenitudine Ioannes etiam Baptiſta prædicatur, dicens: *Et de plenitudine eius nos omnes accepimus, gratiam pro gratia, quia lex per Moyſen non facta, ſed data eſt; gratia & veritas per* C *Ieſum Chriſtum facta eſt.*

Hanc igitur diuinitatis plenitudinem Paulus egregius prædicator in mediatore Dei & hominum homine Chriſto cùm inſpiceret, non celauit. Ait enim, *In ipſo conditꝗ ſunt vniuerſa in cælis, & in terra, viſibilia, & inuiſibilia: ſiue Throni, ſiue Dominationes, ſiue Principes, ſiue Poteſtates; omnia per ipſum, & in ipſo creata ſunt, & ipſe eſt ante omnes, & omnia in ipſo conſtant.* Et poſt paululum, *Quoniam in ipſo complacuit omnem plenitudinem diuinitatis inhabitare corporaliter, & per eum re-* D *conciliari omnia in ipſo: pacificans per ſanguinem crucis eius ſiue quæ in cælis ſunt, ſiue quæ in terris.* Reminiſcor, vt puto, hoc legiſſe me tuis te in comentis Apoſtolicum inſeruiſſe teſtimonium: ſed moris tui calliditatem deprehenderis perſpicuè non abdicaſſe. In ipſo namque profiteris Apoſtolum omnem plenitudinem diuinitatis habitare dixiſſe: ſed corporaliter in eo habitare, perfidiæ incidere non es veritus ſcalpello. Quaſi minus cautè Apoſtolus corporaliter ex ſuperfluo addidiſſet. Numquid vas ille ele- E ctionis, in quo Chriſtus loquebatur, inſcius erat, cur addiderit corporaliter? Abſit. Non quòd quilibet Catholicorum ſanum ſapiens tam vaniſſimè diſſipiat, vt in illa inuiſibili, impalpabili, & incomprehenſibili diuinitatis natura corporale aliquid vel palpabile ſuſpicetur. Sed quia ineffabilis diuinitatis natura corporalem ſe veſtire veraciter dignata eſt humanam naturam: ac per hoc humanum corpus

quod

quod adſumpſit, ſuum proprium fecit. Vt qui ſecundum ſe, hoc eſt per id quod diuinum eſt, nec videri, nec palpari, nec ſubdi, nec pati, nec mori, nec ſi quid aliud huiuſcemodi eſt, poſſe nullatenus creditur, quod nefandiſſimum hoc etiam ſuſpicari quis ambigat. Per corporale quippe indumenti velamen, hoc eſt incarnationis myſterium, quoniam ſuſcepta caro à Verbo propria Verbi eſt caro, & videri inuiſibilis, & pati impaſſibilis, & mori immortalis, in propria carne poſſe, Apoſtolicis inſtruimur documentis. Ait enim primus Paſtor Eccleſiæ, *Christo autem in carne paſſo*. In carne vtique, non cum carne diuinitatem compaſſam, quæ extra paſſionem modis omnibus conſtat. Sed quoniam propria Verbi caro erat quæ paſſa eſt, ille vtique paſſus mortuuſque dicitur, cuius propria caro paſſa & mortua eſſe perhibetur: à qua nunquam poſt adſumptionis ſacramentum impaſſibilis & indemutabilis ſeparata diuinitas prædicatur. Ac per hoc Chriſtus Ieſus & paſſus, & mortuus, & ſepultus, & reſurrexiſſe ſecundum ſcripturas, Dei filius veraciter declaratur. Iuxta quod omnibus conſequenter Eccleſiis Apoſtolus tradidit Paulus, & venerandi Nicæni Concilij inuiolabilis Symboli notiſſima omnium Catholicorũ regula proteſtatur. Nam & hominem verum vnigenitum Dei filium, factũ natumque de Spiritu ſancto & Maria Virgine, quem ex Patre ante omnia ſecula non factum, ſed genitum confitetur: ipſum eundemque propter nos noſtrámque crucifixum ſub Pontio Pilato ſalutem, paſſum & ſepultum, ac tertia die reſurrexiſſe viuum à mortuis, aſcendiſſe in cælum, ſedere etiã ad dexteram Dei profitetur patris, venturúmque cum gloria viuos & mortuos iudicãdos. Qui enim impaſſibilis & immortalis permanet ex diuinitate, paſſus idem ipſe, & mortuus, ac ſepultus creditur ex humanitate. Nam *etſi mortuus eſt*, inquit Apoſtolus, *ex infirmitate noſtra, ſed viuit ex virtute Dei*.

Hæc igitur omnia propria piæ dignationis voluntariáque poteſtate, non coactus ſuſtinuit neceſſitate; ſicuti longè ante per Prophetam patri profitetur, dicens: *Voluntarie ſacrificabo tibi*. Et illud, *Vt facerem voluntatem tuam, Deus meus, volui*. Quia voluiſti, ô Domine Ieſu Chriſte, omnia hæc feciſti; quoniam cùm ſis Deus omnipotẽs, non eſt tibi difficile omne verbũ. Hoc eſt enim tibi velle, quod poſſe. De te namque ſcriptum legiſſe me profiteor: *Subeſt tibi*, ait quidam Sapiens, *omnia poſſe quod velis*. De te namque cantiloquus Dauid Propheta cecinit, dicens: *Omnia quæcumque voluit Dominus fecit in cœlo & in terra, in mari, & in omnibus abyſſis*. Sancto tuo repleti omnes ab origine mundi, Patriarchæ, Prophetæ, Euangeliſtæ, Apoſtoli, cunctíque Catholici viri, teſtimonium de te veritatis perhibuiſſe, fundamento inuiolatæ innixi fidei, firmiter retinemus. Quorum quidem cõlatis præſidiis noſtra ſunt nihilominus diſputationum conloquia fulcienda. Nam vt multa de his, & infinita prætereà, quia nec totus eos, qui ſcribendi erant de te, mundus capere poſſe, dilectus tuus proteſtatur diſcipulus, libros: pauca ergo ex multis, iuxta paupertatis meæ intellegentiam, te vtique gratuito munere largiente, ea videlicet quæ ad huius expectare negotij aduertitur qualitatem, huic operi quamuis pigro digerente inſeram ſtilo.

Dauid igitur præcipuus Prophetarum, paternæ vocis fungens officium, quia ab æterno patre coæternus tu ante ſecula, & ſine initio ineffabiliter es genitus filius, ſic ait: *Tecum principium in die virtutis tuæ, in ſplendoribus Sanctorum: ex vtero ante luciferum genui te*. Et quoniam tu idem ipſe ſecundum diſpenſationem adſumptæ incarnationis ſacerdos pro nobis, oblatio, & hoſtia in odorem Deo ſuauitatis fieri dignatus es; continuò ſubiunxit, *Iurauit Dominus, nec eum pœnitebit: Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech*. Sed & quia calicem mortis pro ſalute mundi in tranſitu bibere non renuiſti, poſt modicum ſubinfertur: *De torrente in via bibit, propterea exaltauit caput*. Hinc alias de hoc magno pietatis ſacramento iſdem ſic intonat Propheta: *Mater Sion, dicit, Homo, & homo natus eſt in ea, & ipſe fundauit eam altiſſimus in æternum*. Et homo, inquam, & altiſſimus: quoniam Deus verus, & homo verus, vnus idémque ipſe es tu; & non alius nuncupatiuus Deus, & adoptiuus filius, quemadmodum hæretici impio profanare non metuunt ore. Audio etiam ſecundum incarnationis myſterium indignus ego melliſluam tuam vocem per os eiuſdem Prophetæ quàm feliciter reſonantem, *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te*. Et quia de illa, quam de matre voluiſti habere, natiuitate dixeris, ex præcedentibus & ſubſequentibus circumſtantiis euidentiſſimè adprobatur. Sed & Paulus tuus, ludæis ſecundum ſcripturas de te rationem reddendo, expoſuit, cùm huius Pſalmi teſtimonium

ad medium deducere feſtinaret. Ait enim: A *Et nos vobis adnuntiamus, ea quæ ad patres noſtros repromiſſio facta eſt, quoniam hanc Deus adimpleuit filiis noſtris, reſuſcitans Ieſum, ſicut & in Pſalmo ſecundo ſcriptum eſt; Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Per id enim reſuſcitatus crederis, quod de ſancta Virgine naſci dignatus es. Denique Iſaias Propheta, qui non immerito Euangeliſtæ dignus eſt vocabulo nuncupari, qui non quaſi in Prophetia vmbroſis obuolutum allegoriarum myſterium foliis; ſed tanquam in prompto perſpicua claritate radiantia, Euangelicis ſimillima dictis oraculo promulgauit. Ait enim: B *Ecce virgo concipiet, & pariet filium.* Et nomen eius cum interpretatione ſui decoris curauit adſerere, cùm protinus addidit, *Et vocabitur nomen eius Emmanuhel, quod interpretatur, Nobiſcum Deus.* Non ſonat interpretatio iſtius nominis vim ſuæ proprietatis expreſſa, nuncupatiuus Deus; ſed, nobiſcum Deus. Et rurſum idem ipſe: *Paruulus natus eſt nobis, filius datus eſt nobis; & vocabitur nomen eius, Admirabilis,* C *Conſiliarius, Deus fortis.* Ecce & hìc Deus fortis, non Deus nuncupatiuus, iuxta hæreticorum nefandiſſima deliramenta. Et quaſi iſdem Propheta cũ incarnata iam Dei patris Sapientia loqueretur oculo ad oculum, ſic ait: *Verè tu es Deus, & non eſt alius præter te: tu enim es Deus abſconditus, & neſciebamus.* Abſconditus namq; Deus, quia inuiſibilis diuinitas in carnis velamine celabatur. Hinc Hieremias ait: *Hic eſt Deus noſter, & non æſtimabitur alius, qui adinuenit omnem viam ſcientiæ, & dedit illam* D *Iacob puero ſuo, & Iſrahel electo ſuo. Poſthæc in terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt.* Tu ipſe etiam proteſtatus es, dicens: *Ego Dominus, & non mutor. Per memetipſum iuraui, quia mihi flectitur omne genu, & confitebitur omnis lingua.* Hæreticus iſte non curuat humiliter fidei genu, quatenus te ſuppliciter orthodoxa linguâ verum Deum, verumque Dei filium confiteatur. Quamuis quodam velamine diſputationis oppoſito, Catholicorum mentes, quaſi veriſimile aliquid oblaturus, de- E ludere moliatur: cùm te vnum verum & omnipotentem Deum in duos Deos, verum ſcilicet & nuncupatiuum, Deum verum nimirum, & optatiuum * filium, propter magnum pietatis ſacramentum diuidere conicetur. Surda aure quod dictum eſt, *Ego Deus, & non mutor*, auditui præbet meatum. Non intentat illas aures inenarrabilium ſacramentorum audiẽdi myſteria, quas tu, ſicut Euangeliſta nos docuit, cùm in parabolis eructuares abſcondita à conſtitutione mundi, requirebas dicens: *Qui habet aures audiendi, audiat.*

* *f.* adoptiuum.

Cur, ô infelix, non audis quod tibi dicitur? *Ego Deus, & non mutor: neque enim eſt Deus alius præter me?* Cur te fefellit inanis gloriæ aſtutia, vt arbitreris ex eo non te poſſe vltio iudicialis inhibere vindictæ, quòd verum Deum ex patre vnum eundemque Chriſtum Ieſum Dominum noſtrum, & Deum autumas nuncupatiuum ex matre: quaſi alius ſit qui ex patre, alius qui ex matre; cùm vnus idem ipſe verus Deus veruſque Dei filius, & ante ſecula ſine initio de patre, & in fine ſeculorum non alius, ſed ipſe de Virgine matre: ſicut tu ipſe, priuſquam rapiatur bonum de agro pectoris tui ſemen, fructificatam ſanæ fidei meſſem videris. Aliter tamen de patre, aliter vero, ſed non alter, creditur natus de matre. De patre nempe ſimplicis naturæ, de vno vnus, Deus verus de Deo vero. De matre vtique ex vtraque natura, diuina ſcilicet & humana, Deus verus & homo verus. Non Deus & homo, duo filij, vel duo dij; ſed Deus & homo vnus, veruſque Deus homo. Non enim adſumptio temporalis naturæ præiudicauit illi ſempiternæ diuinæque naturæ, vt aut duplicetur in duos filios, proprium ſcilicet, & adoptatiuum, vt tu coniceris adſtruere: aut reſcindatur ab vno, hoc eſt, ab vnione perſonæ, aut demutetur in alterum, hoc eſt, in nuncupatiuum Deum, vt tuum veluti ſepulcrum patens guttur intolerabilem non erubuit exhalare fœtorem.

Expergeſcere tandem aliquando, ſi funditus non es defunctus, & à ſomno infidelitatis, poſt tam tumultuoſo euigila pulſatus clamore. Quouſque crapulatus perfidiæ poculo, vrſina ſtertere non deſines nare? Iam enim hiems tranſiit, imber abiit, & receſſit. Egredere nunc de tenebroſi cauerna profundi, flores apparuerunt in terra, vox turturis audita eſt in terra noſtra. Abiit coruus, vt degat in ruinoſis, reuerſa eſt iam columba pennis deargentata, ferens ramum virentis oliuæ ad arcam. Memento quia ad veſperum reuertitur, ne fortè dum tu ſono grauaris perfidiæ, & ſurgere pigritaris, ingrediatur arcam columba; clauſoque à foris oſtio tu euagare incipias errabundus poſt coruum. Cur non ſentis? an ſi ſentis, ſtupidus remanes nimio quatiente terrore? Quàm terribiliter Prophetarum tonitrua,

vt expergeſcaris, inter volantes roranteſque graſſantis aëris nebulas, altiſſimis ſtrepere tumultibus non requieſcunt: cælique ſcripturarum ſpiritali in cardine, quo voluuntur, cantiloquis ſtridunt concentibus, dulcia grandiſſono carmina modolamine cantant? An fortè noxiali vitiatis oculis fumo, & ob id palpantibus palpebris arcum in die pluuiæ non vales depictum in nube ſuſpicere? nec diſcurrentia Euangeliorum fulmina, coruſcis aquarios trāsfuſos radiis nimbos nulla tibi datur cernendi facultas? Nil ergo diſtas à mortuo, ſi hæc omnia quæ dicuntur inſenſibilia tibi videri ex tuis quantociùs poterunt indiciis obiiciendo probari. Doceri nempè facillimè poteras, ſi aurem præbere non recuſabas benignam.

Non vt tibi videtur, hoc eſt adoptiuus, quod & adſumptus, ſeu adplicatus, vel cetera huiuſmodi, quæ tuo ſtrematico digeſta ſtylo leguntur. Interrogo præterea, ſi vnum eſt, adſumptus & aduocatus; quomodo accipi rectè poteſt, quod Euangeliſta diabolum Dominum adſumpſiſſe in ſanctam ciuitatem, vel in montem perhibet excelſum? Si adhuc dormis, non ſentis: ſi euigilaſſes, forſitan animaduerteris. Quoniam non datur intellegi, nec vlla permittit poſſibilitatis ratio ſuſpicari, quaſi adoptatiuum eum filium callidus ille ſerpens, quem tentaturum, & ſi fieri poſſit, decepturum adierat, in ſanctam ciuitatem, vel in montem adſumpſiſſe dicatur excelſum. Similiter & quia adplicatus non eſt hoc quod & adoptatus, Dominica voce ad beatum Iob de eodem antiquo hoſte diſputante didicimus. Nam cùm myſticè Dominus caput illum omnium reproborum, & reprobos omnes eius diuerſa mēbra diſtingueret, ac ceruicem ſuperbiæ illius ſuæ frangere poteſtatis inſinuaſſet virtute; protinus addidit: *Qui fecit eum, adplicauit gladium eius*: hoc eſt, nocendi malitiā ſuæ refrenauit imperio poteſtatis. Nunquid quod dicitur, *adplicauit eum*, intellegi debet, adoptauit eum; cùm ille nunquam ſit ad veniam reuerſurus, & quaſi per adoptionis gratiam in ſorte ſit filiorum redintegraturus? Quis hoc, in tantam ſit ignauiæ voraginem merſus, vt diſſipiens taliter vel cogitare præſumat? Cur, quæſo, diligenter non conſideras quid loquaris, & ſubtiliter perpendere neglegis de quo loquaris? An neſcis, quia omne animal, quod non ruminat, aut non findit vngulam, immundum Domini lege cauetur? In ruminando quippe, & in fiſſæ vngulæ diſtinctionem, & ſubtilis trutinatio mentis, & diſcretio intellegitur conſideratæ qualitatis. Neque enim inaniter ſcripturæ oraculo admonetur: *Tempus tacendi, & tempus loquendi.* Ille etenim poſtmodum prudenter loquitur, qui ſapienter primùm nouit tacere. Multa profectò ſcripturarum teſtimonia in libello qualicumque fidei tuæ coaceruata curioſo inſpiciuntur obtutu, quatenus per ea ſapientiæ tuæ ſe proderet magnitudo. Sed ob hoc è contrario contigit noſſe, quàm longè à veræ ſapientiæ altitudine in infimis tabefacta iaceret.

Ioannis igitur Apoſtoli profeſſionis teſtimonium te ibidē poſuiſſe hoc modo res non obſiſtit ambigua, *Vt cognoſcamus verum Deum, & ſimus in vero filio eius Ieſu Chriſto.* Hic eſt verus Deus, & vita æterna. Ipſe demum quia dixerit, *Aduocatum habemus apud patrem Ieſum Chriſtum iuſtum.* Aduocatus, ait, idem eſt quod & mediator; & ideò refellitur à te verus credi non poſſe Deus. Rectè enim mentitus es in caput tuum. Ecce Angelus Domini ſecat te medium. Aduocatus igitur non eſt idem quod mediator. Mediator namque hoc eſt quod & reconciliator. Sermo autem mediatoris cū interpretatione ſui denunciatur effectus. Mediator igitur ab eo, quòd medius ſit inter vtraſque diſſidentium partes, vt reconciliet ambos in vnum. Quod quidem Redemptor noſter vnigenitus Dei patris filius pro nobis inter Deum & nos fieri gratis dignatus eſt: vt qui diſcordes à conſortio caritatis Dei peccādo extiteramus, per eum ad concordiam diuini amoris reconciliati in ſanguine ipſius redintegrari mereremur, ſicut per Paulum docetur: *Cùm eſſemus*, ait, *inimici, reconciliati ſumus Deo per mortem filii eius, ſalui facti per ſanguinē ipſius: delens quod aduerſum nos erat cyrographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipſum tulit de medio, adfigens illud cruci, expolians Principatus & Poteſtates transduxit confidenter, palam triumphans illos in ſemetipſo.* Denique non Paulus mediator, ſed legatus fidelis mediatoris: *legationem*, inquit, *fungimur pro Chriſto, reconciliamini Deo.* Aduocatus namque eſt, qui iam pro reconciliatis interpellat, quemadmodum iſdem Redemptor noſter facit, cùm humanam Deo patri in vnitate Dei hominiſque perſonæ naturam oſtendit. Hoc eſt enim Deum patrem pro nobis interpellare. Ioannes non interpellare, ſed ipſum etiā eſſe propitiationem pro peccatis noſtris declarat. Quòd ſi aduocatus hoc eſt, vt

tua fert opinio, quod & mediator, & ideò quia aduocatus verus non creditur Deus: quid tibi ergo videtur de Spiritu ſancto, qui incarnatus non creditur, & tamen ab ipſo paraclytus, hoc eſt, aduocatus appellatus eſt? Illud enim Græcè, hoc Latinè pronuntiatur. Sic enim habes in Euangelio: *Rogabo patrem meum, & alium paraclytum dabit vobis, ſpiritum veritatis qui à patre procedit.* Dicendo, *alium*, ſe vtique & Spiritum ſanctum paraclytum, hoc eſt aduocatum, denunciat. Neque enim facultas reſpondendi tibi vllo modo conceditur, vt de Spiritu ſancto, qui incarnatus non eſt, adſtruas aduocatum ſecundum carnis adſumptionem nuncupari.

Si ergo ideò Chriſtum Ieſum verum denegas Deum, verumque Dei filium, quia aduocatus noſter eſt, & pro culpis delinquentium intercedit; quæro quid de Spiritu ſancto difinire præſumas, qui & ipſe aduocatus noſter eſt, & incarnatus nõ eſt; vtrum ſit Deus verus, an non. Nam & Paulus interpellare eum pro nobis gemitibus inenarrabilibus proteſtatur. Ait enim, *Ipſe autem Spiritus ſanctus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Si verò qui poſtulat, & aduocatus eſt; Deus verus, iuxta tuam veſaniam, non adoratur. Sanctum namque Spiritum, Macedonij ſectã ſecutus, Deum abnuis verum. Sed ſi de Filio rectè ſentires, rectè profectò & de Spiritu ſancto intellegeres. Dei enim filius omnia pro nobis, non pro ſe, voluntaria pietate ſuſcepit. Et ideò ſuſceptio humanæ naturæ, quam in veritate pertulit carnis, diuinæ nil præiudicat maieſtati. Infirma quoque noſtræ naturæ, virtute ſuæ ſolidauit diuinitatis. Nam quemadmodum Spiritui ſancto, quia aduocatus dicitur, & pro nobis poſtulare perhibetur, nil obeſt vt Deus ſit verus: ita & Saluatori noſtro Deo Chriſto Ieſu, quia aduocatus & mediator pro nobis fieri dignatus eſt, nil cõtradicitur vt Deus non ſit verus, propriuſque filius Dei. Igitur cùm Spiritus ſanctus verus ſit Deus, & diuinitatis illa ineffabilis eſſentia, quæ omnimodo extra paſſionem & mutabilitatem permanet, nullum vnquam gemitũ perturbati adfectus poſſe ſuſcipere quis ambigat; cur Paulus Apoſtolus, ſicut ſuprà relatum eſt, poſtulare pro nobis gemitibus docuerit inenarrabilibus? Sed quoniam mentes, ſicut & ante nos dictum eſt, quaſi gratiæ ſuæ inluſtratione perfuderit, gementes pariter efficit & poſtolantes: poſtolare idcirco gemitibus inenarrabilibus perhibetur, quia po-

A ſtolare & gemere facit. Facit, qui efficiatur, ex eius dono gratiæ pro[illegible]retur.

Denique quia tam obſtinatæ mentis infeſtus peruicacia adoptatiuum Dei filium quoquomodo adfirmare non parcis, audi ergo qua ratione poteris ei inculpabiliter hoc adſciſcere nomen. Ieſus Chriſtus etenim omnipotentis Dei filius omnipotens Dominus noſter, quia precio ſanguinis ſui nos redemit, iure Redemptor verus omnium redemptorum vocatus B prædicatur. Non, inquam, ille redemptus, quia nunquam captiuus. Nos vero redempti, quia fuimus captiui, venundati ſub peccato. Obligati nimirum in chyrographo decreti, quod ipſe tulit de medio, delens ſanguine ſuo, quod nullus alius redemptorum delere potuit ſanguis, adfixit illud cruci, palam triumphans in ſemetipſo. Similiter Saluator ille, quia nos ſaluos fecit qui perditi eramus; vnde & vnus ex his, qui perierant, confitenter poſtulat, vt requiratur & ſaluetur ab eo. C *Erraui*, inquit, *ſicut ouis quæ perierat: require ſeruum tuum Domine.* Non ſaluatus ille, ſed ſaluator, quia nunquam perierat. *Venit enim*, ait ipſe de ſe, *filius hominis quærere & ſaluum facere quod perierat.* Noli inſultare illi cum Iudæis conuiciantibus: *Alios*, inquiũt, *ſaluos fecit, ſeipſum non poteſt ſaluum facere.* Qui alios vtique ſaluos fecit, ſaluari procul dubio ab alio non eguit. *Dextera*, ait, *mea auxiliata eſt mihi.* Liberator etenim ille, non liberatus; quia nunquam fuit ſeruus peccati. *Omnis*, refert, *qui facit peccatum,* D *ſeruus eſt peccati.* Nos nàmque liberati, qui ſub peccati iugo depreſſi ſerui facti dæmoniacæ dominationis, ius in nobis tyrannicæ poteſtatis Princeps huius mundi, rectórque harum vindicabat tenebrarum. Quod quippe iugum peccati à facie olei computruit, quando in diſcipulos Redemptor noſter inſufflauit, dicens: *Accipite Spiritum ſanctum; quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.* Ipſe ſe denique liberatorem adſeruit, qui dicebat: *Si vos filius liberauerit, verè liberi eritis.*

E Hoc igitur modo, ſicut præmiſimus, honeſtè, & abſque vlla iniuriæ calumnia poteſt, non ille adoptatus, ſed adoptator prædicari: quamuis non ſit hoc nomen vſitata tritum locutione, & ideò fortè precioſum, quia rarum. Non ille, certum eſt, adoptatus, ſed potiùs adoptator: quia nunquã fuit peccando extraneus, nunquã prorſus fuit filius iræ, conceptus in iniquitatibus, nec in delictis parturiit

eum mater ſua: quem natum de Spiritu ſancto Virgo mater vnum in vtraque natura Deum veraciter peperit & hominem. Nos ergo adoptati, qui peccati cautione exigente, iure diabolicæ fraudis detenti, extranei à noſtri Conditoris conſortio dominióque longiùs diſtabamus. Corruptæ videlicet naturæ concubitu in iniquitatibus concepti, & in delictis de matris iactati vtero, filij iræ eramus. Ille non adoptatiuus, ſed proprius Dei filius, in plenitudine temporum miſſus à patre, natus ex muliere, factus ſub lege, adoptionis nobis gratiam ſua dignatus eſt benignitate per lauacrum regenerationis largiri. *Quotquot autem*, ait Euangeliſta, *receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri.* Adoptator quapropter ille, ſicut Saluator, Liberator, & Redemptor, non adoptatus; quia nec ſaluatus, nec liberatus, nec redemptus. Nos nimirum ſaluati, liberati, & redempti: ille prorſus ſaluator, liberator, redemptor, & adoptator; qui nos ſaluauit, liberauit, redemit, & adoptauit in ſortem filiorũ Dei. Vt qui ex debito filij eramus iræ, hoc eſt diaboli, gratuito eius munere filij Dei per ipſius gratiam effici mereremur.

Tu cauſaris, qui negat, inquis, eum adoptiuum ſecundum hominem filium Dei, neget neceſſe eſt eum verum fuiſſe hominem. Quur obſecro te hoc ſentire rugoſa gerens non erubeſcis fronte? Quur tam ſtultè non te pudebit de vno Chriſto Deo & homine effari, cùm adoptiuus filius ille dici debeat, qui purus eſt homo? Qui non merito, ſed ex dono gratiæ, adoptionis nomine cenſetur. Qui non vna perſona ex vtraque natura cum Deo conſtat, ſicut Dominus noſter Ieſus Chriſtus, qui ſemper ex quo conceptus de Spiritu ſancto in vtero Virginis ſecundum hominem cœpit eſſe, ſempiternus permanet Deus & homo. Nunquidnam cum confiteor eum non redemptum, ſed redemptorem; non ſaluatũ, ſed ſaluatorem; putáſne hominem negem eum? Hominem, inquam, illum verum confiteor: ſed Deum verum eum prædicans veneranter adoro.

Addis adhuc & aliud, quia finem non habent verba ventoſa; Non poſſe quidquã membra habere, niſi hoc quod præceſſerit in capite. Quod quidem rectè diceres, ſi ſubtili diſcretione, cauta manu fidei diſcriminare quod loqueris religioſiùs didiciſſes. Quid ſoli capiti deputatur, quæ ad ſola membra referuntur: quid etiam commune in vtroque conueniat. In capite igitur noſtro præceſſit circumciſio legalis,

A hoſtiarum oblatio, obſeruatio Paſchalis conuiuij, immolatio agni, cùm typicum Paſcha in myſterio quinta feria celebraretur. Quæ omnia hæc iuxta litterã in membris eius nullomodo, ſed typicè deriuãtur. Nec mouere quempiam debet, quia teſtati ſumus Dominum noſtrum Dei filium non ſaluatum, vel liberatum, vel redemptum; ſed ſaluatorem, liberatorem, & omnium redemptorem; pro eo quod ipſe per os omnium Prophetarũ & ſaluari, liberari, & redemi ſe exoret. Sed ille, qui nõ ſibi, ſed

B nobis eſt natus, Angelo adteſtante, qui ait: *Natus eſt vobis hodie Saluator.* Et illud Propheticũ, *Paruulus natus eſt nobis; filius datus eſt nobis*, & cætera iſtiuſmodi. Qui non ſibi, nec pro ſe, ſed pro nobis eſt paſſus, mortuus, & ſepultus, & reſurrexit, iuxta Euangelicas & Apoſtolicas voces, ſicut Petrus dicit: *Chriſtus pro nobis paſſus eſt.* Et Paulus ſæpiſſimè repetit. Ait enim, *Caritas enim Chriſti vrguet nos, quoniam ſi vnus pro omnibus mortuus eſt, ergo omnes mortui ſunt ei qui pro omnibus mortuus eſt: vt & qui viuunt, iam non ſibi viuant, ſed ei qui pro ipſis mortuus eſt, & reſurrexit.*

C Non ſibi, nec pro ſe orabat, quia ſicut ſæpiùs eſt intimatum, non eſt ſibi natus, nec pro ſe paſſus vel mortuus. Sed pro illis, id eſt membris ſuis orabat, pro quibus hæc omnia voluntaria dignatione altiſſimáque pertulit poteſtate. Quid mirũ ſi pro illis, hoc eſt pro conſubſtantialibus membris ſuis, humano affectu, humanáq; voce orare infinita voluit pietas, qui pro illis dignatus eſt etiam cum moralibus incrementis naſci, pati, mori, & ſepeliri, ac

D reſurgere? Nec fuit hoc dedecus diuinæ maieſtatis excellentiæ, quæ hæc omnia miro & ineffabili modo cum ſui honoris altitudine impaſſibilis, immortalis ſuſcepit, & immutabilis Deitas. Nam quia non pro ſe, nec ſibi, quoniam nulla hoc fieri neceſſitatis exigebat anguſtia; ſed pro nobis ſolus ille orabat, quorum ſumma incumbebat neceſſitatis miſeria: euidentiſſimè per Euangelium eiuſdem noſtri Redemptoris perſpicuo teſtimonio adprobatur.

E Proximus igitur paſſioni, ſuſcipiens in ſe humanæ infirmitatis affectum, turbauítque ſemetipſum: poteſtatis vtique inſignibus, non timoris, vt hæretici garriunt, dedecore. Nunc autem ait, *Anima mea turbata eſt.* Et quid dicam? *Pater ſalua me in hac hora. Sed propterea veni in horam hãc. Pater clarifica tuum nomen.* Continuò namque paternæ intonantis vocis auditur reſponſum. *Et clarificaui*, ait, *& iterum clari-*

ficabo. Cúmque conſternatæ admirationis ſtupens turba data tanto beatificantis vocis auditui, dignitatiſque inſignibus ſublimata; varia quidem diuerſis cogitationibus dum ſuſpicio verteretur in mente, vtrum tonitruum an Angelus ei de cœlo locutus fuiſſet: ſtatímque Veritas quid verius habebatur proprio publicare dignatus eſt ore. *Non propter me*, ait, *vox iſta venit, ſed propter vos.* Et rurſum, *Nunc clarificatus eſt filius hominis, & Deus clarificatus eſt in eo.* Si Deus clarificatus eſt in eo, & Deus clarificauit eum in ſemetipſo, & cõtinuò clarificauit eum. In ſemetipſo vtique, quia diuinitatis potentia, quæ in propria eum ſibimet perſona inſeparabiliter vniuit, in verum Deum verumque Dei filium exaltauit. Vt eſt illud Petri Apoſtoli, *Certiſsimè*, inquit, *ſciat omnis domus Iſrahel, quia & Dominum eum, & Chriſtum Dei fecit hunc Ieſum.* Deus nimirum Dominum Chriſtum Dei fecit. Hoc eſt omnis plenitudo diuinitatis, cui complacuit in eo corporaliter, iuxta Pauli vocem, inhabitare: quia Deus homo fieri dignatus eſt, ſecundum quod verbum caro factum eſt. Deus hominem Chriſtum Dei fecit, non conuerſione verſibiliter, vel immutabilitate ſeu transfuſione naturarum; ſed vnius perſonæ dignitate, quoniam Dei perſona humanam dignata eſt in ſe ſuſcipere naturam. Valet etiam ad hæc roboranda, & illud, quod in oratione necdum reſuſcitatum Dominus innotuit Lazarum. *Pater*, inquit, *gratias ago tibi, quia ſemper me audis. Ego autem ſciebam, quia ſemper me audis: ſed propter populum circumſtantem dixi, vt ſciat quia tu me miſiſti.* Et hic non ob aliam cauſam, ſed propter populum adſtantem ſeſe oraſſe teſtatur. Orabat quaſi verus homo pro hominibus, ſed poteſtatis inſigni, non neceſſitatis dehoneſtate. Omne enim quod incarnata Dei patris ſapientia, virtuſque mirabiliter in locutione, in actione, in ſitu & motu, in ſeſſione & reſurrectione, ac deambulatione egit; aut exemplum, aut doctrina, aut myſterium fuit; aut vtrumque, & hoc, & hæc, & illud.

Tu igitur non es confuſus felliuomo gutture explicare, idcirco eum non eſſe verum Deum, verúmque Dei filium: quia non ſolum pro aliis, ſed etiam pro ſemetipſo neceſſariò in oratione Dei pernoctãs, duxerit exoraſſe, Apoſtolicum ſumens teſtimonium ſatis clarum & perſpicuum, ſed ſecundum perfidiæ tuæ ſenſum ſatis malè & obſcurè deprauatum. Nunquid

A non cum admiratione Petri Apoſtoli ... te vox, etiam Pauli ſapientiam laudar... auditur, hoc modo? *Quemadmodum*, inq... *& dilectus nobis Paulus ſecundum datam ſapientiam ſcripſit vobis.* Itaut in omn... Epiſtolis loquens de his, in quibus ſ... quædam difficilia ad intelligendum inſ... ta, quæ praui homines ſecundum ſu... deprauare ſenſum moliuntur, ſicut & a... ſcripturas. Quòd te tam obſcœni pia... noxam in tuis nuper promulgatis litt... non inſeruiſſe, nulla valebis contradi... B ratione; quemadmodum & huius te... monij calumniari poteris veritatẽ. P... ſi ſibi, vel pro ſe orauit, ſibi & pro ſ... natus, & paſſus, ac mortuus, & ſepu... pro ſe etiam proprium ſanguinem f... Nihil ergo habuit ampliùs, quàm p... homo, ſi pro ſe neceſſitate cogente ... uit. Ita etiam, vt tu cauſaris, ſecun... carnem non fuit profectò, ſicut ipſe ... Prophetam teſtatur, inter mortuos l... nec ab illa maſſa perditionis & lege peccati immunis extitit natus: quod ſuſpicari, C ab omni corde diuina auertat clementia. Si pro ſe hæc omnia, & non pro nobis, veluti ſe veritas habet, tantummodo Verbum caro factum, hoc eſt, Deus homo factus, operatus eſt; vbi ſunt inuiolabilia Prophetarum, Euangelicáque atque Apoſtolica oracula, clamantia & dicentia, Chriſtum pro nobis natum, paſſum, mortuum, ſepultum, & à mortuis reſuſcitatum: & cætera iſtiuſmodi, quæ in carnem veniens Dei filius dignatus eſt per incrementa etiam infantiæ, ab ipſis, vt ita di- D xerim, rudimentorum incunabulis exercere? Qui totus in vtero Virginis, totus in ſinu ſempiterni & coæterni Patris permanebat: totus idemque ipſe inter anguſtias iacebat præſepij, totus in paterna ſede regnabat. Ipſe vtique, & non alius, lacte nutriri dignabatur in terra virgineo, qui ſanctos mirabiliter paſcebat Angelos in cœlo.

Solus igitur pro omnibus pernoctans in oratione Deum orabat, quia ſolus pro omnibus venerat mori. Non, non pro ſe E neceſſarium habuit omnino orare, qui nullo vnquam neceſſitatis vinculo, vt purus quilibet electorum hominum fuerat implicatus. Qui eſſentialiter ſuſceptus à Verbo caro factum homo permanens verus, ſic exaltari meruit in Deum; quatenus ex virtute diuinitatis naturaliter ei comparabilis permaneret gloriæ altitudo, nunquam omninò poſſe peccare, qui peccatum non fecit, nec dolus inuentus eſt in

ore eius. Sed nec pati vel mori, licet fuerit poſſe illi quia voluit, non tamen aliter vel aliquando poſſe habuit; ſed qualiter & quando ei ex poteſtate propria placuit, pati vel mori dignatus eſt. Tu autem falſas coniecturalium obiectionum tuarum adſertiones memorato Pauli fulcire teſtimonio coniceris, quia in ea quæ inſcribitur ad Hebræos Epiſtola, de mediatore Dei & hominum ſcripſerit: quòd in diebus carnis ſuæ preces ſupplicationéſque cum lacrymis & clamore valido pro ſe fuderit ad illum, qui potuit eum à morte ſaluum facere. Ignorans alia ex aliis colligere, & vim dicti, quam ex vno non vales comprehendere, ex plurimis queas conlatis ſimillimis capabiliter experiri. An ſi pro magno cœpiſſe te putas à turre Ananehel vſque ad portam Anguli, qualicumque murum Hieruſalem libratim ædificare perpendiculo, æſtimas fortè paruipendendum fore, vltra limen portæ excedere normam menſuræ? Non eſt planè alterius periculi finialis * menſuræ tranſcendere terminos, vt eſt exordij non benè iniecta ſaxorum machina fundamenti. Porro in eo angularis portæ introeundi te aditum tibimet clauſiſſe, certis reuinci poteſt indiciis, quo normæ menſuram excediſſe te immoderatæ locutionis verborum phaleræ proteſtantur. Memento quia qui per Dauid lapis angularis, ipſe per Hieremiam porta eſt anguli vaticinatus. In præcedentibus quippe ſatis latiùs Apoſtolum de his diſputaſſe legitur negotiis; immò ab ipſo dumtaxat eius Epiſtolæ principio. Omiſſo interea in fronte moris ſui ſalutationis titulo, taliter elementa ſermonis incipit exordium: *Multifariè*, inquit, *multiſque modis olim Deus loquens patribus in Prophetis. Nouiſſimè autem diebus iſtis locutus eſt nobis in filio, quem conſtituit hæredem vniuerſorum, per quem fecit & ſecula. Qui cùm ſit ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ eius, portanſque omnia verbo virtutis ſuæ: purgationem peccatorum faciens, ſedet ad dexteram maieſtatis in excelſis. Tantò melior Angelis effectus, quanto præ illis differentius nomen hæreditauit.*

Intueri igitur in his Apoſtolicis verbis ſubtiliter libet, quomodo Doctor mirabilis & vtrarumq; illuſtriùs naturarum proprietatem diſcreuerit, & perſonam vnigeniti Deíque veri excellentiùs intuens, in vtraque natura indifferenter ponens, nec per adoptionis ingeminat prærogatiua *, nec immutat per nuncupationis dedecore *. Sed vnum eundémque Dominum Ieſum Chriſtum verum Dei filium, verumque prædicat Deum, & ante ſecula ſine initio ex patre, & in fine ſeculorum temporaliter genitum ex Virgine matre. Porrò cùm multis modis olim aſſerat Deũ locutum fuiſſe Patribus in Prophetis, & nouiſſimè in filio, euidentiùs vtrumque ſignificat, & Verbi coæterni patris ſempiternæ diuinitatis gloriam prædicat, & adſumptæ carnis ineffabilis myſterij præmonet ſacramentum. Nam & Pater olim per Prophetas in Verbo ſuo, hoc eſt, in vnigenito locutus eſt, & nobis nouiſſimis diebus in eodem filio, hoc eſt per incarnatam Dei Sapientiam: ſicuti iſdem Filius, & ex eo quòd multis modis olim, & per id quod in nouiſſimis diebus in ſemetipſo locutus eſt, per Iſaiam teſtatur, dicens: *Ecce ego ipſe, qui loquebar, adſum.* Et per eundem rurſus Prophetam Spiritus ſanctus de eo non ſiluit: *Oculo*, ait, *ad oculum videbunt, cùm conuerterit Dominus Sion.* Ipſa namque incarnata Veritas aliena ab omni fallaciæ næuo, quæ mentiri nullo modo poteſt, veritatis de ſe teſtimonium perhibet, dicens: *Ecce ego, qui loquebar, adſum.* Et, *ego Dominus, & non mutor.* Mendax autem per hæreticorum ora ſpiritus conatur adſtruere, quia per incarnationis diſpenſationem & Vnigeniti proprietas in dualitate nominis ſit geminata, in proprij ſcilicet & adoptatiui; & vnio indiuiduæ deitatis in plurali ſit numero, & ſingulariter ac ſpecialiter à Patre propria voce, & per os omniũ legitur Sanctorum poſſeſſio pronomine vocatus, & ipſe Patrem tantummodo ſingulari proprietate eodem pronomine perſpicuè inuenitur inuocaſſe: quemadmodum Propheticis, Euangelicis, atque Apoſtolicis imbui ſacramentalibus poſſumus inſtrumentis. Vt eſt illud, *Hic eſt filius meus dilectus.* Et rurſus, *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Et iterum per Prophetam, *Ego ero illi in patrem, & ipſe erit mihi in filium.* Et alibi ſic. *Ipſe inuocauit me, Pater meus es tu.* Et rurſus, *Ex Aegypto vocaui filium meum*, & his ſimilia. Filius autem, quia Patrem ſuum diſtinctè ſemper appellauerit, plurima Scripturarum teſtimonia poterũt adprobare, ſicut per Mariam Magdalenã diſcipulis declaratur. *Aſcendo*, ait, *ad patrem meum, & patrem veſtrum.* Et alibi, *Pater meus vſque modo operatur, & ego operor.* Et illud, *Philippe, qui videt me, videt & patrem meum.* Et rurſus, *Rogabo patrem meum, & alium Paraclitum dabit vobis.* Nuſquam etenim legitur, *Patrem noſtrum*, dixiſſe; ſed aut *meum*, aut ſine additamento *noſtri*, *Pater*, tantummodò: ſicut habes, *Vado ad pa-*

trem. Et illud, *Pater autem in me manens, ipſe facit opera; & Spiritus, qui à Patre procedit*. & reliqua. Electorum autem vocationem à patre, ſiue inuocationem ad patrem, ſemper Scriptura plurali numero ſtuduit commendare. Quæ quidem quia ita ſe veriùs habeant, nullus ignorat, qui ſcripturarum notitiam peculiari habere ſtudio non recuſat.

Nec mouere quempiam debet, tanquã contrarium huic noſtræ videri poſſe adſertioni, quia in ſacra fideliſque hiſtoria legitur præcepiſſe Deum per famulũ ſuum Moyſen Pharaoni, dicens: *Filius meus primogenitus Iſrahel. Dimittite*, ait, *filium primogenitum meũm, vt ſacrificet mihi*. Licet ſcribantur huius præcepti iuſſa, ſono quidem ſingularia; intellectu tamen indigent modis omnibus plurali. Non enim ſingillatim de vno quemlibet electorum intelligi videtur, *Filius meus primogenitus Iſrahel*; ſed de vniuerſa certum eſt multitudine filiorum Iſrahel, ſicut populus, cœtus, plebs, caterua, & his ſimilia, quæ percurrere longiſſima diſputatione in procinctu hoc opere compendioſiùs temperantes calamum deuitamus. Sed neque illud ad hæc obici à quolibet pigrioris ingenij diſputatore rectè putatur: quoniam Dominus Ieſus exoratus à diſcipulis ſuis, quatenus eis dignaretur orationis regulam informare; eóſq; orare præmonuerit. Quorum precibus aure inclinata benigna, ſic ait: *Vos autem cùm oratis, ſic orate, dicentes: Pater noſter qui es in cœlis, ſanctificetur nomen tuum*. Ne fortè cùm ſonat dixiſſe Domino, *Pater noſter*, ex hoc noſtris obniti definitionibus moliatur. quaſi cùm dicit, *noſter*, communi cum cæteris vocabulo aſtruat eum nomen inſinuaſſe paternum; minus intellegens vim dicti ſeriemque locutionis. Non enim indifferenter ait, *Nos cùm oramus*: ſed diſtinctè, *Vos cùm oratis, dicite; Pater noſter*. Nos quidem docuit, vt non ſpecialis priuilegij dignitatem, quæ ſoli vnicóque conuenit Filio Dei, vnuſquiſque audeat paterni nominis vſurpare vocabulum, ſed communi appellatione, *Pater noſter*, ſicut adoptiui, & non naturalis filij. Differentius autem ſolum illum decet æterni Patris nomen ſingulariter inuocare. Qui cùm factus eſſet filius hominis, Dei quidem filius vnus idemque ipſe ſempiternus, & inde immutabilis potuit permanere. De his igitur ita prælibaſſe ſufficiat.

Ad te iam nunc iterum iterumque ſtili noſtri mucro ſe vertat, qui in tanto te iactantiæ faſtu conaris erigere; quatenus

A ipſius Principis Apoſtolorum, prin[illegible] Paſtoris Eccleſiæ, Petri ſcilicet Apo[illegible] fidei ſoliditatem auellere nitaris, quam [illegible] per firmam petram, quæ Chriſtus eſt [illegible] miter à fidelibus non ambigitur fun[illegible]. Vſurpato igitur teſtimonio eius, quo[illegible] libro legitur, qui dicitur Actus Apoſt[illegible]rum, tuis inſertum inſpici ſyllabis à con[illegible]templantibus propalatur: totúmque [illegible] poſitum legentis oculus præcurreret [illegible] ſum à Nazareth, quomodo vnxit [illegible] Deus Spiritu ſancto & virtute, qui [illegible]

B tranſiuit benefaciendo & ſanando om[illegible] oppreſſos à diabolo; quoniam Deus [illegible] cum illo, hoc eſt in illo. Hæc Spiritus ſan[illegible]ctus per os locutus eſt Apoſtoli Petri. [illegible] autem incitatus à ſpiritu nequam, qui [illegible] organum tui lucubratiùs elicitur guttu[illegible] de proprio addidiſti errore, Ieſum Na[illegible]reth ideò non eſſe verum Deum, quia [illegible]trus docuerit: *Deus erat cum illo*, & non [illegible]xerit, Deus erat ipſe. *Deus erat cum illo*, h[illegible] eſt in illo, Petrus confeſſus eſt. Non ſicut in quolibet electorum ex dono gratiæ, ſed

C excellentius cum illo, qua eſſentialiter in vna perſona Deus erat, & homo; iuxta quod omnis plenitudo diuinitatis habitat in eo corporaliter. Deus erat cum illo, non quemadmodum cum nuncupatiuis diis, ad quos ſermo Dei fiebat, vel in quorum manibus verbum Domini factum fuerat: ſed ſic ſingulariter & inſeparabiliter cum illo, quemadmodum ineffabili modo non ad eum verbum Dei fiebat, ſed verbum caro factum eſt, hoc eſt, Deus homo factus eſt. Cùm autem dicit, *cum illo*, natura-

D rum inducit diſcretionem, non perſonarum diſtinguit dualitatem. Cùm ergo non confunderis, tantæ impietatis poſſeſſus vecordia, Petrum negaſſe Ieſum Chriſtum Deum eſſe verum: cui ab ipſo, vt excellentiùs dicam, Domino, pro gloria ſinceriſſimæ fidei profeſſione, beatitudinis viciſſitudo continuò impenſa, commodiúſque retribuitur. Nam cùm de filio hominis diuerſa hominum à diſcipulis opinio texeretur, eo quòd alij eum Iohannem Baptiſtam, alij Heliam, alij Hieremiam, aut

E vnum ex Prophetis, hoc eſt vnum ex nuncupatiuis diis, vel adoptiuis diis profiterentur: propter huiuſcemodi profeſſionis humillima abiectaque præconia, Dominus vnus idémque Dei hominiſque filius indignè tulit. Noluit namque Dominus, huiuſmodi fidei fauens aminiculum præmiorum conferre, quæ ſecum famulis non diſtulit exæquare, expectante prorſus Petro, quando Dominicæ interrogationis

ad diſcipulos præcurrens ſermo ſe verterit. Et dicet eſſet primus in ordine Apoſtol. ideò tamen diu ſiluit, quia non Dominus quid illi, pro quibus ſolus Petrus reſponſurus erat, ſed quid homines de filio hominis æſtimarent, explorare dignatus eſt. At vbi quid ipſi de ſe, quorum ipſe nouerat corda, decernerent, exquiſiſſent, ſtatimque Petrus vnus pro cunctis ſecundū vnitum inſolubileque vinculum caritatis, tenens per omnia ordinem principatus ſui, ſic ait: *Tu es*, inquit, *Chriſtus filius Dei viui.* Qui mox à Domino, nulla prorſus interueniente tarditatis mora, glorioſam beatitudinis eſt lucratus mercedem. *Beatus es*, ait, *Simon Bariona, quia caro & ſanguis non reuelauit tibi; ſed pater meus, qui in cœlis eſt. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* & cetera iſtiuſmodi, quæ ſequuntur. Nunquidnam adoptiuum eum ex paterna didiciſſe credendus eſt reuelatione? aut pro confeſſione nuncupatiui Dei, vel adoptiui filij, tantæ beatitudinis, tantæque admirandæ culmen adeptus eſt poteſtatis; itaut arbiter ligandi atque ſoluendi, cœleſtiſque ſpecialiter ianitor fieret aulæ? Quis hæc procaci dixerit lingua, quiſve ſanum ſapiens impenetrabilium cordium arcana labentibus non pertimeſcat cogitationibus recenſeri? Hæreticus quippe falſidica fauce deſpumans, quia non ſit Chriſtus Ieſus verus Deus, æterno anathemate perculſus coniectat. Petrus verò corde ſacrato, labiiſque benedictis, mellisona voce omnium Dominum proteſtatur, dicens: *Verbum*, ait, *miſit filiis Iſrahel, adnuncians pacem per Ieſum Chriſtum, hic eſt omnium Dominus.* Certè, qui omnium Dominus eſt, ipſe proculdubio & verus Deus eſt. Hæreticus ſacrilego plenóque perfidiæ leprâ palato, adoptiuum Chriſtum Ieſum, & non proprium Dei filium maledictus delerat*. Petrus namque dulcifluo ore Dei filium benedictus confitetur. *Deus*, ait, *Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Iacob glorificauit filium ſuum Ieſum.* Et rurſus: *Vobis primum ſuſcitauit Deus filium ſuum, miſit eum benedicentem vobis.* Et Pauli teſtimonium Lucas ſic in eodem Canonico ponit Libro: *Continuò*, inquit, *in Synagogis prædicabat Ieſum, quoniam hic eſt filius Dei.* Et paulò poſt: *Saulus autem conualeſcebat, & confundebat Iudæos, qui habitabant Damaſci, affirmans quoniam hic eſt Chriſtus.*

* lirat.

Quæri ergo poteſt, qualiter intellegi conueniat, quia Lucas pro magno adſerit Paulo adfirmaſſe, *Hic eſt Chriſtus*, cùm multi alij vnctionis oleo vncti, Chriſti ple-

A rumque dicti leguntur; niſi quia alij nuncupatiui Chriſti, hic autem, quem Paulus adfirmat, naturaliter verus eſt Chriſtus filius Dei: alij puri homines in iniquitatibus & concepti & nati, Chriſti chriſmate ſunt vncti; hic autem, quem prædicat Paulus, de Spiritu ſancto & maria glorioſa Virgine & conceptus & natus, Chriſtus eſſentialiter in vtero eſt formatus, nunquam non fuit Chriſtus, quoniam vnctus præ participibus ſuis de Spiritu ſancto, in ipſo B proculdubio conceptu virginalis vteri Deus eſſentialiter factus eſt Chriſtus? Verbum quippe caro factum eſt, & habitauit in nobis: hoc eſt in Chriſto, cuius nos membra ſumus. Et ideò in nobis, quia in Chriſto, qui formam dignatus eſt ſuſcipere ſerui; quoniam in ipſo complacuit omnem plenitudinē diuinitatis habitare corporaliter. In nullo profectò alio nuncupatiuo Chriſto, omnem plenitudinem inhabitaſſe legitur diuinitatis. Sed nec de nullo C horum ſcriptum inſpicitur, *Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis.* Hunc verum Chriſtum Deum Paulus diſputans cum Iudæis adfirmans, *Quoniam hic eſt Chriſtus.* Cui in Epiſtola ſua Petrus, licèt aliis verbis, non diſpari tamen ſenſu concordat Apoſtolus: *Chriſto autem*, inquiens, *in carne paſſo*; hoc eſt, Chriſto Deo in carne, nō cum carne paſſo, nec carni compaſſo. Deus enim Chriſtus extra paſſionem eſt. Nam crucifixus, mortuus, & ſepultus legitur, iuxta Pauli vocem, ſecundum Scripturas; D ſed in carne tantummodo. Cum carne autem Chriſtus Deus nec crucifixus, nec mortuus creditur, nec ſepultus. Nam impaſſibilis in ſuis, dignatus eſt pati in noſtris. Immortalis permanens voluit mori, & in ſepulcro placuit ſepeliri. Hinc illud eſt, quod aliàs iſdem doctor mirabilis; quia Chriſtus Ieſus in carne ſolummodo, & non cum carne, & pati & mori dignatus eſt, ſic docet: *Nam etſi mortuus eſt*, in- E quit, *ex infirmitate noſtra; ſed viuit ex virtute Dei.*

Ecce Petrus & Paulus, duo videlicet fulgentia mundi candelabra, eum, qui natus eſt de Spiritu ſancto, & Virgine Maria, & omnium Dominum, & Dei filiū, & Chriſtum ſingulariter verum, & ſuper omnia Deum confitentur in ſecula benedictum. Ioannes, cui inter natos mulierum maior extitit nemo, filium Dei verum confeſſus eſt, dicens: *Ego vidi, & teſtimonium perhibui, quia hic eſt filius Dei.* Quinetiam digito hunc oſtendit, dicens: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi.* Si autem ille, qui

Agnus dignatus eſt fieri, Deus verus non eſſet: nequaquam eum plus quàm Prophetam peccatum mundi tollere perhibuiſſet. Ioannes quoque accubitor Chriſti, verum illum Dei filium, verumque Deum, & vitam proteſtatur æternã. Thomas in Chriſti corpore fixuras contingit clauorum, latuſque lancea explorat apertum; & Dominum ſuum continuò, & Deum ſuum exclamauit. Ipſius admirabilis paternæ vocis clamore proprius æterni patris filius, geminâ, in monte ſcilicet ſancto, & ſuper crepidinẽ Iordanis aluei, demonſtratur vocatione. *Hic eſt*, inquit, *filius meus dilectus, in quo benè complacui: ipſum audite.* Ipſe ſe credere Deum diſcipulos docuit, dicens: *Creditis in Deum? & in me credite.* Non dixit, *me credite*, ſed *in me.* Aliud eſt enim, *me credite*; & aliud, *in me credite.* Me credere, communis eſt ſermo, & pertinet ad quamlibet creaturam. In me autem credere, ſolius Dei veri confeſſionis eſt honor exhibendus. *Creditis*, ait, *in Deũ*, quia non in alium, niſi in ſolum vnumque credendum eſt Deum. *Et in me credite*, vtique quia & ego Deus. Non plures, ſed vnus, idémque Deus Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus. Hinc iterum ipſe per eundem Euangeliſtam, *Vt cognoſcant*, ait, *te ſolum & verum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum.* Subauditur etenim, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum credant ſolum & verum Deum.

Hæc igitur tantorum herilium virorum præclara Deum illum verum proteſtantur oracula. Sed & omnipotens pater dilectum ſuum ſignauit filium. Tu autem illi, ô infelix, nihil ampliùs quàm puro homini contuliſti. Porro nuncupatiuum eum Deum, & optatiuum filium dum impia nare ſubſannas, quid aliud quàm vni cuilibet electorum hominum communem honorem rependis, cui debueras ſingulariter de alis potentiæ gloriam excellentiùs exhibere? Sed quia ob hoc Arrium æterno noſti à ſanctis Patribus anathemate damnatum, idcirco fraudare Catholicam fidem lucubri ſatages obiectione: & dum vipereos ſibilos prurienti fingis auricula refutare, peſtifero aſpidis veneno, regulíque admodum infamaris flatu necari. Diuidere nempe vnũ Chriſtum eumdémque Dei filium in partes diſſicanti corde conaris. Nam dum modò verum Deum verumque Dei filium inſaniæ furiâ mancipatus elinguas, quid aliud quàm quatuor introducere perſonas feſtinas? Licèt neges te hoc ſpecie tenus

A non adſerere, quod quidem aſtrui
nihilominus exhibitis in rebus pro
Porro, quia redemptor noſter ex vt
natura, diuina ſiquidem & humana
hominiſque filius vnus idemque ve
prædicatur; idcirco tibi videtur,
duo, verus videlicet & proprius, nu
patiuus ſcilicet & adoptiuus, recte c
teri. Quaſi alter ſit Chriſtus purus
hoc eſt verus, & alter purus homo:
quilibet vnus electorum, hoc eſt nu
patiuus Deus. Ex hoc etenim propriu
B illo verò adoptiuus filius. Cum ſin
ſinceræ fidei ratio aliter in directum
mulam ſuæ religionis in nullo prorſus
uante errore extendat vtrique lateri
ctitudinem menſam. Aliter quippe e
tre, quia ante omnia ſecula, & ſine i
inuiſibilis & incorporalis de coæterno
tus eſt genitore. Aliter profectò ex m
quia certo in tempore Verbum caro f
corporaliter natus eſt Deus homo. Et
alius qui ante ſecula, & alius qui in tempore, ſed vnus idemque ex vtraque & in vtra-
C que natura: remoto ſcilicet nuncupatiuo Dei, & adoptiuo filij modis omnibus vocabulo, & ante partum, & poſt partum virginis, vnus & verus Deus, veruſque permanet filius Dei. Nõ enim poteſt vnus diuidi, & idcirco non tibi conceditur, vt ex parte verus, & ex parte non verus credatur; nec gemina naturarum diſcretio in vna ineffabiliter coeunte ſeparari valet perſona. Conteſtante autem Spiritu ſancto, qui per Scripturam ſuam loquitur ita: *Quod Deus, ait, coniunxit, homo non ſeparet.*
D Deus namque coniunxit ſibimet in thalamo ſuo, in vnitate perſonæ, hoc eſt, in inuiolato vtero beatæ Virginis humanam inconfuſibiliter, ſeu inſeparabiliter naturam. Hanc vtique vnitæ diuini humanique commercij inſeparabilem ſocietatem naturæ ſcindere ſatagis manu cruenta. Et licet fruſtratoriè coneris, non tamen effectum conſequêris efficiendi.

De ſolo ergo tam obſcœnæ voluntatis molimine reus, niſi te ſceleris huius pœniteat, ante conſpectum æterni teneberis
E Iudicis. Nónne ſanctæ mulieres Dei illum verum confeſſæ ſunt filium? Martha vtique ab eo requiſita, vtrum credat ipſum vitam & reſurrectionem eſſe mortuorum, reſpondeat: *Ego*, inquiens, *credidi Domine, quia tu es Chriſtus filius Dei, qui in hunc mundum veniſti.* Quò enim venit, qui vbique totus per diuinitatis ſuæ potentiam erat? ſed in hunc mundum per vterum Virginis venit. Et illum, qui per id, quod ex patre

eſt, non habuit quo veniret, per vterum tamen Virginis venit; Martha filium eſt Dei viui confeſſa. Potioris fortè fidei, vt latronem Chriſti taceam confeſſorem, Centurio te fuerit, necdum à ſanguine manibus lotis, qui crucifixo Dei in carne filio, percutiens pectus ſuum dicebat: *Verè Dei filius erat iſte.* Ille in cruce pendentem verum Chriſtum confeſſus eſt Dei filium: tu in dextera iam Patris ſedentem aſſeris adoptiuum. Gabrihel quippe Archangelus Chriſtum in præſepio iacentem, Dominũ & Saluatorem, gaudiúmque omni prædixerat populo, dicens: *Ecce ego euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo; quia natus eſt vobis hodie Saluator, qui eſt Chriſtus Dominus, in ciuitate Dauid.* Et tu in ſolio nunc maieſtatis ſuæ cum patre regnantem nuncupatiuum Deum perdito corde fateris.

Interrogo ergo quis fuerit ille magiſter erroris, qui nunquam fuerat diſcipulus veritatis, a quo didiceras Chriſtum nuncupatiuum Deum, & adoptatiuum filium. In ſacris namque voluminibus nomen eius aliter ex maieſterio ſancti Spiritus inuenitur inſertum: ſicut in Dauid dicit, *Ante Solem permanebit nomen eius, & ante Lunam ſedes eius.* Eſaias quippe præcipuus Prophetarum eum, qui de Virgine naſci dignatus eſt, nomen eius cum interpretatione ſui prædixit; *Et vocabitur,* ait, *nomen eius Emanuhel, quod interpretatur, Nobiſcum Deus.* Nobiſcum quoque Deus, iuxta illud, *Et Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis,* hoc eſt nobiſcum Deus. Et rurſus, *Et vocabitur nomen eius, Admirabilis, Conſiliarius, Deus fortis.* Et iterum: *Redemptor tuus ſanctus, Iſrahel, Deus omnis terræ vocabitur.* Dauid autem non cuilibet nuncupatiuo, ſed vero Deo, & Regi magno, qui eſt ſuper omnes deos. Omnes gentes plaudere manibus, & in voce exultationis Prophetico præmonet organo iubilare. *Quoniam Deus,* inquit, *ſummus, terribilis, & Rex magnus ſuper omnes Deos.* Et quia de Verbo carne facto præcecinerit, liquidiùs declarat, cùm poſt paululum ſubinfert: *Aſcendit Deus in iubilo, & Dominus in voce tubæ.* Et illud, *Qui aſcendit,* ait, *ſuper occaſum, Dominus nomen eſt illi.* Et infrà, *Dominus virtutum ipſe eſt Rex gloriæ.* Huic ſimile quid in carmine triumphali per Moyſen decantatur. *Dominus quaſi vir pugnator, omnipotens nomen eius.* Zacharias ita, *Ecce vir, Oriens nomen eius.* Angelus ad Ioſeph: *Et vocabis nomen eius Ieſum,* hoc eſt Saluatorem. Et rurſus iſdem Angelus beatæ Virgini, *Quod*

A *autem naſcetur,* infit, *ex te, ſanctum, vocabitur filius Dei.* Et iterum, *Vocabitur nomen eius Altiſſimi filius.* Euangelicus autem Zacharias & Dominum illum, & Altiſſimum prædixit: *Tu,* inquit, *puer Propheta Altiſſimi vocaberis, præibis enim ante faciem Domini parare vias eius.* Nathanahel profitetur hoc modo, *Rabbi,* ait, *tu es filius Dei viui, tu es Rex Iſrahel.* Lucas nempe poſuit ita: *Et vocatum eſt nomen eius Ieſus, ſicut dictum eſt ab Angelo,* B *priuſquam in vtero conciperetur.* Petrus ait, *Hic eſt omnium Dominus.* Paulus ſuper omnia Deum benedictum confitetur in ſecula.

Neſcio planè, quis ei nuncupatiuum vel adoptatiuum nomen impoſuerit. Nam ſi cunctæ vtróque * Teſtamentorum paginæ reuoluantur, nuſquam inibi hæc duo vocabula ad ipſum pertinentia poterunt reperiri, quia nec merentur filio Dei aſcribi. Ea verò nomina, quæ per C Angelos vel Prophetas, ſanctoſque Apoſtolos nobis reuelata ſunt, ſatis apta conueniunt filio Dei. Nam Emmanuhel; quia nobiſcum Deus: Ieſus, quia Saluator omnium: Redemptor, quia precio captiuos nos ſui ſanguinis redemit: Chriſtus, quia arcanius in vtero Virginis vnctus, hoc eſt de Spiritu ſancto eſt natus. Ipſa nimirum conceptio ſpiritalis inuiſibilis nihilominus vnctio fuit. Licèt manifeſtiùs & in Iordanis cre- D pidine à Spiritu ſancto ſit vnctus, qui ſuper eum in ſpecie deſcendit columbæ. Hæc quippè manifeſtior, illa verò occultior vnctio, prædicatur Dominus, quia omnis creatura in cœlo & in terra ſeruiunt ei. Et quia ſecretius in virginali vtero ſancti ſpiraminis delibutus flatu, Chriſtus, hoc eſt vnctus, eſt natus; Angelico euidentiùs oraculo erudimur. Ait enim, *Natus eſt vobis hodie Saluator, qui eſt Chriſtus Dominus, in ciuitate Dauid.* E

*vtriuſque.

Age ergo, extincto penitus omnis inuidiæ fomite, qui litium protinus flammantiùs prunas comburit, videamus nunc ſimplici oculo mentis, vtrumnam hæc duo vocabula in Chriſto vnigenito Dei filio conuenientiùs ſint adtributa. Nuncupaticius nempe Deus ille dicitur, qui cùm ſit homo purus, nec eſt vna cum Deo vero perſona, ſicut Chriſtus, ex accidenti tantummodo dono gratiæ dicitur, quaſi Deus. Promeretur nimirum huius honoris vocabulum ex largitoris quandoque gratuito munere, quia non

habuit eſſentialiter ſemper vt Deus eſſet. A Nuncupare quippe, affectatæ locutionis eſt appellare. Nam qui ſemper Deus non fuit, ſed acceſſit illi ob imitationis quandoque priuilegium vt Deus eſſet; profectò non verus, ſed nuncupatiuus Deus dici abſque vlla ambigi * dubietatis valebit. Chriſtus igitur, qui nunquam non fuit Deus homo; ex quo enim adſumptus eſt à vero Deo, in vnitate perſonæ ſemper permanet verus Deus & homo. Licet ſit aliud per quod Deus, & aliud per quod homo; ſed in vtróque vnus Deus & ho- B mo. Nec fuit aliquando purus conceptus vel natus homo. Sed quia conceptus vel natus eſt de Spiritu ſancto & virginea carne, ex ipſa conceptione vel ineffabili natiuitate Deus verus proceſſit & homo. Quomodo ergo non ſemper vel totus verus eſt Deus, qui nunquam fuit ſine vero Deo nec conceptus, nec natus? Nec acceſſit illi, vt Deus eſſet nuncupatiuus aliquando, qui homo verus in vnitate naſci perſonæ meruit Dei veri, nec fuit vnquam Chriſtus alterius perſonæ, niſi ſemper ve- C raciter Dei veri.

*ſ. ambage.

Quo igitur pacto perſona vna deos exhibeat duos, aut certè vnius perſonæ proprietas diſparili nuncupatione filiorum, dualitatis recipiat diuerſitatem? Nam cùm conſtet homo vnus ex duabus, diuerſiſque naturis, propter quod Paulus interiorem & exteriorem denunciat hominem: non tamen Ioannes Baptiſta huiuſcemodi interior vnus idemque & exterior homo, vnus Zachariæ patris proles ſecundum interiorem hominem, hoc D eſt ſpiritum, proprius: & iuxta exteriorem, id eſt carneum corpus, adoptiuus filius rectè videbitur nuncupari. Vnus namque Ioannes proprius veruſque vnius Zachariæ filius prædicatur. Quòd ſi Iacobum Alphei, alterius ſcilicet patris filium Zacharias per adoptionis prærogatiuum in ſorte filij gratuito ſubrogaſſet: poterat vterque, Ioannes ſiquidem & Iacobus, propter perſonarum diſcretionem alter horum proprius, & alter adoptiuus veraciter filius vocitari. E Nam ſi facultas humanæ poſſibilitatis exigiſſet, quatenus Ioannes permanens id quod erat poſſet cum Iacobo in vnione perſonæ inſeparabiliter effici vnus. Itaut proprietas naturalis gemina permaneret, & vnio perſonalis indiuidualitatis vocabulo nulla poſſet ex cauſa reſcindi. Tunc vnus Ioannes Iacobuſque perſonaliter effectus poterant fortaſſe vterque & adoptiuus & verus filius dici. Sed [quo]niam Ioannes & Iacobus per con[ſor]tium quidem caritatis poſſunt eſſe cor vn[um &] anima vna. Nunquam tamen [na]tur[aliter] per vnitatem perſonæ effici poſſe cre[ditur] ambo vnus, nunquam Ioannes alte[r niſi] Zachariæ filius permanet ſemper v[nus]. Sed licet omne, quod ex rebus hun[ianis] exempli colligitur cauſa, indignum [diui]no cultui haud dubio adſcribatur; lib[et ta]men inquantum ſimilitudinis exerit [...] ex viſibilibus inuiſibilia, & ex humil[ibus] ſublimia comparari. Nam cum Re[dem]ptor noſter ſe vitem veram, diſcip[ulos] palmites, patrem autem ſuum agric[olam] parabolice declaraſſet, ex rebus pro[fecto] terrenis diuini excellentius myſterij g[loriam] ſublimauit. Tantæ ergo tamque diu[inæ] auctoritatis firmati præconio, nil tanq[uam] intemperatius coniecti præmiſſæ exe[mpli] exiſtimo obeſſe figuræ.

Chriſtus igitur vnigenitus ſempiternì genitoris filius, qui ab ipſa, vt verius referam, ineffabilique virginalis vteri conceptione in Dei filij perſonam ſuſceptus, vnáque cum Deo inconfusè, ſed & indiuiduè factus perſona, vnus idemque verus Dei hominiſque filius, indiſcretus iuxta carnis diſpenſationem perſona, diſcretuſque natura. Porrò ſecundum diuinam ineffabilis gloriæ maieſtatem, inſeparabilis cum Patre, ſanctóq; cum Spiritu eſſentia, ſed diſcretus perſona, ſemper vnigenitus & verus Dei filius, ceſſante prorſus omninò adoptiui vocabulo nominis. Non enim Chriſto Ieſu conſequenter, ratéque poſſibilitatis appellatio defertur adoptionis, cui nunquam dedecus contigit alienationis. Nam cùm ſit adoptio nomen mihi cunctorumque redemptorum bonū, idcirco tamen vni Deo hominique digniùs adſcribi poſſe ratio non permittit regularis Catholicæ fidei. Quoniam per eundem Dei hominiſque filium ille vt adſequatur neceſſe eſt regenerationis, qui de maſſa perditionis per traducem propaginis veniens, in iniquitate conceptus, & in peccato genitus, extraneus conſtat à paternæ dignitatis priuilegio, filiuſque ante tempus adoptionis extituræ; Chriſtus autem Ieſus pacto adoptiuus filius credi cōueniat, nullius rectæ fidei conſiderationis conſpicuus ordo demonſtrat. Ipſe quippe ſolus ac ſingulariter de Spiritu ſancto conceptus & natus, ex virginea vulua ſine peccato prodiit Deus & homo. Nunquam quidem fuit filius iræ, quatenus ex dono gratiæ per adoptionis proceſſum fieret filius

filius Dei. Ex quo enim Verbum caro factum eſt, & cœpit homo Chriſtus eſſe vna cum Deo perſona; ſemper vnus ex vtroq; verus & vnigenitus permanet filius Dei.

Nónne ore tuo te iuſtè condemnaueris, ſi tuis quantociùs adſertionibus contradicere non vereberis? Tuæ namque te produnt litteræ retuliſſe; Ex filiis iræ, ſacramento nihilominus ſubueniẽte baptiſmatis, per adoptionis gratiam effici filios Dei. Aut ergo mendacij ſceleris reus argueris, ſi obſiſtere militaris nõ eſſe originaliter omnes, vt locutus eſt, filios iræ, qui per adoptionis gratiam efficiuntur filij Dei: aut ſi Chriſtum Ieſum vnum Deum hominémque non parcis adoptiuum filiũ prædicare, aſtrue, neceſſe eſt, eum impio ore, maledictiſque præcordiis originaliter quaſi purũ hominem in iniquitatib. conceptum filiũ fuiſſe iræ, & tunc adoptiui ei nomen confuſo ſtilo adſcribe: quatenus omnes hæreſiarches hæreſes in vnũ coaceruatim reductæ, nouello quidem ſono, ſed anili purulẽtóq; prolatæ palato, nullius ſufficiat arbitrij vel medij ſceleris alterius ſectæ conlata æſtimari comparatione. Inſanabilis vtique te peſtis mortiferæ canceris deuaſtat ſerpendo, cùm gemina reputas vnigeniti Dei filij poſt partum Virginis natiuitates hoc modo. Has, inquit, geminas generationes, primam videlicet, quæ ſecundum carnem eſt; ſecundam verò ſpiritalem, quæ per adoptionem fit, idem Redemptor noſter ſecundum hominem complexus in ſemetipſo continet. Primam videlicet, quam ſuſcepit ex Virgine naſcẽdo, ſecundã verò, quam initiauit in lauacro à mortuis reſurgendo. Catholica quippe fides alteram ex patre ante omnia ſecula ſine initio confitetur, ex matre alteram in finem ſeculi proteſtatur. Tertiam verò, quam tu initiatam in baptiſmo adfirmas, Eccleſiaſticæ regulæ modis omnibus refutat cenſura. Nam cum aſtrues has geminas generationes, primam ex Virgine, ſecundam in baptiſmo initiatam; oblitus præterea illius conuinceris inenarrabiliùs glorioſæ ex paterno ante Luciferum vtero natiuitatis. Duas quinetiam præter illam introducere generationes geſtiens, ore deſpumas toxifluo. Ex Virginis quippe vnam mirabili partu, alteram verò ex lauacri aſſeris ſacramento. In eo ergo mendacij laqueo non te refugis ſtrangulare. Quoniam idcirco tertiã moliris adfirmare, vt eguiſſe eum fingas regenerari per baptiſmum, quaſi originaliter filium iræ, qui non de Spiritu ſancto ſicut Chriſtus & conceptus & natus eſt; ſed in

A iniquitate de ſemine vitiatæ conceptus extat naturæ. Ex eo quapropter patenter clãculæ perfidiæ tuæ flexuoſis obuolutæ ſinibus manifeſtiùs inſidiæ propalantur. Quoniam ideò hominem Chriſtum Ieſum adoptiuum filium ſenſu fruſtratus putas vani flauo, tanquàm oportuerit eũ denuò naſci, & ex materno & fontis vtero, ſicut ceteros homines, qui in remiſſionem baptizantur peccatorum. Qui etiam ſi proprio nõ ſint obnoxij ſcelere ſicut paruuli, propter originalia autem crimina, quæ de maſſa traducuntur perditionis. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto*, iuxta Dominicæ B prædicationis ſententiam, *non intrabit in regnum cælorum.* Cùm ille non dixerit Nicodemo, Oportet nos naſci denuò: ſed exceptauit ſemetipſum, cui non oportuerat denuò naſci ita. *Oportet*, inquit, *vos naſci denuò.* Nam quemadmodum non ſibi, nec pro ſe; ſed pro nobis natus, paſſus, mortuus veraciter creditur, ac ſepultus: ita nec ſibi, vel pro ſe, ſed pro nobis baptiſmi dedicare dignatus eſt ſacramentum. Niſi enim illi placuiſſet Iordanica ſuo baptiſmate C ſanctificare fluenta, aquarum natura nullam vnquam regenerandi habere potuiſſet virtutem. Vnde & Ioannes cùm ſe peteret primùm ab eo baptizari, dicens: *Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me?* Ilicò à Domino audiuit: Sine modo, ſic enim decet nos adimplere omnem iuſtitiam. Ioannes igitur ſuo baptiſmate non potuit ſanctificare aquarum naturam, nec conferre illi ſui corporis lauacrum, ſicut ſui Domini regenerationis effectumque in remiſſionem peccatorum. Et ideò non debuit prior Ioãnes baptizari, necdum lã- D bentibus precioſa Domini Iordanicis vndulis ſui membra conditoris, aquarum ſanctificatio per effectum erat ſupplenda iuſtitiæ. Baptizato namque Domino, Ioannes eiuſdem ſui Domini ſanctificatus baptiſmate, vim valuit exindè ſublimium inferre cælorum.

Si igitur Ieſus à Nazareth iuxta tuam perfidiam Deus verus ipſe non eſſet, nequaquam Petrus & Paulus, qui videbantur Eccleſiæ columnæ, in nomine Ieſu E ſacramentum baptiſmatis, quod nulli alio niſi ſolius Dei veri competit nomini, in remiſſionem traderent peccatorum. Imbuta quippe iuxta, promulgatis Domini præceptis, fidei regulam, fidelium turba; præcepiſſe eos, qui inſtructi erant diuinorum cariſmate, dictis non inhibetur aduerſis, in nomine Ieſu baptizari. Luca adteſtante, qui Euangelica

Petri Paulíque veridico ita ſcribit calamo verba. Nam effuſa gratia Spiritus ſancti ſuper credentes, ſic Petri ponit ſermonem; *Tunc reſpondit Petrus, Nunquid aquam quis prohibere poteſt, vt non baptizentur hi, qui Spiritum ſanctum acceperunt? Et iuſſit eos baptizari in nomine Ieſu.* Paulus verò cùm adfirmaret per Scripturas, ipſum eſſe Ieſum Chriſtum, & reſponſum accepiſſet ab his qui crediderant, quoniam in Ioannis baptiſmate baptizaret: *Ioannes*, inquit, *baptizauit baptiſma pœnitentiæ populum, dicens, in eum qui venturus eſſet poſt ipſum vt crederent, hoc eſt in Ieſum. His auditis baptizati ſunt in nomine Domini Ieſu.* Et rurſus in eodem Libro, *Cùm verò credidiſſent Philippo euangelizanti de regno Dei, & in nomine Ieſu Chriſti baptizabantur viri ac mulieres.* Miror, quia impudentiæ rugis fronte conciſa, Petrum Paulúmque duo præclara cæli luminaria infamare non vereris, Ieſum à Nazareth Deum verum eſſe, ideò tacuiſſe eos coniectas, quaſi nuncupatiuum eum Deum iuxta tuam veſaniam putauiſſent. Quòd ſi Deus ipſe verus non eſſet, nequaquam Petrus & Ioannes claudo ex vtero matris ſuæ in nomine Ieſu Nazareni dicerent, *Surge & ambula.* Et illud, *Notum ſit omnibus vobis, quia in nomine Ieſu Chriſti Nazareni, quem vos crucifixiſtis; in hoc iſte adſtat coram vobis ſanus. Et non eſt*, inquit, *in alio aliquo ſalus, nec nomen eſt ſub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos ſaluos fieri.* Et homini cuidam iacenti in grabato paralytico ſic ait: *Aenea, ſanat te Ieſus Chriſtus, ſurge, & ſterne tibi.* Et continuò ſurrexit.

Si igitur Deus verus ipſe non eſſet, quo pacto iſdem Apoſtolorum Princeps, aliàs auctorem eum vitæ propria fuiſſet auctoritate confeſſus? Sic enim per exprobrationem Iudæorum audacter retundit perfidiam, dicens; *Vos autem petiſtis*, ait, *virum homicidam donari vobis: auctorem verò vitæ interemiſtis, quem Deus ſuſcitauit à mortuis.* Nônne tu dicis Chriſtum Ieſum, qui interemptus eſt, ſemper viuens, & quem Deus ſuſcitauit, non eſſe Deum verum? Petrus autem auctorem eum prædicat vitæ. Auctor quippe vitæ nullus poteſt alius dici vel credi nuncupatiuorum Deorum, niſi ſit Deus verus; ſicut Dominus noſter Ieſus Chriſtus filius Dei viui, quemadmodum ipſe de ſemetipſo teſtatur: *Ego ſum*, ait, *reſurrectio.* Et illud, *Ego ſum via, veritas, & vita.* Dic, quæſo te, dic; non te pigeat veritatem loqui. Vbi legiſſe te recolis de alio quolibet nuncupatiuo Deo ſcriptum, *Ego ſum via, veritas, & vita?* Et ve-

A rè ſcio, quia nunquam legiſti, nunquam eris lecturus. Cur ergo non te corrigis ad viam, quam diu deuians errare fatigatus nō ceſſas? Cur non amplecteris veritatem? Quouſque falſo fruſtratus errore, mendacij ſequêris patrem? Cur non concupiſcens deſideras adprehendere vitam? Vſquequo ſequipedam mortis eſſe non te pudebit auctorem? Nam inhærendo ei, ſempiternæ pabulum eris gehennæ.

Hæreticus itaque viperei veneni poculo impio hauſto debriatus gutture, Ieſum B à Nazareth Deum denegat verum. Petrus autem Spiritus ſancti ſatiatus dulcedine, omnium Dominum labiis profitetur ſacratis. Et quoniam Dominus omnium ipſe ſit Deus, inſigni quantociùs Pſalmiſtæ veraciter vaticinio declaratur. *Intrate*, ait, *in conſpectu eius in exultatione: Scitote quoniam Dominus ipſe eſt Deus.* Stultus quippe dixit in corde ſuo, Non eſt Deus. Sapientiſſimus namque Salomon prophetico imbutus ſpiramine, prolixius orationis ſerie promulgatâ, proteſtatur dicens, *Vt ſciant* C *vniuerſi terrarum populi, quòd Dominus ipſe ſit Deus.* Et illud Iacob Patriarchæ, *Si reuerſus*, inquit, *fuero proſperè in domum patris mei, erit mihi Dominus in Deum, & lapis iſte, quem erexi, in titulum.* Hinc aliàs concinnatim in præfato Regū volumine ſub optionis figura ab Helia problematice Prophetis Belial propoſita, clarius demonſtratur: cùm inuocantibus illis deos ſuos nihil dignum actum ſit, purificata protinus ab Helia Propheta altaris ſtruice, inuocatóque omnipotentis Domini Dei cæli ſem-D piterno nomine, ſacrificium bouis altari ſuperimpoſitum, perfuſúmque ter ſalientibus aquarum vndulis, mox ignis vaporátibus flammis conſumpſit diuinis. Cuius videlicet tam inſigne detecta perſpicuo rumore miraculi veritate, admirantes proſtratique in terram populi, repetitæ vtique continuò vnius eiuſdemque vocis officio, profeſſio rectæ fidei promulgatur, cùm celeriùs ſubinfertur: *Dominus*, inquiunt, *ipſe eſt Deus.* Hinc etenim prolatæ fidei profeſſioni & illud nō inconuenienter concordare E certū haut dubiò æſtimatur, veluti in ſacra Hiſtoria in verbis Rubenitis & Gadditis, & dimidiæ tribus legitur Manaſſe. Nam cùm durius redarguerentur legatione inſiſtẽte filiorum Iſrahel, quorum princeps erat Finees Domini ſacerdos: conqueſti nimirum de altaris miræ magnitudinis conſtructione, ne fortè per induſtriam in cultu deorum gentium ædificatum cernitur. Quæ cuncta allegoricæ expoſitionis

indigent documentis, à quibus idcircò ſtili A eleuatiùs ſuſpenſo temperamus mucrone; ne fortè legentis animus prolixæ diſputationis recenſita ſerie fatigetur. Obiurgatis igitur vehementer duabus & dimidia tribu, reſpondiſſe eos talibus conſtanter Scriptura verbis depromit: *Fortiſſimus*, inquiũt, *Deus Dominus, fortiſſimus Deus Dominus; ipſe nouit ſi præuaricationis animo hoc altare conſtruximus, & non ea magis cogitatione atque tractatu, vt in teſtimonium eſſet inter filios veſtros & filios noſtros? Ne fortè dicerent filij veſtri cras filiis noſtris: Non vobis pars vel hæreditas in Domino Deo Iſrahel.* B Et huiuſcemodi conexius verborum ſequentia extendentes, ad eum perductum eſt limitis terminum, quatenus finalis verbi clauſulam violatæ cingi fidei inſpecta monſtraretur cenſura, cùm protinus ſubinfertur: *Vocauerũntque filij Ruben & Gad altare, Teſtimonium noſtrum, quòd Dominus ipſe ſit Deus.* Ecce principium reſponſionis eorum, non quemlibet Deum, ſed fortiſſimum Deum Dominum ſignanter inſinuat. Ecce finis dicti teſtimonium noſtrum profertur, quòd Dominus ipſe ſit C Deus. Quod quidem teſtimonium nõ ſpeciale harũ tãtummodo exiſtimo tribuum; ſed vt moris eſt ſacri eloquij, plerumque partem pro toto ponere generale vtrorũque Teſtamentorum ſentiri proculdubiò teſtimonium debet. Omnes etenim Scripturarum paginæ & fortiſſimũ Deum Dominum Chriſtum Ieſum Dei filium, & quia ipſe Dominus verus ſit Deus voce preconia confitentur. Hoc eſt vnum inluſtriſſimum omnium diuinorum dogmatũ teſtimoniũ.

D Eſaiæ præterea tam potiſsimum ſinceræ fidei vaticinium debueras ſaltim in tabula tui cordis diuini liquoris exaratum vndula iugiter lectitare: quod atramenti nigredinem in pagina tuæ melius inſeri diſputationis putaſti. In quo inquit, *Qui benedictus eſt ſuper terram, benedicetur in Deo amen. Et qui iurabit in terra, iurabit in Deo amen.* Sed quid prodeſt labiis eum honorare, cùm cor tuũ ſubitò recedat ab eo? Timoris eſt quippe voce confiteri, more* contradicere. Tædij eſt iſta profeſſio potius, quàm dilectionis, quæ de radice non oritur veritatis. Legiſti E prorſus huius expoſitionem capituli à maioribus noſtris ſtilo deligatam Catholico, ſed ore, non corde. Nam illi Deum verũ, & in ſubſtantia noſtræ carnis, quã de Virgine ſumpſit, habitare confeſſi ſunt: & ipſum eundémq; ex vtero vnum nos Deum credere Dei filium verum docuerũt. Tu verò ſacrilego ore Deum verum habitatorem, Deum namq; nuncupatiuum aſtrues quo

* corde, tacente.

A habitatur. Et ex hoc meritò infamaris duos introducere Deos, verũ & nuncupatiuum: cùm ſit ex duabus naturis vnus & verus Deus. Quòd ſi non vnus & verus Deus ex vtráque & in vtráque natura, diuina ſcilicet, & humana, hoc eſt terrena diſcretus ſubſtantia, indiſcretus maneret perſona: nequaquam iſdem Propheta addito iureiurando diceret, *Qui iurat in terra, iurat in Deo, amen.* Amen quippe ſermo eſt iuriſiurandi, & licet transferatur ex Hebræo in Latinum eloquium, *verè*, ſiue *fideliter*; plus B tamen myſticè vim ineffabilis præmonet ſacramenti, quàm tranſlatoris valeat efficaciter lingua proprietatem pleniùs exprimere vocis ſonantis. Pulchrè namque, *Qui iurat*, ait, *in terra, iurabit in Deo, amen.* Quoniam ille Deus verus, qui dignatus eſt terram noſtræ carnis aſſumere, non ſe in duos per diſpenſationem magni & pij ſacramenti duplicauit Deos, verum ſcilicet & nuncupatiuum, adoptatiuum vel proprium: ſed verus Deus & proprius permanens filius, vnus idemque verus ex vC tróque creditur Deus. Et quamquam mẽdaci tergiuerſatione, excuſatione excuſare te ſpecie tenus nitaris, non duos aſtruere deos: ex ipſis tamen tuorum reuinceris prolatis verborum obiectionibus, cùm duo & duo relatiua vocabula vnius intorquere non parcis perſonæ. Nam verus & nuncupatiuus, duo ſunt, proprius & adoptiuus ſimiliter duo ſonant, duarumque perſonarum non perfunctoriè tantummodo ſono, ſed rei ſubſtantialis efficit veritatem.

Vnus igitur nullius rationis iniectu poteſt vtrumque eſſe, & verus & nuncupatiuus, proprius vnius genitoris & adoptiuus. Non enim valebis te in tantæ ſubtilitatis fantaſia extenuare, quo poſſis impunè vtroque vacillante pede, ab his, in quibus offenderis, cornibus elucubratiùs effugere. Quoniam qui iurat in terra, iurat in Deo, amen. Vnde & diuina voce aliàs Moyſi dicitur, *Altare de terra facietis mihi.* Ad quod nimirum altare Domini lege prohibetur per gradus aſcendere. *Non aſcendes*, inquit, *per gradus ad altare meum.* Altare quippe de terra eſt, Chriſti caro ſumpta de Virgine. Facere namque altare de terra, eſt, ſpem in mediatoris veraciter confidendum ponere incarnatione. Per gradus nempe aſcendere ideò contra dicitur, quia in gradibus & inæqualitas contemplatur, & numeri aucta quantitas multiplicatur. Hoc ſignificante ſancto Spiritu, quoniam

in excellentia ſanctæ & ineffabilis Trinitatis nulla eſt inæqualitas, nulláque diuerſitas ſuſpicanda. Et in ſacramento incarnati Verbi Dei Patris, per quod filius Dei vnus idemque dignatus eſt fieri hominis filius, nulla eſt numeri quantitas in perſonarum diuerſitate ſuppleta. Illud prætereа egregium ſollemniſſimúmque Dei hominiſq; filij, Redemptoris ſcilicet noſtri Ieſu Chriſti, quod de ſemetipſo melliflui oris dulcedine teſtimonium dignatus eſt diuinitus inrorare; quemadmodum Ioannis Euangelio veneranter legentis oculus contuetur, operæpretium, dignum, ſatiſque perſpicuum, & omni religione præclarum huic operi duximus inſerendum. Quod quidẽ huius hæreſeos materialis perfidiæ euertere fundamentum, ſolùm ſufficere poſſe nullus prorſus ignorat, qui ſinceræ fidei ſoliditatem ſupra firmam, quæ Chriſtus eſt, petram poſuiſſe ſe fixiùs recognoſcat. *Nemo*, inquit, *aſcendit in cœlum, niſi qui deſcendit de cœlo, filius hominis, qui eſt in cœlo.* Et illud, *Cùm videritis filium hominis aſcendere vbi erat priùs.* In quibus Dominicis verbis omnis, vt ita dixerim, orthodoxæ fidei inuiolabilis per quamſpicui* inluſtrata luce fulgore pulcritudo reſplendet.

In eo igitur vnum eundémque ſe Dei hominiſque filiũ eſſe diuinitatis voce profeſſus perdocuit, cùm filium hominis deſcendiſſe de cœlo, & aſcendere vbi erat priùs, venerandis innotuit documentis. Nam qui erat ſemper coæternus filius Dei, dignatus eſt ipſe certo in tempore filius hominis*. Factus quippe eſt quod non erat, hoc eſt, homo. Verbum enim caro factum eſt, non eſt tamen alter factus filius qui non erat. Ille vtique, qui ſemper erat, eſt, & erit vnigenitus ſemper filius Dei; qui ſic erat in terra, vt nunquã deeſſet in cœlo. Sic venit ineffabili miróque modo in vterum Virginis, quatenus à paterno nunquam recederet ſinu. Porrò, ſic ſola potuit dignatione per id quod homo factus eſt ſubdi parentibus, vt ſemper exiſteret idem ipſe Dominus Angelorum vbique totus, in cælo videlicet & in terra. Ex eo ergo conuenientiùs, rectéque datur intellegi filium hominis deſcendiſſe de cœlo, atque aſcendere vbi erat priùs. Quoniam filius Dei, qui deſcendit de cœlo, & in cœlo erat cùm in terra loqueretur, ipſe omnino eſt vnus idemque filius hominis, voluit profectò nos altiſſima Dei patris atque ſapientia benigno nihilominus præmonendo fauore inſtruere; quatenus abſque vlla prorſus ambage dubietatis, abſque vlla ſcrupu-

**addẽd. videtur, fieri, vel quid ſimile.*

A loſæ palpitationis titubatione certiùs intellegamus, non ſemper myſterium incarnationis in duos deos vel in duos filios mutaſſe, quemadmodum hæretici inſ... videntur; nec ex parte verum Deum, ... parte non verum; aut aliquando pro... filium, & aliquando non propriũ; ſed ... per verum Deum propriúmque Dei ... & ante partum, & poſt partum Virgin... clarare dignatus eſt: veritatem tamen humanæ carnis inſinuat per myſterium aſſumptionis. Et quoniã proprietas vt...

B naturæ inconfuſa in vna Dei hominiſ... perſona, perpetua inſeparabiliter in... to iure permaneat ſocietate frequ... quia profiteri non diſtulit, perſpicu... tionis ordo declarat. Cùm igitur doc... lium hominis deſcendiſſe de cælo, & ... dem aſcendere aſſerit vbi erat priùs, ... rum ſe Deum verúmque hominem & proprium filium Dei filiumque hominis pariter voluit demonſtrare. Hinc regula informatus primum hominem de terra terrenum, ſecundum prædicat de cælo cæle-

C ſtem. Non quòd homo prius quàm in Deũ adſumptus in cælum aſcenderet, de cælo credendum eſt deſcendiſſe. Sed quia Deus ille, qui de cælo deſcendit, per ſacramentum incarnationis Deus verus permanens, factus eſt etiam verus homo: & non ſunt perſonaliter duo, Deus videlicet & homo, ſed vnus idémque eſt in vnione perſonæ Deus homo. Idcirco Apoſtolus ſecundũ hominem de cælo cæleſtem veraciter edocet, quoniam ſuſcepta à cæleſti Deo eſſentialiter humana natura, terrenus homo ex

D eo factus eſt cœleſtis. De cælo ergo ſecundus homo, id eſt Chriſtus Ieſus, quia cæleſtis & terrenus factus eſt vnus Deus & homo. Non ergo iam terrenus, qui per cæleſtem in ipſa veraciter vteri conceptione factus eſt cæleſtis. Et licèt habeat terreni corporis veritatẽ, nunquam tamen ſic fuit terrenus, vt nõ fuerit ſemper & cæleſtis. Quia nunquã fuit purus primùm conditus homo, vt poſtmodum tranſiret in Deum: ſed dum conciperetur de Spiritu ſancto & Virginis vulua, Deus pariter prodiit & homo.

E Vnus ex duabus naturis Deus homo, nõ alter Deus, & alter homo. Licèt ſit aliud, per quod Deus, & aliud per quod homo; vnus tamen idémq; de cælo cæleſtis Deus homo.

Non diſcrepat ergo clamor præconis à ſui ſententia Iudicis. Quod enim Dominus filium hominis de cælo deſcendiſſe, & vbi erat perhibuit priùs aſcendere; hoc Apoſtolus eius ſecundum hominem de cælo confitetur cæleſtem. Nõ enim ab nuo

me huius Dominicæ allocutionis capitulũ in tuis inſertũ legiſſe pitaciis, & iuxta moris tui inſolentiam violenter inflatæ ſcientiæ tuæ ſenſu recognoui digeſtum. Cur nõ ſinceri luminis oculos, multóque contemplationis in tui inſpicis rotam in rotæ * hoc eſt vtrumque teſtamentum ſibimet conglutinatum; itaut vetus nouum *, perfida calculatione diuiſus, hoc eſt in veri ac nũcupatiui Dei. Cui nimirum tam impiæ adſertionis auditui Catholica fides nulla vnquam ratione patentium aurium præbere patitur rimas. Nam & ante incarnationis B myſterium, & poſt adſumptionis ſacramentum, ſemper vnus idemque proprius, veruſque Dei filius, & verus permanet Deus. In forma namque Dei æqualis patri, in forma verò ſerui minor patre. Non alius, ſed vnus idemque & æqualis & minor. Non filius minor, ſed humana inferior natura. Æqualis nimirum, quia vnum cum patre. Minor autem, quia vnum cum matre. Nónne qui dicit, *Ego & pater vnum ſumus*, ipſe & non alius ait, *Pater maior me eſt?* Vnus de patre ſine matre, vnus idem- C que de matre ſine patre. Porrò, quem hæredem vniuerſorum per id quod de matre eſt Apoſtolus conſtitutum commemorat, ipſum eundémque ex eo quod de patre eſt ſplendorem gloriæ & figuram ſubſtantiæ confitetur. Ipſúmque, qui de Virgine natus eſt, tantum meliorem Angelis adfirmat effectum, quantum differentius præ illis nomen hæreditauit. Hæreditatis autem & effectionis ſermo ad humanam, non ad diuinam pertinet formam. Et quòd ſit illud excellentius differens nomen, ab D Apoſtolo exponitur, cum protinus ſubinfertur. *Cui enim*, ait, *aliquando dixit Angelorum, Filius meus es tu, ego hodie genui te?* Et rurſus, *Ego ero illi in patrem, & ipſe erit mihi in filium*. Et illud, *Ad quem autem Angelorum dixit aliquando, Sede à dextris meis, quoadusque ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum?* Hæc eſt enim illa differentia nominis, de qua præmiſit: quia Angeli ſerui, ille verò filius ſummi & omnipotentis Dei eſt patris. Angeli denique ſignanter vocabulum nominis ex officio miniſterij ſui E ſortiuntur. Vnde & commune nomen Angeli appellati ſunt: non autem Angeli nomen ſuper omne nomen accepiſſe ſunt æſtimandi, ſicut Chriſtus Ieſus nomen hæreditauit ſuper omne nomen. Nomẽ quippe ſuper omne nomen Deus eſt, verúſque filius Dei. Sed hæc in ſuo loco tractanda relinquimus.

Videtur aliquid deeſſe.

Apoſtolus vtique eum differentius no- A men ſuper omne nomen, iuxta quod filius hominis temporaliter fieri dignatus eſt, hæreditaſſe denunciat. Quia per id quod ex patre eſt, non hæreditauit filij nomen in tempore, quod ſemper habuit naturaliter ſine vllo initio genitus ex patre. Tu autem, ô hæretice, quur non confunderis quolibet modo commune nomen illi adoptatiuum & nuncupatiuum adſcribere? Cùm hoc nomen infra, & non ſuper omne ſit nomen. Nam ſi Deus verus non eſſet, qui de Virgine primogenitus natus eſt, nequaquam Dauid Angelos eum adorare, quaſi incitatiua exhortatione compulerit, dicens: *Adorent eum omnes Angeli eius*. Et quoniam Propheta de Verbo carnem factum prædixit, iſdem præcipuus doctor abſoluit, cùm ita hoc Pſalmi Capitulum in ſubſequentibus ponit. *Et cùm iterum*, inquit, *introducit primogenitum in orbem terræ, dicit: Adorent eum omnes Angeli Dei*. Primogenitũ quidem tu ipſe etiam adfirmas eum ex matre. Et ideò non verũ, ſed nuncupatiuum prædicas Deum. Et reuera Angeli non quemlibet, ſed verum adorare Deum creduntur. Sequitur, & in eadem Epiſtola eximius prædicator ait ad Angelos, aut dicit: *Qui facit Angelos ſuos ſpiritus*. Ad filium autem, *Thronus tuus Deus in ſæculum ſæculi*. Et poſt puſillum, *Vnxit te Deus, Deus tuus oleo præ participibus tuis*. Ecce quem primogenitum in orbem terrarum per diſpenſationẽ magni & pij ſacramenti introductum aſſeruit, ipſum eundémque Angelos prophetico oraculo docuit adoraſſe. Ad ipſum ſane Propheta plenus Spiritu ſancto locutũ fuiſſe non ambigit, *Thronus tuus Deus in ſeculum ſeculi*. Et, *Vnxit te Deus tuus*. Propheta igitur illum & Apoſtolus, & Deum ſine additamento nuncupatiui, & filium abſq; adiectione adoptatiui confitentur. Quia perſona vnigeniti per aſſumptionẽ carnis nec augmentum, nec detrimentum, nec mutabilitatem, nec permixtionem recepit, ſed permánſit id quod erat, hoc eſt, verus Deus. Et verus Dei filius ſine defectu ſui ſuſcepit id quod non erat. Ille profectò verus Deus, cuius thronus in ſeculum ſeculi permanet, vnctus à vero Deo ab eodẽ perhibetur Propheta. Verus igitur Deus vnctus à vero Deo, non ſicut tu anili fatuáque conſueſti obſcurius fauce delerare, nuncupatiuus Deus à vero Deo vnctus ſit; ſed verus Deus vnctus à vero Deo, in forma proculdubio creditur ſerui. Deus igitur verus Chriſtus Ieſus habuit alterius generis formam, in qua vngi poſſit à Deo vero. Non tamen habuit alterius

filij perſonam, per quam ſe duplicari poſſit in alterum. Quoniam non perſona vnigeniti, ſed naturarum diuerſitas tantummodo in hoc incarnationis ſacramento recepit diſcretionem. Nam ſemper verus & vnigenitus filius, ſemperque verus & ſuper omnia Deus benedictus in ſecula. Et ſecundum id quod *Verbum in principio apud Deum*; & iuxta illud, quod, *Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis*, ſub vniuerſa cæli latitudine ſinceriſſima inuiolabilis fidei regula, & veriſſimo prædicat, & religioſo adorat affectu. Hinc illud eſt, quod in amoris carmine epithalamio ſponſa modolamine cantat, *Dilectus meus candidus & rubicundus, electus ex millibus*. Candidus nimirum per id quod in principio erat Verbum, rubicundus verò per id quod Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis. Propter quadripertitæ crucis purpureo in roſeto, aſperſus precioſo ſanguinis oſtro, rubicundus nihilominus ſponſæ dilectus refulſit. Cui per Iſaiam dicitur, *Quare rubrum eſt indumentum tuum, & veſtimenta tua ſicut calcantium in torculari?*

Pauli igitur ad Romanos iſtiuſmodi ſcribentis calamo perdocetur, *Quorum patres*, inquiens, *& ex quibus Chriſtus ſecundum carnem, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſecula.* Et ſecundum carnem quidem ex patribus, & ſecundum diuinitatem ſine carne ex Deo patre: vnum tamen eundémque Chriſtum Ieſum ſuper omnia Deum benedictum in ſecula confitetur. Quoniam non ex patribus purus homo, veluti quilibet Prophetarum; qui adoptiui filij, & nuncupatiui Dei vocabulo cenſeri poſſunt: ſed ex beatæ Virginis immaculato vtero, quæ de ſancta præcedentium horum patrum ſtirpe deſcenderat, Deus & homo veraciter natus tanquam ſponſus de thalamo ſuo proceſſit. De quo Ioannes Apoſtolus, in Epiſtola ſua teſtificans ita ponit, *Scimus*, inquit, *quia filius Dei venit, & dedit nobis ſenſum, vt cognoſcamus, & ſimus in vero filio eius Ieſu Chriſto. Hic eſt verus Deus, & vita æterna.* Illum vtique Ieſum Chriſtum verum filium Dei, & verum Deum, & Ioannes & Paulus, & omnia Scripturarum oracula proteſtantur: qui natus eſt de Spiritu ſancto & Virgine Maria, qui paſſus, crucifixus, mortuus, & ſepultus eſt pro nobis, quíque tertia die reſurrexit, aſcendit in cælum, ſedet ad dexteram Dei, venturuſque eſt cum gloria viuos & mortuos iudicandos *. Quiſnam ſit ille Chriſtus, quem tu, hæretice, nuncupatiuum Deum, & adoptiuum filium adfir-

*iudicare.

A mare conaris, Catholica nihilominus [illegible] ignorat: ſed & tecũ eum ſcire, modis [illegible]nibus dedignatur. Habeto tu tibi aliu[illegible] ſequacibus tuis, qui non eſt natus de S[illegible]ritu ſancto & Maria Virgine, nuncup[illegible] Deum. Nos autem verum Deum & [illegible]genitum filium Dei Chriſtum Ieſum [illegible]minum noſtrum, qui natus eſt de Sp[illegible] ſancto & Maria Virgine, & habemus, & [illegible]bebimus, & in futuro ſeculo habitu[illegible]mus: qui cum Patre & Spiritu ſancto [illegible] & regnat Deus in Trinitate perfect[illegible]

B nunc & ſemper, per cuncta & infinit[illegible]cula ſeculorum, amen. Qui dedit ſe[illegible]ipſum pro nobis, vt nos redimeret ab [illegible]ni iniquitate. Cuíq; pater, vt abunda[illegible] commendaret in nobis ſuam carita[illegible] non pepercit; ſed pro nobis omnibus [illegible]didit illum. Quem Apoſtolus propr[illegible] non adoptatiuum filiũ confitetur: *Pr[illegible]* inquit, *ſuo filio non pepercit Deus, ſed pro [illegible] omnibus tradidit illum.* Hinc aliàs Ioannes Euangeliſta teſtatur, dicens: *Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret pro*

C *mundi ſalute.* Vnigenitum dedit, non adoptatiuum. Nulla, inquam, tibi ſophiſtica ratione, remigero * ſi pennis etiam non columbæ, ſed ſtrutionum volare coneris, duo relatiua nomina vnius filij ad perſonã vnius patris referre conceditur. Animaduerte quid dixerim, non poteris filium & filium, quod eſt relatiuum ad aliquid, hoc eſt proprium & adoptatiuum, vni adſcribere genitori. Nam cum ſit Deus omnipotens pater vnus, vnumque coæternũ ſibi genuerit omnipotentem filium: quo igitur

*f. remig.

D pacto vnus natus vnius genitoris, & proprius & adoptatiuus filius intelligatur, nullius vnquam poſſibilitatis ordo permittit. Præſertim cùm hæc de filio Dei agantur, qui ſempiternus de ſempiterno patre genitus, ſic quodam mirabili modo ſecundã prorſus propter nos ſuſtinuit in tempore natiuitatem. Quatenus & hominis filius quia voluit fieri, & Dei filius idem ipſe incommutabilis permaneret. Et tamen non duo, Dei & hominis filius, ſed vnus idémque Dei hominiſque filius adoratur.

E In tanto igitur tibi viluit magnum pietatis ſacramentum, quod manifeſtatum eſt in carne, quatenus idcirco verus Deus, verúſque filius Dei falſidicis tuis abnegetur obiectionibus. Quoniam pro nobis Pontifex factus ad multorum exhauriẽda peccata, Apoſtolicis præconiis declaratur. Cũ iſdem beatus Apoſtolus tertij cæli ſecreta rimatus, & Pontificem eum vel Sacerdotem, & Dei filium confiteatur. Ait enim,

Habentes igitur Pontificem magnum, qui penetrauit cœlos, Ieſum filium Dei. Et rurſus, *Nec quiſquam ſibi honorem, ſed qui vocatur à Deo tanquam Aaron: ſic & Chriſtus non ſemetipſum glorificauit, ſed qui locutus eſt ad eum, Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Quemadmodum &, in alio loco dicit: *Tu es ſacerdos in æternum, ſecundum ordinem Melchiſedech.* Si ergo Apoſtoli teſtimonium perhibentis paruipẽdis, vel paternæ obſecro caritatis in proprio filio ineffabilis nõ tibi dulcedo abhorreſcat. Nam & per Prophetam, ſecundũ id quod Verbum caro factum eſt, ait, *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Et de cælo diuina intonans voce, ſuper Iordanis alueum, & in monte ſancto teſtatur: *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui, ipſum audite.* Vnde & Ioannes Baptiſta tanti æterni Patris auditor teſtimonij, confeſſus bonã coram multis teſtibus confeſſionẽ, ſic ait: *Qui miſit me baptizare in aqua, ipſe mihi dixit, ſuper quem videris Spiritum deſcendentem ſicut columbam, & manentem in eum, ipſe eſt. Et ego vidi, & teſtimonium perhibui, quia hic eſt filius Dei.* Et Paulus teſtatur, *Qui tranſtulit*, inquit, *nos in regnum filij caritatis ſuæ.*

Sed contra hæc omnia vnum contradictionis locum ſcrupuloſo inueniſſe te dinoſceris corde. Secundum diuinitatem, inquis, verus Deus & verus Dei credẽdus eſt filius. Benè quidem & noſtri es per id conſors ſermonis, ſi tamen in huius permanſiſſes ſinceræ bonitatis profeſſione. Nam cùm poſt paululum propter ineffabilis myſterij incarnationis diſpenſationem, nuncupatiuum Deum & adoptatiuum filium temerario non deſines ore blaſphemare, à noſtra extas fidei exſors cõmunione. Cùm hæc igitur cauſidico aſtrues ore, vnionem indiuiduæ nihilominus reſcindere probaris perſonæ. Non certè dualitas in perſona vnigeniti, ſed in naturarum conſtat diſtinctione. Vnigeniti nempe nomen & ante ſecula ex patre, & poſt Virginis partũ permanet ſempiternum ex matre. Perſona nãque Vnigeniti ſubſtantiam alterius generis adſumpſit, non alterius filij nuncupationẽ: quoniam Chriſtus Ieſus heri & hodie, ipſe & in ſecula. Hoc eſt, indemutabilis permanens, qui erat, & qui eſt, & qui venturus eſt omnipotens. Qui cùm in forma Dei eſſet, formam ſerui ſuſcepit, id eſt hominis naturam, non perſonæ. Sed naturarum eſt diſcretio geminata, permanſit idem quod erat, hoc eſt vnigenitus Dei filius. Vnigenitus, eò quòd vnus ſit. Quis putas, quæſo te, Catholicorum hominum, Chriſtum Ieſum verum Deum, verumque Dei filium confiteretur, ſi homo tantummodo ſolitarius, & non in ſingularitate perſonæ inſeparabiliter Deus, & homo veraciter perſeueraret? Non vtiq; ademit, vel minuit, aut demutauit homo adſumptus plenitudinẽ diuinitatis: ſed per diuinitatis plenitudinẽ in Chriſto corporaliter inhabitantẽ, exaltatus eſt homo Chriſtus Ieſus in Deũ, itaut vnus idémque ſit Deus homo, Dei hominiſque filius: ſalua tamẽ proprietate vtriuſque inconfuſa naturæ. Ingrauatúmque eſt cor tuum etiam hac vice, quatenus exinanita in cunctis adinuentionibus tuis qualicumque fidei tuæ fruge. Impleatúrque in te Propheticum illud lamentatricis editũ vocis vaticinium dicentis, *Reſiduum erucæ comedit locuſta, & reſiduum locuſtæ comedit brucus, & reſiduum bruci comedit rubigo.* Adtende quid ſequitur: *Expergeſcimini*, ſubinfert, *ebrij, & flete.* Auxiſti quin potius ſupra põdus peccati plumbi talentum, ita vt non te pudeat dicere, infirmitatis obligatum neceſſitate Chriſtũ Ieſum pro ſe quantociùs exoraſſe, & idcirco Deus verus * credi nõ poſſe cauſaris, qui neceſſarium habuit pro ſe etiã orare. De quibus latius ſuprà iuxta exilis intelligentiæ meæ menſuram, vt ipſe, de quo loquimur largire dignatus eſt, diſputaſſe me non abiuro.

*Deum verum.

Hoc igitur Pauli teſtimonium tuis, vt ita dicam, vſus, in medium, verbis, deductũ; quia de Domino Ieſu Chriſto Prophetico adſumpto oraculo docuerit: *Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech.* Et adiecerit, *Qui in diebus*, inquiens, *carnis ſuæ preces ſupplicationéſque ad eum, qui poſſit ſaluum illum à morte facere, cum clamore valido & lacrymis offerens, & exauditus eſt pro ſua reuerentia.* Et quia non ſibi, neque pro ſe, ſed ſicut præfati ſumus, nobis, & pro nobis orauit, pro quibus naſci, pati, & mori dignatus eſt; ſcripturarum ſuperiùs adſertionis noſtræ conjecta documentorum præconia euidentiſſimis propalata legũtur teſtimoniis. Qui poſſit autẽ illum à morte ſaluum facere, quo forte tum, dum te laqueo erroris ſuſpendi quia non abnueras, artius nodum anſulæ conſtrinxiſti, nondum noſtri eſt ſtili mucrone abſolutè ſermonis ratio promulgata, neceſſitatis potiùs quàm auaritiæ exigente cenſura. Nunc autem quid ſit, *ſaluum illum poſſit à morte facere*, exequamur. Nihil, inquam, aliud, vt mihi videtur, nec aliter intellegi docetur, niſi qui poſſit eum à mortuis ſuſcitare. Tale eſt enim dicere, à morte ſaluum facere; quale eſt profiteri, à morte reſuſcitare. Et quia inſeparabilia ſunt ſemper opera Trinitatis. Sicut

enim in vtero Virginis tota Trinitas operata eſt hominem Chriſtum, ita eum de ſepulcro tota Trinitas à mortuis non abnuitur ſuſcitaſſe. Nam quia Pater eum ſuſcitauerit, Paulus ſcribit ad Galatas ita: Paulus Apoſtolus non ab hominibus, neque per hominem, ſed per Ieſum Chriſtum & Deũ Patrem, qui ſuſcitauit eum à mortuis. Et quoniam ipſe de ſepulchro corpus ſuum ſuſcitauerit, ipſius diuino prolato docetur teſtimonio, Iudæis cùm diceret: *Soluite templum hoc, & in tribus diebus ſuſcitabo illud.* Et quod ſit templum, de quo dixerat, Euãgeliſta indicat, cùm ſubiungit. *Hoc autem dicebat de templo corporis ſui.* Et illud, *Propterea me Pater diligit, quia ego pono animam meã, & iterum ſumo eam.* Poteſtatem habeo ponendi animam meam, & poteſtatem habeo iterum ſumendi eam. Et notandum, quòd poteſtate, non neceſſitate poſuerit, & iterum reſumpſerit animam ſuam. Et rurſus, *Cùm ſurrexero præcedam vos in Galilæa.* Et his ſimilia. Nam quia Deus ſuſcitauerit eum, innumerabilia vtrorúmque Teſtamentorum oracula proteſtantur. Vt eſt illud Apoſtoli, *Si confeſſus fueris,* inquit, *in ore tuo Dominum Ieſum Chriſtum, & credideris in corde tuo, quòd Deus illum ſuſcitauerit à mortuis, ſaluus eris.* Et alibi, *Cúmque conſummaſſent omnia, quæ de eo ſcripta erant, deponentes eum de ligno poſuerunt in monumento, Deus verò ſuſcitauit eũ à mortuis.* Et quia Spiritus ſanctus Deus eſt, tota eum Trinitas, & Pater, & ipſe Filius, & Spiritus ſanctus de ſepulcro reſuſcitauit: ſed non eſt alter filius qui ſuſcitauit, & alter ſuſcitatus. Quãquam ſit aliud & aliud, hoc eſt diuinum & humanum; vnus tamen eſt filius, ſuſcitans, & ſuſcitatus. Qui poteſtate ac voluntate poſuit pro nobis, non pro ſe, animam ſuam. Poteſtate, vel voluntate, quia vna eſt Patris eiuſque voluntas, pro nobis orauit: pro nobis, non pro ſe, in diebus carnis ſuæ preces ſupplicationéſque ad eum, qui poſſit illum à morte ſaluum facere, fudit. Qui ſemetipſum pro nobis hoſtiam obtulit Deo in odorem ſuauitatis, pro nobis ſemetipſum ſaluum à morte fecit, hoc eſt, à mortuis ſuſcitauit. Vnde benè Apoſtolus huic Capitulo conſentaneam membratim ſententiam ſubnectens, quid dixerit explicauit, cùm protinus ſubinfert. Ait enim, *Et quidem cùm eſſet filius Dei, didicit ex his, quæ paſſus eſt, obedientiam.* Filius vtique Dei iuxta Pauli vocem paſſus eſt, & ex his, quæ paſſus eſt, didicit obedientiam, & à mortuis ſuſcitatus eſt. Impaſſibilis nempè paſſus

A eſt, & immortalis mortuus eſt, & ſemper viuens ſuſcitatus eſt. Ipſe eſt, & non alius. *Qui deſcendit*, ait Magiſter Gentium, *ipſe eſt & qui aſcendit ſuper omnes cœlos, vt impleret omnia.* Nam quia idem eſt ipſe mortuus, & ſemper viuens, manifeſtius in proſpectu poſitum, in Apocalypſi intelligentis oculum non effugit: cum ſeruo ſuo Iohanni, impoſita ſuper eum dexteram, profiteri de ſemetipſo non abhorruit dicens: *Nolite timere, ego ſum primus & nouiſſimus.* Hoc eſt *A & Ω, viuus, & fui mortuus.* B *Et ecce ſum viuens in ſecula ſeculorum.*

Accipe ergo & hoc beati Pauli clariſſimum teſtimonium. *Lex conſtituit homines,* inquit, *ſacerdotes infirmitatem habentes: ſermo autem iuriſiurandi, qui poſt legem eſt, filium in æternum perfectum.* Animaduerte qualiter Apoſtolus diſcreuerit inter Deum hominémque, & inter puros homines. Et paulo poſt: *Talem*, inquit, *habemus Pontificem, qui conſedet in dexteram ſedis magnitudinis in excelſis.* Ecce Paulus hunc Pontificem, quem tu nuncupatiuum Deum, & C adoptatiuum filium perfidiæ fingis ſomno conſopitus, filium in æternum perfectum conſedere in dexteram ſedis magnitudinis in excelſis teſtatur. Et non ſolum ſedere, ſed & ſignanter conſedere, hoc eſt ſimul cum Patre ſedere perhibetur. Cuius te, interrogo, veſaniæ infelix impio ſtupore denudas adtonitum, ita in promptu patens vtrumque latus ſylogiſticis præbes cornibus fodendum: quatenus nulla ex parte flexuoſis elucubratum ſinibus eliciens viuus euadere poſſis. Nam nuncu- D patiuum & verum Deum adoptatiuum, & verum filium falſiſſimum, vnum Chriſtum pronunciare lingua cauſaris: quatuor nihilominus introducere infamaris perſonas. Cùm trino Deus tantummodo numero in perſonarum gaudeat diſcretione, & indiuiduo in ſacramento inſeparabilis eſſentiæ recipiat vnionem. Nuncupatiuus etenim & verus, proprius & adoptiuus: non naturalia, ſed perſonalia nominaſſe quis ambiget? Nunquidnam Catholicum bonumque tibi videtur, vt duo dij, duóque E filij in dexteram patris ſedeant in excelſis? An quod eſt perfidius omnis perfidiæ, & nequius vniuerſæ nequitiæ, ſceleſtiſſimo auſus es ore garrire; quatenus trinum vnumque Deum quadripertita diſtinguere ſectione nitaris? Porrò non eſt ſcriptum *Sedete*, ſed *Sede*. Trinus namque numerus diuidi nequaquam poteſt, & tamen tres vnum ſunt, eò quòd ſancta Trinitas inſeparabilis perſeueret. Quadrus

verò numerus ſecari ſe per medium abſq; vlla contradictione permittit. Vnde & à myſterio ineffabilis Trinitatis alienus exiſtet. Habet interim in ſe, eò quòd baſis ſit tetragoni, ſacratiùs ſacramenti figuram, ſed à Trinitatis omnimodò ſocietate exortem. Vnicus igitur eſt, qui ſedet ad dexteram Patris, quíque ex paterno vtero ante Luciferum, & ex Virginis vulua in tempore genitus, Chriſtus Ieſus Dominus noſter, verus Deus, verúſque filius Dei: quemadmodum Marci Euangeliſtæ lucidiſſimo declaratur oraculo. *Et Dominus*, inquit, *Ieſus poſtquam locutus eſt eis, adſumptus eſt in cælum, & ſedet ad dexteram Dei.* Qur non confunderis Dominum Ieſum Chriſtum ſedentem in dexteram Patris, nuncupatiuum Deum, & adoptatiuum filium confiteri? Cùm nulli alio nuncupatiuo Deo pater dixerit, *Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum*, niſi vnigenito filio Dei Domino noſtro Ieſu Chriſto: qui cum eodem Deo patre omnipotente, & Spiritu ſancto, viuit & regnat Deus in Trinitate perfecta, per omnia ſecula ſeculorum, amen.

Sumpto igitur de extrema parte Libri Marci Euangeliſtæ finalis ſententiæ gratiſſono teſtimonio, terminali quapropter Libellus iſte iamiamque claudatur limitis fine.

LIBER SECVNDVS.

INITIVM igitur Libri ſecundi de principio ſane Epiſtolarum beati Apoſtoli, mundique Doctoris egregij exordiri incipiã, quatenus verborum ſtamina diſputationis radio illius edoctus magiſterij fultuſque valeam diſcriminare præſidiis: filáque admodum effluentia typico inſerta liciatorio, ſinceræ ſuſcepto fidei pectine, cæleſtibúſque inſpectis texere indiciis non torpeſcam. *Paulus*, inquit, *ſeruus Ieſu Chriſti, vocatus Apoſtolus, ſegregatus in Euangelio Dei, quod ante promiſerat per Prophetas ſuos in Scripturis ſanctis de filio ſuo, qui factus eſt ei ex ſemine Dauid ſecundum carnem, qui prædeſtinatus eſt filius Dei.* Secundum id enim dicitur proculdubio prædeſtinatus, quod factus ex ſemine Dauid ſecundum carnem præconatur. Dic, quæſo te, ô Magiſter Gentium, curam gerens non ſolum Romanæ, ſed omnium Eccleſiarum, qui non ab hominibus, neque per hominem, ſed per reuelationem Ieſu Chriſti qui loquebatur in te, quidquid docueras, didiciſti:

A Per adoptionem, putáſne prędeſtinatus eſt Verbum caro factum filius Dei, veluti quilibet electorum; de maſſa tamen propagatus perditionis, ipſius quoque præueniente gratiâ per lauacrum regenerationis effici filius lucis? An potiùs, quemadmodum excellentiùs ſingularis natiuitatis eius gloria prædicatur, ita filij dignitas ſingulariter modo mirabili perdocetur? Prædeſtinatus eſt, ais, filius Dei. Per quod, expreſſiùs, oro, declara. Fortè per adoptionem? Abſit. Nequaquam per adoptionem. Hoc enim hæretici B vſurpatiùs non metuunt ſuſurrare. Prædeſtinatus itaque filius Dei in virtute ſecundum ſpiritum ſanctificationis ex reſurrectione mortuorum Ieſu Chriſti Domini noſtri. Satis ſatiſq; conſolatus es me, beate Apoſtole Paule. Refloruit, profiteor, ex hoc caro mea, & hoc eſt meum refrigerium. In virtute namque ſecundum ſpiritũ ſanctificationis, non in adoptione prædeſtinatus eſt filius Dei: quoniam virtus Altiſſimi beatæ obumbrauit Virgini, & Spiritus ſanctus inuiolabilia materna viſcera C fœcundans ſanctificauit. Ideóque & quod natum eſt ex ea ſanctum, vocatus eſt filius Dei. Ideò quia Spiritus ſanctus repleuit vterum Virginis, & virtus Altiſſimi obumbrauit ei. Verbúmque caro factum eſt non communi adoptionis vocabulo, ſed ſingulariter altiſſimi proprietatis nomine vocatus eſt filius. Non enim arundinis mucrone, nec fruſtratoriè, ſed veraciter ſcriptum legitur, *Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis*: hoc eſt, Deus homo factus eſt. Factus itaque ex ſemine Dauid ſecundũ carnem D creditur, qui ex diuina generatione, id eſt ex ſubſtantia patris, non factus, nec prædeſtinatus, ſed genitus Deus permanet ſempiternus.

Ecce duo veritatis mirabiliter ſibimet concordantes teſtes mirabiles, quorum alter Princeps militiæ cæleſtis exercitus, alter terribilium caſtrorum Domini Dux, galeâ fidei loricâque indutus iuſtitiæ, cæleſtibus armis munitus aduerſantia hoſtiũ pectora ſpiritalibus vt perfodiat iaculis doctor procedit ad prælium. Horum igitur E veriſſimorum herilium, aliorumque innumerabilium ſanctorum teſtium perhibentium teſtimonio adprobatur, non per adoptionis prærogatiuam, ſed in virtute ſecundum ſpiritum ſanctificationis: quia de Spiritu ſancto natus & Virgine Maria, & verus Deus, & verus homo, vnus idemque in vtroque, veruſque permanet filius Dei. Tu denique vas electionis, raptus es ad tertij culmina cœli, vt audires quæ te

oportuerat ſcire. Gabrihel Archangelus A
miſſus eſt à ſummo, ſi liceat, ſeptimis car-
dine cœli, vt gaudium mundi Angelica
feliciter lingua pronũtiaret. Hæretici prorſus
ſus deſcenderunt ad milliſſimum latebro-
ſumque infernalis barathri præruptum: &
tamen ſerpentino vibrata ſibilo lingua ve-
nerandis veſtris non verētur contradicere
documentis. Et quamquam audiſſe te ibi
arcana profitearis verba, quæ non liceret
homini loqui; ibi tamen diuinitus inſtru-
ctus didiceras Chriſtum Ieſum Dominũ
noſtrum non per adoptionem, ſed in vir- B
tute ſecundũ ſpiritũ ſanctificationis præ-
deſtinatum eſſe filium Dei; neque nuncu-
patiuum Deũ, ſicut iſte diſſipit hæreticus,
ſed verũ & ſuper omnia benedictũ in ma-
gnitudine reuelationis contemplatus eſt
Deum. Hoc enim Romanis tradere ſatis
euidenter curaſti litteris venerandis. *Quorũ
patres*, inquis, *& ex quibus Chriſtus ſecundum
carnem, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in
ſecula.* Qui verò vnicus eſt filius ex vno co-
æterno genitore, non ſecundum carnem
genitus, idémque vnus idémq; ex patribus C
ſecundum carnem, ſuper omnia Deus præ-
dicatur in ſecula benedictus. Quem enim
Paulus Deum ſuper omnia benedictum
commemorat, hunc Hiezechiel Propheta
Deum ſublimẽ denunciat. Sic enim habes,
Et audiui, ait, *poſt me vocẽ quaſi vocem aquarũ
multarum, quaſi vocẽ ſublimis Dei.* Ecce Chri-
ſtum Ieſum, quem iſdem, electionis vas, ra-
ptus in altitudinem contemplationis ſupra
omnem poteſtatem & virtutem, & omne
nomẽ quod nominatur, ſiue in hoc ſeculo,
ſiue in futuro ſublimatum aſpexerat: hunc D
iſdem ipſe Propheta in ſimilitudinem filij
hominis ſupra firmamentum cryſtalli, hoc
eſt, ſuper omnes Angelicas fortitudines,
Prophetæ diligenti intuitu aſpexerat po-
culo exaltatum, *Et ſuper firmamentum*, in-
quit, *cryſtalli ſimilitudo filij hominis.*

Cùm eſſes igitur, Doctor mirabilis, almi-
ſonum eius, qui loquebatur in te, organũ
Chriſti, eiúſque ſancto concinente ſpiritu,
per quem reconciliatus eſſet mundus Deo,
celebri docuiſſes præconio, *Deus*, inquit,
erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi, ex hoc E
hæreticus iſte capitulo impietatis munitus
armis, idcircò contradicere Chriſtum Deũ
verum falſiſſima nõ ceſſat adſertione, quo-
niam dixiſſe te infamando coniectat, *Deus
erat in Chriſto*; & non dixeris, Deus erat
Chriſtus. More ſuo & hoc teſtimonium,
ſicut alias deprauare nõ erubeſcit Scriptu-
ras. Quaſi alius ſit Deus in Chriſto, & a-
lius ſit Chriſtus homo, in quo erat Deus.

Cùm vnus ſit Chriſtus IESVS, Deus ho-
mo. Aliud videlicet, ſicut ſæpius repetitũ
eſt, per id quod Deus: & aliud per id quod
homo. Sed nõ alius Chriſtus Deus, & alius
Chriſtus homo, vnus idemque eſt Chriſtus
Deus homo. *Deus*, inquis, *erat in Chriſto*: quia
Chriſtus eſſentialiter erat Deus & homo.
Quoniam in ipſo complacuit omnem ple-
nitudinẽ diuinitatis habitare corporaliter,
hoc eſt eſſentialiter, & vt expreſſiùs dixe-
rim, dealiter. Quoniam propter ſuſcipien-
tem Deum, & ſuſceptum hominẽ, Chriſtus
Ieſus & verus permanſit Deus & verus na-
turaliter factus eſt homo. Surda itaque hæ-
reticus iſte aure legerat caritatis cariſmata,
quæ Philippenſibus, ne quærerẽt vnuſquiſ-
que quæ ſua eſſent, ſed quæ alterius, com-
mendare ſollicitè ſtuduiſti. *Hoc ſentite*, ais,
*in vobis, quod & in Chriſto Ieſu. Qui cũ in forma
Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqua-
lem Deo, ſed ſemetipſum exinaniuit, formã ſerui
accipiens.* Quæro ergo à te, ô hæretice ve-
ritatis refragator, Si Chriſtus Ieſus verus
non eſſet, quomodo datur intellegi, iuxta
Apoſtolum, in forma Dei eſſe Chriſtum?
Cum nihil ſit aliud in forma Dei eſſe, niſi
in natura Dei. Et rurſum, formam ſerui
ſuſcipere, hoc eſt hominis naturam adſu-
mere. Si ergo Chriſtus Ieſus ſecundum A-
poſtolicam doctrinam in forma Dei erat,
hoc eſt, in natura Dei; quur non naturali-
ter ſit verus Deus? Et ſi, cùm in forma Dei
eſſet, formam ſerui ſuſcepit, hominis vide-
licet naturã; quur non naturaliter ſit verus
homo? Ex vtraque ergo natura, diuina ſi-
quidem & humana, Chriſtus Ieſus & verus
Deus, & verus ſine dubietatis palpatione
creditur homo.

Iam ex hoc non tibi permittitur ad lati-
bulum perfidiæ tuæ refugere. Patefacta ni-
mirum conſtat mendacij tui fouea, in qua
palpitãs latitare refuga conſueueras. Apo-
ſtolus itaque clamat veridica voce Chriſtũ
Ieſum, cùm in forma Dei eſſet non rapinã
arbitratum ſe eſſe æqualem Deo. Nõ vtiq;
rapinã, ſed per naturam æqualis Chriſtus
Ieſus vnigenitus Deus, Dei vtiq; filius per-
manet Deo. Si igitur Chriſtus IESVS, quẽ-
admodum Apoſtolicis inſtruimur docu-
mentis, non rapinam, &c. ſed naturaliter
æqualis eſt Deo: interrogo ergo, quis eſt ille
Chriſtus, in quo erat Deus, & ipſe abnuitur
obiectionibus tuis non verus Deus. Nun-
cupatiuus quidem Deus nõ poteſt æqualis
eſſe vero Deo. Chriſtus igitur Ieſus Domi-
nus noſter, in quo iuxta Pauli vocem Deus
erat, & ipſe Chriſtus Deus erat. In forma
nimirum Dei Apoſtolus Chriſtum Ieſum

eſſe prɔteſtatur. Quomodo non Deus naturaliter verus eſt, qui in forma Dei eſſe veraciter ab Apoſtolo prædicatur? Et cùm in forma Dei æqualis Deo eſſet, ſemetipſum exinaniuit formam ſerui ſuſcipiens; cur nõ naturaliter verus ſit homo? Quòd ſi interrogem Apoſtolũ, quis eſt qui ſemetipſum exinaniuit, formam ſerui ſuſcipiens? Chriſtus, ait, Ieſus, qui non rapinam arbitratus eſt, eſſe æqualis Deo. Poteſtate ergo, vel voluntate Chriſtus Ieſus, non neceſſitate coactus, in forma Dei permanens, ſemetipſum exinaniuit, formã ſerui ſuſcepit. Poteſtate etiam in forma ſerui dignatus eſt minor fieri patre. Ipſe etenim, & non alius Chriſtus Ieſus, verus Dei filius, qui & in forma ſerui minor, & in forma Dei patri permanet æqualis. Quicquid ergo poteſtate vel volũtate agitur, nihil proprij infert, potentis dedecus, vel volentis honorem. Nam ſi quiſpiam cuiuſdam Regis filius, vt humano vſu loquar, ſeruum ſuum pietatis deuictus clementia, poteſtate, aut etiam propria voluntate in oſcula ruẽs amplexatus fuerit, aut veſtem ſerui nõ dedignatur ſemetipſum induere, vel certè infirmum propriis ad domũ miſericordiã motus reportare voluerit humeris; curámque illius * verſa vice, quaſi famulus, cùm ſit Dominus, habere non deſpexerit: Nunquid pro his Dominus indulgentiæ exhibitis rebus dominantis amiſiſſe priuilegiũ æſtimatur, vel priſtinæ poteſtatis perdidit, vel minuit, vel minutauit dignitatem; aut propter inlato ſeruilis famulatus beneficio dominatui ſuo contulit deformitatis iniuriam, aut propter veſtem ſerui quam induerat deſiit eius eſſe, cuius verus erat filius Regis? non vtique, ſed permanſit ipſe qui fuerat verus filius Regis. His ita peractis, nõ amiſit veri filij nomen, nec duplicauit in adoptiuum, nec immutauit in nuncupatiuum. Si ergo hominem hoc poſſe abſque ſui dominatus detrimento perficere, poſſibilitatis ratio non contradicit, cui non cuncta poſsibilia conſtant; quanto magis Deus, qui omnia quæcunque voluit fecit, cui nihil difficile, nihilque eſſe impoſsibile à nullo ſanum ſapiẽs corde ſuſpicatur, cuiq; hoc eſſe poſſe quod velle eſt? Subeſt enim illi omnia poſſe quod vult; Alioquin non eſſet omnipotẽs, ſi poſſe ei deeſſet quod velit. Nam qui ſemetipſum poteſtate, & vt carius * dicam, pietatis benignitate exinaniuit, formã ſerui ſuſcipiens. Eadem namque poteſtate, vel pietatis volũtaria dignatione ſemetipſum humiliauit, nõ inuitus vel coactus, ſed ipſe pro nobis miſericorditer humiliauit, pius pro impiis, miſericors pro miſeris, clemẽs pro ſceleſtibus: factúſque obediens vſq; ad mortem, mortem autẽ crucis. Quod quidem hæc omnia Redemptorem noſtrum* Regem Dominũ Sabaoth, veríque Regis filiũ, in ſemetipſo factus homo, exercuiſſe; ſinceræ profeſsionis omnium redemptorũ inuiolabilis fides declarat. Per id enim quod indigno ſeruo benignus porrigere oſcula non dedignatur, iuxta illius prorſus deſideriũ, quæ clamabat, *Oſculetur me oſculo oris ſui.* Per id etiam quòd veſtem ſerui, hoc eſt incarnationis velamẽ ſuſcipere non recuſauit, ſecundum anhelantis illius ſuſpirium, qui plena exoptantis exorabat cordis dulcedine, dicens: *Suſcipe me ſecundum eloquium tuum, vt viuam; & ne confundas me ab inconſpectione mea.* Et illud, *Dominus ſuſceptor eſt animæ meæ.* Quinimò per id quod infirmo penéque mortuo ſeruo, famulatus nõ abhorruit obſequela remedia clementiùs impertire, infinitáque largire beneficia inenarrabili nõ diſtulit pietate: in tantùm, vt ex omni parte vulneratum ſemique viuũ relictum propriis humeris ad domũ curationis non diſpexerit reportare. Sanato nimirum in Palatio ſolij ſui regio ſub culmine recipi cũ gloria dignatus eſt triumphali. Hac quippe curationis ſalute indigebat ille, qui totis præcordiis anxius exorabat; *Miſerere mei Domine, quoniam infirmus ſum, ſane me Domine.* Et ille ſimiliter, qui dicebat, *Sana me Domine, & ſanabor: ſaluum me fac, & ſaluus ero, quoniam laus mea tu es.*

Quid itaque in ſubſequentibus ſequatur Apoſtolicis verbis, nihilominus ſunt explicanda. *Propter quod, ait, & Deus illum exaltauit, & donauit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen: Vt in nomine Ieſu omne genu flectatur.* Nomen nempe ſuper omne nomẽ, ſolius Dei veri eſt, veríque filij Dei. Nuncupatiuum verò, vel adoptatiuum nomen non ſupra, ſed infrà. In vtróque communia nomina continentur. Tu quidem illũ aſtrues nuncupatiuum Deum, & adoptiuum filium, quemadmodum tuæ litteræ proteſtantur: qui factus obediens eſt vſque ad mortẽ, mortem autẽ crucis. Apoſtolus quidem propter mortem Crucis exaltatũ illũ & habere nomen quod eſt ſuper omne nomen, iſdem veridicus doctor exponit, cùm protinus ſubinfert, *Vt in nomine Ieſu omne genu flectatur, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum.* Cui, inquam, niſi vero Deo omne flectitur genu? ſicut ipſe per Eſaiam Prophetam teſtatur, dicens: *Ante me non eſt formatus Deus, & poſt me non erit. Quia mihi flectetur omne genu, & cõfitebitur omnis lingua.*

*leg. Redẽptor noſter Rex Dominus, &c. exercuerit.

*…iūs.

Qui verò per Eſaiam ante omnia & poſt omnia, vnum ſe ſublimatumque ſuper omne perhibuit Deum, ſibique flectione confeſſus genu: Ipſum profectò Paulus Chriſtum ſcilicet & Ieſum aſſerit nomen habere ſuper omne nomen, eiuſque in nomine omne genu flectendum inſinuat. Et qui per eundem Prophetam confiteri ſe denunciat omnem linguam, ipſum nimirũ grandiſſono præco illius tonitruo, omnis lingua vt confiteatur, explicuit in gloria eſſe Dei patris. Dic quæſo te, ſi tamen tanti es erroris nubilo inuolutus, tantæque veſaniæ deditus ſtupore, vt non te pudeat ea, de quibus palpatiùs exequeris, labiis profanare ſpurſuis. Cui nuncupatiuorum Deorum, vel adoptiuorum filiorum flectitur omne genu, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum? aut quem ex illis omnis lingua confitetur in gloria eſſe Dei patris? Et cùm inuenire alium quærendum deficiens minimè potueris, niſi Chriſtum Ieſum verum Deum, verumque vnigenitum filium Dei: vel tunc te obſecro pœniteat præteriti mali, vt reſipiſcas: tamen aliquando à diaboli laqueo, à quo captiuus teneri in ſpeculo proſpiceris ſincero Catholicæ fidei oculo. Chriſtus igitur Ieſus in gloria eſt Dei patris. Alia quippe gloria nuncupatiui Dei, & adoptatiui filij, & valde longè excellentiùs. Alia eſt gloria veri Dei, verique filij Dei, quæ communis illi eſt cum Deo patre, ſanctóque cum Spiritu. Deus nimirum illum exaltauit, & donauit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen. Virtutis ſcilicet, & diuinitatis quæ in Chriſto corporaliter in omni plenitudine habitabat, & eſt in illo. In nullo prorſus alio omnis plenitudo diuinitatis corporaliter, habitare perhibetur, niſi in Chriſto Ieſu ſolummodo, qui eſt verus & vnigenitus Dei filius.

Ad hæc igitur, de quibus operoſiùs aguntur * facillimè enixiúſque fulcienda, nullius mihi rei ratio præſtabiliùs patet, quàm hoc quod ſanctus Spiritus in vtrorumque Teſtamentorum pagina, magnæ cautelæ ſtudio, ob diſtinctionem inter hominem Deum & puros homines, interque verum & nuncupatiuum Deum, proprium & adoptatiuum filium, docuit obſeruandum. Nam ſi cuncta horum inſtrumentorum ſeries recenſeatur, nuſquam inibi à quoquam facilius reperiri valebit, ſingulari numero, alius quilibet electorum filius Dei appellari. Nec quiſquam horum patrem Deum ſingulari numero inuenitur inuocaſſe, niſi ſolummodo Chriſtus

*agitur.

Ieſus vnigenitus Dei omnipotentis patris filius. Huius nimirum ſolitarij habitam priuilegij dignitatem * de ſinu prodeunt allegoriarum, cùm eleuantur à ſpiritu vitæ, quæ in eis ſpirat à terra. Quarum circuli modiolis per ordinem typicis infixis radiis pinnata animalia exagerante ſpiritu vitæ celeri volubilitate remigero flauentium alarum impetu, modo ad altiora raptare feſtinant, modo ſubmiſſis alis ad ima deponunt, nunc terram tangere, nunc aera verberare. Aliquando etiam diſtillantibus aſtrorum decuſſis igniculis exploſi flammantes conſpiciuntur glouelli. Cum eleuatis igitur rotis ſcriptoris vt eleuetur ſenſus, cauendum eſt modis omnibus ne torpeſcat, & cum depoſitis conſiderandum eſt vt deponatur: ne aut excellentia vili, aut humilia immoderato ſint calamo exaranda. Hoc ideò, quoniam tam glorioſiùs veneranda Dominicæ dulcedinis mirabilia verba, vili expoſitionis tuæ ſtili contemplantur diſerti mucrone. Aliquando, inquis, ea quæ ad ſolam Dei diuinitatem, non ad humanitatem eius pertinere certum eſt, referuntur ad eandem humanitatem, ſicut eſt illud in Euangelio Ioannis: *Nemo aſcendit in cælum, niſi qui deſcendit de cælo, filius hominis qui eſt in cælo.* Et addidiſti, Cùm liquidè pateat non filium hominis deſcendiſſe de cælo, neque ibi fuiſſe priuſquàm naſceretur in terra; cùm refelli humano poſſis, non ſit inualidum, ſtilo: cur ipſius voluntatis inuiolabilia refragari verba conaris? Cuius te iactanter inflat ſuperbiæ typhos, quatenus Dei filio verbis obſiſtere non pertimeſcas peſtiferis? Ipſe dixit *Nemo aſcendit in cælum, niſi qui deſcendit de cælo.* Et quaſi interrogantibus ſe quis deſcendiſſet, reſponderet, Filius hominis qui eſt in cælo: ipſe & deſcendiſſe de cælo filium hominis, & eſſe tunc in cælo cùm loqueretur in terra, & aſcendere vbi erat priùs, teſtis eſt. Tu verò his clariſſimis dictis animo obſiſtens ſacrilego, nec deſcendiſſe eum, nec eſſe tunc in cælo, nec aſcendere mentitus es vbi erat priùs, hoc eſt in cælo. Ac per hoc fingere videris tropica locutione, hoc Dominicum venerandumque promulgatum fuiſſe oraculum, ſicuti eſt moris ſacri eloquij congruis certiſque in locis partem pro toto, vel certè totum pro parte ſignificare. Sed quoniã huic generi locutionis, cui linguæ debitũ inofficioſo iure ſeruiſſe coegiſti, incapabilis nimirũ ſenſus ignorãtiæ egeſtate laborãtis, eiuſdem te contigit modum

*Sic, aliqu.

modum rationabilius neſcire locutionis: & idcirco ibi hanc inhormiter locutionis regulam introduxiſſe te nullus patet aditus defenſionis, vbi ei introducendi locus conceditur vllus. Bipertita ſiquidem huius tropicè diſtinguitur, ſicut ſuprà docuimus, trito ſermone qualitas locutionis, cùm pro toto homine pars aliqua ponitur, hoc eſt ſola caro. Sicut eſt illud, *Videbit omnis caro ſalutare Dei noſtri*, id eſt, omnis homo. Aut è contrario, cùm ſolius animæ memoria tangitur, vt in Moſaico aduertitur illo. *Deſcendit*, inquit, *Iacob in Aegyptum in animabus ſeptuaginta*. Et illud, *Peribit anima illa de cœtu filiorum Iſrahel*. Ibi profectò huius locutionis intellegi modus debet, vbi nō ſignāter perſona introducitur, ſed diuerſitas diſtinguitur naturarū. Hoc quippe in loco vnus Dei hominiſq; filius, non de naturaliū diſcretionum qualitate, ſed de perſonæ vnigeniti docuit vnitate.

Porrò, cùm dicit, *Nemo aſcendit in cælum, niſi qui deſcendit de cælo*, & addidit, *filius hominis qui eſt in cælo*: euidentiſſima veritatis manifeſtatione innotuit, filium hominis ipſum eſſe, qui de cælo deſcēdit filius Dei. Alterius certè generis formam, hoc eſt naturam ſuſcepit ex Virgine, non alterius filij perſonam. Non eſt enim alter per id quod filius eſt hominis; ſed aliud eſt per id quod homo eſt, & tamen Deus & homo vnus eſt Dei & hominis filius. Natura namq; altera, hoc eſt hominis, erat in terra tantummodò: altera vbique in cælo & in terra, hoc eſt diuina. Potuit ergo quòd duo erant, diuinum ſcilicet & humanum, aliud in cælo & vbique eſſe, & aliud in terra ſolum modò. Non tamen potuit ille, qui vnus erat, filius videlicet Dei & hominis non totus vbique eſſe, in cælo pariter, & in terra. Vbique ſanè totus, quia vnus eſt & omnipotens Deus, vnus idemque omnipotentis Dei & hominis filius. Humana namque natura non deſcendit de cælo, nec fuit ibi priuſquam in Deum adſumpta aſcenderet corporaliter in cælum. Filius autem hominis quia vnus idemque ipſe eſt filius Dei, & de cælo deſcendit vnde numquam diſceſſerat, & in cælo erat cùm loqueretur in terra: & in terram venit vbi erat, & in cælum aſcenſurus erat per id quod homo eſt, & ibi aſcendit, vbi erat prius per id quod Deus eſt. Domini namque ſunt verba dicentis: *Nemo aſcendit in cælum, niſi qui deſcendit de cælo, filius hominis qui eſt in cælo*. Tu vero contradicere temerario auſu ſatagis veritati, adfirmans filium hominis non deſcendiſſe de cælo, neque fuiſſe ibi priuſquā naſceretur in terra; ſed, tantum filium Dei de cælo aſſeris deſcendiſſe. Illud quippe veritas, hoc mendacium protulit.

Interrogari fortè à nobis debueras, quis iſte ſit filius hominis, qui non deſcendit iuxta tuam veſaniam de cælo, neque fuit ibi priuſquam naſceretur in terra. Sed melius mendacio reſiſtere, quàm falſo audire ab eo putaui. Scito ergo te, ex eo quod protuleras, duarum hæreſeum laqueis ſtrangulatum. Nam cùm aſſeris filium hominis, id eſt, Chriſtum, non deſcendiſſe de cælo, ſed filium tantummodò Dei: duos profectò hæc dicens filios introducere feſtinas, alterum videlicet Chriſtum Dei, alterum Chriſtum hominis filium. Et vbi eſt illud? aut quis putas ſpiritus nequam rapuit tam ſubitò de corde tuo, quod paulò antè profeſſus labiis, non corde agebas? Non, inquis, duo dij, vel duo filij. Abſit, ſed vnus Dei hominiſque filius. Age ergo, quo pacto tunc vnum, quomodo nunc duos filios confiteris? Dixiſti enim filium hominis non deſcendiſſe de cælo, ſed filiū tantummodò Dei. Duos manifeſtè denūcias, alterū nimirum qui deſcēdit de cælo, hoc eſt Dei, & alterū qui non deſcendit, hoc eſt hominis filium. Dominus nempe Ieſus Chriſtus, vt ſe vnum eundemq; demonſtraret: qui deſcendit & erat in cælo, cùm loqueretur in terra: *Nemo*, ait, *aſcendit in cœlum, niſi qui deſcendit de cælo, filius hominis, qui eſt in cælo*. Cū ergo filiū hominis ſe profiteretur, non certè ſe filiū Dei negauit.

Ecce pendis in ſicco ſtipite, vnius adhuc laquei anſula ſigillatus. Paraſti enim tibi & alium, cuius torquem propriis fortiter manibus aſtringēdo innotaueras. Adpoſuiſti namq; iniquitatē ſuper iniquitatē, ita ut diceres filiū hominis, cū ſit ipſe ſempiternus filius Dei, nō fuiſſe in cælo priuſquàm naſceretur in terra. Hæc dicēs, quid aliud quàm initium ex partu Virginis peſſima adſcribere feſtinas iniectione? Ille quippe cùm naſceretur ex Virgine vnigenitus Dei & hominis filius totus in vtero matris, totū ſe in ſinu coæterno reſeruauit patris. Ante igitur quā naſceretur in terra, ſemper erat in cælo. Humana nempe natura non fuit in cælo, antequā naſceretur in terra, id eſt homo. Filius autem quia vnus & ipſe eſt Dei & hominis filius, ſemper erat in cælo & in terra. Ipſius quoque glorioſa vox ſemper auditur, dicentis: *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſeculi*. Heu! heu! quàm periculoſus duarum tibi grandi diſciſſione

voraginis hiatus patet fouearum! Nam ſi permaneas in ea perfidiæ pertinacia, qua duos filios videris adſerere, mox ad ima profundi lapſus detraheris. Sin autẽ, quia vnus eſt filius Dei & hominis, & eundem vnum conqueſtus fueris non fuiſſe in cælo, priuſquàm naſceretur in terra, cõtinuò vſque ad prærupta infernalis baratri abſq; vlla deducêris tarditate. Vnum profectò tibi indulgentiæ remedium æſtimo profuturum, ſi reſipiſcas ab hac ſtultitia, & pœniteat te mali præteriti. Forſitan vecordiæ magis quàm inſolentiæ hoc reputare conueniat. Venialis eſt enim culpa, quàm ſuperbiæ qualitas non accuſat. Sed quia certi necdum ſumus de conuerſionis tuæ lamentis, ſuſpecti per omnia de pertinacis tui duritia cordis: reſtat ergo quatenus ſequentia ſtili tui fidei feruentis exequamur calore.

Porrò, quia plerumque benè loqui videaris non abnuimus, ſed quoniam in eadem bonitate non cerneris perſeuerare, dolemus. Nam aliquãdo eum Deum Deique filium ſincera putaris profeſſione prędicare: ſed exemplo ad eam, qua veniebas, callidi cuiuſdam imitator animalis, erroris recurrere cauernã feſtinas. Quàm perualde tibi melius, ſi fugæ latibulum hericij leporiſq; more in petræ foramine requirebas. Petram autem Chriſtum Apoſtolicus ſtilus declarat. Continuò namque oblitus puriſſimæ fidei profeſſionis, Deum illum per nuncupationem, & filium per adoptionem exprobrare anxio decertas anhelito, tam obſcuræ caliginis denſiſſimo palpare obuolutus fumo proſpiceris, vt aſſeras Deum verũ in Deo habitare nuncupatiuo, & proprium filium in filio habitare adoptatiuo. Ex quo nimirum infamaris, vnionem indiuiduæ perſonæ, & dualitatem diſcretalium naturarũ per quatuor reſecare diſtinctiones. Cuique tam intolerabilia auditui Catholica aures nullum vnquam patentem conhibet præbere meatũ. Si filius hominis, ille vtique qui natus eſt de Spiritu ſancto & Maria virgine Chriſtus Ieſus, non eſſet verus Deus, veruſque filius Dei; nequaquam Mattheus, Marcus, & Lucas conſona voce prædixiſſe ipſum diſcipulis ſuis proteſtarentur, in poteſtate ſe magna & maieſtate venturum. *Cum autem venerit*, ait Mattheus, *filius hominis in maieſtate ſua, & omnes Angeli cum eo, tunc ſedebit ſuper ſedem maieſtatis ſuæ, & congregabuntur ante eum omnes gentes.* Super ſedẽ quippe maieſtatis quis alius, niſi verus ſit, ſedere creditur Deus? vel certè qui in maieſtate

A ſua venire perhibetur, Deus verus pr[illegible] dubio perdocetur. Si filius hominis [illegible] idem ipſe ſit filius Dei, Deus ſecundi[illegible] reticam prauitatem non eſt verus, qu[illegible] cto Angelos ſuos mittere à quatuor [illegible] lis terræ, & congregare ſuos prænun[illegible] electos? Suos Angelos dixit, quia o[illegible] quæ Pater habet, eius ſunt. Aut quo[illegible] filius hominis habet poteſtatem in [illegible] quemadmodũ ipſe teſtatus eſt, dimit[illegible] peccata, ſi non eſt verus filius Dei? S[illegible] nempe Dei veri eſt in poteſtate rel[illegible]
B peccata. Aut quo pacto ſicut ful[illegible] ab Oriente, & paret vſque in Occide[illegible] ita erit aduentus filij hominis, ſi nun[illegible] tiuus eſt filius? Numquid decet alium [illegible] libet talem habere aduentum, niſi [illegible] verum, cui dicitur, *Te decet hymnus D*[illegible] *Syon, & tibi reddetur votum in Hieru*[illegible] Vel qua ratione, ſi adoptatiuus filius [illegible] qui non manducat carnem filij hominis, & non bibit eius ſanguinem, non habet vitam æternam? *Qui manducat*, inquit, *meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vi-*
C *tam æternam. Et ego reſuſcitabo eum in nouiſſimo die. Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus.* Reſuſcitandi in nouiſſimo die poteſtas nulli alio, niſi vero permanet Deo. Caro namque & ſanguis ad humanam, per quam filius hominis eſt; non ad diuinam referri poteſt naturam. Et tamen ſi ille filius hominis, cui hæc caro & ſanguis eſt, pro eo quod vnus idémque ſit Dei & hominis filius, ſi Deus verus non eſſet, caro eius & ſanguis manducantibus & bibentibus ſe nullomodo vitam
D præſtaret æternam. Vnde & Ioannes Euangeliſta ait, *Et ſanguis filij eius lauat nos ab omni peccato.* Aut cuius caro & ſanguis dat vitam manducantibus & bibentibus ſe, niſi filij hominis, quem Deus ſignauit pater, qui eſt verus & omnipotens filius Dei? Nam & panis viuus pro nobis deſcendit de cælo, qui dat vitam mundo. Quique ex eo manducauerit, non morietur in æternum. Ipſe enim dicit: *Ego ſum panis viuus, qui de cælo deſcendi.* Sic quippe deſcendit panis viuus de cælo, qui ſemper ma-
E nebat in cælo; ſicut filius hominis deſcendit de cælo, qui quoniam vnus idémque erat filius Dei numquam deſeruit cælum.

Quinetiam Agnus pro nobis fieri dignatus eſt, quem Ioannes Baptiſta oſtendit digito, dicens: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollet peccata mundi.* De quo Ioannes Euangeliſta in Apocalypſin nouũ cantare canticum ſe audiſſe teſtatus eſt, dicens: *Qui*

tuor animalia, & viginti quatuor ſeniores ceciderunt coram Agno, habentes ſinguli citharas & phialas aureas. Et poſt puſillum: *Dignus es,* inquiunt, *accipere librum, & aperire ſignacula eius; quoniam occiſus es, & redemiſti nos Deo in ſanguine tuo.* Et infra, *Et vidi, & audiui vocem Angelorum multorum in circuitu throni, & animalium, & ſeniorum. Et erat numerus eorum milia milium, dicentium voce magna; Dignus eſt Agnus, qui occiſus eſt, accipere virtutem, & diuinitatem, & ſapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem; & omnem creaturam quæ in cælo eſt, & ſuper terram, & ſub terra, & quæ ſunt in mari, & quæ in ea: omnes audiui dicentes, Sedenti in throno & Agno benedictio, & honor, & gloria, & poteſtas in ſecula ſeculorum.* Ecce omnes Angeli, & animalia, & Seniores, & omnis creatura, confitentur Agnum, qui occiſus eſt, accipere virtutem & diuinitatẽ. Et tibi intantum viluit filius hominis, vt non confundaris eum nuncupatiuum Deum, & adoptiuum filium profiteri?

Tu igitur dixiſti, non ego, ideò obſeruatum eſſe in toto Euangelij corpore, hominis ſemper filium traditum, non Dei. Ego autem dico, quia mentitus es hoc ipſum in caput tuum. Surda fortè aure legiſti in Euangelio Ioannis, ipſum Dei filium Nicodemo dixiſſe: *Sic Deus,* inquit, *dilexit mundum, vt vnigenitum filium ſuum daret.* Vnigenitum quippe dedit, non adoptiuum; hoc eſt, tradidit. Dare quidem, quid eſt aliud, niſi tradere? Nã quod Dominus datũ, hoc Apoſtolus eius perhibuit traditũ. *Qui filio,* ait, *proprio non pepercit; ſed pro nobis omnibus tradidit illum.* Nam & Dominus modo filiũ hominis, modo ſe prædixit tradendum. *Vnus,* inquiens, *ex duodecim, qui intingit mecum manum in catino, hic me traditurus eſt in manus impiorum.* Et illud, *Væ illi, per quem tradar ego.* Tu dicis, quoniam atrocioris iniuriæ ſit ei traditio & cetera mala, quæ pro nobis ſuſtinuit: vel certè nomen ſerui ei quàm adoptiui adſcribere, vel cõfiteri. Cùm omne quod pro nobis altiſſima pietas poteſtate vel dignatione non inuitus contumelioſe pertulit, glorioſius laudabiliuſq; omne ſanæ fidei rectumque amplectitur cor. Sed mirum valde, cur tam crebriſſimè in qualibuſcumque tuis litterulis ſerui vocabulum repetas; cùm non ſit aliunde ſeruus appellatus, niſi quia homo. Quòd autem Paulus de eo ſcribit, *Qui cùm in forma Dei eſſet, formam ſerui accepit;* nihil aliud intellegi datur, niſi formã hominis. Quemadmodum filius ancillæ ex eo, quia filius hominis. Eadem iniuria ei extat de nomi-

A ne ſerui, qualis & de vocabulo hominis. Sed quia omnem gloriam diuinitatis eius integram in ſe manentem homo, hoc eſt ſeruus, glorificatus eſt in Deum, ſicut ipſe dicit: *Nunc clarificatus eſt filius hominis, & Deus clarificatus eſt in eo.* Et Paulus magnum pietatis ſacramentum manifeſtatũ in carne, iuſtificatum in ſpiritu, viſum Angelis, prædicatum gentibus, creditum in mundo, adſumptum narrat in gloria. Denique qui per Prophetam ſuum dixit, *Da poteſtatem puero tuo, & ſaluum fac filium ancillæ tuæ:* B ipſe per ſemetipſum non iam ancillæ filiũ, ſed ſemper ſe filium hominis confitetur. Quoniam non eſt aliter ſeruus, ſicut tu videris muſitare, niſi quia homo. Seruus fieri dignatus eſt, hoc eſt, homo fieri dignatus eſt. Qui ſic factus eſt ſeruus propter inutiles ſeruos, vt ſempiternus Angelorum & omnis creaturæ Dominus permaneret. Qui cum Patre & Spiritu ſancto viuit & regnat Deus in Trinitate perfecta per omnia ſecula ſeculorum, Amen.

Et hunc autem ſecundum Librum ita C iſta concludat clauſula finalis.

LIBER TERTIVS.

INCIPIANT igitur huius tertij Libri ſeriem Ioannes & Ioannes, Baptiſta ſcilicet & Euangeliſta, Euangelico texere ſtilo. Oſtendat quapropter Agnum Dei, qui tollit peccatum mundi, Ioannes Baptiſta digito: qui in teſtimonium D venit, vt teſtimonium perhiberet de lumine, vt omnes crederent per illum. Doceat nimirũ Euangeliſta Ioannes vbi, aut quando, vel quomodo; quatenus non humanæ adinuentionis ſtudio, ſed ſinceriſſimo diuinæ inſpirationis exigente maieſterio orthodoxæ prorſus fidei regularis inluſtriùs informetur cenſura. Ioannes quidem teſtimonium perhibuit, dicens: *Ego baptizo in aqua. Medius autem veſtrùm ſtetit, quem vos neſcitis. Ipſe eſt, qui poſt me venturus eſt, qui ante me factus eſt: cuius ego non ſum dignus vt ſol-* E *uam eius corrigiam calciamenti. Hæc,* ait Euangeliſta, *in Bethania facta ſunt trans Iordanem, vbi erat Ioannes baptizans.* Altera die vidit Ioannes Ieſum venientem ad ſe, & dicit: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Et iterum teſtimonium perhibuit Ioannes, dicens: *Quia vidi Spiritum deſcendentem quaſi columbam de cælo, & manſit ſuper eum. Et ego neſciebam eum, ſed qui miſit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: Super quem videris Spi-*

ritum deſcendentem, & manentem ſuper eum, hic eſt qui baptizat in Spiritu ſancto. Et ego vidi, & teſtimonium perhibui, quia hic eſt filius Dei. Altera die iterum ſtabat Ioannes, & ex diſcipulis eius duo; & reſpiciens Ieſum ambulantem dicit, *Ecce agnus Dei.* Et rurſus, *Illum oportet*, ait, *creſcere, me autem minui. Qui de ſurſum venit ſupra omnes eſt. Qui eſt de terra**, *loquitur. Qui de cælo venit, ſupra omnes eſt: & quòd vidit & audiuit, hoc teſtatur.*

Ecce & vbi, & quando, & quomodo Ioannes igitur & Agnum Dei articulatim oſtendit, qui ex eo Agnus, quoniam filius hominis eſt; & eundem Agnum filiumq; hominis verum Dei confeſſus eſt filium. Plus nimirum quàm Propheta confitetur ſe ab eo, hoc eſt à ſanctæ Trinitatis myſterio eſſe edoctum, qui miſit illum in aqua baptizare, ipſum eſſe filium Dei verũ, qui baptizat in Spiritu ſancto, ſuper quem Spiritus ſanctus deſcendit & permanſit; id eſt Chriſtum Ieſum, quem Agnum Dei & ante baptiſma, & poſt baptiſma demonſtrando prædicauit; Hæretici quoque de proprij mendacij falſitate conſopiti, nuncupatiuum Deum & filium delerant adoptatiuum. Spiritus namque ſanctus ſingulariter Agnum illum, Chriſtum videlicet, & in ſpecie diſcreuit columbæ. Paterna autem vox non quemlibet adoptiuum filiũ, ſed dilectum, in quo ſibi complacuiſſe teſtatur, dicens: *Hic eſt filius meus dilectus, in quo bene complacui.* Et in monte ſancto additum eſt, *ipſum audite.* Vt & inter Iordanicas vndas Ioãni, & in cacumine montis Moyſi doceatur Dominus, & Heliæ. Cernebat proculdubio paternæ viſionis oculus in adoptiuis filiis, licèt electis, puris tamen hominib., in quo ſibi diſpliceret. Iuxta quod humana, poſtquam in ipſa radice eſt vitiata natura, non poteſt à peccati ſorde eſſe aliena. In ſolo autem vnigenito, quia Deus erat & homo, ſibi cõplacuiſſe propria profeſſus eſt voce. Neq; enim teſtimonio beneplacitæ cauſæ diuinitate indigebat maieſtas, ſed humanæ reddendũ erat naturæ. Quæ poſtquam in paradiſo ſerpentis aſtutia, mulieris conſenſu, mariti vitiata corruptáq; extitit præuaricatione; in nullo vmquam deinceps adoptiuorum ſic venit filiorum, vt non haberet aliquid de maſſa tractum perditionis, vnde ſibi ſuus conditor diſpliceret. In ſolo autem, vt præmiſſũ eſt, vnigenito Dei filio, qui non adoptiuus, ſed verus eſt filius, ſic eſt adſumpta humana ſubſtãtia, quatinus & veritatem ſui haberet generis, & cauſam omnino neſciret peccati.

Eleganter ergo omnipotens pater ... eſt, inquit, *filius meus dilectus*, qui ſic ſi[ngu]lariter factus eſt homo permanens D[eus], vt in ſolo mihi ſingulariter complac[uiſſe] vocis meæ teſtimonio cognoſcere vo[luerim]. Dilectionis autem & benepl[aciti] ſermo omnem inſinuat plenitudinem [ve]ritatis, Chriſtum autem Ieſum Dei fil[ium], in quo ſibi Pater complacuit, in quo [om]nis dulcedo paternæ caritatis, in quo [om]nis plenitudo habitat diuinitatis; hæ[reti]cus iſte cum ſequacibus ſuis aſtruit [eum] diem neſcire iudicij, quia hom[o fa]gnatus eſt. Adfirmat non eſſe eſſenti[aliter] bonum, derogat non eum veniſſe ſua[m fa]cere voluntatẽ. Autumat non eſſe ſ[uum] regnum præſtare cælorum. & his ſin[gulis] Coaceruatis in vnum de ſacroſanctis E[u]angeliorum paginis, benè quidẽ per [Spi]ritum ſanctũ prolatis teſtimoniis, ſed male ab eo per nequam ſpiritũ deprauatis. Paruipendens magnoperè conſiderare, quia cum ſit Redemptor noſter caput omnium electorum, omnéſque membra eius electi, plerumque ſic pro membris conſubſtantialibus ſibi quaſi de ſe humana voce loqui caput videatur. Vt eſt illud, *Vidiſtis me eſurientem & ſitientem*, & cetera. Reſpondentibus autem ſibi cum admiratione, quãdo eum vidiſſent eſurientem vel ſitientem, protinus quid dixerit explanauit, cùm adiecerit: *Quandiu*, ait, *vni ex minimis iſtis feciſtis, mihi feciſtis.* Secretè dixit, eſuriſſe & ſitiſſe. Et quia Veritas eſt, mentiri non potuit. Et tamen non propriè de ſua perſona, quæ Chriſtus eſt; ſed de membris ſuis innotuit, ſic quaſi de ſemetipſo dixiſſet. Et quid mirum, ſi caput pro membris ſuis quaſi de ſe loquitur, cùm membra eius de eo ſic nonnumquam quaſi de ſe loqui videantur? quemadmodum Prophetarum oracula proteſtantur. *Foderunt*, ait Pſalmographus quoddam membrum eius, *manus meas & pedes meos.* Et rurſus, *Diuiſerunt ſibi veſtimenta mea.* Et illud, *Dederunt in eſcam meam fel, & in ſiti mea potauerunt me aceto.* Non quidem præmiſit Propheta, Hæc dicit Dominus, Foderunt manus meas & pedes meos. Sed quaſi de ſemetipſo exorſus eſt, dicens; *Foderunt manus meas & pedes meos.* Attamen, non ipſius manus nec pedes ſunt foſſi, quatenus & ſecundum fidem hiſtoriæ de ſeipſo, & figuraliter ſentiendum eſt dictum. Ideò Redemptor noſter pro nobis, non pro ſe, alterius generis naturam ſuſcepit, id eſt humanam, per quam poſſit humana vox humano loqui affectu; in qua poſſit etiam eſurire

ſiure, fatigari, pati, crucifigi, mori, ac ſepeliri. Quia omnia hæc à ſua, hoc eſt à diuina natura modis omnibus extant aliena. Hinc eſt, quòd in cruce ſuſpenſus, ſic pro membris ſuis quaſi pro ſe Patrem legitur interpellaſſe: *Deus,* inquit, *meus, Deus meus, vt quid dereliquiſti me?* Cum ſe ſciret à Patre nunquam eſſe derelictum, cui vnum cum patre conſilium fuit, vt pro mundi crucifigeretur ſalute.

Hinc etiam ante paſſionem, in ipſo, vt ita dicam, articulo traditionis tertiò non pro ſe, ſed pro membris ſuis, pro quibus pati venerat, oraſſe, triſtaſſe vſque ad mortem, mœſtum eſſe, Patris non ſuam voluntatem fieri Euangeliſta innotuit imprecaſſe. Licèt hæreticus iſte detrahat ei, quia homo erat, timoris cauſa calicem paſſionis à ſe oraſſe transferre: & ſecundũ quòd homo erat & nuncupatiuus Deus, non fuiſſe voluntatis eius pati vel mori, ſed patris tantummodo. Quinetiã improbo ſermone eandem cauſam elinguauit timoris, cùm ſic ait: Iuxta humanitatis verò ſubſtantiam non venit voluntatem ſuam facere, ſed eius, qui miſit illum. Qui & in paſſione ſua patrem efflagitans ait: *Pater ſi fieri poteſt, tranſeat à me calix iſte.* Efflagitare poſuit, quaſi noui aliquid videretur dixiſſe: cùm efflagitare non pertineat ad ſimplicis orationis effectum, ſed potiùs aut curioſè ab alio extorquere quod petitur, aut quod neſcitur flauo interrogationis ſtudio inueſtigare. Si verò, iuxta hæreticam prauitatem, voluntariam non pertulit paſſionem, vbi eſt quod longè ante per Prophetam Patri vouerat, dicens: *Voluntariè ſacrificabo tibi?* Et illud, *Vt facerem voluntatem tuam Deus meus volui.* Numquid quod ante pollicitus fuerat, proximus iam paſſioni timoris euacuaſſe putandus eſt metu? Abſit. Veritas ab omni extat mendacij genere aliena. Eſaiæ namque audiamus vaticinium profitentis, *Oblatus eſt,* ait, *quia ipſe voluit.* Paulus clamat, ſeipſum tradidiſſe pro nobis. *Ambulate,* inquit, *in dilectione, ſicut & Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis.* Et rurſus, *Qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me.*

Quo ergo pacto calicem paſſionis à ſe tranſire, ne biberetur, oraret; quaſi patris & non ſuæ eſſet voluntatis bibendus, qui ſemetipſum vt biberet tradere non recuſauit? Obſiſtenti namque Petro carnali deuicto ne biberetur amore, ait: *Calicem quem dedit mihi Pater non vis vt bibam illum?* Quomodo implebuntur Scripturæ Prophetarum, quia ſic oportet fieri? Numquidnam A quod opportunum licet non ſibi, ſed nobis fore ſciebat, ipſe ideò factus homo vt exhiberet, nolens fortè creditur exhibuiſſe? Quis hoc inſanus, támque furibundæ veſaniæ deditus vel cogitare præſumat? Porrò diſcipulis ſuis ante dies non paucos prædixerat, quia oporteret filium hominis tradi in manus hominum peccatorum ad inludendum, & conſpuendum, & flagellandum, & crucifigendum, & quia tertia die reſurgeret. Cuique auditui Petrus non cedens, nimiæ dulcedinis ſatiatus amore, B tali protinus obſiſtit reſponſo. *Abſit,* ait, *à te Domine, propitius ſis tibi: non erit tibi hoc.* Statimque ob id per increpationem audit à Domino: *Redi poſt me ſatanas, quia ſcandalum es mihi: non enim ſapis ea quæ Dei ſunt, ſed quæ hominum.* Quo igitur pacto non voluntariè pertulit, quod dudum tam impenſiſſimè opportunius eſſe diſcipulis commendarat? Vel qua ratione hoc ipſum nolle conuenientius exercuiſſe accipi poteſt, quod nolente diſcipulo tantæ animaduerſionis obiurgatione redarguiſſe cognoſcitur; C vt eum etiam ob hoc ſatanæ vocabuli plecti ſententia demonſtraret? Ipſe namq; de ſe refert, *Propterea me Pater diligit, quia ego animam meam pono pro ouibus meis. Poteſtatem habeo ponendi eam, & poteſtatem habeo iterum ſumendi eam. Et nemo tollit eam à meipſo.* Vtique qui poteſtate animam ſuam ponit & reſumit, non eſt timoris vel nolentis, ſed volentis, ac poteſtatis eſt clementiſſimus diſpenſator. Naturã nempè, ſicut ſæpiùs intimatum eſt, humanam ideò ſuſcipere Dei non abhorruit filius, vt ex huma- D no tangi benignus non dedignaretur affectu. Quòd autem triſtatur, mœret, pauet, & tædet; & humanæ apertiùs demonſtratur veritas carnis, & noſtræ per id præſtatur infirmitatis quãtocius fortitudo. Non enim infirmari coactè potuit inuiolabilis virtus, niſi inquantum præſtabilius voluntaria poteſtate illi pro nobis placuit infirmari. Non eſt profectò ab eius alienus voluntate. Conſempiternus propriuſque eſt filius. Cuique vnum communéq; cum Patre ſemper fuit conſiliũ, vt pro mundi cru- E cifigeretur ſalute. Sed in verbis, & in exẽplo, ac doctrina ſuis dignatus eſt conſubſtantialis fieri. Nam & orationis regulam tempore paſſionis ideò taliter informare voluit, vt membra ſua, hoc eſt electi ſui, quorum ipſe principale eſt caput, inter anguſtias poſiti, & in oratione ſtrenui, & in Dei voluntate per ſubiectionem concordes, & fortes robore in agone certaminis permanerent. Certi per omnia,

nequaquam ſe à diuino derelictos inter ad- A
uerſa & proſpera eſſe ſolatio, licèt quaſi
diſtitui nonnumquam videantur, cum vſ-
que ad mortem etiam carnis perſequen-
tium exerceatur poteſtas: & ex eo ſeſe qua-
ſi ſuccubuiſſe arbitrantur. Sed nequaquam
diuina eis ſubtrahuntur ſolatia, cum glo-
rioſa eis purpureis corona tribuitur de tri-
umphis. Hinc eſt quòd iſdem Redemptor
noſter, qui nullomodo alieno indigebat
auxilio, in ipſo, vt ita loquar, traditio-
nis momento factus in agonia dum proli- B
xius oraret, Angelos ſe pro noſtra conſo-
latione permiſit confortare, nulla prorſus
propriæ exigente cauſa neceſſitatis: ſed vt
hoc exemplo omnia membra eius, ſanctí-
que ſui informati Martyres, in tribulatione
quacumque conſtituti, interque carnifi-
cum manus derelicti, omni prorſus huma-
no diſtituti ſolatio, quaſi in agonia facti te-
naciùs deuotiuſque in Dei ſolius ſuſpenſi
ſperantes auxilio perdurarent. Vnde & C
pro ſudoris rore de corpore vnici eiuſdē-
que noſtri conſolatoris guttas ſanguinis,
quod certum eſt humanæ omnino non eſ-
ſe naturæ, ſudare, non fruſtratoriè ab E-
uangeliſta refertur in terram vſque diſtil-
laſſe: quatenus per terram, in quam de-
fluxerat, terrena beatorum Martyrum de-
promeret membra, & purpureæ guttulæ
punicum diſtillantis rorem roſeo Chriſti
ſanguine eadem ſanctorum Martyrum
purpurata depingeret membra.

Aſtruit etiam eum ex eo Euangelij lo- D
co, non ſuæ voluntatis eſſe, vbi ipſe de ſe
loquitur, dicens: *Omne quod dat mihi Pater
ad me veniet, & eum qui venit ad me non eicio
foras: quia deſcendi de cælo, non vt faciam volun-
tatem meam, ſed eius qui miſit me Patris.* Si iuxta
hæretici huius vecordiæ impudētiſſimam
opinionem non fuit tuæ voluntatis, Do-
mine Ieſu Chriſte, etiam ſecundum quod
homo fieri dignatus es, omne quod tibi
dedit pater, ſaluare, nec eicere foras, ſed
tantummodò patris: vbi eſt illud quod a-
libi tu ipſe dignatus es præmonere, qui E
mentiri non potes, *Venit enim filius hominis
quærere, & ſaluum facere quod perierat*? Vbi &
illud, quod quidam Propheta tuus, te vti-
que largiente, diuini cantici mellifluo mo-
dolamine alacri de te corde laudum præ-
conia Patri intonans ait; *Deſiderium animæ
eius tribuiſti ei, in voluntate labiorum eius non
fraudaſti eum*? Ecce non quemlibet ſimpli-
cis voluntatis effectum, ſed deſiderij; quia
immò plenæ iocunditatis ſuauitate vt ſal-
uum faceres, & non eiceres foras omne
quod paternæ dediſſe tibi caritatis intima-

tur dulcedo, Prophetalis vaticinij ſe[illegible]
declarat. Et quia de Verbo caro fact[illegible]
per quod conſummatæ paſſionis [illegible]
tum triumphalis gloriæ decore coro[illegible]
voluiſti, ſit hoc prædictum, ſequens [illegible]
phethicæ narrationis ordo demōſtrat,
protinus ſubinfertur: *Quoniam præu[illegible]
eum in benedictione dulcedinis, poſuiſti in [illegible]
eius coronam de lapide precioſo.* Porro in [illegible]
tæ benignitatis clementia voluntatis [illegible]
excreuiſſe pietas perdocetur, quat[illegible]
fleuiſſe te Euangeliſta tuus ob introi[illegible]
Hieruſalem ciuitatis quam elegiſti, [illegible]
no deſcribat tactus cordis affectu. Vn[illegible]
miſerantis inducit conſultum. more g[illegible]
næ aſſerit, te voluiſſe filios eius illa r[illegible]
ente congregare ſub alas clementiæ [illegible]
Si voluntatis tuæ improperium paſſi[illegible]
non fuit quantocius ſuſcipere, cur ob[illegible]
temetipſum perſequentibus in nocte p[illegible]
buiſti traditionis, itaut reſpondentibus
tibi quia Ieſum Nazarenum quærerent,
diceres, *Ego ſum. Si ergo*, inquis, *me quæri-
tis, ſinite hos abire.* Sed quoniam tuæ pieta-
tis vox in Euangelio tuo auditur dicentis,
*Deſcendi de cælo non vt faciam voluntatem me-
am, ſed eius qui miſit me Patris*; doce me quæ-
ſo te Domine Deus miſericors, & ſingula-
riter bone Magiſter, ſinceræ imbutor fi-
dei, quomodo intellegi te largiente detur;
& tuam te deſcendiſſe de cælo, & non
tuam facere voluntatem. Tu ſcis, quia
valde pertimeſco aliter de te, quàm vt di-
gnum eſt, & tibi placet, ſentire. Tu mihi
ergo dona gratuito munere quod nullius
exigit meriti venerandæ vitæ facultas; quò
poſſim & rectè ſentire, & concepto ſermo-
ne fideli conuenientius valeam ore pro-
ferre. Tu verò dixiſti, *Aperi oſtium, & ego
adimplebo illud.*

Non poſſum ergo cum his etiam con-
uenire, qui dicunt te, iuxta quod homo
etiam fieri dignatus es alienum à paternæ
quocumque modo vnitate exiſtere volun-
tatis. Numquam te, Domine, credo ſic
fuiſſe verum hominem, vt non eſſes ſem-
per & verus Deus. Cùm vna ergo perſona
ſis Deus & homo, non inuenio quo pacto
non ſis vnius cum patre & voluntatis, ſal-
ua ſcilicet proprietate vtrarumque natura-
lium voluntatum. Sed quia non tibi, nec
pro te; ſed nobis, & pro nobis deſcendiſti
de cælo, & es de Virgine natus per carnis
diſpenſationem, & omne quod feciſti &
docuiſti, quicquid loqui dignatus humana
es voce, non tibi nec pro te, ſed nobis &
pro nobis feciſti, & docuiſti, & locutus
fuiſti, & quia tu es Dei omnipotentis pa-

tis ſapientia. In eo animam quod dixiſti non tuam facere, ſed patris voluntatem, vtrumque inſinuare nobis dignatus es, & doctrinæ fuit iniectum prærogatiuum, & documentum conſtat exempli. Cùm autem dicis, *Deſcendi de cælo non vt facerem voluntatem meam, ſed eius qui miſit me patris*, apertiùs perſonarum declaraſti diſcretionem, quia & pater pater eſt, & tu filius verè filius es. Et voluntas non eſt tua ſolius, nec alia, ſed communis & vna cum Patre. Tu enim ipſe docuiſti non à temetipſo [illegible] veniſſe, ſed à patre & ex patre. Quia non duo, vel tria; ſed vnum principium eſt Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus. Sicut enim ex te non es, ſed ex patre; ita & voluntas tua non eſt alia, nec aliunde, ſed vna eademque & ex patre. In eo igitur vnum te cum patre eſſe luce clarius demonſtras, cùm te non alterius, ſed vnius eſſe cum patre edoces voluntatis.

Conſtat autem huic ſimile alibi te per eundem Euangeliſtam dixiſſe, *Et ſermonem*, ais, *quem audiſtis, non eſt meus, ſed eius qui miſit me Patris*. Et illud: *Mea doctrina non eſt mea, ſed eius qui miſit me Patris*. Quemadmodum ergo intellegi datur ſermo auditus nõ eſſe tuus, ſed patris, quoniã tu es vnigenitum Verbum Dei patris, & non eſt aliunde, ſed ex patre; & non tuum, ſed patris, quia tu filius vnigenitus es Dei patris: & doctrina tua non eſt tua ſeparatim, ſed patris, quia non eſt alia tua & alia patris, ſed vna eadẽque patris & tua: ita & voluntas tua non alia tua, & alia patris, ſed vna eademque & tua & patris.

De his igitur ita ſe habentibus videamus nunc te docente, qualiter humilitatis & obedientiæ exempli ſpeculum quò intendatur protuleris, non tuam, ſed patris facere voluntatem. Reddis namque cauſam cur ita dixeris. Ais enim, *Omne quod dat mihi pater ad me veniet, & eum qui venit ad me non eiicio foras*. Et quamobrem non eiicias quaſi interrogatus exponis, *quia deſcendi*, addidiſti, *de cælo, non vt faciam voluntatem meam, ſed eius qui miſit me patris*. Ideò deſcendiſti, hoc eſt, excellentiam diuinæ altitudinis exinanitus formam ſerui ſuſcipiendo inclinaſti, vt membra tua, electos ſcilicet tuos, & exemplo & monitis non ſuam, ſed Dei facere voluntatem informares. Sciebas vtique Luciferum, qui manè oriebatur per ſuperbiam, ſuamque voluntatem ſequendo, de cæli foras eiectum palatio. Sciebas nimirum protoplaſtos, ſerpente ſuadente vt ſuam facerent voluntatem, & per ſuperbiam ſuique trãſ-

A gredieñdo Conditoris præceptum de paradiſi gaudiis foras fuiſſe eiectos. Idcirco deſcendiſti de cælo, non vt doceres homines per ſuperbiam ſuam facere voluntatem, per quam foras eiecti ſunt de paradiſo: ſed per humilitatem Dei ſemper facere voluntatem, per quam intus, in æternâ ſcilicet beatitudinẽ valeant ſine fine manere. Non feciſſe te tuã voluntatẽ, docuiſſe te eſt, neminem ſuam, ſed Dei facere voluntatẽ. Eicere foras fuit diabolũ ſuam, non Dei, protoplaſtos ſuadere facere vo-

B luntatẽ. Non eicere fuit tui, Domine Ieſu Chriſte, patris, non ſuam, electos tuos præcipere facere voluntatem. Huius nimirum doctrinæ regulam per alium etiam Euangeliſtam tuum te docuiſſe didici. Nã vt non à diabolo inuentore omnium malorum ſuperbiæ iactantiã precioſo redempti tuo adpeterent ſanguine; ſed à te retributore omnium bonorum diſcerent humilitatis manſuetudinem in ſinu mentis mitiſſima retinere deuotione, ſic præmonuiſti, dicens: *Diſcite à me quia mitis ſum, &*

C *humilis corde; & inuenietis requiem animabus veſtris*. Illam vtique requiem, quam in paradiſo callidi ſerpentis primus homo deceptus aſtutiâ, per ſuperbiam, ſuamque amiſerat ſequendo voluntatem.

Audiamus nunc ſequentia ex horum conexione verborũ, dulciſono tuo ore dicente; *Hæc eſt*, inquis, *voluntas patris mei, qui miſit me, vt omne quod dedit mihi, non perdam ex eo, ſed reſuſcitem illum in nouiſſimo die*. Sequere Domine magiſter eſſentialiter bone, quæ ſit voluntas patris de eo, qui

D vidit filium, & credit in eum. *Vt omnis*, inquis, *qui vidit filium, & credit in eum, habeat vitam æternam: & reſſuſcitabo ego eum in nouiſſimo die*. Quis ergo tam inſani capitis amens exiſtens, quatenus non credat, iuxta id etiam quod homo es, quia rationalis animæ & mentis benignæ mitis es, & humilis corde; tuæ proculdubio fuiſſe voluntatis, omne quod tibi dedit pater, quinimò quod ad te traxerit, ſaluare & reſſuſcitare illum in nouiſſimo die? Diſſipa, obſecro, Iesv Chriſte, Domine Deus, po-

E tentiſſima tua dextera Babyloniæ parietem ciuitatis ſuper refluentium poſitum glumas arenarum, in qua lamia nudata mamma virulento ablactat catulos lacte: & fac benignè in bona voluntate tua Siõ, vt ædificetur Hieruſalem murus firmatus poſitus ſupra petram, in qua milia Angelorum mellifluis ducent concentibus choros pſallentes. Euelle ſpinas & tribulos, quos quaſque maledicta protulit terra, &

planta nouellas oleas pampineáque vineta candifluis liliis, purpureiſque circumſepta roſetis, in terra, cui benedixiſti cùm auerteres captiuitatem Iacob. Iſtius nimirum lamiæ catulus extat lacte nutritus peſtifero, qui ſacrilego ore te aſſerit ob pietatis ſacramentum non eſſentialiter bonum, eo quòd cuidam ſubdolè interroganti legis perito, bonumque te magiſtrum, quaſi purum hominem confitenti; cùm rectæ fidei ratio exigerit Deum te verum & hominem profiteri, reſpondiſſe te neminem bonum legerat, niſi ſolum Deum: intantum te à Dei ſolius ſocietate, quia homo fieri dignatus es, auellere conatur, quatenus per id quod homo es, non eſſentialiter, ſed nuncupatiuè ſis bonus, tanquam quilibet homo purus, qui non eſt vna perſona cum Deo, ſicut tu crederis, ſolus, & non naturaliter bonus; quia de vitiata eſt omnis homo natus ſubſtantiæ maſſa, ſed ex dono gratiæ vt bonus ſit, te promeretur largiente. Tu autem, qui de Spiritu ſancto natus es verus homo, numquam fuiſti purus homo tantummodo, ſed in ipſo ſpiritali conceptu Deus crederis vnus ſemper & homo.

Cõfiteatur ergo neceſſe eſt hæreticus iſte labiis toxicatis Spiritũ ſanctũ non eſſentialiter bonum, ſi te, qui de Spiritu ſancto & Virgine veraciter natus es homo, non adquieſcit ſingulariter eſſe ac eſſẽtialiter bonum. Nõ enim te negaſti bonũ, cùm diceres, *Nemo bonus niſi ſolus Deus*; quia tu, qui Chriſtus es, cum Patre & Spiritu ſancto, ſalua proprietate trium perſonarũ, ſolus & vnus es Deus bonus. Nõ dixiſti, Non ſum ego bonus, quoniam aliàs profeſſus es, *Ego ſum paſtor bonus.* & illud, *An oculus tuus nequam eſt, quia ego bonus ſum?* Sed nec Magiſtri nominis appellationem ſpreuiſti, qui diſcipulis tuis in cœnæ conuiuio laudabiliter huius vocabuli cauſam expreſſiſti, dicens: *Vos vocatis me, Magiſter, & Domine, & bene dicitis; ſum etenim.* Non ergo ſecundum ſonum vocis hypocritæ ſcribæ, ſed ſecundum quod propriè ſolius eſt Dei, cordis cogitationumque audiens reſpondiſti clamori. Perfidiæ nempe redarguens in cordis tabula ſcriptam damnaſti calliditatem, non ſimplicis Magiſtri vocabuli refugiſti fauorem. Et quoniam non Deum & hominem, ſed purum te ſub Magiſtri nomine hominem appellauit, qui debuerat Deum & hominem veraciter te confiteri: talem ergo dixiſti non eſſentialiter bonum, qualem ille Magiſtrum, hoc eſt purum confeſſus eſt hominem bonum.

A Quid me, ais, dicis bonum? nemo b[illegible] niſi ſolus Deus. Ac ſi diceres: Qui[illegible] dicis hominem bonum, cùm ego ſim[illegible] us homo? Talem dico neminem eſſe [illegible] liter bonum, qualem me tu, homi[illegible] ſcilicet ſuſpicaris tantummodo bon[illegible] Vnde & eum, ſi vellet vitam habere [illegible] legis recurrere docuiſti præcepta; qu[illegible] nus ea legendo diſceret, quemadmo[illegible] te verum Deum in myſterio Trini[illegible] primæ legis latio demonſtraret: & [illegible] non ficto corde, ſicut ab hoc hypoc[illegible] B qui ſe putabat legiſperitum, eſſ[illegible] dus; ſed ſicut ibi legitur, ex toto co[illegible] & ex tota anima, & ex tota virtute.

Eodem namque modo propter my[illegible] rium incarnationis, autumat te filium [illegible] diem iudicij ignorare, cùm dies planè [illegible] priè iudicij filio hominis adſcribatur. [illegible] *fulgor*, inquit, *exit ab Oriente, & par[illegible] in Occidentem, ita erit & aduentus filij hominis.* Et illud: *Tunc videbunt filium hominis venientẽ in nubibus cæli cum virtute multa & maieſtate.* Et rurſus: *Cùm ſederit filius hominis in ſede ma-* C *ieſtatis ſuæ.* Sed quoniam in antiquariis Euangeliorum autenticis, quæ penes nos, & in ſcrinio ſanctæ noſtræ retinentur Eccleſiæ, filij vocabulum in eodem Euangelij loco inſertum minimè valuit reperiri, & viri inluſtriſſimi, beatus ſcilicet Hieronymus atque Ambroſius, ſatis in ſacro peritiſſimi eloquio, adfirmant ambo conſona voce, lectis ſane ab eis priſcis Græcorum codicibus, in eadem Euangelij folia filij nomen non fuiſſe inſpectum. Vnde & ex eo credibile poteſt videri, longè à vero, & ex ſuperfluo additum. Quoniam ſi D ab Euangeliſta celebri fuiſſet calamo promulgatum, nequaquam poſt Angelos filij poſitum nomen ſpecularetur, quemadmodum in quibuſdam recentioribus inſpicitur voluminibus exaratum: *De die autem illo & hora nemo ſcit, neque Angeli cælorum, neque filius.* Ordo præpoſterus, filium poſt Angelos, Dominũ poſt ſeruos, Creatorem poſt creaturam. Idcirco non ab re exiſtimo ab his diſputationis ſuſpendere filum, de quibus dubiæ veritatis mobilitas modis omnibus exigit titubare ſcriptore. E

De petitione autem femineæ pietatis, matris ſcilicet filiorum Zebedæi, obſecrãtis, quatenus duo filij eius, vnus ad dexteram, & vnus in regno Chriſti ad ſiniſtram eius ſedere promererentur: & quia non eſſet ſuum huius dare ſeſſionis, audit à Domino tam altiſſimæ dignitatis priuilegium: & de ſubiectione filij, cùm tradiderit regnum Deo & patri, quia olim à pri-

ſcis doctoribus, & in diuinis rebus valde A ſtrenuiſſimis viris, Helario videlicet Pectauienſis, famoſæ recordationis viro, in decimo ni fallor operis ſui pro cauſa digeſto fidei libro, & beatæ memoriæ Ambroſio Mediolanenſis ſedis Antiſtite, in quinto ad Gratianum Auguſtum volumine, ad Arrianæ prorſus perfidiæ refellendam inſaniam, ſtilo perſpicuo exarato, latiſſimæ diſputationis inſulcata verborum ſerie legiſſe me recolo, viros egregios in explicando non incommodæ rationis glouello operoſe deſudaſſe. B Alter horum de petitione matris, alter verò de filij ſubiectione non breui explicuit ſtylo. Ideóque nõn inconuenienter vtilius, vt arbitror, iudicaui ab his etiam, etſi non penitus, compendioſius tamen diffinitionis calamo tẽperare. Et quoniam non prætereundo omnimoda diſſimulationis incuria qualitas extorquet neceſſitatis, præſertim cùm vir iſte ſemiplena cerebri portione compoſitus, more ſuo volantes ſacri eloquij theoricas incautè ad terras detrahendo diſputationis infamare nititur manu: C Idcirco ſumpta eiuſdem Scripturæ loci ſerie narrationum, ſuccinctè ſummatimque, vt inſtantis concedit temporis ordo, intacta tranſcurrendo tangamus.

Ex eo igitur, quod poſtulante matre filiorum dextrum læuumque ſeſſionis inſigne, Dominum non matri, ſed filiis reſpondiſſe, nullius obſtat contradictionis obiectio; patenter innuitur, filiorũ inſtinctu materno genitrix * deuicta affectu pro filiis ad Dominum acceſſiſſe, cùm dicitur: *Neſcitis*, ait, *quid petatis.* D Et protinus ſubinfert, *Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum?* Cui cùm reſponderent, *Poſſumus*; ſtatimque Dominus, *Calicem quidem meum bibetis, ſedere autem ad dexteram vel ad ſiniſtram meam, non eſt meum dare vobis, ſed quibus paratum eſt à Patre meo.* Et notandum, quia cum Dominus dixiſſet: *Sedere autem ad dexteram vel ad ſiniſtrã, non eſt meum dare vobis.* Cur ita dixerit cauſam impoſſibilitatis Dominicæ obiectionis, ratio manifeſtat præmiſſæ locutionis, hoc eſt, neſciſſe eos quid peterent. E Nihil igitur Deo difficile, ſed qualitas petitionis difficultatem generat poſtulanti, vtrum rectè an non rectè petatur. Si rectè, omnia quidquid petieritis in nomine meo hoc faciam. Si autem non rectè, non eſt meum dare vobis. Et animaduertendo quoniam non Dominus generalis ſententiæ protulit cauſam, non eſt meum dare omnimodo cuilibet; ſed ſignanter retulit, vobis. Ac ſi patenter diceret, Vobis vtique, qui neſcitis, quid petieritis. In hac quippe duorum fratrum petitione omnium ferè non rectè petentium ſumma conſiſtit. Sed & cùm diceret, *Non eſt meum dare vobis*, non concluſit iſto fine ſententiam locutionis ſuæ: cùm ilicò ſubiungit, *Sed quibus paratum eſt*, ait, *à patre meo.* Nec intulit, quibus Pater dat; ſed, illis eſt meum dare, quibus paratum eſt à patre meo. Non eſt meum dare his, qui rectè non petunt, ſed dare meum illis eſt, quibus pater meus reuelat: ſicut Petro, vt confiteretur Chriſtum filium Dei viui, & fuit meum dare illi claues regni cælorum. Velut Iſaiæ reuelauit auriculam, vt audiret quid loqueretur in eo Dominus Deus, quatenus vaticinio prophetali prædiceret, Virginem in vtero non extrinſecus concipere & parere filium, cui nomen Emmanuel. Quibus pater ergo præparat mentes, vt rectè petant, illis eſt filio dare regnum cælorum. Ipſe enim dixit: *Nemo venit ad me, niſi Pater qui miſit me, traxerit eum ad me; & nemo venit ad patrem niſi per me.* An rectè petiſſe videri poteſt, quæ vnum in ſiniſtra ſedere filium poſtulat? In ſiniſtra nimirum hœdi, hoc eſt reprobi, ſunt ponendi. Rectè quidem petitum fuiſſet, ſi vtroſque aut ad dexterã ſiſtere, aut ſuper ſedes duodecim ſedere iudicandas XII. * Iſrahel petiuiſſet. Poteſt etiam non inconuenienter & ſic intelligi: Non eſt meum dare vobis, quoniam mater filiorum Zebedei æmola interim Mariæ Magdalenæ; necdum illi ad Patrem Dominus aſcenderat: hoc eſt, non per diuinitatis altitudinem æqualem patri, ſed quaſi hominem tantummodò eum credebat. Cuique iuxta cordis intentionem Dominus reſponſionis temperauerit ſermonem, Quia tu me hominem adhuc, & nondum Deum confiteris, non eſt meum, hoc eſt, humanæ poteſtatis, in qua ſolius humanæ naturæ eſt homo, non eſt dare. Meum autem, qui Deus & homo ſum, his quibus paratum eſt à patre meo; hoc eſt rectè petentibus ſummæ poteſtatis eſt dare.

Ideò igitur vaniloquus iſte Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, non Deum verum, ſed ſubditum aſtruet Deo vero perpetua ſubiectione. Quia Paulus ſcribit ad Corinthios: *Cùm tradiderit*, inquit, *regnum Deo & Patri, & ſubiecta fuerint illi omnia, tunc & ipſe filius ſubiectus erit illi, qui ſubiecit ei omnia, vt ſit Deus omnia in omnibus.* Interrogo ergo, ſi necdum ſubiecta ſunt illi omnia, & ipſe filius tunc erit ſubiectus illi, cùm ei omnia fuerint ſubiecta, ſi ſimplici-

* genitri c ·idam.

* add. vid. tibus.

ter ſecundum auditum iudiciumque aurium, & non excellentius ſacratiuſque huius altitudinis intellegi profũditas præmonetur; quomodo nunc idem filius in vtraque forma, diuina ſcilicet & humana, vnus idemque ad dexteram patris ſedet, ſubiectus creditur? An non ſubiectus ſedere *? Apoſtolus clamat, *Cùm ſubiecta fuerint ei omnia, tunc & ipſe filius ſubiectus erit ei.* Tunc quidem futurum tempus deſignat. Quamobrem doceri velim quomodo detur intellegi, ſi tunc, hoc eſt in futuro ſubiectus, cùm abſorpta fuerit mors in victoria; nunc autem quomodo credi debeat ſubiectus, an non ſubiectus. Si verò ſubiectus, quo pacto Paulus in futuro prædicat, *Tunc cum ei ſubiecta fuerint omnia*, ſubiciendum. Quòd ſi modò non ſubiectus, quia Magiſter gentium tunc aſſerit eum ſubiciendum, cùm tradiderit regnum Deo & Patri, & ei omnia fuerint ſubiecta; quæ ratio exigit modo non ſubiectum tunc ſubiciendum? Numquidnam forma ſerui in vna cum Dei forma perſona ad dexteram patris, in myſterio Trinitatis ceſſante omne nihilominus quaternitatis ſuſpicione, modo non ſedet, vt tunc doceatur reſumere ſerui formam, per quam tunc poſſit ſubici patri? Abſit. Vnus idemque, & in vtrâque natura, ſempiternus nunc & tunc Dei indemutabilis & æqualis permanet filius.

Porrò, quia hæreticus iſte obmutuit, nulluſque ei prorſus reſponſionis relictus eſt locus, ſtringam quantociùs, fortiuſque ſuggillans bumboſæ faucis eius ſyllogiſtica manu gurguſtionem exprimam; quatenus omne, quod conatur in alios perfidiæ venenum, noxiali euomere ore in ſeſe liquatum refuſum, fauciata internorum viſcerum eiùs marceſcãt vitalia. Dic ergo obſecro te, beate Apoſtole Paule, à te volo quid dixeris curioſiùs diſcere. Quid eſt, quod ais, *Cùm ſubiecta fuerint illi omnia, tunc & ipſe filius ſubiectus erit illi, qui ſubiecit ei omnia*? Quur tempus ſubiectionis ſignanter de futuro innoteſcere voluiſti, ſi ſpecialiter hoc ad perſonam filij, id eſt Ieſu Chriſti, referre conueniat? quaſi tunc ſit, & non modo ſubiectus. Non intellego quid dixeris, niſi nubilum obtunſæ intellegentiæ meæ diuini luminis radio perfundatur. An vt religioſius intellegi non obſiſtitur? Nequaquam oblitus de cælo diuinæ vocis gemina inuocantis appellatione audita, *Saule, Saule, quid me perſequeris*? Et ex eo didiceras, non illum poſſe à te in terra poſito perſequi, qui iam in cæleſti regnabat pala-

A tio? Sed pro corpore quin potius ſuo, eſt, propter electos ſuos, ſe conqu eſt à te perſequi: quos vinctos Hieroſ mam Epiſtolarũ te ducere auctoritate tabas. Huius ergo dicti cõſideratione tè firmatus, ſecundum hanc Domi locutionis regulam rectiùs docuiſti, & ipſum filium, hoc eſt corpus eius, ctos videlicet ipſius, quorum ipſe co omnipotens caput, ſubiectum ei qui iecit illi omnia, vt ſit Deus omnia in nibus. Denique præmiſiſti, *necdum vid*
B *ei omnia ſubiecta. Cùm autem ſubi ei omnia, tunc & ipſe filius ſubiectus eri* Et hoc interrogo, quo pacto di non ei eſſe omnia ſubiecta, cùm alibi pro phetico ſpiritus teſtimonio, *Omnia ſu ſti ſub pedibus eius*, expoſueris. In eo au inquis, in quo ſubiecit ei omnia, nih ſubiectum reliquit. Nunc autem dicis, Necdum videmus ei omnia ſubiecta; demonſtrans in futuro eſſe ei omnia ſubicienda. Quid eſt hoc? ſatis mirum, nihil non ſubiectum, & non omnia ſubiecta.

C Adeſto quæſo ſancte Spiritus, reuela auriculam mentis meæ, vt audiam, te docente, quid ſibi vult quod hoc modo per Apoſtolum tuum loqui dignatus es, & nihil non ſubiectum, & non omnia ſubiecta. Dicam iam nunc te largiente quid ſentio. Illud poteſtatis, hoc eſſe obedientiæ conſidero. Nihil ei non ſubiectum per potentiam diuinitatis intellego. Non omnia ſubiecta ei per obedientiam ſeruorum eius aduerto. Quia quamuis electi eius ſint ei ſubiecti, inquantum humanæ poſſibili-
D tatis permittit facultas, non tamen ſic ei ſunt ſubiecti per obedientiam, quamdiu in hoc mortali corpore perſiſtunt, vt ſit eis omnia in omnibus Deus. Corpus enim quod corrumpitur adgrauat animã, & deprimit terrena cogitatio ſenſum multa cogitantem. Cùm autem mortale hoc induerit immortalitatẽ, & corruptibile hoc induerit incorruptionẽ, & abſorbta fuerit mors in victoria, & tradiderit regnum, electos ſcilicet ſuos, in quibus ex dono gratiæ gubernando regnauerat, Deo & Patri;
E hoc eſt, ad notitiam eos paternæ gloriæ perduxerit contemplandam; tunc ei ſubiecta erunt omnia. Quia nihil peruerſum erit in mẽbris eius in quo per corruptionẽ carnalis pugnæ reſiſtendo non ſint ei omnia ſubiecta. Tunc & ipſe filius, hoc eſt corpus eius, electi ſcilicet ipſius, ſubiecti erunt illi, qui ſubiecit ei omnia, vt ſit Deus omnia in omnibus. Nihil iam aliud ſit illis neceſſarium, exuti ab omni carnali-

concupiſcentiæ ærumnoſa miſeria; ſed omnia illis ſolus tantummodo ſit Deus in omnibus. Reddit nimirum Apoſtolis cauſam, quur ipſe filius ſubiciatur ei: *Vt ſit,* inquit, *Deus omnia in omnibus.* Hæc, inquam, cauſa ſubiectionis eſt, vt ſit Deus omnia in omnibus. Omnia quippe Deus in omnibus eſt, per filij, hoc eſt corporis eius, qui ſunt electi illius, ſubiectionem Numquam prorſus per fragilitatem carnis, ſicut in præſenti ſeculo nequam, à concordia ſanctæ Trinitatis diſcordes; numquam à caritatis [illegible] alieni dulcedine exiſtunt. Sed omnia illis erit ſolus Deus in omnibus, ſolus ſcilicet Dei amor, in deſiderio animæ eorum ineffabilis ſemper perſeuerās. hoc eſt eſſe Deum omnia in omnibus.

His ita digeſtis, nunc autem ad Prædicatores ſanctæ, Catholicæ, atque Apoſtolicæ Eccleſiæ, cultoreſque orthodoxæ fidei, rectis incedendo iſtis greſſibus veniamus. Videamus vtique, cuius fidei prædicatores cæleſtibus imbuti extiterent ſacramentis. Duorum, an vnius Chriſti. Nuncupatiui Chriſti Dei, an veri Chriſti Dei. Adoptatiui Chriſti filij Dei, an proprij verique Chriſti filij Dei. Hæreticus quippe iſte aut duos Chriſtos Deos, nuncupatiuum ſcilicet & verum, & ex eo adoptiuum filium; aut duobus modis vnum Chriſtum Deum, ex parte quidem verum, & ex parte non verum, adſerit eos prædicaſſe. Apoſtolus magnopere ſtuduit redarguere Corinthios, qui vnum Chriſtum diuidere conabantur. Sed quid mirum ſi diſcipulos temerario auſu infamare nō veretur; cùm ipſos vtique magiſtros Eccleſiæ, Petrum ſcilicet & Paulum, audacter incriminare conciſa perfidiæ ruga non erubuit fronte? Nam quia primus Paſtor Eccleſiæ, ſicut longè ſuprà præfati ſumus, profeſſus ſit Ieſum a Nazareth ſanaſſe omnes oppreſſos à diabolo, & addiderit, *Quoniam Deus erat cum illo*, hoc eſt, in illo Dicit hæreticus iſte, Non dixit, Deus erat ipſe; ſed, Deus erat cum illo. Si Deus, ait, ipſe fuiſſet, nequaquam tantus Apoſtolus diceret, *Deus erat cum illo*, ſed, Deus erat ipſe. Et quia Paulus ſcribit Corintheis, *Deus enim erat in Chriſto, mundum reconcilians ſibi*: & hic inquit, non dixit. Deus erat Chriſtus; ſed, *Deus erat in Chriſto* Huius dicti qualitas cuius ſit [illegible] rugoſę veſaniç obuoluta ſtupore, prudenti non celatur lectori, quaſi alius ſit Deus in Chriſto, & alius ſit homo Chriſtus; conuincitur ex eo quod protulit intimaſſe, cum ipſe vnus idemque ſit Chriſtus Deus & homo. Licèt ſit aliud & aliud,

A diuinum ſcilicet & humanum, per quod Deus & homo: vnus tamen Ieſus Chriſtus Deus homo. Hæreticus nempe iſte, non ſecundum gratiam Spiritus ſancti, per quam locuti ſunt Apoſtoli, ſenſui Apoſtolico ſuum ſubdidit ſenſum; ſed ſecundum propriam prauitatem ſuo perfido ſenſu ſanctum molitus eſt corrumpere Apoſtolicum ſenſum. Nam cùm ſit fides, ex eo quod eſt, fit: hoc eſt, vt efficiatur quod creditur, ne ſit fides mortua ſine capionis effectu. Iſte quidem verbotenus tantum-
B modò nudum putat fidei profeſſionis ſufficere prærogatiuum. Cum enim loquitur mendacium, de propriis loquitur: non adtendens quantum differētius aliter ſit Deum in electis ſuis per donum gratiæ habitare, à quibus & cum voluerit alta diſpenſatione aliquando recedit: licet non ſit ei quandoque abeſſe, qui vbique per potentiam diuinitatis ſemper adeſt: & aliter in Chriſto Ieſu eſſentialiter habitare, à quo numquam, quia vnus eſt Deus & homo, recedit. In illis quaſi impuris hominibus
C poſt gratiam adoptionis, in illo autem ab ipſo myſterio conceptionis, in vna perſona inſeparabiliter vnito ſibimet habitat homine. In eo videlicet homine, qui nūquam non fuit Deus, numquam cœpit ſic eſſe homo, vt non fuerit ſemper Deus & homo. Semper ex quo cœpit eſſe homo, permanet ſempiternus Deus.

Porrò, cùm dicitur, Deus erat cum ipſo, &, Deus erat in Chriſto; naturarum profectò per id diuerſitas diſtinguitur, non vnius Dei indiuiſibile reſcinditur nomen.
D Quid tibi videtur, ô hæretice? numquid tam grande ſceleſtiſſimi piaculi nefas parui pendere inultum putas? Petrum accuſas clauicularium regni cælorum. Paulo detrahis Magiſtro omnium Eccleſiarum. Euangeliſtæ autem atque Prophetæ, quorum inuiolabilia non es confuſus oracula mutilare, ipſi ſe vlciſcantur de te. Helarium namque beatæ memoriæ Pectauienſis Sedis antiſtitem quur lacerare non parcis? Poſt illud quoque, quod per Arrium pertulit, quur illi nunc alium minaris exilium?
E Nam in ea diſputatione duodecimi Libri, in qua ille modis omnibus contradicit his, qui Chriſtum filium Dei adoptatiuum conantur adſerere, ſumentes de ſacra hiſtoria paternæ vocis teſtimonium, quia de Hebræorum electæ gentis proſapia, quaſi de vno quolibet homine, qui per adoptionis gratiam vocatus eſt in ſortem filiorum, loquitur, dicens: *Filius primogenitus meus Iſrahel.* Ex eo vt illum infamare non

deſinis, adoptatiuum Chriſtum Dei filium docuiſſe. Ais enim idem ipſe in libro XII. de eo quod delectio & voluntas in filio ſit adoptiuo. Hoc tu dicis, non Helarius. Deinde autem ponis Helarij verba, ſed non iuxta eiuſdem ſenſum Doctoris. Vbi enim, ait, natiuitas eſt, ibi filius meus dilectus. Vbi verò electio eſt ex gentibus, & adoptio per voluntatem eſt. Ibi filius primogenitus meus. In quibus verbis videtur tibi Helarium diuiſiſſe vnum Chriſtum more tuo, quatenus ſit ex parte filius patris dilectus; & ex parte primogenitus non dilectus, ſed per adoptionem filius. Cùm ille generationem nati ex Deo patre in dilecti nomine certatim diſtinguere ab ea, quæ dicitur adoptio, ſtuduerit: & in primogeniti hoc in loco appellatione, vocationem illius populi præ cunctis gentibus factam per adoptionis gratiam, in filij vocabulo voluerit demonſtrare.

Prolixius igitur diſceptationis ſuper hoc negotio explicata ſerie, ſic ait: Nam licèt, *primogenitus meus*, hoc eſt populus ille, de eo ſcriptum ſit: longe tamen multumque differt, *Filius meus dilectus*, &, *filius primogenitus meus*. Quoniam, filius meus dilectus naturaliter: filius autem primogenitus meus Iſraheliticus quoque ille populus. Per electionem, & voluntariam adoptionem. Ecce vbi ille adoptionis vocabuli prærogatiuũ, Iſrahelitico videlicet gratis indultum populo, à veri Dei nuncupatione ſatis idoneè diſputans euacuauit. Ibi tu illum falſiſſima adſtrues argumentatione inſinuaſſe. Nam quia remoto nuncupatiuo veri Dei, & adoptatiuo proprij filij, Chriſtum verum Deum, verumque Dei filium in Libris pro cauſa fidei editis profeſſus fuerit; nullus prorſus ignorat, qui eoſdem Libros diligenti lectitare ſtuduerit cura. In ſeptimo namque operis ſui Volumine inter cetera ſic ait: Verbum enim, quod caro factum eſt, nihil aliud quàm Deus eſt. Non eſt hîc deputatę, aut adſumptæ nuncupationis relicta ſuſpicio. Et paulo poſt: Quid hic adoptio, quid indulgentia nominis locum inuenit? Ex lib. VIII. ſic: Non poteſt aliud quid diuerſiùs Chriſtus eſſe quàm Deus eſt. Deus igitur Chriſtus eſt. Et rurſus: Si per naturam Dei Chriſtus tibi Dominus eſt, habes Spiritum ſanctum. Si verò per adoptiuum nomen hic Dominus eſt, Spiritu ſancto carens, ſpiritu erroris animaris. Idem ibi, Chriſtus ex Deo Deus, hoc totum eſt ipſe quod Deus eſt. Et lib. IX. Natus igitur vnigenitus Deus ex Virgine homo. Idem in eodem, Ne-

A que poſt hominem in Deo non totus ... mo, totus Deus. Idem ibi, Quæro i... quid ſenſum moueat, ne verus Deus C... ſtus ſit. Et rurſum: Homo itaque Ch... Ieſus vnigenitus Deus per carnem & ... bum, vt hominis filius, ita & Dei fi... Idem ipſe in Libro X. Apoſtolica fides ... uit in Chriſto natiuitatem, ſed ign... exordium: ſcit diſpenſationem, ſed n... diuiſionem. Non patitur Ieſum Chriſt... vt Ieſus non ipſe ſit Chriſtus, nec fil...
B hominis diſcernit à Dei filio. Nec C... ſtum aliud credere quàm Ieſum, nec ... ſum aliud prædicare quàm Chriſtum ... libro XI. Ignorat Deum Chriſtum, ... ignorat Deum natum. Idem ibi: In ſe e... eum Deus glorificauit, id eſt in ea nat... qua Deus eſt, vt ſit Deus omnia in om... bus. De his igitur iſta ſufficiant.

Beatus namque Ambroſius ſenioris peruerſique Hæreſiarchis debellator Au-
C ſentij, iunioris nunc quippe poſt mortem licet alterius in perſona, ſed non alterius in perfidia præliator, in commentaria profectò Euangelij Lucæ expoſitione illum, id eſt, Chriſtum, proprium Dei filium veraciter confitetur. Cui, hoc eſt, ſibi, ipſe per Pſalmiſtam patrem dixiſſe commemorat, dicens: *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Nec in eo quidem datur tibi facultas refellendi more tuo, quaſi ſecundum diuinam tantummodo ante ſecula generationem hoc dictum fuiſſet, licet poſſet de
D illa non inconuenienter intimatum videri. Verumtamen ex præcedentibus & ſubſequentibus circumſtantiis, de ſecunda, quam temporaliter pro nobis ſuſcipere non abhorruit, natiuitate prædictum hoc rectiùs intelligi non inhibetur. Nam, *Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo ſuper Sion montem ſanctum eius*: Et, *Poſtula a me, & dabo tibi gentes*, & cetera; ad magnum pietatis ſacramentum, quod per diſpenſationem carnis apparuit in mundo, perſpicuè aduertitur proculdubio pertinere. Quis eſt,
E inquit Ambroſius, ille proprius Dei filius, niſi cui dictum eſt, *Filius meus es tu, ego hodie genui te?* Ecce ſanctum Ambroſium veriſſimum heri & hodie, & deinceps Ieſu Chriſti Domini teſtem, noſtræque conſentaneum fidei adſertorem, quem tu peruerſis cauillationibus falſiſſimi putabas tui fautorẽ teſtimonij; illum vnum eundemque audio proprium profiteri filium Dei. Cui ante omnia ſecula à Patre dicitur, *Ex vtero ante Luciferum genui te.* Et in fine ſeculorum Dominus dicit, *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Hodie etenim, tempus infra

tempus

tempus ſignificat. Antè verò, omnia tempora præcedit. Licet ſit ſoli Deo hodie omne tempus deputandum. In Libro autem de Incarnatione Domini ſexto, quia Chriſtus verus ſit filius, ſic ait: Aduerſus, inquit, omnes hæreſes generalis iſta eſt fides, quia Chriſtus eſt Dei filius, & ſempiternus ex patre, & natus ex virgine. Et paulò pòſt: Cùm Deus ſemper eſſet æternus, incarnationis ſacramenta ſuſcepit, non diuiſus, ſed vnus. Quia vtrumque vnus, & vnus in vtroque; hoc eſt, vel diuinitate, vel corpore. Idem ibi ipſius quaſi Domini verbis vſus: Deus igitur ante carnem, Deus in carne, perfectionem naturæ adſumpſit humanæ. Idem in eodem: Numquid cùm in eo imaginem Dei, Crucémq; veneramur, diuidimus eum? Illud autem eiuſdem venerandi Doctoris teſtimonium, quod in tuis inſertum litteris non ignoratur, quod tibi quaſi præſtabilius videbatur tuæ conſulere pertinaci obiectioni, in eo quod Chriſtum adoptiuum Dei filium vſurpare non ceſſas, quia dixerit: Nam ipſo vſu noſtro eſt adoptiuus filius, & verus filius. Tu verò vitiosè more tuo poſuiſti. Nam ipſe ais, Vſu noſtro eſt adoptiuus filius. Ipſe, pro ipſo exaraſti, quaſi de Chriſto vir * iſte dixiſſe, anilibus fruſtratus ineptiis putaſti. Cùm in ea diſputatione, in qua hoc capitulum ſtuduit promulgare, nihil de optionis prærogatiuo linguæ flauello inſpicitur ventilaſſe: ſed contradicentibus ſibi obſiſtens, qui naturæ vocabulum in Dei appellatione ſacris inſertum foliis minimè poſſe reperiri conicctare conabatur. Ac per hoc coaceruatis plurimis diuinarũ rerum documentis, quibus luce clariùs reuicti ſatis abundéque ſufficere non fuit inualidum, voluit etiam communi duntaxat vſu locutionis refellẽtia perfidorum obſtruere nihilominus ora. Ait enim: Ipſo vſu noſtro eſt adoptiuus filius, & verus filius. Adoptiuum filium non dicimus filium eſſe natura, ſed eum dicimus naturâ eſſe filium, qui verus eſt filius. Ergo ait, Et naturam & ſubſtantiã eſſe, diuina probauimus lectione.

Feliciſſimæ nempe recordationis, celeberrimæque vitæ mirabilis, beatus nimirum Hieronymus, variis linguarũ perſpicuè inſignitus loquelis, in ſacris ſcilicet literarum ſuarum apicibus, vbi quandoq; de negotio orthodoxæ fidei diſputationis ſtudium ſuſcepiſſe dinoſcitur, ſemper Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, & verum Deum, & verum Dei docuiſſe filium, ſinceriſſima acutæ mentis eius ingenia proteſtantur. In Libello quippe Commentariorum primo, cuius titulus de Euangelio inſpicitur Euangeliſtæ Mathei, textum ſuccinctæ locutionis ipſius Euangeliſtæ verba ponens retexuit ita: *Liber*, inquit, *generationis Ieſu Chriſti filij Dauid, filij Abrahã.* Et paulò poſt, A carnalibus autem cœpit, vt per hominẽ Deum diſcere incipiamus. Quid eſt dicere, Per hominẽ Deum diſcere, niſi quia non purum tantummodo hominem Chriſtum Ieſum, ſed ſicut verum hominẽ, ita & verum Deum, vnum eundémque intellegamus? Idem ipſe in eodẽ volumine: Si autem Saluator eadẽ prædicat, quæ Ioãnes Baptiſta ante prædixerat, oſtendit ſe eiuſdẽ Dei eſſe filiũ, cuius ille Prophetæ ſit. Idẽ ibi, Scribæ, inquit, quia hominẽ putabant, arguunt eum blaſphemię. Sed Dominus videns cogitationes eorũ, oſtendit ſe Deũ, qui poteſt cordis occulta cognoſcere. Et quia iuxta Pauli vocẽ, omnis plenitudo diuinitatis in eo habitat corporaliter, intellexit vir iſte famoſæ ſubtilitatis diſcretor cũ admirationis inſignib., pro eo quod flagelli verbere eiecta fuiſſet ab eo turba de domo patris eius, igneũ quid atq; ſidereum radiaſſe ex oculis eius, & diuinitatis maieſtas * eius in facie refulſiſſe. Idem ipſe, Et hoc, inquit, conſiderandũ, quòd Centurio ante crucem in ipſo ſcandalo paſſionis verè Dei filium confiteatur; & Arrius in Eccleſia prædicat creaturã. Arrius quidem creaturam, tu, ô infelix; nuncupatiuum & adoptiuum, non verum Deum verumque confiteris filium Dei.

* maieſtatẽ

Denique beatæ memoriæ Auguſtinus Doctor mirabilis, in primo & ſecũdo Prædeſtinationũ libro, quia Chriſtus Ieſus verus Deus, veruſq; ſit Dei filius, quemadmodum in cunctis opuſculis ſuis docuiſſe ſtudioſum non fefellit lectorem, ita finiit, dicens: Nonne faciente ac ſuſcipiẽte Verbo ipſe homo ex quo eſſe cœpit filius Dei, vnicus eſſe cœpit; nonne de Spiritu ſancto & Virgine Maria Dei filius vnicus natus eſt? Idem ipſe in libro ſecundo, Fidelis, inquã, qui in eo veram naturam credit, & confitetur humanam, id eſt noſtram. Quamuis ſingulariter ſuſcipiente Deo Verbo, in vnicum Dei filium ſublimata. Ita ut qui ſuſcepit, & quod ſuſcepit, vna eſſet in Trinitate perſona. In ea itaq;, quæ inſcribitur ad Petrum Epiſtola, in qua ſpecialiter Catholicæ fidei ſinceriſſimã regulæ ſeriẽ delegauit, inter cetera ſic ait: Natus enim de patre Deus Verbũ, natus eſt de matre Verbũ caro factũ. Vnus igitur atq; idem Deus Dei filius, natus ante ſecula, & natus in ſeculo, & vtraque natiuitas vnius eſt filij Dei. Ve-

rūmetiā de eodem matris vtero idē Deus homo exiuit, & in ſepulcro idem Deus homō factus iacuit, & ab inferis idem Deus homo factus die tertio reſurrexit. Adtēde nunc quod dicitur. Si aliqua tibi rationalis creaturæ portio remanſit, nonne tu dicis quod homo ille Chriſtus Ieſus, ſuſceptus à Verbo Dei, non ſit ab ipſa virginalis vteri origine Deus & cōceptus & natus; & ideò non verus, ſed adoptiuus credi filius à te perfidiùs deleratur? Beatus namq; Auguſtinus veridicus adſerit prędicator: Ex quo eſſe cœpit, haud dubio in vtero Virginis filius Dei vnicus eſſe cœpit. Eſſe cœpit quod dicitur, nō ſecūdū quod Deus eſt intellegi datur, ſed per id quod homo fieri tēporaliter voluit. Et ille qui eſſe cœpit homo, qui ſemper erat Deus, vnicus ab Auguſtino, non adoptiuus Dei filius prædicatur. Vnicus namq; vel vnigenitus, proprietatis nō adoptionis cenſeri vocabulum demōſtratur. Idem in eadem præfata Epiſtolâ, Quibus, inquit, verbis explicabitur carnis illius excellētia ſingularis, cuius diuina eſt ex ipſa ſui cōceptione perſona: quia ſic Verbum caro factū eſt, vt vna perſona eſſet cū carne ſua, vnigenitus ac ſempiternus Deus, ipſa ſuæ carnis conceptione conceptus. Et paulò poſt: Deus vnigenitus, qui dum cōciperetur, veritatem carnis concepit ex Virgine. Iſta cauſa eſt, qua Deus factus eſt filius virginis Mariæ, & Maria virgo mater facta eſt vnigeniti Dei. Tu dicis filiū hominis, hoc eſt filium Virginis, nuncupatiuum Deum, & adoptatiuum filium: Auguſtinus verò Deum vnigenitū appellat. Idem ibi, Patrem ait ſolum eſſe qui dixit: *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi cōplacui.* Filium ſolū eſſe, ſuper quē illa vox ſolius patris ſonuit, quando in Iordane ſecundum carnem baptizatus eſt vnigenitus Deus. Ecce Auguſtinus illum, qui in Iordane ſecundū carnē baptizatus eſt, ſuper quē paterna intonuit vox, & Spiritus ſanctus in ſpecie columbæ deſcendit, vnigenitū Deum confitetur. Tu adfirmas Auguſtinū dixiſſe, adoptiuū filiū in Iordane baptizatū, ſuper quem paterna, *Filius*, inſonuit vox. Hinc rurſus in Libello fidei ſuæ, qui inſcribitur contra omnes hæreſes: Pater eſt, inquit, cuius vox hæc eſt audita de cælis, *Hic eſt filius meus, in quo bene complacui, ipſum audite.* Filius eſt, qui ait: *Ego à Deo exiui, & à Deo veni.* Paraclytus eſt ipſe, de quo Filius ait: *Niſi ego abiero, Paraclytus non veniet.* Quis autem ille ſit Auguſtinus, qui ſuper adoptiuum dicat paternā intonaſſe vocē, neſcio; ſed & illum tecum ſcire Auguſtinum dedignor. Hunc autem Auguſtinum recipio, qui per cunctum mundi latitudinē clarus in rebus diuinis habetur. Idem ipſe, Deus enim Verbum non accepit perſonam hominis, perſona diuina accepit temporalem ſubſtantiā carnis. Vnus eſt ergo Chriſtus Verbum caro factus, qui eſt ex patribus ſecundū carnem ſuper omnia Deus benedictus in ſecula. Idem ibi, Firmiſſime tene, & nullatenus dubites, non carnem Chriſti ſine diuinitate conceptam in vtero Virginis, priuſquàm ſuſciperetur ſuæ carnis acceptione concepta. Nihil fortius ſacratiuſque de Vnigeniti Incarnationis myſterio explicari poteſt. Quia Dominus Chriſtus Ieſus ipſe ſit Deus verus, ita in expoſitione Pſalmi tertij iſdem Doctor egregius delegauit: Gloriā, inquiens, ſuam Deum dicit etiam ille, quem ſic ille ſuſcepit Dei Verbum, vt ſimul cum illo Deus fieret. In tractatu videlicet Pſalmi nongeſimi noni habes ita: *Scitote quoniam Dominus ipſe eſt Deus.* Quis neſcit, inquit, quoniam Dominus ipſe eſt Deus? Dominus ille non vobis vileſcat. Crucifixiſtis, flagellaſtis, ſputis inliniſtis, ſpinis coronaſtis, & cetera: cuſtodes ad ſepulcrum depoſuiſtis. Ipſe eſt Deus. Scitote quoniam Dominus ipſe eſt Deus. Sed & alibi Dauitici carminis odola huiuſmodi non abnuitur concrepaſſe. *Ploremus*, cecinit, *coram Domino qui fecit nos, quia ipſe eſt Dominus Deus noſter.* Et illud, *Benedictus qui venturus eſt in nomine Domini, Deus Dominus, & inluxit nobis.* In Libro autē qui Enchiridion Græco nūcupatur ſeu inſcribitur ſtylo, Quia Chriſtus Ieſus vnicus & verus Dei filius, ſemper ex quo homo cœpit eſſe, fuerit, hoc modo inter plurima profeſſus edocuit. Nēpe ex quo eſſe homo cœpit, non aliud cœpit eſſe quā Dei filius, & hoc vnicus, & propter Verbū, quod illo ſuſcepto caro factum eſt, vtiq; Deus. Cùm verò dicit, Et hoc vnicus, & vtique Deus, tuum profecto ſtultiloquiū Catholico os contereret pugno, qui factū Deum hominem nuncupatiuum Deum & adoptatiuū filium nō deſinis ſummare. Et paulo pòſt, Homo autem natus eſt de Spiritu ſancto, & Virgine Maria, vtraque ſubſtantia, diuina ſcilicet & humana; filius eſt vnicus Dei patris omnipotentis. Vnicus in vtraq; ſubſtantia, non adoptiuus, ſecundū Auguſtinum. Et quoniā non iuxta tuam vecordiā alterius eguerit per baptiſmum natiuitatis exordio, humanum ait genus non poſſe à lege peccati abſolui, niſi per vnum mediatorem Dei & hominum, qui ſolus potuit ita naſci, vt ei non opus eſſet renaſci. Tu adſeres duas ſuſtinuiſſe temporaliter

generationes, vnam ex Virgine, in bapti- A ſmate alteram, Auguſtinus docuit ei opus eſſe per baptiſma renaſci. Idem alibi: Sicut enim vnus eſt homo anima rationalis & caro, ſic vnus eſt Chriſtus Deus & homo. Et per hoc Chriſtus eſt Deus anima rationalis & caro. Iſte dicit, Chriſtus eſt Deus anima rationalis & caro. Tu vituperas Apoſtolum Paulum habitare Deum dixiſſe in Chriſtum, non Chriſtum fuiſſe Deum cōfeſſum. Idem ipſe in Sermone ſeptimo, cum tractaretur Euangelium ſecundum Ioannem, quia Chriſtus vnicus, & non adoptiuus ſit B Dei filius: Oportebat, ait, vt ille baptizaret, qui eſt filius Dei vnicus; & non adoptatus. Adoptati filij miniſtri ſunt vnici. Vnicus habet poteſtatē, adoptati miniſteriū.

Beatus igitur Damaſus Papa, in ea videlicet Epiſtola, quam ad Paulinum Antiochenæ Sedis direxerat Epiſcopum, ita præcedentibus ſubnectens ſequentia intonuit dicens: Anathematizat Catholica Eccleſia & eos, qui duos in Saluatore filios confitentur, id eſt alium ante incarnationem, & alium poſt adſumptionē carnis ex Virgine, C & non eundē Dei filium & ante & poſtea confitentur. Huius nimirum anathematis fulmine tuum percutitur nihilominus caput, qui verum filium ante incarnationē, adoptiuum verò poſt incarnationem perfida confiteris lingua. Verus enim & adoptiuus duo ſunt, non vnicus filius. Virum egregiæ generoſitatis præcipuum, rectæq; fidei cultorem, Athanaſium videlicet Alexandrinæ Sedis Antiſtitem pro cauſa fidei prolixiùs in ea, quæ ad Epactetū Epiſcopū inſcribitur, Epiſtola, luculento diſputaſſe D ſtylo, noſtri non conſtat ingenioli celatū. Cuius in libello qualicumque non tamen ſanæ fidei tuæ mentionem inſertam, non me abnego inſpexiſſe. Ac per hoc ipſum, quod inibi benè ab illo editū, ſed non benè à te eiuſdem viri capitulum recenſitum legiſſe me recolo, his ſubnecti non ab re ſyllabis æſtimaui. Nō, inquit, per adoptionem hæc facta ſunt, abſit, ſicut quidā exiſtimauerunt: ſed ſicut eſt veritas, homine facto Saluatore, totius hominis ſalus facta eſt. Si enim adoptione erat in corpore Ver- E bum ſecundum illos. quod autē adoptione dicitur, fantaſia eſt, reputetur & putatiue ſalus. Et adiecisti de tuo: Et hic quid melius loqui potuit, cum adoptionem non à corpore, in quo erat Verbum, ſed ab ipſo Verbo euacuauit? Ego autem dico, & ſi ille quid melius, quia non per adoptionē, ſed in veritate homine facto Saluatore, totius hominis factam perdocuit ſalutem. Et tu, quid peius ac ſceleſtius, quàm quòd Verbum non in proprio, quod ex Virgine adſumendum eſſentialiter, propriū ſuumque fecit corpore, ſed in adoptiuo adſeris habitaſſe. Noſſe vellem, ſed non à te, quid eſt quod dicit, non per adoptionem hæc facta ſunt, & exprobrat, abſit. Tu dicis quòd ſecundum diuinitatē dictū ſit, non per adoptionē facta ſunt. Quid adtinet, quæſo te, ad diuinitatem Verbi, hæc facta ſunt? Non dixit, hoc factum eſt, vt de Verbo dictum poſſet videri. Hæc namque facta ſunt, pluraliter pronunciantur. Verbum autē, ſingulare eſt vocabulū. Cur non cautè, temperatiuſque primum perpendis, quid ſit, rectiuſque, vera dixit Verbi? Cur nō ſecretiùs tecum inuocato ſancto loqueris Spiritu? & ſic ex dono gratiæ eius in publico quaſi ſoluto, ante quidē per ſilentiū ligato velamine linguæ ſalubri, conceptū efferes diuini roris infuſione ſermonem? An neſcis, quia omne vaſculum, quod opertorio caret vel ligatura, immundū proculdubio Domini lege docetur? Non igitur per adoptionem hæc facta ſunt, quoniam ceſſante omne neceſſitate adoptionis in Dei filio, per ſacramentū incarnati mediatoris facta ſunt infirma noſtra fortia, facta ſunt terrena cæleſtia, carnalia tranſierūt in ſpiritalia. Multa enim ab eo ſuperiùs quodammodo præmiſſa ſunt, quibus ſubiecit: Hæc autem facta ſunt. Diſputans deniq; qualiter ad ſe Verbū referebat quidquid corpus propriū Verbi humanum in veritate adſumptū patiebatur: qualiter & impaſſibilis pati, & immortalis mori, & infatigabilis fatigari, & inſepultus potuit in corpore ſuo ſepeliri; & in his ſimilia. Et ideò ſubinfert, Non per adoptionē hæc facta ſunt, abſit. Licet aliter in noſtris codicibus exarata valeant contemplari. Idem ipſe in libello fidei ſuæ, in quo alternatis vocibus quaſi dialogicè cōtra hæreticos diſputās, inter cetera & poſt multa ita ſubinfert: Incarnatus eſt, inquit, vnigenitus ſecreto illo myſterio, quod ipſe nouit. Noſtrum namq; eſt credere, illius noſſe. Ac ſic ipſe Deus Verbum totum ſuſcipiens, quod eſt hominis, homo ſit: & adſumptus homo totū accipiendo quod Dei eſt, aliud quàm Deus eſſe nō potuit. Si ergo Deus Verbū totum ſuſcipiendo quod hominis eſt, homo eſt, & aſſumptus homo totum accipiendo quod Dei eſt, Deus eſt: vbi, quæſo te, in hoc ſacramento nuncupatiui Dei, vel adoptatiui filij vocabulum ius ſui valebit priuilegij vindicare?

Cyrillus denique eiuſdem Sedis Epiſcopus, in Epiſtola ad Neſtorium miſſa,

inter cetera ſic ait: Neque enim natus eſt homo communis de ſacta Virgine, & tunc demum inhabitauit in eo Verbum. Sed in ipſa vulua vteróque virginali ſe cum carne coniunxit, & ſuſtinuit generationem carnalem, carnis ſuæ natiuitatem ſuam faciẽs. Et poſt pauca, Non quia in corruptione ceciderat, quod abſit: ſed quia eius ſurrexit corpus, ita Chriſtum vnum & Dominum confitetur. Non tanquam hominem cum Verbo adorantes. Quia non eſt alienum à Verbo corpus ſuum, cum quo ipſi etiam adſedet Patri. Tu verò cùm autumas Chriſtum non verum Deum, ſed ſubiectum vero Deo; duos, non vnum Chriſtum diuiſibiliter coniectare videris. Beatus Cyrillus tertij Concilij auctor, non hominem & Verbum duos Chriſtos, alterum ſublimem, alterum ſubditum: ſed Deum & hominem vnum eundemque confeſſus eſt Chriſtum.

Leo igitur venerabilis Papa, orthodoxæque fidei mirabilis ſuffragator, in Tomo ſanè pleno ſinceræ fidei veritate, quem ad Flauianum Conſtantinopolitanæ vrbis Epiſcopum ob Eutycianę perfidię veſaniam deſtinauit, inter cetera, & poſt multa, quia Chriſtus Ieſus in vera hominis natura, non nuncupatiuus, ſed verus ſit Deus, exſecutus eſt ita. In integra, inquiens, veri hominis perfectáque natura verus natus eſt Deus, totus in ſuis, totus in noſtris. Licèt tu illum falſo in quadam adſtipulaſſe Epiſtola adſeras, adoptionem in capite, hoc eſt in Chriſto, præceſſiſſe. Quod quidem ita non eſſe, perſpicuè ex ipſa verborum conexione vltro citróque eidem ſubiecta capitulo videri non ambigetur. Idem ipſe in quibuſdam Synodalibus litteris Petri fidem exponens, ſic ait: *Tu es*, inquit, *Chriſtus filius Dei viui.* Hoc eſt, ait, Tu qui verè es filius hominis, idem verè es filius Dei viui. Tu, inquam, verus in deitate, verus in carne, & ſalua geminæ proprietate naturæ, vtrumque vnus. Idem in Homilia, quæ nuncupatur de Domini Natale, proinde ait: Qui in forma Dei fecit hominem, in forma ſerui factus eſt homo. Sed vtrunque Deus de potentia ſuſcipientis, vtrumque homo de humilitatis ſuſceptione, & quoniam non ſit alter habitator, & alter habitaculum, ſicut tu, cùm ex propriis loqueris, aſſeris mendacium, ſanctumque mentitus es Cyrillum docuiſſe. In eadem Homilia ita profatur, dicens: Nec ſic creatura in ſocietatem ſui creatoris adſumpta eſt, vt ille habitator, & illa eſſet habitaculum; ſed vt ita naturæ alteri. In tantam ta-

A men vnitatem conuenit vtriuſque ... ſitas, vt vnus idemque ſit filiu...

Mellifluæ recordationis B. Pap... gorius, ore dulciſonus, eloquentia... ſtate præcipuus, verborum frugalita... riſſimus, ſanctitatis inſigni gratiſſim... dei puritate præfulgidus, in latiſſima... rum famoſæ lectionis ſuæ ſerie licèt... ſim- Dominum, tamen Ieſum Ch... & verum Deum, & verum eunde... Dei filium, caſſato omni ab eo nun... tionis atque adoptionis præconio, B confeſſus eſt Apoſtolica. Sed & il... niſus es vomitu veſaniæ tuæ pulcritu... fœdare decorem: referens eum Chr... & Eccleſiam docuiſſe vnam perſo... Hoc enim eſt verum, quia ſuum eſt ... non ſecundum tuum prælibatum eſ... ſum. Tu tamen alibi adieciſti quod ... eſt, Et vnus homo, vnáve caro. Pau... que adſtruis Chriſtum & Eccleſiam vnum hominem prædicaſſe. Ex quo videris abrumpere Chriſtum addi eſſentialiter perſonam, ſi Chriſtus & Eccleſia vnus eſt ho- C mo, vnáve nimirum caro. Tolerabiliùs quippe ferendus eras, ſi ſignificantius addidiſſes, Et quaſi vnus homo, propter vnius capitis multorum diuerſitatem membrorum. Non ergo eſt Chriſtus & Eccleſia vnus homo, vnáve iuxta te caro; ſed quaſi vnus homo. Tu autem ideò fingens fateris, Et vnus homo vnáve caro, vt Chriſtum & Eccleſiam, vnum te *homine Chriſtũ peruerſis allegationibus ſepares. Aliud nempe eſt, ſed & longe aliter intellegi datur, Chriſtum & Eccleſiã, iuxta Pauli vo- D cem, caput & corpus, typicè vna eſſe perſona: & aliter, Verbum caro factũ, hoc eſt Deum homine facto, vnam eſſe Chriſtum perſonã cum Deo, ac per hoc Chriſtũ eſſe veraciter Deũ. Sed & illud, quod ex Apoſtolica doctrina tuis intexuiſti commẽtis, quoniam membra ſumus corporis eius, de carne eius, & ex oſſibus eius, non ad illud corpus illámve carnẽ, vt tu fatagis, referre rectè putabitur: Quod adſumpſit Verbum caro factum ſuum propriũ corpus, ſuámq; propriam carnem veraciter fecit. Sed figu- E raliter de electis eius accipi poteſt, vel propter vtrumque ſexum, vel certè iuxta meritorum diuerſitatem; quatenus alij carnis, ob infirmitatis mollitiem, ſexumque teneriorem: alij verò oſſis, propter fortitudinis roborem, non inconuenienter nomine valeant nuncupari. De quibus vtique Eccleſiæ voce per Pſalmiſtam dicitur: *Imperfectum meum viderunt oculi tui, & in libro tuo omnes ſcribentur.* Et rurſum,

* *Locus corruptus.*

Benedixit omnibus timentibus ſe Dominus, puſillis cum maioribus. Denique iſdem mirabilis Doctor in primo Moralium librorum volumine, quia Chriſtus Ieſus non per adoptionem conlati prærogatiui, ſed in veritate Dei ſit filius, inter cetera faſſus eſt ita: Omnes, inquit, qui in fide Deo naſcuntur, ſuperat; quia non vt ceteros adoptio, ſed natura illum diuinitatis exaltat. En vir ſanctus fide recta Deóque plenus hominem namque Chriſtum de Virgine Deum hominémque natum, non vt ceteros, pioſque homines ob indultæ adoptionis donatiuum: ſed per naturam illum diuinitas in Dei filium præmonet exaltatum. Tu quidẽ moliris diuidere in duas vnum Chriſtum perſonas, vt qui natus eſt ex Virgine ſit adoptiuus, & qui ex Deo proprius credatur filius Dei. Cùm & ex Deo patre, & ex homine matre vnus ſit Chriſtus, non per adoptionem, ſed proprius Dei filius. Videtur tibi, vt tuæ teſtantur litteræ, virum iſtum præcipuũ de ſola ea, quæ ex Patre eſt, generatione, hoc in loco diſputaſſe. Interrogo ergo de quibus ceteris intimatur, non vt ceteros illũ adoptio, ſi non de vero homine Chriſto, deſerunt; cur ad homines quaſi de homine cõparationis formula cui inſpiciatur materiali inſtruxit ſpeculo dicẽs, Non illum vt ceteros adoptio. Non poteſt iſtiuſmodi comparatio, niſi ſit eiuſdẽ generis, ceteri, cuius eſt, ille cui comparatur vſitatius inuehere. Inconueniens quippe, nulluſque capax rationis ordo ſe palliat, ſi cũ de homine actio ventilatur, alterius generis iſta ſimilitudo, hoc eſt, cetera, introducatur. Verbi gratia ſi dicatur: Primus homo non eſt genitus vel natus, ſed factus ex limo eſt terræ; cæteri autem homines ex vtroque ſexu & geniti ſunt & nati. Non enim conuenientius ſalubri congruit æquitati, nec vſitatæ locutionis modus concedit auriũ ſuauiter demulcendũ auditum, ita euphoniæ modolum temperare; quatenus poſt mentionem hominis factam non nati, ſed creati, ceteri equi vel boues nati vel geniti introducantur, ſed homines ceteri. Similiter nec poſt Angeli mentionem ceteri homines, nec poſt hominis ceteri Angeli apte poſſunt adſcribi: ſed vnumquodq; ſubnecti ſuo generi rationalis ordo demonſtrat. Sine hoc autem additamẽto, hoc eſt, ceteri, & poſt mentionẽ Angeli homines, & poſt homines Angeli, non abſurdè inſeri litteris ſacris, ſine trito effari permittuntur ſermone. Cum ergo dicit, Non illum vt ceteros homines adoptio; ſubau-

A ditur non illum tu, ceteros homines adoptio: quia & Chriſtus homo, & non ſolitarius Chriſtus homo, ſed Deus ſemper Chriſtus & homo. Idcirco illum, non ſicut ceteros homines adoptio, ſed diuinitatis illum natura in Dei filium exaltauit: quia numquam non fuit Dei filius, qui ſempiternus permanet vnigenitoris vnigenitus. Numquã fuit, ſicut ceteri homines, purus homo; vt ei ex adoptionis emolumento filij prærogatiuũ præſtaretur. Sed Dei Verbum caro factum, quod eum non vt cete-

B ros homines ex dono gratię, ſed ſalua proprietate vtriuſque naturæ, eſſentialiter in ſuam adſumpſit perſonam: per quod mirabile ſacramentũ & æternus ex patre, & temporalis ex matre, vnus idémque eſſet verus Dei hominíſq; filius. Hinc illud eſt, quod in Libro huius Operis octauodecimo iſdem veriſſimè explicuit prædicator. Ait enim, Aliud eſt enim natos homines gratiam adoptionis accipere, aliud vnum ſingulariter per diuinitatis potentiã Deum ex ipſo conceptu prodiſſe. Et poſt pauca:

C Ipſe ante ſecula de patre ſine matre, ipſe templum, ipſe conditor templi. Hinc iterum in Libro XXVI. Redemptor autem noſter homo ſine peccato, filius ſine adoptione. Ecce, quem hominem præmiſit ſine peccato, filium eum confeſſus eſt ſine adoptione. Item alibi de quibuſdam: Nam quamuis iuxta Domini præcepta non viuant, Deum tamen Dominum recognoſcunt, quia in veritate carnis etiam formã deitatis intellegunt. Sicut per Prophetam dicitur: *Scitote quoniã Dominus ipſe eſt Deus.*

D Tu quidem coniceris aſtruere, quia per Ioannem & Paulũ aduocatus noſter perdocetur, idcirco verus Dei non debeat filius prædicari. Vir autem iſte egregius doctor vnigenitum illum incunctanter Dei filium in eodem Moraliũ ſtili lib. CII. voce præconia eſt profeſſus. Ipſo videlicet Ioannis Paulíque in medium deducto teſtimonio, ſic ait: Vnigenitũ enim Dei filium pro homine interpellare eſt apud coæternũ patrem ipſum ſe hominem demonſtrare. Eique pro humana natura rogaſſe, eſt eandẽ

E naturam in diuinitatis ſuæ celſitudinem ſuſcepiſſe. Vnigenitus quippe dici, nonniſi verus ſit filius, poteſt. Aut me ergo cum beato Gregorio fautoribus tuis accuſa, aut relicta illorum prauæ pollicitationis perfidia, mecum pariter beato Gregorio crede. In expoſitione libri Hiezechielis Homilia VIII. ſic eſt affatus: Volens, inquit, Paulus nuncupatiuum Dei nomẽ ab eſſentiali diſcernere, de Redẽptore noſtro locutus eſt,

dicens: *Quorum patres, & ex quibus Chriſtus ſecundũ carnem, qui eſt ſuper omnia benedictus in ſecula.* Et poſt paululum, non hunc Deum tantũmodò, ſed Deum ſuper omnia eſſe memorauit. Idem in Homilia XIII. Redemptor, ait, noſter non ſolum homo vltra homines, ſed homo etiam ſuper Angelos factus. In Homeliis namque Euangelicis, ſemper & vbique, vbicumque ſe ratio contulit fidei, & verum Dei filium vnum eundemque ex vtraque & in vtraque confeſſus eſt natura. Quemadmodum in decima Homelia luculento aratri inſulcatum ſtilo legentis oculus non defraudatur. Penſate, referens, fratres, poſt incarnationem vnigeniti filij qualis ſit hodierna ſollennitas de aduentu ſancti Spiritus. In illa quippe Deus in ſe creando ſuſcepit hominem, in iſta homines facti ſunt per adoptionem dij. Idem ipſe: At verò multi tunc IESV dici poterant, non tamen ſubſtantialiter, ſed nuncupatiuè. Habes itaq; quoniam naturaliter factus eſt Deus homo. Habes etenim, quia & Ieſus non eſt nuncupatiuè, ſed eſſentialiter Ieſus prædicandus. Cùm ergo Deus naturaliter factus ſit homo, & Ieſus eſſentialiter Ieſus eſt credendus: cur tu in tantum diſſipis, vt minus adtendas in quo pereclinatur* tuæ adſertionis obiectio, quatenus non confundaris naturaliter Deum facto homini, & eſſentialiter Ieſu nuncupatiuum vel adoptiuum inſultans inferre vocabulum! Væ, væ tibi! niſi per bonam confeſſionem ad cognitionem tui veraciter recurras auctoris.

*f. periclitatur.

Vir vitæ venerabilis Fulgentius, eloquentiæ perſpicuo radiante ſplendore perfulgidus, in Libro tertio, qui nuncupatur de Sacramento Dominicæ paſſionis: quia Redemptor noſter auctor vitæ ideò à Petro Apoſtolo perdocetur, quoniam Deus verus incunctanter, non autem nuncupatiuus credendus ſit, inter cetera & poſt plurima ita ſubinfert. Ex quo igitur Deus vitæ auctor hominem in vnitate perſonæ, ex eo ille homo nomen vitæ obtinuit. Sicut ex eo quòd Dei filius hominem ſuſcepit in vtero virginali, ex eo ſimul Deus & homo vnus cœpit Dei filius nominari: Angelo dicente ad Mariam, *Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus altiſſimi obumbrabit tibi. Ideóque quod naſcetur ex te ſanctum vocabitur filius Dei.* Et illud, *Erit enim magnus, & filius Altiſſimi vocabitur.* Et poſt modicum, non ſolum filius Dei, ſecundum id, quod natus eſt de homine, dictus eſt Chriſtus: verumetiam homo ille Deus dicitur, pro eo quod eſt à Deo ſuſceptus. De his ita ſatis intimaſſe ſufficiat.

Iam nunc in bonæ ſinceræque fidei cõfeſſione, quia Chriſtus Ieſus vnigenitus Dei Patris verus Deus, veruſque homo, vnus idem proprius Dei, idem ipſe propriuſque filius ſit hominis; abolitis prorſus cunctis ab eo nobis tamen conceſſis nuncupationis ſeu adoptionis inſignibus, teſtij huius Libri ſeries iſtiuſmodi artiùs concluſa perſiſtet titulo finali.

DA mihi obſecro, Domine Ieſu Chriſte veniam peccatori de tua miſericordia tota mentis præſumenti deuotione, quia neceſſitate compulſus iuxta vires intellegentiæ meæ, te vtique largiente, in reſponſis pro cauſa Catholicæ fidei deſudaſſe me operoſiùs recognoſco: ſed vltra vires etiam velle me non excuſo conaſſe. Nihil tamen habui, quod non à te acceperim; nihil prorſus accepi, quod non tuum ſit. Tuum eſt, Domine, omne quod optimum eſt, & de tua benignitatis ſuſcepiſſe me confiteor manu. Omne quod bonum & optiuum eſt, tuum proculdubio eſſe nõ ignoratur: totumque quod peruerſum indignumque inſpicitur, meum nihilominus eſſe non ambigetur. Cur non tuum eſt omne quod habere videor, cùm ego ipſe non ſim meus, meique iuris poſſeſſor? Tuum enim figmentum ſum, licet inutilis ſeruulus: quia poſt captiuitatis miſeriam magno me precio redemiſti. Quoniam dulcedinis tuæ clementiæ vi validi exigente vigoris, precium pro me tuum ſanguinem fundere non horruiſti. Porrò, ſi in huius negotij qualitate vtile quid à quoquam arbitrari ſuſpicarique poteſt; non eſt adtributa mihi ex eo gloriandi facultas, ſed tibi Domino bonorum omnium largitori gratiarum modis omnibus exhibendæ ſunt actiones. Quæ verò inutilia ineptáue in his inſpiciuntur inſerta, meæ conſtat ſtultitię abſque dubio reputãdum. Neque enim poſſunt hæc inculpanda non videri, ſi tui fuerint examinis ſubtiliùs lance librata. Sed quæſo vt deſimules iram propter pœnitentiam, & imperfecta hæc tuo parce Iudici ventilare, cui etiam perfecta non valent inreprehenſibilia non videri. In eo igitur ſpei fiducia in ſinu inuiolatæ fidei meæ artiùs tenaciuſque repoſita cuſtoditur, quia non me perfidiæ peruicacia recolo, ſi erratum eſt, oberraſſe: ſed ignorantiæ fortè interueniente nubilo, in artis peritia, ſiue in ſermonis inculti frugalitate fruſtratus, non deliquiſſe me penitus

non exceſſo. Ignoſce ergo mihi bonitas infinita, fons pietatis immenſæ, abyſſus miſericordiæ nullo termino præfinitæ, IESV Chriſte Domine Deus, qui cum Patre & Spiritu ſancto viuis & regnas Deus in Trinitate perfecta per cuncta & vltra & infinita ſecula ſeculorum, Amen.

REGVLA FIDEI,

Metrico promulgata ſtili mucrone.

TE, Pater omnipotens, mundum qui luce gubernas:
Et te, Nate Dei, cœli qui ſidera torques:
Teque, ſacer Flamen, rerum moderator & auctor:
Aeternum trinumque Deum veneranter, & vnũ
Confiteor, labiis pleno ſed pectore credo.
In te credo Patrem, cum quo Deus vnica Proles
Regnat, & omnipotens cum quo Deus vnica Proles.
Non tres ergo Deos, abſit, ſed ſanctius vnum
Corde Deum credo, labiis non ceſſo fateri:
Qui ſemper ſummus, perfectus ſemper, & altus,
Solus & ipſe potens trinus perſiſtit & vnus.
Perſonas numero diſtinguo denique trino,
Naturam nullo patior diuidere pacto.
In Deitate quidem ſimplex eſſentia conſtat.
In Trinitate manet ſed ſubſiſtentia triplex.
Non hunc eſſe Patrem, Subolem quam credo, tonantem,
Sed hoc eſſe Patrem ſummũ, quod Germen, adoro.
Et non qui Genitor Genituſque eſt, Spiritus hic eſt,
Sed hoc quod Genitor, Genituſque eſt, Spiritus hoc eſt.
Virgine de ſacra, ſancto de Flamine natum
Credo Dei Genitum, linguâ decanto fideli,
Tempore ſubiecto tempus qui condidit omne,
Lucida rorigeri cœli qui temperat aſtra,
Qui pontum, terramque, polũ, qui maxima mũdi
Climata quatrifidi, montes, colleſque creauit:
Aetheris atque humi cludit qui limina pugno,
Articulis trinis vaſtis cum finibus orbem
Prælibrat, & latum palmo metitur Olympum.
Secula præcedit, fecit quia ſecula cuncta.
Hunc Pater omnipotẽs, tincto Iordanis in vnda,
Protinus ex alto ſanctus cum Spiritus albæ
Cœlitus in ſpecie diſcendit namque columbæ,
Baptiſta ſibimet magno famulante Ioanne,
Dilectum, propriumque, pium, dulcẽque Tonantẽ
Eſſe ſuum Genitum ſancto diſcreuit ab ore:
Splendida florigeram nubes cum cingeret Alpem,
Eſſet & in ſumma ſecreti montis in arce,
Diſcipulis cum namque tribus, famuliſque duobus.
Vnicus altithroni cœlorum gloria IESVS
A *Vt ſolus radius facies plus pulcra refulget.*
Candor vt alba niuis veſtis radiabat, & ecce
Intonuit vox alta Dei de nube ſerena,
Aëra per vacuum, teneras transfuſa per auras,
Talia mellifluis depromit gaudia dictis:
Hic meus eſt, inquit, dilectus filius vnus,
Hunc audite. Datum hoc eſt mirabile ſignum,
Quòd Deus atq; homo Chriſtus ſit verus & altus.
Filius ille Dei ſancta de Virgine natus
Arguitur hinc, fortè Petrus hac voce docetur
Non homines æquare Deo, Dominóque clientes.
Hæc eſt vera fides, frangit quæ colla celidri,
B *Hæc mundum vincit, peccati crimina tollit.*
Hac Petrus in claui cælorum limina pandit,
Aurea ruricolas reſerans ad regna phalanges
Mittit, & his niueæ depromit gaudia vitæ.
Agniculos albo teneros cum vellere natos,
Lactea per centum ſuſpenſos vbera matrum,
Ad campos Iordane tuos, cinctoſque roſetis,
Gramineas ſegetes propter myrteta virentes,
Lilia mixta roſis, florentia paſcua fretus,
Carpere mille monet ruminanti fauce bidentes.
Illic picta rubent croceo de flore vireta,
Candidulo rident pulchrè de germine cincta,
C *Frigore quæ numquam, radio nec ſolis areſcunt,*
Marceſcunt numquam gelidis infecta pruinis,
Nec pluuiis perfuſa quidem madefacta tabeſcunt:
Sed ſemper, Paradiſe, tuos redolentia fragrant
Meſſis aromaticæ permixto chriſmate odores.
Virgultum foliis gemmato robore produnt,
Quod numquam foliis viduatum turpe vileſcit,
Punica mixta ſimul foliis ſed poma retentat,
Quæ ſemper liquidos ſudant de cortice ſuccos,
Transfundunt dulces mandentis more ſapores.
Ad fontem ſalientis aquæ qui viua fluenta
Influit, & rores vno de gurgite fuſos,
D *Diuiſos ſpargit, pariles per quatuor amnes*
Albentes perducit oues. hinc pocula cogit
Sumere, quo numquam ſpumanti fauce balantes
Alterius fontis ſitientes flumina poſcant.
Percelli praui fautores dogmatis omnes
Cenſeo falſiloquos geminato anathemate Pauli,
Doctoris mundi, Galatas quo forte rebelles
Terruit: aut etiam croceo ſuccinctus amictu
Angelus altiuagas quiſquis iaculatus in auras,
Grandiſono referens aliter ſermone profatur:
Quam Gabriel Regis prædixit nuncius alti,
Quam docuit Petrus, Pauli quam ſcribit arundo,
E *Quatuor & Proceres parili quam voce fatentur,*
Huius erit bibici feriendus fulminis ictu.
Principiũ caput omne mali, nefas omne Cerintus,
Vltricibus fomis flammis infertur obuſtus.
Infelix Ebion huic non diſpar in omni
Impietate iacet, ſub vulnere pœna.
Arrius in foueam, fodit quam perfidus ipſe,
Corruit, æterna damnatus nocte tabeſcit.
Eunomius laqueo ſeſe ſuſpendit in alto,
Per medium crepuit, picei petit ima profundi,

Perfidiæ iaculo propria ſe perculit vlna.
Neſtorius demens ſtygias deſcendit ad vmbras.
Canceris vt peſtis Macedonia dogmata ſerpent,
Pro quibus ambuſta Macedonius ardet in olla.
Eutyces infelix, ex omni parte nefandus,
Trita venena bibit, ſibimet quæ miſcuit ipſe.
Peſtifer ille Manis, totum quem poſſidet error,
Sulphoreæ fumus conflat ſine fine gehennæ.
Haud ſecus horriſono ſpurcoque Sabellius ore
Blaſphemus igniuoma Cocyti gemet vſtus ab vnda.
Hos etenim cunctoſque ſimul, qui nominis alti
Obſiſtunt ſacris confuſo pectore iuſſis,
Qui Regem Sabaoth fallaci fauce laceſcunt,
Et Dominum Chriſtum natum de Virgine ſacra,
Flamine de ſancto, Regemque, hominemque Deumque
Corde negant prauo labiis ſpumantibus acti
Impugnare ſtudent, caſſo ſudore latrantes,
De gremio auelli ſancto, de corpore matris
Eccleſiæ abſcidi cultro decerno fidei,
Quam Petrus Pauluſque docent, quam concinit orbis,
Quamque ſatis priſci clarè cecinère Prophetæ.
Catholicos ſanctoſque viros, Patreſque beatos
Trecentos, octóque decem, cunctoſque perennis
Iudicis æquiſonæ cultores nempe fidei
Amplector, placidis ſtrictim feliciter vlnis.
Nullus ab his terror, nullus me perfidus vltor
Sanguiuomo abſcidi mucrone ſecante valebit:
Quorum nulla meo poterit de pectore famam
Auferre obliuio, pactóque abolerier vllo.
Non iam ſub tabulis dura de rupe reciſis
Scalpelli rimis ſulcatis cuſpide ſculpam,
Nec pingam nigris calamo de roribus hauſto:
Sed potius ſcribam cordis ſub pixide lento
Inſtillante poli rutilo de culmine fonte,
Infuſo ſtilo, poſt me monumenta relinquo
Venturis deſcripta libens non parco referre
Carmine ſuccincto, lata ſed mentis auena
Præcepto fundente duas dulcedinis vndas,
Amplectens Domino ſancto quas protulit ore.
Primam libo Deo, Collegæ reddo ſecundam,
Pectore de puro caritatis victus amore,
In iubilo, vultuque alacri, ſub mente iocunda.
Semper & almiſonas ſincero famine grates
Summe tibi Genitor referam Deus alta poteſtas:
Et tibi Nate Dei, læti ſpes vnica mundi:
Spiritus alme tibi, metuende, tremenda maieſtas,
Fons caritatis, amor dulcis ſuper omnia mella,
Lux & origo boni, caſti ſpirator amoris:
Qui quò vadis, & vnde venis, neſciris, & orbem
Terrarum reples, & vbiuis perpete ſpiras.
Auditur vox ecce tua, clamore ſilenti
Cordis in aure ſonat, nullo quatiente fragore.
Sit Patri, genitóque Deo ſit gloria ſummo,
Spiritui per cuncta Deo ſit ſecula ſancto.

A TE verò, mi ô cariſſime frater, obſecro deuotionis affectu, quicunque hos dignatus fueris Verſiculos lectitare; cùm aut per incuriam breuem pro longa, aut longam pro breui, aut communem pro naturali, aut naturalem pro communi ſyllaba: aut pedem pro pede, aut ſcema pro ſcemate, aut tropum pro tropo, aut indiſcretas membrorum ceſuras diſidiæ manu reſectas, aut inconſideratum colæ deſoſſum punctum, aut comatum inæquales in- B ciſiones, aut inconditos euſoniæ melos, aut ſi quid huiuſcemodi reperiri poteſt in his inſpexeris exaratum, & videris ob id fortè meretriculam indignari Carmentem, manumque ad ferulam mittere, non te eiuſdem modi formido perturbet: ſed accinge ſicut vir lumbos tuos, & ad vices meæ paruitatis in faciem eius viriliter reſiſte. Impauido vtique vulpeculæ illi dicito ore, quoniam nihil ego pendens flammantes rapidoſque indignationum eius C furores, tanquam in lutum redactam ſuperbiæ eius ceruicem curuabo. Et vt veritus ſum dicere, & licet pudebit me referre, non tamen celabo quaſi liciſcæ multumque poſt carecta latrantis memoriam illius mei tangit animi modos. Tu autem in ſtudio veritatis impulſus, extincto nihilominus vſque ad cinus * omni penitus inuidiæ fomite, ſupple nimirum ea quæ deſunt calamo caritatis, ſuperflua quidem dulcedinis reſeca falce, tortuoſa namque D dilectionis rectiùs æquare normula ſtude. Caue præterea, ne forte fluxim per incuriam extenſa linea, violento directo obductu, à ſuo rectitudinis ſtatu incuruari deformata formula compellantur. Conſiderare ſummopere ſtude, ne quando cum ſarmentis pāpineas etiam amputaſſe te gēmulas pœniteaaris. Non tibi, obſecro, vileſcant vernales folliculi, necdum erumpentes in flores, qui cluſas celant botryonum gemmatas ſuo in tempore producēdas vuas. Sed neque triticeas ſummitates E ſpicarum indignè feras, quæ armatos acutis, quibus pungant lento conamine culmos fluctuare videntur ariſtis. Memento cuius ſuauitatis ſapor celatur in ſpica, cuiuſue edulia dulcedinis grana flaua reſeruantur in theca. Non enim hæc ad humanas edentium traiciuntur fauces, niſi & vua priùs calcibus, vel dentibus, & ſpicæ aut plauſtri ſtricatæ rotâ, aut flagellis conterantur percuſſæ.

* ſ. cineres

BEATI

PAVLINI AQVILEIENSIS PATRIARCHÆ

LIBELLVS SACROSYLLABVS,

Aduerſus Elipantum Toletanum Epiſcopum.

IN nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Sancto incitante Spiritu, ac zelo fidei Catholicæ ſcintillatim ſub pectore ferueſcente, clementiſſimi & tranquilliſſimi, glorioſiſſimiq; Caroli Regis, Domini terræ, Imperij eius decreto per diuerſas Prouincias regni eius ditioni ſubiectas ſumma celeritate præcurrente, multitudo Antiſtitum ſacris obtemperando præceptis, in vno collegio aggregata conuenit. Quadam verò die reſidentibus cunctis in aula ſacri Palatij, adſiſtentibus in modum coronæ Presbyteris, Diaconibus, cunctóque clero, ſub præſentia prædicti Principis, allata eſt Epiſtola miſſa ab Elipando auctore noxij ſceleris, Toletanæ Sedis pſeudo Epiſcopo, Hiſpalienſi termino circumſeptæ. Cumque iubente Rege publica voce recitata fuiſſet, ſtatim ſurgens venerabilis Princeps de ſella regia ſtetit ſupra gradum ſuum, & adlocutus eſt de cauſa fidei prolixo ſermone, & adiecit: Quid vobis videtur? Ab anno prorſus præterito, ex quo cœpit huius peſtis inſania tumeſcente perfidiæ vlcere diffuſiùs ebullire, non paruus in his regionibus, licèt in extremis finibus regni noſtri horror inoleuit, quem cenſura fidei neceſſe eſt modis omnibus reſecare. Cumque imprecata & conceſſa eſſet moroſa dilatio per dies aliquot, placuit eius manſuetudini, vt vnuſquiſq; quicquid ingenij captu rectiùs ſentire potuiſſet, per ſacras ſyllabas, die ſtatuto, eius clementiæ oblatum, ſui cor pectoris, fidei munus ſtyli ferculo, mentis viuacitate deferret. Sed ſicut mos eſt hæreticis, triſtia lætis, dulcia permiſcere amaris, veneni poculum mellis ſapore temperare, quædam in eadem Epiſtola plena blaſphemiis, & Catholicæ fidei reperta ſunt modis omnibus inimica: quædam verò inueniri poterant non reiicienda, ſed in eodem poculo, in quo gutta veneni infuſa turgeſcit, mellis nihilominus amareſcit dulcedo.

A Quapropter ego Pavlinvs, licet indignus peccator, omniumque ſeruorum Domini vltimus ſeruus, Aquileienſis Sedis Heſperiis oris accinctæ, cui Deo auctore deſeruio, nomine, non merito, Præſul, vna cum Collegis, Dominis, & fratribus meis iuxta exilem intelligentiæ meæ tenuitatem, ſancto perdocente Spiritu, corde, lingua, ſtylo, contra eorum veſanias, qui rectæ fidei ſunt aduerſarij, reſpondere non formido, cùm ſit ſancta & vniuerſalis Eccleſia ſuper firmam nihilominus B immobiliter fundata petram, & portæ inferi nequeant (Matth. 16.) præualere aduerſus eam. Verumtamen quia in mari huius ſeculi conſtituta perſiſtat, aduerſis hæreticorum flatibus, violentis perfidorum procellis, ſpumantibuſque maledicorum vndis illiſa concutitur, licet quaſſari poſſit, & mergi nequeat, Chriſti firmata dextera, & Apoſtolico gubernaculo moderata; neceſſarium tamen exiſtimo omnibus Chriſtianis, cunctiſque fidelibus, maximè Apoſtolicis viris, contra hoſtes eius fidei armis dimicare. Non enim Chriſti miles impetum irruentis C belli debet eneruiter expaueſcere, nec effugij latibula inermis pallando appetere; ſed armis militiæ ſuæ præcinctus irrumpentium hoſtium pectora ſpiritalibus iaculis ex arcu intorquēs Scripturarum intrepidè perforare, quatenus & ſemetipſum fidei clypeo munitus illæſum cuſtodiat, & inimicorum latera ſpiculis cruentet acutis. Nam ante certaminis trophæum tyronis complectitur circa verticem triumphalis corona. Cuius rei ratio Apoſtolicis euidentiùs D approbatur documentis: *Oportet*, inquit (1. Cor. 11.) egregius prædicator, & de caſtris Dominicis probatiſſimus miles, *hæreſes eſſe; vt ij qui probati ſunt, manifeſti fiant.* Alta enim nonnumquā diſpenſatione agitur, vt vnde cadere ad ruinam timetur vacillantibus plantis, indè valentiùs roborata firmiter inconcuſſa perſiſtant, & antiquus hoſtis vnde ſe viciſſe ſuperbè gloriatur, indè diuina ſuperatus potentia, ſe ſuccubuiſſe do-

iacat proſtratus. Nam quia ſuper fidei fundamenta omnium virtutum fabricam perſiſtere non ignorat, ipſam fidei malitiæ ſuæ manu eradicare ſoliditatem feſtinat, quẽadmodum de eius ſatellitibus, id eſt malignis ſpiritibus per Pſalmiſtam dicitur: *Qui dicunt, Exinanite, exinanite vſque ad fundamentum.* Vſque ad fundamentum quippè maligni ſpiritus animam inaniter ſe exinaniſſe gloriantur, ſi ab ipſo fundamento fidei firmitatem, tentationum iacula exaggerando eradicare valebunt. Sciunt vtique nihil eſſe boni omne quod videtur bonum, niſi fuerit ſuper fidei fundamentum firmiter radicatum. Sine fide enim impoſſibile eſt placere. Firmum autem fundamẽtum ſtat, & habet ſignaculum hoc: Nouit Dominus qui ſunt eius. Licet ille ſæuiat, ac mille modis fraude calliditatis ſerpendo extra ſeptum ſanctæ Eccleſiæ hinc indè ſquamas nequitiæ ſuæ iſtis ſcopulis illiſus expoliet: ac per hoc circumquaque diſcurrens, modo in orbe circulato latenter ſe circa viam obiiciens, vt pedem ſimpliciter calcantis mordeat; modo in ſumma ſeſe ſuſpendens falſitatis cauda, hæreticorum pectora veneno perfidiæ inficiendo, tumida reddat, vt ſauciata eorum vitalia, faſtidiendo ſpiritalia, alimenta euomat. Sed quia ſuper firmam petrã fundata eſt, portæ inferi non præualebunt aduerſus eam.

Huius nimirum peſtiferi ſerpentis inſtinctu, felliſque poculo ebriati quidam, quorum non ſunt nomina in calculo candido Agni inſcripta, hæreſim veternoſam illuſtrium, fortium ſcilicet virorum, calcibus mirabiliter inculcatam, Catholicãque falce olim funditus detruncatam, ſpinoſa moliuntur rediuiua radice ſuſcitare de ſtirpe. Adſtruunt igitur, ſed falſis adſertionibus, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum adoptiuum Dei filium de Virgine natum, quod diuinis nequeunt approbare documentis. Hæc igitur dicentes, aut in vtero Virginis eum ſuſpicantur adoptatum; quod dici nefas eſt, quia de beata Virgine inenarrabiliter ſumpſit, non adoptauit carnem: aut certè purum eum hominem ſine Deo natum (quod cogitare impium eſt) neceſſe eſt fateanurt, ac per hoc quaſi eguerit adoptione à patre in filium ſit adoptatus; cùm nihil Deus eguerit, qui erat in eo non per gratiam, quemadmodum in cæteris ſanctis puriſque hominibus, ſed eſſentialiter per naturam. *Deus,* inquit Apoſtolus, *erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi.* Quo igitur pacto nobis adoptionem tribuit filiorum, ſi ipſe neceſſa-

A rium eguit, vt ſibi haberet? Nam qui peccatum non habuit, ideò non nobis peccatum donauit, quia non accepit vt vita eſſet, ſed ipſe eſſentialiter vita eſt; idcirco nobis vitam æternam indulſit.

Videamus nunc, quid de eius incarnatione Gabriel, cui creditum fuerat ſacratæ diſpenſationis ſacramentum ad Mariam virginem dicat: *Aue*, inquit, *gratia plena, Dominus tecum.* Cumque turbata eſſet in ſermone eius, ſubiunxit Angelus: *Ne timeas Maria, inueniſti enim gratiam apud Deum.* B *Ecce concipies in vtero, & paries, & vocabitur Altiſſimi filius.* Iamque credula Angelicis dictis, cum ordinem tantæ natiuitatis inquireret, quomodo ſine viro fieri poſſit, mox Angelus addidit: *Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi, ideòque & quod naſcetur ex te, ſanctum, vocabitur filius Dei.* Non enim ait, adoptiuus vocabitur filius Dei, ſed abſolutè filius Dei, & filius Altiſſimi. Denique non de ſola excellentia maieſtatis eius loquebatur Angelus, ſed potius de incarnata diuinitate. C Porrò quod pronomẽ neutrius generis eſt, & ſanctũ ſimiliter neutrius generis eſt. Ait enim, *Quod enim ex te naſcetur, ſanctũ, vocabitur filius Dei.* Et rurſus Matheus Angelũ narrat dixiſſe: *Quod enim in ea natum eſt, de Spiritu ſancto eſt*, vt non dubites de corpore dixiſſe, quod de inuiolata Virgine ſumpſit more ſacri eloquij partẽ pro toto, vt per ſolum corpus intelligat hominem in anima rationali ex ea natum. Sed ne quiſquam ſcrupulus ambiguitatis remaneret, quia de incarnationis eius myſterio dixit, D ſtatim poſt pauca ſubinfert: *Dabit ei Dominus Deus ſedem Dauid patris eius.* Luc. 1. Secundum carnem videlicet Dauid filius dictus eſt, non ſecundum diuinitatem.

Habes igitur, quoniam de quo ſuprà dixerat: *Quod enim ex te naſcetur, ſanctum, vocabitur filius Dei*, non adoptiuus, ſed verus; non alienus, ſed proprius; ideò ſubiecit: *Dabit ei Dominus Deus ſedem Dauid patris eius.* Nam quis eum adoptaſſe in filium credatur, cùm tota ſancta Trinitas hominem Chriſtum in vtero Virginis operata ſit, ſi- E cut ſcriptum eſt, & iuxta hiſtoriam de primo Adam, & de ſecundo, id eſt, Chriſto, in prophetiæ ſacramento. *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram.* Geneſ. 1 Vel certè, quemadmodum in hac eadem Euangelica lectione Angelica voce declaratur. Ait enim, *Spiritus ſanctus ſuperueniet in te.* Habes Spiritus ſancti tertiam de Trinitate perſonam. *Et virtus Altiſſimi obumbrabit tibi.* In virtute namque Altiſſimi, filij perſona

demonſtratur, quia ipſe eſt Dei virtus, Deique ſapiētia. In Altiſſimi nomine patris nihilominus perſona accipienda eſt. Dicant ergo, ſi valent hæretici: quod ſi nequeunt, Catholicis ſe humiliter ſalubribus ſubdant documentis. Quæ de his tribus perſonis eum optauerit, cùm tota eum Trinitas in vtero immaculatæ operata ſit Virginis? Porrò adoptiuus non poteſt dici niſi is, qui alienus eſt ab eo, à quo dicitur adoptatus; & gratis ei adoptio tribuitur, quoniam non ex debito, ſed ex indulgentia tantummodo adoptio præſtatur. Sicut nos aliquādo cùm eſſemus peccando filij iræ, alieni eramus à Deo, per proprium & verum filium eius, qui non eguit, adoptione, adoptio nobis filiorum donata eſt, Paulo atteſtante, qui ait: *Cum ergò venit plenitudo temporis, miſit Deus filium ſuum natum ex muliere, factum ſub lege*, vt eos qui ſub lege erant redimeret, vt adoptionem filiorum reciperemus per ipſum. Proprius filius factus eſt ex muliere, non adoptiuus. Hinc aliàs idē ipſe egregius Prædicator dicit: *Proprio filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit eum.*

Matth. 3. Igitur cùm ad Iordanis alueum, Ioanne
Matth. 17. comite, qui Chriſtus à populis exiſtimabatur, appropinquaret, & vt ſanctificaretur aquarum natura, mediis ſe Iordanicis intinxiſſet in vndis, vt manifeſtiùs inter adoptiuum & proprium filium diſcerneret, ſtatim vox patris intonuit, dicens: *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Et rurſus cùm eſſet in monte ſancto cum diſcipulis quos voluit, & viſi eſſent cum eo Moyſes & Helias loquentes, mox paterna vox fulgida per nubem diſcurrēs intonuit, diſcreuit qui eſſent ſerui per gratiam, & per adoptionem filij, & quis verus & proprius filius. *Hic eſt*, inquit, *filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui, ipſum audite.* In Adam quippe ſibi Deus pater diſplacuiſſe intonuit, qui peccando filij dignitatem amiſit.
Geneſ. 6. *Pœnitet*, inquit, *me feciſſe hominem ſuper terram.* In vnigenito ſibi filio cōplacuit, qui propria non habuit, ſed aliena peccata tulit: qui numquam à paterna
Phil. 2. voluntate diſcordans, factus pro nobis eſt Patri obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis: propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen. Si igitur, iuxta hæreticos, adoptiuo nomine cenſetur, vt nos puri & ingrati homines; quo ergo pacto Apoſtolus eum nomen ſuper omne nomen dicit habere? Adoptiuum etenim nomen non eſt ſuper omne nomen, ſed commune & infra nominum tenetur menſurā.

Videamus iam nunc qualiter paſtor Eccleſiæ fidei poſuerit fundamentum. Nam cùm Magiſter & Dominus diſcipulos exploratiùs percunctaretur, quid de ſe homines dicerent, & illi ſingulorum opiniones diuerſo ſermone retexiſſent, qui eum vnum quemlibet de adoptiuis filiis exiſtimabant, quorum adoptionem nondum in re per mediatoris perceperant aduentum, ſed adhuc in ſpei ſeruabatur occulto, illico Dominus quid illi de ſe fixiùs corde retinerent, adiunxit: *Vos*, inquit, *quem me eſſe dicitis?* Moxque beatus Petrus, cui non caro & ſanguis, ſed pater cæleſtis reuelauit: *Tu es*, inquit, *Chriſtus filius Dei viui.* Ecce fidem beati Petri Apoſtoli, quam hæretici ſurda aure tranſiliunt, perfunctoriè legere non pertimeſcunt. Petrus confeſſus eſt Chriſtum verum filium Dei viui, & tu hæretice dicis, Chriſtus adoptiuus filius eſt. Enimuerò fortaſſis erigeres perfidiæ aurem, ſi abſolutè dixiſſes: *Tu es filius Dei viui*, fingeres forſitan, falſa argumentatione vt diceres: Secundum diuinitatem eum filium Dei confeſſus eſt. Sed quoniam cum additamento dixerat, *Tu es Chriſtus filius Dei viui*, omnium hæreticorum ora fidei fidei ſuæ pugno attriuit. Namque nomen ab homine quem adſumpſit accepit, quia vnctus in homine fuit. Nihil tibi reſtat quid dicas, niſi ſolito more facias. Sumas de officina mendacij veneno illiti ſpicula, quibus ſimplicium corda iaculando falſis adſertionibus perforare non erubeſcas. Frons enim meretricis facta eſt tibi, erubeſcere noluiſti. Defraudatis etenim ſanctam Scripturam, paruipendētes Magiſtri gentium prohibitionem dicentis: *Nolite adulterare verbum Dei.*

Sed quid mirum, ſi ſtulti in his erratis quæ allegorica ſunt, ſylua cōdenſa & vmbroſa, carpere neſcitis docta manu ſub foliis litterarum pendentia ſpiritalium fructuum poma: cùm in propatulo per ſanctos prædicatores eductam malè intelligentes orthodoxam deprauatis doctrinam. Cuius temeritatis & audaciæ eſtis, ô infelices inflati ſuperbiæ faſtu, vt ipſa Ioannis Euangeliſtæ mirabilia documenta peruerſis non erubeſcatis fabulis deprauare. Iuxta veſtram vecordiam, & non ſecundum ſanam doctrinam intelligitis myſtica ſacramenta. Dicitis enim quod Ioannes ſcribat in Epiſtola ſua: *Habemus aduocatum apud Patrem Ieſum Chriſtum*, & hoc ſit aduocatus, quod & adoptatus; cum longè aliud ſit aduocatus, & aliud adoptatus. Nam

aduocatus ille mihi eſt, qui pro me iudicem interpellat, & cauſam neceſſitatis meæ propria tuitione defendit. Conuenientius quippe dici poteſt propitiatus quàm adoptatus, quia ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris. Cùm enim naturam noſtram, quam adſumptam in dextera patris collocatam, oſtendendo Patri inceſſabiliter manifeſtat, propitium eum nobis, aduocatus noſter, quaſi interpellando efficitis, & benignum. Adoptiuus verò dicitur, cui nihil à Patre adoptante debetur, ſed gratis indulgendo conceditur. Abuſiuè namque, & non eſſentialiter adoptiuus eſt filius dictus, ſicut Moyſes in filium adoptatus eſt filiæ Pharaonis, alienus ab ea & generatione, & ſanguinis adfinitate. Hoc ideò poſuimus, vt patenter daretur intelligi eum dici adoptatum, qui nondum priùs fuerat proprius filius adoptantis. Vnde in Dei filium non cadit nomen adoptionis, quia ſemper verus filius, ſemper Dominus, & poſt adſumptum hominem veri filij vocabulum non amiſit, qui numquam verus deſiit eſſe Deus.

Confitemini ergo, quod eſt deterius, & omni blaſphemia plenum, duos adoptiuos, Filium ſcilicet, & Spiritum ſanctum. Non enim negare valetis Spiritum ſanctũ paracletum eſſe. Quod enim Græcè paracletus, hoc Latinè dicitur aduocatus. Fatemini quin etiam, quod eſt ſuper omne malum deterius, ſuper omnem impietatem ſceleſtius, duos adoptiuos filios, Verbum ſcilicet, & Spiritum ſanctum, vt ſitis deteriores Arrio, & Eunomio, & Maranatha, anathemate Macedonio digni. Adoptiuus enim non niſi adfectatæ locutionis alienus dicitur filius. Omnis enim adoptio ex affectione ducit vocabuli ſui originem, quanquam etymologiæ ſuæ non videatur trahere ſimilitudinis ſonum. Habet namque ex vtraque parte, vtinam, aduerbium eleganter inſitum, vt dicas: Vtinam ſis mihi in filium adoptiuũ! & contra, Vtinam merear à te in filium adoptari! Ex affectu quidem dilectionis pars ſubrepit pacti, vt in vtraq; conueniat dilectionis affectus. Sed videant hæretici, qui portæ ſunt inferi, quid dixerint, quinimo peruerſo garriant ore. Obdurata nempe illorum corda, mendacij latibula, per abrupta perfidiæ debacchantes ſemper inquirunt, & ne veritatis luce ſuperfundantur, in ſpeculo falſitatis ſe occulere feſtinant. Cecidit, heu! proh dolor! ſuper eos inuidiæ ignis, & ideo iuſtitiæ ſolem non meruerunt videre. Sancta autem Catholica & Apoſtolica Eccleſia quæ licet in toto ſit orbe terrarum diffuſa, vna tamen eſt amica, ſponſi proxima & columba, quæ pennis deargentatis ſacri eloquij refulget pulcritudine, & in pallore auri poſteriorã eius per rectæ fidei puritatem clareſcunt) confitetur ſanctam ineffabilem Trinitatem in vnitate, ſalua ſcilicet inconfuſibiliter proprietate perſonarum, inſeparabilem ſubſtantiã confitetur, ita ſanè vt alius credatur Pater, quia pater eſt qui genuit coæternũ ſibi ſine tẽpore & omni initio filiũ; & alius credatur Filius, quia filius eſt qui genitus eſt ſine initio à patre, nõ putatiuè, ſed verè, & alius credatur Spiritus ſanctus, quia Spiritus ſanctus à patre, filióque procedit; & non eſt aliud Pater, & aliud Filius, & aliud Spiritus ſanctus, ſed vnum ſunt inſeparabiliter Pater & Filius & Spiritus ſanctus: non vnus, ſed vnum, quia alia eſt perſona Patris, alia Filij, alia Spiritus ſancti: ſed vna, & æqualis, & conſubſtantialis, & coæterna eſt Patris Filiique & Spiritus ſancti: inenarrabilis diuinitatis maieſtas, quia vnus eſt Deus. Vnionem namque in eſſentia confitemur, Trinitatem verò in perſonarum diſcretione prædicamus.

Dominum igitur noſtrum Ieſum Chriſtum Dei filium verum ſemper in Patre, ſemper cum Patre, ſemper credimus apud Patrem. In vltimis namque temporibus propter nos, & propter noſtram ſalutem ſecundum ſecretæ diſpenſationis arbitrium deſcendit de cælo, vnde nunquam ceſſerat. Venit nimirum in propria, vbi numquam deerat. Natus eſt de Spiritu ſancto ex Maria Virgine; dicente Angelo: *Quod enim in ea natum eſt, de Spiritu ſancto eſt.* Factus verus homo, iuxta id quod ſcriptum eſt, *Et Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis.* Permanſit verus & omnipotens Deus in vtraque natura, vnus Dei filius idemque hominis filius. Nihil enim humana natiuitate diuinæ præiudicauit natiuitati. Adſumpſit quod non erat, permanſit id eſſentialiter quod erat, non commixtionem paſſus, neque diuiſionem: ſed in vna perſona Chriſti Deus verus & homo permanet verus. Non duo filij Deus & homo, ſed vnus filius Deus & homo: non alius filius hominis, & alius Dei, ſed vnus idemque Dei, hominiſque filius. Vnde & eos valde execramur, qui eum adoptiuum impio grunniunt ore. Quia, ſicut præfati ſumus, adoptiuus dici non poteſt, niſi is, qui prius alienus eſt ab eo, à quo adoptari deſiderat. Dei ergo filius qua ratione credi poteſt adoptiuus, qui inſeparabiliter adſumpto

ſumpto homine in vna perſona, coëunte A vtraque natura, non duo filij, alius Dei, & alius hominis: vt ſicut illi errando æſtimãt, adoptiuus ſit hominis filius, & ſine adoptione Dei filius, ſed in vna perſona vnus idemq; Dei & hominis filius, qui numquam hominem quem aſſumpſit deſeruit, etiam nec in cruce quando inclinato capite tradidit ſpiritum, Paulo atteſtante, qui ait: *Si enim cognouiſſent, numquam Dominum gloriæ crucifixiſſent*. Dominus gloriæ crucifixus, cùm ſola caro ſit crucifixa. Sed B quia Dominus gloriǫ idem ipſe erat, qui & hominis filius, qui crucifigebatur, & numquam hominem deſeruit, ſicut dictum eſt, quem aſſumpſit, ideò dicitur Dominus gloriæ crucifixus. Sunt etiam plerique, qui adſtruunt ex tribus ſubſtantiis vnam mediatoris perſonam, Verbi, carnis, & animæ; cùm in cauſa fidei non videatur neceſſarium, ſophiſtica diſputatione ſecularium literarũ calculos ſyllogiſtica ſpargere manu. Suffecerat enim, iuxta præcedentium C Catholicorum Patrum ſaluberrimæ promulgationis doctrinam, ſincera ſimplicitatis voce ex vtraque natura vnam perſonam confiteri, veri Dei verique hominis Chriſti, diuina ſcilicet & humana: ſed propter eos vtique, qui ſemiplenã ſine anima rationali, & ad vicem animǫ diuinã naturã in carnis diſpẽſatione ſuſpicantur, cũ Pſalmiſta alacri pectore dicat: *Ecce enim Deus adiuuat, & Dominus ſuſceptor eſt animæ meæ.*

Pro hac igitur re, & huiuſmodi erroris D nubilo, ſtili flabello ex aëre mentis ventoſas nubiũ vmbras diſpergere feſtinamus, quatenus æterni Solis perfuſa radio, micantes ſtellas per cælos valeat puris obtutibus inſpicere ſcripturarum. Non ignoramus ex duabus ſubſtantiis humanam ſubſiſtere naturam, ex anima nimirum & carne: ſed vnum ſine altero perfectum non efficit hominem. Quid enim caro ſine anima, niſi terra? & quid anima ſine carne? nonne ſpiritus? Homo enim ex vtroque, & non ex vno. Vnde quia Redemptor noſter perfectum hominẽ adſumpſit in Deũ, E idcirco ex duabus naturis Deum & hominem confitemur. Non enim caro ſine anima perfecta humana poteſt dici integraq; natura. Nam cùm in limo terræ finxiſſet Deus hominẽ, protinus inſufflauit in eum ſpiraculum vitæ, ſicut ſcriptum eſt: *Et factus eſt homo in animam viuentem.* Non igitur alter qui formatus eſt, & alter qui inſufflatus eſt, ſed vnus idémque. Ex flatu namque animata eſt terra, tam incomprehenſibili arte mirabilique modo ſummi artificis manu configulata, vt inueſtigari pleniùs nequeat, qualiter & vnum ſit anima & caro quæ perfectum efficiunt hominem, & tamen diuerſa ſit ſubſtantia carnis & ſpiritus. Nam cùm ſcriptum ſit, *Ad te omnis caro veniet.* Et rurſus, *Non timebo quid faciat mihi caro.* Et iterum, *Et videbit omnis caro ſalutare Dei noſtri.* Nullo namque pacto ſine anima videre poteſt, vt videat ſalutare; nec venire valet, vt veniat ad eum omnis caro.

Ponamus igitur exempli cauſâ ſecundum humanæ rationis effectum, neceſſitate per omnia compellente, materialia themata diſputandi. Nam ſicut in planis & ſolidis figuris linea, & in quadrãgulis punctus, licèt ſint indiſſecabiles, & diuidi nequeant, & idcirco egregiè depingant dimenſionum figuras; omnium tamen numerorum multitudinis ſummam in ſe ſociatam retinent, & ex ſe vſque ad finitam numeroſitatem procedentes, & rurſus in ſe vſque ad vnum recurrentes, indiuiduam retinere probantur vnionis cæſuram. Fingamus igitur animam in forma corporis quaſi lineam, vel punctum in planis, ſolidis, atque quadrangulatis figuris, cunctas membrorum, partium in ſe indiuiduè continentes poſitiones, vnumquodque in iuncturа ſua inſertum, ita vt vnum ſit & diuerſum. Nam ſi ſubtrahas lineam & punctũ, æqualitatis nobilitas degeneratur figuræ. Inſtante autem linea iacentis primordio, punctique circumfuſa numeri quadratura, quiq; ſegregari vel non ſegregari poſſunt, reſolui inſolubili ſectione in lineæ punctique priuilegio demonſtrantur.

Ita ſane vis animæ, cùm ſit incorporea & inuiſibilis, nec diuidi poteſt, nec recipit ſectionum ſciſſuras; totam tamen corporis molem, quæ diuidi vel ſegregari poteſt, in ſe continentem mirabiliter regit, & per totum diffuſa animando viuificat, & quaſi punctus in medio, ſuam indiuiduè retinet dignitatem, & in alienam non reſoluitur qualitatem. Nam, ſicut dictum eſt, cùm ſit incorporea, corporaliter cuncta per corpus diſponit, & cùm ſit ſubſtantia carnis corporea, per incorpoream creaturam id eſt animam, corporeas perficit actiones. Tanta enim ſocietatis conuenientia ſibimet ſunt vnitæ, vt vnum ſine altero nihil poſſit. Et idcirco placuit ex vtraque humanam definire naturam. Nam anima incorporea per corporeos oculos videt, audit: ſentit, & corporei oculi per incorpoream animam videre probantur. Nam ſi recedat anima, oculi aperti remanentes, & aures patentes, nec videre poſſunt, nec audire.

Per linguam loquitur anima, & lingua loquitur per animam. In qualibet enim parte corporis inciſa carne anima dolet, ſine anima verò in fruſta ſecata caro, nec dolere nec ſentire poteſt. Per carnẽ nempe anima, & per animam caro eſurit, ſitit, triſtatur. Nunquid poteſt dici caro ſine anima humana natura, cùm nihil ſit aliud niſi terra? Animata verò terra humana imperfecta non poteſt dici integra perfectáque natura. Omne enim imperfectum amittit nominis proprietatem, niſi perfectionis commodius adiiciatur ſupplementum. Ex quatuor igitur elementis humana ſubſiſtere fertur natura, calido, frigido, humido, ſicco, id eſt igne, aëre, terra, & aqua. Cùm ergo ex his quatuor variis homo ſubſiſtat naturis, numquid debemus in vno homine quatuor ſubſtantias profiteri? Si hoc placet, addatur quinetiam quinta, id eſt anima, vt conſtat homo ex quinque, & verbi omnipotentis ſit ſexta; & tunc quod eſt omni fatuitate profanius, omníque vecordia ſtultius, fateantur ſex in vna die hominiſque Chriſti perſona ſubſtantias.

Tu forſitan ſuſpicaris, quicumque es noſtræ refragator adſertionis, de memoria nobis auolaſſe, quia dixerit beatus Apoſtolus, in interiore homine habitare Chriſtum per fidem in cordibus noſtris. Hæc nos tota deuotione mentis, ſimplicique veraciter retinemus corde, & adiicimus ea quæ te forſitan ſomniante latent, idem vas electionis Paulum dixiſſe reminiſcimur: *Ipſe autem Deus pacis ſanctificet vos per omnia, vt integer ſpiritus veſter, & anima, & corpus ſine querela in aduentum Domini noſtri Ieſu Chriſti ſeruetur.* Tria, inquam, dixit, ſpiritus, & anima, & corpus. Numquid aliud eſt ſpiritus, & aliud anima? non diuiſit ſubſtantiam, ſed dignitatem diſtinxit. Spiritalis quippe anima, & ſpiritale corpus vult in aduentum Domini noſtri Ieſu Chriſti ſeruetur in ſpiritali homine, qui & interior dicitur. Profitetur idem mirabilis doctor habitare Chriſtũ per fidem in cordibus noſtris. Nam eſt homo animalis, & eſt ſpiritalis non per ſubſtantiam, ſed per meriti qualitatem. Animalis quippe ab anima, ſpiritalis verò à ſpiritu nuncupatur, quemadmodum idem liquidius videlicet Doctor alterum ab altero diſcreuit. *Animalis*, inquit, *homo non percipit ea quæ ſunt ſpiritus Dei.* Hic eſt exterior, qui foras ſe ad exteriora appetẽda effundit. Spiritalis autem diiudicat omnia, id eſt diſcernit, & ipſe à nemine iudicatur. Hic, inquam, eſt in-
A terior, in quo Chriſtus creditur habitare, qui introrſus ſe per contemplationis gratiam retinet, & internæ refectionis dulcedine depaſtus, in amore ſui conditoris ſuauiter requieſcit.

His ita prælibatis; ad ea quæ reliquimus reuertamur. Quæro igitur, vt dicas mihi, in qua natura ipſe mediator Dei & hominum homo Chriſtus Ieſus dignatus eſt eſurire, ſitire, paſſionum ſentire dolores? Quid moraris? non vales negare melius, vt profitearis, quia ſecundum humanam.
B Diuina enim natura impaſſibilis, inuiolabilis, ſemper permanet immutabilis. Verum eſt omnino, verum, quia in humana. Volo ergo, vt liquidiùs definias, quid ſit humana natura; ſola caro, an ſola anima, an vtraque, anima & caro. Non enim poſſumus, nec fas eſt veritati contradicere, ex vtraque nihilominus humana conſtat natura, ex anima ſiquidem & carne. Dicite ergo mihi, in ſola carne, an in ſola anima, an quod verius eſt, in vtraque pertulit vulnera paſſionum? Caro enim ſine anima nihil ſentit, anima enim ſine carne
C non eſurit, neque ſitit, nec poteſt crucifigi, & tamen crucifixa eſt per carnem. In ſummis etenim palmis, & in extremis crucifixa eſt plantis. Quòd ſi non eſt crucifixa cum carne, cur ſenſit dolorem? Caro enim, ſicut dictum eſt, ſine anima nihil ſentit. Quod ſi per carnis cognationem ſenſit dolorem, & caro per animam dolet inciſa. Nec caro enim ſine anima, nec anima ſine carne plena poteſt humana Dei natura. Ex vtraque namque con-
D nexione, carnis ſcilicet & animæ, perfecta conſtat humana natura. Vnde & maiores noſtri hac definitione cenſita (quorum ſagaciſſima capacitatis peritia longè valde à noſtræ tarditatis diſtat ignauia) placuit eis, ſancto annuente ſpiritu, duas in vna Chriſti perſona indubitanter profiteri naturas, diuinam ſcilicet, & humanam: quia anima & caro non ſunt duo, ſed vnus homo. Dominum enim & hominem Dei filium confitemur. *Mediator*, inquit Apoſtolus, *Dei & hominum homo*
E *Chriſtus Ieſus*, qui ex anima & carne non duo, ſed vnus eſt dictus homo.

Ceſſent ergo iam nunc omnes ſuperfluæ muſſitantium adinuentiones. Ceſſent calumniatrices querularum quæſtionum obiectiones, quæ ad rem non pertinent, ſed magis ad ſimplicium ſubuerſionem. Doctrinis variis & peregrinis non abducamur, ſed confiteamur cum ſanctis Patribus noſtris Catholicis orthodoxiſq; viris, qui

rectam fidem & corde perceperunt, & inuiolabili ore Eccleſiæ filios ſalubriter docuerunt, duas in Chriſto naturas, diuinam nimirum & humanam, verum Deum verúmque hominem, in vtroque proprium Dei filium, non adoptiuũ, ſed ſempiterno ex patre, temporaliter natum ex Virgine matre, conſubſtantialem in ſua Deo patri ſanctoque Spiritui, conſubſtantialem etiam nobis in noſtra. Noſtra dicimus in carnis conditione, non in peccati vel miſeriæ communione. Peccatum enim non fecit, ſed alienum tulit, nec dolus inuentus eſt in ore eius, ſed dolores noſtros ipſe portauit. Vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra. Diſciplina pacis noſtræ ſuper eum, & liuore eius ſanati ſumus. Omnium autem hæreticorum peruerſa dogmata cum auctoribus & ſequacibus ſuis æterno anathemate percelli iudicamus. ELIPANDVM namque & FELICEM nouos hoſtes Eccleſię, ſed veternoſa ferè perfidia pollutos, niſi ab hac ſtultitia reſipiſcant, & per rectæ fidei ſatisfactionẽ lamentis ſe abluant pœnitentiæ, indignos & ingratis eos à conſortio Catholicorũ perpetua animaduerſione eliminare decerno, & à gremio ſanctæ matris Eccleſiæ cenſeo alienos. Eos etiam qui poſt hanc tam ſaluberrimam definitionẽ, quam plenaria Synodus ſancto afflata Spiritu, concorditer ſubtili ſinceritate terminauit, falſiſſimis eorum adſertionibus, ſiue clam, ſiue in publica voce præbuerint aſſenſum, ſimili eos ſententiæ vindicta ſancimus eſſe plectẽdos: reſeruato per omnia iuris priuilegio ſummi Põtificis Domini & Patris noſtri ADRIANI, primæ Sedis beatiſſimi Papæ.

Nos autem Domini & chariſſimi fratres, ſequentes præcedentium Patrum fidei doctrinam, reſpuentes per omnia deliramenta nugacium hominum, corde credamus ad iuſtitiam, ore autem confiteamur ad ſalutem, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum verum Dei filium, non putatiuum; proprium, non adoptiuum, æqualẽ & coæternum Patri ſanctóque Spiritui, qui Eccleſiam ſuam proprio ſanguine adquiſitã, ſine macula & ruga immaculatam cuſtodiat, & corda noſtra in rectæ fidei puritate immutilato iure conſeruet, Catholicum atque clementiſſimum, ſempérque inclytum Dominum CAROLVM Regem, per interceſſiones beatæ & glorioſæ ſempérq; Virginis Dei genitricis Mariæ, per quam meruimus auctorẽ ſuſcipere vitæ, & beati Petri primi Paſtoris Eccleſiæ, omniumque Sanctorum; verumetiã ſuffragantibus precibus veſtris, omnipotens & ſãncta Trinitas ſua cum gratia circumcingat & defendat, vt faciat ſemper quæ illi ſunt placita, & quatenus cæleſtibus fretus armis inimicos nominis Chriſti auxilio fultus de cælo ad terram proſternat: Barbaras etiam nationes infinita Deus omnipotens ditioni eius potentia ſubdat, vt ex hac occaſione ad agnitionem perueniant veritatis, & cognoſcant verum & viuum Deum creatorem ſuum, regenerati vnda baptiſmatis in gremio adgregentur matris Eccleſiæ, vt impleatur quod bonus Paſtor promiſerat, dicens: *Et alias oues habeo, quæ non ſunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere, & vocẽ meam audient, vt ſit vnũ ouile & vnus Paſtor.* Multiplicetur pax in diebus eius, vt ſit ſancta Eccleſia libera, & ab omni ſtrepitu mundi ſecura, qua libertate Chriſtus eam liberauit; liceátque Domini Sacerdotes iuxta Euangelicas & Apoſtolicas Canonicaſque regulas ſimpliciter Domino deſeruire, militare in ſolis caſtris Dominicis, quia iuxta eiuſdem Domini vocem, *Nemo poteſt duobus dominis ſeruire.* Et Paulus, *Nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſecularibus, vt placeat ei cui ſe probauit.* Nemo ſibi blandiatur, quod vtrumq; poſſit, & Deo, & mundo ſeruire; quia Veritas eſt, & mentiri non poteſt, qui hoc fieri non poſſe teſtatur. Vnde ſupplicandus eſt trãquilliſſimus Princeps noſter, vt ille pro nobis cõtra viſibiles hoſtes pro Chriſti amore, Domino opitulante, dimicet; & nos pro illo contra inuiſibiles hoſtes Domini imprecantes potentiam, ſpiritalibus armis pugnemus, quatenus vicariã ei retributionẽ in illa die pro Eccleſia ſua Dei filius rependat: vt quemadmodum illam nunc eis inter tot mundanos tumultus conſtitutam reddit ſecuram, ita eum cæleſtis regni faciat eſſe participem. Indulgeat captiuis, ſubueniat oppreſſis, diſſoluat faſciculos deprimentes, ſit conſolatio viduarum, miſerorum refrigerium, ſit Dominus & Pater, ſit Rex & Sacerdos, ſit omnium Chriſtianorũ moderantiſſimus gubernator; auxiliante Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui cum Patre & Spiritu ſancto viuit & regnat Deus in Trinitate perfecta, per omnia ſecula ſeculorum, amen.

FINIS.

B. Paulini Patriarchæ Aquileienſis Opere aduerſus Felicem & Elipandum iam abſoluto, communicata nobis eſt adhuc humaniſſimè proxima Synodus, ex Bibliotheca V. Cl. Claudij Puteani Senatoris Pariſ. quæ præſente ipſo Paulino aduerſus eoſdem Elipandum & Felicem habita eſt.

QVAE SEQVVNTVR SVMPTA SVNT EX SYNODO Francfordiana, & adiicienda ſub Epiſtola Paulini Aquileienſis Epiſcopi aduerſus Felicem Vrgelitanum, & Elipandum Toletanum Epiſcopos. Anno DCCXCIIII.

CAP. I. CONIVNGENTIBVS Deo fauente Apoſtolica autoritate, atque piiſſimi Domini noſtri Caroli Regis iuſſionē anno XXVI. principatus ſui cunctis regni Francorum, ceu Italiæ, Aquitaniæ Prouinciæ Epiſcopis ac Sacerdotibus ſynodali Concilio, inter quos ipſe mitiſſimus ſancto interfuit conuento, vbi in primordia Capitulorum exortum. De impia ac nefanda hæreſe Elipandi Toletanæ Sedis Epiſcopi, & Felicis Orgellitanæ, eorumq; ſequacibus, qui malè ſentientes in Dei filio aſſerebant adoptionem, quam omnes, qui ſupra ſanctiſſimi Patres reſpuentes vna voce contradixerunt: atque hanc hæreſim funditus à ſancta Eccleſia eradicandam ſtatuerunt.

II. Allata eſt in medio quæſtio de noua Græcorum Synodo, quam de adorandis imagnibus Conſtantinopoli fecerunt: in qua ſcriptum habebatur, vt qui imaginibus Sanctorum, ita vt deificæ Trinitate ſeruitium aut adorationem non impenderent, anathema iudicarentur. Qui ſupra ſanctiſſimi Patres noſtri omnimodis adorationem, & ſeruitutem renuentes, contempſerunt, atque conſentientes condemnauerunt. His peragratis.

III. De Thaſſillone definitum eſt capitulum, qui dudum Baioariæ Dux fuerat, ſobrinus videlicet domini Caroli Regis in medio ſanctiſſimi adſterit Concilio, veniam rogans pro commiſſis culpis, tam quas tempore Domini Pipini Regis aduerſus eum & regnum Francorum commiſerat, quàm & quas poſteà ſub domini noſtri piiſſimi Caroli Regis, in quibus fraudatus fidei ſuæ extiterat, indulgentiam vt ab eo mereretur accipere humili petitione viſus eſt poſtulaſſe, demittens videlicet puro animo iram atque omnem ſcandalum de parte ſua, quæque in eo perpetrata fuiſſet. Et ſciebat nec-non omnem iuſtitiam & res proprietatis quantum illi aut filiis vel filiabus ſuis in ducatu Baioariorum legitimè pertinere debuerant, gurpiuit atque proiecit. Et hi poſtmodum omne lite calcanda ſine vlla repetitione indulſit & filiis & filiabus ſuis in illius miſericordia commendauit. Et idcirco Dominus noſter miſericordia motus præfato Thaſſilloni gratuito animo & culpas perpetratas indulſit, & gratiam pleniter conceſſit, & in ſua eleemoſyna eum in amore dilectionis viſus eſt ſuſcepiſſe, vt ſecurus Dei miſericordia exiſteret in antea. Vnde tres breues ex hoc capitulo vno tenore conſcriptos fieri præcepit: vnum in Palatio retinendum: alterum præfato Thaliſſoni ſecū vt haberet in Monaſterio dandum: Tertium verò in ſacri Palatij Capella recondendum fieri iuſſit.

IIII. Statuit piiſſimus Dominus noſter Rex conſentiente ſacra Synodo, vt nullus homo ſiue Eccleſiaſticus, ſiue laicus ſit, nunquam carius vendat annonam ſiue tempore abundantiæ, ſiue tempore caritatis, quàm modium publicum, & nouiter ſtatutum. De modio de auena, denario I. Modio ordei denar. II. Modio ſigali denar. III. Mod. frumenti denar. IIII. Si

verò in pane vendere voluerit, duodecim panes de frumento habentes ſinguli libras duas pro denario dare debeat. Sigalatius xv. æquo pondere pro denario. Ordeaceos xx. ſimiliter penſantes: Auenatios xxv. ſimiliter penſantes. De publica verò annona Domini Regis, ſi venundata fuerit, de auena, modij duo pro denario. Ordeo den. i. ſigalo den. ii. frumento mod. d. iii. Et qui noſtrum habet beneficium, diligentiſſimè præuideat, quantum poteſt, Deo donante, vt nullum ex mancipiis ad illum pertinentibus beneficio famis moriatur, & quod ſupereſt illius familiæ neceſſitatem hoc liberè vendat iure præſcripto.

V. De denariis autem certiſſimè ſciatis noſtrum editum quod in omni loco, in omni ciuitate, & in omni emporio ſimiliter vadant iſti noui denarij, & accipiantur ab omnibus. Si autem nominis noſtri nomiſma habent, & mero ſunt argento pleniter pulſantes. Si qui contradicit eos in vllo loco, in aliquo negotio emptionis vel venditionis, ſi ingenuus eſt homo, xv. ſolid. componat ad opus Regis: ſi ſeruilis conditionis, ſi ſuum eſt illud negotium proprium, perdat illud negotium, aut flagelletur nudus ad *palam* coram populo. Si autem ex iuſſione ſui Domini fecerit, tunc ille dominus ſolid. xv. componat, ſi ei adprobatum fuerit.

VI. Statutum eſt à Domino Rege & ſancta Synodo, vt Epiſcopi iuſtitias faciāt in ſuas Parochias. Si non obedierit aliqua perſona Epiſcopo ſuo, de Abbatibus, presbyteris, diaconibus, ſubdiaconibus, monachis & cæteris, & ille diiudicet cauſam cum ſuffraganeis ſuis. Comites quoque noſtri veniant ad iudicium Epiſcoporum: & ſi aliquid eſt quod Epiſcopus Metropolitanus nō poſſit corrigere vel pacificare, tum tandem veniant accuſatores cum accuſato cum literis Metropolitano, vt ſciamus veritatem rei.

VII. Definitum eſt à Domino Rege & ſancta Synodo, vt Epiſcopus non migret de ciuitate in ciuitatē, ſed curam habeat Eccleſiæ ſuæ: ſimiliter Presbyter & Diaconus maneat in ſua Eccleſia canonicè.

VIII. De altercatione *Vſione** Viennenſis Epiſcopi, & aduocato Elipanto Arlatēſis Epiſcopi lectæ ſunt Epiſtolæ B. Gregorij, Zoſymi, Leonis, & Symmachi, quæ definierunt eo quod Viennenſis Eccleſiæ 4. ſuffraganeas habere ſedes deberet, quibus illa quinta prēmineret, Arlatenſis Eccleſia ſuffraganeas habere deberet, quibus ipſa prēmineret. De Tarentaſia verò & Eberduno, ſiue Aquis, legatio facta eſt ad Sedem Apoſtolicam, & quicquid per Pontificem Romanæ Eccleſiæ definitum fuerit, hoc teneatur.

*Vrſi, *ſiue*, Vrſionis.

Definitum eſt etiam ab eodem Domino Rege, ſiue à S. Synodo, vt Petrus Epiſcopus conteſtans coram Deo & Angelis eius iuraret cum duobus aut tribus ſicut ſacrationem ſuſcepit, aut certè cum ſuo Archiepiſcopo, quod ille in mortem Regis ſiue in regno eius non conciliaſſet, neque ei infidelis fuiſſet, qui dum Epiſcopus cum quibus iuraret non inueniſſet, elegit ſibi ipſe vt ſuus homo ad Dei iudicium iret, & ille teſtaretur abſq; reliquiis & abſque Sanctis Euangeliis ſolummodo coram Deo quod ille innocens exinde eſſet, & ſecundum eius innocentiam Deus adiuuaret illum ſuum hominem, qui ad illud iudicium exiturus erat, & exiuit: Tamen eius homo ad iudicium Dei neque per Regis ordinationem, neque per factam à Synodo cenſuram, ſed ſpontanea voluntate, qui etiam à Domino liberatus idoneus & viuit: clementia tamen regni noſtri præfato Epiſcopo gratiam ſuam contulit, & priſtinis honoribus eum ditauit, nec paſſus eſt eum eſſe ſine honore, quem proſpexit de compoſito crimine nihil malè meruiſſe.

XI. Definitum & idem à domino Rege, & ſancta Synodo eſſe dignoſcitur, vt Garbodus, qui ſe Epiſcopum eſſe dicebat, & ſui ordinationis teſtes non habuit, qui tamen Epiſcopalia* à Magnardo Metropolitano Epiſcopo coniunctus eſt, qui etiam profeſſus eſt Diaconus, & Presbyterum non ſecundum Canonicam ordinationem ordinatum eſſe, vt ab eodem gradu Epiſcopatus, quod de ſe habere dicebatur, deponeretur à prædicto Metropolitano ſiue à Comprouincialibus Epiſcopis.

XII. Vt monachi ad ſecularia negotia neque ad placita exercendi non exeant, niſi ita faciant, ſicut ipſa regula præcepit.

XIII. Vt recluſi non faciant, niſi quos ante Epiſcopus Prouinciæ atq; Abbas comprobauerint, & ſecundum eorum diſpoſitionem in recluſionis loco ingrediantur.

XIIII. Vt Abbas cum ſuis dormiat Monachis, ſecundum Regulam ſancti Benedicti.

XV. Vt Cellarij in Monaſteriis auari non eligantur: ſed tales electi ſint, quales Regula S. Benedicti docet.

XVI. De monaſteriis vbi corpora Sāctorum ſunt, vt habeāt Oratorium intra clauſtra, vbi peculiare officium & diuturnum fiat.

vii. Audiuimus enim, vt quidam Abbates A cupiditate ducti præmia pro introeuntibus in monaſteria requirunt. Ideo placuit nobis, & ſanctæ Synodo, pro ſuſcipiendis in ſancto ordine fratribus, vt nequaquam pecuniæ requirantur, ſed ſecundum regulam S. Benedicti ſuſcipiant.

v.iii. Vt Abbas in congregatione non eligatur, vbi iuſſio Regis fuerit, niſi per conſenſum Epiſcopi loci illius.

ix. Vt Abbates qualibet culpa à monachis commiſſa nequaquam permittimur cæcatione aut membrorum debilitate ingerere, niſi regulari diſciplinæ ſubiaceat.

xx. Vt Presbyteri, diaconi, monachi & B clerici tabernis ad bibendum non ingrediantur.

xxi. Vt Epiſcopum Canones & regulam non liceat ignorare.

xxii. Vt dies Dominica à veſpera vſque ad veſperum ſeruetur.

xiii. Quod non oporteat in villulis nec in vicis Epiſcopos ordinare.

xiiii. De ſeruis alienis, vt à nemine recipiantur, neque ab Epiſcopis ſacrentur, ſine licentia dominorum. C

xxv. De clericis & monachis, vt in ſuo propoſito permaneant.

xx vi. Vt decimas, & nonas, ſiue cenſus omnes generales donent qui debitores ſunt ex beneficiis, & rebus Eccleſiarum ſecundum priorum Capitulorum domini Regis, & omnis homo ex ſua proprietate legitimam decimam ad Eccleſiam conferat. Experimento didicimus in anno quo illa valida famis irrepſit, ebullire vacuas annonas à dæmonibus deuoratas, & voces exprobrationis auditas.

xvii. Vt domus Eccleſiarum, & tegumenta D ab eis fiant emendata vel reſtaurata, qui beneficia exinde habent, & vbi repertum fuerit per veraces homines, quod lignamen & petras ſiue tegulas, quæ in domibus Eccleſiarum fuerint, & modo in domo ſua habeat, omnia in Eccleſia fiant reſtauratæ, vnde abſtractæ fuerunt.

viii. De clericis nequaquam de Eccleſia ad aliā Eccleſiā trāſmigrentur neque recipiantur ſine conſcientia Epiſcopi & litteris cōmendatitiis de cuius diœceſi adfuerunt, ne forte diſcordia exinde veniat in Eccleſia. Et vbi modo tales reperti fuerint, omnes ad eorum Eccleſiam redeant, & nullus eum poſtſe retinere audeat, poſtquam Epiſcopus aut Abbas ſuus eum recipere voluerit: & ſi forte ſenior ignorat vbi ſuum requirere debet clericū cum quo fuerit, ipſe eum ſub cuſtodia retineat, & non permittat eum vacare alibi, vſque dum domino ſuo reſtituatur.

Vt non abſolutè ordinentur. xxix.

Vt vnuſquiſque Epiſcopus ſibi ſubditos bene doceat, & inſtruat, ita vt in domo Dei ſemper digni inueniantur, qui canonicè poſſint fieri electi. xxx.

De clericis ad inuicem altercantibus, aut contra Epiſcopum ſuum agentibus, ſicut Canones docent, ita omnimodis peragant, & ſi forte inter clericum & laïcum fuerit orta altercatio, Epiſcopus & Comes ſimul conueniant, & vnanimiter inter eos cauſam definiant ſecūdum rectitudinem. xxxi.

De coniurationibus & conſpirationibus, ne fiant: & vbi ſunt inuentæ, deſtruantur. xxxii.

Vt monaſteria ſecundum Canonicam inſtitutionem fiant cuſtodita. xxxiii.

Vt fides Catholica ſanctę Trinitatis, & oratio Dominica atque Symbolum fidei omnibus prædicetur & tradatur. xxxiiii.

De auaritia & cupiditate calcanda. xxxv.

De hoſpitalitate ſectanda. xxxvi.

De criminoſis vt non habeant vocem accuſandi maiores natu, aut Epiſcopos ſuos. xxxvii.

De recōciliatione tempore neceſſitatis. xxxviii.

De Presbyteris, qui contumaces fuerint contra Epiſcopos ſuos, nequaquam communicentur cum clericis, qui in Capella Regis habitant, niſi reconciliati fuerint ab Epiſcopo ſuo, ne forte Canonica excommunicatio ſuper eos inde veniat. xxxix.

Si Presbyter in criminali opere fuerit deprehenſus, ad Epiſcopum ſuum ducatur, & ſecundum Canonicam conſtitutionem conſtringatur; & ſi forte negare voluerit, & accuſator comprobationem dare non potuerit, & coram Epiſcopo definitum eſſe nequiuerit, tunc ad vniuerſale concilium illorum ratio deferatur. xl.

De puellis, quæ à parentibus priuatæ fuerint ſub Epiſcoporum & Presbyterorum prouidentia, grauioribus feminis commendentur, ſicut canonica docet authoritas. xli.

Vt nullus Epiſcopus propriam ſedem amittat alibi frequentando, aut in propriis rebus ſuis manere audeat amplius, quàm tres hebdomadas: & propinqui vel E hæredes Epiſcopi res quæ ab Epiſcopo ſūt acquiſitæ, aut per comparationes, aut per traditiones poſtquam fuerit ordinatus nequaquam poſt eius obitum hæreditare debeant, ſed ad ſuam Eccleſiam catholicè. Illas autem quas priùs habuit, niſi traditionem ad Eccleſiam ex eis fecerit hære- xlii.

dibus & propinquis, ſuccedant.

XLIII. Vt nulli nobis Sancti colantur aut inuocentur, nec memoriæ eorum per vias erigantur; ſed hi ſoli in Eccleſia venerandi ſint, qui ex authoritate paſſionum, aut vitæ merito electi ſint.

XLIIII. De arboribus & lucis deſtruendis, canonica obſeruetur authoritas.

XLV. Vt electi iudices de vtriuſque partibus non ſpernantur.

XLVI. De eorum teſtibus canonica ſit obſeruatio, & paruuli non trahantur ad Sacramentum, ſicut Guntbadingi faciunt.

XLVII. De virginibus quo tempore velandæ ſint, vel quibus occupationibus ante annos XXV. detinendæ, ſi neceſſitas compellit, ea quærantur, quæ in Canone ſcripta ſunt.

XLVIII. De Abbatiſsis quæ Canonicè aut regulariter non viuunt, Epiſcopi requirant, vt Regi annuntient vt ab honore priuentur.

XLIX. De oblationibus, quæ in Eccleſia vel in vſus pauperum conferuntur, Canonica obſeruetur norma, & non ab aliis diſpenſentur, niſi cui Epiſcopus ordinauerit.

L. De Presbyteris ante triceſimum ætatis annum non ordinandis.

LI. Vt confecta ſacra myſteria in Miſſarum ſolenniis omnes generaliter pacem ab inuicem præbeant.

LII. De non recitandis nominibus antequã oblatio offeratur.

A LIII. Vt nullus credatur, quod non niſi in tribus linguis Dominus orandus ſit, quia in omni lingua Deus adoratur, & homo exauditur, ſi iuſta petierit.

LIIII. Vt nulli Epiſcoporum & Sacerdotum liceat ſacros Canones ignorare.

De Eccleſiis, quæ ab ingenuis hominibus conſtruuntur, licet eas tradere aut vendere tantummodo, vt Eccleſia non deſtruatur, ſed ſeruiantur quotidie honores.

LVI. Dixit etiam Dominus Rex in eadem B Synodo ſe à ſede Apoſtolica Adriano Pōtifice licentiam habuiſſe, vt Angilramnum Archiepiſcopum in ſuo palatio aſſiduè haberet propter vtilitates Eccleſiaſticas. Deprecatus eſt eandem Synodum, vt eo mòdo ſicut Angilramnum habuerat, ita etiam Hildeboldum Epiſcopum habere debuiſſet. Quia de eodem, ſicut & de Angilramno Apoſtolicam licentiam habebat. Omnis Synodus conſenſit, & placuit eis eum in Palatio eſſe debere, propter vtilitates Eccleſiaſticas.

LVII. Commonuit etiam, vt *Aliquinum* * ipſa C ſancta Synodus in ſuo conſortio ſiue in orationibus recipere dignaretur, eo quod eſſet vir in Eccleſiaſticis doctrinis eruditus. Omnis nanque Synodus ſecundum admonitionem Domini Regis conſenſit, & eum in eorum conſortio, ſiue in orationibus receperunt.

* Alcuin.

INDEX

INDEX
RERVM ET VERBORVM NOTABILIVM, QVÆ IN ALCHVVINI ET PAVLINI SCRIPTIS CONTINENTVR.

A

AARON, cur primus ſacerdos dictus, 1079.c. Chriſti typus, 121.d
Abbatis officium erga Monachos, 1405.1406.
pro Abbate vel Congregatione oratio, 159.a
Abel cur cur iuſtus nominatur, 4.b
Abelis ſacrificium vt quid receptũ eſt, & Cain refutatum, 4.b.11.b
Abelis occiſio typus paſſionis Chriſti, 414.e
Abimelech cur non mortuus, cùm ei dixit Deus quòd morere ur, 31.e
Abia quid ſignificat, 1198.b.1199.d.1202.d
Abiud quid, 1198.c.1200.b.c.1204.a
Ablactatio quo anno fiebat apud Hebræos, 32.b
Abraham quid ſignificat, 1198.a.d.1201.b
Abraham ex Aſtrologiæ ratione creatorem intellexit & veneratus eſt, 1492.d. quomodo ſingulariter Dominũ appellauit, cùm ei tres viri apparuiſſent, 27.e. 28.a. cur ſe puluerem & cinerem dixit, 29.a. quare in ablactatione Iſaac fecit conuiuiũ, 32.a. ſpreuit idola Chaldæorum, 21.b. cur ei præceptum vt exiret de terra ſua, c. quãtæ promiſſiones ad eum, 22.a cur celauit Saram eſſe vxorem ſuam, c. quomodo defenditur adulterij reus nõ eſſe, dum vxore viuente ancillæ ſuæ coniunctus eſt, 26.a. quæ nomini eius littera addita, c. cur circumciſionem accepit, 27.a
Abrahæ cur præceptum eſt, vt immolaret filiũ, 33.c. d. eius ſemen duplex, e
de Abrahæ ſacrificio verſus, 1685.e
Abrenunciatio in baptiſmo ad quid, 1157.d.e
Abſolutio quid eſt, 1334.c
Abyſſus quas & quãtas allegorias habet in Scripturis, 1481.e
Accentus quid eſt, 1248.d.1249.a.1266.c
Accidens quid eſt, 1359.b.c
Accidentia corporalibus naturis quot, & quæ, 1360.c.d. & ſeq.
Accidentium differentiæ, 1362.e.1365
Accuſator qualiter impulſione ſeu ratiocinatione vti debet, 1330.e.1331. & quænam reo ingerere, 1336.a.b
Acedia quid & quantis mentem inficit miſeriis, 1241.c.d.
Acedioſus quis, & vnde dicitur, 1035.b
Achaz quid ſignificat, 1198.b.6.1200.a.1203.b
Achim quid ſignificat, 1198.c.1200.c.1204.c
Acolyti qui, & vnde dicti, 1078.d.e
Adam quatuor orbis partes deſignat, 424.b.c
Adam cur legem accepit, cum eſſet mundi Dominus, 3.c. vnde conſenſit Euæ, 9.d. cur peccatum in eam detorſit, 10.a
Adam & Eua cur non erubeſcebãt cùm nudi erant, 8.d. cur ſe poſt meridiẽ abſcõderunt, 9.e
Adelandis filię Regis Karoli Epitaphium, 1758.e
Adfirmatio quid eſt, 1386.a
Adoleſcentes qualiter ſe habere debent erga ſenes, 1545.d
Adoptio iniurioſe à quibuſdam Chriſto attributa, 1588.a
Adoptionis nomen in omnibus Scripturis nunquam legitur Chriſto impoſitum, 930.b.c. & ſeq.
de Adoptione in filio Dei hæreticorũ teſtimonia, 916.917.& ſeq. refutata, 930.931.& ſeq.
Adoptiuum Dei filium credentes hæretici, 670 c. refelluntur, 781.782.& ſeqq. 929.930.& ſeqq. 1769.1770. & ſeqq.
S. Adonnanus, 1736
Adrianus Papa, 1580.d. Vicarius S. Petri, 1581. a.b. Felicem Vrgel. Epiſcopum condemnat, 939.b
Adriani Papæ epitaphium, 1729
pro Adriano Papa defuncto Carolus Rex intercedi etiam in Anglia curat, 1670.c
Aduerbium quid eſt, 1249.b.1300.d. eius proprium, 1267.c. & de eo plura, 1300.1301. & ſeqq.
Adulteri qui, 1034.d
Aduocatus quis, 1790.e
Aduocatus quomodo, qui Deus eſt, 858.b.c. & ſeqq.
Ædilbertus Epiſcopus, 1546.a
Ædilhardus Doroenſis ciuitatis Archiepiſcopus, 1514.c.1532.d.1576.d. Romam proficiſcitur, & qualiter ab Apoſtolico recipitur, 1669.a.b
Ædilredus Rex Nordanhumbrorum, 1537.c 1554.b
Ædilthydis famula Dei, olim Regina, 1541.c
Ænon, locus vbi baptizabat Ioannes, 433 b.c
Aër quid eſt, 1385.c
Æricus Dux, 1621.d.1664.a
Æſtas quid eſt, 1388.e
Æternum quid ſignificat, 767.a.b.d.1127.a. tribus modis in Scriptura legitur, 768.e.769.a.b
Æuum & Seculum qualiter diſcernuntur, 767.b

Africa vnde dicta, 36.d

Agareni,qui & Saraceni, 1669.e

Agathæ virginis ſupplicium, 1686.b. ara,1692.c 1702.e. 1735

Aginus Epiſcopus, 1583.e

S. Agnetis martyrium,1686.b. ara, 1692.c

Agnomen vnde ſumitur, 1268.d

Agnus Paſchalis qualiter edendus, 826.b.c

Agnus Dei, quis cantari inſtituit, 1094.e. & cur cantatur, 1123.d

Alba ſacerdotalis quæ, & eius ſignificatio, 1090.d

Albis veſtimentis induuntur baptizati ad quid, 1151.b.c. 1159.b.1592.d

Albertus Abbas, S. Willibrordi Archiepiſcopi ſucceſſor, 1447.c

ALCVINVS ſeu Albinus, Flaccum ſe vocat, 1464.c.1469.d.1472.c. 1473.b. 1474.c.1490 b.1506.a. 1507.b.1510.c. 1513. b.1549. c. 1708 1719. 1724. item Flaccum Albinum, 1461.c 1469.c.1508.b. 1512.b. 1519 a. 1529.d. 1646.a Albinum ſimpliciter, 1513.b. 1522.a. 1523.a 1547. c. 1557. 1558. 1577. d. 1709.1723.1726 1739. Alchuinum quoque, 1537.a.c. 1546.a 1574.e 1709.1739. Alquinum, 1671.a. Alchwinum, 1672. d. Leuitam ſeu Diaconum, 1532.d.1537. c. 1541. c. 1544. a. c. 1559. c. 1567. c. veteranum militem, 1472. c.1476. d. 1506.a. ſororem habuit nomine Eugeniam,1557.a.1739. quæ ei Crucẽ miſit, 1572.d e.1573.a.b.Pſalterium & Miſſale cum Cappa, 1575. e.1576.a. fratrem quoque Aquilam dictum, Epiſcopũ Iuuauenſẽ, 1584.b.1641.b.c in Eboracenſi Eccleſia educatus eſt, 1567. d. e. docuit in Britannia, 1463. d. e. 1464. d. diſcipulus fuit Egberti Archiepiſcopi Eborac. 1463. d. e.1666.1667.hæres theſaurorum ſapientiæ eius, 1665. d. 1666. Bedam Magiſtrum vocat, 1477. a. e. non ſuum, ſed ſui temporis nobiliſſimum, 1565. e. Hebraicè doctus, 26. d. 573. a. b. 1058. d. 1087. d. 1198. item Græcè, 424. c. 448. d. 454. b. 509. d. 570. d. 838. e. 948. a. 1018. a. 1032. c.1247.a. 1531.1638.b. Poëta, 1709. 1723. 1724. peritus in aſtronomicis, 1469.1473.1476.1479.1490. 1491.1496. 1497.1499. 1500. 1510. a. adoleſcens Romam perrexit, & aliquot dies in Papia eſt demoratus, vbi tunc Caroli Magni Francorum Regis curia verſabatur, 1511. b c. ab eodem Carolo in Franciam euocatur, vt Catholicam fidem defendat, ſicut ei prædictum fuerat in patria, 927. 928. 938. e. 939. b vt ſapientiam veram in Galliis doceat,1522. d e. 1726. in partibus Borealibus conuerſatur, 1476. a. laborat in reſpondendo ad defenſionem fidei, hortaturque vt Paulinus & alij idem præſtent, 1474. b. 1495. a. recipit Librũ à Felice Vrgelitano Epiſcopo ſibi directum, 1494. Lugdunum mittit vt aliud eius ſcriptũ recuperet, 1511. a. b. c. errores eius oppugnat ſeptem Libris, vbi, 781. 783. 786. a. 915. a 924. 939. b. c. 996. b. eum Catholicum efficit, 933. b. 935. e. 939. c. d. 993. Magiſter à pluribus appellatur, 703. 704. 1657. d Præceptor etiã à Carolo Rege, 1480. e.1723 e. diſciplinas Dialecticas eum docuit, 703. Cellæ maritimæ præſidet, in qua corpus S. Wilgiſi, 1431. Oratoriũ conſtruit 1708.1726. è Palatio Regis abit, 1496. a. ſeculares occupationes declinare cogitãs à Carolo Rege transfertur in ſeruitium S. Martini, 1523. d. e. Abbas Turonenſis, 998. e. Turoni bonas diſciplinas docet, 1463. c. e. 1464. d. 1507. d. e. 1512. a. 1513. d iam ſenex, 1464. e. libros deſiderat quos in patria Eboracenſi reliquerat, 1463. d. e. ſoli Deo ſeruire toto eligit deſiderio, 1513. a. b priorémque voluntatem perficere optat, 1523 e. & 1524. a. quantas à prima cognitione aduentus ſui apud Carolum largitiones ab eo accepit, 1515. b. c. diues & famulis abundans, 927. quos diſcipulos vel diſcipulas habuit, 309.373.377.589.759.1480.e.1548.b. 1549.a 1574. c. d. Commentarios in Ioannem ſcribit dum eſſet Turonis, 373.374. & ex quibus Doctoribus illos collegit, 381. Sigulfo ſocio ſuo quæſtiones in Geneſim dedicat, 1.2. emendat libros diuinos iuſſu Caroli Regis, 589. 685 686. eíque correctos offert, 1517.a.b. Elipantum Toletanum Epiſcopũ in Catholica fide cohortatur, 901.902.925. ab eo conuiciis & iniuriis afficitur, 910.911. & ſeq. 925 926.927 contra eum quatuor libros componit, 927 928. & ſeqq. Libros de Trinitate ſcribit, quo tempore, 703.704. & quando libellum de ratione animæ, 776.c.d.781. a.b.c. an auctor Carminis de aduentu Leonis in Franciã, 1745 librum de Virtutibus ad Guidonem Comitẽ ſcribit, 1217. doloris capite fatigatus, 1511. a. febrium acerbitate, 1569. e. 1572. d. valde infirmatus apud S. Martinum, 1515. d. e. amicos & adiutores habuit in Britannia totius Inſulæ præcipuos, 1514. c.1532.1537.1541. non immemor compatriotarum, licet in Francia degeret, 1667. a. pro pace mittendus ad Offam Merciorum Regem, 1669. e. 1670. a. in peregrinatione ſua remanere melius duxit, cur, 1667. c. Centulæ Monaſterium inuiſit cum Rege Carolo, 1419. ad prædicationem veræ fidei, & baptiſmum nouellis populis cum exhortatur, 1487. c. d. munera ab eo accipit, 1490. c. d. numquam pertinax fuit in ſuis ſenſibus, 1496. e.1497. a. inuitatus ad conſpectũ Regis, ſe excuſat, quod in præliis verſari non eſſet aſſuetus, 1498. d. e. 1499. a. per Belgicam latitudinem iter agit, 1499. b. 1501. e Athenen nouam perficit in Francia, 1500. b reuertitur de Wicus eo tempoie quo Leo Papa aduenit in Franciam, 1504. a. b. Carolum exhortatur ad vindictam ſceleris in illum cõmiſſi, 1502. d. e. 1503. a. 1504. d. renuit ire Romam cum eo, cupiens apud S. Martinum remanere, 1505. a. b. 1507. d. precibus iter ſuũ proſequitur, 1507. e. ab eo prouocatus ad interioris pugnæ certamen librum contra Felicem exaratum illi dirigit, 1509. a. b. 1510. d ſe excuſat quod ad Palatium ire non poſſit, 1513. b. c. Liudgardæ Reginæ epitaphium ſcribit, 1517. d. Carolum conſolatur pro eius morte, 1519. a. b. Candidum puerum illi in Franciam reuertenti obuiam mittit, 1523 a. b. ſub vmbra potentiæ eius religioſam ducit vitam, 1536. a. S. Amandum inuiſit, 1584. e cum Paulino iunctus intimo amore, 1727. Carolum in Hiſpaniã euntem votis ac verſibus proſequitur, 1743. *Vide plura in Præfatione, in Alcuini vita, & in veterum de eo teſtimoniis*

ad Aliquid, categoria quæ, & eius proprietates, 1365. b.c
Alleluia, quid, vnde dicitur, & cur in Miſſa canitur, 1099. c.d
Alleluia cur à Septuageſima non cantatur vſque ad Paſcha, 1019.c.d
Altarium denudatio in feria v. maioris hebdomadis, quid deſignat, 1049.b
S. Amandi Præſulis Eccleſia, & ſepulcrum, 1688.c. d.1689. e. obitus, & virtutes, 1690.c d. ara, 1693.e.1702. b. manſiones, 1584.e
Amen, quid, & eius interpretatio, 1098. e. 1116. e. 1121. c.
Amicitia quid eſt, 1389. d
Amicus quis, & vnde dicitur, 1473. c
Amicus verus quinam, 1560. e
Amicus fidelis commendatur, 1244. e.1245.a
Amictus ſacerdotis quando ad altare miniſtrāt, 1086. e.
Aminadab quid ſignificat, 1198. a. e. 1201.e
Ammon quid ſignificat,1198.b.1200.a.1203.c.d
Amygdalum, locuſta, & capparis, qualiter ſeni conueniunt, 367.d
Analogia quid eſt, 1266. d
Anaſtaſius martyr, 1734.
Anaſtaſius vir religioſus, 1613.a
de S. Andrea Apoſtolo, verſus, 1678.d.1689.e & de eius Eccleſia, 1706.1733
Angelus pro Chriſto in Scriptura, 34.d
Angelus,qui aquam piſcinę mouebat,Chriſtus, 454. d
Angeli cur domum Loth introiſſe dicuntur, 32. a
angelus animal rationale immortale 1358.e.
Angeli duo in ſepulcro Chriſti viſi, quid deſignabant, 664.d.e
Anglorum populi, 1562 b. gens, 1571.d
Angelbertus, 1576.a.1581.d.1583 e.1600.c. Primicerius Palatij Pippini Regis, 1556. a. Romam proficiſcitur, 1601.a. 1613.a
Angilbertus, quicquid habebat Eccleſiæ dedit, 1698.a S. Richarij tecta conſtruxit, 1711
Angilbertus Abbas S. Richarij, 1419
Angilramnus Archiepiſcopus, 1606.d.1708 S.Capellæ Primicerius, ibid.
Anianus Præſul Aurelianenſis, 1735
S. Amani ara, 1694.d
Anima imagine & ſimilitudine ſui conditoris nobilitata,772.b.c.e. vilis & deformis à Deo recedens efficitur, ibid.
Anima duabus dignitatibus à creatore ſuo glorificata 775. a. qualiter definiri poteſt, d. varijs nuncupatur nominibus, ſecundum officium operis ſui, 776. a.b. regit corpus per quinque ſenſus, d.e
Anima ſanctæ Trinitatis imaginem in ſe habet, & qualem,55.a.b.c. compatitur corporis doloribus, 891.e
Anima ſola nobilis, quæ Deum amat, 770.d.e debet eſſe domina, 771.a
Anima per Samaritanam deſignata, 444.445
Anima Chriſti vtrum plenam habeat diuinitatis ſuæ cognitionem,727.b & ſi habet,quomodo dicitur in Euangelio, Filium neſcire diem iudicij? 728.c.d. à Verbo numquam ſeparata,ex quo Verbum caro factum eſt, 942.b.c
Animæ natura triplex, 771. a. virtutes excellentiores quatuor,b.beatitudo quæ,772.e.775.a mira velocitas in formandis rebus quas percipit per ſenſus carnales, 773. c.d. 774
Animæ vita quæ, 774. e. pulcritudo virtus, & eius deformitas vitium, 776. d.
Animæ ordo quis,1351.d.partes quot, 1367.a ornamenta quæ, 1258. e
Animæ quatuor diligenda ſunt, & quænam illa, 772. d animae sedes in corde 1355.a.
Animæ quibus alis ad cæleſtis regni beatitudinem feruntur, 1579.a.b
Animæ ſanctorũ an ante diem iudicij in cæleſte recipiantur regnum, dubitatio quorumdam, 1609. b. c
Animarum origo vnde, 777.a. b.
Animalia omnia quomodo in Arcam ingreſſa, 15. c. vnde ſe inuicem non debellabant, 16. d. & quid de eorum cibo & potu ſentiendum, e
Animalia terreſtria cur plus maledictionis habent quàm aquatilia, 3. d
Animalia trium annorum ab Abraham ſumenda quid deſignant, 24 b
de Animalibus quatuor Euangeliſtarum, Proſa, 1686. e. 1687. a
Annus quid eſt,1388.e. eius ductores,& palatia, 1389. a
Annus legitimus à quo menſe incipiendus, 1496.b. c. d
Ansfredus Præſul, 1735.
Antichriſtus de tribu Dan futurus, 53. e. 54. a. per ceraſten deſignatus, ibid. & b.c gloriam ſuam quæſiturus eſt, 500. e
Antichriſtus quare dicitur,1209.d.quoſnam habebit miniſtros, 1210. ex quo populo naſcetur, ibid. & 1211. a. in quo loco 1211. e. quænam geret 1212. b. c, & ſeq. quando reuelabitur 1213. b. c. 1214.a.ab Helia & Henoch oppugnabitur, 1215. b. c. & quem finem habebit, 1215. c. 1216. a.b
Antichriſti perſecutio nouiſſima, 752. c
Antiphona quid, & à quo inuenta, 1096. b.c
Antiſtes quis, & vnde dicitur, 1083. b. c
Antonius Alcuini amicus, 1652. d
Aper Abbas, & eius ſepulcrum, 1705
S. Apollinaris doctor, 1736.
Apoſtoli, oculi Chriſti, 52. e. venatores, 53. c. lapides, 72. e. viæ, 82. b. ſagittæ, 114. a
Apoſtolica ſublimitas quanta, 1502. d
Appetitus ſub homine quid, 11. c. d
Applicatio quid in ſcripturis, 828. d
Apum origo & natura mirabilis, 824. c
Aqua quid eſt, 1388. c
Aqua, populus impius, 109.d
Aquæ motus in piſcina, quid, 454. e
in Aqua quid ſignificatur, 1589. a. b
Aqua viua, quid, 443. a. b
Aquæ quò reuerſæ ſunt poſt diluuium, 17.c
Aquæ dulces in mare influentes qualiter conſumuntur, 316.a
Aquila antiſtes, 1584.b.1641.b.frater Alcuini, c 1641. b. c.
Aram quid ſignificat, 1198. a. e. 1201. e
Arca ſanctificationis Dei, Eccleſia, 119.c
Arcæ Noe forma vel ſpecies qualis intelligi debet, 13.d. quomodo bicamerata & tricamerata, 14.a.b. quid habet myſterij eius menſura, d.
Architriclinus quis, 417. e
Arcus cur in ſignũ ſecuritatis datus, 18.b. & cur in cælo poſitus, c. & cur diuerſi coloris, ibid.

Arena quid eſt, 1389. c
Arenæ quomodo comparatur multitudo, 44. e
in Arena quinam ſignificati, 22. d
Argumentatio quid, & vnde dicta, 1253. d. e 1337. 1338.
Argumentum quid eſt, 1372. d
Argumentorum propoſitiones quot, & earum exempla, 1373. 1374. & ſeq.
Argumentorum, quę aliunde trahuntur, ſpecies, 1377. d. e. 1378. 1379. & ſeq.
Aries quid deſignat in Scriptura, 24. c
Aries qui pro Iſaac immolatus vnde venit, 34. a. b.
Arithmetica quid eſt, 1353. d. quàm dulcis, & neceſſaria ad cognoſcendas Scripturas diuinas, 1492. e
Armillę auri obrizi Paulino Patriarchæ à Liudgarda miſſæ, 1622. d
Arnonus Præſul, 1688. d. ſepulcrum S. Amandi renouauit, 1690. c. Eccleſiam, 1753.
Arrius qualiter & quàm peruerſè de filio Dei ſentiebat, 1780. a. damnatus æterna nocte, 1870 e. eius pater diabolus, 1772. b
Arrij hæreſis, 915. b. 937. d. 948. c. d. 959. b
Ars vnde dicitur, 1247. a
Arſatius legatus Nicephori Imp. ad Pipinum Regem, 1661. b. c
Arundo, Scriptura poteſt dici, cur, 659. c. d
Aruſpices qui, 1035. e
Aſcenſionis Domini ſollemnitas, 1070. e
Aſina, quid myſticè, 574. c
Aſſiduus Abbas Conſtantinopol. 1661. e. Legatus apud Carolum Regem, ibid. & 1662. a
Aſtrologi quinam, 1014. e
Aſtrologia quid eſt, 1353. d
Aſtrologica prædictio olim prohibita Chriſtianis, 1015. b
Aſtronomia quid, 1353. d
Athanaſius almus Eccleſiæ miles, 1735
Athelardus Archiepiſcopus, vide in Ædilhardo.
Athenæ in Francia, 1500. b
Ato Abbas, 1704. d. 1706. Eccleſiam S. Lamberti conſtruxit, 1702. d. Aperi ſucceſſor, 1705.
Atrebatenſis vrbs, 1412. d. ab Hunnis deprædata, 1413. munita patrocinio S. Vedaſti, 1418. e
Atrium quid, 122. c
Attila Hunnorum Rex Atrebatum deprædatus, 1413.
Auaritia quid, & eius genera, 1240. d. e. qualiter vincitur, e. quæ ex ea naſcuntur vitia, 103 . c
Auaritiæ medicina, 1033. d
Auarus vnde dicitur, 1033. c
Auari deſcriptio, 335. e. 337. e
Auares inſtante Rege Karolo conuerſi, 1669. d
Auarorum gens, 1663. c
S. Audoini ara, 1691. e
S. Audomarus Taruennæ Epiſcopus lumen recipit in tranſlatione S. Vedaſti, 1418. b. c
Augures qui, 1035. e
Auris Malcho amputata quid ſignificat, 642. d e. 1484. a. b
Aures quid ſunt, 1387. b
Aures baptizati cur tanguntur, 1157. a
Aurora diei ſubſecuturæ quid, 1196. c. d
Aurum, ſapientiæ diuinæ ſplendor, 1088. b
Auſtria, regnum regnorum, 915. a. b
S. Autbertus Epiſcopus Atrebat. S. Vedaſtum transfert, 1457. d. e
Autumnus quid eſt, 1388. e
Auxentius hæreticus, 1398. b. ab Ambroſio debellatus, 1856. b. c
Axona fluuius, 1409. e
Aza quid ſignificat, 1198. b. 1199. d. 1202. e
Azor item quid, 1198. c. 1200. c. 1204. b
Azymorum dies, 647. c

B

Babylonis conſtructio, 20. c
Bala ancilla, num vxor vel concubina dicenda, 39. a
Baltheus quid, 1086. c. & eius myſtica interpretatio, 1088. d. e
Baptizandi tempus antiquus, 1062. b. c
Baptizandus ex idololatria ad fidem conuerſus quomodo inſtrui debet, 1489. d
Baptizari nemo debet in Epiphaniæ feſto, cur, 1017. b. c.
Baptizatus in confeſſione ſanctæ Trinitatis à quocumque, etiam hæretico, rebaptizari non debet, 426. c
Baptiſma quotuplex, & qualiter vnum dicitur, 1591. a. b.
Baptiſma nos reformat ad imaginem creatoris, 1152. d. e.
Baptiſma non reiterandum, 1141. a
in Baptiſmatis ſacramento tria viſibilia, tria inuiſibilia, & quænam illa ſunt, 1643. c. d
Baptiſmi genera, 1060. c. ceremoniæ explicantur, 1060. c. 1061. c. 1151. a. b. 1153. 1154. & ſeqq. 1592. a. b. c.
in Baptiſmo quot gradus, 1060. d. ſuſceptores 1062. d.
in Baptiſmo quot merſiones faciendæ, 1589. c. d & ſeqq. 1609. a. b.
Baptiſmus gentium nouiter conuerſarum quomodo fieri debet, 1488. e. 1489. a. b. c
Baptiſmus paruulorum non loquentium, 1159 c. 1160.
Baptiſmus Chriſti, 749. d. e. 1016. a. b. ſecunda natiuitas, 1017. a.
in Baptiſmate Ioannis non fuit regeneratio ſicut in baptiſmate Chriſti, 817. d. e. 818. c. d 820. d.
Barba quid eſt, 1307. a
Barbariſmus quid eſt, 1266. e
Bartholomæi altare, 1735. e. & de eo Carmen, 1681. b.
S. Bauonis ara, 172. b
Beatitudo vera in quo conſiſtit, 114. c
ad Beatitudinem veram nemo niſi per fidem Catholicam peruenire poterit, 707. b. c
de Beatitudine æterna Sanctorum, 755. c. d
Bebban Ledani Præſul, 1713. e
Beda Magiſter, 1477. a. e. nobiliſſimus, 1565. e vitam S. Cudberti verſibus heroicis ſcripſit, 1714. a.
Bedæ Pſalterium, 252. e
Begnod, Clericus, 1559. a
Beneuentana terra, 1524. e. & expeditio in eam 1525. b.
Beneuolentia ex quibus locis captatur, 1332. b
Benedictio vera quæ, 115. b
Benedictio Canonicorum, 1194. a
Benedictiones diuerſæ, 1190. c

Benedictiones, quibus Iacob Patriarcha filios ſuos benedixit, qualiter intelligendæ ſunt, 48. a. b. 49. & ſeq.
Benedictus Abbas in Gothia, 925. 1709. prædicat aduerſus hæreſim Hiſpanicam, 925. & 927
Benedictus puer, 1572. b
S. Benedictus regularis vitæ inſtitutor, 1564. b
S. Benedicti regula in Conuentu propria lingua exponenda, 1564. d
S. Benedicti ara, 1692. b. 1697. b. Eccleſia, 1708.
Beornradus Archiepiſcopus, 1431
Beornuinus Presbyter, 1571. c
Begenſes, 1739. a
Berta virgo, 1750. 1751
Bertus Pontifex præclarus, 1735
Bethania, domus obedientiæ, 400. a
Bethſabee quid ſignificat, 1198. b. 1199. d. 1202. c
de Biſſexto quædam, 1509. c
Bituminis natura quæ, 13. d
Bona temporalia à Deo creata, 1141. c. & eorum vſus, ibid.
Booz quid ſignificat, 1198. a. 1199. a. 1202. a
Bos cur melior leone, 18. a
Boues, doctrina vitæ cæleſtis, 421. b
Brachium Dei, quod, 583. a. b
Brettones propter rapinas, auaritiam Principum, iniquitatem Iudicum, & deſidiam Epiſcoporum patriam ſuam perdiderunt, 1535. c.
S. Briccij ara, 1737. a
S. Brigida, Scota, 1736
Brittannia, Alcuini patria, 1463. e. 1464. d
Brittannia à Paganis bellica virtute acquiſita, 1535. b.
Byſſus quid deſignat, 1088. c

C

Cæci curatio per ſputum, quodnam myſterium commendat in humano genere, 538. c. d
Cæcitas quid myſticè, & vnde contigit, 536. c. d
Cælum quid eſt, 1383. a. cuius naturæ; & ſi volubile, cur non cadit, 4. c
Cælum, Chriſtus, 1119. b
Cæli & terræ nomine quid ſignificatur in principio Geneſ. 5. b
Caidocus, ſacerdos Hibernus, 1421. c
Caini ſacrificium vt quid refutatum, 4. b. 11. b
Cain vnde maledicitur in peccato ſuo, e. cur ſeipſum morte damnauit, 12. a. à Lamech occiſus, b.
Calcaneum mulieris quid, 10. c
Calceamentum Chriſti, quid, 399. d
Calēdę Ianuarij cur à paganis inſtitutę, & an cauendæ, 1013. c. d
Calliſtus Legatus Nicephori Imp. pro pace apud Carolum, 1661. e. 1662. a
Calwinus presbyter, 1633. a
Campania tota S. Remigium veneratur, 1448. e
Campolus vir religioſus, 1613. a
Candela media cur non extinguitur in Cœna Domini, 1045. a
Candidus Presbyter, 309
Candidus Alcuini famulus, 765. d. 1523. b. c 1524. d. 1621. b. 1623. d
Canis viuens peccator, 351. d
Canonis Miſſæ interpretatio, 1102. 1103. 1104 & ſeqq.
Canonicis Horis intereſſe debēt omnes fratres, 1568. d
Capellæ regiæ miniſtri, 1730
Capharnaum, huius mundi typus, 419. a
Capillis pedes Ieſu tergere quid, 570. c
Capra quid in Scriptura deſignat, 24. c
Caput quid eſt, 1387. a
Caput, diuinitas, 1102. a
Caput baptizati cur chriſmate vngitur, 1151. c 1158. e. cur tegitur, 1159. a
Caput ſerpentis quid eſt, 10. c
Capitum lotio in Sabbato Paſchæ, 1042. a
Caro, fragilitas humanæ naturæ, 12 e
Carnem comedere diebus quadrageſimalibus vetitum, 1614. a. b
Carnium eſus cur poſt diluuium homini conceſſus, & non ante, 13. c. 18 b
Carolus Francorum Dux Radbodum deuincit, 1439. d. 1454. e. S. Willibrordum Epiſcopum in Traiecto delegat, 1439. d. 1455. a
Carolus Magnus Rex ac Imp. 1141. d. Dialecticæ diſciplinæ rationes ab Alchuino diſcere voluit, 703. doctus ac deuotus erat, ibid. in ſapientia alter Salomon, 781. b. 1498. d. e. verè Catholicus in fide, 938. e. 939. a. Alcuinũ ad ſe vocat vt cōtra hereſim Hiſpanicã ſcribat, 927 928. 938. e. 939. b. Felicis Vrgel. Epiſcopi condemnationem procurat, 939. a. b. ac deinde conuerſionem, 998. d. e. 999. a. ſcribit de ratione ſeptuageſimæ, ſexageſimæ & quinquageſimæ. 1147. Dauid frequenter ab Alcuino vocatur, 1461. c. 1465. c. 1471. e. 1472. c 1476. d. 1480. c. 1497. e. 1499. b. 1501. e. 1502 a. 1503. e. 1504. a. b. 1508. a. 1510. a. b. 1512. a b. 1513. d. 1514. a. 1515. a. 1516. b. 1521. e. 1522. b. 1529. d. 1618. b. 1648. b. 1649. a. 1719. 1730 1731. 1740. 1741. 1742. 1743. 1747. 1753. e. 1753 a. & vtrum hoc nomen eius proprium fuerit, 1505. c. 1624. b. Centulæ Monaſterium inuiſit, 1419. decorus erat facie, 1461. c. defenſor pius ac iuſtus populi Chriſtiani, 1462. c. mente ſemper ſtabilis & firmus, 1472. d. curam accipit reſpondendi ad fidei Catholicæ defēſionem, 14474. b. ab Alcuino edoctus, 1723 in Aſtrologicis peritus, 1475. a. 1478. c. Rex Germaniæ, Galliæ, atque Italiæ, 1487. b Saxones ab idololatriæ cultura ad verum Deum conuertit, 1487. d. item Hunos, 1487. e munera Alcuino mittit, 1490. c. d. ceteris in ſeculi dignitatibus excellentior, 1502. e. decus populi Chriſtiani, defenſio Eccleſiarum Chriſti, conſolatio vitæ præſentis, 1504. d vindex ſcelerum, rector errantium, conſolator mœrentium, exaltator bonorum, 1502. e ad vindicanda quæ in Leone Papa commiſſa ſunt, ab Alcuino excitatur, 1502. d. e. 1503. a 1504. d. terrenæ felicitatis imperio & ſpiritalis ſapientiæ latitudine ditatus, 1506. d. Romam è Germania proficiſci feſtinat ad conpeſcendam ſceleratorum perniciem, 1507. e ſapientiæ decore, & ſanctæ religionis feruore omnibus præcellens, 1508. d. ſchiſmatum errores ſopit, 1508. d. e. Eccleſias Chriſti à perfidorum doctrinis purgat, 1509. a. duobus gladiis à diuina Poteſtate armatus, 1509. a diadema regale gemmis præfulgidum in ver-

rice geſtat, 1509. d. e. Petrum habuit Magiſtrum in Grammatica, 1511. c. per ſingulos magiſtratus in altiſſimum ſecularis potentiæ honorem euectus, 1513. e. quanta Alcuino largitus eſt, 1515. b. c. ab eo conſolatur pro morte Liudgardæ Reginæ, 1519. ſereniſſimo ſapientiæ veræ ſplendore totius caliginem iniquitatis diſcutit, 1522. b. c. omnes ad eam diſcendā etiam præmiis & honoribus ſollicitat, 1522. d. e. Alcuinum de Britannia adſciſcit, vt illam in Francia doceat, 1522. e. 1726. e. 1727 a. eum ſeculares occupationes declinare cogitantem in ſeruitium S. Martini transfert, 1523. e. in Franciam redit, 1523. a. b. proſperitas regni ſalus populi, decus Eccleſiæ, omnium protectio fidelium Chriſti, 1526. a. Eccleſiæ rector & defenſor, 1730. tardat in Saxonia, 1569. e. conſtruere vult Monaſterium ad S. Paulum Romæ, 1611. d. Homerum Auricularium ſuum ad Leonem Papam mittit, 1611. c. d. & eum admonet ſui officij, 1611 1612. 1613. de Hunis victoriam reportat, 1618 c. Catholicam fidem à ſectis peruerſi dogmatis munire non ceſſat, 1624. b. plurimos populos ad caritatem Chriſti & laudem conuertit, 1648. b. c. Saxones, Friſones, Auaros, Hunos, Sclauos, 1669. c. d. recipit legatos Nicephori Conſtantinopolitani Imp. 1661. b. c. ad ſedes Epiſcopales Angliæ munera dirigit, 1668. d. vt pro anima Adriani Papæ ore, 1670 c. d. Hiſpaniæ multam partem Sarracenis aufert, 1669. d. e. miſſos in Scotiam dirigit, qui per Angliam redeunt, 1668. ab Offa Rege diffidet, 1669. e. cum eo pacem & fœdus init, 1670. a. c. d. eique munera mittit, c d. in Hiſpaniam proficiſcitur, 1743. orbis honor, 1743. Romæ patronus, & Apoſtolici Rector, 1744 eius præclariſſimum elogium, 1747 1748. & ſeqq. Conuentum aduerſus Elipanti & Felicis errores congregat, 1873
Caſinus mons, 1720. a
Caſtra Dei quæ vidit Iacob in itinere, quæ ſunt 40. e.
Caſula quid ſignificat. 1091. d. e
Caſus vnde dicitur, 1279. e
Caſus nominum quot, & quínam, 1280. a. b. & ſeqq.
Categoriæ quæ & quot, 1354. b. 1360. a
de Catenis, ſeu Vinculis S. Petri, verſus, 1683. c
Cauſa quot habet circumſtantias, 1323. b. c
Cauſarum genera quot & quæ, 1326. 1327. & ſeq. 1332. e. 1333. 1352. c. e.
Ceaduala Rex Saxonum, 1676. a. Romam proficiſcitur, b. vbi baptizatur & moritur, ibid.
Ceciliæ Virginis ſupplicium, 1686. b. ara, 1692 c. 1702. c.
Cedar, peccatores, 105. a
Ceilmundus miniſter Offanæ Regis Merciorum, 1514. c
Cenodoxia quid, 1242. c. d
Cenſuræ Eccleſiaſticæ, 1037. e
Centula, Monaſterium, vulgo, S. Richarius, 1419. 1421. a. b. 1429. d.
Ceolfridus Abbas, 1564. b
Ceoluulfus Epiſcopus, 1576. d
Cerebrum quid eſt, 1387. a
Cerei duo cur ante Euangelium portantur, 1094. c. 1099. d. e.
Cereorum accenſio poſt baptiſmum, 1065. e 1066. a.
Cereorum origo in feſto purificationis, 1018. a. b
Cereoſtrata quid ſignificant, 1093. e
Cerinthus condemnatus, 1870. e
Cethura, quæ, vnde genus duxit, & quid ſignificat, 36. b. c
Chaldæi ignem pro Deo colebant, 21. a. 1492. d
Cham cur in poſteris maledictus, 18. e. 19. a
Charitas an ad ſolam Spiritus ſancti perſonam pertineat, 764. e
Charitas in præceptis Dei principatum obtinet, & quæ eius perfectio, 1219. a. b
Charitas homines Deo adpropinquat, 1541. d. in quo potiſſimum oſtendenda, ibid. & 1542. a
Charitas, quam Deus præcepit, duplex, 1544 e. 1545. e.
Charitas, omnis operis boni fundamentum, 613. b. c.
Charitatis virtus quæ, 613. e
Charitatis in Chriſti membris commendatio, 121. c.
Chriſmatis confectio in die Cœnæ Domini, 1046. d. e.
Chriſmate ſacro cur baptizati caput vngitur, 1151. c. 1158. e. 1592. d.
S. Chriſtophori ara, 1737. a
Chriſtus quid ſignificat, 1198. c. 1201. a. 1205. c. d
Chriſtus vnde ſic dicitur, 1125. a
Chriſtus cur in nocte natus, 1010. e. cur voluit circumcidi, 1012. b. & quare die octauo, d baptizatus, vbi, quando, & à quo, 1016. a. b
Chriſtus cur plenus gratia & veritate ab Euangeliſta prædicatur, 738. c. d
Chriſtus duas habet natiuitates & naturas, 789 e. 790. d. e.
Chriſtus cur baptizari voluit, cum ſine peccato eſſet, 817. c. d. qua vnctione vnctus, 820. e. 821. a. vnigenitus, & primogenitus, qualiter, 838. b. c. item ſeruus, 845. b. c. d.
Chriſtus ex Virgine natus, proprius filius Dei, 794. c. 810. d. e. vnigenitus & vnicus, 795. d. e & paſſim in ſequentib. Saluator, 798. e 799. a. b.
Chriſtus quomodo non eſt Filius Spiritus ſancti, dum in Symbolo dicitur, de Spiritu ſancto & ex Maria Virgine natus, 739. a. b
Chriſtus pro nobis Agnus fieri dignatus eſt, 1836 e. 1837. a. b. qualiter non ſuam, ſed patris voluntatem facere venit, 1843. d. & ſeq. 1845. d & ſeq. an iudicij diem ignoret, 1848. b. c. qualiter candidus & rubicundus, 1819. b
Chriſtus qualiter euocatus pro nobis, 858. b. c d. e. & ſeq. naturaliter eſt bonus, 853. b. c. d ſol⁹ inter mortuos liber, 867. c. d. e. 868. a. infirmitates carnis voluntarias habuit, 869. 870 captiuus dici nec poteſt, nec debet, 946. b. c
Chriſtus cur non legitur populi lacrymis proſecutus, 1519. d
Chriſti ante natiuitatem ſigna & adumbratio, 1009. c. conceptio & natiuitas, 1010. b. c. cur celebratur, ibid. & ſeq.
per Chriſtum omnia facta, ipſe verò natus, non factus, 729. d
in Chriſto quæ gerebantur, noſtræ ſalutis cauſa geſta ſunt, 749 e
in Chriſto naturarum diſtantia, non perſonæ, 745. d. e

Cidaris quid? 1087. b. 1809. d
Cilicium pœnitentium quid deſignat, 1138. a. b
Cinere aſpergi in pœnitentia quid denotat, 1138. a. b.
Circumciſio quid ſignificabat, 502. b. c. cur Abrahæ præcepta, 27. a
Circumciſionis Chriſti feſtum, cauſa, & origo eius, 1011. e. 1012. a. octaua, d
Clemens Petri ſucceſſor, 1692. d
Clemens qui & Willibrordus, 1436. e. vide, S. Willibrordus.
Clementia quid eſt, 1350. b
Clerici qui, & vnde dicti, 1080. c. 1081. a
Clericorum tonſura vnde exordium ſumpſit, 1080. c.
Clodoueus Francorum Rex Alemannis bella infert, 1407. d. vouet ſe Chriſtianum fore, 1408. b. c. baptizatur à S. Remigio, 1409 b. 1410. d. e.
Clotarius Rex filius Clodouei, 1415. a
Clotildis vxor Clodouei, religioſa femina, 1408. a.
Coccus bis tinctus quid deſignat, 1088. c
Cœnæ Dominicæ in feria v. celebratio & ceremoniæ, 1044. a. b. & ſeq. 1047. b. c. etymon, 1048. c.
Cognomen vnde ſumitur, 1268. d
Collatio quid eſt, 1252. a
Collecta quid, & vnde dicitur, 1098. d
Collecta ſuper iudicium dicenda, 1191. a
Columba, quare ramum oliuæ portauit, 17. e
Columba, Spiritus ſancti typus, 401. & 415. b 421. b
Columba, Albini diſcipula, 589. 1576. b
S. Columba Virgo, 1703. b
S. Columbanus, Scotus, 1736
Comæ quid ſunt, 1387. a
Communio non neganda in extremis, 1130. d
Comparatio quid eſt, 1251. d
Completæ Horæ, & earum celebratio, 1128. c
Compunctio cordis vnde naſcitur, 1224. e. & quænam eius efficacia, 1225. a
Conceſſio quid eſt, 1251. c
Concionator verus qualis eſſe debet, 313. b. c. 314
Concluſio quid eſt, 1253. a. 1341. b. & eius partes, ibid.
Concupiſcentia ad quid homini data, 771. e
Condatenſis vicus, 1402. d
Confeſſio Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, 135. e
Confeſſio maieſtatis, & poſtulatio veniæ, 161. b
Confeſſio peccatorum, 130. a. 131. b. 164. b. 165 166. 196. 231.
Confeſſio ſacerdotibus facienda à laicis, 1594. e 1595. & ſeq.
Confeſſio pœnitentium ad quid valet, 1138. d. e
Confeſſio morituri qualis eſſe debeat, 1131. b. c
Confeſſionis medicamentum quale, 1225. d. 1226.
per Confeſſionem peccata diluuntur, 59. b
per Confeſſionem pœnitens peccata ſua debet pandere, 1162. b. c. 1163. & ſeqq.
Confeſſor quomodo debet confitentem interrogare in confeſſione, 1038. b. debet habere iudicium, 1039. c. d
Confeſſoris orationes, 1039. d. e
Confitens quomodo debet ſe gerere, 1038. d
Confirmatio quid eſt, 1252. e. 1334. e
Confirmatio mox à baptiſmo, 1064. c
Confirmationis vetuſtas, 1064. a
S. Congallus, 1736
Coniunctio quid eſt, 1249. b. 1311. b. eius propria, 1267. d. & de ea plura, 1311. 1312
Conqueſtio quid eſt, 1342. b. c
Conſonantes literæ quæ, & vnde dictæ, 1262. d e. 1263.
Conſtantinus Imperator per B. Silueſtrum Chriſtianus factus, 915. b
pro Contemplatione & amore cæleſtis patriæ, oratio, [illegible]34. e
Continentia quid eſt, 1350. b
Contradictio quid, 1386. b
Contrariorum genera quot, 1370. d. 1371
Controuerſia quotuplex, 1252. b
Controuerſia ſcripti quæ, 1324. e. 1325
Controuerſiarum loci, 1323. d
Conuerſio ad Dominum non differenda, 1227. e 1228.
Conuiuiorum immoderatus vſus à Sacerdotibus expellendus, 1626. a. b
Cophini duodecim fragmentorum quid, myſticè, 475. e
Cor quid eſt, 1387. c
Cor contritum, quid, 69. a
Cordua ſiue Corduba ciuitas, 993. 997. b
S. Cornelij Martyris ara, 1735. e
Cornu, regnum, & altitudo, 121. a
Corporale quale, & eius complicatio, 1101. d. e 1102. a.
Corpus quid eſt, 1387. a
Corporis moderatio ſeruanda in oratione, 1346 d. e.
Corpore & ſanguine Dominico confirmabantur olim baptizati, 1151. c. d. 1159. c. 1592. d
Corpus Chriſti triforme, 1094. e
Corpus ſolidum quibus ex reb. componitur, 1364. b. c.
Corrigia calceamenti Chriſti quid, 399. e. 825. c
Coruus vbi requieuit, cùm ab Arca emiſſus eſt? 16. e. 17. a.
Corydon Scolaſticus, 1739.
SS. Coſmæ & Diamiani ara, 1692. b. 1705
Coxæ quid ſunt, 1387. e
Creatoris ad creaturã coniunctio mirabilis facta, 726. c
Creaturæ rationales quot, 2. & quæ de nihilo factæ, 4. d
Crientio fluuius, 1417. a. 1418. a
Criſpini & Criſpiniani ara, 1692. c
Crux quantũ bonum, & eius interpretatio myſtica, 657. c. d
Crucis adoratio in die Paraſceues, 1053. a. b
Crucis ſigno cur baptizati ſignantur, 1153. e
S. Crucis ara, 1692. c
de Crucis vexillo, carmen, 1683. a
Crura quid ſunt, 1387. e
S. Cudbertus Præſul, 1714. a. celebris in Britannia, ibid.
S. Cudberti vita per Bedam ſcripta, 1714. a
S. Cudberti Eccleſia à Paganis vaſtatata, 1541. a 1565. a. 1672. e.
Cuſtodia matutina, reſurrectio Domini, 77. a Chriſtus, 117. d
S. Cypriani Martyris ara, 1735. e
S. Cyriacus, 1734
Cyrinus Præſes, 1010. a

D

DAgobertus Rex religione nobilis ac poteſtate præclarus, 1421.a
Dalmaticæ vſus,nomen, & interpretatio, 1091 a. b
Damœtas, 1730. vide in Riculfo, & Flauio.
Dan, cur coluber dicitur, 53.c
Dan[illegible]cus, vbi, 23.c
Daphin Albini diſcipulus, 305.c
Dauid quid ſignificat, 1198.b. 1199.c. 1202.c
Dauid, Chriſtus, 118.d.e.788.d.e
Dauid, pœnitentiæ exemplum, 1137.d
Dauid, Carolus Magnus Imperator : vide in verbo Carolus.
Debita pro peccatis in Oratione Dominica, 866.a.b. 1120.c.
Debitores quinam in Scriptura, 866.d
Debitores Dei ſumus duobus modis, 1120.c.d.e
Decimę an à nouis Chriſtianis & adhuc rudibus in principio fidei exigendæ, 1488.e.d. 1503.c
Dedicatio templi Salomonis triplex,& eius memoria, 552.e
Defenſor qualiter ſe gerere debet,& quibus locis vti, 1336.c.d
Definitio quid eſt, 1266.b
Definitiones quæ & quot, 1354.b
Defunctorum nomina in Miſſa recitari ſolita, 1115.d.
pro Defunctis fidelib. orare bonum, 154.c
Delectamenta omnia ſeculi fugitiua, 1537.e
Delictum quid, 60.a. & quando contra nos eſt, 66.a
Dentes quid ſunt, 1387.b
Dentium officia, 366.d
Deprecatio quid eſt, 1251.e
Deprecatio, quam Gelaſius Papa pro vniuerſali Eccleſia conſtituit cauendam eſſe, 241.c
Detractor ſerpenti ſimilis, 358.a
Deus qualiter ſeptimo die ab operibus omnibus requieuiſſe intelligendus eſt, 1.b quot creaturas rationales condidit, 2. quare in principio legem non dedit,4.a.cur ſenario numero mundum condidit, 5.a
Deus cur hominem tentari permiſit,quem conſenſurum præſciebat,8.e. cur quaſi neſciens interrogauit vbi eſſet Adam, 9.e
Deus ſolus immutabilis, 75.b
quod Deus verus ſit Pater & Filius & Spiritus ſanctus, 708.c.d
Deus omnium eſt cauſa quæ ſunt vt ſint, 719.e ſuper omnia eſt, 720.c
Deus quare dicitur magis in cælo habitare quàm in terra, 722. a.b.765.a.b
Deus eſt vbique totus poteſtate naturali, 724.a
Deus aliter in Sanctis eſt, aliter peccatoribus præeſt, 724.d.e
Deus quomodo verè Vnitas, & verè Trinitas, 761.a.
Deus qualiter videri poteſt, 763.b.c
Deus, bonum indeficiens, 770.d.& ſummum, 771.d.
Deus vbique totus qualiter, 774.c
Deum amare omni homini naturale eſt, 769.e 770.d
in Deo nihil ſecundum accidens dicitur,713.d.e
in Deo nihil commutationis,etſi humano more Scriptura de eo loquatur, 723.b
in Deo an aliquid diſtet eſſe, viuere, intelligere, poſſe? 763.d.e
de Deo æqualia dicere melius, quàm ſimilia, 720.d.e.
de Deo incautè diſputare periculoſum, 177.a
de Deo quædam ſuſtantialiter,quædam relatiuè dicuntur, 710.a. & hoc neceſſario diſcernendum, 712.c
Deſpicere, & diſpicere vnde componuntur, 1531.a.b. ſeqq.
Diabolus vnde, 531.a. & cur homicida dicitur, b. mendax, & mendacij pater, d. 532.b
Diabolus cur tam infeſtus hominum ſaluti, 4.a
Diabolus hæreſiarcharum pater, 1871.b.c. 1872.b.c.
Diabolus, Rex ſtultus, 332.c. ſerpens, 358.a
Diabolo vnde prima mala voluntas euenit? 12.c
Diaconorum nomen & officium, 1082.a
Diadema regale gemmis præfulgidum, 1509.d.a
Dialectica quid eſt, 1256.b.1354.a.1357.d. vnde dicitur, 1357.d.e
Dialecticæ ſpecies quæ, & quot, 1358.a
Dictio quid eſt, 1266.b
Dictiones figuratiuæ & deriuatiuæ in quo differunt, 1278.d.e
Dies quid eſt, 1388.a
Dies antiqui, quinam, 79.a
Differentia quid eſt, 1266.e. 1358.d.e.quot modis fit, 1372.c
Diffinitio quid eſt, 1375.a
Diffinitionum modi, 1375.a. ſpecies, d.e
Digiti quid ſunt, 1387.c
Dilectio perfecta quæ, 677.d
Dilectio proximi à Chriſto commendata, 597 d.e. 613.a.b.
Dilectionis mandatum quàm neceſſarium cunctis, 1405
de Diluuio Noe, verſus, 1685.a.b
S. Dionyſij ara, 1691.d. 1694.e. 1696.e. 1702.d
Diphthongus vnde dicitur, 1264.d
Diſpoſitio quid eſt, 1250.c. 1322.d
Diuerſitas eorum quæ ſunt, 725.b.c
Diuinitas vtrum cum carne concepta, nata, & paſſa, 766.b
Diuinitas hominem, quem aſſumpſit, nunquam dimiſit, 748.b.c
Diuinitatis ſubſtantia omnimodo inuiſibilis & incomprehenſibilis in ſua natura creaturis, 731.d
Diuinitatis plenitudo in Chriſto, 1784.c. 1795 b.c.
Diuitis deſcriptio, 336.a.c. 337.e. 338.a
Diuitiæ veræ quæ, 1555.d.e
Diuitiæ iniuſtæ non amandæ, 1538.e
Diuitiis cor non eſt apponendum, 309
Dominici diei inſtitutio & ſollennitas, 1072.c
Dominus vobiſcum, cur in Miſſa canitur, 1097.c.d
Dona Dei in Sãctis etſi diuerſa,tamẽ ab vno eodẽq; Spiritu ſingulis ſingula dãtur, 735.e. 736.a
Dona fidelium diuerſa, 438.b.c
Duodenarij numeri myſteria, 475.e.494.d.e

E

EAda Preſbyter, 1552.d
Eadbertus, 1713.e
Eanbaldus Preſbyter, 1567.b.1569.d

Ean-

Eanbaldus Archiepiſcopus 1661.e.1671.a.munera Leoni Papæ mittit, 1746
Ebila regio, quæ, 36.e
Ebion condemnatus, 1870.e
Eboracenſis Eccleſiæ fratres, 1567.b.1616 c.1617.a.
Ebrietas pro ſatietate in ſcriptura, 45.a
Ebrietas fugienda, 1560.a
Ebrius & Ebrioſus, quinam, 1035.b
Eccleſia quid,1126.d.& cur Catholica vocatur,e
Eccleſia ex tribus fidelium ordinibus compoſita, & quinam illi ſunt, 418.a.b
Eccleſia, Sion, 73.b.110.c.1206.Luna, 106.b vxor Chriſti, 114.e.arca, 119.c.veſtimentum Aaron, 121.e.nauis, 480.c
Eccleſia, ciuitas, & domus obedientiæ, 570.b.c
Eccleſia improborũ nequitia perturbata, 1502.c
Eccleſiæ qualiter regendæ ac exornandæ, 1570.e 1571.
Eccleſiaſtes, quis & vnde ſic dictus, 311.b
Eccleſiaſtis liber quando à Salomone compoſitus, & qualiter eſt intelligendus, 312.313
Eccleſiaſtici Ordinis dignitas & gradus, 1077.d e.1078.& ſeq.
Ecgfridus Rex Merciorum, 1562.a.1618.a
Edelhardus Doroenſis Eccleſiæ Metropolitanus, 1514.c.vnde, Ædilhardus.
Edilthida virgo, nobilitas eius, pietas ac mors, 1686.b.c.d.
Effrata quæ, vbi Iacob vxorem Rachelem condidit, 42.c
Egbertus Epiſcopus cognomine Sanctus in Hibernia ſtudet, 1434.e
Egbertus Archiepiſcopus Eboracenſis, Alcuini Magiſter, 1461.d.e.1666.e.1672.b
Egferti nobiliſſimi iuuenis mors, 1670.e
S. Eiſlarius,
Eleazar quid ſignificat, 1198.c.1200.d.1204.d
Electi omnes, membra Chriſti, 429.a
Eleemoſynæ commendatio, 361.c
pro Eleemoſyna oratio, 160.e
de Eleemoſyna diſputatio, 1040.c.d
Eleemoſynarum opus quid pro peccatis efficit, 1230.c.d.e.
Elementorum numerus & natura, 4.e
Eliachim quid ſignificat, 1198.c.1200.c. 1204.a.b.
S. Elidius Præſul Pictenſis, 1703.d
Eliezer Damaſcus quis, 24.a
Elipantus Toletanus Epiſcopus admonetur in Catholica fide perſtare, 901.902.& ſeq. contra Alcuinum ſcribit pro adoptione Chriſti, 910.911.ſed refutatur quatuor Libris, 927 929.930.& ſeq.ſcribit ad Felicem nuper cõuerſũ, 995.à Paulino oppugnatur, 1873.1874
Eliud quid ſignificat, 1198.c.1200.d.1204.d
Elocutio quid eſt, 1250.d.1322.d.& qualis eſſe debet, 1343.e.1344.a.b.c
Elpricus monachus, 1054.c
Encænia quæ apud Iudæos, 552.d
Engilpertus, vide in Angilberto.
Enoch quare ſeruatus à morte, & cur tandem eſt moriturus, 4.c
Enunciatio quid eſt, 1372.d.1384.d.e
Ephod, quæ veſtis, 1086.c.vnde dicta, d.& eius ſignificatio myſtica, 1089.a
Epicheirema quid, & eius partes, 1254.e.1255.a
Epiphania Domini.& eius feſtum, 1014.d.e.& ſeqq. in ea nemo debet baptizari, 1017.b
Epiſcopus qualiter eligebatur & ordinabatur olim, 1083.d.1084.& ſeq.
Epiſcopus ſedem deſerere non debet, 1625.b.c
Epiſcopi qui, vnde dicti, & eorum officium ac dignitas, 1082.c.d.e.1534.c
Epiſcopi qualiter ſegerere debent, 1533 b.c.1534 & ſeq. 1536.b.c.& ſeqq. 1626.a.b.c.1654 1655.
Epiſcopi Angeli ſunt Dei excelſi, ibid. lumina Eccleſiæ, d.terræ ſal, lumina mundi, & alia eiuſmodi, 1536.e.1537.a
Epiſcoporum officium, 1541.b
Epiſtola vnde dicitur, 1638 b.c
Epiſtola Miſſę quid, & vnde originem habet, 1099.a.cur in Miſſa legitur, 1099.a
Epiſtolæ ad quid ſcribuntur 1645.d
Eſternaco, Monaſterium, vbi iacet corpus S. Willibrordi, 1443.b,c.1445.a
Ermegildus Presbyter Orgelitanus, 998.b
Ermengardis Regina, 1760
Eruditionis efficacia quàm neceſſaria in omni dignitate, 1464.b c
Eſau quomodo dicitur habitaſſe in monte Seir, poſt mortem patris, 43.a
Ethelardus Archiepiſcopus, 1671.a.c
Etymologia quid eſt, 1249.d.1266.d
Eua, virgo, a.1576.b
de Euæ lapſu, verſus, 1685.a
Euangeliſtarum nomen vnde, 411.c
Euangelium cur præcedentibus cereis defertur, 1094.c.1099.d.e.
Euborica ciuitas, 1463.e.1723
Euchariſtiæ reſeruatio in die Cœnæ Domini, 1048.a.b.
Eufemiæ Virginis Martyrium, 1686.b
Eugenia ſoror ſpiritalis Alcuini, 1557.a.1631.d
Eulalia virgo, 769.d.in Palatio regio verſabatur, 777.c.d.781.a.c.docta, 779.a
Eulaliæ Virginis ſupplicium, 1686.b
Eunomius laqueo ſe ſuſpendit, 1870.e
Eutuuinus Rex Saxonum, 1675.e.relinquit regnum pro Chriſto, e.& 1676.a
Eutychetis error, 791.d.833.a.condemnatio, 1855.a.43.
Exequiæ mortuorum qualiter procurari debent, 1131.e.1132.a
Exequias frequentare vtilius, quàm conuiuia; cur, 340.b
Exercitatio Iſaac in campo quæ, 35.e.36.a
Exorciſtæ qui & vnde dicti, 1078.d.eorumque officium, 1081.d
Exorcizatio in Baptiſmo ad quid, 1156.c
Exordium quid eſt, 1252.e.1332.a.& quomodo efficitur,
Expediti quinam, 23.b
Exſpirare quid, 551.c
Exſufflatio ad quid in baptiſmo, 1156.d
Exſuperius Presbyter Orgelitanus, 998 b
Exulare quid, 551.c
Ezechias quid ſignificat, 1198.b.1200.a.1203 b.c.

F

Fabulæ, quæ ſunt, 1267.b
Facere, categoria, quæ, & eius proprietates, 1368.c.d
Falſidici qui, & vnde, 1035.b

Fardulfus Abbas, 1698.b.c
Fatuus quis & vnde dicitur, 1035.e
Fauus mellis quid ſignificat, 674.c.d
Fel quid eſt, 1387.d
Felix Epiſcopus, 1602.b
S.Felicis Preſbyteri ara, 1736
Felicis Vrgelitani Epiſcopi errores, 783.784.& ſeqq. 903.904. 998.999. oppugnati ab Alcuino, 783.784. & ſeqq.903.904. à Paulino Aquileienſi Patriarcha, 1769. 1770. & ſeqq. vide in Hiſpanico errore.
Felicis condemnatio, 939.a.b.abdicatio erroris, & reuerſio ad vomitum, ibid. conuerſio ad Catholicam fidem, 933. b. 935. e. 939. b.c.d 993. perductio ad Carolum Regem, & confeſſio fidei coram Leone III. Papa, 998.999
Felicis ſubuerſoris libellus cōtra fidem Catholicam, 1474.b.1494.d. diſputatio cum Saraceno, 1511 a.b. noua maledictionis toxica, 1608. e. 1609.a
Feminalia linea ſacerdotum in veteri lege, quæ & qualia, 1087.e. & eorū ſignificatio, 1090.b
Feneſtra ad quid in ſummitate Arcæ, 14.e
Feriæ IV. hebdomadæ maioris ceremoniæ, 1403.b c
Feriæ V quæ & Cœna Dominica, celebratio, 1044.a. b. & ſeqq.
Feriæ VI. quæ & Paraſceue ſolennitas, 1049.d.e
Fici arbor in Scripturis quid ſignificat, 410.c.d
Fidentia quid eſt, 1350.a
Fides quid, 1389.d. animæ vita, 562.c. res voluntaria, & ad quam cogi nemo poteſt, 1647.a.b
Fides neceſſaria vbi ratio deficit, 789.e
Fides edita apud Nicæā à 318. Epiſcopis, 288.b
Fides Catholica quæ ſit, & quòd ad ſalutē conſequendam omnibus neceſſaria, 707.e
Fidei virtus quanta, 392.a
Fidei regula quæ, 1139.e.1140.a.b.& ſeq.
Fidei regula aduerſus hæreſes Felicis, 1869. & ſeq.
Fidei Catholicæ perfectio, 1218.a
S. Filiberti ara, 1701.e
Filiæ Loth quo conſilio concubitum patris petierunt, & ſi ab hoc inceſtu purgari poſſunt, 30. d. e
Filius qualiter Principium dicitur, 388.b.c
Filius ſolus genitus, 717.c. ſolus incarnatus, 743 d.765. b.c
Filius quomodo à Patre miſſus intelligēdus eſt, 739. d
Filius quare nunc æqualis, nunc minor Patre dicitur, 741.a.b
Filius Dei cur dicitur conceptus ex Spiritu ſancto, nec tamen filius Spiritus ſancti vocatur, 1125. b. c
Filius quare non dicitur Spiritus ſancti filius, ſed Mariæ Virginis? 765.c
Filij merces quinam, 113.e
Filij Dei, & Filiæ hominum, quid, 12.d
Finis quid in Scriptura ſignificat, 770.b
Flauius Damœta vir clariſſimus, 1586.a.1620.d e. in Saxoniam profectus, 1621.b
S.Florianus, 1734
Flumina quid denotant in Scripturis, 1388.c
Fluuius emanans de ventre quid, 506.e
Fœnum, in quo diſcumbens turba refecta, quid, 474. c.d
Fons irrigans vniuerſæ terræ faciē, quid eſt, 7.b
Fontium baptiſmalium benedictio, 1063.b.c
Fordradus Preſbyter, 1556.e
Fornicatio quid, 1034.c. qualiter committitur, & quomodo vinci poteſt, 1240.b.c
Fortitudo quid eſt, 1243.c.1349.e. 1351.a. & eius partes, 1349.e.1354.e
Fortitudo vera quæ, 771.d
S.Fortunati ara, 1706
Foſites, Danorum Deus, 1438.a
Foſiteſland inſula vnde dicta, 1438.a
Funes peccatorum, qui, 90.a
Fragmentorum collectio poſt ſaturatam multitudinem quid, 475.c.d.e
Francorum Rex vnus erit maximus omniū Regum, & vltimus ante reuelationē Antichriſti, 1213.d.e.1214.d
Fratres Domini quinam in Scriptura, 495.e
Fratricida quis, 1035.c
Fredegiſus Caroli Magni famulus, 1490.c 1572.e
Fredegiſus Alcuini diſcipulus, 759
Frigus quid eſt, 1388.d
Friſones à S. Wilibrordo baptizantur, 1438 vincuntur à Carolo Francorum Duce, 1439 d.1454. e
Friſonum populi inſtāte Rege Karolo conuerſi, 1669.c
Frons quid eſt, 1387.b
in Fronte baptizati cur ſit ſignum, 1153.d
Fulradi Abbatis tumulus & epitaphium, 1699.c
Funera qualiter curanda, 1131.e
Funiculus argenti quid, 368.a
Funiculi, quibus impij de templo expulſi, quid deſignant, 421.e
Fures vnde dicuntur, & in quo à latronibus differunt, 1035.a.b
Furor Dei, ignis purgatorius, 57. a.61.d

G

S.GAbrielis ara, 1695.e
Galilæa quid ſignificat, 406.d
Gallia ab Hunis exſpoliata, 712
Gallia bracata vnde dicta, 1087.e
Gaudium plenum, quod, 627.c
Gazophylacium quid, 517.b.c
Gelu quid eſt, 1388.d
Genealogiæ duæ Chriſti, 819.b.c
Generatio ſeu natiuitas Chriſti inenarrabilis, 824.825.
Genethliaci qui, & vnde dicti, 1014.e.1015.a
S.Genoueſæ virginis ara, 1694.a
Gentes duæ in vtero Rebeccæ qualiter, 37.d
Genuflexio cur pro baptizandis fit, 1154.d
Genuum flexiones in die Paraſceues, ad quid, 1052.c. d
Genus quid propriè, 1358.c
Genera vnde dicuntur, & quot ſunt, 1271.c.d 1272. & ſeq.
Geometrica quid eſt, 1353.d
S.Georgij Victoris ara, 1692.e
Gerfridus Præſul, 1687.d.e. 1688.a
S. Germani Præſulis ara, 1693. e. 1696.e.1735
Germaniæ ſedes Carolo Regi dulces, 1507.e
SS.Geruaſij & Protaſij ara, 1705.1735
Gildus Brettonum ſapientiſſimus, 1535.c
Giſala virgo, 1751

Giſla Albini diſcipula, 373.377.589.1638.a.b
Giſleberti Præſulis epitaphium, 1688.b
Giſlemarus vir illuſter Pontiuæ regionis, 1426 e. locum præbet S.Richario manendi in ſilua Triſtiacenſi, 1427.d
Gladius flammeus & verſatilis quid, 11.b
Gladius, verbum Dei, 1481.d.1483.a. 1484.a
Gladius multifariè accipitur in Scripturis, 1482 a. b.d
Gladij duo in Euangelio memorati quid ſignificant, 1481.c.d.1482.& ſeq. 1484.c.d.e
Gloria vana, 1242.c.d. quid, & quænam ex ea naſcuntur vitia, 1032.c.d
Gloria Patri, cur in Miſſa canitur, 1093.c.1096.c
Gloria in excelſis, quis ad Miſſam dici inſtituit, 1094.a.1097.c
Gloſſa quid eſt, 1266.d
Gothicæ gentis laus, 1732
Gothorum Prouincia, & fratres in ea commorantes, 1594.b.1629.a.b
Gradus aſcenſionis noſtræ quot & quinam, 103 e.104.a.b.105.b.106.d.108.b.109.a.110.b
Grammatica vnde nomen accepit, 1247.c. quid eſt, d.1265.e. & quinam de ea ſcripſerunt, 1247.d. in quot ſpecies diuiditur, 1266.a.b
Gratia quid eſt, 1349.c
Gratia per oleum ſeu vnguentum viſibile ſignificata, 820.e
Gratia Dei, qua Deus homo factus eſt, quæ, 737 d. & quòd ad eius commendationem beatus Euangeliſta Chriſtum ait plenum gratia & veritate, 738.c.d
ſine Gratia Dei nec voluntas etiam bona in homine eſſe poteſt, 353.b
Gratiarum actio, 128.d.235.a
S.Gregorius martyr, 1736
Gregorius Papa orationes Miſſarum compoſuit, 955.b.c
S.Gregorius Eccleſiæ pater, 1692.a.1697.d
Greſſus, motus animæ, 98.c
S.Gudbertus, vide in Cudberto.
Gula quid eſt, 1387.c. quale peccatum, 1239.d.e
Guloſitas vnde dicitur, & quæ progignit vitia, 1033.c
Gummini ſacerdotis Epitaphium, 1707
Gundefredus Preſbyter Orgelitanus, 998.b
Gundumepribus* Eccleſiam S. Martini renouat, 1704.c
Gyruenſis Eccleſiæ fratres, 1563.a. maritima habitabant, 1565.b.c

H

HAbere, categoria, quid ſignificat, 1369.d
Habitus quid eſt, 1366.d.e
Habitus hominis in Chriſto qualiter intelligi debet, 814.c.815.a.b
Hadrianus Papa, vide in Adriano.
Hæreſiarchæ antiqui, 1771.b. & eorum condemnatio, 1870.e.1871.a
Hæreticorum labor affligit eos, qualiter, 358.e 359.a
Hebron ciuitas cur tribus appellatur nominibus, 35.b
Hechitanus Preſbyter, cognomēto Altapetra, 1558.a
Hedilredus rex, 1514.d. vide, Ædilredus.
S.Helena, 1736
Helpericus Monachus quis, & quæ ſcripſit, 1745
Herba quid eſt, 1389.c
Hermon, quid ſignificat, 121.e
Hibernia Scholaſtica eruditione floruit olim, 1434.d.e
Hiems quid eſt in Scripturis, 1388.d
S.Hieronymus Eccleſiæ Magiſter, 1692.a 1697.d
Hieruſalem quid ſignificat, 69.b
Hieruſalem cœleſtis, ſeu æterna, 107.a
S.Hilarij Præſulis altare, 1690.b
in Hilaritate Regis vita, 1508.e
Hildeboldus Colonienſis Epiſcopus, 1614.b 1726.1741.
Hildegardis Reginæ & eius filiæ epitaphia, 1758
Hildrud virgo, 1753.a
Hincbaldus Epiſcopus Lindisfarnenſis, 1672.d
S.Hippolytus Martyr, 1734.e
Hiſpania tyrannorum nutrix, 1589.c. poſtea ſchiſmaticorum, ibid.
Hiſpaniæ multa pars à Ducibus Caroli Regis ablata Saracenis, 1669.d.e
Hiſpanicus error, 925. vnde primùm proceſſit, 993.1587.e
Hiſtoria quid eſt, 1267.b
Hiſtrienſis Epiſcopus, 1664.a
Hitherius Epiſcopus, 789.a
Hlotharius magiſter, 1688.e
Homelia quid eſt, 1486.b
Homerus, 1511.c.1529.d.1619.e.1719.1724.1742 e.Caroli Regis Auricularius, 1611.b.Romam mittitur ad Leonem Papam, 1611.c.d.1621.b
Homicidium vnde, 1035.c
Homo quid eſt, 1385.d. & cui ſimilis, 1386.c quomodo poſitus, & vbi, ibid. quot habet ſocios, ibid. quot modis variabilis, d
Homo cur ſuę poteſtatis auctor creatus, 3.b.9.b cur ſexto die, c.d. in quo eſt Conditoris ſui imago, 6.a. cur de limo formatus, & in Paradiſo conſtitutus, 7.c.d
Homo ad imaginem & ſimilitudinem Dei cur creatus, 54.e.55.56
Homo, cur animalibus nomina impoſuit, 8.b cur pelliceis tunicis indutus, 10.e
Homo qualiter nil habet iumentis amplius, 314.c.d
Homo, cur in terrorem cæteris animalibus poſitus, 18.a.b
Homo modo carnis, modo animæ vocabulo totus deſignatus, 392.d.e
Homo multorum infirmitate detentus annorũ, peccator, 455.d
Horæ, Tertia, Sexta, Nona, & earum officia vnde aut cur inſtituta, 1127.c.d
Horæ Veſpertinæ, 1127.e.1128.a. Completæ, 1128.c
in Hoſte quænam conſideranda, 1473.a
Hrodbertus Pater, 1732.e
Hrodherotus Pontifex clarus, 1735
Hrogandus Metenſis Præſul, 1710
Humilitas, ſacrificium Deo gratum, 118.a
Humilitas Chriſti quanta, & eius effectus, 484 b.c.d.509.e.510.a.659.c
Humilitatis veræ virtus quanta, 1223.e.1224
pro Humilitate cuſtodienda, & cognitione humanæ fragilitatis, oratio, 136.e
Hundruda femina Deo deuota, 1617.b
Huni à Carolo Rege deuicti, 1618.c

Hunorum gens fera & formidabilis ad Chriſtũ conuerſa, 1487.e.1669.d
Hunorum gladij Galliam exſpoliarunt, 712
Huniſcus gladius, 1670.d
Hyacinthus, cæleſte deſiderium, 1088.b
Hydria vnde dicitur, 448.c.d
Hydria Samaritanæ, amor ſeculi, 446.b
Hydriæ quæ vaſa, & quid deſignant, 413.d.e 414.a
Hymnus S. Ambroſij pro infirmis, 236.b
Hymnus poſt Cœnam myſticam à Chriſto cantatus quis, & an ab Euangeliſtis prætermiſſus, 1650.d.e.1651
Hymnus Fortunati de Natiuitate & Cruce Chriſti, 243.d
Hymnus B. Epiſcopij Sedulij, de natiuitate, & baptiſmo, & virtute, & traditione, & paſſione, & reſurrectione, & aſcenſione Domini, 303.304.
Hymni trium puerorum laus, 150.a
Hypapanti Domini, quid, & eius etymon, 1017 e.1018.a
Hyſſopus, humilitas cordis, 67.a

I

IAcob quid ſignificat, 1198.a.c.d.1200.e.1201 c.1205.a
Iacob, quare conſtituit lapidem in titulum, 40 d. quid eſt quòd iurauit per timorem patris ſui Iſaac, ibid. quomodo ab eo poſtulauit benedici, cui luctando præualuit, 41.a.b. cur Iſrael vocatus, c
Iacob cur oleum fudit ſuper lapidem, 38.d. quot annis ſeruiuit apud Laban, e. cur primi temporis ſua eſſe voluit, & ſerotina Laban, 39.e quomodo decem vicibus dicit ſocerũ ei mercedem mutaſſe, 40.b.c
de S. Iacobo fratre Ioannis, verſus, 1679.a
de S. Iacobo filio Alphei, Carmen, 1680.b
Iacere, categoria, quæ, 1369.a
Ianus Italiæ Princeps, 1013.c. pro Deo cultus, d
Ianuarius menſis vnde dictus, 1013.c.e
de Iaphet qui nati, 19.b.c
Idololatra quis, & vnde, 1035.d
Idumæa, gentilitas, 399.d
Iechonias quid ſignificat, 1198.b.c.1200.b 1203.d
Iecur quid eſt, 1387.d
Ieiunium Cleri à Quinquageſima, 1019.d
Ieiunium antiquum fuit ſeptem hebdomadarum, 1020.a
Ieiunium perfectum quod, & quidnam efficit, 1229.e.1230.a
Ieiunij publici origo in feſto circuncifionis, 1014.b
Ieiunio peccata redimuntur, 1036.b.c
Ieiunia quatuor temporum, 1073.a.b
Ieſſe quid ſignificat, 1198.b.1199.b.c.1202.b
Ieſus quod nomen, 809.b.c. & quid ſignificat, 838. & 839.1125.1198.c.1201.a.1205.b.c
Ieſu Sirac liber inter apocryphas ſcripturas deputatus, & quando ſcriptus, 941.c.d
de Ieſu Chriſto, verſus, 1673.1683.e.1684.b & de eius miraculis, 1684.b.c.d
Ignis quid eſt, 1388.d
Ignis, Chaldæorum Deus, 1492.d
Ignis, ſermo Chriſti, 99.a
Ildeſindus Presbyter Orgelitanus, 998.b
Imago ſanctæ Trinitatis in homine, 55.a.b
Immaculati in via beati, qualiter, 81.e.82.a
Immercum Monaſterium, 1617.e
Immortale quid ab æterno diſtat, 767.b.d
Immunda cur pari numero, munda verò impari, poſita in Geneſi, 15.b
Imperialis dignitas quanta, 1502.d
Impudici qui & vnde dicuntur, 1034.e
Impulſio quid eſt, 1330.e.d
Ina Rex Saxonum, 1676.c
Inaures Rebeccæ datæ, 42.a.b
de Incarnatione Verbi Dei, 746.c.d.960.961 & ſeqq.
Inceſtus quid & vnde dicitur, 1034.d
India in tres partes diuiſa, 1681.b
Indignatio quid efficit, 1341 c.d
Inductio quid eſt, 1253.e.1338.c. & qualis eſſe debet, 1339.c
Indulgentiæ encomium, 1222.c.d
Infantes cur in Sodomis cum parentibus cremati, 29.d
Infirmitates quibus ex cauſis proueniunt, 457.d.e
Infirmitates quædam amarioribus melius quàm dulcibus curantur, 1645.a
Infirmus quo ordine viſitandus ſeu vnguendus, 1129.e.1130.a
inter Ingenitum & Patrem quid ſit, 717.b
Ingluuies ventris fugienda, 1701.b
Inimici noſtri, qui, 80.a
Interiectio quid eſt, 1249.c.1319. & de ea plura, ibid.
Introductio quid eſt, 1358.b. & eius partes, c
Inuentio quid eſt, 1250.c.1322.c
Inuidia, quale malum, 1236.a.b. vnde dicitur, & quænam peccata ex ea naſcuntur, 1032.e
Ioannes, gratia Dei, 400.b
S. Ioannes cur Euangeliũ ſcripſit, 377.379. eius virginitatis duplex in Euangelio teſtimoniũ, 381. cur filius tonitrui à Domino appellatus, ibid. Aquilæ comparatus, 387.c
Ioannes Euangeliſta cur præ cæteris à Deo familiariùs dilectus, 681.b.c.d.682.a.b. an & qualiter mortuus, d.e.683.a.b.c.d
de S. Ioanne Apoſtolo & Euangeliſta, verſus, 1679.b.c
Ioannis Baptiſtæ humilitas quanta, 397.e.398.a 399.400.
S. Ioannis Baptiſtæ feſtiuitas, 1076.a
ara, 1693.c.1695.b.1696.a.1725
de S. Ioanne Baptiſta, verſus, 1684.a
Ioannes Epiſcopus, & eius ſepulctum, 1705
Ioathan quid ſignificat, 1198.b.1199.e.1200.a 1203.b
Iob pœnitentium exemplum, 1137.e
S. Iodocus apud Vicos, 1621.b
Ioram quid ſignificat, 1198.b.1199.e.1203.a
Ioſaphat quid ſignificat, 1198.b.1199.c.1202.e
Ioſeph quid ſignificat, 1198.c.1200.e.1205.a
Ioſeph Patriarcha, figura Chriſti, 440.e
Ioſeph teſtis ac cuſtos caſtitatis B. Mariæ Virginis, virgo et ipſa, 1419.b.c
Ioſephi ſomnium de Sole & Luna & vndecim ſtellis quomodo impletum, 43.d
Ioſeppus Alcuini diſcipulus, 1585.b
Ioſias quid ſignificat, 1198.b.1200.b.1203.d
Ira ad quid homini data, 772.a

Ira quale peccatum, 1033.a
Ira ſi ratione non regitur, in furorem vertitur, 1241.a. quomodo vinci debet, b
Ira Dei, æterna impiorum pœna, 57.a.61.d
Iracundia vnde, 1033.a
Iracundia quæ mala, & quæ iuſta, 1237.b.c
Iſaac quid ſignificat, 1198.a.d.1201.c
Iſaac cur non Eſau, quem voluit; ſed Iacob, quem noluit, benedixit? 38.b
Iſaac quomodo conſumptus, vel cui populo appoſitus poſt mortem, 42.d.e
Iſachar, cur aſinus fortis appellatur, 49.c
Iſmael de quo ludo à Sarra redargutus eſt, 32.a
Iſmaelitæ, quibus Ioſeph venditus, cur & Madianitæ appellantur, 43.d
Iſagogæ quæ & quot, 1354.a.1358.a.b.& ſeq.
Itherius pater, 1601.d. vide, Heterius.
Iudas quid ſignificat, 1198.a.d.e.1201.c
de Iuda Apoſtolo, qui & Lebbeus, cui nomen Tathæus, 1681.a.b
de Iuda Scarioth Verſus, 1682.e.1684.d
Iudex qualis apparebit in fine ſeculi, 862.b.c
Iudicum officium quod eſt, 1540.a.b
Iudicium duplex, diſcretionis, & damnationis, 542.a.
Iudicium Chriſti verum vnde, 514.d.e
in Iudiciis quot perſonæ eſſe ſolent, & quænam eæ ſunt, 1330.b.c
Iuliani Pomerij prognoſtica, 954.e
S. Iulitta. 1734
Iuramentum Dei, quod, 346.e
Iuſtitia quid eſt, 1243.c.1349.a.b.1350.e. eius partes 1349.b.1354.d.& quomodo ſeruatur, 1349.d.
Iuſtitia vera quæ, 771.c.d
Iuſtitia diſcipulorum Chriſti, 621.d.item cæterorum fidelium, ibid.
Iuſtitiæ Dei commendatio, 78.c
Iuſti quare hic calumnias & oppreſſiones patiuntur, 335.b.c
Iuſtorum præmium poſt reſurrectionē, 754.d.e
Iuuauenſis nidus, id eſt, Eccleſia, 1584.e
Iuuauenſis Eccleſiæ fratres, 1603.d
Iuuencus doctiſſimus Hiſpaniæ Scolaſticus, 810.d. Euangelicam Hiſtoriam carmine ſcripſit, 974.e

K

KArolus Rex, 1419.1611.1612.1614. vide, Carolus, & Dauid.
Kyrieeleyſon, in Miſſa cur Græcè canitur, 1096.c d.1097.a.b.

L

LAbia quid ſunt, 1387.c
Lacus inferior locus inferni, 79.d. ſeu profunditas peccatorum, ibid.
Laicorum officium quod, 1541.b
Laidradus Epiſcopus Lugdunenſis, 925.1511.b 1587.a. prædicat aduerſus hæreſim Hiſpanicam, ibid.& 927. Felicem Vrg. Epiſc. ad præſentiam Caroli Regis perducit, 998.b.c
S. Lamberti Præſulis Eccleſia, 1702.c
Lamina aurea in fronte ſummi Pontificis, 1087 c. quid deſignabat, 1089.e.1090.a
S. Landiberti ara, 1691.e
Lapides, Apoſtoli, 72.e
Lapides viui qui, 357.b.c
Lapidum ordines quatuor in Rationali, 1086.e 1087.a. quid deſignabant, 1089.c.d
Laquei in Scriptura quid ſignificant, 95.e
de Latrone bono, verſus, 1684.e
Latrones viſe dicuntur, 1035.b
Latus Chriſti, per oſtium Arcæ præfiguratum, 660.c.
Lauare pedes peregrinis olim cōſuetum, 1704.a
S. Laurentius Doroenſis Eccleſiæ Pontifex, 1625.b.c.
S. Laurentij Leuitæ ara, 1689.c.1692.e.1696.c 1703.c.d.
de S. Laurentio, verſus, 1683.d.e
Laus humana non quærenda, 1237.d.e.& 1238
Laudis humanæ cupiditas quæ, & quantum malum, 470.b
per Lazarum peccator ſignificatus, 558.d
Lectio ſacrarum Scripturarum quid efficit in anima, 1220.b.c
Lectiones XII. cur dicuntur, 1073.d.1074.& ſeqq.
Lectores qui in Eccleſia, 1078.c.d.& vnde dicti, 1081.b.c. ac eorum officium
Leo mortuus, circumciſionis populus, 351.d
S. Leo Papa, 1734.e
Leo III. Papa, 1599.a. eligitur poſt Adrianum, 1611.d.1612.e. à Carolo Rege poſt electionem admonetur, 1611.1612.1613. à ſuis excæcatus, 1502.d.1503.a.& lingua truncatus, 1532 e. apparet Carolo in ſomnis, ibid. cōfugit ad eum, 1504.b.c.1753.a.b.& qualiter ſuſcipitur, 1753.1754.& ſeqq. ſaluus fit, & liberatur à perſecutione infidelitatis, 1504.e. lumen & loquelam recipit, 1756. mirabiliter ſanatur, 1506.e.1507.a. Sedi ſuæ reſtituitur, 1508.d
Leo III. Papa Felicē Vrgel. Epiſcopum in vnitatem Eccleſiæ recipit, 998.e.999.a
Leonis Papæ laudes eximiæ, 1721.a.1729.a.b 1737.1738.1745.a.
Leones quomodo in arca paſci potuerunt, 16.b
S. Leonius, 1703.d
Leuitæ qui, & vnde dicti, 1078.b.1079.a.b. eorumque officium, 1082.a
S. Leutgarius Martyr, 1735
Lex per numerum viginti quinque deſignata, 478.d.
Liber vnde dicitur, 1246.e
Libertas vera quæ, 9.b.528.a.b
Libidinoſi qui, 1034.c
Liger fluuius, 1463.e
Lignum vitæ, & lignum ſcientiæ cur creatum, 3.b.7.e.
Ligna leuigata, de quibus arca Noe facta, quænam, 13.d
Lingua quid eſt, 1385.c
Lingua doloſa, quid, 104.b.c.d
Lingua, quæ primitus à Deo data, in qua familia permanſit, 20.d
Linguæ tres præ ceteris eminentes, 655.b
Linguarum diuerſitas vnde, 20.e
Liobradus Alcuini amicus, 1614.e
Lirina Inſula, 1594.a.b
Litania vnde dicitur, 1070.a
Litania maior cur & quando celebratur, 1070.a
Litaniæ in ſingulis hebdomadæ feriis dicendæ, 193.279.280.& ſeqq.

Litaniæ in feſto Purificationis, 1018. a
Litaniarum origo, 1070. a
Litera quid eſt, 1248. d. 1262. c. 1385. c. vnde dicta, 1262. b. c
Literæ quot, & à quo primum inuentæ, 1247. c
cur elementa dicuntur, 1262. c. d
Litterarum diuiſio in vocales & conſonantes, & quænam ea ſunt, 1262. d. e
Liudgarda piiſſima in Deo femina, 1606. d. duas armillas auri Paulino Patriarchæ dirigit, 1622. d.
Liudgardæ feminæ nobilis epitaphium, 1517. d. e
S. Liudgarij fratres, 1582. b
Loci controuerſiarum quot ſunt, 1323. d. rationales, d. e
Locutio quot modis fit, 1360. b
Locutionis humanæ quot genera, 717. e. 718. a
Locutiones prædicamentorum de Deo quomodo intelligendæ, 717. e. 718. a
Logica quid eſt, 1256. a. 1353. c. & eius diuiſio, e. 1357. b.
Loth cur in Segor fugit, & de Segor in montem, 29. e. 30. a. cur eius vxor in ſtatuam ſalis verſa, 30. c. & ſi inceſtus quem cum filiis commiſit culpandus, 31. a. b
Lotharius filius Ermengardis Reginæ, 1760
Lotionis pedum ceremoniæ, 1046. c. d. 1048 d
Lucernæ quoſnam deſignãt in Scriptura, 468. b c. 512. d. e.
Lucia Virgo, 1719. & eius ara, 1692. c
Lugdunenſes fratres, 1587. a
an Lumen aliud Pater, aliud Filius, 764. b
Lumina LXXII. eſſe debent in celebr. Cœnæ Domini, cur, & quid deſignant, 1044. c. d
Luna quid eſt, 1388. a. b. Eccleſiæ typus, 106. b
Lunæ Paſchalis ratio, 1601. c. d
Lunæ XV. ratio, 1526. 1527. & ſeq.
Lunæ ſaltus exponitur, 1469. d. e. 1470. & ſeq. curſus per ſingula ſigna, 1476. e. 1477. & ſeq. 1529. ſupputationes variæ, 1500. c. d. 1501
Lunaris diminutionis cauſæ, 1500. c. d. 1501. a
S. Lupi interceſſiones, 1573. b
Luſciniæ auis laudes, 1721
Lux quid eſt, 1388. a
Lux quare prima die creata, 5. d
Lux, Chriſtus, 389. e. ſancti homines, 390. c. caritas, 478. a
Luxuria vnde dicitur, & quæ vitia producit, 1034. a. b.
Luxuriæ formulæ, 1034. b

M

MAcedonius hæreticus cõdemnatus, 1855. a
Macharius Epiſcopus Treuer. vide in Rigbodo.
Maganfredus Caroli Regis fidelis, 1473. b. in Beneuentana patria diem obiit, 1534. e
Magenharius Comes Senonicę ciuitatis, 1549. d
Magi orientis, 1014. d. eorum profectio ad Chriſtum, 1015. b. munera, c
Maginari Abbatis epitaphium, 1699. d
Magnificentia quid eſt, 1349. e. 1350. a
Magnulfus Abbas, 1707. 1708. a. Patri Benedicto menſam tradit, ibid. b
Malchus quid Latinè ſignificat, & quid eius auris abſciſio, 1484. a. b
Maledici qui, 1035. d
Malefici qui, 1035. d
Maligni, dæmones, ſiue vitia & peccata, 96. c
Malum quid eſt, 12. c
Malus vnus mixtus bonis contaminat plurimos, 355. e
Mala, pro peccatis in ſcriptura, 1122. a. b
Mammertus Viennenſis Epiſcopus rogationes inſtituit, 1070. c
Mammona, diuitiæ iniquitatis, 309
Mandata Dei ſuper aurum & topazion diligere quid, 97. d
Manaſſes quid ſignificat, 1198. b. 1200. a. 1203. c
Manſiones multæ in regno Dei, cur, 599. a. b
Manus Domini, virtus & ſapientia, 96. d. Saluator, 103. a
Manus quid ſunt, 1387. c
Manus leuare quid, 88. d
Manus omnium quomodo contra Iſmahelem, & manus eius contra omnes, 26. b
Manus cur baptizato imponuntur, 1151. d
Manus pro operibus in Scriptura, 329. e
Mappula quid, 1091. d
S. Marcelli ara, 1735
Mare quid eſt, 471. b. 1388. c
Mare Tyberiadis quod, & eius interpretatio myſtica, 471. b. c
Mare, præſens ſeculum, 672. a. pro Occidente in Scriptura, 23. b
Maria quid ſignificat, 1198. c. 1200. e. 1201. a 1205. b.
Maria Virgo ſalua integritate ſui corporis Verbum Dei concepit & peperit, 746. d. e. Θεοτόκος & Χριστοτόκος facta, 746. e. 747. a. 877. c. d 1782. e.
de Maria Virgine, Verſus, 1675. a. b. 1686. 1688 c. 1694. b. 1710.
de Martha, verſus, 1684. d.
S. Martini Epiſcopi Turonenſis ortus, 1397. b aduentus in Galliam, 1398. b. virtutes, c. 1399 a. & ſeq. obitus, 1401. c. 1403. tranſlatio, 1404. b. c
S. Martini Præſulis ſepulcrum, 1689. d. altare, 1691. d. 1694. c. 1697. a. ſacellum, 1695. c. Eccleſia, 1704. b
S. Martini pueri, 1161. b. fratres, 1544
Martis ſtella, & eius apparitio, 1473. d. e. 1478 e. 1479. a. b. c.
Mathan quid ſignificat, 1198. c. 1200. d. 1204. e
Mathematica quot diſciplinas complectitur, 1247. b. & quænam ſcientia eſt, 1248. a
Mathematici qui, & vnde dicti, 1015. b
de Matheo Apoſtolo & Euangeliſta, Carmen, 1681. c. d.
de Mathia Apoſtolo, quem Deus elegit ſorte pro Iuda, Verſus 1681. c
Matutinarum antiquitas & auctoritas, 1129. c
S. Mauricij Eccleſia, 1695. a. b. 1696. d. ara, 1735
Maurontus ſeculari habitu depoſito, fit Monachus, 1427. d
Maurus puer S. Benedicti, 1709. a
Maximilianus Confeſſor, 1734
Mecanica quid eſt, 1353. d
S. Medardi ara, 1735. 1741. templum, 1694. d. e
Mediator quis, & vnde dicitur, 1790. c. d
Mediator Dei & hominum homo Ieſus Chriſtus, 745. a. b
Medicina quid eſt, 1353. d
Megenfridus Regalis Palatij Archarius, 1646. a

Mel, apertâ doctrina, 95. b

Melchiſedech Rex Salem, ſine patre & matre quis eſt, 23. d

Melchiſedec ſacerdos, 1077. e. quis fuit, 1078. a

Memoria quid eſt, 1250. d. 1322. d. 1345. d

Memoriale Dei, ſalutare ſeu Chriſtus, 72. d

Menſa Chriſti, ſcriptura ſancta, 115. a

Menſæ benedictio, 1704. e

Mercenarius quis, 548. c. 549. a

Metaplaſmus quid eſt, 1267. a

Metra quæ vocantur, 1267. a

Michael Metropolitanus Conſtantinop. 1661. e Legatus apud Carol. Regem, ibid. & 1662

S. Michaelis ara, 1690. b. 1695. e. interceſſio, 1698 e. 1699. a. 1703. a.

de S. Michaele Archangelo, Verſus, 1683. b

Miniſtri Chriſti quinam, & quid Miniſtrare Chriſto, 576. e 577. a. b. c.

Miraculum de Chriſto, quod Cæſar Auguſtus vidit, 1009. e

Miſericordia Dei in homines quanta, 65. c. d 66. d.

Miſericordiæ bonum quod & quantum, 1221. d

Miſſa quid, 1124. a

Miſſa Catechumenorum quæ, 1124. a. b

Miſſa innocentium, 1135. c. d

Miſſa vetus qualis, 1093. a

Miſſæ officium, 1093. a. b

Miſſa qualis, & eius etymon ac celebratio, 1095 b. c. d.

Miſſa quare non celebratur tempore ſepulturæ Chriſti, 1045. b. c

Miſſa de Sancta Trinitate, 1167. b. de gratia ſancti Spiritus poſtulanda, 1169. b. pro peccatis, 1171. b. c. pro petitione lacrymarum, 1172. a ad poſtulanda Angelica ſuffragia, 1173. d. pro tentationibus cogitationum, 1174. a. de ſancta Sapientia, 1175. b. ad poſtulandam humilitatem, e. de caritate, 1177. c. contra tentationes carnis, 1178. d. de ſancta Cruce, 1179 d de Tribulatione & neceſſitate, 1180. b. de S. Maria, 1181. c. item in commemoratione S. Mariæ, 1182. a. in veneratione vnius Apoſtoli, 1183. c. plurimorum Apoſtolorũ, 1183. e. vnius Martyris, 1184. d. vnius Apoſtoli, ſiue Martyris, vel Confeſſoris, 1185. b. plurimorum Martyrum, 1186. b. in Eccleſia SS. Martyrum, 1187. a. in natali Sanctorum, quorum reliquiæ in vna domo ſunt, d. quotidiana Sanctorum, 1188. b. pro inimicis, e. pro confitente peccata ſua, 1189. b. pro ſalute viuorum & requie mortuorum, e

Miſſa ſancti Auguſtini, 1169. d. 1172. e. 1174. d 1176. b. 1178. e. 1180 e. 1182. c.

Miſſæ tres in nocte Natalis Domini, 1011. b. c in feſtiuitate S. Ioannis Baptiſtæ 1076. a

Miſſio Filij à Patre quomodo intelligenda, 739 d. & quænam eſt, 812. c

Miſſio Spiritus ſancti quæ, 740. b

Modeſtia quid eſt, 1350. b

Mœſtitia quid, 1033. b

Molles qui, 1034. e

Monachi qualiter viuere debent, 1564. 1565. & ſeqq. 1582. 1583. 1597. d. 1598. a. b. c. 1604. 1605. 1627. 1628. 1629. 1630.

Monna Presbyter, 1559. c

Mons Sion, Chriſtus, 110. b. c

Montes in circuitu Sion, Angeli, Prophetæ, & Prædicatores, 110. c. d

Mopſus Alchuini famulus apud S. Martinum ægrotus, 1621. b. c

Moroaldus Abbas S. Mariæ, 1607. a

Mors quid eſt, 1385. d

Mors hominis duplex, 7. e

Mortis eſt reminiſcendum inter gaudia, 1721

Moriturus quomodo olim prouidebatur, 1131. a

Mortui feliciores quàm viuentes, qualiter, 329. b.

Mortuorum exequiæ & commemoratio, 1131. d e. 1132.

de Moſe, Verſus, 1685. d

Mulier vnde dicta, & quid myſticè ſignificat, 345. e.

Mulier cur de latere viri dormientis ædificata, 8 c. cur ad interrogata ſerpenti reſpondit, 9 b. & quomodo potuit eius credere ſermonibus, c

Mulier, cur conſiderauit lignum poſt ſerpentis perſuaſionem, 9. c. num ſub viri poteſtate ante peccatum erat, 10. d

Mundus quot elementis conſtat, 4. d. e. & cur ſenario numero perfectus, 5. a

Mundus de iudicio qualiter & quando arguitur, 622. b. c

Mundus, homines mundi amore decepti, 391. e

Muſica quid eſt, 1353. d. a

N

NAaſon quid ſignificat, 1198. a. 1199. a. 1201. e

S. Naboris Martyris ſepulcrum, 1708

Nachor fratris Abrahæ filij cur à Scriptura nominati, 35. a

Nares quid ſunt, 1387. b

Nares cur tanguntur in Baptiſmo, 1151. a. 1156 e. 1157. a.

Narratio quid eſt, 1152. e. 1333. c. & qualis eſſe debet, ibid. & ſeq.

Natalis Domini feſtum cur nõ mutabile, 1011. a

de Natali Domini, Verſus, 1683. e

Natales cur dicti dies quibus Martyres ſeu Cõfeſſores de ſeculo tranſierunt, 626. b

Natalitia Sanctorum cur in lætitia celebrantur, 1054. d. 1055. & ſeq.

Nathanael quid ſignificat, 410. d

Nathanael Diaconus, 309

Nathinæi qui, 1079. a

Natiuitas Domini cur celebratur, 1009. a. b. & ſeq. & eius dies, 1010. c

in Natiuitate B. Mariæ Virginis Homilia, 1197 e. 1198.

Natiuitatum dies honoribus olim feſtiui, 44. d

Naturæ duæ in Chriſto propriæ & perfectæ, 789. b. c. 790. d. e. 833. a. b. 934. d. 960. 961 & ſeqq.

Naturæ cuique in Chriſto quid conueniat, 747 c. d.

Nazareth, quid ſignificat, 408. a. b

Nauis quid eſt, 1389. b

Nauis, Eccleſia Chriſti, 480. c

Nebula quid eſt, 1388. b

Nefridus Epiſcopus Narbonenſis, 925. prædicat aduerſus hæreſim Hiſpanicam, ibid. & 927.

Negatio quid eſt, 1386. a

Negotium quid eſt, 1337. a

Nemroth gigas, quomodo venator fortiſſimus contra Dominum, 19. d. primus hominibus dominari ſtuduit, 20.b
Neſtorij hæreſis, 791. d. 792. a. 824. b. 852. e 934. e. 937. d. e. 938. a. 948. c. 959. b. 981. e 1001. d.
Neſtorius condemnatus, 1855.a
Nicephorus imperator Conſtantinopol. 1661.a Legatos mittit ad Pippinum Regem, quos Carolus eius pater honorifice recipit, b.c. itē alios ad conſtituendam pacem cum Carolo, e & 1662. a.
Niniue à quo ædificata, 19. c. d
Nix quid eſt, 1388. d
Nobiliacus, locus prope Atrebatum, cur ſic dictus, 1418. d
Noe quomodo vir perfectus, 13. b. quare poſt diluuium inebriatus, 18. e
Nomen quid eſt, 1249. a. 1382. e. 1383. eius proprium, 1267. c. & de eo plura, d. e. 1268. & ſeqq.
Nomen bonum melius quàm vnguenta precioſa, 339. e. 340. e
Nomen Dei ſanctum, 1118. b. c
Nomen Ieſu, quod & quantum, 809. b. c. 838 e. 839.
Nomina quot modis componuntur, & cum quibus partibus, 1279. a. b
Nomina Patrum veteris teſtamenti, & eorum allegoriæ, 1198. 1199. & ſeqq.
Nomina propria & ſignificatiua in Chriſto quæ 909. d.
Nominum ſpecies, 1274. 1275. caſus, 1280
Nonæ horæ celebratio vnde, 1127. d
Nox quid ſignificat in Scriptura, 1196. b
Nox media, tribulatio, 90. c
Nubes, Prophetæ & Doctores, 362. d
Numerus quid eſt, 1277. c
Numeri nominum quot ſunt, 1277. c. d
Numerorum diuiſio, & varietas, 306. c
de Numeris Eccleſiæ ac ſcripturæ diſputatio elegans, 1020. d. e. 1021. a. b.
Nuncupatiuum Dei filium credentes refelluntur, 781. 782. & ſeqq. 929. 930. & ſeqq. 1769 1770. & ſeqq.
Nuptiæ legitimæ non damnandæ, 1140. e. 1141. a
Nycticorax quænam auis, & quos deſignat, 71. c

O

OBedientiæ virtus quanta mercede remuneretur, 415. c
Obeth, quid ſignificat, 1198. b. 1199. b. 1201. a. b
Obſeruantia quid eſt, 1349. c
Ocialdus Abbas Centulæ S. Richarium transfert, 1429. d
Ocinus nobilis Francus, 1414. e. 1415. a. Clotarium Regem vocat ad prandium, 1415. a. & cum eo S. Vedaſtum, ibid.
Octauæ feſtiuitatum cur coluntur, 1013. b
Octogenarius numerus qualiter concubinis in Cantico attributus, 307. b. c
Oculi quid ſunt, 1387. a. b
Oculi Adam & Euæ ad quid aperti, 9. d
Oculi Ieſu, dona Spiritus eius myſticè, 473. a
Oculi Chriſti, Apoſtoli & Euangeliſtæ, 52. e
Odilleoz Clericus, 1582. b
Oduinus Presbyter, 1149. d
Offanus Rex Merciorum, qui & Offana ſeu Offa, 1514. c. 1553. d. 1571. d. 1577. a. 1603. c. decus Brittanniæ, 1554. a. diſſidet à Carolo Rege, 1669. e. cum eo fœdus init, 767. c. d
Offerenda quid, 1101. a
de Offertorio, *Vir erat in terra*, 1077. a
Officia per ſingulas Hebdomadę ferias, 177. 178 179. & ſeq.
Oleum, bona opera, 352. c. gratia miſericordię, 509. d.
Olíueti mons, quid myſticè, 589. d
Omerus, 1511. c. vide, Homerus ſuprà.
Omnipotentiæ Dei immenſitas, 721. c
Omonyma quæ ſunt, 1360. e. & quot modis fiunt, 1361. c
Onias ſacerdos, 309
Opera mala quæ, 1538. b. ducunt in infernum, ibid.
Opera bona quæ, 1538. c. in cælum euehunt, ib.
Opera bona eſſe ſine fide non poſſunt, 482. a
Opera Trinitatis vtrum inſeparabilia, 762. c. d
Operatio diuina quot modis eſt, 4. d
Opinio quid eſt, 1356. b
Opus vnum Patris & Filij, 729. a
Orandum quotidie cum lacrymis pro diuerſis plagis quas patimur, 151. c
Orandum ab omnibus pro omnibus, 152. d
Orandum in dormitorij Cellula, priuſquam corpuſculum detur quieti, 155. c. 156
Orarium quid, & eius ſignificatio, 1091. a
Oratio quid eſt, 1266. b. 1384. c
Orationis partes quot, 1249. a. 1331. 1332. & ſeq.
Oratio ſuper Hebdomadarios, 1194. b
Oratio in nocte, 1757
Oratio ad canendos Pſalmos pro ſeipſo, 157. e
Oratio quando pro aliis Pſalmi decantantur, 158. b.
Oratio pro patre, matre, & omni parentela, 158 c. pro Abbate vel congregatione, 159. pro familiaribus, 160. a. 236. e. pro eleemoſyna, e. pro fidelibus defunctis, 228. a
Oratio pro agnitione Dei, & pro indulgentia delictorum, & peremptione diuerſarum tribulationum, 163. b. 222
Oratio Monachorum, 160. e. 169
Oratio ad crucem, 174. c
Oratio feria II. ſi quis ſe in tribulationibus derelictum intelligat decantanda, 205. c
Oratio, vt in Regum continetur Hiſtoria, pro omni populo, 299. d
Oratio pro itineris & nauigij proſperitate, 300. d.
Oratio S. Auguſtini, quam xv. libris, quos de ſancta cōſcripſit Trinitate, ſubiunxit, 301. c
Oratio Aurelij Prudentij Clementis per metrum, 220
Oratio B. Ambroſij in qua pro ſuis peccatis veniam poſtulat, 2[illegible]
Oratio S. Cypriani Martyris, 249. e. Eugenij Toletani Epiſcopi, 264. b. c. S. Auguſtini, 265. S. Gregorij Papæ. 272. 273
Oratio S. Hieronymi pro cuſtodia diei ſequentis, 157. a
Oratio S. Hilarij, quam XII. libris, quos de ſancta conſcripſit Trinitate, ſubiunxit, 288. d
Oratio Iſidori pro omnibus Chriſtianis, 235. d
Oratio Salomonis, quam habuit in dedicatione templi, 371. c

Oratio

Oratio quam beati Patres, poſt recitata Sanctorum nomina in cotidianis orationibus,cãtare ſolebant, 286. c.d
Oratio cur ad ſolum Patrem dirigatur in Canone Miſſæ, 1104. & 1105.a
Orationis ſpecies principales quæ, 1384. e. 1385
Orationis furtiuæ abbreuiatio, 126. d
Orationis Dominicæ expoſitio, 1117.1118.1119 1154. e. 1155. a.
in Oratione qualis modus ſeruandus eſt, 70. b c
Orationes antiquorum patrum variæ, 289.290 & ſeqq.
Orationes pro defunctis cur ab Eccleſia fiunt, 1115. a. b.
Orationes ſuper pœnitentem, 1136. c. d. & ſeqq.
Orationes ad Horas Canonicas, 1191. e. 1192
Orationes de ſancta Cruce, 1192. c. e. de ſancta Maria, 1193. c
Orationes ad Mandatum, 1194. d
Orationes ad omnes Horas, 175. 176
Orationes ante & poſt communionem, 176. d 177.178.
Orationibus Dominum præuenire in initio diei vtile, 145. e
Orator qualis eſſe debet, 1352. b
Orator quis, & eius officium, 1250. b
Orbis quomodo diuiſus à filiis & nepotibus Noe, 19. b
Originale peccatum quot modis actum eſt, 1591. d.
Orthographia quid eſt, 1249. d. e. 1266. d
Os quid eſt, 1387. b
Oſanna quid, & vnde dicitur, 573. a. b. c. 1106 b. c. d.
Oſbaldus Patritius Nordanhumbrorum, 1537. c
Oſbertus Dux Nordanhumbrorum, 1537. c
Oſſa quid ſunt, 1387. d
Oſſa, virtutes, 57. b
Oſtium in latere Arcæ quomodo intelligẽdum eſt, 14. c. quid præfigurabat, 660. c
Oſtium, Chriſtus, 546. d. e. 547. c
Oſtiarius quis, 547. d. e
Oſtiarij qui in Eccleſia, 1078. c. & vnde dicti, 1081. b. eorumque officium, ibid.
Ouis vna, congregatio fidelium, 103. c
Oues, opera munditiæ & pietatis, 421. b
Ozias quid ſignificat, 1198. b. 1199. e. 1203. a

P

PAcis commendatio, 1220. e. 1221
Pallium Archiepiſcopale, 1087. a. b. quid deſignat, 1091. e. 1092. a
Palmarum dies ac celebritas, 1041. b. c. & ſeq.
Palmas tenent ſacerdotes in manibus, 1042. e 1043. a.
S. Pancratius, 1736
Panis vnde deriuatur, 1119. c
Panis quotidianus quid ſignificat, 1119. d. e. 1120 a. b. c.
Panis, qui in corpus Chriſti conſecratur, qualis eſſe debet, 1588. c. d
Panis de cælo, per manna ſignificatus, 482. e 483. a. 488. b.
Panis vitæ, præceptorum obſeruatio, 71. a
Panis corporis Chriſti vnus vbique, 111. d. e
Panis & calicis oblatio ad quid, 112. d. e
Panes quinque, quibus multitudo ſaturata, quid myſticè, & cur hordeacei fuiſſe perhibentur, 473. c. d
Pannus qui in die paraſceues ſcinditur, quid portendit, 1051. e
Pantheon in honore omnium Sanctorum ſacratum, 1076. d
Papa quis dicitur, & vnde, 1108. c
Paraſceue cur in triſtitia celebratur, 1054. d. 1055 & ſeq.
Paraſceues ſolennitas, 1049. c. d. & ſeqq. ceremoniæ, 1051. 1052
Pariſiacæ ciuitatis ſuburbana S. Dionyſij ac S. Germani iocundantur auxiliis, 1448. c
Parricida & Patricida in quo differunt, 1035 b
Participium quid eſt, 1249. b. eius proprium, 1267. c. vnde dicitur, 1304. a. & de eo plura, ibid. & ſeq.
Partitio quid eſt, 1334. a
Paruulorum non loquentium baptiſma, 1159. c 1160.
Paſcha cur ſic dictum, 589. c. & quinam dies propriè, 647. c
Paſcha Iudæorum in vmbra, noſtrum in luce, 567. e. 568. a.
in Paſcha dimittendi vinctum vnum conſuetudo apud Iudæos, vnde, 650. e
Paſchalis ſolennitas qualiter celebranda, 826. b
Paſchalis diei ſolemnitas ac ceremoniæ, 1067. a. b. c.
Paſcua quomodo in Ægypti terra reperiri potuerunt, cum ea pluuiis non irrigetur, 46. d.
Paſcua ouium Chriſti quæ, 550. a
Paſſer quænam auis, & quos denotat, 71. d
Paſſer ereptus de laqueo, Chriſtus, 110. a
Paſſionis Dominicæ cauſa triplex, 1049. e. 1050
Paſtor verus quis, 679. c. d
Pater vnde dicitur, 1117. c
Pater duobus modis omnipotens appellatur, 1117. e.
Pater ſolus cur non miſſus legitur, 740. d. e
ſicut Pater vita eſt, ita & Filius eſt vita, 730 d
Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus ſimul dicti non ſunt maius aliquid, quàm vna quælibet perſona ex eis, 713. b
Pater quomodo non eſt incarnatus, 743. d 766. a.
Pater quædam opera facit per filium ſibi coæternum in forma Dei, quædam per eundem Filium in forma ſerui, 750. e. 751. a
de Patre & Filio quid ſecundum ſubſtantiam, vel ſecundum relationem dici debeat, 711. d
de Patre ſolo non intelligendum quod dicitur, *Qui facit mirabilia magna ſolus*, 733 b. c
Patrem, vel Filium dici, non eſt diuerſum in ſubſtantia, 714. c
ad Patrem in nomine filij oratio, 133. e
Patrum veteris Teſtamenti nomina & eorum allegoriæ, 1198. a. b. 1199. & ſeq.
Pati categoria, quę & eius proprietates, 1368. c. d
Patientia quid eſt, 1350. a
Patientiæ laus & commendatio, 1223. a. b

Patriarchæ primi cur paſtores ouium, 46.a.b
Patrini & matrinæ, 1069.d
S. Patritius, Scotorum gloria, 1736.
S. Paulinus Eboracenſis Epiſcopus, 1667.e
Paulinus Patriarcha, 1577.d.e. 1600.d.1607.d 1622.c.1662.e.1664.c.17... ſymbolum fidei aduerſus errores Hiſpanicos conſcribit, 1608 b. 1869.1870. ad defenſionem fidei Catholicæ ab Alcuino prouocatur, 1474.b. ſcribit etiam contra Elipantum Toletanæ Sedis Epiſcopum, 1873.1874. & ſeqq.
Paulini laudes, 1727.1728. epitaphium, 1727 amor cum Alcuino, ibid.
S. Pauli Apoſtoli ara, 1693.c. Eccleſia, 1733
de S. Paulo Apoſtolo, verſus, 1678.a. 1683 c. d
Paulus, 1720.a. Caſini montis Monachus, ibid.
Paulus S. Martini Monachus, & eius encomiũ, 1741.1742.
Pauperes Chriſti quinam, 120.b
Pauperies diligenda, 1721
Pax vobiſcum, cur in Miſſa canitur, 1093.c.1098 b.c
Peccatum Angelicum cur in Geneſi ſilentio abſconditum, 2.3.a. cur inſanabile, & hominis ſanabile, 3.a
Peccatum hominis cur per Creatorem ipſum expiatum, & non per Angelum, 3.e
Peccata qualiter tegi dicuntur, 59.b
Peccata per cadauera mortuorum ſignificata, 47.a
Peccata ſua quinam bene agnoſcunt, 65.e.66.a
Peccator viuens cani comparatus, 351.b. qualiter iuſto mortuo melior eſſe poteſt, c
Peccatorum genus triplex, 1591.e.1592.a
Peccatorum pœna poſt reſurrectionem, 754 d. e
Pectus baptizati cur vngitur oleo, 1151.a.1157.b 1192.c
Pedes quid ſunt, 1387.e
Pedes peregrinorum lauare conſuetum olim, 1704.a
Pelagij hæreſis, 855.a.890.e. 824.b
Pelagianæ ſectæ deſtructio, 353.b
Pellicanus quænam auis, & quos deſignat, 71.c
Pentecoſtes vigilia, 1071.b.c. feſtiuitas, e
Peræ venditio quid in Scriptura, 1483.d
Peregrinationes ad S. Petri limina, 1556.b 1670.b
Perihermeniæ quæ ſunt, 1354.b.1382.b. & earum ſpecies, d
Periuri qui, 1035.b
Perpetuum quid, & vnde dicitur, 767.b.1127.b
Perſeuerantia quid eſt, 1350.a
Perſeuerantia in bonis operibus commendatur, 1238.e.1239.
Perſona vna in Chriſto, non plures, 961.d. 962 & ſeqq.
Perſona vna Chriſtus Deus & homo, non duæ, 491.e. 492.a
Perſonæ vnicuique in ſancta Trinitate quæ ſunt propria, 714.e.761.a
dum Perſonas tres dicimus in Trinitate, cur non tres Deos, 761.c.d
Perſonis quibuſdam propriè conueniunt quædam opera Trinitatis, 715.d
Perſonæ tres in mundo altiſſimæ, 1502.d
Pes in oratione quid eſt, 1248. d. 1266.c & vnde dicitur, 1266.c
S. Petronilla filia S. Petri, 1735.a
Petrus Archiepiſcopus, 1574.c
Petrus Magiſter Grammaticam in Palatio Regis Caroli docet, 1511.c
S. Petrus cur ter interrogatus, an Dominum diligeret, 679.b
ad S. Petri limina peregrinantes à Regibus iuuari debent, 1556.b
S. Petri fratres, Eccleſia, & Cellulæ ad eam pertinentes, 1544.e
S. Petri Eccleſia à Radone Abbate renouata, 1693.b
S. Petri Apoſtoli Eccleſia, 1695. d.1703.e. 1710.
de S. Petro Principe Apoſtolorum, Carmen, 1677.b. c. 1685.b. 1690.a
Phares vnde dictus, 44.c. & quid ſignificat, 1198 a.e. 1201.c
de Philippo Apoſtolo Chriſti, Carmen, 1680.e
Philoſophia quid eſt, & vnde dicitur, 1355.b
Philoſophia virtutum omnium magiſtra, 1255.d
Philoſophiæ diuiſio, 1353. b.1356.b.1357.c
Philoſophi artium inuentores, 1492.c
Phyſica quid eſt, 1353. b. & eius partes, c.d 1357.a
Pictauia beati Hilarij reliquiis fœcunda, 1448.d
Pietas quid eſt, 1349.c. 1350.e.
Pippinus Caroli Ducis filius baptizatur à S. Willibrordo, 1444.b.1457.a.1458.a
Pippinus Francorum Dux, 1435.e. 1453.d & eius mors, 1439.d.1454.e
Pippinus Caroli Magni filius, 1385.c.1618.e vir fortiſſimus, 1750. Rex, 1661.b. Leoni Papæ it obuiam, 1754.e. rebus humanis excedit, 1661.e
Piſcationes ante & poſt Reſurrectionem Domini factæ quid deſignant, 672.c.d
Piſcina probatica, quid myſticè, 454.a
Piſcis aſſus quid ſignificat, 674.c.d
Piſces an in arca erant, vel non, 15.d
Piſces duo, quibus multitudo ſaturata, quid ſignificabant, 473.d.e
Piſcium centum quinquaginta trium, de quibus mentio fit in Euangelio, expoſitio allegorica, 673. b. c. d. 676. b. 1641.e. 1642.& ſeqq.
Platonij Martyris ara, 1692.e
Plinij Secundi libri, 1477.b
Pluuia quid eſt, 1388.b
Pluuiæ an ante diluuium erant, 18.d
Podêris, quæ veſtis in veteri Teſtam. 1086.b & quid ſignificat, 1090.d
Pœnitens per confeſſionem peccata ſua debet pandere, 1162.b.c. 1163. 1164. & ſeqq.
Pœnitentes capillos & barbam nutriunt, cur, 1137.e. 1138 a. cilicio induuntur, 1138.a. cinere ſe aſpergunt, b.
Pœnitentibus quinam exemplum exhibuerunt, 1137.c.d
Pœnitentium genera tria, per tria auium genera deſignata, 71.b.c
Pœnitentia quid, & qualiter agenda, 1137.e
Pœnitentia vera quæ, 98.d.e

Pœnitentia nunquam, aut qualiter in Deum cadere poteſt, 13.a
Pœnitentia cum miſericordia iniungenda, 1037 b.c.
Pœnitentia media quomodo conſtituenda, 1039.b.c.
Pœnitentia non neganda in extremis, 1130.c
Pœnitentia quomodo debet iniungi Chriſtianis, 1031.c.d.e
Pœnitentiæ commendatio, 1226.e. 1227. remedium, 1138.c.d
Pœnitentiæ publicæ gemitus, 129.c
Pontifex vnde dicitur, 1083.c
Pontificum gradus in Eccleſia quis & quantus, 1079.d.e.1080.a.
Pontius prouincia, 1421.c
Pontius Pilatus, quis, & vnde dictus, 1125.e
Potentia naturalis quæ, 1367.a
Præcepta Dei non diſcutienda, 346.d.e
Prædicatio quot modis fit, 1360.b
Prædicamenta quæ, 1360.a.b
Prædicatio quo ordine incipienda vel perficienda, 1646.e.1647.a.b
Prædicationis officium quomodo nouis Chriſtianis fieri debet, 1488.a.e
Prædicatores ad nouos populos mittendi quomodo ſe gerere debent, 1488.a
Prædicatores Chriſti quales eſſe debent, 1484 e.1485.a.1488.a
Præpoſitio quid eſt, 1313. eius proprium, 1267.d & de ea plura, 1313.1314
Præſagia Romæ de Chriſto, 1009.d
Precandi Deum formulę variæ, 126.127.& ſeqq.
Presbyter depoſitus eo quod carnem diebus quadrageſimalibus comediſſet, 1614.b
Presbyteri qui, & vnde dicti, 1079.c.1082.b.eorumque officium, ibid.
Presbyteri ſenes eſſe debent moribus, 1558.c
Presbyteri num prædicare debeant Epiſcopis præſentibus, 1485.d.1486
Presbyteri qualiter ſe gerere debent, 1633.1635 1636.
Primogenita, quæ Eſau vendidit, quænam ſunt, 37.e.38.a.
Princeps mundi, diabolus, 622.b
Principes regni qualiter viuere debent, 1549.e 1550.a.& ſeq.
Principium, Filius, qualiter, 5.a.521.a.b
Prius quot modis dicitur, 1371.d
Próbata, & probatica piſcina 454.a.b
ad Prodigum filium admonitio perutilis, 1638 1639.& ſeq.
de Profundis clamare quid, 76.b.c
Pronomen quid eſt, 1249.a.1282.d. eius proprium, 1267.c.& de eo plura, 1282.1283
Pronominum ſpecies, 1282.c.d.genera, 1283.b figuræ, c. numerus, e. caſus, 1284
Pronuntiatio quid eſt, 1250.d.1322.d.1346.a
Propiciatio, ſanguis Chriſti, 76.d.117.b
Propoſitio quid eſt, 1339.e
Proprium quid eſt, 1358.e.1359.a
Proſa quid eſt, 1267.a
Prouerbiorum liber quem ſenſum habeat, 368 e.369.a.
Proximus noſter quis, 1563.d.e
Prudentia quid eſt, 1243.b.c.1349.a.1350.d.& eius partes, 1349.1354.d
Pruina, conuerſionis beneficium, 92.e
Pſalmi pro quacumque tribulatione cantandi, 223.e.
Pſalmorum vſus in quotidianis precibus qualis eſſe debet, 123.124.& ſeqq.
Pſalmorum per ſingulas ferias diſpoſitio, 177 178.& ſeqq.
Pſalmorum pœnitentialium expoſitio, 57.58 item Gradualium, 105.106
Pſalterij Bedæ collectio, 252.e.& ſeq.
Puer quinque panes habens, quis myſticè, 474.a.b.
Puer pauper & ſapiens, melior ſene Rege & ſtulto, qualiter, 331.e.332.a
Pullus aſinæ, quid in Scriptura, 574.c
Pulmo quid eſt, 1387.c
Purgatorium in mundo, 1037.d
Purificatio B. Virginis Mariæ, & ceremoniæ in ea, 1017.e.1018.a
Purpura ad quid veſtibus ſacerdotalibus apponebatur, 1088.b
Puteus, quid in Scriptura ſignificat, 441.c.d

Q

Quadragenario numero cur inundauit pluuia? 17.d
Quadrageſima, 1021.b.c. cur & qualiter celebratur, 1029.b.c. vnde dicta, 1144.c.1147.d 1148.a.1658.b.1659.a.
Quadrageſimæ tempus qualiter aut quare aſſumptum, 1657.e.1658.a.b. cur ante Domini paſſionem obſeruatur. 1135.e
Quadringenti anni ſeruitutis Iſrael vnde & qualiter computandi, 24 e.25.a
Quæſtio quid eſt, & eius ſpecies, 1326.1327
Quæſtiones omnes ex tribus fontibus profluūt & quænam illæ, 1362.a.b.& ſeq.
Qualitas quid, & eius ſpecies, 1366.c.d.& ſeq.
Qualitates paſſiuæ quæ, 1367.b
Quando, categoria, quid ſignificat, 1369 e
Quantitas quomodo æſtimari ſolet, 1364.a.& ſeq.
Quatuor Coronatorum nomina & feſtiuitas, 1076.c.
Quatuor tempora, cur & quando inſtituta, 1073.a.
Quinarij numeri myſterium, 1144.e
Quinquageſima, 1021.b.cur & qualiter celebrāda, 1027.d.& ſeq.vnde dicitur, 1144.c.1148.a.c
S. Quintini Martyris altare, 1693.e.1694.e.1696 c.1702.d.

R

Racha, quid, 1036.a
Radbodus, paganus, 1435.d.e. Dux Freſonum, 1437.c.d. deuincitur à Carolo Francorum Duce, 1439.d
Rado, Abbas S. Vedaſti, 1403. renouat Eccleſiā S. Vedaſti, 1690.e.1691.a.c. S. Petri quoque, 1693.b
Rahab quid ſignificat, 1198.a.1199.b.1202.a
Rameſſe terra quæ, 46.c
Rami palmarum, quid ſignificant. 573.a
Ramorum ſeu Palmarum feſtum, & eius ori- 1041.b.c.& ſeq.
S. Raphaelis ara, 1695.e
Raptores vnde dicuntur, 1034.d

Ratio ad quid homini data, 772.a
Rationale quid in vet. Teſtam. 1086.d.e.& eius interpretatio, 1089.b
Ratiocinatio quid eſt, 1254.a.1330.d
Razim, gigantes, 22.e
Regalis dignitas quanta, 1502.d.e
Regenbertus magiſter, 1741.a
Reges vnde dicuntur, 1539.d.e.1540.a. eorum officium, ibid. qualiter viuere debent, 1554.c d.1562.c.d.
Regnum Chriſti quale, 477.a.b
Regula fidei metrico ſtili mucrone promulgata aduerſus errores Hiſpanicos, 1869.1870
Reguliaca villa vbi ſita, 1409.e
Relatiua quæ ſunt, 761.d.762.a
Religio quid eſt, 1349.c
Remedius Epiſcopus, 1573.c. Francorum doctor, & eius ara, 1691.e.1697.b.1736.a
Remigius Epiſcopus, 1601.b
S. Remigius Clodoueum baptizat, 1409.a.b 1410.d.e. per totam Campaniam colitur, 1448.e.
Remotio criminis quid eſt, 1251.d
Reprehenſio quid eſt, 1252.e.1253.a.1340.c
Reſponſorij origo & etymon, 1099.c
Reſurrectio duplex, corporum, & animarum, 465.a.
Reſurrectio corporum in nouiſſimo die, 753.b.c
Retributiones quatuor, 83.d.e
pro Rhrabano Mauro verſus, 1755.1756
Rhemenſis vrbs S. Remigij patrociniis gaudet, 1448.e.1449.a.
Rhetorica vnde dicitur, 1250.a.1322.a. quid eſt, 1250.b.1354.a. eius partes, 1322.c.d.1352.c 1353.a. in quibus verſatur generibus, 1322.e 1323.
Rhodhaid virgo, 1751
Rhodrud, 1750.e
Ricbodo ſeu Ricbodus, 1724
Richarius vbi natus, 1421.b. duos ſacerdotes Hibernos excipit, c.d. varios ægros curat, 1423.a b. in Brittanniam proficiſcitur, 1424.a. redit in Galliam, b.c. S. Rictrudem viſitat, 1425.c d. Dagobertum caſtigat, qui eum vocat ad conuiuium, 1426.d.e. Monaſterium cõſtruere incipit, 1427.d.e. obit, & transfertur, 1429.b.c.d.
S. Richarij ara, 1691.e. Eccleſia ab Angilberto conſtructa, 1710.1711
Richbonus Epiſcopus ad defenſionẽ fidei Catholicæ ab Alcuino prouocatur, 1474.b
Rictruda, ſeu Rictrudis Albini diſcipula, 373 377.
S. Rictrudis à B. Richario viſitatur, 1425.c.d
Riculfus cognomento Damœtas, Archiepiſcopus Magenſ. 1555.c
Rigbodus cognomento Macharius Epiſcopus Treuerenſis, 1548.a.b.1555.a
Riſus Abrahæ, & Sarræ quid deſignat, 27.d
Roboam quid ſignificat, 1198.b.1199.d.1202.d
Rogationum inſtitutio vbi & quando facta, 1070.c.d.
Roma fraterna diſcordia initiata diſſentionis venenum inſitum tenere non ceſſat, 1507.e
Romani gubernatorem Imperij deponunt, & Apoſtolicum excæcant, 1502.d.1503.à
Rubus cuius ſit generis, 1530.a.b.c
Ruth quid ſignificat, 1198.b.1199.b.1202.b

S

SAbaoth quid, 1105.e
Sabbatum, quod Dominicæ Reſurrectionis diem præcedit, qualiter obſeruandũ, 1593.c.d
Sabbatum Spirituale quod, 456.e
Sabbatum in XII. Lectionibus cur & vnde dicitur, 1073.d
Sabbati dies cur benedictus & ſanctificatus, 6.d
Sabbati Paſchalis veneratio, 1058.d.& ſeq. ſacra ac ritus, 1066.c.d
Sabbati in Albis ſolennitas & etymon, 1068.a b.& ſeqq.
Sabellius hæreticus, condemnatus, 1855.a
Sacculi venditio quid in Scriptura deſignat, 1483.d
Sacen, Clericus, 1559.a
Sacerdotes qui, 1079.c. *vnde dicti*, & eorum officium, 1082.c
Sacerdotes, *Angeli Dei, lumina Eccleſiæ, doctores* gregis Chriſti, 1534.c.d.-1536.e
Sacerdotes Dei qualiter viuere debẽt, 1560.1561
Sacrificia quænam Deus poſcit, 69.a
Sacrilegium quid, 1035.a
Sacrilegus vnde dicitur, 1035.a
Sadoch quid ſignificat, 1198.c.1200.c.1204.c
Sagena hæreticorum quæ, 354.a
Sagittæ, Apoſtoli, 114.a. verba doctrinæ Dei, 61.d.e 104.c.d
Salathiel quid ſignificat, 1198.c.1200.b.1203.e
Sal vtrum in ſacrificium Corporis Chriſti mittendum, 1588.b.& cur in veteri lege victimis adhibebatur, e
Sal cur in baptiſmo adhibetur, 1592.b
Salis benedicti vſus in baptiſmo ad quid, 1156.d
Salomon tribus nominibus vocatus, 311.a.b tria volumina edidit, c. quantæ ſapientiæ fuit, 318.a.
Salomon quid ſignificat, 1198.a.1199.a.1201.e 1202.c.
Salomon verus, Chriſtus, 112.d.e.312.b.c
S. Saluatoris Monachi, 1606.b. Monaſterium, 1737.
S. Saluij ara, 1695.a.1726
Salutare Dei patris, Chriſtus, 68.a.92.c
Samaria, idololatriæ imago, 442.b.c
Samaritanorum cum Iudæis contentio de loco adorationis, 446.c.d
S. Samſonis ara, 1736
Sanctus, Sanctus, Sanctus, cur ter canitur in Miſſa, 1105.d.e
Sancti an æqualiter videbunt vel intelligent in æterna beatitudine, 763.c
Sanctorum feſtiuitates quomodo honorandæ, 1543.a.
Sanctorum dies natales cur cum lætitia celebrantur, 1055.1056
Sanctorum omnium feſtiuitas quando & à quo inſtituta. 1076.d.e
in Sanctorum omnium feſto homilia, 1205.e 1206.& ſeqq.
Sandaliæ Epiſcoporum quales, vnde dictæ, & quid ſignificent, 1090.c.1092.d.e
Sanguis quid eſt, 1387.e
Sanguines, carnalia delicta, 68.b.c
inter Sapientem & ſtultũ quid intereſt, 320.c.d
Sapientia quid eſt, 1350.d
Sapientia vera quæ, 771.c.779.b.c.1217.a. &

quanta operatur, 1522.c.d
Sapientia in quo melior eſt diuitiis, 342.a
melior etiam fortitudine, 344.a
Sapientia an perpetua, & vnde hoc ſcitur, 1258.c
1259. a. tam laborioſa in acquirendo, quàm ſpecioſa in habendo, 1259.b.c
Sapientia deſurſum deſcendens, quæ & qualis, 787.c
Sapientiæ labor quantus, 322.b
Saraceni, multa Hiſpaniæ parte per Duces Caroli Regis ſpoliati, 1669.d.e
Sarra à Pharaone rapta, quomodo violata non eſt, 22.b. quæ littera nomini eius addita, 26. c d. cur ridens à Deo redarguta, 27.d
Sathanas cum Angelis ſuis æterno igne damnabitur, 1142. b
Saxonia, 1569. e. 1753. a
Saxonum populus nefandus, 1505.b. ab idololatriæ cultu ad verum Deum conuerſus, 1487 d. 1669. c.
Saxonum gens pluries baptiſmi perdidit ſacramentum, 1642. e. & cur illud abhorrebat, 1648. a.
Saxonum populus rebellis, 1753. a
Saxonum imperium in Anglia, 1675. e
Scapulæ baptizati cur ſignatur oleo, 1151. a. 1157 b. 1592. c.
Scenopegia quid, 495.d
Schola in Palatio Regis Caroli, 1496. a
Scientia quid eſt, 1356. a
Sclaui inſtante Karolo Rege conuerſi, 1669.d
S. Scolaſticæ Virginis ara, 1692. b
Scopilio Archipresbyter, 1417. b. c. S. Vedaſtum ſepelit, 1417. b. c
Scripturæ ſacræ agnitio omnibus & deliciis & diuitiis præferenda, 373
Scrutinia cur fiunt in baptiſmo, 1151. a. 1592. c qualiter, 1153. c. 1156. e. & cur ſepties, 1154.b
Scurrilitas quid, 1035.c
Seculum quid ab æuo diſtat, 767. b. & quid eſt propriè, 768. b. d
de Sem qui nati, 19. b
Semen Abrahæ quotuplex, 34. e
Semen mulieris vel ſerpentis quid, 10.b.c
Semen ſuum manè ſeminare quid, 365. d
Sempiternum vnde dicitur, 767. a
Senarius numerus, perfectus, 307. a
Senarij numeri myſteria, 569. a. b. c. d. 1145.b.c
Seniores qualiter ſe habere debent erga adoleſcentes, 1545.c
Senſus corporis per quinque viros Samaritanæ deſignati, 444. b.c
Sepes, Eccleſiaſtica dogmata, 357.a. b
Septenarius numerus ſignificatus in donis Spiritus ſancti, 452.a
Septenarij numeri perfectio, 1245.c.d
myſteria, 674. & 675. a
Septies in die laudem dicere Deo, qualiter intelligi debet, 102.a
Septima dies pro defunctis cur celebratur, 1134.d
Septuageſima cur à fidelibus celebratur, & vnde dicitur, 1659. b.c
Septuageſimæ origo, 1019.a. etymon & celebratio vnde, 1020.c.e. 1021.a.e. 1022. & ſeq. 1143 1144. 1148.b. 1150.b
Sepultura mortuorum quid deſignat, 47.a
Sepulturæ ſolennia, 1043.c
Sequentia quid, & eius ſignificatio, 1094.b. cur dicitur, 1100.c
Seraphin qui, & vnde dicti, 1104.d.e
Sergius Papa Willibrordum ordinat Archiepiſcopum, 1436.b.e. 1454.b.c
Sermo Domini ſcrupuloſus, 1482.a
Serpens vnde callidior cunctis animantibus dicitur, 8.d.e. & ſi ſonum verborum eius, qui per eum loquebatur, intelligere potuit, 9.a
Serpens, quare non interrogatus eſt, cur hoc feciſſet, 10.b
Serpẽtis ænei exaltatio, paſſionis Chriſti typus, 430.a.b. 431.e. 432.a
Seruitus peccati quàm miſerabilis, 527. a.b
Seſſio qualiter in Scriptura intelligitur, 113.b.c
Sexageſima, 1021.b. cur & qualiter celebratur, 1025.b. & ſeq. vnde dicitur, 1144. b. 1148.a 1149. b. 1658. 1659.
Sexagenarius numerus qualiter in Cantico Reginis accommodatus, 308.b
Sextæ Horæ celebratio vnde, 1127.c.d
Sichar, Sichem, & Sichima, quid, 47.e
Sidonius Presbyter Orgelitanus, 998.b
Signare quid, 481.b.c
Signum quod poſuit Deus Cain ne occideretur, quid, 11.e
Signa nouiſſimorum temporum, 752.b.c
Signorum Eccleſiæ vſus vnde ſumptus, 1092.e
Sigobardus beati Richarij commilito, 1428.d
Siguulfus Presbyter Alcuuini ſocius, 1.2
pro Silendi loquendique diſcretione ſeruanda oratio, 148.a.b
de Silentio, in quo miſſum eſt incarnatum Verbum, homilia, 1195. 1196
Silentia tria, & quænam illa, 1195.a. & ſeq.
S. Silueſter Papa, 1734.e
Simeon Epiſcopus, 1634.a
Similitudo Dei in homine qualiter intelligi debet, 56.a.b
Simon Ioannis cur dictus Petrus, 678.b
de Simone Zelote Apoſtolo, verſus, 1681.e
Simoniaca hæreſis omnium peſſima, 1616.d
Simul aliquid eſſe quot modis dicitur, 1372.b
Sion captiua vnde, & quid ſignificat, 111.c
Sion, Eccleſia, 73.b. 110.b.c. 120.b
Sodomitæ qui, 1034.c
Sodomitarũ peccatum cur igne punitũ eſt, 31.c
Sodomorum clamor, quid, 28.c. & cur infantes ibi cum parentibus cremati, 29.c
Sol quid eſt, 1388.a
Sol ortu & occaſu ſuo interitum mundi demõſtrat, 315.c
Solis curſus diligenter exquiſitus per ſingula ſigna, 1490.e. 1491
Solaria quæ, & vnde dicta, 1700.d
Solœciſmus quid eſt, 1266.e
Somnus quid eſt, 1386.d
Sors iuſtorum quæ, 110.e
Speratus Epiſcopus, 1653.d
Spes quid eſt, 1389.c
Spes animæ noſtræ neceſſaria, 1219.e. 1220
Spina, conſcientiæ peccatricis ſtimulus, 59.e
Species quid eſt, 1358.c.d
Spiritus pro ira, 12.e
Spiritus cur columbæ ſpecie ſuper Chriſtũ deſcendit, 401.e. 402.a
Spiritus in ſolo Chriſto perpetuò veraciter manet, 402.d.e
Spiritus Domini qualiter ferebatur ſuper a-

quas, 5.c
Spiritus ſanctus idem cur bis à Deo Chriſto datus, 735.c
Spiritus ſanctus cur paraclitus vocatur, 602.e
Spiritus ſanctus quare nuſquam Patre minor legitur, 741.e.742.a
Spiritus ſanctus nec ingenitus, nec genitus dici debet, 717.d. cur, 761.b
Spiritus ſanctus vtrum relatiuè vel ſubſtantialiter dicatur, 762.a. quare non habet æqualem relationis regulam, ſicut Pater, & Filius, b
Spiritus ſanctus communis eſt Patris & Filij Spiritus, 711.a
Spiritus ſanctus qualiter miſſus intelligi debet, 740.b
Spiritus ſanctus relatiuè dicitur ad Patrem & Filium; ſed non eodem modo quo inter ſe Pater & Filius, 710.c.d
Spiritus ſancti vnitas cum Patre & Filio, 733.e 734.a.
Spiritui ſancto qualiter attribuitur caritas, 764 d.e.
Spiritum ſanctum cur Chriſtus ſemel in terra conſiſtens, & ſemel in cælo præſidens dediſſe legitur, 668.d.e
in Spiritu ſancto nihil temporale intelligere debemus, dum dicitur donum Dei, 734.e
Splenis quid eſt, 1387.d
Spolia quænam Martyres inueniebant in morte, 101.d
Status quid, vnde fiunt, & eorum ſpecies, 1250 e.1251.1252.1323.1324.1352.d.
Stella Magorum, d.e
Stellæ quid ſunt, 1388.b
Stellæ errantes cur ſic dicuntur, 1476.e
in Stellis, quinam ſignificati, 22.d
S. Stephani protomartyris ara, 1689.a.b.1696 b. Eccleſia, 1695.c.d.1706 1726. Cella, 1633.e
de S. Stephano protomartyre, Verſus, 1683.e
Stola quid, & eius interpretatio, 1091.a
Stomachus quid eſt, 1387.d
Stratum, peccatorum cumulus, 58.a
Strenæ in Ianuario, 1014.a
Stultiloquus quis, 1035.c
Stultorum numerus infinitus, 317.d
Stupratores qui, 1034.d
Stuprum quid ab adulterio & inceſto differt, 1034.d.
Subdiaconi qui, 1079.a. & vnde dicti, eorumque officium, 1081.e
Subſtantia quid, & vnde dicitur, 1360.b
Sudarium capitis Domini cum linteaminibus non inuentum in monumento, ſed ſeorſim, quid, 663.b.c
Suffraganeus, quis dicitur, 1160.d.e
Suffragia viuentium ad quid proſunt morientibus, 1546.e
S. Sulpitius Præſul, 1703.a. Bituricenſis, 1735
Sulpitius Lector, 1731
Superbi, perſecutores humilium, 89.a
Superbia, omnium morborum cauſa, qualiter à Chriſto curata eſt, 484.b
Superbia, quàm graue peccatum, 1236.d.e. quādo & qualiter generatur, 1239.c.d
Superbiæ peccatum quod & quale, 1032.a.b & ſeqq.
Superhumerale quid, 1086.c.d.e. & eius myſtica interpretatio, 1089.a.1090.d
Suſceptores in baptiſmo, 1062.d
Suſurro quis, & vnde, 1035.d
Syllaba quid eſt, 1248.d.1264.b. & quænam ei accidunt, c
Syllabæ ex quot litteris fiunt, 1264.b., quomodo breues vel longæ, c.d. communes, 1265.b
Syllogiſmus qualiter confici debet, 1374.e
Symbolum quid, & eius expoſitio, 1124.c.d.& ſeqq.
Symbolum Nicænum, 1139.d
Symbolum fidei ſanctæ Trinitatis, 758.d.e
Symboli Apoſtolici expoſitio, 1115.d.e

T

Toruennae Morinorum episcopus. 1476. b.
Temperantia quid eſt, 1243.c.d.1350.b.1351 a. quam nobilis virtus, 1243.e. eiuſque partes, 1350.b.1354.e
Temperantia vera, quæ, 771.d
Temporale quid, 1127.b
Tempus & æuum in quo diſtant, 768.a.b
Tenebræ, ſtulti & iniqui, 389.e
Tentatio multiplex, 1121.b.c
Tentatio quot modis in Scripturis ponitur, 33.a
in Tentationibus immundorum ſpirituum oratio, 140.c
Terra quid eſt, 1388.b.c
Terra inuiſibilis & incompoſita qualiter, 5.c. cur ſpinas & tribulos poſt maledictum germinauit, 10.d
Terra cur in maledicto Adæ maledicta, & non aquæ, 3.d
Terra, peccatores, 72.e. humana natura, 93.d Eccleſia, 1119.b
Tertia dies pro defunctis cur celebratur, 1134.c
Tertiæ Horæ celebratio vnde, 1127.c
Teſtes falſi quàm exoſi Deo, 1235.b.c
Teſtimonia Dei quæ, 100.c
Tetradij Proconſularis viri, conuerſio, 1400.b
Teudulfus Epiſcopus ad defenſionem fidei Catholicæ inuitatur ab Alcuino, 1474.b.c
Thamar quid ſignificat, 1198.a.e.1201.d. quare iuſtior Iudâ dicta, 44.b
Thare cum filiis ſuis de igne Chaldæorum egreſſus, 21.b
Theodrada Caroli R. filia, 1752.e
Theologia quid eſt, 1357.b.c
Theophania, 1014.d. (vide, Epiphania) 972. d. ...
Theophilus Alcuini diſcipulus, 1610.b
Theophylactus, Magiſter in vrbe Roma ſummus, 1728
Theriſtrum quo ſe operuit Rebecca quid, 36.a
Thomæ infidelitas quātum nobis profuit, 669.d
de S. Thoma qui dicitur Didymus, Carmen, 1679.d.e
Thuribulum in Miſſa quid ſignificat, 1093.b 1094.c
Tiara, quid, 1087.a.b.1089.d
Timor Domini quid efficit, 1228.e.1229
Tonſura Clericorum, 1080.c
Topica quæ, 1354.b.1376.e.& eorum ſpecies, 1377.1378.& ſeq.
Torchmundus Hedilredi Regis famulus, 1514.d
Topazius, omniū gemmarū pulcherrimus, 97.d
Torona vrbs, 1689.d
Torrens, immanitas perſecutionis, 109.d
Traiectum caſtellum, 1435.d.1439.1455.a
Treueris vrbis deſcriptio, 1457.b

00112205

Digitized with financial assistance from
Observer Research Foundation
on 06 November, 2019